A S. A. R.

IL DUCA DI CALABRIA

Google

LEGATORIA
di
SOFALE GIANNINI

10148

Digitized by Google

Palat. LIII - 121 12

Digitized by Google

Digitized by Google

DISCURSUS PRAEDICABILES

SUPER

LITANIAS LAURETANAS

B. M. V.

Digitized by Google

590506
SBN

DISCURSUS PRAEDICABILES

SUPER

LITANIAS LAURETANAS

BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE

IN DUOS TOMOS DISTRIBUTI

STUDIO ET OPERA

P. F. IUSTINI MIECHOVIENSIS

POLONI, ORDINIS PRAEDICATORUM

Editio Neapolitana

Additis huic editioni — variis passim ab editore adnotationibus, eiusque discursibus iuxta methodum auctoris super novissimum in litaniis titulum Regina sine labe originali concepta — disquisitione theologica Ioannis Perrone e Societate Iesu — denique perraro opere b. Alberti magni, cui titulus Biblia Mariana.

VOLUMEN SECUNDUM

NEAPOLI
EX TYPIS FIBRENIANIS
MDCCCLVII

Digitized by Google

DEO OPTIMO MAXIMO

ET EIUS MAGNO AMICO

SANCTISSIMO

PATRIARCHAE DOMINICO

ORDINIS PRAEDICATORUM FUNDATORI INCLYTO ET PARENTI OPTIMO

FRATER IUSTINUS MIECHOVIENSIS

NON QUALE DEBUIT, SED QUALE POTUIT, DEVOTIONIS ET OBSERVANTIAE ARGUMENTUM

Post Deum, et gloriosissimam eius Genitricem Virginem Mariam, cui primum tomum harum lucubrationum mearum dicavi, Tibi, sanctissime Pater, hunc secundum tomum de industria servavi, quem gloriae Tuae provolutus aris modo devote offero et consecro.

Sed forsan quispiam me temeritatis, et audaciae incusabit, quod ego mortalium miserrimus, et indignus Te iam immortali vita, et gloria coelesti donatum, et inter heroes coeli collocatum compellare audeam, et opus hoc ab ingenio pusillum, ab arte non admodum excultum sub augustissimo nomine Tuo in lucem edere non formidem; sed veniam dabit, quisquis rationes consilii mei perpendere dignabitur.

Deo, B. Mariae, et Tibi, b. Dominice, in adolescentia mea voto solemni religionis me obligavi, mancipavi, tradidi, et praeclare tunc meam libertatem Vobis me obbligasse censui; nunc quoque quales quales labores meos, vigilias meas, et studia mea Vobis sacrare constitui, ut quibus me totum quantum tradidi, his vicissim omnes actus meos commendarem.

Accessit, quod opus hoc quale quale sit, totum dignitatem, et excellentiam Dei Matris loquitur. Illius inquam Matris, quam Tu, sanctissime Pater, cum nobiscum ageres, primam secundum Deum colebas, diligebas, observabas; cuius cultum filiis tuis impense commendabas, in populo totis viribus promovebas; cuius patrocinio ac praesidio Ordinem tuum commendabas. Dignum igitur erat ut opus istud in Tuam fidem, et clientelam darem, quo sub tanto Patrono, tantae Virginis tam eximio cultore, eiusque honoris studiosissimo, tutum conquiesceret; Deo, ac superis magis acceptum foret; et apud homines eam auctoritatem quam ab auctoris obscuro nomine, et ignobili ingenio habere non potuit, a tam magno Patrono, cive coelesti, quem omnes amant, colunt, observant, haberet.

Digitized by Google

Movit me deinde filii, licet indigni, erga optimum Parentem debita devotio et observantia. Multum Tibi, sanctissime Pater, debet totus qua late patet orbis terrarum, et tantum debet, quantum admodum paucis.

Quot ex filiis tuis olim ad terras infidelium se contulerunt, et hodie in Tartariam, Turchiam, Armeniam, Ægyptum, et Persiam, in novum orbem, et ad vastissima illa Americae regna predicandi evangelii causa proficiscuntur, proficiscuntur autem plurimi, omnes spiritu Tuo ducuntur. Tu enim adhuc mortalis tanto amore divino flagrabas, tanto salutis animarum desiderio tenebaris, ut non contentus occidentis oris in quibus multum laboris pro Dei cultu, et gloria impendebas, etiam in orientem ad Saracenos, aliosque infideles pergere volebas: Tuaque caritate totum mundum complexus ad extremos usque Indos, ultimasque orbis oras divinae Maiestatis gloriam, et catholicae fidei veritatem proferre satagebas. Religionis catholicae amplificandae studio parem animum habebas Alexandro, cui mundus non sufficiebat unus.

Unus pellaeo iuveni non sufficit orbis, *Iuvenalis satyra 10.*

Quot hodie ex filiis tuis in insulis, et regnis Angliae, Hiberniae, Scotiae occulti, sed Deo noti confessores latitant, vitamque periculo exponunt, catholicis sacramenta occulte administrando, tepidos in fide confirmando, fortes ad martyria accendendo Tuo exemplo moventur. Tu enim mortalis adhuc, adeo intrepidus eras, ut omnes omnium dynastarum, principum, regum vires, omnes exercitus, omnes militum quamvis ferocium mucrones, omnem denique mundi, tartarique potentiam non formides; haereticos furentes velut quosdam culices aestimares, eorumque insidias quasi ludum puerorum putares. Quot igitur nationum populi, quot barbarae gentes tum Tua, tum fratrum tuorum opera ad Christum conversae sunt, et iugo veritatis catholicae colla submiserunt, Tibi debent. Tu enim universum orbem caritatis visceribus complexus Ordinem praedicatorum ob praedicationem et animarum salutem ab initio instituisti; et ad hoc munus strenue obeundum alumnos tuos tum doctrina, tum exemplo erudivisti, inflammasti, fortes, strenuos et alacres reddidisti, ut per totum mundum evangelium praedicarent.

Multum tibi debet Ecclesia catholica universa, quam Tu mortalis adhuc lapsantem humeris tuis, ut Innocentio III summo Ecclesiae praesuli in visione ostensum est, sustinuisti, et nunc magis immortali gloria donatus precibus tuis sustentas.

Quot ex Ordine tuo strenui fidei christianae pugiles, veritatis catholicae vindices, inquisitores, haeresimastyges, theologi, doctores, concionatores, qui ad refellendos haereticos, et veram orthodoxamque fidem roborandam studia sua omnia referunt, prodierunt, prodierunt autem pene infiniti, et in dies prodeunt, Tua vestigia presserunt et premunt. Tu enim in vita tua fidissimus catholicae fidei custos, et fortissimus incorruptae religionis propugnator, indomitus haereticorum domitor, ardentissimus, fortissimus, constantissimus, invictissimus honoris divini zelator, haeresumque validissimus malleus semper fuisti.

Quot ex Ordine tuo fortissimi catholicae fidei athletae pro eiusdem fidei dilatatione martyrii palmam obtinere meruerunt, meruerunt autem quam plurimi, Tuum animum, Tuamque fortitudinem induerunt. Tu enim christianae virtutis, et perfectionis magister perfectissimus pro fide Christi et dilectione semper tui sanguinis prodigus, semper vitae tuae contemptor, quasi athleta invictus mortem contemnebas, fidei hostibus saepius te committens sitiebas martyrium, sicut sitit cervus ad aquae fluvium.

Quot praedicatorum Familia in tranquilla pietate sanctimonia illustres recenset, recenset autem quamplurimos, omnes ex Tua virtute, velut ex perenni fonte suam emanasse pietatem, suas irrigatas fuisse palmas gloriantur.

Quot in pietatis propagatione, in virtutum incremento, in revocandis a scelere improbis, in sedandis populorum motibus, in reconciliandis dissidentium animis strenuam operam navant: a Te uti magistro didicerunt, qui ardore pietatis flagrabas, in procuranda miserorum salute, in promovendis bonorum conatibus, in propagatione pietatis, humanitatis et pacis adeo laborabas, ut te quasi angelum pacis, et auctorem tranquillitatis omnes boni colerent, indigitarent, nominarent.

Quot ex filiis tuis tartareas phalanges frangunt, persecutores, tyrannos, haereticos, verbo, vita, miraculis ad Deum convertunt, Te ducem sequuntur, qui in erebi monstra, et portenta magnam vim, et potestatem semper habebas, in cosque imperium exercebas.

Quot urbes, oppida, pagi, populi, nationes ad Dei cultum, eiusque Genitricis devotionem, ac pietatem ex Rosarii recitatione accenduntur, accenduntur autem innumeri, tuae pietati, et candidae virtuti id debent. Tu enim hoc orandi genus instituisti, composuisti, ordinasti, et in populo cum magno fructu animarum mirifice propagasti.

Multum Tibi debent summi Ecclesiae Dei antistites, Christi vicarii, quorum dignitatem, amplitudinem, auctoritatem tum per Te, tum per filios tuos semper egregie tutatus es, et quotidie tueri non desinis. Quid de Tuis egregiis in se meritis senserint summi pontifices, luculenter testati sunt, cum Te primum, et postea tot Ordinis tui alumnos, fratres, et sorores catalogo sanctorum adscripserunt: tot beatorum numero adnumerarunt: tot ad sacram antistitum dignitatem provexerunt: tot favoribus, gratiis, privilegiis Ordinem tuum exornarunt.

Multum Tibi debet tota praedicatorum Familia. Suspiciunt plurimi Ordinis praedicatorum in Deum, coelitesque observantiam: Tu instituisti. Admirantur in procuranda hominum salute studium, et diligentiam: Tu instruxisti. Laudant doctrinae soliditatem: Tu facem praetulisti. Extollunt vitae integritatem; in adversis constantiam; in refroenandis corporis, atque animi voluptatibus temperantiam; in dignitate humilitatem, ac modestiam; in moribus demum candorem, ac sinceritatem: Tu haec legibus sanxisti, et exemplo praeivisti. Fide namque et caritate decoratus, corde mundus, humilitate excelsus, puritate conspicuus, castitate insignis, fortitudine insuperabilis, auctoritate erectus, mente devotus, omnique virtutum candore vestitus, totus plane christianae religionis speculum fuisti.

Quot viri, seu adolescentes, vel regio stemmate, vel generis claritate, vel potentia, aut dignitate conspicui Ordinis praedicatorum institutum amplectuntur, tuo exemplo ducuntur, qui origine illustris, ad omnem dignitatem fortuna felix, indole clarus, spe maximus, neglectis fortunae blanditiis, felicitate mundi calcata, pauperem induisti lacernam, quam in purpuram triumphalem immortali gloria donatus in coelo commutasti.

Quot ex praedicatorum Familia inquisitores, fidei censores, theologi primarii, sacri palatii apostolici magistri prodeunt, Tibi se devinctos fatentur, qui primus sacri palatii magister, primusque haereticorum inquisitor factus tam strenue hoc munus obiisti, ut iam plusquam per quatuor saecula summi pontifices hanc provinciam cum magno totius Ordinis tui honore, gloria et incremento filiis tuis demandent.

Quot ex Ordine praedicatorum summi pontifices, cardinales, patriarchae, archiepiscopi, episcopi ad Ecclesiae regimen, ad populorum curam, ad civitatum salutem, ad animarum medelam evocantur, Tibi debent, sub cuius disciplina, et legibus sancitis tantum profecerunt, ut ad amplissimas huiusmodi dignitates provehi mererentur.

Quot ad perfectionis statum, vitae sanctimoniam in tuo Ordine perveniunt, perveniunt autem plurimi, Tibi debent, qui eximiae pietatis documenta eis tradidisti. Tuorum votorum hic est felicissimus exitus, tuorum laborum praemium sane magnificum, tui zeli industria ac diligentiae corona.

Digitized by Google

Quid alii a tua benignitate habeant, praedicabunt ipsi: quid ego Tibi debeam, non est ingenii mei explicare.

A triginta annis Ordinis praedicatorum institutum amplexus tuis quotidie legibus ad verae sanctitatis formam instituor. Et cum ab eo gradu quem religiosae vitae ratio postulat, longe absim, Tu tamen tamdiu me sustines, foves, gratiis et favoribus ornas. Quid tot officiis, ac tantae benignitati remetiar, nihil habeo, etiamsi coner, nec exiguam aliquam gratiam rependere valeo. Hoc igitur quod possum, do, hoc opus gloriae tuae patrocinio committo.

Accipe igitur, beatissime Pater, has lucubratiunculas meas, informes quidem et exiguas, multis tamen modis ac nominibus Tuas. Tuae sunt, quia a filio, aut si mavis, ab inutili servo Tuo Tibi oblatae. Tuae, quia de Tua, Ordinisque Tui singulari Patrona, cordis Tui delitio, Beatissima Virgine Maria conscriptae. Tuae, quia ut mihi non obscuris iudiciis persuadeo, Tuo singulari patrocinio, ac instinctu, (faceret utinam Deus, ut tuo etiam spiritu) compositae sunt: o quam gratae, quam salutares, quam omnibus amabiles essent!

Vale igitur, Pater beatissime, Ordinis praedicatorum fundator inclyte, sacerdotum praesul, confessorum dux, doctorum antistes, religiosorum Tibi devotorum Patrone singularis. Vale clarissimum Ecclesiae catholicae iubar et ornamentum, lumen et columen. Vale mundi lucerna, praeclarissima Ecclesiae fax, firmissima fidei catholicae columna, et altera post Ioannem Baptistam lucerna lucens et ardens, Christique praecursor. Vale generose Christi miles, invicte Ecclesiae catholicae propugnator, contra haereticos terribilis tuba, splendidissime purae veritatis sol, qui suorum claritate radiorum omnes orbis terrarum oras illustrasti. Vale excellens veritatis praeco, Patris aeterni legate, divini verbi tuba, donorum Spiritus sancti dispensator fidelissime. Vale coelestis incola, meque indignissimum, qui in his religiosae militiae castris sub Tuis signis utcumque mereo, Deo commenda.

Digitized by Google

CATALOGUS

AUCTORUM ET LIBRORUM

IN HOC SECUNDO TOMO CITATORUM

A

Abraham Bzovius
Abulensis
Aelianus
Aemilius
Alanus Copus
B. Alanus Ord. praedicatorum
B. Albertus magnus Ord. praedicatorum
Albertus Krantzius
Albertus Castellanus Ord. praedicatorum
Alciatus
Alcuinus
Alensis Anonymus
Alexander ab Alexandro
Aloysius
Alphonsus Salmeron
B. Amedeus
S. Ambrosius doctor Ecclesiae
Amphilochius
Andreas ierosolymitanus
Andreas cretensis
Andreas Eremita
Angelus de Clavasio
Anselmus Boetius
S. Anselmus
S. Antiochus
S. Antoninus archiepisc. Ord. praedicatorum
Antoninus Arando
Antonius de Balinghem
Apponius
Apuleius
Arando
Aristoteles
Arnobius
Arnoldus Carnutensis
Arnoldus Uvionus
S. Athanasius
S. Augustinus doctor Ecclesiae
Ausonius
Auctor operis imperfecti.

B

Balthassar Roca
Baptista Confettius
Baptista Mantuanus Ord. carmelitarum
Baronius Cardinalis
S. Basilius
S. Basilius seleuciensis episcopus
Vener. Beda
Bellarminus cardinalis
Benedictus Iustinianus
Benedictus Pererius
Benelus
S. Bernardinus senensis
Bernardinus de Bustis
S. Bernardus abbas
Bernardus Brito
Blondus
S. Bonaventura doctor Ecclesiae
Boetius
Bonfinius
Borchardus
Bosquierus
Brentius
Breviarium Ord. praedicatorum
S. Birgitta
Brocardus
Bucerus.

C

Caelius rodiginus
Caesarius
Caietanus cardinalis Ord. praedicatorum
Calvinus
Canisius
Carolus Sigonius
Carthagena
S. Cassianus
Cassiodorus
Cedrenus
Caesarius monachus
Choquetius
Christophorus a Castro
S. Chrysologus
S. Chrysostomus doctor
Chronica Bertin
Chrysippus ierosolymitanus
Cicero
Claudius Minos
Clemens alexandrinus
Clemens IV pont. maximus
Concilia diversa
Constantinus Palaeologus
Constantinus Lascaris
Cornelius Snelus
Cornelius a Lapide
S. Cyprianus
S. Cyrillus ierosolymitanus carmelita
S. Cyrillus alexandrinus.

D

Dionysius areopagita
Dionysius carthusianus
Dionysius halicarnasseus
Dominicus Gravinarevelius
Dominicus Soto Ord. praedicatorum
Dioscorides
Durandus Ord. praedicatorum.

E

Emmanuel Graecorum imperator
Ennius
S. Ephrem
S. Epiphanius
Epiphanius presbyter
Erasmus
Esychius presbyter
Evagrius
Everardus Mocmer
Evodius
Eusebius emissenus
Eustachius
Euthymius.

F

Ferdinandus Castillanus
Ferdinandus Salazar
Flaminius
Fridericus Fomerus
Franciscus Brunus
Franciscus Suarez
S. Fulgentius
S. Fulbertus
Fulgosius.

G

Gabriel Barrus
Gacarious
Galatinus
Gavaston
Gerardus
S. Germanus patriarcha constantinopolitanus
B. Gertrudis
Glossa ordinaria
Gosuvious
S. Gregorius papa
S. Gregorius nazianzenus
Gregorius nicomediensis
S. Gregorius nyssenus
S. Gregorius Thaumaturgus
S. Gregorius turonensis
Gregorius IX pontifex
Gretserus
Guerricus abbas
Guido Folcodius
S. Gullielmus
Guillelmus tyrius
Gulielmus Hysengrinus
Gulielmus Haigrinus
Gyraldus.

H

Henricus Gand
Herodotus
Hesychius ierosolymitanus
S. Hieronymus doctor Ecclesiae
Hieronymus Angelita
Historia orientalis
Homerus
Horatius poeta
Horatius Tursellinus
Hugo Farcitus

Hugo charensis
Hugo victorinus
Hyacinthus Coquetius
S. Hyppolitus martyr.

I

S. Iacobus apostolus
Iacobus Mererus
Iacobus de Voragine
Idiota
Iansenius
S. Ildephonsus
S. Ignatius martyr
Incognitus Ord. carmelitarum
S. Ioannes Chrysostomus
Ioannes Longres
Ioannes geometra
Ioannes de Zumagara
Ioannes Thuillius
Ioannes Hariaber
Ioannes Aquilanus
Ioannes Comenus
Ioannes Ximista
Ioannes a Carthagena
S. Ioannes Damascenus
Ioannes Gerson
Ioannes Herold, alias discipulus, Ord. praed.
Ioannes Lanspergius
Ioannes navarrensis
Ioannes Lopez
Ioannes Rocca
Ioannes Severanus
Iosephus hebraeus
S. Irenaeus
Isidorus Isolanus Ord. praedicatorum
Iustinianus
S. Iustinus martyr.

L

Lampridius
Lanspergius
Landulphus carthusianus
S. Laurentius Iustinianus
Leander Albertus
Leo imperator
Lipomanus
Livius
Locrius
Lucius Dexter
Ludovicus panormitanus
Lutherus.

M

Mahometus
Maldonatus
Malonius
Marcus Ungerius
Marcus Attilius
Marinus siculus
Martinus Delrio
Martinus Navarrus
Martyrologium romanum
Martialis
S. Methodius
Mendous
Metaphrastes
Michael Plodius
Michael Ayguanus, alias Incognitus, Ord. carmelitarum.

N

Nauclerus
Nicephorus Callistus
Nicetas
Nicolaus Lyranus
Nicolaus Serarius
Nicolaus Trigautius
Novarinus.

O

Oecolampadius
Oleaster
Oliverius Bonartius
Onuphrius
Oppianus
Origenes
Ovidius.

P

Pagninus
Paleomodorus
Panthaleon
Paschasius
Pelbartus
Petrus Dercorius
Petrus Canisius
Petrus Chrysologus
Petrus Comestor
Petrus Damianus
Petrus Galatinus
Petrus Maffeius
Petrus de Natalibus
Petrus ravennas
Philippus bergomas
Pierius Valerius
Pineda
Pius V papa
Platina
Plinius
Plodius
Plutarchus
Polidorus Virgilius
Pomerius
Pontificale romanum
Procopius
Proclus cyzicenus.

R

Rabbi Haccados
Rabbi Anbelos
Rabbi Moyses
Richardus a s. Laurentio
Richardus de s. Victore
Robertus Bellarminus
Robertus Fussanus
Rodericus Ximenius
Rudolphus Agricola
Rocus Cardanus
Rufinus
Rupertus abbas
Rupertus Holchot
Rutilius Benzonus.

S

Salazar
SalignIacus
Salmeron
Sanderus
Sedulius
Seneca
Seguinus
Septuaginta interpretes
Sidonius
Silvester Prierias Ord. praedicatorum
Simeon de Cassia
Simeon Metaphrastes
Xystus IV
Xystus V
Xystus senensis Ord. praedicatorum
Socrates historicus
Solinus
Sophronius
Sozomenus
Speculum exemplorum
Stephanus Salanacus
Stephanus Heduensis
Stobaeus
Svetonius
Sulpitius Severus
Surius.

T

Tahienus
Tancredus
Theodoretus
Theophilactus
S. Thomas Ord. praed. doctor Ecclesiae
S. Thomas a Villanova
Thomas Bozius
Thomas cantipratensis
Thomas a Kempis
Tostatus episcopus abulensis
Trismegistus
Trithemius.

V

Valerius Maximus
Varro
Ubertinus Casalinus
Victor uticensis
S. Vincentius Ferrerius
Vincentius Beluacensis Ord. praedicatorum
Vincentius Brunus
Vincentius Bandelius
Vincentius Hensberg
Virgilius
R. Umbertus
Usuardus
Uviguerius Ord. praedicatorum

Z

Zonaras
S. Zeno.

DISCURSUS PRAEDICABILES

SUPER

LITANIAS LAURETANAS

BEATISSIMAE VIRGINIS

MARIAE

VIRGO PRUDENTISSIMA

Post encomium maternitatis Beatissimae Deiparentis Mariae duodecim titulis, seu epithetis superioribus celebratum virginitatem eiusdem exornare incipit fidelis Ecclesiae chorus hoc elogio eam decorans: *Virgo prudentissima.* Et merito prius maternitatem admiratus est et laudavit, quam virginitatem; maternitas enim fuit velut fecundissima vena, ex qua omnia coelestia charismata, divina beneficia ac portentosa privilegia in B. Virginem profluxerunt, ut in superiori tomo abunde probavimus. Virginitatem itaque sacrosanctae Deiparae recolens hoc eam in primis titulo donat, et decorat, *Virgo prudentissima.* Quo significare vult eius prudentiam singularem, et excellentissimam fuisse. Quare hic merito quaerendum est

DISCURSUS CCX

IN QUONAM VEL MAXIME PRUDENTIA DEIPARAE VIRGINIS ENITUIT

1 Virtutes manifestantur per actus suos.

Virtutes manifestari per actus suos omnium sapientum concors sententia est. Tunc enim virtus ex animo se prodit, cum per actionem suam foras erumpit. Prudentia itaque cum sit virtus, non alio modo elucescit, quam cum per actionem suam foras exit, se prodit ac manifestat.

2 Prudentiae actus, et totidem descriptiones.

Actus autem prudentiae sunt. 1. Terrena despicere, et coelestia amare. Sic namque beatus Augustinus lib. 6 musicae ait: *Prudentia est affectio animae, vel motus, quo quia intelligit aeterna superiora esse, et inferiora esse terrena.* Et in epistola ad Rom. propos. 49: *Prudentia spiritus est, quando neque in temporalibus bonis spes nostra est, neque in malis timor.*

3 2. Divinas et humanas res cognoscere. Sic enim imperator Iustinianus cod. 11, parag. 1 prudentia definit: *Prudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia.*

4 3. Mala cavere, et bona eligere. Sic enim philosophorum princeps Aristoteles prudentiam definit lib. 6 ethicorum: *Prudentia est virtus, quae consistit in cavendis malis, et eligendis bonis.* Et romanus orator 1 officiorum: *Prudentia est rerum expetendarum fugiendorumve scientia.*

5 4. Media ad consequendum finem recte eligere, eaque docere et ostendere, ut finis intentus habeatur. Hinc prudentes dicuntur negotiatores, prudentes navarchi, prudentes iudices, quia media idonea invenire, et praeparare norunt ad consequendum finem suorum officiorum, quibus funguntur. Hinc doctor angelicus 2 2, q. 47, art. 13: *Prudentia,* inquit, *est vera, et perfecta, quae ad bonum finem totius vitae consiliatur, iudicat et praecipit.*

5. Praesentia recte ordinare, praeteritorum recordari, de futuris providere. Seneca lib. 1 de beneficiis: *Si,* inquit, *prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus dispensetur; praeterita cogita, praesentia ordina, futura provide.* 6

6. Omnes actus humanos ad rectam rationem conformare. *Prudentia est,* ait Macrobius, *ad rationis normam, quae quis cogitat, quaeque agit, universa dirigere, et nihil praeter rectum vel laudabile facere.* Prudentia ad normam rationis universa dirigit, utpote omnium virtutum dux et auriga, ut aiebat s. Antoninus. Ipsa singulas actiones dirigit, ordinat et moderatur. Ipsa hominem ita componit et disponit, ut quicquid cogitat, quicquid agit, nihil praeter rectum, et laudabile faciat. De hac vide latius discurrentem Laurentium Begerlinck in magno Theatro vitae humanae, v. Prudentia. 7

7. Linguam moderari. Hinc Sapiens Prov. 10, 19: *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est;* et 17, 27: *Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est, ac pretiosi spiritus vir eruditus.* 8

In his omnibus actionibus enituit summa Deiparae Virginis prudentia. Et ob eam rem merito nuncupatur, *Virgo prudentissima.* Quod per distinctos discursus demonstrare libet.

Digitized by Google

DISCURSUS CCXI

OB TERRENORUM DESPECTUM, ET COELESTIUM AMOREM DEIPARA VIRGO PRUDENTISSIMA

1 *Prudentiae verae munus.* Prudentiae verae ac perfectae munus est terrena despicere, coelestia amare, et ad ea aspirare. Licet enim quispiam recte disponat media ad consequendum aliquem finem, si ille finis non fuerit supermundanus, coelestis, divinus, taliter disponens nequaquam vere prudens erit.

2 *Prudentia duplex, vera, et falsa, et quid sit unaquaeque.* Hinc doctor angelicus 2 2, q. 47, art. 13 secernit prudentiam falsam a prudentia vera. Prudentia, inquit, falsa vel per similitudinem dicta est, cum quis bene disponit ea quae sunt agenda propter malum finem consequendum. Sic dicitur prudens latro, qui convenientes adinvenit vias ad latrocinandum, prudens fur, qui subtiles modos invenit ad furandum, vel rapiendum alienum. Et huiusmodi est prudentia de qua Apostolus Rom. 8, 6 scribit: *Prudentia carnis mors est*: quae scilicet finem constituit in delectatione carnis. Hac prudentia praediti sunt, qui recte disponunt congruentia media ad hoc ut ditescant, ut avari; vel ad hoc ut dominentur, ut ambitiosi; vel ut feminas seducant, ut luxuriosi, et alii huiusmodi.

3 *Prudentia vera duplex.* Prudentia vera gemina est, quaedam imperfecta, quaedam perfecta. Imperfecta est, quae adinvenit vias accommodatas ad finem vere bonum; sed est imperfecta duplici ratione. Uno modo, quia illud bonum quod accipit pro fine, non est finis communis totius vitae humanae, sed alicuius specialis negotii, ut cum negotiator, aut navarchus adinvenit vias accommodatas, ille ad negotiandum, iste ad navigandum. Alio modo dicitur imperfecta prudentia, quando aliquis bene consiliatur, et bene iudicat, etiam de iis quae spectant ad totam vitam hominis, ut puta de virtutibus; sed non efficaciter praecipit, nec exequitur.

4 *Perfecta prudentia quae.* Perfecta autem prudentia est, quae ad bonum finem totius vitae recte consiliatur, iudicat, et praecipit. Et huiusmodi prudentia est supermundana, et coelestis, qua praediti sunt qui Deum amant, iustitiam colunt, terrena fastidiunt, ad coelestia aspirant. *Prudentia B. Virginis qualis fuit.* Et huiusmodi prudentia praedita fuit Deipara Virgo Maria. Omnem nitorem temporalis gloriae, omnem favorem blandientis fortunae ab affectu, et aspectu reiecit, sprevit, neglexit: coelum, coelestiaque spectavit, cogitavit, amavit.

5 Totam vitam Deiparae Virginis evolve, non facile reperies terrena ab hominibus petiisse, aut pro temporalibus Filium exorasse. Et quid ita? Ut nimirum cognoscas, eam terrenis nunquam inhiasse, sed semper ad coelestia aspirasse.

6 Sed forsan obiicies, Deiparam Virginem in nuptiis Canae Galilaeae vinum a Filio petiisse: *Vinum non habent*, Ioan. 2, 3. Audi, et intellige, Deiparam tunc nihil petiisse, sed indigentiam tantum, vinique defectum Filio notificasse. Verum demus eam tunc vinum petiisse; at non sibi petiit, sed aliis. Unde non dixit: vinum non habemus, aut: vinum nobis deest; sed: *Vinum non habent*. Ut nimirum ostenderet, non sui causa, sed sponsi, et convivantium vini defectum Filio manifestasse. Semper itaque coelestium amica terrenorum hostis fuit.

7 *Paupertatis amor in B. Virgine.* Permaximum huius prudentiae argumentum produxit, cum in die purificationis Filium suum ad templum deferens, quo agnum emeret, non habebat. Equidem a regibus Magis magnam auri vim acceperat, et tamen unde solum unum agniculum emeret, non habebat, cum tamen in terra sancta multi agniculi inveniuntur, et pro modico pretio habeantur. Studio paupertatis prudentissima Virgo illud totum in pauperes distribuit, ut d. Bonaventura in lib. de vita Christi adnotavit. Et cur ita? Ne temporalibus adhaerere videretur, si aurum apud se retineret.

8 Aliud huius prudentiae argumentum colligimus ex eo quod refert s. Lucas c. 8, v. 1, 2, 3: *Et ipse Iesus iter faciebat per civitates, et castella praedicans, et evangelizans regnum Dei, et duodecim cum illo, et mulieres aliquae........et aliae multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis.* Cum aliae sanctae mulieres sequentes Dominum ministrarent Christo de facultatibus suis, cur Mater ipsa quae eum magis diligebat, id ei non praestitit? Apparet quod rerum terrenarum amore non tenebatur, proinde *Paupertas Mariae* eas a se abdicans earum inopia laborabat. Unde Filio carissimo quod praestaret, non habebat, praestatura si illi facultas adfuisset. Coelestia igitur Virgo prudentissima spectabat, coelestia cogitabat, coelestia amabat, coelestia quaerebat, terrena vero flocci faciebat.

In signum huius pathmaeus vates Apocal. 12, 1 eam lunam sub pedibus suis habuisse describit: *Luna*, inquit, *sub pedibus eius*. Quid est quod Maria lunam sub pedibus habet? Quia omnem gloriam mundi quam luna significat, omnem terrenarum rerum affluentiam contemnit. 9

Olim apud Romanos nobilium filii lunulas in calceis habebant, 10 *Lunulae in calceis Romanorum.* ut Caelius Rodiginus lib. 20 lect. antiquarum, c. 28 memorat. Et cur ita? *Ut nimirum*, verba sunt Caelii Rodigini, *tacitis velut ambagibus commonerent, non insolescendum, nec prosperiore successu efferendos animos, inconstantiae rerum semper memores, qua humana conflictantur, cui argumentum praebeat luna.* Ad eundem modum Maria lunam pedibus calcat, ut doceat se nobilitatem mundanam spernere, omnem gloriam mundi flocci facere, omnia mutabilia pedibus subiecta habere. *Pes meus affectus meus*, ait s. Augustinus alicubi.

Primaevi illi christiani adeo auri, et argenti contemptores erant, ut pretia agrorum, aut domorum ad pedes apostolorum ponerent, ut sacra actuum apostolorum historia narrat c. 4, v. 34. 11 Et cur ad pedes ea proiiciebant? cur non in gazophylacium, vel corbonam ponebant? Indignum putabant ea manibus contrectare, ne alicuius rei terrenae affectu macularentur. Et a quo istam prudentiam didicerunt? A Virginis exemplo, quae lunam, id *Maria paupertatis magistra.* est omnem mundi gloriam calcabat, omnem rerum temporalium nitorem premebat. Ad eam enim nedum apostoli, verum et alii fideles, tanquam ad insignem magistram, et doctricem, ut in obscuris illuminarentur et in dubiis edocerentur, frequenter confluebant, ut in tomo superiore ostendimus.

Hoc mihi longe ante praevidisse videtur Isaias vates c. 7, v. 12 14. Postquam enim dixerat: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel*, paucis interiectis haec addidit v. 20: *In die illa radet Dominus in novacula conducta.* *Maria novacula.* Ecur Virginem Deiparam novaculam appellat? de ea enim sermonem esse ex sacro contextu Richardus deducit. Novaculam appellat, quia per eius exemplum, quasi per novaculam, Deus superflua a nobis resecat, et abradit. Ita Richardus libro 7 de laudibus Virginis.

Nec facile praeteriri debet, quod sacra Deipara *virga* appellatur. *Egredietur virga de radice Iesse*, Isai. 11, 1. Virga non 13 est curva, sed solida, non in terram flectitur, sed semper in coelum tendit. Ad eundem modum Maria semper recta extitit, semper coelum, coelestiaque cogitavit: quod ex eo probare possumus, quod mortua in pulverem non est reversa, sed ad coelum *B. Virgo mortua cur in cineres non est reversa.* resurgens evolavit ab omni corruptione immunis. In coelum viam arripuit, non ad terram, quia vivens terrena nunquam cogitavit. Hanc cogitationem mihi suggessit d. Damascenus, qui homil. 2 de assumptione B. Virginis ita fatur: *Hodie Virgo immaculata, quae nullis terrenis inquinata est affectibus, sed coelestibus educata cogitationibus non in terram reversa est, sed in coelestibus tabernaculis collocatur.* Longe itaque Deipara Virgo a rerum terrenarum affectu abfuit, quae terrenis affectibus mortua coelestibus etiam, dum viveret, immoriebatur.

Sed quantus fuerit amor coelestium in B. Virgine operosius 14 *Caritas Virginis quanta.* inquirendum est. Quis eius amorem erga Deum? quis flammas divinosque ardores fando explicare possit? Ardebant in coelo seraphini, sed flagrantiori igne ardebat in terra Virgo. Cant. 8, 6: *Lampades eius lampades ignis, atque flammarum*, hebraice: *Lampades eius lampades ignis, flamma Dei*, id est, flamma vehementissima, ardentissima, maxima; quae enim maxima sunt, Dei appellantur, ut *montes Dei*, psal. 35, 6, et psal. 79, 11 *cedri Dei*, id est maximi.

Ignis ille quo comburebatur iuge holocaustum, in altari semper ardebat, Lev. 6. Sic flamma caritatis in corde virgineo velut in altari continuo arsit, ita ut nec per momentum ab amore 15 Dei cessaret, ut late probavimus in superiore tomo, d. CXXXVII. *Caritas Virginis incessabilis magis quam seraphim.* S. Antoninus Ordinis nostri archipraesul doctissimus, ac sanctissimus, 4 part. tit. 15, c. 44, par. 9 argute probat ex beato Alberto magno caritatem B. Virginis incessabilem magis fuisse, quam ipsorum seraphinorum fuerit caritas. Verba illius dabo: *Incessabilitatem habuit B. Maria super seraphim, quod sic probat Albertus: Magis incessabile est quod nunquam cessat, nec potest modo cessare, nec unquam potuit cessare, quam quod nunc cessat, nec potest cessare, sed tamen potuit aliquando cessare. Sed caritas seraphim etsi non potest modo, potuit tamen aliquando cessare, scilicet in prima conditione, quod patet per exemplum Luciferi, qui secundum b. Gregorium supremus fuit in ordine sera-*

Digitized by Google

phim, qui tamen a caritate sibi collata cecidit de coelo. Sed caritas B. Virginis nunquam potuit cessare, quod ostenditur per hoc, quia caritas non potest cessare, nisi per mortale peccatum: sed B. Virgo nunquam potuit peccare mortaliter, quia in utero sanctificata fuit, antequam posset peccare, et per illam sanctificationem ita fuit confirmata in gratia, et caritate, quod postea non potuit peccare etiam venialiter, unde nec amittere caritatem, quod tamen potuerant seraphim agere, et de facto aliqui amiserunt, scilicet Lucifer cum suis: ergo B. Maria in hoc omnes excellit. Haec ille.

10 Tantus amor coelestium in Maria unde.

Sed unde Maria tantum amorem erga Deum, et coelestia concepit? In coelo Dei divitias opesque omnes prae omnibus possessura erat, unde *Thesauraria gratiarum* dicitur: non ergo mirum, si cuncta terrena neglexit, contempsit coelestium bonorum omnium Domina futura. Praeterea, Christum semper prae oculis habuit, unde umbras terrenarum rerum post tergum proiecit: qui solem ante oculos habet, umbram post tergum habet. Maria ergo quae verum solem Christum semper ante oculos habuit, umbram, id est, res umbratiles, scilicet temporalia semper contempsit, sprevit, post tergum habuit. Audiamus divum Ambrosium lib. 2 de virginibus: *Virgo humilis corde, animo prudens, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens.* Unde Eccli. 24, 14 matrem pulcrae dilectionis se appellat: *Ego*, inquit ipsa de se, *mater pulcrae dilectionis.* Vera mater pulcrae dilectionis, quae nullo rerum terrenarum amore, nullo rerum temporalium affectu unquam polluta, seu maculata fuit, de quo uberius egimus tomo superiore, disc. LXXXVII.

Mariae igitur exemplo prudentiam discamus, terrena omnia contemnamus, rebus perituris non inhiemus, res mundanas calcemus, contemnamus, coelestia spectemus, ut mundo maiores effecti ea possideamus, praestante Domino nostro Iesu Christo interventu dignissimae Matris eius Mariae. Amen.

DISCURSUS CCXII

OB RERUM DIVINARUM ET HUMANARUM COGNITIONEM DEIPARA VIRGO PRUDENTISSIMA

1 Prudentia dicitur scientia, et sapientia.

Prudentes saepe vocamus gnaros, multarum rerum peritos, seu doctos. Unde iurisprudentes dicimus, id est, iuris cognitionem habentes, in iure versatos et peritos. Apud Ecclesiasticum quoque c. 1, 4 prudentiae nomine vocatur sapientia: *Intellectus prudentiae.* Unde platonici, quos sequitur s. Augustinus, dicebant rationem nostram, cum contemplatur summa, vocari rationem, et sapientiam; dum vero curam habet de infimis, vocari prudentiam. Quare non inepte imperator Iustinianus loco supra citato definit prudentiam: *Prudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia.* Hac notitia optime praedita fuit Virgo Deipara, et ideo merito appellatur *Virgo prudentissima.*

2 Scripturarum scientia in B. M. Virgine quanta fuit.

In primis sacrae Scripturae intelligentiam B. Virgo perfectissime habuit. Quicquid in prophetis latebat, quicquid tota Scriptura continebat, hoc totum B. Virgini obvium, et apertum erat. Hinc s. Vincentius Ferrerius sermone in nativitate Domini ait: *Virgo Maria melius sciebat Biblia, quam prophetae.* Hinc Richardus a s. Laurentio lib. 9 de laudibus Virginis eam appellat *Armarium Scripturarum.* S. Germanus archiepiscopus constantinopolitanus orat. in nativitate Virginis eandem vocat *Sigillum utriusque testamenti.* Et bene sigillum, quia quicquid in reconditissimis prophetarum vaticiniis continebatur, quicquid novum testamentum clara, apertaque voce proclamat, hoc in corde Mariae velut in quodam thesauro sigillatum recondebatur.

3 Contemplationis B. M. Virginis puncta.

Audiamus s. evangelistam. *Maria*, inquit, *conservabat omnia verba haec conferens in corde suo*, Luc. 2, 19, 51. Non tantum conservabat ea verba, quae tunc dixerat Christus, sed omnia quae dicta, et operata sunt ante incarnationem, et post, ut Theophylactus notabat, uti salutationem angelicam, conceptum sine viro, partum sine dolore, pastorum adventum, regum adorationem, fugam in Aegyptum, disputationem in templo. Et non solum ista conservabat, sed etiam conferebat cum prophetarum vaticiniis, et miram eorum cohaerentiam, et consonantiam penetrabat. Exempli gratia, dixerat Gabriel: *Ecce concipies in utero, et paries filium;* praedixerat Isaias: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium;* dixerat David: *Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent.* Videbat hoc Maria, et laetabatur, et in singulis huiusmodi conferebat quae legerat, et comparabat his quae audiebat, et videbat. Unde merito dicere posset illud sponsae Cant. 7, 13: *Omnia poma: nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.* Quia quicquid antiqui prophetae scrutati sunt, quicquid de futura gratia prophetarunt, hoc totum Maria in arcano cordis sui scrinio asservabat, et recondebat, ut tempore suo universa prout gesta erant, proferret, et quaerentibus explicaret.

Non erat cor Mariae ad instar cordis hominis stulti, de quo Eccli. 21, 17 dicitur: *Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit;* sed instar illorum, de quibus Christus Dominus dixit: *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Custodiebat autem verba Christi non quasi pueri qui duodecim esset annorum, sed eius qui de Spiritu sancto conceptus fuerat. 4

In hac diligentia, et in conservandis Christi Domini verbis fecisse mihi videtur B. Virgo iuxta morem eorum qui arborum fructus, ne marcescant et pereant, prudenter saccharo decoquunt, ut sic eos per longum tempus conservent. Ad eundem modum B. Virgo verba Christi quae fructus erant verae arboris vitae, ne perirent, assiduae ac dulcis meditationis saccharo prudenter decoquebat, ut sic in pyxide cordis sui ea nobis conservaret.

Et ob eam causam s. Ioannes B. Virginem sole amictam, et lunam pedibus calcantem describit, Apoc. 12, 1: *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.* Et cur B. Virgo sole amicitur? Olim pallium sapientiae signum erat, aut certe hominis philosophiam profitentis habitus. Maria ergo sole velut pallio amicitur, quia sapientiae divinae abyssum penetravit. Id ante me cogitavit, et clarissimis verbis expressit d. Bernardus haec verba Apocalypsis explanans: *Iure Maria sole perhibetur amicta, quae profundissimam divinae sapientiae, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum.* Et cur lunam calcare videtur? Quia nimirum terrena despicit, temporalia negligit, mundana omnia quae per lunam significantur, calcat. Inanis, et stulta est sapientia illorum, qui solem induere student, stellas sub pedibus, et lunam in capite habent, hoc est temporalia aeternis praeferunt, et peritura coelestibus. Non sic Maria sole sapientiae amicta stellas in capite habet, et lunam pedibus calcat, quia coelestia omnibus terrenis antefert, et terrena omnia pedibus premit. 5 Pallium sapientiae symbolum.

Hanc rerum divinarum cognitionem in B. Virgine illud maxime probat, quod Filii sui cogitationes cognoscebat. Id autem colligimus ex eo, quod ad nuptias vocata, hoc quod Filius facere disponebat, ipsa ut facerent ministri, admonebat. Vix dixerat Christus: *Quid mihi, et tibi est mulier?* ipsa ad ministros versa, ait: *Quodcumque dixerit vobis, facite*, ac si in Filii corde legisset, quid facturus esset. 6 Maria Filii sui cogitationes cognoscebat, et unde id habuit.

Nec mirum; Ipse enim Christus adhuc puer in privato multa mysteria Matri suae dulcissimae aperiebat, ut b. Birgitta lib. 6. revel. cap. 58 sibi revelatum fuisse narrat. O Virginem prudentissimam, quae ipsius Dei cogitationes cognoscere poterat! Cogitationes hominum cognoscere solius Dei proprium est: *Pravum est cor omnium, et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans*, etc. Ierem. 17, 9. Et cogitationes Dei cognoscere B. Virgini concessum est. O privilegium peculiare! o gratiam singularem! 7

Sed forsan quispiam ulterius requirat: unde B. Virgo tantam rerum divinarum, et humanarum cognitionem habere meruerit? Audi, et intellige. Christus, ut ait Apostolus 1 Corinth. 1, 24, est Dei virtus, et Dei sapientia, et in eo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei reconditi; Christus autem in Maria erat, in cuius utero corpus sibi aptabat: igitur Dei virtus, et Dei sapientia, et omnes thesauri sapientiae, et scientiae in Maria erant. Ita s. Anselmus hom. super illud, *Intravit Iesus in quoddam castellum.* 8 Unde B. Virgo tantam rerum divinarum cognitionem habuerit.

Praeterea B. Virgo sacras Scripturas frequentissime legebat, easque interno gustu et proprio experimento addiscebat; hinc est quod in eis singulare delicium ponebat, et ex eis multa mysteria hauriebat. Audiamus Landulphum carthusianum de nativit. Virginis c. 2: *Omni tempore*, inquit, *Maria aut orationi, aut lectioni, aut operationi se dabat. Pro salute generis humani sine intermissione orabat: Scripturas de adventu Christi frequenter legebat: et quicquid in Scripturis de incarnatione Dei invenie-* 9 B. Virgo sacras Scripturas assidue legebat.

Digitized by Google

bat, has osculando, et amplexando dulciter relegebat. De hac scientia fusius egimus tomo superiore, disc. XCIII, et XCIV.

10 Ulterius prudentia est *iusti atque iniusti scientia.* Et hoc est praecipuum munus prudentiae, non solum quae agenda sunt, scire, sed etiam modum quo fieri debeant, iusta ac an iniusta sint, diligenti examine indagare. Hinc b. Bernardus serm. 49 in Cant. de discretione hoc scriptum reliquit: *Discretio quaedam moderatrix est, et auriga virtutum, ordinatrixque affectuum et morum doctrix: tolle hanc, et virtus vitium erit.* Huiusmodi prudentiam seu discretionem in B. Virgine fuisse sponsus in Canticis non obscure indicat, cum sit: *Nasus tuus sicut turris Libani.* Non corporalem nasum sponsae depraedicat, alioquin eam

Nasus prudentiam significat.

non laudaret, sed magis opprobrio afficeret, cum nasi magnitudo sponsis non pulcritudinem, sed deformitatem afferat; et spiritualem depraedicat, prudentiam nimirum; nam sicut nasus odores a foetoribus longe discernit, ita prudentia iustum ab iniusto, bonum a malo secernit, et quid sequendum, quidve fugiendum sit, docet. De hac nasi metaphora abunde egimus tomo superiore, disc. CXXXIX, par. 8, et CLXXXIV per totum.

11 Discipulus Mariae qualis esse debeat

Hanc igitur prudentiam, hoc est rerum spiritualium, et salutarium notitiam a B. Virgine discamus. Prudens ac beatus est qui sub nobili Mariae magisterio scientiae operam dat, non solum enim scientiam, verum etiam caritatem sub ea addiscit. Fatuus ac miser est, qui sub praeceptoribus mundi nudam scientiam acquirit, scientia enim sine amore insipientia est. Prudentes sunt qui sub magisterio Mariae scientia simul et amore imbuuntur. Talium discipulorum Mariae catalogum positum habes tomo superiore, discursu XCIV. Unde cognoscere poteris B. Virginem bonorum suorum largam, et munificam dispensatricem esse, specialiter vero sapientiae atque doctrinae.

12 Discipulus Mariae optimus quis.

Quisquis igitur sub Mariae magisterio doctus evadere cupit, ac optimus eius discipulus esse desiderat, ita prudentiam ab ea discat, ut simul post eius virtutes currere studeat, alioquin idoneus eius auditor non erit. Dicat ad tam insignem magistram, et doctricem cum sponsa: *Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum*, hoc est, *Trahe me*, o Virgo prudentissima, o Magistra doctissima, trahe me, inquam, ignorantem, ut me reddas scientem, *curremus in odorem unguentorum tuorum*, id est in fragrantiam virtutum tuarum, quae nos in hac vita recreent, dolores nostros mitigent, vulnera sanent, et tandem ad gloriam aeternam deducant. Amen.

DISCURSUS CCXIII

SACRA DEIPARA IN CAVENDIS MALIS, ET ELIGENDIS BONIS VIRGO PRUDENTISSIMA

1 Prudentia vera est mala cavere, et bona eligere iuxta philosophum 6 ethicorum. Huiusmodi prudentia praedita fuit Deipara Virgo Maria, unde mala cavit, bona elegit.

2 Cor suum B. Virgo diligenter custodivit.

Mala cavit. 1. Quia cor suum omni diligentia custodivit, iuxta Sapientis monitum Prov. 4, 23: *Omni custodia serva cor tuum.* De corde exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae, ut Veritas ait Matth. 15, 19. Haec et alia his similia cavet, qui cor suum diligenter custodit, nihilque corde immittit, quod eius puritatem, pacemque inficere ac turbare possit.

Cor quomodo custodiendum.

Custodiam in cor natura ipsa docuit, quae cor in homine praemolli firmoque membranae involucro operuit, et costarum ac pectoris muro munivit. Ad eundem modum homo cor suum munire debet, ne illud sordes peccatorum inquinent, illecebrae carnis polluant, rerum mundanarum cura inquietet, praemolli firmoque timoris divini involucro cor suum operiat, et superni auxilii muro muniat: ita fiet, ut cor ab omni concupiscentiae aestu liberum maneat, et ab omni passionum motu quiescat.

Ita cor suum custodivit sacra Deipara; nullam unquam carnis concupiscentiam, nullum passionis motum, nullum diversarum cogitationum tumultum in corde suo sensit, sed omnia in pace possedit. Unde omnia mala facile cavit.

Spiritus sanctus B. Virginis custos.

Excubavit ad virgineum cor Spiritus sanctus, qui illud ab omni carnali affectu, ab omni passione, et motu inordinato custodivit. O miram gratiam! Paradisi terrestris custodia commissa est cherubim, et B. Virginis ipsemet Spiritus sanctus custos esse voluit, qui cor eius ab omni carnis aestu protexit, eiusque puritatem, et pacem omnimode conservavit.

2. Quia nullum peccati contagium unquam sensit, quod fuse 3
probavimus tomo superiore, discursu CXLI, et seq. Hic addere libet quod regius vates de ea ait: *Deus in medio eius non commovebitur.* Quid est Deum in B. Virgine non commovari? Respondet s. Ambrosius hunc locum illustrans: *Deus in medio eius non commovebitur, nec commotus est, quia nullius peccati prolapsione commotus est in ea Dei Filius.* Cum aliquis graviter peccat, commovetur quodammodo Deus, per gratiam suam recedendo ab eo qui peccat. Hinc ubi Adam peccavit, Deus statim dicitur ambulare ad auram post meridiem, Genes. 3, 8. Et cur ambulare? Quia nimirum per gratiam suam recedebat ab Adamo qui peccaverat. E contrario cum Stephanus subibat martyrium, non ambulans, sed stans Dei Filius describitur, Act. 7, 55, quia tunc a Stephano non recedebat, sed per auxilium suum illi praesens aderat. Ad eundem modum Deus in Maria non commotus est, nec commovebitur, quia ab ipsa per gratiam suam nunquam discessit, nec discedet.

Ambulare Dei quid significet.

Paucis interiectis, propheta subiicit ps. 45, 9: *Et scuta comburet igni.* Et quid haec scuta designant? Audi Richardum a s. Laurentio libro 4 de laudibus Virginis: *Scutum excusatio est, ignis amor divinus, quo combusta sunt haec scuta.* Igitur in B. Virgine scuta igne divini amoris combusta sunt, quia excusatio, seu defensio peccati in eam locum non habuit, quae ne levissimum quidem peccatum unquam commisit.

3. Quia sensus suos ita custodivit, ut ne minimum quidem peccati semen in animam unquam admiserit. Quinque sensus hominis sunt velut quinque fenestrae, per quas mors intrat in animas nostras. *Ascendit mors per fenestras nostras,* Ierem. 9, 21. Has fenestras B. Virgo tam accurate custodivit, ut ne minimum malitiae semen per eas in anima unquam receperit.

4 Sensus suos B. Virgo quam diligenter custodierit.

5 Oculi B. Virginis quam modesti.

Oculos tam sollicite custodivit, ut nihil aspiceret, quod divinae voluntati, et rationi contrarium esset. Producn testem Petrum Galatinum, qui lib. 7, c. 5 de B. Virgine ita fatur: *Virginis oculi nihil inhonesti, aut illiciti unquam aspexerunt, immo oculos nunquam elevavit sicut ceteri homines facere solent, sed semper humi defixos tenuit*, nisi dum oraret. Pergit idem auctor: *Si forte aliquid inconcessum, seu illicitum visura esset, illico eius oculi clauderentur.* Firmat hoc testimonium auctoritas evangelii, quae nuntium salutis ad B. Virginem describens: *Turbata est*, inquit, Maria, *in sermone eius*, scilicet angeli. Et cur in sermone turbata est, non in vultu? Acute s. Eucherius homilia in evang. *Turbata est*, inquit, *non in vultu eius, sed in sermone eius; non enim angelum, sed verbum angeli attendebat.* Vide, quam sollicite B. Virgo oculos custodivit, ut nec in angeli vultum eos attolleret. Quid? Quod ab hominum aspectu ita abhorruit, ut nec etiam suimet patris s. Ioachim, dum in eius domo vixit, faciem unquam aspexerit, ut s. Antoninus in sua historia prodidit. Hinc sponsus oculos eius laudans, ait: *Oculi tui columbarum.* Non dixit falconum, ut notavit s. Vincentius Ferrerius noster serm. in vigil. nativitatis, quia falco oculos in omnem partem continuo vertit; at B. Virgo humi eos defigebat, et non nisi prae desiderio coelestium, et aeternorum ad coelum levabat.

Oculorum modestia in B. Virgine quanta.

Discant iuvenes, praesertim virgines modestiam oculorum a Virgine. Labi non poterat, quae ab omni parte munita, et tuta erat, et tamen adeo cauta fuit, ut nec in angelum in specie iuvenis sibi apparentem, nec in proprium parentem oculos levaret. Ad aures veniamus.

6 Modestia oculorum a B. Virgine discenda.

7 Aures suas B. Virgo quam probe custodierit.

Aures tam probe muniebat B. Virgo, ut nedum verba foeda, spurca, lasciva, obscena, verum nec vana auribus unquam hauriret. *Prophetiae spiritu*, inquit Petrus Galatinus lib. 7, c. 5, *donata erat, ut si forte aliquid inconcessum, seu illicitum auditura esset, illico eius aures clauderentur, ita ut non nisi voluntati divinae deservire viderentur.* Nolebat Deus verbo nedum inquinato, verum nec otioso aures feriri Virginis, quae Dei verba auribus excipiens, etiam Verbum divinum utero suo excepit, et illud novem mensibus portavit. Arrigant hic aures qui sermones nedum inutiles, verum et spurcos, impuros avide auribus hauriunt; Dei vero verba supini, ac dormitantes audiunt. Non sic Deipara, verba quae eius cordis munditiem inquinare possent, abhorrebat; verba vero casta, pudica, divina libenter audiebat, mente versabat, corde fovebat. *Mater eius conservabat omnia verba haec conferens in corde suo,* Luc. 2, 51; quem locum alibi fusius explicavimus.

Olfactum tam sancte custodivit, ut nullis unquam odoribus, 8 Olfactus

Digitized by Google

B. Virginis qualis. — Venereus cultus qualis.

suffitibus, fragrantiis eum oblectaret. Molles et lascivae mulieres muscum arabicum circumferunt, faciem purpurisso, et cerussa depingunt, quo vel rubicundiores, et candidiores appareant, quia totae venereae sunt. Hinc poetae graeci narrant, Venerem nusquam loco egredi, nisi odore aliquo exquisitissimo relicto, ad suam praesentiam declarandam. Non ita B. V. Maria, quae semper purissima, castissima, mundissima in corpore et in anima fuit, proinde odores vanos, suffitus fallaces peius cane et angue oderat. Nulli dubium, (hoc enim gravissimi auctores affirmant, et nos tomo superiore, disc. CLXXXVI, par. 2 defendimus) carnem B. Virginis odorem exhalasse; sed hic odor non meretricius, de quo poeta: *Posthume, non bene olet, qui bene semper olet*; sed naturalis fuit, talis namque temperies fuit corporis illius, ex quo divina providentia caro a Filio Dei assumenda praeparabatur.

9 Gustus B. Virginis qualis. — Gratia Dei non habetur sine afflictione.

Gustui talia munimenta adhibebat, ut nunquam lautiorem mensam instrueret, nunquam delicatas epulas, generosum vinum, bellaria exquisite applaudente gustu reciperet. Audi ipsam Virginem apud d. Bonaventuram cap. 3 meditationum vitae Christi ad s. Elisabetham ita fantem: *Filia, dico tibi, quod nullam gratiam, donum vel virtutem habui a Deo sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda devotione, et multa afflictione... excepta sanctificationis gratia, qua sanctificata fui in utero matris.* Et addidit: *Pro firmo scias, quod nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem, et corporis afflictionem.* Haec ibi.

10 Tactum quam diligenter custodivit B. V. Maria.

Tactum ita custodivit, ut mollem et delicatum habitum nunquam quaereret. Satis erat ei corpus vestire, satis pro necessitate cubare, et dormire, vestimentum ac lectum delicatum abhorrebat, quod fusius probavimus tomo superiore, disc. CXCVIII per totum. Sic itaque B. Virgo Maria prudentissima fuit, quae omnium malorum causam, et occasionem diligentissime cavit.

11 *Bona elegit.* 1. Quia terrena cuncta neglexit, mundana fastidivit, aurum nihili fecit, sola coelestia, et divina appetiit, ut paulo ante probavimus. His addere libet, quod B. Virgo in illo epithalamio coelesti Cant. 5, 11, sponsi sui caput auro comparat. *Caput*, inquit, *eius aurum optimum.* Cur non quaerit aurum ex terrae visceribus ortum? Quia nullum aliud aurum noverat praeter Christum.

12 2. Quia legem Domini perfectissime custodivit. Et ob eam causam arca testamenti appellatur. Arcam illam propitiatorium et cherubim obumbrabant, et Mariam custodia legis divinae adeo munivit, ut nullum unquam peccati contagium mentem eius contaminaret. De hoc uberius agemus inferius in epitheto, *Foederis arca.*

13 3. Quia se supra cuncta terrena, super carnem, et populum carnalem elevavit, dum ab incunabilis fere mundum sprevit, carnem despexit, et alterum modum vivendi diversum a communi ratione omnium gentium, contrariumque generi humano pro illo tempore delegit, nimirum continentiam virginalem, quam ea tempestate mundus pene ignorabat, lex non exigebat, populus hebraicus pro nihilo ducebat, fragilis natura feminarum non sustinebat. Nostis, quam exosa fuerit apud veteres virginitas? nostis, quia legistis Deut. 7, 14: *Non erit apud te sterilis?* Hinc Rachelis querelae, quas infecunda Iacobo ingeminabat: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Hinc luctus filiae Iephte a patre ad mortem adiudicatae, et cum patre expostulantis, Iudic. 11, 37: *Praesta quod obsecro: dimitte me, ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.* Filiorum enim orbitatem acerbiorem morte existimabat. Hinc fletus Annae, quae flebat, et non capiebat cibum, eo quod aemula eius exprobraret illi, quod Dominus conclusisset vulvam eius, 1 Reg. 1, 6, 7. Sic perpetua, et decreta virginitas Iudaeis probro fuit, ut execrandam, ac diris omnibus devovendam esse iudicarent (1). Nihilominus sacra Deipara virginitatem totis viribus

Virginitas antiquitus quam exosa fuerit. — B. Virginis prudens consilium.

amplexa est, contra ignarum coelestium consiliorum multitudinem se opposuit, non mundi iudicium attendit, non muliebri consilio acquievit, non sexus imbecillitati cessit, non carnis illecebris seducta est, non denique, florida iuventa detenta, se vitamque omnem Deo perpetuo sacravit, et prima inter mortales virginitatis splendorem in sua carne recepit, illumque voto perpetuo firmavit, ut in superiore tomo, disc. CX per totum abunde probavi. Vere Virgo prudentissima!

Hoc nomine prudentiam eius celebrat doctor mellifluus Bernardus hom. 3 super *Missus est*: *O Virgo prudens, o Virgo devota, quis te docuit Deo placere virginitatem? quae lex, quae iustitia, quae pagina veteris testamenti vel praecepit, vel consuluit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, et in terris angelicam ducere vitam? ubi legeras, B. Virgo: sapientia carnis mors est? et: curam carnis non feceritis in desiderio? ubi legeras de virginibus, quia cantant canticum novum, quod nemo alius cantare potest, et sequuntur agnum, quocumque ierit? ubi legeras, beatos esse qui se castraverunt propter regnum coelorum? ubi legeras: in carne ambulantes non secundum carnem militamus? et: qui matrimonio iungit suam virginem, bene facit, et qui non iungit, melius facit? ubi audieras: volo vos esse sicut meipsum? et: bonum est homini, si sic permanserit secundum meum consilium; de virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do? Tu vero ne dicam praeceptum, sed nec consilium, nec exemplum habuisti, sed unctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei vivus, et efficax ante tibi factus magister, quam Filius, prius instruxit mentem, quam indut carnem.* Haec ille s. pater. 14

Loca Scripturae pro virginitate.

Ergo Virginis prudentiam aemulemur, mala caveamus, cor nostrum a terrenis desideriis removeamus, peccatum fugiamus, sensus nostros custodiamus, bona eligamus, hoc est, ad coelestia aspiremus, legem Domini impleamus, castitatem colamus, ut regna siderea Virginis prudentissimae patrocinio obtinere valeamus. Amen.

DISCURSUS CCXIV

IN RECTA ELECTIONE MEDIORUM AD CONSEQUENDUM TOTIUS VITAE FINEM SACRA DEIPARA VIRGO PRUDENTISSIMA

Prudentis est conveniens medium invenire ad consequendum intentum finem; hinc prudentes dicuntur duces, prudentes negotiatores, prudentes navarchi, prudentes iudices, qui media idonea invenire, et praeparare norunt ad consequendum finem suorum officiorum, quibus funguntur. Verum haec prudentia, ut ante monuimus, est imperfecta, quia invenit media non ad consequendum finem totius vitae humanae, sed ad consequendum finem alicuius specialis negotii. Prudentia autem vera, et perfecta est scire invenire medium ad consequendum finem totius vitae humanae, qui est beatitudo aeterna, ut superius probavimus ex angelico doctore 2 2, q. 47, art. 13. Medium autem huiusmodi sunt bona opera, ad quod inveniendum serio nos monet Petrus apostolus 2 ep. 1, 10: *Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* 1

Prudentia quae imperfecta, quae perfecta. — Opera bona sunt medium ad consequendum finem totius vitae humanae.

Huiusmodi prudentia praedita fuit Deipara Virgo Maria. Media enim convenientia ad consequendum ultimum finem, seu bona opera continue exercebat, ut s. Vincentius Ferrerius serm. in vig. nat. Domini narrat in haec verba: *Virgo nunquam fuit otiosa, immo erat semper occupata in sanctis operibus, surgebat in media nocte, et orabat, deinde filabat et texebat.* Et b. Dionysius carthusianus serm. de concept. B. M. Virginis ex revelationibus s. Birgittae narrat, quod B. Virgo sanctis meditationibus iugiter fuit intenta, et pro totius generis humani salute oravit assidue; nihilominus labori manuum insistebat. Firmat hanc eorum doctrinam Siracides, Eccli. 11, 3, dum ait: *Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius.* Apem vocat B. M. Virginem sensu Richardi a s. Laurentio lib.

2 B. V. Maria bona opera semper exercuit. — Apis B. V. Maria cur dicta.

(1) Exosa erat apud Iudaeos non virginitas sive viri, sive mulieris, sed sterilitas eius, quae iam tradita erat viro, ut alibi notavimus. Et re quidem vera Deut. 7, 14, quem locum citat auctor, Deus solum promittit populo suo multitudinem filiorum, si custodierit praecepta, ut patet ex verbis: *non erit apud te sterilis utriusque sexus tam in hominibus, quam in gregibus tuis*, scilicet promittit fecunditatem coniugibus. Et ob hanc promissionem erat probro sterilitas coniugum, quia existimabatur poena occulti criminis. Rachel et Anna, quibus auctor putat probari suam sententiam, querebantur de infecunditate, quia nuptae; atque idcirco melius confirmant sententiam nostram. Solum luctus filiae Iephte valetur nobis opponi, sed quomodo explicetur vide Marlius in caput 11 Iudic. Non igitur execranda, diris omnibus devovenda, ut exaggerat auctor, sed in usu non erat virginitas, licet magni fiebant, qui eam singulari fortitudine colerent, ut Elias, et Baptista; et sic Deus parabat viam novo testamento. Si virginitas fuisset execranda, nonne Christo exprobrassent eius inimici, quod non duxisset uxorem? et Deus permisisset esse probro ea virtus, per quam eius Filius gloria et honore coronatus factus est filius hominis? Erat igitur tunc virginitas insolita, et idcirco maxime admirabilis, ut magis fulgeret excellentia doctrinae, et omnipotentia gratiae Christi. *Editor.*

2 de laudibus Virginis, non solum ob castimoniam, seu puritatem, sed etiam ob laborem, et industriam; quemadmodum enim apis solicita est, ut colligat mel: ita B. V. Maria semper solicita fuit, ut bene ageret.

3 Sole cur amicta dicitur B. V. Maria.

Ob eam causam sole amicta dicitur Apoc. 12, 1. Nam sicut sol statim ab accepta luce indesinenter volvitur, pernicique cursu omnes mundi plagas circum ambulat; ita B. V. Maria ab instanti usus rationis semper in bonis operibus circumambulabat, suoque exemplo homines illuminabat, a somno otioque avocabat.

4 Aurora cur dicitur B. V. Maria.

Non abs re prudentissima Virgo aurorae comparatur, Cant. 6, 9: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens?* Quemadmodum enim aurora homines ad opus urget; illa enim surgente, operarii a somno surgunt, et ad opus suum exeunt: ita B. V. Maria suo exemplo homines ad opera bona alliciebat, illosque in laboribus fovebat, et recreabat.

5 Opera B. Virginis cuncta erant directa in Deum.

Prudenti non satis est bona agere, nisi ea dirigat debite in ultimum finem; finis enim operi speciem praebet; ita non satis fuit B. V. Mariae bona agere, nisi ea referret in Deum: cuncta igitur eius opera Deum spectabant, Deum sapiebant. Proinde de ea dici poterat illud Thren. 3, 28: *Levavit se supra se.* Vere B. V. Maria levavit se supra se, quia non respexit ad se, sed ad illud quod est supra se. Unde ait Cant. 5, 5: *Manus meae stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.* Manus eius distillaverunt myrrham, quia delicias et oblectamenta non noverant, sed mortificationis myrrha semper plenae erant, utpote in virtutibus exercitatae. *Et digiti eius operationi destinati pleni* erant *myrrha probatissima*, quia cuncta eius opera, etiam minima, erant Deo commendatissima, utpote in eius gloriam directa, illud enim probatissimum est, quod Deus commendat. Ita Guilhelmus in Cantica.

6 Opera tam recta in B. Virgine unde.

Sed unde tanta prudentia Virgini, ut media ad consequendum ultimum finem tam congrua, et tam debite eligeret? Haud dubium, quod B. Virgo Spiritu divino plena erat, proinde totam mentem eius amor occupaverat, ipse namque Spiritus sanctus amor est. Amor igitur effecit, ut nunquam otio torpesceret, nunquam ignavia, seu desidia marcesceret. *Amor Dei*, inquit d. Bernardus lib. de modo vivendi serm. 51, *nunquam est otiosus: si vere Deum diligis, nulla hora otiosus eris.*

7 Opera bona ad Deum dirigenda.

Mariae igitur exemplo prudentiam discamus, media ad consequendum finem totius vitae nostrae, puta beatitudinis, sedulo inquiramus, bona opera exerceamus, easque ad Dei gloriam, et laudem referamus, siquidem inanis labor est, qui Deum non respicit, et velut inanimis actio, quam hic finis non animat, nec exornat.

8 Laborandum sub patrocinio Mariae.

Sub Mariae magisterio, et patrocinio hanc prudentiam discamus; ipsa namque est refrigerium, et solamen omnium bene operantium, adeo ut s. Bonaventura in psalterio nos invitare non dubitet. *Venite*, inquit, *ad eam*, puta Virginem, *omnes qui laboratis, et onerati estis, et dabit refrigerium animabus vestris.* Nullum opus tam grande, nullus labor tam gravis, qui per Virginem levis non fiat. Audiamus b. Amedeum hom. 4 de laudibus Virginis: *B. Virgo laborantes sub umbra sua protegit.*

9 Erga fratres cistercienses B. V. Mariae amor.

Sed exemplis id corroborare libet. Singulare est, quod Vincentius Bellovacensis l. 7 historiae, c. 107 narrat. Cum monachi Ordinis cisterciensis messi colligendae operam darent, visum est a quodam sene Beatam Virginem sudores illorum abstersisse, et durius laborantes dulcius consolasse.

10

Non absimile est, quod Henricus Gand dist. 9, exemplo 103 scribit. Cum fratres Ordinis cisterciensis tempore messis fructus ex agro colligerent, et laborando sudorem emitterent, apparuit cuidam ex illo Ordine Virgo, et illo sciscitante, quaenam illa esset? *Sum*, inquit, *Maria, cuius es et tu, et domus ista, et omnia quae sunt in domo ista, et in Ordine isto. Visitavi hodie monachos meos in agro, sudoremque eorum collegi mihi in vase isto, et hic odor optimus carum me, et Filio meo digne atque remunerandus tempore opportuno.* Haec ille. Nullus itaque otio torpeat, nullus desidiae indormiat, nullus segnitiei incumbat ad consequendum totius vitae finem, puta beatitudinem, exempla B. Virginis toto pectore anhelet, illud psalmistae et occinens: *Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae: ita oculi nostri ad te o Domina nostra.* Ancilla Mariae est quaelibet anima fidelis illi devota: oculi huius ancillae in manibus Dominae suae semper debent esse, quia oculi omnium nostrum ad manus Mariae semper debent respicere, ut per manus eius aliquid boni accipiamus, et per manus eius, quidquid boni agimus, Domino offeramus. In Mariae praeterea manibus oculi nostri esse debent, ut ea contemplemur quae ad omnium exemplum operata est Virgo. Olim domini digitis ac manibus loquebantur, et quae a servis praestari vellent, digito vel manu, velut altera lingua significabant; hinc illud Salomonis Prov. 6, 13: *Terit pede, digito loquitur.* Quisquis itaque prudens esse cupit, in manus Mariae oculos flectat, et ea quae virgineae manus loquuntur, attendat ac opere compleat. Da nobis, Virgo prudentissima, ut a te prudentiam discamus ad consequendum ultimum finem, media tuo exemplo quaeramus, et tandem patrimonio illum assequamur. Amen.

DISCURSUS CCXV

IN PRAESENTIUM ORDINATIONE, PRAETERITORUM RECORDATIONE, FUTURORUM PRAEVISIONE DEIPARA VIRGO PRUDENTISSIMA

In his tribus prudentiam consistere, nimirum praesentium ordinatione, praeteritorum recordatione, futurorum praevisione romanus orator. lib. 2 rhetoricorum docuit. Hinc etiam Romani, teste Pierio Valeriano, prudentiam cum triplici facie depingebant, significantes prudentem tres illas temporis differentias respicere, praesens, praeteritum et futurum. 1 Prudentia in tribus consistit.

Marcellus ad Hannibalem praeclare dicebat: *Non istud est tantum sapere, quod ante pedes nunc praesens est, intueri; sed quae futura sunt, praevidere, sumptis praeteritis in exemplum.* Prudentiae hieroglyficum.

Id clarissimis verbis Sapiens romanus explicavit lib. de beneficiis: *Si prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus dispensetur, praeterita cogita, praesentia ordina, futura praevide.*

Et Deus ipse sive deplorans, sive irridens vecordiam Hebraeorum tria haec in gente illa electa desiderabat, Deut. 32, 28, 29: *Gens absque consilio est, et sine prudentia: Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent.* Saperent ex comparatione praeteritorum, intelligerent ex consideratione praesentium, providentiam adhiberent in expectatione futurorum.

Tria haec prudentiae munera Sacra Deipara perfectissime obivit, tunc vel maxime, cum archangelus Gabriel se aspectibus eius obtulit, eam Matrem, et Sponsam Dei pronuntiavit, eam Reginam universi orbis superi, et inferi salutavit: *Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Ecce concipies in utero, et paries filium. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur.* Et Virgo quid? *Cogitabat qualis esset ista salutatio.* Cogitabat praeterita animo volvens lapsum multorum, ne forte esset ille serpens antiquus, qui olim blando sermone Evam seduxit, qui primae aetatis homines ad tantam corruptelam morum induxit, ut ob eam causam omnes diluvio perirent: qui filios Adam ad insanae fabricae molem, turrim nimirum Babel construendam instigavit, ut dum caput super astra attollere cupiunt, turbinibus, et fulminibus deturbati confusionis Babel poenas incurrerent: qui Sodomitas spurca carnis vestigia sequi fecit: qui Iudaeos ad idololatriam, Chore, Dathan et Abiron ad murmur, et contradictionem incitavit. Haec, et alia tum suae, tum alienae mentis errata Virgo sagax et prudens observabat, et memori mente recondebat, et ex eorum recordatione mentem informabat, saepe sciens tenebrionem illum saepe se transformare in angelum lucis. Praevidebat insuper vatum oracula. Davidis patris sui, cui Deus promiserat, de fructu ventris eius se positurum regem super sedem eius ps. 131, 11: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* De fructu, inquit, ventris tui, quod erat proprium Virginis praegnantis, non de fructu lumborum, aut renum eius, quod est proprium viri generantis, et mulieris ex viro conceptionem facientis. Recolebat insuper Isaiae vatis prophetiam, qua Deus promittebat, se daturum aliquando signum, ut virgo conciperet et pareret filium cui nomen esset Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus. Mente volvebat Danielis prophetae visionem cui revelatum fuerat, lapidem sine manibus excisum adventurum in hunc mundum, *sine manibus*, hoc est, non operante viro, sed sola dispositione Virginis cooperantis et concipientis ex Spiritu sancto. Praevidebat et alia quamplurima oracula.

2 Praeterita cogitabat.

Hic locus explicatur

Diaboli stratagemata notantur.

3 Praesentia disponebat.

Disponebat praesentia. Magna enim, et divinissima angelicus sermo ei instillabat, idcirco examinabat, an dolus aliquis subesset salutationi tantae. Cogitabat qualis ista salutatio esse posset, quidve portenderet, vel quem finem esset habitura, sciens nec Deo, nec hominibus placere obsequia subita. Bonus fuit affectus Petri, cum diceret: *Domine tecum paratus sum, et in carcerem, et in mortem ire*, et tamen Deo minime gratus, quia festinus, quin su-

Festinatio nec Deo, nec hominibus grata.

Digitized by Google

bitus, ex nulla praemeditatione aut consideratione natus. Unde male audit apud s. Augustinum in Ioan. cap. 23, qui ait: *Hunc invenit exitum Petrus, ut pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum perversa festinatione promiserat.* Hominibus quoque omne non praemeditatum non placere prodidit Apuleius in Floridis. *Nulla res potest esse eadem festinata simul, et examinata, nec esse quidquam omnium quod habeat et laudem diligentiae, et gratiam celeritatis.*

Deliberandum est in rebus arduis.

Pedetentim igitur, id est cum consilio, ac maturitate in rebus arduis homo procedere debet. Quemadmodum enim nautae demissa bolide maris profunditatem explorant, ita homo demissa cogitatione rerum suarum pericula expendere debet.

Cur B. Virgo tam attente cogitabat.

Ita fecit Deipara Virgo Maria, praeterita recogitando praesentia disponebat. Et quomodo disponebat? *Cogitabat qualis esset ista salutatio*, hoc est examinabat salutationem sibi oblatam, quae in multis capitibus sibi videbatur suspecta. 1. Quia audivit se benedictam pronuntiari in mulieribus, quae semper optabat benedici in virginibus; benedictio namque mulierum erat in multitudine prolis, de cuius procreatione Virgo nequidem cogitabat. 2. Quia propria merita praecellera videbatur. Virginem humilem ab angelo salutari, hominem tam speciosa, tamque magnifica salutatione ab angelo excipi rem insultatam indicabat. 3. Quia a Deo esset illa salutatio, an a daemone: vera, an illusoria, prudenter expendebat. Sciebat enim, ut antea diximus ex d. Bernardo, quod saepe angelus satanae transfigurat se in angelum lucis.

4
Futura providebat.

Postremo in illa tam splendida, tamque magnifica salutatione futura providebat, quomodo videlicet praepararet tanto hospiti thalamum: quomodo caperet angusto ventris sui hospitio, quem tota creatura non capit: quomodo creatura pareret creatorem, factura suum factorem, filia suum parentem. Hinc d. Basilius seleuciensis episcopus introducit Mariam in exhibendis officiis puero nato quasi addubitantem, et ad Filium recenter natum haec verba facientem: *Quid aggrediar? te ne lacte nutriam, an vero ut Deum colam? tibi ne maternum praestabo obsequium, an sicut ancilla cultum adorationis impendam? te ne ut filium amplexu meo fovebo, an tanquam Deum supplex invocabo? tibi ne lac porrigam, an afferam thymiama?* O mirabilem Virginis prudentiam!

Ad imitationem B. Virginis stimulus.

Hanc Virginis prudentiam strenue imitemur, et omnibus animi votis amplectamur. Parum namque est Virginem tanquam Dei Matrem compellare, nisi virtutes eius studeamus imitari, et prudentiam maxime, quae actus nostros dirigit, et quid faciendum, quidve fugiendum sit demonstrat.

DISCURSUS CCXVI

IN ACTIONUM SUARUM AD RECTAM RATIONEM CONFORMITATE DEIPARA VIRGO PRUDENTISSIMA

1
Prudentia animae oculus.

Prudentia est virtus dirigens ad rationis normam universa; est namque omnium virtutum dux, et auriga: ipsa actus nostros dirigit, quid faciendum, quidve fugiendum sit demonstrat. Hinc Aristoteles prudentiam *oculum animae* vocabat. Sophocles hoc in animo prudentiam, quod aciem videndi in oculo, asserebat. Bion tantum prudentiam ceteris virtutibus antecellere, quantum visum ceteris sensibus dicebat. Proinde quemadmodum exoculatum aliquem necesse est caecutire, cespitare, impingere: ita et sine prudentia necesse est errare; ipsa namque singulas actiones hominis dirigit, ordinat et moderatur; ipsa hominem ita componit, et disponit, ut quicquid agit, nihil praeter rectum et laudabile faciat.

2
Mens B. Virginis qualis fuit.

Talis fuit Deipara Virgo: quicquid cogitabat, quicquid agebat, totum rationi conforme erat. Mens illius velut horologium affabre factum fuit, in quo rota superior suo motu alias inferiores rotas rapit: vel uti coelum, ubi orbis superior motu suo uniformi, et regulatissimo alios orbes trahit. Rota superior in Virgine fuit ratio, inferior vero appetitus sensitivus. Rota superior nunquam a motu suo deflexit; semper enim voluntas eius rationi, et ratio regulae divinae subdita fuit. Rotae quoque inferiores nunquam a motu deviarunt, quia appetitus sensitivi in omnibus, et per omnia rationi subdebantur.

3 Vere prudentissima Virgo Deipara, quae omnes actus suos rationi, rationem voluntati, et voluntatem divinae dispositioni, seu regulae conformabat. Nullum enim vel levissimum motum adversus rationem in aliqua vel corporis, vel animi parte sensit; nulla unquam rebellio partis inferioris adversus superiorem in ea fuit, nullum bellum carnis adversus spiritum, et spiritus adversus carnem excitatum est.

In nobis continuum bellum carnis adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, de quo Apostolus Galat. 5, 17: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*, ideo stultorum infinitus est numerus. Hoc autem bellum in nobis excitat fomes peccati, qui est quidam languor naturae, lex carnis, et tyrannus rationi rebellans, ut Magister sentent. 2, d. 30 docet. In B. Virgine fomes peccati nullus. Ante conceptionem Filii Dei ligatus, post conceptionem extinctus fuit, ut angelicus doctor 3 part. q. 27, art. 3 docet (1). Hinc in ea nullum bellum, nulla rixa, sed summa pax, summa concordia: nulla inclinatio pectoris ad malum, nulla inordinatio corporis, nulla inordinatio ad obliquum cordis; sed concupiscentia, corpus, pectus, cor, sensus, appetitus rationi subiecta: ratio vero, mens, memoria, voluntas Deo subdita fuerunt. 4

Fomes peccati quid sit.

Fomes in B. Virgine non fuit.

Mentem Virginis arcam Noe merito appellare potes; quemadmodum enim in arca Noe licet simul morarentur animalia ex natura sibi inimicissima, ut lupus et agnus, canis et lepus; summa tamen pace, et tranquillitate fruebantur: ita in B. Virgine licet esset ratio, et appetitus, qui continuo militant adversus animam, nulla tamen ibi rixa, nullae lites, nullum bellum fuit. 5

Arcae Noe B. Virgo comparatur.

Quod spiritu praevidens psalmista psal. 45, 8, admirabundus exclamat: *Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terrae.* Magna et admiranda sunt haec prodigia in carne vivere, et carnis motus non sentire, ex spiritu et carne, quasi duobus antagonistis constare, et nullum duellum inter eos sentire. Magna sunt haec prodigia, sed Virgine digna. 6

Pharaoni aegyptio tyranno tota terra Ægypti tributum pendit praeter terram sacerdotalem, quae libera ab hac conditione manet, Genes. 47. Similem in modum homines tributum pendunt tyranno, id est fomiti; nullus, quantumvis iustus et sanctus, ab eo exemptus esse cognoscitur; sola terra sacerdotalis, terra Summi Pontificis Christi, id est B. Virgo libera est, singularique gaudet immunitate. O terram benedictam! 7

A fomite peccati nemo liber.

Richardus Victorinus lib. 2 de Emmanuele, part. 2, cap. 29 hanc terram admirans, in hanc vocem prorumpit: *Quae est, obsecro, terra ista, de qua bella omnia fine tenus auferuntur, nisi illa de qua idem propheta alibi protestatur: Veritas de terra orta est? De hac terra omnis pugna tollitur, in hac pax plena reperitur.* 8

Haec itaque B. Virginis prudentia fuit ad rationis normam universa dirigere, rationem voluntati, voluntatem regulae divinae subdere. Hanc nos imitari studeamus, et quicquid agimus, nihil praeter rectum et laudabile faciamus. Amen.

DISCURSUS CCXVII

IN LINGUAE MODERATIONE DEIPARA VIRGO PRUDENTISSIMA

Prudentem sermo rarus, et moderatus ostendit. Proverb. 10, 19: *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est*; et c. 17, 27: *Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est, ac pretiosi spiritus vir eruditus.* Et Eccli. 21, 28: *Verba prudentium statera ponderabuntur.* Hinc Pythagoras a suis exigebat quinquennale silentium. Verum namque est illud Publii Mimi: *Tacere quisquis nescit, nescit loqui.* 1

Pythagoricum silentium unde.

Deus ipse qui est prudentissimus, hunc modum prudentiae non tantum verbo, ut vidimus, sed etiam exemplo suo praescripsit. Ipse enim per aeterna saecula in sua sapientia contemplanda, et fruenda conquievit, et tarde, puta initio mundi et temporis coepit loqui, unicoque verbo *Fiat* coelum, terram et omnia quae in eis sunt, creavit. 2

Rursus Deus per quinque annorum millia, quibus stetit mundus, paucissima locutus est, nimirum ea duntaxat quae in Bibliis continentur, adeo ut plerique homines plus loquantur uno anno, quam Deus locutus sit per tot annorum millia.

Insuper Verbum incarnatum eundem prudentiae modum re ipsa docuit, dum Verbum hoc infans et elingue factum est, dum us-

(1) Melius est dicere cum aliis, B. Virginem semper omnino caruisse fomite, ut alibi demonstravimus. *Editor.*

que ad tricesimum aetatis suae annum non docuit, sed pauca locutum est.

Silentium B. Virginis commendatur.

3 Huius virtutis Deipara Virgo mira aemulatrix extitit. In primis taciturna fuit, quod ex multis ostenditur. 1. Audito angelicae salutationis mysterio, tacuit, et *turbata est in sermone eius*. Sed cur turbata est? Respondet s. Gregorius thaumaturgus serm. 2 in annunt. B. Virginis, et ex eo Richardus lib. 4 de laudibus Virginis: *Turbata est Maria in salutatione angeli, nam quietem atque silentium amplectebatur, quod respondendo infringere cogebatur*. Hinc bis eam angelus allocutus est, antequam ipsa responderet, quod satis innuit eam valde silentium amasse. 2. Audiens angeli salutationem angelum ipsum non interrogavit, sed solum *cogitabat qualis esset ista salutatio*. Cogitabat quorsum tenderet, et quid sibi vellet ista salutatio. Maluit intra se cogitare, et solitum silentii rigorem tenere, quam angelum de salutationis qualitate interrogare. Hinc tacendo audire, et scire meruit, quod interrogando inquirere non praesumpsit, ut s. Petrus Damianus hom. in nativ. B. Virginis adnotavit. 3. Cum incarnationis mysterium in eius utero Spiritus sanctus operari dignatus est, illud B. Virgo adeo celavit, ut nemo ab ea audiret, nemo secretum disceret. Sed neque sponsus ipse Ioseph, cui manifesta signa conceptus gravissimum suspicionis dolorem ingesserant, ab eo quidquam audivit, donec, revelante angelo, mysterium cognovit. Poterat Virgo ad minus sponso sibi carissimo mysterium prodere, ut eum a tristitia et anxietate liberaret: et dicere se Dei Matrem effectam, non ab homine, sed a Spiritu sancto fecundatam. Noluit tamen manifestare, omnia suppressit, semper siluit, donec, prodente Deo, apud cognatam suam Elisabeth mysterium propalatum esse cognovit. Hinc Lucae 1, 41 prius dicitur Elisabeth Spiritu sancto afflatam, deinde mysterium incarnationis cognovisse, ut sciamus Spiritum sanctum Virginem retexisse, non ipsam seipsam.

4 Nedum in mysterio incarnationis, verum et in tota vita B. Virgo hunc prudentiae actum exercuit; licet enim eloquens esset, raro tamen loquebatur, ut Dionysius carthusianus serm. 2 de concept. B. M. Virginis ex revelationibus b. Birgittae deducit.

Silentium prudens quod. Amyclanum silentium unde in proverbium abiit.

5 Porro prudentia non omnimodum silentium requirit, sed solum discretum quod neque contra caritatem, neque contra maius bonum militet; hinc silentium Amyclarum toti orbi in proverbium abiit: *Silentium Amyclas perdidit*. Narrat Servius, quod cum apud Amyclas subinde nuntiaretur hostium adventus, idque falso, et ob eam rem civitas frequenter turbaretur, et inani terrore quassaretur, lata lege cautum est, ne quis unquam hostis nuntiaret adventum; atqui post evenit, ut vere iam advenirent hostes, quod cum nemo nuntiaret propter legis interdictum, civitas de improviso capta est.

Catonis uticensis dictum.

6 Quare Damasceni instructor optime aiebat: *Silentium cum intelligentia exerce*, ut habetur in vita d. Damasceni, cap. 17. Quid est silentium cum intelligentia exercere? Est moderari linguam, secundum quod recta ratio, prudentiaque praescribit. Hinc Cato uticensis improperanti sibi, etiam puero, taciturnitatem respondit: *Tunc demum obrumpam hoc meum silentium, cum ea loqui potero, quae sunt indigna silentio*. Prudenter ergo silere est medium inter loquelam, et silentium eligere secundum praescriptum rationis. Huc regius vates respexit, cum Deum precabatur psalm. 140, 3: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis*. Non postulat a Deo muro lapideo os obstrui, sed ostio claudi, quia sicut ostium non semper clausum, nec semper apertum esse debet; sed debitis temporibus modo aperiendum, modo claudendum; ita os nec semper loquacitate apertum, nec semper perpetuo silentio clausum esse debet. Tale os habuit Isaias vates, uti ipse narrat: *Dominus dedit mihi linguam eruditam*. LXX vertunt: *Dominus dedit mihi linguam disciplinae, ut sciam quomodo oporteat me loqui*.

Silentium B. Virginis quale.

7 Tale os habuit B. V. Maria: non semper tacuit, non semper siluit, non semper quievit, sed tunc, quando recta ratio id postulabat; loquebatur autem, quando Dei voluntas, et honor eius id exigebat.

Maria quater tantum legitur locuta.

Quater tantum locutam lego B. Virginem in quatuor evangelistis, et hoc tam prudenter, tam efficaciter, ut quot verba protulit, tot miracula, aut admiranda fecit. 1. Locuta est cum angelo Dei legato de re summa; et ubi sermonem complevit in haec verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Vide quantum miraculum subsecutum est! Mox Verbum caro factum est, mox verus perfectusque homo Deo coniunctus est plenus sapientia, gratia et veritate. 2. Locuta est cum salutavit Elisabeth. Et ecce quot, quantave miracula in Matre, et Filio. Prophetant matres spiritu parvulorum, exultat infans in utero Elisabeth. Cernit post duos uterorum parietes Christum incarnatum, Deum cognoscit, adorat, mox Spiritum sanctum accipit, quo a peccato originali purgatur; usus rationis, et prophetiae donum puero semestri conferuntur. 3. Locuta est perdito primum, deinde invento Filio duodenni in templo: *Fili, quid fecisti nobis sic?* et ecce miraculum. *Erat subditus illis*. Quis? quibus? Deus hominibus, qui omnia quaecumque voluit, fecit in coelo, et in terra. 4. Locuta est in Cana Galilaeae: *Vinum non habent*. Servis imperat obedire Filii verbis, et ecce mox aqua in vinum conversa. O admirabilem Deiparae prudentiam!

Loquela B. Virginis quam miraculosa, quam efficax.

B. Alberti magni aurea doctrina.

B. Albertus magnus admirandae doctrinae antistes in cap. 1 Lucae hanc prudentiam Virginis in loquendo mire extollit, ex eaque multa praeclara documenta elicit. Attendendum esse ait, cui, quid, ubi, quoties, quantum, quando, et quomodo B. V. Maria locuta est. 8

Cui. Quia nonnisi quatuor personis, angelo videlicet, filio, materterae vetulae, et ministris nuptiarum. Docens puellas, et iuvenes loquendum esse cum angelo in contemplatione; cum Deo in oratione, non cum qualibet muliere, sed cum cognata, eaque vetula, quae Deo plena sit, uti Elisabeth; et cum his qui necessariorum temporalium ministri sunt. 9

Quid. Locuta est cum angelo de secretis, et dubiis; cum Filio de expedientibus ad salutem propriam, ne perdatur Iesus, hoc est salus; cum matertera de congratulatione boni, et laude Dei; cum ministris autem de expedientibus proximo ad Dei gloriam patefaciendam. Docens a vaniloquiis esse cessandum, et de utilibus tantum esse loquendum, quae vel proximum aedificent, vel Dei gloriam manifestent. 10

Ubi. Non est locuta garrula in plateis, neque inter puellas patula; sed in conclavi cum angelo; in templo cum Filio; in domo summi sacerdotis cum matertera; in honestis nuptiis cum ministris. 11

Quoties. Non invenitur nisi septies locuta. Cum angelo bis; primo quaerens modum annuntiatorum ab angelo, iterum praebens consensum his quae sibi nuntiabantur ab angelo. Cum Filio bis; primo quaerens Filium ne perderet desideratum, secundo interpellans pro necessitate proximorum. Cum matertera bis; primo salutans in gratulatione boni, quod de Elisabeth annuntiaverat angelus, secundo de gratiarum actione pro bonis, quae de ea praedicaverat Elisabeth. Semel autem tantum de necessariis cum ministris invitans eos ad obediendum Filio ad gloriam Dei declarandam. 12

Quantum locuta sit, delectabile est audire. Parum locuta est in salutatione, et necessariorum postulatione; multum autem in Dei laude, et gratiarum actione, cantans Canticum novum: *Magnificat*, ut nimirum doceret a laude Dei nunquam cessandum. 13

B. V. Maria unde habuit, quod adeo taciturna fuit.

Nec mirum B. M. Virginem in loquendo tam parcam fuisse. Nescit enim per inania colloquia mens diffundi quae Deo inhaeret, eique per contemplationem iungitur, cum eo in oratione colloquia miscet. Locutio cum Deo omnem eloquentiam mutam facit. Eloquentissimus erat Moyses, et tamen cum Deo loquens, Dei verba audiens tardioris, et impeditioris linguae effectus est. *Obsecro, Domine*, non sum *eloquens ab heri et nudiustertius, ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris, et tardioris linguae sum*, Exod. 4, 10. Deipara Virgo Maria non solum per contemplationem Deo inhaerebat, non solum in oratione cum eo colloquia miscebat, non solum eum loquentem audiebat, sed Deum ipsum in utero suo habebat; hinc ab humanis sermonibus abstinebat. 14

Rursus hanc taciturnitatem docuit eam Verbum divinum, de quo Sap. 18, 14: *Cum enim quietum silentium contineret omnia.... omnipotens sermo tuus de coelo a regalibus sedibus,... prosilivit*. Verbum divinum in uterum Virginis illapsum est, cum omnia medium silentium tenerent, ut doceret tunc nostris mentibus illapsurum, si omnia in nobis silentium teneant: quisquis enim superfluis sermonibus occupatur, ab omnipotente sermone occupari non meretur. Cum itaque omnipotens sermo Virginis mentem simul et ventrem occupaverit, non mirum si eam adeo quietam, adeo taciturnam reddiderit. 15

B. Virgo nunquam

Quando locuta est. Nunquam locuta est, nisi praeventa. Et haec est vera prudentia, non loqui nisi interrogatione praeveniaris. Abbas Pastor lib. 5 vitae patrum, tit. 11, n. 6: *Closis*, inquit, 16

Digitized by Google

Locuta est, nisi praeventa.

silentii sit interrogatio. Hanc regulam longe ante Deipara Virgo servavit. Locuta est cum angelo bis, sed praeventa, et quasi ad loquendum coacta; tunc enim angebatur, quod mater futura esset, quae castitatem voverat: cum ergo castitatis periculum timeret, cum angelo locuta est quasi rationem dictorum ab eo expostulans. In domo Zachariae Elisabeth salutavit; sed praeveniente sermone angeli, qui eam concepisse enuntiaverat. Ibidem gratias egit Canticum canens, sed praeventa praedicatione Elisabeth de bonis in ea perficiendis a Domino. Ad Filium bis locuta est, sed quodammodo praeventa. Primo, timore perditionis ipsius. Secundo, necessitatibus proximi. Ministris locuta est, sed praeventa inopia eorum, qui ad nuptias invitati erant. Et sic absque causa nusquam legitur locuta.

17 Quomodo autem locuta est, scire aves? Locuta est modeste, sapienter, silenter, ita ut videatur verum esse de ipsa, quod de Anna 1 Reg. 1, 13 legitur: *Tantum labia eius movebantur, et vox eius penitus non audiebatur.* Unde etiam sponsus labia Virginis vittae coccineae assimilat: *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce,* Cant. 4, 3. Bene ultra. Sicut enim vitta fluentes capillos stringit, ita labia Virginis per discreti silentii censuram stringebantur, ne aliquod ex illis verbum inordinatum proflueret. Vitta coccinea passionem dominicam significat. Coccus enim, utpote rubeus, sanguinem Christi in cruce effusum non obscure adumbrat. Labia itaque Virginis vittae coccineae assimilantur, quia iugi meditatione passionis Christi optime tincta silentii distinctionem non remiserunt; nam tempore passionis nullos clamores, eiulatus femineos, vel vocem ullam animi fracti indicem ediderunt. Christus in passione tanquam agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum: obmutuit et Mater Filio compatiens. *Stabat*, inquit s. Evangelista, *iuxta crucem Mater eius.* Stabat doloris acerbitatem silentio premens. Ita Guilielmus in illud Cantic. 4, 3: *Et eloquium tuum dulce. Quis unquam*, ait, *tam dulci fuit eloquio, quam Mater dulcedinis? Si ex abundantia cordis os loquitur, quid poterat cor dulcedine redundans eructare, nisi verbum dulce? quid poterat nubes illa dulcedine gravida stillare, nisi dulcedinem, nisi mel et favum?*

18 Eia, fratres, hanc prudentiam a Virgine discamus; linguam fraenare, silentium amare illius exemplo studeamus. Ad huius virtutis studium exhortat nos Salomon Prov. 6, 6, cum ait: *Vade ad formicam, o piger.* Non mittit ad obstreperam cicadam, sed ad formicam, quae semper in aestate laborat, et nullum sonitum, nullum strepitum edit, ut et nos discamus laborem cum taciturnitate coniungere.

Silentiariorum deorum arae.

Arae quoque silentiariorum deorum, quorum meminit Tertullianus in apolog. cap. 6, deos tacentes, et silentio beatos praedicabant. Nobis hic non falsa numina, non simulacra muta, sed Virgo Deipara ad imitandum proponitur, cuius exemplo sequendo beatitudinis aeternae merebimur esse participes. Amen.

DISCURSUS CCXVIII

QUA RATIONE SACRA DEIPARA DICATUR NEDUM VIRGO PRUDENS VERUM ET PRUDENTISSIMA

1 Scite admodum s. Germanus patriarcha ierosolymitanus in oratione de zona Virginis, de gloriosa Deipara dixit: *Omnia tua admirabilia sunt, o Deipara, omnia ingentia, et aliorum vires superantia.* Hoc etiam praesens epithetum quod discutimus, innuere vult, dum Deiparam Virginem prudentissimam appellat. Significat enim prudentiam Virginis fuisse insignem, eximiam, eminentem, seu excellentem ac perfectissimam.

2

In mulieribus rara prudentia.

Rara in mulieribus prudentia. Hinc poetae Minervam finxerunt absque matre natam, quia prudentia, et scientia, cuius tanquam dea Minerva celebatur, longe a feminis abest. Bartolus quoque, iurisprudentiae antistes, libro 1, par. de legibus, feminas a legibus condendis arcet, usumque et consuetudinem earum vim non habere ad legem inducendam docet. Philosophi nullas unquam mulieres philosophari docuerunt, praeter unam Themisten. Nihilominus gloriantur se habere mulieres prudentes mundus, sacra Scriptura, Ecclesia.

Mulierum consuetudo legem non facit.

3

Mulieres mundi iudicio prudentes.

Mundus praedicat feminas prudentes, Iunonem, Palladem, Dianam, Vestam, quas in tanto honore ethnici habuerunt, ut eis sacerdotes, et antistites assignarent. Minervam Iovis filiam ob sapientiae, scientiae, prudentiae studium deam sapientiae appellarunt. Multas alias feminas sanis consiliis claras, et magna eruditione, et eloquentia conspicuas prudentes reputarunt. Artemisiam Mausoli regis Cariae uxorem, cuius salubre consilium praeteriens Xerxes Persarum rex vitam cum regno amisit. Semiramidem Nini Assyriorum regis uxorem, cuius prudentiam Ninus perspectam habens nullum negotium, ea inconsulta, peragebat. Aspasiam, cuius consiliis Cyrus utebatur. Corneliam Gracchorum matrem, matronam doctissimam, et latinae puritatis diligentissimam observatricem, quae etiam epistolas tersissime scriptas reliquit. Diotimam, quam Socrates celebris philosophus magistram appellare non dubitavit, a qua etiam multa se didicisse fatetur. Tanaquil, quae sua prudentia effecit, ut Ataulphus Gothorum rex Romam devastaret.

Sacra quoque Scriptura nonnullas feminas memorat, quarum prudentiam celebrat. Abigail, quae Davidi contra Nabal ira percitum salutaribus consiliis placuit. Unde de illa dicitur: *Erat mulier prudentissima.* Thecuitem, quae Absalonem cum patre suo reconciliavit. Rebeccam, quae Iacob filium suum instruxit, quomodo benedictionem patris praeriperet, et ius primogeniturae ab eodem obtineret, Gen. 27. Iudithам, quae singulari strategemate caput Holopherni abscidit, totum eius exercitum confudit, et civitatem ab obsidione liberavit. 4

Mulieres ex Scriptura sacra prudentes.

Ecclesia etiam habet suas virgines, easque prudentes, et fatuas. Prudentes sunt eunuchi evangelici qui sponte seipsos propter regnum Dei castraverunt, vel absciderunt, hoc est, qui non natura, vel necessitate coacti, sed libera voluntate commoti, ac religionis ergo continentiam colunt, sive viri sint, sive feminae. Hos Tertullianus spadones voluntarios appellat. Fatuae sunt coactae virgines, quae non voluntate, sed alieno imperio, et necessitate quadam adactae suum servant caelibatum. Fatuas ego voco, quia coacta virginitas libenter flagitia admittit, teste Tertulliano lib. de velandis virginibus. Rursus fatuae sunt virgines ostentitiae, quae nimirum pudicae videri magis, quam re ipsa esse contendunt. Demum fatuae sunt haereticae virgines, quae carnis dumtaxat, non cordis retinent puritatem. Ut enim d. Augustinus in psalm. 147 tradidit: *Virginitas in carne corpus intactum: virginitas in corde fides incorrupta.* Quare d. Hieronymus in epistola ad Eustochium virgines haereticorum pro scortis habet. Deipara Maria his omnibus adeo excellit, ut nec in comparationem venire possit. 5

Virgines prudentes quaenam sint.

Virgines fatuae quae.

Virgines haereticorum scorta sunt.

Cum mulieribus quarum prudentiam ethnici celebrant, Deipara Virgo haudquaquam conferenda est; illarum enim prudentia non vera, sed falsa fuit. Prudentia enim vera est terrena despicere, coelestia amare, finem ad quem conditi sumus, praevidere, media quae ad hunc finem ducere possunt, inquirere, et eligere, ut multis antea probavimus. Huiusmodi prudentiam feminae gentiles non habuerunt, sicut et alii philosophi ethnici, de quibus Apostolus Rom. 1, 21, 22: *Obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Stultae erant, quia Deum tanquam ultimum finem non cognoverunt. Veram prudentiam respuerunt, cum stultissime idola pro diis habuerunt, et coluerunt, coelestia non intellexerunt, terrena amaverunt; nec illa media quae coelestem gloriam homini afferunt, suppliciumque depellunt sempiternum, complexae sunt. Secus Deipara. In lucem felicissime edita vix tertium attigit annum, cuncta terrena fastidivit, carnis oblectamenta sprevit, a parentibus templi servitio oblata sese ita Deo tradidit, ut omnia oblivisceretur humana. Et haec fuit vera, et vere divina prudentia ut superius latius deduximus. Hanc prudentiam celebrans s. Anselmus de excellentia Virginis cap. 4, ita ait: *Virgo tenera, et delicata, regali stirpe nata, et speciosissima totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, ut corpus et animam suam Deo per virginitatem perpetuo consecraret.* Merito itaque dicitur prudentissima per comparationem ad eas omnes mulieres, et virgines, quarum prudentiam antiquitas celebrat. 6

Prudentia vera quae.

Prudentia ethnicorum stultitia est.

Sanctarum quoque mulierum prudentia, quam Scriptura sacra commendat, cum Deiparae Virginis prudentia comparata arena est exigua, et velut lutum aestimatur in conspectu illius. Abigail Davidi in Nabal irato occurrens, eum placavit: Beata Virgo Deum toti generi humano infensum reconciliavit. Thecuitis Absalonem in gratiam patris reduxit: B. Virgo toti mundo Dei gratiam peperit. Rebecca Iacobum pellibus hoedinis operuit, ut benedictionem patris praeriperet: Beata Virgo Dei Filium nostrae carnis substantia induit, ut benedictionem a suo patre coelesti toti mundo obtineret. Iudith Holophernis ducis terreni caput am- 7

Prudentia B. Virginis cum prudentia aliarum sanctarum mulierum comparata.

*

putavit, et civitatem suam ab eius servitute liberavit: B. Virgo tartarei regis caput contrivit, et totum genus humanum ab eius tyrannide liberavit. Nulla itaque harum sanctarum feminarum cum prudentissima Virgine Deipara conferenda est. Quare illa solo merito prudentissima dicitur.

8 *Prudentia Virginis per comparationem ad quinque virgines prudentes evangelicas.* Illas quoque quinque prudentes virgines, quas Christus in evangelio describit, Deipara Virgo longo intervallo superavit. Quinque illarum virginum prudentia sic commendatur: *Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*, Matth. 25, 4. Et sane oleum istud communi sanctorum patrum conspiratione misericordiam erga pauperes significat. Ita s. Augustinus, s. Chrysostomus, s. Hieronymus, s. Ambrosius et alii. *Oleum quid significet.* Vere ergo Deipara Virgo prudens fuit, quae viscerum suorum vas oleo misericordiae erga pauperes largissime implevit. Divus Bonaventura in libro de vita Christi eleemosynas B. Virginis copiose extulit, ac dinumeravit, et nos inferius, licet haud pari ingenio, idem praestabimus.

9 Rursus alii per oleum quod prudentes virgines compararunt ad nuptias, gratiam adumbrari voluerunt. Ita d. Chrysostomus, Theophylactus, et alii. Et in hoc sensu Deipara Virgo sua prudentia prudentes illas virgines longo intervallo superavit; illae enim dicuntur tantum oleum accepisse, non vero vasa oleo implevisse. At B. Virgo oleum gratiae nedum accepit, verum etiam eo vas animi sui affatim implevit. Hinc angelus ad eam: *Ave*, inquit, *gratia plena*. Quod mente revolvens d. Bernardus in sermone de aquaeducte, ait: *Non est Deipara fatua virgo, cui non modo oleum est, sed plenitudo olei in vase recondita*. Et sermone 2 de assumptione: *Processit*, inquit, *gloriosa Virgo, cuius lampas ardentissima ipsis quoque angelis lucis miraculum fuit, ut dicerent: Quae est ista?* etc. Clarius enim ceteris rutilabat, quam replevit oleo gratiae prae participibus suis Christus Filius eius.

10 Habuit Deipara Virgo lampadem oleo plenam, et accensam, de qua Isaias 62, 1: *Non quiescam*, inquit, *donec egrediatur ut splendor iustus eius, et salvator eius ut lampas accendatur*. *Christus lampas B. Virginis.* Christus ergo fuit lampas Virginis pretiosissima, cuius vitrum est lucida, et immaculata caro Christi: oleum vero copiosa eius misericordia, et gratia; ellychnium anima eius caritate inflammata: lumen vero semper ardens divinitas est. Haec est ergo Virginis Deiparae lampas, quam illa fide viva accensam manibus bonorum operum libenter gestat.

11 Ad haec cum ad prudentes illas virgines insipientes et fatuae dixerunt: *Date nobis de oleo vestro*, etc. severius responderunt: *Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis*. Maria vero de olei sui plenitudine omnibus postulantibus communicat. *De plenitudine eius*, inquit d. Bernardus, *accipient universi*, etc. ita ut summo iure Virgo sit prudentissima iudicanda.

12 Ad extremum in eo maxime elucet Deiparae Virginis prudentia, quod serpentis omnium animalium prudentissimi prudentiam, et versutiam sua prudentia delusit. Gen. 3, 1: *Serpens erat callidior cunctis animantibus*. LXX legerunt: *Serpens erat prudentissimus*. Hunc ergo serpentem Maria prudentissima elusit, eumque prudentia sua spoliavit, cum eius caput contrivit. Hinc d. Ioannes eam lunam sub pedibus habentem vidit, Apocalyps. 12, 1. Luna stultitiam significat. Nam *stultus ut luna mutatur*. Cum ergo Maria lunam sub pedibus habet, omnem insipientiam calcat. *Diabolus stultus, et cur.* Ulterius stultum, et totius stultitiae principem diabolum pedibus proterit. Hic enim vere mutatus ut luna, sapientiam perdidit in decore suo, et ideo pedibus Mariae Virginis prudentissimae conculcatus et contritus miseram patitur servitutem. De hoc vide divum Bernardum serm. super illa verba, *Signum magnum*.

Est igitur Deipara Virgo prudentissima per comparationem ad feminas, tam mulieres, quam virgines, quas antiquitas celebrat, quas Scriptura sacra commendat, quas evangelicus sermo memorat. Dicat itaque et merito: *Mea est prudentia, mea est fortitudo*, et suae prudentiae ac fortitudinis nos participes efficiat. Amen.

VIRGO VENERANDA

Sapientibus, et prudentibus venerationem, seu honorem deberi, nemo est qui ambigat, cum sapientia similes Deo reddat, cui iure naturae honor, et gloria debetur. Quo circa fidelis Ecclesiae chorus postquam gloriosam Dei Genitricem Virginem prudentissimam agnovit et compellavit, mox venerandam, hoc est, omni honore dignam praedicat, occinens illi: *Virgo veneranda*. Quod quam verum, quam dignum, et iustum sit, paulo fusius monstrare animus est. *Ordo ad praecedentia.*

DISCURSUS CCXIX

AN, ET QUIBUS DE CAUSIS SIT VENERANDA B. V. MARIA

1 Nullus unquam fuit christiani sanguinis homo, qui gloriosam Dei Genitricem Virginem Mariam non esse venerandam crederet seu praedicaret. Soli filii Belial, nimirum haeretici, eius honori verbo, scriptoque detrahere ausi sunt. *Copronymi in B. Virginem blasphemia.* Copronymus olim de Virgine Maria aiebat, quamdiu Christum intra se gestaverit, honorandam, ac venerabilem fuisse; verum ex quo illum peperit, nihil eam a ceteris mulieribus differre, quod similitudine a marsupio desumpta declarabat, qui cum aureis oppletus est, in pretio haberi solet, evacuatus nihili penditur. At vivus tantae blasphemiae poenas dedit, vindice Deo, igne aestuans interno, atque desperans, teste Baronio anno Domini 775. Crevit semen diaboli in tantam malitiam, ut nonnulli Virginem quam s. Ioannes Chrysostomus cherubim honoratiorem, seraphim gloriosiorem praedicabat, cum impurissima meretrice conferre non erubescerent.

2 *Erasmi, et Lutheri blasphemiae in Mariam.* Certe Erasmus in colloquio quod inscripsit *Naufragium*, Virginem Sanctissimam in maris praefectura Veneri substituit. Lutherus sua concubina Catharina, et sacrilega Mariam nihil sanctiorem facit. In postilla maiori dominicae proximae Epiphaniae: *Omnes*, inquit, *evangelica fide renati, pares ei sumus in honore, tam sancti sumus atque ipsa, dummodo in Christo credamus*. O blasphemiam tartareis flammis vindicandam!!!

3 *Venerandam esse B. Virginem multa suadent.* Nos hanc gloriosam Virginem totis praecordiorum affectibus, votis omnibus secundum Deum colimus ac veneramur, et colendam ac venerandam credimus ac praedicamus.

4 *Exemplum Dei, qui eam specialiter honoravit.* Quidni veneremur eam, quam Deus ipse ab aeterno speciali honore prosequi dignatus est, cum eam modo singulari praedestinavit? Primum nomen in libro vitae nomen Iesus est, secundum post illud est nomen Maria. *Praedestinatorum primi sunt Christus et Maria.* Primus enim praedestinatorum, omniumque caput est Christus: secundum post Christum locum nobilissimum Sanctissima Virgo inter praedestinatos habet. Cum enim Deus hominis peccatum praevidisset, opemque illi per incarnationem Verbi ferre statuisset, Christum primo, Virginem deinde eius Matrem ad summam gloriam praedestinavit.

5 *Exemplum angelorum qui ab initio mundi praecognitam una cum Christo adoraverunt.* Quidni veneremur eam, quam nedum natam angeli praecognoverunt, et venerati sunt? Haec superbenedicta Virgo ab angelis in sua creatione in Verbo praecognita, ac simul cum Christo culta est. Angelos in Verbo initio suae beatitudinis praecognovisse incarnationis mysterium s. Thomas 1 p. q. 57, art. 1 ad 5 docet. Et eosdem tunc iussos fuisse adorare Christum Apostolus Hebr. 1, 6 disertis verbis asserit: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei*. Bis angeli Christum adorare iussi sunt. Primo, cum per fidem eis propositus fuit, et iterum cum re ipsa ex Virginis utero incarnatus in hanc lucem prodiit. Si ergo Christum nasciturum angeli tunc praeviderunt, profecto et Matrem eius. Relativa enim simul sunt cognitione. Rursus, si Christum tunc ve-

nerati sunt, profecto et Matrem rite venerari non neglexerunt; honor enim matris refertur ad filium, ut d. Damascenus libro 4, cap. 15 docet. Accedit, quod tunc Beatam Virginem una cum Filio supra omnes coelites exaltandam praeviderunt, Dominamque ac Reginam suam futuram praecognoverunt: proinde haud dubium, quod eam venerati sunt.

6 Angeli nunc in coelis Mariam una cum Christo adorant.

Nunc quoque angeli Beatam Virginem adorant, et sicut ad nomen Iesu genua flectunt, iuxta illud Apostoli Philip. 2, 10: *In nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum:* ita et ad nomen Mariae flectunt, ut divus Damascenus oratione 1 de nativitate Mariae non obscure innuit: *Decet*, inquiens, *Dei Matrem ea quae Filii sunt, possidere, et ab omnibus adorari.*

7 Michael archangelus qua occasione B. M. Virginem adoravit.

Archangelus Michael in causa gravissima Dei vicarius tunc et legatus erat, cum mulierem una cum semine eius venturam praedixit, quae caput serpentis contereret. *Inimicitias*, ait, *ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum*, Genes. 3, 15. Certe cum illam in tanti honoris societatem venturam praedixit, fieri non potuit, quin rite eam veneraretur.

8 Gabriel qua occasione eandem veneratus est.

Archangelus Gabriel in causa longe graviori a Deo missus ad Mariam Virginem, veniens dixit: *Ave gratia plena*, quam vocem flexis genibus eum protulisse nonnulli pie meditantur.

9 Exemplum patriarcharum et prophetarum.

Figurae quae B. Virginem praemonstrabant in antiqua lege.

Quidni veneremur eam, quam omnes patriarchae summis votis expetiverunt; omnes prophetae praedixerunt; omnes figurae adumbrarunt; omnia signa praemonstrarunt? Libet brevissime ex Scripturis colligere in quibus vaticiniis, figuris, signis Spiritus sanctus B. Virginem dignatus sit praemonstrare. Quid ille primi Adae cum Eva consociatio significabat, nisi Christi cum Maria coniunctionem? Quid paradisus voluptatis? quid arca Noe? quid rubus incombustus? quid arca foederis? quid virga Aaronis? quid vellus Gedeonis? quid thronus Salomonis? quid templum? quid porta orientalis clausa? quid mons, de quo lapis sine manibus excisus est, adumbrat, nisi Mariam? Quid Rebecca sponsa Isaaci? quid Rachel Iacobi? quid Abigail Nabal? quid Abisag puella a Davide intacta? quid Iudith victrix? quid Hester salvatrix repraesentabant, nisi Mariam? Quid scala Iacob? quid stella Iacob? quid nubes levis? quid hortus conclusus? quid fons signatus? quid paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus? quid fons hortorum, puteus aquarum viventium? quid columna nubis? quid rosa? quid aurora denotabat, nisi Mariam? Ecce qualem Deus divis, hominibusque venerandam proposuit, qualem sancti patres imitati, ac venerati sunt, qualem nos venerari oporteat.

10 Exemplum Christi qui Mariam honoravit.

Quidni veneremur eam, quam ipse Dei Filius tam in coelis, quam in terris honorare dignatus est? In terris eam honoravit, quia eius amore captus ex ea sibi tabernaculum construxit, in quo habitare non recusavit: et quod omnem intelligentiam superat, ei subditus esse voluit summus omnium Princeps, summus creaturarum Iudex. In coelis eam honoravit, quia ad dexteram suam eam collocavit, ut psalmista 44 narrat: *Astitit Regina a dextris tuis*, etc. quod longe ante praefiguratum est in Bethsabea matre Salomonis, cui ad se venienti Salomon *surrexit in occursum eius, adoravitque eam: et sedit super thronum suum, positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius*, 3 Reg. 2, 19. Et merito ita egit, ut legem quam ipse de parentibus honorandis sanxit, etsi legi minime subiectus expleret. S. Hippolytus martyr, oratione de sacrificio: *Qui dicit*, inquit, *honora patrem et matrem, ut decretum a se promulgatum observaret, omnem gratiam matri, et honorem impendit.* D. Augustinus sermone de assumptione: *Ad bonitatem*, inquit, *Domini pertinet Matris servare honorem, qui legem non solvere venit, sed adimplere.* Et ideo Deipara merito vocatur *Mater honorificata*, Eccl. 15, 2.

11 Exemplo Ecclesiae catholicae.

Quidni veneremur eam, quam Ecclesia catholica multis laudibus et obsequiis ab initio laudavit, honoravit, hodieque laudat, honorat, veneratur? Quantum Ecclesiae fides ire retro, et ascendere potest, semper reperiemus Deiparam Virginem eximio cultu veneratam fuisse. Sancta Birgitta in sermone angelico, c. 7, et 8 adstruit, Adamum, Abrahamum, Isaac, Iacob, et David ingenti laetitia affectos, cum spiritu agnoverunt Dei Genitricem ex suo semine nascituram.

12 Exemplo apostolorum.

Apostoli, primi Ecclesiae patres, Deiparam Virginem praecipua veneratione coluerunt. D. Petrus apostolorum princeps, cum adhuc in Syria moraretur in anteradensi civitate, quae nunc Tortosa dicitur, Deiparenti sacellum erexisse ex aere christianorum collato tradunt gravissimi auctores. Iacobus de Vitriaco cardinalis in sua historia orientali, cap. 44, Adrianus Iunius in sua nomenclatura, Thomas Vualdensis, c. 84, Raphael Volateranus libro 2 geographiae, ubi addit, in eodem sacello sanctum Petrum primum sacrificasse. Idem apostolus in sacrificio missae primus commemorationem Virginis introduxit, ut constat ex liturgia latina, seu romana, quam b. Petri esse tradit sanctus Thomas 3 p. q. 78, art. 2 ad 5, post Leonem III pontificem maximum in epist. ad Michaelem.

D. Petri apostoli devotio erga B. Virginem.

Liturgiae latinae auctor quis.

13 S. Iacobi apostoli devotio erga B. Virginem.

Sanctum Iacobum quoque apostolum Caesaraugustae in Hispania erexisse templum Deiparenti, dum illa adhuc in terris degeret, auctor est Antonius Beuterus in chronico Hispaniae, c. 23, et alii gravissimi historici, quorum mentionem faciemus in epitheto *Regina apostolorum*, ubi fusius hanc materiam discutiemus.

14 S. Ioannis apostoli devotio erga B. Virginem.

S. Ioannem apostolum templum sacrasse B. Virgini testatur Concilium ephesinum in epistola ad clerum constantinopolitanum, ut refert Abdias in vita b. Ioannis apostoli. Exemplo apostolorum primi christiani Virgini Deiparenti templa erigere coeperunt, de quibus copiosius agemus inferius in explicatione epitheti praesentis.

15 Exemplum omnium gentium.

Quidni veneremur eam, quam omnes omnium gentium, aetatum, ordinum homines colunt, adorant, praedicant, celebrant, ut in epitheto sequenti videbimus? quam antiqua gentium oracula tot obscuris aenigmatibus designarunt? quam tot sibyllarum vaticinia, tot doctorum, poetarum ora versibus non intellectis, sed tamen divinitus inspiratis, decantarunt? quam divinorum prophetarum oracula miris laudibus extulerunt? quam vetus et novum testamentum, quasi duo seraphim alternis vocibus collaudant? quam evangelica tuba semper alta voce praedicat? quam libri Hebraeorum mille modis repraesentabant, antequam hic nasceretur in terris? quam iam natam mundus universus adorat, laudat, celebrat, hic lingua, iste calamo, gloriam eius extollit?

16 Consensus omnium christianorum fidelium.

Quidni veneremur eam, quam omnes christiani fideles consenso mirabili adeo colunt, ut nihil pulcrum, nihil pretiosum, nihil ab arte, vel a natura egregium, nihil ab ingenio acutum aut praeclarum, quod non ultro omnes in laudem suam conferant? Numerate librorum volumina, augustissima per orbem templa, etiam ante, et statim post natum Salvatorem, magnificis sumptibus ab urbibus, principibus, regibus, imperatoribus, et summis hierarchis honori Deiparae Virginis in omnibus regnis noti, et ignoti orbis aedificata, summis impensis ornata. Numerate sacella, tropaea, aras, anathemata, parietes titulis, ac donis onustos; prius stellas coeli, vel arenam maris numerabitis, quam haec honoraria Mariae.

17 Cultus omnium creaturarum.

Quidni veneremur eam, cui non tantum terra, sed etiam coelum genua flectit: infernus quoque nomen eius tremendum adorat, ut paulo ante probavimus?

18 Dignitas Virginis undecumque eam spectes.

Quod si eos qui in terris eminentiores gradu principatus, vel regni, vel etiam virtutibus aliis excellunt, honore prosequimur: quo putas honore prosequenda erit Deipara Maria, quae est Regina coeli, Princeps mundi? Ipsa est filia sancti Davidis, Ezechiae innocentis, Iosiae iustitiae cultoris. B. Virgo in suo stemmate secundum Matthaeum quatuordecim reges, duces, heroes, principes, et sacerdotes, et patriarchas, et prophetas longa serie computabat: quicquid in ea consideres, totum omni veneratione dignum reperies. Si conceptionem spectes, est prophetarum vaticiniis praedicta, et a Spiritus divini gratia superveniente sanctificata. Si nativitatem, est omnibus iucunda. Si genealogiam eius attendas, Regina est mundi, regali progenie exorta. Si nomen, gaudet Dominae illuminantis titulo. Si puerilem aetatem, est omnium virtutum exemplar. Si statum, est virgo Deo consecrata. Si animi pulcritudinem, est gratia plena. Si gradum, est Mater Filii Dei. Si vitae decursum, est ab omni peccato immunis. Si mortem, cum anima et corpore est assumpta in coelum. Si gloriam, exaltata est super choros angelorum ad coelestia regna. Si officium, advocata est, et mediatrix nostra. Si virtutem, omnia potest, omnia quae ad salutem nostram attinent, operatur. Si affectum erga nos, Regina est misericordiae. Summa est: quicquid in ea spectes, quicquid desideres, id totum honore ac veneratione dignum invenies.

19 Virtus cunctis est admiranda et reverenda.

Quidni veneremur eam, quae tot ac tantis virtutum radiis coruscat? Ea vis, splendor, ac maiestas virtutis est, ut omnes in sui admirationem, honorem ac venerationem rapiat. Cui nunc

Digitized by Google

honestiores partes in consessibus hominum tribuunt, assurgunt, loco cedunt, genua flectunt, nisi virtuti? cui celsiorem statum ultro citroque conferunt, nisi virtute excultis? cui antiquitas historias scripsit, statuas aureas, argenteas, aereas, lapideas, plumbeas, aeterno aevo duraturas erexit, nisi virtute praeditis? quos virentibus baccis, floridis coronis, diadematibus aureis coronabat, nisi virtute praefulgentes? cui triumphales arcus, pyramides praealtas miro artificio fabricabat, cui altaria erigebat, nisi virtute ornatis? cui incensa et munera certis temporibus afferri mandabat? cui olympiaca, cerealia, augustalia, et eius generis alia festa maximo cum apparatu celebrabat, nisi virtutum cultoribus? quorum personas in comoediis et tragoediis repraesentabat? quibus civitates fundabat? quibus honores varios, se sempiterna memoria dignos impendebat, nisi virtute fulgentibus? Tam gloriosa fuit omnibus saeculis virtutis maiestas, ut eam omnes suspicerent, amarent, colerent ac venerarentur. Ecquid apud christianos minoris pretii esse debet? Absit; cum Apostolus dicat: *Gloria, et honor omni operanti bonum, Iudaeo primum, et Graeco, non enim personarum acceptio est apud Deum.* Sic quicumque sit ille, sive Iudaeus, sive Scytha, sive Barbarus, sive paganus crudelis, si sacro fonte renatus fuerit, gloriam et honorem apud Deum habebit: *Gloria et honor omni operanti bonum.* Si igitur gloria, et honor exhibetur omni operanti bonum, cur non magis sacrosanctae Virgini Dei Genitrici Mariae, quae tanto fulgore gratiarum ac virtutum splendescit, ut si divina uspiam conglobata inveniuntur munera, in illa sola dixeris congesta, quae in aliis non nisi sparsa videris et disseminata? Cur gloria, et honor non debeatur ei, quae fide vicit patriarchas, spe prophetas, amore apostolos, constantia martyres, sobrietate confessores, castitate virgines, puritate quoque antecedit angelos? Si Deus praecipit iustos, qui sunt viva imago Dei, venerari, *Gloria et honor omni operanti bonum*, cur illam quae est perfectissima imago Dei per virtutum cumulum expressa, per gratiae cumulum adornata, venerandam habere non velit?

Il Virgo ob virtutes veneranda.

20 Beneficia Mariae in nos collata.

Quidni veneremur Matrem Dei, quae super omnes etiam spiritus angelicos praefulget? quidni veneremur Dominam nostram, Advocatam nostram, Matrem nostram carissimam, quae tot beneficia nobis quotidie praestat? Antiqui uti deos venerabantur, a quibus magna utilitas ad vitae humanae conservationem esset invento. Hinc alii Cererem, alii Bacchum, alii Aesculapium, alii Liberum pro deo habuerunt, et coluerunt. Nos quibus lumen fidei affulget, Virginem maxime Deo propinquam, a qua una, ceu universali patrona, plus beneficiorum accepit christianitas, quam se accepisse fingebat antiquitas ab omnibus iis iunctim, quos deos nominabat, non venerabimur? Solem, eo quod benevoli influxus perennem scaturiginem animadvertebant, sacrorum sacrilegorum antistites uti deum venerabantur. Audite Aurelianum imperatorem: *Dii faciant, et deus certus sol.* An non potiori iure summa Virgini Mariae veneratio esset tribuenda, quae *electa ut sol* nil nisi benevolum, et amicum unquam in inferiora sparsit?

Solem antiqui deum habebant.

21 Exempla hostium Mariam venerantium.

Quidni veneremur eam, quam synagogae daemonum, congregationes segregatorum ab Ecclesia miris praeconiis exornant? Tanta vis, maiestas, et splendor est virtutis, ut etiam nequam homines eam admirentur, honorent et laudent, ut d. Chrysostomus homil. 49 in Matthaeum notavit. Proinde Mahometus, Lutherus, Calvinus, Brentius, Erasmus multa praeclara in laudem B. Virginis dixerunt, quae commodius in epitheto sequenti adducemus.

22 Ad cultum B. Mariae exhortatio.

Veneremur ergo hanc Virginem, manibus divinis fabricatam, veneremur Matrem Domini, Dominam et Advocatam nostram. Eia hortor iterum, atque iterum, admiremur, adoremus, veneremur hanc tam sublimem, tam admirabilem heram, quae prae ceteris sanctis a Deo est honorata, ab ipsis angelis adorata, a tota fidelium coetu per omnia saecula laudata. Veneremur quam universus mundus adorat, cui caput inclinat, genua flectit: cuius nomen venerandum inferis etiam tremendum, superis admirandum est. Veneremur quam Ecclesia catholica impense secundum Deum colit, cui sacra celebrat, templa, sacella, oratoria, statuas, altaria construit. In cuius laudem pueri, iuvenes, viri, ac senes, virgines ac mulieres odas canunt; cuius nomen honorifice usurpant, cuius sanctissimam vitam, mortem, gloriam depraedicant. Quam etiam crassa gentilitas uti Matrem Domini veneratur: quam haereticorum capita superiorem cunctis creaturis honorant: quam prophetissae a communi maledicto liberam, et inter omnes mulieres benedictam praedicant.

Audeo dicere: quisquis Mariam non colit, nec Deum colit, etiamsi Dei cultorem, ac servum se esse pleno ore fateatur. Cum adversae acies concurrunt, mixtusque viro vir manus confert, ut dignoscatur cuinam parti alter, aut alter militet, vexilla inspiciuntur, quae quisque sequitur, ac tuetur. Ad eundem modum, ut dignoscas, Deum ne hic sequitur, aut daemonem, Deo ne militet, an daemoni, vexillum intuere sub quo militat, quod ambit, quod sequitur, quod tuetur. Dei exercitus vexillum Virgo praefert, immo ipsa potius vexillum est. Isai. 17, 14: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.* Alii legunt vexillum. At quale vexillum? *Ecce virgo concipiet, et pariet filium.* Quicumque ergo Virginem sequuntur, ac colunt, in Dei castris militant, ac Deo serviunt: qui autem cultum Virginis vilipendunt, despiciunt, in castris diaboli, qui Christo contrarius est, militare convincuntur. 23

23 Cultus Mariae servos Dei ostendit.

Adoremus itaque et veneremur Mariam. Adorare iussit psaltes: *In loco ubi steterunt pedes eius* (Domini) psalm. 131, 7. Ecce Virginem habemus, ubi ipse Deus stetit, in cuius utero novem mensibus habitavit. Praecipiebat divinus vir: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, ps. 98, 5. Ecce Maria scabellum pedum Dei est, scabellum sanctum, super alios sanctificatum: hoc igitur venerari, colere, et adorare convenit, ut eius patrocinio digni esse mereamur. Amen. 24

DISCURSUS CCXX

QUATENUS SIT VENERANDA DEIPARA VIRGO MARIA

Cultum omnem ac venerationem super aliqua excellentia fundari docuit theologorum magister d. Thomas 2 2, q. 103, art. 2. Hinc tot species cultus ab eodem, aliisque theologis ponuntur, quot species sunt excellentiae. 1

1 Cultus seu veneratio in quo fundetur.

Est autem excellentia humana, et divina. Humana consistit in humanis virtutibus, dignitatibus, gradibus, potestate, scientia, etc. Divina vero in gratia, gloria, sanctitate, iustitia, aliisque virtutibus ac donis supernaturalibus. Quae adhuc gemina est: quaedam increata, et infinita, quae fundatur super excellentia divina, increata et infinita: quaedam creata, et finita, quae fundatur super excellentiis divina quidem, et supernaturali, sed finita et creata, puta gratiae et gloriae. Quae adhuc bipartitur in communem excellentiam, et eminentem. Itaque numero specierum excellentiae correspondet numerus cultuum, sive adorationum. Excellentiae humanae respondet cultus humanus, sive politicus, qui nihil aliud est, quam observantia quaedam, sive reverentia humana, quam exhibemus personis constitutis in dignitate vel civili, ut regibus; vel sacra, ut pontificibus: vel virtute aliqua praeditis; quamquam haec in alias multas species dividi potest, ut Arist. lib. 9 ethicorum, c. 2 docet. Nam alius cultus debetur patri, alius principi, alius praeceptori, alius sapienti, vel erudito, etc. 2

2 Excellentia est multiplex.

Excellentia humana quid, et quot eius species.

Excellentiae divinae respondet cultus religionis; increatae quidem et infinitae cultus latriae, qui consistit in fide, spe, caritate, qui soli Deo debetur propter excellentiam increatam quam habet, ac supremum dominium, quo super omnes creaturas principatur, de quo cultu Apostolus 1 Timoth. 1, 17 ait: *Soli Deo honor et gloria.* 3

3 Cultus divinus in quo consistit.

Excellentiae divinae, creatae, communi respondet cultus duliae, qui est recognitio alicuius in aliqua virtutis, vel excellentiae, sanctitatis, sapientiae, etc. exteriori signo demonstrata. Haec angelis et hominibus sanctis, tam vivis quam mortuis exhibetur ob gratiam Dei, et gloriam quam habent; ista enim sunt dona supernaturalia, et excellentissima. Sic Abraham et Loth angelos adoraverunt, Gen. 18, et 19. Sic Balaam angelo, quem vidit in via cum evaginato gladio, reverentiam exhibuit, Num. 22. Sic Iosue principi exercitus Domini, Iosue 5. Sic filii Iacob Ioseph fratrem suum adoraverunt, Gen. 42. Sic Saul animam Samuelis sibi apparentem, 1 Reg. 2; civilis enim honor defunctis non convenit. Sic Nabuchodonosor licet gentilis Danielem adoravit, cum ei spiritu divino somnium suum retulisset, et exposuisset, Dan. 2, 46. Sic filii prophetarum audientes spiritum Eliae requievisse super Eliseum, adoraverunt eum proni in terram, 4 Reg. 2, 15. Sic Abdias procurator Achab regis adoravit Eliam prophetam, 3 Reg. 18, 7. Sic beatissimum Petrum apostolum modo genibus provolutis adorat gentilium multitudo, ut ait s. Augustinus serm. de sanctis Petro et Paulo. Sic 4

4 Cultus duliae quid.

Cultus duliae cur sanctis exhibetur.

Cultus sanctorum exempla.

Digitized by Google

olim sanctos confessores obtestabantur dicentes : *Obtestamur vos per vestigia vestra.*

5
Cultus hyperduliae cui exhibetur.

Excellentiae divinae creatae, sed eminenti respondet cultus hyperduliae. Hic exhibetur humanitati Christi, et Virgini Mariae. Humanitas enim Christi inter sanctas creaturas, si seorsim consideretur a persona divina, excellit propter unionem ad Verbum, et similiter B. V. Maria.

6
Cultus exterior idem exhibetur Deo et sanctis.

Cultus isti in sola intentione, et apprehensione differunt. In actibus enim exterioribus non est facile has species cultuum, seu adorationum distinguere. Aeque enim basilicas aedificamus, ornamus, aeque cereos accendimus, aeque prosternimur, humiliamur, genua flectimus, manus elevamus ad Deum, et ad sanctos, et omnes fere actus exteriores adorationis, excepto sacrificio, Deo et sanctis exhibemus. Unde non potest evidenter colligi ex actu exteriori utrum aliquis cultum Deo tribuat, an sanctis; aeque enim Deo ac sanctis eius genua curvamus, caput nudamus, toto corpore inclinamur, prosternimur. Sicut Abraham aeque actu incurvationis usque ad terram adoravit Deum, Gen. 17, et angelos, Gen. 18, et 23. Cultum ergo latriae a dulia sola intentio hominis distinguit.

Cultus latriae, duliae, et hyperduliae quomodo differunt.

Deum enim colimus cultu latriae, quia apprehendimus illum ut summam veritatem, summum Dominum, summum bonum. Hinc ad colendum eum utimur actibus fidei, spei, et caritatis. Per fidem protestamur eum esse summam veritatem, per spem esse potentissimum, per caritatem esse optimum. Sanctos colimus dulia, quia apprehendimus ut servos Dei, amicos nostros, patronos et intercessores apud Deum. Mariam autem colimus non ut ceteros sanctos, sed speciali et excellenti ratione quodammodo, dulia videlicet excellenti, quae a theologia communiter hyperdulia dicitur; quae B. Virgini exhibetur in quantum ipsa est Mater Dei. Ob quam excellentiam intuemur in ea multa honore tali digna.

Mariam cur hyperdulia colimus.
7

1. Quia intuemur in ea gradum gratiae, et gloriae excellentissimam, divis cunctis superiorem. Doctores non minus eruditione, quam pietate erga B. Virginem celebres docent, omnia Deiparae Virginis gratiam perfectiorem esse, quam sit omnis quorumlibet sanctorum, et beatorum simul collecta; et consequenter eam a Deo pluris fieri, ampliusque diligi, quam diligantur omnes creaturae simul, quod nos etiam fuse probavimus tomo superiori, disc. CXXXIV, et CCI per totum. Quod si reverentia et cultus aequa proportione respondere debet excellentiae, quis ex his manifesta non colligit, Beatissimam Virginem ampliori honore, amore, cultu prosequendam esse, quam honorentur, amentur, colantur sancti, et beati omnes, et singuli? Percurre nunc animo universum orbem christianum, singula regna, provincias, urbes, loca quaevis perlustra, attende quantum, a quam multis, quam variis modis, et publice, et privatim sancti angeli, apostoli, martyres, confessores, virgines, et reliqui beati colantur. At postquam huiusmodi honores coelitibus iure impensos tot, et tantos fueris demiratus, unum aliquem ex illis omnibus confla, quantus ille erit? At longe maiorem illo exigit honorem et cultum Deipara Virgo Maria; et ideo merito cultu hyperduliae colitur, et adoratur.

Cultus B. M. Virginis exaggeratur.

8
Matris Dei dignitas quanta.

2. Quia intuemur in ea celsissimam ac uno modo infinitam Matris Dei dignitatem. Cui enim angelorum Deus aliquando dixit: *Mater mea es tu?* Quod non angeli, neque archangeli, non cherubim, aut seraphim sibi sumere unquam possunt, ut personam divinam filii loco habeant, suumque filium vere dicant, id Maria iure quodammodo singulari facere potuit. Quo certe tantum praestat Maria angelis, quantum mater regis ministris. Hinc divus Bernardus serm. 4 de assumptione: *Quae vel angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quae digna fuit Spiritus s. sacrarium fieri, et habitaculum Filii Dei.* Quare s. Epiphanius libro de excellentia Virginis merito exclamat: *Maria, solo Deo excepto, cunctis superior existis, natura formosior es ipsis cherubim, et seraphim, et omni exercitu angelico; cui praedicandae coelestis, ac terrena lingua minime sufficit, immo vero nec angelorum. Columba pura, sponsa individuae Trinitatis, et a Deo ipso in honore habita.* Talem igitur intuemur, talem agnoscimus, talem et colimus solo Deo inferiorem, cunctis sanctis superiorem; medium inter Deum, et sanctos agnoscimus; ideo medium cultum inter latriam, et duliam, hyperduliae scilicet, ei exhibemus.

Hyperdulia quid.

Hyperdulia enim eminentior, et excellentior dulia dicitur. Doctor angelicus 2 2, q. 103, art. 4 ad 2 contra nonnullos theologos docet, hyperduliam debitam Virgini propter affinitatem ad Deum esse potissimam speciem duliae communiter sumptae. Quod ego interpretor, non in eadem, sed in alia specie cultus duliae, eaque perfectissima. Cum enim dignitas Matris Dei sit specie distincta a dignitate gratiae habitualis, utpote ad ordinem hypostaticae unionis spectans : consequens est cultum super ea fundatum perfectiorem esse in specie cultu duliae communi sanctorum.

Hyperdulia differt a dulia.

9
Maria Virgo honorabilior est quam crux in qua Christus pependit.

Quidam theologi putarunt Deiparam Virginem propter contactum cum Christo coli debere cultu latriae, sicut propter eundem adorantur vestes, et crux, ex qua ille pependit. Ego ingenue fateor maiorem fuisse contactum Virginis Matris ad Christum, quam crucem, ac proinde honorabiliorem quam crucem. 1. In cruce enim Christus stetit suffixus tribus, aut quatuor horis: in Mariae autem utero novem mensibus habitavit. 2. Maria eum infantem genuit, per biennium aut triennium in ulnis portavit, in pueritia, et adolescentia lavit, vestivit, aluit: crux consumpsit. 3. Crux illa hac solum ratione honorabilis est, quod Christi sanguine tincta fuit; at Maria Christo totum sanguinem, quo crucem tingeret, dedit. *Beatius autem est dare quam accipere.* 4. Crux illa fuit Christo molestissima: at Maria Virgo semper benefica. 5. Crux Christum tulit nullo sui dolore, sed summo illius qui ferebatur; at Maria Christum gestavit brachiis parvulum multo suo labore, maxime cum in Aegyptum fugeret, et nullo, quoad fieri potuit, labore, aut dolore eius qui gestabatur. 6. Crux si aliquando Christo servivit, servivit serviliter, ut sic dicam, minimeque libere ut instrumentum inanime; Maria vero quandocumque servivit Christo filialiter, ac liberalissime, summaque animi libertate servivit.

Crucis cum V. Deipara comparatio.

10
Virgo Deipara cur non debeat adorari cultu latriae, uti adoratur Christi crux.

Nulla tamen ratione posse coli cultu latriae B. M. Virginem constanter assevero edoctus a s. Thoma 3 par. q. 25, art. 5. Beata enim Virgo, cum sit creatura rationalis, cultus et venerationis in se capax est: ac proinde si latria coleretur, periculum esset, ne honor Deo debitus ei deferretur, quod periculum in cruce nullum. Crux enim cum res inanimata sit, nullius venerationis in se capax est, sed honor propter solam habitudinem extrinsecam contactus ei exhibetur; unde nec in ea sistit, sed totus ad crucifixum refertur. Quare perfectior est cultus hyperduliae qui exhibetur Mariae propter intrinsecam, et propriam excellentiam, quam cultus latriae, qui exhibetur cruci propter extrinsecam, et alienam sanctitatem.

Crux Christi qua ratione adoratur.

11
Dominium Mariae.

3. Quia intuemur in B. Virgine excellentissimum dominium, ac regale sceptrum quo principatur, ac dominatur non solum super totam terrae faciem, sed et super universam coelestem curiam. Ipsa enim est Regina coeli, terrae, maris: ipsa angelorum hominumque domina: ipsa solem illuminat, orbem exhilarat, tartarum calcat : illi respondent sidera, ancillatur terra, serviunt elementa: supra eam nihil nisi Deus est; infra eam est, quicquid Deus non est. Quod quidem dominium in duobus fundatum esse docent theologi. Primo, in coniunctione, et affinitate quadam inter Deum et Virginem. Secundo in singulari quadam ad nostram redemptionem cooperatione. Sicut enim Christus eo quod nos redemit, speciali titulo Dominus est, et Rex noster: ita B. Virgo propter singularem modum, quo ad nostram redemptionem concurrit, substantiam corporis sui Christo ministrando, et illam voluntarie pro nobis offerendo, nostramque salutem desiderando, petendo, procurando, Domina est, ac Regina nostra. Quam rationem Rupertus lib. 13 in Ioannem indicavit his verbis: *Mater omnium hominum dicitur, quia nimirum salutis omnium causam tunc sine dolore peperit, cum Deum hominem factum de carne sua genuit. Et tunc magno dolore parturiebat, quando iuxta crucem stabat.*

B. Virgo salutis nostrae cooperatrix.

12
Coniunctio Mariae cum Christo quanta.

4. Quia intuemur in Deipara Virgine excellentem quamdam cum Christo unionem. Spectarunt hoc sancti patres, atque suspexerunt augustam, et arctissimam hanc Mariae cum Deo unionem, et nihil sive in terris, sive in coelis cum Deo coniunctius esse dixerunt. Divus Petrus Damianus sermone de nativitate Mariae: *Quid grandius Maria, quae magnitudinem summae divinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? Attende seraphim, et in illius superioris naturae supervola dignitatem, et videbis, quicquid maius est, minus est Virgine, solumque opificem opus istud supergredi.* De coniunctione Mariae cum Deo abunde diximus tomo superiore, disc. LXXXVI per totum, et CC, par. 3, 4. Libet hic adnectere pium, subtilem, ac doctum b. Dionysii carthusiani discursum ex libro 1 de praeconio, et dignitate Virginis, art. 2: *Unio*, inquit, *ex amore procedit; tanto igitur specialius ac eminentius Deus dilexit, praeelegit Mariam, quanto intimius, pro-*

Digitized by Google

pinquius ac familiarius se illi univit. Sed huic Virgini Deus se coniunxit non solum per gratiarum charismata, per illuminationem, dilectionem, aut adhaesionem extrinsecam, sed etiam per naturalem, ac realem quamdam identitatem, quia factus est aliquid eius eo modo, quo proles est aliquid sui parentis. Etenim aliquid substantiae Virginis sacrae assumpsit, et hypostatice atque realiter sibi univit, et habitavit in medio eius. Haec ille.

13 Maria mater nostra est.

5. Quia spectamus in Virgine quod ipsa sit nedum Mater Dei, sed etiam mater nostra, quod multis probavimus tomo superiore, disc. III, par. 12, et disc. CXXVI per totum. Addo Origenem qui tomo 1 in Ioannem ait: *Mariae filius nemo fuit nisi Iesus, et omnia vere christianus Mariae filius est.* Ratio huius est: puer ilis quem Maria peperit, noster est. *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis.* Caro nostra, sanguis noster est: atque ideo Maria mater eius, nostra quoque mater est. Quare noster in Mariam cultus debitus ad quartum decalogi praeceptum spectat, quo dicitur: *Honora patrem tuum, et matrem tuam.* Sed quoniam maternitas haec, utpote spiritualis, excellentissima est, ideo honore supereminenti prosequenda.

14 Mediatrix nostra B. V. Maria et quomodo.

6. Tandem quia consideramus in Deipara Virgine, quod ipsa sit mediatrix, et advocata nostra, licet diverso modo, quam Christus. Christus enim est mediator principalis per modum redemptionis: B. Virgo mediatrix secundaria per modum patrocinii, seu intercessionis; superior tamen reliquis omnibus mediatoribus divis, qui etiam nostri sunt patroni et intercessores apud Deum. Est igitur summa dignitas, summa excellentia Mariae, quae ipsam facit summa religione post Deum venerandam, laudandam, colendam. Eia igitur prae ceteris sanctis eam colamus, ut eius patrocinium in nobis sentiamus. Amen.

DISCURSUS CCXXI

QUIBUS AFFECTIBUS, ACTIBUSVE, SEU OBSEQUIIS SIT COLENDA DEIPARA VIRGO MARIA

1

Totis medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam venerari iubebat mellifluus doctor Bernardus eius cultor eximius in sermone de B. M. Virgine. Hunc autem cultum seu venerationem in quinque potissimum affectibus, actibusve seu obsequiis situm esse existimo: in amore, congratulatione, reverentia, invocatione et imitatione.

I. *In amore.* Ad amorem spectat illam intrinsecus in corde magni aestimare tanquam Matrem summi, et infiniti Dei, ex totis praecordiis eam diligere.

2 Amare Virginem cur nos Deus voluerit.

Hac enim ratione Deus inordinato amori nostro obviare voluit. Videns enim inter vitia, quae generi humano maxima detrimenta afferebant, praecipuum, ceterorumque vitiorum quasi fontem, amorem inordinatum virorum in feminas, et feminarum in viros: cui remedium adhibere volens, dedit nobis virum unum, videlicet Christum, quem feminae amantes castae, ac mundae fierent. Hinc d. Paulus 2 Cor. 11, 2: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Et s. Agnes virgo et martyr aiebat: *Quem cum amavero, casta sum: cum tetigero, munda sum: cum accepero, virgo sum.* Dedit quoque unam feminam Beatissimam Virginem Mariam, quam viri diligendo casti, et mundi redderentur. Ut enim illa purissima ac castissima est, ita suos sectatores puros et castos facit. Hinc factum, ut postquam Deus homo factus est, et B. Virgo mater, multa agmina tam virorum, quam mulierum virginitatem colere coeperunt, quorum longam seriem habes apud Patrum Antonium Spinellum in tractatu speciali ad hoc ab ipso facto, et ad finem sui Marialis apposito.

3 Ad amorem B. Virginis quae nos invitent.

Porro ad amorem Virginis multa nos movent et excitant, immo impellunt. 1. Quod ipsa est Mater Domini nostri Iesu Christi, a quo, per quem omnia bona accepimus: quare si Christum, ut par est, summe diligimus, post ipsum eius sacrosanctam Genitricem amore complecti debemus. 2. Quia per eam multa beneficia accepimus, per eam Dei misericordiam invenimus, per eam Christus Redemptor noster a daemonis tyrannide nos eripuit, Patri reconciliavit, suum corpus sanctissimum quod ex ea accepit, nobis in Eucharistiae sacramento in cibum dedit. 3. Quia ipsa est mater nostra, domina nostra, advocata nostra, quae ad salutem nostram multis modis cooperata est, ut superius multis probavimus. 4. Quia ipsa amat nos, in via Domini dirigit, in afflictionibus solatur, a perditione tuetur. Quot enim per Virginem a coeno vitiorum emerserunt? quot tepidi mox a Domino evomendi, non statim velut arbores infructuosae sunt succisi, ne terram frustra occuparent, sed per Virginem expectati, ut fructus facerent? quot e saeculi vanitatibus, et ambitionum fluctibus ad tutissimum sacrae Religionis portum Virginis auxilio pervenerunt? 5. Quia excellens obiectum amoris est. Si enim alios Dei servos propter eorum sanctitatem amore prosequimur, quanto magis Dei Genitricem, quae prae ceteris est optima, sanctissima, et praecipuis virtutibus dedita. Quare Ecclesia merito illi adaptat illud Cant. 1, 4: *In odorem unguentorum tuorum currimus*, hoc est, ad fragrantissimas tuas virtutes magno amoris impetu trahimur. *Adolescentulae dilexerunt te nimis*, hoc est, animae devotae.

Beneficia Mariae in genus humanum.

4 S. Gerardus quantum dilexerit B. Virginem.

Sic eam dilexit s. Gerardus in Pannonia, episcopus canadiensis, et martyr, qui tam devotus erat erga Deiparam Virginem, ut si quis per nomen Matris Christi ab ipso veniam peteret, mox audito nomine Matris misericordiae lacrymis perfundebatur, et ex animo veniam concedebat. Filium quoque suum illum fore dicebat, quisquis B. Virginem sincere crederet Dei Genitricem. Surius in eius vita die 24 septembris.

Alexandri de Hales amor erga B. Mariam.

Non absimili amore eam prosequebatur Alexander de Hales, qui ex singulari devotione erga B. Virginem voverat nihil se negaturum eius amore, quicquid quispiam ab eo postulasset. Unde Virginis amore rogatus ut Ordinem minorum intraret, id praestitit, et Ordinem illum mirum in modum sua doctrina illustravit. S. Antoninus 3 p. historiae, tit. 24, c. 8, par. 1.

5 Congratulari B. Virgini quid sit.

II. *In congratulatione.* Ad congratulationem spectat de ipsius gratia, et bonis gaudere: Deum quod eam in matrem elegerit, quod tam eximiis gratiis, et donis ornaverit, quod ad tantam gloriam sublimaverit, laudare, benedicere, praedicare, idque serio, atque ex corde, quasi nosmetipsi illa a Deo consecuti fuissemus. Et hoc est insigne cultus et amoris argumentum, cum gaudemus de bono amici prospere se habentis, d. Bernardo teste, qui ait: *Si eam diligimus, gaudebimus utique, quia vadit ad filium, plene, inquam, congratulabimur ei*, nisi forte quod absit, inventrici gratiae omnibus modis inveniamur ingrati. Et d. Thomas 2 2, q. 28, art. 1 ait: *Hoc maxime pertinet ad amorem benevolentiae, cum aliquis gaudet de amico prospere se habente.*

6 Congratulatio quam grata sit B. Virgini.

Hoc obsequium congratulationis tam gratum est Virgini, ut ipsamet ad illud nos invitet verbis Ecclesiae: *Congratulamini mihi, quia cum essem parvula, placui Altissimo, et de meis visceribus genui Deum, et hominem.* Quibus verbis nos non tantum ad sibi gratulandum invitat, sed etiam rationem gratulationis aperit: *Quia*, inquit, *placui Altissimo*, etc. Si enim mulier illa evangelica propter drachmam perditam, convocatis amicis, illos ut sibi gratularentur, invitabat: quanto magis Deipara ob singularem ac prorsus inenarrabilem Matris Dei dignitatem, aliaque bona sibi collata ad gaudium sibi devotos convocare iure merito potest.

7

Unde Ecclesia tam militans quam triumphans hanc dignitatem et gloriam Mariae gratulatur, teste s. Iacobo apostolo in Liturgia sua, ubi Virginem compellans, ait: *Tibi, o plena gratiae, universa creatura gratulatur, angelorum coetus, et hominum genus.* Et s. Bonaventura in Litaniis: *Sancta Maria, cui sancti, et sanctae congaudent, et congratulantur.* Ecclesia militans in Missa assumptionis, et aliis festivitatibus eiusdem Virginis omnes ad iubilandum invitans, canit: *Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes sub honore Beatae Mariae Virginis, de cuius assumptione gaudent angeli*, etc. Et in antiphona festi assumptionis: *Hodie Maria Virgo coelos ascendit: gaudete, quia cum Christo regnat in aeternum.*

Ecclesia congratulatur Virgini in festo assumptionis eius.

8 Caroli s. Birgittae filii devotio erga B. Virginem.

Quanti autem faciat gloriosissima Virgo hunc congratulationis affectum, patuit in Carolo sanctae Birgittae filio. Is in vita sua unice diligebat Virginem Mariam, et de bonis ac privilegiis ei divinitus concessis tantum gratulabatur, ut frequentius in corde suo diceret: *In tantum gaudeo quod Deus Virginem Mariam matrem suam habet super omnia carissimam, quod nullam creaturam, vel corporalem delectationem mundi in permutationem illius gaudii acciperem. Et si possibile esset, quod ipsa in uno puncto a tanta dignitate removeretur a Deo, ego magis in permutationem huius in profundo inferni aeternaliter cruciari eligerem.* Et pro gloria Virginis, quia super omnes creaturas est exaltata, Deo gratias agens, aiebat: *Sit Deo pro benedicta gratia illa, et immensa gloria, quam dedit suae dignissimae matri, infinita gratiarum actio, et gloria sempiterna.*

Eius voces pietatis plenae.

Factum est ut moreretur, animae e corpore egredienti turba

Digitized by Google

daemonum festinanter occurrit, cupiens eam deglutire, et aeternaliter cruciare. At Beatissima Virgo mox adstitit, et ne anima illa aliquid mali a daemonibus pateretur, eam in suam curam, et defensionem suscepit. Christus igitur summus iudex Carolum vocavit, et benigne suscepit: daemon vero turpiter eiectus est. Hinc s. Birgitta ab ipsa Deipara per revelationem accepit, uti libro 7 revelationum, c. 13 legimus.

9 III. *In reverentia.* Ad reverentiam spectat eam extrinsecus revereri, ac venerari uti creaturam altissimam, nobilissimam, Deo propinquissimam, ipsiusque Genitricem, matrem nostram dulcissimam, purissimam, humanissimam. Hic reverentialis affectus multa postulat; quare fusior sermo de eo habendus est discursu peculiari, qui sequitur.

DISCURSUS CCXXII

REVERENTIALIS AFFECTUS ERGA DEIPARAM VIRGINEM QUIBUS POTISSIMUM ACTIBUS DECLARETUR

1 Reverentiam tam in verbis, quam in factis alicui exhibere solemus. Unde aliquam rem turpem nominaturi dicimus: salva reverentia, salvo honore, reverentia sit auribus vestris, honor sit audientium auribus. Factis vero, actu interno et externo reverentia alicui exhiberi potest.

2 Interior consistit praecipue in recognitione dignitatis, seu praeeminentiae alicuius in eo qui honoratur, et consequenter in timore quodam reverentiali erga illum. Exterior autem maxime monstratur in signis externis, et communibus honoris, qualia sunt caput aperire, corpus componere, assurgere, caput vel totum corpus inclinare, genua flectere, famulari, etc.

3 I. Ad eundem modum gloriosam Dei Genitricem honorare, seu venerari solent devoti cultores ipsius, quotiescumque Beatissimae Virgini supplicaturi sunt, et laudes eius recitaturi, id operis non perfunctorie, aut quasi aliud agendo, vel fallendi temporis gratia faciunt; sed cum ea qua par est, reverentia et attentione obsequia sua, et preces Reginae coeli, et terrae offerunt.

4 Nec temere, vel sine recollectione praevia ad illius obsequia accedunt, sed cum timore reverentiali ei vota, precesque suas reddunt. Cum tali recollectione eam veneratus est prae aliis mille sanctus Casimirus Iagellonides, regum Poloniae clara progenies, qui rithmum illum dulcissimum, quem in laudem Deiparae Mariae cecinit, sic exorsus est: *Omni die dic Mariae mea laudes anima.* Sic eam veneratur fidelis Ecclesiae chorus, cum illa verba frequentius usurpat: *Dignare me laudare te, Virgo sacrata.* Iustum quippe est nos pauperculos et abiectissimos homunciones coram Dei Matre, et augustissima Regina coeli, et terrae in throno gloriae considente, angelicis choris circumdata cum tali timore, et reverentia, tam humillime et submisse comparere.

5 II. Dignam divinae Matri reverentiam exhibebis, si salutationem angelicam cum eo amore, iubilo, congratulatione, similibusque affectibus ei offerre studeas, quibus illam primus coelestis paranymphus nomine SS. Triadis salutavit; et ad id operis ferventius divinum auxilium implores, ut ad id praestandum pro modulo tuo dignus inveniaris.

6 III. Congruam Deiparae Virgini reverentiam facies, si nomen proprium Mariae non temere usurpabis, sed honorificis titulis, epithetis, appellationibus illum circumscribere satages, in ipsamque gloriosam Dei Genitricem, uti creaturam nobilissimam, Deo propinquissimam, matrem nostram dulcissimam, piissimam, humanissimam diversa elogia, epitheta, encomia congerere curabis. Prisci patres, praesertim graeci, in elogiis divinae Matri tribuendis disertissimi fuerunt. Inter latinos divus Bernardus in Mariae laudes effusissimus plurimis titulis eam cohonestare studuit. Horum titulorum seu elogiorum nomenclaturam solerter et erudite sub unum aspectum in romani alphabeti ordinem nuper digessit post Ioannem a Carthagena Hieremias Drexelius, venusti eloquii, et magni spiritus scriptor e Societate Iesu, in suo libello *Rosae selectissimarum virtutum Dei Matri dicatae* intitulato, p. 1, c. 15. Ubi adnotavit, omnia augustissimae Matris encomia, quae prisca et erudita pietas in eam copiosissime congessit, in hoc unum convenire, quod sit et dicatur *Mater Dei.* Non enim amplius elevari potest, quam cum appellatur *Mater Dei.* Huc omnia laudum praeconia et ornamenta recidunt, huc tendunt, hic clauduntur. Ad haec venerab>eris Mariae nomen, si illud stylo, calamo, penicillo, nitide, decore, devote sculpes, scribes, pinges. Nullum namque post nomen *Iesus* aliud magis venustum, praeclarum et gratiosum nomen sub coelo reperitur, ac nomen *Maria*, ut in primo tomo abunde probavimus.

IV. Si hoc nomen peculiari cultu observabis, recitando quinque psalmos, vel hymnos, quorum capitales litterae conficiunt nomen Maria. Hi sunt: *Magnificat, Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, Retribue, In convertendo, Ad te levavi*, addita ad quemlibet psalmum antiphona easdem litteras in capite habente cum salutatione angelica. Sic eam coluit b. Iordanus Ordinis nostri, post sanctum Dominicum primus Generalis; quos saepius recitans in vita Ioscius s. Bertini religiosus, meruit, ut post mortem ex ipsius defuncti capite prodirent quinque rosae pulcherrimae, ex ore una, ex oculis binae, ex auribus binae literis aureis exaratum habentes nomen *Maria* (1). 7

Eadem reverentia erga Dei Matrem exigit, ut, audito nomine Mariae, caput vel totum corpus reverenter inclines, vel genua curves. Sic eam coluit s. Gerardus csanadiensis in Hungaria episcopus et martyr, cumque cultum suos Hungaros edocuit, ut in familiaribus colloquiis Mariam Dominam appellarent, et quod si nomen Mariae aut ipsi protulissent, aut ab aliis prolatum audissent, statim flexis genibus et demissis capitibus sese inclinarent. Surius in eius vita die 24 septembris. 8

Ecclesia in rubricis missalis romani praescribit, quoties nomen B. Mariae pronuntiatur in missa, toties caput inclinari debere. Ordo praedicatorum in constitutionibus, dist. 1 suos iubet inclinare usque ad genua, quotiescumque nomen B. Mariae tam in missa, quam in horis pronuntiatur. Hoc signo reverentiae protestamur nostram subiectionem. Tanta quippe dignitas, et eminentia Mariae fuit, ut etiam ipse Dei Filius ei subditus esse voluerit, ut sanctus evangelista narrat: *Et erat subditus illis*, Lucae 2. 9

V. Si Beatissimae Virginis imaginem in oratorio suo, vel in alio loco nitido, ornato, maxime conspicuo gratia devotionis tibi deponas, et quoties eam conspicaris, aliquod honoris signum, vel caput aperiendo, vel poplitem flectendo, vel aliquod aliud exhibeas. Sic Ordo praedicatorum in singulis gradibus conventuum ac domorum suarum imaginem B. Virginis Mariae in loco decenti, conspicuo collocat, eamque omnibus praetereuntibus adorandam proponit. Insuper in dormitoriis ubique altare cum imagine eiusdem B. Virginis erectum habet, coram quo officium parvum nocturnum de B. Virgine, quando pro tempore est dicendum, semper recitat. Constitutiones praedicatorum d. 1, c. 1. 10

Ordinis praedicatorum erga imagines B. Virginis devotio.

VI. Si imagines B. Virginis pie visites, coram eisdem cum aliquo pietatis sensu genua flectas, semper in animo retinens illud salubre monitum cuiusdam poetae, quod ad imagines eiusdem B. Virginis appendi solet: 11

Virginis intactae dum praeteris ante figuram,
Praetereundo cave, ne sileatur Ave.

Sic eam venerabatur s. Bernardinus senensis, qui adhuc adolescens ad portam civitatis senensis, quae Camullia dicitur, solebat accedere, ibique coram imagine B. Virginis genua flectere, et Dei Matrem, uti amicam, et sponsam suam reverenter ac suppliciter salutare. Surius in eius vita.

S. Bernardini devotio erga B. Virginem.

Sic b. Margarita hungara, Ordinis nostri, quae inter alia virtutum exercitia, quibus ad tam sublime sanctitatis fastigium ascendit, sacratissimam quoque Virginem praecipuo affectu dilexit, et coluit. Quapropter quocumque in loco imaginem eius conspexit, genibus reverenter flexis, angelica salutatione eam salutabat. Gacarinus in eius vita.

(1) Pius papa VII omnibus recitantibus praedictos quinque psalmos concessit sequentes indulgentias applicabiles etiam animabus in Purgatorio existentibus. 1. Indulgentiam septem annorum et septem quadrag. semper ac recitentur. 2. Semel in mense indulgentiam plenariam recitantibus eos quotidie, dummodo confessi et sacra Eucharistia refecti orent secundum mentem summi pontificis. 3. Recitantibus eos frequenter indulg. plen. in festo nominis Mariae dominica infra oct. nativ. eiusdem, dummodo confessi etc. orent ut supra. Decr. S. C. indulg. die 13 Iunii 1815.

Idem pontifex concessit similes indulgentias recitantibus hos quinque psalmos, quorum litterae capitales conficiunt nomen *Iesus*. Psal. 99 *Iubilate*, ps. 19 *Exaudiat*, ps. 11 *Salvum me fac*, ps. 12 *Usquequo*, ps. 128 *Saepe*. Et item pro quinque psalmis in honorem nominis s. Ioseph. Psal. 99 *Iubilate*, ps. 66 *Omnes gentes*, ps. 128 *Saepe expugnaverunt*, ps. 80 *Exultate*, et ps. 86 *Fundamenta*. *Editor.*

12
Medallam imagine B. Virginis insignita gestare quam sit salutare.

VII. Si medalliam imagine B. Virginis insignitam a collo pendentem, sive ad rosarium vel coronam illigatam gestes, et reverenter tractes. Profuit haec devotio nobili cuidam Eborensi qui duo numismata B. M. Virginis in thorace incluserat. Is mente captus diu deliberabat. Quadam vice solum ad breve tempus thoracem duo numismata insuta habentem induit, et aliud collo oppendit. Tum, instigante daemone, praecipitem se e fenestra in durissimos lapides dedit, sed illaesus mansit. Mirante id ipso daemone, qui humana specie assumpta, hominem mentis inopem ad puteum perduxit ignarus eorum numismatum, quae volente Deo, nobilis in thorace condiderat, suadet ut illud quod e collo pendebat ad os putei deponat, tum se in illum immittat; paret infelis, ad imum demergitur. Verum B. Virgo mox adfuit, illumque miserum opem suam implorantem solata est, effecitque, ut medalia pro cucurbitis illis essent, nec ultra eas mergeretur, donec tandem extractus, sanus mente et corpore effectus est. Franciscus de la Croix hortuli mariani areola 1, c. 4.

13
S. Mariae Oegniacensis devotio erga B. Virginem.

VIII. Si aedes sacras, sacella, altaria B. Virgini dicata frequentius cum devotione visites. Hoc modo eam coluit s. Maria Oegniacensis, quae quotannis ad aedem Deiparae duobus milliaribus a domo dissitam, unica ancilla comite, nudis pedibus, aspera, et rigenti hyeme revisit, impransa, et incoenata biduo illo duravit, noctem totam in Virginis templo precando insumpsit. Ioannes Nauclerus gener. 34.

14
S. Catharinae senensis devotio erga B. Virginem.

IX. Si saepius eam angelica salutatione reverenter salutes. Hoc modo multi sanctorum B. Virginem coluerunt. In primis s. Catharina senensis, quae quinque annos nata salutationem angelicam edocta illam crebro repetebat, et coelitus permota per gradus tum ascendendo, tum descendendo, ad singulos, flexis geniculis, Virgini matri salutationes promebat. Raymundus Capuanus in eius vita.

15
Salutationem angelicam crebro recitantium exempla.

S. Maria Oegniacensis unius diei noctisque spatio millies, et centies in genua procubuit B. Virginem salutatura, et in hoc salutandi officio subinde quadraginta diebus eum ardore immenso perseveravit. Ita Nauclerus uti supra.

16
Francisci Retzani dominicani devotio erga B. Virginem.

Franciscus Retzanus Ordinis nostri profundus theologus, in academia viennensi triginta sex annorum theologiae professor, a teneris unguiculis B. Virginis cultor tam eximius, tamque fervidus fuit, ut quotiescumque Dei Matrem vel nominari solum audivit, vel eam ipse nominavit, mox salutatione proxima salutationem angeli subiunxisse pronuntiavit. Idem fecit quotiescumque ante eius imaginem, et quocumque loco transiret. Ea de causa non tantum in musaeo suo, sed et alibi imaginem Deiparae Virginis voluit esse frequentissimam. Ita de eo narrat Ioannes Nider libro 4 formic.

17
Martini Navarri devotio erga B. Virginem.

Martinus Navarrus vir doctissimus, in utroque iure peritus, sexaginta amplius annis rosarii quotidie recitandi se consuetudinem habuisse narrat in miscellanea 24.

18
B. Alani devotio erga B. Virginem.

B. Alanus de Rupe dominicanus, Deiparae Virgini usque ad stuporem addictus, semper in ore salutationem angelicam ambulando, loquendo, praedicando habebat. Quandocumque aliquid pronuntiare, aut dictare voluit, priusquam inciperet, flexis genibus salutationis angelicae suffragio divinum auxilium, et Deiparae Virginis patrocinium implorabat. Ita Insolanus lib. de rosario.

19
S. Caroli Borromaei devotio erga B. Virginem.

X. Si cultum hyperduliae genua flectendo, terram exosculando, orationes, salutationes, et alias precum formulas, puta rosarium, coronam, officium, de quibus inferius dicemus, in ipsius honorem recites. Ita B. Virginem venerabatur inter alios sanctus Carolus Borromaeus Pii IV summi pontificis nepos, romanus purpuratus senator, vir ad omnem virtutem natus, qui praeter quotidianas prolixas sacerdotum preces officium et coronam B. Virginis quotidie, idque flexis genibus, recitabat. Quandocumque campanae sonum ad angelicam salutationem audiret, quocumque loco esset, in via etiam fracta, et coenosa, mox in genua ruebat, ab equo etiam desiliebat, et humi poplites figebat, salutans coelestem Virginem. Ex eius vita. En tantus praesul, cardinalis archiepiscopus, tanta mole negotiorum pressus, nihilominus velut otii abundans diebus singulis, flexo poplite, suas Matri Virgini laudes liberalissime persolvit. Quid nos homunciones, quid simile agimus? *Laudamus veteres, et nostris utimur annis.*

20
Ieiunantes in honorem B. Virginis.
S. Nicolaus.

XI. Si ad illius honorem et reverentiam Deo ieiunia, aliasque corporis afflictiones offeras. Sic eam coluerunt s. Nicolaus myrensis episcopus, qui quamvis in hebdomada diebus Lunae, Mercurii, Veneris non coenaret, nihilominus tamen B. Virginis honorandae causa omni sabbato praeter panem, et aquam, in obsonium nihil admittebat. Ita habet eius vita. S. Hyacinthus Odrovazius, Poloniae decus, et Ordinis praedicatorum splendor, omnes VI ferias, vigilias etiam B. Virginis et apostolorum solo pane et aqua contentus ieiunabat. Idem fecit iam a puero s. Bernardinus senensis. Idem s. Didacus complutensis, qui pariter omne sabbatum ad vigilias B. Virginis aqua et modico pane traducebat. Nithardus bambergensis antistes quovis sabbato ad vesperam a negotiis vacuus esse voluit, ut Virginem Matrem impensioribus studiis veneraretur. S. Aloysius Gonzaga Soc. Iesu, castissimus iuvenis, sabbato coenare nefas sibi duxit ob amorem eiusdem B. Virginis.

S. Hyacinthus Ordinis praedicatorum.
S. Bernardinus
S. Didacus
Nithardus.
S. Aloysius Soc. Iesu.

21

XII. Si festa Deiparae dicata devotius celebres, in iisdem non tantum ad processionem, aliaque divina officia, sed etiam ad confessionem, et sacram synaxim accedas; preces consuetas augeas, vel saltem maiori eas ardore animi persolvas: et per eorum octavas aliquid in honorem Deiparae exhibeas. Sic eam coluit beata Margarita hungara s. patris nostri Dominici soror, quae in vigiliis festivitatum Deiparae sola pane, et aqua contenta ieiunabat. In festivitatibus eius, et infra octavas earumdem festivitatum millenas salutationes angelicas ei offerebat, ad quarum singulas humi se prosternebat. Gacarlnus in eius vita.

B. Margaritae dominicanae devotio erga B. Virginem.

22

XIII. Si cultum Virginis ubique gentium, sed maxime inter haereticos, iconoclastas, lutheranos, calvinistas et similes, fortiter, et solide, concionibus, lectionibus, publicis disputationibus, privatis colloquiis, scriptis, exemplis suscites, promoveas, conserves, augeas.

23
B. Vincentii dominicani devotio erga B. Virginem.

Hoc modo eam venerantur qui nedum in privatis congressibus, sed et in concionibus publicis laudes Virginis depraedicant; haereticorum blasphemias tum verbo, tum scripto retundunt; catholicos ad ferventiorem eius cultum exstimulant.

Hoc modo eam coluit b. Vincentius s. patris nostri Dominici socius, qui conciones omnes suas pro suo in Virginem affectu clausit de ea miraculi recitatione concludebat. Quae devotio facta est ei admodum salutaris. Cum enim morti proximus esset, Sanctissimae Virginis conspectu et auxilio confirmatus est, et incredibili laetitia perfusus, magno animi iubilo, et laudes Virginis, et suum ipse sibi nequidquam frementibus tartareis legionibus epicinium concinens migravit ad Christum. Spec. exempl. q. 7, exempl. 57.

24
Francisci Retzani devotio erga B. Virginem lectoribus theologiae singulare exemplum.

Pari modo reveritus est eam Franciscus Retzanus, dominicanae familiae insignis theologus. Hic triginta sex annorum spatio Viennae in Austria theologiam praelegens, singulis sabbati diebus dimidiam praelectionis partem decore, et cum gratia in laudem Divae huius Virginis deflexit, et frequenter eo sensu, ut uberes lacrymae verba docentis interciperent. Tria bene magna volumina in laudem coelestis Virginis conscripsit.

In precibus, quas magno numero quotidie huic sanctissimae Matri adnumerabat, ingenti affectu animum omnem in hanc coeli Reginam intendebat. Si quando e cubiculo in bibliothecam, aut triclinium, aut templum iret, aut domo ad scholas prodiret, ne tantilli temporis iacturam faceret, Deiparentem angeli verbis assidue salutabat. In hoc Dominae nostrae famulatu aetatem ad annum octogesimum quartum provexit, in cuius assumptionis in coelum die febri correptus scribendi finem fecit: et appropinquante eiusdem Virginis natali die, sacramentis Ecclesiae munitus, more suo salutationem angeli recitans, illudque suum: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus*, etc. crebro pronuntians, usque dum labia non amplius contrahere, aut deducere valeret, extremum vitae spiritum in ipso Matris desideratissimae afflato edidit. Ioannes Nider lib. 4 formic. c. 7.

25
S. Francisci Xaverii devotio erga B. Virginem.
Doctrinae christianae modus a s. Francisco Xaverio servatus.

Non absimili pietatis exercitio s. Franciscus Xaverius Deiparenti reverentiam exhibebat. In tradenda doctrina christiana quam rudi illi populo in Iaponia nuntiabat, hunc ordinem servavit. Decantato primo praecepto, primum Christi opem invocabat recitata oratione dominica, deinde cum reliquis canebat: *Sancta Maria Mater Christi, impetra nobis a Filio Dei, ut primum eius praeceptum servemus sedulo*, inde salutationem angelicam adiiciebat. Eundem modum in tradendis aliis novem praeceptis servabat. Institutionis vero qua doctrinam christianam eidem populo tradebat, clausula erat, *Salve Regina*, qua B. Virginis opem, et auxilium omnes implorabant, quod ex epistola eius quarta, libro 1 cognosces.

26

Similem reverentiam ei exhibent scriptores, qui in laudem eius libros condunt, ab haereticorum blasphemiis eius honorem et dignitatem tuentur. Similiter concionatores qui devotionem

Digitized by Google

rosarii in populo promovent, eumque ad Virginis cultum, et honorem, ad sacramentorum frequentationem, ad vitae puritatem piis exhortationibus inducunt.

27 Huiusmodi cultoribus Virginis merito adnumerati sunt, qui laudes eius modulantur, et canticis, rithmisque a se compositis aliisque lucubrationibus eam celebrant. Hoc in genere pientissimi fuerunt d. Gregorius magnus, b. Albertus magnus qui hymnos, rithmos elegantes, sequentias de B. M. Virgine composuerunt. Eorum sectator dignissimus extitit s. Casimirus princeps,

S. Casimiri devotio erga B. Virginem.

Casimiri Iagellonii Poloniae regis filius, qui Deiparenti, benignissimaeque hominum patronae maxime addictus erat, eamque a se metris singulari artificio elaboratis, et pulcro schemate pene omnis incarnationis dominicae mysteria claudentibus, quotidie in terram flexis genibus pio affectu salutabat. Versus ab s. principe compositos, et crebro recitatos, inferius conscriptos habebis, dum de formulis precum de B. Virgine agemus.

28 XIV. Si frequenter de Virgine loquaris; ex abundantia enim cordis os loquitur. Unde cuius animam Deiparae amor possidet, eiusdem etiam linguam sibi vindicat. Ita devotionem suam erga Deiparam declararunt par nobilissimorum, ac piissimorum iuvenum Societatis Iesu.

B. Stanislai Kostka devotio erga B. Virginem.

Primus b. Stanislaus Kostka polonus, qui frequentissime de B. M. Virgine loquebatur, nova ei semper, ac magnificentissima nomina, honorificentissimos titulos, quibus eam appellaret, excogitabat. Lege eius vitam.

B. Aloysii Gonzaga devotio erga B. Virginem.

Alter b. Aloysius Gonzaga, qui adhuc puerulus tantam erga Deiparam Virginem devotionem concepit, ut quoties nomen eius audiret, toties spirituali quodam devotionis sensu commoveri, et liquescere videbatur. Ex eius vita. Nec mirum; verissime namque d. Bernardus ait: *O magna, o pia, o laudabilis Maria, tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te: tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita piae memoriae portas ingrederis.*

29 XV. Si nomen tuum in album confratrum rosarii, vel alterius confraternitatis in honorem Deiparae erectae referas, rosaria, vel coronas frequentius recites, et confraternitatis praescripta diligentius serves. Fructus, et utilitates ex inscriptione in confraternitates, praecipue rosarii, inferius narrabo, cum de confraternitatibus agam.

30 XVI. Si amicos Virginis, puta sanctum Ioseph sponsum eius, sanctos Ioachim et Annam optimos eius parentes, et alios sanctos qui eam praecipua devotione coluerunt, ames, observes et peculiari devotione colas. Sic eam sancta Teresia virgo venerata est, quae peculiari devotione s. Ioseph coluit. Sic Iacobus Sprengerus Ordinis praedicatorum, prior coloniensis, et postmodum archiepiscopus salspurgensis, qui in honorem sanctae Annae specialem confraternitatem instituit. Sic multi auctores, qui Deiparam scriptis suis celebrando, etiam in laudem praefatorum amicorum suorum multa dixerunt, et exararunt.

31 XVII. Si nihil neges, quod licite, prudenter a te petitur in honorem Virginis. Ita fecit Alexander halensis, qui amore Virginis rogatus, ut Ordinem minorum intraret, intravit, ut paulo ante meminimus ex s. Antonino. Et ille vir nobilis, qui a s. Bernardo ob amorem Virginis rogatus, ut a vitio lasciviae abstineret, abstinuit, et consuetudinem pravam sensim eradicavit. Ex vita s. Bernardi, et prato spirituali, parte 7.

32

Religiosus quilibet specialiter est B. Virgini desponsatus. B. Robertus Deiparae desponsatur.

XVIII. Si te per ingressum Religionis B. Virgini devoveas. Cum enim quilibet religiosus Ordo sit sub tutela, patrocinioque B. Virginis, manifestum est, quod quicumque religiosum statum complectitur, eo ipso sese B. Virgini peculiariter devovet, et annulo votorum, praesertim castitatis, ipsi desponsatur. Quod patuit in b. Roberto cisterciensis Ordinis fundatore, cuius matri B. Virgo apparens, annulum aureum in manu gestans, sic eam affata est: *Engardis*, hoc ei nomen erat, *filium quem geris, hoc annulo mihi desponsari volo.* Et veritatem exitus comprobavit; nam Robertus Religionem quae desponsationis nomine a Deipara praedicebatur, ingressus, in ea votum castitatis, quod per annulum aureum designabatur, emisit. Platus de bono status religiosi lib. 1, c. 34.

33 XIX. Si te, tuaque omnia B. Virgini in perpetuum devoveas, eamque in dominam, advocatam, et matrem peculiari ratione eligas, firmiterque in animo tuo statuas, te semper illi obtemperaturum, ac fideliter famulaturum, atque ut ab aliis ei serviatur pro viribus curaturum. Cuius exercitii praxim inter alios optime tradit Franciscus de la Croix in libello a se edito, cui titulus est: Hortulus marianus, areola 3, c. 2.

S. Teresiae devotio erga B. Virginem.

Hoc inter alios abunde praestitit s. Teresia carmelitarum religiosissima reformatrix. Constituta cuiusdam monasterii priorissa, prima omnino in ipso obeundi muneris ingressu, se et coenobium totum B. Virgini devovit, in eumque finem imaginem eius in cathedra priorali collocavit, eique monasterii claves una cum regimine, velut superiori, cuius ipsa esset vicaria, obtulit. Quod sibi gratum fuisse Deipara deinde ostendit; nam in vigilia s. Sebastiani visibili specie in locum imaginis suae se substituit, ac domus illius gubernacula se suscipere declaravit. Ex eius vita, lib. 3, c. 1.

34

Caesarii narratio pulcra de moniali quadam.

Affine est quod Caesarius de moniali quadam ostiaria, B. Virgini prima devota, postea ex monasterio fugiente, cuius officium Deipara in persona illius quindecim annis peregit, scribit. Narro rem ipsissimis Caesarii verbis: In monasterio quodam sanctimonialium erat corpore speciosa, mente devota, et in obsequio Dei Genitricis ferventissima virgo, nomine Beatrix. Hanc iuvenis quidam videns, et concupiscens provocare coepit. Illa verba luxuriae spernente, isto importunius instante, serpens antiquus tam vehementer pectus eius succendit, ut flammam amoris ferre non posset. Accedens vero ad altare B. Virginis patronae oratorii, ait: Domina, quanto devotius potui, servivi tibi. Ecce claves tuas tibi resigno, tentationes carnis sustinere diutius non valeo, positisque super altare clavibus, clam secuta est iuvenem, quam cum miser ille corrupisset, post dies paucos abiecit. Illa cum non haberet, unde viveret, et ad claustrum redire erubesceret, facta est meretrix. In quo vitio cum publice quindecim annos transegisset, die quadam in habitu saeculari ad portam venit monasterii, quae cum dixisset portario: Nosti Beatricem quondam huius oratorii custodem? respondit: Optime novi; est enim proba, et sancta domina, et sine querela ab infantia usque ad hanc diem in monasterio conversata. Illa verba hominis notans, sed non intelligens, dum abire vellet, Mater misericordiae in effigie ei nota apparens ait: Ego per quindecim annos absentiae tuae officium tuum supplevi. Revertere ex tunc in locum tuum, et poenitentiam age, quia nullus hominum novit excessum tuum. In forma siquidem eius, et habitu Dei Genitrix vices egerat custodiae. Quae mox ingressa, quamdiu vixit, gratias egit per confessionem circa se gesta manifestans. Haec Caesarius lib. 7 exemplorum, c. 31.

Beatrici moniali favor exhibitus a B. Virgine.

XX. Si in cultu, devotione, ac reverentia erga B. Virginem persistas. Cultus enim Deiparae non momentaneus, non perfunctorius, sed permanens, constans, ac perseverans esse debet: ut nimirum in eius cultu maneamus non velut hospites et peregrini in diversorio, sed velut cives in civitate. Hoc est quod regius vates psalm. 86, 7 aiebat: *Sicut laetantium omnium habitatio est in te.* Habitatio, inquit, qualis est civium, non transitoria, et diaria commoratio, qualis est peregrinorum. Nam qui quasi in transitu eam salutent, invocant, imitentur et colunt, non cives, sed hospites et peregrinos in eius obsequio se exhibent. Quod quam graviter ferat Beatissima Virgo inferius exemplis declarabo. Nunc ad quartum venerationis actum, puta invocationem venio. 35

DISCURSUS CCXXIII

QUATENUS SIT INVOCANDA DEIPARA VIRGO MARIA

Licet solum Deum in quem credimus, quem auctorem, et fontem omnis boni agnoscimus, quem infinita misericordia praeditum novimus, quem auctoritate propria dona gratiae, et gloriae largiri non ambigimus, invocemus; nihilominus intercessionem sanctorum, specialiter autem B. V. Mariae plurimi facimus. Hoc enim ratio, hoc auctoritas sacrae paginae, hoc priscorum patrum volumina, hoc omnis antiquitatis consensus docet, ut theologi qui contra haereses libros condiderunt, fusius demonstrant. 1

Invocatio sanctorum laudatur.

In domo bene ordinata solus paterfamilias regit, et de bonis domus disponit: at si filius aliqua re egeat, gratum habet, si mater pro illo postulet. Si etiam a filio irritatus, et offensus fuerat, et cum illo in gratiam redire, atque omnem offensam condonare velit, libenter videt, cum mater se mediatricem interponit. Ad eundem modum Deus, uti clementissimus pater, in oeconomia tam terrestri, quam coelesti solus omnia regit, disponit, solus ea quae ad salutem nostram spectant, nobis impertit, solus peccata remittit. Attamen valde gratum habet, cum Mater eius pro nobis postulat, cum inter nos et ipsum se mediatricem interponit. 2

*

Digitized by Google

3 In Ægypto, cum famee totam illem terram, et vicina regna accupasset, solus Pharao rex erat, solus frumenta uti dominus illius terrae possidebat. Attamen ut Iosephum honoraret, omnem auctoritatem ei contulit, et per eum omnibus ad se venientibus, et alimenta petentibus providit. *Ite*, inquit, *ad Ioseph, et quicquid ipse vobis dixerit, facite*, Genes. 41, 55. Eodem modo

Per Mariam omnia bona nobis a Deo dantur et cur.

Deus, licet ipse solus sit coeli terraeque Dominus, solus regat, et gubernet omnia; attamen per sacratissimam Virginem Matrem suam omnia bona tum corporis, tum animae, tum gratiae, tum gloriae nobis confert. Audiatur mellifluus doctor Bernardus in ser. de B. Virgine: *Altius*, inquit, *intuemini, fratres, quanto devotionis affecta a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria; ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare.* Hoc autem facit, ut magis ac magis dignitatem eius declaret, nobis commendet, ad honorem eius nos excitet, devotionem erga illam in cordibus nostris ingeneret.

4 Stimuli ad invocationem B. Virginis.

Porro ad tantam devotionem et fiduciam erga B. Virginem, ut nimirum in cunctis necessitatibus nostris ad eam confugiamus, eam invocemus, et audacter ab ea quidquid velnerimus, petamus, multa nos excitant. Primo, si cogitemus ipsam esse Matrem Dei, Reginam coeli, Dominam mundi, adeo potentissimam ad nos iuvandum. Ita cogitabat s. Germanus patriarcha constantinopolitanus in orat. de oblat. Deiparae, ita loquens: *Certe Domina Deiparens, certe meum refugium, vita et defensio, arma et gloriatio, spes et robur meum, concede mihi, ut et ego fruar inenarrabilibus, et quae comprehendi non possunt, tuis bonis in coelesti perseverantia. Habes enim, sat scio, cum tua voluntate concurrentem potentiam, ut quae sis Mater Altissimi, et propterea audeo. Ne ergo priver mea expectatione, o Domina intemerata, quae universorum expectationem supra rationem peperisti Dominum nostrum Iesum Christum.* Secundo, si cogitemus eam advocatam nostram, mediatricem nostram, spem desperantium, adiutricem peccatorum, mundi solatium, quae nedum scit, et potest, sed etiam vult iuvare nos. Id cogitabat angelicus doctor opusc. 8, cum dicebat: *Magnum est in quolibet sancto, quando habet tantam de gratia, quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum. Et hoc est in Christo, et B. Virgine; nam in omni periculo potes obtinere salutem ab ipsa Virgine gloriosa. Unde Cant. 4 dicitur:* Mille clypei, *id est remedia contra pericula*, pendent ex ea. *Item in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium. Et ideo ipsa dicit:* In me omnis spes vitae et virtutis, Eccli. 24. Tertio, si meminerimus eam adumbrari per arcam Noe, civitatem refugii, propitiatorium, templum Domini, in quibus orationes exaudiri, et immunitas reis concedi solebat. Quare s. Bernardus hom. 2 super *Missus est* aiebat: *Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si iactaris superbiae undis, si ambitionis, si detractionis, respice stellam, voca Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde.*

5 Ergo demus operam, ut Matrem tam benignam assidue invocemus, eius auxilium in cunctis necessitatibus imploremus. Nullius preces illa aspernatur, in omnes beneficiorum dives est. Quo maior invocantis miseria, hoc maior est dantis misericordia. Pulcre s. Bernardus super *Missus est: Ipsam sequens non devias; ipsam rogans non desperas; ipsam cogitans non erras; ipsam tenens non corruis; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; ipsa propitia, pervenis.* Haec ille.

6 Modum autem seu formulam Virginis invocandae, et se suaque omnia illi commendandi optimum tradit Petrus Antonius Spinellus in suo Mariali, cui titulum dedit: *Thronus Deiparae*, c. 36, num. 3, et c. 37, et seq. et postea in tractatu speciali hac de re edito. Nos hunc, eumque brevissimum tradimus.

Praxis invocandi B. Virginem.

1. Te tuaque omnia Deiparae in perpetuum devoveas: pia desideria cordis illi offeras: eam in dominam, advocatam, et matrem peculiari ratione eligas, uti fecerunt, quos disc. superiore retulimus.

2. Opem illius in omnibus tuis adversitatibus, necessitatibus, periculis piis precibus implores. In rebus dubiis totum te illi committas, uti fecerunt quos loco superius citato commemoravimus.

Pro salutantibus B. Virginem singulis horis indulgentia 1000 dierum.

3. Eam frequenter salutes. Ad pulsum salutationis angelicae, quae ter in die dari solet, et ad sonum horologii salutationem angelicam ei pangas, uti faciunt multi salutis suae amantiores, qui singulis horis, ad cuiusque horae principium angelicam salutationem B. Virgini promunt. Mos sane utilissimus, etiam summorum pontificum sacra liberalitate stabilitus. Leo X christianis omnibus mille dierum indulgentias impertivit, qui, horae signo audito, illam angeli salutationem pronuntiant. Idem Paulus V pont. max. anno Domini 1611 confirmavit.

4. Cum domum ingrederis, vel egrederis, per salutationem angelicam te tuaque negotia omnia B. Virgini commendes. Persolutis horis canonicis, vel sacrosancto missae sacrificio, et factis debitis gratiis, rediens ad cellam, ad imaginem B. Virginis, quae uti custos ad fores cellae tuae affixa esse debet, paulisper subsiste, aut ei festinato intrandum est, dum clavi ostium reseras, Dei Matrem reverenter saluta. Cellam ingressus, in oratorio in genua procumbe, Dei Genitricem devoto corde et animo ora, ut te in filium adoptet, et singulos actus tuos disponat secundum suam, suique Filii voluntatem. Hanc praxim colendi B. Virginem ante me tradebat devotus Lanspergius carthusianus. Sed longe antea id docebat B. Hieronymus epist. 2 ad Eustochium virginem. *Egredientes*, ait, *de hospitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat, nec prius corpusculum quiescat, quam anima pascatur.*

Porro quam grata sit eiusmodi devotio Virgini Deiparae multa 7
exempla ostendunt, quae disc. proxime praecedenti adduximus.

Genua flectere saepe B. Virginem quam sit Virgini gratum.

Hic unum proponere libet. Monachus quidam famulatui B. Virginis addictissimus frequentissime ante Deiparam genua in terram figere solebat, et maxime cum sacrum Mariae nomen proferri audiebat, vel ipse proferebat. Cum autem prae nimia aetate iam tanta corporis debilitate laborasset, ut propriis viribus e loco se movere non posset, stimulante eum solita devotione, surgere, et in genua procumbere nititur. Nihil proficiens ad B. Virginem se convertit, eamque his verbis compellat: *Adiuva, Domina, famulum tuum.* Mira res! Mox adfuit Virgo Deipara, magna sanctarum virginum caterva stipata, quarum una e dextris, altera e sinistris eum tenentes sublevarunt, et B. Virgo vigorem pristinum ei restituit, quo beneficio accepto, toto vitae suae tempore Deiparam Virginem flexis genibus adorabat. Ex speculo exemplorum.

Ad invocationem spectat eius dolores frequentius recolere, ab eaque petere, ut aliquid illius doloris impertiat, quem ex Filii passione hausit. Hoc ab ea petiit d. Bernardus tract. de lament. Virg. *Mihi, obsecro, lacrymas illas infunde, quas ipsa habuisti in Filii tui passione.* Praeparationis etiam atque ardoris animi scintillam, qua sacram Eucharistiam post Filii in coelum ascensionem sumebat: gaudia quoque quibus effecta est, dum in terris viveret, et quibus modo in gloria coelesti fruitur, devote meditari.

Verum invocatio, et veneratio Virginis non qualis qualis esse 8
debet, sed constans, ut in fine discursus proxime praecedentis monui, deinde fervens, attenta, ex puro, castoque pectore procedens. Constans in primis debet esse invocatio Virginis; eos enim qui perfunctorie, et quasi in transitu eam salutant, et invocant, ipsa Virgo aversatur. Unde nonnullos sanctos quamvis sibi optime addictos, hac de re ipsa Deipara monuit, et graviter obiurgavit.

Invocatio B. Virginis qualis esse debeat.

Primus est Hermanus ille praemonstratensis, qui tanta in Vir- 9
ginem pietate flagravit, ut ab ea in sponsum assumi, et Iosephi nomine donari meruerit. Cum hic in B. Virginis officio persolvendo, hymnisque et horariis precibus recitandis negotiis, curisque distractus, negligentior evasisset, occurrit ei quadam die B. Virgo, non formosa, ut solebat, sed senili figura, et fronte rugis deformata. *Ecce*, inquit, *talis appareo, qualis tibi iam sum. Tempora illa requiro, in quibus millies me memorabas, salutabas, laudabas. Non te pudet in hac re esse remissum, mei memoria senescente?* Correctus, emendatusque Hermanus primum ardorem renovavit. Surius in eius vita.

B. Hermanus ob remissum Virginis cultum ab eadem obiurgatur.

Alter est Thomas de Kempis scriptis spiritualibus apud devo- 10
tos clarissimus. Cui iuvenili adhuc aetate Daventriae scholas frequentanti apparuit in classe B. Virgo, eique ob intermissas consuetas preces amplexum indignabunde denegavit, quo reliquos omnes discipulos digesta fuerat. Speculum exemplorum ipsius Thomas p. 1, serm. ad novitios.

De cultu B. Virginis intermisso exempla. Thomas de Kempis ob intermissum B. Virginis cultum correptus.

De simili in Virginem neglecto obsequio ferunt graviter redargutum quemdam religiosum, qui cum lecto iacens ex pigritie consuetudinem genua flectendi ad salutationis pulsum omisisset, 11

Digitized by Google

nocte sequenti vidit in somnis campanile templi ita tribus vicibus inclinari, ut illius fastigium pene terram tangeret, audivitque vocem increpantis: Piger homuncio, ecce insensibiles creaturae coram B. Virgine Dei Matre sese inflectunt, et tu ratione praeditus idipsum negligis praestare? Franciscus de la Croix in hortulo mariano, areola 1, c. 7.

12 Chronica capuccinorum. Nec silentio praetereundum est, quod chronica capuccinorum non minus mirabile narrant. Quidam frater devotione erga B. Virginem flagrans centum genuflexiones singulis diebus ei exhibebat: tandem aliis suae religionis negotiis praepeditus decrevit ab illis centum quinquaginta subtrahere, at reliqua more solito persolvere. Ecce tibi B. Virginem ei apparentem pretioso pallio coopertam, cuius medietas fulgentissimis stellis ornata micabat, alia subobscura erat, his verbis eum compellantem: Scito, fili, quod genuflexionibus tuis coepisti hoc pallium meum splendentibus stellis decorare, at quia quinquaginta genuflexiones subtraxisti, medietas huius pallii radiantibus stellis caret. Hac voce admonitus frater pristinum genuflexionum morem iteravit, et firmiter retinuit.

13 S. Edmundus ob intermissum cultum B. Virginis reprehensus. Claudat hoc punctum exemplum s. Edmundi cantuariensis episcopi. Hic cum orationem illam, *O intemerata, et in aeternum benedicta, etc.* in honorem Deiparae, et s. Ioannis Baptistae quotidie recitasset, et die quadam ex oblivione illam omisisset, nocte sequenti s. Ioannes evangelista ei per quietem apparuit, et gravem ferulae ictum comminatus ad prosequendam illam solitam devotionem adhortatus est. Surius in eius vita, tom. 5.

14 Cultor Virginis debet esse purus. Ulterius devotio erga B. Virginem debet esse fervens, attenta, ex casto puroque corde procedens. Quemadmodum enim apud Deum, fontem totius puritatis, *non est speciosa laus in ore peccatoris;* ita apud purissimam Virginem non est accepta precantis invocatio, quam foedae sordes peccatorum involvunt. Rem pul-

Exemplum chram, et proposito nostro aptissimam narrat noster Albertus Castellanus lib. de rosario. Beatissima Virgo Mater Dei, ait, uni adolescentum sibi quidem in rosario devoto, sed spurcitia vitae commaculato per quietem sese visendam praebuit hac ratione. Vinum ei, ut videbatur, generosissimum porrigebat, sed poculo immundo. Miratus adolescens tam nobile donum in vase tam sordido, audit a Virgine: Vide, fili, rosarii tui preces mihi gratae sunt, et instar optimi potus; sed calix quo hunc offers, non placet: oratio tua bona est, non item vita tua; pulcre precaris, sed turpiter vivis. Ut ergo in utroque placeas, castius vive. Motus adolescens tam salubri spectaculo castiores mores induit, ut se coelo probaret tam vivendo, quam precando. Haec Albertus.

Sic itaque gloriosam Dei Genitricem colamus, veneremur, invocemus, ut eius patrocinium tam in vita quam in morte in nobis sentiamus, praestante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu s. vivit, et regnat in saecula saeculorum. Am. Nunc ad quintum venerationis modum, puta imitationem, veniamus.

DISCURSUS CCXXIV

PRAECIPUUS CULTUS VIRGINIS EST IMITATIO EIUS

1 Antiquorum devotio erga B. Virginem quanta. Maiores nostri, homines innocentissimi, tam impense Virginem coluerunt, tantaque familiaritate cum ea usi sunt, ut in suis meditationibus perinde ac si cum corpore simul et animo praesentes adessent, cum lactante illa lactarent Iesum, cum gestante gestarent, cum exultante exultarent, cum dolente dolerent, quaererent cum quaerente, starent demum cum stante sub cruce dominica. Illius virtutum strenui imitatores erant. Effulgentem Mariae fidem, spem in Deum eximiam, insignem Dei amorem, raram obedientiam, admirabilem castimoniam moribus exprimebant. Sinceram eius simplicitatem, sobrietatem, continentiam, humilitatem, modestiam, mentis rectitudinem, devotionem, pietatis fervorem pro viribus aemulabantur.

Nostro saeculo cultores Virginis quales. At aetas nostra ab hisce piis affectibus, studiisque multum degeneravit. Multos invenias, qui nec intelligunt quidem quo pacto, et quo fructu Virginem sacratissimam colere debeant. Complures torpor quidam, atque socordia, et nescio quae falsa securitas impedit, quominus ad veram erga Virginem devotionem ac pietatem assurgant. Satis esse putant Mariam saepius nominare, illius festa celebrare, templa, seu sacella, seu altaria in eius honorem erecta invisere, laudes, et cantica in eius laudem promere, in periculis Mariam inclamare; at de profectu virtutum, qui ad laudabilem Deiparae venerationem plurimum facit, minus curant. Quotus quisque est qui ardentem Mariae fidem, spem in Deum eximiam, insignem Dei amorem aemuletur? quis, ut par est, suspiciat eius humilitatem, obedientiam, castimoniam, devotionem? Equidem vota, preces, laudes, cantica in honorem Virginis non carpo, sed solum praemoneo, ne quis fortasse sola Virginis veneratione, seu invocatione contentus corrigendae vitae curam abiiciat, et contra Mariae voluntatem, quae suarum virtutum imitatores exigit, ab earum studio se subducat; cum scriptum sit: *Non est speciosa laus in ore peccatoris*, at purissima Virgo cultores puros, et castos exoptet, cum iste sit praecipuus eius cultus, et veneratio.

Non est dignior litatio sanctis, quam sanctorum imitatio. Sanctos digne coluit, quisquis imitatus est, teste s. Augustino, qui serm. 30 de martyribus ait: *Si sanctorum consortio gaudere volimus, imitemur eos, nam ut pro nobis absque ulla dubitatione intercedant, necesse est ut in nobis aliquid de suis virtutibus agnoscant.* Sic prorsus, si animos nostros vera in purissimam Virginem pietate accendi, si patrocinium in cunctis necessitatibus nostris experiri, si consortio in aeterna beatitudine gaudere volumus, necesse est ut virtutibus illius pernoscendis, et sectandis strenuam operam navemus. 2 Imitatio sanctorum praecipuus cultus eorum.

Perfectum virtutum speculum, et exemplar Virgo exhibet. In ipsa videre possumus, quid corrigere, et quid tenere debeamus. Perfectum piorum exemplum Virginem vocat s. Gregorius thaumaturgus serm. 2 de annunt. B. Virginis ita fatus: *Haec credentium firmamentum, et piorum perfectum exemplum.* Idiota *virtutum exemplar* eam appellat. S. Ildephonsus serm. 3 de assumpt. *Virginitas*, inquit, *et vita B. Mariae speculum et species fuit totius castitatis, et integritas virtutum, decus pudicitiae, et magisterium valde eximium probitatis. in qua, rogo, videant virgines, quid vitare, quid corrigere. quid tenere debeant castitatis.* Similia habet d. Ambrosius lib. 2 de virginibus, quem hac de re fusius loquentem adducemus inferius in epitheto, *Speculum iustitiae.* Cum igitur Maria sit exemplar sanctitatis, omniumque virtutum idea, nostrum omnium est in eam inspicere, et iuxta exemplar a Deo nobis exhibitum operari. 3 B. Virgo est speculum omnium virtutum.

Deus cum exacte docuisset Moysen, quomodo templi vasa formanda essent, tandem subiecit: *Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, Exod. 25, 40. Idem nobis dici existimemus, quibus Maria in exemplum proposita est, tanquam omnis sanctitatis, virtutisque exemplar, et idea. *Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in Virgine monstratum est. Inspice*, inquit, *et fac:* quia non satis est Virginem inspicere, virtutes eius contemplari, et admirari; sed necesse est imitari, et operari, alioquin similes erimus iis qui ludos, et gestus theatrales libenter aspiciunt, quos tamen imitari minime cupiunt. 4 Imitanda nobis est B. V. Maria.

Populus iudaicus cum exiret de terra Aegypti, per viam deserti habuit columnam nubis per diem, et columnam ignis per noctem, quae eis dux fuit itineris in deserto utroque tempore, Exod. 13, 21. Ad eundem modum populus christianus in deserto huius mundi habet B. Virginem, quae est columna nubis, de qua dixit Propheta: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem*, Is. 19, 1, sibi devotos a tartareo Pharaone protegens; est columna ignis, divinum ignem circumferens, omnibus lucens, et iter praebens, micans meritis, lucens exemplis. 5

Hinc factum puto quod ad B. Virginem prisci illius aevi christiani undique confluerent, ut Lucius Dexter in suo chronico anno Christi 35, num. 5 memorat; ut nimirum vivam illam virtutum imaginem, speculum, et exemplar intuerentur, et eius vitam, probosque mores addiscerent, et moribus exprimerent. 6 Peregrinationes antiquorum christianorum ad B. Virginem.

Eia igitur et nos Virginem imitemur. Vere etenim Virginem veneratur qui eius, quantum potest, exemplum sequitur. Quisquis Virginem imitatur, ei tanquam ramus arbori inseritur, et vitam ab ea accipit. Sicut enim ramus arbori insertus vitam ab arbore accipit, pullulat, flores, et postea fructus producit: ita qui Virgini per virtutum imitationem insertus est, a Virgine vitam accipit, et bonorum operum fructus producit, alias sterilis, exsiccatus et mortuus manet. 7 Imitatio B. Virginis vitam homini confert.

Quisquis Virginem imitatur, Filium eius se prodit: quisquis vero ab aemulandarum virtutum eius studio se subducit, Virginem tanquam matrem compellare non meretur; quod doctrina Christi optime probat. Christus perstringens Iudaeos qui se Abrahae filios esse gloriabantur, et opera Abrahae non faciebant, 8 Imitator B. Virginis est filium eius.

Digitized by Google

ait: *Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite*, Ioan. 8, 39. Ac si diceret: frustra vos Abrahae filios esse gloriamini, qui Abrahae virtutes non sectamini; ille enim verus Abrahae filius est, qui virtutum Abrahae imitator est. Similem in modum frustra sibi de Virginis patrocinio blanditur, frustra eam matrem compellat, qui eius benignitatem, mansuetudinem, devotionem, humilitatem, et alias virtutes moribus non exprimit.

9 *Anatolius a B. Virgine repulsus.* Id inter alios expertus est impius Anatolius, qui ob infinita scelera a Tiberio imperatore ad ius vocatus, ubi id cognovit, valde sibi metuens, ad imaginem quamdam Deiparae Mariae fune in carcere sublimem appensam accurrit, manibus a tergo complicatis, se ei supplicare, et preces offerre ostendit. Imago autem velut sacrilegum detestata, penitus se ab eo avertit, satis aperte demonstrans, frustra sibi eos de Virginis patrocinio blandiri, qui vitam vita, moribus mores Virginis non exprimunt, sed pravis moribus in eam, Filiumque eius arietant. Historiam descriptam habes apud Baronium Christi anno 580.

10 *Ad imitationem Virginis exhortatio.* Eia iterum atque iterum inclamo, et moneo, Virginem sectemini. Ipsa velut dux, magistra, signifera, signum levavit, facem virtutum in signum praefert, omnes invitat, nullum reiicit, et arcet. *Transite*, ait, *ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis*, hoc est, virtutibus meis, *implemini*. Eccli. 24, 26. Praeit omnibus Virgo in omnium virtutum genere: omnium igitur est pro viribus praeeuntem sequi.

11 *Obiectio.* Sed forsan quispiam pusilli animi obiiciet: Virtutes Virginis tam singulares, tam sublimes, tam mirabiles, tam heroicae sunt, ut nemo mortalium eas nedum in se exprimere, verum nec imitatione attingere valeat. Quis enim eius firmissimam fidem, spem eximiam, ardentissimam caritatem, profundissimam humilitatem, promptissimam obedientiam ceterasque virtutes mirabiles moribus suis exprimere valeat? quis eius pudorem virgineum, castimoniam, puritatem, innocentiam, benignitatem, misericordiam aemulari audeat?

12 Equidem fateor, virtutes Virginis esse sublimes, et admirandas, sed satis erit nobis infirmos virtutum eius gradus imitatione, si non aequare, saltem attingere: non datur supremum verticem attingere, conemur saltem ad postremum gradum pervenire. Ancilla quae Esther sequebatur, vestes dominae suae in humum defluentes colligebat, et sustentabat, ut historia sacra testatur, Esther 15, 7. Ad eundem modum anima fidelis dominam suam Virginem Mariam sequens in hoc mundo, Mariae virtutes, et exempla colligat, si non summitatem, saltem extremitatem eorum attingat. Felix qui vel fimbriam horum vestimentorum attingere potest.

13 *Praxis imitandi B. Virginem.* Ivit illa in exemplum, nos quoque sequamur, saltem a longe, sequamur tamen. Caruit illa omni concupiscentiae motu, nos saltem comprimamus. Fuit illa simul mater et virgo, nos quoque in spiritu matres, et virgines simus. Matres per bonorum operum fecunditatem, virgines per fidei puritatem, et integritatem. Fuit illa adeo pura, ut omni prorsus peccato, nedum mortali, verum et veniali careret: nos a peccatis mortalibus omnibus abstineamus, venialia quoad fieri poterit, vitemus.

14 *Imitatio Virginis ipsi Virgini quam sit grata.* *Pictores imagines B. Virginis depingentes quibus favoribus aucti.* Hic cultus imitationis Virgini est gratissimus, nobis saluberrimus, vitam et salutem tribuens. Si pictores qui imagines Mariae penicillo depingunt, Virgini gratissimi sunt, quanto magis grati erunt, qui eius vitam vita, mores moribus exprimunt? Pictor quidam, ut refert Vincentius Bellovacensis libro 7 histor. c. 104, Virginis imaginem accurate depingebat, sub cuius pedibus serpentem cuius illa caput contriverat, ponebat. Tum placuit hoc Virgini, quam displicuit daemoni, qui quam graviter id ferret, re ipsa ostendit, dum in pictorem saeviens, excitato turbine, machinas quibus innitebatur, dum pingeret, disiecit. Casurusque pictor erat, sed Virginis imago manum porrexit, artificem tenuit, donec advenirent, qui subvenirent. Si itaque Virgo pictorem suum, qui solo penicillo imaginem eius depingebat, iuvit, et a periculo mortis liberavit, quanto magis opem feret, et a satanae insidiis eximet eos, qui eam moribus exprimere satagunt.

15 Effigiem B. Virginis a quodam pictore inchoatam divinitus ingenti miraculo absolutam fuisse narrat noster Bzovius tom. 13, anno 1231. Si itaque pictori corporalem imaginem B. Virginis delineanti divinum auxilium adfuit, quanto magis aderit ei, qui spiritualem imaginem eiusdem Virginis moribus et vitae sanctitate exprimet. Aderit, haud dubium, aderit.

16 Ut ergo devotio nostra sit Virgini accepta, et veneratio grata, ipsius vitam omni virtute, corpore et mente imitemur. Vere enim s. Bernardus in sermone super *Salve Regina* scriptum reliquit: *Agnoscit Virgo, et diligit diligentes se, et prope est in veritate invocantibus se, praesertim iis, quos videt conformes sibi factos in castitate, et humilitate.*

Quid, quod ad impetrandam a Virgine coelestia charismata, nullum medium assumi potest, quam virtutum eius imitatio, teste divo Bernardo homilia 2 super *Missus est*, ubi ait: *Ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum?* Quare Ecclesia in festivitatibus sanctorum Deo supplicans, frequentius hac orandi forma utitur: *Ut quorum natalitia colimus, per eorum ad te exempla gradiamur.* Vel: *Quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis.* Vel: *Praesta nobis ex eorum imitatione proficere*, etc. 17

Porro quas virtutes Virginis imitari debeamus, ipsa b. Birgitta ostendit, cum se illi, comite s. Ioanne evangelista, conspiciendam fecit hac forma. Caput habebat corona pretiosa redimitum, quae corona ex septem liliis, et totidem unionibus erat contexta, capillis protensis, tunica splendenti, ac pallio caerulei coloris amicta. Quae quidem decora s. Ioannes ita explanavit: corona designari augustissimum eius imperium, et in omnes creaturas dominium: septem candidissima, et purissima lilia significare eius humilitatem, timorem, obedientiam, patientiam, constantiam, mansuetudinem, misericordiam: septem splendidissimas uniones denotare virtutum eius singularitatem, munditiam perfectissimam, pulcritudinem decentissimam, sapientiam lucidissimam, fortitudinem robustissimam, claritatem splendidissimam, voluntatem purissimam: capillis expansis significari mentis eius puritatem: pallio caerulei coloris terrenarum rerum perfectam abnegationem: denique tunica aurea caritatis ardorem. Ex revelat. s. Birgittae libro 1, cap. 31. Has ergo virtutes Virginis imitemur in hac vita, ut in aeterna societate ei congaudere mereamur in altera vita. Amen. 18 *Quas virtutes Virginis imitari debemus. S. Birgittae visio.*

De officiis, seu obsequiis, quibus sacram Deiparam catholica veneratur Ecclesia.

Quantum Ecclesiae fides ire retro, et ascendere potest, semper Deipara in eximio honore, et speciali veneratione habita est. Et quoniam cultus qui operibus non comprobatur, sterilis est; idcirco Ecclesia suam devotionem erga Deiparentem operibus semper comprobavit, et variis officiis, seu obsequiis declaravit, et B. Virginem toti mundo venerandam ostendit, servans illud Ioan. ex ep. 1, c. 3, v. 18: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.*

Princeps philosophorum Aristot. 1 rhetor. c. 15, cum personas recensuisset, quibus honor est impendendus, statim subiecit officia, seu obsequia quae huiusmodi personis exhiberi solent, videlicet: sacrificia, monumenta cum versibus et sine versibus, praemia, ludos, sepulcra, statuas, adorationes, munera, quae apud singulas gentes pretiosa sunt. Huiusmodi officia apud ethnicos personis dignis exhibebantur. *Officia ethnicorum personis dignis exhibita.*

Ecclesia vero catholica haec, et alia plura sanctae Dei Genitrici Mariae, utpote personae dignissimae, semper praestitit, et praestare non cessat officia, seu obsequia. In eius honorem templa magnifica, sacella, altaria extruit, statuas, seu imagines statuit: festa celebrat: sacra peragit: religiosorum virorum Ordines instituit: varios piorum hominum coetus, puta sodalitates, seu confraternitates approbat: varias precum formulas adinvenit: ieiunia, aliasque corporis castigationes sponte suscipit: processiones indicit: reliquias eius colit: vota nuncupat: tropaea, anathemata, variaque donaria in tabulis, parietibus, altaribus appendit, aliaque pia opera in eius honorem, et laudem exercet. Sed quam probe Ecclesia officiis suo functa sit, et usque modo fungatur, declarare intendo singula servitutis obsequia breviter describens. *Obsequia Ecclesiae catholicae B. M. Virgini impensa.*

DISCURSUS CCXXV

TEMPLA, SACELLA, ORATORIA, ALTARIA IN HONOREM VIRGINIS ERECTA

Sacras sedes non solum Deo, sed etiam sanctis recte aedificari constans omnium christianorum doctrina, et fides est contra Manichaeos, Petrobrusianos, Albigenses, Wiclefistas, Lutheranos, Calvinistas, aliosque haereticos, qui id negabant. Si 1 *Templa licet sanctis eriguntur.*

Digitized by Google

enim Salomon templum erexerat, nedum ad sacrificia quae soli Deo fiunt, sed etiam ad conservandam arcam Domini, ut testatur sacra historia 1 Paralip. 28, 2, et 2 Paralip. 5, 7: cur nos sanctis templa non erigamur, et praecipue D. Deiparenti, quae multo venerabilior est arca veteris testamenti? Arca venerabatur, quia erat scabellum pedum Dei: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, psalm. 98, 5. At Beatissima Virgo erat tabernaculum Dei, in quo Deus non solum stetit, verum etiam corporaliter novem mensibus habitavit. Arca utpote lignea, et inanimata remansit in terra; at Sanctissima Deipara assumpta est in coelum, et ad dexteram Filii collocata. Iure merito itaque templa ei eriguntur et dedicantur, quae fuit vera illa *Foederis arca*, ut in hoc titulo inferius ponendo declarabitur.

2 Templa Deiparae ad triplex tempus quo erecta sunt, revocari possunt. Quaedam erecta sunt, antequam Deipara in lucem prodiret. Quaedam dum ipsa viveret, vel paulo post, apostolorum nimirum aetate. Quaedam post gloriosissimam eius in coelo assumptionem.

Templa Deiparae erecta longe ante eius ortum et conceptionem.

3 Illud memoria repetendum est, quod paulo superius dixi, nimirum Deum ab aeterno Virginem dilexisse, eamque ab exordio mundi in patriarcharum votis, in prophetarum vaticiniis, in signis, et figuris praemonstrasse; at non solum Iudaeorum prophetis, et patriarchis notam esse voluit, sed etiam ethnicis quibusdam eam longe ante eius ortum manifestavit. Hinc sybillae, ethnicque prophetissae, de B. Virgine tantae praenotionis certitudine, ac claritate vaticinatae sunt, ut praeterita magis, quam futura scribere videantur. Fuerunt illae decem, quarum cognomina, et vaticinia retulimus tomo superiore, discursu CXXIV, par. 19, et sequent. Quae cum ita sint, nulli mirum videri debet, si inter densissimas ethnicorum tenebras nonnulli Deiparae Virgini aras, et templa erigerent, quod ex subiectis templis palam fiet.

Ethnicis etiam fuit praemonstrata B. V. Maria.

4 Druidae, a Druio Celtarum rege IV, ante Christum natum fuerunt annis 1810. Gallorum erant sacerdotes, praeter cognitionem naturalium moralem exercebant disciplinam, animarum immortalitatem docebant, iustissimi omnium opinione; sine his nihil fere sive in bello, sive in pace gerebatur: ideoque et privata, et publica indicia penes illos erant. Genebr. anno mundi 2109. Hi igitur Druidae, advento Christi praeviso, Carnuti, urbe Galliae lugdunensis florentissima, in eodem agro qui ipsorum comitiis erat destinatus, aram erexerunt profunde sub terra effossam cum hac inscriptione: VIRGINI PARITURAE. Quem locum postea sub terra, et super terram egregie ampliatum, et exornatum christiani in celeberrimam ecclesiam cathedralem erexerunt. Eam postmodum s. Fulbertus carnutensis episcopus Deiparae impense addictus egregie dotavit largitionibus Canuti Anglorum regis. Refert Withelmus Malmesburiensis lib. 2 de gestis Anglorum, c. 11, et Martinus Navarrus lib. 21, num. 3.

Druidae qui fuerunt.

Aram B. Virgini erexerunt.

5 Eorumdem Druidarum consilio comes quidam carnutensis, nomine Priscus, statuam erexit Virginis Matris puerum in sinu gestantis, eidemque Virgini pariturae templum consecravit Christi adventum longe ante humano generi praestolatus, meritoque veneratus. Nicolaus Nauclerus professione medicus, in parechasi de mirabili nativitate Christi.

Aliud templum cuiusdam comitis carnutensis.

6 Argonautae, qui ante Christi adventum annis 1200 circiter vixerunt, Cizici in Hellesponto templum extruxerunt praeclarissimum, consultoque ab eis pythio oraculo, cui illud consecrare deberent, responsum acceperunt, *Mariae Verbi aeterni Genitrici dicandum esse.* Et quamvis ipsi veritatis ignari, daemonis instinctu Rheae, quam deorum matrem falso putabant, illud consecrarent, Zenone tamen imperatore regnante, ad verae Matris Dei cultum dedicatum est. Cedrenus in compendio.

Tertium templum Argonautarum.

Aliud templum Iason Argonautarum princeps in arce atheniensi posuit, delphicumque Apollinem cuiusnam futura esset aedes illa sciscitatus est. Divina virtute coactus tale responsum dedit: *Quaecumque ad honestatem, virtutemque vos invitant, facite. Ego autem tres copio, Deum unum regnantem apud superos, cuius Verbum ab interitu alienum, conceptum in simplici virgine, quod tanquam ignitus arcus percurrens mundi medium, omnes capiens vos adducet donum Patri. Huius erit haec aedes: Maria autem erit nomen eius.* Huius vaticinii meminit s. Procopius martyr, ut habetur in eius vita ex Metaphrasta apud Surium die 8 iulii. Eius autem vitae tanta est auctoritas, ut inde pro cultu sanctarum imaginum in II nicaena Synodo, act. 4 testimonium sit allatum. At stulta gentilitas fabulosae deae Minervae hoc oraculum affixit; ideoque Minervam ex Iovis capite progenitam, sapientiae deam, virginem militaribus armis instructam, et Athenarum praesidem, in quarum arce hoc templum a Iasone constructum fuerat, putabat. Indeque templa in arcibus construebant Minervae: quorum templorum Virgilius meminit ecloga 2:

Quartum templum Iasonis. Delphici Apollinis oraculum.

S. Procopii mart. vita quantae sit auctoritatis.

Pallas, quas condidit, arces ipsa colat.

7 Ulterius Aegyptii ante Christi adventum virginem in lecto, et infantem in praesepio passim collocabant, et adorabant. Cuius rei causam rogati dicebant se id a s. propheta accepisse. Canisius lib. 2, cap. 7. Is autem fuit s. Ieremias qui ex Iudaea, Iudaeis fugientibus Chaldaeos, in Aegyptum abductus est, ibique per annos quatuor coram Pharaone miracula fecit, prophetavit, ut patet ex cap. 43, 44 eiusdem Ieremiae. Ibi manens sacerdotibus aegyptiis futurum praedixit, ut omnia eorum simulacra conciderent, cum virgo mater in Aegyptum cum suo ascenderet infante. Idque ita accidisse, cum Deipara ducens puerum Iesum Aegyptum intravit, narrat s. Epiphanius, et s. Dorotheus. Et Isaias vates idem praedixit cap. 19, 1: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius, et cor Aegypti tabescet in medio eius.*

Statua B. Virginis apud Ægyptios. Ægyptii adhuc ethnici B. Virginem agnoverunt et coluerunt.

Templa in honorem Virginis erecta, dum adhuc in terris viveret, vel paulo post, apostolorum nimirum aetate.

8 Inter haec primum locum tenet sacra illa aedes Virginis lauretana, in qua ipsa Virgo Deipara nata et educata, in qua aeterno Patri pias continenter preces fundebat, in qua ingens sacrificium impolluti cordis ei offerebat, in qua Verbum caro factum est, in qua tot annis habitavit, in qua tot, tantaque salutis nostrae mysteria operata sunt. Haec, inquam, iure merito templum vocatur, ea quod a Domino templi consecrata, eiusque conceptione, et inhabitatione nobilitata est. Postmodum ab apostolis sacris initiata, araque, et Christi crucifixi imagine, et simulacro cedrino, in quo s. Lucas B. M. Virginem stantem, et puerum Iesum amplexantem expressit, ornata, et Deiparae cultui dedicata est. Quae omnia ab ipsa Deipara Virgine per visum didicit Alexander tersactensis antistes in Dalmatia, in cuius dioecesi primum consederat haec sacra aedes e Galilaea ab angelis translata. Et ne ambigeret Alexander veram fuisse Genitricis Dei speciem, e diuturno, gravique morbo divinitus subito convaluit. Tursellinus libro 1, cap. 3 ex Hieronymo Angelita in historia lauretana. De hac sacratissima aede nos multa diximus in principio tomi superioris.

Lauretani templi elogium.

9 Post lauretanam aedem prima basilica in honorem Deiparae adhuc superstitis erecta est Crangavore in India orientali ab uno ex tribus Magis qui ad Christi cunabula venerant.

Unus ex tribus Magis basilicam B. Virgini extruxit.

10 Alteram Colecutii eius urbis conditor tertio a Virginis partu anno basilicam extruxit, et Mariae dedicavit; sanxitque, ut quoties aeditui nomen Mariae inclamarent, toties se omnes qui adessent, in terram prosternerent. Valuerunt hoc christiani. Nam cum Emmanuelis regis Lusitaniae praefectus, nomine Vascus Gama, anno Domini 1498 Calecutium celebrem Indiae urbem appulisset, et ad visendum regem gentis illius descendisset, a viro quodam primario, quem Cavellem vocabant, nomine regis exceptus, et in templum apud illos sanctissimum, et magnificentissimum deductus est. In medio templi erat sacellum editum forma rotunda, ad quod per multos gradus ascendebatur, ostium erat ex aere factum, et valde angustum. Intra sacellum erat signum in adverso pariete locatum, cuius formam nostri propter loci obscuritatem aspicere non potuerunt. Aditus in illud solis aedituis, atque sacerdotibus patebat. Quatuor aeditui propius accedentes, digito in imaginem intento, Mariam bis inclamant. Deinde illic ingressi cum aliis qui eos sequebantur, se repente in terram manibus extensis abiiciunt, deinde surgunt, et more suo precationem peragunt. Nostri suspicati, opem Sanctissimae Virginis imploraturi genibus flexis pacem a Deo expostulant, Virginemque Dei Matrem more nostro usitato venerantur. Haec ab hominibus Indiae peritissimis accepisse se scribit Hieronymus Oso-

Calecutii sacellum Mariae quale.

Digitized by Google

rius, algaliensis episcopus, lib. 1 de rebus Emmanuelis Lusitaniae regis.

11 S. Petrus apostolus B. M. Virgini sacellum erexit.

Sed magis famosae, et mirandae sunt basilicae illae, quas apostoli, sancti ecclesiarum principes, B. V. Mariae erexerunt, et dicarunt. S. Petrus apostolorum princeps, ut etiam paulo ante meminimus, cum adhuc in Syria moraretur, in anteradensi civitate, quae hodie Tortosa dicitur, Deiparae, cum adhuc in terris degeret, sacellum erexit, in quo etiam divina mysteria celebravit. Dicitur a multis, quod inter omnes ecclesias B. Mariae Virgini dicatas ista fuerit prima. Non solum a christianis, sed etiam a saracenis in magna habetur reverantia, et multorum populorum accessu frequentatur. Haec Iacobus a Vitriaca cardinalis in sua historia orientali cap. 44. Eiusdem sacelli meminerunt alii graves auctores, quos in primo discursu praesentis epitheti recensuimus, ubi etiam alios apostolos, qui in honorem B. Virginis templa erexerunt, adduximus.

12 Carmelitae templum B. Virgini extruunt.

Exemplo apostolorum primi christiani Divae Deiparenti templa erigere coeperunt. In monte Carmelo, statim atque innotuit B. M. Virginis in coelum assumptio, in eius honorem christiani illius montis templum excitarunt; uti refert Baptista mantuanus Ordinis carmelitarum.

13 S. Martha templum B. Virgini extruit.

Sancta Martha Christi hospitio clara, Massiliae in honorem Domini nostri Iesu Christi, et B. V. Mariae ecclesiam extruxit, quam s. Maximinus unus ex septuaginta Christi discipulis, episcopus aquensis, et Trophimus arelatensis 16 kalendas ianuarii consecrarunt. Vincentius Bellucensis in spec. histor. cap. 100, et 101.

14 Candax regina templum B. Virgini extruit.

Candas Aethiopum regina, cuius eunuchus baptizatus a Philippo Act. 8, 38 legitur, in Aethiopia templum Deiparae regia magnificentia extruxit, quod templum se vidisse narrat Franciscus Alvarez, quem Thomas Bozius lib. 9 de signis Ecclesiae auctorem integerrimae fidei vocat.

15 S. Maternus B. Virgini templum consecravit.

S. Maternus b. Petri apostoli discipulus, ab ipso a morte ad vitam excitatus, cuius memoria in martyrologio die 14 septembris adnotatur, postquam in Germania verbum Dei disseminasset, et Tungrenses, Colonienses, Trevirenses, aliosque finitimos populos ad Christi fidem perduxisset, Tungris Eburonum aedem Deiparae Virgini consecravit, ut habent annales coloniensis, et treviransis ecclesiae.

Templa Virgini in coelum iam assumptae, propagata iam christiana fide per orbem, a christianis erecta.

16 Constantini magni in erectione templorum munificentia, et pietas.

Apostolorum pietatem erga B. Virginem christiani omnes impense aemulati sunt in extruendis in eius honorem basilicis. Ubi primum Constantini magni patrocinio fides christiana liberius se explicuit, mox ubique gentium, atque locorum ecclesiae aedificari coeperunt. Ipse in primis Constantinus, Christi fide suscepta, idolorum templis deletis, christianis omnibus per universum orbem templa publice extruendi potestatem fecit, eosque ad sacram aedificationem tum edicto, tum exemplo animavit. Inter alia Romae basilicam lateranensem, basilicas sanctorum Petri et Pauli magnificentissime extruxit, et magnificentissimis muneribus et imaginibus exornatas a s. Silvestro papa dedicandas curavit. In aliis provinciis et regnis quamplurimas tum ipse, tum s. Helena mater eius excitarunt ecclesias, ad quarum aedificationem ex publico aerario necessarii sumptus a provinciarum praesidibus iussu Constantini suppeditabantur; quemadmodum testis oculatus, Eusebius lib. 2 de vita Constantini, cap. 44, et lib. 3, cap. 49 affirmat. Socrates quoque lib. 1, cap. 6, et Sozomenus libro 1, cap. 8 idem adstruunt. Ubi nominatim templi augustissimi Antiochiae erecti, et aliorum apud Nicomediam, Bithyniam, et Bizantium meminerunt. Fama quoque est, eundem Constantinum Neapoli duo templa Deiparae extruxisse, unum quod dicitur S. Maria in porta nova, ubi quondam Graeci suo idiomate divina celebrarunt, ubi etiam sub ara magna corpus s. Stasii confessoris requiescit: alterum s. Maria rotunda, vulgo Nidi dicta.

17 Templorum Deiparae ingens numerus per orbem.

Exemplo Constantini et Helenae christiani tanto ardore templa aedificare coeperunt, et maxime in honorem Deiparae, ut si universum orbem christianum percurreas, nullum invenies tam humilem, et abiectum vicum ecclesiam habentem, qui sacellum, aram, aut ad minus imaginem B. Virginis non habeat. Petrus Antonius Spinellus universum orbem percurrit, et templa Divae Virgini extructa, et dicata, etsi non omnia, hoc enim esset stellas coeli numerare, sed augustiora, quae vel structurae magnificentia, vel miraculorum fama, vel peregrinorum frequentia, vel imaginum Deiparae celebritas, vel publica, aut privata pietas illustriores reddidit, enumerat, describit, miracula in eis facta recenset, piorum vota et ornamenta enarrat, tractatu speciali de templis Deiparae dicatis edito. Idem ante ipsum praestitit Locrius, qui specialem librum edidit, in quo ecclesias, monasteria, etc. in honorem B. Virginis condita enumerat; quorum labori aliquid addere supervacaneum puto, cum non historias, aut templorum descriptiones condamus, sed discursus praedicabiles edamus (1).

Petrus Antonius Spinellus templorum Deiparae descriptor.

Id silentio praeterire non decet, Iacobum I Aragoniae regem solum bis mille templa Dei Matri felici, locuplete, regiaque manu aedificasse, ac ditasse. Id prodidit Scribanius in politico christiano, in praefatione ad Philippum IV Hispaniarum regem.

Iacobi I Aragoniae regis munificentia in templa Deiparae.

18 Crucigerorum pietas in extruendis templis Deiparae. Gedanense templum in honorem B. Virginis extructum laudatur et deploratur.

Fratrum quoque teutonicorum militum crucigerorum, sub titulo B. M. Virginis olim militantium, insignis pietas eluxit in templorum, aliorumque aedificiorum structura in honorem eiusdem Virginis. Quamplurima enim, eaque augustissima templa videas in Prussia et Livonia ipsorum munificentia a fundamentis erecta, dotata, ornata, sed heu! ab haereticis fere omnia occupata et profanata. Inter quae caput extulit templum dantiscanum in honorem Deiparentis Mariae ab iisdem crucigeris erectum, opus tum spatii magnitudine, tum structurae immensitate, tum insigni forma, ac perfecta crucis figura, tum turris altitudine in primis admirabile, ac praeclarum, altissimis fornicibus, ac ingenti luminis claritate iucundum, a me cum admiratione et ingenti animi dolore multoties spectatum. Gedani sum, cum ista scribo. Fama est, hoc templum olim a crucigeris magnis possessionibus fuisse dotatum, et a centum sacerdotibus, qui in eo divina peragerant, inhabitatum. Nunc, proh dolor! ab haereticis lutheranis possidetur, superstitionibus eorum contaminatur, et profanatur. Altaria olim consecrata, ornata, nunc violata, pulvere, tineis, squalore obsita, sordibus plena, inquinata et cooperta manent. Egressus est a filia Sion omnis decor eius. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suae, tradidit in manus inimici omnes gazas et decora eius. Vide Domine afflictionem nostram, quoniam erectus est inimicus. Da cor virtuosissimo regi nostro Wladislao, zelum pontificibus nostris, ut haereditatem tuam propugnent, vindicent, tueantur, conservent. Sed unde digressi sumus, revertamur.

19 In templorum et altarium consecratione quantum honoretur B. V. Maria.

Ecclesia catholica in templorum erectione, et consecratione tantopere veneratur sacram Dei Genitricem Mariam, ut in omnibus consecrationibus, ac benedictionibus tam ecclesiarum, quam altarium saepissime post nomen SS. Trinitatis nomen Deiparae invocet, et postea nomen patroni, cui templum dicatur. In templi consecratione, cum pontifex sacro chrismate in templi parietibus duodecim cruces inungit ad singulas hac verborum forma utitur: *Sanctificetur, et consecretur hoc templum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in honorem Dei, et gloriosae Virginis Mariae, atque omnium sanctorum, ad nomen, et memoriam sancti N. Pax tibi.* Similiter in altaris consecratione idem his conceptis verbis profitetur: *Sanctificetur hoc altare in honorem Dei Omnipotentis, et gloriosae Virginis Mariae, atque omnium sanctorum, et ad nomen ac memoriam sancti N. Pax tibi.* Haec de templis in honorem Virginis erectis.

DISCURSUS CCXXVI

DE IMAGINIBUS IN HONOREM DEIPARAE VIRGINIS ERECTIS

1

Imagines Deiparae ad cultum et venerationem ipsius plurimum facere omnis catholicus dubitat. Nam, ut inquit deifer, et magnus in divinis Basilius: *Imaginis honor ad exemplaris transfertur honorem.* Quod etiam ante illum ethnicus philosophus, Aristoteles lib. de memoria, et reminiscentia, cap. 2 diserte docuit: *Idem est motus in imaginem et rem, cuius est imago.* Quod declarans d. Athanasius serm. 5 contra Arianos, ait: *In imagine regia species regis et forma apparet, et in rege imaginis species; ut qui videt imaginem, videat in ea regem; et vicissim qui regem intuetur, agnoscat illum ipsum eundem esse qui in imagine re-*

Imaginum cultus eleganti similitudine declaratur.

(1) Antonius Riccardi parochus paucis abhinc annis scripsit historiam de celebrioribus sanctuariis Mariae in toto orbe christiano: est opus perquam utile, et summa diligentia exaratum. Societas bibliothecae catholicae Neapoli nuper edidit cum additionibus. *Editor.*

praesentatur. Ceterum quia in ambobus nulla est dissimilitudo, qui post conspectam imaginem velit regem videre, huic ad eundem modum ita imago loqueretur. Ego et rex unum sumus, ego enim in illo sum, et ille in me; et quod in me animadvertis, id quoque in eo animadvertes; et quod videris in illo, videris in me. Qui igitur adorat imaginem, in illa adorat ipsum regem; quippe cum sua imago nihil aliud sit, quam regis forma ac species. Idem de imaginibus Salvatoris, et Deiparae Virginis, nec non aliorum sanctorum dicendum: qui imagines eorum adorat, eos ipsos adorat, et qui eos colit, eorum imagines colit.

2 Imaginum B. Virginis usus quam frequens.

Quare si terras christianorum obeas, in omnibus propemodum templis, sive Deiparae, sive aliis dicata sint sanctis, et in singulis fere aris, quae in quolibet templo eriguntur, sacram Deiparae imaginem videas. Maxime si ecclesias fratrum praedicatorum ubique terrarum visitare tibi contingat, cernes in eis sacella, sive ad minus altaria in honorem Deiparae Virginis magnificentissime extructa, et inibi imagines eiusdem affabre depictas, tabulis aureis, argenteis, unionibus, margaritis, monilibus ornatas. Tabulas insuper votivas, simulacra cerea manuum, pedum, capitis, oculorum, faciei, pectoris formam referentia appensas, quae fideles in memoriam beneficiorum per manus Deiparae in variis infirmitatibus acceptorum, quasi quaedam tropaea salutis matri et sospitatrici appendunt.

Ecclesiae Ordinis praedicatorum imaginibus B. Virginis quam splendidas.

3 Vix est villa, in qua templum non cernatur altari, vel ad minus imagine Virginis decoratum. Neque in templis solum et sacellis, sed in compitis triviisque viarum, immo et in privatis hominum cubiculis, in opificum officinis ad pietatis sensum excitandum eiusmodi imagines sitas esse conspicamur. Quin et artis impressoriae beneficio, multitudine innumerabiles, elegantia insignes, tum in aere, tum in pergamena, tum in charta papyracea excusae in singulorum propemodum manibus cernuntur.

4 Imagines B. Virginis ob oculos fidelium ponuntur.

Huius autem tam sacri, tamque pii instituti utilitates sunt. Prima est instructio et eruditio. Nonnunquam puerulum Iesum in praesepis angustia veneramur, nonnunquam in cruce protensum devote adoramus. Alias e monumento surgentem venerabunde colimus, et ad dexteram Patris iam sedentem frequentius suspicimus: decens etiam est ut illum Matris Virginis ulnis portatum pusionem videamus et colamus; tum ut gratias ei toto affectu agamus pro tam insigni beneficio, quod immensae gigas substantiae existens, pusio esse dignatus est. Tum ut Mariam eius Matrem agnoscamus et colamus. Cum enim Virginem Christum in forma pueri in sinu, vel brachiis gestare videmus, eam Dei ac Salvatoris nostri Matrem fuisse edocemur. Et licet hoc iam abunde per fidem accepimus, acceptam tamen fidem eo intuitu renovamus. Secunda utilitas est amor erga B. Virginem. Qui enim diligit, libenter inspicit imaginem absentis amici, et inspiciendo magis inardescit. Quis enim, visa ex imagine B. Virgine genibus provolutis coram Filio pro peccatis totius mundi deprecante, ad eius amorem non moveatur? quis intuens eandem Filium Dei in ulnis gestantem, vel uberibus suis eum lactantem, ignem amoris erga eam in corde suo non excitet? quis aspiciens eam sibi devotos, ante se genibus provolutos, cuiusvis status, dignitatis, conditionis homines amplexantem, et expanso pallio eos operientem, et protegentem, eius amore non capiatur? quis cernens eam claritate amictam, in coelo iam regnantem, de coelo suis cultoribus vel rosaria, vel scapulare porrigentem, ad eius amorem non accendatur? Tertia est excitatio ad imitandum. Imagines sunt docti quidam concionatores, et diserti quidam oratores homines ad pietatem provocantes; unde communiter libri simplicium appellantur; libri, inquam, tam corpulenti characteris, ut primo quoque intuitu longissimam paucis, et quidem signis tantum et coloribus exponant historiam. Nutu, signisque loquuntur lectorem delectando, pariterque monendo ad iustitiam, pietatem, devotionem. Si enim imagines turpes ad vitia inflammant, ut patuit in illo iuvene, de quo Terentius, qui, inspecta tabula in qua erat pictus Iupiter, vim inferens Danae ad simile flagitium perpetrandum se provocavit, quanto magis imagines pulcrae, et devotae ad pietatem et devotionem incitabunt. Notum est Iulium Caesarem ad tropaeum Alexandri magni tantum ad rem bellicam animum sumpsisse, ut brevi imperium romanum occuparet. Quarta est conservatio in nobis memoriae matris nostrae, advocatae nostrae, sospitatricis nostrae, quatenus in omnibus tribulationibus, et angustiis nostris eam praesentem habeamus, eiusque auxilium, et patrocinium invocemus. Hac ratione reges, duces in vexillis, clypeis, hastis eius imaginem gestant, et in quibusvis belli turbinibus eam aspiciunt, eiusque opem saepius implorant. Pribislaus Daniae rex, cum in clypeo imaginem Deiparae Mariae sculptam contra hostes in praelio praeferret, feliciter vincebat, uti refert Bzovius ad annum Domini 1290. Idem nuper contigit Maximiliano duci Bavariae, qui in militari vexillo imaginem Deiparae praeferens magnam de Boemis rebellibus reportavit victoriam anno Domini 1619. Quinta est confessio fidei. Dum enim imagines B. Virginis colimus, eius fidem, humilitatem, puritatem, obedientiam, ceterasque eius virtutes nobis placere testamur. Sexta est honor eius. Nemo enim christianorum unquam fuit, qui statuas, et imagines sanctorum ad eorum honorem non pertinere putaret.

Imagines B. Virginis cur Mariam Iesum in ulnis in forma pueri gestantem saepius repraesentant.

Imagines sanctorum sunt libri simplicium et quam necessarii.

Imagines turpes ad vitia, pulcrae ad vitam incitant.

In bellis imaginem B. Virginis gestare quam salubre.

Pribislaus Daniae rex imaginem B. Virginis in clypeo depictam gestabat.

5 De quibus imaginibus in praesentiarum agitur.

Referre igitur libet Deiparae imagines, non omnes et singulas quas christianus orbis habet, et colit, aut unquam habuit, et coluit, (hoc enim esset, ut est in proverbio, *Atlanticum mare cotyla exsorbere*) sed nonnullas, quas videlicet s. Lucas propriis manibus depinxit, quas Deus specialibus miraculis toti orbi conspicuas fecit, quas peregrinorum ex remotissimis regionibus frequentia, vel scriptorum narratio celebrat. Age rem ordiamur, et ab imaginibus a s. Luca depictis exordium sumamus, hae enim ob auctore, seu artifice suo primum locum sibi vindicant.

Imagines Deiparae a s. Luca depictae.

6 Auctores qui s. Lucam imagines B. Virginis depinxisse testantur.

Gravissimorum auctorum testimonio comprobatum est, s. Lucam evangelistam Christi et Deiparae imagines penicillo depinxisse. Quod praeter acceptam a maioribus traditionem testantur s. Germanus apud d. Damascenum in actis s. Stephani, et sociorum martyrum, Theodorus lector in lib. collectaneorum, qui ante mille annos floruit, Simon Metaphrastes in vita s. Lucae, Ioannes Coropalata in Teophilo, Nicephorus lib. 14, cap. 14, Vincentius Belluacensis lib. 23, cap. 147, Sigonius lib. 1 de regno Italiae, et s. Thomas 3, dist. 9, quaestione 2.

7 Romae imagines B. M. Virginis a s. Luca depictae sunt sex. Prima imago Deiparae ad s. Mariam maiorem.

Huiusmodi imagines Romae extant sex. Prima apud s. Mariam maiorem, quae temporibus d. Gregorii per urbem in processione circumlata ab ea saevientem pestem depulit, ut Baronius anno 590, et alii memorant. Hanc imaginem sanctissimus patriarcha noster Dominicus ex ecclesia s. Mariae transtyberinae ad ecclesiam sancti Xysti propriis humeris reverentissime deportavit, cum abbatissam cum sororibus ex praefata ecclesia ad ecclesiam s. Xysti transferret. Theodoricus in vita s. Dominici, lib. 2, cap. 8. Huic sacrae imagini Paulus V pontifex maximus in ecclesia s. Mariae maioris ad partem dexteram sacellum extruxit e regione sacri praesepis longe nobilissimum, in quod imago illa translata splendidius colitur.

Secunda in ecclesia Arae coeli. Tertia ad s. Mariam in via lata. Quarta ad s. Mariam de populo. Quinta ad s. Mariam novam. Sexta ad campum martium.

Altera in eadem urbe in ecclesia s. Mariae arae coeli in summo altari magna pietate colitur.

Tertia ibidem in ecclesia s. Mariae in via lata, in summo altari, quae annulum gestat in digito, religiose asservatur.

Quarta ibidem in ecclesia s. Mariae de populo, quam Gregorius IX circa annum Domini 1227 ex loco qui dicitur, *Sancta sanctorum*, translatam cum omni clero ac populo ibi reposuit.

Quinta ibidem a Troade delata apud s. Mariam novam in summo altari pie colitur, quae cum templum hoc, Honorio III pontifice, conflagrasset, nihil ex incendio passa est.

Sexta ibidem in templo s. Mariae ad campum martium, quam moniales s. Benedicti ante annos 600 e Graecia venientes Romam cum multis sanctorum reliquiis secum detulerunt. Haec imago post trabis proximae incendium, ab igne intacta, et in aere suspensa inventa est.

8 Septima Constantinopoli.

Septimam Deiparae effigiem a s. Luca depictam constantinopoli fuisse in ecclesia Deiparae Odigitriae dicta, a Pulcheria Augusta extructa, testis est Nicephorus lib. 13, cap. 14, ubi addit, hanc tabulam s. Lucam depinxisse, Deipara adhuc vivente, et ipsam vidente, gratiamque adeo illi formae suae immittente.

Octava Constantinopoli.

Ibidem in sacrario basilicae s. Sophiae asservabatur icon Deiparentis, ut aiebant, a s. Luca depicta. Eam Veneti effractis foribus sacrarii abstulerunt, et ob istud sacrilegium anathemate perculsi fuerunt a Thoma patriarcha constantinopolitano. Scivit istud Innocentius papa, eamque sententiam approbavit, utque sacrilege ereptam restituerent imaginem, auctor fuit. Bzovius anno Domini 1207, num. 7.

9 Nona Neapoli.

Nona extat Neapoli in ecclesia s. Mariae maioris, quam religiosissimi patres Ordinis clericorum regularium minorum gubernant.

10 Decima apud Bononiam in monte guardiae in templo d. Lu-

Decima apud Bononiam imago B. Virginis qua occasione reposita.

eae dicato, altera haud longius lapide ab urbe distante religiosissime colitur. Haec sacra icon in montem illum allata est occasione, quam narro. Vir quidam in Graecia vitae innocentia venerabundus Constantinopoli in aede sacra s. Sophiae vidit imaginem B. Virginis Mariae cum hac inscriptione: *Tabula haec Lucae evangelistae manu picta in fanum eius in monte Guardiae aedificatam ferenda, ibique supra altare collocanda, sanctissime colenda.* Graecus avens scire, quisnam esset mons ille, post varias inquisitiones inter suos, accepta imagine, per varias regiones discurrit, et ubinam sit mons ille diligenter inquirit. Romae, sic Deo disponente, in civem quemdam bononiensem incidit, cum quo familiarius agens causam suscepti tanti itineris ei exponit, inscriptionem imaginis ostendit, et ubi sit iste mons Guardiae, perquirit. Civis bononiensis mox et montem, et templum d. Lucae dicatum in eo constructum indicat, illudque in suae civitatis territorio tertio ab urbe milliario situm esse asserit. Bononiam tendit, et quantum Bononiensibus thesaurum adferat, explicat. Cives ingenti gaudio perfusi, triduo supplicationes indicunt, coeleste illud donum cum summa religione, amplissima pompa in civitatem recipiunt, per plateas circumferunt, hymnis et canticis divinam bonitatem celebrant. Deinde, tertia die ad vesperam declinante, clerus, senatus, populusque bononiensis sacram imaginem Guardiam usque prosecutus est, eamque in templo s. Lucae in ipsa montis apice supra aram, ut scripto monebatur, rite collocavit. Ad eam innumera prope miracula fiunt, quod ex votivis tabellis patet, et ex donariis variis cereis, aureis, argenteis. Ecclesia illa una cum imagine D. Deiparentis religiosissimis sororibus Ordinis nostri commendata est.

Miracula.

Fama est, idque narrat non contemnendus auctor Sigonius, libro de bononiensibus episcopis, ad hanc imaginem Deiparae in supplicatione Bononiae deportatam, gravissimos terraemotus, vehementes tempestates, saevissimas procellas sedatas fuisse. Aquam quaque miraculose scaturivisse pro refocillatione peregrinorum in eum locum venientium, testis est Ascanius Persius apud Antonium de Balinghem in calendario Sanctissimae Virginis die 10 iunii.

Haec sacra icon quotannis feria II Rogationum ad urbem bononiensem religiose defertur, et cum amplissima pompa, summo cum honore per civitatem circumfertur; cui processioni me etiam aliquoties adfuisse contigit, cum Bononiae studiis operam darem.

11
Cestochoviensis imago B. Virginis.

Undecima est in Polonia apud oppidum Cestochovia in Claromonte, quae magno fidelium concursu, nedum ex Polonia, verum et ex Moravia, Silesia, Pomerania religiosissime colitur. Hanc imaginem a s. Luca depictam, Deipara adhuc vivente, et tabulam ipsam vidente, gratiamque adeo illi formae sane immittente, constans traditio est. Ab Helena primum Augusta Ierosolymis Constantinopolim translata, quam Nicephorus imperator Carolo magno, is autem Leoni Russiae principi dono dedit. Ab hoc ad Ladislaum Opoliae ducem, qui Casimiro magno regi Poloniae contra Prussos militabat, devenit. Ab eodem deinde in Claromonta, prope Cestochoviam oppidum (abest hic locus a Cracovia 18 leucis) posita est. Opolia cogitabat iconem sacram Deiparae inferre, at cum in eum clivum venisset, miraculo defixam imaginem loco movere non potuit. Relinquere eo loci coactus devotionem maiorem in animis piorum erga Deiparentem excitavit. Ab eo enim tempore locus ille nedum apud Polonos, verum et apud supra nominatas gentes in magna fama, et imago in magna veneratione, atque Sanctissima Deipara in honore haberi coepta est. Haec imago quamdiu Constantinopoli fuit, hoc praesertim miraculo clarebat, quod sabbato occurrente, sua sponte repanso velo, ipsa se revelabat. Bzovius in monili gemmeo. Eam nunc in Polonia in supradicto monte existentem mihi aliquoties videre licuit. Visitur Deipara filium in ulnis gestans, pictura sane pervetusta et opere graecanico affabre depicta. Duae cicatrices in eius facie cernuntur, quae nullis unquam coloribus obduci potuerunt. Ab Hussitis inflictas esse nonnulli ferunt.

12
Concursus populi ad eam quantus.

Ad hanc imaginem sacram plerique mortales nedum ex Polonia, eiusque provinciis seu ducatibus, ut dixi, sed etiam ex Silesia, Moravia, Pomerania catervatim confluunt. Nec firmi tantum et valentes, sed et aegri et imbecilli, neglecto medentium imperio, prorumpunt, si ipsi possunt: sin minus, ab aliis utcumque se deferre faciunt. Ex plerisque Poloniae urbibus, oppidisque, et villis paulo opulentioribus, in quibus confraternitates aliquae erectae sunt, populi lintenti pluribus agminibus, tanquam cohortes sub signis incedunt, et certatim Deo, Deiparaeque carmina canentes, symphoniis, tympanis, tibiis cuncta loca festo sono complent. In conspectu templi, in quo Deiparae imago colitur, quod duabus fere leucis a longe cernitur in colle extructum, qui in curribus aut equis sunt, ex iis desiliunt, et universi, alii submissis genibus, alii toto corpore prostrati Virginem coelestem a longe adorant. Inde progressi usque ad templum, in sacello in quo sacra imago asservatur, vota sua Deo ac Deiparae nuncupant.

13
Peregrinorum liberalitas.

Tanta est liberalitas peregrinorum in eum locum venientium, ut quicquid pretiosi possident, quicquid egregii habere possunt, id totum ad ornamentum sacrae illius imaginis transmittunt, et libenti animo donant. Fulget illud altare, in quo sacra icon asservatur, innumerabilibus gemmis, splendet nobilissimis margaritis, collucet undique argento, auroque contectae tabulae illius, immo et parietes vicini. Occasione huius imaginis templum illud cestochoviense varia supellectili aurea, argentea, apparamentis pretiosissimis, quae reges at dynastae pia munificentia conferunt, est ditatum. Multa ibi Virginis interventu cuiusvis generis miracula eduntur. Inter alia miracula septem mortui sunt ad vitam revocati, multi energumeni liberati, caeci, moribundi, naufragantes, captivi, variisque morbis detenti divinam opem senserunt, et in dies multi divinitus auxilia experiuntur. Huius imaginis laudes et miracula acuto et eleganti stylo prosecutus est noster Abraham Bzovius in libro cui titulus est: *Monile gemmeum Virgini Deiparae sacrum*, et in tomo 15 suorum annalium.

14
Melitenses tres imagines B. Virginis a s. Luca depictas habent.

Duodecima, tertiadecima, quartadecima extat in Melita insula, vulgo *Malta*. Ibi extare tres imagines B. M. Virginis a s. Luca depictas, qui comes peregrinationum sancti Pauli cum eo in illa insula hyemavit, habitavitque per tres menses, narrat Cornelius a Lapide super acta apostolorum, cap. 28, idque se accepisse a patribus melitensibus, viris gravibus, et eruditis tradit.

Imagines Deiparae quae in diversis orbis partibus miraculis coruscant.

Praeter illas imagines Sacrae Deiparae, quas s. Lucas evangelista propriis manibus depinxit, sunt pleraeque aliae maximis miraculis illustres, quas ex probatis auctoribus hic colligam, ut Virginem magis venerandam demonstrem, et eos admoneam, qui imagines eius habere negligunt, aut decenter minime custodiunt.

15
S. Mercurius iussu B. Virginis Iulianum apostatam occidit.

In primis celebratur illa in Ponto, a qua s. Mercurius martyr Iulianum apostatam iussus est interficere. Rem narro ex d. Damasceno. S. Basilius ad imaginem Deiparae in qua Mercurii celebris martyris figura depicta erat, adstabat supplicans, ut Iulianus imperator impius, et christiani nominis hostis acerrimus tolleretur, ex qua mox didicit, quid esset eventurum; vidit enim martyrem ad exiguum tempus obscurum, id est, ab oculis suis evanescentem; non multo autem post hastam cruentam tenentem, qua impius Iulianus ab eo traiectus vita est absolutus. Unde Ecclesia, orbisque universus salutarem ac desideratam pacem consecutus est. D. Damascenus in vita s. Basilii.

16
Oleum ex imagine B. Virginis manans.

Sozopoli Pisidiae civitate extat imago Virginis intemeratae, quae ex manu sua unguentorum scaturiginem effundit, cuius sane miraculi plures testes sunt. Ita Germanus patriarcha constantinopolitanus epist. ad Thomam episcopum Cladiopoleos recitata in Synodo nicaena, act. 4. Hoc oleo ex veneranda Deiparae imagine scaturiente sanctus Eutychius patriarcha constantinopolitanus cum Androgium et uxorem eius unxisset, prolem quae mox in lucem edita moriebatur, ut postmodum viva eis nasceretur, effecit. Surius in vita sancti Eutychii die 6 aprilis.

17
Alia imago B. Virginis oleum fundens.

Similis huic est imago in loco, qui dicitur Sardenai a Damasco spatio trium milliarium, ex qua odoriferum super odorem balsami incessanter manat oleum; de quo oleo multi Saraceni, at Iudaei a diversis languoribus saepe liberantur, quod nunquam imminuitur, quantumcumque accipiatur. Nec praedicta imago a quoquam tangi audetur, videri autem omnibus hominibus conceditur. Oleum vero illud, quod a christianis religiose conservatur, augmentatur, et cum a quocumque cum devotione et fide sincera sumptum fuerit, quicquid ille petierit, pro honore Divae Virginis indubitanter a Deo impetrabit. Ad hunc locum in assumptione, et die gloriosae nativitatis suae omnes Saraceni illius provinciae una cum christianis causa orandi confluunt, et ibidem

Saracenis

Digitized by Google

etiam B. Virgo auxiliatur.

caeremonialis sua illi offerunt cum maxima devotione. Hoc miraculum multos Saracenos ad fidem catholicam vocavit, et multis languidis sospitatem contulit. Soldanus etiam Damascenorum caecus penitus effectus, invocato B. M. Virginis auxilio, infusione olei illius visus sui claritatem suscepit, ac sexaginta metretas olei annui redditus dedit ad lumen faciendum ante altare B. M. Virginis, scilicet ut lumen redderet pro lumine, ordinavit; nam etiam ex quo lumen recepit, priorum lampadem vidit lumine coruscantem. Ex illo tempore ad Natale sequens coepit uberius oleum a praedicta imagine stillatim eliquare, at oleum illud in anno sequente in carnem solidari; quo anno miraculis de oleo emanante ab imagine B. Mariae de Sardenai crebrescentibus, eoque oleo tum Saracenorum Soldanus curatus, tum ipse in Oriente fidem catholicam solidavit. Bzovius anno Domini 120. Haec tabula primum Constantinopoli facta, et depicta, et tandem a patriarcha ierosolymitano cuidam abbatissae pro magno munere donata fuit. Eam se vidisse Arnaldus abbas lubecensis refert anno 870, ut ibi narrat Baronius.

18 In templo Cyri episcopi smyrnensis extat imago miraculosa Deiparae, occasione cuius templum illud ab eodem Cyro est erectum. Cupressus in eodem loco ingens et procera fuit, in qua imaginem Dei Genitricis quidam occultavit. Cum autem multum praeterisset temporis, et imago lateret, ipsa seipsam indicavit. Cupressus enim immenso coruscans lumine, perinde atque fax una ardere visa est, et ingens etiam miraculorum vis ab obscura et latente efficacia manavit. Ubi autem quidam curiositate laudata arborem conscendit, imago, unde miraculorum vis profluxit, apparuit. Nicephorus libro 4 historiae, c. 46.

19
S. Alexium B. Virgo in templum introduxit.

Edessae in Syria fuit imago Deiparae, quae s. Alexium in templum iussit introduci, eiusque nomen divulgavit. Hodie Romae in aede eiusdem s. Alexii in marmoreo, ac sublimi tabernaculo columnis subnixo religiosissime asservatur.

20
S. Maria aegyptiaca interventu B. V. Mariae in templum admittitur.

Ierosolymis extitit imago Deiparae, (an modo extet, certum non habeo) in cuius conspectu s. Maria aegyptiaca post septemdecim annos in libidinis flagitiis consumptos preces offudit, oravitque enixe Deiparam, ut ierosolymitani templi aditus peccatis suis praeclusus per eam pateret, et impetravit; nam ad templum adorandae dominicae crucis gratia tandem admissa sacrae Dei Genitrici conceptis verbis gratias egit. Ita narrat Sophronius episcopus ierosolymitanus. Huius imaginis in II Synodo nicaena, actu 4 honorifica fit mentio; ubi Ioannes monachus, et vicarius summorum episcoporum in Oriente post recitatam in plena Synodo hanc narrationem de imagine Deiparae, cui s. Maria aegyptiaca se commendarat, haec subintulit: *Talem imaginem nos vidimus in sancta Dei nostri civitate, eamque saepius salutavimus.*

21
Roma quot imagines B. Virginis miraculosas habeat.

Romae praeter illas imagines, quas s. Lucas depinxit, a nobis iam commemoratas in ecclesia sanctae Mariae trans Tyberim extat Deiparae imago, cui nomen est a clementia, quae miraculis claruit. Nam in magna coeli, atque terrae siccitate, cum populi supplicatione circumlata pluviae copiam est elargita. Ad haec, cum magna inter eos qui cis Tyberim, et eos qui trans Tyberim degebant, discordia orta fuisset, precibus ad Deiparam fusis sublata est. Petrus Antonius Spinellus loco quo supra.

Ibidem in s. Maria angelorum in thermis Diocletiani, in Quirinali monte, cernitur imago Deiparae septem angelis stipata, et circumdata.

Imago B. Virginis ab angelis efformata.
S. Gallae imago B. Virginis in domum defertur.

Ibidem in porticu prope theatrum Marcelli extat Deiparae Filium in ulnis foventis imago aureis litteris in lapide pretioso sapphirino angelorum manibus, ut pie creditur, efformata, et sanctae Gallae viduae romanae nobilissimae, et sanctissimae in domum delata. Cum enim illa divinis rebus esset intenta, duodecimque pauperes prandio quotidie exciperet, hanc imaginem multa luce circumfusam ab angelis dono accepit. Qua de re cum Ioannem pontificem martyrio postea inclytum commonefecisset, et ille in eius domum venisset, fusis ad Deum precibus, campanis nullo impulsu, sed sua sponte concrepantibus, imaginem in aera suspensam admirabundus conspexit, quae ab angelis in eius manibus deposita est. Atque eo ipso die Beatissimae Virginis beneficio, quae tota urbe grassabatur, pestis ablata est. Quare sancta Galla in suis ipsa aedibus templum Christo, eiusque Genitrici posuit, quod vulgo sancta Maria a porticu dicitur propter porticum Octaviae Marcelli matris, et Augusti sororis olim ibi sitam. Sacra vero imago eo ipso in loco, ubi primum apparuit, collocatur supra ciborium a Gregorio VII extructum, ubi hi versus musivo extant descripti:

Haec est illa piae Genitricis imago Mariae,
Quae discumbenti Gallae patuit metuenti.

Imago B. Virginis pestem pellit.
Leo X cum imagine B. Virginis supplicationes facit.

Haec eadem imago solemni pompa iussu Collisti III per urbis vias circumlata pestem depulit. Et cum deinde, mandante Paulo II, in pontificum sacellum per episcopum fuensem illata esset, in propria aede rursus divinitus collocata est. Leo X anno 1518, die 14 martii, Turcarum metu orbe undique perculsa, ad impetrandum contra eos christianorum principum concordiam, hanc imaginem una cum Sancti Salvatoris, et Beatae Mariae maioris cum cardinalibus nudis pedibus prosecutus est. Paulus etiam III eadem de causa anno Domini 1537, die 7 iulii, et iterum anno 1543 easdem imagines publica pompa gestari iussit. Sedente Adriano VI sacra haec imago rursus deponitur, at indicta supplicatione ob metum saevientis pestis, quacumque gestaretur, noxius aer concedebat, et pestis discutiebatur. Ibi iudaeus quidam, dum verso ad tergum vultu imaginem illudit, facies eius aversa, sic perpetuo haesit. Iudaea quoque, ne imaginem aspiceret, retro conversa oculis orbata est. Ad eius quoque imaginis laudem facit, quod nulla temporum iniuria laesa, in tot urbis incendiis, in tot hostium direptionibus inviolata perstiterit.

Imaginis B. Virginis illusores puniuntur divinitus.

Ibidem in s. Maria, schola graeca dicta, in sacello cernitur imago Deiparae iussu Pii V ibidem translata, quae in eiusdam domus pariete depicta multis clarebat miraculis.

Ibidem in sancta Maria super Minervam, in sacello in quo florentissima, et nunquam satis laudata rosarii sodalitas in Urbe est erecta, magna veneratione colitur imago Deiparae Virginis.

Imago B. Virginis in tegula depicta aquis supernatat.

Ibidem in sancta Maria in via extat imago miraculosa, in tegula depicta, quae in veneratione haberi coepit hac occasione. Prope viam publicam puteus erat ad equorum stabulum collocatus. In hunc imago haec Divae Virginis per imprudentiam iniecta, nocte quadam, exundantibus putei aquis, et equile ipsum inundantibus, super aquas natare coepit. Equorum strepitu excitati famuli imaginem in tegula depictam, aquis supernatantem conspiciunt: cardinalem Petrum Capotium, in cuius aedibus puteus situs erat, de miraculo admonent, qui magna pietate, et reverentia illam iconem domi suae primo reposuit anno Domini 1385, deinde Innocentii IV pontificis iussu ibidem aediculam a fundamentis excitavit, in eaque imaginem illam collocavit. Hanc aedem postea religiosi patres servitae in ampliorem formam extruxerunt, puteum intra templum concluserunt, ibique suum domicilium collocarunt.

Puer submersus vitae redditur.

Ibidem in templo hospitalis incurabilium dicto asservatur imago Deiparae venerationi exposita occasione, quam narro. Anno 1525 puer quidam septennis in Tyberim casu prolapsus est. Mater pro filii incolumitate Deiparam coram imagine eius, quae prope Tyberim sub quadam fornice posita erat, precata est. Mira res! Puer super aquas elatus revixit, laetusque retulit se a muliere quadam candido habitu amicta sustentatum et liberatum. Ergo ecclesia sospitatrici Virgini extruitur, et s. Mariae a miraculis intitulatur, patribus Minoritis Conventualibus, quos Reformatos vocant, assignatur, in eaque imago collocatur. Sed postea, nimirum anno Domini 1598, in ecclesiam hospitalis incurabilium, quae a cardinali Antonio Salviati magnificentissime extructa est, eadem imago transfertur, et ibi religiosissime colitur.

Ibidem in s. Maria a scala cernitur imago Deiparae, cuius occasione templum illud magnificentissime extructum est. Haec imago posita sub cuiusdam domus scalis tot tantisque miraculis clarere coepit, ut brevi temporis spatio piorum hominum eleemosynis templum illud sit extructum. Sunt et aliae plurimae imagines Deiparae in urbe, sed illas solum commemorare placuit, quae vel miraculis coruscant, vel in speciali veneratione habentur.

IN REGNO NEAPOLITANO

Neapolis civitas Campaniae, quae toti illi regno nomen dedit, multas imagines D. Virginis religiose colit. 22

Neapolis imagines Deiparae quot habeat.

Primo, in templo s. Mariae a principio extat imago Deiparae tum ob antiquitatem, tum ab arte commendatissima. Est enim sedens in throno, ingenti statura, ore augusto ac pio, fovetque in gremio puerum Iesum sinistra crucem praeferentem. Ad

Digitized by Google

hanc imaginem ingens fuit semper Neopolitanorum veneratio, ingens studium pietatis. Quin etiam in huius rei memoriam die 8 ianuarii festum s. Mariae a principio in eodem templo s. Restitutae virgini dicato solemni ritu celebratur, eodemque die e forensibus litibus vacatur.

Draco auxilio Deiparae extinguitur.

Ibidem in templo s. Gaudiosi religiose asservabatur imago Deiparae, ad cuius pedes anguis visitur, qui cum alios homines, pecudes, et pascua interfecisset, auxilio Deiparae miraculose extinctus est.

23 Ibidem in s. Maria de monte Carmelo, cui coenobium religiosissimorum patrum carmelitarum adiunctum est, imago Deiparae ingenti populorum beneficia poscentium concursu religiosissime colitur, multisque miraculis claret, ut votivae tabulae testantur.

24 Ibidem in templo sanctorum Eligii et Martini prostat imago in pariete depicta, antiquitate iuxta ac gravitate, et modestia insignis Divae Deiparentis Mariae speciem praeferens, *S. Mariam a misericordia* vulgus eam iconem appellat. Hoc unico deformata est figura, quod vulnus sanguineum in facie habet, inflictum ex hac causa.

Imago Deiparae a sacrilego percussa sanguinem mittit.

Aliquis aleator totam pecuniam lusu chartarum amiserat, non satis habens omnes coelites blasphemiis, et contumeliis incessisse, eam ecclesiam ingressus est, et pugione vibrato, imaginem innocuam Virginis Sanctissimae homo ille audacissimus in faciem percussit, vulnusque inflixit. Mirandum accidit! Ex vulnere sanguis fluxit, hominesque ad sacrilegii ultionem monuit.

Imaginis B. Virginis percussor punitur.

Homo vero perditus fuga se subduxit, Florentiam venit, et paulo post in manus satellitum incidit; dum enim aliquis in platea occisus iacuerat, dum hic latrocinii insons praeteriret, visus, comprehensus, in vincula coniectus, in equleo tortus, innocentem se homicidii, nocentem vero sacrilegii quod narravit, confessus est, et dignas flagitio poenas dedit. Bzovius anno 1209.

25

Ladislaus rex Neapolis ope B. Virginis a sciatica sanatur.

Ibidem in s. Maria dicta *ante saeculo* colitur imago Deiparae olim miraculis clara, ad quam conversus Ladislaus rex, cum sciatica laboraret, sanatus est, ut ibidem in inscriptione lapidi insculpta videre est.

Ibidem in s. Maria nova imago Deiparae, cognomento a gratia, ingenti miraculorum multitudine, et populorum frequentia celeberrima religiose colitur (1).

26 In eiusdem civitatis suburbio in insigni fratrum praedicatorum coenobio prostat portentosa Deiparentis imago, a frequenti aegris mortalibus sospitate collata s. *Maria sanitatis* dicta, quam quotidiano etiamnum miraculis faciunt celeberrimam. Erat hic olim templum s. Gaudiosi bittinensis episcopi e Genserici Vandalorum regis ariani saevitia profugi anno Domini 440. Postea vetustate desertum, terra pene obrutum, anno Domini 1577 egesta terra fratribus nostris donatum est.

27

Salernum imaginem B. M. Virginis miraculosam habet. Imago B. M. Virginis sudat.

Salerni, urbe neapolitani regni praeclarissima, s. Matthaei apostoli corpore insigni, extat imago Deiparae miraculosa in pariete cuiusdam domunculae, in qua retia, aliaque huiusmodi nautica instrumenta reponi consueverant, depicta; sed anno Domini 1633, die 22 maii insigni miraculo fuit illustrata. Una hora ante solis occasum prodigiose coepit emittere sudorem aqueo liquori persimilem, guttula etiam rubro velut sanguinei coloris ex eius fronte effluxit: quod eadem hora a viris circiter quatuor observatum est. Praesignabat hic sudor futuram cladem quae secuta est die sequenti, qui erat Pentecostes, in Monte Virginis, ubi excitato incendio, circiter sex millia hominum qui ad solemnitatem ex tota circumvicina regione convenerant, intempesta nocte ignis occupavit, et quadringentos ut minimum combussit, praeter eos qui confractis membris debilitati evaserunt.

Causa istius sudoris quae.

Pie creditum est, Deiparam Virginem pro horum incolumitate ea nocte multum apud Deum laborasse, et enixe pro eis rogasse, cuius laboris hic sudor indicium erat. Et nisi Filius maternarum precum intercessione aliquantulum placatus de iusta ira remisisset, multo sane maior calamitas fuisset, exigentibus id flagitiis, quae nonnulli ex illa multitudine ea nocte perpetrabant. Ita Petrus Antonius Spinellus tract. de exemplis et miraculis, c. ultimo refert. Neque haec piorum opinio fundamento caruit, nam simile exemplum de imagine Deiparae apud Caesarium lib. 7 mirac. legimus, ubi B. Dei Genitricis imago tam vehementer sudasse narratur, et sudoris guttae matronarum peplis astergerentur. Qua de re interrogatus quidam a daemone obsessus respondit: Quid statis mirantes? Filius Mariae manum extenderat ad feriendum, quam si ipsa non tenuisset, mundus iam non subsisteret. Ecce, haec est causa sudoris. Haec Caesarius. Idem prorsus pii credidere de hac imagine salernitana. Quare ubi is rumor tota urbe invaluisset eiusmodi imaginem sudare, ingentes ad eam facti sunt hominum concursus. Et circa domunculam illam, in qua imago Deiparae sudorem emiserat, eleemosynis piorum illic pietatis ergo confluentium nobile templum extructum est, hoc disticho ad imaginem adiecto, quo breviter ea quae diximus, indicantur:

Virgineus cum mons multorum caede flagravit,
Sudorem haec visa est mittere sanguineum.

28

Sudor ex imagine B. M. Virginis manans clericum manum aridam habentem sanat.

Et ne quis suspicaretur hunc sudorem vel casu, vel naturaliter, vel alia de causa manasse, Deus alio miraculo id comprobavit. Clericus quidam, cui brachium sinistrum una cum manu supra biennium aruerat, desperata a medicis sanitate, hoc sudore a sacerdote manu nuda illitus, statim brachium cum eadem manu movere coepit. Vide Petrum Ant. Spinellum loco quo supra, fusius ista narrantem.

29

Imago B. Virginis plorat.

Non absimilis visa est imago in episcopato spoletano prope oppidum Trivii, in quodam sacello in pariete depicta, quae a plurimis lacrymas fundere visa est anno Domini 1494, quae lacrymae multorum malorum in Italia prognosticum erant. Eius rei fama multos usque ab Roma excivit: collatis eleemosynis, eo loci templum mirae magnitudinis, et speciei in honorem Dei, et B. M. Virginis extructum est, quod sancta Maria de lacrymis etiam nunc vocatur. Gabriel Pennotus lib. 3. hist. sui Ordinis, cap. 34.

30

S. Maria ab arcu qua occasione venerari coepta est. Imago B. Virginis percussa sanguinem fundit. Imaginis B. Virginis percussor divinitus punitur.

In nolana dioecesi, sex ab urbe Neapoli milliaribus, in templo quod dicitur s. *Maria ab arcu*, in magna veneratione habetur imago Deiparae puerum Iesum inter brachia gestantis, quae olim sub fornice posita erat; et inde sancta Maria ab arcu nomen accepit. Centesimo et vicesimo quarto abhinc anno nobilissima divinitus illustrata est miraculo. Impius quidam et proiectae audaciae homo, quod in ludo pecuniae iacturam faceret, die sequenti Paschae resurrectionis Domini arreptam, quam ludebat, pilam irato infensoque animo in Deiparae depictae faciem sacrilega manu contorsit, eiusque sinistram genam valide percussit. Inde repente miraculose sanguis emanavit, cuius represso fluxu sanguinei coloris impressa cicatrix divinitus remansit. Impius percussor extemplo immobilis factus sui sceleris poenas dedit; a iudice damnatus ex arbore cum lusoriis instrumentis suspensus interiit. Tanti miraculi novitate vicinia commota locum illum frequentare coepit. Eo die, quo hoc miraculum factum est, nimirum feria secunda Paschatis, eo in loco solemnitas est decreta. Ad posteritatis monumentum sacrilegus ille nebulo ex arbore suspensus, cum lusoriis instrumentis in veteris aediculae pariete depictus cernitur.

31

Aliud huius imaginis nobile miraculum narrat Petrus Antonius Spinellus, loco quo supra, cap. 58. Mulier quaedam, cui Aurelia *del Prete* nomen, ex oppido sancta Anastasia una cum marito in villam suam ibat, porcellum prae se agens, prope sacellum s. Mariae ab arcu bestia de via oberravit, quam mulier fugientem insequi non valens in terram corruit, hinc indignabunda, atque ira percita sanctissimum Mariae nomen execrata est, malum insuper imprecata caementario qui sacellum aedificasset, pictori qui imaginem depinxisset. Tum maritus atrocitate tam im-

(1) Addicimus pauca de alia insigni imagine Deiparae, cuius auctor meminisse non potuit, cum sit recens. Extat igitur Neapoli in aede SS. Salvatoris, vulgo dicta *Gesù Vecchio*, imago B. M. Virginis sine labe conceptae, quam merito asserere possumus esse celeberrimam prae omnibus imaginibus sub hoc titulo Immaculatae Conceptionis in orbe existentibus. Ad hanc celebritatem evecta est non solum multitudine et praestantia miraculorum, ob quae aurea corona donata fuit a R.mo Capitulo Vaticano ex speciali privilegio, nam deficiebat illi antiquitas, sed etiam ex magna devotione omnium cuiuscumque ordinis tum ex laicis, tum ex ecclesiasticis ad eam pene ex toto orbe confluentibus; et, quod maximum, et satis mirandum est, insolitum et certe singulare, quia ad eius aram Pius IX Pont. Max. ille scilicet QUI DEFINIVIT DOGMA IMMACULATAE CONCEPTIONIS ad eius aram missam celebravit, et ad eius pedes postquam cum populo oravit, recitatis Litaniis Lauretanis, et tribus Ave Maria, in signum specialis servitutis reliquit scriptum proprium nomen suis ipse manibus coram omnibus. Vere omnes serviunt Domino, et Deus utitur malitia impiorum ad maiorem gloriam suae sanctae Genitricis: impii coegerunt Pontificem Roma exulare, Deus inopinato eum Neapolim duxit ad honorandam suam immaculatam Matrem, vel potius ut ex ea novus honor Pontifici accederet contra blasphemias inimicorum. Sic etiam impleta est prophetia insignis servi Dei, quem quam primum in catalogum sanctorum expectamus recensendum, qua promittebatur illi ecclesiae hoc speciale decus inopinatis visitationis Summi Pontificis. *Editor.*

manis execrationis commotus, uxore graviter increpata: At, at, inquit, dabis, ultore Deo, poenas tam nefandae vocis, qua Sanctissimae Virginis nomen execrata es; atque hinc ad annum pedes isti tui e cruribus divulsi divinitus in terram concident. Verba pondus habuerunt, et rusticani oris vaticinium eventus comprobavit. Nam anno proxime sequenti Aurelia pedum dolore laborare coepit. Accersitur eius oppidi chirurgus, qui non igne, non ferro, non ardenti aqua usus, sed amygdalino tantum oleo, et lactucarum foliis adhibitis, ignarus quid ultra remedii afferret, de eius salute omnino desperavit. Tandem inarefacti pedes distracti e cruribus, perinde ac si gladio abscissi essent, nullo dolore, nullo sanguinis fluxu conciderunt. Agnoverunt oppidani, et agnovit et ipsa Aurelia, eiusmodi calamitatem ei accidisse in poenam, tantique sceleris vindictam. Quare ab episcopali curia nolana legitime interrogati, id sub iuramento deposuerunt. Pedes intra crates ferreos repositi ad ipsum sanctae Mariae ab arcu sacellum suspensi visuntur ab anno 1590 usque in hodiernum diem.

Blasphemia in B. Virginem punita divinitus.

Inde ad eam Deiparae imaginem devotio populorum magis ac magis excitata est, ut ad Virginem ab arcu omnes accurrant suis in necessitatibus, ac malis Deiparae opem quaerentes. Plerique etiam nudis pedibus eo confluunt; nobiles matronae pretiosa quaeque comportant; alii sacram supellectilem conferunt; alii votivas tabulas appendunt. Tantumque pecuniae ex piorum hominum eleemosynis conflatum est, ut laxatis sacelli angustiis, non solum excitatum sit templum structura satis amplum, ac nobile, sed et coenobium fratribus nostris sit adiectum, in quo quinquaginta fratres aluntur. Petrus Antonius Spinellus loco citato.

IN HETRURIA

32 Florentiae imagines miraculosae B. Virginis.

Florentiae in templo augustissimo annuntiationis B. M. Virginis extat imago non humanis, sed angelicis manibus depicta hac occasione. Cum religiosissimus Ordo servorum Beatae Mariae Florentiae oriri coepit, septem illos nobilissimos cives florentinos, qui huic Ordini sacro initium dederunt, cupido tenuit, ut aliquam imaginem annuntiationis B. M. Virginis in ecclesia sua eiusdem tituli haberent, a qua Christi fideles in amorem benignitatis divinae inflammarentur. Pictor, designata in pariete loco, tabellae imaginem delineabat, dumque in ea cogitatione versaretur, quomodo opus perficeret, et patres opus perurgerent, non prius faciem depingere disponit, quam sacra exhomologesi conscientiam expiaret, et sacrosancta Eucharistia sese reficeret. Sacris ad eum modum procuratus, cum ad picturam accessisset, et ut extremam manum operi admoveret, penicillum accepisset, in ecstasim raptus, et obdormienti similis factus, visus est sibi videre faciem Divae Virginis opere perfecto effigiatam. Neque vana visio fuit. Cum enim ipsissimo B. M. Virginis die qua haec acciderent, propius ad picturam accessisset, velum quo reliquam picturam contegerat, revelasset, mirum dictu! vultum B. Virginis divinitus expressum reperit tanta venustate, quanta etiam coelites ipsos in amorem accendere, tantaque maiestate, quanta etiam inferioribus spiritibus terrorem venerationemque incutere possit. Obstupuit Florentia ad non manufactam speciei virgineae aspectum. Et ab eo tempore adeo in amorem Sacrosanctae Deiparae exarsit, ut fere omnibus aliis Italiae civitatibus invidiam excitare videatur propter devotionem, quae in universis Florentinis nascitur a frequentia miraculorum ab eadem imagine ad haec usque tempora productorum. Abraham Dzovius ad annum 1239.

Imago B. Virginis divinitus depicta.

33 Ibidem prostabat eiusdem Deiparae Mariae imago in pariete satis affabre depicta, ad quam cum promiscua plebs ingenti devotione ferretur, miraculis coepit illustrari. Claudi erigebantur, contracti sanabantur, daemones ab energumenis exibant, et multae praeterea infirmitates, multae calamitates a mortalibus ope B. Virginis depellebantur. Initio fratres praedicatores et minores aliquantum contradixere, dubitantes an omnia ex Deo essent. Ceterum et ipsi non nisi ope suprema patrata esse intelligentes, in sententiam piae multitudinis concessere, quod Diva imaginem suam perennibus miraculis exornaret in salutem populorum. Ita narrat sanctus Antoninus p. 3, tit. 20, cap. 7.

34 Lucenses imagine B. Virginis miraculosa gaudent.

Apud Lucenses in Hetruria extat imago Deiparentis puerum Iesum in manibus gestantis, tres roses in manu habens, et inde a rosa nominata est. Mirum hoc accidit. Quidam puer quindecim annorum pecora paterna circumcirca muros civitatis pascebat. Eo in loco cespes unus multa herba virens erat, quem oves praeteribant, nec unquam decerpebant, sed velut oestro percitae refugiebant. Puer curiosus accessit, et num quid intus lateret, inquisivit. Et ecce inter tescua rosam unicam purpuream invenit, collegit, patrique pro re insolenti (ianuarius enim erat, et fere omnia a pruina rigebant) attulit. Dumque porrigeret, illud mirandum! hacusque mutus, usu linguae accepto, hanc rosam pulcherrimam illo loci se invenisse dixit. Obstupuit pater, rem omnibus, et tandem episcopo vulgavit. Qui novitate perculsus eo vadit, et cespitem in conspectu imaginis natum, rosam nonnisi miraculo ab aspectu Virginis productam invenit. Eo loci postea cives lucenses sacellum, ad extremum ecclesiam magnifico sumptu extruxerunt, atque imaginem eandem intulerunt multis ac maximis miraculis ad haec usque tempora illustrem. Caesar Franciotus in historia lucensi, anno Domini 1265.

Sunt et aliae sparsim per Italiam, praecipue in ecclesiis fratrum praedicatorum miraculis celeberrimae Deiparentis imagines, ad quas uti ad perpetuo manantes gratiarum fontes, maxima pietate populus certatim confluit. Cuiusmodi sunt in Monte Regali, Girifalci superioris Calabriae, Brundusii ditionis tarentinae, Caccami Siciliae. Alias itidem in eadem Italia multas in diversis tum religiosorum, tum saecularium ecclesiis Deiparae icones miraculis coruscantes, maxime eas quae sanctissimi rosarii reginam referunt, et mortalibus multa salutis pharmaca conferunt, consulto praeterea. Hanc enim materiam de imaginibus B. Virginis solum obiter tracto. 35

35 Italia multas imagines B. Virginis miraculosas habet.

Avenione in Gallia in summa veneratione habetur imago Deiparae, ad quam aliquando cives ab hostibus obsessi confugientes, et in supplicationibus deferentes, praesens auxilium divinum senserunt. Quidam enim ex civibus stans in portae custodia, post imaginem mittens in adversarios iacula magnam stragem de hostibus faciebat. Hunc latentem quidam hostium aspiciens: nequissime, inquit, mortem non effugies, nec iam tibi subvenire poterit effigies, nisi portam deserens urbem aperire festines. Haec dicens vibrabat iaculum in civem. Mira res! Imago genu erexit, et iaculo se obiiciens illud excepit. Tum clamor omnium, quod Sanctissima Dei Genitrix pro civibus pugnat. Hostes haec audientes, stupore simul ac tremore permoti arma proiiciunt, et ea quae pacis sunt, petunt. Ecclesiam Dei Genitricis adeunt, et magna donaria offerentes, de cetero se nihil loco illi nocituros promittunt. Imago illa iaculum gerens in poplite erecto, in eodem loco usque in hodiernum diem manet. Vincentius Bellovacensis in speculo historiarum, lib. 87, c. 83.

36 Avenionenses ope B. Virginis ab hostibus liberati.

Maria pro christianis pugnat.

IN HISPANIA

Hispania omnium, quae sub coelo sunt, regnorum, uti fidei catholicae, ita cultus Deiparae est studiosissima. Hanc enim devotionem ipsa Deipara s. Iacobo apostolo in Hispania evangelium praedicanti Caesaraugustae ei apparens super quadam columna, (dum adhuc viveret, sed in Oriente) choro angelorum suavissime cantantium stipata Hispanis se praestituram promisit in haec verba: *Haec Hispaniae pars erit mihi devotissima, et ex nunc eam in meam protectionem accipio.* Ribadeneira in vita s. Iacobi. Ab illa parte Hispaniae per omnia regna illius devotio erga Beatissimam Virginem mirum in modum se diffudit. Unde habent imagines B. Virginis praeclarissimas, et multis miraculis coruscantes.

37 Hispania B. M. Virgini devota patrocinio ipsius specialiter gaudet.

Madriti prostat imago B. M. Virginis, *de Atocha* vulgo dicta, inter omnes quas ea regio D. Virginis prodigiosas imagines iactat, tum antiquitate, tum dignitate prima. Eius initia omnium vetustissimorum scriptorum memoriam superant, quae haud dubie miraculosa fuerunt. Huius imaginis s. Ildephonsus meminit, eiusque praeconia celebrans peregrinationem ad eam suscipere consuluit scribens cuidam caesaraugustano canonico. Floruit autem d. Ildephonsus anno Domini 656. Unde liquet hanc Deiparae imaginem iam tunc miraculis coruscasse, et vario hominum cultu celebrem fuisse. Huius imaginis inter alia innumera, eaque praeclara miracula hoc praecipue celebratur anno Domini 720. Cum barbara Saracenorum manus Madritum occuparet, illustris ac strenuus dux Garzias Ramirez hostium feritatem fugiens una cum uxore, filiisque in arcem Ribas ad Xaniram dictam se recepit. In rebus illis deploratissimis pro sua suarumque incolumitate Deiparae opem imploraturus aediculam, in qua imago Deiparae *de Atocha* prostabat, saepius invisebat. Aliquando sacellum ingressus simulacrum abesse conspicit. Dolet, luget, omnia explorat, et ecce inter herbas, et frutices imaginem reperit. Humi se prosternit, prout potest, devoto animi sensu veneratur,

38 Madriti imago B. Virginis *de Atocha*.

Digitized by Google

terram herbasque millies exosculatur, imaginem vero vel appresso ore tangere non audet. Concipit animo, et Virginem precatur, patiatur sibi ab eo tuguriolum ea loci extrui, quo imago eius a coeli iniuriis tuta sit. Rem agit, et accita uxore, filiabus, familiaque tota, teccam fodere, calcem parare, lapides ferre incepit. Barbari id a longe spectantes rati a christianis arcem aliquam, seu propugnaculum extrui, ad arma concurrunt, ad locum illum properant. Garziam consilii inopem hosti terga vertere bellica virtus prohibebat. Uxoris, filiarumque, sexus imbellis, vita et pudor, insuper Deiparae imago, barbaris hostibus futura praeda, animum eius valde premebant. Quocirca Virginis praesidium appellat, cum hostibus licet viribus impar congredi, et pro religione animose occumbere se resolvit. Comites paucos, nec armis facto assuetos ad pugnam mortemque pro istis Mariae aris obeundam strenue hortatur. Uxorem filiasque volentes, immo id petentes, ne barbarorum veneri servarentur, B. Deiparae committit, et iugulat. Instant hostes, prodit in aciem Garzias cum virorum numero longe impare. Inter tela ensesque barbarorum Regina coeli ei adest, vires, animumque tum sibi tum sociis subministrat; hostes fascinatis oculis sese invicem invadunt, confodiunt, iugulant, grandique prodigio omnes caesi profligatique sunt. Post tam nobilem victoriam Garzias ad Virginis imaginem redit Deo ac Virgini maximas, quas poterat, gratias acturus. Interim exiguae in Deum, Deiparamque Mariam fidei, se lidiriae sese graviter accusat, quasi vero haud satis praesidio Virginis tutus esse debuisset, ut coniugem, carissimamque prolem iugularet. At ecce, o rem stupendam! dum ante Virginis *de Atocha* iconem stat, uxorem filiasque, quas abscissis cervicibus reliquerat, ad Sanctissimae Dei Matris imaginem adgeniculatas, salvas, et incolumes videt. Quas hic lacrymas prae laetitia incredibili fuderint omnes, capiat, qui potest. Haec sacra icon diu prostabat in templo Deiparenti *de Atocha* dicata, in suburbio solitudini magis commodo, quam populorum concursui, donec anno Domini 1523 Ioannes Hurtadus a Mendoza, eques nobilis salmantinus, renuntiato baltheo militari, in religiosam militiam sub signis s. Dominici nomen dedisset, qui templum illud, patrocinante Carolo V, consentiente Adriano VI summo pontifice, a toletano canonico s. Leocadiae abbate impetravit, constructoque ibi celebri coenobio, fratribus praedicatoribus illud donavit. Quo ex tempore in filiorum suorum amplexibus conquiescit benigna Virgo Mater *de Atocha*. Choquetius c. 26.

Victoria mirabilis ope B. Virginis parta.

Occisi ope B. Virginis ad vitam redeunt.

39 Medinae (1) magno populorum concursu religiose colitur Divae Deiparentis imago a nostro fratre Thoma Barlanga miraculose in mediis fluctibus maris inventa. Navigabat is de Indiis in Hispanias, cum, coorta saeva et diuturna tempestate, quae supremum exitium certo certius minabatur, omnes quotquot in navi erant, cohortante episcopo ad misericordiam, et naufragantium portum B. V. Mariam supplices manus cum lacrymis tendebant. Et ecce inter furentes undas ingens quidpiam navigii instar, quod in eos invalare videbatur, e longe conspiciunt. Propius accedentes, sedato iam mari, arculam inveniunt, thesaurum subesse rati certatim quisque praedam sibi vindicare satagit. Tum episcopus: Si, inquit, quaepiam religiosa imago sit, aut sacrum aliquid, mihi iure merito obveniat. Omnibus annuentibus, arcam effringunt, ac primo ipso conspectu maxima lux oculos eorum perstrinxit; ut involucra dimoverunt, iconem Deiparae Virginis repererunt: mox in genua procidentes Sospitatricem suam quae eos ab illo praesenti naufragio liberaverat, adoraverunt. Ubi prospero cursu gaditana Hispaniarum litora attigerunt, episcopus iconem B. Virginis omnium consensu sibi adiudicatam repetit, reclamantibus, et ad sortes vocantibus, sors tertio iacta, haud dubie divino favore, episcopo cessit. Imaginem igitur sic acquisitam Barlangam defert, quae in altari posita tantis radiis statim emicuit, quantis in mari antea splenduerat. Fratres nostri tanto munere ditari cupientes, ab eodem antistite Thoma, utpote sui Ordinis alumno, eandem sacram iconem impetraverunt. Barlangani canonici id aegerrime ferentes, antequam episcopus nostris eam donasset, astu quodam filiolum matri surripuerunt, nec ulla ratione eum sibi eripi sivecunt: Barlangani igitur in maiori templo puellum, nostri vero Matrem obtinent, et utraque statua magnis miraculis coruscat, et magno populorum concursu, ac pietate colitur. Choquetius c. 26.

Imago B. Virginis magna luce coruscat.

Apud Nievam, oppidum Hispaniae, dioecesis segoviensis, magnis a Deo miraculis dotata clarescit D. Deiparentis imago, quam pastor quidam ovium, Petrus nomine, indicante ipsa Beata Virgine, invenit. Pascebat oves praefatus Petrus, cum nihil minus cogitanti Diva Virgo lumine circumdata apparet, illumque monet, ut episcopum segoviensem adeat, qui latentem se sepultam suam iconem effodiat, in apertam lucem proferat, templumque suo nomini extrui curet. Locum rustico indicat, et quo ei fides adhibeatur, crucem ex lapideis tegulis consectam in eius dextera inter pollicem, et indicem ponit, additque, a nemine quam ab episcopo illam crucem sibi adimi posse. Vadit ille, iussa Virginis exequitur, et cuncta per ordinem episcopo narrat. Is Petrum audit, stupet, coelestis argumenti crucis, nimirum rustici hominis digitis impactae, veritatem explorat, deprehendit fidemque tribuit. Continuo itineri se accingit; tandem locum quem Petrus demonstrabat, adspicit, terramque effodi iubet, et vix ullo labore statuam B. Virginis sepultam reperit, quam venerabundus suspicit, colit, amplectitur, et in oratorio ibidem tumultuarie confecto reponit. Extemplo imago illa ingentibus miraculis clarescere coepit. Hanc Henricus III Castellae rex amplum, et augustum templum eo in loco extruxit, illudque una cum imagine fratribus praedicatoribus adiudicavit, ut nimirum augustissimae coeli Reginae filii, et clientes pro eximio amore, quo in tantam Matrem feruntur, ei perpetuum cultum et obsequium impendant. Choquetius loco quo supra. 40 Opilioni B. Virgo apparet.

In urbe sarabitana, vulgo *Toro*, extat imago Divae Deiparentis Mariae in templo fratrum praedicatorum a Maria Molinesia Alphonsi Castellae regis uxore condito anno Domini 1284. Haec imago communiter statua pacis dicitur, eo quod seditionem civitatis aliquando miraculose sedavit apparens media nocte inter cives confligentes. Ioannes Lopez parte 3. 41 Sarabitana imago B. Virginis.

In agro Tuengarra religiose colitur imago B. V. Mariae, quae inter sparta et vepres ab opilionibus reperta, et in ecclesiam loci illius cum honore delata, semel et iterum ad eundem locum, puta spartacium, per aerem in nube candida coerulea arcui iridis instar insidens miraculose delata fuit, donec in eodem loco primo sacellum, postea augustum templum extructum fuit, et Ordini praedicatorum commendatum anno Domini 1508. In quo templo imago illa in magna populi veneratione habetur, *Beata Maria de Valle Verde* dicta, id est, a valle viridi. Lopez loco, quo supra. 42

In Catalaunia, in editissimo ac propemodum inaccesso Pyrenaei montis loco, ob Maurorum Hispanias occupantium impietatem, a catholicis illius calamitosi temporia recondita diuque sepulta fuit Beatae Virginis imago, donec caro prodigio se tandem prodidit. Bubulcus circa locum illum boves pascebat, cum repente taurus iuxta fontem adgeniculatus, altissime mugiens, caudaque blandiens bubulcum, et postea vicini pagi homines advocavit. Terram parum effodiunt, et mox statuam B. Virginis elegantem inveniunt, cui tumultuarie sacellum parant. Verum, inclarescentibus quotidie, semperque succedentibus in horas ad eam iconem ingentibus miraculis, christianorum pietate in eo loco splendidum templum extructum est, et fratribus Ordinis praedicatorum donatum anno Domini 1587, ubi hodie gloriosa Dei Mater magno mortalium concursu religiosissime colitur. Franciscus Diagg. lib. 2. 43 Catalaunia imagine miraculosa B. Virginis clara. Taurus ante statuam B. Virginis genua flectit.

In Xeres de la Frontera, ad fretum gaditanum prostat in aede sacra fratrum praedicatorum imago Deiparentis Mariae ab ipsa Virgine nostris pro insigni munere donata anno Domini 1285. Dominicus quidam, genuensis, e patria sex navium classe mercibus onusta in Hispanias tendebat, iamque prope sinum cui a rosis nomen est, erat, cum subito coorta saevissima tempestas omnes illos in supremum exitium trahebat. Dominicus iam antea B. Virgini devotus una cum sociis eius opem ardentissime implorat, unus ex nautis nauticam speculam ascendens duo lumina in mediis fluctibus icati maris natantia, illisque magis ac magis se approximantia conspicit. Lumina, lumina, clamat. Quo clamore exciti omnes circumspiciunt, luminaque ad se advenire cernunt: et quo magis eis appropinquabant, eo magis mare ac venti quiescebant. Dominicus ergo cum aliis quatuor cymbam conscendens exploraturi quid ibi esset: deprehendunt lintrem, in quo erat unica Deiparentis statua; eam venerati in onerariam navem 44 Xeres urbs imagine miraculosa B. M. Virginis insignis.

(1) Nunc Methymna Assidonia dicitur, in provincia gaditana in Vandalitia. In Hispania enim habentur plures civitates huius nominis Methymna, quae ab auctore nostro dicitur *Medina*, uti sunt Methymna coelestis, campestris, flumi sicca, et aliae alibi, ut in Africa et America. *Editor*.

imponunt. Nocte sequenti Dominicus vocem audit : *Ad praedicatorum Ordinis viros cupio deferri.* Dominicus mox ut portum feliciter attigit, iconem illam in Xerum, urbem sesquimilliari forte a portu dissitam, secum detulit voci coelitus ad eum delapsae parere volens, ubinam fratres praedicatores in ea urbe agant, sciscitatur. Plebs coenobium franciscanorum ei demonstrat, eo quod iam fratres minores in ea urbe cum laude praedicabant, et nostri plurimis e plebe nondum cogniti fuerant. Dominicus ergo statuam illam Beatae Virginis ad franciscanos defert, remque eis omnem ex ordine refert. Illi exultabundi cum humeros sacro illi ponderi supponere parant, statuam ceteroqui exiguam, minimeque gravem loco dimovere non potuerunt. Tanto prodigio perculsi omnes haerere primum, deinde a Dominico motum coeleste diligentius percunctati eis in mentem venit, illo oraculo Ordinis praedicatorum viros designari. Eos itaque vacant, qui cito gradu accurrerunt, statuam illam B. Virginis cum ingenti laetitia acceperunt, lacrymis perfusi Deo ac eiusdem B. Genitrici summas, quas potuerunt, gratias egerunt, salutarunt, humeris suis impositam in aedes suas, oratoriumque intulerunt, ubi hodie religiose colitur, et mortalibus in quibusvis necessitatibus eorum benignissime opitulatur. Choquetius loco quo supra.

45 In insula, Tereniffa dicta, itidem apud fratres praedicatores asservatur miraculosa Deiparentis icon, et in magna veneratione habetur. Huius imaginis similitudinem nullus pictor, aut sculptor unquam delineare potuit. Saepe variis modis id tentatum est, sed nunquam permisit Deipara Maria; nam imago eius in alias et alias formas versa omnem artis operam semper elusit. Fidem omnem superat, quanta ad eam quotidie religionis et patrocinii ergo confluit hominum multitudo. Duobus saeculis ante restitutam in insulis illis christianae fidei lucem (nam illis aliquando antea affulsisse certum est) barbari incolae iconem illam ut ingens aliquod divinumque lumen summa veneratione colebant. Choquetius loco memorato, ex Plodio tomo de progenie s. Dominici, libro 7, c. 48.

Tereniffa insula imagine miraculosa B. M. Virginis dotata.

Sunt et aliae in Hispaniis quamplurimae Deiparentis icones apud fratres praedicatores praeter illas pene innumerabiles, quae B. Dei Genitricem de rosario repraesentant, magnis miraculis coruscantes, et miram populi devotionem erga B. Virginem concitantes, ut est illa apud Rupem Gallicam, de qua inferius. Ex quibus quilibet colligere potest, quam propensissimo animo sit B. V. Maria in Ordinem nostrum, quem tam praeclarissimis ac portentosis suis illustrare voluit iconibus.

Praeter iam commemoratas B. M. Virginis imagines coluntur et aliae quamplurimae ibidem magnis prodigiis micantes.

46 In Monte Serrato haec imago in quadam spelunca ab aliquo viro sancto eo tempore, quo Mauri Hispaniam occuparunt, erat reposita. Post multa demum annorum spatia divinitus prodita fuit hoc modo. Pastores ex Ministrolo pago pecora sua simul pascentes, singulis sabbati diebus, sub noctem intendentibus se tenebris, subita de coelo effundi flammarum lumina, insolitis fulgoribus coruscantia, certae montis speluncae incumbentia viderunt, et ex eadem spelunca choros quasi modulantes et suaviter concinentes audierunt. Id quisque suis parentibus narravit, hi parocho exposuerunt, parochus pro officii sui ratione episcopo retulit. Confestim ille magno cum conventu sabbati die Montem Serratum adit, et sub vesperum lumina suis oculis, et symphoniae cantum auribus haurit. Ergo admirabundus in sequenti die dominico locum in quo visio apparuerat, perquirit, tandem quamvis aegre propter montis asperitatem, intra cavernulam, unde odor quoque suavissimus efflabatur, eminentem, ac solidam Deiparae effigiem reperit. Ergo ingenti laetitia perfusus, supplicationem cum cereis facibus edicit, Virginis statuam in Ministrolum proximum asportaturus. Verum ubi ad certum quemdam locum qui statuam portabant, venerunt, ex eo loco neutiquam se movere voluerunt. Intellexit episcopus divinam esse voluntatem, ne illinc demigraret. Quare illico sacellum excitari, aram magnifice extrui iussit, et ibi simulacrum Reginae coeli reposuit, custodiamque eius Ministroli parocho commisit. Extemplo peregrinorum concursus variis ex partibus cum ingenti animorum, corporumque utilitate fieri coeptus est. Postea Guilfrapelus barcinonensis comes ibidem coenobium monialium s. Benedicti aedificavit, ubi eiusdem comitis filia primo a Ioanne Guarino viro sancto a daemonio liberata, postea ab eodem violata, et demum interfecta, post septem annos precibus Deiparae Virginis vitae restituta, prima abbatissa fuit. Rem gestam de Ioanne Guarino fuse narrat Petrus Antonius Spinellus in tractatu de templis Deiparae, num. 57, 58.

Mons Serratus imagine prodigiosa B. Virginis claret.

Elapsis iam annis centum, cum pietas hominum in religiosissimam illam sedem adeo excrevisset, et magna vis hominum eo confluxisset, et minime deceret religiosam vitam professas virgines tam frequens cum peregrinis habere commercium, Borellus barcinonensis comes moniales illas omnes summi pontificis auctoritate inter Barcinonem ad s. Petri monasterium transtulit, in Monte vero Serrato coenobitas ex eiusdem s. Benedicti familia posuit. Deinde anno Domini 1498 Ferdinandus, et Isabella catholica reges in idem monasterium severioris disciplinae monachos eiusdem s. Benedicti invexerunt.

Praeclarissimo deinde templo extructo, Deiparae statua sublimis in maxima templi sacello sita est, ante quam lampades ex argento quinquaginta pendent, et collucent dona variorum pontificum, regum, imperatorum, ibique cerei complures immensi ponderis certis diebus ardent. In hoc templo supellex sacra luculenta, margaritarum et unionum cultu ornata, monumenta pia munificentia regum, principum ac dynastarum, sanctorum quoque reliquiae complures ibidem asservantur.

Templi ornatus.

Miracula innumerabilia ibi fiunt, quae idoneis testibus sunt probata. Ingens extat liber in quo quamplurimi recensentur aegroti curati, energumeni liberati, captivi ab infidelium servitute exempti, mortui ad vitam revocati, quorum votivae tabulae, aut cereae vel ligneae statuae, eorundem beneficiorum indices, in templo et coenobii claustro pendent.

Miracula apud Montem Serratum.

Ad huius sacrae imaginis laudem plurimum facit, quod sanctus Ignatius fundator Societatis Iesu coram ea Societatis eiusdem quasi fundamentum posuit. Siquidem saeculari habitu exutus coram hac imagine, cui tota nocte vigilans, seque enixe commendans, novum vitae genus, sanctitate praeclarum est aggressus. Quare multum loco illi Ecclesia catholica debet, unde tam praeclara Societas exorta esse creditur, ex qua tot, tantorumque virorum agmina sanctitate, eruditione, doctrina, animarumque salutis uberrima fruge fulgentia ad hanc usque diem prodierunt, et deinceps ad finem usque saeculi prodibunt.

Societatis Iesu initium.

Tantum eius imaginis devotio fidelium corda movit, ut Romae, Neapoli et alibi templa, et imagines sub nomine Deiparae de Monte Serrato erecta cernuntur.

Guadalupae, oppido Hispaniae, quod latine flumen luporum sonat, extat imago D. Deiparentis Mariae innumerabilibus miraculis coruscans. Fama est, hanc imaginem sanctum Gregorium ad Leandrum hispalensem episcopum, cui inscripsit librum moralium in Iob, dono misisse, quae in magna apud hispalenses veneratione habebatur. Verum Mauris Hispaniam invadentibus, pii aliquot incolae hispalenses eam una cum corpore sancti Fulgentii astigitani episcopi in antro quodam condiderant, ne ludibrio infidelibus foret. Sexcentis fere annis haec sacra icon in eo antro obturato delituit; donec B. Virgo bubulco cuidam apparens hac de re ipsum admonuit, et hunc in modum revelavit. Boarius aliquis qui urbem cacerensem incolebat, vaccam amiserat, eam cum per saltum invium quaerens erraret, tandem in loco, ubi nunc templum conditum est, reperit, sed mortuam. Cultro exerto, pellem detrahere volebat, et iam seminudaverat, cum per miraculum animal reviviscens surrexit, magno metu boarium ex ingesti admiratione percussit. Sed tamen in momento ad se reversus, Divam Deiparam magno splendore illustrem oculis suis praesentem aspexit, quae metum excutiens, haec ad ipsum ait: Ad urbem continuo perge, et clerum convoca, ut huc venientes terram fodiant, et imaginem meam procul dubio invenient. Quod si verbis meis fidem adhibere noluerint, hoc tibi signum esto. Quando ad domum tuam perveneris, filium tuum, quem mortuum invenies, ad vitam redire videbis. Ergo cum ex dicto Virginis omnia successissent, boarius senatum, clerum, ac populum convocavit, audita, et visa renuntiavit, et ad imaginem tantopere desideratam refodiendam omnes adduxit. Invenerunt igitur in antro Divae Reginae coelorum iconem quantitate non adeo magnam, quae tamen intuentes ad pietatem excitabat, eodemque in loco s. Fulgentii astigitani episcopi corpus invenerunt. Extemplo aedicula ad imaginis honorem pro loci opportunitate aedificata, donec Alphonsus IX rex templum ibidem extrueret, dote augeret, clericosque constitueret, qui divinum officium rite persolverent. Tandem a Ioanne I Castellae rege ecclesia illa religiosissimo ordini s. Hieronymi procuranda data est. 47

Guadalupae imago B. Virginis unde.

Bubulco apparet B. Virgo Maria.

Vacca occisa reviviscit.

Digitized by Google

Miracula apud Guadalupam.

Guadalupensis templi ornamenta.

Miraculorum quae apud eam imaginem Deiparae ope Deus patravit, nullus est numerus. Pendent ex parietibus templi feretra mortuorum, ex quibus ad vitam plurimi surrexerunt, fulcimenta paralyticorum et claudorum, catenae et compedes vinctorum, aliaque anathemata eorum, qui sanitatis aliquod beneficium consecuti sunt. Tum denique donaria pretiosa templo oblata, peregrinorum frequentia continua ad Divam, per cuius intercessionem quaecumque optata a Deo recipiunt. Ludovicus Nunnus, et Alphonsus Cacconus apud Bzovium anno 1313, n. 30.

48
Rupes Gallica imagine B. Virginis clara.

In rupe Gallica miraculorum fama celebris colitur imago Deiparae, quam in terra effossam Simon Robanus sive Vele ab ipsa Deipara per quietem sibi apparente, in rupe Gallica perquirere iussus est. Quaesivit eam in Galliis toto quinquennio, sed frustra. In Hispaniam ergo ad sanctum Iacobum in Compostellam profectus Deiparam Virginem impensius orabat, ut sibi rupem Gallicam, ubi tandem locorum esset aliquo indicio declararet. Haud ita multo post, carbonarii cuiusdam indicio, atque aliorum responsa secutus, cum ad rupem silvamque pervenisset, apparuit ei per somnium Deiparae species Filium gestantis in ulnis, ac multo lumine circumfusae, quae iubet ex eo loco effossam imaginem in summo montis apice collocari, ac ibidem templum erigi. Ergo anno 1434 imagini effossae tuguriolum quoddam ex lignis raptim excitavit. Verum tot tantaque divina miracula illic edi continuo coepta sunt, ut tribus duntaxat exactis mensibus, in aediculam iuxta Deiparae praescriptum in editissimo montis fastigio estructam imago illata sit. Tandem, crebrescentibus quotidie miraculis, a Ioanne II Castellae rege ibi templum amplissimum extructum, et fratribus nostris attributum est.

49
Toleti imago Deiparae miraculosa.

Toleti estat simulacrum Deiparae ex ligno lamina argentea convestito. Sedet in throno eleganti venustate ac gravitate, perquam similis vultui, quem habuisse Deipara describitur ab Epiphanio presbytero constantinopolitano apud Nicephorum libro 2, cap. 23, nimirum colore triticum referente, capillo flavo, oculis acribus, subflavas, et tanquam oleae colore pupillas in eis habens, supercilia inflexa et decenter nigra, nasus longior, labia florida et verborum suavitate plena, facies non rotunda sed acuta, et aliquanto longior, manus simul et digiti longiores; puer vero Iesus Matri simillimus.

Toletanam ecclesiam cathedralem B. V. Maria sua praesentia ornat et s. Ildephonso vestem donat.

Eiusmodi simulacrum sancti Ildephonsi aetate arae maximae superpositum erat. In hoc templum Deipara innumerabilium propemodum angelorum ac virginum multitudine stipata, magno fulgore circumfusa die 18 octobris descendit, et in cathedra ex qua s. Ildephonsus verba faciebat ad populum, consedit, eique vestem ad sacrificandum donavit. Et cum iam discedere vellet, suum hoc simulacrum in ara maxima positum complexa est. Ex hoc ingens populi in sacram hanc effigiem excitata est pietas. Verum cum Mauri Hispania potiti essent, illud christiana pietas in puteo quodam sub ara maxima furtim absconderat; postmodum exactis Mauris, atque in christianorum ditionem templo redacto, divina lux ea hora, qua in officio divino laudes concinuntur, eo in loco mirifice radiabat. Tandem archiepiscopus et clerus intellexere eam ibi imaginem reconditam esse, qua Deipara olim in hoc templum descenderat. Ergo extractam sacram imaginem in loco in quo antea fuit, collocarunt, quae plurimis miraculis coruscat, ubi etiam peregrini divina beneficia petituri accedunt; et die 24 ianuarii festum descensionis B. V. Mariae magna solemnitate ibi quotannis recolitur. Mariana lib. 8 de rebus Hispaniae.

50
Valentiae imago Deiparae miraculosa.

Valentiae colitur imago Deiparae ulnis Filium gestantis, quae annis quingentis decem, quibus Mauri Hispanias occuparunt, terra obruta iacebat. Verum indicio coelestium luminum in eum locum delabentium demonstrata ad altare maius collocata est. Ubi et miraculis claret, et magna urbis, totiusque valentini regni veneratione colitur. Bernardus comes aagontinus lib. 10 de rebus gestis Iacobi Aragoniae regis.

51
Hallensis imago Deiparae miraculosa.

In Belgio in templo oppidi hallensis, quod est in finibus Hannoniae, tertio a Bruxella milliario, colitur imago Deiparae bipedalis circiter, ex puro ligno, non solum ab omni carie immunis, verum ab incendiis quae oppidum illud aliquoties sensit: quia etiam illud oppidum ab hoste et vi bellica Deiparae ope mirabiliter saepius est defensum. Hanc imaginem Mechtildis soror ducis Brabantiae quae diem obiit 1262, iam moritura collocari voluit Hallis Hannoniae. Eam vero acceperat a sorore dicti Henrici uxore. Huic vero eam dedisse putatur mater sua s. Elisabeth regis Hungariae filia. Ceterum tot, tantisque miraculis illa imago Deiparae coruscat, ut si omnia enumerare vellem, iustum volumen mihi esset conficiendum, sicut confecit Iustus Lipsius, vir litteris et eruditione conspicuus.

52
Sichemiensis imago Deiparae miraculosa.

Sichemi sive Aspricoli, oppido Belgii, colitur imago Deiparae multis beneficiis ac miraculis coruscans. Ibi varia morborum genera curantur. Caeci, surdi, claudi, paralytici, herniosi, epileptici, ulcerosi, veneficio affecti, energumeni, coneri saevo morbo depasti, apoplexia, spasmo laborantes Virginis ope, cuius auxilium implorant, sanitatem consequuntur. De hac quoque imagine Iustus Lipsius aliud volumen edidit, in quo praefata miracula fuse enumerat.

53
Valcuriae imago B. Virginis ab angelis de incendio eripitur.

Valcuriae prope Namurcum estat imago Deiparae Virginis miraculosa, quam s. Maternus divi Petri discipulus suis manibus delineatam in basilica a se extructa collocavit. Verum cum ignis templum absumeret, dicta imago, praeeunte alba columba, cunctis videntibus, ab angelis in sublime translata est, et procul in suburbano quodam horto ab iisdem posita. Unde cum nulla arte transferri posset, Theodoricus loci regulus, voto facto, monasterium se in loco hortuli extructurum promisit, et ita, Deo permittente, imaginem Valcuriam retulit. Ad eius adventum tanta confluxit frequentia, et ea fuit liberalitas peregrinorum, ut ibidem templum magnificum sit aedificatum, addito collegio novem canonicorum cum praeposito cum viginti et amplius sacellanis. Antonius Balinghem in calendario B. Virginis, in principio maii n. 2.

54
Oves ante imaginem B. Virginis genua flectunt.

Smelcemis prope insulas prostat imago Deiparae miraculosa, ad quam Balduinus cognominatus Pulchrobarbus, cum votum fecisset, ab incurabili sanguinis profluvio quo septemdecim annis laborabat, perfecte curatus est. Haec sacra icon primo in arbore quadam fuit collocata, ante quam oves in pascua euntes, et inde domum redeuntes venerabunde genua flectebant, tacite quodammodo sectarios huius saeculi carpentes, qui imagines Deiparae non modo non venerantur, sed etiam destruunt, et comminuunt. Antonius Balinghem in calend. B. Virginis die 30 maii, num. 2.

55
Bingae imago miraculosa B. M. Virginis.

Bingae in Germania dioecesis moguntinae, in monasterio sancti Ruperti, ultra Nabum fluvium prostabat Beatissimae Dei Genitricis Mariae imago in muro arcualiter effosso satis decenter depicta, coronam habens in capite, in qua erant quatuor lapides crystallini muro et coronae artificialiter infixi, et quintus in pectore ipsius imaginis. Milites duo lustratis omnibus locis, et singulis monasterii, cum nihil praeter eam imaginem invenissent, ne omnino vacui abirent, unus eorum altare ascendit, et de corona Virginis lapides crystallinos effodere coepit. Alter eum increpando dixit: Quid facis, o miser? Desine spoliare Matrem misericordiae. Hanc increpationem sacrilegus contemnens, quatuor crystallis ex corona iam effossis, quintum de pectore effodere volebat. Tum subito imago illa sudare coepit. Sacrilegus nihilo melior factus, illum quintum lapidem e sacro pectore Virginis evulsit. Mira res! Sanguis lacte mistus ex illo vulnere in copia manare coepit. Quo viso ille nebulo totus inhorruit, prosiliensque de altari pulverem in ecclesia collegit, ut vulnus imaginis obstrueret. Quanto autem magis illud obtegere conabatur, tanto maiore impetu lac cum sanguine fluxit. Impius haec cernens ex ecclesia cursim exiit, et in vicinum fluvium Nabum se praecipitem dedit, in quo submersus periit. Socius eius confestim aufugit, deinde reversus seriem rei monialibus eius coenobii enarravit. Superveniens autem sacerdos qui ibidem eo die celebraverat, videns miraculum tantae novitatis, corporale ante imaginem explicuit, et lac cum sanguine profluente collegit. Acta sunt haec anno Domini 1302. Trithemius, hoc miraculo fusius relato, addidit, se sanguinem illum cum lacte in vitreo vase conservatum in eo coenobio vidisse, et manibus propriis ad petitionem abbatissae de veteri vase confracto, in vitreum novum transposuisse. In memoriam huius miraculi capella in honorem Dei Genitricis ibidem constructa est, in qua imago super altare saepius interea renovata cernitur. Nicolaus Serarius lib. 5 rerum moguntinarum haec scribit, et servari adhuc in illo templo huius rei signa nonnulla asserit.

Ex imagine B. Virginis sanguis cum lacte manat.

56
Imago B. Virginis percussa sanguinem fundit.

Simile miraculum in imagine Deiparae, Hannoniae accidit anno 1326. Iudaeus quidam ficte baptizatus per ecclesiam cuiusdam monasterii solus transiens, conspecta imagine Deiparae pulcherrime depicta, veteri odio innatoque furore ardens pugione confodit. Confestim sanguis ab imagine vulnerata erupit, quo viso, sacrilegus ex ecclesia aufugit. Sanguis a fidelibus collectus, et reverenter servatus multis aegrotis medicina fuit. Tanti sceleris

Digitized by Google

auctor cum aliquamdiu latuisset, ipsa Virgo Deipara cuidam fabro ferrario in somnis apparens quasi vulneribus confossa auctorem sceleris ostendit, et fabrum ad singulare certamen pro veritatis declaratione contra perfidum animavit. Faber ad iudicem venit, Iudaeum sceleris accusavit; sed cum id testibus probare non posset, reum ad singulare certamen provocavit, et impetravit. In eo certamine a B. Dei Genitrice adiutus perfidum vicit. Superatum se cernens Iudaeus veritatem aperuit, et sceleris immanitatem, ac quod animo nunquam fuerit christianus, confessus est. Prolata a iudice sententia, tanti sceleris et infidelitatis suae poenas dedit, et laqueo vitam finivit. Chronicon einsiegiense apud Bzovium ad annum 1326, num. 20.

IN POLONIA

57 Polonia quantum B. V. Mariae devota.

Poloniae regnum omnibus, quae christiana professione censentur, regnis in cultu B. Virginis haud est postremum. Quam impense gloriosam Dei Genitricem colat, varia in illam pietatis obsequia testantur. Hoc probant omnibus diebus sabbati cum omnibus privilegiis festivitatum B. M. Virginis ab omni fere populo in eius honorem observata ieiunia: dies eidem sacrae Dei Genitrici per totum annum ab Ecclesia dicati, excepto festo B. Mariae ad nives, et praesentationis, nedum a clero, verum et a populo solemniter celebrati: missae quotidianae de B. M. Virgine, quae incipiunt *Rorate*, per totum Adventum cuiuslibet anni summo mane magno cum populi concursu, ac celebritate decantatae: venerabile nomen Mariae ob reverentiam nulli feminae imponi solitum. Haec sunt praecipua, ac singularia Polonorum erga B. Virginem devotionis argumenta. Taceo devotionem rosarii frequentius et ferventius usurpatam; missas de rosario quolibet die sabbati, et quolibet prima dominica cuiuslibet mensis in omnibus ecclesiis, in quibus archiconfraternitas fundata est, decantari solitas; processiones cum venerabili Sacramento, iconibus B. M. Virginis primis praefatis dominicis, ac festivitatibus B. M. Virginis cum solemni pompa, ac maiestate peragi solitas, aliaque plura cum aliis provinciis, ac regnis devotionis erga B. M. Virginem communia argumenta. Ob quam causam Polonia amplioribus etiam donis in hoc genere a B. M. Virgine est ornata, et aucta, praeclarissimis videlicet, ac portentosis eius imaginibus, ad quas uti perpetuo manantes gratiarum fontes, universus populus certatim confluxit, ibique in omnibus suis necessitatibus salutaria remedia reperit.

Polonia multis imaginibus prodigiosis ornata.

58 Cestochoviensis imago in Polonia omnibus imaginibus B. Virginis celebrior.

Inter omnes autem, quas regnum Poloniae Sanctissimae Dei Genitricis imagines prodigiosas iactat, antiquitate, dignitate, celebritate excellit illa imago cestochoviensis a s. Luca depicta, de qua egimus, cum imagines a sancto Luca depictas recensuimus. De quo vide num. 6. Praeter illam aliae quoque extant miraculosae.

59 Kioviensis imago B. M. Virginis a b. Hyacintho portata. B. Hyacinthus cum icone B. Virginis flavium Borystenem siccis pedibus traiecit.

In primis illa kioviensis, quae s. Hyacinthum Odrovazium allocuta est, cumque ter monuit, ut arrepto sacrosancto Eucharistiae sacramento, et illa sua effigie fugeret, et de manibus Tartarorum, qui tum ingenti agmine Russiam et Volhiniam populabantur, se eriperet. Paruit monitis Sacrae Dei Genitricis divus Hyacinthus, pompaque sacerdotali indutus dextra manu sacram hostiam, sinistra autem praegrandem Deiparentis ex alabastro sculptam imaginem prehensavit. Versus Severiensem tractum transire disponens, ad ripam Borystenis obambulans, nec navigium inveniens, flumini rapidissimo se commisit, siccoque vestigia ingentis ponderis icone onustus flumen profundissimum traiecit. Inde Cracoviam reversus pretiosissimam illam sarcinam citra laborem delatam in templo Sanctissimae Trinitatis fratrum Ordinis praedicatorum reposuit. Haec Bzovius ad annum Domini 1241. Utinam indicasset vir doctissimus, et mihi plurimum observandus locum in quo haec sancta icon Cracoviae illo in templo asservatur. Certe patres nostri leopolienses gloriantur se istam sacram iconem habere; sed ut audio, parva illa et non tanti ponderis est, uti historia narrat. Certa ab incertis separemus.

60 Processio cracoviensis fratrum Ordinis praedicatorum.

Cracoviae, civitate regia, christiana pietate, ac studio litterarum celeberrima, in templo Sanctissimae Trinitatis corpore s. Hyacinthi confessoris Ordinis nostri ditato, in sacello sanctissimi rosarii prostat imago Deiparae Virginis ad instar illius quae est Romae apud s. Mariam maiorem depicta. Haec sacra icon in magna totius orbis veneratione habetur, magnis donariis aureis, argenteis ornata cernitur, dominica 1 octobris sodalitati sanctissimi rosarii dicata, quotannis per urbem cracoviensem cum solemni pompa, et summo honore circumfertur. Quicquid pretiosi ecclesia illa Sanctissimae Trinitatis, quicquid egregii sacrarium illius habet, hoc totum in pompam illam producit, omnis generis elegantias per totam civitatem colligit, quo Reginae coeli, sacratissimi rosarii advocatae, dominae suae specialem illo die honorem exhibeat. Confratres sanctissimi rosarii universos ad hanc supplicationem convocat, senatum civitatis, cives cunctos invitat, quo pompa illa festivior, illustrior, augustior appareat. In processione confratres rosarii saccis, seu cappis rubeis induti cum vexillis, et imagine Sacrae Dei Genitricis praeeunt. Pene longa serie fratres religiosi subsequuntur Deiparae carmina canentes, vocibus circumsonantes, urbem festivo sono complentes. Horum vestigia excipiunt alii fratres sacris vestibus induti, alii pluvialibus, alii casulis, alii dalmaticis ornati sacras reliquias, quarum magna copia in illa ecclesia asservatur, in thecis, columnis, pyramidibus, loculamentis, tabernaculis aureis et argenteis gestant. Proximus his sacerdos quispiam ex gravioribus cappa attalici panni ornatus cernitur, qui gloriosissimi confessoris s. Hyacinthi, regni Poloniae patroni, totius orbis thaumaturgi, caput in theca argentea deaurata, pretiosissimis gemmis, ac monilibus aureis decorata in manibus gestat. Alius eiusdem sancti brachium in theca argentea reconditum et ipse splendide ornatus praefert. Horum latera ministri splendidioribus apparamentis induti stipant. Hos subsequuntur sacerdotes ad pompam amicti, qui iconem ipsam Deiparae in portatili pegmate positam, splendidissime, et ditissime ornatam, vasis aureis, argenteis laminis tectam, pretiosissimis monilibus decoratam in suis humeris portant sub conopaeo ex aureo panno contexto, ut venusta florum artefactorum harmoge conspicuo. Omnia haec sacra monumenta thuriferarii praecedunt, et tum reliquiis sacris, tum Reginae coeli thurea dona promunt. In quatuor partibus fori cracoviensis altaria extruuntur, pro pietate ac devotione fidelium splendidius, et magnificentius erecta, in quibus sacrum illud onus Deiparae tantisper statuitur; interim musica varii generis personante, Virginem quae omnem humanae laudis cumulum dignitate praecellit, honorantes. Et qui praeeunt, et qui sequuntur, singuli accensum cereum candidum in manibus gestant, et nobilissimum tum reliquiis sacris, tum icone Deiparae, tum supplicatione laudis lumen accendunt. Seriem claudunt multi viri nobiles, tum ecclesiastici, tum saeculares, inter quos praeeminet spectabilis senatus cracoviensis. Subsequitur deinde promiscua populi multitudo, cui forum cracoviense quamvis patentissimum vix sufficere videtur. Fuerim aequo prolixior, si singulas caeremonias in illa processione fieri solitas, singillatim exponere studuerim. Praetermitto piae devotionis indicia, pios gemitus, fervidas preces, dulcium lacrymarum fluenta, quibus solemnis illa supplicatio, velut coelum sideribus, emicat. Processione peracta, sacra icon Deiparae Virginis in medio templi deponitur, ad cuius conspectum accedentes rosarii confratres, saccis induti, genibus provoluti Reginam coeli enixius supplicant, ut Poloniae cladibus afflictae voluntarium se patronam offerat. Hinc denudatis scapulis, voluntarie seipsos flagellant, dominam, et advocatam suam orantes, ut sibi devotos in suam fidem tutelamque recipiat. Nec inane fit votum eorum. Nam anno Domini 1632, et sequenti 1633, cum saeva pestis per civitatem cracoviensem grassari coepisset, pie creditum est, circumgestatione illius imaginis, et rosarii precibus luem illam depulsam fuisse. Huius tam solemnis processionis auctor, et inventor fuit r. p. f. Valerianus de Cracovia magister, qui nuper in provincialatu Vilnae obiit, cuius memoria in benedictione est.

Cracoviensis civitatis erga B. Virginem mira devotio.

61 Lauretum Cracoviae.

Ibidem in templo B. Virginis sito in circulo cracoviensi asservatur imago Deiparae, lauretana nuncupata, ad quam populus cracoviensis certatim confluit, ibique vota sua, et preces Virgini coelesti religiose offert.

62 Carmelitarum cracoviensium ecclesia imagine miraculosa B. Virginis ornata.

Ibidem extra urbis moenia in templo religiosorum patrum carmelitarum antiquioris observantiae in magna veneratione habetur imago Deiparae, quae ingenti populorum beneficia poscentium concursu toto anno, sed maxime in festo visitationis Beatae M. Virginis, et per octavam eius religiosissime colitur, ubi clerus, et tota civitas cracoviensis in supplicatione confluit, et Reginae coeli sua vota offert. Multis, variisque miraculis sacra illa icon coruscat, ut votivae tabulae ibidem appensae testantur.

63 Casimiriae apud Cra-

Casimiriae apud Cracoviam in templo divae Catharinae martyri dicato, et religiosissimis patribus augustinianis assignato religiosissime colitur imago Deiparae in muro antiquitus depicta,

coviam imago B. Virginis miraculosa.

in cuius parte dextra cernitur imago s. Augustini episcopi, et Ecclesiae doctoris, in sinistre vero s. Nicolai tolentinatis confessoris. Haec imago antiquitus, ut dixi, in claustro depicta erat; sed anno Domini 1621, die 12 novembris in veneratione haberi, et miraculis coruscare coepit. Norro exordium. Andreas Laurentius Szafrenski, nobilis polonus, paralysi constrictus erat, adeo ut non nisi fulcris innixus progredi posset. Medicorum apothecas exhauserat. Divos omnes, quotquot occurrerent, auxiliares rogaverat. Incassum omnia. Itaque (magno labore tandem) ad templum patrum augustiniensium secedens in claustro coram supredicta imagine B. Virginis frequentius, et vehementius orabat. Tandem die 12 novembris, anni ut supra, coram Diva Virgine genibus provolutus ei supplicabat, et ad eius aedem lauretanam pedibus se iturum promittebat, si optata sanitas ei restitueretur. Mox quasi aqua frigida perfusus horrorem per totum corpus sensit, et in eo momento se iam perfecte sanatum agnovit. Surgit, fulcre proiicit, ad coenobium cito gradu pergit, fratribus Dei magnalia praedicat, et se ope Divae Virginis ante cuius imaginem orabat, perfecte sanatum esse liquido ostendit, et fulcra sua tanti prodigii monumentum ante imaginem appendit. Hinc ad illam imaginem populi certatim confluere, dona votiva aurea, argentea offerre coeperunt. Et tanta est horum ibi copia, ut prae multitudine vix imaginis facies appareat. Auctor testis oculatus.

64 Gidlensis imago B. Virginis miraculosa.

Boves imaginem B. Virginis venerantur.

In villa Gidle archidioecesis gnesnensis extat imago D. Deiparentis lapidea, quantitate parva, utpote digiti medii longitudine, sed virtute usque ad coelum elata. Originem huius imaginis accipe. Anno Domini 1516 Ioannes Cezek colonus in villa Gidle agrum suum colens, cuidam loco propinquus, cum boves arantes stiva ante se agit, derepente genibus provolutos videt: loco haud movere potest, percutit saepius; at frustra. Scire volens num quod impedimentum ibi osset, aspicit, et in lapide grandi imaginem parvam B. Virginis affabre exculptam, iacentem reperit, quam boves quasi reveriti locum illum praeterire nolebant. Homo simplex miraculo minus considerato imaginem accipit, et in arca, in qua interulas, et alios panniculos asservabat, sub eis recondit. Mira res! Quoties arcam aperit, toties imaginem illam non sub vestibus, sed supra eas iacentem conspicit, quam in imo fundo a se conservatam fuisse sciebat. Nec tamen miraculum advertit, donec manum Dei percutientis ipse cum domesticis suis gravi morbo oppressus, et caecitate percussus persensit. Hunc femina quaedam honesta saepius invisebat, et lumine quodam mirabili in arcula, in qua imago Deiparae erat recondita, aliquoties deprehenso, Ioannem monuit, ac caecitatem illam se ac domesticos eius ideo forsan incurrisse, quod rem quamdam sacram domi suae retinere auderet, nuntiavit. Rusticus advertit, dictum feminae probavit, parochum loci illius, nomine Petrum Vuotke vocavit, seriem rei narravit, imaginem Deiparae apud se reconditam ei tradidit: protinus ipse ac domestici eius sanitati restituti visum receperunt. Parochus imaginem sibi traditam in ecclesiam parochialem d. Mariae Magdalenae dicatam detulit, eamque in ciborio una cum venerabili Sacramento reposuit. Nec ibi imago substitit: sed in eum agrum, ubi primo a colono inventa erat, miraculose delata est. Parochus in eo loco columnam ligneam praegrandem erexit, in qua imaginem Crucifixi posuit, decenter, ut moris est in Polonia, tecto operuit, et imaginem Deiparae in columna illa excavata recondidit. Ab eo tempore imago illa miraculis clarescere coepit, confluentibus ad eam populis, et vota sua offerentibus. Brevi in eo loco sacellum est constitutum cura et impensa nobilis Martini Gidzielski, haeredis in Gidle. Is enim in villa dicta *Iordonarumkyn* in Silesia, prope urbem Suidniza, innocenter pro nece cuiusdam Germani Bierka per Smigulski interempti captus, et in carcerem missus, fame longo tempore maceratus, per Divam Virginem cui impense devotus erat, divinum auxilium implorans Deiparae visione dignus esse meruit, quae eum monuit, ut de aedificanda ecclesia in haereditaria villa Gidle, ubi imago sua inventa est, serio cogitaret, si ab illo carcere liber esse vellet. Illa visione confortatus, et mirum in modum recreatus votum vovit Reginae coeli, se pro facultate sua sacram aedem ei extructurum, quam primum domum rediret. Rediit, et gratus divini auxilii capellam in loco inventionis imaginis Beatissimae Virginis extruxit, quam deinde successores eius novis aedificiis auxerunt, exornarunt, ditarunt, et fratribus nostris perpetuo possidendam donarunt, ubi modo magnificentissima extruitur ecclesia. Peregrinis in eum locum catervatim confluentibus, qui agmine, ordineque composito ince-

Populi concursus.

dentes lacrymis rigant vias, suspiriis replent coelum, cantu, at vocibus circumsonantes Mariae nomen silvas referre docuerunt.

Gidlensem imaginem B. Virginis lumen coeleste collustrat.

Innumeris eum locum Deus decoravit miraculis. Visa est saepius ecclesia illa, in qua imago Deiparae colitur, noctu insolito coruscare lumine, adeo ut quadam vice ruricolae pulsu campanae excitati quasi ad extinguendum ignem, quem casu aliquo iniectum esse putabant, accurrentes, et tandem lumine coelesti recedente, integram ecclesiam Deiparae Virginis se invenisse mirati sunt; visaeque fuerint multoties tanquam duae candelae ardentes in altari ante imaginem; accurrentibus ad visum lumen incolis, lumine miraculoso disparente, ecclesia vacua praesentiam divinae gratiae testata est.

Miracula imaginis gidlensis.

Praetermitto gratias innumerabiles, et excelsa beneficia, quae coelitus a B. Virgine conferuntur iis, qui vota sua eo in loco Deo, et Divae Deiparae nuncupant. Ibi caeci illuminantur, muti usui linguae restituuntur, surdis auditus donatur, paralytici sanantur, febricitantes curantur, fluminum verticibus obruti vivificantur, praecipitio enecati suscitantur, variisque morborum generibus afflicti consolationem capiunt. Longus essem, et iustum volumen conficere deberem, si singula miracula et prodigia divina eo in loco patrata enumerando recensere vellem. Si vita comes fuerit, et Deus voluerit, dabo operam, ut de hac imagine gidlensi opus aliquod condam, in quo prodigia, et miracula divina ibi edita longius edisseram. Sed ut video, iam me ab hoc labore liberavit r. p. Georgius Trebnic sacrae theologiae doctor, qui de hac imagine librum idiomate polonico in lucem edidit, in quo hanc historiam, nec non miracula imaginis huius copiose descripsit.

65 Socal oppidum imagine B. M. Virginis claruit.

In Socal oppido ad ripam fluminis Bug sito, in Russia, insignis Deiparentis, et multis miraculis clara imago asservatur, cuius originem hanc esse invenio. Anno Domini 1392 inter Lithuanos insignis pictor Iacobus Vsezyk ex continuo pingendi usu visu orbatus ad imaginem B. Virginis claromontanam a s. Luca depictam, de qua iam egimus, se devovit. Ibi oculorum sanitate recepta, gratitudinis ergo alteram Deiparae imaginem ad instar illius quae in Claromonte colitur, maximo quo posset artificio se depicturum, et in aliquo templo ad Dei, et Matris eius gloriam collocaturum promisit. Domum rediens, multis suorum gratulationibus exceptus, mox tabulam picturae convenientem parat, solita memoriae vi fretus dimetiri, ac lineamenta, proportionemque connotare incipit. Visus sibi errasse, corrigit, mutat, delet, signat iterum, turbatur, se colligere nequit, et tandem totius conceptae ideae obliviscitur. Ingens solicitudo hominem Divae Virgini devotum corripuit, eo quod votum depingendae imaginis B. Virginis non solverit. Aliam itaque peregrinationem ad Virginem claromontanam suscipit, quo melius ideam illius imaginis concipere, et memoriae mandare posset. Supplicat B. Virgini, dignetur sibi auxilio esse, imaginem suam pro devotione sua digne depingere faciat. Picturam d. Lucae attente considerat, et omnia, quae ad proprietatem transumendae imaginis videbantur posse pertinere, memoriae recondit; plenus spei domum redit, operi manum admovet. Post omnem adhibitam diligentiam, post operam toties tentatam, correctam, tractatam, retractatam, nihilo plus, quam prius efficere potuit. Itaque desperabundus prorsus animum rei conficiendae summa cum moestitia abiecit. Verum devotorum hominum precibus saepius pulsatus, facere non potuit, quominus ad Clarum-montem tertio iret, sacrae imaginis exemplar transumeret, et imaginem promissam depingeret. Acceptis igitur artis suae instrumentis, Clarum-montem vadit, illius sacrae imaginis formam, proportionem, colorem, umbras, et minutissima quaeque diligenter inspicit, adnotat, memoriae mandat, ac praeteritarum oblivionum metu domum celerrime properat. Domum reversus mox ad conclave, in quo artis suae instrumenta, et tabulam in qua imaginem delineare volebat, concluserat, ingreditur, et ecce totum lumine mirabili coruscare conspicit, et in tabula quam rasam et nudam reliquerat, imaginem Deiparae Virginis eleganter depictam, et candelam ardentem ante eam cernit. Terrore perculsus, religione commotus, pronus in terram cadit. Tum vocem sibi dicentem audit: *Tuum studium Matris Dei honorandae Deo placuit; quare imaginem eius quam tanto desiderio depingere curasti, angelica manu depictam accipe, et in Socal oppido* in *templo statue.* Paruit Iacobus, imaginem summa cum reverentia Socalium detulit, russis sacerdotibus asservandam dedit, ubi ipse fixo domicilio usque ad mortem vixit. In sacello ex trabibus, et argilla constructo haec

Imago B. Virginis ab angelis depicta.

Digitized by Google

imago primum posita incendium socalense et manus Tartarorum intacta evasit. Modo ibi templum magnifice extructum, et religiosissimis patribus Ordinis minorum de observantia commendatum cernitur. In eo imago sacra frequenti populorum concursu colitur, et ingentibus miraculis coruscat. Ex historia imaginis illius.

66 Skape oppidum imagine miraculosa B. Virginis ditatum. In Skope, terrae dobrinicensis oppido, in magna veneratione habetur imago Deiparentis Mariae, cuius originem hanc esse invenio.

Nicolao Koscielecki castellano crusuvicensi erat filia gravi ac diuturno morbo detenta, et ob acerbitatem morbi pedibus contracta, adeo ut omnis incedendi facultas penitus ei fuisset negata. Haec a parentibus ad sacellum B. Virginis noviter extructum devovetur, ac ut primum opportunitas aderat, votum soluturа parentum defertur. Et ecce in medio itineris puella exclamat: Dimittite meipsam incedere, iam enim per gratiam intemeratae Virginis Mariae sentio me perfecte curatam. Subsistunt ad hanc vocem portitores, ipsa vero e sella gestatoria exiliens ad sacellum laeta pervenit, ubi Deo Omnipotenti Beatissimaeque Virgini plurimas cum omnibus, qui in eius fuerant comitatu, gratias egit. Ut autem tanti accepti beneficii Deo et B. Virgini gratam se declararet, Posnaniam sese absque mora contulit, ut ibi ad suum placitum imaginem aliquam B. Virginis venustissime depictam reperire posset. Sed dum ad unum atque alterum pictorem accessisset, imaginem vero quam suis probaret oculis, minime invenisset, uni tandem, qui in sua arte prae ceteris excellere credebatur, importuna esse coepit. Cuius importunitate victus pictor officinam aperuit, omnesque illius angulos diligentissime scrutari iussit, nullam se huiusmodi imaginem habere iterum, atque iterum affirmans. Puella officinam ingressa subito imaginem elegantissime sculptam conspexit, quae, iunctis ante pectus manibus, personam B. V. Mariae triennem referebat. Placuit mirum in modum imago non solum puellae sollicite quaerenti, sed et ipsi pictori ad tam subitum et nunquam speratum miraculum prorsus obstupescenti. Puella pretium quodcumque artifex petierit, pollicetur, modo opus tam venustum, et insigne obtineat. Pictor nunquam se imaginem vel manibus attrectasse, imo nec antehac oculis conspexisse iureiurando affirmat, pretium pro ea recipere nefas iudicat, divinitus missam esse palam fatetur, et ut ei donum per ministerium angelorum manifestatum in sacello Reginae angelorum reponendum secum auferat, obnixe precatur. Puella munus divinitus concessum laete suscipit, gaudens, et exultans cum imagine domum pergit, eamque in sacello noviter in ea villa aedificato, et consecrato collocat. Actum est hoc anno Domini 1496, sicut et numerus ad pedes eiusdem imaginis notatus testatur. Ubi ad notitiam hominum imago miraculis adeo insignis pervenit, continuo fit ex diversis partibus hominum utriusque sexus ingens concursus, qui consolationibus optatis recreati divinam misericordiam, ac Sanctissimam Matrem eius depraedicant, divulgant, magnificant; inde devotionem ad illam imaginem in cordibus fidelium mirum in modum auxerunt, et in diem magis ac magis augent.

67 Poloniae B. Virgo curam gerit peculiarem. Plures alias hoc nostrum Poloniae regnum habet Sanctissimae Dei Parentis Mariae imagines prodigiis clarescentes, quae maximum eius in Polonos amorem satis abunde declarant. Hinc namque facile nobis persuademus Sanctissimam Dei Genitricem peculiarem nostri curam gerere, quae in omnibus fere nostri regni provinciis talia loca sibi ad Dei cultum et sui nominis honorem dedicata elegit, in quibus homines miseri quarumcumque infirmitatum, afflictionum, adversitatum praesentissimum remedium inveniunt. Habet maior Polonia Gostinum, Lubassum, Tulce, Dombie, Raisko, Skalmierzyce, Borex; minor Polonia praeter illam celeberrimamczestochoviensem, et cracoviensem icones habet alias quamplurimas prodigiosas Deiparentis imagines, quarum specialem notitiam habere non possum. Russia praeter socalensem de qua iam diximus, alia lezaicensi non minus miraculosa B. Virginis imagine gloriatur. Masovia cum palatinatu plocensi apud Sieprcum ad aedem B. Virginis sacram, et eiusdem imagine miraculosa dotatam vota sua solvit. Prussia ecclesiam in patenti campo inter Novam Civitatem et Bratsanum castrum sitam, miraculis et devotione celebrem mirum in modum extollit. Magnus ducatus Lithuaniae apud Trocos prodigiosam B. Virginis imaginem in magna veneratione habet, apud quam in quibuslibet adversitatibus suam consolationem invenit. Est igitur quod regnum Poloniae sibi gratuletur, et pro tot tantisque

Polonia imagines B. M. Virginis prodigiosas multas habet.

coelestibus ac amplissimis muneribus in se prodiga manu Deiparae Virginis effusis summas gratias agat, erga tam clementem ac benignam dominam ac matrem devotum et cordialem affectum gerat, eam magis magisque diligat, impensius laudet, depraedicet, studiosius colat, ac veneretur uti matrem amantissimam, benignissimam, studiosissimamque parentem fateatur. Amen.

DISCURSUS CCXXVII

QUAENAM SUNT CORRIGENDA IN IMAGINIBUS BEATISSIMAE MARIAE VIRGINIS

Sacrosancti et oecumenici Concilii tridentini decreto cautum est sess. 25 in principio: *In sanctas et salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit, ita ut nullae falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuantur.* Cum itaque in imaginibus B. M. Virginis sculptis, vel pictis, seu fusis multi errores non tam artificum malevolentia, quam consuetudine antiqua subrepant, operae pretium me facturum putavi, si nonnullum laborem in eliminandis huiusmodi erroribus collocem: quatenus statuarii aut pictores in huiusmodi imaginibus non sibi usurpent, quod quidam poetarum dixit: 1 Concilium tridentinum.

Pictoribus, atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

Age ordiamur.

De imagine immaculatae conceptionis B. M. Virginis.

Imago conceptionis B. M. Virginis a nonnullis ita depingitur, in qua Anna et Ioachim sub aurea porta se mutuo osculantur, cum tali inscriptione: *Taliter concepta est B. V. Maria.* Huius erroris occasionem sumpserunt ex libro quodam apocrypho, qui inscribitur: *Protevangelium d. Iacobi*, in quo ita scribitur: et stabat Anna in porta, viditque Ioachim venientem cum gregibus suis, et accurrens appensa est collo eius dicens: *Nunc cognosco quod Dominus Deus benedixit mihi vehementer, quia quae eram sterilis, in utero habebo.* Hoc fabulosum et merum figmentum est, cum iudicio omnium doctorum Ecclesiae B. V. Maria sit concepta via ordinaria ex semine viri, et non per aurem. 2 Imago conceptionis B. M. Virginis quomodo corrigenda.

Non incongrue igitur conceptionem B. M. Virginis effigiari posse existimo, si depingatur, sive sculpatur Gabriel archangelus sancto Ioachim in deserto, et b. Annae in domo, vel in horto apparens. De hoc enim Gabriele refert Pantaleon apud Metaphrastem in sancto Michaele, quod Mariae parentem Annam adhuc sterilem inviserit, ac ei in horto precanti praedixerit fore, ut talem gigneret filiam, quae Mater fuerit Redemptoris.

De imagine praesentationis B. M. Virginis.

Conantur nonnulli exprimere praesentationem B. M. Virginis in templo, cum pingunt vel sculpunt puellam trimulam absque ductu ascendere per quindecim gradus templi. Sed quoniam ea, quae de quindecim gradibus dicuntur, plane incerta sunt, certe huiusmodi imagines, si non falsae, saltem incertae sunt. Melius est autem cum pietate aliquid nescire, quam quid incertum in imaginibus populo exprimere, et tradere. 3 Imago praesentationis B. M. Virginis.

De imagine sponsaliorum B. M. Virginis.

Imago sponsaliorum B. M. Virginis hoc modo a nonnullis depingi solet. Ioseph senex decrepitus, curvus, et quasi baculo innixus B. Virgini maritus adiungitur. Huius erroris occasionem sumpserunt ex Epiphanio, et aliis quos tomo superiore recensuimus, qui existimabant Iosephum iam octuagesimum suae aetatis annum egisse, cum Mariam duxit uxorem. Confirmavit fabulam pictorum carnalitas, qui ex sua libidine de Iosephi incontinentia iudicantes putant non aliter eum continere se potuisse a B. Virgine, nisi quia senex, et per aetatem provectam impotens ad coniunctionem fuisset. Hunc errorem copiose refutavimus tomo superiore, disc. CXVI. 4 Imago sponsaliorum B. M. Virginis.

Credo igitur conformius esse evangelicis litteris, si Ioseph credatur et pingatur fuisse iuvenis fortis et valens, qui pos- 5 S. Ioseph

*

Digitized by Google

quomodo depingi debeat.

sit industria, et labore tenerae aetatis Virginem defendere et puera inservire; urgente pericula mox puerum in Ægyptum deferre, adducere, et reducere, ac suis laboribus nutrire. Plura vide superius loco citata.

De imagine annuntiationis B. M. Virginis.

6 *Annuntiationis B. M. Virginis imago quomodo exprimenda.*

Quibusdam in locis exprimitur annuntiationis dominicae mysterium corpusculo quodam humana inter Spiritus sancti, quos effundit, radios apparente, quasi e coelo in Virginis uterum Christo Domino dilabente. Sed facessat eiusmodi pictura, cum vulgo intuenti praebeat gravis occasionem erroris, quasi Christus corpus e coelo attulerit, et non ex purissimis visceribus Mariae assumpserit, quod damnatae memoriae Valentinus haeresiarcha docuit.

Lutheri error circa annuntiationem B. M. Virginis.

Facessat et illa pictura, utpote ex Lutheri insano capite orta, in qua exprimitur B. V. Maria aquae hydriam in manu gestans, hac et illac circumspiciens, ut insolitae ac novae vocis, *Ave gratia plena*, auctorem cognosceret. Hoc enim figmentum ex Iacobi protevangelio Lutherus accepit, qui inter deliria narrat, Mariam accepta hydria foras ad hauriendam aquam prodiisse, at tunc illi vocem allatam sonuisse, *Ave gratia plena*, et Beatam Virginem in dextram at sinistram partem, ut vocis auctorem cognosceret, circumspexisse. Cum vero tremefacta domum rediisset, ac hydriam deposuisset, tunc demum angelum ei adstitisse, et legationem suam obiisse.

Sed verba evangelii haec deliramenta extricant: *Ingressus angelus ad eam dixit: Ave gratia plena.* Non ergo ex improviso foris vagantem salutavit, sed intus solitariam invenit. Imo vero his verbis significatur archangelum Gabrielem non venisse ad Virginem volando per tectum, ut quidam inepti depingunt, verum per ostium ingressus est.

De imagine partus et puerperii B. M. Virginis.

7 *Partus B. Mariae non fuit more aliarum puerperarum.*

Pluribus in locis imagines B. V. Mariae effigiatas videbis in quibus ipsa Virgo puerpera exprimitur more ceterarum puerperarum aegrotantium, pallida, toro decumbens, cui mulierocularum sedulitas operam variam impendit, alia sorbitiuncula praeparat, alia culcitram, alia cervical subministrat. Sed haec omnia merae fabulae sunt, et gravem errorem sapiunt, cum fide credamus B. M. Virginem Christum Filium sine ullo doloris sensu peperisse: virginem ante partum et in partu fuisse, et post partum virginem permansisse: nulla muliercula, nulla obstetrice indiguisse, consequenter omnia officia per se Filio recenter nato exhibuisse. Quod s. evangelista aperte innuit, cum ait: *Et peperit filium suum unigenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio*, Luc. 2.

De imagine B. M. Virginis stantis iuxta crucem.

Duplex error in huiusmodi imaginibus committitur. Primus, cum B. Virgo ad sinistram Filii in cruce pendentis depingitur: secundus, cum eadem Virgo exanimis et semimortua, vel in terram prostrata, vel inter brachia Magdalenae effigiatur, seu repraesentatur. Primae picturae fundamentum in psalmo 141 habere videntur, ubi Christus ait: *Considerabam ad dexteram et videbam: et non erat, qui cognosceret me.* Sed hoc de apostolis intelligi debet, qui relicto Christo, omnes aufugerunt, adeo ut neminem Christus ad dexteram suam tunc conspiceret. S. Ioannes evangelista forte a sinistris stabat, et ideo etiam communiter ad sinistram Christi depingitur.

Illa vero pictura quae B. Virginem iacentem exanimem iuxta crucem exprimit, intolerabilem continet errorem, cum textus sacri evangelii aperte dicat: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* Quare huiusmodi picturae Romae mandato magistri sacri palatii apostolici iussae fuerunt expungi, ac deleri, ut Carthagena libro 12, homil. 8 narrat, utpote derogantes magnanimitati, et fortitudini Deiparae Virginis.

DISCURSUS CCXXVIII

QUAM GRATUS SIT B. VIRGINI SUARUM IMAGINUM CULTUS EXEMPLIS OSTENDITUR

1 Cum imaginis honor non in imagine sistat, sed in suum exemplar referatur, nulli dubium, imaginum cultum placere his, quos illae repraesentent, et earumdem vilipendium displicere iisdem, cum in imaginibus despiciuntur. Id videre est in imaginibus B. Virginis, quas quicumque coluit, ingentibus beneficiis a Deo auctus est, quicumque despexit, suae impietatis poenas dedit; quod exempla in superiore discursu allata, et in praesenti adferenda declarant.

Quidam senex anachoreta in spelunca in qua manebat, imaginem Dei Genitricis Mariae in ulnis Christum Dominum ferentis habebat, frequentius autem sive per vastam solitudinem, sive Iarosolymam ad adorandam sanctam crucem, aliasque loca sacra, vel in Sina montem orationis gratia recedebat. Recedendo coram imagine Dei Genitricis candelam accendebat, his eam verbis compellans. Sancta Domina, Dei Genitrix, quia longum iter iturus sum diebus multis perficiendum, candelae tuae tu curam habe, eamque, ne extinguatur, iuxta propositum meum serva. Ego enim adiutorio tuo comitante, iter arripio. His dictis egrediebatur, peractoque itinere proposito, aliquando post mensem, saepe etiam post duos vel tres menses, nonnumquam post quinque, vel sex revertebatur, et semper ardentem candelam, eamque integram inveniebat, et nunquam eam a se extingui vidit, neque de somno surgens, neque a peregrinatione rediens, neque ex eremo in speluncam pergens. Ex prato spirituali, cap. 180. Hanc historiam Stephanus monachus in II Synodo nicaena recitavit. Quo docemur, quam pia sit, quantaque imitatione digna eorum consuetudo, qui coram Deipara Virgine lampadem domi accendunt; eorumque qui antequam domo pedem efferant, et iter aliquod ineant, se suaque omnia Dei Genitrici coram eius imagine quam in cubiculo habent, commendare solent. 2

Lampas coram imagine B. Virginis miraculose ardet.

Lampadem accendentium coram imagine B. Virginis consuetudo laudatur.

3

Ulterius imagines B. Virginis a suis cultoribus infirmitates pellunt. S. Stephanus, martyr ille iunior, cum in Praeconneso rogaretur ut Armenium quemdam gravissime aegrotantem sanitati restitueret, duas imagines Christi et Mariae adorandas illi proposuit, quas ubi aegrotus aspexit, integram sanitatem recepit. D. Damascenus in vita s. Stephani iunioris.

4 *S. Hyacinthus per B. Virginem miraculis clarescit.*

Praeterea cultus imaginum Divae Virginis nonnullis tam proficuus fuit, ut per eum gratiam miraculorum obtinuerint. Sanctus Hyacinthus noster statuam Divae Virginis in una, et sacrosanctam Eucharistiam in altera manu gestans fluvium Borysthenem sicco vestigio traiecit, relictis in aqua suorum pedum vestigiis. P. Severinus Lubomlius in eius vita.

S. Bernardinum B. Virgo alloquitur.

Sanctus Bernardinus senensis ante imaginem Beatae Virginis saepius orans, et coronam recitans, Deiparae aspectu dignus fuit, et ab ea hanc vocem audire meruit: *Bernardine, devote mi famule, multum mihi in tua devotione complacui, in cuius mercedem impetravi tibi a Filio meo gratiam praedicandi, et miracula faciendi. Scito vero te tandem in coelo gaudiis meis participem futurum.* Pelbartus in Stellario parte 3, art. 3. Exinde Bernardinus concionator celeberrimus evasit, plurimaque miracula patrare, variisque donis coelestibus affluere coepit.

5 *Pontificis romani erga imagines B. Virginis devotio.*

Quare licet Ecclesia omnium sanctorum imagines adoret, illas tamen quae Deiparae Virginis sunt, praecipua veneratione colit. Unde cum pontifex romanus solemniter imagines sanctorum benedicit, aliorum benedictionem sine mitra, unica precatione, et sola aquae benedictae aspersione perficit; Deiparae autem imagines mitra ornatus, cum pluribus antiphonis, psalmis, atque orationibus, bina item aquae benedictae aspersione, adiecta thurificatione benedicere solet, ut in Pontificali romano vides.

6 *Diabolus imaginibus B. Virginis maxime est offensus.*

Hoc sciens malignus daemon imaginibus B. Virginis prae ceteris infensus est, easque acerbius odit, quod ex hac historia patet. Monachus quidam, insignis Christi pugil, in monte olivarum habitans a spiritu fornicationis vehementius impugnabatur; pertaesus continuae pugnae sanctus senex a daemone expostulabat, quousque tandem eum exagitare pergeret? Tum daemon: Iura te nulli verba mea unquam revelaturum. Eo iurante, ait daemon: Noli hanc imaginem adorare, et ego ab impugnatione tui desistem. Habebat autem senex eo in loco imaginem Deiparae Virginis puerum Iesum in ulnis tenentis, quam etiam venerari solebat. Pergit ergo ad abbatem Theodorum, illique rem omnem exponit. Cui abbas: Vere illusus es, et iurando daemoni peccasti; quod vero secretum aperuisti, optime factum est. Ceterum in quodlibet huius urbis lupanar ingredi tu praestat, quam ut Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum una cum Matre sua desinas adorare. Atque in hanc sententiam multa ei exposuit, et monachum in proposito adorandi imaginem confirmatum dimisit. Rediens ergo ad monachum daemon: Quid hoc est, ait, se-

nex nequissime, itane servas mihi fidem iureiurando firmatam? Profecto in die iudicii Deum iratum senties, et huius periurii poenam dabis. Ad quem monachus: Me quidem iurasse scio, sed Dominum meum Iesum Christum adorare pergam, tibi vero non obsequar, etiamsi promiserim. Ex prato spirituali c. 45, quae historia a gravissimis patribus in VII Synodo approbata est.

7 Poenae quoque quas in Deiparam impii dederant, quantum cultum imaginum ipsi Deiparae cordi sit, satis declarant. Anno Domini 1580 cum Oliverius Tempelius hallense oppidum imagine Dei Genitricis maxime illustre in suam potestatem redigere vellet, miles quidam haereticus, nomine Ioannes Zuiecius ore sacrilego iactabat, se suis manibus hallensi mulierculae, Deiparam intelligebat, nasum abscissurum. Cum vero ad oppidum pervenisset, excussa glande plumbea, nasus ei aufertur: quare a commilitonibus mirifice est irrisus, qui identidem eum ad nasum recipiendum Hallas mittebant.

Poenae eorum qui imagines B. M. Virginis violarunt.

8 Alter in eadem expeditione Ioannes Reselmanus immaniore saevitia et ore tetriore effuderat, sacratam se statuam Bruxellam adiecturum, atque ibi igne subiecto publice crematurum. Qui mox blasphemiae poenam accepit; in ea enim impugnatione os, et mentum tormenti ictu ei est ablatum, et paulo post ipsa etiam vita. Haec dua miracula narrat Lipsius opusculo de B. M. Virgine hallensi.

9 Circa annum dominicae incarnationis 1577, cum passim in toto Belgio iconomachi in templa saevirent, contigit eos in celebri quodam pago Loheren appellato, quemdam Divae Virginis statuam invadere, ac demoliri. Cumque magno labore eam imaginem luxassent, decidens illa in ipsius casu iconomacho vindictam inflixit. Puellus namque, quem Virgo Mater in ulnis gestabat, quantumcumque antea blandulus, eque altrice manu quam arte sculptoris protensam habebat, recta in caput ipsamque maxillam iconomachi impegit, et velut armille quadam acuta eam perforavit. Historia ab oculatis, et fide dignis testibus in consessu honoratorum virorum nobis relata est. Tilmonus Bredenbachius lib. 3 sacrarum collationum, c. 22.

10 Aliud memorabile accidit in Gallis. Iuxta castrum Radulphi est coenobium, quod Dolis appellatur; ibi supra quamdam columnam ecclesiae est imago B. M. Virginis lapidea, ad quam cum paupercula quaedam mulier orandi gratia venisset, duo Brabantes mulieri improperantes imaginem blasphemabant, et unus eorum lapidem in imaginem proiecit, una lapide brachium pueri Iesu confregit. Mox guttae sanguinis e brachio illo exiernnt, ac si vivi hominis essent, et ille qui lapidem proiecerat, in eodem loco expiravit. Alter vero cum morientem inter brachia colligere vellet, a daemone arreptus est, et sequenti die obiit. Ergo ad imaginem ingens populorum concursus fit, ut videant sanguinem de lapide fluentem. Ipsis videntibus imago sua vestimenta, scilicet ornatum qui circa eam erat lapideum, et collum suum quod monili lapideo circumdatum erat, scidit, et pectus usque ad mamillas propter ignominiam, et iniuriam sibi, parvuloque suo illatam denudavit. Qui eam imaginem antehac viderunt, ipsam rubicundam, et bene coloratam fuisse testantur, modo autem exanguis, et pallida videtur. Factum hoc 1187. Et qui scripsit haec, sanguinem illum, et imaginem nudatam, et vestimentum revolsum se vidisse affirmat. Vincentius Belluacensis lib. 7, Spec. hist. c. 110.

Sanguis ex imagine fluit.

11 Cyprius quidam, in Constantia urbe Cypri armentarius, videns in sacello imaginem Deiparae coloribus in pariete expressam, ait: Quorsum haec? et stimulo quo boves agebat, imagini dextrum oculum excussit. Mira res! Extemplo egressus eum pecus pungeret, stimulus fractus est, parsque ea cui ferrum infixum est, in hominem delapsa, in oculum eius dextrum infixa est. Haec Constantinus eiusdem Constantiae Cypri episcopus in Synodo nycaena II, actu 4, toti Synodo retulit.

12 Cum iconomachus quidam, conspecta imagine B. Virginis, lapides in eam iecisset, per quietem ipsa B. Virgo ei apparens, terribiliter his verbis eum compellavit: *In caput tuum hoc fecisti.* Deinde paulo post idem lapide percussus, atque contritus est, uti ipse statuae fecerat.

13 Saraceni quamdam B. V. Mariae basilicam ingressi cum aliorum sanctorum imagines hastilium suorum cuspidibus pupugissent, huic oculum, illi nasum vel pedem truncarunt. Ad imaginem B. Dei Genitricis Mariae cum venissent, in nullo prorsus eam laedere potuerunt, cum maxime tentassent; nam manus eorum viribus effusis, aut tremore correptae aversae sunt. Vincentius Belluacensis lib. 7 histor. c. 110.

In villa castri vualdensis dioecesis treverensis extabat imago Deiparae filium sinu foventis, opere non adeo formata, verum multa virtute dotata. Hanc matrona quaedam eius castri aspiciens, et sculpturae indignans, ait: Ut quid hic stat vetus haec rombula? Verum alteri matronae a Deipara dictum est: quia mulier illa, nomen eius exprimens, vocavit me veterem rombulam, semper misera erit, quoad vivet. Et post paucos dies a filio suo omnibus bonis exuta misere mendicans stultiloquii poenas dedit. Caesarius lib. 7, c. 45. 14

Drepani quidam taxillorum usu omnem rem suam perdiderat. Is furore percitus ad locum ubi imagines B. Virginis, et s. Alberti carmelitae prostabant, venit, in easque verba blasphemiae protulit, conquestus quod eius preces non exaudirent, arreptoque gladio utramque imaginem secat. Confestim sanguis copiosus distillat. Vidit id quidam puer, et sublata voce in sacrilegum clamare coepit. Ille audito clamore e templo exit, sed repente horrendo existente tonitru, fulminis ictu totus in pulveres ad fores ecclesiae redigitur. Surius in vita s. Alberti carmelitae die 7 augusti. 15

Imago B. Virginis sanguinem emittit.

Unum adhuc et alterum narrabo apud iconem Divae Virginis claromontanae patratum miraculum. Imago Divae Virginis a s. Luca, ut fama est, depicta Belzae primum servabatur, a Leone Russorum duce eo illata. Tartari fiducia virium, et celeritatis fugae, ut plerumque solent, in Russiam excursionem fecerant ferro et igne omnia vastantes. Ladislaus Opoliae princeps Belzae tunc erat, in arcem se receperat, ante Sacram Deiparae imaginem prostratus ferventer orabat opem divinam contra barbariem implorans. Advolant Scytae, et agmine facto circumcursantes arcem oppugnant. Unus barbarorum arcu intento in eminens Ladislai cubiculum, in quo imago prostabat, sagittam torsit, quae illaeso supplice guttur imaginis transfixit. Ladislaus non tam dolebat si spiculum pectus eius penetrasset, quantum Divae Virginis simulacri iniuriam. Et voce sonora: Ecquid tuam iniuriam Diva non vindicas, inquit? Dixit, et ecce in momento spississima nebula arcem et civitatem operit, ex qua visi fuerunt Scytis magnitudine, splendore, et viribus longe praestantissimi quidam milites irrumpere. Territi barbari ostento, in fuga quaerentes salutem, a Ladislao, qui animis et viribus resumptis, persecutus est fugientes, pars concisi, pars fugati, dilapsi sunt. Abrahamo Bzovius in monili gemmeo, concione 1, et 7 circa finem. 16

Claromontanae Virginis miracula.

Aliud. Cum infelix illud monstrum hominis, non homo, Zyscha bohemus, rebus et personis sacris bellum indixisset, magnum sub vexillis eius Hussitarum agmen ad Clarum-montem venit. Irruendo in templum pars religiosos trucidant, pars dissipant gazam pretiosam templi diripiunt, inter quam etiam iconem Sanctissimae Virginis multo auro ornatam. Quod cum detraxissent, atque imaginem secum avehere statuissent, stetit illa immota. Trahunt, impellunt, raptant, sed illa perstat immobilis. Unus haereticorum, stricto acinace, in dexteram Virginis duos ictus dedit. Quaesiti a duce Ladislao pictores, qui penicillo vulnera obducerent, non potuerunt. Impietatis haec indicia voluit Maria in sua icone prostare, ut se ostenderat triumphatricem haereticorum, quos non multo post Ladislai miles ope Virginis adiutus debellavit. Bzovius loco citato. 17

Haec miracula satis clare ostendunt, Dei Genitrici cultum imaginum suarum valde placere. Cur enim in iconomachos tantum divina iustitia saeviret, nisi ut ostendat se velle imagines Dei Genitricis ubique conspici, coli, venerari, quas impii temerare, et evertere student? Poenas aliorum B. M. Virginem blasphemantium, satis collectas habes ex auctoribus probatis apud Antonium Spinellum, tractatu de miraculis B. M. Virginis, numero 37, et sequenti. 18

DISCURSUS CCXXIX

DE FESTIVITATIBUS IN HONOREM DEIPARAE VIRGINIS INSTITUTIS

Iudaeis olim praescriptum erat, ut, noviluniis recurrentibus, calendarum seu neomeniae solemnitatem aucto sacrificiorum numero celebrarent, eamque turbarum cantu festiviorem redderent. Unde psalm. 80, 3 dicitur: *Buccinate in neomenia tuba in insigni die solemnitatis vestrae.* Huiusmodi vero solemnitas instituta fuit ad recolendum beneficium divinae gubernationis, quod 1

nobis Deus praestat per influxum solis, et lunae et aliorum corporum coelestium.

2 *Lunae novae comparatur B. V. Maria.* Haec novae lunae celebratio novam creaturam Beatissimam Dei Genitricem Mariam praenuntiabat. Vere luna. Nam sicut luna totum lumen a sole accipit, ita Deipara a Christo sole iustitiae splendidissimo amicta omni ex parte luce coruscat. Luna nocti praeest: Deipara peccatoribus in nocte scelerum degentibus lucem praefert, et tenebrarum caliginem radiis sui favoris, et clementiae discutit, atque depellit. Hinc Canticorum 6, 9 vocatur, *Pulcra ut luna*. Nova merito dicenda, nam nullis veteris Evae maculis unquam inquinata est. Neomeniae solemnitas indicta fuit ad recolenda divina beneficia: per Virgineos a Domino in humanum genus abunde ac iugiter promanant divina beneficia. *Festivitates cur in honorem B. Virginis institutae.* Quare merito sancta mater Ecclesia complures in Deiparae honorem instituit solemnitates, quatenus populus christianus maiore cum pietate ac devotione Deo pro his gratias agat. Nec enim decebat christianos in hac pietate et gratitudine cedere Iudaeis. Iudaei solemnitatem neomeniae, hoc est, novae lunae tubarum cantu festiviorem reddebant: christiani ingenti laetitia ac iubilo solemnitates Beatissimae Virginis recolunt. Hinc illa vox Ecclesiae: *Conceptio*, vel *nativitas*, vel *annuntiatio tua*, *Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo*. Et iterum: *Cum iucunditate conceptionem*, etc. *B. Mariae celebremus*.

3 Ethnici novo idolorum errore decepti in honorem matris deorum aequinoctii verni diem, qui est 8 calendas aprilis, solemniter recolebant, ut sanctus Dionysius Areopagita in epist. memorat. Quanto verius, quantoque iustius animi exultatione, et hilaritate festa Beatissimae Virginis quae Dei Mater est, a nobis celebranda sunt?

4 *Festivitates B. M. Virginis enumerantur.* Porro solemnitates in honorem D. Virginis institutae bifariam dividuntur. Quaedam enim sunt universales, quaedam particulares. Universales sunt, quae in Ecclesia catholica universa solemniter celebrantur. Et huiusmodi sunt octo: conceptio, nativitas, praesentatio, annuntiatio, purificatio, visitatio, assumptio, et solemnitas S. Mariae ad nives. His octo sanctus Antoninus 4 parte, tit. 15, cap. 24, parag. 3 festivitatem omnium sanctorum adnumerat, eo quod olim festum S. Mariae ad martyres diceretur.

Particulares sunt, quae ob peculiares causas in certis regnis aut dioecesibus, aut religiosorum hominum sodalitiis celebrantur. Et huiusmodi sunt: festum sacratissimi rosarii, desponsationis B. Mariae, dedicationis Beatae Mariae ad martyres, expectationis partus, S. Mariae Odigitriae, depositionis vestimentorum B. M. Virginis, depositionis zonae eiusdem, S. Mariae angelorum de portiuncula, S. Mariae de Monte Carmelo, festum dolorum B. Mariae, festum gaudiorum eiusdem, festum descensionis eiusdem, festum S. Mariae a principio, festum Virginis puerperae, festum victoriae, Carnuti. Aliud simile Bruxellae: tertium de Mauris in Ordine minimorum, festum Ardentium, festum inventionis manticae B. M. Virginis, festum glorificationis B. Mariae Virginis, festum translationis almae domus lauretanae, recollectio omnium festorum eiusdem (1).

5 *Festivitates B. Virginis quae solemnes, quae non.* Ex his festivitatibus quaedam sunt praecipuae, quae nedum clerus, verum et populus solemniter sub praecepto celebrare tenetur. Quatuor secundum anni tempora; annuntiatio in vere, assumptio in aestate, nativitas in autumno, purificatio in hyeme. *Quatuor festivitates B. M. Virginis in anno celebratae quid denotent.* Et hae quatuor antiquitus solum in Ecclesia celebrabantur, tum ut quatuor anni tempora sub singulari B. Virginis patrocinio essent, tum ut sint veluti quatuor gemmae in corona anni mirabiliter constitutae, tum demum ut Beatissimae Virginis celebritates totum annum fecundent, sicut quatuor flumina paradisum irrigabant. Praeterea ut quemadmodum quatuor venti principales quatuor mundi partes perflant, sic quatuor festi dies Deiparae Virginis quatuor anni tempora illustrent, et exornent: et nos eiusdem Virginis meritis, et precibus per quatuor anni tempora terreamur, foveamur, et servemur incolumes. Ita Hostiensis in cap. Conquestus.

In Polonia tamen, ubi specialiter cultus D. Virginis floret, omnes festivitates ipsius Virginis universales, si demas festum ad nives et praesentationis, cum ieiunio vigiliae nedum a clero, verum et a populo solemniter celebrantur: et aliae nationes, unaquaeque pro sua devotione, festivitates D. Virginis particulares solemniter celebrant. Age de singulis festivitatibus iam memoratis specialiter dicamus. 6 *Polonia B. Virgini specialiter devota.*

Festum immaculatae conceptionis B. M. Virginis.

Haec festivitas Dei Genitricis Mariae in ecclesia graeca ante annos mille celebrari coepta est, auctore Galatino lib. 7 de arcanis catholicae veritatis, cap. 5, et Baronio in notis ad martyrologium die 8 decembris, (2) qui etiam testatur extare in bibliotheca sfortiana sermonem de conceptione B. M. Virginis Leonis imperatoris, qui dictus est philosophus, imperiumque suscepit anno 886. Canisius quoque lib. 1 de B. M. Virgine affirmat divum Damascenum, qui claruit circa annum Domini 720, in suo martyrologio diem conceptionis Mariae notasse, hoc expresse addita, quod illa ante conceptionem pura dicatur (3). 7 *Origo solemnitatis.*

In ecclesia vero latina die 8 decembris celebratur. Verum a quo tempore id fieri coeperit, non satis exploratum est. Sunt qui illam ab apostolorum temporibus in Hispania celebratam fuisse asserunt, fulti testimonio Flavii Dextri, Theodosii imperatoris cancellarii, qui floruit anno Domini 392. Hic in suo chronico haec verba habet: *A Iacobi praedicatione celebratur in Hispania festum immaculatae, et illibatae conceptionis Dei Genitricis Mariae*. Ipsum confirmant auctoritate missalis divi Isidori, in quo peculiare officium de conceptione gloriosae Virginis festo invenitur. Sed haec de conceptione B. M. Virginis activa, qua videlicet Verbum divinum in sua utero concepit, non de passiva, qua ipsa in utero b. Annae concepta est, debere intelligi existimat et bene Ferdinandus Salazar c. 35, par. 2. 8

Alii aiunt id fieri coeptum tempore Caroli magni regis Franciae circa annum Domini 880, ut Franciscus Alvarez in compendio virorum illustrium Ordinis sancti Benedicti, et Bernardus de Busto in suo Mariali. Alii tempore Guilielmi Normannorum ducis occasione abbatis Helsini a naufragii discrimine divinitus servati, simulque de hac solemnitate celebranda admoniti, ut Petrus de Natalibus in catalogo sanctorum, lib. 1, c. 42, et alii apud Petrum Antonium Spinellum in tract. de festis Deiparae memorant. 9

Sanctus Anselmus, qui floruit anno Domini 1100, commentarium de conceptione B. Virginis scripsisse fertur. Sed a multis dubitatur, cum sint in eo multa, quae eidem auctori repugnant, ut notavit Ioannes Turrecremata cardinalis in tractatu de veritate conceptionis Beatae Virginis, pag. 6, cap. 3, pag. 12, cap. 9, 10 (4). 10

Ut ut est, certum est divi Bernardi tempore, qui floruit anno 1140, hoc festum a tota Ecclesia non fuisse receptum. Nam divus Bernardus canonicos lugdunenses in epistola ad eos missa reprehendit, quod novum in divino cultu ritum introducere voluissent, ita fatus: *Miramur satis, quod visum fuit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiae nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio*. Multum movit alios haec Bernardi auctoritas. An canonici illi convicti auctoritate Bernardi a proposito destitissent, et hoc festum illo tempore deseruissent, exploratum non habeo (5). Illud tamen scio aliarum ecclesia- 11

(1) Aliquae ex his solemnitatibus nunc sunt universales, uti festum sacratissimi rosarii, festum dolorum B. M. Virginis dominica 3 septembris ex decr. Pii VII. Addenda his sunt alia festa sive universalia, sive particularia recenter instituta: uti festum nominis Mariae, festum eiusdem sub titulo auxilium christianorum, aliud sub titulo auxilium agonizantium, aliud sub titulo Mater divini Pastoris, festum B. M. Virginis de mercede, de bono consilio, festum maternitatis, puritatis, s. Mariae vulgo *del pozzo* Capuae in nostro regno, et aliud purissimi cordis eiusdem D. Virginis. Quot alia festa in honorem Deiparae celebrantur in diversis locis quis enumeret? *Editor*.

(2) Nunc etiam sub praecepto celebratur in universa Ecclesia festum conceptionis immaculatae ex constitutione *Commissi Nobis* Clementis XI die 6 decembris 1708. *Editor*.

(3) Apud graecam ecclesiam est multo antiquior, nam celebrabatur iam a saeculo V. Vide Grasois de ortu et progressu cultus ac festi immaculatae conceptionis. *Editor*.

(4) Falsum est *librum de Conceptu Virginali* non esse a s. Anselmo scriptum. Editores maurini inter opera eiusdem genuina recensuerunt; Baronius in not. Martyr. Rom. die 8 dec. vocat *egregium*, sic enim ait tractans de festo Conceptionis: *fuisse s. Anselmum, qui et de Conceptu Virginali egregium edidit commentarium*. Quod in hoc libro sint multa, quae s. Anselmo repugnant, est satis a criticis refutatum. *Editor*.

(5) *Exploratum satis se habere* dicere debuisset noster auctor, quod non obstante epistola s. Bernardi non solum ecclesia lugdunensis festum

rum praesules hoc festum deseruisse, vel ad minus in illo celebrando multum refriguisse. Mauritius archiepiscopus parisiensis divi Bernardi coetaneus prohibuit, ne festum conceptionis Mariae celebraretur in ecclesia parisiensi, ut refert Guilielmus parisiensis lib. 3 summae, tract. 1, cap. 3. Concilium oxoniense quod celebratum est in Anglia anno Domini 220, canonem edidit his verbis: *Quod festa subscripta sub omni veneratione serventur: videlicet, omnes dies dominici, quinque dies, natalitius, circumcisio, epiphania Domini, et omnia festa B. Mariae, praeter festum conceptionis, cuius celebrationis non imponitur necessitas.* Vide Suarez tract. 1 de Religione, lib. 2 de observantia festorum.

D. Bernardi quanta olim fuerit auctoritas.

Tanta erat tunc d. Bernardi per universam Ecclesiam auctoritas, tanta sanctitatis, et doctrinae opinio, ut praefatam epistolam eius magistri parisienses b. Albertus magnus, Alexander alensis, s. Thomas aquinas, s. Bonaventura, Richardus de Media Villa, Henricus de Gandavo adeo exceperint, et coluerint, ut contra immaculatam conceptionem B. Mariae Virginis decreverint (1).

12 Initio sequentis saeculi, nimirum anno Domini 1308, claruit Ioannes Duns Scotus, doctor subtilis appellatus, de Ordine minorum. Hic primus torrenti illi doctorum atque adeo academiae parisiensi se opposuit, modeste tamen, et caute locutus 3, d. 3, q. 1 tractans illam quaestionem: *Utrum B. V. Maria fuerit sanctificata ante animationem.* Post declaratas opiniones ad utramque partem sic scribit: *Quid autem horum factum sit, Deus novit; si auctoritati Ecclesiae non repugnat, videtur probabile, quod excellentius est, tribuere Mariae.* Haec Scotus.

Hanc Scoti probabilem doctrinam praeclarus Ordo minorum tam avide arripuit, ut omnino tenendum esse censeret, gloriosam, et immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam. Et cum iam in suam sententiam quamplurimos doctissimos, et clarissimos viros pertraxisset, Ordinem praedicatorum, qui solidae theologiae fundamenta semper tenuit, et pro suo magistro s. Thoma fortiter pugnavit, nullo modo pertrahere potuit (2).

13 Potentissimos itaque reges Hispaniarum Philippum III, et filium eius Philippum IV in auxilium advocarunt, illosque excitarunt, rogarunt, stimularunt, ut cum summo pontifice agerent, quatenus ille pro Mariae immaculata conceptione extremam sententiam ferret, totamque illam controversiam dirimeret, definiret ac terminaret. Sed summus pontifex qui non affectu humano, sed Spiritu divino regitur, toties rogatus, et interpellatus, tot instantiis a regibus catholicis saepius pulsatus, et fatigatus a definitione huius controversiae abstinuit, ne videretur in condendis articulis fidei regibus deservire, et non magis ad ea quae Spiritus sanctus supremus Ecclesiae magister dictat, attendere.

Gregorii XV decretum in materia conceptionis B. M. Virginis.

Gregorius itaque XV pontifex maximus in generali congregatione cardinalium, anno Domini 1622, 24 maii huic controversiae finem fecit, mandans, et praecipiens omnibus, et singulis cuiusvis Ordinis, et instituti regularibus, et aliis quibuscumque tam ecclesiasticis, quam saecularibus, ut in posterum, donec articulus huiusmodi a s. Sede apostolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem suam, et Sedem apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant nedum in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, verum etiam in sermonibus, et scriptis privatis asserere, quod B. Virgo fuerit concepta in peccato originali; nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen quibus a sancta Sede apostolica fuerit specialiter indultum.

Tales sunt praedicatorum Ordinis viri, quibus idem Gregorius XV postmodum concessit, ut de cetero in quibuscumque privatis eorum colloquiis, seu conferentiis, inter se dumtaxat, et non inter alios, aut cum aliis de materia eiusdem conceptionis B. M. Virginis disserere, et tractare, absque ullo poenarum in dictis decretis contentarum incursu, libere et licite possint, et valeant.

Dominicanorum privilegium circa conferentias de conceptione B. M. Virginis.

Insuper idem pontifex Gregorius XV ordinavit, et praecepit, ut omnes et singuli, tam ecclesiastici quam saeculares, ac cuiusvis Ordinis, et Instituti regulares in sacrosancto missae sacrificio, ac divino officio, tam publice quam privatim, non alio, quam conceptionis nomine uti debeant, sub gravissimis poenis, et censuris ipso facto incurrendis. Et ita iam per Dei gratiam sopitae sunt illae antiquae aemulationes, lites, contentiones, rixae, scandala. Quare hoc nomine gratulor toti Ecclesiae, et mihi summopere gaudeo, quod iam uniformiter hac festivitate B. Virginem ab omnibus coli, ac venerari videam paratus de illius conceptione sentire, credere, docere, praedicare, et scribere, quicquid asserit summus fidei arbiter pontifex romanus, ob cuius reverentiam pono custodiam ori meo.

Auctoris mens in hac controversia et festivitate.

Haec tantum commemorare, et rei gestae historiam breviter attingere placuit; quatenus definitionis sitientissimi se vicisse non glorientur, nec de aliorum ingeniis triumphare ambiant. Nam re vera hoc genus victoriae ac triumphi gloriosum non esset Ecclesiae, si id modo damnaret, quod multis retro annis docere, ac praedicare permisit, immo sub poena anathematis haeresis condemnare vetuit in Extravaganti *Grave nimis*, et Concilio tridentino sess. 5. Sed de sensu sub quo celebratur festum conceptionis B. M. Virginis agere operae pretium est (3).

Quisnam sit sensus Ecclesiae in celebrando festo conceptionis B. V. Mariae, non una omnium mens, nec una sententia. Quibusdam visum est romanam Ecclesiam solam spiritualem conceptionem, seu sanctificationem B. M. Virginis celebrare. Sed hi reprobati, et damnati sunt per bullam Xysti IV, quae incipit *Grave nimis*, editam anno Domini 1482. 14

Sensus Ecclesiae in celebratione conceptionis B. V. Mariae.

Quare tenendum est romanam Ecclesiam festum celebrare de intemeratae semperque Virginis gloriosae Mariae conceptione vera, et naturali. Conceptione, inquam, non illa prima quae fit ante animationem, et formationem prolis, quae fit commixtio seminum in copula viri et mulieris: haec enim etsi sine peccato parentum Virginis fuerit, (Virgo enim ex honestissimis parentibus Ioachim, et Anna suam carnem contraxit) cum tamen illa sicuti peccato, ita nec gratiae, seu sanctificationi subiecta esse potuit; proinde nihil sanctum in ea fuit: *Inter amplexus maritales non se immiscuit sanctitas*, inquit d. Bernardus ad canonicos lugdunenses (4).

Conceptio B. M. Virginis qualis ab Ecclesia colitur.

Nec in hac parte admittenda est opinio quorumdam, qui affirmarunt Virginem Mariam sine virili semine, et absque viri et mulieris copula, sed Spiritu sancto cooperante, in utero Annae, osculo utrinque accepto, fuisse conceptam. Haec enim opinio valde absurda, falsa, erronea est, et indigna Virgine Maria, quae nostris mendaciis non indiget, quae nisi veris praeconiis vult commendari. De solo namque Christo fides catholica credit, ac confitetur, quod conceptus est de Spiritu sancto.

Opinio quorumdam absurda de conceptione B. M. Virginis.

B. V. Maria non est concepta de Spiritu sancto.

Conceptio igitur secunda ab Ecclesia catholica colitur, cum nimirum gloriosissima Virgo Maria, quae erat futura Mater Redemptoris, in materno alvo animata fuit, tunc enim tantam plenitudinem gratiarum accepit, ut esset digna Mater Filii Dei. Et hoc est fundamentum festivitatis huius sensu piissimi, et eruditissimi cardinalis Bellarmini, qui in controversia de cultu sanctorum, libro 3, cap. 16 ita ait: *Fun-*

Fundamentum huius festivitatis quod.

non decrevit, sed etiam, quod magis mirum, vix elapsis decem annis *fere per totam Galliam devotissime ab omni christiano percelebraretur populo*, verba sunt eruditissimi p. Martene de antiq. eccles. tom. 3, lib. 4, cap. 31, n. 14. Et sic deinceps per totam Ecclesiam occidentalem quam celerrime. V. Gravois in op. supra cit. apud quem reperies refutatum quod auctor noster contra festum addit; tota enim haec materia requireret specialem tractatum, quod in notis non decet. *Editor.*

(1) Audi contra Auctorem nostrum cl. Perrone: quamvis, doctores isti (Alensis et alii), immo et Albertus M. et s. Bonaventura in ea fuerint sententia, B. Virginem in istanti infusionis animae fuisse peccato originali obnoxiam; (quod tamen alii inficiantur) nunquam tamen s. Bernardum in hac parte adduxerint in suae sententiae patrocinium, ut multi allucinantur; sed tantum eo usi sint ad praesidium et argumentum illius partis, quae eidem B. Virgini sanctificationem negat ante animae infusionem. De Imm. Concept. an dogm. decr. definiri possit disq. theolog. p. 1, c. 15, par. 2, pag. 73 in not. edit neap. 1848. Scilicet s. Bernardi effata de conceptione activa exponere. De s. Thoma iam satis probatum est nunquam negasse immaculatam omnino Virginis conceptionem, immo formaliter affirmasse eam habuisse maximam puritatem sub Deo, cum a peccato originali et actuali immunis fuerit. *Editor.*

(2) Non Ordo praedicatorum, *qui pro suo magistro s. Thoma fortiter pugnavit*, sed aliqui, et pauci alumni huius Ordinis negarunt immaculatam B. Virginis conceptionem, uti hoc ostendit f. Augustinus Pacificus in op. La Chiesa Cattolica nel fatto dell' Immacolatissimo e Santissimo Concepimento della Gran Madre di Dio Maria contro tutte l' eresie. Certe s. Dominicus omnino immaculatam affirmavit B. M. Virginem in eo scripto, quod coram Albigensibus in ignem proiectum remansit illaesum; sic enim ait: *sicut primus Adam fuit ex terra virgine, et nunquam maledicta formatus, ita decuit in secundo Adam fieri, scilicet Christo, cuius terra, idest Mater Virgo, nunquam fuit maledicta*, quod est semper fuisse immunem a quavis labe peccati. V. op. cit. *Editor.*

(3) Imo contra Ecclesia docere et praedicare vetuit conceptionem B. Virginis non fuisse immaculatam, uti hic supra ipse Auctor narrat; definiendo ergo immaculatam conceptionem Ecclesia docuit, quod semper, quod ubique, quod omnibus praedicavit. *Editor.*

(4) Vide quod alibi notavimus de b. Ioachim et Anna in tomo I. *Editor.*

Digitized by Google

dumentum huius festivitatis non est conceptio immaculata, sed simpliciter conceptio Matris Dei futurae. Qualiscumque enim fuerit illa conceptio, eo ipso quod conceptio fuit Matris Dei, singulare gaudium affert mundo eius memoria. Tunc enim primum habuimus pignus certum redemptionis, praesertim cum non sine miraculo ex matre sterili concepta fuerit. Haec Bellarminus. Nemo sincerius B. Virginem colit, nemo rectius festivitatem conceptionis eius celebrat, quam Ecclesia romana, quae tamen in publicis tabulis nunquam apponit hanc particulam *immaculata*, sed simpliciter profert: *Conceptio B. M. Virginis.* Summi quoque pontifices in suis bullis, seu diplomatibus nunquam conceptioni addunt hanc vocem *immaculata*, sed simpliciter proferunt: *Conceptio intemeratae, semperque Virginis gloriosae Mariae.* Vel si addunt *immaculatae*, non eam connectunt cum conceptione, sed cum Virgine, dicentes: *Conceptio B. M. Virginis immaculatae.* Quo satis clare indicant, Ecclesiam romanam non celebrare conceptionem immaculatam, sed simpliciter conceptionem Matris Dei futurae, ut Bellarminus loco citato optime notavit. Mens autem Ecclesiae romanae non aliunde cognosci potest melius, quam ex publicis eius tabulis, et pontificum romanorum diplomatibus, qui simpliciter, et nullo addito pronuntiant: *Conceptio B. M. Virginis* (1).

Romana ecclesia sincere B. M. Virgini devota.

15 Conceptio B. M. Virginis cur mira dicatur.

Xystus IV pontifex maximus in bulla quae incipit: *Cum praecelsa*, immaculatae Virginis conceptionem *miram* appellat. Vere *mira*, quia nova, singularis, rara et inusitata. Notum est B. V. Mariam ex Anna sterili, et Ioachim iam effeto, et grandaevo conceptam fuisse: quod mirum, rarum est, et inusitatum. Rursum *mira*, quia peculiari Dei instinctu et motu facta. Certe apud divam Birgittam lib. 1 revel. cap. 19, ipsa Virgo Deipara suam conceptionem in peculiarem Dei instinctum, et motum refert. *Pro certo scias*, o *Birgitta, quod ex caritate divina, et ex verbo angeli nuntiantis convenerunt carne parentes mei, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra voluntatem suam ex divina dilectione; et sic ex semine eorum per divinam dilectionem caro mea compaginata est.* Haec ibi. Postremo *mira*, quia quid Deus in primo conceptionis puncto cum B. Virgine fecerit, qualiter eam sanctificaverit, ipse solus novit; cum id Scriptura non loquatur, Ecclesia non doceat, et nos potius mirari, quam praesumptuose loqui conveniat.

16 Cur Ecclesia celebrat festum conceptionis B. M. Virginis.

Celebrat igitur Ecclesia conceptionem Beatissimae Virginis, et merito. Tunc enim prima divini operis, et redemptionis nostrae fundamenta iacta sunt: tunc admiranda tela ex qua aeterno Dei Filio mortalis naturae vestis aptanda erat, confici coepta est: tunc regale palatium in qua Dei Filius mundi Conditor, et Redemptor in carne assumpta habitaret, construi coepit: tunc paradisus ille voluptatis plantatus est, in cuius medio lignum vitae nasceretur: tunc arca illa foederis, quae verum manna, panem vivum de coelo missum, primum ambitu suo complexum, et tandem universo orbi edendum productura erat, aedificari coepta est, cum B. Virgo in alvo materna concepta est.

17 Simile.

Ecclesia mater nostra hac in parte gallum hymnis ecclesiasticis celebratum imitari videtur. Hic dum naturaliter percipit profunda adhuc nocte solem ad hemisphaerium nostrum longe adventantem, sibi gratulatur, et in canoras voces erumpit, cantuque suo velocius illum quasi advocat. Ita Ecclesia cum tota teneatur desiderio Salvatoris, ex Matris conceptione Filii conceptionem propinquam praesentiens sibi gratulatur, gaudet, cantica promit, et diem hunc solemnem devotius celebrat.

18 Cur tempore adventus Domini celebratur conceptio B. M. Virginis.

Et congrue tempore adventus Domini hanc solemnitatem conceptionis Deiparae Ecclesia recolit. Conceptio enim Mariae magnam occasionem praebet recolendi, atque ingeminandi voces illas, quibus prisci illi patres desideratum cunctis gentibus Messiam inclamabant, dicentes: *Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum, aperiatur terra et germinet Salvatorem.* Hodie enim terra illa, quae rorem hunc coelestem suscipere debuit, formata est.

19 Scopus festivitatis huius.

In huius itaque admirandae, at sanctissimae conceptionis memoriam dies a sancta matre Ecclesia in toto christiano orbe celebris est instituta, ut in ea in primis laudemus, et depraedicemus gratiam, misericordiam, gloriam, et magnificentiam Dei Opt. Max. quam suae dilectissimae Filiae et Matri exhibere dignatus est, cum animam eius digne creavit, gratia ornavit, consecravit, et corpori ita univit, ut dignum Filii Dei habitaculum fieret. Si enim universa divino cultui, et obsequiis deputata sancta fora necesse est, cuius gratia templum, vasa, vestes consecrantur: quanto magis corpus illud in quo Sanctus sanctorum, aeterna Dei Patris *Sapientia*, nedum habitare, sed et carnis suae substantiam ex ea sumere, in eaque universa, sive quae in coelis, sive quae in terris pacificare debebat, sanctificare debuit? Debuit sane.

Sanctificari cur debuit B. V. Maria.

20

Postremo cur conceptionem Deiparae Virginis non celebramus, quam coeli cives summa cum veneratione celebrant? Audi quid de hoc dicat magnus ille Dei praeco, s. Vincentius Ferrerius serm. 2 de nativitate Virginis Mariae: *Nec credatis*, inquit, *quod fuerit in B. Virgine, sicut in nobis qui in peccata concipimur, nascimur, et nutrimur. Sed statim postquam fuit corpus formatum, et anima creata, tunc fuit sanctificata, ideo fit festum de eius sanctificatione, quia facta est lux sanctificationis in ea, et statim angeli in coelo fecerunt festum conceptionis.* Haec ille.

21 Festivitas conceptionis B. M. Virginis a quo inventa.

Hanc vero solemnitatem non humana devotione inventam, sed Spiritus sancti revelatione institutam, ac infinitis propemodum coruscantibus miraculis declaratam fuisse, quemadmodum et ipsa Sanctissima Virgo quae hodie concepta est, non noviter, nec fortuito inventa, sed a saeculo electa, ab Altissimo praecognita, illi praeparata, ab angelis observata, a patribus praecognita, multi adstruunt. Quae copiose adfert Claudius Rota noster, qui floruit anno Domini 1550, et legendam sanctorum confecit (2).

Festum nativitatis B. M. Virginis.

22 Origo festivitatis.

Haec festivitas B. M. Virginis longe antiquior est, quam praecedens, nam post Concilii ephesini tempora anno salutis 436 celebrari coepta est die 8 septembris. Eo enim die B. M. Virginem natam fuisse divinitus revelatum est cuidam viro sancto solitariam vitam agenti, qui nocte eundem diem praecedente singulis annis harmoniam audiens, et admirans, rogavit Deum ut sibi ostenderet, quid haec melodia significaret. Cui angelus haec retulit: Virgo perpetua quae Deum genuit, hac nocte nata fuit, quod licet ab hominibus ignoretur, ab angelis tamen celebre habetur. Qua revelatione divulgata, eius nativitas ab Ecclesia celebrari coepta est. Ita Vincentius Bellovacensis in specul. hist. lib. 6, c. 66, et lib. 7, c. 119.

Dies nativitatis B. Virginis signis ei ostensis monstratus.

Aliud in eius diei confirmationem mirabile narrat Tursellinus ex Baptista Mantuano, Hieronymo Angelita lib. 1 histor. lauretanae, cap. 7. Quidam vir solitarius eximiae sanctitatis, nomine Paulus, meditationi rerum coelestium insistens, in suo tugurio non ita longe ab aede lauretana sito, notavit integro decennio coelestem flammam instar ingentis cometae diffusam B. Virginis cellae incumbentem, comperitque sexto idus septembris, hoc est ipso nativitatis B. V. Mariae die, quotannis quarta fere vigilia noctis, quae matutino tempori propinqua est, plurimum de coelo late ignem tectum aedis splendore aperire, nec ita multo post in sublime unde venerat, sese recipere. Existimans ille B. Virginem e coelo delabi, et in suam domum venire, impigre accurrit coelestem Reginam conspecturus, et impense salutaturus. Verum appropinquanti flamma primum extenuari, et ad ultimum ex oculis evanescere visa est. Tunc instantius a Deo petiit, ut sibi revelare dignaretur, quid flamma illa toties conspecta portenderet. In somnis hoc responsum accepit: *Natali Deiparae die domum eius natalem flamma insigniri, ut mortalibus cordi esset, inibique praecipua solemnitate ab omnibus coleretur.* Es-

(1) Excusandus est Auctor, qui non vixit aetate Alex. VII, qui in celebri const. *Sollicitudo omnium ecclesiarum* promulgata anno 1661 die 8 dec. sensum declaravit tridentini decreti, atque ecclesiae romanae circa verum obiectum festi: ait enim se velle tueri devotionem hanc celebrandi Beatissimam Virginem, *praeveniente scilicet Spiritus sancti gratia a peccato originali praeservatam*. Postea concessum fuit addere in Litaniis invocatio: *Regina sine labe originali concepta, ora pro nobis*; et in praef. Missae: *et te in conceptione immaculata B. Mariae semper Virginis*. Tandem definitum est esse veritatem fidei immaculatam Virginis conceptionem. *Editor*.

(2) Nolumus hic praeterire, quod pertinet ad specialem gloriam nostrae civitatis circa devotionem erga Deiparam immaculatam. Constat enim ex vetere marmoreo neapolitanae ecclesiae calendario, quod digestum est saeculo Eccl. IX, ut Alexius Symmachus Mazochius luculenter ostendit, Neapolitanos iam ante saeculum IX celebrasse festum immaculatae conceptionis. Ex quo Iosephus Simonius Assemanius in op. Calendarium Ecclesiae universae tom. V, iure concludit Neapolitanos in Italia ante Gallos et Anglos aliosque omnium primos latinorum fuisse, qui Sanctissimae Deiparae immaculatae conceptioni hunc cultum deferrent; a Graecis quidem, ut videtur, acceptum, nam in dicto calendario festum hoc notatur more Graecorum die XI decembris sic: *Conceptio Sanctae Mariae Virginis*. *Editor*.

dem flamma recanatensibus civibus, viris primariis visa summum pontificem movit, ut decreta sanciret, eo die festum lauretanae domus magna solemnitate quotannis coli. Hoc anniversarium spectaculum usque ad Pauli III tempora durasse narrat idem Tursellinus.

23 *Octava huius festivitatis qua occasione instituta.* Octavam huic festo adiecit Innocentius IV pontifex maximus hac occasione, quam Platina in eius vita memorat. Cum, Coelestino IV pontifice vita functo, cardinales ob multiplices Federici II imperatoris insidias, ad eligendum pontificem viginti et uno mensibus minime processissent, votum Deiparae nuncuparunt, se eiusdem nativitatis octavam instituturos, si in re tanti momenti eius precibus ipsi, omnibus sublatis impedimentis, pontificem elegissent. Quod cum ex animi sententia evenisset, Innocentius IV summus pontifex electus primo sui pontificatus anno eandem octavam servare constituit.

24 *S. Gertrudis devotio erga B. Virginem.* In hoc die, et octava eius preces B. Virgini oblatae quam gratae sint, ipsa revelavit. D. Gertrudis cum in hoc festo nativitatis Deiparae tot *Ave Maria* persolvisset, quot diebus ipsa praeclara maris stella in utero matris crevit, (quod fieri facile potest, si trigintaquinque *Ave Maria* quotidie recitentur per octo dies) ab ipsa quaesivit, quid benignitate sua mereretur, qui simili devotione ad honorem eius eundem numerum salutationum angelicarum persolveret? Respondit: Hoc merebitur, quod aeternaliter in coelis speciali iucunditate participabit mecum omnia gaudia quae recepi, et adhuc sine intermissione innovata recipio pro singulis virtutibus, ad quas Beata, et Gloriosa Trinitas animam meam singulis diebus secundum optimum beneplacitum suum habilitavit. Ex libro revelationum b. Gertrudis, cap. 53. *Salutatio angelica recitantibus eam quam proficua.*

25 In eodem festo nativitatis Deiparae b. Gertrudis obtulit Beatissimae Virgini centum et quinquaginta *Ave Maria* in honorem eius lectas, orans, ut in hora mortis materna sibi pietate dignaretur adesse. Et ecce omnia verba quae legerat, videbantur in specie aureorum denariorum ante consistorium Christi praesentari, et ab ipso Matri suae commendari, quae Mater pia suscipiens, quasi dispensatrix fidelissima singillatim disponebat in profectum, et solatium animae eius, diligentissima cura providens, ut cum egrederetur ex hoc saeculo pro singulis sibi oblatis salutationibus specialem consolationem, et tuta subsidia apud districtum iudicem obtineret. Intellexitque, quod dum aliquis finem vitae suae cuivis sanctorum specialibus orationibus commendat, statim orationes illae ante tribunal Christi deferuntur, et ille sanctus cui funduntur, constituitur a Deo advocatus, ut sibi devoto bona provideat tempore opportuno. Ex revelationibus b. Gertrudis, libro 4, cap. 55. *Sanctos habere patronos optimum est.*

Festum praesentationis B. M. Virginis.

26 *Origo festivitatis praesentationis B. M. Virginis.* Hac festivitate gloriosam Dei Genitricem sancta mater Ecclesia colit, ac veneratur die 21 novembris in memoriam eius, cum adhuc trimula a parentibus in Ierusalem adducta, atque in templo praesentata, oblataque aeterno Patri tanquam filia, Filio tanquam eius mater futura, Spiritui sancto tanquam sponsa, angelis tanquam regina, hominibus tanquam advocata.

27 *Antiquitas huius festivitatis.* Hoc festum ecclesia graeca ab antiquo coluit, ut ex orationibus s. Germani patriarchae constantinopolitani, qui floruit anno Domini 715, et Gregorii episcopi nicomediensis, quas in ea festivitate habuerunt, colligitur. Meminerunt huius festivitatis Graeci in suo Menologio, et constitutione quadam Emmanuelis imperatoris, quam Theodorus Balsamon allegat in Nomoc. titulo 7, cap. 5.

28 *Progressus huius festivitatis.* In ecclesia latina haec festivitas celebrari coepta in Gallia tempore Caroli V Francorum regis anno Domini 1373 ab abbate quodam anonymo in Hortmanis, Ordinis s. Benedicti, teste Arnoldo Wion lib. 5 vitae, c. ultimo.

Guilielmus Saxoniae dux pro religione sua ac pietate ad hoc Virginis festum, quod in Saxonia magna pietate celebrabatur, litteras misit ad Pium II pontificem maximum, quibus ut hoc festum auctoritate apostolica confirmaret, postulabat; sed illo mature mortuo, successit Paulus II, qui postulatis Guilielmi ducis de benignitate apostolica assensus est, concedens, ut non secus atque assumptio Virginis einsmodi solemnitas in Ecclesia celebraretur. Cuius rei gravissima testimonia profert Alphonsus Salmeron tomo 3 suorum commentariorum in evangelia, tractatu 12.

29 Patres coelestini in conventu generali parisiensi anno Domini 1567 praesentationis Deiparae festivitatem per cuncta sui Ordinis gallicana monasteria celebrandam sanxerunt.

Sed cum Pius V pontifex maximus in recognitione breviarii romani sanctorum festa contraxisset, et festivitatem hanc calendario non adscripsisset, Xystus V eandem per universi orbis ecclesias celebrari iussit diplomate hunc in finem vulgato Romae die 1 septembris anno Domini 1585, in quo testatur hanc celebritatem ab antiquissimis usque temporibus summa ubique gentium cum veneratione observatam, proinde aicubi praetermissa esset, restitui. De his quae ad historiam huius festivitatis spectant, vide Petrum Ribadeneiram in flore sanctorum p. 1, die 21 novembris, ubi historiam B. M. Virginis modo concionatorio descriptam invenies. 30

Festum annuntiationis B. M. Virginis.

Hac festivitate gloriosam Dei Genitricem Ecclesia colit, simulque recolit mysterium illud, quo, angelo nuntiante, pro salute mundi Deus homo factus est; ipsaque Virgo vera Dei Genitrix effecta. Hoc festum primarium, sacrosanctum, ac antiquissimum esse orationes veterum patrum, s. Ambrosii, s. Augustini, s. Chrysologi, s. Athanasii, et maxime s. Gregorii Thaumaturgi, qui floruit anno Domini 230, indicant. Festum hoc olim in Hispaniis 15 calendas ianuarii, hoc est die 18 decembris, celebrabatur, ut videre est in Concilio laodiceno, cap. 51, et in toletano X, cap. 1, eo quod dies 25 martii, quo Christus conceptus est, plerumque in hebdomadam sanctam incidat, quod tempus luctui potius et moerori debetur ob passionem Christi, quae eo tempore recolitur. Ibidem hoc festum ab apostolorum temporibus celebratum fuisse monstratur. Ecclesia quoque ambrosiana ob eandem causam solemnitatem istam dominica proxime praecedente natalem Domini celebrare consuevit, teste Galesio in notis ad martyrologium. Ildephonsus toletanus archiepiscopus eam solemnitatem in festum expectationis partus commutavit, de qua infra dicemus. Verum Ecclesia catholica tam latina, quam graeca hanc solemnitatem 8 calendas aprilis, hoc est die 25 martii celebrat, eo quod illo die *Verbum caro factum est*, teste sancto Augustino libro 4 de Trinitate, cap. 5, in haec verba: *Sicut a maioribus*, inquit, *traditum est, sic sapiens Ecclesiae custodit auctoritas, octava calendas aprilis conceptus creditur, quo et passus.* 31 *Antiquitas huius festivitatis.*

Haec solemnitas incarnationis Christi, et annuntiationis B. M. Virginis tam est eximia, ut Franciscus Mayron, non ignobilis theologus, in sermone quodam de Virginis annuntiatione, eam (si id quod in ea gestum est, spectemus) aliis solemnitatibus ad Christi humanitatem pertinentibus anteferre non dubitet, ita fatus. 1. Incarnatio Christi in die annuntiationis peracta in utero Virginis transcendit primo solemnitatem dominicae nativitatis, quae quidem nativitas est magna solemnitas propter incarnationem hodiernam, qua si ista non praecessisset, Deus homo natus non fuisset. 2. Transcendit solemnitatem oblationis, quando fuit praesentatus in templo, sanctior enim fuit uterus virginalis quam templum Salomonis. 3. Transcendit solemnitatem transfigurationis, quia ibi de novo fuit solum corpus illustratum, in incarnatione vero fuit anima Christi illustrata intellectualiter sublimiori lumine gloriae. 4. Transcendit solemnitatem consecrationis sui corporis et sanguinis, quia in consecratione panis, et calicis non fuit divinitas Verbi ex vi verborum, sed solum ex concomitantia; in annuntiatione autem fuit divinitas ex vi incarnationis, quoniam scilicet humanitas hypostatice unita est Verbo. 5. Transcendit solemnitatem humanae redemptionis quae celebrata fuit in morte Christi, quia mors ista non fuisset sufficiens pro redemptione humani generis, nisi humanitas illa fuisset unita divino Verbo; unde valorem infinitum habuerunt Christi actiones ad nos redimendum. 6. Transcendit solemnitatem infernalis expoliationis, quia in infernum non descendit nisi anima cum divinitate; at in B. Virginis utero fuit hodie divinitas cum corpore et anima. 7. Transcendit solemnitatem resurrectionis, quoniam in hac fuit unita anima Christi cum corpore; at in incarnatione unita est divinitas cum humanitate; cuius unitatis extrema, si praecise spectemus eorum naturam, sunt nobiliora. 8. Transcendit solemnitatem ascensionis; sicut enim humanitas tunc ascendit ad dexteram Patris quasi localiter; ita nunc humanitas ascendit personaliter, quia assumpta ad personam Filii. At vero maius est, cum quis in regem assumitur, quam cum in throno collocatur. 9. Tran- 32 *Annuntiationis festivitas quam sit celebris.* *Francisci Mayronis de solemnitate annuntiationis B. M. Virginis praeclara sententia.*

Digitized by Google

scendit solemnitatem pentecostes, cum Spiritus sanctus in apostolos descendit in specie ignis; etenim ignis non erat Spiritui sancto hypostatice unitus, sed solum erat eius signum in quo apparere voluit. At vero hodierno die Filius Dei humanam naturam sibi hypostatice univit, ut per eam operaretur, actiones quippe sunt suppositorum: ita dies annuntiationis est ille de quo dicitur ad litteram Malach. 3, 2. *Quis poterit cogitare diem adventus eius?* scilicet in Virginem, quod est mysterium nobis incomprehensibile per naturam. Haec ex Mayrone. Merito de hac solemnitate dici potest illud Num. 28, 26: *Dies primitivorum venerabilis, et sancta erit.*

33 Incarnationis mysterii super alia excellentia. Illud quoque ad mysterii huius commendationem plurimum facit, quod cum illud in Ecclesia solemniter commemoratur, non capitis solum inclinatione, sed etiam genuflexione prosternimur. Cum enim recitantur illa verba in Symbolo: *Et homo factus est*, et illa ex evangelio: *Et Verbum caro factum est*, genibus provoluti in terram cadimus pro tam eximio beneficio Deo gratias agentes.

Dominicanorum erga mysterium incarnationis reverentia. In Ordine praedicatorum, cum hoc beneficium in vigilia nativitatis Domini, et annuntiationis B. M. Virginis ex martyrologio recitatur, omnes qui in capitulo sunt, in faciem cadunt; et ita prostrati aliquantulum manent pro hoc ineffabili beneficio Dominum sub silentio adorantes. Et merito. Licet enim Deus Optimus Maximus in omnibus beneficiis generi humano exhibitis summa tum animi, tum corporis demissione colendus sit, in eo tamen quod homo fieri dignatus est, singulari quadam corporis humiliatione, ac mentis devotione venerandus est. Quod vel ipsius satanae admonitu comprobatum sic legimus in speculo exemplorum distinct. 9, exemplo 75.

Exemplum terribilis ingratitudinis, beneficii incarnationis. Quidam monachus quadam vice stetit in choro; cum cantaretur *Et homo factus est*, et alii fratres inclinarent, et genua flecterent, ipse erecto collo stetit, et genua non flexit. Tunc diabolus accedens ei alapam dedit: O ingrate, quomodo sic stas? cur cum aliis genua non flectis? nonne audis, quod Deus propter vos homines, et propter vestram salutem homo factus est? Si id Deus propter nos fecisset, ei perpetuo devincti in terram caderemus. Haec refert Martinus Navarrus in miscellanea de oratione.

34 Obsequium in hac festivitate B. M. Virgini praestandum. Iam de obsequio B. M. Virgini hac die praestando aliquid dicamus. Beata Gertrudis sancti Benedicti monialis scire desiderabat, quonam obsequii genere in sacra annuntiationis die Beatam Virginem honorare posset. Edocet eam Regina coeli. Quod si quis, ait, per octavam quotidie legeret triginta quinque *Ave Maria* cum devotione in memoriam illorum dierum, quibus Dominus Iesus crevit in utero suo, ille tam acceptum famulatum sibi exhiberet, sicut si eo die quo Dominum concepit, sibi adfuisset, et per singulos dies usque ad partum diligentissima sibi obsequia impendisset, et quam libenter illi tunc B. Virgo concessisset, quicquid pro servitio suo ab eo postulasset; ita concedet nunc quicquid id obsequii genus ei praestiterit. Ex revel. beatae Gertrudis, lib. 4, c. 12.

Plerique eum hebdomadae diem, in quem singulis annis annuntiatio Beatae Mariae Virginis incidit, per anni circulum ieiunant, quorum pietas quam grata sit B. Virgini, inferius ostendemus.

Festum visitationis B. M. Virginis.

35 Occasio institutionis huius festivitatis. Hac festivitate gloriosa Deipara Virgo ab Ecclesia colitur in memoriam eius dignationis, quando ipsa licet Dei Mater, atque in utero Christum Dominum gestans cognatam suam Elisabeth summo humilitatis exemplo invisit, et Ioannem Baptistam adhuc in utero matris latentem voce salutationis suae sanctificavit. Instituta est festivitas ab Urbano VI circiter annum Domini 1385, et confirmata a Bonifacio IX, aut potius promulgata anno Domini 1389 ad Dei Genitricis opem implorandam in tollendo gravissimo Ecclesiae schismate, quod duravit (iuxta computum Bzovii) annis quinquaginta. Huius festi octavam celebrat Ordo noster ad instar octavae Corporis Christi, quoad indulgentias; et praemonstratenses, cistercienses, cluniacenses, augustiniani, carmelitae, coelestini. Quae in mysterio huius festivitatis meditanda sunt, inferius habes in epitheto *Rosa mystica*, ubi quidnam sit meditandum in singulis sanctissimi rosarii mysteriis explanatum dabimus.

Festum purificationis B. M. Virginis.

36 Nomina huius festivitatis. Haec festivitas colitur in memoriam occursus Simeonis, quando Christo occurrit cum Deipara in templum venienti. Unde a Graecis *Hypapante Domini*, id est, occursus, sive obviatio dicitur. Unde in hoc festo Ecclesia missam inchoat: *Ecce advenit Dominator Dominus*, quasi nos invitans, ut Christo occurramus.

Olim a Latinis hic dies vocabatur *festum praesentationis Christi, aut festum Simeonis, et Annae*. Hodie ab Aethiopibus christianis *solemne Simeon dicitur*, ut Franciscus Alvaresius narrat. *Festum purificationis B. M. Virginis* apud nos dicitur ab historia evangelica, quae hodierna die narrat purissimam Virginem velut purificandam pro mosaicae legis more ierosolymitanum templum adiisse.

Hoc festum in ecclesia graeca sub Iustiniano imperatore primo celebrari coeptum est occasione magnae mortalitatis, quae Constantinopoli grassabatur, ope Dei Genitricis depulsae anno Domini 542, teste Paulo diacono in miscellanea histor. cui consentit s. Antoninus p. 2 hist. tit. 12, p. 5. Sigebertus in chronica anno Christi 542.

37 Qua occasione haec festivitas fuit instituta. In ecclesia latina hoc festum instituit Gelasius romanus pontifex, qui annis triginta ante Iustiniani imperatoris tempora romanae ecclesiae praefuit. Hic pontifex lupercalia mense februario agi solita Romae ad id temporis permanentia legibus ecclesiasticis abrogavit, commentariumque adversus Andromachum senatorem, reliquosque romanorum lupercalium studiosos scripsit. Exordium eius est: *Sedent quidam in domibus suis, nescientes neque quae loquantur*, etc. Abrogatis ergo lupercalibus, festivitas purificationis B. M. Virginis est instituta, vel potius restituta; nam eius primam originem ad apostolos refert Ioannes a Carthagena tomo 2, lib. 8, homil. 12.

38 Cereorum usus in hac festivitate quam antiquus. Addidit huic solemnitati Sergius papa, ut habet ordo romanus, litanias sic institutas, ut exeunte clero cum populo ab ecclesia sancti Adriani, procederet cum cereis ad talem usum benedictis ad basilicam Sanctae Mariae maioris, ut ex gestis pontificum Albinus lib. 2 de officiis ecclesiasticis, et Amalius libro 3, capite 43 narrant. Verum cereorum usum in hac festivitate longe antiquiorem esse invenio. Nam s. Eligius episcopus noviomensis, qui ante Sergium papam vixit anno Domini 665, in sermone quem habuit in ea solemnitate, pluribus super cereorum mysterio disserit.

39 Cerei cur hac die gestantur. Hi vero cerei in hac festivitate gestabantur, et hodie gestantur. 1. Ut mos ethnicus in christianum ritum commutaretur. Fuit apud ethnicos superstitiosos divinae Religionis aut imitatores, aut depravatores magnus cereorum, lampadarumque in variis inanium deorum ritibus receptus usus, prout vetus illud de lampadis traditione platonicum, aristotelicumque declarat proverbium, *Lampada cursu tradere*;

Lampada tradere quid. quod nihil aliud est quam partes suas quasi successione in alium transferre. Tractum a consuetudine lampadophorum, qui in certamine lampadodromico, si lampadem ad metam inextinctam pertulisset, eam alteri tradebat.

Apud Romanos tria festa luminarium. Romani tria luminarium festa celebrabant. Primum in honorem Proserpinae, cuius amore Pluto inferorum deus vehementer captus ipsam in sponsam rapuit, et deam fecit. Hinc mulieres romanae tota nocte calendis februarii in honorem eius candelas deferebant. Secundum in honorem Februae matris Martis, quo de lustro in lustrum, hoc est, de quinquennio in quinquennium totam noctem cum luminaribus ob sui honorem lustrare consueverant, quibus alioqui profanis ritibus se purgari autumabant. Hinc februare apud antiquos purgare significat, ut indicat Varro de vita populi romani. Tertium festum erat luminarium, quod in honorem omnium deorum infernalium, ut ipsos placarent, et ad misericordiam commoverent, quo mitius animas defunctorum suorum punirent, celebrabant. Quia vero difficile est antiquas consuetudines relinquere, nonnulli romani etiam post susceptam fidem huiusmodi festa luminarium in mense februario celebrabant. Ecclesia quid faceret? Lustrandi et sacrificandi profanam consuetudinem in honorem Dei, eiusque Genitricis Mariae traduxit, huicque diei potissimum eam caeremoniam adiunxit, qua vera lux Ierosolymam, ac templum primo illustravit, qua verum lumen ad revelationem gentium, et ad gloriam populi Israel divinitus praeparatum, coelitusque missum effulsit, suisque radiis caligantes Simeonis senis oculos ita recreavit, ut cycnea voce totus gestiens id palam profiteretur, ac diceret: *Nunc dimittis servum tuum Domine*. Igitur honorem, quem ethnici falsis diis hodie exhibebant, nos Deo vero offerimus. Ethnici in honorem Proserpinae dei infernalis sponsae luminaria ferebant: nos in honorem Mariae veri Dei Sponsae ac Matris illa deferimus. Illi ad honorem Februae matris dei belli totam urbem lustrabant;

Digitized by Google

nos ad honorem Mariae Matris Dei pacis totum templum lustramus. Adorabant romani Proserpinam, ut a sponso suo eis impetraret gratiam: nos adoramus Mariam, ut nobis a Sponso suo obtineat Spiritus sancti gratiam: hinc ei occinimus: *Maria Mater gratiae.* Colebant illi Februam, ut eius interventu possent habere victoriam: nos colimus Mariam, ut eius precibus, et meritis contra hostes tam visibiles, quam invisibiles obtineamus victoriam. Venerabantur illi daemones, ut eos erga suos defunctos moverent ad misericordiam: nos veneramur Dei Genitricem, ut nostris defunctis impetret a Deo peccatorum veniam. O commutationem sanctam, o institutum pium, o salubre consilium, cuius mentionem faciunt Innocentius III, et Guerricus abbas in sermone de purificatione B. M. Virginis.

2. Cerei accensi hac die gestantur ad repraesentandam Christi Domini, et B. Virginis cum Ioseph processionem. Fuit enim veluti quaedam processio in hodierna Christi Domini praesentatione, dum B. Virgo cum Ioseph ad templum venit, iisque sese divinae illae animae, (1) Simeon et Anna, cum hymnis et odis, cum ingenti laetitia, et prophetia coniunxerunt. Sanctus Bernardus sermone 2 huius diei: *Offerunt*, inquit, *Ioseph et Maria sacrificium laudis, sacrificium matutinum, Simeon et Anna suscipiunt.* Ab his quatuor processio celebrata est, quae per quatuor orbis climata solemnibus hodie laudibus ad memoriam revocatur.

3. Ut fideles moneantur hac caeremonia, prudentes illas virgines imitari, quae ut evangelica docet parabola, non sine lampadibus accensis ad Christi Sponsi nuptias ingrediuntur. Ita divus Innocentius serm. de purificatione.

4. Ob mysticas causas, tum ex parte Christi, tum ex parte Virginis, tum ex parte nostri.

40
Candela Christum repraesentat.

Ex parte Christi ideo candelas deferimus, ut eius puritatem, innocentiam, caritatem protestemur. Candela componitur ex cera, lychno et lumine; Christus constat ex carne, anima et divinitate. Cera carnem eius adumbrat. Cera enim opus apum est, quae sine commixtione generantur: caro Christi est ex carne sine semine generata. Cera ex pulcris, ut variis odoribus colligitur: Christi caro ex carne virtutum omnium suavissimo odore referta processit. Unde ipse per prophetam ps. 21, 14: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens.* Lychnus in candela candidus Christi candorem, et innocentiam designat; de quo Sponsa Cant. 5, 10: *Dilectus meus candidus et rubicundus.* Lychnus undique cera circumlinitus sacratissimam eius animam in sancta

Lumen divinitatem significat.

carne latitantem insinuat. Lumen divinitatem significat; inter ipsam namque et lumen maximae sunt analogiae. Lumen est qualitas celerrima, efficacissima, impassibilis, purissima, quae nullis sordibus, licet iis permixta, foedari potest, afferens calorem, splendorem, laetitiam, faciens res omnes videri, vitam, et vigorem omnibus viventibus afferens. Talis est per omnia divinitas. Insuper sicut candela tota consumitur igne in usum nostrum, ita Christus se totum obtulit pro nobis, carnem vulneribus, sanguinem crebris effusionibus, animam tristitiis et doloribus exposuit, deitatem suam demum in deliciosissimam fruitionem suis cultoribus dedit.

41
Candelabrum est B.V. Maria.

Ex parte Virginis candelae hac die gestantur, quia ipsa velut aureum candelabrum, splendidam lucernam in coelo et in terra relucentem, Christum portavit. Quod in spiritu videns Zacharias vates exclamavit: *Ecce candelabrum aureum totum, et lucerna super ipsum.* Candelabrum esse B. M. Virginem s. Anastasius nicaenus episcopus, quaestion. 53 in Scripturam, his verbis testatus est: *Quid est candelabrum? Sancta Maria. Cur autem candelabrum? Quia materiae expertem lucem gestavit, Deum incarnatum. Cur autem totum aureum? Quia post partum mansit virgo.* Divus Epiphanius serm. de laudibus Virginis: *O candelabrum virgineum, quod illustravit tenebris involutos. O candelabrum virgineum repellens tenebras: a lucem splendentem, et candelabrum virgineum, quod ab altissimo throno accepit ter lucidum ignem, inextinguibilem, consubstantialem, qui ad illustrandam terram resplenduit. O candelabrum virgineum, de quo per prophetam Deus: illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo.*

Cera B. Virginem adumbrat.

Deinde his candelis protestamur B. M. Virginis dignitatem, puritatem, castitatem. 1. Per ceram protestamur Virginis Mariae excellentem dignitatem, ut quae nihil unquam in se vitiorum tenebrarum habuit. Sed omnium fuit illuminatissima, quod et nomen ipsum *Maria* indicat, quod sensu Isidori, Bernardi, Bonaventurae illuminatam significat. 2. Cera Virginis Mariae puritatem demonstrat. Sicut enim cera de purioribus floribus opera apum digesta suavior est, teste Plinio lib. 11, ita Maria omnibus creaturis purior speciali opere, sui Creatoris gratia suavis omnibus effecta est. Hinc ad eam Spiritus sanctus Cantic. 6, 3: *Pulcra es amica mea, suavis, et decora sicut Ierusalem.* 3. Cera ipsius virginalem foecunditatem notat. Sicut enim apis sine coitu ceram componit: ita B. V. Maria sine omni carnali commercio Filium concepit, et peperit. 4. Lychnus in candela Beatae Virginis mentis, et intellectus claritatem subindicat, quippe quae tanta dignitate, puritate, incorrupta fecunditate effulsit, ut veluti cera imputrescibili circumdata videretur. 5. Ignis ardor ardentissimam Virginis caritatem adumbrat. Tanta quippe caritate erga Filium et nos flagrat, ut merito igni ardenti comparari possit. 6. Lucis splendor conversationis eius sanctitatem insinuat. Sua namque conversatione, ac virtutum omnium exemplis tantum refulsit, ut cunctas ecclesias illustraret. Hinc Ecclesia canit: *Nativitas est hodie Sanctae Mariae Virginis, cuius vita inclyta cunctas illustrat ecclesias.*

Lychnus B. M. Virginis mentem indicat.
Ignis B. Virginem adumbrat.
Lucis splendor B. Virginem insinuat.

42
Cerei quid nos doceant.

Ex parte nostri hac caeremonia admonemur. 1. Lumine quod fidem designat, ut firmissime credamus, quae nobis ad salutem praescribit fides, qua Deus corda nostra purificat. 2. Ignis ardore admonemur caritatis, ut nimirum ardente caritate diligamus Deum, et proximum. 3. Cera admonemur obedientiae, ita ut quemadmodum in cera quaevis figura facile imprimitur: ita et in cordibus nostris quaevis divina mandata facile impressa maneant. 4. Lychno intus abscondito piae, et simplicis intentionis admonemur, ut nimirum bona opera quae agimus, abscondamus; et non ob vanam gloriam, non ob quaestum, non ob hypocrisim, sed propter gloriam Dei omnia faciamus.

43
Cereorum gestatio quid admoneat.

Porro gestatio cereorum in manibus nos docet excipere, nostrisque quodammodo praeferre manibus Christum tanquam lucem mundi. Sic enim semetipsum nominat apud evangelistam Ioannem, cum ait: *Ego sum lux mundi*, facemque accensam, qua caliganti intellectus tenebras illuminare, suique amoris ignibus nostra pectora penitus inflammare dignetur. Insuper hac gestatione cereorum edocemur, prudentes illas virgines imitari, quae, ut evangelica narrat parabola, non sine lampadibus accensis ad Christi sponsi nuptias ingrediuntur; ita et nos, ut Innocentius III serm. de purificatione B. M. Virginis monet, luminaria fidei igne divini amoris accensa patenter deferamus. Alias huius ritus rationes vide inferius disc. CCLXIV, par. 1.

44
Cereorum usus ab haereticorum blasphemiis defenditur.

Facessant ergo infernales haeretici hunc sanctum morem luminarium, hanc caeremoniam prorsus antiquissimam, et pietatis plenissimam, ideoque coelo longe gratissimam, velut superstitiosam accusare. Accendimus luminaria non praeter verbum Dei, ut ipsi garriunt, sed divina fulti auctoritate; Deus enim Exodi 25, 37 inter alia praecipiebat Israelitis, sibi poni lucernas septem. Et cap. 27, v. 20 dicit ad Moysen: *Afferant tibi oleum,... ut ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii;* et Levitic. 24, 2: *Praecipe*, inquit, *filiis Israel ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter.* Et 1 Machabaeorum 4, 50 sacer textus narrat, Iudam Machabaeum post profanationem templi ab Antiocho omnia restituisse, et omnes accendisse lucernas. *Et accenderunt*, inquit, *lucernas quae super candelabrum erant, et lucebant in templo.*

45
Cereos cur hac die accendimus.

Insuper accendimus hodie luminaria, non utique ad fugandas tenebras, ut stupidi putant, sed ad signum laetitiae demonstrandum, eo quod hac die lumen ad revelationem gentium apparuit, ut s. Cyrillus ierosolymitanus orat. de purificatione B. M. Virginis notavit. Immo et ipsi beati coelorum incolae hodierna die cum cereis accensis in processione visi sunt, quod ex Caesario lib. 7 miraculor. c. 20 narrare libet.

46
Processio beatorum hac die.

In Galliis in villa quae dicitur Qnido, virgo quaedam nobilis et religiosa, sed paralytica fuit, quae orationibus, ieiuniis, et divinae contemplationi adeo operam dabat, ut corporalis cibus ei in nauseam verteretur, nec aliquid ex eo sumere poterat, nisi modicum succum uvarum; hospitalis erat valde, ac propterea etiam spiritum meruit prophetiae, cui eius pater sacerdotem, qui ei divina celebraret, cum ministris instituit. Haec cum in

(1) Animae, in qua inhabitat Deus per gratiam, recte vocatur divina, per gratiam enim efficimur *divinae consortes naturae*, ut ait s. Petrus apost. 2 ep. 1, 4. *Editor.*

die purificationis Dominae nostrae Sanctae Mariae Virginis, clericis aliisque ministris divino nutu absentibus, sola iaceret, intra se tristis dicebat. *Modo hic sola iaces, nec aliquid obsequium more Ecclesiae universalis hodie Beatae Dei Genitrici Mariae impendis.* Dum talia in mente volveret, spiritus eius mirabili Dei virtute de corpore eductus, ab angelo in coelestem Ierusalem est deductus; in qua maximam vidit processionem, ex diversis eiusdem beatae civitatis ordinibus, patriarchis videlicet, prophetis, apostolis, martyribus, confessoribus, virginibus, ceterisque fidelibus, ex quibus bini, ac bini simul incedebant, et candelas ardentes in manibus gestabant, antiphonas, sive responsoria ad diem pertinentia more ecclesiae militantis omnes decantabant, et stationes debitas observabant. Angelus vero virginis ductor alteri cuidam virgini, quam noverat esse consimilis meriti, illam sociavit, candelam porrigens ardentem. Tantus erat decor omnium, tanta gloria, in dispari tamen claritate singulorum, ut nulla lingua fari sufficeret. Salvator vero qui caput est omnium sanctorum, splendor gloriae, et sol iustitiae, indutus pontificalibus, mytram gestans in capite suo, cum baculo, chirothecis, et annulo, et reliquis episcopalibus ornamentis novissimum locum cum sanctissima Matre sua Maria tenebat, cuius pulcritudinem omnis ille coelestis exercitus mirabatur. Qui cum post tertiam stationem inchoaret antiphonam: *Hodie Beata Maria puerum Iesum praesentavit*, etc. ingressi sunt templum ex auro, gemmisque constructum. Deinde inceptus est missae introitus, videlicet: *Suscepimus Deus misericordiam tuam*, et ab omnibus simul decantatus. Interim Christo introeunte ad altare, postquam expletum est *Kyrie eleison* a choris alternatim, post *Gloria in excelsis Deo*, etc. quod ipse Dominus noster Iesus Christus inchoavit, beatus protomartyr Stephanus epistolam legit de libro Malachiae prophetae, videlicet: *Ecce ego mitto angelum meum.* Sanctus vero Ioannes evangelista dalmatica indutus legit evangelium secundum Lucam, scilicet: *Postquam impleti sunt dies purificationis Mariae*, etc. quo perlecto, Dominus secundum morem Ordinis nostri ad gradum redit, et ab offerentibus candelas suscepit. Praedicta autem virgo per spiritum sentiens se ad corpus reversuram, candelam suam offerre noluit, etiam angelo suo praecipiente, volens illam secum ad terras portare. Quod angelus considerans candelam in manu eius fregit, superiorem partem auferens, et inferiorem illi relinquens; sicque ad corpus reversa partem eandem manu conclusam se retinuisse invenit. De qua plurimae fiebant, et forte usque hodie fiunt virtutes. Nam aquam superfusam infirmi bibunt, et convalescunt. Tam manifesta et sublimis erat visio, ut modum eius minime intelligeret, dicens illud Apostoli, cum de ea interrogaretur: *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit.* Hace ibi.

47 Cerei cur hac die benedicuntur. Hi cerei die hodierna benedicuntur. 1. Ut valeant ad sanitatem animarum, et corporum, terra, marique. 2. Ut de locis ubi accensi fuerint, daemon, et quicquid daemonis ars est machinata, depellatur. 3. Ut mentes et corda nostra invisibili igne, ac splendore Spiritus sancti illustrentur, omniumque peccatorum, et vitiorum caecitate careant, ut cernere possimus quae Deo sint placita, et utilia saluti. 4. Ut ignis caritatis cum lumine fidei in animis nostris accendatur, qui nos ad lumen indeficiens, vitam aeternam perducat. Haec consideratio efficit ut non vani, et ridiculi taedigerae hodie simus, nec cum Diogene homines in meridie quaeramus, sed Deum, eiusque gloriam promoveamus, et mentis nostrae tenebras hac die depellere curemus.

48 S. Mariae Oegniacensis visio in hac die. Ferunt sanctam Mariam Oegniacensem solitam singulis annis in festo purificationis B. M. Virginis conspicari purissimam Virginem in templo Filium afferentem, Simeonem occurrentem, divinumque puerum amplexantem. Ex qua visione tantam hauriebat illa devotionem, et voluptatem, quantam hausisset, si rem hanc admirandam, et plane coelestem eo ipso, quo gesta est, die et corporis, et mentis oculis conspexisset. Vitriacus in eius vita. Utinam et nos oculis mentis mysteria huius diei inspiciamus. Sed quaenam sint oculis mentis inspicienda, et devoto mentis affectu meditanda, inferius edocebimus, cum inter mysteria sanctissimi rosarii hoc etiam unum exponemus, et quid in eo meditandum sit, explanabimus. Vide inferius epithetum *Rosa mystica*, et discursum in quo traditur modus meditandi quartum primae partis gaudiosae mysterium.

Festum assumptionis B. M. Virginis.

49 Haec festivitas inter alias Dei Genitricis solemnitates longe augustissima et simpliciter maxima est, iuxta Glossam memorabilem, et receptam, c. *Alma Mater*, quia gloriam, ac triumphum Sanctissimae Virginis nobis repraesentat. Hinc Ecclesia in praedicatorum Ordine in hac festivitate canit: *Haec est illa praeclara festivitas omnium sanctorum festivitatibus incomparabilis, in qua gloriosa, et felix, mirantibus coelestis curiae ordinibus, ad aethereum pervenit thalamum, quo pia sui memorum immemor nequaquam exstat.* Huius etiam rei praeclarum argumentum est, quod prae ceteris omnibus B. M. Virginis festivitatibus huic soli ab universali Ecclesia ieiunium vigiliae ex praecepto praemittitur, et in Ordine praedicatorum eius octava solemnis peragitur. De qua inferius.

Haec festivitas tam a Latinis quam a Graecis 18 calendas septembris, hoc est, die 15 augusti celebratur, cum sol ex astrologorum sententia in signo virginis commoratur. Eam antiquissimam esse testantur antiquissimorum patrum sermones, et orationes quas de illa habuerunt d. Augustinus, d. Ildephonsus, Sophronius, Andreas cretensis, Simon Metaphrastes, s. Ioannes Damascenus, et alii. Nicephorus Calistus lib. 17 historiae c. 28 scribit, Virginis assumptae solemnitatem Mauritium imperatorem instituisse, et anniversaria memoria eam celebrari iussisse: non quod imperator hic eam primus instituerit, sed quod ab Ecclesia institutam publicari iusserit, et in Oriente cui dominabatur, celebrari. Unde s. Bernardus ad Lugdunenses scribens, ait, hanc solemnitatem se ab Ecclesia accepisse. Cuius etiam meminit s. Gregorius papa, qui in suo sacramentario singularem huius solemnitatis praefationem posteris scriptam reliquit. Porro Nicolaus papa huius nominis primus, qui floruit anno Domini 860, ad consulta Bulgarorum cap. 4, ubi ieiunia quae olim in romana ecclesia observabantur, recensens, vigiliam quoque solemnitatis huius enumerat. Unde colligitur hanc solemnitatem esse pervetustam. 50 Antiquitas huius solemnitatis.

Octavam huic festivitati adiecit Leo IV pontifex maximus, teste Sigeberto in chronico, anno 847, ex hac occasione quam narro ex Anastasio bibliothecario, qui eo tempore vixit. Erat iuxta basilicam b. Luciae martyris basiliscus, qui ex caverna erumpens afflatu pestifero quamplurimos necabat, magnoque terrore urbem afficiebat. Ab eo ut populum Leo liberaret, die assumptionis Beatissimae Deiparentis, praelata icone eiusdem Deiparae cum hymnis et canticis, et universo clero ac populo ad cryptam, ubi anguis latebat, nudis pedibus processit, ibidemque positis genibus cum lacrymis oravit, ut Deus ab eodem loco diri serpentis genus effugaret. Finita oratione, et data populo benedictione, basiliscus disparuit effugatus. Platina in vita Leonis IV. 51 Octava huius festi qua occasione instituta.

Aliud non minus memorandum de hac solemnitate scribit Petrus Cluniacensis lib. 2 de miraculis, cap. 3. Romani solebant offerre in vigilia assumptionis B. M. Virginis in ecclesia Sanctae Mariae maioris cereos aliquot satis grandes, qui sub vesperam accendebantur; cumque ad posteram arsissent, post secundas vesperas diei inventi sunt nihil penitus diminuti. Hoc miraculo significare Deus voluit, ea quae Beatissimae Virginis obsequio impenduntur, sic divino placere Numini, ut ex iis nihil possit perire. Idque Deus voluit manifestum fieri, non in quolibet ignoto vel humili loco, non in qualibet, vel quantalibet civitate, sed in ipsa urbe orbis capite, non semel tantum, sed assiduo recursu annuo divinam pietatem, et potentiam operari; idque prodigium durasse per centum eoque amplius annos usque ad suam aetatem idem Petrus testatur. 52 Miraculum in hac die.

DISCURSUS CCXXX

HAERETICORUM FESTIVITATI ASSUMPTIONIS B. M. VIRGINIS DETRAHENTIUM CALUMNIA REFUTATUR

Licet de assumptione B. V. Mariae in coelum cum corpore, 1
et anima nullus inter catholicos sit dubitandi locus; haeretici tamen id proterve negant, et huic festivitati maxime se opponunt, eo quod de Mariae in coelum cum corpore et anima assumptione nihil Scriptura meminit. Assumptio B. M. Virginis in coelum antiquorum patrum testimoniis probatur.

Verum concedimus, et gratis, quod Scriptura sacra nihil de hoc meminit; ast patres antiqui coaetanei apostolorum huius meminerunt. Omitto posteriores doctores, b. Dionysium carthusianum, Ioannem Gersonem, b. Laurentium Iustinianum, s. Antoninum florentinum, s. Bernardinum senensem. Taceo docto-

rum scholasticorum turbam, s. Thomam aquinatem, s. Bonaventuram, b. Albertum, magistrum Richardum de Media-villa. Silentio obvolvo historicos graves, Nicephorum, Socratem, Simeonem Metaphrasten, Sozomenum, Michaelem Glycam. Nihil dicere volo de d. Bernardo, b. Fulberto carnotensi, Richardo, Hugone de sancto Victore, et de sanctis antiquioribus, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Athanasio, Euthymio, Fulgentio, Ioanne Damasceno. Producam magnum illum theologum divum Dionysium areopagitam, sancti Pauli apostoli discipulum, eumque non auritum sed oculatum testem, qui quod vidit, enarravit, et in libro de divinis nominibus cap. 3 ad Timotheum scribens, totidem verbis consignavit: *Cum convenimus apud hierarcas nostros numine afflatos, nos, et multi sanctorum nostrorum fratrum ad visionem corporis vitae principis, vel quod vitam inchoavit, et quod Deum suscepit: aderant autem et frater Domini Iacobus, Petrus, summa et provectissimo theologorum summitas*, etc.

S. Dionysii Areopagitae testimonium de assumptione B. Virginis in coelum.

2 Haec divi Dionysii verba Hilduinus quidam relatus a Baronio ad annum Domini 48 de sepulcro dominico intelligi voluit. Matthaeus Galenus in praefatione ad d. Dionysium areopagitam eadem de aedibus divi Ioannis accipienda putat. Sed eos idem illustrissimus iuxta ac doctissimus cardinalis eo loci egregie confutavit.

Porro verba divi Dionysii superius allata de B. Virgine intellexerunt Nicephorus libro 2. cap. 22, s. Thomas in commentario Dionysii, et Metaphrastes. D. Damascenus or. 2 de assumptione. *Aderant*, loquit, *una cum apostolis sanctissimus Timotheus primus episcopus Ephesiorum, et Dionysius areopagita, sicut ipse testatur*, etc.

3 Iuvenalis archiepiscopus ierosolymitanus a summis principibus Marciano imperatore, atque Pulcheria monitus, ut hac de re sensum suum aperiret, coram multis in magno patrum consessu id respondit, quod ipse rerum ad ecclesiam suam ierosolymitanam spectantium peritissimus longa, veraeique multorum traditione confirmatum acceperat, nimirum instante Virginis obitu, apostolos ex diversis orbis partibus Ierosolymam venisse, totum triduum ad Mariae Deiparae tumulum perseverasse, atque cum clausum illud aperuissent, sepulcralia tantum lintea invenisse, intemeratum vero corpus eius iam translatum nunquam apparuisse. Haec Nicephorus lib. 15. c. 14, et d. Damascenus orat. 2 de assumpt. qui etiam causam, ob quam sepulcrum apertum fuerat, narrat, nimirum s. apostoli Thomae adventum, qui ad exequias Deiparae tarde veniens corpus illud sanctissimum quod Deum susceperat, adorare cupiebat.

Iuvenalis archiepiscopi ierosolymitani de assumptione B. M. Virginis testimonium.

4 Haec ipsa Deiparae assumptio in coelum cum corpore, et anima revelata fuit b. Birgittae, ut videre est libro 1 revelationum eius, cap. 8, et 9, et libro 6, cap. 61, et 62, et lib. 7, cap. 26. Redditque rationem Deipara, cur initio non fuit cognita eius assumptio cum corpore et anima: *Quia prius*, inquit, *stabilienda erat fides ascensionis Christi*.

Assumptio B. M. Virginis revelatione probatur.

5 Et communis sensus Ecclesiae id satis confirmat, qui hanc festivitatem sub nomine assumptionis celebrat, quo significat B. M. Virginem cum corpore et anima in coelum evectam; assumptio enim proprie, et in rigore refertur ad corpus. Aliorum enim sanctorum animae quamvis deferantur in coelum, non tamen dicuntur assumptae, nec earum festum sub nomine assumptionis, sed potius transitus, migrationis, vel natalis celebratur; Christi vero ascensio dicitur, quia propria virtute coelum ascendit. Vide s. Thomam 3 p. q. 57, art. 3. At Deiparae transitus ex hoc mundo dicitur assumptio, quia singulari Dei privilegio cum corpore et anima in coelum evecta est. Unde temerarius ille deinceps censetur, qui gloriosissimam Virginem cum corpore et anima assumptam, inque coelum esse receptam, et super omnes choros angelorum exaltatam denegarit, cum Ecclesia universa id pie credat, et confiteatur.

Ex communi sensu Ecclesiae.

Transitus B. M. Virginis ex hoc mundo cur assumptio dicitur.

6 Scio Usuardum, et Adonem in suis martyrologiis hac de re addubitasse, sed Sophronii serm. de assumpt. qui inter opera d. Hieronymi invenitur, decepti sunt. Eae enim litterae quae ad Eustochium, Paulamque de B. Virginis obitu nomine s. Hieronymi circumferuntur, et operibus eius attexuntur, non sunt s. Hieronymi, sed Sophronii, ut omnes communiter tenent. Vel certe aliquis ex recentioribus (vereor ne Erasmus) illa verba in sermone Sophronii inseruit, quemadmodum graviter affirmat, et curate probat cardinalis Baronius ad annum Domini 48, ubi quicquid in illis scriptis commentitius continetur, solide refutat.

Ulterius eadem veritas optime probatur ex vacuo sepulcro B. Virginis. Sepulcrum Deiparae duravit in villa Getsemani, in valle Iosaphat usque ad tempora Titi et Vespasiani, sub quorum imperio Ierusalem eversa, omnis Iudaea vastata, omnisque huius sanctissimi monumenti memoria apud christianos oblita fuit, adeo ut quo loco situm fuerit B. Mariae sepulcrum, diu fuit ignoratum. Hinc s. Hieronymus recensens epist. 27 sanctorum patriarcharum, et prophetarum monumenta, quae suo tempore extabant, quae vere magno pietatis affectu sancta Paula visitabat, mariani sepulcri non meminit, tanquam rei iam prorsus abolitae, penitusque ignotae. 7

7 Ex sepulcro vacuo.

Postea tamen divino plane nutu marianum sepulcrum fuit revelatum. Brocardus dominicanus, qui abhinc fere 400 annis floruit, in descriptione terrae sanctae sepulcri istius meminit, quod etiam oculis suis usurpavit, narratque suo tempore adeo aliorum aedificiorum ruinis fuisse opertum, ut ad illud per sexaginta gradus descendere fuit necessum. Sed et venerabilis Beda de locis sanctis scribit, id suo tempore vacuum fuisse monstratum, hodieque ad loca sancta in Palaestinam peregrinantibus excisum in petra ostenditur, quemadmodum ii, qui pietatis ergo Ierosolymam proficiscuntur, narrant. Unde quod olim angelus de resurrectione Domini ad mulieres dixit apud d. Hieronymum: *Venite, et videte locum ubi positus erat. Ut si meis verbis non creditis, vacuo credatis sepulcro*, hoc ego hodie haereticis dicam. Venite increduli, et videte locum ubi posita erat Deipara, ut si meis verbis non creditis, vacuo credatis sepulcro. Contra igitur tot sanctorum testimonia, contra perpetuam confessionem ecclesiarum, contra ipsam experientiam non valet, quod non est in Scripturis expressum, id non est asserendum; quasi vero Mariam assumi in coelum cum corpore, et anima repugnet vel Scripturae, vel divinae potestati, aut voluntati, aut honori, aut iustitiae.

Non repugnat Scripturae, cum Scriptura nihil de hoc dicat: immo si Scripturam sano oculo inspiciamus, haud obscure inveniemus Deiparae Virginis Mariae sacrosanctum corpus deportatum esse in coelum. Quid enim est quod regius vates ait psal. 44, v. 9: *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato*, nisi quod Regina coeli Virgo Maria adstitit a dextris Filii sui in corpore glorificato, quod est animae indumentum aureum? Et alibi psalmo 131, v. 8: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae*. His duobus locis Petrus Galatinus de arcanis catholicae veritatis libro 7, c. 10 contra Thalmudistas utitur, quibus Beatam Mariam mox a morte resuscitatam, et in coelum assumptam probat. Nicephorus quoque, auctor non postremus, hoc loco psalmi, *Surge Domine*, etc. ad id probandum utitur. Et illud psalmi 15, v. 10: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, de Mariae corpore incorrupto congrue interpretari potest. Non dedit Dominus sanctum suum, id est Christum, videre corruptionem, non dedit et Christi Matrem videre corruptionem. Divus Augustinus sermone de assumptione: *Si Christus*, inquit, *voluit integrum Matris servare pudorem, cur non voluit incorruptam a putredinis servare foetore?* Idem sanctus doctor hoc ipsum adstruit his gravissimis verbis: *Sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, et divinam naturam humanae univit, esse vermibus traditum, in communi sorde putredinis delitescere, a vermibus corrodi, quia sentire non valeo, dicere pertimesco*. 8

8 Ex Scriptura et rationibus.

Convenientia assumptionis B. M. Virginis in coelum probatur.

Repugnat forte divinae potentiae? Minime vero. Legimus enim Enoch Deum cum corpore ad paradisum transtulisse: Eliam in igneo curru ad coelum cum corpore rapuisse: Habacuc prophetam de Iudaea in Babylonem deportasse: Paulum ad tertium coelum (cum corpore, an vero sine corpore non constat) raptum fuisse. Legimus s. patrem nostrum Dominicum, s. Thomam aquinatem, s. Catharinam senensem et alios ecstaticos in aera, dum orabant, sublatos, et nullo fulcro innixos vehementia amoris solius suspensos. Quidni igitur Dei Matri id non concedamus, quod aliis longe inferioribus Dei amicis, et servis tribuimus? aut qua aequitate Dei potentia in aliis agnita, hoc Mariae deesse putamus? Immo vero ad declarandam divinam potentiam in suscitatione mortuorum, maxime mulierum, congruum erat Deiparam Virginem mature resurgere. Sicut enim ad resurrectionem virorum probandam Christus vir iam pridem resurrexerat: ita ad mulierum resurrectionem confirmandam aliquam mulierem, saltem unam e multis resurgere mature quoque post mortem congruum fuit. At cui aequius hic primitiarum resurrectionis femi- 9

9 Ratio a non repugnantibus.

Digitized by Google

neae honos deferri debuit, quam Mariae, quae fuit prima feminarum, utpote benedicta inter mulieres, Mater eius Viri, qui primus resurrexerat, qui resurrectionis omnium auctor, et princeps est?

Quinimo non tantum resurrexisse eam consentaneum erat, sed etiam instar Filii chorum aliquem feminarum a mortuis tunc excitatarum, utpote Evam, Saram, Annam matrem suam, secum in coelum introduxisse conveniens fuit. Sic ante me docuit facundissimus minorita, disertissimus ecclesiastes Philippus Bosquerus in concione praesentis solemnitatis, et probat ex psalmo 44, 4: *Adducentur regi virgines post eam.* Et rursus: *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem.* Sicut enim Apostolus Christum vocat *primitias dormientium*, hoc est primum resurgentium ad vitam immortalem, primum, inquam, ordine, dignitate, causalitate; sic divus Athanasius in evangelio de Sanctissima Deipara eam vocat *primitias vitae immortalis omnium viventium*, sed ordine secundum Christum, non causa.

10 Ex divina voluntate arca veteris testamenti qualis erat, et quantae dignitatis.

Repugnat forte id divinae voluntati? At nec id asserendum. Si enim Deus voluit arcam foederis non putrescere, aut foede iacere: *Facies*, inquiens, *arcam ex lignis Sethim*, quae ligna imputribilia erant, eadem arca inter ea quae ad Dei cultum spectabant, et in templo Salomonis inter ea quae ad templum pertinebant, principem locum obtinebat; erat enim collocata inter Sancta sanctorum, sicut sol in medio astrorum, quanto magis Mariam, arcam deitatis suae animatam, decens erat a putredine praeservare, et in templo gloriae inter omnes eius incolas Deum iugiter laudantes sublimius et dignius collocare. Hinc B. Virgo de seipsa canit, Eccli. 24, 17: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion*: cedrus, et cypressus nunquam carie laeduntur. Unde statua Iovis ex cedro facta, in Capitolio posita, post annos ducentos integra, et sana est reperta. Cypressum etiam eligebant Romani ad statuas conficiendas. Et libri Numae Pompilii chartacei reperti sunt Romae terrae infossi per annos 535 incorrupti, eo quod liniti erant succo cedrino, ut scribit Plinius lib. 13, cap. 13. Et Plato lib. de legibus mandavit, ut in cedro leges conscriberentur. Hinc fit, ut cum quampiam sententiam aeterna memoria dignam proferre audimus, dicimus: *Cedro digna locutus*, hoc est digna quae in cedro scribantur. Cum ergo M. V. Maria cedro, et cypresso se assimilat, incorruptibilitatem sui satis aperte indicat.

Cedrus et cypressus arbores incorruptibiles.

11 Exemplo sanctorum quos putredo non laesit.

Sed et abunde divinam voluntatem circa Deiparae incorruptionem colligere possumus. Multorum sanctorum corpora nec ignis, nec bestia, nec putredo laesit. Trium puerorum innocentium nedum corpora, verum et vestes, et pilos ignis babylonicus non laesit. Ionam incolumem piscis marinus exspuit. Daniel inter medios leones illaesus octiduo perseveravit. Israelitarum calceamenta, et vestes post annos 40 quibus in deserto manserunt, attrita non sunt, nec vetustate consumpta, Deut. 29, 5. S. Ioannis evangelistae corpus, ut multorum fert sententia doctorum, stabile permansit; ita ut nec vermes sepulcrales illud arroserint, nec putrefactio dissolverit. Aliquorum etiam opinio est, multos iam in coelo cum corpore et anima beatos esse, praecipue illos de quibus s. evangelista narrat: *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*, Matth. 27, 52. Quos non obiisse iterum, sed cum Christo in coelum abiisse immortales censent s. Epiphanius haeres. 57, d. Ambrosius, d. Hieronymus, Remigius, d. Thomas, et alii. Iob ex illis fuisse creditur, qui prophetabat: *In carne mea videbo Deum meum*, cap. 19, 26. David quoque fortasse. Nam divus Petrus loquens de eo ait: *Et sepulcrum eius apud nos est*, Act. 2, 29, non est ausus forte dicere, corpus eius apud nos est, suspicatus cum Christo ascendisse. Rabbi Salomon israelita epist. ad Rabbi Isaac magistrum synagogae: *De Moyse*, inquit, *non est dubitandum quod sit in coelo cum corpore, et anima*, et probat ex eo quod Scriptura ait Deut. 34, 6: *Non cognovit homo sepulcrum eius usque in praesentem diem*, id autem, sensu illius nihil aliud significat, nisi quod Deus resuscitavit eum, et assumpsit eum cum corpore et anima. Si, inquam, corpora horum putredo, et vermis non consumpsit, quomodo Deiparae Mariae corpus terra absorberet? Hoc est quod s. Augustinus loco iam citato cogitabat: *Si elegit divina voluntas inter flammas non solum puerorum corpora, verum et ipsa vestimenta servare innata, cur abnuat in Matre propria, quod elegit in veste aliena?* Haec ibi.

Sancti in corpore et anima beati.

Moyses in corpore et anima beatus.

12 Ex honore Matris.

Repugnat forte honori? At neque id dicendum est. Honoravit Deus Mariam, cum eam integram servavit cum virginitatis pudore; cur non honoraret eandem incorruptam a putredinis foetore? Cum putredo et vermis opprobrium sit humanae conditionis, a quo opprobrio cum Iesus sit alienus, merito etiam Maria excipi debuit, ex qua Iesus carnem assumpsisse probatur. Caro enim Iesu caro Mariae est. Alioquin quis honor Matris esset, si eam humi putrescere, et vermibus corrodi permitteret, cum interim ipse ad dexteram Patris sedens bonis suis potioribus perfruatur?

Accedit, quod aliorum sanctorum minorum ossa, immo aliquorum etiam corpora integra, ut s. Caeciliae, b. Simeonis pueri tridentini, b. Catharinae Ordinis s. Clarae, et aliorum Christus manifestari, terra effodi, aureis, argenteisque thecis, et bene gemmatis gloriose includi, in scriniis, et altaribus constitui, et ab omnibus venerari voluit. Et corpus Matris suae tot iam saeculis in pulvere iacere, in visceribus terrae putrescere, a nullo sepulcrum eius agnosci permitteret? Hocne est amare Matrem atque honorare, ex noto sepulcro eius corpus mox a sepultura auferre, ignotoque recondere, ne colatur, ne floribus aspergatur, ne in altaribus cum reliquiis aliorum sanctorum collocetur? Quid faciat hostis, si sic Filius? Sed nec Deum Patrem decuit carissimae suae filiae, immo comparis suae atque congenitricis (ut sic dicam) eiusdem Filii corpus in latebras recondere. Nec Spiritum sanctum decuit esse tam inurbanum, immo tam saevum in sponsam suam, sua ineffabili operatione gravidatam, Virginem Mariam, ut nimirum corpus eius in visceribus terrae, in qua ignota, vel nota orbis regione sepultum iaceret. Credendum est igitur B. Virginem Mariam in coelum cum corpore et anima receptam esse.

Ulterius ex parte honoris Matri debiti non inefficax eius rei 13
sumitur argumentum. Probi filii est cum ad sublimiora forte fortuna provectus est, parentes quoque promovere, et sui honoris participes facere. Sic Ioseph Aegypti prorex ac dominus factus patrem cum tota familia ad se vocavit, curribus, equisque ad eum missis, in Aegyptum invexit, Genes. 46. Salomon quoque matri suae ad se venienti ob negotia Adoniae adsurrexit, occurrit, thronum ei statuit, et ad dexteram suam sedere iussit, 3 Reg. 2. Quid iam de Christo dicemus, qui legem de honorandis parentibus tulit, ipse primus eius transgressor, et violator extitisset? Absit. Ergo provectus ad dexteram, et regnum Patris primo quoque tempore Matrem mortuam ad se recepit, et gloriae suae in anima simul et corpore participem fecit. D. Augustinus serm. 1 de assumpt. ait: *Ad benignitatem Domini pertinet Matris servare honorem, qui legem quae matris honorem praecepit, solvere non venerat, sed adimplere.* Putredo namque et vermis opprobrium est humanae conditionis.

Repugnat id forte divinae iustitiae? Immo convenit. Propha- 14
tae prisci hospitibus suis, quaqua potuerunt, valde grati fuerunt, res domi angustas amplificando, nonnunquam et filios hospitum suorum suscitando, ut de Elia 3 Reg. 17, et de Eliseo 4 Reg. 4 legitur. Et ipse Christus hospitalitatem Marthae Lazari fratris suscitatione, Zachaei vero totius domus salute compensavit. Iustum namque est gratiam pro gratia reddere, et bonum quod ab alio acceperis, vicissim rependere. Sed Virgo Maria venientem in hunc mundum Dei Filium in domum suam excepit, et uteri suo thalamo collocavit, corporis indumento vestivit: deinde carnem eius iam grandiusculam veste inconsutili, uti et antea parvulum pannis congruis involvit, lactavit, pavit, curavit, domique suae 30 totos annos, non ut hospitem, sed ut Filium suum carissimum, et Matris delicium habuit. Ergo et Christus semper gratissimus hospes Mariam Matrem suam, tam caram, tam solicitam, tamque bonam hospitam, mortuam ad se recepit, et ut par pari redderet, in coeli palatio ad dexteram suam collocavit.

Rachab evasit mortem, propterea quod Iudaeorum exploratores domo excepit, et tutata est, Iosue 6. Et Deipara Virgo non debebat corruptionem evadere, quae Dei Filium in hospitium uteri sui excepit, novem mensibus portavit, et suis uberibus lactavit?

Augusti Caesaris observantia erga Alexandrum magnum.

Augustus Caesar urbi alexandrinae pepercit, ne everteretur, tum propter eius magnitudinem, et pulcritudinem, tum propter conditorem Alexandrum, tum demum propter Arium amicum, ut Plutarchus in apophthegmatibus scribit; et Christus Matri suae id non praestaret? Pepercit Caesar Alexandriae propter Alexandrum, et Arium amicum, non parceret Christus maternae carni propter se?

Rebelles urbes sequantur solo: Virginis caro spiritui nunquam

Digitized by Google

ne levissime quidem repugnavit; cur ergo in cineres redigi debebat?

15 Oportebat igitur eam quae Dei Verbum in sui uteri hospitio exceperat, in divinis Filii sui tabernaculis collocari. Oportebat eius, quae in pariendo integram conservavit virginitatem, integrum quoque conservari corpus post mortem. Oportebat eam quae Creatorem in sinu suo gestavit, in Dei sui versari palatio. Oportebat sponsam quam Pater coelestis sibi desponsavit, degere in coelesti thalamo. Oportebat eam quae Filium suum in cruce pendentem cum dolore aspexit, iam regnantem, et cum Patre sedentem videre in gloria. Quomodo enim anima delectaretur in coelis, corpus vero quod mundo vitam dedit, verme et putredine damnaretur sub terris? arca foederis inanimata imputribilitate gauderet, arca Dei viva putresceret, et in corruptionem descenderet? Illa intus et extra laminis aureis ornata esset, haec vero intus tantum glorificaretur, et extra vermibus roderetur. Meruit virginitate, et immensa caritate, ut sicut vivens triumphavit de dracone serpente antiquo, triumpharet et mortua, neque haereditaret vermes, et serpentes. Quinimmo sicut conculcavit vivens mortis ipsum inventorem, proculcaret et mortua ipsam mortem. Hoc privilegio, hac praerogativa digna erat, quae Deum genuit. Obmutescat igitur haereticus, desinat carpere Ecclesiae pietatem, religionem, et antiquam solemnitatem. Nos pie credimus, et veraciter affirmamus B. Dei Genitricem Mariam cum animo et corpore in coelo regnare, suorum clientulorum apud Deum causam agere, sibi devotos tueri, ac eis patrocinari. Quod vel uno exemplo firmare libet.

Confessio catholica de B. M. Virgine.

16 B. Gertrudis visio. Certum est Beatissimam Virginem etsi semper, specialius tamen hac die, qua in coelum assumpta esse creditur, sibi devotis patrocinari, eos fovere et tueri, quod ipsa b. Gertrudi ostendit in hunc modum. In vigilia assumptionis sub missa quae incipit, *Vultum tuum*, etc. dum legeretur collecta: *Deus qui virginalem aulam*, et b. Gertrudis devotius intenderet verbis illis: *ut sua nos defensione munitos, iucundos facias suae interesse festivitati*, videbatur benigna Mater extendere pallium suum quasi ad suscipiendum omnes ad se confugientes in speciale patrocinium. Tunc advenientes sancti angeli adducebant coram ea omnes personas, quae se speciali devotione, vel orationibus ad idem festum assumptionis praeparaverant, in specie iuvencularum speciosarum, quae reverenter sedentes ante eam sicut filiae coram matre, sanctorum angelorum ministerio undique fulciebantur, et ab insidiis malignorum spirituum defendebantur, et ad quaeque bona promovebantur. Intellexitque talem protectionem angelorum obtentam per antedicta verba collectae, scilicet, *ut sua nos defensione munitos*. Ex revelat. b. Gertrudis, lib. 4, c. 49.

Festum B. Mariae ad nives.

17 Occasio festivitatis. Hanc festivitatem Ecclesia catholica celebrat die 5 augusti ob insigne miraculum Romae ea die a Deo patratum. Mense augusto, quo maximi calores solent esse in urbe, caniculo adhuc aestuante, nix partem collis exquilini cooperuit, in quo loco Beatissima Virgo per quietem apparens Ioanni patricio romano, et uxori eius, nec non Liberio summo pontifici templum sibi aedificari imperavit, in illudque pecuniam quam Ioannes patricius Virgini Dei Matri ex voto obtulerat, erogari voluit. Extruitur ergo templum magnificum, quod nunc S. Mariae maioris vocatur, et eius dedicatio hac festivitate recolitur.

Hoc templum primo vocatum fuit basilica liberiana, eo quod a Liberio pontifice cui Beatissima Virgo per quietem eadem nocte, qua et Ioanni, apparuit, designatum fuit. Deinde appellatum fuit S. Maria ad praesepe, eo quod in ea asservetur Christi Domini praesepe, olim in ara exigua cuiusdam sacelli conditum, nunc in sacellum multo augustius ornatiusque a Xysto V translatum anno Domini 1586. Hoc idem templum basilica xystina dicitur apud Ioannem diaconum in vita s. Gregorii papae, lib. 4, c. 68, eo quod papa Xystus eius nominis III eam restauravit, renovavit, et pretiosis imaginibus, sacrisque picturis eam exornavit. Deinde hoc idem templum appellatum fuit, uti et hoc tempore appellatur, S. Maria maior, eo quod inter alia Deiparae templa in Urbe extructa eminet.

18 Templa in honorem Deiparae Romae extructa. Multa sunt in Urbe Deiparae Virgini extructa templa. S. Maria super Minervam, S. Maria trans Tiberim, S. Maria angelorum in thermis, S. Maria in porticu, S. Maria ara coeli, S. Maria ad martyres, seu Rotunda, S. Maria in via lata, S. Maria schola graeca, S. Maria a palmis, S. Maria annuntiata, S. Maria in Domnica, S. Maria de populo, S. Maria in via, S. Maria nova, S. Maria libera nos a poenis inferni, S. Maria transpontina, S. Maria a crypta picta, S. Maria in trivio, S. Maria in Aquiro, S. Maria scala coeli, S. Maria angelorum, et ut vocant in *pantano*, S. Maria imperatrix, S. Maria in monte Aventino, S. Maria purificationis in Exquiliis, S. Maria ad campum martium, S. Maria in campo sancto, in valle Vaticani, S. Maria a pace, S. Maria ad monticulum, vulgo in *Monticelli*, S. Maria lauretana, S. Maria a quercu, S. Maria Montis-serrati, S. Maria de animis, S. Maria de Constantinopoli, S. Maria purificationis, S. Maria a miraculis, S. Maria in montibus, S. Maria a s. Ioannino, S. Maria puritatis, S. Maria annuntiata prope obeliscum s. Machuti, S. Maria a scala in regione transtiberina, S. Maria in Vallicella, S. Maria a consolatione, S. Maria gratiarum, S. Maria ab horto in regione transtiberina, S. Maria a pietate, S. Maria a caritate, S. Maria a sanitate, S. Maria refugii. Quorum templorum praerogativas, privilegia, reliquias ibidem conditas, imagines miraculosas, indulgentias peculiares, et multa alia ratione insignia recenset Petrus Antonius Spinellus in tractatu peculiari de templis Deiparae. Horum templorum pleraque sunt magnifica; sed in his omnibus eminet basilica S. Mariae ad nives, cuius anniversaria dedicationis dies in universa Ecclesia celebratur; in ea enim Dominus, patrocinante Sanctissima Matre sua, multa miracula patrare, et multa praeclara recondere voluit.

19 Ecclesiae S. Mariae maioris de urbe praerogativae. In primis is locus ab ipsa Deipara Virgine pro ecclesia designatus, et miraculo, ut diximus, ostensus fuit. Deinde multis in discrimine vitae positis haec sacra aedes asylum praebuit. Inter quos praecipue memoratur s. Martinus summus pontifex eius nominis I, qui a Constante ariano imperatore ad necem quaesitus, cum lictor eum in hac sacra aede capere, aut necare vellet, subito caecitate percussus est, non ferente, ut opinor, Deipara tam nefarium scelus in sua primaria ecclesia perpetrari. Sigonius libro 5 de regibus Italiae.

Ad eandem ecclesiam Mauritius imperator sibi confugiendum putavit, cum Isaacum exarcham vitae suae hostiliter insidiantem cerneret, quemadmodum Paulus diaconus lib. 7 de gestis Rom. pontif. et Ioannes Nauclerus Gener. 22 memoriae prodiderunt. Eandem ecclesiam ipsa B. Virgo cereis accensis nec absumptis illustrare solita erat, prout paulo ante meminimus ex Petro cluniacensi.

In ipsa Henricus imperator pernoctans Christum pontificalibus indutum, et B. M. Virginem cum toto angelorum, et sanctorum coetu videre meruit, ut fusius rem enarrabimus, cum de imperatoribus B. Virginis cultui addictis agemus.

Eadem ecclesia insignibus reliquiis condecorata est. Primo s. Mathiae apostoli, s. Epaphrae, quem apostolus concaptivum suum vocat, sanctarum Romulae, et Redemptae virginum, s. Hieronymi Ecclesiae doctoris.

Ulterius haec ecclesia peculiaribus privilegiis est decorata. Est enim una ex quinque ecclesiis patriarchalibus, quae hoc versu continentur:

Paulus, Virgo, Petrus, Laurentius, atque Ioannes. In quorum summo altari nullus sacrificium missae offert, nisi ex speciali summi pontificis auctoritate.

Est item una ex septem illis praecipuis, quae magna religione ab indigenis ac totius orbis peregrinis obiri solent. Item una ex quatuor quae anno iubilaei solemniter visitandae indicuntur; ubi etiam est porta sancta, quae illo dumtaxat anno solemni caeremonia reseratur.

Praeterea indulgentiae ibi quamplurimae sunt, et in tabula marmorea publice propositae leguntur. Stationes quoque cum maximis indulgentiis ibidem peraguntur.

Ad hanc ecclesiam magnus ille Gregorius papa solemnem omnium ordinum, sexuumque Romae degentium, cum imagine Dei Genitricis a s. Luca depicta, quae ibidem religiose asservatur, processionem instituit, cum urbs amoris horribili pestilentiae contagio vastaretur. Duxit et ab hac ecclesia aliam processionem Stephanus pontifex maximus huius nominis primus, qua Deum iratum mundo reconciliaret. Hoc idem Leo IV pontifex maximus fecit, urbemque a crudeli venenatoque dracone ipsum aerem inficiente liberavit.

Haec basilica nostro aevo longe augustior reddita est a summis pontificibus Xysto V, et Paulo V, ob nobilissima illic monu-

Digitized by Google

menta excitata, ac praesertim ob magnificentissima sacella utrimque annexa, adiunctamque pyramidem in cuius summitate cernitur insignis Sacrae Deiparentis statua deaurata. Tum etiam ob apertas directasque undique vias, quibus populo christiano facilior, ac gratior pateat ad eam accessus, quae oculis propriis usurpare licuit anno Domini 1649, cum loca illa sacra visitarem. Sicque Regina coelitum plus in Ioannem patricium, eiusque coniugem beneficii contulit, cum eis hanc sacram aedem aedificari imperavit, quam si liberos eis impetrasset, qui bonorum eorumdem haeredes relinquerentur. Horum enim memoria iamdudum evanuisset, huius autem templi memoria durat sempiterna (1).

DISCURSUS CCXXXI

DE FESTIS PARTICULARIBUS IN HONOREM B. VIRGINIS INSTITUTIS

1 Cum Deipara Virgo sit regnorum stabilimentum, provinciarum munimen, civitatum murus et antemurale, religiosarum familiarum specialis patrona, omnium ecclesiarum ornamentum, merito regna, provinciae, civitates, religiosi Ordines, ecclesiae particulares, unaquaeque pro sua devotione peculiaria festa in eius honorem celebrant, in quibus beneficia ab ea recepta devotius recolunt. Inter haec palmam tenet apud fratres praedicatores

2 *Festum sacratissimi rosarii sive S. Mariae de victoria.* Hoc Pius V pontif. maxim. ob insignem illam victoriam a christianis bello navali eiusdem Dei Genitricis auxilio de Turcis reportatam, quotannis fieri instituit. Gregorius vero XIII prima dominica octobris idem festum solemne sub nuncupatione rosarii sub duplici maiori officio ad instar aliarum solemnium festivitatum celebrari et sanctificari, eademque die officium de Beatissima Virgine novem lectionum more ecclesiastico persolvi, et recitari decrevit non solum in Ordine praedicatorum, sed et per universi orbis partes, in his videlicet ecclesiis, in quibus altare vel capella rosarii fuerit; idque universis, et singulis utriusque sexus Christi fidelibus concessit. Quod Clemens VIII postea confirmavit (2). Non immemdum erit paucis hanc victoriam enarrare, et opus Dei, qui in sanctis suis, tum vero maxime in Sanctissima Matre sua semper est mirabilis, magnificare.

3 Historia belli navalis cum Turcis. Selymus Turcarum tyrannus maiorum suorum victoriis elatus, qui christianis per vim Constantinopolim, terram sanctam, aliaque plurima regna eripuerat, ad occupandam totam Europam christiano cultu insignem animum adiecit. Rupto itaque per summam perfidiam foedere, quod cum Venetis anno Domini 1567 sub regni sui initium pepigerat, ingentem classem militibus, tormentis, annona, aliisque bellicis apparamentis instruxit, eamque per suos duces in mare eduxit. Iam Cyprum nobilem insulam, et regnum Venetis abstulerat; Cefaloniam et Zantem, aliasque circumiacentes insulas vastaverat; in insula corcyrensi damna innumera Genuensibus intulerat. Quod reliquum erat, Italiam christianae religionis arcem occupare, et Christi cultu abiecto, sectam spurcissimi sui Mahometi propagare. Romam sede vicarii Christi illustrem, Venetias urbem nobilissimam iam spe devastaverat; praefectosque, unum qui Romam, alterum qui Venetias suo nomine regeret, instituerat. Facile sibi pollicebatur victorias, et totius Europae dominatum, Italia antemurali fortissimo christianis erepto. Putabat immanissimus hostis christianos iam a Deo suo derelictos esse; sed sua spes eum fefellit, prout eventus monstravit. Praeerat tunc Ecclesiae catholicae immortalitate dignus pontifex, re et nomine Pius V, qui pro pastorali officio veritus ne immanissimus leo caulas Christi ingressus oves eius dispergeret, ac dilaniaret, neve venirent gentes in Dei haereditatem, pollueren tque templa Dei sancta, et ponerent novam Ierusalem in pomorum custodiam, Philippum II Hispaniarum regem catholicum, inclytam rempublicam venetam aliosque principes christianos in sacri belli societatem vocavit, et rapacissimo lupo sanguinem ovium Christi sitienti opposuit; sed numero, viribus, et quod magis erat, discordia intestina foederatorum longe inferiores. Ipse ad sacram ancoram, Beatissimam Virginem se convertit assiduis eam precibus interpellans, ut sole amicta lunatum (insigne Turcarum luna dimidiata) hostem pedibus deterere, aut depellere dignetur. Gravis manibus hic novus Moyses, in adiutorium orationis comites sibi adiungit, universos fideles ad implorandum Dei, ac Genitricis eius auxilium, indictis supplicationibus, excitat, qui fessas iam sub onere palmas mutuis precibus attollerent, ac iuvarent. Aderat dies, quo aut turpis servitus, aut dura mors christianis pugnantibus subeunda erat: Italiae universae funus expectabatur. Quis enim victoriam sperasset a tam paucis, et a tam inter se diversarum voluntatum proceribus? Sperabat Pius pontifex, non desperabat. Dies illa 7 octobris, prima vero eiusdem mensis dominica fuit, qua ad Naupactum achaici sinus classis Christianorum cum classe longe maiori, et potentiori Turcarum convenit. Diceres urbem amplissimam ponto innatare; tanta enim copia navium, triremium, biremium, dromadum, liburnicarum, hippogonum hostis mare operuerat. Diceres tunc draconem infernalem non flumen, sed ipsum mare vomuisse, qua obrueret inclytum germen christianorum. Mox Ioannes austriacus Caroli V imperatoris filius, exercitus christiani dux, conscensa scapha, vexillum explicat, imaginem Christi crucifixi in eo depictam toti exercitui ob oculos ponit, ad strenue pugnandum, vel si ita sors tulerit, pro Deo Salvatore suo generose moriendum hortatur. Omnes genibus flexis Crucifixum adorant, alta voce Deum omnipotentem, trinum et unum invocant; Sanctissimam Christi Matrem, ut quae plurimum possit apud Filium, reverenter salutant. Mira res! Ventus qui ante pugnam nostris adversarius erat, tunc Christum revereri visus est; nam sub ipsum pugnae initium statim contra hostes se vertit, pulverem, fumumque bombardarum, ac ignem, qui tam ex nostris, quam ipsorum tormentis erumpebat, in ora hostium retorsit. Ab hora sexta usque ad vesperam magno utrimque animorum ardore pugnatum est. Pulcrum erat videre Turcas christianorum impetum ferre non valentes, invitos, et confusos desperata venia necem in undis quaerere, in mare se praecipitare, ut aliquod caedis compendium invenirent. In hac pugna optimus quisque Turcarum, aut ferro cecidit, ut captus est. Victoria christianorum de Turcis.
Mahometus Bey, et Alymus Bey nepotes ipsius Selymi imperatoris in manus christianorum venerunt. Sicque mare quod absorbendis christianis Turcae paraverant, ipsis exitio fuit. Hostium ad triginta millia caesa, decem millia capta, quindecim millia christianorum e servitute liberata sunt. Parta ingenti praeda, 116 maioribus tormentis, 256 minoribus hosti ereptis, maximam, gloriosam, et cunctis saeculis memorabilem christiani de barbaris obtinuerunt victoriam.

Eam B. Virginis ope fuisse partam multa indicant. 1. Quia christiani ante pugnam ardentissimis precibus Sanctissimam Dei Genitricem invocarunt. 2. Quia eo die Deipara per universum orbem christianum in templis fratrum Ordinis praedicatorum solemni, ac consueta supplicatione sodalium sanctissimi rosarii invocabatur, quorum preces apud Deum per intercessionem eiusdem Deiparae ad hanc victoriam consequendam multum profuisse Gregorius XIII in diplomate dato anno Domini 1573 testatus est. Idemque in eodem diplomate ad victoriae coelitus concessae memoriam, et gratias Deo Beatissimaeque Virgini agendas festum solemne sub nuncupatione rosarii prima dominica mensis octobris quotannis celebrandum instituit. 3. Quia Pius V pontif. max. in lauretana domo tunc assiduis precibus Deiparam exorare iusserat; et in ipso navalis praelii die antequam signa canerent christiani, mancipia remigio a Turcis addicta pro libertate, plerique autem duces, ac milites christianae classis pro salute, ac victoria B. M. Virgini lauretanae vota fecerunt. Quare remiges captivi Turcarum, et duces, ac milites christiani ad agendos Deo eiusque Genitrici gratias, votaque reddenda, Lauretum se contulere, et divini beneficii monumenta, alii catenas, quibus ad remos alligati fuerant, Deiparae liberatrici, alii hostium manubias, eiusdem victoriae auctrici reliquere. 4. Quia idem Pius V pont. max. sanctitatis fama conspicuus, cuius opera, et auctoritate unio illa christianorum principum stetit, eam victoriam Deiparae adscribendam existimavit, non tantum ex 4 Victoria haec B. Virginis ope fuit parta.

Pius V christianos principes contra Turcam unit.

(1) Ex his omnibus potet hanc basilicam dignitate praecellere omnibus templis et Virgini Deiparae dedicatis, et quibuscumque aliis non solum in Urbe, ut ait Auctor, sed et in toto orbe; et manifestum fit etiam ex eo, quod huius basilicae in toto orbe celebratur festum dedicationis, immo ex ipso eius titulo *Sancta Maria maior: quia maior dignitate non solum romanis, sed et totius orbis ecclesiis est*, ut ait Cabrinus lib. I de miraculis. Est tantum inferior basilica lateranensi SS. Salvatoris; et praestat etiam omnibus numero indulgentiarum. Ex ea etiam summus pontifex quotannis die Assumptionis B. M. Virginis dat solemnem benedictionem *Urbi et Orbi*. Vide Antonium Riccardi in hist. de Sanctuariis Mariae SS. *Editor*.
(2) Tandem Clemens XI ad Ecclesiam universam extendit. *Editor*.

Pii V revelatio de victoria a christianis de Turcis parta.

communi illo fidelium sensu, verum etiam ex peculiari sibi facta revelatione. Ea enim ipsa die, qua feliciter a nostris dimicatum est, idem Pius pontifex impense precibus vacans divinitus christianorum victoriam cognovit, eamque thesaurario Bartholdo Bussoti disertis verbis significavit, quae Surius in suo comment. ad annum Domini 1571, Ioannes Antonius Guarnerius canonicus bergomensis de bello cyprio constanter affirmant. Quare idem pontifex hoc festo a se instituto hanc victoriam ope Dei Genitricis partam fuisse indubitanter asseveravit. 5. Quia fama est ea ipsa die Venetiis rosas recentes in foro visas fuisse. Quo miraculo, october enim erat, ostensum est, illam victoriam rosarii precibus a Deo, et Sanctissima Matre eius impetratam fuisse.

Rosae recentes in octubri Venetiis visae.

Hac die fratres Ordinis praedicatorum solemnes processiones cum imagine Deiparae Virginis per urbes in quibus morantur, fariunt, et huius festivitatis octavam solemnem celebrant. Quae dicenda sunt pro concione hac die inferius habes, ubi de rosario agimus, et in epitheto *Rosa mystica*.

Festum desponsationis B. M. Virginis et s. Ioseph

5 Celebratur in Galliis die 22 ianuarii studio et opera Petri Aurati ex Ordine nostro, qui anno Domini 1546, composito eius solemnitatis officio, a Paulo III summo pontifice supplicitar petiit, ut illius auctoritate illud liceret in Ecclesia decantari, et sacrae desponsationis celebritatem fieri die 22 ianuarii, quo tempore eam factam existimabat. Anno vero Domini 1556 gallicanam ecclesiam secuta est dioecesis atrebatensis, ubi die 23 ianuarii hoc festum celebratur (1).

Annulus desponsationis B. Virginis.

Porro annulus quem s. Ioseph in hac desponsatione tradidit B. V. Mariae tanquam coniugi futurae, religiose asservatur Perusii in capsella aurea sub undecim clavium firma custodia. Plurimis claruit, et modo claret miraculis. Non est ex metallo, sed ex onyche lapide, qui in Palaestina satis vilis est. Hanc desponsationem exteriorem Mariae cum Ioseph nonnulli devote recolentes, a B. Virgine spiritualiter, etiam cum sensibili signo, desponsari meruerunt. Quales sunt s. Edmundus cantuariensis episcopus, s. Robertus cisterciensis abbas, b. Alanus Ordinis nostri, b. Hermanus Ordinis praemonstratensis, de quibus alibi egimus. Vide indicem rerum et verborum.

Festum dedicationis S. Mariae ad martyres

6 Celebratur Romae die 13 maii, cum b. Bonifacius papa IV sub annum 613, expurgato omnium deorum veteri fano, quod Pantheon vocabatur, in honorem Beatae semper Virginis Mariae, et omnium martyrum dedicavit tempore Phocae imperatoris. Eandem festivitatem universa Ecclesia ex institutione Gregorii IV die 1 novembris sub titulo omnium sanctorum solemniter celebrat.

Festum expectationis partus B. M. Virginis

7 Solemniter colitur in Hispaniis 15 calendas ianuarii, hoc est, die 18 decembris, octo diebus ante diem nativitatis Domini nostri Iesu Christi. Haec festivitas antea sub nomine annuntiationis B. M. Virginis celebrabatur ex concilio toletano sub Eugenio archiepiscopo toletano. Sed cum in Ecclesia universali celebrari coepta est festivitas annuntiationis B. M. Virginis, Hispani Ecclesiae universali se conformare cupientes, festum annuntiationis una cum tota Ecclesia die 25 martii celebrant (2); et illum diem quem antea sub titulo annuntiationis colebant, sub titulo expectationis partus B. M. Virginis celebrare coeperunt. Haec solemnitas ab eis vulgo S. Maria de O vocatur, eo quod in primis huius solemnitatis vesperis in officio ecclesiastico ponantur celebres illae antiphonae ab O initium sumentes, quibus antiquorum patrum ardens desiderium Christi Domini adventum cupide expectantium exprimuntur. Hanc festivitatem s. Ildephonsus episcopus toletanus instituit, Gregorius XIII pontifex maximus confirmavit.

Festum S. Mariae Odigitriae

Quod mutilo ac breviato nomine de *Itria* in Sicilia dicitur, feria 3 Pentecostes in regno neapolitano et Siciliae celebratur. Originem duxisse videtur ab insigni, et miraculosa eiusdem Dei Genitricis imagine a s. Luca (B. Virgine adhuc vivente gratiam illi formae suae immittente) depicta, et in templo a Pulcheria augusta imperatrice Constantinopoli extructo collocata. Hinc etiam appellatur festum a Constantinopoli. Haec imago apud Constantinopolim multis miraculis claruit. Cum enim urbs illa obsidione, vel quibusvis aliis angustiis premeretur, ad Deiparam confugiebat eius imaginem in processione gestans, atque admirabilem Dei Genitricis opem saepe experta est. Cum eiusmodi imago per urbem circumferretur, Saracenos male periisse refert s. Antoninus tom. 2 hist. tit. 14, c. 2, par. 3. Haec imago apud Constantinopolitanos in summa veneratione erat feria 3 cuiusque hebdomadae, templum in quo haec imago sita erat, religione visitabant, et eo die cibo quadragesimali utebantur. Huius imaginis exemplum una cum pietate in eam in occidente est propagatum, quare et templa, et sacella ei dicata sunt. Nec immerito; multa enim beneficia ad se confugientibus imago praestat, quod tabulae sacellis et templis appensae testantur. 8

Dicta est autem Sancta Maria Odigitria, graeca vocabulo, quod apud nos deductricem significat, eo quod Sancta Maria duobus caecis apparens eos ad suam ecclesiam deduxit, et illuminavit, ut Vincentius Belluacensis in spec. historiae lib. 23, c. 147 testatur.

Festum depositionis vestimentorum B. M. Virginis

Celebratur in Blachernis Constantinopoli die 2 iulii. Est templum magnificum Deiparae in suburbiis Constantinopolis a Pulcheria augusta extructum, in quo depositae erant fasciae sepulcrales a Iuvenali ierosolymitano patriarcha ad eandem Pulcheriam missae, cuius depositionis memoria illo die celebratur. 9

Festum depositionis zonae Sanctissimae Deiparae

Celebratur Constantinopoli die 31 augusti. Erat enim templum Constantinopoli ab eadem Pulcheria augusta extructum in Cleopratio, quod latine forum fabrorum sonat; in hoc velut pretiosus thesaurus integra zona Dei Genitricis deposita fuit. Huius ergo templi dies dedicationis sub titulo Dei Genitricis zonae celebrabatur. De depositione huius venerandae zonae extant encomia s. Germani patriarchae constantinopolitani, et Euthymii monachi apud Surium (3). 10

Festum S. Mariae angelorum seu de portiuncula

Celebratur solemniter in toto Ordine s. Francisci die 2 augusti propter amplissimam indulgentiam quam s. Franciscus a Christo Domino, Deipara deprecante, cunctis peccata sua rite confessis, templumque S. Mariae Assisii ea die invisentibus impetravit, ut habetur in chronicis minorum, par. 1, libro 2, capite 1. 11

Festum S. Mariae de monte Carmelo

Solemniter celebratur a carmelitanis die 16 iulii ob victoriam de inimicis auxilio eiusdem Dei Genitricis obtentam. Erant non- 12

Patres car-

(1) Nunc ad multas alias ecclesias extensum est assignata die 23 ianuarii. *Editor.*

(2) Errat Auctor dicendo: *cum in Ecclesia universali celebrari coepta est festivitas annuntiationis B. M. Virginis*, an non semper celebrata est ubique terrarum? Audiat continuatores Bollandi: *festum hoc solemne in tanta antiquitate eminet, ut liceat pie meditari, originem eius debere adscribi gratissimo affectui Deiparae Virginis, quae singulari veneratione ac devotissimo cultu quotannis recolere solita fuerit divinum beneficium hoc die sibi, et toti generi humano praestitum, quod Verbum Dei in suo virginali utero caro factum est, et ipsa annuntiationi angelicae assensum praebens Mater Dei est constituta. Hanc piissimae gratitudinis consuetudinem in Sanctissima Deipara intuiti Apostoli debitam agnoverunt obligationem, et venerabili imitatione observarunt, et ubique terrarum observari debere sanxerunt. Certe secundum regulam a s. Augustino de bapt. contra Donatistas lib. 2, c. 24. propositam, quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum recte creditur.* Hispani ergo non ante, sed contra universalem Ecclesiam celebrabant hoc festum die 18 decembris, cui postea se conformarunt. Vide Bened. XIV de festis J. C. D. N. et B. Virginis. *Editor.*

(3) Huius venerandae zonae festum celebratur in toto Ordine augustiniano dominica infra octavam s. Augustini, venerando Deiparam uti patronam societatis Cincturatorum, eorum scilicet quorum lumbos ipsi patres augustiniani cinctura a se benedicta cingunt in honorem semper Virginis Mariae. *Editor.*

meliae fratres B. M. Virginis. nulli, qui tam honorificum titulum his patribus invidebant, dicentes illos nuncupandos esse fratres Mariae a Maria aegyptiaca, quae olim post dissolutam vitam ad se reversa in monte Carmelo maximam egit poenitentiam, et non a Maria Christi Matre. Verum cum illi ad Honorium III summum pontificem se contulissent ab eo suppliciter flagitantes, ut malevolos sua auctoritate reprimeret, et titulo tam honorifico, quo hactenus gaudebant, confirmaret, summus pontifex eam rem quibusdam curialibus examinandam commisit. Cumque illi causam protraherent, Maria Virgo summum pontificem in somnis admonuit, ut negotium huius Religionis quantocius absolveret. *Nec est enim*, ait, *adversandum in his, dum iubeo, nec dissimulandum, dum promoveo.* Ut autem adhiberet fidem iis quae dicebat, insinuavit duos ex curialibus huius Religionis aemulos, Deo ultore, esse plexos dispari exitu, sed decessu pari. Unde excitatus a somno summus pontifex rem hanc cum cardinalibus pertractans, regulam huius Religionis ab Alberto ierosolymitano patriarcha editam approbavit, et confirmavit 3 calendas februarias 1227. Ita Thomas Saracenus in Menologio carmelitarum in vita b. Simonis Stock, num. 8.

13 Dominicanorum studium erga carmelitas. Haec regula cum nimis rigida esset, et dubia quaedam in se contineret, ad petitionem carmelitarum declarata, mitigata, et ad normam nostrarum constitutionum redacta est per venerabilem cardinalem Hugonem de s. Theodorico et fratrem Guilhelmum episcopum antaraensem, ambos Ordinis praedicatorum, iussu Innocentii IV pontificis maximi; quam regulam carmelitae nunc profitentur, et tenent, et titulo tam honorifico fratrum B. Mariae Virginis de monte Carmelo gaudent. In huius victoriae de inimicis reportatae grati animi signum institutum fuit hoc commemorationis B. M. Virginis festum de monte Carmelo die 16 iulii, unde in collecta huius diei dicitur: *Deus qui et excellentissimae Virginis et Matris Mariae titulo humilem Ordinem tibi electum singulariter decorasti, et pro defensione eiusdem miraculo suscitasti.* Eundem titulum approbavit Urbanus VI pontifex maximus. In eius diei honorem feriam IV cuiusque hebdomadae peculiariter dicatam colunt complures, eaque die a carnibus sponte abstinent (1).

Festum dolorum Deiparae, quos cum puerum Iesum sisteret in templo, Simeon ei vaticinatus est

14 Festum Dominae nostrae de pietate. Solemni ritu celebratur a cisterciensibus die 15 aprilis. Ab aliis vero, praesertim in atrebatensi dioecesi, celebratur feria VI ante dominicam palmarum sub titulo *Dominae nostrae de pietate*. Huius diei officium integrum habetur impressum in breviario Ordinis nostri noviter impressis Parisiis iussu venerabilis p. fratris Nicolai Rudulphi totius Ordinis generalis, sub titulo: *In festo compassionis B. V. Mariae*, vide in fine. Porro dolores Deiparae Virginis fuse recensitos habes superius disc. XCII per totum. In eiusmodi dolorum memoriam apud traiectensem dioecesim, in d. Aegydii templo, ubi canonicorum collegium erat, societas quaedam erecta est, quo in loco multa miracula fiunt, ut libellus de hac societate editus testatur.

Festum gaudiorum Deiparae

15 In ecclesia audomarensi sabbato post ascensionem Domini celebratur. In ecclesia vero hoviomensi dominica post diem 4 iulii recolitur. Gaudia Deiparae Virginis fuse enarrata habes in superiore tomo, disc. CLXX per totum.

Festum descensionis B. M. Virginis

16 Origo festivitatis. Celebratur Toleti in Hispania post festum s. Ildephonsi, nimirum die 24 ianuarii, in memoriam magnae illius dignationis, ac insignis beneficii s. Ildephonso a B. Maria Virgine exhibiti. Cum ipsa Deipara in templum toletanum descendens innumerabili propemodum angelorum, ac virginum agmine comitata, in episcopali cathedra considens, s. Ildephonso ad se vocato, ei vestem

S. Ildephonso B. ad sacrificandum donavit, eaque in suis, suique Filii solemnitatibus uti mandavit. Hanc historiam in superiore tomo fusius enarravimus ex probatis auctoribus.

Virgo sacram vestem donat. Prudenter omnino ecclesia illa, urbsque tota diem illum sacratum esse voluit, quo Sanctissima coelitum Domina toletanum illud templum, urbemque sua praesentia non modo cohonestavit, sed etiam consecravit. Hinc factum, quod multi reges in eo templo velut speciali sanctuario, et Sacratissimae Virginis diversorio funebria sibi struxerint conditoria. Visitur etiam hodie, et piis hominum osculis libatur id marmor, quod coelo delapsa Deipara suorum contactu pedum consecravit. In eodem templo asservatur imago eiusdem Virginis cum puero Iesu, quam ipsa recedens arcta complexa est, quae hodie praecipuo habetur in honore. De hac imagine superius egi. Sacerdotalis quoque illa vestis manibus coelitum texta, quam coelo delapsa Deipara s. Ildephonso donavit, Oveti servatur in theca argentea obserata, atque ea religione colitur, ut nullus eius ecclesiae praesulum eam reserare ausit, eo quod nonnulli audaces huius coelestis thesauri spectatores graves suae curiositatis poenas dederint. Vult enim Deus adeo pretiosa coeli munera pie coli, nec impietatis oculis, vel manibus usurpari. Petrus Ribadeneira in vitis sanctorum, 1 parte, die 24 ianuarii.

Eadem festivitas Sanctae Mariae de pace dicitur ob eam causam quam narro. Alphonsus VI Castellae rex anno Domini 1193, composita pace cum Mauris, hoc eis in pactis concessit, ut principem eius urbis ecclesiam, quam B. V. Maria sua presentia, suo sermone, vesteque mundissima s. Ildephonso tradita illustraverat, retinerent, quam iam 360 annis mahometanis superstitionibus foedatam sibi usurparant. Huius foederis leges omnes Alphonsus rex publica fide, religiosaque iurisiurandi formula confirmata, civesque mauros sponte deditos in fidem suam receperat. 17 S. Maria de pace cur dicta.

Rebus ita confectis, Toleti regina Constantia, et Bernardo archiepiscopo cum militari praesidio relictis, ipse rex in Castellam redit. In regis absentia regina zelo accensa indignum rata ecclesiam Deiparae praesentia consecratam mahometanis sordibus inquinari, eam a Maurorum iam domitorum manibus eripere satagit, et communicato consilio cum archipraesule Bernardo, noctu templum vindicat; quod mahometanis sordibus repurgat, altaria ex ritu christiano erigit, in summa templi turre campanam restituit, et proxima luce christianos ad rem divinam convocat, nulla habita iurisiurandi, periculive, in quod rem christianam coniiciebat, ratione. Calamitosus is dies christianis fuisset a Mauris qui viribus numeroque vincebant, nisi Deus exitium avertisset. Repentina namque iniuria barbarorum animi commoti ad arma certatim concurrissent, nisi sibi persuasissent, tantum facinus inscio rege patratum fuisse. Re cognita, rex iniquissime tulit fidem publicam, sacram iurisiurandi religionem, regiique maiestatem nominis importunae coniugis, et Bernardi praesulis festinatione violatam. Considerans quanto in periculo res esset, (Mauris furentibus, existimantibus hac una foederis lege violata, ceteras itam violandas, atque hoc initio omnibus se privilegiis a rege concessis privandos, etiam libertate deinde exuendos) Toletum contendit, furorem, minasque in reginam et in archipraesulem spirans. Adventanti regi tota civitas obviam venit veniam petens; occurrit et ipsa regis filio cum lacrymis patrem iratum placatura. At nullae preces ad aures admittebantur, nullis supplicationibus regis animus movebatur. Grave malum christianis parabatur, nisi mauri proceres regis animum ad misericordiam flexissent. Hi namque veriti, ne si rex gravius aliquid in reginam praesulemque decrevisset, eius facti invidia penes se, suamque gentem maneret: praesentemque laetitiam ex eorum supplicio capiendam perpetuo christianorum odio luerent; frequentissimi regi obviam processere, et genibus provoluti a rege christianis veniam petiere. Rex loqui paratos occupavit, et non solum ipsorum laesam esse patientiam, sed suammet etiam maiestatem violatam affirmavit. Expectarant se vindicem ultionem editurum, quo Maurorum genti testatum fieret, regiam fidem constantem fore, nec impune iurisiurandi religionem temeratam fuisse. Cumque illi instarent reginae, praesulique veniam postulantes, et libentissimis animis omnem iniuriam condonantes,

(1) Nescio cur Auctor principale obiectum huius festi tacuerit, scilicet insigne beneficium sacri scapularis ab ipsa B. Virgine b. Simoni Stock e coelo allati, adiectis magnificis promissis pro omnibus fratribus et confratribus; et haec est ratio qua complures a carnibus abstinent feria IV cuiusque hebdomadae, non quod gratis asserit Auctor, cum sit abstinentia praescripta ad gaudenda beneficia scapularis. Lege lect. 2 Noct. in festo B. M. Virginis de monte Carmelo in Breviario romano, et vide obiectum proprium, pro quo Ecclesia celebrat hoc festum, non quod putat Auctor. Vide etiam Benedictum XIV supra citatum. *Editor.*

Digitized by Google

dicerentque, se novas, longinquasve regiones ad habitandum vestigare valle, nisi rex suis votis annueret, et violati foederis reos absolveret, et insuper templum ablatum christianis honoratum sacris retineret. Tum demum animus regis vario cogitationum aestu fluctuare coepit, nunc laetitia, nunc indignatione cor eius rapiente. Sed cum demum animum ad rationem revocasset, et Dei nutu consilia moderantis, quicquid id erat, evenisse perpendisset, laetus, et salvo foedere, et inviolata nominis sui maiestate, reginae et archipraesuli veniam dedit, magnificumque templum in manibus christianorum relictum libenter vidit, et postmodum Deo gratias egit tum ipse, tum populus christianus. In cuius rei memoriam haec festivitas in honorem Deiparae instituta S. Mariae de pace nomen accepit. Ribadeneira loco quo supra.

Festum S. Mariae a principio

18 Celebratur Neapoli in templo s. Restitutae die 8 ianuarii ob insignem imaginem B. M. Virginis, quae ibidem in sacello illius ecclesiae extat, et summa populi veneratione colitur. Porro sacellum illud, in quo sacra icon prostat, ab Helena Constantini matre in honorem Deiparae erectum, et a s. Silvestro papa consecratum est, et S. Mariae a principio nuncupatum, in quo sacello ipse s. Silvester, praesente Constantino, frequenter missae sacrificium obtulit. Ea die Neapolitani ab omni opere servili, et a litibus forensibus vacant (1).

Festum Virginis puerperae

19 Celebrant Syri die 26 decembris immediate post diem natalis Domini, uti et Graeci. Vide menologium eorum. Nam cum die Natalis Domini tota eorum devotio feratur in Christum nascentem, postridie devotionem suam convertunt in Matrem tam nobilem fructum producentem. Eodem die faciunt commemorationem d. Iosephi sponsi B. M. Virginis. Antonius de Balinghem die 26 decembris.

Festum B. M. Virginis de victoria

20 Victoriae ope Dei Genitricis obtentae.

Praeter illud solemne quod praeclarus Ordo praedicatorum celebrat dominica I octobris, ob mirabilem victoriam ea die ope Sacrae Dei Genitricis Mariae bello navali e Turcis reportatam, celebrant aliud carnuteoses in Gallis in gratiarum actionem ob mirabilem victoriam contra haereticos ope eiusdem Dei Genitricis obtentam die 20 martii. Obsidebatur ab haereticis Carnutum, quod inter alias reliquias indusium B. M. Virginis summa religione servat, et in praesidio Virginis omnem spem suam collocarat. Quam irridentes haeretici blasphemando iactabant, non plus posse in ea civitate Mariam, quam olim Diana Ephesi. At contrarium re ipsa experti sunt. Nam cum ad portam civitatis in qua visebatur imago Deiparae, omnia tormenta maiora vibrassent, nulla ratione eam destruere potuerunt, sed murus illaesus percussus, et intactus spatio 12 circiter digitorum circa imaginem mansit. At hic non stetit vis Deiparae, nam coacti sunt ab obsidione cessare, indeque magna suorum iactura, internecione atque infamia recedere. A qua eorum fuga iam secundo prato ubi tentoria sua fixerant nomen inditum est gallicum, *les pres des reculez.* Dionysius Roullardus in sua parthenica historia gallica.

Aliud festum B. Mariae de victoria Bruxellae

21 Celebratur die 5 iunii ob gloriosam victoriam quam hac die habuit Ioannes I Lotharingiae, Brabantiae, et Lemburgiae dux. Erat Woringia praedonum nidus, qui negotiatoribus, ac peregrinis plurima inferebant damna. Quare eam Ioannes dux precibus comitum Iuliaci, et montium, ac civium coloniensium obsedit, ac cepit, et licet decuplo plures essent hostes, obviam tamen iis processit, acerrimeque ipsemet pugnavit, ac post diuturniorem conflictum victor evasit, paucis de suis desideratis, multis vero a parte hostili peremptis. Lipsius in Lovanio, libro 2, c. 9.

Aliud Dominae nostrae de victoria

22 In Hispaniae regnis in Ordine minorum celebratur die 8 septembris in memoriam illius victoriae quam habuit e Mauris Ferdinandus V Hispaniarum rex, qui primus rex catholicus appellatus est, cum videlicet eam Baeticae partem, quam Granatam vocant, a Mauris capitalibus Deiparae hostibus vi recepit, templaque Deo Opt. Max. consecrata, 780 annis a Mauris possessa, et profanata a superstitione mahometica expurgavit. Hanc victoriam Turone in Gallia eidem praedixerat s. Franciscus de Paula fundator Ordinis minimorum, missisque ad eum duobus religiosis, cohortans eum ut animos sumeret, neque obsidionem solveret. Atque haec fuit occasio qua hic Ordo in Hispaniam penetravit, ubi maxime floret. Antonius Balinghem die 8 septembris.

Mauri quot annis Hispanias occuparint.

Festum Dominae nostrae Ardentium

Celebratur Atrebati, et inchoatur ipso profesto Venerabilis Sacramenti, et dominica infra eiusdem octavam solemne admodum est. Festum Ardentium ita dictum a cereo quem Virgo Mater duobus histrionibus Itheri, et Normanno tradidit, ad curandos eos qui igne sacro incensi erant, epota aqua in quam ex illo guttae aliquot stillaverant. Atque ipso statim dati pignoris initio centum quadraginta quatuor ab ista igne sacro statim sanati sunt. Hic sacer cereus dominica infra octavam Corporis Christi super augustum canopaeum ad summam aedem Virginis comitantibus primoribus urbis defertur, ac fusa ibi prece suum in locum pari pompa refertur. Gaudet autem isto privilegio cereus iste sacer, ut quantumlibet accendatur, nunquam minuatur. Meyerus in annalibus Flandriae. 23

Festum inventionis manticae B. M. Virginis

Celebratur in Ordine cluniacensi die 13 iunii. Putatur ea esse mantica, cum qua confecit iter de Nazareth in Aegyptum. 24

Festum glorificationis B. M. Virginis

Celebratur in sacro Ordine s. Birgittae die 20 augusti, ut habet eius breviarium 25

Festum translationis almae domus lauretanae

Ex oppido Fluvii in Dalmatia in picenum agrum, qui modo Lauretum dicitur, celebratur sabbato ante secundam dominicam Adventus; eo enim die sacratissima illa aedes ex Illyrico in Picenum translata est, teste Rutilio Benzono episcopo lauretano in canticum *Magnificat*, libro 2, c. 22. 26

Festivitas recollectionis festorum omnium B. M. Virginis

Celebratur Dusci tum a canonicis d. Amati, tum d. Petri dominica ultima augusti; quod idem observat ecclesia cameracensis. Eandem colit Antuerpia dominica secunda ab assumptione cum solemni supplicatione, in qua ditissima Deiparae imago ecclesiasticorum tum regularium tum saecularium humeris vicissim circumfertur. Huius festi officium excusum est Parisiis anno Domini 1507. Ita Antonius de Balinghem initio augusti, numero primo. Eadem festivitas celebratur Lovanii in templo d. Petri, prima dominica septembris cum totius urbis laetitia, et Cameraci dominica quarta augusti. Haec de festivitatibus Virginis. 27

Cum autem sabbatum sit a maioribus nostris Dei Genitricis venerationi assignatum, et plusquam alia festa saepius in honorem eius colitur, operae pretium est de eo aliquid dicere, ut completus tractatus de festivitatibus Deiparae habeatur. Quare quaerendum est

DISCURSUS CCXXXII

CUR SABBATUM DEIPARAE PERPETUO DICATUM SIT, ET QUO TEMPORE

Sacrosancta Christi Ecclesia a Spiritu sancto edocta suum erga Deiparam amorem et observantiam contestatam esse valens, non tantum quamplurimas, ut iam diximus, solemnitates anniver- 1

(1) Quod narrat Auctor de hoc templo non omnibus certum est, nec amplius celebratur ut festiva dies dedicationis eius. *Editor.*

*

Digitized by Google

sario ritu in eiusdem honorem instituit, verum etiam singulis recurrentibus hebdomadis, sabbati diem perenni cultu eidem decrevit, ut quemadmodum dies dominica Christi resurrectioni, feria VI eiusdem passioni, ita sabbatum Deiparae esset solemne.

2 Sabbatum cur Deiparae dicatum.

Et optima sane ratione; si enim dies natalis apostolorum, quibus illi pro Christo mortem invicto animo subierunt, et confessorum ac martyrum, quibus ex hac valle miseriae ad Deum commigrarunt, anniversaria celebritate recolimus; quanto magis Deiparae Virgini, non tantum anniversarium, sed singulis recurrentibus hebdomadis diem unum perpetua religione consecrare debemus? Ipsa namque est quae omnes sanctos longe multumque praecellit. Ipsa inter apostolos eorum est magistra: inter martyres plusquam martyr; inter confessores est eorum regina; inter virgines earum primiceria, atque adeo multis nominibus virginum appellatur, uti iam ostendimus. Quare sicut sanctis dignitate praestat, ita crebris, et iteratis diebus illi sacris Ecclesia maiore eam, uti par est, cultu, ac veneratione honorat, eiusque apud Christum opem, ac patrocinium impensiori studio implorat. Omnes igitur sabbati dies in eius honorem dicat, in quibus ei triplex obsequium praestat, ieiunium nimirum, missam, et officium. Horum trium originem, et causam repetamus.

3 Ieiunium sabbati unde ortum habuit.

Ieiunium diei sabbati antiquissimum esse in Ecclesia, maxime occidentali, nemo ambigit. Cassianus libro 3 institut. c. 10 vult apostolum Petrum die dominico contra Simonem magum conflictaturum, pridie, hoc est sabbato, ieiunasse, et ieiunium christianis qui Romae erant, indixisse. Cum igitur Simon magus precibus d. Petri prostratus, fracta coxendice et cruribus, infelicem animam exhalasset, eum ieiunandi morem omnes ecclesiae occidentales secutae sunt, et usque ad haec tempora retinuerunt. Eandem opinionem recenset s. Augustinus epist. 86.

4 Ieiunium feriae VI et sabbati unde ortum.

Innocentius III de Consec. d. 3, c. sabbato, huius sabbatini ieiunii aliam causam reddit, quoniam scilicet apostoli propter Christi mortem, non tantum sexta feria, sed etiam sabbato in moerore fuerunt, et propter metum Iudaeorum se occultaverunt, et quod dubium non est, eodem biduo memorato ieiunaverunt. Hoc enim ieiunium eorum Christum praedixisse videtur Luc. 5, 35: *Venient*, inquit, *dies cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.* At feria VI, et sabbato ablatus fuit sponsus a discipulis. Feria enim VI mortuus, et sepultus est: sabbato autem in sepulcro iacuit. Igitur exemplo apostolorum merito nos his diebus ieiunamus.

5 Ieiunium feriae IV unde ortum.

Orientales catholici loco sabbati feria IV ieiunabant, eo quod etiam illa die Christus aliquo modo ablatus fuit; quarta enim sabbati consilium reperiuntur fecisse Iudaei ad occidendum Christum Dominum, ut d. Augustinus epist. 86 adnotavit. Huius autem diversitatis in ieiunando inter orientales ratio fuit. Cum Simon magus, Menander, Saturninus, Cerinthus, et postea Cerdon, Marcion, aliique haeretici Deum Iudaeorum mundi Opificem non minus impie, quam impudenter malum esse dicerent, Christumque ad eum destruendum venisse affirmarent, videntes

Sabbato Orientales cur non ieiunant.

Iudaeos in honorem Dei sui sabbatum religiose observare, ipsi in eius contumeliam omnem diem sabbati in moerore ieiunantes ducebant. Ad huius ergo tam perniciosae haeresis detestationem quae in Oriente potissimum propagata erat, orientales catholici sabbata non ieiunabant, ne cum haereticis convenire viderentur. Et hoc est, quod s. Ignatius in epist. ad Philipp. ait: *Si quis dominicum diem, aut sabbatum, uno excepto, ieiunaverit, hic Christi interfector est.* Idem prohibetur in can. apost. 56. Qua de re vide Baronium ad annum Domini 57.

6

Ex hac igitur communi, et antiqua Ecclesiae catholicae ieiunii observatione fideles aliquid peculiare pro sua erga Deiparam Virginem pietate hac die in eius honorem dicata praestare stu-

Sabbatinae devotiones erga B. M. Virginem.

dent. Complures enim veteri praecepto non solum hac die a carnibus abstinent, sed maiorem etiam in Virginis honorem abstinentiam sibi imperant: alii in siccorum usu perseverant: alii pane tantum et sale, et aqua contenti ieiunant: alii corporis castigationes, ut cilicium, flagellorum diverberationem, humicubationes addunt: alii castitate, precibus, vigiliis, et aliis sanctis exercitiis hunc diem honorant. Quae quam grata sint Beatissimae Virgini, innumerabilia propemodum miracula, et crebra propter haec obsequia in mortales ab ea collata beneficia testantur, quae nos Deo auxiliante, et Beatissima Virgine patrocinante, inferius recensebimus, cum de cultu B. M. Virginis per ieiunia et mortificationes agemus.

Officii sabbati B. M. Virginis origo.

Verum ad exordia institutionis qua sabbatum in Deiparae cultum missis, et officiis celebrari coeptum sit, veniamus.

7 S. Ildephonsus officium B. M. Virginis componit. Illud angeli cantant.

Origo huius sacri instituti in Ecclesia universali ex devotione particulari quarumdam personarum et ecclesiarum D. Deiparenti impensius addictarum initium habuit. In primis s. Ildephonsus archiepiscopus toletanus, qui floruit anno Domini 770, post editum de perpetua Deiparae virginitate librum novem lectiones in officio ad Deiparae honorem quolibet sabbato dicendas confecit. Cumque quadam die sabbati admirabilis harmonia in ecclesia resonaret, arbitratus canonicos eo absente matutinum officium persolvere, ocius cum suis ad ecclesiam perveniens admirabilem claritatem vidit, et angelorum choros officium illud a se editum decantantes, ac Beatissimam Virginem quam angeli laudabant, in episcopali cathedra residentem conspexit. Absolutisque matutinis precibus s. Ildephonsus a B. Virgine vocatus casulam ad

A B. Virgine casulam dono accepit.

celebrandum coelitus allatam ab ipsa Regina coeli accepit. Huius etiam sacri prodigii paulo superius meminimus, cum de festis particularibus in honorem B. M. Virginis institutis disseruimus in festo descensionis B. M. Virginis par. 16. Idem prodigium patres apud Pennam fidelem congregati gravissimo suo testimonio consignarunt.

8

Ordo quoque cluniacensis, qui coepit anno Domini 812, officium B. M. Virginis celebrari singulis sabbatis extra quadragesimam, nisi accurrat festivitas, constituit.

9 Sabbatinum miraculum.

Auxit hanc devotionem in Hispania insigne miraculum in Monte-Serrato in honorem Deiparae Virginis factum anno Domini 890. Pastores ovium in montis illius iugo gregem pascentes observarunt, singulis diebus sabbati inclinato iam die ingentia lumina in proximum antrum delata, concentusque angelicos ibidem exaudiri. Id visum ad archiepiscopum barcinonensem deferunt, qui tantae rei novitate permotus, antrum illud adiit, et in eo simulacrum pissimae Deiparae Virginis invenit, cui postea insigne templum in eo loco construxit; ubi filia cuiusdam comitis barcinonensis a Ioanne Guarino eremita iugulata, post aliquot annos Dei Genitricis ope vitae restituta est. De hac imagine vide quae superius diximus in disc. CCXXIV de imaginibus Deiparae num. 46.

10 Alcuini missarum ordinarium.

Alcuinus quoque Caroli magni magister, qui floruit anno Domini 770, rogatu Bonifacii archiepiscopi moguntini singulis quibusvis diebus hebdomadae missas assignavit. Prima feria missa de Sanctissima Trinitate, secunda feria de Sapientia, tertia feria de Spiritu sancto, quarta feria de caritate, quinta feria de angelis, sexta feria de sancta Cruce, sabbato de Beata Maria Virgine.

11 S. Gerardus sabbatum in honorem B. Virginis praecipua devotione colit.

S. quoque Gerardus episcopus canadiensis, qui praeclarissimo martyrio pro Christo est coronatus anno Domini 1042, singulis sabbatis officium assumptionis Deiparae cum novem lectionibus, magnisque laudum praeconiis ante ipsius aram insigni pietate explebat. Surius in eius vita die 14 septembris.

12 Constantinopoli imago B. M. Virginis die sabbati miraculis claret.

Huic quoque devotioni sabbatinae non parvum initium dedit imago quaedam Beatae Mariae Virginis in urbe constantinopolitana sita, coram qua pendebat velum totam imaginem tegens, quod sexta feria post vesperas nullo movente recedebat, et totam illam imaginem revelabat: celebratis vero vesperis in sabbato, ad locum unde veniebat, revertebatur, ut totam imaginem velabat. Hoc viso miraculo sancitum est, ut semper illa feria de Beata Maria Virgine cantaretur. Ita Durandus libro 4. Rat. divin. officior. cap. 1, num. 28, et 31.

13 Salve Regina cantatur ab angelis.

Martinus Navarrus vir pietate, et doctrina celebris, abbas monasterii Roncae-Vallis in manuali de orat. cap. 19, num. 183 narrat: *Fama est*, inquiens, *sapidam illam orandi formam, Salve Regina, olim in nostra Ronca-Valle sabbatis solitam ab angelis cantari apud quemdam fontem, quem ab eo tempore in hoc praesens angelorum fontem appellant.*

14 Sabbatini officii de B. M. Virgine per totam Ecclesiam origo.

Harum ecclesiarum, et personarum devotionem erga Deiparentem Ecclesia universalis approbavit, stabilivit, cum in Concilio claromontano sub Urbano II anno Domini 1096 ad implorandum eiusdem Deiparae patrocinium in expeditione pro recuperanda Terra sancta per totam Ecclesiam diem sabbati Beatissimae Virgini sacrum decrevit, et in eo alia festivitate non impedita officium, et missam eiusdem Virginis decantari praecepit. Ita s. Antoninus 2 part. hist. tit. 16, c. 1, par. 23.

15 Sabbatum cur B. M. Virgini dicatum.

Porro aptissime dies sabbati cultui Beatissimae Virginis decretus, et dicatus est. Primo ob beneficium creationis tantae Virginis. Iudaei olim celebrabant sabbatum in memoriam creationis mundi; quidni celebret Ecclesia in memoriam creationis Dei-

Digitized by Google

parae Virginis? Ipsa enim est novus mundus abbreviatus, longe excellentior, et capacior mundo elementari; siquidem illum, quem coeli coelorum capere non poterant, suo utero portavit.

Sabbatum qualem convenientiam habeat cum B. M. Virgine.

Secundo, ob magnam convenientiam sabbati cum Beata Virgine. *Sabat* enim Hebraeis requiem sive cessationem significat, hoc enim die Deus requievit ab omni opere quod patrarat. Sicut ergo illa die ab omni opere cessavit, ita incarnatus in utero Virginis novem mensibus requievit. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Sabbato praeteritis omnibus diebus Deus benedixit. Benedixit Dominus diei septimae: Beatae quoque Virgini prae ceteris omnibus creaturis benedixit, cum eam in Matrem sibi elegit, et copiosiore gratiarum munere ornavit.

Tertio, die sabbati Deus opus mundi complevit: in Beatissima Virgine idem opus consummavit, cum omnia creata in uno homine cum creatore univit, ut primum ultimum, et ultimum primum esset.

Quarto, sabbatum est ianua et introitus in diem dominicam, quae est dies requiei, et significat vitam aeternam. Quia vero Deipara est nobis porta ad regnum coelorum, quod per diem dominicam figuratur, ideo de illa solemnizamus in septima feria, quae diem dominicam praecedit.

Quinto, sabbatum est medium inter diem gaudii et poenosam feriam, hoc est, inter dominicam, et feriam sextam: Beata Virgo mediatrix est inter Deum gaudiis sempiternis fruentem, et hominem poenis obnoxium.

Ulterius, sabbatum in honorem Virginis colitur ob specialia quaedam eo die ab ipsa Deipara mortalibus exhibita beneficia. Erat in Iudaea fluvius inter Arcas, et Raphaneas Agrippae regni civitates, qui omnibus diebus hebdomadae siccabatur, die vero sabbati copiosiore, et impetuosiore torrente aquis redundans

Sabbaticus fluvius.

fluebat, unde *Sabbaticus* appellatus est, a sacro septimo die Iudaeorum. Scribit Iosephus lib. 7 de bello iudaico, cap. 24, et Plinius lib. 31 histor. natur. c. 2. Hic fluvius tempore Vespasiani penitus defecit, et siccatus est, qua memorabili commutatione religionem sabbati antiquam esse, et prorsus desiisse Deus Iudaeis ostendit. Huic fluvio persimilem esse B. M. Virginem existimo, quam d. Damascenus orat. 2 de dorm. Deiparae *fontem perennem curationum* appellat; ipsa enim quamvis omnibus

Sabbato specialiter B. V. Maria sibi devotis gratias largitur.

diebus invocantibus se propitiam ostendit, die tamen sabbati quia specialiter ei sacratus est, copiosioribus gratiarum imbribus sibi devotorum animas irrigat, et liberalius eis munera sua largitur.

Notum est illud de quodam insigni milite, sed impudicis amoribus addicto, qui puellam quamdam nomine Mariam deflorare volens, sed ob honorem noctis sabbatinae Deiparae dicatae, et nominis Mariae quo puella vocabatur, ei parcens, ab ipsa Beatissima Virgine a gehennae incendio liberatus fuit; ex cuius etiam ore supra eius sepulcrum recens rosa innata fuit. Haec scribit noster Vincentius Belluacensis lib. 8 hist. c. 102, et 103.

Carmelitarum sabbatina.

Et illud quod in annalibus patrum carmelitarum narratur de Ioanne XXII, cui B. V. Maria apparens praecepit, ut fratribus carmelitis evulgaret, omnes qui cum scapulari Ordinis carmelitani sepulturae traduntur, ac in purgatorio detinentur, singulari Virginis beneficio prima sabbati die ab ipsorum obitu purgatorii poenarum integram relaxationem consequi.

16

Quaestio passionis Christi tempore an in sola B. Virgine mansit fides.

Praeterea sabbatum colitur in honorem B. Virginis ob eius fidei excellentiam ea die declaratam. Sola enim B. V. Maria passionis Christi tempore, discipulis fugientibus, per illud triste sabbatum in fide stetit, et in ipsa sola Ecclesiam salvatam fuisse gravissimi patres docent. S. Bernardus lib. de passione Domini, Alexander halensis p. 3, q. ult. Turrecremata cardinalis l. 5 de Ecclesia, c. 30, et l. 3, c. 61, s. Antoninus 4 p. theol. tit. 15, c. 41, par. 1, s. Bonaventura 3 d. q. 3, art. 2, Durandus l. 4 divin. officiorum, c. 1, n. 32 allegans canonem de Consecr. dist. 111 *sabbato*. Idque, ait ille, significat una illa candela quae sola in candelabro triangulari in triduo ante Pascha in officio nocturno accensa reservatur. S. Antoninus loco citato: *Fidei*, inquit, *lumen in Deipara occultum, quod omnibus postea patefactum, et omnes suo exemplo illuminavit, significatur candela illa accensa in matutino tridui hebdomadae sanctae.* Ioannes de Turrecremata cardinalis dicit id esse contra fidem universalis Ecclesiae, asserere non in sola B. M. Virgine mansisse fidem in die passionis Christi.

Opinio modernorum theologorum.

Theologi moderni hanc doctrinam non recipiunt eo quod incredibile putant fidem in Petro saltem in corde defecisse, cui eo tempore seu paulo ante dictum est: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, nam quod in ore non permanserit, certum est. Deinde Maria Magdalena summa caritate flagrabat in illo triduo, ut patet ex Ioann. c. 19, et 20. Igitur credibile non est eam fidem in Christum, quam antea habuerat, amisisse, cum sine fide caritas esse non possit. Accedit, quod Ecclesia in una persona

Ecclesia in una persona consistere non valet.

nullo modo consistere valet; est enim populus et regnum Dei, cuiusque propria definitio est *congregatio fidelium*, unus autem congregationem non facit. Quare Ecclesia duos ad minus, aut tres fideles requirit. Ita Bellarminus in controv. de Ecclesia, libro 3, cap. 17, Dominicus Bannes 2 2. q. 1 super articulum d. Thomae, dubio 1 in respons. ad 3 fusius id tractat.

Auctoris sententia.

Neminem reprehendo, sed fas mihi sit quod meo proposito accommodatum est sentire. Crediderim a prima opinione non tam facile recedendum propter tot, tantorum patrum auctoritatem, et totius Ecclesiae consensum, quae id communiter praedicat. Certum est apostolos tempore passionis Christi vacillasse, quoniam Petrus eum negavit, alius discipulus a longe secutus est, ceteri terga verterunt, mulieres a longe steterunt.

Fidem igitur et Ecclesiam in duplicem considerationem distinguendam puto. Fides alia est implicita, alia explicita. Ecclesia quoque quae est corpus Christi mysticum, habet membra quaedam viva interne per fidei assensum et caritatem, et externe per fidei confessionem capiti suo unita: quaedam vero mortua externe solum capiti Christi coniuncta.

Fides igitur explicita tempore passionis Christi in sola Beata Virgine remansit, eaque firma, stabilis, excellens, qualem nec Magdalena habuit, de qua Matth. 27, 55, et 56 legitur, quod a longe cum aliis mulieribus stetit. Beatissima autem Virgo *stetit iuxta crucem*, quod constantem, et ardentem significat.

Similiter et Ecclesia quoad membra viva interne, et externe capiti suo unita, in illo triduo in sola Virgine mansit. Illa enim sola, ut per fidei assensum explicitum, et per caritatem, et per fidei confessionem Christo unita fuit. Apostoli autem eo tempore, relicto Domino, fugerunt; et sic omnes quoad externam unionem, quae est per fidei confessionem, et externam communionem in Ecclesia esse desierunt, sed in communione saltem interna, quae est per fidei assensum, in Ecclesia remanserunt (1).

Insuper sabbatum in honorem Beatissimae Virginis colitur ob 17
martyrium mentis quod illo die pertulit. Si enim dies ille quo martyr pro Christi nomine sanguinem suum fudit, singulis annis in eius honorem colitur, quidni colatur in honorem Deiparae dies ille, qua Christi corpus in sepulcro iacebat exanime, et ipsius Virginis anima tam acerbi doloris gladio transfixa fuit, ut plusquam martyr a sanctis patribus vocitetur?

Ultimo tandem sabbatum in honorem Beatissimae Virginis co- 18
litur ob sabbatum quod in ea Christus celebravit. *In patibulo*, inquit Bernardus serm. 1 Paschae, *sexta feria redemit hominem, ipso die quo fecerat hominem initio: sequenti die sabbatizavit in monumento, consummato opere quod fecerat.* At Christus longe praestantius in nostrae redemptionis opere in utero Virginis sabbatizavit, quam in illo monumento in quo conditus fuit.

Uterus B. Virginis cum illo sepulcro habet nedum convenien- 19
tiam, verum et excellentiam. Convenientiam quidem. 1. Sepulcrum illud, ut ex sacra evangelii historia discimus, fuit novum:

Sepulcri Christi

(1) Durum videtur asserere omnes prorsus discipulos per externam communionem desiisse esse in Ecclesia: si hoc verum est, etiam dicendum quod Ecclesia tunc defecit, nam cum sit visibilis, non potest constare membris invisibilibus, eis scilicet qui tantum interne, non etiam externe sunt capiti coniuncti, nec una persona, nempe B. Virgo Christo externe et interne coniuncta constituit Ecclesiam. Et re quidem vera nonne etiam externe erant Christo coniunctae illae mulieres, quae simul cum eius SS. Matre stabant iuxta crucem, ut narrat s. Ioannes? nonne Ioannes ipse iuxta crucem stando etiam externe confitebatur Christum, et ob id meruit esse divinae Matri loco filii? quid dicam de bono latrone, qui de cruce tam constanter, publice, externe, explicite confessus est Christum, et ob id a multis numeratur inter martyres? quid de Ioseph ab Arimathaea, qui audacter petiit a Pilato corpus Iesu, et Nicodemo, qui duo publice coram omnibus ponentes Iesum in monumento nonne externe confessi sunt? Melius ergo videtur dicendum illa candela quae sola reservatur accensa in candelabro triangulari significari fidem explicitam resurrectionis Christi in triduo passionis remansisse solum in B. Virgine. Constat enim ex evangelio quod ceteri omnes de ea dubitaverunt, nec crediderunt nisi convicti multis argumentis, quibus Christus praebuit eis seipsum vivum; nec ob id perdiderunt fidem, et exciderunt ab Ecclesia, non enim tunc tenebantur credere explicite resurrectionem, quae nondum erat legitime promulgata. Ita Abulensis in quaest. 14 Prolog. sup. 1 Matthaei, et Bellarminus Controv. t. 2, in lib. 3 de Eccl. milit. c. 17. *Editor.*

Digitized by Google

Cum utero B. Virginis novem convenientiae.

B. Virgo Maria fuit nova tum propter illibatam virginitatem voto obsignatam, tum propter vitam maculis veteris Adam minime contaminatam.

2. In illo sepulcro, in quo tumulatus fuit, nondum quisquam positus fuerat: in utero Virginis nemo mortalium nec ante, nec postea conceptus est.

3. Sepulcrum illud excisum fuit de petra: B. Virgo petra erat purissima atque durissima tum propter invictam contra daemonum impressiones fortitudinem, tum propter in rebus adversis constantiam. Unde Isai. 16, 1 de ea dicitur: *Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terrae de petra deserti.*

4. Sepulcrum illud studio Iosephi ab Arimathaea sigillo, et militum iudaeorum custodia munitum erat: uterus virginalis Iosephi sponsi sui sanctissimi obsequio, et angelorum coelestium militum excubiis vallatus fuit.

5. Sepulcrum in horto extructum erat: Beatissima Virgo coelestis sponsi hortus amoenissimus est, ubi sanctarum cogitationum, verborum utilium frondes odoriferae, sacrarum operationum fructus dulcissimi ac suavissimi crescunt. Inde Cantic. 5, 1 eum ad se invitans, ait: *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum.*

6. Sepulcrum illud prope Ierosolymam et locum crucifixionis erat: Beatissima Virgo prope Ierosolymam, et locum passionis erat. Nam quamvis in utero Filium gestaret, iugi tamen memoria passionis dominicae quam ex Scripturis sacris praenoverat, et perenni coelestis Ierosolymae recordatione vicinam se mysteriis ac locis illis exhibebat.

7. In illo sepulcro linteamina munda inventa sunt, in quibus Christus Dominus passionis suae, nimirum verberum, sputorum, spinarum sanguinis, et cicatricum vestigia impressit. In B. Virgine purissimae conscientiae munda linteamina reperiuntur, in quibus dulcissimi Filii cruciatus, quos revelatione praecognitos assidue secum ipsa revolvebat, impressi videntur.

8. In illo sepulcro Christi corpus aromatibus myrrhae, et aloes conditum fuit: in Virgine myrrha mortificationis, et aloes humilitatis, ac ceterarum fragrantissimarum virtutum, quae omnem putredinem peccati longe arcent, inventa sunt.

9. Sepulcrum Domini gloriosum frequenti variarum gentium concursu colitur: Virgo Sanctissima ab omnibus gentibus beatissima praedicatur. Cant. 6, 8: *Viderunt eam filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt.* Quod nec ipsa quidem Deipara, quamvis humillima, reticuit, Luc. 1, 48: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Si igitur sabbatum quo Deus ab opere creationis sabbatizavit, Iudaeis solemne erat, sabbatum, quo Christus post opus redemptionis in sepulcro requievit, quotannis in Ecclesia solemnizatur, quanto magis sabbatum in quo ante redemptionem requievit, coli et sanctificari debet.

Scio d. Ambrosium serm. 2 de Parasceve maiorem quamdam gloriam tribuere sepulcro Christi, quam utero virginali. *In utero,* inquit, *natus est ad praedicandum, in sepulcro revelatum est ad evangelizandum. Gloriosior est ista quam illa nativitas; illa enim corpus mortale genuit, haec edidit immortale; post illam nativitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad coelos.*

20
Uterus Virginis simpliciter nobilior est sepulcro Domini.

Haec tamen ex parte (vel, ut schola loquitur, secundum quid) nobilitas est. Simpliciter autem virgineus Deiparentis uterus gloriosior videtur. 1. Sepulcrum illud lapideum erat et inanimatum: uterus Mariae sepulcrum animatum. 2. In illo sepulcro corpus Christi exanime iacuit; in isto vivum requievit. 3. In illo solum tres dies Christus mansit: in isto novem integros menses delituit. 4. Ex illius sepulcri materia Christus nihil sibi univit; ex virginalis uteri materia purissimi sanguinis partem ad unitatem hypostasis assumpsit. 5. De sepulcri substantia Christus nihil in suam substantiam convertit; de substantia autem Virginis, hoc est, de virgineo eius lacte alimentum suscipiens magnam eius partem in substantiam suam convertit. 6. In sepulcro Christus iacens, nec sibi, nec nobis merebatur, nam doctor angelicus quaest. 19 de verit. art. 6 docet: *Meritum Christi usque ad mortem perdurasse*; in utero autem virginali et sibi gloriam corporis promeruit, et nostram salutem inchoavit. *Operatus est salutem in medio terrae,* id est in virgineo utero.

Merito igitur sabbatum in honorem Virginis colitur. Quare permulti hunc diem in honorem Deiparae Virginis ieiuniis, vigiliis, aliisque carnis afflictionibus, ac piis operibus coluerunt, et condecorarunt, de quibus in discursu, qui sequitur.

DISCURSUS CCXXXIII

DE IEIUNIIS, MORTIFICATIONIBUS ALIISQUE CORPORIS AFFLICTIONIBUS IN HONOREM DEIPARAE EXHIBITIS

1
Ieiunantium in honorem B. M. Virginis series.

Inter obsequia quae populus fidelis Beatissimae Dei Genitrici offerre solet, est in eius honorem carnis mortificationes sponte suscipere. Non autem mediocris est devotio haec, siquidem non dignior sanctis litatio, quam sanctorum imitatio, ut superius in hoc epitheto monstravimus. Et licet universe in rebus omnibus B. Virgo abstinentiam coluit, maxime tamen a cibis et deliciis abstinuit, ut in epitheto *Speculum iustitiae* inferius probabimus, cum de Mariae abstinentia agemus. Quisquis igitur corporis afflictiones, et abstinentiam in honorem B. M. Virginis sponte suscipit, eius vitae, ac instituto maxime se conformat. Refert s. Bonaventura cap. 3 medit. de vita Christi, D. Virginem cuidam personae sibi devotae, quam ipse putat s. Elisabetham, haec verba dixisse: *Filia, dico tibi, quod nullum gratiae donum, vel virtutum habui a Deo sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda devotione, et multa afflictione, ... excepta sanctificatione, qua sanctificata fui in utero matris.* Et paulo post addit: *Pro firmo scias, quod nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem et corporis afflictionem.* Afflictiones autem corporis sunt ieiunium, cilicium, disciplinae, vigiliae, humicubationes, peregrinationes et his similia.

Carnis afflictio pro acquirenda Dei gratia.

2
Ieiuniorum dies in honorem B. M. Virginis.

Virginem igitur Deiparam carnis afflictionibus honorant, qui ieiunium in pervigiliis festorum eius, vel sabbato ipsi dicato, vel die hebdomadae, in quem annuntiationis eius festum, quando Mater Dei est effecta, eo anno incidit, vel feria quarta Virgini de monte Carmelo dicata, vel alia die pro cuiusque devotione faciunt.

Ieiunantes in honorem B. M. Virginis.

Hoc obsequium Sanctae Dei Genitrici complures vitae sanctimonia, et natalium gloria fulgentes praestiterunt. In primis s. Franciscus, vitae sanctitate conspicuus, in honorem D. Virginis a festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli usque ad festum assumptionis eiusdem Deiparae devotissime ieiunabat, ut s. Bonaventura c. 9 vitae eius testatur.

Sanctus Hyacinthus Ordinis nostri, et Poloniae splendor, omnes sextas ferias, et vigilias B. V. Mariae solo pane et aqua contentus ieiunabat.

S. Nicolaus tolentinas, multis virtutibus clarissimus, secunda, quarta, et sexta feria in honorem B. M. Virginis ieiunabat. Sabbato semel tantum solo pane et aqua contentus cibum sumebat. Idem fere fecisse leguntur sabbato, et festorum B. M. Virginis pervigiliis s. Didacus Ordinis sancti Francisci, s. Carolus Borromaeus cardinalis, s. Elisabetha, s. Engelbertus, b. Dorothea Prutllena, b. Radegundis, b. Philippus et alii multi, ut eorum acta testantur.

Imperatorum et regum huiusmodi exempla audimus. Fridericus III imperator pridie assumptionis B. M. Virginis a cibo et vino abstinuit. Cuspinianus de eo.

Alphonsus Aragoniae rex in vigiliis Beatae Virginis solo pane et aqua contentus diem transigebat. Panor. libro 4 de gestis eius.

Eduardus Angliae rex in B. Virginis cultum sabbatis singulis pane et aqua contentus ieiunabat. Tradit Bzovius tomo 13 ad annum 1278.

Ferdinandus Lusitaniae princeps quovis sabbato, et qualibet vigilia festorum Deiparae in aqua et pane ieiunabat. Vasconcellus de eo.

S. Elisabeth Lusitaniae regina, ab Urbano VIII in divos relata anno Domini 1625, non solum in pervigilio assumptionis, sed et per quadraginta ante festum ipsum dies ieiunabat cibis utens quadragesimalibus. Quod idem factitabat in singulis vigiliis festorum Deiparae, ut et singulis sextis feriis, ac sabbato pane tantum et aqua vitam tolerabat. Perpinianus orat. 1 in eius laudem.

Walterus de Vibrach miles strenuus, cum adhuc in saeculo degeret, omnium solemnitatum Deiparae vigiliis ieiunabat, ac pane tantum et aqua vescebatur, et saepe etiam hoc faciebat, ob reverentiam sabbati; postea cisterciensem Ordinem complexus sancto fine quievit. Caesarius lib. 7, c. 39.

3
Ieiunium in hono-

Porro quam grata sit et accepta B. Virgini haec carnis mortificatio per ieiunium, beneficiis huiusmodi devotis hominibus

rem B. M. Virginis quam sit ei gratum. Sabbatum ieiunare in honorem B. M. Virginis quam salutare sit, exemplis probatur.

praestita testantur. Quidam latro diem sabbati a quodam cisterciensi monacho ieiunare doctus, ieiunando in morte contritionem peccatorum, post mortem vero honorificam sepulturam a B. Virgine promeruit. Capite enim plexus, et extra urbem sepultus, nocte sequenti e quinque matronis candelas novem accensas in manu habentibus, et a quinta omnium clarissima funus comitante estumulatus, feretro purpura mirae texturae cooperto imponitur, spectantibus civitatis custodibus, qui a Deipara Virgine missi episcopum civitatis adierunt, eumque ipsius nomine monuerunt, ut suum capellanum (sic enim a B. Virgine latro ille vocatus est) in loco ecclesiae sepeliret. Episcopus cum clero ac populo in eum locum veniens corpus latronis estumulatum, caput quod erat ab humeris avulsum, corpori unitum, in feretro purpura cooperto decenter depositum invenit, honorificeque in loco designato sepelivit. Unde vix in ea provincia adultus fuit, qui exemplo latronis in honorem Virginis sabbatum non ieiunarat. Narrat Caesarius lib. 7, c. 19.

4 Alius quispiam latro suasu cuiusdam mulieris ad ieiunium die sabbati in honorem B. M. Virginis perductus, in silva deprehensus, iam decollatus, confessionem, confessionem, confessionem clamare coepit. Sacerdos venit, caput abscissum corpori univit, confessionem latronis excepit, qui inter alia confessus est se nihil boni in vita fecisse, nisi diem sabbati in honorem B. M. Virginis ieiunasse, quae in hora exitus sui adfuit, et animam eius de corpore exire non permisit, donec contritus, et plene confessus esset, ut damnationem evaderet. Pelbartus in stellario, lib. 12, p. 2, art. 3.

5 Non absimile apud beatam Birgittam libro 6 revelationum eius, cap. 39 legimus; ubi vir quidam ad tribunal Christi perductus, a Deipara Virgine strenue defensus legitur, eo quod in vigiliis festivitatum eius ieiunare, officium eius recitare, honorem Deiparae decantare solebat.

6 Cilicii quoque gestatio gloriosae Dei Genitrici honorifica et grata legitur. S. Thomas cantuariensis, licet et aliis diebus, praecipue tamen die sabbati in honorem Virginis cilicium gestabat, huius devotionis accepit praemium, quod B. Virgo eius conspectui se dans, eum in resarciendo eodem cilicio adiuvit. S. Antoninus 4 part. tit. 15, c. 2, par. 2.

Cilicii gestatio in honorem B. M. Virginis.

7 Ultimo ad ieiunium, aliasque carnis afflictiones, et mortificationes spectat, interiores animi passiones, cuiusmodi sunt iracundiae, superbiae, ambitionis, in honorem Deiparae Virginis coercere, carnis illecebras fugere, alienos defectus patienter ferre, suos non excusare, in vestibus et cibis humilitatem, omni fastu et luxu remoto, sectari, in operibus vilibus et abiectis se exercere. Haec enim Virgini gratissima esse, miracula et beneficia ostendunt, quae superius narravimus. Unum adhuc addere libet.

8 Cum quidam chartusianus vitae sanctitate praeditus, Christo et B. Virgini valde devotus, a turba daemonum in specie porcorum eidem nocte apparentium horribilem in modum exagitatus esset, ipsa Virgo Sanctissima eidem apparens eum defendit, institutum vitae laudavit, et hoc in mandatis dedit: *Studio vilibus escis, operi manuum devotus insiste, amplectere abiectas vestes.* Petrus Cluniacensis libro 2 miraculorum, et Vincentius Bellnacensis lib. 7, cap. 112. Unde colligimus quam gratum sit Deiparae escarum, et vestium vilium obsequium. Pergamus ad alia obsequia, puta peregrinationes, sacrificia et vota.

DISCURSUS CCXXXIV

PEREGRINATIONES AD LOCA SACRA IN HONOREM DEIPARAE VIRGINIS A FIDELIBUS RECTE INSTITUI MAIORUM EXEMPLIS, ET SCRIPTURAE SACRAE AUCTORITATIBUS PROBATUR, ET HAERETICORUM NAENIIS SATISFIT.

1 Peregrinationes ad carnis mortificationem, et afflictionem, simulque cultum Deiparae Virginis spectare, cum in eius honorem suscipiuntur, nemo unquam dubitavit. Soli novatores huiusmodi peregrinationes odio habent, eas non solum voluntarias, puta in Scriptura fundamentum non habentes, sed etiam inanes, vanas, et impietate manifesta plenas appellare non formidant. Ioannes Calvinus lib. 4 instit. cap. 13, par. 7, id conceptis verbis asserit, quod non aliter probat, quam communi suo illo axiomate: *Quod omnis voluntarius cultus Deo displiceat.* Quod venenum sumpsit a priscis haereticis, Claudio Taminensi, Petrobrusianis, Wiclefistis, et aliis similibus farinae hominibus. Erasmus Roterodamus eodem toxico plenus ante Calvinum easdem sacras peregrinationes impugnabat, cuius ratiunculae in praesenti discutientur, et explodentur.

Calvinus peregrinationes impugnans.

Nos peregrinationes ad loca sacra in honorem Deiparae Virginis susceptas, maxime Lauretum, Cestochoviam, et alia loca quamplurimis miraculis, ac divinis beneficiis clarescentia, dicimus, et profitemur esse religionem, hoc est, cultum Dei rationi valde conformem, Deo, Deiparae ceterisque sanctis summe acceptum. 2

Peregrinatio laudatur.

Non eam reputamus voluntariam, ut Calvinus adstruit. Nam voluntarius cultus dicitur is, qui sine ratione suscipitur, ut si quis voveat se non iturum ad mensam, nisi bis laverit manus, quod nec ad laudem Dei, nec ad voventis utilitatem pertinet. At peregrinatio non est huiusmodi; cedit enim in honorem Dei, et sanctorum. Per hoc enim quod quis ad loca sacra pergit, manifeste indicat, se Deum, ac gloriosissimam eius Genitricem, necnon sanctos magnificare, quorum causa tantum laborem, tot expensas, tanta denique pericula itinerum sponte suscipit, ut reliquias eorum, vel imagines inviset, adoret, exosculetur, vel tangat. Secundo peregrinatio est opus poenitentiae, et satisfactionis, quia laboriosum et poenale. Peregrinus enim macerat carnem propriam subtractione delectabilium, ut lecti, cibi, amicorum, voluptatis uxoriae, commoditatum, domesticorum, a quibus se abstinet. Ulterius labores, ac fatigationes in ipso itinere sustinet, frigora, aestus, famem, sitim, vigilias, humicubationes, ventorum, pluviarum incommoda patitur, pericula, timores, mendicantium opprobria suffert; quae sane sunt optima pars poenitentiae, et non incongrue possunt appellari crux Christi, cum quispiam religionis ergo peregrinationem suscipit. Tertio peregrinatio auget devotionem. Quis enim v. g. ad Terram sanctam proficiscens tam hebes est, ut cum aspexerit locum illum, quem Christus sua nativitate sanctificavit, quem divinis suis pedibus calcavit, quem sermonibus, sudoribus, lacrymis, suspiriis, quin et sanguine pretioso irrigavit, non inflammetur, non ardeat, non convertatur? Certe Maria aegyptiaca peccatrix ibi conversa est, ubi per 47 annos sine cibo, in oratione, et lacrymis sanctissimam vitam egit. Testis oculatus est Zosimus, qui eius vitam scripsit. Et s. Paula romana Bethlehem ingressa, et in specum Salvatoris iurabat cernere se oculis fidei infantem pannis involutum vagientem in praesepio, Dominum magos adorantes, stellam fulgentem desuper, Matrem Virginem, pastores nocte venientes, ut viderent Verbum caro factum, ac mixtis gaudio lacrymis loquebatur: Salve Bethlehem, domus panis, in qua natus est ille panis qui de coelo descendit. Salve Ephrata, regio uberrima, cuius fertilitas Deus est. Ita s. Hieronymus in epitaphio Paulae. Quis Romam veniens et cernens urbem illam sanctam, et gloriosam, quae inter omnes urbes velut caput in corpore, velut sol inter astra effulget: calcans terram illam quam apostolorum diva vestigia presserunt, quam tot torrentes sanguinis martyrum irrigarunt: admirans totius Ecclesiae militantis Capitolium, quod sol doctrinae verae catholicae, et apostolicae ab ipso Christo traditae illustravit, et toti mundo spectabilem fecit, quod ipse Doctor gentium admiratus est, cum scriberet: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo*, Rom. 1, 8, non moveatur, non inflammetur, non incalescat? Quis lauretanam Virginis aedem, in qua *Verbum caro factum est*, sine compunctione ingredi valet? *Tantum*, inquit Tursellinus, *mortalium animis Deus inspiravit huius aedis religionem, ut quicumque ad eam accedunt, non tam ad aedem Virginis quam ad ipsam Virginem sibi accedere videantur. Hinc divinus ille omnium pectoribus incutitur horror ad sacrosanctae aedis ingressum: hinc inde abeuntibus iniicitur eius visendae desiderium: hinc nobilis illa perditorum profligatorumque mentium in diversa mutatio.* Ut taceam alia plurima sacra loca Deiparae Virgini dicata, maxime in Polonia, Clarum-montem apud Cestochoviam, villam Gidle, Socalium, Lesaysceum, etc. quo populi fideles certatim confluunt, gratias, favores, ac beneficia nedum in corporibus, verum et in animabus a Deo per intercessionem B. Virginis recipiunt. Ibi quamplurimi verae fidei, poenitentiae, caritatis, humilitatis, religionis testimonia edunt luculentissima. Nemo tam ferus, nemo tam flagitiis, ac sceleribus coopertus, qui in illis locis molliri pectus suum non sentiat. Ibi haeretici impietatem abiurant; catholici a multis annis peccata commissa confitentur, et poenitentia eluunt. Taceat ergo praesumptuosa vox,

3 Peregrinatio non est cultus voluntarius, sed religiosus.

Peregrinantium incommoda.

Ierosolymitana peregrinatio laudatur.

Romae encomium.

Lauretanae domus encomium.

Polonorum loca sacra ad quae peregrini confluunt, quam salutaria.

peregrinationes sacras cultum voluntarium, hoc est sine ratione esse.

4 Peregrinationes veterum.

Hinc multi viri sancti ad loca sacra passim peregrinationes suscipiebant, uti s. Nicolaus, et s. Gaudentius episcopi Ierosolymam, Sidonius Apollinaris, et Carolus magnus imperator Romam ad limina apostolorum, s. Epiphanius ad sepulcrum Ezechielis prophetae, ut acta eorum, vel ipsimet scriptis suis testantur. Taceo peregrinationes romanas Ludovici Galliae, Richardi Angliae regum, et nobilissimarum matronarum Helenae, Eudoxiae, Paulae, Melaniae. Hinc illa d. Hieronymi epist. ad Paulinam vox: *De tota urbe huc concurritur.* Ut omittam veterum peregrinationes in Seleuciam ad templum Teclae virginis, et martyris: in Africam ad sacra pignora s. Stephani protomartyris: in Campaniam ad templum s. Felicis: in Galliam ad s. Martinum: in Cappadociam ad 40 martyres: in Galliciam ad s. Iacobum: in Apuliam ad s. Michaelis cryptam: in Siciliam ad s. Agatham, de quibus nemo ignorat, qui in veterum scriptis versatus est.

5 Ex sacra Scriptura peregrinationes probantur.

Praeterea, si peregrinationes ad loca sacra vanae sunt, cur Deus instituerет, ut omnes filii Israel ter in anno ad tabernaculum vel templum Domini peregrinarentur? Deuter. 16, 16. Cur praeceptum istud Helcana, et uxor eius Anna studiose observarent? 1 Reg. 1, 7. Cur Christus ipse cum Matre sua dulcissima, et s. Iosepho a Nazareth Ierosolymam iret, Luc. 2, 42, et Ioan. 12, 20, si hoc Deo minime gratum putarent? cur etiam Gentiles adorare venirent Ierosolymam, propria regione relicta, uti fecit eunuchus aethiops, Act. 8, 28? cur d. Paulus festinaret itinera, ut faceret Pentecosten in Ierusalem, Act. 20, 16, si hoc vanum, voluntarium, et Deo minime gratum crederet? Facessant igitur haeretici.

6 Peregrinatio sacra Deo grata.

Peregrinationum cultus in honorem Deiparae exhibitus est Deo summe gratus, cum cedat in honorem eius non mediocrem. Est enim manifestum signum Deum ac B. Virginem a nobis magnifieri, cum laborem, et pericula itinerum sponte suscipimus, visitando illa loca in quibus specialiter per gratiam, ac raram munificentiam Deus inhabitat, et in quibus ut plurimum fit beneficus.

7 Obiectio haereticorum diluitur.

Nec obstat quod haeretici obiiciunt. Nihil invenire possumus Ierosolymis, Romae, Laureti, Cestochoviae, etc. quam in nostra regione, cum Deus non magis sit illic, quam hic, vel alibi. Licet enim Deus ubique sit, quaedam tamen loca specialiter sibi seligit, velut misericordiae curias, in quibus ut plurimum potentiae suae miracula, et bonitatis illustriora argumenta ostendit. Unde inadeuntium mentes magis ad Deum afficiuntur, attolluntur, ad devotionem magis inflammantur, cum perpendunt, v. g. in Palaestina Christum natum, educatum, eum ibi vixisse, docuisse, miracula patrasse, loca illa peragrasse, mortuum esse, resurrexisse, illinc in coelum ascendisse. Romae principem apostolorum mansisse, praedicasse, sanguinem pro Domino fudisse, ibidem innumerabiles martyres pro Domino occisos esse, ibidem Solem doctrinae verae, catholicae, apostolicae fulgere. Laureti in illa aedicula Verbum caro factum esse, ibi tot miracula, curationes, aliaque beneficia homines percipere. Et sic de aliis piis, et sanctis locis.

8 Loca humilia Deus ad patranda miracula eligit.

Porro ille genius Dei Opt. Max. nota magna dignus est, quod in locellis, in aedibus parvis, et humilibus, vel ruinosis maxime gratiam, ac munificentiam suam ostendit. Testis aedicula Portiunculae in Italia; testis Halla in Belgio urbecula, deinde Sichimorum, seu Aspricolis; testis illa in Hannonia s. Mariae cerviorum; testis in vicinia eiusdem Divae aedes tongrensis, et sacellum eiusdem cameracense; testis illa in Polonia nostra Cestochovia urbecula, Gidle villula, Lesnyscum, Sierpsium, Socalium, oppidula solis imaginibus Deiparae Virginis Mariae clarissima, ingenti miraculorum vi conspicua. Talis, immo exilior

Lauretanae aedis encomium.

a principio fuit aedes lauretana, nunc autem quibusvis basilicis regum, et palatiis principum longe praeclarissima. Haec inter aedes D. Virgini sacras, quae frequentia populorum clarescunt, primas tenet. Ad illam enim ex omni natione quae sub coelo est, conveniunt populi tanquam ad fontem curationum, et miraculorum omnium officinam, ibique vota sua Deo offerunt in honorem Mariae; alii ex auro, alii ex argento insculptas imagines appendunt; alii oculorum, alii pedum, alii manuum simulacra, alii alia munera offerunt ad memoranda beneficia a B. Virgine accepta. Ipsum videre est in aliis orbis christiani partibus. Vix est provincia, regnum, civitas, quae aliquam imaginem D. M. Virginis non habeat, quam frequentior concursus non honoret, eique vota sua non offerat; testes sunt tabulae auro, vel argento, vel aere sculptae, aut pictae imagines ante altaria B. Virginis variis miraculis coruscantes appensae.

Piaculum esset praeterire, et non refutare, quae peregrinomastix Erasmus contra peregrinationes piorum praecipue ad loca D. Virgini sacra effutivit in libello, cui titulus: *Peregrinatio religionis ergo.* Arguitur primo, opes quae in honoraria Beatae Virginis, et aliis sanctis expenduntur, in egenos melius collocari. Secundo, posse B. Virginem, et divos etiam alibi exoratos petita praestare. Tertio, absentiam maritorum tam diuturnam uxoribus periculosam esse. Cum enim custos pudicitiae maritus abest, facile earum pudor periclitari potest. 9 Erasmi commenta contra peregrinationes sacras et vota fidelium.

Verum haec stulta commenta facile exsufflantur. Primum simile est illi commento Iudae qui pauperum curam praetexebat, inquiens: *Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, et datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens,* ea *quae mittebantur, portabat,* Ioan. 12, 5, 6. Ad eundem modum haeretici murmurant: quaeritant ecclesias construi, donariis ditari, vasis aureis, argenteisve ornari, seu ceteris pretiosis illustrari. Quorsum, inquiunt, ista? cur non in pauperes? cur non in rempublicam, et milites? Verum non propterea hoc dicunt, quod pauperum, seu reipublicae curam habeant, sed quia in domibus suis ea habere vellent. Quot gazas, quot donaria, quot sacra vasa aurea, argentea haeretici ex ecclesiis rapuerunt, et tamen ea in pauperes non impenderunt, et in proprios usus converterunt? Ulterius; an non melius est templa, aut templorum imagines donis honorare, quam lupanaria, et meretrices? Quasi vero non in aleas, convivia, in hastiludia, in voluptuarias spatiationes plura a plerisque profundantur, quam in sumptus eiusmodi itinerum sacrorum. Tot olim sanctuaria Domini erigendo ab Israelitis collata, ut iusserit Moyses praeconis voce cantari: *Nec vir, nec mulier quidquam offerat ultra in opere Sanctuarii,* Exod. 36, 6; et hodie datur vitio christianis, quod itinera sacra suscipiendo, vota sacra appendendo aliquales expensas faciant. 10 Ad primum.

Sed oggauniunt, sanctos his honorariis non egere. Nec etiam damus honoraria divis velut egentibus, sed velut honorandis. Qui olim hircos, oves, boves Deo in sacrificium offerebant, non ei hoc quasi indigenti praestabant, sed iis velut Dominum honorabant. Idem hodie christiani faciunt, cum honoraria Deo in templis offerunt. Deinde haec honoraria ornamento et fulcimento templis sunt; ex illis nedum parietes templi inanimati, sed et ipsa animata templa, nimirum inopes altaris ministri reficiuntur et sustentantur. De altari enim vivere debent, qui altari serviunt, sensu vel ipsius magni apostoli Pauli. Denique templa, et sacella veteri decreto Urbani papae pauperum patrimonia sunt. 11 Obiectio haereticorum.

Secundum ita expedio. Certum est divos posse etiam alibi exoratos petita praestare. Sed, ut iam ostendimus, Deus quaedam loca specialiter sibi deligit, in quibus gratiae miracula ostendit. Si enim omnis locus aeque sanctus est, cur Abrahae dixit Deus: *Offeres Isaac super unum montium quem dixero tibi,* Genes. 22, 2? cur Iacob de Bethel dixit: *Vere Dominus est in loco isto,* Genes. 28, 16? cur Moysi de rubo ardente aiebat Deus: *Locus in quo stas, terra sancta est,* Exod. 3, 5? cur Iudaeos ter quotannis in Ierusalem ad sacrificandum sibi convenire iubebat? Deut. 16, 16. Volebat nimirum Deus aliqua loca habere, in quibus specialiter ab hominibus coleretur. Ad eundem modum hodie loca quaedam particularia habet, in quibus per intercessionem divorum, et maxime Genitricis suae, specialia beneficia hominibus confert. 12 Ad secundum.

Tertium ita resolvo. Miror haereticos tam sollicitos custodiae, pudicitiaeque uxorum esse. *Diuturna,* inquiunt, *maritorum absentia uxoribus periculosa est.* Scilicet, semestris vel aliquando brevior absentia in pia profectione uxori periculosa est; et unius anni, vel aliquando plurium, in extremo vel Oriente, vel Occidente, vel bellorum, vel commerciorum causa absentia ipsorum periculosa non erit? Aurum forsan orientale, et lucrum uxores castiores reddet, quam pietas, atque religio? Impia bella maritorum facient uxores pias; et pia vota de peregrinationibus ad B. Virginem vel alium quempiam sanctum easdem reddet impudicas? Proh capita stupida et insana! Fateor in peregrinationibus plures abusus irrepere, sed hi rem sacram et piam non magis contaminant, quam radius solis lutum, vel sterquilinium, quos recipit. Porro modum, seu praxim visitandi, et obeundi loca D. Virgini dicata fuse, pie, ac docte tradit Franciscus de la Croix 13 Ad tertium.

Digitized by Google

Societatis Iesu in libello, cui titulus est: *Hortulus Marianus.* Nos institutum nostrum prosequamur.

DISCURSUS CCXXXV

AN FAS SIT IN HONOREM GLORIOSAE DEI GENITRICIS MARIAE MISSAE SACRIFICIA OFFERRE, ET VOTA NUNCUPARE

1 Missae sacrificium licet soli Deo offeratur, sicut et ipsi soli templa, et altaria eriguntur, nihilominus sicut in memoriam sanctorum templa, et altaria erigimus, ita quoque sacrificia in eorundem memoriam recte offerimus, ut de eorum victoriis immensas Deo gratias agamus, eorumque patrocinia imploremus. Est quippe beneficium singulare, quod fratribus nostris Deus eam gratiam contulerit, ut mundum, et satanam superaverint, et post eam victoriam gloria et honore eos coronaverit. Quare dignum est, ut sacrificia offeramus ad agendum Deo gratias pro victoria et triumphis sanctorum, et per hoc etiam sanctos ipsos in sacrificio cum honore, et exultatione nominemus. Iustum quoque est ut in sacrificiis illorum patrocinia imploremus, ut quando nos ipsi meritis nostris parum fidimus, memoria ac legatione eorum protecti per eos ad Deum accedere tremendo ac sacro hoc munere defuncti audeamus. Libet ea quae diximus sacrosancti Concilii tridentini verbis obsignare, quod sess. 22, cap. 3 ita docet: *Et quamvis in honorem, et memoriam sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium afferri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit, unde nec sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo, de illorum victoriis gratias agens eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris.* Cum itaque B. Virgo Maria prae aliis sanctis maiori gloria et honore a Deo sit coronata, potioribus victoriis de mundo, carne, et satana sit potita, praecipuaque sit Dei beneficiaria, et eius patrocinia sint multo efficaciora, merito in eius memoriam missas frequentius celebramus, in quibus de eius victoriis, ac beneficiis per eam nobis collatis Deo gratias agimus, eiusque patrocinia imploramus.

Missae in honorem B. M. Virginis quatenus celebrantur.

2 Porro, quam sint Deo grata, et Beatissimae Virgini accepta huiusmodi sacrificia, gratiae, favores, miracula sacerdotibus, et aliis in hoc genere devotis exhibita luculenter testantur. Narrabo nonnulla ex Caesario libro 7 exemplorum.

3 Quidam sacerdos nullam aliam missam, nisi de B. Maria Virgine celebrare sciebat, et eam quotidie celebrabat, ob eam causam a s. Thoma cantuariensi episcopo ab officio suspensus fuit. Graviter ea poena sacerdotem afflixit; quare assiduis precibus B. Virginem implorabat, ut sibi opitulari dignaretur. Apparet ei Regina coeli, et ad s. Thomam eum mittit, quatenus suo nomine illi diceret, ut officium sacerdotale sibi ablatum restitueret, hoc ei signum dans, quod tali loco, et hora s. Thomam in cilicio resarciendo ipsa Virgo adiuvarat. Quo audito s. Thomas fidem sacerdoti habuit, eique praecepit, ut in posterum nonnisi de Beata Virgine Maria celebraret, atque pro se oraret. Caesarius libro 7 exemplorum.

Missae de B. M. Virgine eidem quam sint gratae.

4 Aliud non dissimile idem Caesarius eodem capite 7 narrat. Sacerdos quidam idiota cuiusdam parochi vicarius, in dominica infra octavam Epiphaniae missam de B. M. Virgine celebrabat, eo quod aliud dici officium ignoraret; ea de causa a parocho eiectus est. Cum itaque sacerdos ille egere coepisset, ipsa Virgo parocho minaciter praecepit, ut capellanum suum iterum reciperet. Quare ad eandem ecclesiam iterum est admissus.

5 Magis mirabile est, quod ex eodem Caesario Bzovius noster circa annum Domini 1211, num. 11 narrat. Cum, divo Dominico incentore, multi catholicorum contra Albigenses fuissent signati, et plurima ab iisdem haereticis perpessi, duo honesti clerici per terram illorum transeuntes, cum ecclesiam in via vidissent desolatam, ait unus alteri: Sabbatum est, intremus ecclesiam hanc, dicamusque missam in honorem Dominae nostrae; deferebant enim secum librum, calicem, et sacerdotalia indumenta. Antequam missam peregissent, haeretici Albigenses ecclesiam invaserunt, et sacerdotem Dei hostiam immaculatam ad altare offerentem comprehensum foras traxerunt, et linguam ei radicitus absciderunt. Hunc socius multo labore Cluniacum deducens monachis commendavit, qui illi omnem humanitatem exhibuerunt, uti sacerdoti pro nomine Domini, et honore Beatae Virginis mutilato. Nocte igitur quae festum Epiphaniae praecedit, cum monachi vigilias solemnes decantarent, ille sacerdos ante altare B. M. Virginis devotius orabat. Apparet ei benigna Mater, et carnem in linguae formam figuratam in manu tenens, ait: Quia propter fidem Filii mei, et honorem meum lingua privatus es, ecce novam tibi restituo, aperi os tuum. Illam ergo carnem radici linguae praecisae coniunxit, et mox disparuit. Ille autem in vocem exultationis erumpens salutationem angelicam clara voce recitavit, suaeque Sospitatrici gratias egit, audiente et spectante universo Cluniacensium conventu, et postmodum monachum eius monasterii egit. Ioannes Scholasticus xantensis de tanta miracula audiens, Cluniacum se contulit, illamque linguam miraculose sacerdoti donatam oculis propriis vidit. Erat, inquit, reliqua carne candidior, et in loco praecisionis cicatricem servabat. Hucusque Caesarius, qui id a Ioanne xantensi se accepisse narrat.

Lingua cuidam sacerdoti abscissa a B. Virgine eidem restituitur.

Non minus evidenti miraculo Deus ostendit, quantam curam habeat eorum, qui B. Virgini devoti sunt. Vivebat in Germania Walterus de Bibrach, vir dives, potens, nobilis, militiae deditus. Hic semper Sanctissimam Dei Genitricem ex intimo cordis affectu diligebat, eique ieiunia, eleemosynas, preces, missarum celebrationes saepius vovebat. Tempore quodam cum ad singularia certamina properaret, pro more suae devotionis templum ad audiendam missam ingressus est, sodalesque suos ad idem faciendum monuit. Illi cum recusassent moram sibi periculosam praetendentes, ipse remansit, missamque de B. Virgine Maria sibi cantari fecit, postmodum commilitones suos secutus est. Cumque loco appropinquaret, certamen iam inchoatum esse audiens rogavit, quisnam ibi fortius ageret? Dominus, aiunt, Walterus de Bibrach in ore omnium est, omnibus praefertur, ab omnibus laudatur. Magno stupore captus intellexit B. Virginis pietate factum esse, ut eius absentiam propter obsequia sibi exhibita mirabili quadam virtute suppleret. Ad eum modum Deus voluit opus pietatis in Matrem Virginem compensare. Caesarius lib. 7 miracul. c. 39.

Militibus exemplum devotionis in B. Virginem.

6 Quare Ecclesia catholica ex decreto Urbani II missam, et officium quolibet sabbato ab alio festo non impedito in honorem B. M. Virginis celebrat. Et sicut honoratur Christus dominicali officio ob suam resurrectionem, ita B. V. Maria sabbatino officio ob fidei constantiam. Illo enim die cum Christus in sepulcro sepultus iacuit, sola B. V. Maria in corde suo fidem claram, expressam, vivam, et constantem retinuit, ut s. Antoninus noster p. 4, tit. 15, cap. 24 docet. De hoc nos paulo superius fuse egimus (1).

Sabbatini officii de B. V. Maria ratio.

7 Ex hac in Beatissimae Virginis pietate ecclesia romana in officio minori in Laudibus, et Vesperis cum sanctorum commemorationem praescribit, omnium primam post commemorationem de cruce commemorationem B. V. Mariae ordinat. Ad haec ad singulas horas post orationem dominicam salutationem angelicam praemittit. Ad officii denique finem antiphonam *Salve Regina*, vel alteram tempori accommodatam subnectit.

Romanae ecclesiae studium erga B. Virginem.

Nec his contenta, in quolibet missae sacrificio tum in iis quae sub secreto, tum in iis quae clara voce a sacerdote proferuntur, Deiparam crebro invocat. Quod et in liturgiis sancti Iacobi apostoli, sancti Ioannis Chrysostomi, et in missa quae aethiopica dicitur, similiter in syriaca observatur, in quibus salutatio angelica clara voce recitatur.

In missa quantus honor B. Virgini exhibetur. Salutatio angelica apud quos in missa recitetur.

8 Olim novem tantum praefationes celebres erant, quas pro varia ratione festorum Ecclesia in missis usurpabat, quemadmodum testatur Pelagius II pontifex maximus de consecratione, dist. 3, cap. *Invenimus*, licet in sacramentario sancti Gregorii, qui Pelagio proxime successit, Romae impresso, praeter illas novem extaret quaedam in nativitate Deiparae quam brevissima. Verum Urbanus II dist. 70, cap. *Sanctorum*, novem illis addidit decimam quae in missa Deiparae nunc canitur, quod etiam refert Guilielmus Durandus in rationali divinorum officiorum de praefationibus, et Sigonius lib. 9 de regno Italiae. Haec de missis in honorem Virginis.

Praefationem de B. V. Maria in missa quis addidit.

9 Vota similiter licet principaliter, proprie et immediate fiant Deo, iuxta illud Isaiae 19, 21: *Colent eum in hostiis, et in muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent*; secundaria tamen, et minus proprie fiunt sanctis, quatenus videlicet sunt dii parti-

Votum soli Deo fit. Votum etiam san-

(1) Vide notam ibi appositam. *Editor.*

etis fit, et quomodo. cipative, hoc est quatenus Deus in eis est, et in eis honoratur. Et ita debet intelligi modus profitendi in quibusdam religionibus observatus, quando dicunt: *Promitto Deo, et Beatae Mariae, et beato Augustino, vel beato Dominico, vel beato Francisco, et tibi Priori nostro, vel Guardiano*, etc. ut ipsa promissio facta sanctis, vel praelatis cadat sub voto materialiter, hoc est, secundario, et minus proprie, quatenus scilicet homo vovet Deo se impleturum, quod sanctis vel praelatis promittit. Ita doctor angelicus 2 2, q. 88, art. 6 ad 3.

10 Atque ita cum quis votum facit Beatissimae Virgini, vel alicui alteri sancto pro aliqua gratia, puta pro sanitate obtinenda, evasione periculi, et huiusmodi, talis debet esse mens et intentio voventis, et orantis, ut illam principaliter a Deo speret obtinere, intercedente sancto illo. Sanctus Antoninus 2 p. tit. 11, c. 1, par. ultimo.

11 Hic forsan quaeret quispiam dicendi studiosus: An vota quae fiunt Deo in sanctis, terminentur ad solum Deum, quomodo sacrificium soli Deo offertur, licet in memoriam et honorem sanctorum, aut terminentur etiam ad ipsos sanctos? Resolute, et categorice dicitur vota vere terminari etiam ad ipsos sanctos. Sicut enim eleemosyna quae datur Christo in paupere, vere datur pauperi: ita votum quod nuncupatur Deo in sanctis, vere nuncupatur sancto. De sacrificio secus dicendum. Unde nullus dicere audet: sacrifico Deo, et Beatae Mariae; vel etiam absolute, sacrifico B. Mariae, et tamen dicimus: Voveo Deo, et B. Mariae, at simpliciter: Voveo B. Mariae.

Vota quatenus fiunt Deo et sanctis eius.

Quemadmodum enim scholastici dicunt, ens praedicari de substantia et accidente non univoce, sed analogice secundum analogiam proportionalitatis: ita voveo dicitur de promissione facta Deo, et sanctis, non ex aequo, sed secundum proportionem. Promittimus enim Deo ut beneficiorum auctori, sanctis ut intercessoribus. Recte igitur sacrificia offeruntur in memoriam B. Virginis Mariae, eidemque vota nuncupantur a fidelibus, ut singulari patronae, adiutrici, protectrici, consolatrici generis humani, pro qua sit Deus benedictus in saeculorum saecula. Amen.

DISCURSUS CCXXXVI

DE RELIGIOSORUM VIRORUM ORDINIBUS SUB TITULO B. M. VIRGINIS INSTITUTIS

1 Permultas sacras Religiones in honorem Deiparae Virginis Ecclesia catholica instituit, et approbat, et quamvis si recte consideres, omnes Religiones sub marianis alis, praesidio, patrocinio, tutelaque conquiescunt, ab ea omne decus, gratiam et gloriam accipiunt, eius precibus et meritis multum confidunt, eam ut patronam, et advocatam singularem habent, Matrem suam illam esse publica acclamatione fatentur, iactant, gratulantur; sunt tamen nonnullae, quae vel titulo, seu nomine, vel habitu, vel alia quapiam ratione specialiter se B. M. Virgini devotas esse testantur. Inter has gratulationes, piasque iactationes exultat potissimum illustrissimus, vereque apostolicus

Ordo praedicatorum

2 Hic vix dici potest quanta erga Deiparam Virginem pietate, amore, atque observantia ferebatur iam inde ab initio sui instituti; siquidem Deiparae peculiari intercessione, et sub eiusdem singulari patrocinio fundatus, auctus, et per totum orbem propagatus est.

Dominicanorum studium erga B. Virginem.

In principio, antequam Innocentius III pontifex maximus hoc nomen *Praedicatorum* Ordini dedisset, dominicani *fratres Virginis Mariae* vocabantur, ut s. Antoninus 3 parte historiae, capite 3 scribit, cui adstipulantur episcopus monopolitanus lib. 1 de rosario, cap. 7, Antonius senensis in chronico, et alii. Mariam colebant, Mariam diligebant, Mariam venerabantur, in Maria secundum Deum spem suam collocabant, Mariae se iugiter commendabant.

Dominicani fratres Virginis Mariae dicti antea.

3 In primis sanctissimus patriarcha Dominicus, Ordinis praedicatorum auctor inclytus, et fundator, Divae Deiparae religiosissimus cultor fuit. Secundum Deum omnem spem suam in ea collocabat, eidem se iugiter commendabat, atque ab ea vicissim multa, eaque singularia beneficia est assecutus. Nihil vero, nisi sub Virginis praesidio aggredi solitus erat. Eius pietatis erga se, et Filium suum ipsa Deipara Virgo luculentum testimonium dedit in revelatione b. Birgittae facta, quam lib. 5, c. 17 descriptam habes, ubi sanctam Birgittam Virgo Deipara alloquens, ait: *Certe ipse Dominicus Filium meum habuit pro suo carissimo Domino, et me Matrem eius dilexit plusquam cor suum.*

S. p. Dominici erga B. Virginem quanta pietas et devotio.

4 Salutatione angelica adeo delectabatur, ut eam fere semper in ore haberet, idque omnibus aliis quibuscum versabatur, consuleret, ut ex vita illius colligitur. Ipso auctore factum est ut concionatores suas conciones a salutatione angelica auspicentur.

Salutationis angelicae promotor fuit s. p. Dominicus.

Cum enim in regione tolosana ipse vir Dei Dominicus concionaretur, et parvum fructum suarum concionum colligeret, Sanctissima Virgo Maria se visendam exhibuit, et his verbis eum allocuta est: Dominice fili, nihil mireris quod concionando minime proficias; aras enim solum a pluvia non irrigatum. Scire debes, quod cum Deus mundum renovare decrevisset, salutationis angelicae pluviam praemisit, sicque orbis ipse in melius est reformatus. Hortare igitur homines in concionibus ad rosarii mei recitationem, et magnus dehinc animarum fructus consequetur: quod s. patriarca Dominicus strenue executus uberes ex suis concionibus animarum fructus reportavit.

S. p. Dominico B. Virgo apparet, et rosarium instituti mandat.

Ex libro rosarii italico hinc in morem inductum est, ut omnes concionatores exordium suarum praedicationum ab angelica salutatione faciant, ut hac coelesti pluvia auditorum corda irrigentur, et fructum divino beneficio per Virginem impetratum uberiorem ferant.

5 In honorem quoque eiusdem Virginis eam sacram precandi formulam, quae propter suaveolentiam Deo ac Deiparae gratissimam rosarium dicitur, instituit; et ad eam recitandam per se, suosque concionatores populum sedulo hortabatur. Hac oratione armatus haeresim Albigensium longe lateque per Galliam et Italiam grassantem debellavit, et in sola Lombardia centum millia haereticorum ad Christi fidem convertit, uti coram Gregorio IX summo pontifice tempore canonizationis eius legitime probatum est.

S. p. Dominicus rosarium instituit.

Centum millia haereticorum sola Lombardia convertit.

6 Quantos autem fructus, tum in Ecclesia, tum in Ordine praedicatorum hoc pietatis genus in Deiparam Virginem protulerit, cum de rosarii sacra confraternitate agemus, pluribus ostendemus; nunc ad Ordinem veniamus.

7 Ordo praedicatorum sui patris vestigia secutus pietatem erga Deiparam Virginem semper studiosissime coluit. Olim tanta extitit fratrum omnium erga Virginem Matrem devotio, et reverentia, tantum eius laudandae, et colendae studium, tam sedulae ad eam preces, tam ingens amor, tanta eius patrocinii fiducia, tam avida et insatiabilis eius contemplatio, ut humano sermone non possit explicari.

Dominicanorum priscorum pietas erga B. Virginem.

Proinde habebant in cellulis suis imagines Beatissimae Virginis Filium gestantis in ulnis, itemque Salvatoris in cruce pendentis, quarum intuitu memoria dormitans excitaretur, sensusque exteriores in varias res propensi spirituali robore confirmarentur. Auctor vitae s. Dominici lib. 6, cap. 20.

Idipsum confirmat s. Antoninus 3 p. hist. tit. 23, cap. 10, qui addit, tantam fuisse fratrum Ordinis praedicatorum erga Virginem devotionem, ut post matutinas et completorium altare Beatissimae Virginis quandoque ordine triplici ambientes in gyro se, et Ordinem ipsum devotione mirabili ei commendarent.

8 Nec illud silentio praetereundum est, quod praedicatorum Ordinis zelo, ac studio factum, ut salutatio angelica in tantum veniret et usum, et cultum, ac tandem hanc sibi accessiunculam inveniret *Iesus Christus*, ut Andreas Coppenstein lib. 2, c. 2 de fraternitate rosarii scribit. Quare summi pontifices Urbanus IV, et Ioannes XXII hanc praedicatorum erga Iesum, eiusque Matrem Sanctissimam pietatem magis populo commendatam esse cupientes, solemni decreto sanxerunt, ut ad salutationem angelicam hae duae voculae *Iesus Christus* adderentur. Simulque in gratiam eas pronuntiantium indulgentiam triginta dierum largiti sunt, ut qui unum psalterium B. Virgini orasset, is duodecim annorum, et decem et octo hebdomadarum, et unius diei indulgentiam consequeretur (1).

Salutatio angelica zelo dominicanorum in tantam devotionem venit.

(1) Ne alicui hoc sit obscurum, sciendum tunc nondum esse in usu communi alteram partem salutationis angelicae *Sancta Maria* etc. sed tantum prima pars usque ad verba *ventris tui*, cui zelo Ordinis praedicatorum addita fuere *Iesus Christus. Amen.*
Baronius ad an. 431, n. 170, et Bosa div. psalm. c. 16, p. 2, tradunt, creditum esse partem hanc angelicae salutationi adiectam in Synodo ephesina, quando damnata haeresi Nestorii, patres duce s. Cyrillo quasi arrepta occasione ex ipso magno templo, in quo considebant, cui titulus *Sancta Ma-*

Digitized by Google

9 Dominicanorum devotio erga B. Virginem quanta sit. Rosarium promovent.

Et hodie videmus fratres praedicatorum Ordinis Sanctissimam Dei Genitricem tanquam dominam, patronam, matrem suam dulcissimam unice diligere, colere et venerari.

Cuius rei testis est in primis sacratissimi rosarii confraternitas, quam illi in honorem B. M. Virginis in tota christiana republica ubique gentium cum ingenti animarum fructu, et incredibili erga suam dominam pietate mirifice propagant, et per universum christianum orbem latissime disseminant; et ubique locorum frequentissimas sodalitates habent, in quibus fideles ad Dei amorem, morum integritatem, et ad Deiparae pietatem excitant, instituunt, et educant; eamque confraternitatem tanquam patris sui s. Dominici haereditatem, suique Ordinis patrimonium constanter tuentur, et nulli alii, nisi de licentia sui Generalis eam plantare, erigere, administrare permittunt, impetrato ad hoc indulto apostolico, de quo plura dicemus inferius, cum de rosario agemus in epitheto, quod vulgo dicitur *Regina sacratissimi rosarii*.

10 Ordinationes fratrum praedicatorum circa rosarium.

Hanc pietatem in promotione sanctissimi rosarii declarant multae ordinationes capitulorum generalium eiusdem Ordinis circa erectionem eiusdem societatis et propagationem cultus factae Venetiis anno Domini 1592, Valisoleti 1605, Romae 1601.

Et novissime Romae anno Domini 1629, ubi ita dicitur: *Ordinamus, et omnibus prioribus et praesidentibus conventuum sub poena absolutionis ab eorum officiis mandamus, ut omnino curent, in suis ecclesiis publice recitari a personis utriusque sexus rosarium ter in hebdomada.*

Quae ordinationes adeo accensi sunt fratres ad devotionem erga Deiparam, ut eius rosarium nedum ter in hebdomada, verum etiam quotidie, immo etiam festis diebus mane, et post meridiem cum toto populo, qui frequens adesse solet, publice recitant, impetrata ad hoc ab Urbano VIII pontifice maximo indulgentia centum dierum, quam toties quoties lucrantur, qui huic devotioni intersunt. Vix dici potest quantos praedicatione, et opera fratrum praedicatorum divina ista devotio in cordibus omnium fidelium fructus faciat.

11 Ex recitatione rosarii publica quis fructus in Ecclesia.

Videas rudes, et ignaros orationem dominicam, salutationem angelicam, et symbolum apostolorum hac occasione addiscere, eosdem et quosvis alios ad redemptionis nostrae quae tunc proponuntur mysteria, pios gemitus edere, fervidissimas preces ad Deum emittere, dulcium lacrymarum fluenta profundere, B. V. Mariae patrocinio se devotius committere mysteria vitae Christi attentius contemplando.

Videas multos haereticos converti, christianos quamplurimos ad meliorem vitae frugem redire, templa canticis, rithmisque spiritualibus de B. V. Maria circumsonare.

Videas altare sanctissimi rosarii a personis omnium aetatum, et ordinum in gyro ambiri, qui odas seu cantica de B. V. Maria lingua materna canunt, Mariam nominant, Mariam invocant; adeo ut Mariae nomen parietes ipsos templi referre docuerint, et multas alias ecclesias ad imitationem suae pietatis traxerint.

12 Eandem pietatem erga Deiparam Virginem aperte ostendit specialis illa in omnibus festivitatibus B. V. Mariae in ecclesiis eorum devotio. Clarius manifestat omnium primarum dominicarum cuiuslibet mensis per totum annum magna celebritas, in quibus sanctissima Eucharistia in summo altari insigni peristromatum, candelarum, ceterorumque ornamentorum apparatu, et egregio musicae concentu exponitur, et in processione cum solemni pompa per claustra, vel per coemeteria earum circumfertur, impetrata a summis pontificibus indulgentia plenaria, quibus homines allecti ad cultum Dei, et devotionem erga B. Virginem tanto magis accenduntur.

Primae dominicae cuiuslibet mensis apud praedicatores celebritas.

Celebrabat populus israeliticus solemnitatem neomeniae, hoc est, primum diem novae lunae, quam sacrificiorum multitudine augebat, et tubarum cantu festiviorem reddebat.

Celebrat Ordo praedicatorum primam dominicam cuiuslibet mensis in honorem Beatissimae Virginis, quam specialibus sacrificiis, hoc est, precibus, laudibus, gratiarum actionibus exornat, et ingenti laetitia, ac iubilo cordis festiviorem reddit.

13 Conciones sabbatinae.

Ad hanc erga Deiparam pietatem faciunt crebrae conciones, quas plerique fratres Ordinis praedicatorum non in quadragesima tantum, aut primis cuiuslibet mensis dominicis diebus, aut B. Virginis festivitatibus, verum et singulis sabbatis per totum annum inter missarum solemnia, quae his diebus, utpote cultui Virginis specialiter dicatis, solemniter decantantur, in honorem Deiparae faciunt. Quis vero quantusve ex his concionibus Dei ac Deiparae honor, quis quantusve animarum fructus in Ecclesia promanet, testatur magnus populi his diebus ad ecclesias nostras concursus, crebra sacramentorum Poenitentiae ac Eucharistiae usurpatio, preces ardentissimae cum ingenti lacrymarum profluvio Deo oblatae maxime in Polonia, ubi haec scribimus, et quod vidimus, testamur. Iam fiunt ubique generales piorum poenitentiae, communis morum reformatio; cessant complura scelera tum publica, tum privata; cessant peccata, blasphemiae; maledicentiae tolluntur; pravi abusus corriguntur; dissidentium odia restinguuntur; bona iniuste ablata legitimis dominis restituuntur; carnis flagitia exploduntur; monasteria tam virorum quam mulierum Deo dicatarum replentur; cultus Dei, Deiparae, sanctorumve promovetur; imaginum et reliquiarum veneratio augetur; templorum cultus, et ornatus, ac munditiæ procuratur, quae omnia quotidianis experimentis, adeoque omnibus perspecta sunt, ut ea nemo inficiari possit. Quin etiam pleraeque societates pia quadam imitatione, exemplo nostrae confraternitatis exortae sunt, et hodie excitantur, in quibus christiana pietas tanto impensius docetur, quanto diligentius sacra rosarii sodalitas promovetur.

Fructus ex rosario

14 Festivitas sanctissimi rosarii.

Adde solemnitatem sanctissimi rosarii quae in honorem B. M. Virginis a toto Ordine praedicatorum cum octava solemni, et processionibus pompose peragi solita quotannis celebratur. Ea die vix dici potest, quantus sit ad ecclesias nostras populi fidelis concursus, quanta devotio, quam fervidae preces, quam pii gemitus, quam pia lacrymarum fluenta tum in Sacramentorum usu, tum in concionum auditu cernantur.

15 Rosariorum publica gestatio.

Tandem pietatem erga Deiparam Virginem liquido ostendit globulorum sertum, vulgo B. M. Virginis rosarium appellatum, quod Ordinis nostri fratres non ad inanem ostentationem, sed ut hanc precandi formulam, suum multis nominibus Virgini Deiparae debitum obsequium, atque internam erga eandem pietatem omnibus testatam faciant, publice vel ad zonam alligatum, vel ad collum suspensum deferunt. Quod etiam nedum aliorum viri religiosi, verum et saeculares exemplo illorum faciunt. Immo fratrum nostrorum exemplo, et institutione in locis in quibus haereses grassantur, is mos deferendi rosarium ad haereticorum detestationem solemnis esse coepit, ut inter alia hoc etiam signo quivis eorum ab haereticis internoscatur.

16 Antiphona *Salve Regina*.

Ex hac Ordinis praedicatorum in Virginem pietate factum est, ut in eodem Ordine tanta celebritate in fine completorii per totum annum antiphona *Salve Regina* in Deiparae honorem omnibus fratribus etiam propter quosvis labores exemptis, omnino ad templum convenientibus, et processionaliter in maiorem chorum ecclesiae prodeuntibus, decantatur. Quo tempore visa est aliquando Deipara singulari ratione pro illis orare, ut inferius dicemus, cum de ista antiphona *Salve Regina*, et aliis favoribus a Beatissima Virgine Ordini praedicatorum exhibitis sermonem faciemus.

17 Officium parvum de B. M. Virgine.

Huc facit officium parvum B. M. Virginis a fratribus Ordinis praedicatorum semper in choro quidem diurnum, in dormitorio vero nocturnum recitatum, exceptis festis solemnioribus, et octavis solemnibus, et quando de B. V. Maria fit officium maius: quibus tamen diebus ex devotione privatim recitatur. Hanc devotionem officii sui quibus favoribus prosecuta sit B. V. Maria, inferius dicemus, cum de his gratiis et favoribus tractabimus.

18 Officium sabbati de B. V. Maria.

Adde quod in hoc Ordine per totum annum singulis diebus sabbati aliqua festivitate simplici, vel maiori non impeditis, (excepta quadragesima, feriis quatuor temporum, et quando homilia legi debet) semper totum officium de B. M. Virgine peragitur, quod incipit a vesperis feriae sextae, et terminatur sabbato in nona. Adde commemorationes de B. M. Virgine quae in hoc Ordine omnibus dominicis puris per totum annum in matutinis, et secundis vesperis, et ab octava s. Stephani usque ad octavam Epiphaniae quotidie (nisi in laudibus vigiliae et festi Epiphaniae) post alias memorias fiunt.

19 Genufle-

Nec postremum argumentum est pietatis erga Deiparam Virginem, quod in omni oratione, in antiphona *Salve Regina*, in

ria, omnes conclamarunt: ***Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis*** etc. ut sic in ore omnium assidue versaretur et invocatio, et protestatio fidei B. Virginis uti *Matris Dei*. Non statim venit in usu omnium haec adiectio, sed paulatim, uti solet accidere in rebus non praeceptis. Post saeculum XV facta est de usu communi, addita tandem auctoritate Ecclesiae, quae in breviario iussu Pii V reformato tradit integram salutationem angelicam ex duabus partibus constantem. *Editor.*

Google

aiones in honorem B. M. Virginis.

praefatione in missa, quando nomen Mariae pronuntiatur, eidem fratres devotius usque ad genua inclinant. Cum vero inchoatur *Salve Regina*, sive *Salve sancta Parens*, sive *Salve radix sancta*, sive cum dicitur in symbolo nicaeno *ex Maria Virgine*, fratres genibus provoluti Virginem coelestem adorant. Idem faciunt cum litanias lauretanas de B. M. Virgine quolibet die sabbati per totum annum post antiphonam *Salve Regina* solemniter decantant. Idem faciunt cum antiphonam *Salve Regina* post quamlibet horam, quam alia hora vel missa conventualis non sequitur, quotidie per annum (exceptis tribus diebus ante Pascha) in choro recitant. Idem faciunt in pronuntiatione hymni *Ave maris stella*, quando genuflexi manent, donec prima strophe absolvatur. Idem faciunt, quotiescumque in choro antiphonam *Sub tuum praesidium* recitant, vel canunt.

20 Imaginum B. V. Mariae cultores.

Illud etiam pietatem eorumdem erga Deiparam valde commendat, quod in omnibus dormitoriis conventuum, domorumque suarum, altare erectum cum imagine Dei Genitricis habent, coram quo officium nocturnum de B. M. Virgine pro tempore recitant. Et nedum in dormitoriis, verum etiam per omnes scalas, seu gradus monasteriorum suorum per quos in dormitorium, vel hospitium ascenditur, vel descenditur, imagines Beatissimae Virginis in locis conspicuis ponunt, ut eas transeuntes adorent; quod et faciunt, cum per singulos gradus erectis ad Reginam coeli oculis eam uti dominam, fautricem, protectricem, ac singularem patronam suam devote adorant magna capitis, et totius corporis inflexione, flexis etiam nonnunquam genibus, salutatione angelica recitata venerabundi salutant.

21

Illud quoque amorem, et observantiam erga Deiparam Virginem abunde declarat, quod tot scriptores ingenii, doctrinaeque facultate praestantes ex hoc Ordine extiterunt, qui locupletissima in honorem tantae Virginis ingenii pietatisque monumenta reliquerunt, partim ut impiam impuramque haereticorum, praesertim recentiorum, qui contra Virginem os suum aperire ausi sunt, audaciam frangerent, partim ut Virginis praestantiam atque dignitatem declararent, partim ut fidelium animos ad pietatis studium erga tantam Virginem accenderent. Inter hos merito

Scriptores de B. M. Virgine ex Ordine praedicatorum.

recensetur s. Thomas aquinas theologorum magister, qui opuscula 8, et multis aliis locis suae theologiae laudes B. Virginis celebravit; b. Albertus magnus ratisbonensis antistes, qui encomia multa congessit, praecipue in illo libro quem duodecim marianae coronae stellas appellavit, in quo privilegia Deiparae fuse prosequitur, sequentias item de B. M. Virgine quae pro sabbatis assignantur, cum cantu dictavit; s. Vincentius Ferrerius qui multos sermones de Deipara habuit; s. Antoninus archiepiscopus florentinus, qui iustum volumen de B. M. Virgine conscripsit; Franciscus Retzanus, qui super *Salve Regina* multa volumina pulcra et magna confecit, Vincentius Belluscensis, qui quamplurima Deiparae miracula collegit; Ioannes de Turrecremata cardinalis, qui de veritate conceptionis B. M. Virginis magnum volumen condidit; b. Alanus Brito Ordinis eiusdem, qui monitu Virginis sibi apparentis tum scriptis, tum praedicatione devotionem sanctissimi rosarii collapsam restituit, et plurimum dilatavit; Thomas de Vio Caietanus cardinalis, qui aliqua opuscula de B. Maria Virgine docte et acute exaravit; Ambrosius Catharinus, qui scriptis a se editis, immaculatam conceptionem B. M. Virginis tutatus est; Abraham Bzovius, qui conciones super *Salve Regina*, monile gemmeum, et multos alios sermones de B. M. Virgine edidit; Paulus Carrara, qui in uno satis magno volumine de litterali ac mystica regularum iuris canonici interpretatione luculenter laudes Virginis celebravit. His adde innumerabiles alios theologos, qui vel super tertium Sententiarum, vel super 3 p. d. Thomae commentaria ediderunt. Nec praetereas eos qui varia opuscula, tractatus, sermones de rosario B. M. Virginis conscripserunt, in quibus tum orationem dominicam, tum salutationes angelicas, quae quindecim rosarii decadibus continentur, egregie explicant, additis meditationum formulis, et mysteriorum sanctissimi rosarii imaginibus, quibus omnibus corda fidelium ad pietatem excitant, et amorem Dei ac Sanctissimae Matris eius mirifice accendunt. Hi sunt praecipui Albertus Castellanus venetus, Andreas Coppenstein, Abraham Bzovius, Valerianus cracoviensis, Gossuinus veulonensis.

Adiiciam ultimum illud gravissimum, ac efficacissimum pietatis erga Deiparam Virginem argumentum, quod hic Ordo praedicatorum multos viros sanctos, ac feminas protulit, qui Beatissimam Virginem summo affectu ac devotione coluerunt. Lege calendarium marianum nuper ab Antonio de Balinghem Societatis Iesu editum, in quo quamplurimos eximios Divae Deiparae cultores de Ordine praedicatorum invenies, et nos infertus in epitheto *Regina confessorum*, et *Regina virginum* eosdem una cum confessoribus et virginibus aliorum Ordinum enumerabimus. Nunc ad favores, et gratias Ordini praedicatorum a B. M. Virgine exhibitas veniamus.

DISCURSUS CCXXXVII

DE FAVORIBUS, GRATIIS, PRIVILEGIIS, AC BENEFICIIS A B. M. VIRGINE IN ORDINEM PRAEDICATORUM COLLATIS

Etsi omnium sacrorum Ordinum B. V. Maria sit protectrix, 1
umbra et patrona; specialiter tamen (quod ad Dei, Virginisque gloriam absque cuiuspiam offensione dictum sit) insignia peculiaris suae protectionis ac benevolentiae argumenta in Ordinem praedicatorum ostendit. In eum namque Regina coeli totum benignitatis suae fontem, et gratiarum thesaurum effudisse videtur. Ut quemadmodum vero Salomoni Christo plures sunt reginae, atque innumerae concubinae, iustorum videlicet animae, sponsae eius lectissimae; unica vero amica, unica columba Mater sua Sanctissima Maria: ita gloriosae Virgini Mariae omnes religiosi Ordines dilecti sunt, specialiter tamen Ordo praedicatorum ei carissimus esse ex multis favoribus, gratiis, privilegiis ac beneficiis colligitur; quae accurate collegit, et in unum librum docto ac eleganti stylo conscriptum redegit noster Hyacinthus Choquetius. Quem librum tali titulo donavit: *Mariae Deiparae in Ordinem praedicatorum viscera materna*. Ego ea omnia breviori, quantum fieri poterit, compendio dabo. Expedit enim, ut eadem iisdem etiam aliquando verbis a diversis scribantur, quatenus beneficia Dei, ac Matris eius Sanctissimae pluribus manifesta fiant, et frequentius, ac citius ad notitiam omnium deveniant, cum unus in hoc, alius in altero, tertius in ceteris libris ea invenit, et legit ad laudem et gloriam Dei, ac Matris eius.

Praedicatorum Ordo B. Virgini carissimus est.

Hos igitur favores ac beneficia enumeraturus operae pretium 2
esse duxi, primo monstrare B. Virginem Mariam esse nedum patronam specialem sacri Ordinis praedicatorum, verum etiam Matrem benignissimam: unde omnes speciales favores, gratiae, privilegia, ac beneficia commemoranda velut ex fonte profluxerunt. Videndum est igitur, quatenus B. V. Maria specialiter sit mater Ordinis praedicatorum.

B. V. Maria singulari titulo prae aliis mater est Ordinis praedicatorum.

Non dubito gloriosam Dei Genitricem Mariam matrem esse 3
omnium fidelium, id attestantibus s. Bernardo, Anselmo, Bonaventura. *Maria*, inquit s. Bonaventura, *non solum est mater Christi singularis, sed etiam mater fidelium universalis*. Si enim Christus omnium credentium est frater, ut ipse ait. *Vade ad fratres meos*, Ioann. 20, 17, et d. Paulus ad Romanos 8, 29 eum vocat: *Primogenitum in multis fratribus*, profecto Beata Virgo Maria est mater, per quam Christus Dominus factus est noster frater.

B. V. Maria mater omnium fidelium.

At nova et speciali quadam ratione Beata Virgo Maria dignata est esse mater sacri Ordinis praedicatorum, quod multorum gravissima testimonia docent, demonstrant, et convincunt. 4

Dominicani fratres B. M. Virginis.

1. Religiosus quidam Ordinis cisterciensium sanctitate clarus Virginem Beatissimam aliquando conspicuam habuit, quem illa ad nascentis Ordinis nostri amorem et preces hunc in modum cohortata est: *Fratres meos carissimosque filios apud Deum in precibus tuis commendatos habe, et quo potes, caritatis studio prosequere*. Ille ratus suos patres cistercienses a Deipara sibi commendari, haec ab ea audivit: *Sunt mihi alii filii, quos unice diligo, quorum ego singulariter mater sum, et hoc quem vides, sinu foveo*. Dixit, et expanso pallio, quo amicta erat, multitudinem fratrum praedicatorum ei ostendit dicens: *En filios meos*, etc. Id refert Thomas Cantipratanus lib. 2 de apibus, cap. 10, numero 16.

2. Carthusianus quidam avens scire modum, quo Deiparam 5
Virginem colere ac venerari deberet, B. Virginem conspicuam habuit, quae desiderio ipsius satisfaciens: *Meos*, inquit, *fratres, filiosque adito, ex illis modum me colendi audies*. Et cum ille nesciret quinam essent illi fratres, filiique Mariae, ipsa declara-

Digitized by Google

vit: *Accede*, inquens, *ad fratres Ordinis praedicatorum, horum ego mater sum, filii mei illi sunt, qui te instruent.* Illa dixit, iste fecit. Id scribunt Ioannes Lopez, Gerardus Lemovicensis, Alphonsus Fernandez. Hunc puto fuisse priorem vel procuratorem carthusianorum, cui integrum fuit Carthusia egredi, et Parisios ad fratres praedicatores accedere.

6 Dominicani filii speciales B. M. Virginis. 3. Beatus Iordanus s. patris Dominici in generalatu successor frequentius referre solebat, auditam fuisse B. Virginis aliquando hanc vocem de fratribus nostris: *Hi sunt filii mei dilecti, in quibus ego mihi complaceo.* Haec Hyacinthus Choquetius in libro memorato, c. 2.

7 4. Tancredes quidam palatinus de eligendo statu vitae valde solicitus, in oratione positus B. Virginem conspicuam habens, hoc ab ea consilium accepit: *Ad meam familiam accede*, quam familiam fuisse Ordinem praedicatorum aliud visum confirmavit; de quo Choquetius loco quo supra.

8 5. Rodolphus faventinus Ordinis nostri cum cerneret, nonnullos more vivendi praedicatorum deterritos institutum eorum abhorrere, valde solicitus fuit, ne novella planta a s. patre Dominico plantata in suo ortu aresceret. Adfuit Christus cum carissima sua Genitrice Maria, et s. Nicolao episcopo myrensi Rodolphum consolans in haec verba: *Macte animo Rodolphe; Dei mater est et vestra mater.* Choquetius loco quo supra.

B. V. Maria Ordinem praedicatorum concipit.

9 Fatemur B. V. Mariam uti matrem omnium credentium, omnes concepisse, quando archangelo Gabrieli in incarnatione Christi consensum praebuit, ut docet s. Bernardinus t. 3, sermone 6, art. 2, cap. 2. Verum praedicatorum Ordinem aliumque ei individuum Ordinem minorum tunc specialiter concepit, quando ad pedes Christi in cruce pendentis ac pro omnium salute morientis stetit. Plinius lib. 10 hist. cap. 33 narrat de perdicibus, quonam modo praegnantes fieri solent. *Si*, inquit, *contra mares steterint feminae, auro ab his flante praegnantes fiunt.* Ad eundem modum B. Virgo iuxta crucem Christi morientis stans, cum ille spiritum emisit, ipsa eum ore, pectoreque excepit, et ita una cum Christo Patre nostro fideles omnes, sed praecipue apostolicas religiones circa salutem animarum laborantes spiritualiter concepit. In eo quippe actu amor Christi, et Matris eius erga nos ardentissimus fuit.

B. V. Maria Ordinem praedicatorum parit.

10 Beatissima Virgo Maria omnes fideles in Christi Incarnatione conceptos, ut dictum est, eo tempore spiritualiter peperit, quando iuxta crucem Christi stetit, id attestante Ruperto abbate libro 13 in Ioannem, et s. Antonino nostro 4 parte, tit. 15, c. 2, qui ait: *Sicut Christus genuit nos ad esse spirituale gratiae in cruce patiendo: ita et Beatissima Virgo Maria nos genuit in maximis doloribus Filio compatiendo.* Verum nova et singulari ratione B. Virgo Ordinem praedicatorum peperit, cum s. patrem Dominicum una cum s. Francisco ad officium praedicationis assumpsit, dicens, *hos esse per quos convulsa in terris et collapsa pietas restitueretur.* Tunc ergo Beatissima Virgo Maria hos duos sacratissimos Ordines quos sub cruce specialiter conceperat, specialiter in hominum salutem mundo edidit. Flaminius in vita s. p. nostri Dominici.

B. V. Maria fratres Ordinis praedicatorum uberibus lactat.

11 Praecipuum munus matris est filios lactare; siquidem teste d. Ambrosio, *matres plus eos filios amare solent, quos ipsae uberibus suis lactaverint.* Hoc munus B. V. Maria in alumnis Ordinis praedicatorum obire dignata est.

12 S. Dominicus a B. Virgine uberibus lactatur. In primis beatissimum patriarcham Dominicum uberibus propriis lactavit. Cum enim is pro exstirpatione haeresis Albigensium in silva quadam prope Tolosam vehementius oraret, multisque lacrymis genas rigaret, triduana inedia ac disciplinis corpus suum maceraret, Deipara Virgo ei se conspicuam fecit, in terra iacentem prae flagellis quasi vivificavit, et erexit, atque in virgineos amplexus recepit, ad castissima ubera sua admovit, maternique sui lactis haustu refecit. Id se per revelationem a B. Virgine accepisse testatur b. Alanus parte 2, c. 3.

13 B. Henricus Suso a B. Virgine lactatur. Henricum Susonem theutonicum, eximium concionatorem pari munere a Beatissima Virgine Deipara donatum fuisse scribit Surius in vita eius, cap. 20, id addens, quod ubi b. Suso potu illo coelico refocillatus fuit, mansit in ore eius quasi molle granum nivei coloris, cuiusmodi manna coelestis in Scriptura fuisse dicitur, ad instar coriandri, idque in veritatis testimonium diu satis in ore retinuit.

14 S. Catharina senensis item. Eandem gratiam consecutam fuisse s. Catharinam senensem legimus, ad quam Regina coelorum veniens, post suavissima colloquia, post oscula, et maternos amplexus eam sacratissimis uberibus suis admovit, et lacte virgineo refecit. Id memorat Ioannes Gavaston de sanctis tertiariis Ordinis praedicatorum, lib. 2, cap. 3.

15 B. Alanus item. Eodem beneficio affectus fuit beatus Alanus de Rupe. Cum enim gravissimis tentationibus, et assiduis conflictationibus cum daemonum spectris fatigatus esset, et verberibus afflictus, apparuit ei Regina coeli, eumque uberibus suis refecit: et post continuum toto septennio cum daemonibus conflictum victori binas coronas dedit, unam rosarii, alteram annuli ex suis crinibus propria manu contexti, coronae quibusvis regum diadematibus pretiosiores. Hyacinthus Choquetius libro memorato, c. 5.

Ordini praedicatorum nomen indit.

16 Matres nomina filiis indunt. Ius imponendi nomina matri quoque competit; complures enim matres nomina filiis suis indidisse legimus, ut Eva vocavit filium suum Seth, Lia Ruben, Levi Iudam, Gen. 29, mater Samsonis vocavit Samsonem, Anna Samuelem, cap. 22. Idem Beatissima Virgo Maria Ordini praedicatorum praestitit, cui nomen indidit.

17 Praedicatorum Ordo quibus nominibus appellatur. Tribus potissimum nominibus hic sacer Ordo dicitur. Prima nomenclatura est Ordo *dominicus*. Quamquam enim nos dominici non vocemur, voce tamen derivata a plerisque dominicani vocamur, eo quod noster patriarcha Dominicus, ac totus Ordo specialiter Christo Domino et augustissimae coelorum Reginae servitio a sui exordio semper mancipatus fuit. Alia huius Ordinis nomenclatura in ipsius Infantia fuit *Ordo Virginis Mariae*, ut superius meminimus ex s. Antonino et ex aliis. Non invidemus aliis sacris Ordinibus, quod Virginis Mariae titulo ornantur, eumque pro nomine possident; solum nobis gaudemus hunc titulum tam honorificum non ab ipso primo duce Dominico, uti nonnulli Ordines, vel ab alio mortalium; sed a maximis Deiparae Virginis in nos beneficiis collatis hoc nomen accepisse. Tertia huius sacri Ordinis nomenclatura est Ordo praedicatorum ab ipsa Deipara Virgine indita. Licet enim Innocentius III summus pontifex hoc nomen *praedicatores* Ordini nostro imposuit, id tamen instinctu speciali B. Virginis fecisse censendus est. Cum enim gloriosa Deipara Ordinem hunc a Filio impetrasset, cuius ipsa prae aliis esset mater benignissima; non satis ei visum est, si Ordo Mariae appellaretur, nisi quoque accederet ei titulus, qui praeclari officii, ad quod ab ea electus est, orbem admoneret, et diceretur Ordo praedicatorum a continuo et indefesso praedicationis evangelii studio, et proprio scopo. Res enim nominantur a fine, ut theologi docent.

Ordinem praedicatorum veste donat, eumque multis prodigiis, gratiis, favoribusque exornat.

18 Matres filiis tunicas parant. Matres quo magis ac magis amorem suum erga filios testentur, propriis ipsae manibus tunicas eis contexere solent. Ita Anna mater Samuelis, *tunicam parvam faciebat ei*, scilicet Samueli. Id quoque fecisse legitur s. Cyrilli mater apud s. Paulinum, et s. Edmundi mater, quae filio Parisiis studiis operam danti ex Anglia mittebat vestes, et cilicia. Surius in vita s. Edmundi. Communiter etiam creditur, B. Virginem Christo texisse inconsutilem tunicam, quae in hodiernum usque diem Romae in ecclesia s. Ioannis lateranensis asservari dicitur.

19 Vestes quibus B. Virgo dedit. Hoc munus etiam Virgo Deipara tam gloriosa exercuit, cum sibi devotis nonnullis vestes manu coelesti paratas dono dedit, ut s. Ildephonso archiepiscopo toletano, s. Bonito Arvernorum episcopo, Amato senonensi antistiti, s. Norberto Ordinis praemonstratensium fundatori. His, inquam, Virgo gloriosa candidas vestes dedit: insuper religiosis Ordinibus carmelitarum, servitarum, olivetanorum habitum monstrasse, et dedisse legitur.

20 B. Reginal- Idem beneficium a gloriosissima Virgine Ordo noster se accepisse gloriatur. Cum enim b. Reginaldus gravissimo morbo de-

Digitized by Google

do B. Virgo habitum monstrat, et donat.

tineretur, s. pater Dominicus pro incolumitate periclitantis filii sui ardentissimas preces fundens a Diva Virgine impetravit, ut Reginaldum circumfusa clarissimo lumine, una cum sacris virginibus Catharina et Caecilia inviseret, eumque sacro oleo inunctum pristinae valetudini restitueret: insuper et habitum, quo fratres praedicatores utuntur, demonstraret, et donaret, dicens: *En habitus Ordinis tui*, cum prius dominicani canonicorum regularium habitu uterentur. Sed ex eo tempore s. pater Dominicus eum habitum a Diva Virgine demonstratum induit, et aliis ut eum induerent, praescripsit. Bzovius ex historia Ordinis nostri ad annum 1219, n. 8.

21 *Habitus praedicatorum miraculis coruscat. B. Leonora habitu dominicanorum a gravi infirmitate sanatur.*

Haec sacra praedicatorum vestis benigna manu Mariae collata, et singulari amore Ordini praedicatorum donata multis a Deo gratiis et favoribus est ornata. Nam qui sincera devotione ad eam affecti sunt, a morbis liberati, et aliis multis divinis consolationibus refecti sunt. Certe Leonora de Vanegas cordubensis genere illustris, et forma praestanti virgo, iniecto collo scapulari Ordinis praedicatorum ab insanabili morbo curata est; unde sanata eumdem habitum religiosum suscepit, et in eo vivens ad magnam sanctitatem pervenit. Obiit haec virgo idibus maii anno 1556.

22 *Ad habitum dominicanorum quanta populorum devotio.*

Hinc multorum piorum hominum ad hunc sacrum habitum magna semper extitit, et est devotio. Principes viri et feminae sub vestibus ex bysso et purpura confectum scapulare praedicatorum gestare in devotione habent. In Hispania praesertim, Italia, aliisque remotis Indiae provinciis haec sancta consuetudo invaluit, ut si quando fratribus nostris occurrerint, religiosam eorum vestem, maxime vero scapulare osculentur. Multi etiam in desperatis morbis hoc sacro habitu contegi, et in eo sepeliri post mortem desiderant, sperantes se in hoc habitu sacro Mariam Deiparam magis propitiam sibi invenire, utpote vestis manu sua praedicatoribus collata.

23 *Habitus dominicanorum a summis pontificibus, et imperatoribus honoratur.*

Quocirca romani pontifices huic sacro habitui eam venerationem detulerunt, ut eum pio mentis affectu gestantibus, aut in eo ex hac vita migrantibus plenariam indulgentiam: exosculantibus vero quinque annos, et totidem quadragenas de iniunctis poenitentiis Ioannes XXIII relaxavit, ut Laurentius Landmeter lib. 1, cap. 9 scribit: et cuivis in eo sepeliri volenti, quibusvis non obstantibus, privilegium dederunt. Imperatores quoque et reges hoc sacrum indumentum benigna Mariae manu delatum singulari amore et favore prosecuti sunt: unde legibus cavent, addita etiam poena, ne in comoediis, aliisque ludricis mimorum, aut histrionum ineptiis hunc habitum adhibeant, quem innumeri sancti gestarunt, lacrymisque suis, immo et sanguine resperserunt. Unde non pauci ad amplissimum cardinalium senatum assumpti hanc sacram vestem purpurae anteponunt. Celebratur hac in parte pia ac devota vox Ioachii nostri segoviensis episcopi, qui ad praesulatum assumptus, et consilia regum Hispaniae praefectus, non semel dixisse fertur: *Infulam nunquam admisissem, si scirem ut cucullum illa mihi detraheret.* Hyacinthus Choquetius libro memorato, c. 7.

24 *Habitum dominicanorum risui habens divinitus punitur.*

Hac contemptores huius sacrae vestis Deus severe punire solet. Nicolaus quidam in academia salmanticensi philosophiae publicus professor, cum vestem praedicatorum, quam Maria coelo attulit, risui haberet, et per multorum aedes, tanquam personatus moria in ludibrium conferret, quo animos adolescentum a religione avocaret non iam philosophiae, sed impietatis magister, mox in acutissimam febrem incidit, et hanc vocem horrendam de coelo audivit: *Nicolae, viros ex Ordine praedicatorum contemni non feram, et vestem quam irrisisti, ludibrio haberi impune non patiar.* Hac voce perterritus non prius sanatur, quam serio eamdem vestem cum Ordine amplexus esset. Hyacinthus Choquetius loco citato.

25 *Dominicani pomposi taxantur.*

Faxit Deus, ut omnes qui hanc vestem religiosam gestant, manu Mariae contextam, et non daemonis arte quaesitam induant. Mariae manu contextam praedicatoriam vestem induit, qui eam humilitatis poenitentiaeque studio gestat. Daemonis arte quaesitam induit, quisquis paupertatis religiosae immemor exquisitam quaerit, ad superbiam et vanitatem ea utitur, et viliorem gestare eum pudet. Hic veste praedicatorum a benigna manu Mariae collata indignus est, eam enim commaculat et profanat. Notent cosmophili, et vani verba melliflui Bernardi in apologia ad Guilelmum abbatem data: *Ecce ipse habitus noster, (quod et dolens dico) qui humilitatis solebat esse insigne, a monachis nostri temporis in signum portatur superbiae. Vix in nostris provinciis invenimus, qua vestiri dignemur, miles et monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam et clamydem.* Iam desino, ne in coelum os ponere videar.

Ordinis praedicatorum fratres Deipara enutrit.

Pergit Sanctissima Virgo maternae suae pietatis viscera clientibus suis aperire, ut sicut olim mortalia in nuptiis Canae Galilaeae pauperibus sponsis per Christum de vino providit, dicens: *Vinum non habent*: ita nunc gloriosa filiis suis spiritualibus alimenta vitae per angelos procurat. 26

27 *S. p. Dominico panis coelitus offertur.*

Id prae ceteris expertus est sacer praedicatorum Ordo. Sub ipsum initium Ordinis s. p. Dominicus cum quadraginta fratribus Bononiae manens, cum ex emendicata stipe solum duos panes a fratribus allatos haberet, nec tantum numerum religiosorum illis reficere posset, implorato Dei Virginisque ope, omnes mensis accumbere iussit, deque Dei benignitate, ac Mariae Matris amantissimae cura et providentia certus panes illos in frusta dissecuit, et fratribus distribui fecit. Mira res! Illi duo panes nedum mole, sed et numero creverunt, ut saturatis omnibus plus panis superfuerit, quam initio fuerat oblatum. Gerardus Lemovicensis part. 2, c. 20.

28 *Angeli dominicanos pascunt.*

Secundo Bononiae, cum s. pater Dominicus non haberet unde fratres reficeret, ad Deum sanctissimamque eius Matrem devote recurrit. Et ecce adsunt angeli, qui cum panibus caricas, seu siccas ficus attulerunt. Scribit Ludovicus Panormitanus id, addens quod ex ore rectoris ecclesiae s. Mariae Mascharellae Bononiae, ubi miraculum istud contigit, audivit; nimirum, quod postquam fratres nostri a praefato loco ad ecclesiam s. Nicolai commigrarunt, quotannis coelitus panem adferre ad locum illum in quo fratres coelitus pane dato refecti erant, et locum illum ad horas 40 suavi odore fragrare. Apud Hyacinthum Choquetium loco citato.

Tertio Romae, cum s. patri Dominico panis deesset, voluit tamen omnes fratres in refectorium venire, ibique implorata Dei ac Genitricis eius ope, cunctis ad mensas residentibus, duo angeli elegantissimi in forma humana apparuerunt, et totidem canistra candidissimis panibus referta manibus gestantes, singulosque singulis fratribus ab inferioribus incipientes apposuerunt. Ubi ad s. patrem Dominicum venerunt, inclinatis capitibus cum stupore omnium qui aderant, ex oculis subducti sunt. Michael Plodius lib. 1 de progenie s. p. Dominici. 29

30 *S. p. Dominicus aquam in vinum convertit.*

Quarto, cum sanctus dux praedicatorum evangelium praedicando Galliam peragraret adversus haereses depugnans cum octo fratribus sui Ordinis, socii defatigati sitiebant. Filiorum misertus pater non plus vini habens, quam unum scyphum, cum in grande vas infundi iubet, et copiam aquae admisceri, omnesque inde bibere imperavit. Bibunt illi, sed iam non aquam, at vinum optimum et generosum inveniunt. Choquetius loco citato.

31 *Vinum multiplicat.*

Romae eo die, qua sanctus pater Gaudeonem ex patritiorum familia ad Ordinem recepit in conventu s. Sabinae, ad monasterium sancti Xysti se contulit, ibi habita pro more concione, fratrem quemdam Rutgerum vini scyphum adferre iussit; paruit ille, s. Dominicus omnium primus delibavit. Deinde omnes fratres qui erant numero triginta, ex eodem scypho bibere iussit: postea monialibus, quae erant numero centum et quatuor, eumdem scyphum ut ex illo modicum vini biberent, misit. Biberunt omnes, et quidem ob rei novitatem, et vini suavitatem avide; scyphus nihilominus, vino illo per miraculum aucto, semper plenus mansit. Ferdinandus Castillanus, Theodorus de Apold, et alii omnes vitae s. Dominici scriptores.

Bononiae ea die qua angeli panes attulerant, ut iam narravimus, s. p. Dominicus fratribus vinum afferri iussit. Cellerario afferente, nihil penitus vini in coenobio esse nuntiatur. Vade, nihilominus inquit s. pater, fili mi, in Christi nomine, et quod in cella vinaria repereris, prome, et adfer nobis. Abiit, et dolium quod certissime vacuum noverat, praestantissimo vino plenum reperit. Scribit Ferdinandus Castillanus in historia Ordinis, et alii superius citati. 32

33 *Henrico a Castris angeli vinum et panem ministrant.*

Nec soli sancto patri Deipara Virgo hanc gratiam praestitit, sed etiam filiis eius ac sororibus hanc maternam providentiam abunde declaravit. Henricus a Castris Ordinis praedicatorum Lovanii aeger decubuit in crure laborans. Diva Virgo ei se conspicuam fecit, ac vasculum suavissimi nectaris per angelum ei misit, quod ille sumens mirum in modum se refecit, et perditas

vires resumpsit. Alio tempore eidem Henrico ex imperio Dei Matris (pie credi debet) angelus duos panes cum piscibus attulit, et tenuem cerviaiam in vinum commutavit. Choquetius ex chronicis Ord. praed. loco citato.

34 Gandavi quoque celebri Flandriae oppido circa annum Domini 1481 cum fratres nostri a male feriatis quibusdam clericis ob praedicationem rosarii saevissimam persecutionem paterentur, et inter alia a senatu ab illis clericis subornato gravissime affligerentur quodam edicto ab eis edito, ne quisquam civium eleemosynam fratribus largiretur, nec ecclesiam eorum concionesve adiret, nec ulla omnino cum eis colloquia misceret, iuvit suos filios benigna Mater. Nam clericos fratribus infestos Xystus IV bulla edita pro fraternitate rosarii Romae damnavit, Gandavi vero fratribus inopia laborantibus ob impium senatus gandavensis decretum subvenit; nam duo viri ignoti currum omnibus ad victum necessariis onustum in conventum invexerunt, illisque rebus omnibus humi positis, ex oculis evanuerunt, quos beatos angelos fuisse haud dubium est. Nostri tanto beneficio divinitus accepto, Deo Virginique Matri gratias agentes: *Te Deum laudamus* altis vocibus cecinerunt. Quod cum summus Gandavensium praetor audisset, indigne ferens nostros adeo canora voce cantare, quos iam fame propemodum enecatos credebat, multa in innoxios fratres mala evomuit. Sed mox divinam iram in se expertus est; nam ex equo, cui insidebat, cecidit, et fractis cervicibus miseram animam efflavit, cunctis qui aderant, et corpus eius exanime in ponte civis iacens videbant, stupentibus. Ex libro sanctorum Belgii.

Angeli dominicanis victualia subministrant.

35 Guiliandus Teutho prior traiectanus cum aliquando cellerarium iussisset nonnihil vini fratribus promere, ille vero assereret a triduo nihil prorsus vini in cellario esse: institit ille, obedivit iste, et dolium non absque magno stupore vino plenum reperit. Ita refert Leander Albertus libro 5 de viris illustribus Ordinis praedicatorum.

36 Harlemi in Batavis frater Nicolaus conversus a priore iussus pisces acquirere pro tractandis hospitibus, qui forte advenerant, ad domesticum stagnum pergit, et diu multumque laborans nihil prehendit. Prior iterum eum ad stagnum remittit, iubetque, ut pisces ad se evocet: ille ut erat simplicissimus et obedientissimus, paret, et voce elata, pisces ad se vocat. Mira res! Ad obedientis vocem lucius, quantus in eo loco nunquam visus est, adnatat, seque fratri Nicolao ultro in manus dat. Obsequentem fratrem Virgo Mater Sanctissima tanto miraculo illustravit, et hospitibus filiis suis uti mater benigna alimentum subministravit. Leander, Plodius, Antoninus, Senensis.

Obedientiae promptae miraculosus effectus.

37 Henricus Suso aliquando incredibili siti laborans in visione contuitus est Virginem Matrem cum puerulo Iesu ea specie, qua erat septennis in terris, ad se venire, eundemque infantulum habere in manibus poculum aqua plenum; Henricus enim nonnisi aquam bibere solebat. Illud poculum Virgo Mater Filio obtulit rogans, ut illi benediceret: fecit ille ut Mater voluit, et confestim aqua in vinum transiit, dixitque: sufficit, iam nolo ut deinceps minister meus hoc genus exercitii prosequatur, et vino abstineat. Utatur posthac vino ob naturam suam exhaustam, et confectam. Scribit Surius in vita Susonis, c. 20.

B. Henrico Susoni B. Virgo aquam in vinum convertit.

38 Beata Benevenuta, admirandae sanctitatis virgo, tertii habitus s. Dominici, ut erat rarae austeritatis, annos quinque variis gravissimisque morbis afflictabatur. Toto illo quinquennio nullus humana arte paratus cibus ei oblatus fuit; sed illustri Dei Genitricis munere, angelique sui custodis ministerio, ac manu coelesti alimonia vixit. Hieronymus Borsellus lib. de general. Ord. seraphici, Razzi lib. de beatis, Plodius, Gavaston et alii.

B. Benevenuta ab angelo pascitur.

39 Iacobus quidam Ordinis cisterciensis, sanctitate visisque coelestibus clarus, a nostris aliquando in conventu pisano ad prandium invitatus, in refectorio sedens nihil propemodum edere volebat. A priore rogatus ut ederet, respondit: Nunquam adeo deliciatus sum, nec convivium ullum ista vestro prandio felicius unquam vidi. Causam rogatus, respondit: Vidi Deiparentem Mariam unicuique vestrum cibos partientem, et vina miscentem, non secus ac mater suis filiis escas distribuit. Ita scribunt Ioannes Lopez, Salmanticus lib. 1, cap. 7, et Alphonsus Fernandez lib. 1 rosarii, cap. 6. Haec fuit gratia, ingensque favor Beatissimae Virginis matris nostrae dulcissimae.

Iacobus cisterciensis B. Virginem dominicanis cibos distribuentem videt.

40 Eiusdem favore et speciali gratia habuimus, quod aliqui sancti in coelo iam cum Christo regnantes interdum cum nostris fratribus mensae assidebant. Valentiae eo die, quo Ludovici Bertrandi sacrum corpus sepultum fuit, frater Nicolaus quidam ex Ordine minorum, cognomento *factor*, a nostris pro prandio invitatus fuit. Antequam in refectorium ingrederetur, digito monstrans sinistram superioris mensae partem, dixit: Si vultis ut hic prandeam, sinite me, quaeso, in istius mensae loco sedere. Siquidem suspirans, et ingemiscens referebat: alio quodam die ex isto loco vidi sanctissimos Dominicum, et Vincentium Ferrerium vestris fratribus ad mensam veluti convivas assidere. Scribit Balthassar, Ioannes Rocca tract. 2 de vita b. Ludovici Bertrandi.

S. p. Dominicus iam gloriosus cum fratribus suis ad mensam sedit.

41 In monasterio exeytoniensi in Lusitania, cum oeconomus priori p. Petro Lobato sub ipsam prandii horam panem omnino deesse renuntiasset, (eo enim anno magna egestas annonae in Lusitania fuit) prior ad B. Dei Genitricem recurrit, eamque magnis precibus exorat, ut filiis suis in tanta necessitate subveniat. Mox divini auxilii spe suffultus pro more Ordinis nolam refectorii pulsat, fratres ad mensam convocat. Ecce ad monasterii fores pulsatur: ianitor properat, fores reserat, et viros aspicit, qui duo canistra grandia recentibus candidissimisque panibus onusta attulerunt. Intromissi ad pedes prioris ea deponunt, aiuntque, donum istud ab illustri quadam femina in praesentis inediae subsidium gratuito submitti; nomen vero tacent. Hos viros coelestes spiritus fuisse a Regina coeli transmissos haud dubium est. Scribit Ioan. Lopez episcopus monopolitanus 3 p. hist. lib. 2, cap. 37.

Angeli cibum ministrant.

42 Simile quidpiam accidit b. Alvaro priori cordubensis monasterii, cui *Scala coeli* nomen est. Cum ei oeconomus retulisset, panem, nec quicquam aliud ad reficiendos fratres in conventu esse, ille nihilominus omnes in refectorium venire iussit. Mox ad fores monasterii vir quidam cum iumento cibis onusto adfuit, qui deposita in conspectu ianitoris sarcina, eo dumtaxat salutato, ex oculis se subtraxit. Diu multumque quaesitus quisnam et unde esset, nusquam deprehensus, Reginae coeli minister creditus est. Ioan. Lopez libro quo supra, c. 25.

43 Beatus Bonaventura Tolomaei senensis, Ordinis nostri, frequenter coelitus cibum habuit. Aliquando repudiata savonensi insula extra senensem urbem secessum aliquem petiit ciborum plane immemor, ibique veluti media in eremo ab omni procul hominum consortio aliquot hebdomadibus commoratus est. Alimentorum curam quam neglexerat, gessit e coelo piissima Ordinis nostri parens Maria; et quidem quamdiu ibi haesit, ter in hebdomada, videlicet die dominico, feriis tertia et quinta, beati spiritus magnae eorum Reginae imperio panes attulerunt. Non semel quoque toto Adventus tempore, quo nimirum anniversarium Christi natalem celebri ritu praecurrit Ecclesia, praeter coelestem ambrosiam, seu manna, angelicis manibus adductam nihil ciborum sumpsit, saepiusque ab illis ipsis alio quoque tempore alimentis donatus est. Idem Lopez 3 p. lib. 1, cap. 19, et Greg. Lombardellus.

44 Eandem gratiam Virginis expertae sunt nonnullae sorores de Ordine s. Dominici, ut Ioanna urbevetana, Columba reatina, ut scribunt Lopez, Gavaston, Plodius et alii. Eiusdem Virginis favore piscator quidam pauper in Hungaria, qui nostros duos fratres ex commiseratione ad prandium invitaverat, et cum nihil aliud haberet, nisi parum milii, et duos nummos ex pecunia, pro uno nummo panem, pro altero vinum pro eis emit. Mira res! Illi duo nummi nunquam in crumena eius defuerunt, nam simul atque illos expendisset, mox alios duos in crumena reperiebat. Insuper locupletatus est agris, et aedibus, habuitque oves et boves, et alia multa ex divina, Virginisque Mariae largitate, quae beneficium illud in pauperes fratres Ordinis praedicatorum abunde retribuit. Scribit Bzovius ad annum Domini 1221, num. 6 ex Theodorico de Apoldia vitae s. Dominici cap. 8.

Eleemosyna dominicanis collata miraculo illustratur.

B. V. Maria s. p. n. Dominicum, ac s. Franciscum Christo praesentat, eosque una cum fratribus eorum ad praedicandum evangelium destinat.

45 Refert s. Antoninus 3 part. hist. tit. 23, cap. 3, s. p. Dominico, dum vigilaret, visum esse Christum Dominum contra peccatores iratum tres lanceas vibrantem, unam in superborum cervices, alteram in cupidorum viscera, tertiam contra lascivos: occurrisse vero Deiparam pro peccatoribus deprecantem, et obtulisse duos servos fideles, s. Dominicum et s. Franciscum, qui mortales ad poenitentiam revocarent, atque ita placatum esse Dominum. Quod ipsi per se, et suarum familiarum religiosos diligenter praestiterunt. Vide etiam Theodoricum de Apoldia, et alios vitae s. Dominici scriptores.

Digitized by Google

Ordinis praedicatorum fratres Beata Virgo scientia donat.

46 Omnium religiosorum est pro instituti sui ratione virtutum laude praecellere, omnium est sanctimoniam sectari. At Ordinis praedicatorum fratres (quod multorum pace dixerim) pro apostolico suo munere doctos quoque esse oportet. Hinc praeclara illa summorum pontificum elogia hic sacer Ordo omni aevo promeruit, quae inferius habes discursu CCCXVI. Hanc autem doctrinae laudem secundum Deum a gloriosissima Virgine Dei Genitrice Maria, matre ac patrona sua singulari, se accepisse gloriatur.

47 S. p. Dominicus a B. Virgine eruditus.

In primis sanctissimum patriarcham Dominicum omni eruditione ac doctrina clarissimum a Beatissima Virgine edoctum fuisse firmissime credit. Quod confirmat visio b. Tancredi senensis, qui b. p. Dominicum Senis concionantem audiens, Beatissimam Virginem in dextram aurem quae diceret, ei suggerentem vidit, atque ipsi ut eum sequeretur, hoc est institutum eius amplecteretur, indicantem conspexit. Quod ille incunctanter fecit, et in Ordinem praedicatorum cooptari petiit. Plodius, Leander et alii.

48 S. Thomae aquinatis elogia.

Post s. p. Dominicum Ordo praedicatorum habet inter sanctos doctissimum, et inter doctos sanctissimum Thomam aquinatem, quem multi eruditione et doctrina conspicui viri miris encomiis celebrarunt. Ioannes Picus: *Est*, inquit, *sanctus Thomas nostrae theologiae splendor.* Beatus Ioannes Roffensis: *Scholasticae theologiae flos.* Ioannes Arboreus: *Ingeniosissimus, eruditissimus, cui in palaestra et exercitatione scholastica nemo proximus sit.* Franciscus Vargas: *Adeo diligens explorator veritatis, ut nihil abditum, nihil remotum, nihil obscurum esse permiserit.* Et ipsi summi pontifices, Ioannes XXII: *Tot*, inquit, *miracula divus Thomas perpetravit, quot articulos de divinis dogmatibus scripsit.* Clemens VIII in epist. ad Neapolitanos: *Ingentem librorum numerum brevissimo tempore in omni fere disciplinarum genere singulari ordine, ac mira perspicuitate sine ulla prorsus errore conscripsit.* Paulus V in epistola ad eosdem: *Splendidissimus fidei catholicae athleta, cuius scriptorum clypeo militans Ecclesia haereticorum tela feliciter eludit.* Tandem orbis catholicus ei acclamat: *Doctor angelicus.* Sed unde

S. Thomas unde tam doctus evaserit.

s. Thomae aquinati tanta eruditionis gloria, tam mirabilis ac stupenda sapientia, ut ab eruditissimis quibusvis, et summis pontificibus, nec non universo orbe christiano tam sapiens, tam doctus, tam solidus, tam verax audiat? Ingenio fuisse acrem et perspicacem, adeo ut aliquando tribus aut quatuor amanuensibus diversa docte ac solide dictaret, non diffitemur. Adfuisse ei scribenti sanctos apostolos Petrum et Paulum, et magis difficilia Scripturae loca ei explicasse, columbam humero ipsius insidisse, supra eius verticem fulgentissimum sidus visum fuisse credimus; sed ab alio fonte tantam s. Thomae sapientiam profluxisse existimamus. Deipara Virgo a cunis ipsis eum sibi in filium adoptaverat, quod et signo clarissimo ostendit. Cum infantulum Thomam nutrix abluere vellet, chartulam in manu eius valide compressam invenit, quam cum extrahere vellet, non potuit, infante acriter flente. Rem totam matri indicavit, quae aegre tandem manum infantis aperiens chartam in qua scripta erat salutatio angelica *Ave Maria*, abstraxit: infans vero ploratu, et gestu chartulam repetens, mox redditam deglutivit. Ita habet eius vita. Haec chartula non aliud figurabat, quam s. Thomam adhuc in cunis ipsis a Deipara Virgine in filium adoptivum electum fuisse, qui honorem eius adversus quosvis hostes strenue propugnaret, et praestantiam ac dignitatem eius mirum in modum scriptis suis in populo promoveret, ac commendaret.

S. Thomam aquinatem B. Virgo instruit.

49 Post s. p. Dominicum, et s. doctorem Thomam aquinatem Ordo praedicatorum b. Alberto magno episcopo ratisbonensi gloriatur. Hunc clarissimum suae eruditionis specimen fecit Beatissima Virgo Maria, ut orbi notum est, et nos alibi istam historiam referemus inferius.

B. V. Maria fratribus Ordinis praedicatorum, etiam ineptis et indoctis, gratiam praedicationis impetrat.

50 Non satis habuit Beatissima Virgo dominicanos Christo praesentare, ad praedicandum evangelium destinare, scientiam eis donare: verum etiam voluit imperitos, et ineptos prorsus ad hoc munus apostolicum aptos reddere.

51 Beatus Hermanus sancti Hyacinthi, et b. Ceslai socius, soli contemplationi rerum divinarum deditus, balbutie oris ad praedicandum evangelium valde impeditus B. Virginem deprecatus est, ut praedicandi munere pro debito vocationis suae fungi posset. Annuit votis ipsius benignissima Virgo, ut mox tanta eruditione, eloquentiaque praeditus foret, ut seu germanice, seu latine ipsi dicendum esset, statim erudite, expedite ad miraculum usque dixerit, innumerosque ad veram fidem pietatemque christianam adduxerit. Bzovius ad annum Domini 1245, numero 14.

B. Hermanus ope B. Virginis concionator egregius efficitur.

Nedum balbos, verum etiam rudes et imperitos B. M. Virgo pro officio praedicationis erudivit. Beatissimus pater Dominicus adhuc mortalis, divino spiritu plenus, non ex audacia et temeritate, sed certissime mariani praesidii fiducia rudes et imperitos fratres ad hoc sublime praedicationis munus non semel amandabat felicissimo semper exitu. Primus sit ex istis frater Petrus Cellanus, in saeculo vir nobilis et locuples, quem s. pater Dominicus primum habitu Ordinis induit, isque praedicatoriae stirpis natu maximus, et tanti parentis primogenitus fuit. De hoc Stephanus Salanachus ita scribit: *Cum beatus pater Dominicus fratres dispergeret, fratrem Petrum Cellanum, (ut ab ipso saepe audivi, quia in manu eius professus sum) Lemovicas destinavit. Cumque ille ignorantiam et librorum penuriam allegaret, (nam unum solum quinternum de homiliis beati Gregorii tantum habebat) vade, inquit, fili, et confidenter vade, omni die bis commendatum te habebo coram Deo, et ne dubites, multos acquires Deo, et offeres multum fructum. Qui post modicum tempus Lemovicas veniens ab episcopo et capitulo lemovicensis ecclesiae benigne receptus fuit, locum ad habitandum recepit, multis habitum sanctum dedit, et ita sicut unus de prophetis antiquis apud clerum et populum in magna reverentia et honore consenuit.* Haec Salanachus. Quibus addit Bernardus Guido sanctum Dominicum istud quoque Cellano dixisse: *Cresces, et multiplicaberis, et Dominus erit tecum.* Et sicut ipse frater Petrus postmodum suis familiaribus enarravit, cum intus vel extra angustia arctabatur, invocabat Dominum, et Dominicum reducens ad memoriam promissum suum, et ei omnia prospere succedebant. In eandem rem iubet patris Bonvisi testimonium, et verba ipsa in medium proferre, qui in processu canonizationis beatissimi parentis quartus testis iuratus fuit, quando ista retulit: *Eram ego recenter in Ordine praedicatorum admissus, ac tyro, quando pater ipse Dominicus mihi iussit, ut Placentiam ad sacras conciones apud illum populum habendas me conferrem; cumque ego rogarem, ne mitterer, causatus imperitiam et ineptitudinem meam, is me bono esse animo iussit, et hortatus est, ut irem, asserens Deum mecum futurum, et verba in os meum coniecturum, quibus verbis motus parui, et eo concessi: tantamque mihi gratiam contulit Deus, ut tres fratres meis motus praedicationibus in nostrum Ordinem receperim.* Sed plures quoque alios ineruditos sane a sanctissimo viro ad concionandum missos, liquet ex nobili testimonio p. Ioannis Navarrensis, qui iureiurando et sacra attestatione gestorum s. Dominici ordine quintus, fidem fecit, qui hanc rem his verbis confirmavit: *Deo plurimum fidens ex suis etiam simplices, et indoctos hac de causa, nempe salutis animarum, cuius summa cura illi erat, ad concionandum mittebat, dicens: Bono estote animo, et sine metu ite, quia vobiscum Dominus erit, et verba vobis ministrabit, nec deesse quidquam sinet. Ibant igitur et sicut praedixerat illis, eveniebat.* 52

S. p. Dominicus spe auxilii B. M. Virginis ineptos ad praedicandum mittit felici successu.

P. Bonvisi testimonium de s. Dominico.

Praedicantibus ex Ordine praedicatorum B. Virgo adstat, eosque in praedicatione instruit, et iuvat.

Praeter visum illud beati Tancredi senensis, qui concionanti b. Dominico Sanctissimam Virginem adesse vidit, cuius iam meminimus, legimus eandem Virginem non semel visam fuisse singula verba praedicatoribus dictasse. In vita patrum praedicatorum cap. 5, part. 1, de quodam fratre refertur, qui cum ante concionem rei tractandae argumentum secum volvisset, et meditatus esset, quae dicturus erat, ubi ventum est in suggestum, alio se flecti sensit, ac de re, quam nec cogitaverat, loquutus est ad populum. Alius autem frater aderat, qui B. Virginem ei singula verba dictantem vidit, quod postea aliis narravit. Haec b. Iacobus ex Ordine cisterciensi se vidisse pro certo narrabat, ut testatur Gerardus Lemovicensis parte 1, c. 5, et Barnabas de Montalvo lib. 1 hist. Ord. cisterciensis, c. 45. 53

Idem probat visio cuiusdam eremitae, qui B. M. Virginem 54

Digitized by Google

fratres praedicatores in praedicationibus eorum specialiter invisse, et fovisse vidit. Habetur apud Choquetium libro memorato, cap. 1.

55 Eadem B. Virgo cum duobus vasis apparens b. Thaclavarata inde, martyri dominicano, uno argenteo, altero aureo: ex argenteo eum potans, cognitionem utriusque testamenti ei infudit; aureum labiis eius admovens, omnium eorum quae ad futuram vitam spectant, scientiam ei indidit, beatosque in gloria, eorum locum, ac ordinem pro ratione cuiusque meritorum ei demonstravit. Narrat Antonius de Balinghem Soc. Iesu ad diem 25 decembris in suo calendario mariano.

Moniales Ordinis s. Dominici B. Virgo instruit legere, scribere, disputare, ac praedicare docet.

56 B. Catharina senensis a B. M. Virgine in scientia erudita. In sexu quoque muliebri, quod magis mirandum est, B. V. Maria maternae suae eruditionis specimen dedit. Ex historia vitae sanctae Catharinae senensis habemus, eam a cunis ipsis primisque unguiculis angelicam salutationem didicisse, et ad singulos domus suae gradus, sive ascenderet sive descenderet, (dicam verius reperet) balbutiente lingua, flexis geniculis, in honorem B. Virginis recitasse, eandem septennem virgineum suum pudorem Christo ac B. Mariae voto nuncupasse. Cum autem desiderio scientiae legendi maxime teneretur, Deum Virginemque Matrem obnixe deprecata est, ut si illis placitum foret, legendi peritiam ipsi largirentur, quo horarias preces canonicas legere, et exsolvere posset; continuo expeditissime legere coepit, ita ut b. Raymundus Capuanus eius confessarius miraretur vehementer, sciens antea eam nec elementa colligere, imo nec litteras ipsas novisse. Catharinae senensis eruditio quanta. Crevit haec scientia divinitus indita in Catharina senense; nam adultior facta ad difficiles arduasque quaestiones, quas ei eruditissimi theologi proponebant, argutissime, felicissimeque respondit, et patri suo Raymundo obscurissima divinae Scripturae loca clare et dilucide explicavit. Et quod insolens rarumque est in illitterata, oratoriaeque facultatis inepto sexu, eloquutica eoram summis pontificibus Gregorio XI, et Urbano VI intrepide eleganterque peroravit, spectante, audiente, ac obstupescente sacro cardinalium collegio. Denique libros eruditos utilesque eodem divino, Mariaeque favore conscripsit, unum dialogorum, alterum epistolarum ad pontifices, cardinales, episcopos, reges, principes, et alios.

57 B. Margaritae a Castello eruditio a B. Virgine. Sub eadem Deiparae disciplina optime instructa doctissima evasit beata Margarita a Castello. Haec tametsi a cunis ipsis oculis capta esset, theologiae tamen, sacrarumque litterarum tantam peritiam divinitus est adepta, ut praestantes theologos in admirationem rapuerit. Beatissimae Virginis horas, officium de sancta cruce, ac integrum psalterium davidicum perfecte memoriter recitabat: et, quod admirationem excedit, ipsorum psalmorum davidicorum difficiles sane et reconditos sensus profunde, et clarissime interpretabatur supra hominum captum, et fidem. Ioannes Gavaston.

58 B. Osanna instructa a B. Virgine. Ab eadem B. M. Virgine b. Osanna mantuana, Ordinis sancti Dominici soror, nullo unquam ludimagistro usa adeo instructa fuit, ut exacte legeret, et scriberet. Franciscus ferrariensis in eius vita.

59 B. Catharinam Ricci angelus rosarium orare docet. Catharinam Ricci, iubente B. M. Virgine, ut pie credi debet, angelus eius tutelaris, cum adhuc puellula esset, perorandi rosarii modum, ordinem, rationemque edocuit. Eidem aliquando Regina coeli se conspicuam fecit in ea aetate, in qua ab archangelo Gabriele Deum conceptura salutata fuit, et nonnulla dubia seu scrupulos ei exposuit, et exemit. Seraphinus Razzius.

60 B. Agatha a B. V. Maria scribendi peritiam accepit. Tandem b. Agatha a cruce ab eadem Sanctissima Matre sibi apparente scribendi peritiam accepit.

Fratres praedicatores B. Virgo in fide confirmat.

61 S. Petrum veronensem B. V. Maria in fide confirmat. Sanctus Petrus veronensis parentibus Manichaeorum haeresi infectis natus speciali favore Deiparentis Mariae ab eorum labe impollutus mansit. Puer annorum septem scholas frequentans a patruo haeretico interrogatus, quid in iis didicisset, christianae fidei symbolum se didicisse respondit, a qua doctrina nullis patrui blanditiis ac minis, nulloque pacto dimoveri potuit. In eo fervore ac fidei constantia manens Ordinis praedicatorum institutum suscepit, in eoque proposito a B. Virgine se confortatum fuisse, ac precibus eius in fide solidatum sensit, atque ab ipsamet sibi apparente accepit haec verba: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.* Refert Thomas Leontius patriarcha ierosolymitanus in eius vita apud Surium. Eodem B. Virginis singulari patrocinio in divo Petro tantus fidei catholicae ardor exarsit, ut innumeros labores in extirpandis haereticis in Italia exantlaret, ac tandem pro eiusdem fidei dilatatione martyrii palmam meruit obtinere, ipsumque quod in scholis puer didicerat fidei symbolum, sanguine suo moriens humo inscripsit.

62 Raynerum burgensem in fide fluctuantem B. Virgo confirmat. Eodem Deiparentis favore Rainerus burgensis in fide fluctuans, et ex Ordine fugam attentans, in fide confirmatus, et in Ordine retentus fuit. Hic enim iuvenis, cum sagaci ingenio praeditus, et saecularibus litteris optime institutus fuisset, statim ac theologiae operam dare coepit, lumini supernaturali non bene praeparatus, in dogmatibus fidei dubitare coepit, et cogitare quaenam sectarum, iudaeorum, vel gentilium, an vero christianorum potiori ratione fulciretur. In rationibus gentilium philosophorum iam bene exercitatus Iudaeos quoque adibat, cum quibus de intellectu veteris legis saepius conferebat. Fratres Ordinis videntes eum ex illo Iudaeorum frequenti colloquio in fide fluctuare, ob illa familiaritate Iudaeorum iusserunt eum penitus abstinere. Id ille indigne ferens, diabolo stimulante, Religionem deserere, et media nocte ex monasterio fugam arripere proposuit, cui B. V. Maria in ipso egressu ex porta monasterii apparuit, his eum alloquens verbis: *Fluctuasti o via devius, et veritatem in fide Filii mei dubitas te invenisse. Noveris certissime quod diversis erroribus scateat per orbem gentilitas; Iudaei nihil solidi tenent, diversas umbras sequuntur nequitiae tenebris offuscati. Evangelium vero novae gratiae per hoc veritatem habere probatur, quod caritate, humilitate, et castitate refulget: quae tria in Ordine quem intrasti, purgato mentis oculo, perspicue videbis. Ego autem sum Mater Christi, patrona Ordinis tui, quae solita pietate passa non sum tuam castam indolem decipi, vel perire.*

His dictis gloriosa Virgo disparuit, et iuvenem confortatum, ac firmatum in fide in magna cordis iucunditate reliquit. Hic idem in Ordine tantum profecit, ut lector in Ordine fieret, et consummatus in brevi ad priora transiret. Scribit Thomas Cantipratanus lib. 2 apum, cap. 10, par. 19.

63 Antonius de Rispolis apostata a fide per B. Virginem ad poenitentiam reducitur. Eximiam quoque hac in parte b. Antonius de Rispolis Deiparae Virginis sensit opem. Florentiae e manibus sancti Antonini, postmodum illius urbis archiepiscopi, sacram praedicatorum vestem acceperat. Aliquot post annos in Siciliam navigavit; inde Neapolim revertens, a piratis captus, Tunetem Africae urbem ad Mauros adductus est. Ibi variis modis ab illis mahometanis exagitatus, post carceres quinque mensium, et durissimam servitutem Christi fidem, accepta quoque uxore, perfide abiuravit. Fuerat antea in Religione in Deiparam Virginem devotus, et regularis vitae observantissimus, utpote sub disciplina sancti Antonini educatus. Illa indoles antiqua multum ei profuit; nam ubi de felici morte sancti Antonini ingentibus miraculis illustrata ab Italis mercatoribus audivisset, mox fidei religionisque flammas rursus in pectore suo concepit: nondum penitus extinctus erat amor illius in Deum Virginemque Matrem. S. Antoninus sanctitatis suae fama apostatam ad fidem convertit. Unde tantam admissi sceleris poenitudinem in corde suo persensit, ut mox, reiecta a se ementita uxore, lacrymis obortis, sacra praedicatorum veste, quam penes se retinebat, resumpta, regem ipsum coram primoribus adierit, et intrepide fidem Christi confessus alcoranum diris devoverit, et seipsum perfidiae, et impietatis in Deum, ac eius Sanctissimam Matrem accusaverit. Perculit ea res graviter regem, qui Antonium prima blanditiis, deinde minis ab illa poenitudine abstrahere nititur. Constantem in teterrimum carcerem detrudunt, tres dies pro capiendo consilio ipsi indulgent. Ille totum tempus illud in precibus et lacrymis consumpsit, et ad subeundam fortiter quamvis mortem egregie se communivit. Barbari videntes se in illo operam perdere, mortis sententiam in eum dicunt, lapidibusque obrui decernunt. Ad locum supplicii veniens, sacram Ordinis sui vestem, ne suo cruore commacularetur, inter carnificum manus deposuit: atque eam catholicis traderent, eos est obtestatus, expectata ab eis mercede.

Deinde in genua provolutus oculis manibusque in coelum erectis, implorata tantisper orandi licentia, suum illum agonem Deo Virginique Matri impensius commendans, saxorum imbre obrutus invictum victori Deo spiritum reddidit. Barbari corpus eius post mortem exurere conati sunt; sed grande illud incendium, neque corpori, neque pilis quidem nocere potuit cum stupore mahometanorum, et consolatione christianorum. Barbari in maiorem ra-

Digitized by Google

biem acti, ne martyris corpus christianis in veneratione esset, per celebriora urbis compita uti mortuum canem cum ludibrio pertraxerunt, et tandem illud in cloacam proiecerunt. Inde postea a catholicis extractum, egregie ablutum et detersum, ibidem in Genuensium templo honorifice ab eis sepultum est, ubi magnis miraculis coruscat. Quae ex probatis auctoribus desumpta vide apud Choquetium libro saepius memorato, c. 10.

64 Ægidius Poncelanus per B. Virginem ad fidem reducitur.

Non absimilem Beatissimae Virginis favorem in fidei christianae constantia habere meruit noster Aegidius Poncelanus. Hic adhuc in saeculo vivens ecclesiasticis dignitatibus auctus, ad philosophiae, medicinaeque vanitatem animum appulit. Tandem in eam insaniam prolapsus est, ut magiae damnatae per septem annos operam daret, abiurata prius (proh scelus!) fide Christi, dataque daemoni proprii sanguinis syngrapha, quo opera ipsius apud omnes insignis eruditionis famam assequeretur. Et vero magnam sui nominis celebritatem et gloriam apud homines assecutus erat, sed animam suam perdiderat. Indoluit vices eius clementissima Virgo Maria, missoque ad eum angelo, eius impietatem per eum acriter increpavit. Adstitit Aegidio domi magicis artibus immerso angelus armati equitis lanceam in eum vibrantis specie, torvoque ac irato vultu, et terribili voce eum increpans, semel et iterum ait: *Impie et scelerate, muta istam vitam, ne statum muto.* Ea verba detonans, Aegidii pectus lancea, qua armatus erat, angelus leviter attigit; at Deus, agente Virgine Matre, gravius cor eius percussit, flexitque, ut Sauli instar exclamaret: *Domine quid me vis facere?* Et statim omnem illam damnatae magiae professionem, et perditae vitae pestem a se reiecit, et in Hispaniam profectus Palentiae sacrum Ordinem praedicatorum ingressus est, ubi ad tantum sanctitatis gradum pervenit, ut nunc plurimis prodigiis clarescat, et inter illustres Lusitaniae tutelares sanctos singulare festum habeat in oppido santarenensi, ubi maximo populi concursu religiose colitur. Hoc fuit singulare beneficium Deiparae Virginis Aegidio collatum. Eo non contenta clementissima Mater daemonem adhuc adegit, ut invitus ac frendens schedulam illam, quam illi Aegidius suo sanguine scriptam antea dederat, restituere coactus fuerit. Plodius, Lopez, Sampayo scribunt.

Angeli ab impietate deterrent.

65 Petrus Caralto ab insidiis diaboli per B. Virginem liberatur.

Non minorem benignitatem Sanctissimae Virginis in seipso expertus est noster Petrus Caralto, vir doctissimus, et magnis muneribus in Ordine cum laude perfunctus, Caroli Aragoniae regis confessarius. Hic aliquando, cum in gravem aegritudinem incidisset, humani generis hostem ementiti doctoris theologi habitu se invisentem habuit, qui sua fallacia studia ei offerens, ad colloquium arduum de Sanctissimae Trinitatis mysterio eum pertraxit, eique utpote theologo difficillimam quamdam quaestionem obiecit; in qua discutienda adeo contortis, et subtilibus quibusdam sophismatibus ingeniosus artifex egit, ut Petrus vi morbi deiectus, quando nedum corpus, sed etiam et ingenium flaccescere solet, a captioso theologi monstro irretiri metuerit.

Tum tacitus in Deiparae imaginem, quae e lecti sponda pendebat, oculos animumque convertit eius opem implorans. Arrisit Petro in ipsa imagine benignissima Parens, et laetioris vultus signo ingenium eius confortavit, et collustravit, quo personati theologi captiosa argumenta dilueret, quibus re vera solvendis antea satis non erat. Captiosum ergo sophistam auxilio Virginis Matris convicit et tartarum ire coegit. Haec scribunt Diagus, Plodius, Balinghem.

Donum castitatis Beatissima Virgo fratribus praedicatoribus impetrat, et huius virtutis amatores, et strenuos propugnatores fecit.

66 Castitas dominicanorum.

Cum Ordo noster ac Institutum sit non solum saluti ac perfectioni propriae vacare, sed etiam salutem aliorum impensius procurare, ad quod propter lectissimarum personarum familiaritatem castitas pernecessaria est; ipsa Deipara copioso imbre suae castitatis virginalis florigerum nostri Ordinis hortum manu sua plantare, ac benigne conspergere dignata est. Auctor vitae s. Dominici libro 6, c. 6 refert, fratres nostros propter Virginis patrocinium tanta puritate extitisse, ut quodam egregio fratre referente, compertum sit eum ipsum infra breve tempus centum fratrum generales audivisse confessiones, qui integra mente, et corpore inviolato, virginitatem conservassent. Ex quo facile de aliorum puritate, et castimonia Virginis ope servata conüci potest.

67 Thomas Cantipratanus illius saeculi scriptor nobilis, quo Institutum s. Dominici mundo exortum est, libro 2 apum, capite 10, de suis dominicanis haec scribit: *Vidimus maxime in initio Ordinis praedicatorum, videmus et nunc iuvenes inexpertos, delicatos, recenter a saeculo venientes, circuire terras socialiter combinatos, inter perversos non eversos, inter nocentes innocentes, simplices columbas inter astutissime malignantes, prudentes tamen sicut serpentes. Quis non miretur istos pueros in medio fornacis ignibus non exuri? Et haec cui imputanda sunt? nunne virtuti? Minime; sed Matri Christi.* Haec ille.

Videns tartareus hostis nostros ope Deiparentis Mariae castitatis eximios cultores esse, invidia percitus magnas eis insidias, et plurimas nocendi artes struere coepit, ut eorum castitatem everteret. Dabo nonnulla huiusmodi exempla.

Anno Domini 1221 Bononiae, ubi tunc s. p. Dominicus agebat, die quadam Satan viri nobilis speciem praeferens patrem sacristam adiit, ab eoque petiit, ut quempiam ex nostris sacerdotem accerseret, cui ille peccata sua confiteretur. Sacerdoti vocato adgeniculatur larvatus poenitens, et simulatam confessionem ab infandis obscenitatibus exorsus, adeo turpia carnis peccata referebat, et animum sacerdotis tam foedis imaginationibus exagitabat, ut nisi ille materna Virginis manu ex illis libidinum ardoribus subductus fuisset, procul dubio animus eius castus impuro illo igne arsisset. 68 Pro confessariis exemplum.

Verum sacerdos obscenitatum illarum impatiens, accepta divinitus luce, ut e Sodoma propere abiret, fuga sibi consuluit, relictoque illo tam impudente poenitente, ad orationem lacrymasque ac Deiparae praesidium confugit. Ab eo se delusum advertens daemon sacristam iterum compellat, se a sacerdote illo misere desertum conqueritur, eum impatientiae, inscitiae, ac scrupulositatis cuiusdam accusat, aptioremque alterum, peccatisque excipiendis expertiorem advocet, precatur. Sacrista factum miratur, alterum accersit, qui pari Deiparae beneficio suae salutis discrimen videns, ab eodem larvato poenitente celeriter aufugit. Ita fecit tertius, quartus, quintus, quorum castimoniam malignus ille scelerato confessionis figmento expugnare volebat.

Iam sexto fictus ille poenitens sacristam compellat, et quos is confessarios advocarat, tristi ac gemebundo similis accusat; rogatque enixe quempiam tandem, cui plus animi, constantiae, ac doctrinae sit, accerset. Ille partim rubore suffusus, partim imprudente istorum, ut opinabatur, sacerdotum facto commotus s. p. Dominicum adit, et rem totam ei narrat, precaturque, ut alicui fratri pro prudentia sua imperet, qui isti nobili satisfaciat. Stupet sanctus pater, et ipsemet poenitentem auditurus pergit.

Interim coelitus admonetur, poenitentem illum, non hominem, non nobilem, non confessionis cupidum, sed infamem Orci belluam, teterrimumque daemonem esse, qui ementitae poenitentiae fuco iocantes sacerdotes ad venerem subdolis artibus pertrahere conabatur. Accedens itaque sanctus pater: *Quid*, inquit, *hic agis cruenta bestia, coeli, terrae, orbisque universi propudium? itane meos inferno adiicere vis, quos ego in Dei gloriam destinavi, et in hominum salutem instruxi? Apage ferale monstrum, et in horridum tartari barathrum abi.* Evanuit larvatus poenitens, obstupescente aedituo, aliisque qui aderant. Refert s. Antoninus 3 p. hist. tit. 23, cap. 4, par. 6.

Aliud illustre maternae providentiae in fratribus Ordinis praedicatorum propugnandae castitatis exemplum relucet in b. Dominico, quem vulgo Hispanum a patria appellant. Ad huius labefactandam pudicitiam venerat meretrix; ille vero ultro se in ardentem rogum immisit: *En*, inquiens, *lectus*, in quo nos commisceri oportet. Sicque in igne ille etiam vestibus et capillis intactis illaesus aliquamdiu decubuit. Hoc ut vidit mulier, quasi mortua cecidit; illi vero qui latenter futurum eventum ex insidiis spectabant, beatum virum sine aliqua adustione corporis, aut vestis in mediis ignibus cernentes obstupescebant. Horrore igitur et admiratione confusi flexis genibus sanctum virum rogabant, ut ab igne surgere, et stultis praesumptionibus eorum indulgere vellet. Id referunt Gerardus lemovicensis, Stephanus Salanachus, Bernardus Guido, Flaminius, Cantipratanus et alii. 69 Castitatis insignia exempla B. Dominici cui castitas in igne iacens non exuritur.

Similibus insidiis appetitus noster b. Ioannes Waldesusius, favore B. Virginis protectus, infame scortum ad labefactandam ipsius pudicitiam a Friderico II imperatore, cuius ipse notam libidinem arguebat, immissum a se viriliter repulit, dato ei validissimo colapho, quo in terram prostravit, et turpiter eiecit. Ex chronico praedicatorum. 70

71 B. Lucia oculos sibi eruit. Eiusdem generis triumphum, auxiliante Dei Genitrice, egit b. Lucia tertium Ordinem nostrum professa. Eleganti forma corporis cum esset, a petulante quodam iuvene adamata, cum eum in oculorum suorum pulcritudine maxime flaum esse cognovisset, indoluit, spiritu divino inflammata, recolens illud evangelii: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et proiice abs te*, oculos sibi scalpello eruit, et per domesticam feminam adolescenti misit, dicens: *Oculos meos adamasti, en illos habes.* Obstupuit adolescens, et Luciae precibus lascivum amorem in castum commutans Ordini praedicatorum nomen dedit; Luciae vero, patrocinante Deipara Virgine, toto coelo ipsius facto arridente, oculi miraculose restituti fuerunt. Hoc nonnulli b. Luciae syracusanae martyri adscribunt, sed nihil huiusmodi in vita ipsius legimus. Hanc autem in Hispaniis passim cum praedicatoria veste discum et oculos manu praeferentem depictam viderunt, qui in illis regionibus fuerunt. Et praeter id de ea hoc produnt multi graves auctores, Antonius senensis, Didacus Massius, Stephanus Sampayus, Ioannes Gavaston, Michael Plodius, et alii.

72 S. Catharinae senensis castitas. Aeternam quoque a duro castitatis praelio lauream reportavit s. Catharina senensis, in quam omnem fere suam rabiem exacuerat malignus daemon, ut eam a proposito castitatis deterreret. Primo parentum animos stimulavit, ut eam nuptui traderent. Hunc conatum suum irritum cernens duriora praelia castissimae virgini intulit: spectra turpissima virorum, ac mulierum nuda corpora commiscentium, atque impurissimis verbis inter sese colloquentium pudicissimis eius oculis obiecit. Sed illa haec omnia turpitudinum monstra, auxiliante Christo sanctissimaque eius Parente, egregie repulit, exlinxit, vicit, ut historia vitae eius fusius narrat.

73 S. Vincentii Ferrerii castitas et pro castitate praelia. Non absimilia de carne contra daemonem auxiliante Deiparente Maria tropaea retulit s. Vincentius Ferrerius. Quodam tempore librum s. Hieronymi de perpetua Mariae virginitate adversus Helvidium legebat, simul Beatissimam Virginem orans, ne etiam virginitatem laedi pateretur, sed eius custos et patrona esset. Haec orans, vocem audit: *Non omnibus datum est virgines esse: Tu hucusque virginitatem conservasti, non tamen diutius te amplius tam honorato titulo gaudere.*

Expavit Vincentius; consilii inops, in genua provolutus Virginem Matrem, quam semper impense coluit, obnixe orat, ut horum verborum, immo potius horribilium minarum sensum sibi aperiret. Apparet illi Regina coeli immenso circumdata lumine: *Verba, inquiens, quae audisti, fuerunt diaboli virginitatem tuam labefactare conantis: cautus et constans omnes daemonis artes versutiasque, me auxiliante, devinces.*

Dixit, fecit; nam Vincentius ex eo tempore adeo mutatus est, ut iam non homo ex terra concretus, et corporis mole gravatus, sed angelus esse videretur.

74 Alia duo eiusdem generis certamina s. Vincentius habuit, in quibus per Dei gratiam, et Matris eius favorem victoriam retulit.

Formosa quaedam mulier Vincentii amore capta aegrotare se finxit, ad peccatorum suorum ementitam confessionem Vincentium vocavit. Adest ille: ipsa impuro igne ardens, sola cum solo relicta, ad turpe facinus beatum virum solicitare coepit. Sed (o invictum Vincentii animum!) illas omnes illecebras constanter repulit, et ardentes illas faces, quas daemon casto eius pectori per mulierem submittebat, viriliter extinxit, ita ut daemon clamaret: *Medius ex flammis Vincentius exivit.*

75 Meretrix altera fuit, quae muneribus corrupta ad labefactandam Vincentii pudicitiam a quibusdam malevolis castitati beati viri invidentibus in eius cubiculum intromissa fuit. Lenocinia frustra tentans, Vincentii sanctitate commota, scelus confessa, emendationem promisit. Haec scribit Ioannes Bonifacius ex Petro Ravescano libro 4 de vita sancti Vincentii capite 5, et 9. Idem habet Surius, Lopez, et alii.

76 Andreas Moguerius de carne triumphat. In eadem palaestra constitutus noster frater Andreas Moguerius, de prostrata carne et insidiis diaboli egregie triumphavit auxilio Dei Genitricis Mariae. Arguebat ille quorumdam nobilium hispanorum notam libidinem, utpote concionator. Illi indigne id ferentes Andream in simile scelus praecipitari conati sunt. Quare feminam quamdam nobilem forma praestantem subornarunt, quae ementita aegritudine Andream accersiri iubet, cui peccata sua confiteretur. Advolat ille utpote salutis humanae sitientissimus, abeunt ex cubiculo cuncti domestici et socius eius. Soli hostes e latebris rem spectant, exitumque expectant. Vir Dei aegram monet, ut sacram confessionem faciat. Illa vero non aliud quam confessarium laudare, eius nominis gloriam depraedicare non cessabat. Urget, rem suam agat: illa idem quod prius, repetit, ita ut vir Dei illam vi morbi delirare crederet, donec tandem impurum ignem qui in eius impudico pectore ardebat, retexit; tempus, locum, occasionemve opportunam ad perpetrandum turpe scelus esse dixit. Obstupuit castissimus vir, tantisperque siluit. Deum eiusque sanctissimam Matrem Virginem tacitus invocabat, opem eorum in tanto salutis suae periculo implorans. Pellex arbitrata Andream nutare, et tot lenociniis victum silentio sibi consensum praebere, instat, nihilque esse quod vel minimam suspicionem metueret, spopondit. Andreas post correctionem paternam, et minas divini iudicii, aeternique supplicii impudicis praeparati, videns se nihil proficere, ait: Sunt mihi sanctorum reliquiae quas religionis ergo e collo pendulas gesto; sustine, quaeso, ut eas socio meo, qui prae foribus cubiculi hic cum domesticis stat, tradam: nefas siquidem est, ut eum actum quem tu petis a me, sacras reliquias habens peragam. Annuit illa. Andreas e fornace illa ardente flammis libidinis minime adustus egrediens ad coenobium cito gradu contendit, et nunquam deinceps, etsi desideratus et invitatus, ad scortum illud, quod nobili illo stratagemate delusit, accessit. Lopez histor. part. 4. Stratagema nobile pro conservanda castitate.

Non ignobilem quoque de sua carne, patrocinante Deipara Virgine, victoriam obtinuit noster b. Ludovicus Bertrandus. Hic quoque hispanum quemdam impura libidine ardentem paterne castigavit. Ille pro eo quod monitori suo gratias agere deberet, ei insidias struere coepit, missa ad eum quadam eleganti, et corrupta puella, quae ad beatum virum nocte intempesta in paupere casa morantem venit. Cognitis insidiis vir Dei eam ad aedes suas non admisit; sed siste, ait, filia pro foribus tantisper, dum redeo. Mox sacellum vicinum ingressus, obseratis bene aedibus, orationi se dedit, acceptaque disciplina corpus suum languidum horribiliter flagellare coepit. Audivit hoc impudica illa mulier, insonuerunt in auribus eius magni gemitus, et dira flagella beati viri: iam coelitus tacta domum reverti volebat, nec poterat tamen, donec post horas tres Ludovicus redit, et domo egressus: Abi, inquit, mulier et divinae ultionis, aeternorumque suppliciorum memor a tam nefandis ausibus in posterum diligenter cave: abiit, et cuncta quae audierat, lenoni fraudisque auctori per ordinem retulit. Ille tanta sanctitate et constantia beati viri commotus veneris infame iugum, quod diu portabat, a cervicibus suis excussit. Ita refert Balthassar Rocca in vita beati Ludovici. 77 Disciplina horrenda b. Ludovici pro conservanda castitate.

Insignem quoque de carne sua, patrocinante Deipara Virgine, reportavit victoriam noster beatus Conradinus brixiensis. Huic cum ardentes libidinis faces impurus daemon submisisset, arrepto ferreo flagro, sese tamdiu diverberavit, ut copioso proprii sanguinis imbre perfusus eas penitus extinxerit, ac tota deinceps vita ex illis vulneribus cruor manavit. Post tam insignem sui ipsius victoriam B. V. Maria ei se conspicuam fecit, et coelesti quodam antidoto adversus impuram libidinem corpus eius perunxit. Haec Plodius. 78 Disciplina Conradini brixiensis.

Pro coronide horum certaminum sit b. Columba reatina, sancti Dominici Ordinem professa. Huic virgini cum aliquando stygius daemon in forma speciosi ac prorsus nudi adolescentis oculis sese obiecisset, illa arreptis pungentibus urticis tamdiu corpus suum afflixit, donec impurum illum a se abigeret. Scribit haec Ioannes Gavaston. 79 B. Columbae pro castitate certamen.

Ordinis praedicatorum homines B. Virgo noctu custodit, favet, tuetur, benedicit, aspergit.

Noctu communiter frequentiora, gravioraque hominibus occurrere solent salutis discrimina. Noctu enim non solum phantasmata, terricula, lemures, larvae, spectra, umbrae, praestigia homines molestare, et vexare solent; sed etiam suggestiones pravae, sordida somnia, mille scelerum irritamenta pro genio, et indole cuiusque occurrunt. Quare Deus protectionem suam iusto promittens, eum se protecturum a *negotio perambulante in tenebris*, hoc est, ut paraphrastes chaldaeus legit, *a daemone qui ambulat de nocte*, spondet. Hinc etiam benignae matres proles suas noctu diligentius custodire solent, curat siquidem mater ne infans cunis excidat, ut placidum somnum capiet: hinc eum modo uberibus admovet, modo blandulis demulcet, modo cunarum agitatione somnum conciliat. 80 Noctis incommoda.

*

Digitized by Google

81 Hanc maternam curam B. Virgo Maria fratribus Ordinis praedicatorum exhibuit, quos noctu visitabat, aqua lustrali aspergebat, et benedicebat. Anno Domini 1219 Romae in conventu s. Sabinae cum vir Dei Dominicus post diuturnas noctu in ecclesia preces dormitorium ingressus esset, Deipara cum sanctis virginibus Caecilia et Catharina illi apparuit ineffabili pulcritudine refulgens, et singulorum fratrum cubicula aspergens, excepto unico, atque singulos dormientes coenobitas signo crucis benedicens. Perquirenti vero quaenam esset? Sum illa, ait, quam vos misericordiae matrem, ac Dei Genitricem vocatis, quae quoties, *eia ergo advocata nostra*, concinitis, toties Filio meo vos vestrumque Ordinem precibus commendo, utque illum amplificet, et conservet, oro. Interroganti vero cur omnes, dempto uno, coelesti rore aspersisset? *Quia*, inquit, *incomposite ille in cubiculo iacet*. Sanctus Antoninus loco quo supra. Ideo legibus praedicatorum cavetur, ut fratres cum tunica, et caligis cincti dormiant, d. 1, c. 9.

Aqua lustrali B. Virgo dominicanos aspergit.

82 Eiusdem Virginis beneficio nostris obveniebat saepius dulcis somnus, suavis sopor, qui corporis vires ieiuniis, studiis, concionibus, flagellisque attritas reficiebat, pura castaque somnia conciliabat. Aliqui favore Deiparentis a custode angelo e somno ad orandum excitabantur, ut s. Raymundus vir operum sanctitate, ac miraculorum gloria illustris. Alii a sanctis cum Christo iam regnantibus noctu visitabantur, ut s. Vincentius Ferrerius, cui agente Deipara Virgine, s. pater Dominicus nocte quadam coelo delapsus adstitit, cum eoque in suo paupere strato accumbens somnum illi excussit, multaque cum illo divina colloquia habuit. Alii depulso penitus somno, tota nocte rebus divinis vacabant, coelestia meditabantur. Innumeros plane in historiis nostris habemus qui omnes pene noctes insomnes ducebant, et tota pene vita lectum repudiabant divino auxilio per Deiparam impetrato adiuti, et confortati. Hinc s. Catharinae senensi incredibiles plane, et difficillimae cum somno erant pugnae. Quibus omnibus exemplo praeivit sanctissimus dux Dominicus, qui adhuc infans saepe coelesti instinctu cunis delapsus haud siccis oculis iacere est deprehensus: adultus vero omnes pene noctes in ecclesia insomnes duxit. De quo in eius officio ita canitur: *Pernox cum Christo proprium non possidebat lectulum, Post lacrymarum fluvium vix humidans corpusculum*.

Somnum dominicanorum quam suavia et dulcia.

S. p. Dominici vigiliae.

Ab insidiis diaboli B. Virgo fratres Ordinis praedicatorum tuetur, spectra et nocturnas larvas fugat.

83 Humani generis hostis cernens quae, et quanta bona per fratres Ordinis praedicatorum Deus in animabus hominum operabatur, eos omni conatu iam inde ab Ordinis exordio turbare, vexare et dissipare nitebatur: et non solum clam per insidias, sed etiam palam accitis mille monstris, spectris, portentis, larvis, quas nostris, quocumque se vertebant, obtrudebat; speciosas et procaces mulieres conspectibus eorum praesentabat; verbera, morbos, languores adiiciebat; nonnullos corporaliter obsessos misere divexabat, adeo ut plurimi animis consternati in diversa, et non pauci (proh dolor!) ad ea quae hostis suggerebat consilia, propendere videbantur. Quidam enim horrendis illis inferorum imaginibus, et ululatibus perterriti ad saeculum redire, vestem religiosam et Institutum abiicere, nonnulli ad alias religiones commigrare, alii alia cogitabant. His tempestatibus Deus tunc nostros concuti permisit, ne multitudo revelationum, ac donorum coelestium quibus abundabant, eos extolleret: Institutique sui, ac vocationis munus agnoscerent, experirenturque, quod olim divus Paulus scripserat, non eis fore colluctationem adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus. Discerent insuper quanta tum a daemone ipso, tum a malis hominibus, puta gentilibus, haereticis, quorum errores, haeresesque eos extinguere oportebat, pro Dei gloria aliquando passuri essent.

Daemon dominicanos dissipare conatur terroribus.

Dominicanorum certamina cum daemone.

Tantarum afflictionum causae.

84 Non dissimili arte hoc saeculo nostro, nimirum anno Domini 1602 versutissimus hostis in conventu nostro salmantino novitiatum dissipare volebat. Toto pene mense novembri domum novitiorum simplicium, in quo fere ducenti tyrones Christi educabantur, horrendis spectris ac larvis infestabat, dormitorium circumcursans modo sordidum scrophae monstrum infami grunnitu referebat, modo horridam chimaeram, cui prolixi e capite capilli pendebant, venter supra modum tumidus, crura et collum instar ciconiae erant, obiiciebat, multasque alias atque alias lemurum formas, quae iuvenibus religiosis maximum terrorem incutiebant, offerebat. Ad unius praecipue tunc novitii fratris Hieronymi Maroni caput orci bestia furias suas excutiebat: ad eum in cella sua in lecto iacentem, matris iam mortuae vultu habituque assumpto, venit, eumque mille iniuriis, ac opprobriis lacessivit, quod paternam haereditatem satis amplam reliquisset, posthabitaque familiae spe, monachum se fecisset. Huius autem tam atrocis infestationis praedicti fratris Hieronymi crudelis hostis exorcismis adactus causam esse dixit, quod frater Hieronymus saepe ab eo libidine tentatus semper eum non solum reiecisset, sed infracto quoque animo irrisisset, atque contempsisset. Non defuit ope benignissima Mater nostris tot tantisque tempestatibus iactatis. Nam ubi nostri devotam illam antiphonam, *Salve Regina*, solemni ritu tunc inchoato, et usque in praesentem diem religiose conservato canere coepissent, mox larvae illae et mille monstrorum simulacra quae maxime Romae, Bononiae, et Parisiis grassabantur, evanuerunt. Fugatus est hostis, vires eius fractae, ludibria, artesque explosae, auxiliante Dei Genitrice Maria, cuius etiam ope tenebriones inferni cum spectris et larvis suis ex novitiatu salmantino fugati fuerunt. Nam cum duo ex fratribus nostris dormitorium obirent, et aqua lustrali singulorum fratrum cellas aspergerent, pronuntiatis ad uniuscuiusque ostium istis verbis, *Ave Maria*, vis tota hostis tartarei dissipata, fratribus pristina quies reddita est. Hoc refert Ioannes Lopez episcopus monopolitanus 3 p. hist. lib. 1, cap. 43.

Salmanticensium novitiatum infestat.

Salve Regina in Ordine praedicatorum qua occasione cani coeptum est.

85 Non minor cura in abigendo hoste tartareo a particularibus fratribus Ordinis praedicatorum in D. Virgine eluxit. Sanctum Vincentium Ferrerium adhuc iuvenem fallacissimus hostis in forma aegyptii monachi aetate senili, barba prolixa adiit. Adsum, inquit, ex *Ægypti* solitudinibus, ubi mirabilem continentiam cum rara abstinentia cibi et potus coniunxi. Annis iuvenilibus in voluptatibus carnisque illecebris consumptis, tandem aliquando resipui, et clementiam scelerumque meorum veniam ab Altissimo promerui; quocirca si homini seni, et usu rerum edocto habenda fides est, tu, mihi crede, maturam istam vitae austeritatem senectuti reserva; te quoque, sicuti et me, Deus tandem benigne excipiet. Expavit castissimus iuvenis, colloque responso ementito monacho dato, Beatissimam Virginem quam semper impense coluit, invocans, divinitus edoctus tartareum daemonem esse cognovit, quem signo sanctae crucis se muniens fortiter reiecit.

S. Vincentium daemon decipere satagit.

86 Beatus quoque Alanus rupensis idem auxilium B. Virginis in se ipso expertus est. Nam post septennem cum gravissimis tentationibus daemonumque spectris conflictationem, verberaque ab eis inflicta gloriosam Dei Genitricem sibi in visione apparentem, seque nedum consolantem, verum etiam uberibus lactantem habere meruit, ut supra meminimus.

B. Alanum verberatum a daemonibus B. Virgo liberat.

A multis et variis vitae periculis, et insidiis B. V. Maria fratres Ordinis praedicatorum tuetur et liberat.

87 Multa huiusmodi, et eximiae maternae providentiae in Maria nos habuisse legimus. In primis sanctissimum ducem nostrum Dominicum a praesentissimo mortis periculo favore Divae Virginis ereptum habemus. Antequam Ordinem institueret sanctus pater, ab africanis praedonibus ex hispanico litore in Gallaeciam abreptus fuit, et in triremem iniectus. Postquam praedones illi e litore solverunt, horrenda tempestas orta est in mari, eam excitante gloriosa maris Stella in illorum perditorum praedonum capita. Dominicus gravissima illa calamitate pressus D. Virgini impensius praedones illos commendabat, ne animae aeque et corporis aeternum naufragium facerent. Arrisit Deus precibus Dominici, fulmina, et venti, et insaniens mare quieverunt. Ipsa quoque Deipara Virgo beato Dominico apparens animas illorum praedonum eidem donavit, quos precibus ipsius aquis pene iam immersos, a faucibus utriusque mortis eripuit. Et ita sanctus pater noster tunc a morte liberatus est ad Dei gloriam, et tanti Ordinis, cuius auctor extitit, adinventionem, et incrementum. Haec ipsa B. Virgo b. Alano rupensi revelavit, et ille in libro de dignitate rosarii, c. 17 id retulit.

S. p. Dominicus per B. Virginem a mortis periculo liberatur.

Post institutum Ordinem s. p. Dominicus Romae in templo s. Sabinae aliquando noctu orabat: cacodaemon, ut eum non solum a contemplatione retraheret, sed et tantum orbis reformatorem, et recentior nascentis Ordinis auctorem, eiusque Institu- 8

Digitized by Google

tum funditus averteret, ingens saxum e summo templi vertice in eius caput intorsit tanto cum impetu, ut pavimenti marmor, in quod saxum illud decidit, eiusdem ictu in diversas partes scissum et confractum sit. Quod usque modo manet una cum saxo illo a daemone iacto in templi medio, supra bicubitalem columnam positum, ferrea catena, ne quis auferat, revinctum. Est nigri coloris, rotundum, et quantum opinari licet, ponderis quinquaginta librarum. Spectabat e coelo benigna Mater, cum invidus daemon saxum tam immane in clientis sui verticem dirigebat, et non est passa, ut lapis ille nedum corpus d. Dominici, verum nec cusulam eius leviter attingeret. Ugolinus lib. de stat. relig. cap. 1.

Daemon in caput s. Dominici immane saxum proiicit.

89 *B. Iordanus a daemone per conversum ad mortem sauciatus.*

Eiusdem Virginis favorem plane mirabilem in simili, immo et maiore casu expertus est b. Iordanus primus post s. Dominicum Ordinis nostri generalis magister. Romam veniens, ubi primo missam celebrasset, pro suo egregio, et Ordinis more ad infirmariam ivit aegris benedictionem, et solatium daturus. Erat ibi frater quidam conversus a maligno daemone obsessus, loris, et compedibus revinctus. Causam tantorum vinculorum e beato patre rogatus respondit, se mentis impotem hactenus fuisse, sed iam ad illius gressum sanitati restitutum. Credidit bonus pater, compedesque illius fratris solvi imperavit. Paulo post ad communem refectionem cum fratribus ivit, quem frater vinculis solutus secutus est in mensa satis modeste se habens. Gratiis dictis pro more Ordinis, b. pater ab itinere fessus non nihil somno indulsit: frater ille e daemone rursum correptus cubiculum in quo beatus pater dormiebat tacite ingressus, dormientis guttur novacula impetiit, graviter sauciavit, et tantum non iugulavit. Beatus pater excusso per dirum vulnus somno, ut vitam tueretur, furentisque impetum sisteret, manus novaculae obiecit, et digitos tres foede dilaceravit, et pene praecidit. Ad lucta illa et tumultu ceteri accurrunt, Iordanum semineccatum non sine lacrymis aspiciunt, chirurgos advocant, qui omnem artis operam frustraneam professi a solo Deo remedium expectandum esse ingenue profitentur. Ergo fratres ad B. Virginem confugiunt, eamque ferventissimis precibus biduo interpellant, ne tantum patrem, simulque suum Ordinem a daemone huius sceleris auctore opprimi, et conculcari sinat. Tertia dies iam aderat, cum vir Dei Iordanus fratri qui ei ministrabat, imperat, ut vestes sacras ceteraque missae faciendae necessaria praeparet, quod ipsemet sacris tunc operari vellet. Frater rei novitate perculsus priorem monet; is stupet, deliriumque putat. Iordanum adit, hortatur, precaturque ne id faciat: vires deesse, supremum vitae periculum adesse denuntiat. Nihil ista moratus Iordanus e strato surgit, sacrum facit. Post sumptionem sacratissimi Corporis et Sanguinis Christi digitos vix haerentes abluit; et mox, mira res! curata sua vulnera sentit, et videt, adeo ut illo ipso die coram summo pontifice, cardinaliumque ac aliorum praelatorum consessu, omnibus demirantibus, pro concione verba fecerit. Referunt Thomas Cantipratanus lib. 2 apum, cap. 57, s. Antoninus 3 p. hist. tit. 23, cap. 9, par. 3, Leander Albertus lib. 2 virorum illustr. Castillus lib. 2 hist. Ordinis praedicatorum, cap. 2, Thomas Malvenda ad annum 1227. Et licet praedicti scriptores non narrent Beatam Virginem tunc b. Iordano aut locutam, aut conspectam, coelitus tamen illud consilium de celebranda missa ad quam sanitas consecuta est, agente Deipara Virgine immissum fuisse dubitari non debet.

B. Iordanus per B. Virginem miraculose curatur.

90 *B. Tancredus ope B. Virginis a naufragio liberatur.*

Simili prodigio, opitulante Deipara Virgine, a praesenti morte liberatus fuit b. Tancredus noster a b. Iordano ad praedicandum evangelium cum aliquot sociis in Palaestinam missus. Navigans per mare, pane deficiente, angelus Virginis imperio eum Tancredo detulit; et cum saeva tempestas orta fuisset in mari, (haud dubium, quod rabidi daemonis arte) ipsa Virgo Tancredo se conspicabilem dedit, eumque et socios in mare demersos, et de vita periclitantes a praesenti morte liberavit. Plodius de progenie s. Dominici in Italia libro 1, cap. 59.

91 *Clarus Landocinus.*

Non absimili prodigio coniuratam ab hostibus mortem illaesus evasit Clarus Landocinus, qui ab impio quodam aemulo per sicarios subornatos destinatus ad necem ope Dei Genitricis Mariae, quae non uni tantum Claro visa, sed a scelestis quoque, qui ei necem inferre volebant, conspecta ictus eorum propulsavit, Clarumque statim monuit, ut Lutetiis Parisiorum desertis, Senas, unde ortus erat, repeteret. Paruit ille et in patriam redux, magnis s. Dominici exemplis, et ardentibus concionibus commotus ob memoriam beneficii accepti a B. Virgine Ordini praedicatorum, utpote familiae Virginis, nomen dedit. Plodius loco quo supra.

92 *Auxilia B. Virginis b. Ludovico impensa.*

Beatus Ludovicus Bertrandus ob singularem erga Dei Genitricem devotionem, in multis adversitatibus, et periculis eius auxilium habere meruit. Primo, in novo orbe evangelium praedicans, cum a vehementissimis imbribus, quales ibi esse solent, impediretur, quominus ad destinatum locum pro habendis concionibus perveniret, Dei Matrem supplex precabatur, ne quod ipse ardenter sitiebat, animarum lucrum tanta coeli inclementia perderet. Facta oratione iter arripit cum socio fratre Didaco Xaverio, et magno Deiparae munere ad locum destinatum prorsus ab imbre intacti perveniunt, cum tamen circa eos hinc et inde copiosissimus imber effundebatur. Altera vice saeviens tempestas b. Ludovicum ibidem in novo orbe per fluvium Magdalenae navigantem cum nave in aquam evertit; ille sub aquis Deiparae opem implorans ipsius auxilio ad litus incolumis pervenit. Tertio cum ibidem per ardua montium incederat, tygrides, aliaeque ferae ei saepius occurrebant, sed auxilio Virginis semper illaesus evasit. Quarto, Indiani gentiles irati quod b. Ludovicus ossa cuiusdam sacerdotis idololatrae quem illi colebant, eis rapuisset, toxicum ei dederunt; sed ille hausto illo veneno salvus et incolumis mansit, egresso ex ipsius visceribus serpente, gentilibus spectantibus ac stupentibus toxicum tam mortiferum Ludovico nihil nocuisse. Quinto, cum b. Ludovicus Indum quemdam pro concione illicitae libidinis arguisset, ille furore percitus in virum Dei gladium evaginavit animo necandi illum, sed ictum eius (o miraculum!) excepit subito enata arbor, quae pro viro Dei se opposuit, ut ipse illaesus maneret. Haec arbor in India vocatur *lignum sanctum*, vel a sacra Mariae manu, vel a sancti viri tutamine. Sexto, idem vir sanctus ex novo orbe reversus in Hispaniam tarraconensem turpem venerem cuiusdam viri nobilis arguebat. Ille veneris pullus iracundia furens latronem quemdam subornavit, qui Ludovicum de medio tolleret. Latro dum sclopetum contra virum Dei explodere nititur, non scopletum, sed, o rem stupendam! Christi crucifixi figuram admiranda prorsus metamorphosi in manibus se tenere conspicit. Totus exhorruit, nefandi ausus iam oblitus. Balthassar Rocca in vita b. Ludovici, Fernandez, et alii.

B. Ludovicus Bertrandus ab imbre intactus manet.

Toxica sumit illaesus.

Ab arbore miraculose enata defensus.

Crucifixi imago b. Ludovicum a morte tuetur.

93 *Petrus Caraltus ope B. Virginis mortem evadit.*

Nec minore miraculo, opitulante Virgine, mortem evasit Petrus Caraltus, olim s. Vincentii discipulus. Ibat ad Carthusiam in finibus Catalauniae sitam, quae scala coeli dicitur, et ut erat morbis et aetate gravis, mula vehebatur. Invidus cacodaemon bestiam obiecto spectro terruit, quae veluti furiis acta, optimum senem sella excussit, atque e stapede pendentem, capite deorsum terrae alliso, per multum viae spatium concitatiore cursu pertraxit. Comites qui lente sequebantur, nec excusso continuo auxilio esse potuerant, fractis iam cervicibus, eum esse mortuum credebant. Tandem mulam assecuti patrem penitus illaesum non sine magno stupore cernunt. Sacris operabatur per id temporis in illo monasterio, ad quod se conferebat Caraltus, Ioannes Fortius carthusianus, vir sanctitatis laude et spiritu prophetiae clarus. Hic ubi primum Caraltus in Carthusiam pedem intulit, mox eum salutans bonam valetudinem ei gratulatus est in haec verba: *Bene veneris, mi Caralte, optima tibi opitulatrix sospitaque obtigit, quae dum e stapede penderes, capiti tuo reliquoque corpori manum supposuit, ne saxa per quae raptabaris, vitam tibi eriperent.* Viderat nimirum vir divinus, cum ad altare staret sacris operans, Virginem Beatissimam Caralti ex mula lapsi caput, totumque corpus manibus excepisse. Refert Franciscus Diagus in hist. Aragoniae.

94 *F. Thomas a s. Ioanne favore B. Virginis a morte liberatur.*

Eumdem Virginis opem in seipso expertus est noster frater Thomas a s. Ioanne, qui postmodum ob ardens et indefessum praedicandi rosarii studium frater Thomas de rosario dictus est. Hic aliquando desperata aegritudine laborans, intempesta nocte, qua eum omnes ex hac vita transiturum credebant, cacodaemonem in specie horrendi monstri lecto suo appropinquantem vidit. Erat Thomae ad partem lecti pendens Sanctissimae Virginis imago; ad hanc ille oculis menteque conversus: *Adiuva me*, inquit, *benignissima Mater*. Vix ea fatus erat, cum Virgo ex imagine picta manum protendit, et brachium sui clientis tenens, dixit: *Ne timeas, fili mi Thoma, tibi ego praesto sum. Surge, rosarii mei cultum, ut coepisti, promove.* Surrexit Thomas integre sanus, favore Virginis a spectro daemonis, et praesenti morte liberatus. Augustinus de Avila in hist. mexicana, Fernandez, Plodius, Lopez.

95 *F. Marcus conversus ope B. Virginis a faucibus mortis ereptus.*

Eadem gloriosa Dei Mater fratrem Marcum de Mena conversum e faucibus mortis eripuit in funestissimo illo classis Indiae casu, facto anno Domini 1553, cuius naufragio septingenti fere Hispani, fractis saevissima tempestate navibus, ad Floridae litore aquis demersi perierunt, et trecenti tantum ad terram modo quo potuerunt, enatarunt. In his quinque e nostris fuerunt, quorum unus frater Marcus conversus cum a barbaris floridanis lethale vulnus accepisset, in ripa fluminis fame, sitique enectus, vestibus spoliatus, insuper a multis barbarorum sagittis, e quibus una dextro oculo infixa erat, sauciatus, exanimis iacuit, ab omnibus derelictus, ab ipsis etiam barbaris pro mortuo habitus. Adfuit ei clementissima Mater, quam ille in sui auxilium invocabat. Dum orat, ex altera ripa ad se venientes duos viros praeter morem regionis illius, et quidem splendide satis vestitos conspicit, quos voce non poterat, nutibus compellat. Qui illico adfuerunt, et foeno in cymbam immisso, straguloque e gossipio affabre contexto, in strato eum, uti commodius iaceret, molliter impositum, trium horarum spatio ad milliaria tredecim ad Tampici oram haud procul a Panuca, ubi hispanorum militum praesidium erat, feliciter advexerunt, eumque in ripa fluminis cum stragulo collocarunt, commonstratoque pago nihil aliud protulerunt, quam Tampico, Tampico, et mox evanuerunt. Marcus ad pagum progressus panem candidissimum quem illi ignoti vectores in flumine dederant, et lodicem quam sibi straverant, secum accepit, et vectores illos angelos fuisse a Deipara cui se commendabat, missos certo credidit, et pro tanto beneficio voto se obstrinxit, quotidie rosarium D. Virginis, et horarias illius preces se, si succurreret, recitaturum. Refert Avila in hist. mexicana.

96 *B. Agatha a cruce a multis variis periculis per B. Virginem liberatur.*

Plurima tum alia, tum huius generis quoque opis argumenta a Diva Virgine recepit b. Agatha a cruce. Vix sexennis cum in aggere quodam, seu prominentiore terrae cumulo cum aliis puellis staret, ab una earum protrusa, et deturbata in ipso casu clamans: *Mater Dei adiuva me*, manibus eiusdem Virginis sibi apparentis excepta nullum damnum corporis sensit. Altera vice puellam malignus daemon a scamno extrusit, quae cultrum, quo caseum cuidam mendico scindere volebat, in manu tenens digitum sibi praecidit. Apparet illi Regina coeli, et excisum digitum perfecte sanat, ne minima quidem relicta cicatrice, haec adiiciens: *Filia mea, daemonem ne extimescas; quoties enim ille tibi nocere voluerit, unigenitus meus te periculo eripiet.* Tertio, cum a consobrino suo qui ei valde infensus erat, ex alto in subiacentes rupes exturbata fuisset, Deiparentis auxilio inclamato, eam se brachiis excipientem videt, et salvantem. Quarto, Satanas pietatis osor parentes Agathae valde infestos reddiderat eam insimulans prodigalitatis, qua parentes ad inopiam redigebat. Pater itaque illise iniquior aliquando iussit, ut puella aurigam ageret, lento currum duceret, caveretque ne infans currui impositus quidquam incommodi pateretur. Supra vires suas afficium puella suscipit, at tamdiu feliciter peragit, donec clivus occurreret, in quem praecipites mulas cohibere non valens induxit. Ulterius progrediendi modum non inveniens ad Deiparam mentem, oculos, vocemque attollit: O mea Domina, unica salus mea, ni mihi nunc succurras, offensi mihique molesti parentis, quem sequi vides, manibus peribo. Audivit supplicia puellae vocem benigna Virgo, currumque in devio actum ab angelis in tutiorem locum deferri iussit. Quinta, quidam malo ferstus ad ripam fluminis Henari iuxta Complutum Agatham ense confodere tentavit; sed ab angelo in forma speciosi, et fulva caesarie adolescentis deterritus, prohibitusque fuit. Sexto, flagella quibus corpus suum Agatha disciplinare solebat, non nemo ei abstulerat; illa flagellandae carnis suae pro more cupido in paleario nova huiusmodi instrumenta, hoc est, flagella parabat. Improbus cacodaemon illius aedificii parietem commovet, et in caput Agathae deiicit, eamque tota capite et corpore ruderibus oppressam veluti sepelit. Illa in tanto discrimine Dei Matrem precibus pulsat, quae clientulae suae auxilio non defuit; amotis enim ruderibus Agatham ex praesenti vitae periculo eripuit. Antonius de Martyribus in vita b. Agathae.

97 *Margarita Diaz ope Dei Genitricis e puteo liberatur*

Margaritam Diaz assiduae vigiliae, ieiunia, disciplinae adeo debilitaverant, ut caput eius frequenti vertigine gravaretur. Accidit ut aliquando post solis occasum vehementius orans, capitis dolore obruta in proximum puteum caderet. Tota illa nocte a sororibus frustra quaesita, proximo illucescente die a conversa quadam Catharina Araes in fundo putei conspecta est. Accurrunt omnes, et ex puteo extrahunt illaesam, quae suae sospitatis auctricem faciebat augustam quamdam matronam habitu coeruleo speciosissimum pusionem inter brachia gestantem, labentique Margaritae adsistentem et dicentem: Tametsi te hinc eripere possim, uti et tueor, ne laesa sis et madida; lubet tamen ut in puteum cadas, ut beneficium meum in te collatum magis inclarescat. Lopez 3 p. lib. 1, cap. 85.

Petrus a Corduba noster evangelii praedicandi causa in Margaritae insulam novi orbis cum aliquot Hispanorum turmis adnavigaverat. Barbari tum Hispanos tum evangelium per Petrum propositum perosi in eos impetum faciunt, et Hispanos incautos misere trucidant. Solus Petrus cum socio per arma, telaque populi furentis immunis elapsus ad litus venit, ibique navem remis, velisque, et reliquo apparatu destitutam ingrediens, Virginis Matris patrocinio se committens, uno die, mari ventisque faventibus, ducenta milliaria prosperrime confecit, nauclero, seu rectore Christo, cui venti et mare obediunt; puppi vero insistente s. Dominico, ab illis, aliisque palam conspecto. Augustinus de Avila historiae mexicanae libro 1, cap. 40. 98

Zamorae in Castilia, post completorium nostris pro more meditationi vacantibus, tota structura templi, quam fornicem vocant, tremere, concutique coepit. Pauci id adverterunt contemplationi defixi. Tum ex Crucifixi imagine ad manus altare posita clara vox insonuit: *Fugite fratres.* Periculi ignaros, daemonisque versutias, et dolos metuentes, non admodum vox illa sollicitavit, donec iterum eadem altius intonuit: *Fugite fratres, tota haec moles ruit.* Illico se corripiunt, vixque postremus pedem extulerat, cum tota fornix penitus corruit. Sicque a miseranda illa clade, quae haud dubio omnes oppressisset, divinitus non sine speciali B. Virginis patrocinio erepti sunt. Ioannes Lopez 2 p. histor. lib. 1, cap. 37, et Malvenda ad annum Domini 1219. 99

Crucifixi imago dominicanos alloquitur et periculi monet.

Simile quidpiam hoc saeculo nostro anno Domini 1609 Matriti accidit. Divinis officiis noctu nostri incumbebant: ecce campana maior sponte circumacta mirum in modum insonuit. Accurrunt nostri, campanam, nullo impellente, moveri deprehendunt. Tum coelitus se commoneri alicuius magni periculi suspicantur. Ex choro itaque diffugiunt, et murus templi continuo collapsus est, qui haud dubio omnes oppressisset, ni signo illo a Diva Virgine procurato commonefacti fuissent. Choquetius lib. saepius memorato, cap. 11 circa finem. 100

Campana sponte circumacta dominicanos periculi admonet.

Osanna mantuana, virgo Divae Virgini ad stuporem addicta, Eridanum fluvium, quem vulgo Padum vocant, aliquando transiens, a vento valido navicula concussa, in fluvium cum aliis eversa est. Osanna divino auxilio, et Genitricis eius in furentis fluminis unda erecta stetit, et Crucifixi figuram manu protensa vexilli loco praeferens reliquis omnibus demersis animum addidit; sensimque omnes cum sarcinis eorum ab aqua minime madidis ad litus adduxit. Franciscus Ferarius, Hieronymus Olivetanus, Razzius, Gavaston, Plodius. 101

Hic benignum lectorem monitum velim, si praeclara aliqua nostris coelitus collata munera iam retulimus, et inferius relaturi sumus, in quibus B. Deiparentis praesentia reticetur, aut nulla eius mentio fit, ea (quae pauca sunt) tu vel nesciente Virgine, vel non opitulante facta haud credas. Si enim s. Bernardino scribere licuit istud serm. 61: *Omnes liberationes, et indulgentias factas in veteri testamento non ambigo Deum fecisse solum pro huius amore puellae et reverentia*, potiori iure dicere oportet, nostris nihil coelitus obvenisse, quod non impetraret, decerneret, procuraret, ageret Maria. Illius enim curae Christus omnes Ordines religiosorum, et specialiter Ordinem praedicatorum, ut iam vidimus, commisit: illa se matrem nostram, ut retulimus, non semel iactavit, consequenter cuncta officia matris piissimae erga nos obire dignata est. Haec commemorare volui, ut animos nostrorum ad amorem sacrosanctae Virginis Mariae magis ac magis accenderem. 102

Animadversio pernecessaria.

B. V. Maria Ordinis praedicatorum famam egregie tuetur.

Nullis nocendi artibus, excogitatisque fraudibus expleri atque saturari potuit malignissimus daemon, quin fratres praedicatores molestaret, vexaret, exagitaret. Non satis habens eos lenociniis, spectris, terriculamentis, minis, verberibus, veneris iaculis perturbare, ut vidimus; sed calumniis etiam, criminationibus, execrandisque imposturis famam eorum, bonique nominis splendorem apud populum denigrare conabatur. In eoque tunc verificatum est quod olim d. Augustinus epist. 137 de eo scripsit: *Quem* 103

Dominicanorum famam daemon per malignos denigrare satagit.

Digitized by Google

non potest devorare seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur: ut si fieri potest, opprobriis hominum, et malorum linguarum detractione deficiat, et sic in eius fauces ruat. Non potens itaque nostros variis artibus seducere, turpibus calumniis famam nostram conabatur denigrare. At Deiparae ope omnes machinationes eius in fumum abierunt, et nostri semper de falsiloquis impostoribus gloriose triumpharunt.

104 Per apostatam.

A primo nascentis Ordinis exordio scelestus quidam apostata ex Ordine nostro pauperum fratrum vitam horrendis mendaciis, imposturis, calumniis in populo lacerabat, adeo ut apud nimis credulam plebem fratribus in publicum prodire ingens esset pudor. Sed in foedo illo turbine Deipara Virgo praesto fuit, filiorumque suorum innocentiam egregie tutata est, impudentissimo illo criminatore ex publico senatus urbevetani, ubi haec gesta sunt, decreto, in vincula coniecto, ubi perditissimus homo convicia quae oblatraverat, sordide evomuit, et omnia se ex Ordinis odio, quem deseruerat, confinxisse ingenue fassus est. Ioan. Lopez lib. 1, cap. 7, Fernandez lib. 1, cap. 15. Qui etiam scriptores produnt fratrem Landricum conversum fama sanctitatis clarum, tunc morbo gravi detentum B. Virginem aspexisse una cum aliquot virginibus ad purgandum, seu eluendum quidpiam instructis. En roganti quonam properarent? De coelo advolavimus, inquit B. Virgo, ut quae suorum praedicatorum nomini et clarae famae per mendacia inusta sunt, fuliginem detergamus, pristinoque candore eos exornemus.

105 Per quaestores sordidos.

Superstite adhuc s. p. Dominico, invidus daemon in nostrorum famam per sceleratos quosdam lneriones bellum movit, eosque subornavit, ut per varia loca passim circumcursarent, lucraque consectarentur, sola veste praedicatores mentiti. Sed et hanc fuliginem foedae avaritiae, qua improbus daemon nostros maculare volebat, ut bonam existimationem eorum elevaret, B. Virgo abstersit. Nam Honorius III summus pontifex in favorem Ordinis bullam edidit, qua ubivis locorum quaestores illos sordidos, ac falsarios capere, et condemnare mandavit anno Domini 1221 occulto haud dubie Deiparae impulsu.

Non valens orcirabula nostrorum famam per hos suos emissarios labefactare, praecipuos ex Ordine nostro sanctitate, ac doctrina fulgentes variis modis infamare studuit.

106 S. Petrus martyr calumniatus.

Fulsit clarissimum sidus Ordinis nostri in ipsius initio, s. Petrus martyr de Verona, quem ob insignem puritatem, innocentiam, atque sanctitatem angeli saepius invisebant, et alloquiis dignabantur. Aliquando Bononiae in cubiculo oranti adfuere sanctae virgines Caecilia, Agnes, et Catharina martyres, et sermonem cum eo tam sonore habuerunt, ut aliqui transeuntium audierint et subintroductas aliquas mulieres impudentes putaverint, et priori detulerint. Deceptus is rem ad patres a consiliis detulit, Petrum criminis reum fecit; eo quod ille nec negaret, nec fateretur; sed a se commissorum veniam dumtaxat demisse precaretur. Procul itaque a coenobio exulare iussus, et ad monasterium esinum Marchiae anconitanae relegatus est. Patienter Petrus hanc poenam subiit; verumtamen graviter illum affligebat scandalum fratrum, iniecta multorum saluti mora, maxime vero praeclusa fidei catholicae per eum tuendae omnis spes; haec enim omnia ex turpi illa nota sequebantur. Haec itaque animo agitans ad effigiem Christi crucifixi conversus, ait: *Quare, optime Iesu, spes mea, amor meus, permisisti ut ego innocens tanta ignominia afficerer? quidnam feci ut tanto probro, et tam turpi ignominia notarer?* Ad quem imago Crucifixi clarissima voce: *Et ego, Petre,* ait, *quid feci, ut tot tantisque opprobriis onerarer, et morte turpissima condemnarer? Ex me, si nescis, disce opprobria et ignominiam patienter ferre.* Hac voce confortatus Petrus summopere gaudebat, eo quod Christo in passionibus consociari dignus esset. Postmodum explorata fuit veritas, illud colloquium Petrum cum sanctis virginibus habuisse, illaque vox Crucifixi ad eum prolata a nonnullis fuit audita. Proinde Petri innocentia sanctitasque publicata, ut longe maior deinceps fuerit ipsius gloria quam antea, magisque conspicua humilitas, patientia, devotio; adeo ut uno post anno summis omnium votis in priorem illius monasterii esini fuerit expostulatus, et renuntiatus. Plodius de progenie s. Dominici in Italia lib. 7, cap. 66.

107 B. Henricus Suso in multis calumniatus.

Henricum etiam Susonem, quem Deus tot tantisque huius vitae aerumnis, et calamitatibus obiecerat, ut merito Iobum christianum appelles, diabolus multis calumniis, et imposturis per suos administros oneraverat. Praecipua probrorum eius ad vulgi fabulam porrecta puncta haec sunt: turpi eum et libidinosa cum scorto consuetudine prolem suscepisse; ex sacro quodam eremitorio pecunias, sacramque supellectilem furto sustulisse; digitum sibi ultro ad cruorem pupugisse, eoque Crucifixi imaginem marmoream illinivisse, atque insigni impostura sordidi quaestus causa ex Crucifixi latere cruorem manare in plebem evulgasse; nonnulla e fide catholica exorbitantia scripsisse; pacto cum Iudaeis pretio, omnes Alsatiae puteos fontesque veneno inficere voluisse. Maxima ista prorsusque horrenda probra refert Surius in vita eius cap. 25, 27, et 40. Sed haec omnia vir sanctus ope Dei, ac Genitricis eius superavit, et postmodum clarior evasit.

Anno Domini 1313, mortuo Henrico VII imperatore, magna in Ordinem praedicatorum persecutio minus iuste fuit exorta ob putidam calumniam Bernardo Politiano dominicano inustam. Bernardus religionem praedicatorum a multis annis professus propter innocentiae, sanctitatis ac doctrinae famam Henrico imperatori in confessarium et capellanum datus fuit. In magna familiaritate et gratia apud imperatorem vivens, principibus ipsis nedum par, verum quasi superior videbatur, cum apud eum omnia posset. Contigit imperatorem in vigilia assumptionis B. M. Virginis infirmari, et sequenti festivo die sacrosanctis Sacramentis refici, cuius pro more suo frater Bernardus confessionem audivit, eique sanctissimum Christi Corpus manibus suis porrexit. Post communionem morbus ingravescere coepit, adeo ut imperatorem nono die s. Bartholomaeo sacra extinxerit. Hinc malevolorum Bernardo gratiam Caesaris invidentium maligna vox, quasi ipse hostiam sacram veneno imbutam Caesari nefarie porrexit, et pro vita mortem, toxicumque saevum dederit. Alii dicebant, quod ipse praedicator venenum sub ungue digiti tenens absconsum, post communionem potui Caesaris immisisset, et illico discessisset. Cum tamen frater Bernardus, imperatore defuncto, non ad Florentinos, neque ad Robertum Siciliae regem, quorum consiliis ut sacram hostiam veneno infectam Caesari daret, subornatus fuisset, et magno pretio conductus dicebatur, confugerit; sed penes amicos Henrici Caesaris remanserit; male ea res habuit licet iniuste Bernardum Politianum, sed magis iniuste totum Ordinem praedicatorum. Quamvis enim frater ille a crimine sibi obiecto innocens non fuisset; unius tamen hominis crimen in totum Ordinem referendum non erat. Iuvit hac in parte familiam suam benigna mater V. Maria, et huius ficti rumoris vanitatem ostendit primo per medicos, qui exenterati imperatoris corpus post mortem diligenter inspexerunt, nullaque indicia veneni offenderunt, idque litteris et instrumentis publicis testati sunt; deinde per Ioannem Bohemiae regem eiusdem Henrici Caesaris filium, ac Balduinum archiepiscopum treverensem eiusdem Caesaris fratrem. Insuper per plurimos cardinales, episcopum aretinum, aliosque episcopos, praelatos, ac proceres Germaniae imperatori ac imperio fidelissimos, qui omnes tum viva voce, tum litteris suis innocentiam Bernardi dominicani protestati sunt, et gravem calumniam innocuo fratri illatam fuisse toti orbi ostenderunt. Testantur id gravissimi auctores apud Bzovium tom. 14 ad annum Domini 1313. Maximiliano II Romanorum imperatore Ratisbonae exhibitum fuit ipsum originale Balduini archiepiscopi treverensis manu subscriptum, in quo innocentiam praefati fratris Bernardi tuetur. Ita Ordinem praedicatorum ea de re amplissima testimonia habere certum est. Vide Nicolaum Serarium libro 5 rerum moguntinarum.

108 Ob Henrici VII imperatoris mortem dominicani multas calumnias iniuste patiuntur.

Calumniam ob Henrici VII imperatoris necem dominicanis inustam B. Virgo abstersit.

Apologia pro dominicanis in causa mortis Henrici VII imperatoris.

Cum autem hic falsus rumor increbesceret, dicerentque malevoli, fratres praedicatores, ob crimen Caesaris in hostia consecrata intoxicati per unum Instituti eorum, omnes a papa hac poena notatos, ut usque in praesentem diem ac deinceps communicantes in altari eorum sacerdotes sinistra se manu communicerent: praedicatorum Ordinis patres a Sede apostolica cognitores causae postularunt, et post diligentem inquisitionem a iudicibus designatis ea labe detersa, innocentiae Bernardi testimonium obtinuerunt, et ipsius Clementis V sententia frater Bernardus innocens tam atrocissimi sacrilegii pari cum impietate commenti absolutus, et pronuntiatus est.

Alia calumnia de communione manu sinistra.

Aliquis male feriatus huius saeculi chronographus hanc calumniam orco iam pridem sepultam, perpetuoque igni damnatam infami calamo, maiora inscitia, quam conscientia ab inferno revocavit, splendide mentitus fratribus Ordinis praedicatorum poenitentiae et satisfactionis loco datum esse, ut celebrantes sacrosanctam Eucharistiam sinistra manu recipiant, cum haec caeremonia una cum ipso instituto praedicatorum Ordine fere centum annis ante suscitatam calumniam observata fuisset, repraesen-

Dominicani cur manu sinistra communicant.

tandi mysterii causa. Cum enim beatae illae mentes perenni gloria cum Christo fruentes habeant *delectationes in dextera Dei usque in finem*, ut psalmista psalm. 15, 10 ait; mortalibus hominibus sufficit easdem delectationes in sinistra Dei reconditas habere. Cui rei insinuandae praedicatores ab initio instituerunt e sinistra Deum sumere, hoc est, communicare: praesertim cum laeva manus, interprete divo Gregorio, praescutis vitae statum, filios irae, passiones Christi, quas ille in corpore suo mortali pro nobis sustinuit, significet. Praedicatores itaque recolentes se esse in praesenti vita variis miseriis, periculisque referta ex filiis irae filios Dei per passionem et crucem Christi factos, manu sinistra eundem Christum praeferunt, atque manducant, maxime quod id caeremoniae sinistra communicandi datum fuerit Ordini praedicatorum a sancta Sede apostolica propter triumphatam a praedicatoribus fratribus berengarianam haeresim, sanctissimae Eucharistiae potissimum infestam, temporibus d. Dominici, et s. Petri martyris reviviscentem. Ita Bzovius noster loco quo supra, ex annalibus fratrum praedicatorum. Facessat igitur impudens calumnia.

109 Caroli IV imperatoris observantia erga dominicanos.

Verum cum ille falsus rumor de intoxicato in sacra hostia Henrico imperatore nondum perfecte sopitus fuisset, Carolus IV imperator Ioannis Bohemiae regis filius, et nepos Henrici imperatoris, ut quicquid in Germania a rumore disperso infamiae superarat, abstergeret, magnis precibus apud magistrum generalem praedicatorum fratrem Simeonem lingonensem, ut Pragae metropoli Bohemorum comitia generalia sui Ordinis celebraret, obtinuit. Parum aequiores huic Ordini inter vulgus divulgabant, imperatorem capita eius Instituti causa vindicandi avi eo loci evocasse, cum ille die sacro Pentecostes solemniori missae sacrificio imperiali purpura ac diademate una cum imperatrice pari maiestate praelustri ornatus, inter patres Ordinis praedicatorum in choro conspicuus, etiam sacram Eucharistiam ex manu sacrificantis generalis sumere cum fratribus iunioribus sub maioris sacri finem voluisset, duo diplomata aureis bullis appensis signata, pro immunitate et libertate Ordinis eiusdem inter offertorii mysteria obtulisset. Deinde secunda solemnitatis Pentecostes die eum omnes fratres in arce regis imperiali epulo, ministrantibus proceribus, coram se excepisset; et sub horam vespertinarum precum, omnibus fratribus totius palatii ornatum, gazam et thesauros imperatorios ostendisset, ac postmodum in cathedralem ipse duxisset, sacram supellectilem basilicae et divorum pignora illis exposuisset, ac tandem ad monasterium maximo cum honore ipse praesens eosdem praedicatores reduxisset ingenti suffusione adversariorum, qui non nisi lanienam innocentium somniabant, certoque certius expectabant. Bzovius ad annum Domini 1313. Hoc autem capitulum Pragae celebratum fuit anno Domini 1354.

Non hic fuit finis calumniarum, quas teterrimus daemon per emissarios suos in Ordinem praedicatorum iaciebat, florentem eius honorem denigrare, et eximiam sanctitatis laudem opprimere cupiens in personis, per quas plurimum honoris Ordini accedere videbat.

110 S. Vincentii innocentia declaratur.

Sanctum Vincentium Ferrerium quem, ut antea diximus, lenociniis carnis superare non valebat, calumniis eius gloriam obscurare studuit, subornando prostituti pudoris feminam, quae de vi sibi illata, et turpitudine intentata virum Dei calumniari ausa fuit. At non tulit Deus ausum tam impium diu sine poena manere. Mox eam tartareus tortor invasit, qui cum exorcismis adigeretur, ut illam Dei creaturam desereret, non aliud retulit quam inde se non abiturum donec accederet, egredique iuberet ille, qui in medio flammarum non arsit. Obstupuere omnes nec obscuri aenigmatis Oedipum invenire poterant. Dum ergo rem serio agunt, in mentem venit virum Dei Vincentium, qui paulo ante ad excipiendam eius confessionem vocatus, loco confessionis ad turpe facinus ab eadem sollicitatus fuerat, rursus accire, quique miserae feminae postremam confessionem audiret, et afflictam apud Deum precibus iuvaret. Vincentius tergiversari coepit, metuens ne in easdem flammas quas paulo ante auxiliante Deo evaserat, rursus incideret. Vicit tandem caritas, ut obsessam inviseret, et afflictae, si quid posset, succurreret. Vix domum ingressus est, mox ipsam feminam quam antea criminatricem habuit, suae innocentiae et sanctitatis testem expertus est. Statim enim daemon alta voce clamare coepit: Iste est qui in medio ignis adustus non fuit. Dixit, et de corpore illo quod obsederat, aufugit. Hinc Vincentii innocentia, puritas, ac sanctitas magis ac magis clarescere coepit. Surius in vita s. Vincentii.

111 Ioannes Vincentius calumniatus purgatur.

Iisdem telis, hoc est procacibus linguis, expositus Ioannes Vincentius noster, adiuvante Deo, patrocinante gloriosa Virgine, illaesus evasit. Blateronum nonnemo ad Gregorium IX detulit quasi Ioannes intollerabili fastu pontificios honores affectaret. Pontifex in Ioannem exasperatus diris eum devovere volebat; sed eius innocentiam, agente Deipara Virgine, cui devotus erat, sanctus episcopus mutinensis, egregie tutatus est: *Non decet*, inquit, *Pater sancte, in talem virum accelerare sententiam, nisi prius quae narrata sunt, diligenter investigata fuerint, et probata.* Cui papa: *Mihi satis constat, quae mihi narrata sunt, nec ullo modo a ferenda sententia retardabor.* Quod ut vidit episcopus ille, rogat coram omnibus sibi textum evangelicum exhiberi; positisque tribus digitis super textum evangelii dixit: *Iuro in haec sancta verba, quod propriis oculis vidi, dum frater Ioannes accusatus, praedicaturus in populo exedram ascendisset, quod angelus Domini de coelo descendens crucem auream fronti praedicantis infixit, et hoc nulli hominum revelassem, nisi casus iste occurrisset ad excusandam innocentiam sancti viri.* Ad haec verba papa in lacrymis effusus mitigatus est, et missis nuntiis Bononiam, relationem illam falsissimam fuisse comprobavit. Narrat Thomas Cantipratanus lib. 2 apum, c. 1, num. 3.

112 B. Venturinus bergomas calumniatus innocens declaratur.

Beatus Venturinus bergomas simili telo petulantis linguae a quodam scholastico confossus, patrocinante Deipara Virgine illaesus mansit. Nam praefatus scholasticus, qui in b. Venturinum multa crimina confinxerat, quadam vice in templum praedicatorum ingressus, Venturinum orantem, a terraque elevatum tam alte, ut imaginem coram qua orabat, altitudine superaret, vidit, et sacratissimam Deiparam cum eo familiariter colloquentem conspexit. Exhorruit, et calumnias, quas contra virum Dei effutiverat, ex animo revocavit, quid miraculi circa Venturinum viderat, omnibus aperuit; et quem antea iniuria affecerat, postea valde dilexit, et coram omnibus laudavit, praedicavit, commendavit. Bonifacius hist. Virg. lib. 3.

Eiusdem b. Venturini inculpatissimam vitam quidam blateronum lacerabat. Sed mox vir Dei ope Virginis probum quemdam hominem testem suae innocentiae invenit, qui divino impulsu coram adstantibus pedem in flammas immisit, diutiusque in igne detinuit penitus illaesum, quo sancti viri innocentiam testaretur. Bonifacius loco quo supra.

Idem b. Venturinus per malevolos multarum criminationum fasce oppressus, a Benedicto XII pontifice tum munere concionandi, tum confessiones excipiendi facultate privatus est. Postmodum patrocinante Virgine Matre, cui secundum Deum impense serviebat, ad tantam nominis claritatem venit, ut omnes Galliarum, Hispaniarum, Germaniae, maiorisque Britanniae populos, quibus concionabatur, in sui admirationem tantum rapuerit, ut non tantum eum convenire, et cum illo colloquia miscere magnae felicitatis loco ducerent; sed etiam si epistolam aliquam ab eo extorquerent, se beatos reputabant. Suis namque litteris tantam virtutem Deus indiderat, ut earum lectione, tactuve, immo et solo aspectu gravi morbo laborantes curarentur, daemonesque fugarentur, aliaque innumera beneficia mortalibus conferrentur. Scribunt haec Hieronymus Borsellus, Taegius, Leander, Albertus, Ferd. Castilius, Plodius.

113 In b. Bonaventuram calumniae.

Non quievit orcus contra nostros per malevolos homines calumnias evomere. In his b. Bonaventurae nostri eximiam sanctitatis laudem opprimere voluit hoc modo. Senis in Tuscia erat notissima meretrix, cuius nomen historiae non produnt, amorum, gratiarum, pulcritudinis, venustatisque prodigium. Huius faciem ementitus nefarius daemon in coenobium praedicatorum clam latenterque irrepsit; tandemque in Bonaventurae cubiculum ingressus spectantium oculis evasuit. Mox per monasterium vox spargitur, scortum illud nobile in monasterio esse, et in cellam Bonaventurae intromissum esse. Tumultuantis, et irruentis populi clamoribus oppressus prior, clamores illos aliter sedare, et turpe illud dedecus a conventu propulsare non valens, et licet fratris Bonaventurae sanctitatem satis perspectam haberet, coactus est tamen Bonaventurae cubiculum lustrandi; et lupam illam pervestigandi copiam facere. Ocyus igitur illi ad cellam Bonaventurae properant, certi praedam quam venabantur, illic se capturos. Ostium cellae aperiunt, solumque Bonaventuram orantem multo, et insolito lumine cinctum cum Christo, ante cuius crucifixi imaginem genibus provolutus erat,

Digitized by Google

colloquentem reperiunt. Obstupuere omnes, et pudore suffusi abierunt, sed non impune; egit enim Deipara Virgo, ut temerarii illi, ac petulantes coenobii irruptores poenas darent, et in ipso coenobii vestibulo a conspicuis inferni monstris vapularent, adiecta hac clara voce: *Discite aliorum facta non observare, et famam bonorum non denigrare*. Scribunt Gregorius Lombardellus, et Ioannes Lopez 3 p. c. 18.

Aliud bellum non minus atrox contra famam fratris Bonaventurae movit improbus daemon.

Ad conventum senensem theologus quidam ex parisiensi conventu venerat, libros complures instruendis bibliothecis bononiensi, et senensi maximo aere Parisiis coemptos secum advexerat, necessariam sane Ordini praedicatorum supellectilem. Hos libros fraudum ingeniosus artifex daemon in Bonaventurae cubiculum furtive detulit. Theologus ille, ut libros sublatos conspexit, priori de crimine, gravique damno conquestus est, rogavitque, ut iis perquirendis recuperandisque omnem operam, atque industriam suam conferat. Prior rem silentio premens omnium et singulorum fratrum cubicula lustravit, excepta Bonaventurae cubiculo, cuius vitae probitatem, atque integritatem exploratam habens, extra cuiusvis suspicionis notam eum ponebat. Nulla igitur in cellis fratrum deprehenso furti, seu librorum vestigio, aborta est, nescitur quo auctore, sed haud dubium a daemone, in conventu vox, lustrandum quoque esse Bonaventurae cubiculum: quod scilicet nonnullorum interdum maior sit celebritas, quam innocentia, saepeque accidere, ut quidam externa virtutis specie personati in omnium generum scelera sint profusi, cum et angelus satanae quandoque se transfiguret in angelum lucis. Igitur ad cubiculum viri Dei itur: libri furto sublati perquiruntur, et ibi reperiuntur.

Cunctis attonitis et stupentibus, ea res sanctitatem Bonaventurae dubiam fecit. Ille vero integer vitae, scelerisque purus, in ipsa patrum corona genibus provolutus, animo atque oculis in coelum sublatis, alta perspicuaque oratione Deum suae innocentiae testem invocavit, simulque indicem tanti criminis, et imposturae oravit: Deus innocentiae tutor, et amator, et tu clientum tuorum miseratrix Maria, vobis perspectus est huius fraudis auctor, et criminis impostor; facite, quaeso, ut hic coram omnibus se sistat, et libros quos ipse in meum cubiculum me inscio detulit, restituat, et in priorem locum referat. Vix orationem finierat, ecce teterrimum diaboli monstrum in publicum prodiit, et sublatos a se libros ad praesentium fratrum conventum deportavit, eosque in priore loco reposuit, et infrendens abiit. Gregorius Lombardellus, et Ioannes Lopes loco quo supra.

114 B. Stephana calumniata defenditur a Deo.

Stephanam quoque soncinatem, tertii Ordinis s. Dominici monialem, iisdem calumniarum telis malignus daemon confodit, cuius lectissimum virginei pudoris florem per quamdam impudicam feminam traducere ausus fuit: quam, inquit, Stephanam a probitate vitae extollitis, hanc ego versutae meretriculae loco habeo. Hanc procacitatem linguae Deus non impunitam esse voluit; nam ubi maledica illa femina domum rediit, in aheneum aqua fervente plenum (a quo factum, cuiusve impulsu nescitur) misera capite decidit; periissetque, ni quam citissime adiuta fuisset provido Dei nutu, ut crimen fassa, veniam a Stephana deprecaretur, quam se iniuste diffamasse ingenue confessa est.

Eandem Stephanam male feriatus quidam, et insolens adolescens egressus: Videris, inquit, mihi uterum gestare, bona mulier: eamque insecutus, eadem verba petulanter ingeminabat, addebatque se omnino cupere illius prolem e lustrali fonte suscipere. Illa vero: Abscede, quaeso, a me, bone vir, neque enim si verum esset quod optas, tempus erit id tibi peragendi. Ita accidit, proxima quippe nocte pugione confossus, nullo unquam deprehenso auctore miserrime interiit.

Rursus, mulier quaedam non procul a Soncino eandem Stephanam procaci lingua diffamabat; sed mox malignus daemon eam obsedit, et tamdiu divexavit, donec Stephana signo crucis miserae fronti impresso ulterem sceleris ex illo hospitio expulit. Scribunt Seraphinus Razzius, Ioannes Lopes 4 p. histor. capite 72, Ioan. Govaston.

Superiore saeculo, anno nimirum 1591, Dominico genere Baetico, qui in novo orbe assiduo concionandi studio multa idola paganorum, daemonumque aras everterat, ureus clari nominis famam adimere volens, turpem impudicitiae labem ei inurere volebat, subornata quadam barbarae illius gentis muliere, quae ab improbis quibusdam pretio conducta stupri et excitatae prolis reum proclamabat. Sed illius innocentiae vindex fuit Deipara Maria, quae effecit, ut impudens illa mulier improbitatis faecem, quam imbiberat, evomeret. Dominicus enim excitatae prolis falso accusatus coram multis nobilibus hispanis, indisque viris ad ecclesiam veniens, sublatis in coelum oculis, infantem a matris sinu abripit, hisque eam verbis compellat. Si filius iste est meus, illum mihi servabo, et probe educari curabo. Mulier divini numinis impulsu, mox materna viscera induit, et Dominicum cum prole recedentem insecuta: Natum, inquit, matri suae redde, in quem nihil tibi iuris est; patrem huius pueri te calumnia finxit; malevoli me in tuum exitium, pacta etiam mercede, armarunt, et ut ego mendacium dicerem, conduxerunt. Tua tibi integritas satis sit, tantum tu meum infantem redde. Obstupuere omnes, pallescere nocentes, scelus suum ingenue fateri, veniamque deprecari coeperunt. Tunc mentita est iniquitas sibi, ut Mariae clienti splendida victoriae tropaea cesserunt. Hyacinthus Choquetius libro saepius memorato.

115 Dominici baetici fama a B. Virgine defensa.

Novissime, cum nondum controversia illa de conceptione B. M. Virginis sopita fuisset, et fratres praedicatores pro more suo antiquitatis tenaces, antiquam illam de conceptione B. M. Virginis tuerentur sententiam, nec permitterent se pertrahi in illam, quam adversa pars magis tutam, et magis piam appellabat doctrinam, scientes sine hac illorum praetensa pietate tot saeculis ante Ecclesiam Dei stetisse, floruisse, et erga Deiparentem Mariam satis piam fuisse; recolentes quoque, quam puram, quam veridicam, quam solidam s. Thomae aquinatis semper secuti fuerint doctrinam, ex qua tot errores eliminarunt, tot haereses iugularunt, tot profanas novitates exploserunt: attendentes insuper se speciali Dei, et apostolicae Sedis munere aliorum doctrinarum plurimis in locis, atque adeo in ipsa urbe Roma, totius universi schola, inquisitores, censores, ac iudices constitutos, non ex re putabant ad clamores nonnullorum pondus doctrinae thomisticae elevare cupientium doctrinam doctoris sui angelici apostolico ore toties laudatam, ab Ecclesia canonizatam, a tot tantisque sanctis patribus receptam, a se per tot saecula praedicatam, et propugnatam deserere, fidemque semel traditam mutare. Antiquus hostis tantam constantiam praedicatorum ferre non valens, per suos emissarios, et quod magis mirandum et dolendum, fidei domesticos eos infamare, et vulgi fabulam facere curavit, quasi praedicatores Ecclesiae romanae non essent bene consentientes, Deiparae Virginis hostes, utpote puritati eius infensi.

116 Dominicani cur antiquam illam de conceptione B. M. Virginis opinionem tutati sunt.

Quo impostura tantam persecutionem in nos commovit, ut in plerisque urbibus, in Hispania praesertim, nostri a catholicis veluti ab Ecclesia romana degeneres haberentur, et veluti Deiparae hostes tam indigne tractarentur, ut eos ex civitatibus pellere, conventus seu monasteria eorum funditus evertere conarentur. His non contenti praedicatorum aemuli, quo pondus doctrinae thomisticae enervarent, et splendorem nominis praedicatorii obfuscarent, subornata Philippo Hispaniarum rege catholico, aliisque plurimis principibus, a sancta Sede apostolica instanter petierunt, ut antiquam illam thomistarum sententiam, quam ipsi non excogitarant, sed in Ecclesia invenerant, exploderet, reiiceret, condemnaret; suam vero novam populo magis plausibilem dogma fidei faceret (1).

Dominicanorum persecutio ob opinionem conceptionis immaculatae B. Virginis contrariam.

(1) Ne quis in errorem incidat haec et sequentia legendo, notandum est quod auctor bona fide, ut par est credere, multa dicit falsa. Sententiam negantem immaculatam conceptionem B. M. Virginis vocat antiquam: quid hoc falsius? Erat tam recens, ut opposita sit dogma fidei, et veritates fidei sunt tam antiquae, quam Ecclesia, quae semper eas credidit et docuit. Sententiam negantem dicit esse sententiam doctoris angelici: et cum s. Thomas in aliis suis operibus, ubi incidit sermo de Virgine et de peccato, semper aperte et conceptis verbis dicit Deiparam immunem ab omni labe originali et actuali, recte concluditur quod in Summa, ne sit sibi contrarius, loquatur de conceptione activa, non passiva: eo magis quod solet in Summa advertere sententias sibi assertas, et ibi retractatas, quod nullo modo facit in casu praesenti, et sic doctorem angelicum exponunt doctores ex ipso Ordine praedicatorum omnem aliam explicationem reiicientes ut arbitrariam, propriam eorum qui nesciunt intelligere verba in sensu auctoris. V. f. August. Pacificum sicani. In op. la Chiesa Cattolica circa l'Immac. Concezione contra tutte le eresie, epoca 2, art. s. Tommaso di Aquino, ubi probe et solide de hoc tractat. Dicit quod praedicatorum aemuli, subornato Philippo rege catholico, aliisque plurimis principibus, a Sede apostolica instanter petierunt ut thomistarum sententiam, quam ipsi non excogitarant, sed in Ecclesia invenerant, condemnaret, et suam novam dogma fidei faceret. Quot falsitates! Quid nunc diceret auctor, cum re vera condemnata sit sententia, quam ipse vocat thomistarum, ac proinde quam isti certe excogitarant, non invenerant in Ecclesia, et ea quam ipse dicit novam, re vera sit veritas ad fidem catholicam pertinens, ut Ecclesia definivit? quid diceret

In his turbinibus Ordo praedicatorum Virgini Matri opitulatrici suae se plurimum commendavit, eam obnixe rogans, ut familiam suam tot beneficiis, et favoribus a se decoratam a tantis impostoris, et opprobriis vindicaret, os loquentium iniqua obstrueret, et linguam eorum impudentem, et conatus acerbos reprimeret. Audivit preces clientum suorum benignissima Virgo. Nam summi pontifices Xystus IV, Pius V, ac Paulus V, haud dubie Deo, Virgineque Matre agentibus, bullas ediderunt, in quibus perspicuis verbis testati sunt utramque partem, quod scilicet fuerit, vel non fuerit Beata Virgo concepta in peccato originali, non esse erroneam, aut haereticam, cum neutra pars nondum sit determinata ab Ecclesia romana omnium ecclesiarum matre, et magistra; consequenter testati sunt praedicatores, nunquam ab Ecclesia romana in hoc, vel simili puncto dissensisse, multo minus aliquid contra honorem Deiparentis Mariae sentire, vel sensisse.

Nam et Gregorius XV pontifex de determinatione huius controversiae summa cum instantia interpellatus, indicto silentio parti affirmativae, ad submovenda scandala, rixas, et contentiones pro defensione praedicatorum, ne malevoli os suum in coelum ponerent, et se vicisse gloriarentur, per Eminentissimos et Reverendissimos dominos sanctae romanae Ecclesiae cardinales adversus haereticam pravitatem inquisitores generales, hanc clausulam in fine sui diplomatis apponi curavit: *Per huiusmodi tamen provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus praeiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu et terminis in quibus de praesenti reperitur, praeterquam quoad supra disposita.* Quibus verbis aperte testatus est, praedicatores nihil unquam contra Ecclesiam romanam, vel honorem Deiparentis Mariae sensisse, credidisse, docuisse, ut male feriati vociferabantur. Nemo enim Ecclesiae romanae ac Deiparentis Mariae honorem melius tueri potest, quam summus Ecclesiae Dei antistes, pontifex romanus.

117 Dominicanorum aemuli.

Plurimas alias calumnias, convicia, contumelias turpiter eructavit orcus adversus praedicatores regno inferni plurimum incommodantes. Et hodie (proh dolor!) non solum per haereticos, sed etiam per domesticos fidei in eosdem multa convicia, probra, maledicta iacit. Scribuntur, dictantur in scholis, pueris, feminisque, ac imperitae plebi obtruduntur convicia, fabulae, imposturae adversus praedicatorum Ordinis fratres; iam et sanctorum cum Deo regnantium honori impie adeo detrahitur, ut cuiusvis cordati sensatique viri animus stupeat, et horrescat.

Dabunt illi poenas, Deo vindice; nos interea Deiparenti augustissimae, ac matri nostrae benignissimae, cuius beneficio et favore tot impias linguas superavimus, nostram causam commendamus, gratias immortales ei agentes, quod omnes furentis inferni machinationes contra nos destruxit, dissipavit, annullavit.

Patientiae exemplum.

Interim tamen parati sumus, quamdiu Ipsa nos pati voluerit, saepius recolentes, quod Christus b. Margaritae sabaudae Ordinis nostri professae oranti, ut eam electorum suorum numero adscriberet, in visione apparens, et tres lanceas in quibus singulis singula verba inscripta erant: *Calumniae, aegritudines, persecutiones*, ei offerens, dixit: *Elige quam vis.* Illa divinae providentiae se committens nullam delegit, sed omnes tulit; et quod praeferebant, magno cum salutis suae fenore experta est: iubente siquidem Christo calumniam patientissime tulit.

At nihilominus boni eius nominis celebritatem Deus semper defendit, et impostores acriter punivit. Illustris siquidem femina, quae illi contumeliosa fuerat, per annos tres miserando partu monstrorum mater extitit, donec culpam suam fateretur, veniamque a b. Margarita enixius deprecaretur. Plodius, et Seraphinus Razzius.

Ipsum nos faciamus, contumelias patienter toleremus: Christi tum documentis, tum exemplis eruditi inimicos amore prosequamur. Ita fiet ut sycophantarum molitiones omnes feliciter eludemus; et auxiliante Deo eiusque gloriosa Genitrice, de impudentia nobilem triumphum agemus. Amen.

Ordinem praedicatorum afflictum B. Virgo tuetur, eiusque personas afflictas solatur.

Non satis habuit tartareus hostis Ordinem praedicatorum iam ubique florentem variis artibus, fraudibus, terroribus, lenociniis, imposturis, calumniis exagitare: validiores adhuc machinas adhibuit, cum principes viros ecclesiasticos, atque adeo ipsum summum pontificem in nos concitavit, volens duos praeclarissimos Ordines praedicatorum videlicet, et minorum per eos concutere, et penitus perdere. 118

119 Innocentii IV studium erga Ordinem praedicatorum.

Innocentius IV summus pontifex tunc in cathedra Petri sedebat, qui prae ceteris s. Dominici Ordinem impense diligebat, adeoque in eum propensissimus erat, ut in eum tota fere studia sua effundere videretur.

Ex Ordine praedicatorum tam multos, et tam crebro ad episcopalem dignitatem assumebat, ut Ordini ipsi gravissimum esset, tot viris vitae integritate atque eruditione clarissimis in dies orbari; unde Ioannes Teutonicus, qui episcopatum bissinensem abdicarat, generalis magister Ordinis factus suo totiusque Ordinis nomine eidem Innocentio IV ea de re supplicavit.

Prima persecutio ab Innocentio IV.

Cui pontifex ex Christi sententia dixisse fertur: *Lucernam sub modio ponendam non esse, sed palam in publicum commodum proponendam: quare servus ille, qui talentum abdiderat, a Domino damnatus est.* Hunc igitur Innocentium scelestissimus orci fabulo improbis, subdolisque sugillationibus in suam sententiam pertraxit, atque in praedicatorum familiam tam fortiter armavit, ut iam non Innocentius, sed nocentissimus nobis esse coeperit, maioreque odio nos prosequeretur, quam unquam antea diligebat. Pontificis exasperati animum romanae aulae proceres, Italiaque pene tota, necnon aliae provinciae et regna catholica secuta sunt. Hinc haud difficile fuit daemoni efficere, ut pauperes religiosi toto fere orbe a plurimis atque a plebe vilissimis ludibrio haberentur, graviaque ubique damna paterentur. Maxime cum Innocentius IV pontifex maximus privilegiis, tum quae sui antecessores fratribus dederant, tum quae ipse amplissima contulerat, eos penitus exuisset, et sub gravibus poenis prohibuisset, ne populus christianus diebus dominicis, et festivis ad nostras ecclesias ad audienda divina confluerit, sed omnes ad suas parochias se conferrent, nec coram fratribus sine licentia speciali parochorum sacras confessiones facerent, nec quando episcopus praedicaret, vel coram se solemniter praedicare faceret, nostri minime praedicare possent. Et ut de funeralibus portionem canonicam, etiam non requisiti, infra octo dies dare tenerentur parochis, de quorum parochiis defuncti essent. Iisdem calamitatibus premebatur etiam sacer Ordo minorum. Utraque familia auxiliares manus Dei Genitricis Virginis ardentissimis votis expetebat. At nostri quidem (nostra quippe tantum hic prosequimur) ad solita B. M. Virginis praesidia, indictis precibus et quotidianis litaniis, confugerunt, quae dum Romae in coenobio sanctae Sabinae recitarentur, uni ex fratribus contigit, ut ipsam Virginem videret super altare stantem una cum Filio, ita ut ipso vultu fratrum moerorem, et lacrymas, quas uberius fundebant, misereri videretur. Cum itaque in litaniis iterarent haec verba: *Christe audi nos, Christe exaudi nos,* Deipara Virgo ad Filium conversa ait: *Fili exaudi eos.* Nec multo post Innocentius IV in sua sententia permanens, Neapoli gravi infirmitate percussus, advertens se male egisse religiosos molestando, ad cor rediens, dixit: *Propter iniquitatem corripuisti hominem, et tabescere fecisti sicut araneam cor eius,* statimque ex hac vita migravit.

(Innocentius IV fratribus Ordinis praedicatorum quam gravis.)

Litaniae praedicatorum.

Cui succedens Alexander papa IV, bullam Innocentii contra mendicantes revocavit, et nullius roboris esse voluit, et aliam amplissimam in favorem Ordinum edidit. Ex quo tempore cardinales, et alii praelati dicere solebant: *Cavete a litaniis praedicatorum, quia mirabilia faciunt.* Chronicon Ordinis praedicatorum. Thomas Cantipratanus lib. 2 apum, capite 10, numero 21 narrat, quemdam virum sanctissimum extra muros urbis Romae visionem habuisse, Innocentium ipsum post mortem sanctis Dei Francisco atque Dominico, maximis maximorum Ordinum conditoribus, ad iudicandum datum fuisse.

auctor, si nunc viveret, et legeret epistolas omnium episcoporum orbis, qui non subornati, ut ipse multa temeritate asserit de principibus catholicis, sed respondendo interrogationibus Summi Pontificis, omnes uno ore, nemine excepto, testati sunt hanc esse fidem omnium populorum, quod B. V. Maria sine originali labe fuerit concepta, et omnes pariter enixe rogarunt, ut ipse, cuius est confirmare fratres in fide, et per quem loquitur Petrus, votis omnium catholicorum tandem satisfaceret, et quod a tot saeculis omnes petierunt, tandem a Sede apostolica audirent, conceptionem Deiparam fuisse immaculatam? Et nos vidimus quanta exultatione totus orbis haec veritas fuerit definita. Haec duximus animadvertenda, ne incauti errent. Valde dolendum est, quod auctor noster, ubi agitur de immaculata conceptione, caecutit in luce meridiana obrepius amore partium; idque obscurat omnem gloriam, quae ex his discursibus in laudem B. Virginis tanto labore, zelo, et doctrina scriptis ipsi merito provenit. *Editor*

Innocentii IV laus.

Opinamur tamen ab his iudicibus eum Innocentio benignius actum, eo quod pontificatum cum laude gessit, et praedicatorum ac minorum Ordinibus antea deditissimus fuit; Petrum veronensem Ordinis praedicatorum sanctorum catalogo adscripsit; nativitatis B. V. Mariae octavam in Ecclesia primus celebrem constituit; ac demum a se perperam gestorum seriam poenitentiam habuit.

120 Secunda persecutio a magistris parisiensibus et Guilielmo de sancto amore in dominicanos, et conviciorum puncta.

Vix praeclarissimi isti duo Ordines praedicatorum et minorum furentem Innocentii turbinem evitarunt, cum nova saeviorque eos iactare coepit tempestas. Guilielmus de sancto amore academicus parisiensis cum nonnullis eiusdem professionis sodalibus in Ordinem praedicatorum, ac minorum atrox bellum movit: et iam non in privilegia, dignitatemque solummodo, (quod ab Innocentia actum fuerat) verum etiam in ipsammet Religionem institutam, vitamque saeviit. Docendi munus religioso Ordini consentaneum non esse: monasticam vitam professos academicos gradus, magisteriique lauream acceptare ab omni ratione alienum esse: religiosos concionari, confessiones excipere, ne quidem cum summi pontificis consensu posse: religiosos artibus illiberalibus, seu mechanicis insudare debere: omnibus omnino opibus se exuere, nec precario ex eleemosynis etiam ultro datis eos vivere fas non esse dicebant, scribebant, praedicabant. Tam execranda convicia nunc libellis, nunc iustis voluminibus, tum prosa, tum versu, tum soluta oratione conscribebant, eaque tum sacrae Scripturae, tum veterum patrum auctoritatibus in suum adulterinum sensum contortis fulciebant. Ulterius, viliores eorum vestes, uti et studium litterarium damnabant. Eos semper se domi continere, neque huc, aut illuc sub specie pietatis ex monasteriis exire valebant; secus otiosos ambulones, et ardeliones vocitabant.

Insuper illos accusabant, quod suis criminatoribus obsisterent, ius bonoremque suum tuerentur, vindictam appeterent, populo placere studerent, quaedam per eos divina virtute patrari gauderent, principum aulas frequentarent; tantaque maledicta in fratres tum nostros, tum franciscanos congerebant, ut eos fures, latrones, pseudoprophetas, pseudoapostolos, insignes hypocritas, atque antichristi prodromos, in scholis, in exedris, domi, forisque pronuntiarent. Tam nefanda dementia, tantisque ineptiis multos eorum discipulos adeo dementarant, ut eos in suas partes pertraxerint.

S. Thomae aquinatis despectio.

Quin etiam eo temeritatis, atque insaniae virus prorupit, ut concionante Parisiis angelico doctore Thoma aquinate in templo Beatissimae Virginis ipsa dominica palmarum, Guillotus quidam academiae parisiensis caduceator, (quem ipsi bidellum vocant) in mediam ipsam concionem prosilierit, productaque infami adversus sanctum doctorem libello conscripto, horrenda in ipsum convicia blasphemo ore iecerit, inconditisque clamoribus tanto doctori publice silentium indixerit. Huius tam funestae tragoediae dux, auctor, et incentor fuit Guilielmus a sancto amore

Dominicanorum hostes.

matisconensis in Heduis canonicus, cui adhaeserunt Giraldus quidam, Odo duacensis, Nicolaus barriensis, Christianus bellovacensis, Laurentius anglus, Philippus Cancellarius, Desiderius lombardus, omnes parisiensis academiae doctores. Tantis tempestatibus vexati religiosi Ordines unicam spem suam secundum Deum in Deiparente Maria collocabant. Quocirca a b. Umberto Ordinis praedicatorum generali magistro per totum Ordinem indictae fuerunt preces, nec vanae, nec cassae. Nam subito Deus, patrocinante potentissima Maria, nonnullos viros sapientiae, cui non potuerunt resistere omnes adversarii nostri, suscitavit, inter quos Hugonem nostrum S. R. E. cardinalem, qui pro Ordinibus mendicantium fortiter se opposuit. Insuper instruxit sapientia solidaque doctrinae veritate b. Albertum magnum, qui Anagniae Guilielmum solertissimum calumniarum artificem, impudentissimumque sycophantam, hostium omnium ducem coram Alexandro IV pontifice accitum magno rationum pondere repressit, et expugnavit. Calamum quoque in eumdem Guilielmum, eiusque complices strinxerunt duo clarissima christiani orbis lumina, s. Thomas aquinas, et s. Bonaventura, quo omnem illam impietatem iugularunt editis binis innocentiae nostrae tuendae apologeticis opusculis. Egit quoque Deipara, ut Alexander IV Guilielmi infamem librum condemnaret, idque tum academiae parisiensi, tum Galliarum episcopis, ac demum universo orbi notificaret, dato apostolico diplomate 3 cal. aprilis, pontificatus sui anno 3, eumque librum, uti multorum errorum sentinam, in ipsa urbe Roma publice cremari mandavit: ipsum vero libri auctorem Guilielmum, tum sacris ordinibus, tum beneficiis et dignitatibus ecclesiasticis omnibus privavit. Sanctus quoque Ludovicus ea tempestate Galliarum rex eumdem blateronem Guilielmum ex omnibus regni sui finibus exulem fecit. Civitas etiam parisiensis Guillotum, qui sancto Thomae concionanti publice insultabat, bidelli officio exauctoratum in sceleris vindictam expulit. Severiorem Numinis animadversionem in sacrorum Ordinum hostes lege apud Cantipratanum lib. 2 apum, c. 10 usque ad n. 36, et lib. 1, c. 19, n. 5, et 6.

121 Tertia persecutio ab assentatoribus Ioannis XXII.

Ab infesta hac calamitate vix respiravit praedicatorum Ordo, cum alia tempestas eos excepit a quibusdam, qui Ioanni XXII plus aequo adhaerebant. Is pontifex suffultus nonnullorum antiquiorum doctorum, quos Xystus senensis noster lib. 6 bibliothecae sanctae, adnotatione 345 enumerat, auctoritate in partem quorumdam fratrum minorum asserentium animas iustorum a corpore separatas non statim beata visione divinae essentiae frui, sed eam usque ad diem iudicii expectare, inclinaverat; eamque pro concione non decernendo, sed disserendo recitabat. Nostri, ne infelix tanti erroris lolium succresceret, primi se opposuere,

Ioannis XXII opinio de visione divinae essentiae animarum separatarum post mortem.

et ex sacrae Scripturae auctoritatibus, et exemplis ostendebant, animas iustorum mox a corpore solutas coelos ad felicem visionem divinitatis penetrare; idque pars calamo, uti Durandus de sancto Portiano, pars in scholis, pars in suggestu strenue propugnabant. Itaque ab assentatoribus Ioannis XXII multa mala perpessi sunt; nam frater Thomas Valensis anglus, qui opinionem pontificis pro concione in amplissimo episcoporum et patrum consessu sententiis, rationibus, et exemplis historicis exagitaverat, et in assertores illius divinam maledictionem pronuntiaverat, Avenione in die s. Ioannis evangelistae in carceres coniectus fuit, et veritatis animose praedicatae poenas dedit. Frater quoque Durandus ob id Lutetia ad pontificem uti criminis reus evocatus fuit.

Sed non diu ista persecutio duravit, Deo cor pontificis inspirante, qui litteris Philippi regis Gallorum, et Roberti Siculorum ex sententia plurimorum theologorum commonitus, ne se contra torrentem doctorum, et ipsius Christi ad latronem dicentis: *Hodie mecum eris in paradiso*, verbis opponeret, neque hac opinatione maculam nomini suo inureret, ab ea quaestione destitit, et ingenue professus est: *Nunquam meae intentionis fuit dicere aliquid contra fidem. Etsi aliquid diximus, totum ex nunc revocamus*, teste Guilielmo Ochamo, dialogo 1, p. 2, cap. 9, et 10. Apud Bzovium, anno Domini 331, n. 11.

122 Quarta persecutio a Benedicti XII assentatoribus.

Non cessavit Orcus contra nostros bellum movere. Benedictum XII per nonnullos, qui Ordinem sancti Francisci deseruerant, et nostrum ementita virtutis specie amplexi fuerant, in odium concitavit. Male feriati illi, larvati dominicani, nostras leges pertaesi, paupertatem nostram religiosam contemptum parere, ob frequentes mendicationes, et crebriores oppidatim, vicatimque conciones habendi causa, cursitationes asserebant: ob eamque neque contemplationi, neque monasticae solitudini, neque studio locum ullum esse dicebant, aliaque his similia mentiebantur; et pertractis in suam sententiam nonnullis aliis cosmophilis et delicatis, summo pontifici Benedicto XII libellos supplices porrexerant, et contra instituta fratrum praedicatorum conquesti sunt. Pontifex faciles malo feriatis viris aures praebuit, offensus tum b. Venturini nostri concionatoris apud eum multis criminationibus infamati, tum nostrorum animositate depugnantium contra Ioannem XXII in opinione quam diximus, (erat enim Ioan. XXII ex sorore nepos) primaevum legum nostrarum tenorem vetusque institutum ab Ordine nostro proscribere voluit. Quin etiam voluit ut nostri ipsi avitas leges, sacraque sua instituta rescindi, antiquari, exauctorari ultro paterent. Sed ista procella non diu duravit, paucos siquidem post menses fatis concessit Benedictus; sicque idem odii in nostros finis fuit, qui vitae.

Dominicani in persecutionibus fortes.

Quia hic non admiretur Sanctissimae Dei Genitricis erga Ordinem praedicatorum miram providentiam, et singularem tutelam? Totus pene orbis christianus pauperi, et recenter nato Ordini insidiatur; ipsi summi pontifices, penes quos est suprema in christianum orbem potestas, extrema minantur; currentibus calcar addunt sexcenti assentatores; nulla succurrunt humana praesidia; doctores, theologi, academici viri in eum linguam, et calamum stringunt; crescit in dies nocendi ardor, atque in omne latus se vertunt, et omnem lapidem movent praedicatorum aemuli; longo tempore sudant hostium ingenia, et unum pauperem Ordinem solo Virginis patrocinio confidentem subvertere non valent.

Siquidem quoties, vel pontifices, vel theologi, vel quivis alii hostes nominum, vel stylum suum contra praedicatores armare voluerunt, toties vel a morbo, vel a matura morte, vel ab alio infortunio, vel potius plaga divina impediti fuerunt.

123 Taceo gravissimam persecutionem quam Ordo noster a Ludovico bavaro imperatore (qualis qualis ille fuerit) pertulit, aliasque saevissimas in Ordinem praedicatorum per improbos, et mala cruce dignos nebulones commotas tempestates. Ex quibus omnibus liberavit nos Dominus, et eripuit de manu omnium qui oderunt nos. Gratias tibi, Deus; gratias tibi quoque, Sanctissima Virgo Maria, qui Ordinem nostrum inter tot procellas, turbines, ac tempestates nedum illaesum, verum et florentem conservatis, fovetis, augetis, et favoribus decoratis.

B. V. Maria ad Ordinem praedicatorum multos allicit, invitat, et inconstantes confirmat.

124 Tot tantisque tempestatibus, ut vidimus, Ordo praedicatorum iactatus, vix possibile erat, ut consisteret, ni ei succurrisset, opemque tulisset benignissima Mater Virgo Maria. Pleriaque enim machinationibus, variisque artibus daemonis, nonnulli calumniis, imposturisque ab improbis in Ordinem effusis deterriti, pars continuis persecutionibus scandalizati, reliqui paupertate religiosa, gravioribus ieiuniis, silentii strictioris austeritate, accurataque legum Ordinis observantia averai ab hoc sacro instituto animum prorsus abiiciebant.

B. Reginaldus ad Ordinem praedicatorum multos sua praedicatione traxit.

Hinc primi illi patres, maxime b. Reginaldus, Clarus, Rudolphus valde soliciti erant, Deumque ac B. Virginem ardentissimis precibus exorabant, ne nascens tam praeclara Religio, insignis Deiparae fetus, in cunis ipsis miserando illo, foetidoque daemonis afflatu extingueretur. Succurrit, opemque tulit B. Virgo Ordini, quem ipsa a Filio impetraverat Reginaldi, Clari, Rudolphique precibus exorata. Reginaldus, ut erat concionator eximius, ad constantiam in primis fratres est cohortatus, illoque spiritu apostolico Bononiae Verbum Dei praedicans, in ipsa urbe supra centum tum viros, cum adolescentes, tam doctrina, tam dignitate, quam sanguine illustros ad Ordinem praedicatorum adduxit.

Clarus vero, et ipse per Beatam Virginem ad Ordinem vocatus, antea iurisprudentiae professor, cum pluribus divino spiritu adductis rationibus, exemplisque deiectos animos fratrum erigere satagebat, et eas qui in saeculo vivebant, ad amplectendum statum religiosum provocabat; in quibus Rolandum cremonensem, celeberrimum tunc Bononiae professorem Christo lucratus est.

Rudolphus ecclesiae s. Nicolai rector, quam annuente Legato, nostris donaverat, mirum in modum Ordinem nostrum promovens per somnum vidit Christum, eiusque Sanctissimam Matrem una cum b. Nicolao Myrae episcopo, qui caput eius manu demulcens eum hortatus est, ut moestitiam omnem poneret, felicissimumque fore Ordinis praedicatorum progressum non dubitaret, moxque ei ostendit navem in Rheno flumine Bononiam alluenta varia in praedicatorum veste plenam. Aspicis, inquit, Rudolphe, istam virorum eiusdem Instituti multitudinem? Confide, singularis est Virgini Deiparae de huius Ordinis progressu cura, ideoque, illa auspice, futurum est, ut totum impleat orbem. Choquetius ex chronico fratrum praedicatorum capite 9. Sed iam libet nominatim recensere eos, qui per B. V. Mariam ad Ordinem praedicatorum vocati fuerunt.

125 Ad Ordinem praedicatorum per B. Virginem vocati.

Tancredus teutonus magni nominis, baro in aula Friderici II Caesaris, cum secum perpendisset, quanta salutis discrimina secum veheret illa vitae ratio, quam profitebatur, B. Virginem assiduis precibus interpellabat, ut sibi ostenderet viam, qua securo tramite ad aeternam vitam perveniret. Apparet ei Regina coeli, dicens: *Ad meam familiam cito accede.* Expergefactus, cum seriem somni non intelligeret, et Reginam coeli interim precaretur, iterum obdormiscenti duo viri praedicatoria toga induti in somnis apparuere, ex quibus senior: En, inquit, a Beata Deipara desideras in viam salutis dirigi. Ad nostros itaque declina, et saluti tuae consulueris. Secundo excitatus, cum ad missam audiendam iret, obviam habuit Richardum bononiensis coenobii praefectum cum socio exeuntem.

Hunc cum nunquam antea vidisset, et somnii circumstantias expenderet, obstupuit, et ex effigie illum ei similem, quem per quietem viderat, esse cognovit. Igitur rebus suis consulens, vestimenta sanctae conversationis accepit, et nobilitatem generis nobilitate instituti, atque vivendi sanctimonia illustravit. Lemovicensis p. 4, c. 3, Plodius, Bzovius, Fernandez apud Choquetum, c. 21.

Henricus itidem teutonus, aliquando ante Christi iudicis tribunal in visione raptus expavit. Quare B. Virgini saepius supplicabat, ut sibi salutis viam pro suo genio inspirare, et demonstrare dignaretur. Post longas preces cum lacrymis coniunctas Deus tandem Matris precibus exoratus Henrici cor inspiravit, ut ad Ordinem praedicatorum transiret, quod et fecit a b. Reginaldo Ordinis habitu indutus. Lemovicensis p. 4, c. 3. 126

Tancredus, nobilis senensis, cum Senis s. Dominicum aliquoties concionantem audisset, Beatissimam Deiparam illius lateri adstantem, quaeque is diceret suggerentem aspexit: cum vero vir Dei ex suggestu descenderet, eandem Virginem Matrem sibi b. Dominicum digito demonstrantem, ut quae eum sequeretur, illique adhaereret, indicantem vidit. Quo ex viso Mariae obtemperans Ordini praedicatorum nomen dedit. Choquetius loco quo supra. 127

Clarus Landocious, aeque ac Tancredus, s. Dominici concionem audiens, eademque Deipara agente, quae eum Parisiis palam conspecta a perditis sicariis liberaverat, ad Ordinem praedicatorum transiit. Plodius lib. 1. 128

Nicolaus Fortiguerius senensis, eques ac palatinus a Caesare creatus, huius mundi vanitate spreta, inspirante haud dubie B. Virgine, cui tum tota civitas senensis, tum ipse devotus erat, saeculo nuntium remisit, et Ordini praedicatorum nomen suum dedit. Plodius loco quo supra. 129

Alberto quoque magno eiusmodi beneficium collatum fuisse a Deipara Virgine Antonius Flaminius his ipsis verbis narrat. Igitur Albertus pueritiam transgressus, et sextum decimum aetatis annum agens, templum (quod frequenter faciebat) alim ingressus, orationi tota mente erat intentus, et gloriosam Virginem in primis precabatur, ut sibi adesset, ut dubium et plenum discriminis adolescentiae suae iter in viam salutis aeternae dirigeret. Adfuit illa continuo, et coelesti voce allocuta supplicem suum bono animo esse iussit. Verum illud prae ceteris monuit, ut relictis huius vitae illecebris, tutiorem vivendi modum iniret, et recens orto praedicatorum Ordini, quem ipsa nuper a Filio ad sustentandum christianae reipublicae labentem statum impetrasset, sese insereret, pollicita fore ut sapientia sua, quam divinitus acciperet, in lumen totius Ecclesiae ingens evaderet. Institutum itaque fratrum Ordinis praedicatorum amplexus est, ubi quantum in sanctitate, et doctrina profecerit, orbis totus clamat, et nos alibi dicemus. Vide inferius num. 134. 130

B. Albertus magnus a B. Virgine ad Ordinem praedicatorum vocatus.

Adolescens quidam, cuius nomen praeterit Gerardus lemovicensis, Lutetiae, exacto philosophici studii curriculo, Deo Virginique Matri humillime supplicabat, ut vitae rationem quam complecteretur, illi praemonstrare dignaretur. Audivit vocem ipsius benignissima Virgo; mox enim divinitus inspiratus Lutetiam ivit, ibique praedicatorum Ordini tum recenter efflorescenti sese adiunxit. Exploratis in novitiatu nostrorum moribus, paupertate, vestis novitate, et rigidiore disciplina, cum quorumdam male feriatorum maledicas linguas in Ordinem nostrum vibratas innuisset, nutare, et arrepti propositi poenitere coepit: donec iterum iterumque Deiparam ardenter precatus eam in visione sibi apparentem, nostros fratres, vestes, eamque tradendi ritum per omnia illi commonstrantem habere meruit. Quo coelesti viso confortatus in Ordine praedicatorum mansit et doctrinae ac sanctitatis fama floruit. Utinam Gerardus qui haec scribit, nomen illius non praeterisset: quanquam id ab eo factum existimamus, quod is etiamnum superstes esset. 131

Beatum Gundisalvum de Amarantho eadem Sacratissima Virgo ad s. Dominici castra pertraxit hoc modo, quem narra. Antea annis aliquot vitam eremiticam ducebat, quando obortum illi dubium est, quod etiam animum eius valde augebat: num ista vitae eius ratio Deo Virginique Matri placeret, an vera alia acceptior esset. Oranti et insonanti Beatissima Virgo immenso circumdata lumine apparet: *Ex religiosis*, inquit, *Ordinibus*, unum *perquire, qui sacrum de me officium, seu preces horarias omnes a salutatione angelica auspicatur, eiusque habitum indue, regularem vitam profitere, et observa*. Gundisalvus tametsi coelesti viso atque oraculo laetior, animum tamen anxium habuit, perquirens quisnam talis Ordo esset, qui officium divinum a salutatione angelica inchoaret, Deo ita disponente, Vimeranum venit, in nostro conventu a b. Petro Gonzalez Telmo tunc priore hospitio 132

benigne exceptus ad matutinas preces cum nostris properavit. Cum statim priorem in dormitario matutinas preces inchoantem audivit: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum*, et conventum prosequentem, *Benedicta tu in mulieribus*, etc. altero tertioque die idipsum audiens prae laetitiae magnitudine vix capere valens, iamque se voti compotem factum praesagiens, rursum ab angelo monitus illum ipsum Ordinem esse Virgini iucundissimum, in quem ut ingrederetur, ipsa monuit, praedicatorum Ordini nomen suum dedit, in eoque tantum profecit, quantum postea sanctitas eius declaravit. Scribunt Resendius, Sampayus in vita Gundisalvi.

133 Alterius adolescentis burgundi, suppresso quoque nomine, meminit Gerardus lemovicensis 4 p. c. 3, quem sacra Deipara ad Ordinem praedicatorum traxit hoc modo. Rogabat frequenter B. Virginem, ut dirigeret vitam eius, daretque sibi gratiam veniendi ad Ordinem illum, qui sibi magis acceptus esset, dicens versiculum illum: *Notam fac mihi, Domine, viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.* Haec dicens videre sibi visus est, quod preces suae ad B. Virginem longo tempore fusae ad Ordinem praedicatorum eum dirigerent divinitus; maxime cum id etiam quidam vir sanctus, et litteratus ei consilium dederit, ut videlicet Institutum fratrum praedicatorum amplecteretur. Amplexus igitur Ordinem nostrum nocte quadam in visione vidit B. Virginem duabus sanctis virginibus comitatam, ad se venientem, suavissimi odoris fragrantia redolentem. Ab hac igitur percunctans, si illud quod de ingressu sibi inspiratum habuit, divinitus factum fuisset, audivit vocem dicentem sibi: Persevera sicut coepisti. Itaque multum consolatus in Ordine sanctissime vixit.

134 Nunc eos quos iam sacrae militiae adscriptos orcus ad defectionem provocabat, sed insigni Deiparentis Mariae favore confirmati in proposito fuerunt, enumeremus.

B. Albertus magnus a B. Virgine scientiarum copiam accepit.

In primis b. Albertus magnus sextodecimo aetatis suae anno in nostrum Ordinem ingressus, cum in litteris pene nihil proficeret, eo quod ingenio ac memoria esset tardiore, tanto affici coepit taedio, ut etiam de religiosa vita deserenda tentaretur. In fluctuatione dum haereret, visum est ei nocte quadam, cum scalis ad monasterii muros admotis abire pararet, apparere matronas quatuor venerabili admodum vultu, quarum una, deinde altera, semel iam atque iterum scandentem manu impulsum deturbaret, cum autem tertio idem conaretur, interrogatum esse a tertia, quidnam ageret, et qua de causa; qua exposita, monuisse illam, ut opem potius a quarta matrona, quae Dei Mater coelique Regina esset, exposceret: se vero cum reliquis deprecatione adiuturam. Paruit ille, et benigne acceptus a Virgine, insuper interrogatus est, utra in scientia excellere mallet, divina an naturali. Tum adolescens, qui pro aetate nihil aliud altius gustasset, eam philosophiam dixisset: Fiat, inquit illa, quod petisti. Sed tamen quia scientiam hanc Filii mei scientiae praetulisti, extrema vita omnem perdes doctrinam, et in hanc ipsam, quam nunc exues, hebetudinem reincides. Nec mora, viso dilapso, statim se mutatum sensit, quicquid audiret, quicquid legeret, facillime capiebat: aut si quid paulo difficilius incidisset, cum se ad Virginem deprecandam quasi promissum efflagitans convertisset, illico consequebatur. Quare cum tantus talisque vir evasisset, et postea multos annos tum docendo, tum scribendo consumpsisset, denique triennio antequam a vita migraret, dum publice e cathedra aliquid interpretaretur, repente omnem sibi memoriam rerum omnium quas tenebat, funditus excidisse sensit. Tum ille coram omnibus, qui astabant, quid sibi adolescenti accidisset, enarravit, ac professus, si quid postea sibi eveniret, se fidei articulos ex animo amplecti, inque eorum confessione emori velle, descendit e suggestu et vitae reliquum magna in simplicitate egit nullum religiosi officium praetermittens. Platus lib. 2, cap. 3, ex Humberto apud Bzovium anno Domini 1227, num. 20.

135 Non minore favore a Deipara Virgine decoratus fuit Raynerus burgensis, qui non solum religionem deserere, sed etiam a fide catholica desciscere cogitans, ab apparente sibi gloriosa Dei Genitrice retentus, et in fide confirmatus fuit. Historiam superius fusius narravimus, num. 62.

136 Benedictus Lombardus adolescens postquam praedicatorum Ordini nomen dedisset, ab hoste humani generis gravissime exagitabatur, ut susceptum Institutum desereret. Die quadam, dum coram sacra B. Virginis imagine vehementius oraret, ut sibi auxilio esset, seque in arrepto proposito iuvaret, Virginis imago blandule suaviterque ei arridere, eumque veluti solari visa est. Nocte sequenti eadem cum precaretur, visus est sibi a duobus viris ex coenobio abripi, qui ei profanas vestes ultro obtrudebant, atque per vim iniiciebant. Hoc viso supra modum territus exclamavit: Mater Dei conserva me in hoc poenitentiae statu. Tunc subito vox ad eum: *Prorsus faciam, et libentissime quidem.* Et illico molestissima illa inferni monstra evanuerunt, et Benedicto optatissima quies reddita est. Scribunt Castilius c. 62, Fernandez lib. 1 de rosario, c. 10.

Simile gratiae munus a Beata Virgine obtinuit Baldovinus de Axella, qui bono zelo Institutum amplexus, propter graves tentationes id deserere cogitabat. Erat antea decanus. Saepius itaque animo revolvens se antea pastoris officio in Ecclesia functum, uberes fructus produxisse, praedicasse, infirmos visitasse, confessiones audisse, conscientiis aliorum consuluisse, sacramenta cum multa diligentia, ac pietate ministrasse, ex fructibus beneficii eleemosynas in pauperes erogasse; nunc vero in coenobio sub quiete et silentio, quasi sibi soli vivere, et aliorum eleemosynis sustentari. Male res ea eum habuit, adeo ut fratribus eum cohortantibus, et tentationem diabolicam esse dicentibus non crederet, sed obstinato animo ad pristinam vitam redire vellet. Sic ergo constitutus in animo ad altare B. Virginis de rosario prius accessit, quasi supremum vale dicturus. Orat, et oranti somnus obrepsit. Obdormiscenti B. Virgo duabus puellis sociata, quae in manibus suis duos scyphos portabant, quorum alterum arreptum Regina coeli offerebat fratri: *Balduine*, inquiens, *satis laborasti, bibe modo.* Ceterum ille ut potionem gustarat, visa est illi prorsus insuavis, et corrugabat faciem. Unde rogat illum Virgo Beata, cur sic se habeat, quidve hauserit? Ille respondit, potum insipidum faecibusque permixtum esse: tum alium illi scyphum porrigenti ait: *Et hunc degusta.* Quod ut fecit, rogat illum eadem: *Dic iam quid biberis?* Tum ille: *Vinum prorsus optimum, dulcissimum, et defaecatum.* Ad haec Virgo Regina: *Sicut*, inquit, *maxima est distantia has inter potiones, sic maior est disparitas inter vitam bonam quam ducebas in saeculo, et quam inchoasti modo: nequaquam igitur abiicias animum, sed persta; tibi enim praebebo auxilium.* Quibus dictis visio disparuit, et frater confirmatus in Ordine perseveravit, factusque est postmodum pius et fervidus praedicator, et magna cum sanctitatis opinione ex hoc saeculo migravit anno Domini 1273. Choquetius ex antiquis gandavensis coenobii monumentis, libro saepius citato, c. 21 circa finem. 137

Plures praeter hos, quos memoravimus, a Beatissima Deipara huiusmodi consecuti sunt honores, et favores, quos fusius descriptos leget, quicumque chronicum nostri Ordinis diligentius revolvet.

Praedicatores itinerantes B. V. Maria in itinere iuvat, sublevat, miraculose ad loca dissita etiam per aquas sicco vestigio per angelos ducit, et transfert.

Non satis habuit gloriosa Deipara ea mala quae animum, corpusve, et famam insuper in discrimen adducunt, a fratribus Ordinis praedicatorum propulsare, voluit etiam ea incommoda quae in itinere accidunt, ab eis pro materna pietate, et cura penitus amovere.

In primis beatissimo patri Dominico, cui mos erat civitatem aliquam, oppidum, aut villam ingredienti primo ecclesiam visitare, saepius templorum fores prodigiose patuisse, nullumque obicem, quominus iis obseratis ingrederetur, praebuisse, tradunt quotquot res eius accurate et ex fide praescripserunt. Apud Choquetium libro saepius memorato, c. 13. 138

S. p. Dominico templorum fores sponte patent.

Eadem Deipara Virgo dilectissimo clienti suo Dominico vestes plurimo imbre in itinere compluta non semel siccas, et omni humore vacuas reddidit, teste Choquetio ibidem. 139

S. p. Dominici vestes compluta omni humore vacuae.

Eiusdem maternae providentiae, ac singularis curae argumentum insigne eidem clienti suo Dominico B. Virgo praebuit, cum eum Faventiae locum pro Ordine suo in eadem civitate procurantem, per duos elegantis speciei iuvenes (qui haud dubie angeli erant) semel, iterum, ac tertio cum facibus accensis ad cubiculum usque reduxit, spectantibus famulis, ac demum ipso antistite faventino nomine Alberto. Plodius de progenie s. Dominici, in lib. 1, cap. 6. 140

Angeli s. p. Dominicum domum deducunt.

Non absimile beneficium a Sacra Deiparente s. p. n. Domi- 141

Digitized by Google

nicus recepit, cum Romae apud s. Xystum in suo virginum coenobio de rebus divinis in mediam fere noctem sermones protraxisset. Priorissa et sorores nitebantur eum retinere, quod iam fere media nox esset, nec consultum videretur, ut inde abiret. Sed ille non acquievit eis dicens, Dominum plane velle, ut eat ad fratres, eumque missurum cum ipsis angelum suum. Quod et factum est; nam b. patri Dominico e monasterio egresso statim ad portam iuvenis elegantissimus adfuit, qui usque ad portam conventus b. Dominicum eiusque socio fratri Tancredo conventus priori praeivit, primusque eis portam conventus aperuit. Quo iuvene egresso, porta, ut antea, clausa inventa est. Sciscitanti b. Tancredo, quis ille iuvenis fuisset? sanctus Dominicus respondit: Angelus Dei fuit ad nostri custodiam ab eo delegatus. Theodoricus apud Surium in vita s. Dominici, lib. 3, cap. 6.

142 S. p. Dominicus ab angelo de Britannia in Hispanias defertur.

Idem s. p. noster Dominicus, cum adhuc canonicum regularem ageret, in Britanniam se contulerat, ut ibidem evangelium praedicaret. Dux ipse, clerusque totus, ac universa Britannorum natio beatos se reputabant, si s. Dominicum in Britannia praesulem habere possent, in eumque finem dux ipse mandaverat ne quispiam s. patrem ex Britannia pedem efferre permitteret. Sed frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Dux dolenter episcopatum ei parat, ipse invisibilis factus ex omnium oculis se subtraxit. Diu multumque quaesitus, iam in Hispania evangelium praedicare nuntiatur, ab angelo brevi tempore de Britannia in Hispanias delatus. B. Alanus de Rupa Operis redivivi p. 3, cap. 22, et sequentibus.

143 Milvus duobus dominicanis iter monstrat.

Gerardus lemovicensis, antiquus rerum gestarum in nostro Ordine scriptor, p. 1, cap. 4 scribit de duobus nostris coenobii magdeburgensis fratribus a priore ad praedicandum evangelium missis, quibus viae ignaris cum nemo compareret, qui eam eis monstraret, unus ex fratribus milvum praetervolantem alta voce inclamavit, et ut illis viam, qua eundum esset, in Christi nomine praemonstraret, iussit. Mira res! Milvus statim ad pedes fratrum advolavit, et ante eos ambuliens, in semitam quam segetes obtexerant, eos deduxit, qui eis quo tendebant, rectissimum viae compendium praebuit.

144 Navicula sponte ad litus venit.

De aliis duobus fratribus herbipolensis conventus ad praedicandum egressis idem auctor loco quo supra, haec scribit. Cum festivitas esset, et populus ad ecclesiam congregatus ex altera parte fluvii concionem expectaret, et nullus omnino esset qui eos transveheret, unus eorum naviculae, quae ad alteram fluminis ripam stabat, mandavit: Transi huc navicula in nomine Christi, quem cupimus praedicare. Statim illa Christo obediens, nemine impellente, venit. Cum autem remum non haberent, puella quaedam octo annorum, ut videbatur, de praecipitio montis descendens, remum deferens venit, eisque traductis statim evanuit. Illi gratias agentes Deo, verbum eius sitibundo populo praedicaverunt. Tametsi hic nulla mentio de Deipara fiat; credibile tamen est illos fratres his muneribus gratiae a Deipara, quam ab initio impense coluerunt, cumulatos fuisse.

145 S. Hyacinthus sicco vestigio aquas calcat.

Illustriore prodigio aliquot sanctis rapidorum fluminum undas, imo et ipsius maris sicco vestigio calcare dedit augustissima Regina coeli. Certe s. Hyacinthus Odrovazius Vandalum flumen rapidissimum, cum navigium deesset, solo crucis signo munitus, et expanso super aquas pallio, socios praeeuntem sequi metuentes ad id audendum hortatus, una cum illis sicco vestigio, incolumisque traiecit. Idem semel ac iterum Borysthenem una manu sacram Eucharistiam, altera vero ingentis ponderis alabastrinam B. Virginis figuram gestans siccis vestigiis calcavit. Severinus cracoviensis in eius vita. Credibile est eum, auxiliante Dei Genitrice, cui ad stuporem addictus erat, hoc fecisse.

146 S. Raymundus in pallio mare transit.

Sanctus Raymundus Pennafortius infamem Aragonum regis, cui a confessionibus erat, scurtationem detestatus, ab eoque ne in Hispanias rediret, et se desereret prohibitus, ausus est Deiparae patrocinio, cui mirum in modum addictus erat, viam sibi per mare sternere. Nullo navigio, sed pallio tantum super aquas expanso, et eius instar veli ad baculum velut ad malum reducta ora, sex horarum spatio centum sexaginta milliaria circiter, veluti solidis tabulis vectus, confecit, cunctis circum litora stupentibus.

147 B. Ioannes Agni una cum socio super aquas graditur.

Beatum Ioannem Agni gandavensem simili prodigio B. Virgo ornavit. Is maiorum iussu in pagum Elfdicanum in Zelandia ad concionandum ibat, per fluvium rapidum, Canem dictum, vulgo *de monte* illi transeundum erat. Ob ventorum rabiem, et undas horrende concitatas nemo nautarum Ioannem transvehere audebat. Hora divini officii concionisque appropinquabat. In ripa consistens, magno proximorum salutis igne aestuans, veritus ne tum superioris mandato, tum datae fidei incolis minus responderet; Deiparentis Virginis implorata ope, cappam ex humeris deposuit, aquis instravit, et signo crucis munitus audax per fluctus, veluti per solidam terram incessit, sociumque pari prodigio secum perduxit. Choquetius ex lib. de sanctis Belgii Ordinis praedicatorum, lib. citato, cap. 1.

148 Alii duo dominicani super aquas ambulant.

Duorum praeterea ex nostris meminit Thomas Cantipratanus lib. 2 apum, qui super aquas siccis, vel tinctis parum vestigiis ambularunt. Ipsius Cantipratani verbis haec miracula narrare libet. In Germaniae, inquit, partibus circa annum ab incarnatione Domini 1229, gloriosae Virginis Mariae assumptio solemnis instabat. Missus ergo frater Ordinis praedicatorum religiosus et valde fervens ad stationem quamdam in dicta solemnitate praedicare, venit mane ad fluvium quemdam, qui medius erat a loco stationis et loco fratrum, et non invenit aliquem qui eum in navi transponeret, ut solebat, nec locum habuit per pontem transire, eo quod sinum amnis extenderat. Angustiatus ergo modicum praedicandi tempora iam instante, in Christum et Matrem eius firmo corde confisus, cum prece supplici cappam Ordinis expositam super undas liquidas explicavit, signoque crucis edito resedit desuper, et siccis omnino vestibus pertransivit. Frater vero socius eius tantum miraculum admiratus, nec sequi ausus, navem ad transeundum diu postmodum expectavit, et transiit. Deinde subiungit idem scriptor: Simili modo frater eiusdem Ordinis praedicatorum, vir devotus multum et bonus, Angliam transiturus rogavit in portu dominum navis, ut se et secum in navi socium suum reciperet propter Deum; sed ille nec Deum timuit, nec fratrem reveritus est, sed sublato velo navigabat a portu. Tunc frater angustiatus graviter, urgens enim erat negotium transeundi, post orationes et lacrymas fiduciam mente concepit, et ad sequendum fratrem socium exhortatus, inter undas profundi maris, tinctis tantum in summa extremitate vestigiis, ambulavit; moxque, ubi nauta retrospexit, exhorruit, et fratres, cum velocitate navi reflexa, suscepit, veniamque petens cum lacrymis indulgentiam impetravit. Vidi hominem fide dignissimum, qui fratrem eumdem ambulantem in fluctibus vidit, et mihi haec in magna devotione obortis lacrymis enarravit. Thomas Cantipratanus lib. 2 apum, cap. 29, num. 26, et 27.

149 B. Alvarum angeli portant.

Non absimili gratia donatus fuit a Deipara Virgine b. Alvarus noster lusitanus, Ioannis II Castiliae regis confessarius. Hic ab aulae tumultu et negotiorum mole se segregans ad propinqua Cordubae iuga ad specum Virgini Christo compatienti sacram uno milliari a coenobio se conferebat, ibique noctes in sacris precibus dura corporis sui castigatione saepius insomnes ducebat. Montem illum, ad quem iter asperum, praeruptum, et lapidibus confragosum erat, genibus reptans ascendebat, totoque itinere acribus flagellis se caedebat. Dum haec facit, visi sunt a quibusdam interdum angeli, haud dubium a Regina coeli, in cuius honorem tam molestam peregrinationem suscipiebat, submissi, qui ex via lapides scrupulosque submovebant, et peregrinantis Alvari fatiscentes artus sustinebant. Idem Alvarus locum quemdam Cordubae vicinum, locis illis Hierosolymae, in quibus potissima humanae instaurationis peracta sunt mysteria, simillimum saepius visitavit. Cum Deiparae specum quotidie geniculatus adiret, rivulus, qui torrenti Cedron similis ibi praeterlabitur,

B. Alvarus super cappam fluvium transit.

mirum in modum aquis redundabat, adeo ut Alvaro viam praecluderet. Anxius vir Dei, ne a matutinis horis nocte sequenti peragendis abesset, Dei ac Virginis auxilio confisus rapidis aquis super cappam intravit, eaque veluti cymba tutus in alteram ripam transivit.

Tertio prodigio iter Alvari decoravit Virgo Maria. Cum aliquando a concione ex cordubensi urbe in suum coenobium reverteretur, obvium habuit in itinere pauperem quemdam moribundum auxilium a transeuntibus poscentem. Alvarus misertus il-

B. Alvarus in specie pauperis Christum in humeros suos recepit.

lius cappa sibi detracta involutum in humeros assumpsit; redeuntem Alvarum onereque praegravatum fratres consalutant, quidque humeris impositum habeat, sciscitantur. Ille mendicum iam fere animam agentem in via se tulisse, et ad monasterium portasse asserit. Fratres cappam explicant, et in ea nullum pauperem conspiciunt, sed Christi crucifixi effigiem elegantissime exculptam inveniunt. Tanta rei novitate perculsi magna cum devotione tanquam coelo delapsum munus exceperunt, et solemni pompa in templum intulerunt. Ioannes Lopez episcopus monopolitanus 3 p. l. 2, c. 24, et 25.

150 *B. Mathias a pace in specie pauperis Christum in suis humeris portat.*

Haud absimili prodigio ornavit Deus, agente sua Genitrice, nostrum b. Mathiam a pace hispanum. Percurrebat vir plane apostolicus Indorum circa Guatimallam pagos pro more sui Instituti animas Deo lucrifaciens. Offendit in itinere inopem quemdam indico habitu iacentem, et auxilium a praetereuntibus implorantem. Mathias pro eo, quo in proximos ardebat amoris igne, pauperem illum in proprios humeros assumpsit, eumque alacer gestavit. Indi aliquot obvii eum prope eum essent, genibus manibusque protensis, venerabundi procumbebant. Mathias quid isto honore sibi vellent, inquirit. Christum, inquiunt, quem a crucis ligno pendentem gestas, veneramur. Tali munere in illo itinere servum sibi fidelem donavit gloriosa Deipara Virgo Maria. Augustinus de Avila libro 7 hist. c. 31.

151 *B. Venturinus ab angelo in navicula vehitur.*

Beatus Venturinus bergomas inter innumera marianae benignitatis munera istud quoque retulit. E Ferraria aliquando Venetias proficisci cogitabat. Francolinum veniens ab nauli penuriam a naviculario reiectus est. Haeret in portu Venturinus; oculis in coelum sublatis, Dei Virginisque opem tacitus implorat; at ecce mox adfuit adolescens, cui insignis navis erat, et nemo quem veheret. Venturinum una cum socio invitat, in navi receptos laete excipit, et brevissimo tempore Chiogiam advehit, unde illis facilis Venetias eundi esset opportunitas. Exit inde Venturinus, dumque benigno vectori benignas gratias agere, beneque precari parat, nec ille, nec navis usquam conspiciuntur: nec mirum; non enim homo ille fuit, sed angelus ab angelorum Regina submissus. Alio quoque tempore eidem b. Venturino ex Italia Avenionem proficiscenti Rhodanus celebris Galliae fluvius occurrit, in cuius ripa via consisteret, cum nauta inopinato adfuit, qui eum Dei amore, nullo stipendio requisito, lintri spotio per longissimum iter celerrime transvexit. Hieronymus Borsellus, Leander Albertus, Piodius, et alii.

152 *B. Henrico Susoni equus divinitus mittitur.*

Beatus Henricus Suso, Deiparae Virginis lectissimus cliens, cum aliquando infirmum adolescentulum invisurus in longam difficilemque se dedisset viam, ieiuniis continuisque cruciamentis corpus exhaustum habens ulterius vix progredi poterat. Deo at Virgini Matri se commendans confestim socii eius in editiore loco equum conspiciunt sella instratum, versus eos properantem, et cum ad eos venisset, subsistentem ac veluti oneri se submittentem. Cognovit Henricus ingenti Dei, ac Matris eius munere equum illum missum, cuius adiumento usus usque ad coenobium; postquam ex ea descendit, equus ille mox eadem vi celerrime recurrit nusquam deinceps visus. Surius in vita Susonis.

153 Dominicus a cruce similis praesidii mariani beneficium persensit. A primoribus imperii mexicani ad Carolum V Caesarem orator delectus, sub solis occasum fracto corpore tum laboribus, tum senio in tabernam meritoriam venit, quam virorum ac mulierum concursu fere praeoccupatam reperit: et, quod gravius est, ad omnem impudentiam lascivisque colloquia, imo et blasphemiae castis eius auribus insonabant. Quae ferre non sustinens vir Dei, tametsi iam aegre progredi posset, comitemque plane fatiscentem cerneret: Pergamus, inquit, pater; neque enim istas verborum ineptias, et spurcitias fera: hinc ad duo millia passuum bonum hospitium habituri sumus. Trium horarum tempus illi itineri necessarium erat; sed praeter omnem spem, supraque naturae vires mox se hospitio propinquos vident, iuvante Deo, vires eisque faciente Maria, ne famuli sui tam obscena, tamque execranda audirent. Choquetius libro memorato, capite 30 in fine.

154 Non solum viros, sed etiam mulieres, Ordinis praedicatorum sorores, ut s. Catharinam senensem, b. Catharinam Racconisiam, b. Luciam narniensem, b. Osannam mantuanam eodem favore a Deo, eiusque Genitrice Maria donatas fuisse, a terris sublatas per aera incedentes, divino spiritu innixas, a quo et asportatas interdum ad loca remota, velut in actis apostolorum legimus de Philippo. Nonnullas ante oculos aliorum saepe transiisse, at tamen ab illis nullo modo conspectas fuisse. In chronicis nostris haec habemus, quae unusquisque legere potest, si amat.

Ordinis praedicatorum homines B. Virgo pecunia coelitus iuvat, eorumque inopiam sublevat.

155 Qui Dei amore, sanctiorisque vitae studio humanas fluxasque opes constanti pectore contemnunt, ingentes sibi divitias nedum in coelo accumulant, verum etiam in praesenti vita specialem Dei providentiam in semetipsis persentiscunt. Quam gratiam praecipue Ordinis praedicatorum homines insigni Dei beneficio, opitulante B. V. Maria, saepius habere meruerunt.

In primis s. p. Dominicus in partibus tolosanis more apostolico evangelium praedicans, nec aurum, nec argentum, nec pecuniam secum deferens, cum ad quemdam fluvium pervenisset, naulum ab eo exigente nauta, cum non haberet unde solveret, regnum coelorum pro beneficio exhibito homini promittit. Ille virum Dei reiicit, immo per cappam violenter trahit, aut cappam, inquiens, dimittes, aut naulum mihi solves. Vir Dei erectis in coelum oculis, paululum intra semetipsum orans, moxque in terram prospiciens, denarium divino nutu procuratum homini illi ostendit. Tolle, inquit, frater, quod postulas, et liberum me in pace dimitte. Vincentius Bellovacensis lib. 30, c. 74. 156 *S. p. Dominico numisma coelitus mittitur.*

Nonnulla alia eiuscemodi rei pecuniariae nostris egestate pressis, cum humana deessent, divinitus collata subsidia refert antiquus et optimus scriptor Gerardus lemovicensis p. 1, cap. 4, et 5. Sed quoniam ille nullam specialem Deiparae Virginis mentionem facit, quaedam alia, quae sua ipsius manu Virgo Mater nostris in re numeraria praestitit beneficia, referemus. 157

Priori lubecensi in Teutonia creditor quidam repetendo quinque marcas argenti valde molestus erat. Prior cum non haberet unde debitum redderet, a domina quadam venustae formae ac valde gratiosi, et honesti habitus ad portam conventus vocatus, ab ea quinque marcas argenti accepit. *Accipite*, inquit illa, *hoc interim, quousque Dominus amplius vobis donet.* Priori sciscitanti quae, et unde esset? *Non curetis*, ait, *sed gratias agite Domino bonorum omnium largitori.* Dixit, et ex oculis se subtraxit. Unde fratres ex pia suspicione B. Mariae, quod factum fuerat, adscripserunt. Gerardus lemovicensis loco quo supra, cap. 5. 158

Idem Gerardus loco quo supra, narrat de priore lemovicensi, qui cum priorem locum propter multa incommoda cum fratribus mutare decrevisset, nec pecuniam ad emendum locum novum haberet, nec mutuo accipere posset, a gloriosa Dei Genitrice sex millia solidorum turonensium impetravit, quos ipsius instinctu capellanus dauracensis ecclesiae fratribus attulit. Historiam ibidem stylo licet simplici, at varaei lege, si lubet. 159

Non minorem providentiam Deiparae Virginis persensit noster Ioannes teutonicus, Ordinis generalis magister quartus, qui pro munere suo varias orbis partes visitando percurrens, in Romanis ad aedes cuiusdam pauperrimi sacerdotis una cum sociis divertit. Hic cum anxius esset unde hospitibus illis ab itinere fessis, atque inedia fractis provideret, cornix mox advolavit, magistroque Ioanni magnum numisma argenteum rostro attulit, et ad pedes ipsius reposuit. Hic sacerdotem advocans, munus corniculae eum iussit accipere, et necessaria sibi fratribusque coemere, et ministrare. Scribit Thomas Cantipratanus eiusdem Ioannis contemporaneus et familiaris lib. 2 apum, cap. at num. 57. Sane Ioannes teutonicus maternam opem Deiparae tunc enixius implorabat: quod licet, taceat Cantipratanus, narrant tamen Piodius et alii. *Cornicula Ioanni teutonico numisma argenteum affert.*

Hocce pecuniarii beneficii genere a Deipara munifice cumulatus fuit b. Henricus Suso. Magna caritas annonae erat, cum b. Henricus in quodam conventu nostro summa inopia laborante priorem agebat. Convocatis fratribus, eos serio monuit, ut divi Dominici patris sui auxilium implorarent, quandoquidem ille suis fratribus promisisset, si eius opem in suis necessitatibus implorarent. Duo male feriati virum Dei in divino auxilio egregie confidentem risu excipiebant. At ille in sententia perseverans missam de sancto Dominico fratres canere iussit. Nec spe sua frustratus est; nam stante illo in choro cogitabundo, canonicus quidam eum vocavit: Novi, inquiens, pater, vos non habere usum rerum temporalium, atque hac nocte divinitus admonitus sum, ut vobis opitularer. Accipite has viginti libras constantienses, confidite Deo, ille vos non deserat. Accepit vir Dei pecuniam b. Dominici favore procuratam, et quamdiu in conventu illo prior fuit, omnibus necessariis abundavit. Surius in vita Henrici Susonis. Qui licet Beatae Virginis mentionem non faciat; certum tamen est, eius imperio necessaria vitae miris et occultis modis ei ac fratribus ministrata fuisse. 160 *B. Henrico Susoni divinitus annona procuratur.*

Eodem plane modo b. Ludovicus Bertrandus sibi suisque fratribus in conventu sancti Onufrii (locus est altero tantum lapide a Valentia clarissima urbe Hispaniae tarraconensis dissitus, ubi priorem agebat) in magna penuria consuluit. Domus illa, cui ille praeerat, pauperrima, quam solae piorum eleemosynae susten- 161 *B. Ludovico Bertrando temporalia divinitus subministrantur.*

Digitized by Google

tabant; tota illa regio per id temporis magna rerum penuria laborabat. Ludovicus tanta in Deum fiducia semper fuit, ut quod ei opus esset, pleno iure ab ipso, piissimaque eius Matre nedum petere, verum etiam quasi exigere videretur. Hinc factum, ut toto regiminis sui tempore illi monasterio nihil prorsus deesset, sed fratres victum, vestitum, libros, ceteraque vitae religiosae necessaria haberent. Insuper coenobium illud opportunis quibusdam structuris auxit, ornavitque cum stupore omnium; immo et ipse Bertrandus vehementer se admirari fassus est, unde ei tantae succrescerent eleemosynae, et conventus tantum abundaret, ac si nullo fuisset temporum iniquitas seu adversitas. Quinimmo ipse b. Bertrandus narrabat se in cubiculo saepius pecunias reperisse, et unde illae essent, et a quo allatae nesciisse. Aliquando bibliopola, Vincentius Coriga nomine, a b. Ludovico debitum, quod ille pro emendis libris contraxerat, exigere dum vellet: Precor te, inquit Ludovicus, modicum sustine, interim asside, nonnihil colloquamur, en forte nobis aliquid submittat Deus. Inter colloquia Ludovicus in mensam proximam manum protendit: *Pecunias,* inquit, *sume Vincenti, debitum habes quo tibi obstrictus eram.* Obstupuit ille, qui prius mensam oculis circumlustrarat, nec ullum in ea nummum aspexerat, mox pecuniam reperit, qua numerata, nec plus nec minus, nisi quantum erat pretium librorum, invenit. Baltassar Roca lib. 1 vitae b. Ludovici Bertrandi.

162 B. Columbae panis et pecunia coelitus donantur. Beata Columba reatina aliquando cum matre sua in tanta penuria constituta, ut ne frustum panis quidem haberent, sed nec pecuniam qua emerent, genibus flexis ante aram Mariae quam sibi ipsa in proprio cubiculo adornarat, matronam quamdam nobilem panes et pecuniam sibi adferentem excipere meruit. Leander Albertus, Ioannes Gavaston, et alii.

163 Eleemosynam largientibus pecunia divinitus subministratur. Beata Stephana soncinas, tametsi ipsa inops, aegros tamen studiose invisere, solari, pauculos nummos quos habere poterat, ipsis erogare solebat. Quod dum facit, easdem ipsas res quas Christi amore dederat, coelitus sibi restitutas, immo insigni foenore auctas domi reperit. Ioannes Lopez, Plodius, Gavaston.

164 Catherina Racconisia Christum specie pueri decennis, egeni, soloque indusio amicti, stipemque ab ea petentis conspicuum habere meruit, a quo nummum, qui praesenti miseriae avertendae satis esset, gratiose accepit. Ioannes Gavaston c. 30.

165 Beata Maria Raggi a paupere quodam adolescente rogata, ut egestatem inediamque eius sublevaret, manu sub scapulari posita, nummum quem ab angelo accepit, egeno adolescenti dedit. Discruciavit quoque eam semel cuiusdam feminae gravis inopia, cui subvenire non valens Deum, eiusque Matrem supplex petiit, ne tanta penuria feminam illam in aliquod crimen adduceret. Tunc vox ad illam: Ragghia cistulam tuam aperi. Aperuit et aureum nummum reperit, quem pauperculae dedit. Ioannes Saragoza in vita eius, lib. 1, c. 14.

166 Beata Agatha a cruce cuidam pauperi se subventuram spopondit, quidquid ille ab ea peteret: ille petiit ut domunculam quam sibi coemerat ipsa solveret, aureosque triginta exigebat. Agatha divenditis operibus suis quae elaboraverat, tantam summam pecuniae colligere non valens, Dei ac Matris eius ope implorata, speque futuri coelitus subsidii nixa, pauculos illos quos congesserat, nummos dinumerat, et ecce plusquam trecentos aureos retulit, qui pauperi non solum pro emenda domo illa satis erant; sed etiam reliquam eius inopiam sublevarunt. Antonius de Martyribus in vita b. Agathae, c. 35.

Benefactores, et amicos Ordinis praedicatorum B. Virgo conciliat.

167 Ulterius, effusi in nostros amoris Deipara Virgo luculentissima testimonia dedit, cum eis benefactores, et amicos, qui eos noviter exorientes consilio iuvarent, auctoritate protegerent, temporali subsidio pascerent, conciliavit. Dabo unum, et alterum.

168 B. Conradus cisterciensis abbas dominicanis valde addictus. Beatus Conradus villariensis in Belgio, primo clarevallensis, deinde cisterciensis generalis abbas, cum primum nostros conspexit, Instituti eorum rationem exploratam habens, incredibili laetitia perfusus in haec verba prorupit: *Licet alterius professionis sim; frater tamen vester ero, quamdiu subsistam in vita, nec ulla unquam a vobis adversitate divellar.* Thomas Cantipratanus lib. 7, c. 9, num. 4.

Hunc autem affectum erga nostros a Beatissima Virgine inspiratum accepit: quod gravissimus auctor Ordinis cisterciensis Chrysostomus Henriquez in Menologio sui Ordinis pridie calendarum octobris, et in fasciculo sanctissimi Ordinis cisterciensis dist. 26, c. 3 his verbis prodidit: *Ordinem praedicatorum noviter inchoatum mira caritate promovit, ad id ab ipsa Deiparente, quae ei apparuit, et quod Ordinem sibi dilectum, et Filio suo gratissimum promovisset, gratulata est, miro excitatus.* Eandem rem perscribit idem Henriquez, et post alia sic habet.

Piissima Virgo famulo suo Conrado obsequium quod in filiis suis, nimirum Ordinis praedicatorum alumnis receperat, ut in hac vita rependeret, dum sanctus praesul orationi insisteret, et coelestium meditationi vacaret, angelicis circumstipata cohortibus ei apparet; et, quod Ordinem sibi dilectum, et fratres, qui tot laboribus Filii sui Domini nostri gloriam dilatare, et nomen Iesu in barbaras nationes exaltare curabant, protegeret, gratulatur. Idem narrat Bernardus Brito.

Quod sumpserunt ex vetusto scriptore Gonfredo villariensi qui prodit: Quis materna isthaec Deiparentis ac coelorum Dominae in praedicatorum Ordinem viscera effusa plane non admiretur?

Aliud simile narrat Stephanus Salanhus noster de Gregorio de Cardalhaco priore, et postmodum abbate eiusdem Ordinis cisterciensis. Hic, cum audiret exortum esse, et a summo pontifice confirmatum Ordinem fratrum praedicatorum, nondum autem videret aliquem dicti Ordinis fratrem, quadam die, cum dormiret in meridie, sicut moris et necessitatis est, in dormitorio dicti loci videbat in visione duos soles ingredientes subito claustrum abbatiae praedictae, qui claustrum, et monasterium, et omnes officinas cum adiacente vicinia sua luce irradiabant: intuebatur dictus prior, et plurimum in aspectu tam novae et insolitae lucis admirabatur. Et ecce factum fuit signum ad nonam, et vigilans, visionemque in animo versans cum de dormitorio descendisset, duos fratres praedicatores vidit in claustro, scilicet fratrem Gregorium subpriorem aliquando lemovicensem, et fratrem Ioannem Ballistarium. Quorum primus in efficacia, et fervore praedicationis vix habuit apud nos tempore suo parem: alter vero praedicator fuit facundus ad populum, et ad clerum. Dixit ei mox spiritus: Ecce isti duo soles; et ex tunc Ordinem multo affectu dilexit, et tempore opportuno promovit. Eiusdem rei meminit Henriquez sui fasciculi dist. 26, c. 17. 169

Muneribus exornat Ordinem praedicatorum B. V. Maria.

Quo amorem suum erga nos magis testatum faceret, et nos in sui amorem citius protraheret D. Virgo Maria, variis muneribus suos cultores, maxime ex nostris, cumulare dignata est. Munera enim tacite affectum illa accipientis alliciunt, eumque danti devinciunt; quis enim amantem se, immo munera dantem non redamet? quis non colat eum, a quo se exornari videt? 170

Ex his b. Thomam aquinatem insigni munere ornavit, cum ei cingulum castitatis per angelos misit. Erat Thomas adhuc impubes, et vix adolescens, Ordinis praedicatorum tyro, Lutetiam Parisiorum missus, in itinere per vim a fratribus raptus, et in arcem s. Ioannis perductus, ibique varie exagitatus, ut sanctum propositum mutaret, mulierem etiam quae ad labefactandam pudicitiam eius introducta fuerat, titione fugavit. Mosque signo crucis parieti impresso, coram eo genibus provolutus Deo Virginique Matri Mariae pudicitiam suam ardentius commendabat. Post orationem somno correptus per quietem sentire visum est sibi ab angelis lumbos constringi adeo stricte, ut prae nimio doloris sensu altissime sit vociferatus. Cum autem angeli eum praecingerent, haec accepta verba protulerunt: *Ex parte Dei cingimus te cingulo castitatis, quod nullatenus dissolvetur.* Hoc coeleste munus B. Virgo lectissimo clienti suo misit: quo accepto, ex eo tempore omni postea libidinis sensu caruit. Ex eius vita. 171 S. Thomas ab angelis praecingitur.

Quibusdam visum est hoc cingulum non corporeum sed spirituale fuisse, et s. Thomam ab angelis spirituali duntaxat virtute praecinctum esse. Sed gravissime hallucinantur; siquidem Vercellis in praedicatorum coenobio magna religione asservatur candida tenuisque zona ex niveo filo contexta, quindecim nodulis distincta, quae perpetua maiorum traditione proditur esse illa, qua angeli s. Thomam aquinatem post memorandam illam cum venere pugnam praecinxerunt. Pius V Pontifex maximus istud cingulum s. Thomae ab angelis donatum dari sibi per litteras expe- 172 Cingulum s. Thomae quale, et ubi nunc asservatur.

Digitized by Google

tiit a nostris animo illud Romae collocandi, ubi ampliores honores haberet. Sed dum nostri mittere parant, Pius (proh dolor!) vivere desiit.

Benedictio cinguli s. Thomae aquinatis. Porro non solum Vercellis, sed etiam Neapoli, aliisque Italiae locis huiusmodi cingula thomistici instar humanae artis imitatione fiunt, passimque piis hominibus distribuuntur hac formula benedicta: *Benedictio cinguli sancti Thomae aquinatis.* Post versus omnibus benedictionibus communes sequitur oratio: *Domine JESU CHRISTE, Fili Dei vivi, puritatis amator, et custos, obsecramus immensam clementiam tuam, ut sicut ministerio angelorum sanctum Thomam aquinatem cingulo castitatis cingere, atque a labe corporis et animae praeservare fecisti, ita ad honorem et gloriam eius benedicere, et sanctificare digneris cingulum istud, ut quicumque ipsum circa renes reverenter portaverit, ac tenuerit, ab omni immunditia mentis et corporis purificetur, atque in exitu suo per manus sanctorum angelorum tibi digne praesentari mereatur. Qui cum Patre et Spiritu sancto*, etc. Liber excusus est Neapoli typis Lazari Scorigii 1627.

173 Vis cinguli s. Thomae aquinata. Porro quantum praesidii in durissimo castitatis praelio contulerat coeleste illud et angelicum s. Thomae cingulum, expertae sunt beata Stephana soncinas, et beata Columba Trocasani, Ordinis d. Dominici sorores, quae in lascivientis et protervientis carnis conflictu, invocato s. Thomae auxilio, ab angelis simili cingulo, quo olim ipse ab iisdem constrictus fuerat, praecinctae sunt. Ioannes Lopez libro 7, c. 29.

174 Beata quoque Agatha a cruce, Ordinis praedicatorum, post acres cum domestica hoste pro pudicitia pugnas coelorum Reginam conspicuam habuit, candida zona cingulum sancti Thomae referentem, seque praecingentem. Antonius de Martyribus Ordinis minorum in vita beatae Agathae. An haec cingula, quibus hae beatae virgines ab angelis praecinctae erant, fuerint corporalia, ac tractabilia, uti fuit illud sancto Thomae collatum, non lego; proinde spirituali dumtaxat virtute praecinctas fuisse existimo.

175 B. Bonaventurae B. Virgo librum donat. Aliud munus coelorum Regina Deiparensque Maria contulit b. Bonaventurae senensi, librum admirum. Aliquando ei pro more ferventius oranti a b. Catharina, et b. Lucia comitata Diva Virgo ei apparuit, s. Catharina palmam, s. Lucia auream ferens coronam: Deipara vero librum apertum ei dedit, in eoque illud Apocalypsis c. 2, v. 10 obiecit: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.* Gregorius Lombardellus, et Ioannes Lopez, 3 parte, cap. 18.

Eadem Virgo Deipara aliquibus ex nostris annulos desponsatorios pro insigni munere dedit, ut ex paragrapho sequenti palam fiet.

Ordinis praedicatorum homines Deipara Christo, sibique despondet.

176 Sponsi spirituales B. M. Virginis. Prudentis ac studiosae matris erga prolem suam ea praecipua cura est, ut cum iam adoleverit, connubiumque inire voluerit, talem sponsum aut sponsam ei procurare, qui honore, pulcritudine, dignitate, opibusque insignis habeatur. Talem solicitudinem in Rebecca matre Isaac Scriptura commendat, Genes. 27, 46. Haec eadem, immo maior Sanctissimam Deiparam erga clientes sibi devotos tangit solicitudo. Legimus b. Robertum cisterciensis Ordinis primum institutorem annulo dato sibi despondisse. Hermanum quoque praemonstratensis Instituti id beatifici honorisque divinitus consecutum esse tradunt istius Ordinis historiae. Sed praecipue in hominibus Ordinis praedicatorum (absit verbo invidia) tam animi amoris luculentissima dedit argumenta. A viris ordiamur.

177 B. Alanum B. Virgo sibi despondet. Beatus Alanus rupensis, quem uti lectissimum filium Beatissima Virgo in amoribus castissimis habuit, hoc favore ab ea insignitus fuit. Post durissimum cum daemone conflictum, continuumque septennium ignem visa est illi conspicua B. V. Maria clarissima luce coelesti circumdata, suaque ubera superno lacte gravida ei sugenda praebuit, quo lethalia illa, quae ab orci monstris acceperat, vulnera sanavit; tum quoque Christus cum coelitum turba adfuit. Accepta igitur Alani dextera benignissima Mater eum sibi desponsavit, conceptisque verbis praesente Christo connubium castum, non carne, sed animo constans contraxit: amorisque sui pignora longe pretiosissima ei dedit, annulum videlicet ex suis ipsius crinibus propria manu contextum, atque ex iisdem crinibus torquem elegantissimum: annulum digito Alani inseruit, torquem vero illius collo suspendit. Porro tum annulus tum torquis angelica, si non divina manu ingeniosissime contexti erant, innexis torqui affabre centum quinquaginta lapillis exquisitissimis et quindecim paulo grandioribus, qui rosarium Virginis, cuius Alanus ardentissimus promotor erat, efficerent. Scribit Alanus ipse in lib. de psalterio Beatae Virginis, Plodius, et alii.

Ad feminas sanctas veniamus, quae communi ritu sponsalia contraxerunt. Prima harum hunc a nostris ducit chorum s. Catharina senensis. Diebus bacchanaliorum, quibus alii ventris festa celebrant, virgo sancta ardentissime ad perfectum fidei gradum aspirabat. Ecce tibi Christum cum Sanctissima Matre, ac apostolorum principe Petro, gentium doctore Paulo, Ioanne evangelista, Dominico patriarcha, David rege, qui in cythara, *canticum pro dilecto* canebat. Beatissima Virgo, accepta Catharinae dextera, digitum eius annularem extendit, petiitque a Filio, ut eam sibi desponderet. Matri annuit Christus, digitoque Catharinae annulum sponsalitium inseruit, dicens: *Ecce ego Creator, et Redemptor tuus, te mihi despondeo in fide, quae perdurabit in te; et ex hac hora semper immutabilis, donec nuptiis aeternis tibi in coelo coniungar, ubi videbis me facie ad faciem, meque perfrueris.* Raymundus Capuanus in vita beatae Catharinae. 178 B. Catharina Christo desponsatur.

Stuporem quoque adfert Christi mira dignatio, qui beatam Luciam narniensem quasi nuptias ipsius ambiens, testibus Virgine Matre, angelorum et beatorum hominum frequente coetu, in quibus erat d. Dominicus, et sancta Catharina senensis, invisit, ultroque se illi sponsum obtulit, inserto ipsius digito aureo annulo. Plodius. 179 B. Lucia de Narni.

Non minus mirandum est, quod Christus non una tantum, sed tertio repetita vice cum Catharina Raconisia dominicana, interveniente Beatissima Virgine, sponsalia iniit. Primo quidem anno Domini 1501, die festo Pentecostes, augustissima mundi Regina candida veste, elegantissimaque corona Catharinae quinquenni se visendam exhibuit, eamque hortata est, ut cum Filio suo sponsalitia iniret. Cui Catharina: *Pauperis fabri ferrarii filia sum, dotem habere nequeo.* Subiunxit Virgo: *Filius meus nonnisi cor requirit.* Tum illa: *Et ubi*, inquit, *est cor meum? Si reperires, libens concedo.* Ad puellae simplicia verba Deipara arridens virginea manu pectusculum Catharinae tetigit, dicens: *Ibi est cor tuum.* Post haec verba, adstitit speciosissimus forma puer veste candida ex collo torquem aureum gestans, et ex torque monile seu numisma gemmeum, in quo Christi flagellati imago cernebatur, aetatem Catharinae referens, comitatus a beatis Hieronymo, Petro martyre, Catharina senensi, et uno seraphin senas alas habente. Tum Deipara: *En*, ait, *Catharina dilectus Filius meus, quem tibi sponsum opto.* Annuente et gestiente puella, Mater ad Filium conversa: *Fili*, inquit, *precor, ut Catharinam hanc in sponsam recipias. Placet*, ait Filius, *quia illam meo cruore redemi.* Tum Deiparens digito suo auriculari annulum detrahens Filio porrexit, Catharinaeque dexteram tenuit; puer suam protendens, annulari digito Catharinae eum imposuit, dicens: *Sponso te mihi in fide, spe, et caritate.* Et addidit: *Vide mea sponsa, ut mihi per omnia consentiens vivas.* Et statim Matri suae dilectissimae, ac illi seraphino, qui tunc apparebat, eam tutelae tradidit, sanctosque Hieronymum, Petrum, ac Catharinam ei institutores dedit: Petrum quidem loco patris, Catharinam vero loco matris. Iam ad annos quindecim pervenerat Catharina, cum Christus provectiore iam aetate ei apparuit, illaque priora sponsalia approbavit, confirmavit, et tandem sponsam novis muneribus auxit. Tertio tandem in die natalis sui, praesente Deipara, illisque sanctis, qui primis sponsalibus adfuerunt, insuper beatissimo Ioseph, sancto Ioanne evangelista, sancta Maria Magdalena, illi Christus apparuit, eamque sibi tertio desponsavit, et uti sponsae suae eximias arrhas dedit, annulos videlicet aureos; uni inscriptum erat, *Fides*, alteri, *Dies regis*, tertius simplex erat. Hi annuli post octo annos ab ultimis sponsalibus a nonnullis visi sunt. Ioannes Picus, Plodius, Gavastou apud Choquetium cap. 19. 180 B. Catharina Raconisia.

Praeterea Christo sponsatas fuisse religiosissimas virgines dominicanas Caeciliam ferrariensem, et Claram abyssinam, in quorum digitis annulos a Christo impositos nonnullos vidisse scribunt Sylvanus, Razzius, Marietanus, Plodius apud Choquetium loco quo supra. 181 Dominicanae sorores Christo desponsatae.

Illustre et admirandum huius amoris argumentum Christus dedit in beata Agnete zamorensi. Haec, expleta probationis anno, a magistra novitiorum instructa fuit, ut se quam accuratissime 182 Agnes zamorensis.

praepararet ad sponsalia cum Christo feliciter ineunda; hic enim loquendi modos sacris virginibus, cum professionem facere debent, admodum familiaris est. Puella qua pollebat simplicitate, Christum eiusque Sanctissimam Matrem instantius orabat, ut eius sponsa digna effici mereretur.

In eum finem magistra noviliorum insserat eam in vigiliis et orationibus perseverare. Cum itaque obedientissima puella mandata suae praefectae facit, et tota nocte adgeniculata coram imagine sacratissimae Deiparae, puerum Iesum in ulnis suis gestantis, vehementius orat, puellus Iesus e sinu Matris delapsus ad eam venit, annulumque suo digito imposuit, et mox in suae parentis gremium se recepit. Nox ubi abscessit, praefecta primo diluculo ad Agnetem redit, quam vigilem genibusque provolutam, insuper et lacrymis madentem, quas illi ingens laetitia ex accepta tam eximio coelesti munere excusserat, offendit. Interrogat, num vigil fuisset, precibusque sese Christo Virginique eius Matri commendasset. Cui Agnes: Ita sane, inquit, et quidem maximo meo bono tuis monitis obtemperavi; ex matris siquidem gremio puellus Iesus delapsus me sibi sponsam addixit, et quem annulum cernis, aeterni amoris pignus, digito meo inseruit. Obstupuit magistra, cum tam grande divini amoris munus erga illam puellam conspexit. Lopez episcopus monopolitanus 3 p. lib. 7, cap. 55.

183 Hac eadem Domini favoris munerisque praerogativa aliae sorores s. Dominici donatae, ornataeque fuerunt, ut beata Osanna mantuana, Agnes teutonica, Stephana soncinas, Catharina Ricci, quarum gesta lege a diversis conscripta, in chronico Ordinis praedicatorum.

Iesum infantem Ordinis praedicatorum hominibus tractandum dedit B. V. Maria.

184 Verissime dixit, quisquis dixit: *Verus amor nullum novit habere modum.* Id in Beatissima Virgine fere ad oculum videmus, quae tot beneficiis Ordinis nostri hominibus collatis non contenta, saepius etiam suas delicias, suum corculum, suos amores, Iesum videlicet, e sinu suo, nedum contuendum, verum et complectendum, saepiusque exosculandum ac tractandum eis tradidit.

185 B. Agnes Politiana Iesum infantem a B. Virgine accepit. Prima huius beneficii particeps extitit b. Agnes de monte Politiano. Haec cum in pervigilio assumptionis B. M. Virginis eam ebuxissime precaretur, ut filiolum suum non conspiciendum modo, sed et tractandum ac exosculandum ei concederet, annuit benigna Mater. Sileo lacrymas, quas Agneti virgini a tanta Mariae favore excussit amor: taceo oscula, quae puelli genis mille impressit: exprimere non valeo, quid tunc dixerit, quid egerit, qua laetitia exultarit, gestierit.
Crucem auream ex collo infantis Iesu detrahit.
Pendebat a puelli collo tenui filo nexa aurea crux: cumque iam Matrem repeteret puer, puerumque Mater, illum aegerrime restituit Agnes, ac ne totus abiret, pia audacia crucem illam auream abeuntis collo detraxit, detractamque retinere meruit; quae adhuc extat in ecclesia, ubi corpus eius sacratissimum integrum requiescit, teste Clemente VIII in bulla beatificationis.

186 B. Lucia de Narni. Secunda tanto amore digna fuit beata Lunia de Narni, quae quinquennis adhuc magno Dei munere supra aetatem rerum divinarum cognitione praedita, visitantibus templis et altaribus, precibusque fundendis assueta, frequentius beati Augustini templum adibat, ubi coram statua Sanctissimae Dei Genitricis infantem sinu gestantis, fixis humi geniculis, rosarium saepius orabat. Aliquando dum oraret, vocem Dei Genitricis ab illa statua alabastrina audivit: *Vis ne filiolum meum habere, tecumque deferre?* Illa annuente et id cupidissime optante, ecce (o rem stupendam!) alabastrina imago brachia protendit, filiolumque iam non lapideum, sed carneum ac vivum in Luciae brachia deponit. Illa, tanto munere accepto, exultabunda domum properat, arctissime stringit, mille oscula figit, amoremque suum prae ingenti laetitia non capit. Obvii per plateas viri, feminaeque, existimantes eam pusionem illum elegantem alicubi furto surripuisse, veritique ne illi ex ulnis excideret, illum ei eripere valebant, sed irrito conatu. Domum veniens, mater idem quod alii suspicata, puellulum ei per vim eripuit: Lucia animo consternata in terram corruit, duasque horas mortuae similis iacuit. Sibi reddita, subito pusionem cum lacrymis requirit. Obtinet, et apud se in cubiculo triduo retinet. Quo tempore visa imago illa filio carere, donec post triduum puellus seipsum prodigiose Matri reddidit. Plodius in secunda editione, et libro miraculorum B. Virginis Romae edito anno 1604.

187 B. Benevenuta. Benevenuta quoque, nostri Instituti devotissima soror, sacratissimo nativitatis Christi die, cum mysterium illud attentius meditaretur, ardensque desiderium haberet videndi Christum recens natum, Sanctissima Christi Mater ei conspicua astitit filiolum suum gestans, illumque Benevenutae in sinum dedit: quem illa ad horae spatium complexata est, et millies exosculata, ut alibi cum de mysterio nativitatis agimus, ex probatis auctoribus ostendimus.

188 B. Osanna, Eustachia, Catharina, Columba. Eundem favorem Beatissima Virgo Maria exhibuit beatis sororibus nostris Osannae mantuanae, Eustachiae ferrariensi, Catharinae Ricci, Columbae reatinae, ut loco memorato fuse diximus.

189 B. Gertrudis. Nec praeterire licet beatam Gertrudem, itidem Ordinis nostri sanctimonialem, quae semel in choro ante imaginem Deiparae orans multis eam lacrymis interpellabat, ut plenam a Deo posset obtinere veniam peccatorum, aeternam animae suae salutem. His precibus intenta vidit parvulum Iesum, qui materno gremio sedebat, in imagine protendentem manus tenellulas, ac dicentem: *Soror Gertrudis, en fidem meam obstringo, te nunquam a me, vel a Matre mea deserendam: ego vero sum propitius sum tibi, et peccatis tuis, quae ex hoc memoria tua excidant.* His verbis incredibili dulcedine perfusa, quasi inita stipulatione manui suae inseruit dexteram Salvatoris: quae non sine prodigio a corpore ficti infantuli avulsa in manu Gertrudis haesit, neque ulla deinde arte potuit cum reliquo statuae trunco conglutinari. Hanc se vidisse affirmat frater Conradus Zittardus prior provincialis Teutoniae, quae in perpetuum divinae erga Gertrudem benevolentiae, pignus adservata sit. Porro Gertrudis omni virtute exculta ex hoc mundo turbido ad pacem aeternam decessit 1246. Nicolaus Iansenius lib. de beneficiis B. Virginis in Ordinem praedicatorum c. 14.

Ordinis praedicatorum hominibus B. Virgo stigmata Christi impetrat.

190 Amantium ea unica cura est ac studium, eos donis ac beneficiis cumulare, quibus bene volunt: in eamque rem solicite intendunt, ut eis nova semper munera, novos honores, novas dignitates conferant. Id Ordinis nostri hominibus amantissima Mater Virgo Maria abunde praestitit. Non satis habens eis tot, ut vidimus, beneficia praestare, variaque munera conferre, voluit insuper unigenito Filio suo, quantum possibile erat, eos similes efficere, similibusque ornamentis decorare. Cum igitur videret nostri Instituti unicum scopum esse sanctissimum Christi nomen ubique gentium praedicare, ad eius amorem, venerationem, imitationemque alios inflammare, illumque ipsum humilitate, paupertate, patientia referre, crucem ac mortem eius sequi, voluit dilectissima Mater nonnullos eorum externis quoque Filii sui eicatricibus insignire, dolores illius sensibiliter tolerare, patientemque Christum, quantum res patiebatur, referre, atque exprimere, cum omnium praedicatorum communis vox esse debeat: *Christo confixus sum cruci.* Quocirca nonnullis ex nostris pretiosa quinque Christi vulnera, eximia divini amoris pignora, ab ipso impetravit, quae Christus ipse Virginis Matris precibus victus illis pro summa benignitate contulit, ac impressit.

191 S. p. Dominicus stigmata Christi accipit. Primus ex nostris tam insigni munere decoratus fuit beatissimus p. n. Dominicus, quem Benedicta florentina, pia ac religiosa femina Florentiae, cum s. pater sacrio operaturus ad aram intenderet, sacris Christi stigmatibus insignitum, spineam coronam in capite gestantem vidit. Pater Thomas a Templo, sancti Dominici socius, quod ex ore istius feminae audivit, retulit, et in suum librum congessit. Beatus Alanus quoque illud ipsum a Beatissima Virgine sibi revelatum fuisse iureiurando asserit exemplo 11 de rosario, c. 60. Idem scribunt Flaminius et alii. Quin etiam memorant, b. Catharinam senensem, et alios quosdam beatum Dominicum, aeterna iam gloria donatum, aliquando sacrorum vulnerum characteribus insignitum vidisse. Apud Choquetium capite 18.

192 Porro Fernandez in prologo libri de rosario secundae editionis ex Alphonso Vernero scribit, ante quatuor annos priusquam ea visio Florentiae occurreret, horum sacrorum stigmatum sancti Dominici veritatem in Hispania iam perspectam et exploratam fuisse; notatque sanctum patrem haec sacra stigmata Segoviae in specu coenobii nostri accepisse: qui locus ad haec usque tempora piis hominum peregrinationibus est celebris. Rem tam

Digitized by Google

memorandam et illustrem, ex longa ac continua traditione receptam Vernerus in ipsa specu expressit his versibus:

Praeterea Domino pendenti in stipite viva
Compatiens, lacrymis pallida, et ora rigans,
Hoc sub rupe crucis totus liquefactus amore
Stigmata per totam sensit acerba cutem.

Summa s. Dominici modestia, ac profundissima humilitas effecit, ut tam insignis salutis sibi collata munera perpetuo silentio premeret. Idque a Domino postulavit, et impetravit, ut sacra illa eius stigmata non omnibus essent conspicua, et posteritati non vulgata.

103 Alter tam pretioso munere exornatus fuit beatus Gualterus noster. Hic aliquando in minoritarum coenobio acerbissimos Christi patientis dolores ardentius recolens, ipsique commoriens, totus languens atrocissimos intolerandosque in manibus, pedibus, latere cruciatus persensit, adeo ut prae doloris magnitudine maximos clamores ediderit, quo tempore quinque Christi pretiosa stigmata divinitus illi impressa narrantur: in eiusque corpore quoad vixit, perdurasse testantur cruciatus, quos in membris iisdem, in quibus Christus cruci affixus eos perpessus est, ad extremum usque diem sustinuit. Fuerint ne stigmata illa omnium oculis patentia, auctores non produnt. Idem Gualterus cupidus experiri, quis gladius doloris animam Deiparentis tunc transfixerit, cum Christo in cruce morienti assisteret, sensit, quasi gladius acutus cor ipsius penetraret. Vivere desiit Gualterus anno Domini 1264. De eo narrant quae retulimus, Hieronymus Borsellus, Seraphinus Razzius, Plodius, Bzovius ad annum Domini 1265, num. 8.

104 Simili favore exornata fuit beata Helena hungarica tertium Ordinem s. Dominici professa. Haec dominicae passionis mysterium vehementissime contemplans die festo divi Francisci pretiosa Christi patientis quinque stigmata in manibus, et latere dextro visibiliter recepit. Quae cum aspexisset, vociferata est: *Ne fiat, quaeso, istud, mi Iesu, ne appareat istud, mi Redemptor.* Leander bononiensis, et Castelfrancus litteris consignarunt, et post eos Bzovius ad annum 1270. Ubi etiam istius beatae feminae admirandum gestorum ipsius breviarium scribit.

105 S. Catharinae stigmata. Huius tam amplissimi e coelo muneris expers nequaquam credenda est lectissima Dei sponsa, ac Deiparae cliens s. Catharina senensis. Tanta fuit nonnullorum ceteroqui proborum hominum invidentia, ut nullum non lapidem moverint, quo hanc virginem hoc sacrorum stigmatum eximio munere privarent, et imagines eius cum stigmatibus e medio tollerent. Mille artibus, totidemque imposturis sanctam Sedem apostolicam importune sollicitarunt; concionibus, libellisque, nec non clancularis molitionibus efficere conati sunt, ut divini illi characteres a Christo d. Catharinae impressi delerentur, et oblivione perpetua sepelirentur; adeo ut post diuturna adversus huius virginis imagines semperque recrudescentia praelia coactus fuerit Clemens VIII pontifex obtrectatorum linguis fraenum iniicere edito diplomate, quod incipit: *Cum sicut accepimus*, Romae 1599. Sed cum nondum aemuli quievissent, Urbanus VIII summus pontifex, cuius nunc purpuram universus orbis veneratur, s. Catharinam senensem, eiusque sacra stigmata toti Ecclesiae catholicae commendare volens, festum officiumque de beatissima hac virgine sub duplici celebrandum breviariis inseri curavit, et ut obstrueret os loquentium iniqua, hanc secundi nocturni secundam lectionem in haec verba praescripsit: *Cum Pisis immoraretur, die dominico refecta cibo coelesti, et in ecstasim rapta vidit Dominum crucifixum magna cum lumine advenientem, et ex eius vulnerum cicatricibus quinque radios ad quinque loca sui corporis descendentes: ideoque mysterium advertens, Dominum precata, ne cicatrices apparerent, continuo radii colorem sanguineum mutaverunt in splendidum, et in formam purae lucis pervenerunt ad manus, pedes, et cor eius: ac tantus erat dolor quem sensibiliter patiebatur, ut nisi Deus imminuisset, brevi se crederet moriturum. Hanc itaque gratiam amantissimus Dominus nova gratia cumulavit, ut sentiret dolorem illapsa vi vulnerum, et cruenta signa non apparerent. Quod ita contigisse cum Dei famula confessario suo Raymundo retulisset: ut oculis etiam repraesentaretur, radios in imaginibus b. Catharinae ad dicta quinque loca pertingentes pia fidelium cura pictis coloribus expressit.* Hus usque pontifex, innocentiae et veritatis supremus assertor, qui etiam imagines eiusdem virginis cum cicatricibus depingi concessit.

Cum nondum sopita fuisset perniciosa illa quorumdam ex livore potius, quam veritatis amore de sacris stigmatibus sanctae Catharinae pugna, ad confusionem adversantium (haud dubie agente sancta Catharina senense) impresserat Christus pretiosa quinque sui corporis hiantia, omniumque oculis patentia stigmata beatae Luciae de Narni, itidem tertii Ordinis sancti Dominici sanctimoniali professae. Cum Viterbii ad pedes crucifixi die quadam vehementius oraret, quod pro ingenti, quo iam decem annos arserat desiderio, uberibusque lacrymis expetierat, a Christo recepit, patentia nimirum manibus, pedibus, laterique insculpta sacrorum illius vulnerum stigmata. Ac primo quidem ab ultimo februarii die usque ad dominicam passionis conspecta sunt livida plane, carne nonnihil prominente, in forma caroleni italici, postmodum vero hiantia, cruenta, at suaveolentia apparuerunt. Non tulit id invidus daemon, et innocentiam virginis, ac sanctitatem eius per plures malevolos traducere coepit, quasi Lucia ex hypocrisi ad populorum plausum et admirationem illa vulnera sibi confinxisset. Tamque varius rumor circa ista Luciae stigmata in populo erat, ut Alexander VI summus pontifex eius rei inquisitionem viris magnis commiserit, qui rem accurate explorarent. Viterbii itaque primo de his stigmatibus diligentissima inquisitio facta est ab episcopo illius civitatis, et inquisitore patre Dominico de Gargano, aliisque iudicibus. Deinde Ferrariae varias examina Lucia subiit coram Herculo Ferrariae duce, Hyppolito cardinali estensi, Petro tranensi minorita, episcopo tolesion ac suffraganeo ferrariensi, Nicolao Mariae episcopo adriensi, et Bernardo recanatensi medico, quem summus pontifex Ferrariam ea de causa miserat. Is non oculis, nec omnibus satis fidens, acrioribus confectis aquis, Luciae manus aliquoties lavit, chyrothecis obtexit, quas ne quavis arte amoveret, adhibita cuique sera pensili pontificio sigillo apposito, continuis diebus novem eo modo remanere iussit. Sed o constantissimam divini muneris in illustrem virginem veritatem! Decurso novem dierum spatio, iudicibus Lucia iterum se sistit, sigilla ante impressa resignantur, pensiles serae solvuntur, chyrothecae detrahuntur, et utriusque manus vulnus ab omnibus cernitur nullum pus evocasse, nullam saniem movisse, nullius gravis odoris vel minimam labem contraxisse, nullum alium colorem admisisse, sed castissimum, fragrantissimum, et a cruore recente purpureum. Quae omnia exploratae veritatis argumenta praefati testes qui vulnera illa propriis oculis conspexerant, manibus contrectaverunt, et profluentem ex illis cruorem collegerunt, ac minime putrescentem diu asservarunt, publico testimonio in scriptis dato, et sigillis suis consignato Romam miserunt, et universo orbi nota esse voluerunt. Cum vero quotidie ad sacra illa Luciae vulnera contuenda maximus virorum, ac mulierum praesertim sanguine illustrium, atque Ecclesiae procerum, non ex Italia solum, verum etiam ex remotis Europae oris concursus fieret, adeo ut Lucia sibi vix vivere posset, solitudinis quietisque amans, novis iterum ex intimo corde ductis suspiriis, benignitatem Christi obnixissime precabatur, ut vulnerum illorum cruciatus sibi augeret, patentia vero illa stigmata pro suo in illam amore amoveret, ac detergeret.

106 B. Luciae de Narni stigmata.

Annuit precibus eius amantissimus sponsus Christus, et cum iam Lucia per septem annos hiantia illa vulnera gestasset, sensim in manibus pedibusque sanari coeperunt, et tandem sublata sunt; vulnus tamen lateri impressum hians, cruentumque remansit. Ex quo postmodum cum aliquando uberrimus cruor profluxeret, ita ut sanguine pene exhausto Lucia exanimis iaceret, benignissima Deiparens puerum Iesum in sinu gestans ei apparuit: tunc puer Iesus latus Luciae dextella sua tetigit, cruorem profluentem repressit, vulnus persanavit, exigua solummodo cicatrice relicta, Luciam ipsam integra valetudine viribusque donavit, adeo ut tunc cum aliis sororibus plane stupentibus matutinis precibus interfuerit. Porro quae ex stigmatibus promanantem sanguinem imbiberant linteola, varia prodigia divina virtute sunt operata. Iacobus Marcianensis, Plodius, Gavaston, Lopez apud Choquetium.

Venerabilis quoque ac praestantis sanctimoniae femina soror, 107
nomine Blancha, post grandia e coelo accepta munera, post conspectam a se Deiparam, suaviaque colloquia ultro citroque habita, post excellens vaticinandi donum, Christum obnixius rogavit, ut ipsi vel maius vulnerum suorum dolores experiri concede-

ret. Mox voti compos facta, bians vulnus in pede accepit, quod etiam illa mortua pluribus horis cruorem profundebat. Ioannes Lopez 3 p. lib. 1, cap. 23.

198 Maria Raggi. Non minore prodigio sacra Christi stigmata accepit venerabilis soror Maria Raggi natione graeca, ex insula Chia, quae obiit anno Domini 1600. Post frequentia colloquia cum Deipara Virgine habita hoc muneris ipsius interventu a Christo obtinuit, sacra videlicet stigmata ipsius, quae a nonnullis conspecta fuerunt, uti et diadema spineum capiti eius impressum. Michael Lot a Ribera, et Ioannes Saragoza dictae Mariae confessarii.

199 Dolores Christi quinam senserint. Claruerunt quoque sub signis s. Dominici nonnulli alii viri feminaeque, qui tametsi patentia stigmata Redemptoris in suo corpore non tulerint, atrocissimos tamen Christi dolores, immo et spineae coronae aculeos impressis etiam capitibus vestigiis senserunt. Hi optimo iure stigmatici dici possunt; in stigmatibus enim non tam signum externum vulnerum, quam dolor cruciatusque attenditur. Nec sanctorum quispiam a Deo stigmata ad aliorum conspectum, vel ad iactantiae umbram expetiit, sed ad dolorem: nec Christus humilitatis magister ea ad ostantationem contulit, quibus contulit; sed ad suorum cruciatuum consortium, maxime cum plerique sancti horum sacrorum stigmatum characteribus insigniti obnixe a Deo petierint, ut ea non apparerent.

200 Nicolaus ravennas. Ex his primus se prodit Nicolaus ravennas Ordinis praedicatorum, qui aliquando sacro Parasceves die de Christo patiente ad populum verba faciens, adeo in Christi passionem animo defixus erat, tanto doloris sensu divina illa salutis nostrae mysteria explicabat, ut quando Christum cruci iam affixum populo vellet exprimere, ipse Christo commoriens protensis brachiis, gelidus, pallida facie, manibus liventibus, in suggestu supra aerem toto corpore sublatus fuerit. Sicque non exiguo tempore immotus stetit, ut ipsum cruci quoque affixum mortuumque dixisses, et solum audita sunt eius alta suspiria, tanquam si tota corporis eius compages solveretur, praecordiaque rumperentur. At nulla quidem tunc in corpore eius stigmata conspecta sunt, donec post paucos annos in mortui corporis manibus a quibusvis clarissime visa sunt. Leander, Taegius, Hieronymus Borsellus, Razzius, Plodius.

201 Eiusdem gratiae consors fieri meruit soror nostra b. Birgitta virgo in Hollandia praestantissimae sanctitatis, cui Christus Dominus apparens sacra sua quinque vulnerum stigmata impressisse proditur. Antonius senensis in chronico, decade 1390.

202 Eodem favore dignatus est Christus b. Osannam mantuanam, quae Christi e cruce pendentis acerbissimos cruciatus in tenello suo corpore experiri cupiens, voti compos facta adeo graves atrocesque dolores experta est, ut triduum omnis sensus expers iacuerit, dubia eorum qui viderunt, num viveret, sententia. Post aliquot annos, saepius tamen interea Christus Osannae apparuit, illique communia confessa sui lateris tormenta fecit. Quae cum illa aliquando plus solito graviora persentiret, advertit sese aparire bians vulnus, propterea sponsum suum Christum obnixius oravit, multisque lacrymis effusis deprecata est, ne carnem suam aperiri sineret. Hieronymus mantuanus, Franciscus ferrariensis in vita b. Osannae.

203 Pari favore condecorata fuit b. Maria a s. Dominico, quae praeter rarum omnium Conditoris beneficiis Christi doloribus in capite, in corde, in manibus atque pedibus cruciabatur ad eum modum, quo b. Catharina senensis. Visit haec virgo anno 1515, de qua scribit Vincentius Iustinianus Antistius disputat. de s. Catharinae imaginibus, par. 8.

204 B. Columba Trocasani inter plura admiranda munera, quibus eam Deus cumulare dignatus est, cum aliquando ante Christi e cruce pendentis imaginem ardentius oraret, e manibus, pedibus, latereque eius radios accepit, qui tamen nec dolorem illi attulerunt, nec stigmata impresserunt, sed ingentam supra modum pietatis flammam in corde Virginis accenderunt, ita ut quoties Christi crucifixi imaginem conspiceret, toties illi prae dolore viscera propemodum rumperentur. Ex hoc amoris igne tanta cupiditas cruciatus Christi tolerandi in corde ipsius exarsit, ut id frequentius a Christo petens, immensos manuum, pedum, ac lateris senserit dolores; qui eam, licet valentem sibique magnopere gratulantem adeo premebant, ut nec pedibus insistere posset. Verum cum coenobii cuiusdam praefecturae Columba munus gereret, in eoque officio dolor ille eam aliquanto tardiorem faceret, magnis precibus lacrymisque a Christo obtinuit, ut ille dolor aliquanto remissior esset, qui eam exequendo muneri parem idoneamque fieri permisit, nisi quod feriis sextis recrudesceret. Gavaston, Lopez, Plodius.

205 Eodem divino munere illustris fuit b. Stephana soncinas, et b. Catharina Ricci florentina, et b. Hieronyma Carvalle, quae praecipuorum Christi vulnerum dolores multo tempore persenserunt. Ioannes Lopez, Seraphinus Razzius, Plodius apud Choquetium loco quo supra.

206 B. Catharina Raconisia coronam spineam accepit. Praestanti quoque hoc sacrorum stigmatum munere coelitus donata fuit b. Catharina Raconisia, quae aliquando tertia Paschatis die antemeridiano tempore Christum in horto olivetano orantem, totumque sanguineo sudore madentem contemplans, eiusque agoniae particeps esse desiderans extemplo illum ipsum resurgentis specie decorum, clamyde coccinea amictum, vexillum manu gestantem, et maximo fulgore radiantem conspicit. Qui dulciter eam alloquens praecipua quinque sui corporis stigmata ei ostendit, ex quibus illa purpurea quinque fila in suas manus, pedes, ac latus derivari vidit, quae eam in illis ipsis membris adeo vulneraruut, ut in terram concideret, mortuaeque simillima aliquandiu prae doloris acerbitate iacuerit. Sibi reddita magnis precibus ac lacrymis Christum obtestata est, ne illa tanti muneris insignia in eius corpore apparerent, ac tandem obtinuit. Ioannes Picus comes mirandulanus in eius vita. Accepit b. quoque Catharina tunc nobile spinarum diadema ratum adeo infixum, ut exinde circum caput illi semper fuerit altus carnis sulcus concreti sanguinis guttis interpunctus: quod se vidisse testatur supra memoratus comes, Catharinae admodum familiaris, eiusque virtutum admirator egregius. Obiit haec virgo anno Domini 1547.

207 Pari divino munere cumulata fuit b. Ursola Aguiria valentina, quae anno Domini 1592, in die s. Benedicti post sacram synaxim in sacellum sanctissimo Nomini Iesu dicatum in templo praedicatorum se recipiens, meditationi intenta s. Catharinam senensem crucifixi imaginem praeferentam, a cuius manu tres in ipsam evibrabantur clavi, conspexit. Cumque ignoraret quid istud sibi vellet, amantissimum sponsum ardentissime rogavit, ne stigmata in suo corpore conspicua essent, sed interni tantummodo dolores, quantumvis intensissimi. Quo ex tempore incredibiles Christi instar in manibus pedibusque experta est dolores. Ioannes Gavaston.

208 Simile a Dei manu beneficium consecuta est nostra soror Ioanna urbevetana, quae sacratissimo Parasceves die Christum cruci affixum, atque extrema patientem contemplans, in ecstasim rapta, toto corpore in terram corruenta et distanto, protensis brachiis, pede uno alteri supposito, livida facie, Crucifixo per omnia similis, diem integrum non absque prodigio sensuum penitus expers permansit. Idemque illi accidit quotannis, quolibet Parasceves die per decem annos continuos, quibus diebus acerbos illos Christi dolores in carne sua sensit; nisi quod graviter aegrotans ab illis doloribus liberam diem habuit. Raymundus Capuanus, Castillanus, Seraphinus Razzius, Gavaston apud Choquetium loco citato. Qui etiam ibidem ex Thoma Cantipratano mentionem facit de fratre Volvando nostro, qui dum viveret, solitus crebre cruce pectus munire, post mortem osseum crucem in eodem corpore conspicuam habere meruit.

209 Idem Choquetius ibidem memorat, quod a suo conventuali fratre Raymundo Huldero audivit, eum videlicet Neapoli aspexisse cuiusdam fratris Ioannis nostri cor fissum, hiansque a vulnere, quasi aliquo ferro discissum. Insuper ampullam cruoris plenam cui Ioannis cor, dum viveret, innatarat, estque etiamnum floridus et recenter fuso simillimus. Hic pater non ita pridem obiit Neapoli in conventu nostro B. Mariae Sanitatis.

Ordinem praedicatorum B. V. Maria prodigiosis suis imaginibus ornat.

210 Parentes quo amorem erga se prolium suarum in eorum cordibus conservent, imagines suas ad vivum expressas in monumentum illis relinquunt. Idipsum Deipara Virgo Maria Ordini praedicatorum praestitit, cui multas suas imagines praeclarissimas, ac portentosas reliquit, et pro maximo munere dedit. Multus essem, et nimis curiosus, si omnes et singulas Religionis nostrae ecclesias percurrerem, imaginesque Virginis in eis religiose asservatas perlustrarem, ut recenserem. Feci id ex parte in hoc opere, ubi nonnullarum, quae toto orbe uspiam sunt, et

Digitized by Google

ab historicis celebrantur, B. Virginis imaginum prodigiosissimarum origines, et miracula enumeravi. Ab his nunc supersedeo, ne actum agere videar. Vide discursum CCXXVI, num. 17, 26, 30, 34, 37, et deinceps usque ad 45, et num. 47, 59.

211 Praeter eas quas ibi enumeravimus, Beatae Virginis imagines, in omnibus fratrum praedicatorum ecclesiis conspiciuntur eiusdem sacrosanctae Virginis rosario coronatae icones tum in altaribus, tum in vexillis. Per quas quam ingentia, et innumera christianus orbis a Deo percipiat beneficia, libri de hoc conscripti aperte loquuntur.

Sancti patris nostri Dominici imaginem miraculosam B. Virgo fratribus nostris donat.

212 Quo amorem suum Deipara Virgo Maria erga d. Dominicum iam in gloria coelesti secum regnantem mortalibus magis testatum faceret, et ut eum magis ac magis colerent, studium eorum excitaret, effigiem illius coelesti penicillo pictam e solio gloriae suae in terras deferre, nostrisque fratribus tanti patris indignis filiis pro sua benignitate donare dignata est. Rem breviter narro.

213 S. p. Dominici imago nostris a B. Virgine traditur.

Extructo Soriani, Calabriae oppido, iussu b. patris Dominici cuidam fratri Vincentio in visione apparentis, templo sui nomini dicato anno Domini 1510, post viginti annos, nimirum anno 1530, nocte quae nativitatis Deiparae Virginis octavum diem proxime antecedit, sacrista cereos ad matutinas preces persolvendas in altari incendens, dum ab altari regreditur, tres feminas vultu vesteque supra modum decoras videt. Attonitus confestim ad fores ecclesiae vadit, veritus ne nocte sua incuria templum patuisset; sed fores obseratas videns magis stupet. Haerentem anxiumque una illarum matronarum aliis forma augustior ad se vocat, ab eoque sciscitatur cuiusnam nomini templum illud dicatum esset, quaeve imago illa e muro penderet? Respondet ille, templum b. Dominico consecratum esse, cuius unica imago rudia, et indocta manu picta pro ara spectabatur. Tum illa e sinu involutam telam proferens, ait: *Cum in hoc templo aliam vestri fundatoris ac ducis imaginem non habeatis, in istam accipe, et ad superiorem conventus defer, illique dicito, ut in hoc templo isti imagini honoris locum tribuat.* Sacrista superiori rem omnem exponit, telamque, ut involutam acceperat, reddit. Eam cum explicant imaginem contuentur, quae eos occulta quadam vi ad sui venerationem commovens, ardentes flammas pietatis in ipsorum cordibus accendit. Confestim in templum eunt; nobilibus illis feminis gratias acturi; verum in coelum sese iam receperant. Diu multumque quaesitas, quaenam illae matronae essent, non invenientes, effusis ad Deum precibus, ut eius imaginis originem ac mysterium eis declararet, in sequenti nocte s. Catharina virgo et martyr uni sacerdotum nostrorum a matutinis ibidem oranti conspicuam se fecit, remque totam enarravit; illam nimirum s. Dominici effigiem non alicuius hominis penicillo, aut arte pictam, sed ad eos delatam esse, ipsamque sacram Dei Genitricem eam attulisse, et sacristae tradidisse; seque una cum b. Maria Magdalena Virginis Matris comitem tunc fuisse.

214 Imago miraculosa b. p. Dominici soriani.

Et sane illa imago non a manu alicuius mortalis artificis se prodiisse liquido ostendit. Aliquorum enim oculis illam contuentibus maximus clarissimusque fulgor sese obiecit, qui simulacrum illud penitus obtexit. Alii imaginem illam depingere volentes, illius maiestate territi, titubante penicillo, et manu tremente, ab incoepto destiterunt. Multa ibi miracula ab coelestem hanc s. Dominici effigiem fiunt, magnusque populorum concursus, immo et principum, ducum, marchionum, aliarumque nobilium personarum, tum ecclesiasticarum, tunc saecularium mira devotio, ubi in variis suis necessitatibus, morbis, periculis praesidium s. Dominici invocando eius auxilium sentiunt. Cerneres ibi quamplurimos ab ipso templi limine ad maiorem usque aram genibus reptantes solum ipsum elingere, durissimis flagellis se atrociter diverberare, alios caput pungentibus spinis coopertum habentes sacrae illi imagini sese sistere. Conspiceres etiam ipsos antistites, et optimates nudipedes peregrinationem in sacram illam sorianensem b. Dominici Thaumaturgi aedem suscipere.

215 Imago illa qualis sit.

Si vero ipsam effigiem inspicere, et qualis ipsa sit, nosse desideras, accipe. Longitudo illius paulo amplius quam palmorum quinque; sanctum Dominicum vero exhibet formoso, sed longe venerando aspectu, facie nonnihil oblonga, naso aquilino, capillis aliquantulum subrufis, et ut plurimum canitie respersis; faciei color candidus cum pallore coniunctus, ita ut raram viri maiestatem exhibeat, nihilominus tamen summam suipsius abiectionem et contemptum indicet; vultus serenitas in intuentibus laetitiam provocat, pallor tamen maciesque terret, et ad poenitentiam commovet; vestes ultra talos non protensae; uterque pes calceis nigris indutus; dextera librum, sinistra lilium gestat; illo eruditionem eximiam, hoc vero virgineum pudorem repraesentat. Tale donum benignissima Mater nostris e coelo contulit; sicque lectissimum suum filium Dominicum etiam in terris apud mortales honorare voluit. De hac imagine d. Dominici soriana vide quae fuse scribit Silvester de Frangipanis in suo libello de hac ipsa imagine edito anno Domini 1622.

Cantantes Salve Regina *praedicatores B. Virgo resalutat, amplectitur, benedicit, aliaque singularis amoris argumenta exhibet, istudque canticum prodigiis ornat.*

Aurei istius elegantisque cantici auctorem, usum illius quotidianum in Ordine praedicatorum, eius paraphrasticam expositionem, et nonnulla per illud facta miracula alibi dabimus, cum de antiphonis in honorem B. M. Virginis in Ecclesia decantari solitis agemus. Nunc solum admirandae huius antiphonae portenta, et singularis amoris a B. Virgine, tunc cum a fratribus nostris cantaretur nonnulla argumenta proferre libet. 216

Gerardus lemovicensis parte 1, cap. 7 ex beati Iordani libello, quem de Ordinis initio edidit, narrat, a viro quodam integrae vitae fideique sibi relatum, vidisse frequenter, cum praedicta antiphona a nostris concineretur, et ad verba illa progressum esset: *Eia ergo advocata nostra*, etc. Beatam ipsam Dei Matrem ante Filium procidentem, et pro ipsius Ordinis dilatatione et conservatione supplicantem. 217

217 Antiphonam *Salve Regina* ipsa B. Virgo multis gratiis ornat.

Habet quoque eodem capite idem Gerardus in hunc modum. *Beneplacitum autem esse Deo, et Matri suae huiusmodi processionem concursus populorum, cleri devotio, pia suspiria, dulces lacrymae, et admirandae visiones declarant. Multi enim viderunt, et dixerunt, fratribus ad altare Virginis egredientibus, ipsam Virginem cum multitudine civium supernorum a summo coeli progredi, et dum ad illud verbum* O dulcis Virgo Maria *supplicarent, ipsam illis benedicentem pariter inclinare, et ipsis regredientibus, ipsam ad coelum reverti.* Tum proxime subdit. 218

Marsiliae fuit quaedam mulier devota, natione lombarda, quae cum quadam die staret ad completorium fratrum, fuisset singulari devotione affecta in inceptione dulcis antiphonae Salve Regina, *fuit rapta in spiritu, viditque quatuor admiranda, et nobis amanda. Vidit quidem ipsam Reginam misericordiae, cum fratres dicerent:* Et spes nostra salve, *ipsos dulciter resalutantem; et cum dicerent:* Eia ergo advocata nostra, *ipsam ante Filium suum pro illis procidentem, et orantem, et cum subiunxerunt:* illos tuos misericordes oculos ad nos converte, *vidit illam laeto, et columbino vultu in fratres respicientem; post cum cantarent:* Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende, *vidit ipsam in aetate tenera gestantem Filium, et ipsum omnibus et singulis cum multo gaudio protendentem. Haec autem omnia dicta mulier suo confessario fratri maturo et discreto, licet laica esset, distincte, et cum multis lacrymis enarravit.* Ad calcem capitis pergit idem scriptor: 219

Quidam frater in Anglia cum gravem incurrisset infirmitatem, nec a completorio conventus remaneret, cum cantaret cum aliis ut poterat, Salve Regina, *in illo verbo,* misericordiae, *compunctus rogabat Dominam, ut eius illa infirmitate misericordiam sentiret; statimque raptus in spiritu vidit ipsum Filium suum quasi sanguinolentem in cruce sibi ostendentem, et dicentem: Vide quanta pro te passus est, ut eam pateris, pusillanimis non fias? Rediens autem frater, et sanatum se sentiens, Deo et Matri misericordiae gratias egit magnifice, et magistro Ordinis hoc secrete conscripsit. Frater Segerus vita, scientia, et fama praeclarus, lector in Universitate Cantabrigiae, retulit, quod quidam honestus vir frequenter vidit globum lucis de coelo super capita fratrum descendere, dum antiphonam B. Mariae post completorium devote cantarent.* 220

Cum circa domum Prulioni (coenobium est virginum Ordinis praedicatorum a s. Dominico decem milliaribus a Tolosa conditum) *grando et tempestas mirabilis sata concuteret, sorores coruscationibus territae ecclesiam intrantes* Salve Regina *cum multa devotione cantaverunt Matrem misericordiae rogantes, ut* 221

Digitized by Google

eas, et terras suas quibus sustentabantur, sua pietate servaret. Mira res! sed ab eo facta, qui imperat ventis, et fulgura in pluviam facit: cum non solum in circuitu, sed fere ad tractum balistae, omnia sata grandinibus contrita fuissent, et vineae destructae, omnia quae sororum erant, per Dei gratiam et B. Mariae adiutorium salva et integra remanserunt.

222 B. Beneventae visiones tempore *Salve Regina* habitae. S. p. Dominicus fratres suos *Salve Regina* cantantes aqua lustrali aspergit.

Beata Benevenuta priusquam Ordini praedicatorum adscriberetur, sacram eorum aedem quotidie bis adibat, mane nimirum, ut sacrosancto missae sacrificio interesset, et vespere, ut dulce hoc canticum a fratribus decantatum audiret. Aliquando ipso sanctissimi Dominici die festo ferventius orans, dum fratres e choro ad ecclesiam maiorem ad *Salve Regina* pro more prodirent, ipsa in sacra illa processione beatum patrem Dominicum una cum fratribus exeuntem, prioris tunc absentis, qui erat frater Gerardus de Barbarano, locum tenentem in spiritu conspexit. Deinde una cum hebdomadario fratres lustrali unda aspergentem, singulos complectentem, ac tum in prioris locum revertentem vidit. Acta sunt haec Foro Iulii, ubi b. Benevenuta nata, et educata est.

223 Eadem b. Benevenuta ibidem alio die, cum ad canticum *Salve Regina* a nostris post completorium decantatum in ecclesia adesset, Beatissimam Dei Matrem pari modo prioris locum tenentem aspexit, tum hebdomadarium sequi, ad singulos fratres sese inclinare, ac tandem omnibus in chorum regressis, in coelum se recipere vidit.

224 Tertio, eandem Deiparentem in medio acolythorum stantem, vultum versum ad nostros *Salve Regina* concinentes habentem vidit, illis cantantibus: *Et Iesum benedictum fructum ventris tui*; ipsa filii sui Iesu quem in ulnis gestabat, manu protensa, una cum eo formam crucis exprimendo fratribus benedicebat. Plodius de progenie s. Dominici lib. 2, cap. 45.

225 B. Catharinae Ricci visio.

Beata Catharina Ricci, aliquando cum sorores nostrae Florentiae in coenobio s. Vincentii, cui a Prato titulus est, pro more et instituto Ordinis nostri canticum *Salve Regina* decantarent, vidit Mariam Christum mortuo similem, sindone involutum, singulis monialibus per ordinem ad osculandum eum praebentem; angelumque itidem sacrosanctam eius crucem, ut oscularentur, singulis offerentem. Plodius lib. 4 de viris illustribus Ordinis praedicatorum, secunda editione.

226 B. Mariae Raggi visio.

Beata Maria Raggi anno Domini 1598, die 7 maii, cum ad canticum *Salve Regina* in ecclesia nostra interesset, Beatissimam Virginem regio decore, et maiestate insignem, beatorum virorum, virginumque Ordinis praedicatorum agmine stipatam procedentem, singulis fratribus amoris sui argumenta exhibentem, suumque illis praesidium pollicentem vidit. Michael Lat lib. 2, cap. 8, Ioannes Saragoza lib. 3, cap. 5. Alia huius admirandi cantici miracula et prodigia vide inferius, ubi de hoc cantico ex professo agitur.

Spiritum sanctum visibiliter apparentem B. Virgo fratribus praedicatoribus impetrat.

227 Nostris apud Montem Pessulanum anno Domini 1265 capitulum generale celebrantibus Maria de Charascona Clementis IV pontificis soror, matrona venerabilis et valde devota, sanctorum illam congregationem tam celebrem videre desiderans ad Montem Pessulanum venit, et ut Dominus fratribus in capitulo congregatis suum Spiritum mitteret, Mariaque Mater misericordiae eos pro sua benignitate visitaret, oravit. Ipsa itaque Pentecostes die, cum in ecclesia nostra officium celebraretur, ipsa humi prostrata orationi incumbens ut prius orabat, quatenus videlicet Deus tot fratres in uno nomine congregatos, quorum multi per tot terrarum spatia iter fecerunt, Spiritus s. lumine perlustraret. Dum sic orat, cantore hymnum *Veni Creator Spiritus* in choro intonante, vidit flammam magnam de supremis descendere, quae totum chorum usque ad hymni consummationem involvit. Cumque rem visam considerasset, nemini visionem dicens, nec id suis meritis adscribens Deo gratias egit, qui sicut primos orbis praedicatores, nimirum apostolos, visibili praesentia Spiritus sancti in specie ignis corroboravit, sic et ad nostri temporis praedicatores eandem gratiam extendit. Retulit hoc Guido Fulcodius narbonensis antistes, et postea Clemens IV pontifex romanus in epistola ad fratres nostros data anno Domini 1265, quam de verbo ad verbum insertam habes apud Choquetium capite 16.

B. V. Maria fratres praedicatores officium suum recitare docet, ad illud recitandum fratres invitat, et cum quodam novitio illud recitat.

Sacer Ordo praedicatorum pro suo in Beatissimam Virginem studio a primo suo ortu quotidianum eiusdem Virginis persolvit officium, illudque maioris officii horis praemittit, dempto completorio, quod maiori postponit propter connexionem cantici *Salve Regina*, quod mox subiungit, et solemniter decantat. 228

Primo igitur Ordinis nostri ritu ad matutinum habuimus commune toti Ecclesiae invitatorium: *Ave Maria gratia plena Dominus tecum.* Quod dum fratres recitarent, ipsa Virgo illis conspicua facta ait: *Non sic, fratres mei, non sic, sed Regem Virginis Filium venite adoremus.* Quod invitatorium totus Ordo retinet usque in praesentem diem. Huius rei testes sunt chronicum Ordinis minus, et Antonius Senensis in suo chronico. 229 Officium B. M. Virginis apud fratres Ordinis praedicatorum.

Rursum cum aliquando fratres nostri matutinum de B. M. Virgine pro more Ordinis in dormitorio recitarent, religioso cuidam sanctioris vitae viro Beatissima Virgo conspecta est cum duabus sanctis virginibus hac voce nostros adhortans et animans: *Fortiter fortiter, viri fortes.* Refert Ioannes Lopez l. 7, c. 7. Quo etiam loco habet, eandem Deiparam cuidam nostro novitio adfuisse, unaque cum eo istiusmodi matutinas preces recitasse. Quomodo per istas horarias preces Beata Virgo beatum Gundisalvum ad Ordinem nostrum vocaverit, superius dixi. Vide huius discursus numerum 132. 230 Officium suum B. Virgo cum quodam novitio recitat.

Rosarii sui promotores Beatissima Virgo dominicanos facit.

Hoc punctum fuse monstratum habebis inferius in expositione epitheti *Rosa mystica*, ubi de rosarii origine, auctore, statu, progressu ac renovatione agemus. 231

Conciones praedicatorum B. Virgo prodigiosas, et efficaces facit.

Quam ingens omni aetate fuerit, futuraque sit deinceps animarum seges, quam nostri in coelum inferunt, toti orbi christiano notum est. Et in primis quantos fructus ex praedicatione sua protulerit noster primus dux s. Dominicus, inferius monstrabimus, ubi de rosarii institutione agemus. 232

Sancto patri Dominico in praedicationis gloria, maximo in partibus septentrionalibus proximus fuit s. Hyacinthus Odrovazius ab ipso beatissimo nostrum omnium parente Dominico Ordini adscriptus. Hic, patrocinante Deipara Virgine, cui ad stuporem addictus fuit, omnes fere septentrionis, et quae orientem spectant, oras pervagatus, eas splendore doctrinae, sanctitatis collustravit, coloniasque Religionis non ita pridem institutae Gedanum, Culmam, Caminum, Montem Regium in illis loca invexit. Non minora officia praestitit in Russia idem s. Hyacinthus in convertendis gentibus, et schismaticis, tunc cum commissarium Gregorii IX pontificis max. ageret, totum se cum fratribus praedicatoribus ad convertendos schismaticos ad unitatem Ecclesiae impendit. Haliciam venimus, Colomanum et Salomeam principes coniuges voto emisso castitatis adstrinxit, summoque pontifici parere docuit. Leopoli, Kioviae in uniendis romanae Ecclesiae Ruthenis totos quatuor annos laboravit, coloniasque Religionis praedicatorum in easdem, et alias Russiae civitates deduxit. Inde ad Cumanos, Scythas, et Moschos excurrens, magnos ibi fructus animarum ex praedicatione evangelii reportavit, et oras illas operum sanctitate, et miraculorum gloria collustravit, inter quae illud valde memorandum, quod Borysthenem rapidissimum fluvium siccis pedibus pertransiit. In iisdem provinciis per id temporis claruerunt praesules ex Ordine praedicatorum, b. Gerardus primus Ruthenorum, b. Vitus primus Lithuanorum, b. Meynardus primus Livonum episcopus Bzovius ad annum Domini 1233. 233 S. Hyacinthi praedicatio quam fructuosa. S. Hyacinthus Gregorii IX commissarius.

Eadem Virgine patrocinante, a tam sancto opere fratres nostri non cessarunt, per multa enim annorum spatia in illis regionibus verbum salutis enuntiabant daemonum cultum eliminando, profanos ritus extinguendo, multos uberesque evangelii fructus per lucra animarum reportabant. Hinc illa societas peregrinantium ex fratribus Ordinis praedicatorum auctoritate Ioannis XXII pontificis maximi collecta, quae ad evangelii praedicationem per provincias destinabatur, quorum peregrinationis nul- 234 Societas peregrinantium ex fratribus Ordinis praedicatorum.

Dominicani quam late per orbem evangelium praedicant.

lus certus limes, cum et in Persidem, et alias remotiores provincias penetraret, atque fere totum Orientem peragraret. De his vide Bzovium nostrum ad annum Domini 1325, num. 11. Ad hos puto directas illas litteras Nicolai IV anno 1299, quibus salutans eos, ait: *Dilectis filiis fratribus de Ordine praedicatorum ad terras Saracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Valacorum, ubicumque existentium, Æthiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Azarorum, Gathorum, Zicorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mustellicorum, Tartarorum, Ungarorum maioris Ungariae, christianorum captivorum apud Tartaros, aliarumque exterarum nationum Orientis communionem S. R. E. non habentium proficiscentibus salutem et apostolicam benedictionem.* Ecce quam late fratres Ordinis praedicatorum favore Deiparae Virginis per orbem terrarum dispersi erant. Quos autem fructus attulerint ex tam copioso, et tam universali verbi Dei semine, non facile est dinumerare. Certe frater Benedictus, qui ceteris praeerat fratribus, ad magistrum generalem scribens (quae adhuc extant litterae) narrat multa hominum millia non solum ex plebe, sed etiam ex primaria hominum nobilitate baptismum suscepisse.

235 *Tartari per dominicanos conversi.*

Non minus strenuam in convertendis ad fidem Tartaris fratres Ordinis praedicatorum navarunt operam. Ex Concilio namque lugdunensi Innocentius IV quatuor ex Ordine praedicatorum, et tres ex Ordinem minorum fratres ad regem Tartarorum misit, si qua ratione gens illa barbara christiana pietate imbui posset. Praedicatorum nomina fuere Anselmus, Alexander, Simon, Albertus. Minores vocabantur fratres Ioannes de Plano, Carpinus, et frater Benedictus. Isti omnes quanquam cum magna difficultate terras barbarorum penetrassent, et nonnullos obices evangelii praedicationi statim in limine offendissent, cunctis tamen superatis, et innumeris laboribus exantlatis, innumerabiles gentiles Christo adiunxerunt. Arnobius lib. 7, s. Antoninus p. 3, tit. 19, cap. 5, Vincentius Bellvacensis lib. 13, cap. 19. Apud eundem Vincentium lib. 31, cap. 90, de rege Galliarum Ludovico, qui postea in sanctorum numerum est relatus, et in Cyprum traiecerat bellum Saracenis in Syria illaturus, sic legimus: *Anno Domini 1248 circa natale Domini ad regem Ludovicum apud Nicosiam commorantem nuntii a quodam magno viro Erchaltay nomine, de gente Tartarorum, venerunt cum litteris nuntiantes, quod rex magnus Tartarorum, qui dicitur Cham, factus erat per Dei gratiam christianus, et cum aliis quamplurimis magnatibus, et maxima parte populi, et exercitus sacrum baptisma susceperat. Dictus etiam Erchaltay iam ante aliquot annos fidem susceperat, et nunc veniebat missus a dicto rege Cham cum maxima multitudine bellatorum, eratque ipsius intentio fidem christianam promovere, ac roborare, et omnium crucem adorantium utilitatem et liberationem procurare, omnesque adversarios crucis expugnare.* Haec Vincentius Bellvacensis.

236 *A Wratislavia b. Ceslaus suis precibus Tartaros fugat.*

Occasionem autem conversionis Tartarorum Abraham Bzovius hanc fuisse scribit ad annum Domini 1241. Cum Poloniam, Moraviam, Ungariam Tartari, ut iam meminimus, latissime vastarent, Wratislaviam Silesiae urbem obsidentes coeleste insigne prodigium viderunt. Beatus Ceslaus Odrovazius Ordinis praedicatorum in ea urbe erat, et ingentibus precibus, et lacrymis Dei misericordiam, et praesentis periculi depulsionem implorabat. Ecce columna ignea coelitus apparuit, et stativa Tartarorum urbem obsidentium omne territorium ingenti, atque terribili fulgore collustravit. Alii sanctum virum orantem instar columnae igneae viderant, alii globum igneum in eius capite aspexerant, alii globos igneos in castra Tartarorum iacientem explorato didicerant. Hoc miraculo perterrefacti, nihil cunctati obsidionem solverunt, et quamplurimi illorum virtutem divinam certo certius cognoscentes, una cum regulo quopiam meliore spiritu afflato Christo manus dederunt, et fratribus praedicatoribus se erudiendos tradiderunt. Quare ad Concilium lugdunense advenientes sub Innocentio IV baptizati sunt, teste Blondo, quamvis alii (teste Genebrardo in chronicis) id factum velint in alio Concilio lugdunensi sub Gregorio X. Hi itaque baptizati ab Innocentio IV petierunt, ut gentilibus suis in errorum tenebris versantibus facem evangelii accenderet. Pontifex igitur fratribus praedicatoribus et minoribus supra nominatis hanc provinciam demandavit. Ex quibus frater Anselmus, cum non contemnendam operam in convertendis Tartaris posuisset, cum fratre Ioanne, et Benedicto minoritis intima Persidis penetrans, et legatione pro Christo defungens, multis cruciatibus perpessis, fidem christianam suo sanguine illustrarunt. Haec Bzovius loco citato. Ita ergo proficiebant fratres praedicatores in gentibus concionibus suis, Domino cooperante et sermonem confirmante, ac Beatissima Virgine opitulante, sequentibus signis.

237 *Ioannis Vincentii conciones quam mirabiles.*

Post d. Hyacinthum eiusque progeniem in nostro septentrione longe lateque propagatam in Italia maxima dicendi laude floruit Ioannes Vincentinus admirandae sanctitatis vir, qui teste Thoma Cantipratano lib. 2 apum, c. 7, num. 3, *tanta miraculorum gloria refulsit, ut nulli antiquorum sanctorum in hac parte inferior esse credatur.* Ipso praedicante bella inter rempublicam veronensem, et comitem Richardum a sancto Bonifacio sedata sunt. Tantae enim auctoritatis erat, ut cum non procul a Verona in patentibus agris concionem de pace haberet, hominum trecenta millia in sua concione conspexerit, e quibus erant patriarcha aquileiensis, episcopi quinque, videlicet brixianus, veronensis, mantuanus, vincentinus, et tarvisinus. Tantaque illi vis dicendi, patrocinante Deipara Virgine, ex alto infusa fuit, ut a concione plurimi, qui inter se capitalia odia gesserant, in mutua pacis oscula ex animo certatim ruerent. Sed et Veronam ipsam, eiusque territorium Vincentius a Manichaeorum peste non sine ingenti miraculo liberavit. De eo scribit Thomas Malvenda anno 1233, a cap. 10 usque ad 15.

238 *S. Petri veronensis praedicatio quam fervens, et fructuosa.*

Ab iisdem coeli quoque muneribus, agente Deipara Virgine, admirandus et suscipiendus evasit s. Petrus veronensis martyr, qui tanta cum efficacia Verbum Dei in Lombardia, Tuscia, Romandiola, et Marchia anconitana praedicabat, ut de urbibus, et castris cum vexillis, et tubis sonantibus infiniti propemodum populi ei obviam venirent, et ut eum audire possent, loca sibi praeriperent. Eo praedicante multi haereses abiurabant, plures, iniuriis condonatis, finem discordiis et simultatibus imponebant: plurimi vero sua peccata confitentes ad agendam poenitentiam se comparabant. Thomas Lentinus in vita s. Petri martyris.

239 *B. Nicolaus a Iuvenatio quam fervens praedicator.*

Non minorem praedicandi verbi divini vim ab uberibus Mariae hausit b. Nicolaus a Iuvenatio apulus, qui tanto verborum pondere in praedicatione usus est, ut nedum homines ad Dei amorem, virtutis studium, odia scelerum, Sanctissimae Virginis cultum inflammaret; sed etiam aviculas in nomine Christi ad Dei verbum audiendum invitaret. Aliquando Brixiae praedicans, et in auditorio duos iuvenes petulantes et lascivos, qui inhonestis signis gestibusque alios ad libidinem provocabant, videns in haec verba prorupit: O aeterne Deus, siquidem verba tua ab hominibus contemnuntur, et profana libenter audiuntur: aves rationis expertes veniant, et verbum Dei audiant. Mira res! aves omnes quae circum urbem erant, innumerabili multitudine protinus advolarunt, et magno silentio quasi auscultabundae concionantem quiete stabant. Tanto miraculo lascivientes illi iuvenes commoti, ceterique homines stupentes Deum in sanctis suis mirabilem praedicaverunt. Michael Plodius de viris illustribus libro 1, et Thomas Malvenda apud Choquetium cap. 17.

Aves concionem eius audiunt.

240 *B. Venturinus in concionando mirabilis.*

Eiusdem Deiparae beneficio, cum qua in aera sublatus colloquium habere visus est b. Venturinus bergomas, in hocce apostolico concionandi munere adeo excelluit, ut populi ad eius conciones veluti ad oracula undique convolarent. Interdum ad quadraginta, nonnunquam supra quinquaginta hominum millia in sua concione habuisse legitur. In Italia verbum Dei praedicans illius regionis gentem suis concionibus quo volebat, inflectebat. Studium illi erat, ut bellum sacrum Saracenis indiceretur, et Terra sancta Domini ac Salvatoris nostri, Virginisque Mariae sacrosancta partu, conceptu, ortu, doctrina, miraculis, cruore, cruce, morte Christi, et gloriae eius triumphis nobilitata, et consecrata, barbarae gentis iugo eriperetur. In eum finem in sola Italia concionibus suis quinquaginta hominum millia ad arma contra Saracenos convocavit. Praedicante Venturino superbi de se modeste ac humiliter sentire, usurarii male comparata reddere, meretrices prostibula deserere, facinorosi, homicidae, aliique perditi homines fune collo sponte iniecto, veniam delictorum suorum a Deo demisse deprecari coeperunt. Non solum qui concionibus eius aderant, quive prodigiorum, quae divinitus patrabat, oculati testes erant, ad Deum convertebantur: verum etiam, qui in aliis urbibus provinciisque procul agebant, ex illius fama, vitae sanctimonia, miraculorumque eius fide ad meliorem frugem revocabantur. Michael Plodius de viris illustribus Ordinis praedicatorum libro 2, et de progenie s. Dominici in Italia lib. 2.

Fructus concionum eius.

241 In Germania quoque e plurimis qui praedicandi gloria excel-

Digitized by Google

Ioannes Taulerus zelosus concionator.

luerunt, floruit noster Ioannes Taulerus ad omnem pietatem, eruditionemque a B. Virgine adeo efformatus, ut non iam Taulerus, sed redivivus quidam Elias in suis concionibus esse videretur. Tanta enim vehementia depravatos mores quorumcumque hominum, et maxime ex illustriori sanguine delicatulorum arguebat, ut patres nostri veriti, magnates Germaniae urbesque adversus nos, coenobiaque nostra concitaret, de interdicendo ei conciones, eoque extra provinciam amandando serio cogitarent, ni senatus coloniensis illud consilium dissolvisset, effecissetque, ut Taulerus retineretur, sinerentque eum nostri, prout coeperat, et Deus inspirabat, concionari, in scelera invehi, et reipublicae pestes proscindere.

242 Si omnes ex praedicatorum Ordine, qui Virginis Matris ope maximis concionum portentis fuere clarissimi, recensere vellem, iustum volumen conficere deberem. Inferius in expositione epitheti *Rosa mystica*, ubi de fructibus ex rosario in Ecclesiam pramanantibus ago, nonnullos ex Ordine nostro, tum theologos, tum concionatores breviter commemoro, qui prodigiosa eruditione, doctrina, eloquentia, et rara virtutis gloria praediti fuerunt. Ibi vide, nos alio properare debemus.

243 S. Vincentii in concione ardor et fama.

At piaculum esset in hoc argumenti genere s. Vincentium Ferrerium praeterire, qui tanto ardore, tantaque salutis omnium siti totos triginta septem annos concionatus est, ut redivivus Paulus esse videretur. Crebrae illi acerrimaeque erant scelerum reprehensiones, severaeque divini iudicii minae, dum frequentius detonabat: *Timete Deum, et date illi honorem, quia venit hora iudicii eius.* Eius verbis scelerati, et perditae vitae plurimi deterriti occultissima eaque gravissima crimina palam confitebantur. Ad eum audiendum non in urbibus solum, oppidisque ac villis ad eum populi confluebant, verum etiam in desertis ipsis sequebantur, adeo ut ad octoginta hominum millia in eius concione recensita sint. Dum urbes adibat, obviam ei procedebant reges, principes, dynastae, immo etiam episcopi. Si in aliquam civitatem ingressus est et concionatus, vacabant omnes opifices, officinae, scholae occlusae erant, ut videlicet cuique concioni ipsius interesse liceret. A regibus Aragoniae, Castellae, Galliae, Angliae ad eorum regna invitatus, ab ipso etiam mahometano rege Granatam evocatus, cum licentia summi pontificis ivit, ibique cum ingenti animarum fructu concionatus est. Peragravit Hispanias omnes, insulas Baleares, Gallias, plures Italiae provincias, Angliam, Scotiam, Hiberniam, Belgium, in quibus omnibus Iudaeorum viginti quinque millia, Maurorum octo millia ad fidem Christi convertit.

Fructus concionum eius.

Facinorosorum autem, ut puta, latronum, usurariorum, homicidarum, adulterorum, meretricum, idque genus infamium personarum supra centum millia ad seriam poenitentiam adduxit. Dum de paupertate evangelica sermonem haberet, plures, abdicatis opibus atque in egenos erogatis, paupertatis eius exempla secuti sunt. Plures e clero, renuntiatis beneficiis dignitatibusque ecclesiasticis, eius societati se iunxerunt, et vitam saecularem cum coenobitica paupere commutarunt. Verborum eius tanta erat vis, et energia, ut cum aliquando Tolosae concionaretur ad confertam hominum multitudinem, e multisque unam sententiam pronuntiasset, omnes auditores quasi fulmine percussi, et attoniti in terram mortuis similes corruerunt.

Porro in tanti viri concionibus illud admirandum erat, quod hispanico sermone concionantem diversae nationes, puta Galli, Itali, Belgae, Angli, Mauri, Britones eum probe intelligerent. Remotiores quoque, aeque ac propinquiores perorantis verba non absque ingenti stupore percipiebant. Petrus Ranzanus in eius vita, Surius, Plodius, Lopez 3 parte, libro 2, c. 77.

Ordinem praedicatorum B. V. Maria multorum martyrum sanguine purpurat.

244 Martyres ex Ordine praedicatorum.

Nec illud reticendum, quod veluti maximum beneficium Ordo noster patrocinio Deiparae Virginis agnovit, quod quamplurimos martyres habuit, qui fidem a se propagatam in diversis nationum populis proprio sanguine irrigarunt. Primo illo saeculo quo Ordo praedicatorum coepit, martyrii palmam promeruisse ultra ducentos sexaginta quinque lego apud Antoninum senensem in chronico decade 1, et Leandrum de viris illustribus Ordinis praedicatorum. Horum sex apud Tolosam capitibus plexi, haec manibus sublata ipsi in urbem ad praedicatorum templum deportarunt, seque ibidem sepeliendos deposuerunt. B. Berengarius cracoviensis episcopus designatus lancea dextrum latus pro Christi fide apud gentiles confossus; b. Bernardus archiepiscopus Haliciae serra dissectus, et in ignem iniectus, exustus est a Scythis; b. Adrianus magister una cum sex et triginta fratribus ab iisdem christiani nominis hostibus palis infixi martyrium tolerarunt. Bosnae triginta et duo fratres polonico idiomate, qui et sclavonico proximus est, concionantes, in flumine ab inimicis crucis Christi submersi passionem degustarunt. Ad eorum gloriam ostendendam quolibet anno die passionis eorum triginta duo luminaria coelitus demissa radiare consueverant in loco ubi submersi sunt. Ad Boristhenem fluvium b. Albertus, et b. Dominicus a Tartaris occisi, alii in captivitatem adducti. Ibidem alio die nonaginta fratres, alii gladio, alii sagittis, alii lanceis interfecti, alii ignibus consumpti ad regnum coelorum transierunt. Sendomiriae in Polonia b. Sadoch cum toto grege fratrum qui erant quadraginta quatuor, illam hymnodiam *Salve Regina* Dei Genitrici occinentes a scythica manu interempti regna coelestia petierunt. Si omnes recensere vellem, qui sequenti et tertio saeculo, et maxime eos, qui Brasilia, Iaponia, Mexico, aliisque provinciis, et regnis novi orbis pro fide catholica mortem appetiere, iustum volumen mihi conficiendum esset. Viginti novem martyres gloriosi triumphi in capitulo romano, praesente Pio V pont. max. ex nostris recensiti sunt anno Domini 1571. Hos tantum attingere valui, ut intelligamus in hoc florido a s. p. Dominico plantato rosarii horto sub Deiparae patrocinio rosas propter animarum salutem procurandam, proprio sanguine purpureas, et lilia vitae innocentia, ac puritate candida minime defuisse. Lege libellum noviter editum a fratre Petro Malpaeo, qui inscribitur: *Palma praedicatorum*.

Ordinis praedicatorum fratres aegrotos Beatissima Virgo sanat.

Etsi hominibus piis mortalis haec vita in deliciis non sit, cum ipsi Christo commori, eiusque mortificationem in suo corpore portare iugiter desiderent, nihilominus Deus pro inscrutabili suo consilio famulos suos a variis morbis curat, et ex speciali gratia a magnis huius vitae periculis liberat, plerumque intercedente Beata, ac gloriosa eius Genitrice Maria, quae praecipue in hoc beneficii genere erga Ordinis praedicatorum homines mirifice prodiga, atque effusa fuit. Omissis quamplurimis, quos superius iam retulimus, a variis vitae periculis favore Deiparentis liberatis: solum hic eos recensere libet, qui gravissimis infirmitatibus detenti per Deiparam Virginem Matrem benignissimam sanitati restituti fuerunt. 245

Primus ex his se prodit b. Reginaldus, quem deplorata valetudine afflictum B. Virgo invisit, suaque manu inunctum incolumitati illico restituit. Historiam fusius recensitam habes superius num. 20. 246

B. Reginaldus a B. Virgine sanatur.

Alter est b. Iordanus, qui a converso quodam a daemone obsesso gravissime sauciatus in gutture a B. Virgine miraculose sanatus fuit; quod superius fusius narravimus. Et vere sanitas illa non alteri quam Beatissimae Dei Genitrici adscribitur, quae Iordano saepius conspecta, saepiusque cum eo locuta est. Historiam huius sanationis miraculosae lege superius num. 88. 247

B. Iordanus a B. Virgine sanatur.

Tertius est b. Thomas a sancto Ioanne, qui in deploratam aegritudinem, quae omnem medicam artem eluderet, incidens a B. Virgine visitari, consolari, et integrae sanitati restitui meruit. Huius etiam iam superius meminimus. Ex Augustino de Avila, Plodio, Lopez, et aliis. 248

B. Thomas a s. Ioanne.

Virgines quoque beatae sub signis b. p. Dominici militantes huius generis auxilium a Deipara persenserunt. Margarita spreusis ex anteactae vitae recordatione in tantam maestitiam inciderat, ut tantum languorem ac dolorem exinde contraheret, quod cor propemodum ei scindi videretur. Triduo stetit illa anxietas, cum Beatissima Deipara decumbenti adstitit, sacratissimaque manu pectori illius admota, tanti doloris ac mali locum causamque perquisivit. Cumque illa cor sibi valde dolere dixisset, tantique languoris causam aperuisset, quod videlicet Deum toties graviter offendisset, Beata Mater quasi compatienti similis appropinquavit, et per totum cordis locum manum traxit, dicens: *Sano te in anima et corpore; et scias tibi a Filio meo omnia peccata tua esse dimissa.* Ex libro sanctorum Belgii Ordinis praedicatorum. 249

B. Margarita spreusis.

Eadem gloriosa Dei Mater b. Columbae mediolanensi peste gravissime infectae in desperata valetudine praesidio fuit. Iam 250

B. Columba

Digitized by Google

mediolanensis a B. Virgine sanatur. totam familiam Columbae pestis, quae tunc saevissime grassabatur, extinxerat: ipsam quoque ad commune nosocomium sive hospitale devectam ad extrema perduxerat: quando inter vix haerentes spiritus Beatissima Virgo multo lumine circumfusa, duabus virginibus sanctis comitata Columbae iam cum morte luctanti adstitit, eamque unguento quodam coelesti perunctam mox ad pristinam valetudinem instauravit. Lopez 1 p. lib. 1, cap. 29, Plodius, Gavastou, et alii. Quanta huiusmodi beneficia ego ipsemet a Beatissima Virgine receperim, in epistola dedicatoria primi tomi narravi, pro quibus perpetuo gratias ago.

B. V. Maria Ordinis praedicatorum fratres in mortis hora suo conspectu dignatur, et ad coelos conducit.

251 B. V. Maria religiosos in morte recipit. Amantissimae matres filius vel ex praelio vel ex longo itinere revertentes cum alacritate magna laetitia, et gaudio excipere solent. In hoc officio laudatur Anna Tobiae iunioris mater, quae filium ex itinere redeuntem expectans, *sedebat secus viam quotidie in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo.* Ipsum ab immortali matre nostra Deipara nonnullis sanctioris vitae Ordinis praedicatorum hominibus officium exhibitum est, quibus ex hac peregrinatione ad patriam coelestem redeuntibus ipsa benigna Mater obviam venit, ex praelio vitae praesentis revertentibus triomphi coronas praetulit.

252 Primus in hocce tanti favoris amorisque amphitheatrum prodit beatissimus pater Dominicus, cui post frequentes suos conspectus, dulcia oscula, materna ubera ad sugendum exhibita, rosarii praedicandi primam curam commissam, milleque alia materni amoris argumenta, paucis ante extremam aegritudinem diebus oranti, et coelestium gaudiorum desiderio aestuanti adstitit speciosissimus iuvenis (haud dubie orator seu legatus a Deipara missus) his eum verbis compellans: *Veni dilecte mi, veni, ingredere in vera gaudia.* Castillus 1 p. cap. 56. Postmodum vero beatissimo Dominico a corpore abeunti adfuit Dei Mater cum Filio suo, et angelorum suaviter modulantium frequenti exercitu spiritum eius in coelos secum abduxit. Cuius rei testis fuit locupletissimus b. Gualla brixianus, qui ea ipsa hora, qua sanctus pater a vita decessit, cernebat rescindi coelum, indeque duas candidissimas ac fulgentes scalas submitti, cuius cacumen Christus, alterius Virgo Mater tenebat; frequentes quoque angeli per utramque sursum arrepebant, in medio earum ab ima parte sedes erat pretiosissima utrinque a scalis fulta, in qua beatus pater Dominicus sedebat. Scalas cum sede Christus et Deipara sensim attrahebant, donec, laeta voce concinentibus angelis, scalae cum sancto viro in coelum subductae sunt.

Beatissimum quoque Dominicum in extrema sua aegritudine Deiparam conspicuam habuisse, eique suum Ordinem impensius commendasse, illamque vicissim spem patrociniumque suum ei spopondisse superius meminimus ex revelationibus b. Birgittae, lib. 3, cap. 17.

Huius eximii erga Ordinem praedicatorum amoris in B. Virgine locupletissimus testis extitit b. Ferdinandus, qui post mortem, cuidam fratri factus conspicuus, et ab eo sciscitatus, quonam pacto cum nostri Ordinis fratribus ageretur, respondit: *Optime, siquidem B. V. Mater omnibus, qui in Ordine moriuntur, in supremo agone pugnantibus semper adest, ac ne pereant, sua benignitate protegit.* Gerardus lemovicensis parte 5, c. 5.

253 S. Hyacinthum. Eiusdem eximii favoris luculentum argumentum Beatissima Virgo dedit in felicissimo ex hac vita transitu b. Hyacinthi nostri tutelaris ac patroni. Die festa assumptae Virginis pater sanctus ex hac vita decessit: in eius transitu adfuit Deipara Virgo innumeris stipata coelitibus: aderat et d. Stanislaus martyr, regni Poloniae decus, pontificia tiara redimitus. In hoc tam praeclaro sanctorum agmine Hyacinthus ex hac vita mortali ad aeternam assumptus est, concinente Beata Virgine: *Ibo ad montem myrrhae et ad collem thuris cum Hyacintho.* Severinus cracoviensis in vita b. Hyacinthi.

254 B. Henricum moravum. Idem probat felicissima mors b. Henrici moravi, sancti Hyacinthi socii, qui morti vicinus, quod Andreas apostolus canebat: *Securus et gaudens venio ad te, ita ut et tu exultans suscipias me*, etc. et ipse cecinit. Sub hac ingenti laetitia ab adstantibus percunctatus, quid sibi vellent haec verba, respondit: *Christum sanctosque apostolos advenientes video.* Rogatus: Eorumne societati adiungendus es? Respondit: *Omnino: et quicumque in ista Sacrae Deiparentis Mariae Ordine sacrorum instituti sui legum tenaciores sunt, beatorum coetibus aggregabuntur.* Plodius de viris illustribus lib. 1, num. 18, Gerardus lemovicensis parte 5.

Beatus Tancredus post invectum Ordinem in Terram sanctam, post extructa ibidem coenobia, quae ipse per viginti annos ibidem rexit, post alios mille pro honore Dei exantlatos labores, in extremo vitae suae puncto augustissimam coelorum Reginam coram se adstantem vidit, seque ad perennem illam gloriam invitantem audivit: *Veni*, inquit, *dilecte mi, veni in hortum meum, veni, coronaberis a Filio meo.* Quo nuntio adeo exhilaratus fuit, ut prae nimio gaudio cor eius exiliret, cum fratribus morientis lecto circumstantibus diceret: *Gaudete viscera mea, gaudete, quia laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Gregorius Lombardellus, Plodius de viris illustribus Ordinis praedicatorum. 255 B. Tancredum. Praedestinatio revelata.

Simili favore donatus b. Petrus podiensis, Ordinis praedicatorum, cui morienti Deiparens Virgo Maria apparuit, quam cum ille adspexisset, coram orantibus fratribus coepit reverenter caput inclinare, palmas coniungere, eamque devotissime salutare. Cum autem fratres circumstantes inquirerent, cur id faceret, respondit: Nonne Sanctissimam Matrem, Dominam nostram videtis, quae me sua gratia visitavit? Hisque dictis, feliciter in Domino obdormivit. Bzovius ad annum Domini 1298. 256 B. Petrum podiensem.

Non absimili munere ornatus ex hac vita decessit b. Ulricus frisacensis, qui morti vicinus fratrem, cui infirmorum cura imposita erat, obsecravit, et cubiculum in quo iacebat, diligenter verreret, mundaret, exornaret; adfuturas enim aliquot insignes personas quae eum inviserent, affirmabat. Cum igitur fratres ad eum convenissent, et eum in coelos abeuntem votis piisque lacrymis prosequerentur, et benedictionem acciperent ab illo, in quo tanta sanctitatis insignia videbant: ille sublato brachio in certam partem, elata, qua potuit, voce: *Secedite*, ait, *patres, date locum advenienti magno hospiti Iesu Christo.* Rursum protensa altera manu: *Cedite quoque*, inquit, *locum Beatissimae Deiparenti.* Et mox iterum dextra manu indicans: *Ingrediatur*, inquit, *s. Ioannes Baptista, s. Paulus apostolus, s. pater noster Dominicus.* Cumque paululum subticuisset, adiecit: *Modo ingrediatur s. Agnes, s. Catharina, s. Agatha.* Sicque ordine complures sanctos in cubiculum sibi succedentes nominabat, et indicabat fratribus in terram prostratis, ubertim collacrymantibus, et sanctos, quos ille nominabat, venerantibus. Ex chronico Ordinis praedicatorum. Choquetius c. 29. 257 B. Ulricum Christus B. Virgo et multi sancti morientem visitant.

Beato Lanfranquino genuensi hac vita perfuncto cum frater Roboaldus noster ex more Ordinis pro eo sacrificaret, conspicuam se ei obiecit Deipara Virgo Maria, Lanfranquinumque penes se stantem solis iubare splendidiorem ei ostendit, dicens: *En amicus tuus, pro quo sacrificium offers.* Quod argumento fuit Lanfranquinum ex hac vita mortali abeuntem Deiparae Virgini singulari curae fuisse. Leander, Albertus, Castillus, Plodius, Malvenda. 258 B. Lanfranquinum.

Beata quoque Leodato gallo, ex coenobio Montis Pessulani, in extrema aegritudine adfuit augustissima coeli Regina, et num secum ad gloriam aeternam pervenire cuperet, percunctata est. Cui ille: *Et unde hoc mihi, ut potentissima coeli Regina ad me peccatorem veniat? Si meam vilitatem, meam foeditatem non detestaris, o Domina, scelera mea a Filio tuo mihi remitti obtine, et ex hoc infelici corporis carcere me exime, atque tecum esse iube.* Dixit, et rebus humanis exemptus in beatam vitam per Beatissimam Virginem inductus est. Leander, Castillus, Bzovius. 259 B. Leodatum.

Beatus Petrus Fernandez morti proximus Deiparam Virginem, et s. Ioannem evangelistam ad se venientes aspexit, qui eius capiti singulas coronas imponentes ad melioris vitae gaudia eum invitarunt. Quod visum ille b. Aegidio Poncelano narrans, eius interpretationem talem accepit: Coronam quam Beata Virgo eius capiti imposuit, virgineo eius candori; quam vero sanctus Ioannes evangelista dedit, doctrinae ac concionandi muneri respondere. 260 B. Petrum Fernandez.

Idem beatus Petrus in suo recessu haec oracula pronuntiavit: *Fratres, non est Ordo, quem Deus tantum diligat; tenete eum.* Et: *Quidam magnus odit Sion; sed nihil, fratres, timentis, quia vobis nocere non poterit.* Quibus verbis pronuntiatis felicem animam Deo reddidit.

Eodem favore dignata est Beatissima Virgo Maria b. Guidisalvum, cui morienti cum ingenti angelorum multitudine se vi- 261 B. Guidisalvum.

Digitized by Google

secundam exhibuit, et ad gloriam aeternam vocavit et abduxit. Choquetius c. 29.

262 Beatam quoque Margaritam Belae IV Ungarorum regis filiam Beatissima Virgo inter fulgentissima gloriae astra invexit. Quam historiam descriptam habes apud Castillum 1 parte, lib. 3, cap. 6.

263 Beatus Henricus a Castris tanta cum fiducia ex hac vita decessit, ut piae cuidam feminae percontanti, num purgatorii ignem praeteriret intactus, responderit: Beatissima Virgo in hora exitus mei animam meam suscipiet, et supra trecentas animas mecum a purgatorii poenis liberas educam. Choquetius loco memorato.

264 Innumeri sunt alii viri, feminaeque ex Ordine nostro, qui eosdem Deiparae in morte sua experti sunt favores, solatia et amplexus. Horum nomina et cognomina si scire desideres, chronica nostra consule. Nos renitentem calamum, et ad alia properantem, quae data opera tractamus, convertimus.

Qua coeli statione Ordinis praedicatorum homines excipiat D. V. Maria.

265 Cum in domo Dei mansiones multae sint, non solum primariae, quas essentiales theologi vocant, singulis pro caritatis gradu distributae; verum etiam peculiares iuxta euiusque conditionem, statum, et bene acti muneris rationem obvenientes, quas accidentale praemium appellant, merito exquiri debet; qua statione coeli Ordinis praedicatorum homines in familiam Mariae adscripti, et tam praeclaris, eximiisque eius donis ornati collocentur. Angebat aliquando haec cogitatio s. patriarcham Dominicum: ademit hoc dubium Virgo, quam vidit pallio nonnihil retegentem, et sub sua umbra innumerabilem fratrum suorum multitudinem inumbrantem, in singulos, atque universos peculiarem protectionem se habere ostendens isto signo. S. Antoninus lib. 3 hist. tit. 23, c. 3.

Dominicani sub pallio B. Virginis.

Praedestinatio revelata.

Cum autem religiosi sancti patris Dominici intellexissent se visos esse a s. patre sub pallio B. Virginis, tanta extitit eorum erga B. Virginem devotio et reverentia, tantum eius amandae, et colendae studium, tam sedulae et ferventes ad eam preces, tam ingens amor, tanta in patrocinio eius fiducia, tam avida et insatiabilis eius contemplatio, ut humano sermone nequeat explicari. Auctor vitae sancti Dominici lib. 2, cap. 12, et lib. 5, cap. 6.

266 Non me latet alios sacrorum Ordinum religiosos alumnos tantundem sibi attribuere, quibus non invidemus, immo magnopere, candidoque affectu gratulamur. Scimus enim paludamentum Virginis tam amplum, augustum, et immensum esse, ut plurium Ordinum homines, etiam innumeros, capere possit; et utinam meritorum eius amplitudo omnes capiat.

267 Ex his liquet, quam verissime Theodoricus de Apoldia libro 1, cap. 16 vitae sancti Dominici scripserit: *Huic Beatae Dei Genitrici a divina maiestate commissi sumus, sub huius alis protegimur, huius manu benedicimur, huius gratiae rore perfundimur, huius intercessione dilatamur, conservamur, et salvi efficimur. Haec est quae b. Dominicum patrem nostrum tanquam servum fidelissimum Filio obtulit, ei saepe apparuit, illum blande allocuta est, ei in extremis adfuit.* Haec ille.

Theodorici aurea sententia.

268 O serenissima mundi domina, advocata nostra, consolatrix nostra, mater nostra dulcissima, sic nos ut coepisti, complectere; sic tibi devotos, ac semper addictos tuere; labores nostros, studiaque nostra rore tuae pietatis irriga; sic Ordinem nostrum, immo tuum, favoribus prosequi non desine, ut uberes fructus Filius tuus carissimus ex nobis colligat. Tui sumus, a mundi procellis ad Religionis tranquillissimum portum conducti, ut impensius in salutem et profectum proximorum docendo, disputando, et agendo, privatim, et publice exhortando incumbamus. Fac igitur, o domina nostra, singularis patrona nostra, ut munus nostrum strenue obeamus. Vires impetra ad virtutum omnium studium capessendum, ad haereses expugnandas, ad idolorum impietatem convellendam, ad Dei cultum propagandum. Ethnici per nos ad Christi fidem adducantur, haeretici ad catholicam veritatem convertantur, catholici in pietate excolantur, in Dei amore proficiant, in tuo cultu ac servitio perseverent. Amen.

Auctoris supplicatio ad B. Virginem.

DISCURSUS CCXXXVIII

DE ALIIS SACRIS ORDINIBUS RELIGIOSORUM VIRORUM, AC FEMINARUM SPECIALITER SUB TITULO B. VIRGINIS MARIAE IN ECCLESIA MILITANTIUM

Quotquot Deiparam Virginem impensius diligunt ac colunt, quotquot matrem illam sibi quaerunt, quotquot illi devotius serviunt, magnis votis expetunt, ut ipsius titulo gaudeant, nomineque glorioso Mariae glorientur. Ex his nonnullos ipsa B. Virgo Maria speciali sub titulo insigniri voluit; nonnulli vero tam honorificum titulum ex consensu, ac beneplacito sanctae Sedis apostolicae, ac totius Ecclesiae sibi assumpserunt, quo specialem amorem suum erga B. Virginem, devotamque famulatum omnibus testatum facerent. De his igitur omnibus, quantum ex historiis colligi datur, breviter agere, horum titulorum fontes, et origines aperire animus est. Primus in hoc amphitheatro prodit 1

Ordo fratrum B. M. Virginis de monte Carmelo

Hic praeclarus Ordo fratres B. M. Virginis per excellentiam se appellat, eo quod ipsa gloriosissima Dei Genitrix hoc speciali titulo eum insigniri voluit, ut testatur Xystus IV in bulla quae incipit: *Dum attenta meditatione*. Quare Innocentius IV decem dies indulgentiarum, et Urbanus VI tres annos, et totidem quadragenas contulit omnibus Christi fidelibus, qui praefatos fratres titulo B. M. Virginis nominaverint, ut carmelitani scriptores testantur. 2

Hunc autem honorificum titulum obtinuerunt, quia peculiari quodam affectu B. Virginem semper coluerunt, cuius colloquiis et familiaritate frui potuerunt. 3

Carmelitae cur fratres Mariae dicti et quando.

Suam namque originem ab Elia et Eliseo prophetis veteris testamenti deducunt anno ante Christum natum 930. Unde Deiparam Virginem venerari coeperunt primum in typo, cum Elias eorum primus parens olim ascendentem nubeculam Virginis typo insignem conspexit, et Virginem parituram Messiam in spiritu cognovit, praecepitque filiis suis, ut hanc Virginem tanquam matrem, et patronam singularem venerarentur, et colerent, quod ipsi omnibus modis studuerunt operibus adimplere. Nam post ascensionem Christi in coelum ab apostolis baptizati, intelligentes plane mysterium illud esse impletum, quod fuerat Eliae in monte Carmeli revelatum, de monte Carmeli descendentes per Galilaeam, Samariam, et Iudaeam fidem Christi constantissime sparserunt, et in honorem Virginis Mariae paulo postquam in coelum assumpta est, in declivio montis Carmeli oratorium fabricarunt. (1) Ad quod convenientes quotidie ritibus, piis precationibus ac laudibus B. M. Virginem velut singularem Ordinis tutelarem colebant. Et ob hoc oratorio B. M. Virginis cognomen praedicti cultores Carmeli habuerunt, et merito. Decuit enim eos, qui olim Eliae, iam Mariae illustriore titulo decorari, qui primum ei templum dedicarunt, et Salvatoris Matri specialissime servierunt, cuius familiaritate et colloquio feliciter frui potuerunt.

Et illis primis domus virgineae, quae modo Laureti est, custodia fuit demandata, uti refert Waldensis titulo 9, capite 84. Hi sunt quos Iosephus et Philo, disertissimi Iudaei, appellant Essenos, carmelitarum scriptores Eliseos, hoc est Eliae sectatores.

Nonnulli existimant hunc speciosum titulum, nempe fratrum B. M. Virginis de monte Carmelo, accepisse in memoriam cyrillianae victoriae contra Nestorium. Sanctus namque Cyrillus patriarcha alexandrinus (quem ipsi Instituti sui fuisse constantissime tuentur) honorem B. M. Virginis contra Nestorium haereticum in Concilio ephesino anno Domini 430 egregie defendit, et in praemium tanti certaminis, et tropaei gloriose reportati ex Nestorio hunc titulum tam honorificum ipse cum carmelitanis accepit. Ita habet Menologium carmelitarum a Thoma Saraceno editum in vita sancti Cyrilli episcopi alexandrini circa finem. 4

Ut ut sit, certum est, Beatissimam Virginem visis et miraculis declarasse se velle fratres prophetici Ordinis, hoc est car- 5

(1) Pia traditio secundum communem sententiam est, hoc oratorium carmelitas fabricasse, B. Virgine adhuc vivente, non autem in declivio, sed in vertice montis Carmeli in eo loco, ubi Elias ascendentem nebulam conspexerat, ut etiam legitur in Brev. Rom. 2 lectione 2 nocturni die 16 iulii. Vide Benedictum XIV in tract. de festis Iesu Christi Domini Nostri et B. Virginis Mariae. Ex his et sequentibus patet, quod primus locus et antiquitate, et dignitate inter Ordines marianos dandus est Ordini carmelitarum; parcendum autem est auctori nostro quod primum tractat de Ordine suo. *Editor.*

Digitized by Google

melitas, non amplius vocari anachoretas, eremitas, monachos, cum iste titulus conveniat vis non omnibus Religiosibus, sed B. M. Virginis de monte Carmelo. Hinc summi pontifices superius nominati hunc tam nobilem titulum pontificiis litteris et diplomatibus confirmarunt et propagarunt, multisque praerogativis, privilegiis, et gratiis Ordinem exaltarunt.

6 Carmelitae quam studiose B. V. Mariae. Hinc carmelitae moderni Beatissimam Virginem studiosius colunt, impensius diligunt, eam uti matrem et patronam singularem toto cordis affectu, et animi devotione, ardentique caritate venerantur, eique serviunt. Et istius seu antiquioris affectus argumenta sunt:

Primo, quod ultra horas canonicas officium de B. V. Maria quotidie recitant. Secundo, quod antiphonam *Salve Regina* in fine horarum omnium, et cuiuslibet missae, quae non est pro defunctis, dicunt, et eandem antiphonam singulis feriis quartis ante aram B. M. Virginis processionaliter canunt, vel pronuntiant. Tertio, quod semel in hebdomada tempore Adventus usque ad Purificationem, et qualibet hebdomada Quadragesimae praeter ultimam de Domina nostra plenum officium faciunt. Quarto, quod candidum habitum saltem aliqua ex parte in honorem B. M. Virginis gestant, quod ex praescripto Bonifacii VIII faciunt, nam antea hispida, et inculta palla utebantur, ut Baptista Confettius in Innocentio IV testatur. Quinto, quod confraternitatem scapularis B. M. Virginis de monte Carmelo promovent, et in ea cultum Dei, et devotionem erga B. Virginem mirifice propagant. Sexto, quod festa gloriosissimae Virginis specialius celebrant, impetrata pro eis plenaria indulgentia a summis pontificibus; quod cum fratribus Ordinis praedicatorum commune habent.

Favores B. Virginis erga fratres suos de monte Carmelo.

7 Carmelitae quas gratias receperunt a B. Virgine. Vicissim B. V. Maria hunc sacrum Ordinem semper fovit, favoribus, et gratiis prosecuta est. Primo, locum futuri Ordinis eorumque sedem atque metropolim, puta montem Carmelum eis praemonstravit. Cum enim Elias propheta profunda oratione ad coelestia mentem intenderet, repente in latere montis Carmeli nubecula quaedam apparuit, quae ut sacer textus ait, *quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Haec nubecula iuxta mentem sanctorum patrum Deiparam Virginem praefigurabat, et Eliae prophetae apparuit, ut intelligeret locum illum designari pro se, suisque sectatoribus carmelitis, qui speciali honore, cultu, ac veneratione prosequerentur futuram Virginem Dei Matrem, quam nubecula illa praemonstrabat.

Secundo, cum Beatissima Virgo in vivis esset, et in civitate Nazareth moraretur, quae tantum duobus milliaribus a monte Carmeli distat, aiunt gravissimi auctores, saepius ad montem perrexisse, ibique suos carmelitas recognovisse, miraque amoris, et benevolentiae signa eis exhibuisse, immo cum saepe saepius illuc pergeret, iussit sibi oratorium in montis latere construi, ubi altissimis contemplationibus incumbebat. Carmelitas tanto amore complectebatur, ut non alio eos nomine nuncuparet, quam suos fratres: ipsique carmelitae non alio titulo honorarent, quam sororis nomine, quod sane quam honorificum sit, quis nesciat? Vide thesaurum carmelitarum a p. Cypriano a s. Maria discalceato editum c. 3.

Tertio, quod hunc sacrum Ordinem ipsa gloriosissima Dei Genitrix titulo s. Mariae de monte Carmelo insigniri voluit, ut Xystus IV in bulla, quae incipit: *Dum attenta meditatione*, edita Romae anno 1477 diserte fatetur.

Quarto, cum olim in Europa hic Ordo esset ignotus, et ob id apud Honorium IV non pauci pro illius extinctione instarent, astitit Honorio Sanctissima Dei Mater Maria, tenebris noctis interruptis ingenti cum lumine adveniens, eumque admonuit, ut institutum, et homines Ordinis carmelitarum benigne complecteretur. De quo fusius egimus in discursu de festis Deiparae, in festo commemorationis B. Mariae Virginis de monte Carmelo.

Quinto, cum a malis clericis multa paterentur Ordines mendicantium; inter hos carmelitae cum B. M. Virginis opem implorarent sub anno Domini 1245, b. Simoni Stock generali Ordinis ipsa Deipara Virgo apparuit, dixitque: *Vade ad Innocentium IV intrepide, qui iuxta sui nominis interpretationem partes innocentium fovebit.* Ivit ille, et quidquid voluit, obtinuit. Ita Paleonydorus libro 3. Taceo illud insigne ac praeclarum scapularis donum, quod Sanctissima Virgo Maria eidem b. Simoni Stock liberali manu largiens dixit: *Accipe, dilectissime, hoc tui Ordinis scapulare, meae confraternitatis signum, tibi et cunctis carmelitis privilegium*, etc. de quo inferius plura dicemus, cum de hac confraternitate verba faciemus. Multos sanctos Deiparae devotos hic praeclarissimus Ordo protulit, de quibus inferius in epitheto *Regina confessorum* agemus.

Quare summi pontifices Beatissimam Virginem huius Ordinis matrem esse non obscure indicarunt. Xystus IV in bulla: *Dum attento meditatione pensamus, quod gloriosissima Dei Genitrix Maria produxit sacrum Ordinem de monte Carmelo, quem eiusdem Virginis Mariae speciali titulo voluit insigniri.* Et Gregorius XIII in bulla quae incipit: *Ut laudes in coelis*, ita fatur: *Beatissima Virgo Maria visceribus suis carmeliticum Ordinem spiritualiter genuit, et ad ubera lactavit.* Hinc in personam Deiparae quidam cecinit: Carmelitarum mater B.V. Maria.

Dum fluet unda maris, curretque per aethera
Phoebus,
Vivet Carmeli candidus Ordo mihi.

De carmelitis plura vide inferius de confraternitate scapularis B. M. Virginis de monte Carmelo.

Ordo B. M. Virginis de Mercede redemptionis captivorum.

Hic praeclarus Ordo institutus legitur a Iacobo Aragoniae rege, cognomento Victore, et Petro Nolasco, et sancto Raymundo Pennafortio Ordinis praedicatorum, quibus B. V. Maria se visendam exhibuit, monuitque ut Ordinem novum excitarent sub titulo Deiparae Virginis de Mercede redemptionis captivorum, qui fideles Christi captivos a manibus Saracenorum liberarent, et redimerent. Hic Ordo in Hispania floret (1), ut etiam suum initium habuit, eum mirifice promovente s. Raymundo, qui ipso die institutionis praefati Ordinis, praesente rege Iacobo, in supplicatione generali disertissimam concionem habuit; qua peracta, omnium primum huius Ordinis generalem Petrum Nolascum, cui a sacris confessionibus erat, habitu novi istius Ordinis induit, ipsisque religiosis regulam et constitutiones praescripsit. Et habitum quo utuntur, nimirum album tunicam cum scapulari, et capucio candido, itemque cappam albam, cum insignis regum Aragoniae et cruce candida ante pectus in cappa seu scapulari, dedit. Natalis Gaver mercenarius libro de Ordine mercenariorum. 8 Ordo B. M. Virginis de Mercede redemptionis captivorum a quo institutus. S. Raymundus huic Ordini quomodo lustrum dedit.

Ordo servorum B. M. Virginis.

Auctore b. Philippo Benitio, cui, eiusque primis sodalibus B. Virgo apparens altera manu atram vestem, altera s. Augustini regulam quam profiterentur, dedit, et nomen imposuit dicens: *Vos mihi in servos elegi* (2). Hinc Ordo iste praeclarus hodie appellatur Ordo servorum B. M. Virginis; nomen vero gloriosum, quod illis decus adfert singulare, maxime cum illud divino nutu invenerint; ipsi enim lactentes atque infantes eos, qui huic Ordini initium dabant, aspicientes servos Mariae vocabant. Inter quos lactentes recensetur b. Philippus a Tuderto, ubi requiescit, patria enim florentinus erat, qui vix integrum a nativitate sua explens annum, cum septem viri Ordinis servorum primi fundatores anno Domini 1231 Florentiam introivissent, et populum in sui admirationem excitum aspexissent, ex brachiis matris pendens cum aliis infantibus clamabat: *Hi sunt B. Mariae servi.* Postea eundem Ordinem complexus, illius fuit propagator egregius. Hi servitae Sanctissimae Virginis iussu in memoriam doloris ac moestitiae, quam in Christi passione ipsa Deipara pertulit, atrum habitum accepere. 9 A quo, et qua occasione institutus. B. Philippus a Tuderto. Cur nigrum habitum gestent servitae.

(1) Etiam in aliis regnis postea propagatus est, uti apud nos quoque. *Editor.*

(2) Omnino falsum est auctorem huius Ordinis fuisse s. Philippum Benitium cum aliis, ut omnibus notum est. Fundatores fuerunt septem patricii florentini, et s. Philippus Benitius vix quintum mensem ingressus fuit unus ex infantibus, qui eos Mariae servos appellarunt, Deipara movente linguam. Postea a B. Virgine in hanc servorum familiam singulari visione vocatus tam mirifice eum propagavit per universam pene Europam, et magnam Asiae partem, ut habeatur veluti alter huius Ordinis parens. Auctor noster totum id b. Philippo a Tuderto tribuit, et errat, ut patet ex historia Ordinis. *Editor.*

*

10 *S. Petrus martyr pro servitis se opponit.*

Multa huic Religioni cum Ordine nostra necessitudo. Nostros enim in sui exordio habuit promotoras, fautores, patronos, et maxime s. Petrum veronensem martyrem inclytum. Hic cum Innocentii IV iussu ad munus inquisitionis Florentiam se contulisset, noe defuere qui novum Ordinem servitarum, seu servorum Deiparae Ordinem incipientem calumniarentur, eiusque auctores tanquam rarum novarum molitores accusarant. Visum est sancto Petro eam in rem es propiaquo inquirera. Quod dum cogitat, secundum quietem visus est sibi amoenissimum pratum pererrara, in quo Deipara delectaretur; angelis ei coronas offerentibus, quas illa omnes aliis promiscue largiebatur, sibi vero aullam reservaret. Mirabatur rei novitatem. Et ecce estemplo videt septem lilia Virgini ex eo monte oblata, in quo septem viri auctores Ordinis novam plantationem complantassent, quae eadem Deipara limbo vestis condidisset. Intellexit vir sanctus septem illos viros liliis designari, qui odore famae, et vitae innocentia Deiparam oblectassent. Hinc eorum Institutum laudavit, episcopo commendavit, eisque regulam s. Augustini praescripsit, et vitae arctioris formulas designavit. Quare si non istius Ordinis auctor, certe promotor, fautor, adiutor merito habendus est. Archangelus Gaianius.

11 *A quo confirmatus est Ordo iste.*

Hunc Ordinem confirmavit Alexander IV pontifex maximus, reformavit Pius V anno Domini 1573, ut in bullario Laertii habetur. Habuit haec sacra Religio nonnullos beatos viros ac mulieres sanctitate conspicuos, et Beatissimae Virginis cultores eximios, quorum nomina commodius recensebo, cum omnium Ordinum sanctos erga Deiparam devotione aliqua speciali ardentes enumerabo in epitheto *Regina confessorum*, et *Regina virginum*.

Ordo montis Oliveti B. M. Virginis

12 *A quo, et qua occasione institutus.* *Bernardus Tolomaeus qua occasione Ordinem hunc instituit.*

Mons Oliveti, a quo nomen accepit haec sacra religiosorum familia, est prope civitatem senensem in Hetruria, a praedicta urbe quindecim milliaribus distans. Hunc montem Bernardus Tolomaeus cum duobus aliis sociis senensibus conscendit, et ibi huius Ordinis fundamenta iecit hac occasione, quam narro. Bernardus praenominatus cum semel publicam disputationem habiturus esset, (erat enim doctor) in oculorum aegritudinem incidit. Quid faceret? Gloriosam Dei Genitricem Mariam quam impense coluit, ardentius precibus rogavit, ut pro se Deum interpellare, et lumen oculorum sibi impetrare dignaretur, promittens (si voti compos esset) saeculo nuntium missurum, at suo famulatui, relicto mundo, totum se addicturum. Exaudivit preces eius Regina coeli, et voti compotem fecit, lumen oculorum amissum, quod tantopere desiderabat, ei restituit. Voti memor extemplo saeculo nuntium remisit, loco disputationis concionem elegantem de mundi contemptu in maxima populi frequentia habuit, ubi etiam quid secum actum fuisset, quo modo illuminatus esset, luculenter enarravit. Nec mora; rudi enim amictu indutus, patriae ac possessionibus omnibus valedicens e civitate egressus est, et in montem Olivetum se contulit, quem alii senenses nobiles secuti sunt. Ibi aedicula sacra, cellulisque constructis, Ordinis sui fundamenta posuere, et ab illo monte nomen ei dedere anno Domini 1319. Cumque regulam quam sequerentur, a summo pontifice peterent, ad Guidonem Petramala antistitem aretinensem amandantur, qui probatam eis regulam praescribat. Quibus iter agentibus, aretino praesuli Deipara apparens candidum habitum, quem gerant, sancti Benedicti regulam quam sequantur, profert, et stricte monet, ut ad se venientes monachos benigne exciperet; quod et fecit, ac totam rem Gregorio XI summo pontifici narravit, qui Ordinem olivetanorum sub titulo Sanctae Mariae montis Oliveti confirmavit anno Domini 1370. Ex chronico Ordinis.

Ordo B. Mariae montis Virginis

13 *Auctor s. Guilielmus.*

Cuius auctor extitit s. Guilielmus patria vercellensis, vir sanctissimus, cuius sacra memoria in martyrologio romano die 25 iunii adnotatur. Is post suas peregrinationes ad divi Iacobi et sanctum Dominici sepulcrum in Italiam reversus virgilianum montem prope Neapolim petiit, in quo prima sui Ordinis fundamenta iecit, et ibidem monasterium B. Dei Genitricis, a quo deinde mons ille Virginis dictus est, extruxit. Fuit ibi olim ethnicorum fanum Cybeles, quam deorum matrem fabulantur, erectum. Mons vero ipse virgilianus vocabatur a Virgilii poetae praedio, qui eius loci accola aliquando fuisse dicitur. Sed Cybeles superstitione deleta, s. Guilielmi opera eo in loco templum, et monasterium Sanctae Dei Genitricis extructum est. Ibi coenobitae religiosissimi sub signis b. Guilielmi austeram vitam ducunt, quadragesimali cibo perpetuo utuntur. Haec illorum vitae austeritas miraculis saepe comprobata est. Si quis enim illic deferat carnes, ova, caseum, et similia, sive casu, sive oblivione, sive ignorantia id fecerit, repente coelum ipsum excandescit, ingentes pluviae, et procellae excitantur. Extat ea de re libellus scriptus a quodam eius familiae alumno. Hunc ordinem confirmavit Alexander III papa. Extat eo in loco imago Deiparae miraculosa quae anno Domini 1611 sudorem emittere visa est, de quo superius diximus.

Ordo S. Mariae Montisae

A Iacobo rege Aragoniae institutus, de quo scribit Polydorus 14
lib. 6, c. 5, et Hieronymus Blanca in chronico Hispaniae ad annum Domini 1291.

Ordo monialium conceptionis immaculatae Virginis

Institutus a Beatrice de Silva circiter annum Domini 1430, 15
quem approbarunt summi pontifices Innocentius VIII, Iulius II, Leo X, Adrianus VI, et multis privilegiis exornarunt, quae videre licet apud Hieronymum a Sorbo in compendio privilegiorum, verbo *Conceptio Virginis*. Hic Ordo monialium vivit sub directione patrum s. Francisci, licet habeant regulam particularem. Habitus quem gerunt, supradictae Beatrici a B. Virgine in visione ostensus fuit, in eoque apparuit illi B. Virgo, scilicet cum veste, et scapulari candidis, et cum pallio caeruleo. At cum scapulari quidem et pallio gestant B. M. Virginis imaginem solis radiis cinctam, stellis coronatam, Filium suum in brachiis gestantem.

Ordo monialium annuntiationis B. M. Virginis

Institutus fuit a b. Ioanna Ludovici XI filia, Caroli VIII so- 16
rore, et coniuge Ludovici XII Galliae regum anno Domini 1501. Fuit haec illustrissima heroina sanctitate celebris, B. Deiparae Virgini impense addicta. Unde vira soluta, caste vivens ac divinis rebus intenta in eius honorem hunc Ordinem fundavit.

Congregatio sororum sub titulo visitationis B. M. Virginis

Instituta est a d. Francisco Sales episcopo genevensi. Insti- 17
tutum huius congregationis in eo potissimum est, ut aegros, et maxime aegras visitent, iuvent, prospiciant illis de rebus necessariis tam animae, quam corpori (1).

Clerici Congregationis Matris Dei

Congregationis clericorum Matris Dei Lucae primitus erectae 18
sub titulo congregationis clericorum saecularium B. M. Virginis fundator fuit p. Ioannes Leonardius, e terra Diecimo dioecesis lucensis oriundus, sub Gregorio XIII pontifice anno Domini 1574, cuius primi discipuli, et socii fuere tres nobiles lucenses. Huius congregationis institutum approbavit Clemens VIII, ipsamque sub apostolicae Sedis protectione suscepit, et ab ordinaria iurisdictione episcoporum exemit, illique diversa privilegia indulta et gratias concessit, ut in eius constitutionibus sub die 13 octobris 1595 desuper expeditis latius continetur. Postea recolendae memoriae cardinalis Caesar Baronius, eiusdem congregationis protector, auctoritate sibi tradita ab eodem Clemente VIII vivae vocis oraculo, ipsius Congregationis constitutiones ab ipso p. Ioanne Leonardio conditas, et de ordine eiusdem pontificis ab eodem cardinali examinatas approbavit, et confirmavit, prout ex litteris sub die 10 iunii 1604 desuper expe-

(1) Auctor confundit Congregationem Visitationis cum societate puellarum caritatis instituta a s. Vincentio a Paulo, quarum est miseros sublevare. Sanctimoniales Ordinis Visitationis B. Virginis a s. Francisco Salesio instituti vivunt Deo sub clausura. *Editor.*

ditis, et ipsius cardinalis manu subscriptis, et sigillo suo munitis apparet. Cuius congregationis clericis opus scholarum piarum urbis demandavit, et de cetero congregationem huiusmodi congregationem Matris Dei appellari iussit Paulus V const. 81, quae incipit: *Inter pastorales*, die 14 ianuarii 1614. Deinde idem Paulus V de consilio eminentissimorum cardinalium s. Concilii tridentini interpretum omnibus et singulis huius congregationis clericis concessit, ut praeter tria vota simplicia castitatis, obedientiae, et perseverantiae, quae ab eisdem vigore litterarum Clementis VIII emitti consueverant, simplex etiam paupertatis votum emittere valerent, prout in litteris in forma brevis sub die 30 iulii 1615 desuper expeditis habetur. Nec non constitutiones a Sede apostolica, ut supra confirmatas, et gratias alias ab ea obtentas in suo robore relinquens huius congregationis superioribus concessit, ut constitutiones illas pro ea parte tantum, quae paupertatis voto erant contrariae, variare, mutare, aut etiam delere, et novas quae eiusdem paupertatis voto consentaneae essent, condere valerent, prout ex aliis litteris in forma brevis sub die 14 augusti 1619 continetur. Denique Gregorius XV de consilio sacrae congregationis cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositae huiusmodi congregationem in Religionem trium votorum solemnium approbavit, prout in litteris in forma brevis sub die 3 novembris 1621 desuper expeditis habetur.

Clerici pauperes congregationis Matris Dei scholarum piarum

19 Congregatio clericorum pauperum Matris Dei scholarum piarum fuit Clementis VIII auctoritate erecta, institutore Iosepho Calasanctio, alias de Matre Dei, ex regno Aragoniae et per Paulum V confirmata, prout in suis litteris in forma brevis sub die 4 ianuarii 1614 plenius continetur, quae sub uno praefecto regenda, et gubernanda, cum tribus votis simplicibus, paupertatis videlicet, castitatis, et obedientiae, ac gratis, ut nullo stipendio, mercede, salario, aut honorario accipiendo in pueros in primis elementis, grammatica, computo, ac praecipue in fidei catholicae rudimentis erudiendos, bonis et piis moribus imbuendos, ac demum christiano more educandos operam, laborem ac studium conferre debent, eo quod deinceps ista congregatio paulina pauperum Matris Dei scholarum piarum nuncuparetur. Postea Gregorius XV constitutione 14, quae incipit: *In supremo*, die 18 novembris 1621 hanc congregationem in Religionem trium votorum solemnium approbavit.

Communicationem omnium exemptionum, indultorum, et privilegiorum quorumcumque Ordinum mendicantium illi concessit idem Gregorius XV constitutione 14, quae incipit: *Ad uberes* die 15 octobris anno Domini 1622.

Sunt, opinor, et alii Ordines, seu congregationes tam virorum quam mulierum sub titulo gloriosae Dei Genitricis Mariae in Ecclesia Dei militante. Hos enumerasse sufficiat, quatenus eorum exemplo ad pietatem, et maiorem devotionem ac reverentiam erga hanc Virginem accendamur, eique impensius serviamus. Amen.

DISCURSUS CCXXXIX

DE ORDINIBUS MILITARIBUS SUB TITULO DEI GENITRICIS MARIAE IN ECCLESIA MILITANTIBUS

1 Causa institutionis Ordinum militarium in Ecclesia.

Quemadmodum spiritualibus evangelicae iustitiae armis invisibiles militantis Ecclesiae hostes felici certamine profligantur: ita visibiles fidei catholicae impugnatores, barbarae immirum nationes, quae superno lumine fidei destitutae, christianique nomini infensae illud delere conantur, visibilium armorum usu arcentur, et velut immanissimi leones, vel rapacissimi lupi a caula ovium Christi repelluntur. In eum finem Ecclesia catholica Ordines militares fovet, eosque multis gratiis, favoribus ac privilegiis ornat, ut in quavis occasione, vel necessitate contra infideles, ac S. R. E. fidei catholicae hostes terra marique pugnent.

Ex his multi sub titulo Dei Genitricis, utpote omnium christianorum, maximeque pro fide catholica contra paganos pugnantium, auxiliatricis, ducis, ut patronae sui instituti rationem habere, eiusque gloriosissimo titulo insigniri voluerunt; et id ab Ecclesia catholica petierunt, et obtinuerunt. Ex his praecipuus est, utpote antiquitate prior

Ordo equitum Dominae nostrae de stella

Erectus a piissimo Roberto rege Galliae circa annum Domini 1022. Hic princeps cum esset B. M. Virginis verae stellae maris cultor, et admirator egregius, eam pro speciali patrona, regnique sui ductrice, ac sidere sibi elegit. Unde sacram aedem Dominae nostrae de campis prope Parisios extruxit, licet nonnulli velint, s. Dionysium Galliae apostolum prima eius fundamenta posuisse; ut ut sit, elegantiore eam forma inclytus ille rex donavit. Praeter illam multas fundavit ecclesias, praecipue eam cui nomen indidit, *Nostrae Dominae de stella*, in qua et erexit novum Ordinem triginta dumtaxat equitum e prima regni nobilitate, quem et hoc nomine insignivit: *Ordo equitum Dominae nostrae de stella;* singulis, quos creavit, equitibus distribuit torquem auream, in cuius extremo pendebat super pectus stella aurea quinque radiis illustris. Insuper in superiore parte ad dexteram gestabant stellam ex auro acu pictam. Vide antiquitates parisienses Iacobi Breuly. De pietate huius regis vide inferius in catalogo regum Galliae B. Virgini specialiter addictorum. 2

2 Roberti Galliarum regis pietas in B. Virginem.

Ordo Beatae Mariae Virginis Teutonicorum

Excitatus ab octo viris teutonicis, qui causa peregrinationis in Terram sanctam profecti primo hospitale B. Virgini sacrum Aconae erexerunt; postea crescente numero eorum, de voluntate patriarchae ierosolymitani regulam fratrum militiae assumpserunt sub titulo B. M. Virginis domus Teutonicorum a Clemente III summo pontifice confirmatam anno Domini 1191. Saladino Terram sanctam invadente, et occupante, ipsi inde expulsi in has oras venerunt. Ut erant viri divites, et nobilitate praestantes, a Conrado duce Masoviae, qui cum Prutenis diuturnum bellum gerebat, sed viribus eis impar erat, in auxilium vocati, Prutenos, Barbaros ac Gentiles vi et armis compescuerunt, sedibus suis pepulerunt, terras illorum possederunt, et coloniam novam Germanorum in Prussia fundaverunt. Multas easque munitissimas civitates, arces, oppida, templa, monasteria, portus maritimos, aliaque aedificia erexerunt, inter quae caput extulit insignis arx, quam illi prope Vistulam amnem in patronae suae Deiparentis Mariae gloriam construxerunt, quam Marieburgum appellarunt. Inde Livoniam acquisierunt iuvante Ensiferorum Ordine, qui etiam Teutoni patria Bremenses erant, et nomen teutonorum militum priore relicto, exceperunt. Vide annales Franciae sub Carolo VI rege. Multa illis bella cum Polonis per annos plusquam ducentos, tandem diuturni belli pertaesi durum contra stimulum calcitrare videntes, tot cladibus, et iugi Polonorum vexatione fracti, et ad paucos redacti, ultro se Polonis dederunt, Alberto Brandeburgo XXXIV Ordinis magistro magisterium tenente, qui lutheranus factus, habitu deposito, sacrum Ordinem in mundanam politiam, et principatum saecularem commutavit, Prussiamque quae iam ab Ordine desciverat ad Polonos, a Sigismundo I rege Poloniae avunculo suo in feudum accepit. Sic Ordo Beatae Mariae Virginis tam praeclarus in Prussia esse desiit anno Domini 1526. Simili modo in Livonia sub Augusto rege Poloniae postmodum extinctus est. 3

3 Origo eorum.

Quomodo et quando in Prussiam venerunt.

Ensiferorum Ordo.

Cum Polonis bella gerunt.

Ordo equitum annuntiationis B. M. Virginis

Auctore Amadeo Allobrogum duce institutus anno Domini 1356, qui equitibus singulis torque ex auro solido comparata, ac tribus hisce vocibus, *fert*, *fert*, *fert*, triplici funiculo amantium ritu innodato applicitis inscripta, et annuntiationis virgineae imagine ad pectus pendulo coruscante, annuntiatorum Ordinem sub Deiparae patrocinio excitavit, et fundavit. Istarum vero verborum inscriptio hanc habet significationem: F. quasi dicat Fortitudo; E. Eius; R. Rhodum; T. dicit Tenuit. Illa ergo vox FERT tripliciter iterata significat, *Fortitudo eius Rhodum tenuit*. Et merito hanc inscriptionem iste Ordo praefert, nam Amadeus magnus Allobrogum comes, istius fundatoris praecessor non parum praesidii equitibus ierosolymitanis contulit in profligandis ex Rhodo insula mahometanis anno Domini 1311. Atque ita eius gloriosum facinus voluit successor eius posteritati innotescere, sed non alio quam annuntiationis Deiparae insigni. Vide Belleforest in annalibus Franciae ad Ludovicum XI. 4

Digitized by Google

Ordo equitum a carduo B. M. Virginis

5 Quem Ludovicus II dux Borbonius recens ex Africa, in quam exercitum contra barbaros duxerat, reduxit. Huius Ordinis insigne erat torquis aureus ex liliis contextus, distinctus aequalibus intervallis cardui foliis, e quibus crux pendebat cum hoc lemmate *Spes*; quo notabat hic ductor nobilis inter adversa virtutis integrum decus, ut inter carduos lilia, emergere. Oliverius Bonartius cap. 50, ecclesiast. ver. 8. ex libro de Ordinibus.

Ordo militum coniugatorum Sanctae Mariae

6 Qui vulgo fratres gaudentes dicti sunt. Huic Ordini Urbanus IV pontifex maximus formam vivendi praescripsit, ut viduarum et pupillorum curam susciperent, ut paci componendae servirent. Vivebant autem in aedibus suis cum uxoribus, et liberis; tunica alba, et subcinericia toga induebantur. Crucem purpuream in campo albo, binis supra positis stellis, praeferebant. De his Carolus Sigonius de episcopo bononiensi lib. 3.

Ordo militaris sub titulo conceptionis Deiparae Virginis immaculatae

7 Noviter erectus est a nobilissimis viris Ferdinando Mantuae, et Carolo nivernensium ducum, et Adolpho comite ab Althae sub regula s. Francisci, nec non sub protectione sanctorum Michaelis archangeli et Basilii. Horum munus est terra, marique contra infideles, ac S. R. Ecclesiae ac fidei catholicae hostes militare, et christianos captivos e manibus Turcarum pretio redimere. Hunc Ordinem confirmavit, et multis privilegiis auxit Urbanus papa VIII in bulla quae incipit: *Imperscrutabili divinorum iudiciorum*, edita Romae anno 1623, pridie idus februarii, pontificatus eius anno primo.

Milites Sanctae Mariae de Calatrava

8 Fruuntur omnibus privilegiis Ordinis cisterciensis ex concessione Iulii II anno 1508. Sunt subiecti regimini invictissimi regis Hispaniarum ex dispositione Adriani VIII 4 nonas martii 1522. Tenebantur vestiti, et cincti dormire; sed circa hoc dispensati fuerunt a Clemente VII 17 calendas aprilis anno 1526.

Milites B. Mariae de monte Carmelo

9 In Galliis vivunt sub regula, et habitu Beatae Mariae de monte Carmelo, instituti a Paulo V, exempti ab Ordinariorum iurisdictione. Fidei professionem emittere tenentur, sacrosanctam Eucharistiam suscipere debent; votum obedientiae, et castitatis coniugalis emittunt, contra S. R. Ecclesiae hostes pugnare promittunt; officium, sive coronam B. Mariae singulis diebus recitare, festis, et sabbati diebus missam audire, et feria IV ab esu carnium abstinere debent. Vide bullam Pauli V, quae incipit: *Romanus*, editam calendis martii anno Domini 1607.

Existimo plures esse in Ecclesia Dei sub titulo Dei Genitricis Mariae erectas Religiones; sed ego illas tantum enumeravi, quae ad meam notitiam pervenire potuerunt. Age instituti nostri rationem prosequamur.

DISCURSUS CCXL

DE ALIIS SACRIS RELIGIOSORUM FAMILIIS GLORIOSAE DEI GENITRICI IMPENSE ADDICTIS; LICET TITULUM EIUS NON PRAEFERANT, SED ALIUNDE DENOMINENTUR

1 Religiosorum variae denominationes. Post sacros hominum religiosorum Ordines, qui sub titulo Dei Genitricis Mariae in Ecclesia militant, sunt alii quamplurimi, qui quamvis aliunde denominentur, puta ab officio ad quod specialiter ab Ecclesia instituti sunt, ut Ordo praedicatorum, hospitalariorum, clericorum ministrantium infirmis; vel ab aliqua insigni virtute, puta humilitate, ut Ordo minorum, minimorum, clericorum minorum; vel a loco in quo primum Ordo eorum exortus est, ut casinenses, cluniacenses, carthusiani, camaldulenses, cistercienses, praemonstratenses, Vallis-Umbrosae, montis Oliveti, lateranenses, lucenses, theatini, iessulati; vel ab aliquo viro sancto sub cuius tutela esse cupiunt, ut augustiniani, ambrosiani, benedictini, antoniani, basiliani, silvestrini, barnabitae, birgittani, s. Pauli primi eremitae. Et Ordines militares, ut s. Ioannis, s. Lazari, s. Stephani, s. Georgii, s. Iacobi, s. Michaelis, s. Mauritii; vel etiam Deum ipsum vel aliquam personam divinam sui Ordinis tutorem, et nominis fontem esse voluerunt, ut Ordo SS. Trinitatis, iesuati, Societas Iesu, Ordo militaris Christi in Lusitania, Ordo Spiritus sancti in Galliis; pari tamen animi sensu, pari reverentia et honore, pari cultu et veneratione gloriosissimam Dei Genitricem colunt, et famulos eius se profitentur, sub eiusdemque patrocinio peculiariter degere gaudent. Nonnullos ex his recensere libet; non enim chronica omnium revolvere, et peculiares gratias, et favores a Deipara unicuique exhibitos colligere, simulque studia et officia eorum erga Sanctissimam Dei Genitricem Mariam enarrare possibile erat. Post praeclarissimum Ordinem praedicatorum, quem iam inter Religiones nomine gloriosissimae Dei Genitricis insignitas primo loco ponere placuit, eo quod Mater mea sit, et Deus praeceperit: *Honora patrem et matrem tuam*, et olim hoc gloriosissimo titulo, *fratres B. M. Virginis*, insignitus fuerit, sequitur inclytus

Ordo benedictinorum

Fecunda mater beatorum, praelatorum, et Ordinum religiosorum; peperit namque coelo beatos quindecim millia, Ecclesiae viginti quatuor summos pontifices, quingentos quinquaginta novem cardinales, mille centum sexaginta quatuor archiepiscopos, tris millia quingentos duodecim episcopos. Et ante Concilium constansiense, quod celebratum est anno 1417 tempore Martini V, uno eodemque tempore benedictini Instituti monasteria fuerunt supra tris millia septingenta, ut adnotavit Filingus benedictinus in commentario super psalmum 102. 2 Praelati ex Ordine s. Benedicti quot.

Ex hoc sacro Ordine multi clarissimi Ordines prodierunt, ut cluniacenses, camaldulenses, Ordo guilielmitarum, silvestrinorum, coelestinorum, olivetanorum. Ex quibus multi fuerunt Beatissimae Virgini specialissime addicti, ut cluniacenses, cistercienses, carthusiani, guilielmitae, olivetani, de quibus iam diximus. 3 Ordines.

Hic celeberrimus Ordo protulit multos viros doctissimos Beatissimae Virgini ad stuporem devotos, inter quos s. Ildephonsum archiepiscopum toletanum, cui Beatissima Virgo apparens casulam angelicis manibus elaboratam dono dedit, b. Rupertum, s. Leonem V papam, s. Gregorium magnum papam, et alios quamplurimos, de quibus vide Locrium lib. 1, cap. 8. 4 Mores.

Ordo cluniacensium

Est ipsissima propago Ordinis d. Benedicti, et a s. Odone abbate circa annum 912 initium habuit. Hic Beatissimae Virginis obsequio specialiter se mancipavit, cum eius officium publice in choro recitare coepit, et alios nedum religiosi Ordinis viros, verum et clericos ad id faciendum exemplo suo traxit, ut inferius demonstrabimus, cum de officio B. M. Virginis agemus. 5

In hoc sacro Ordine praeter festa Beatae Mariae Virginis a tota Ecclesia celebrari solita specialiter celebratur festum mansioneB. M. Virginis de qua supra meminimus, cum de festis eiusdem ageremus.

Ordo praemonstratensium

Auctore s. Norberto, cui Beatissima Virgo apparens locum, in quo Ordinis sui caput instituendum esset, praemonstravit. Unde coenobium illud praemonstratum, et Ordo praemonstratensis dictus est. Servatius in Optica spec. 111, instit. 5. 6

Ordo carthusianorum

Auctore s. Brunone Germano, patria coloniensi, qui ad Urbanum II pontif. max. Romam vocatus, cum magna quadam perplexitate, et pusillanimitate propter susceptae vitae austeritatem, et loci horrorem, ac vastitatem, nec non quorumdam obtrectationem, una cum sociis suis mire exagitaretur, apparuit eis vir quidam venerabilis, cano capite, crispo capillo, qui Dei nomine illis pollicitus est, Deiparam illos in loco illo deserto (puta eremo Carthusia dicta, a qua unumquodque monasterium eorum Carthusia, et ipsi religiosi carthusienses, sive carthusiani appellantur) conservaturam, si in eius honorem preces eius horarias quotidie re- 7 Carthusiani Ordinis studium erga B. V. Mariam.

Digitized by Google

citarent. Illi ergo incredibili laetitia affecti, Dei Genitricem patronam totius carthusiani Instituti sibi delegerunt una cum s. Ioanne Baptista. Hominem vero qui illis apparuerat, s. Petrum apostolum fuisse existimarunt. Ex vita s. Brunonis apud Surium die 6 octobris.

Ordo cisterciensium

8 Cistercienses Ordinis origo et studium erga B. V. Mariam.

Magnus benedictinae familiae surculus inter ceteras Religiones, sensu Gregorii XI pontificis maximi, singularitate devotionis in B. M. Virginem adscriptus. Ordinem istum primum in honorem B. M. Virginis dedicatum fuisse affirmat Ioannes abbas. Ob hoc ipsa huius Ordinis patrona, domina, protectrix, advocata nominatur, quem etiam multis favoribus, gratiis, privilegiis ornavit. Primus eius Instituti auctor fuit s. Robertus, cuius matri, cum adhuc eum gestaret in utero, Deipara semel atque iterum per quietem apparuit, aureum in manu praeferens annulum, dixitque: *O Ermgardis* (hoc ei nomen erat) *solo filium, quem gestas in utero, mihi hoc annulo desponsari.* Expletis igitur diebus, Ermgardis filium enixa, Robertum vocavit, qui anno aetatis suae decimo quinto apud s. Petrum de Cella, habitu regulari suscepto, totum se Deiparae obsequiis mancipavit, et postea primus abbas molismensis, primus item abbas cisterciensis fuit, unde praeclarissimus Ordo cisterciensis nomen accepit, et sub Deiparae patrocinio multos doctrina et sanctitate conspicuos viros produxit. Surius in vita b. Roberti die 24 aprilis.

9 Quot vero hic praeclarus Ordo Beatissimae Virgini devotos habuerit, ipsa Deipara b. Bertramo eiusdem Ordinis in visione ostendit. Is aliquando in oratione B. Dei Genitricem conspexit, e regione cuius fons aurei coloris erumpens versus eius pedes fluebat; lapides eius fontis pretiosi erant, smaragdi videlicet, carbunculi, topazii, sapphiri, hyacinti. Cumque ignoraret, quid sibi haec visio vellet, a B. Virgine hanc interpretationem accepit. *Fons*, ait, *aurei coloris est Ordo cisterciensis, qui velut aurum dignitate et sanctitate praecellit, et speciali quadam praerogativa dilectionis ad me fuit: lapilli vero pretiosi sunt in hoc Ordine speciales amici mei, qui in meo obsequio ceteris ferventiores sunt.* Caesarius lib. 7 exempl. cap. 38.

10 S. Bernardinus.

Multitudinem copiosam devotorum B. M. Virginis in hoc Ordine, tum apud praenominatum Caesarium, tum in chronico cisterciensi videbis. Et nos nonnullos recensebimus inferius in epitheto, *Regina confessorum*. Sed inter hos, quasi sol inter astra, refulsit s. Bernardus abbas claraevallensis, quem Cluniacensis, *fortem ac splendidam monastici Ordinis, adeoque ipsius Ecclesiae Dei columnam*, non temere appellavit. Hic multis favoribus, et gratiis ab ipsa Deipara Virgine ornatus fuit, inter quos ille maximus habetur, quod ex uberibus sacratissimis Deiparae lac sugere meruit; unde tantam dulcedinem cum pietate suxisse creditur, quantam is omnibus a se editis libris, sed in iis praesertim in quibus de Virgine Sacratissima tractat, ostendit. Hoc uno (si Lutheri calculum admittamus) melius nec scripsit, nec vis quisquam in universo coetu monachorum. Sed ad Ordinem, de quo loqui coepimus, convertamur.

11 Favores et gratiae a B. V. Maria.

Haec sacra familia multos favores et gratias a B. Virgine accepit. Cum Innocentius III Ordini mandasset, ut quadragesimam partem omnium bonorum mobilium in subsidium Terrae sanctae transmitterent, Ordo vero privilegiis ab antecessoribus eius concessis suffultus, ob graves causas id recusaret, pontifex iratus bona eorum saecularibus tradere volebat. Confugiunt illi ad B. ac gloriosam Dei Genitricem Mariam, in capitulo generali supplicationes iniungunt, nudis pedibus capitulo exeuntes septem psalmos cum Litaniis decantant. Ecce Sanctissima Virgo Raynero viro religioso Innocentii papae confessario apparens, his eum verbis alloquitur: *Tu Ordinem cisterciensem, cuius ego advocata sum, destruere conaris, sed non praevalebis: et nisi citius de tuo proposito resipiscas, et ego te et omnem potestatem tuam conteram.* Hoc nuntio Innocentius papa a Raynero accepto, sciens illum virum sanctum et veracem expavit, et nedum propositum mutavit, verum etiam multis privilegiis Ordinem cisterciensem auxit. Caesarius lib. 7, c. 6.

Cistercienses B. Virgo protegit ab Innocentio III.

12 A Friderico imperatore.

Rursus cum Fridericus imperator cistercienses de toto imperio exulare cogeret, eo quod eius schismati se subscribere nollent, et illi antiphonam illam: *Qui coelorum contines thronos, et abyssos intueris, terram pugno concludis, exaudi nos in gemitibus nostris*, devote frequentius canerent, Dominus cor imperatoris mutavit, ut missis litteris eos manere, et pro imperio orare iuberet. Caesarius lib. 2, c. 19. Haud dubium id Beatissimam Virginem a Filio suo impetrasse. Sic enim b. Alberico, qui cum aliis hunc Ordinem inchoavit, apparens dixit: *Ego Ordinem istum usque in finem saeculi protegam et defendam*, ut in eorum Menologio legitur die 26 ianuarii. Quod ex his quae iam enarravimus, constare potest; sed adhuc nonnulla huius protectionis exempla adducam.

Quidam adolescens Ordini cisterciensium valde affectus, postmodum falsis sermonibus quorumdam male de eo persuasus, illi detrahebat, nec quemquam ex cisterciensibus aequis oculis aspicere valebat. Huic per quietem Dei Genitrix apparuit, eumque severius increpans, ait: *Male puer, optimis amicis meis, quos habeo in toto mundo, maledicis et detrahis;* quod ille probe intelligens et ex terrore evigilans, Ordinem sicut antea dilexit. Caesarius lib. 7 exempl. cap. 42. Ibidem capite ultimo refert, quemdam Ordinis cisterciensis virum religiosum vidisse B. M. Virginem pallio mirae latitudinis amictam innumeram multitudinem cisterciensium sub eo pallio comprehendisse. Aliam mirae devotionis virum conspexisse feminam splendore circumdatam dormientium fratrum cisterciensium lectos circuisse, singulis benedixisse, neglecto uno, quem nec aspicere valebat. Quod etiam nostris fratribus fecisse legitur, ut antea meminimus. Unde satis apparet, qua benignitate, quo amore Beatissima Virgo hunc Ordinem complectatur. 13 A calumniatore.

Cistercienses sub pallio B. Virginis.

Multis ex hoc praeclaro Ordine viris B. V. Maria se visendam exhibuit. Beato Hostrado quem etiam ad coelestes nuptias invitavit; B. Alberico, cui albam cucullam dedit, unde nigro habitu cluniacensium relicto, albis vestibus de cetero cistercienses uti coeperunt. Idem Albericus constitutiones sui Ordinis a B. Virgine accepisse fertur. Huic etiam B. Virgo dixit: *Ego Ordinem vestrum usque in finem saeculi protegam.* Cuidam etiam desperabundo religioso comitata a s. Catharina, et s. Agnete apparuit. Itidem B. Guilielmo Willariensi abbati pacificam in templo hostiam offerenti Beata Virgo se conspicuam fecit, atque Arnulphum adolescentem pia susceptione habitus Ordinis commendavit, eiusque animam post obitum in coelum recepit. Vide Menologium cisterciensium die 2 aprilis, et 5 augusti in commento. Longus essem, si omnia et singularia eximii amoris B. Virginis erga hunc Ordinem argumenta enumerare vellem. 14 Cisterciensibus se conspicuam facit.

Consignabo hoc totum verbis gravissimis Ioannis abbatis cisterciensis, qui in hanc rem ita loquitur: Ultra spirituales revelationes intimasque consolationes saepius fulgidissimo coeli civium stipata comitatu eos (intellige cistercienses) gloriosissima Mater Domini visitabat etiam, visibiliter consolabatur, et docebat, adiuvabat, dirigebat. Adde, in laboribus confortabat; sudorem ex frontibus eorum manantem semel in vasculum colligens, altera vice sua manu extergens, prout iam in superiori epitheto meminimus. Porro nec illud omittam, quod eadem Deipara Virgo b. Henrico eiusdem Ordinis monacho copiosa multitudine cisterciensium stipata in eorum habitu, alba videlicet cocula vestita apparuit, quo ingentem affectum et incredibilem amorem erga eos declaravit. Quare merito ipsa Dei Genitrix sacri huius Ordinis patrona, domina, protectrix, et advocata nominatur, id confirmante sanctissimo huius Ordinis viro d. Bernardo, qui serm. de assumpt. B. M. Virginis fratres ita alloquitur: *Fructum laboris vestri mercedem aeternam apud Dominum et eamdem protectricem nostram vobis repositam esse certissima fide tenere debetis.* Vicissim hic clarissimus Ordo studium suum erga B. M. Virginem multis argumentis demonstrat. Omnia cisterciensis Ordinis monasteria et ecclesiae Beatae Virgini consecrantur, unde ubique locorum in summo altari inter angelicas turbas coelos ascendens Virgo gloriosa depingitur. Ulterius cistercienses missam quotidie de B. Virgine in sacello ipsius, quod in omnibus ecclesiis specialiter extructum habent, canunt. Officium etiam ipsius per annum quotidie, etiam in Parasceve, et in Paschate in choro recitant. Insuper cucullam candidam in choro semper gestant in signum puritatis B. M. Virginis, quam impensius colunt. Haec pro singulari affectu erga hunc Ordinem pauca collegi, plura in menologio et chronicis eorum invenies lectu iucunda. 15

Studium cisterciensium erga B. Virginem.

Ordo minorum

Qui Beatissimam Virginem Mariam semper impense dilexit, 16
cuius singulari favore ac beneficio fundatus, auctus, et per uni-

S. Francisci et Ordinis eius devotio erga B. Virginem quanta.

verum fere orbem dispersus est. Eius fundator s. Franciscus incredibili Matrem Dei complectebatur amore, ut s. Bonaventura in eius vita, cap. 9 testatur. Unde a Deipara una cum sancto patre nostro Dominico ad verbum Dei annuntiandum, et peccatores convertendos Christo praesentatus est. Hic Ordo religiosissimus ea precandi formula, quam coronam appellant, devotionem erga Deiparam Virginem in populo mirifice promovet (1). Ex hac erga Deiparam Virginem pietate, ac devotione acerrime tuetur immaculatam eius conceptionem. Et vere rem magnam praestitit, cum in opinionem suam omnes fere Ordines, et academias orbis christiani traxit. Multos hic praeclarissimus Ordo sanctos Divae Deiparenti studiosissimos protulit, quos commodius referam in epitheto *Regina confessorum*.

Societas Iesu

17 Societatis Iesu devotio erga B. M. Virginem quanta.

17 Haec parentis sui s. Ignatii vestigia secuta, eandem Virginem mirifice colit, cultumque eius, cum praedicatione coronae, rosarii, tum scriptis variis in eius laudem editis in populo valde promovet: et merito. Cum enim peculiariter Sanctissimo Iesu Nomine sit insignita, aequum est ut etiam peculiari pietate Iesu Matrem veneretur, et colat.

18 Multos haec praeclara Societas viros sanctissimos et B. M. Virgini studiosissimos protulit. Inter quos primatum tenet sanctus Ignatius illustris inclytae huius Societatis Iesu fundator atque parens. Hic augustissimam coeli Reginam indicibili amore prosequebatur. A prima sua conversione Virginem in peculiarem suam advocatam sibi delegit, ad quam in suis necessitatibus et difficultatibus confugiebat, unde et fundamenta Societatis Iesu in profundissima et constantissima Matris eius pietate iecit. Unde etiam prima sua vota, et sociorum Parisiis in Sanctissimae Matris aede, quae *Mons martyrum* dicitur, ipso die assumptionis, ac denique suam, ac sociorum solemnem professionem Romae ad s. Paulum in sacello item B. Virginis velut ipsi in manus tradidit.

Illud quoque studium eius, amorem et observantiam erga Deiparam Virginem non obscure declarat, quod sabbata in eius honorem plurimum observabat, eamque ardentius orabat, ut in numerum servorum Filii sui se suosque socios adscribendos curaret. Non minus devotionem eius erga Deiparam Virginem commendat id, quod in formula votorum Societatis interseri voluit, *coram Sanctissima Virgine Maria*. Quo filios suos edocere voluit, ut sicut vota, ita omnia sua dicta, facta, cogitata Beatissimae Virgini Mariae commendarent. Quo factum est, ut tota Societas Iesu Virgini Mariae semper esset addictissima, eiusque religiosi eam tanquam peculiarem dominam, ac patronam intuentur, eamque unice diligunt, colunt, ac venerantur. A qua etiam innumeris beneficiis, et favoribus cumulati sunt, ut chronica eorum docent.

19 Post s. Ignatium quot, et quantos viros pietate et doctrina conspicuos ac Divae Virginis eximios cultores haec praeclara Societas produxerit, ex occasione narrabo inferius in epitheto, *Regina confessorum*.

20 Societatis Iesu viri sub patrocinio speciali B. M. Virginis.

20 Vicissim quoque B. Maria Virgo Religionem Societatis Iesu magnis favoribus prosecuta est. Martinus Gutterus hispanus, eiusdem Societatis vir religiosissimus, aliquando contemplatus est B. Virginem eximia admodum specie micantem, veste in magnam latitudinem expansa, sub ea Societatem Iesu universam continentem, quam illa materno sinu complectebatur, et suae gratiae et caritatis tegumento confovebat. Platus de bono status religiosi lib. 1, c. 34. Haec de religiosis Ordinibus in honorem B. M. Virginis erectis.

De confraternitatibus, seu sodalitiis saecularium in honorem Deiparae sub titulo eiusdem institutis

21 Praeter virorum ac feminarum religiosarum sacra instituta etiam saecularium personarum congregationes, confraternitates, seu sodalitates quamplurimas Ecclesia catholica admittit, fovet, promovet, gratiis et favoribus ornat, in quibus ferventior Dei cultus, maior eius gloria, Christi fidelium pietas, vitae honestas et integritas, christiana caritas, animarum salus viget, floret et propagatur.

Confraternitatum fructus in Ecclesia.

De omnibus disserere animus non est. De iis tantum, quae in honorem Deiparae Virginis Mariae sub titulo eiusdem institutae sunt, in quibus ipsius Virginis cultus magis floret, et promovetur, breviter agere devotio suadet. Et ut hoc ordinate fiat, primo disserendum est

DISCURSUS CCXLI

DE ORTU SEU ORIGINE CONFRATERNITATUM IN COMMUNI

1 Christianorum primaevorum vita.

Si omnium christianorum ea esset vita, quae olim in primitiva Ecclesia fuit, non opus esset ea, quam nunc videmus, confraternitatum varietate. Tunc enim omnium *Credentium erat cor unum et anima una*, ut dicitur Act. 4,32. Ita enim sensibus, et animis erant concordes, ac si omnes unum cor, et animam unam habuissent. 1. Unum erant, quia inter se caritatem mutuam et amicitiam perfectam habebant; ita se amabant, ut parati essent unus pro alio mori, adeo ut gentilium ea esset communis de christianis vox: *Vide ut se diligunt, ut alter pro altero mori sint parati*, Tertullianus apolog. 39. 2. Omnes Christum induebant, in eoque summe tam cum ipso, quam inter se uniti erant, ideo ab Apostolo Ephes. 1, 1, *sancti* appellantur, non solum a vocatione, quia ad sancte vivendum vocati erant, vel a baptismo in quo sanctificati erant; sed etiam ab ipsa conversatione, quam sanctam habebant. 3. Omnes non suam, sed Dei voluntatem cognoscere, et adimplere satagebant, teste d. Gregorio lib. 1 in c. 1 Regum: *Per intentionem rationis solum conditorem aspiciebant, et per affectionem amoris solum eius faciem videre desiderabant*. 4. Omnes possidebantur, et regebantur ab eodem spiritu quem illis Dominus, ac Redemptor noster a Patre poposcerat, Ioann. 17, 11 dicens: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos*. 5. Omnes uni Petro tanquam suo patri, et pastori Ecclesiae plane ac plane obediebant. 6. Communi vocabulo *fratres* vocabantur. Fratres quippe et sorores non carne, sed spiritu, natos non in Adamo aut aliquo terreno parente, sed in Christo, et Ecclesia per mortem Christi et baptismum. 7. Quotidie communicabant, continuo orabant, verbum Dei audiebant, ut refert s. Lucas Act. 2, 42: *Erant perseverantes in doctrina apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus*.

Fratres primaevi christiani cur vocati.

2 Fratris nomen inter christianos quomodo extinctum.

Stetit haec sancta caritas, et huius nominis *fratres* dignitas apud christianum vulgus, sed non perstitit; nam multiplicato christianorum coetu, refriguit caritas, simulque extincta est fraternitas. In clero vigor, flosque huius nominis diutius constitit, quamdiu sub una regula, sub unius praepositi regimine degebant. At ubi ista obsoleverunt, et permissa est cuique singularitas, induita proprietas, redditus communes in partes distrahi coeperunt, nomen quoque fraternitatis abolitum est, et commutatum in alios titulos, puta in venerabiles dominos, reverendos canonicos, parochos, etc. in illis qui beneficia habebant, in magistros; in doctores, qui scientia pollebant; in patres, qui auctoritate praeeminebant.

Igitur sancti patres videntes christianam caritatem extingui, 3
et nomen tam gloriosum, puta *fratrum*, perire, in hanc curam incumbere coeperunt, ut ex multis mundi filiis paucos sibi quosdam eximios seligerent, qui illam pristinam christianorum pietatem, sanctitatem, et nomen *fratris* retinerent, et moribus ac vita exprimerent. Hinc in oriente excitarunt multa monasteria s. Antonius, s. Basilius. In occidente sanctus Augustinus, san-

(1) Corona, de qua auctor loquitur, revelata fuit ab ipsamet B. Virgine cuidam novitio Ordinis minorum, et ab ea confirmata multis et stupendis miraculis, ut refert r. p. Lucas Woddingus M. O. in suis annalibus t. X. an. 1422, p. 62, n. 8. Est in honorem septem praecipuorum gaudiorum, quae B. Virgo habuit dum vixit, nempe in annuntiatione quando effecta est Mater Dei, in visitatione, ab Elisabeth primum praedicata Mater Dei; in nativitate Filii sui Iesu Christi; in adventu magorum ad adorandum puerum, in inventione Filii sedentis in medio doctorum in templo post triduum; in resurrectione D. N. I. C. denique in sua assumptione in coelum. Haec corona constat ex 72 *Ave Maria* quarum omni decadi praemittitur *Pater noster*, et in fine *Gloria Patri*, excepta ultima in qua recitantur 12 *Ave Maria*, ut compleatur numerus 72, in honorem 72 annorum vitae ipsius B. Virginis secundum probabiliorem sententiam. Approbata fuit a summo pontifice Leone X. Pro unaquaque *Ave Maria* acquiruntur 60 dies indulg. et recitantes eam cum coronis benedictis a papa, vel ab habentibus facultatem, aut cum coronis ierosolymitanis lucrantur indulgentias adnexas coronis s. Birgittae. Franciscani, et qui pertinent ad eorum Ordinem quocumque modo, praeter dictas indulgentias lucrantur etiam indulg. plen. semper ac recitant addendo in fine *Pater et Ave* pro summo pontifice. Quam sit grata B. Virgini, et quam utilis recitantibus, testatur s. Bernardinus senensis, qui aiebat se ex hoc corona agnoscere quot gratias habuerat, et habiturum sperabat a Beatissima Virgine Maria. *Editor*.

Digitized by Google

ctus Benedictus, s. Romualdus, s. Norbertus, s. Gualbertus, s. Bruno, s. pater Dominicus, s. Franciscus, s. Ignatius, at alii quamplurimi.

4 Confraternitatum saecularium origo.

Sed ne intra monasteriorum parietes tam celebre nomen fratrum et caritas christiana redacta esse videretur, adinventae sunt etiam sodalitates laicorum, confraternitates dictae, in quibus prisca illa christiana caritas, et pietas renovaretur, promoveretur, ac floreret; nomen quoque fratrum et sororum hactenus non usurpatum retineretur. Et haec fuit causa, seu occasio institutionis tot confraternitatum, seu sodalitatum laicorum, quantas in in Ecclesia videmus. Sed non de omnibus, ut iam monui, sed de illis solum, qui in honorem Dei Genitricis Mariae sub titulo venerandi nominis eius institutae sunt, et in quibus praecipuus cultus eius viget, et christianae pietatis officia florent, tractare constitui.

De archiconfraternitate sanctissimi rosarii B. M. Virginis in Ordine praedicatorum

Post illam communem Ecclesiae archiconfraternitatem de qua s. Lucas Actor. 4, 32: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una; nec quisquam eorum; quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*, confraternitas sanctissimi rosarii sub titulo gloriosae Dei Genitricis Virginis Mariae omnibus alus antecellit, ut paulo inferius palam fiet. De ea fusius agere animus est. Haec enim archiconfraternitas inter illustrissima, eaque innumera Sanctissimae Deiparentis in nostros dona lectissimum, et singulare munus sat beatissimo parenti nostro Dominico collatum, primo per eum mundo publicatum, ac deinceps per eius alumnos fratres praedicatores non absque maximis prodigiis continuo studio excultum, et in toto orbe terrarum promulgatum. Sed quoniam inferius de rosa mystica nobis agendum est, consequenter de rosario mystico discursus faciendi erunt, quo completa tractatio de rosa mystica, hoc est Beatissima Virgine fiat. Idcirco in suum locum hos sermones reiicimus, cum videlicet circa expositionem epitheti *Rosa mystica* immorabimur. Nunc ad alias confraternitates in honorem B. M. Virginis erectas transeamus, de quarum origine, usu, fructu, numero, splendore breviter agamus.

DISCURSUS CCXLII

DE CONFRATERNITATE SCAPULARIS B. M. VIRGINIS DE MONTE CARMELO

1 Menologium carmelitarum.

Postquam sanctissimi rosarii flores odorem suum per universum orbem longe lateque dederunt, mox aliae confraternitates saecularium personarum enasci coeperunt. In quibus est confraternitas scapularis B. Mariae Virginis de monte Carmelo sacratissima rosario uti antiquitate, ita et dignitate proxima, immo soror ab eadem matre, gloriosissima Virgine Maria progenita in hunc modum, quem ex Menologio carmelitarum narro, et produco.

B. Simonis Stock carmelitae encomium

Anno Domini 1240 floruit Simon Stock anglus, Ordinis carmelitarum generalis prior, quem Bzovius noster ad annum 1217, num. 13 ex Paleonydoro commendat his verbis: *Fuit vir compositis moribus, caritate fervens, in societate mansuetus, fortis ad patientiam, ad miserendum pronus, tum vehemens divini verbi praeco, ut Anglorum animos a vitiis ad virtutes mirabiliter commutaret; in iudicio certus, in eloquio modestus, strenuus in agendis, humilibus et minoribus blandus, poenitentibus benignus, rigidus superbis, et inflexibilis obstinatis, spiritu denique prophetiae clarus; et supra id totum, B. V. Mariae impense addictus.* Creatus prior generalis anno 1240, ut Menologium carmelitarum in eius vita habet, Beatissimam Virginem Deiparam impensius colere coepit, ab eaque ardentissimis precibus postulavit, ut aliquod signum amoris sibi monstrare dignaretur. Annuit Deipara

B. Simonem B. Virgo manna coelesti pascit.

Virgo. Post dulcia colloquia saepius iterata Simonem per sex annos manna coelesti pavit, et uti olim Eliae corvus, ita Simoni gloriosissima Virgo propriis manibus quotidie cibum suppeditabat. Cum aliquando vehementius araret, et illud suave canticum fautrici, ac matri suae occineret:

B. Simonis parthenia da ode.

Flos Carmeli, vitis florigera,
Splendor coeli, Virgo puerpera,
Singularis, mater mitis, sed viri nescia,
Carmelitis da privilegia,
Stella maris.

A B. Virgine scapulare accipit.

Apparuit ei Beatissima Virgo angelorum stipata catervis, et immenso circumdata lumine, largitus ei scapulare, quo nunc carmelitae utuntur: *Accipe*, inquit, *dilectissime, hoc tui Ordinis scapulare, meae confraternitatis signum, tibi, et cunctis carmelitis privilegium, in quo quis moriens aeternum non patietur incendium. Ecce signum salutis, salus in periculis, foedus pacis et pacti sempiterni.* Imposito humeris eius scapulari disparuit.

Sodalitatis scapularis origo.

Tam pretiosa veste indutus Simon alacer ibat, et tam nobile donum, ac insigne amoris erga se, totumque carmelitarum Ordinem monimentum a Deipara praestitum palam depraedicabat. Confluunt undique nedum agrestes, oppidani, cives; verum et reges, duces, principes, magnates, nobiles, viri, ac mulieres, et in tantam sodalitatem pro summo ducunt honore cooptari. Inter quos fuerunt Ludovicus Gallorum rex cum matre, et tota familia; Eduardus anglorum rex cum uxore, et liberis; Henricus dux Lancastriae, rex Scotiae cum suis omnibus; comes Hiberniae cum uxore et filiis; comes Hannoniae, comes Hollandiae, et Zillandiae, Henricus Northumbiae comes, Angela filia regis Bohemiae, Ioannes, et Anna tolosates, et alii multi principes, antistites, nobiles. Hinc sodalitia virorum, ac mulierum: hinc templa, sacella, altaria in honorem D. Virginis de monte Carmelo in civitatibus, oppidis, municipiis construi coeperunt.

2 Ioanni XXII B. V. Maria apparet.

Sed cum tam celebris devotio vel hominum negligentia, vel daemonis arte paulatim coepisset excidere, ut pene iam extincta videretur; Sacratissima Virgo Maria immenso circumdata lumine Ioanni XXII pontifici se visendam exhibuit, atque praecepit, ut fratribus carmelitis, et omnibus cum illorum scapulari incedentibus narraret, quod post mortem cum isto scapulari sepulti, si eos in purgatorio detineri contingat, singulari Virginis beneficio, ac patrocinio primo sabbati die ab ipsorum obitu purgatorii poenarum integram relaxationem sint habituri. Haec indulgentia cum multis suspecta esset, utpote a summo Ecclesiae pastore rom. pont. non concessa, nec approbata, Ioannes XXII eam his verbis approbavit, et roboravit: *Hanc ego sacram indulgentiam accepto, roboro, confirmo in terris; sicut propter merita Virginis Christus eam concessit in coelis.* Habetur haec bulla apud Paleonydorum, in qua etiam idem pontifex mentionem facit visionis habitae, cuius meminimus. Eandem confirmavit Alexander V in bulla quae incipit: *Tenore cuiusdam privilegii*, data Romae die 7 septembris, anno 1409. Eandem roboravit Clemens VII in bulla, quae incipit: *Dilectus Filius Nicolaus*, edita in urbe vetlana anno Domini 1528, die 12 maii illis ipsissimis verbis: *Die qua a saeculo huiusmodi purgatorium accesserint, ipsa Virgo gloriosa Dei Genitrix Maria sabbato sequenti post illorum confratrum, seu religiosorum, ac sororum obitum visitando a poenis purgatorii huiusmodi eorum animas liberabit.* Idem asserit in alio diplomate, quod incipit: *Ex clementi Sedis apostolicae divisione*, edito Romae anno 1530 pridie idus augusti, pontificatus anno 7. Vide Rodericum in bullarii summario pro carmelitis. Eandem confirmavit Pius V, et Gregorius XIII in bulla: *Ut laudes gloriosae.* Vide Blasium Hoitium in libello superius memorato, cap. 5.

Sabbatinum carmelitarum quinam, et quot summi pontifices approbarunt.

Ioannes XXII.

Alexander V.

Clemens VII.

Pius V. Gregorius XIII.

3 Sabbatini privilegii impugnatores reprimuntur.

Cum itaque patres carmelitae hoc tam nobile sabbatinum privilegium a tot pontificibus approbatum, et confirmatum palam divulgarent, et ardentius praedicarent, nonnulli seu ignorantiae, seu invidiae stimulis agitati eis se opposuerunt, et hanc liberationem animarum ex poenis purgatorii proximo sabbato post obitum cuiusque scapulare carmelitarum gestantis incredibilem reputantes, phantasias et somnia carmelitarum appellabant. Sed illorum audaciam repressit Paulus V pontifex maximus edito per Rotam romanam diplomate, quod incipit: *Patribus carmelitis*, in quo ista sunt ipsissima verba: *Populus christianus possit pie credere de adiutorio animarum fratrum, et confratrum sodalitatis D. M. Virginis de monte Carmeli, videlicet, Beatissimam Virginem animas fratrum, et confratrum in caritate decedentium, quae in vita habitum gestaverint, et castitatem pro suo statu coluerint, officiumque parvum de B. Virgine recitaverint, vel si recitare nescieverint, Ecclesiae ieiunia observaverint, et feria IV, et sabbato a carnibus abstinuerint, nisi ubi in iis diebus nativitatis Domini festum inciderit, suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis, et meritis, ac speciali protectione post eorum transitum, praecipue in die sabbati, qui dies ab Ecclesia eidem Beatae Virgini dicatus est, adiuturam.* Editum fuit hoc diploma anno Domini 1612.

Paulus V.

Multas alias indulgentias a summis pontificibus concessas haec sacra sodalitas habet, quas breviter collegit Blasius Hoitius car-

Digitized by Google

melita in libello de Instituto carmelitarum, et huius sodalitatis, cap. 7. Et ideo ab illis recensendis supersedeo, ad aliasque sodalitates in honorem Deiparae Virginis erectas accedo.

DISCURSUS CCXLIII

DE ALIIS SODALITATIBUS IN HONOREM DEIPARAE VIRGINIS INSTITUTIS

1 Postquam archiconfraternitas sanctissimi rosarii refloruit, mox aliae sodalitates saecularium velut fecundae propagines pullularunt, et magnos fructus in Ecclesia Dei produxerunt, de quibus iam superius mentionem fecimus; nunc eas solum commemorare libet, quae in honorem Deiparae Virginis erectae sunt. Ex quibus prima occurrit

Sodalitas Dominae nostrae hallensis

2 Haec antiquitus instituta fuit, nimirum anno Domini 1432. Indulgentiis ornata a Nicolao V anno Domini 1451, et a Clemente VIII 1699. In eam multi principes, duces, comites, antistites, nobiles, plebeii nomina sua dederunt, quae recenset ex Iusto Lipsio Locrius lib. 6, cap. 25.

Sodalitas corrigiatorum B. M. Virginis

3 Sub Eugenio IV anno 1446 sumpsit originem, et multis indulgentiis a summis pontificibus Innocentio VIII, Iulio II, Leone X, Clemente VII, Pio V, Gregorio XIII, Clemente VIII decorata est. De hac sodalitate lege Georgium Maignetium augustinianum tornacensem, cap. 9, et 29.

Sodalitas disciplinatorum B. M. Virginis

4 Ex sodalitate disciplinatorum viri insignes.

Haec Senis in Etruria ab annis ducentis prima caput extulit in xenodochio, quod *della Scala* vulgo dicitur, ubi preces, corporis flagellationes, et alia pietatis exercitia peraguntur. Ex quo loco in omnem fere Italiam disciplinatorum laicorum piae exercitationes, et devotionis studia dimanarunt. Ex hac sodalitate prodierunt multi viri sanctitate illustres, et religiosorum Ordinum fundatores. In primis B. Ioannes Columbinus vir sanctissimus, Iesuatorum fundator eximius, eiusque comes Franciscus Vincentius. Item Ordinis Oliveti fundatores b. Bernardus Tolomaeus, et Ambrosius Piccolomineus. Ex eodem coetu extitere b. Petronius de Petroniis, postea in carthusianorum familiam admissus, Andreas de Galleranis, speculum sanctitatis, aliique innumeri rerum coelestium strenui contemplatores, religiosae vitae professores. Inter quos recensetur s. Bernardinus senensis, celeberrimae sanctitatis vir, fratrum minorum qui de observantia vocantur, si non primus fundator, saltem praecipuus propagator.

Sodalitas Virginis Lauretanae

5 In eodem templo auctoritate Pauli V pontificis maximi anno 1612 erecta, quam idem pontifex variis indulgentiis ornavit. Tandem erat florentissima.

Sodalitas annuntiationis B. M. Virginis

6 In societate Iesu a Gregorio XIII summo pontifice anno 1584 in ecclesia collegii romani eiusdem Societatis instituta, et praeposito generali Societatis Iesu ad dirigendum data, indulgentiis amplissimis condecorata. Eamdem postea Xystus V anno Domini 1586 confirmavit, et quae antea ex solis scholaribus constabat, ad alias congregationes, quae non extant ex scholaribus extendit. Clemens vero VIII die 15 augusti anni 1602 omnibus aliis congregationibus in residentiis Societatis constitutis easdem indulgentias, gratias, favores benignissime concessit. Dici vix potest, quantum haec Societas in populo christiano pietatem promoverit, et usque in diem hodiernum promovet. In primis adolescentes in officiis pietatis exercentur. Qualibet septimana confitari, quolibet mense sacrosanctum Christi Corpus sumere, singulis diebus sacro interesse, B. Virginis rosarium, litanias, officium parvum, vel preces e libello recitare iubentur. Vespere e scholis dimissi, congregati quartam partem horae meditationi, alteram autem partem excipiendis capitibus, quae die sequenti meditentur, consumunt. Diebus festivis a prandio post decantatas vesperas alii ad invisendos in nosocomiis aegrotos, et alii ad venerandas divorum reliquias, alii ad alia pietatis munia obeunda a praefecto destinantur. Et ita homines, quorum, iuxta Scripturam, *cogitationes, et sensus proni sunt ad malum ab adolescentia sua*, a primis annis optime instruuntur, quando una cum litteris studia pietatis imbibunt, cum animos eorum prius religio et devotio occupat, quam pravitas et intemperantia invadat.

Sodalitatis annuntiationis pia exercitia.

7 Ex sodalitate annuntiationis viri insignes.

Plurimi insignes viri ex hac sacra sodalitate prodiere, qui vel religiosae vitae institutum complexi, vel in saeculo remanentes christianam rempublicam sua opera egregie iuvarunt, et illustrarunt. Reges quoque, imperatores, duces, ac principes, immo et sanctae romanae Ecclesiae cardinales, archiepiscopi, episcopi, aliique ecclesiarum praesules amplissimi, nec non civitatum rectores, aliique honoris gradu et generis nobilitate excellentes, in hanc sodalitatem admitti pro summo honore ducunt. Et maxime Romae, ubi, ut accepi, cardinales ipsi sua interdum praesentia, et suis ad sodales sermonibus alios ad hoc pietatis studium invitant. Ex hac sodalitate plurimae aliae sub titulo Virginis Sanctissimae prodierunt sodalitates, quae sequuntur.

Sodalitates ex sodalitio annuntiationis B. Virginis enatae.

Sodalitas conceptionis immaculatae B. M. Virginis

Haec antea ex solis scholasticis aetate grandioribus constabat, nunc vero quivis masculini sexus ad eam admittitur. Eam mirifice promoveri apud s. Barbaram in domo professa patrum Societatis Iesu Cracoviae vidi, ubi sacellum eleganter constructum, et imago gloriosissimae Virginis affabre depicta cernitur. 8

Sodalitas purificationis B. M. Virginis

Haec christianorum mancipiis redimendis, et Mauris, Turcis, Aethiopibus ex impura Mahometi secta ad christianam fidem traducendis omnem suam operam ponit. 9

Sodalitas nativitatis B. M. Virginis

Haec pauperum hominum honestarumque familiarum, quas a publica mendicitate pudor arcet, inopiam sublevat, et usque ad domos illarum eleemosynam transmittit. 10

Sodalitas assumptionis in coelum B. M. Virginis

In hac sacerdotes singulis hebdomadis, uno die profesto a prandiis conveniunt, ibi modum recitandi horas canonicas, faciendi sacrum, meditandi, concionandi, docendi pueros et rudes doctrinam christianam, audiendi confessiones, tradendi aliis exercitia spiritualia, insuper modum instruendi patres familias, liberos ac domesticos christianis moribus informandos, aliaque his similia, quae ad sacerdotis munus rite obeundum necessaria sunt, docentur. 11

Quindecim huiusmodi sodalitates ex sodalitio annuntiationis B. M. Virginis manantes in sola urbe neapolitana recenset Petrus Antonius Spinellus, et ipse neapolitanus, capita 30. Quorum alia insignis pietatis opera fuse enumerat, quae sunt officium defunctorum, aliasque preces, puta litanias de B. M. Virgine, eius officium decantare; simul omnes missae sacrificio interesse; praescriptis diebus crebro ad Sacramenta poenitentiae, et sanctissimae Eucharistiae accedere; exhortationibus piis religiosorum hominum, in quibus proponitur verbum Dei, interesse; divina saepius contemplari; aliquid de Christi Domini cruciatibus, de B. V. Mariae doloribus, de sempiternis impiorum suppliciis, de aeternis beatorum gaudiis, aliisque fidei christianae mysteriis, quae ad pie vivendum, ad coercendas corporis voluptates, ad fugiendas carnis illecebras plurimum conferunt, frequentius animo recogitare; certis temporibus voluntariam corporis diverberationem, quam disciplinam vocant, sive in congregationis loco, sive in propria domo adhibere; varia mortificationum genera, quae ad humilitatem, ac pietatem conservandam valent, sustinere; ecclesias visitare; indulgentias captare; eos qui in xenodochiis iacent, vel in carcere detenti sunt, vel lecto affixi manent, interdum invisere; illorum necessitates, et inopiam explorare, suisque colloquiis, et opera eos consolari, et pro posse

Exercitia spiritualia eorum, qui sodalitatibus B. M. Virginis adscripti sunt, quae et qualia esse habent.

Digitized by Google

iuvare; si diem extremum obierint, illis missarum sacrificiis benigne opitulari; pro se invicem Deum orare; non tantum suam, sed etiam aliorum salutem procurare; quoscumque viderint in suscepto instituto titubare, vel eo offendi, eos confirmare, et auxilio praesto esse, suisque consiliis, monitionibus, vel quavis alia ope, et officio caritatis in officio retinere; quoscumque pro posse ad pietatis opera suo consilio invitare, et pertrahere, et si quos fraternitati et congregationi idoneos deprehenderit, ad eam studere adducere. Haec Petrus Antonius Spinellus. Faxit Deus ut horum sodalium exemplo alii ad haec et similia virtutum et christianae pietatis opera accendantur. Si enim id ubique fieret, in clero appareret maior sanctitas, in celebrandis missis, ac recitandis horis canonicis maior devotio, in audiendis confessionibus maior gravitas et reverentia, in concionibus habendis, et lucrandis animabus hominum maior zelus, in iuvandis proximis maior pietas, in populo maior profectus in christiana vita, maior rerum divinarum, et ad salutem necessariarum scientia, melior filiorum educatio, maior demum tam erga vivos, quam erga defunctos caritas. Praesta nobis id aeterne Salvator, qui vivis, et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti. Amen.

Auctoris votum.

Sodalitatum fructus.

De variis precandi formulis, hymnis, canticis, antiphonis, versiculis, responsoriis, quae tam universaliter quam particulariter, tam publice, quam privatim in honorem Deiparae Virginis Ecclesia catholica recitat seu decantat

Totam Ecclesiam Christi, post cultum Dei, cultui B. V. Mariae esse addictissimam ille solus ignorare poterit, qui Ecclesiam ipsam ignorat. Quare variis precandi formulis eam invocat, colit ac veneratur. Ex quibus aliae sunt publicae et solemnes, aliae privatae. Publicae quaedam sunt universales, quas Ecclesia universalis usurpat, quales sunt salutatio angelica, canticum *Magnificat*, officium sabbatinum maius, officium parvum, sive quotidianum, officia in diversis B. M. Virginis festivitatibus, pulsus ad salutationem angelicam tribus diei temporibus, antiphonae, hymni, responsoria, versiculi, litaniae. Particulares sunt, quae apud certas religiosorum familias in praecipua sunt devotione, quales sunt rosarium, corona, corolla. Privatae propemodum sunt infinitae, quas unusquisque pro sua devotione erga B. M. Virginem adinvenit, et in eius honorem recitat, vel decantat. Nos solum in praesenti agemus de iis, quas sibi speciali aliquo miraculo B. Virgo gratas esse ostendit. Et primo

DISCURSUS CCXLIV

DE SALUTATIONE ANGELICA ET EIUS EXCELLENTIA AC DIGNITATE

1 Inter precationes, quae ab Ecclesia catholica ad Deiparam diriguntur, eximia atque suprema est illa salutatio, *Ave Maria gratia plena*, etc. Quam SS. Trinitas dictavit; quam Gabriel unus ex septem principibus angelorum, qui ante Deum adstant, SS. Trinitatis nomine ad Virginem Beatissimam, cum in Matrem Dei delecta esset, pronuntiavit; quam Elisabeth Spiritu sancto repleta identidem repetiit; quam sancti apostoli usurparent; quam sancti patres miris laudibus extulerunt, Ecclesia catholica auxit, et indulgentiis exornavit. Quae toti hierarchiae coelesti est iucundissima, Deiparae Virgini gratissima, nobis utilissima, daemonibus tremenda. Singula ad trutinam vocemus, ut excellentiam huius salutationis cognoscamus, et ea cognita salutantium devotionem promoveamus, affectusque eorum erga B. Virginem magis, ac magis colendam excitemus.

2 I. Itaque salutatio est a *SS. Trinitate dictata*. Tota enim Trinitas incarnationem Christi operata est. Pater dedit B. Virgini vim concipiendi supra naturae ordinem, et capiendi augusto utero virginali eum, quem coeli coelorum capere non poterant. Filius ipse homo factus est, et ingressus Virginis uterum Matris integritatem non minuit, sed sacravit. Spiritus sanctus eam gratia sua replevit, ei obumbravit, effecitque ut mater esset, et virgo permaneret. Proinde quoque salutationem hanc tota SS. Trinitas Gabrieli nuntio dictavit, et modum quo praestolari deberet consensum Virginis, tradidit, s. Ioanne Chrysostomo serm. in annuntiat. B. Virginis id adstruente, ubi introducit Deum archangelum Gabrielem ita alloquentem: *Ades huc, angele, minister esto mysterii gravis et reconditi, miraculo inservi .... Vade ad Mariam Virginem, loquere in auribus arcae meae ratione praeditae, ut paret mihi auditus ingressum. Cave, offendas, aut turbes animum Virginis. Templum illud divinum modeste adi. Prima tua vox illi gaudium afferat, dic: Ave gratia plena, ut ego miserear afflictae Evae.* Sic ille. Ceterum quomodo SS. Trinitas operata sit mysterium incarnationis Christi in utero Mariae Virginis, satis pro modulo nostro diximus, et exemplis declaravimus tomo superiore, discursu LXXXVI, num. 21.

SS. Trinitas incarnationem Christi operata est et quomodo.

II. *Ab archangelo Gabriele pronuntiata*. Nam ubi haec angelus audivit, iussa divina exequens ad Virginem devolavit, domum petiit, ad thalamum in quo Virgo habitabat, appropinquavit, et ingressus ad Virginem, eam miti voce allocutus est: *Ave gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus.* Credibile est archangelum Gabrielem hanc salutationem in praesentia multorum aliorum angelorum pronuntiasse. Quod ante me diserte docuit admirandae doctrinae antistes b. Albertus magnus in c. 1 Lucae, in haec verba: *Nec est credendum quod angelus unus venerit, sed cum eo principali nuntio multitudo aliorum advenit.* Luc. 2, 13: Facta est cum angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum, et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. *Hoc significatum est Genes. 24, ubi cum pater Abraham mitteret ad ducendum uxorem filio suo, misit quidem Eliezer domus suae procuratorem, qui tamen multos comites habuit. Ita Pater Summus mittens ad desponsandum sibi naturam humanam, unum quidem praecipuae dignitatis angelum misit, tamen cum illo multos creditur misisse secundae dignitatis angelos.* 3

Gabriel ab aliis angelis comitatus B. M. Virginem salutavit.

III. *Ab Elisabeth Spiritu sancto repleta, identidem repetita.* Gabriel ad Virginem: *Benedicta tu in mulieribus*, Elisabeth subinde: *Benedicta tu inter mulieres.* Angelus Gabriel, et Elisabeth in hac salutatione velut quidam duo cantores artis musicae peritissimi fuerunt. Gabriel coepit in laudem Virginis canere: *Benedicta tu in mulieribus*, Elisabeth autem dulciorem addens cantus harmoniam, eandem vocem repetiit: *Benedicta tu in mulieribus.* Unde sicut illi duo seraphini Isai. 6, 3: *Clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus*; ita Gabriel, et Elisabeth sibi invicem respondentes, cecinerunt: *Benedicta tu in mulieribus.* Porro Elisabeth supra cantum Gabrielis addidit: *Et benedictus fructus ventris tui*, quia, Elisabeth canente, iam Verbum caro factum erat in utero Virginis. Quo additamento errorem Cerdonis et Marcionis haereticorum confutavit, qui corpus Christi non verum, sed phantasticum fuisse impie docuerunt. Si enim Christus est fructus ventris virginalis, profecto matri est consubstantialis, fructus enim procedit ex substantia arboris. 4

Elisabeth cur addidit, *benedictus fructus ventris tui.*

IV. *Ab apostolis usurpata.* S. Iacobus apostolus, et frater Domini in sua liturgia post multam Deiparae invocationem his eam verbis salutat, et orat: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, quia Salvatorem peperisti animarum nostrarum.* 5

Beatus Alanus noster libro de psalterio Virginis ait, hac salutatione apostolos usos etiam Maria Virgine vivente. Immo ait, ipsam Beatam Virginem eam usurpasse, ut sibi revelavit in haec verba: *Ipsa sciens virtutem annuntiationis dominicae, devotius illam salutationem dicebam: ego, inquam, secundum esse naturale humanum orabam ipsam Mariam secundum esse divinum gratiae et gloriae.* Dignum quippe erat positam in se gratiam divinam honorare, recolere, et debitas pro ea Deo gratias reddere. Addebat ipse Alanus, ipsum Dominum Iesum Christum eandem salutationem frequentissime orasse non necessitate, sed exemplaritate, ut nobis exemplum daret, et Patrem suum aeternum in Sanctissima Matre sua Maria coleret, et adoraret; sicut et nonnulli theologi satis probabiliter putant, Christum secundum humanitatem adorasse suam divinitatem.

Salutationem angelicam ipsa B. Virgo recitabat.

Salutationem angelicam ipse Christus recitabat.

V. *A sanctis patribus miris laudibus exornata, et in maximo pretio habita.* Sicut sancti apostoli ad orationem dominicam, et salutationem angelicam sacrificium peragere consueverant, ut ostendit Canisius in Mariali, lib. 5, cap. 16; ita sancti patres exemplo apostolorum in suis liturgiis eam usurpabant. Sanctus Clemens papa, Basilius, Chrysostomus, ac ceteri ita solemnes suas sacrificandi formulas conceptis verbis composuerunt. Primo, ut more apostolorum ad orationem dominicam oblationis hostiam consecrarent. Secundo, ut inter preces iam dictam salutationem recitarent. Tertio, ut salutationi crebram Matris Dei invocationem adderent, sicut testantur eorum liturgiae, quas omnis 6

A sanctis patribus in quanto pretio habita.

Digitized by Google

ecclesia orientalis pie recepit, et multis saeculis in usu sancta custodivit. Canisius libro 3 Marialis, cap. 11.

Liturgiis Graecorum ac Syrorum inserta. 7 Beatus Basilius, et d. Ioannes Chrysostomus in suis liturgiis hanc salutationem angelicam tanti fecerunt, ut ei proximum dignitatis, et sanctitatis locum post sanctissima consecrationis verba dare non dubitarent.

Syri quoque in Sacro-sacrorum, id est, missa, hanc Gabrielis salutationem inseruerunt, ut ita frequentius eius mentionem facerent; quod colligitur ex precatione Severini patriarchae alexandrini. Nec sane immerito prisci patres hanc salutationem tanti fecerunt; nam incarnatio Domini, redemptio hominum, ac renovatio mundi in ea continetur, ut d. Petrus Damianus serm. 3 de nativitate B. Mariae notavit.

8 Sed quid plura consector recensendo laudes, et encomia quibus sancti patres Athanasius, Gregorius nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Anselmus, Bernardus, s. Thomas aquinas, aliique innumeri hanc salutationem celebrarunt? Dabo unius s. Epiphanii devotam salutationem in sermone de

S. Epiphanii salutatio B. Virginis devotissima. laudibus Mariae, ubi saepius ingeminans illud *Ave gratia plena*, ita fatur: *Ave gratia plena, multis virtutibus exornata Virgo, in lampade gestans lucem inextinguibilem sole splendidiorem. Ave gratia plena, glorios spiritualis. Ave gratia plena, quae es urna aurea continens manna coeleste. Ave gratia plena, quae sitientes perennis fontis dulcedine satias. Ave gratia plena, mare spirituale, habens gemmam spiritualem Christum. Ave gratia plena, splendidum coelum, quod in te continuisti incomprehensibilem Deum. Ave gratia plena, quae cherubicum thronum divinitatis fulgore superas. Ave gratia plena, quae coeli circulum habes, et Deum incomprehensum augusto positum loco in teipsa contines. Ave gratia plena, nubis columnae similis, quae Deum habes qui populum deduxit per desertum. Quid dicam, et quid proloquar? quo pacto beatam praedicabo gloriae radicem? Solo enim Deo excepta, cunctis superior extitis.* Aethna amoris ardebat in corde isto, quod talia verba eructabat!

9 Sancta Maria etc. cur et quando additum. VI. *Ab Ecclesia catholica aucta illis verbis: Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc, et in hora mortis nostrae.* Haec particula addita est ab Ecclesia sub annum Domini 430, tempore Coelestini papae. Cum enim praefatus pontifex Cyrillum alexandrinae urbis episcopum, ferventissimum fidei catholicae defensorem contra Nestorii impietatem gladio apostolico iuvisset, de prostrata haeresi nestoriana insignem gloriam retulit. Summam de hac victoria patres primae ecclesiae synodi, in qua summa dignitas Deiparae solemniter praedicata est, concepere laetitiam. Quare ad romanum pontificem Ioannem presbyterum, et Epictetum diaconum amandant, eidem congratulantes de debellato Nestorio, eiusque haeresi profligata. Legatis ipso die natalis Domini Romam pervenientibus, pontifex Deo gratias immortales de tanto beneficio agens ubique locorum Matrem laudandam, et praedicandam esse sansit, et declaravit, adiecta hac clausula ad salutationem angelicam: *Sancta Maria Mater Dei*, etc. (1) Lege, si amas, Baronium tomo 5 annalium. Urbanus IV omnibus, qui

Salutationem angelicam recitantes quas indulgentias consequantur. devote salutationem angelicam recitant, indulgentiam triginta dierum concessit. Idem solemni decreto sansit, addendas illas duas voculas *Iesus Christus*, simulque pronuntiantibus illas triginta dierum indulgentiam largitus est, quam indulgentiam Ioannes XXII confirmavit. Paulus III dicentibus mane, meridie, ac vespere ter *Ave Maria* cum antiphonis, prima: *Angelus Domini nuntiavit Mariae, et concepit de Spiritu sancto*; secunda: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, tertia. *Et Verbum caro factum est*, etc. cum versu *Domine exaudi orationem meam*, et collecta *Gratiam tuam*, etc. plenariam indulgentiam concessit (2). Leo X omnibus Christi fidelibus dicentibus unum *Ave Maria* quandocumque hora auditur, concessit mille dierum indulgentiam, quam confirmavit Paulus V anno Domini 1611. Alias quamplurimas indulgentias vide, ubi de sacratissimo rosario agitur.

10 Gabrieli salutatio B. Virginis utramque VII. *Toti hierarchiae coelesti iucundissima.* In primis Gabrieli archangelo salutatio haec etiam nunc in coelis gaudium accidentale affert. Sic enim s. Gertrudi lib. 4 revelat. revelatum legimus. *Sanctus quoque Gabriel totus novo splendore divini luminis visus est irradiari, quoties recitabatur annuntiatio facta per ipsum.* Sic ibi. Postea toti coelesti curiae haec salutatio valde iucunda est. Omnes enim angelorum chori Gabrielis archangeli exemplo hanc salutationem B. M. Virginis gratulabundi in coelis acclamant. Sciunt enim quod tali auxilio ruina angelorum est reparata, Deus homo factus, et mundus renovatus. Id

gaudium affert S. Gertrudis revelatio. Angelis omnibus quam iucunda. ante me s. Athanasius oratione de Sanctissimae Matris Dei laudibus asseveravit, et hoc elogium non tam hominum, quam angelorum proprium esse dixit. Sanctus quoque Ephram orat. 8 de laudibus Matris Dei hac salutatione melos angelorum contineri

Cur angelica dicitur. affirmat. Unde et angelica dicitur, non solum quod eam primus Gabriel decantavit, sed quod omnes tres hierarchiae eam identidem decantant, utpote a SS. Trinitate dictatam, augustissimae Reginae coeli gratissimam, toti generi humano saluberrimam. Beatus Alanus noster lib. de ortu et progressu fraternitatis, c. 17 id diserte docuit in haec verba: *Sancti in coelo angeli afferunt Mariae Virgini hoc salutare AVE non voce, sed mente. Sciunt enim quod tali auxilio est ruina angelorum reparata, Deus homo factus, et mundus renovatus.*

11 B. Henrico Susoni salutationem angelicam recitanti angeli apparent. Quamobrem b. Henricus Suso noster, ut in eius vita proditur, cum potissimum in gallicinio Beatissimam Virginem salutaret, meruit ut angeli frequenter apparerent illi suaviter concinentes. Tam quippe gratum est angelis melos istud, ut eos de coelo detrahat ad percipiendam melleam eius dulcedinem, quae ex labiis devotorum procedit.

12 Salutatio angelica quam B. Virgini sit grata. VIII. *Deiparae Virgini gratissima.* Quoties enim hanc salutationem angelicam B. Virgo audit, toties singulari dulcedine perfunditur, ac novum gaudium accidentale suscipit, prout ipsa testata est, id referente Guilielmo Pepino in rosario aureo Virginis, serm. 47. Cum quadam nocte femina quaedam consoror confraternitatis S. Mariae in lecto quiesceret, apparuit ei Beatissima Virgo, dicens: *Ne timeas filia piam Matrem, cui devote reddis per singulos dies servitia; sed maneo, ut perseveres. Scias enim me tale gaudium ex angelica salutatione percipere, quod nullus homo explicare valet.*

13 S. Gertrudis revelatio. Confirmat id visio s. Gertrudi facta, et libro 4 revelationum eius, cap. 12 inserta, ubi haec leguntur: Sub matutinis in festo annuntiationis B. M. Virginis, dum in monasterio monialium, in quo degebat Gertrudis, cantaretur *Ave Maria*, vidit ipsa tres rivulos efficacissimos procedentes a Patre, et Filio, et Spiritu sancto cor Virginis Matris suavissimo impetu penetrare, et de corde ipsius rursus efficaci impetuositate suam originem repetere, et ex illo influxu Sanctae Trinitatis hoc B. Virgini donatum fuisse, quod ipsa esset potentissima post Patrem, sapientissima post Filium, benignissima post Spiritum sanctum. Cognovit etiam, quod quoties illa salutatio angelica, scilicet *Ave Maria*, cum devotione a fidelibus recitatur in terris, praedicti rivuli efficaciori impetu superabundantes circumfluunt Beatissimam Virginem, et ex altero latere reinfluunt in cor ipsius sanctissimum; sicque cum mira delectatione repetunt fontem suum, et ex illa redundatione venae quaedam gaudii, et aeternae salutis resperguntur in omnes personas sanctorum et angelorum, et insuper aliorum, qui in terris commemorant eandem salutationem, per quam renovatur omne bonum in singulis, quod unquam per salutiferam incarnationem Filii Dei sunt adepti.

14 S. Mechtildis revelatio. Non absimilem visionem habuit s. Mechtildis Ordinis s. Benedicti sanctimonialis. Sabbato quodam cum in Ecclesia *Salve sancta parens* caneretur, haec devotissima femina magno cum animi ardore Deiparae Virgini dixit: *Si te, o coeli Regina, dulcissima salutatione, quam unquam cor humanum excogitare potuit, salutare possem, libentissime salutarem.* Statim B. Virgo illi apparuit, habens in pectore scriptam aureis litteris salutationem angelicam, et ait: *Supra hanc salutationem nunquam homo pervenit, nec aliquis dulcius me salutare poterit, quam is qui salutat me in illa reverentia, qua Deus Pater me per hoc verbum salutavit;* ibique statim modum recitandi hanc salutationem eam docuit, quem modum, et praxim nos etiam discursu sequenti trademus. Sed adiiciam adhuc exemplum ex Dionysio carthusiano sermone 1 de assumptione B. M. Virginis.

(1) Non est absolute certum Coelestinum papam id sanxisse, alioquin ex eo sono Ecclesia universalis illud additamentum usurpasset, quod verum non est. Vide quod alibi circa hoc adnotavimus. *Editor.*

(2) Benedictus XIII indulgentias pro hac trina salutatione postremo ad has restrinxit: recitantes eam quotidie lucrantur pro unaquaque vice centum dies indulg. et confessi ac sacra communione refecti semel mense indulgentiam plenariam. Benedictus XIV declaravit, quod tempore paschali pro *Angelus Domini* dicenda est antiphona *Regina coeli* etc. stando. A vesperis sabbati per totam Dominicam *Angelus Domini* dici debet stando, aliis diebus genibus flexis. *Editor.*

Digitized by Google

15 *Cisterciensium quorumdam erga B. Virginem eximia devotio.*

Quidam monachus cisterciensis in tantum B. Virginem venerabatur, ut quotidie antequam cubitum iret, flexis genibus quinquagies eam salutarat, dicendo *Ave Maria*. Cumque uno die per oblivionem consuetas salutationes omisisset, repente surgens genua flexit, ut solitum B. Virgini pensum persolveret. Apparet ei piissima Virgo mantello pulcherrimo induta, in quo per totum scriptae erant aureis litteris salutationes angelicae. Perterritus haec dulcissima verba a B. M. Virgine audivit: *En omnes angelicas salutationes, quas mihi dedisti, in isto mantello sunt scriptae*. Deinde ostendit Virgo dignissima partem mantelli retrorsum, et dixit: *Postquam haec pars fuerit angelicis salutationibus adimpleta, assumam te in regnum dulcissimi Filii mei*. Quod et factum est. Haec Dionysius carthusianus.

16 *Ex ore salutantium B. Virginem crescunt lilia nomen Mariae referentia.*

Ulterius, hanc salutationem esse gratissimam Mariae insignia prodigia probant. Inter quae illud celebre monstratum est in b. Ioanne Ordinis cisterciensis monacho converso, qui cum latini sermonis omnino ignarus esset, et ingenio tardus, tantum haec duo vocabula, nimirum *Ave Maria* memoriae mandavit, et ea singulis diei horulis, atque momentis, ad quoslibet gressus, sive cum divinis laudibus interesset, sive cum aliud quidpiam ageret, sive a manuum labore quiesceret, devote recitabat. Hoc clientuli officium Deiparae tam acceptum fuit, ut statim ab obitu eiusdem lilium ex eius tumulo ab ore iam sepulti prodierit, cuius lilii folia singula nomine B. M. Virginis his verbis aureis litteris exarato *Ave Maria* decorata conspiciebantur. Scribit Seguinus lib. 3 sanctorum Ordinis cisterciensis, c. 93.

Idem narrat de puero quodam Ioannes de Longoes; et de b. Guilielmo idem scribit Bernardus Brito in eius vita; et de beata Landislao Ordinis cisterciensis idem legitur in catalogo sanctorum Poloniae; super quorum tumulis miraculose orta sunt lilia pulcherrima, in quorum foliis perspicuis litteris aureis cernebatur angelica salutatio *Ave Maria* in testimonium devotionis eorum erga B. Virginem, et saepius iteratae salutationis angelicae in honorem eiusdem Virginis.

17 *Polonorum antiquorum devotio.*

Praeterire nullatenus debeo simile miraculum ante quadringentos annos in Polonia factum, quod antiquorum Polonorum devotionem commendat, et modernorum tepiditatem arguit. Caesarius Ordinis cisterciensis monachus, vir gravissimus, et multorum exemplorum, ac miraculorum conscriptor, qui floruit anno Domini 1222, cum ex Gallia in Poloniam visitator venisset, quod propriis oculis usurpavit, narravit in homilia dominicae IX post Pentecosten. *In Polonia*, inquit, *laicus quidam in Ordine nostro conversus*, (b. Landislaum fuisse opinor) *nullam omnino sciens orationem; est enim consuetudo gentis illius, ut cum intrant ecclesias, caput pavimento illidant, et pectus tundant, sicque recedant. Cumque instruendus esset conversus, neque* Miserere mei Deus, *neque orationem dominicam discere posset, proposita est ei salutatio angelica, ad quod ita respondit: Tam dulciter sonat, spero quia bene discam. Quid plura? Citius illam didicit, quam sine cessatione diu noctuque, dummodo vigilaret, et cum delectatione multa ruminavit. Nuper mortuus est homo et sepultus; et ecce arbor pulcherrima, ramis et foliis decenter ornata, de illius tumulo egressa est. Mirantibus cunctis quidnam hoc esset, vel quid portenderet, ad consilium plurimorum, etiam laicorum, qui tunc aderant, qui scire desiderabant de quo loco eiusdem arboris radices exirent, reiecta terra viderunt omnes quod principalis radix de corde hominis egrederetur. Nec ignorabant causam, qui eius noverant vitam, nam in singulis foliis distinctis litteris* Ave Maria *apparuit*. Haec Caesarius. Possent haec et alia huiusmodi exempla adduci, sed haec instituto nostro sufficiant; satis enim fidelium pietatem erga Beatam Mariam Virginem fovere, et ad salutationes angelicas prompte et alacriter persolvendas eos incitare possunt cum iis, quae sequuntur.

18 IX. *Nobis utilissima*. Quisquis enim eam devote recitaverit, fieri non potest, ut incredibilem quamdam animi voluptatem, ac dulcedinem spiritus non sentiat, mellifluo Bernardo id attestante: *O magna*, inquiens, *o pia, o multum laudabilis Virgo Maria, tu nec nominari potes, quin accendas; nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine tibi insita divinitus piae memoriae portas ingrederis*.

Ipsum d. Damascenus longe ante d. Bernardum docuit orat. I de dormitione Virginis: *Ii qui tui memoriam pie usurpant, pretiosissimum memoriae tuae donum, quanam voluptate, quibus bonis non implentur, qui mentem suam sanctissimae memoriae tuae promptuarium effecerint?*

B. Alanus libro de psalterio Virginis cap. 11 valde memoran- 19
dam hac de re protulit sententiam, quam ex ore B. Virginis accepit. *Scias*, inquit illa, *et secure intelligas, quod et inde late omnibus patefacias, quod videlicet signum probabile est, et propinquum aeternae damnationis horrere, et attaediari, et negligere salutationem angelicam totius mundi reparativam*. Et capite 69 de quadam moniali B. Virgini devotissima narrat: Haec post obitum suum cuidam sorori suae apparuit, cum qua de utilitate salutationis angelicae disserens, haec valde observanda ab ea audivit: *Si possem redire ad corpus et unum duntaxat* Ave Maria *orare, etsi sine magna devotione, propter meritum illius vellem tantum sustinere cruciatum, quantum ante mortem perpessa fui*.

Porro quantam utilitatem, et consolationem percipiant devote 20 *B. Eustachius cisterciensis salutans B. Virginem in lingua Ave Maria aureis litteris exaratum habere meruit.*
recitantes salutationem angelicam, unico exemplo comprobare libet. Religiosus quidam Ordinis cisterciensis Eustachius vocatus, cum defunctus in area domus suae iaceret, coram abbate et ceteris religiosis in eius lingua, quae nutu Dei ex ipsius ore emissa erat, evidenter cunctis apparuit angelica salutatio, videlicet *Ave Maria* aureis litteris conscripta. Porro frater ille adhuc in corpore existens, quoties ante altare eiusdem Virginis transivit, *Ave Maria* dicendo eam salutavit. Ex catalogo sanctorum cisterciensium. Taceo varias, et graves infirmitates per salutationem angelicam curatas. Lege vitam b. Salvatoris ab Horta minoritae.

X. *Daemonibus tremenda*. Id b. Alanus gravissimo suo testi- 21
monio firmat libro de psalterio Virginis capite 70, ubi ita fatur: *Caelum gaudet, omnis terra stupet, cum dico*. Ave Maria. *Satan fugit, infernus contremiscit, cum dico*: Ave Maria. *Mundus vilescit, cor in amore liquescit, cum dico*: Ave Maria. Unico exemplo id corroborare placet. Thomas de Kempis eximia vir pietate, ac sapientia de seipso commemorat, quemadmodum daemon de nocte orantem terrere consueverat, ac varia spectra obiicere. Sed cum angelicam salutationem tremula voce illi opponeret, horrendo cum murmure in fugam sit conversus. Thomas de Kempis serm. 3 ad novitios.

Thomas de Kempis salutatione angelica daemonem fugat.

Cum itaque haec salutatio sit tam excellens, tam proficua, tam 22
efficax, curemus, ut eam saepius usurpemus, stando, sedendo, genua flectendo, immo et incedendo eam recitemus; hoc enim aliquando factum summopere Deo, Virginique placuisse singulari miraculo ostensum est. Huius meminit Caesarius lib. 12 exemplorum, cap. 50 in haec verba: *Civis quidam coloniensis habebat hanc consuetudinem, ut quoties solus esset, semper orarat eundo ad ecclesiam, sive redeundo, vel in curia sua deambulando angelicam maxime ruminabat salutationem. Qui cum mortuus esset, cuidam acpti suae in habitu splendido apparebat, in quo (maxime tamen in caligis, et in calceis) scriptus erat per totum versiculus*, Ave Maria gratia plena, etc. *Quia enim eumdem versiculum deambulando frequentaverat, ideo cruribus eius, et pedibus crebrius inscriptus apparebat*. Haec Caesarius.

Angeli gressus piorum numerant.

Congrua merces operi. Dignum quippe erat, ut gressus illius hominis salutatione angelica splendescerent, qui eos iugi eius recitatione venustavit. Cuiusdam sancti anachoretae gressus ab angelo numeratos legimus, in signum quod quilibet passus suo praemio a Deo tandem donaretur. Multo magis gressus nostri ab angelis numerabuntur, si huius salutationis angelicae frequenti recitatione venustati, et consecrati fuerint. Amen.

DISCURSUS CCXLV

PRAXIS RECITANDI SALUTATIONEM ANGELICAM EIUSQUE PARAPHRASIS

Antequam pium hoc salutationis angelicae obsequium Deipa- 1
rae Virgini deferes, cum s. Epiphanio oratione de Deipara haec praelibabis: *Reple os meum gratia dulcedinis tuae, o Domina, et illumina mihi mentem, o gratia plena; move linguam meam, et labia ad laudes tibi alacriter laetoque animo decantandas, et praesertim dulce illud melos angelicum longe celebratissimum, quod angelus Gabriel in Nazareth servili habita ad te Virginem Matremque Dei mei integerrimam clamans cecinit. Salutationem, inquam, maxime congruentem, atque decentem, et dignissimam mundi salutem, cunctarumque animarum medelam, atque tutelam*.

I. *Ave*, hoc est, gaude Virgo Sanctissima. Sic istud *Ave* expli- 2

Digitized by Google

Paraphrasis salutationis angelicae.

cant sancti patres Iustinus in Triphone, Basilius, Nyssenus hom. de humana Christi generatione, Euthymius in proem. Lucae, Andreas cretensis orat. de annuntiatione, Procopius Gazeus in Genes. c. 3.

Ave igitur, hoc est, gaude Virgo gloriosa, quia es gratia plena; quia Dominus tecum; quia benedicta es in mulieribus; quia invenisti gratiam apud Deum; quia Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; quia concepisti in utero, et peperisti Iesum Filium Altissimi. Gaude laetitiae organum, quod gaudium universo mundo attulisti, tartarei serpentis caput, eiusque seminis contrivisti; cunctas haereses in toto mundo interemisti. Gaude, quia moerorem per Evam in totum genus humanum invectum evasisti; omnis maledictionis, et peccati expers extitisti; fomitem peccati non sensisti; sine dolore peperisti; nulla culpa actuali, quamvis levissima, in anima unquam inquinata fuisti (1); in carne tua corruptionem non vidisti. Gaude de tota massa corruptae propaginis per te reparata. Gaude de exulibus per te ad patriam revocatis.

Ave inversis litteris migrat in Eva. Cum igitur salutatur Maria per *Ave*, innuitur esse opposita Evae; et datur intelligi quod sit nova Eva. *Ave* igitur nova Eva, veteri Evae penitus opposita, quae Evae maledictionem in benedictionem, moerorem in gaudium, aerumnas in consolationem, miseriam in felicitatem, mortem in vitam, peccatum in gratiam, poenam in gloriam commutasti. *Ave*, quia prima eximeris a vae miseriae, maledictionis, et damnationis.

Dulcis Mater ave, qua mundus solvitur a vae,
Quae genitricis Evae vae facis esse breve.

3 II. *Maria*. Dulcissimum, ac mellifluum nomen multis donis, gratiis, mysteriis refertum. Hinc illa sanctorum patrum praeclara elogia, quibus Deiparam ornarunt et salutarunt, nonnulla inserere libet.

Sanctus Ephrem serm. in laudem Virginis sic eam salutat: *Ave paradise deliciarum, totiusque amoenitatis; ave lignum vitae; ave clavis regni coelestis; ave praeclarum et electum vas Dei; ave Domina mea gratia plena; ave inter mulieres Virgo beatissima; ave stella fulgentissima, ex qua Christus processit.* Chrysippus ierosolymitanus serm. de Deipara: *Ave solis ortus, qui nullum potes ferre occasum; ave armarium vitae; ave, quae es hortus Patris; ave, quae es pratum totius fragrantiae sancti Spiritus; ave radix omnium bonorum; ave specimen gemmae omne pretium excedentis; ave vitis uvas puteras producens; ave nubes pluviae potum animabus sanctorum exhibentis.*

Ioannes Geometra ita Virginem gaudere iubet hymno 1 in eius laudem:

Gaude luna hilaris, nec habens coelestia damna,
Plenior, ac Phoebo proxima facta tuo.

Leo imperator apud Aloysium Novarinum cap. 38 his eam verbis salutat, et ad eam salutandam omnes advocat, et invitat: *Dicamus*, inquit, *Virgini, vel potius totius chori ductor, et auspex dicat: Ave arca, in qua Dominus cum figmentum manuum suarum per te a lapsu reparasset, (ob cuius ruinam intimis visceribus angebatur) et hinc etiam erexisset, requiescens in suam surrexit requiem. Ave mons pinguis, cuius pinguedinem videns naturae cultor, et sator ex te omnium bonorum abundantiam nobis produxit. Ave, ex cuius mortalibus lumbis supra aeternum thronum aeternum regnaturus Rex collocatur. Ave, quam cum vitae pluvia linxisset, universos fines terrae, quibus a mortis siccitate periculum imminebat, incolumes conservavit, (addamus enim proavitis davidicisque elogiis alia ab aliis prophetis fusa et decantata, et a praesenti choro non aliena) cuius beneficio, cum gravissimo servitutis iugo premeremur, libertas nunquam auferenda nobis est comparata. Ave virga, ex qua cum tanquam vitalis flos benedictio effloruisset, mox maledictio, interitus affectrix interiit. Ave forceps, quae carbonem tolerari nescium complexa es, qua a peccati sordibus, cum labia attingit, expurgamur. Ave mensa, quae panem illum sana, et naturae inaudito modo confectum gestas; qua sustentati, qui ob cultum, et satum spinarum fame peribamus, ex tanta discrimine evasimus. Ave porta, quae soli regi ad salutem nostram procurandam ingressuro praeparata es, et destinata, claustris venerandae virginitatis tuae immotis. Ave palatium, ex quo humili habitu progressus Rex erectam contra nos mortis potentiam sustulit, durissimamque ipsius et molestissimam tyrannidem in quietem commutavit; ad quam et tu hodie reciperis, et ad immortalitatem per te praebitam proveheris.*

4 III. *Gratia*. Gratia, inquam, iustificante, ac virtutibus, quae illam comitantur, theologicis, ac aliis divinitus infusis una cum Spiritus sancti donis, ac fructibus, gratiis gratis datis, privilegiis, atque praerogativis eminentissimo quodam atque heroico gradu exornata.

5 IV. *Plena*. Superfluens, seu redundans gratiis. Quicquid enim virtutis, quicquid honoris, quicquid felicitatis singuli habuere sancti, tu sola possides. *Plena*, quia gratiarum abyssus es, sanctitatis collegium. *Plena*, quia de plenitudine tua accipiunt universi, captivus redemptionem, caecus illuminationem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iusti gratiam, angeli laetitiam, Filius Dei carnis substantiam, et tota Trinitas gloriam. Et vere *Plena*, in cuius anima nullus peccato relictus est locus, nullus iniquitati patuit accessus.

6 V. *Dominus tecum*. In his duobus verbis notatur Mariae dignitas, et dominium super Filium suum. Cum enim de omnibus ceteris sanctis dicatur, et magnum sit eis esse cum Domino; unde et Enoch dicitur ambulasse cum Deo, Genes. 5, 24, quod faciunt, qui eius per omnia obediunt voluntati: Maria maius aliquid ceteris omnibus sanctis sortita est, ut non solum ipsa sit cum Domino, sed etiam cum ipsa sit Dominus. Quo datur intelligi, quod non solum ipsa subiicitur voluntati Domini, sed etiam Dominus voluntati ipsius, ut Ricardus de s. Laurentio lib. 1, cap. 5 notavit. Unde haec verba, *Dominus tecum*, omnium gratissima sunt Virgini. Cupiebat pia quaedam femina scire, quodnam verbum ex illis quae angelus protulit, suavissime virgineas aures ferierit, et mentem eius maiori gaudio affecerit. Obsecuta est postulanti feminae benigna Virgo; nam ei apparens dixit, sibi omnium gratissima, et suavissima fuisse haec duo verba, *Dominus tecum*; monuitque mulierem, ut ea verba cum aliqua mora, et maiore attentione proferret. Pelbartus in Mariali part. 4, art. 2, cap. 4.

Dominus tecum verba B. Virgini omnium gratissima.

Affine est quod anonymus alensis de b. Eulalia refert. Huic vigilanti Deipara Virgo apparuit: Dormis, inquiens, Eulalia? dormis filia? Non dormio, ait, Domina mea carissima. Sed a te quaero, cur ad me peccatricem, et indignam venire dignata es, mundi Regina, et Domina? Ne timeas matrem piam, filia carissima, cui quotidie quam plurima exhibes servitia. Quando me salutas angelica salutatione, noli, si vis mihi placere, et magis tibi proficere, amodo illam salutationem tam cito proferre. Scias me tunc gaudium magnum percipere, maxime cum dicis: Dominus tecum prolixe; modus huius gaudii inenarrabilis est, quo tunc afficior. Nam tunc videtur mihi quod in me habeam praesentem Filium meum, sicut habui, antequam ex me pro peccatoribus nasci dignatus est. Et sicut tunc mihi gaudium ineffabile fuit; ita et tunc cum dicitur mihi: Dominus tecum. His dictis, Virgo pia disparuit, et ad coelestia regna rediit. Quod cum ita sit, non ieiune haec verba percurramus, sed toto mentis affectu, totis cordium medullis, tota devotione ea Virgini promamus, dicentes:

7 *Dominus tecum*, Virgo gratiosa, Virgo gloriosa, Virgo benedicta. Non sponsus terrenus, sed coeli Dominus tecum; Pater castitatis, Auctor sanctitatis, Dator immortalitatis, Procurator salutis est tecum; tecum in domo, ut frater cum sorore; tecum in mensa, ut filius cum matre; tecum in conclavi, ut sponsus cum sponsa; tecum in exilio, ut dominus cum ancilla; nunc tecum in regno, sicut rex cum regina.

8 *Dominus tecum*. Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, non tres Domini, sed unus Dominus est tecum. Pater est tecum, qui ante saecula te non solum in viventium, sed etiam in ipsius vitae Matrem elegit. Filius est tecum, qui viscera tua sua praesentia sanctificavit, et de carne tua humanam sibi naturam associavit. Spiritus sanctus tecum, quia te gratia sua replevit, et cum Patre, et Filio uterum tuum sanctificavit. Tecum est potentia Patris te fecundans, et Filium suum filium tuum faciens. Tecum est sapientia Filii te mirabiliter erudiens, disponens, praeparans, ut eius Mater digna invenireris. Tecum est bonitas Spiritus sancti te inviolatam, intemeratam, ac castam virginem conservans.

(1) Iucundum est nunc praesertim: nulla culpa sive originali sive actuali, quamvis levissima, in anima unquam inquinata fuisti. *Editor*.

9 *Dominus tecum*, non tantum ut in aliis rebus per essentiam, praesentiam, potentiam, et in iustis per gratiam, sed speciali modo per carnis identitatem; sic enim carnem tuam sibi coniunxit, ac si de sua, tuaque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret, ut exponit d. Bernardus homilia 3 super *Missus est*. Et Scriptura loquitur: *Erunt duo in carne una*, Genes. 2, 24.

10 *Dominus tecum*. Tecum in corpore, tecum in mente, tecum in animo, tecum in consilio, tecum in utero, tecum in auxilio, tecum in ortu, tecum in exitu, tecum in fine, tecum sine fine.

11 VI. *Benedicta tu in mulieribus*. Quot fuerunt, sunt, et erunt, electa e tot millibus, e tot myriadibus, quae mater esses, et virgo permaneres, Verbo aeterno mater, miraculo ineffabili virgo.

Benedicta tu in mulieribus, quae omnes maledictiones mulierum evasisti, sterilitatis opprobrium non sustinuisti, genitricis dignitatem obtinuisti, et virginalem pudicitiam non amisisti.

Benedicta tu in mulieribus. Maledicta in mulieribus Eva extitit, quae ad omnes mulieres quae parturae erant, maledictionis sententiam, ut in dolore parerent, transmisit. Sed tu *Benedicta in mulieribus*, quae maledictionem illam primae matris in benedictionem transmutasti, et quicquid maledictionis infusum erat per Evam, totum tua benedictione abstulisti, maledictionis antiquae contagium detersisti, et gaudium universo mundo attulisti.

Benedicta tu in mulieribus, quia concepisti salvo virginitatis flore, portasti sine labore, peperisti sine dolore, quod nulla alia mulier.

Benedicta tu in mulieribus, quia omnis mulier concipiens de amore viri concipit, tu sola de amore Dei, id est, de Spiritu sancto concepisti.

Benedicta tu in mulieribus, quia fecunditate tua aliarum mulierum fecunditatem superasti, non quidem filiorum numero, quia unum tantum genuisti; sed singulari generandi modo, quia corporaliter Christum pariendo spiritualiter effecta es mater magnae multitudinis filiorum, quorum Christus primogenitus est. *Primogenitus in multis fratribus*. Unde merito ab omnibus fidelibus mater appellaris, et ab omnibus cultu debito ut mater honoraris.

Benedicta tu, quam angeli pariter et homines benedicunt, Gabriel salutat, Elisabeth Dei matrem praedicat, Simeon, et Anna venerantur et colunt, mulier de turba proclamat: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti*; omnes generationes beatam dicunt: *Beatam me dicent omnes generationes*.

In mulieribus benedicta es, non in viris, quia Christus benedictus est in viris; sed omnes viri, et mulieres benedicti in vobis.

12 VII. *Et benedictus fructus ventris tui*. Sane benedictus, quia Dei benedicti Filius. *Benedictus*, quem angeli in nativitate, Simeon et Anna in templo, pueri Hebraeorum in die Palmarum benedictum dixerunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. *Benedictus*, quem omnis creatura in coelo, in terra, et sub terra reveretur, et praedicat. *Fructus ventris tui*, ex utero tuo genitus, et nobis in cibum datus, cuius gustu ad aeternae vitae delicias, et perennitatem enutrimur, ac reparamur.

13 VIII. *Iesus*. Nomen gloriosum, nomen mellifluum, nomen mirificum, angelis sanctum, atque laudabile; hominibus magnum, et admirabile; daemonibus tremendum, atque terribile.

14 IX. *Sancta Maria*. Vere sancta, utpote totius sanctitatis collegium, cuius sanctitatis respectu omnis sanctus est sicut arena respectu auri, ut Richardus a sancto Laurentio libro 2 de laudibus Mariae loquitur. Sancta in anima, sancta in corpore (1), sancta in ortu, sancta in vitae progressu, sancta in exitu.

15 X. *Mater Dei*. Qua dignitate angelos praecellis, hominibus fiduciam praebes, ut ad te confugiant universi, tua merita poscant singuli, tuum praesidium implorent indigentes.

16 XI. *Ora pro nobis*. Quae es mater nostra, advocata nostra, mediatrix nostra; quae omnia potes, et nihil est quod tuae resistat potestati. Quae es coelorum Regina, apostolorum Domina, ac hominum Patrona.

17 XII. *Peccatoribus*. Quos tu non despicis, non reiicis, non abhorres.

Non abhorres peccatores,
Sine quibus nunquam fores
Tanto digna Filio.

18 XIII. *Nunc*. In praesenti vita, quae velut instans indivisibile velox est, brevis, ac momentanea; de tempore enim non habemus nisi nunc, quod est finis praeteriti, et initium futuri.

XIV. *Et in hora mortis nostrae*. Hora, inquam, illa extrema, et valde periculosa, in qua serpens ille antiquus calcaneo vitae nostrae vehementius insidiatur, et impensius nos perdere festinat. Adesto igitur mater misericordiae, domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra tuis clientibus nunc et semper; in praesenti quidem cursu fervens protectrix, atque auxiliatrix, hostiles quoscumque impetus a nobis avertens, et in via salutis nos constituens. In extremo vero vitae articulo miseras animas nostras conservans, et tenebrosos, ac horrendos pessimorum daemonum aspectus a nobis procul repellens: in tremendo autem die iudicii ab aeterna damnatione nos liberans, et Filii tui gloriae nos coaptans. 19

XV. *Amen*. Hoc est, fiat. Sic fiat mater dulcissima, advocata benignissima, mediatrix clementissima; sic fiat, o domina gratiosissima, genitrix vitae, inventrix gratiae, mater salutis; sic fiat, precamur per latus Filii tui, et vulnera sacratissima; per pectus, et ubera tua sanctissima; per viscera misericordiae tuae benignissima; precamur, inquam, per gratiam quam invenisti, per praerogativam quam promeruisti, per misericordiam quam peperisti. Per te accessum habeamus ad Filium, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Omnes igitur, fratres dilectissimi, dicamus huic Virgini: *Ave*; omnes clamemus, omnes cantemus: *Ave*; omnes oremus, ut per hoc suum dulcissimum *Ave* nos liberare dignetur ab omni vae Iesus Christus Mariae Filius. Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat Deus per infinita saeculorum saecula. Amen. 20

DISCURSUS CCXLVI

AN ET QUAMOBREM DEIPARA VIRGO SIT SALUTANDA A NOBIS

Haeretici, ut ostendant se apertos Virginis hostes, serpentisque antiqui semen, cuius caput B. V. Maria contrivit, in catechismis suis salutationis angelicae non meminerunt, eosque quos misere deceperunt, a salutanda Deipara Virgine dehortantur. Non contenti tanta impietate, eandem salutationem angelicam quae remedium mundo attulit salutare, miris, et indignis modis lacerant. Calvinus de annuntiatione in Lucam, hanc salutationem a papistis quasi magico exorcismo in precatiunculam verti asserit. Et in Harmonia evangelica dicit, temere sibi alienum officium usurpare papistas, eo quod salutationem quae soli angelo iniuncta est, recitant: et stultos appellat, eo quod absentem Virginem salutant, quae uti et alii sancti nescit quid hic apud nos agatur. Haec phanaticus ille. 1

1 Haereticorum blasphemiae in salutationem angelicam.

Calvini blasphemiae in catholicos.

At Christi fideles, quibus cordi est Dei, et Matris ipsius honor, hanc salutationem cum angelo frequentius concinunt, et Beatissimae Virgini offerunt non sine ratione.

1. Ad renovandam assiduo memoriam maximi illius mysterii salutis, ac redemptionis nostrae, quo Deus homo factus est. Quoties enim salutationem illam angelicam dicimus, toties ex toto corde Patri misericordiae, Deo, ac Redemptori nostro gratias agimus, qui sic dilexit nos, ut Filium suum unigenitum miserit in hunc mundum, qui homo factus homines a perditione liberavit. 2

2 Cur B. Virgo a nobis salutatur.

2. Exemplo archangeli Gabrielis nuntii perumvemur. Si enim ille Beatissimam Virginem, antequam Mater Dei esset, tam officiose salutavit; multo magis nos iam tanti Filii Matrem effectam, et per assumptionem super omnes choros angelorum exaltatam magna fide, animique nostri submissione eam salutare decet. 3

3. Exemplo Elisabethae excitamur ad salutem Virgini impertiendam; nam ut illa plena Spiritu sancto, et humilitate in illa verba prorupit: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui*: ita et nos humiliter et reverenter eadem verba recitare par est. Placet enim Reginae coeli litteras ab amico ad eam missas libenter audire. 4

4. Exemplo universalis Ecclesiae excitamur, quae hunc morem salutandi, invocandique Virginem sacram ab exordio observavit, retinuit, atque illum omni populo, et omni nationi retinendum traditione docuit, ut paulo superius monstratum est. Nunc unius Esychii presbyteri testimonium sufficiet, qui homilia 2 de Deipara ita fatur: *Iure procul dubio omnis grati animi lingua salutat Virginem Deiparam, ac pro viribus Gabrielem angelorum principem imitatur.* 5

(1) Prius dicendum: *sancta in conceptione*. Editor.

6 Fructus ex salutatione B. M. Virginis.

5. Fructus eximios inde colligimus. Primo, fidem nostram de ineffabili mysterio incarnationis Domini nostri Iesu Christi excitamus, augemus, confirmamus. Secundo tanto mysterio, ac beneficia toties rememorato ad bona opera accendimur, ad gratitudinem provocamur, et adducimur ad orandum Deum, ut et nobis vel scintillam divinae gratiae impertiat, cuius in hac salutatione meminimus. Tertio, per hanc salutationem gloriosam Dei Genitricem nobis magis favorabilem reddimus. Nam cum proverbium habeat: *Saluta libenter*, fieri nequit, quin si alacriter, et devote Beatissimam Virginem salutaverimus, illa vicissim nos quoque resalutet, et salutatione sua in nobis fructus spirituales efficiat. Ut enim ad salutationem Mariae Elisabeth Spiritu sancto impleta est, et exultavit infans in utero eius: sic et nos ab ea resalutati Spiritus sancti gratiam consequemur, et interiori dulcedine repleti in animabus nostris miram consolationem, tripudium, gaudium, et exultationem habebimus.

7 6. Necessum est verba prophetica gloriosae Virginis adimpleri, quae Spiritu sancto repleta dixit: *Beatam me dicent omnes generationes*. Qui ergo eam beatam praedicant? an Iudaei? an Turcae? an Gentiles? Sed (pro dolor!) hoc illi non faciunt; sed summa ignominia sicut et haeretici eam plerumque afficiunt. Proinde nostri est officii, qui christiani sumus, Christi Matrem venerari, beatam praedicare, laudare. Pars autem praecipua, et optima laudum ipsius Virginis in salutatione angelica consistit, quam nedum ipsa Virgo Deipara, verum et totum coelum longe gratissimam habet, ut paulo ante docuimus.

Nunc solum d. Bernardum homilia super *Missus est* loquentem audiamus. *Coelum ridet, angeli laetantur, daemones fugiunt, infernus tremit, quoties cum reverentia dicimus:* Ave. Et rursus: *Est tibi, o Virgo Maria, quasi osculum imprimere haec audire versiculum* Ave Maria. *Toties enim, o beatissima, oscularis, quoties per Ave salutaris.* Addit: *Ergo, fratres carissimi, ad imaginem eius accedite, genua flectite, oscula imprimite*, Ave Maria *dicite*.

8 7. Iubemur divino praecepto patrem et matrem honorare. Cum ergo Matris Dei et nostrae honorandae modus alius nobis relictus non sit, hanc salutationem usurpamus, et in argumentum honoris, pietatis, ac devotionis nostrae erga Matrem recitamus. Et vero non exiguum honorem in hac parte Matri Dei et nostrae exhibemus.

Cum enim verbis angeli eam salutamus, gratiarum, ac donorum, quorum multitudinem a Deo accepit, recognoscimus et enumeramus. In his Deum laudamus, qui pro sua infinita bonitate tantum gratiarum thesaurum in una puella recondere dignatus est; simulque fidem nostram hac in parte in nobis excitamus, et augemus, certo persuasi, quicquid gratiae in Maria primum laudavit Gabriel, id non solum post conceptionem Verbi in Matris utero, sed post Virginis etiam in coelos assumptionem ingentes accepisse profectus. Si enim in hac valle miseriae tam copiosa gratiis plena fuit, quanto magis cum ex hac mortali vita secessit, et cum regnante Filio coniunctissime vivit, iisdem abundat.

9 8. Tandem Apostolus ad Romanos 16. 6 scribens, sic eos compellat: *Salutate Mariam, quae multum laboravit in nobis*. Si mulierem illam propter privata nonnullis Ecclesiae Dei beneficia impensa Apostolus salutare, et honorare iussit, quanto iustius admoneri nos intelligimus, ut Matrem Dei in coelo regnantem, qui olim tot pro nobis labores, ac tantos simul cum Christo suscepit, omni cultu, veneratione, atque honorificentia prosequamur? Ergo omnis lingua choros ducat, piorum labia solvantur, angeli vocem resonent, cum exultatione clament, Sanctissimae Dei Genitrici occinant: *Ave gratia plena Dominus tecum*. Superest argumenta, seu potius deliramenta haereticorum videre, obiectiunculas eorum contra hanc salutationem extricare, et dissolvere, ac blasphemias refutare. Non parum enim ad victoriam refert, hostium insidias detegere, latebras aperire atque eorum copias in conspectu habere. Age igitur, rem agamus.

DISCURSUS CCXLVII

OBIECTIONES HAERETICORUM CONTRA SALUTATIONEM ANGELICAM EIUSQUE RECITATIONEM DILUUNTUR

1 1. Breatius maxima tetri spiritus ubertate perfusus, homilia 6 in Lucam, salutationem angelicam impugnat, eiusque recitationem exosam reddere conatur his verbis: *Haec salutatio est Deo et electis odiosa*. O foedam blasphemiam! o crassam ignorantiam! Scilicet opus auctori suo odiosum erit? quod Sanctissima Trinitas condidit, dictavit, Gabrieli deferendum commisit, velut satanae inventum reiiciet? Iam quod Sanctissimae Trinitati placuit, electis cur displicere, a nobis cur evitari debeat, non video.

Pergit Breatius hanc salutationem calumniari. Ait eam a nobis usurpari ad expianda peccata. Non inficiamur per salutationem angelicam devote recitatam expiari peccata, modo id sane intelligatur, et eo modo, quo d. Augustinus in Enchiridion c. 7 de oratione dominica docet. Delet omnino haec oratio minima, et quotidiana peccata. Delet illa a quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed poenitendo in melius mutata discedit. 2

Rursus calumniator, salutationem angelicam quorumdam opinione tantum valere, quantum valet ipsa passio Domini nostri Iesu Christi. At hoc solus dicit, et ex nullo auctore probato docet, nec unquam docere potest. Non abnuimus tamen, immo ingenue fatemur, et diserte docemus, salutationem angelicam saepius iteratam, praecipue in rosario, ubi dominicae passionis, et totius vitae Salvatoris mysteria pia meditatione percensentur, tantum valere, immo plus meriti adferre, quam solam meditationem passionis Christi, idque colligimus ex magni nominis theologo b. Alberto magno, qui tractatu 1 de missa ita ait: *Plus e quotidiana passionis Christi meditatione, vel auditu meriti accedere, quam si qualibet feria sexta in pane et aqua ieiunes, quotidie ad sanguinem te caedas, et singulis diebus psalterium recites. Nec sine ratione; haec enim opera exteriora non tantam vim habent ad corda purganda, virtutibusque replenda, et caritate succendenda, ac meditatio passionis Christi.* 3

Passionis Christi meditatio quam sit meritoria.

Rosarii oratio quanti sit meriti.

Si igitur meditatio passionis Christi sola tanti meriti est apud Deum, quanti putas meriti erit oratio rosarii, quae nedum passionis Christi, verum et totius vitae Christi, necnon vitae Beatissimae Virginis Mariae meditationem continet? Si meditatio solius passionis Christi plurimum valet ad expianda peccata, tanto plus meditatio totius vitae eiusdem Salvatoris valebit.

Sciendum quoque piae memoriae pontificem Leonem X decem millium dierum indulgentiam concessisse cuilibet, qui passionem Domini aut meditando percurrerit, aut legerit, aut ab aliis lectam devote audiverit. Tanto certe maiorem indulgentiam orans rosarium habebit, quanto nedum passionem, verum et totam vitam Salvatoris devota mente percurret.

Non cessat impietas, et calumniandi libido. A nobis sit existimari eam perituram civitatem, in qua non quotidie salutatio angelica pulsu suo commendetur. Non inficiamur illam civitatem quae ex animo, ex memoria, ex ore Virginem Deiparam, filiam, sponsam Dei penitus proscribit, cito perituram, quales sunt civitates haereticorum; has cito perire necesse est. Ecqui gratiam Filii sibi concilient, qui matrem despiciunt? ecqui sponso cari esse possunt, qui sponsam blasphemant? ecqui angelis patronis, et custodibus uti possunt, si ipsorum Reginam parvipendunt? Non sinet Iesus Christus laesam Matris suae maiestatem impune abire. Praeclare d. Anselmus alicubi: *Sicut*, ait, *omnis a te aversus, o Virgo, et despectus necesse est, ut pereat: ita omnis ad te conversus, et a te respectus impossibile est, ut intereat*. Vide inferius epithetum *Ianua coeli*. 4

II. Wigandus lutheranus, et Iacobus Andreas Smidel, viri apostatae, mandatum divinum a nobis exigunt, quo probemus ad salutandam Mariam omnes impelli. Nimirum expectanda erit nobis legis obligatio, et nihil sponte offeret Deo, eiusque sanctissimae Genitrici nostra devotio? hac salutatione Sanctissima Trinitas Beatissimam Virginem Mariam alloqui dignata est, ut paulo superius diximus, et nos detractabimus eam eisdem verbis salutare? quid est, quod ipsa Beatissima Virgo cecinit: *Beatam me dicent omnes generationes*, si eam non laudarent christiani, qui sunt fidelium generationes? 5

5 Wigandus et Smidel refutantur.

Scimus multa esse quae legitime, ac laudabiliter fieri possunt, quamvis a Deo praecepta non sint, v. g. servare virginitatem, dare omnia pauperibus, saepius quotidie flexis genibus orare, Eucharistiam mane ante cibum sumere, exorcismum ante Baptismum adhibere, sacros ordines suscipere, diem dominicum celebrare, magistros, baccalaureos, doctores academico ritu promovere, et alia similia. Nec deest luculentum testimonium in Scriptura, ubi Ierem. c. 35 legimus, Rechabitas cum tota sua posteritate semper abstinuisse a vino, nunquam aedificasse domos, nec plantasse vineas, nec seminasse agros; et tamen nullo praecepto divino ad id praestandum erant obligati, sed tantum humano, et ob

eam rem a Deo ibidem benedicuntur. Ita et nos licet nullum praeceptum divinum salutandi Beatissimam Virginem habeamus, pia tamen et laudabiliter id facimus, ut discursu proxime praeterita deduximus.

6 Stephanus de Malescot refutatur. III. Stephanus de Malescot in sua Catechesi salutationem angelicam proscindit, et venerationem Virginis esse solam eius imitationem dicit. At hoc inepte dictum superius refutavimus, ubi venerationem Virginis non in sola imitatione consistere docuimus, sed in amore, reverentia, invocatione, congratulatione, ad quam salutatio refertur. Vide discursus CCXXII, et CCXXIII.

7 Calvini blasphemiae refutantur. IV. Iam quod Calvinus effutivit, refutemus. *Hanc salutationem*, inquit, *papistae quasi magicum exorcisma in precatiunculam verterunt.* O portendae vocis temeritatem! Quid magicum inest in salutatione? quid in salutante angelo? quid in auctore eius Sanctissima Triade? Nihil iam superest, nisi ut etiam ex archangelo aut idololatram faciant, aut magum, et Spiritum sanctum utriusque auctorem. Vides quam ingens, quam horrenda caecitas hos novae religionis principes occupavit. Vides quam turpiter in rebus adeo manifestis errent. Execrandae idololatriae, et flammis vindicandae magiae salutatorem Virginis insimulare. Vellem in primis scire ab his vesanis, et veneno serpentis tartarei infectis magistris quodnam munus erat Gabrielis? quo animo Virginem salutavit? Nimirum ut persuaderet Mariae, quod aeterno Dei Filio uterum, et animum praepararet, et offerret. Nos Virginem non iam in nazareno cubiculo manentem quaerimus, sed in amplissimo coeli palatio regnantem salutamus. Neque vero suademus, neque expectamus, ut angelus fecit, ut Maria divinum complexum amplectatur, ut venturo Messiae et animum, et corpus praeparatum offerat, neque simul et Matrem et Virginem credat, sed eam salutamus, et beatam dicimus, quia angeli verbis credidit, divino nutui paruit, de Spiritu sancto concepit, et casta peperit mundi Redemptorem. Et tanto magis nunc haec salutatio, et gratulatio ei convenit, quando iam ab omnibus corporis, vitaeque aerumnis remota de tantis gratiis in coelesti gloria super omnes choros angelorum elevata semper exultat.

8 Forsan offendit quod hanc salutationem in precatiunculam vertimus? Si de solis verbis Gabrielis, et Elisabethae loquamur, non eam rigide precationem, sed salutationem appellamus. Verum et orationem appellare nullum absurdum est. Est enim gratiarum actio, qua saepius immensum illud, ac ineffabile beneficium incarnationis nobis in memoriam revocamus, Deoque pro illo quas possumus, gratas reddimus, ne ingratitudinis arguamur.

Gratiarum autem actionem esse orationis praecipuam partem, quis nesciat, cum s. Augustinus de spiritu, et littera c. 11 dicat: *Cultus Dei in eo maxime constitutus est, ut anima ei non sit ingrata?* Unde et in ipso verissimo, ac singulari sacrificio Domino Deo nostro gratias agere admonemur, cum sacerdos ante canonem quotquot praesentes sunt, admonet, dicens: *Gratias agamus Domino Deo nostro*, pro quibus minister respondet: *Dignum et iustum est.* Quid, quod et ipse Calvinus in institutione c. 16 orationis duas partes ponit, petitionem, et gratiarum actionem?

9 Denique angeli, et Elisabethae verbis Ecclesia addidit rite precandi formulam simplicem, ac rectam, bonis omnibus salutarem, cunctisque haereticis irrefutabilem. *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostrae;* quae salutationem non sinit esse gratulationem meram, sed in piam quoque vertit preculam absque aliquo magico exorcismo.

10 V. Pergit Calvinus ineptire. *Temere*, ait, *sibi alienum officium usurpant papistae, quod Deus uni angelo iniunxit.* Ipse temerarius dicit, et non probat. Sed esto dixisset se probasse, an omne quod a Christo, angelis, apostolis, et aliis sanctis in Scripturis sacris dictum, factumve legitur, ad illos solos spectare putandum est? quomodo verum erit, quod Apostolus Roman. 15, 4 ait: *Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt?* an solum auditores legis, et non factores, seu imitatores esse debemus? Absit. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*, Rom. 2, 13.

11 Adde, si cum angelis *Gloria in excelsis Deo* canimus, cur cum angelo Mariam Virginem non salutemus? Praeterea, angelus triturantem Gedeonem salutabat, dicens: *Dominus tecum*, Iudic. 6, 12. Idem et nos facimus, cum quempiam officiose salutamus. Raphael Tobiae dixit: *Gaudium tibi sit semper*, idem et nos usurpare solemus. Si igitur licet imitari angelum, et Raphaelem officiose, cur non et Gabrielem religiose? Delirat ergo Calvinus, dum temere putat morem illum salutandi Virginem sic solum angelo iniunctum fuisse, ut nemini salutationem illam repetere liceat.

VI. Sed nec minus desipere videtur, cum ait: *Bis stulta simulatio, quod absentem salutent.* Ter, quaterque stultus Calvinus, qui putat Beatissimam Virginem nobis absentem esse, nec scire quid apud nos geratur. Quasi vero Beatissima Virgo exularet apud Garamantas, et Indos, aut in insulis fortunatis peregrinetur, vel humano more dormiat, vel mortuorum instar, qui nondum beati sunt, vota, et preces percipere nequeat. Nos cum sanctis patribus contrarium sentimus, quorum ipsissima verba adducere libet. Sanctus Germanus constantinopolitanus serm. 12
11 de assumptione Virginis ita fatur: *Spiritus tuus, o Maria, vivit in aeternum, et caro tua in sepulcro corruptionem non sustinuit, omnia observas, ac contueris, et inspectio tua ad omnes se porrigit. Quamvis autem oculi nostri impediti detineantur, ne te videre queant; tu tamen, sanctissima Virgo, dignis teipsam patefacis, ac facile manifestando insinuas.*

Auctor tractatus super *Salve Regina* apud divum Bernardum: *Oportet*, ait, *ut nobis praesentem esse dicamus, quem praesentem salutamus, et ut totum animae nostrae intuitum in eam dirigamus, quam tam devotissimis precibus exoramus. Agnoscit certe et diligit diligentes se, et prope est in veritate invocantibus se, praesertim eis, quos videt sibi conformes factos in castitate, et humilitate.*

De angelis, et sanctis habemus clarissima sacrae Scripturae testimonia, illos nimirum esse nobis praesentes, et nostras orationes exaudire, easque Deo offerre. Angelus Raphael Tobiae 13 Angeli res nostras cognoscunt.
12, 12 de se fatetur: *Quando orabas cum lacrymis,... ego obtuli orationem tuam Domino.* Rursus cognoscunt internam poenitentiam, et conversionem peccatorum. Nam *gaudium est angelis super uno peccatore poenitentiam agente*, Lucae 15, 10. Profecto non gauderent, si eis poenitentia peccatorum ignota esset. Item cognoscunt omnem cultum quem Deo exhibemus. *In conspectu angelorum*, inquit psalmista, *psallam tibi Deus meus*, psal. 137, 1. Denique cognoscunt habitum, et honestatem mulierum in publicis conventibus. *Ideo debet mulier potestatem*, seu velamen, *habere supra caput propter angelos*, 1 Cor. 11, 10.

Quod dicitur de angelis, idem dicitur de sanctis hominibus, qui 14 Sancti homines in coelo angelis sunt similes.
in statu beatitudinis sunt angelis aequales, Luc. 20, 36. Unde quod de angelis, hoc de sanctis hominibus habemus in Scripturis. Samuel cognovit omnia quae erant in corde Saulis, 1 Reg. 9, 19; Eliseus scivit omnia quae a famulo absente erant perpetrata, 4 Reg. 5, 20; idem Eliseus habebat perspecta omnia secreta consilia regis Syriae, et revelabat ea regi Israel, 4 Reg. 6, 2; Daniel sciebat occultum somnium Nabuchodonosoris, et interpretationem illius regi narravit, Dan. 2, 29; Petrus apostolus sciebat fraudem Ananiae et Saphirae circa pretium, Actor. 5, 1. Si ergo angeli ista cognoscunt, si sancti in hac vita mortali degentes ista sciunt, certe poterunt et nunc cognoscere, cum in coelo sunt. Sancti in hac vita multa secreta cognoverunt.

Nec enim verisimile est eos fuisse melioris conditionis in exilio, quam nunc sunt in patria. Hic remoti a conspectu Dei cognoverunt multa ex revelatione Dei, quanto magis ea cognoscere possunt, cum iam sunt in aula, et praesentia Dei? Modo quicquid perfectionis concessum est angelis, et sanctis tam in hac vita degentibus, quam iam in coelo regnantibus, denegatum non est Deiparae Virgini Reginae angelorum, et sanctorum omnium. Illis absentibus corpore concessa est praesentia spiritus: igitur et Beatissimae Virgini concessa est haec praesentia spiritus. Quare quod s. Maximus sermone de sanctis Nazario et Celso de martyre dixit, hoc ego, mutata hac voce martyr in Mariam, dicam: *Non occluditur locis, non diffunditur meritis: invocato ubique Mariam, ubique te exaudiet ille, qui honoratur in Maria.* Sancti in coelo res nostras cognoscunt.

Facessat igitur impius lutheranus Gulielmus Rodingus, et non introducat B. M. Virginem quasi sic loquentem. *Desine me salutare, et salutando venerari. Desine sanctos, et vita defunctos adorare. Istam tuam salutationem, tuasque preces execramur. Tu ubi terrarum sis, quid agas, vivas denique, an mortuus sis, neque scimus, neque curamus, tantum abest, ut te precantem exaudiamus.* Rodingus haec dictabat, non Maria Virgo purissima. Salutanda igitur nobis est gloriosissima Virgo Deipara. Impostura Rodingi.

Olim peculiaris fuit imperatorum salutandi mos. At Augustae nullus adorandi cultus exhibebatur, ut Procopius in historia arcana, lib. 11 prodit. Non ita sit in Virgine, quae summi Im-

peratoris Dei et Mater, et Sponsa est; proinde singulari ritu adorari, coli, venerari, ac salutari debet ab omnibus, quae vitam et salutem peperit omnibus. Nunc videndum est

DISCURSUS CCXLVIII

A QUIBUS ET QUOMODO SIT SALUTANDA GLORIOSA DEIPARA VIRGO MARIA

1 Salutandi varii ritus. Varios variarum gentium ritus esse circa salutationem nemo ignorat. Alii capitis denudatione salutationis officium deferunt: alii assurgunt, et se totos versus terram inclinant: alii manus, alii faciem amici quem salutant, osculantur: alii in genua proruunt, et frontem ad solum usque demittunt: alii manus manicis togae inclusas in altum elevant, hanc syllabam geminantes, zin zin, quae vox nihil significat, sed solum urbanitatis ritum designat, ut faciunt Sinae, de quibus scribit Nicolaus Trigautius libro 1 de expeditione christiana cap. 7: (Sinarum salutandi ritus.) alii inter salutandum non assurgunt, uti nos, sed subsidunt, levi crepidarum vel sandaliorum excussu pedes aperientes amicum salutant, ut Iaponii de quibus id narrat Petrus Maffeius libro 12 historiae indicae. (Iaponiae salutandi mos.) Alii dexteram dexterae iungunt in salutatione, quod moris est apud nos. Alii labellum ter digito compescunt, ut principes turcarum, quod tradit Cuspinianus, et alii. Inter tot ritus salutantium speciali modo salutanda est gloriosissima Regina coeli Deipara Virgo Maria.

2 I. Igitur, qui angelicum ave profert, moribus angelum referre studeat. Ab hac menta stat Hugo charensis, qui in caput 1 Lucae hoc monitum reliquit: *Si vis ad Virginem ingredi, et eam salutare, oportet esse angelum.* Propterea Dominus ad salutandam Virginem nonnisi angelum misit, ut evidenter ostenderet, eum qui salutationem suam ab ea acceptari desiderat, angelicam vitam imitari studere, moribus angelum esse. Angelum autem potissimum tria faciunt; puritas, caritas, humilitas. Angelus purus est, quia nulla vel levi macula peccati infectus, nullo terreno affectu inquinatus, nullo carnali commercio foedatus est. Talis sit oportet, qui Virginem purissimam salutat, si ei complacere desiderat. Similitudo namque est causa amoris. Unde quo purior est Virgo, ceterisque creaturis sanctior, eo maiore puritate praeditus esse debet, qui eam laudat, et salutat.

3 Primo itaque purus esse debet ab omni contagione, et sorde peccati, saltem mortalis. Elephantes, teste Solino apud Petrum Berchorium verbo *salutare*, ortum solis quibusdam nutibus salutant; sed id non faciunt, nisi prius aqua loti fuerint. Deipara Virgo sole vestita, solem ipsum refert. Hinc sanctus Thomas a Villanova, concione 1 de annuntiatione, ait: (Maria Ecclesiae sol.) *Tolle solem, quid est in mundo, nisi tenebrae? tolle Mariam ab Ecclesia, quid restat, nisi caligo?* Unde qui eam salutat, prius se aquis lacrymarum, ac poenitentiae abluere debet, ut nedum peccato careat, verum etiam virtutibus splendescat.

4 Dominus ac Redemptor noster de oratione acturus, ad eamque discipulos adhortaturus, prius iactantiam, vanam gloriam, hypocrisim, multiloquium eos vitare docuit et iussit, ac de virtutibus instructionem praemisit, ut patet Matthaei cap. 6, quo innuere voluit ante orationem, et salutationem Dei, et post eum Virginis, praeferendam esse puram animam, purum cor, conscientiam mundam.

5 Apud Romanos mansit observatum, ut salutantes imperatorem antequam admitterentur, interiores aulici scrutarentur, sinumque pertentarent, ne quis cum telo esset, ut Alexander ab Alexandro lib. 5 genialium dierum, cap. 24 prodidit. Tu quoque qui totius orbis Imperatricem salutaturus es, tui ipsius aulicus esto, interiores conscientiae tuae sinus perlustra, pertenta, ne forte in ea aliqua tela, et spicula criminum reperiantur, quibus Dei, et Mariae Filium configas, et denuo crucifigas.

Quisquis enim in eum peccat, denuo illum crucifigit, Apostolo testante, qui ait: *Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes*, Hebr. 6, 6. Suspecta est salutatio illa quae obsequium praefert sub hostili animo: et illa salutatio Virgini suspecta erit, quae ab impuro corde procedit, licet verba angeli resonent.

6 Ulterius, qui Virginem salutat ad instar angeli, nullo terreno affectu inquinatus sit. Cum videret Moyses rubum qui ardebat, dictum ei a Deo est: *Solve calceamentum de pedibus tuis*, Exod. 3, 5. Rubus ille gloriosam Virginem designabat, ut omnes patres volunt, et Ecclesia canit: *Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem, Dei Genitrix.* Calceamenta vero ex pelle animalis mortui facta res mortales ac perituras significant. Cum ergo Moyses calceamenta de pedibus solvere iubetur, a rebus terrenis vacuum affectum habere docetur. Pedes enim affectum significant, iuxta illud commune divi Augustini effatum: *Pes meus, affectus meus.* Ad eundem modum qui ad hunc rubum mysticum, gloriosam Virginem accedit, affectum a rebus mortalibus, terrenis, saecularibus vacuum habere debet.

Solet Maria scalae comparari qua ad coelum facillime itur. Sic eam appellat s. Petrus Damianus homilia in nativitate Beatae Mariae Virginis, s. Augustinus sermone 15 de Tempore, s. Fulgentius de laudibus Mariae. Licet autem universa scalae, quae in coelum fert, comparari possit Virgo, praecipue tamen per scalam illam significata est, quam in somnis vidit Iacob, cuius cacumen coelos tangebat, per quam angeli ascendebant, et descendebant, Genes. 28. Observa angelos tantum vidisse Iacob per illam scalam ascendentes, et descendentes, ut intelligeremus angelis persimilem esse debere, qui per Mariam veluti per scalam pergere ad coelum tentat. Et hoc mysterio non caret, quod scalam illam in somnis vidit; per hoc enim intelligi datur, eum qui ad Mariam salutandam accedit, terrenis rebus indormire debere, a saecularibus curis quiescere, ab affectibus terrenis animum purgatum habere. 7 Scala coeli Maria.

Ad haec, salutaturus Virginem ab omni inquinamento carnis alienus esse debet, os ab impura locutione, cor a turpi cogitatione mundum habeat, totus a luxuriae foetore procul absit. Cum quispiam de aliqua nobili, et excellenti persona locuturus est, communiter ei dicitur: Vade, prius os tuum lava. Eundem in modum qui tam excellentem Virginem salutaturus est, antequam nomen eius venerandum ore proferat, prius omni carnali foeditati, et impuritati renuntiet, ne Virginis purissimae laudes impurus celebret, et sanctissimum Mariae nomen immundo ore efferat. 8

Severus imperator, ut Lampridius de eo scribit, a mulieribus famosis matrem, et uxorem suam salutari vetuit. Non vetat Deus Matrem et Sponsam suam carissimam ab impuris mulieribus salutari, magis tamen cupit eam a puris, et bonis benedici, in cuius figura de Iahel, Iudic. 5, 24 dicit: *Benedicta inter mulieres Iahel uxor Haber Cinaei, et benedicatur in tabernaculo suo.* Chaldaeus vertit: *Benediceris a benedictione mulierum bonarum.* 9

De incarnationis mysterio nemo impurus, illotus, immundus loqui debet. Unde Isaias c. 6, v. 5 cum de Verbi incarnatione loqui volebat, immunditiam suam detestans, aiebat: *Vae mihi, quia vir pollutus labiis ego sum*; et postea Dominum rogavit, ut seraphim de coelis mittere dignaretur, qui tangens labia, os et praecordia ipsius mundaret. Quicumque salutationem angelicam recitat, de incarnationis mysterio loquitur; unde opus est ut mundum os, munda labia, munda praecordia habeat. 10

Ipsa quoque purissima Virgo impuritatem aversatur. Unde in Scriptura api comparatur. Eccli. 11, 3: *Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius.* Apis munditiei adeo est amica, et immunditiei inimica, ut nunquam in loco inquinato, aut eo qui male olet, assideat, ut Varro de apibus testatur. At Aelianus lib. 11, cap. 8 de apibus tradit, quod feminas invadant, maxime eas quae veneri operam dederunt. Multo magis apis nostra spiritualis Beatissima Virgo omnem immunditiam, et maxime luxuriae foetorem abhorret, detestatur, fugit. Ipsa namque mater puritatis, forma sanctitatis, amatrix pudoris, et castitatis. 11 Apis dicta B.V. Maria. Apes munditiem amant, immunditiam quantum horrent. Luxuriam B. Virgo maxime detestatur.

Huc advocari potest exemplum superius relatum ex Alberto nostro Castellano, libro de rosario, de quodam iuvene Beatae Virgini devoto, sed petulco. Cui Beatissima Virgo apparens potionem suavissimam in calice immundissimo praebuit, dicens: Talem tu mihi orationem pensam reddis; rosarium mihi gratissimum recitas, sed propter impuram vitam tuam illud mihi abominabile reddis. Absit ergo ut immundus quispiam ad Virginem purissimam accedat, ut eam salutet. Non immerito illa horto concluso, et fonti signato assimilatur, Cant. 4, 12: *Hortus conclusus, fons signatus.* Hortus conclusus est, proinde floridus, et deliciosus: non igitur pedibus lutulentis, hoc est, affectibus spurcis, et impuris accedendus est. Fons signatus est, proinde limpidissimus, purissimus: non igitur ex eo sordidis manibus aqua

Digitized by Google

haurienda est. Angelus itaque puritate sit, qui Mariam salutat, et laudat.

12 Ulterius, qui Virginem digne salutare vult, angelorum caritatem, atque concordiam aemuletur. Inter angelos summa pax, summa concordia regnat, maior non opprimit minorem. Ad eundem modum pax, et concordia regnare debet inter eos qui Virginem salutant.

13 Incarnatio Christi est pacis sacramentum. Ad haec, incarnationis mysterium pacis sacramentum est; in eo enim Deus pacem cum hominibus inivit, et in huius rei argumentum Dei Filius pacifice, et quiete in terram descendit, *sicut pluvia in vellus*, ut psalmista ps. 71, 6. Ob eam causam elegit sibi Matrem, in qua *confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum*. ps. 75, 4, hoc est, omnia pugnae, et belli instrumenta, omnia discordiae semina. Quisquis autem salutationem angelicam recitat, incarnationis mysterium recolit; unde pacis, concordiae, caritatis angelicae aemulator esse debet, lites, discordias, pugnas, rixas, quae satanam potius, qui adversarius interpretatur, referunt, fugere; si verus Virginis cultor, quae pacem mundo invexit, pacis auctorem peperit, audire vult.

14 Humilitas angelis cognata. Postremo, salutator Virginis angelos humilitate aemuletur. Angelis bonis cognata est humilitas, cum mali ob superbiam misere ceciderint, boni vero in humilitate persistentes in beatitudine permanserunt. Rursus, nato Salvatori nostro angeli boni obsequia praestiterunt, cum viderent maiestatem divinam in humano corpusculo humiliatam, praesepio reclinatam, pannis involutam, in puero tenero prae frigore vagientem, quasi suae celsitudinis, et dignitatis oblitam; non dedignati sunt pastoribus, vilibus personis, immo et iumentis associari in praesepio; inter pastores, inter iumenta Dominum suum adorare, de quo Apost. Hebr. 1, 6: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.* Huius virtutis imitator sit, quisquis cum angelo Virginem digne salutare cupit.

Humilis sit qui B. Virginem salutat. Humilis Gabriel humilem Virginem salutat. Putant aliqui flexis genibus magnaque cum submissione ac reverentia salutasse Mariam. Hinc plerique quoties salutationem angeli inchoant, toties genua flectere consueverunt; quod facere consuevisse legimus

In salutatione angelica genua qui flexerint. s. Catharinam senensem, quae ascendens in domum in singulis gradibus genibus flexis Virginem salutabat; s. Mariam Oegniacensem, quae singulis quaternis diebus millies centies nocte, et interdiu Deiparam salutabat ad initium cuiusque salutationis genua flectens; b. Margaritam dominicanam Hungariae regis filiam, quae festis Deiparae diebus salutationem angelicam millies recitans, cuiusque salutationis initio magna pietate poplites curvabat. Tu quoque fac similiter, Gabrielem humilitatis virtute aut refer, aut imitare, quem voce et salutatione praefers.

15 II. Mores, et vitam Mariae induat, quisquis eam rite salutare cupit: virtutibus se exornet, oculos, linguam, manus, pedesque puros conservet et illibatos Virginis cultor, ac venerator, vitaeque sanctitate referat Sanctissimam Dei Matrem. Hoc modo eam Gabriel salutavit, purus, castus, humilis, pudicus, sanctus ad Virginem puram, castam, humilem, pudicam, sanctam accessit, ut omnibus salutantibus de se praeberet exemplum. Illi qui non angelicos mores induunt, sed brutorum more vivunt, superbi velut leones, rapaces velut lupi, carnales velut hirci, iracundi velut canes, astuti velut vulpes, Virgini se sistere, et eam salutare non praesumant, ne temeritatis suae poenas luant. Ineptus, et indignus est, qui ad salutationem Virginis admittatur, qui non vocem angeli, sed rugitum leonis, mugitum bovis, latratum canis profert: hoc autem facit, quisquis brutorum more vivit; vocem bestiae profert, quisquis naturam eius sectatur.

16 Ervoiae lepidum factum. Lepidum est, quod Fulgosius lib. 9, c. 10 de Paulo Cuphoro Sigismundi imperatoris praefecto narrat. Hic Ervoiam Spaletii ducem nunquam aliter, quam expresso bovis mugitu salutabat, notans eum tanquam rusticum. Factum est cum Ervois dux a Sigismundo imperatore defecisset, multos ex ipsius ducibus, ac praefectis cepit; omnibus sine pretio humane dimissis, unum Cuphorum detinuit, eumque nudum pelle bovis induit, et ita incedere iussit dicens, se velle ut illi voci personae quoque imago responderet. Lepidum facinus et iucundum; nam salutationi salutantis habitus respondere debet. Quod fieri et ad Virginem potest. Quisquis brutorum more vivit, non angelicum Ave Virgini profert, sed vocem illius bestiae, quam moribus exprimit; proinde ineptus et indignus a salutatione tantae Virginis repellendus est. Sed qui eam rite salutare vult, mores officio praeferat; angelum vita referat, quem voce, et salutatione praefert; mores, et vitam Mariae induat, quam verbis salutat.

III. Salutanda est B. Virgo, ita ut a corde salutatio exeat, non a labiis dumtaxat. Richardus a s. Laurentio lib. 3 de laud. Virginis: *Corde ore, et opere salutetur, ne merito possit Beata Virgo illud respondere, Isai. 29: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Non salutat, sed illudit, ac decipit, qui externe tantum salutat: extra cor salutatio consistere nequit, statim ruit: vera salutatio in corde radices agit, extra cor coalescere non potest; cum salutare nihil aliud sit, quam salutem ex animo precari. Bis astutus est, qui externe tantum salutat, nam et in corde fraudem nectit, et ore mendacia profert. Eos qui externa tantum specie salutant, s. Gregorius nazianzenus orat. 19, mulieribus, quae naturali pulcritudine destitutae fucis, et pigmentis faciem illiniunt, et infriunt, comparat. Quemadmodum enim illae in theatris se ostentant, ut hominibus placeant ob venustatem, qua carent: ita et isti ore salutant, ut amicos se probent, cum tamen cor inimicum gerant, et interiora plena dolo et odio habeant. Consultum igitur erit, immo et necessarium, in salutatione Virginis omnia pigmenta reiicere, omnem fucum tollere ex animo, et affectu ac corde devoto dicere Virgini: *Ave.* 17 Ex corde salutanda B.V.Maria.

DISCURSUS CCXLIX

QUO AUCTORE ET QUIBUS DE CAUSIS SALUTATIO ANGELICA CONCIONIBUS PRAEMITTATUR

Concionatori more Ecclesiae antiquo prius B. M. Virginem salutant, et invocant. Huius tam piae ac religiosae consuetudinis auctorem fuisse s. p. n. Dominicum legimus in libro miraculorum sanctissimi rosarii italice conscripto, fere in hunc modum. Cum sanctus pater Dominicus contra haeresim albigensem in regione tolosana concionaretur, nec quicquam fructus spiritualis collegeret, valde anxius cum Beatissima Virgine expostulabat, quidnam causae esset, quod nihil proficeret. Apparet ei Regina coeli, hisque eum verbis alloquitur: Dominice fili, nihil mireris, quod concionando minime proficias, aras enim terram a pluvia non irrigatam. Scito, cum Deus mundum renovare decrevisset, salutationis angelicae pluviam praemisisse, sicque mundo fructum salutarem protulisse. Ad eundem modum tu in concionibus tuis ad rosarii mei recitationem homines invita, et magnos fructus animarum colliges. Ita sanctus pater Dominicus fecit, et uberes animarum fructus retulit. Hinc ortum habuit celebris ista consuetudo salutandi gloriosam Dei Genitricem Mariam salutatione angelica ante concionem. Porro quam pia, quam rationi consentanea sit consuetudo ista, paucis ostendam, et postea impetus haereticorum eam impugnantium retundam. 1 S. p. n. Dominicus salutationis angelicae ante concionem praemittendae auctor. B. V. Maria s. p. Dominico apparet, et eum alloquitur.

Rationes quibus mota Ecclesia in concionibus, publicisque praedicationibus salutationem angelicam praemittit, sunt. 1. Exemplo angeli. Ecclesia militans in hoc mundo, quantum potest, vitam angelicam instituit, angelicos mores aemulatur, angelos sanctitate, puritate, ceterisque virtutibus referre homines docet. Dignum namque est eorum vitam, et mores aemulari in terra, cum quibus aeternum victuri sumus in coelis. Id vel maxime videre est in salutanda, et honoranda Virgine. Angelus antequam Mariae evangelizaret, et diceret: *Ecce concipies in utero, et paries filium,* illam reverenter salutavit, *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Par igitur est, ut Ecclesia ad imitationem angeli salutationem, Virginisque invocationem praemittat, antequam evangelizet. 2 Angelos imitari debemus.

2 Studio percipiendi fructum ex audito verbo Dei. Cum praedicator verbum Dei annuntiat, quasi alter angelus ad Mariam legationem abit. Omnis enim anima fidelis, quae propter peccatum admissum contrita est, ac dolore et amaritudine plena, Maria est; Maria enim mare amarum interpretatur, ut in tomo superiore discursu XCII late deduximus. Quemadmodum ergo Maria assensum pro toto mundo angelo praestitit per excellentem suam fidem, et obedientiam singularem; ita et nos debemus propria fide, et voluntate consensum illum ratum facere, quo nobis fructuosa verbi Dei auditio existat. Ut ergo a praedicatore, quasi ab Angelo quodam a Deo ad nos coelitus misso, verbum Dei per aurem suscipiamus, eique assensum praebendo Christum ad instar Mariae in corde nostro per fidem concipiamus, ab ipsa B. V. Maria petendum est, quo illa gloriosis suis meritis precibusque apud Deum efficiat, ut matres Christi fieri valeamus fide illum concipientes, et bonis operibus parturientes. 3

Digitized by Google

4 3. Desiderio impetrandi auxilium, et patrocinium Virginis. Constat ex evangelio Virginis salutationem efficacem fuisse. Nam ad eius vocem impleta est Spiritu sancto Elisabeth, exultavit infans prae gaudio in utero eius, Luc. 1. Et Act. 1, 4 cum apostolis legitur perseverasse unanimiter in oratione, ut Spiritum sanctum in illos de coelo mitti impetraret, quemadmodum precatione sua, et salutatione domum Zachariae Spiritu sancto adimplevit. Cum ergo nihil sit magis necessarium, vel praedicatori ad recte proponendum verbum Dei, vel auditori ad fructuose illud percipiendum, quam Spiritus sanctus, magna ratione per illam Spiritum sanctum nobis dari a Deo postulamus, quam gratia Spiritus sancti plenam, secundum Deum omnipotentem, nostram fautricem, protectricem, patronam, ac dominam esse credimus. Id experimento didicit b. Franciscus. Dum coram cardinalibus peroraret, et post diligens studium obmutesceret, D. Virginis interventu obtinuit, ut diserte, et cum multorum admiratione praedicaret. D. Bonaventura cap. 17 vitae eius.

5 4. Ad evitandum periculum. Grande periculum est in Ecclesia loqui, et verbum Dei proponere, ne forte pro verbo Dei sermones humanos, puta paroemias, dicteria, facetias et alia, quae prudentiam sapiunt humanam, proponas; ne interpretatione perversa de evangelio Christi evangelium hominum, aut quod peius est, diaboli facias; ne teipsum vendites magis populi plausum quaerens, quam spiritualem profectum; ne haec et alia multa vitia committens in tentationes et laqueos diaboli incidas. Accurrimus igitur ad Beatissimam Virginem, quae fide insignis et singularis extitit; quae caput non tantum ipsius serpentis, sed etiam seminis serpentis, id est, haereticorum contrivit; quae sola cunctas haereses interemit in universo mundo; quae magistra apostolorum, doctrix evangelistarum fuit. Hanc invocamus, hanc salutamus, quatenus mentem nostram dirigat, intellectum illustret, sensum acuat, linguam erudiat, verba disponat. Maria enim interpretatur *illuminatrix*, prout tomo superiore discursu XCIV probatum dedimus.

6 5. Ut auditores verbum Dei attentius audiant nedum auribus corporis, verum et auribus mentis percipiant, retineant, conservent, conferant exemplo Deiparae Virginis, quae conferebat in corde suo, quaecumque audiebat de Christo, sive a pastoribus, sive ab angelis, sive a prophetis in Scriptura, sive a Simeone et Anna in templo, comparans praecedentia cum sequentibus, vetera cum novis, figuras cum eventibus, audita cum visis; tum ut ea conservaret tanquam gemmas, tum ut fructum caperet consolationis, ut passim sancti patres interpretantur.

7 Hoc unum concionator evangelicus spectare debet, ut corda auditorum ad Deum convertat, homines ad amorem Dei, observantiam praeceptorum, peccatorum fugam, perfectionis studium, virtutum incrementum inducat; non ut aures scalpat, sublimia doceat, plausum populi sua eloquentia sibi conciliet, non ut audiat: quam bene, quam eleganter peroravit; sed ut obdurata hominum corda vehementi spiritu, et zelo veluti malleo conterat, peccatores a somno peccati excitet, de morte ad vitam revocet. Cum autem ad huiusmodi effectus patrocinium Deiparae Virginis multum conferat, ut inferius in epitheto *Refugium peccatorum*, monstrabimus, merito concionatores salutationem angelicam suis sermonibus praemittunt, ut auxilium Deiparae Virginis sibi adesse sentiant.

8 6. Ut diabolus humani generis hostis, et praedicationis evangelicae impugnator acerrimus procul abigatur. Nequissimi spiritus ingenium hoc est, concionatorem impedire, auditores perturbare, et fructum praedicationis a cordibus eorum tollere, Christo attestante, qui ait: *Qui secus viam, hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant*, Luc. 8, 12.

Ut ergo hostis tam acerbus pellatur, concioni salutatio angelica praemittitur. Porro quam sit diabolo terribilis salutatio angelica paulo superius monstravimus discursu CCXLIV, par. 21. Nunc obiecta haereticorum diluamus.

DISCURSUS CCL

RATIUNCULAE ERASMI, QUAS CONTRA TAM PIUM TAMQUE RELIGIOSUM SALUTATIONIS B. M. VIRGINIS ANTE CONCIONES, ET ALIAS USUM PROPONIT, DILUUNTUR

1 Erasmus Hanc Ecclesiae piam, cum ratione coniunctam, atque laudabilem consuetudinem novi dogmatistae, ac magistelli impudenter irrident; maxime vero Erasmus in suo Ecclesiaste eam impudenter carpit, et leviusculis quibusdam rationibus tollere conatur. salutationem B. M. Virginis impugnans refutatur.

I. Inquit Erasmus: Maiori religione invocatur Maria, quam Christus. Sed heu quam iste in meridiana luce caligat! Immo magis colimus Christum, dum illum non solum in seipso, sed etiam in sua Matre sanctissima veneramur. Neque hoc obscurat Christi gloriam, quia sicut lumen lunae, et aliorum siderum non derogat luci et splendori solis, a quo illa astra luminis sui copiam accipiunt: ita nec Mariae, aliorumque sanctorum intercessio derogat gratiae Christi, a quo sicut a capite quaevis gratia effluit.

II. Nihil petitur ab ea, puta Maria. At haec pura est, apertaque calumnia. Nam dicimus: *Ora pro nobis peccatoribus nunc, et in hora mortis nostrae*. Et licet nihil peteremus, hoc satis esset, quod humanae redemptionis opus ei in memoriam reducimus, agentes gratias Deo pro hoc tanto beneficio in nos collato. Quot psalmos legimus in Ecclesia, in quibus nihil petimus, sed tantum potentiam, sapientiam, bonitatem Dei in illis admiramur, et commemoramus; et tamen istud Erasmus non carpit, illud taxat?

III. Est praeter exemplum Scripturae, et novum inventum in primitiva Ecclesia non usurpatum. Primum falsum est, nam Gabrielis exemplum habet Ecclesia. Et quod egit tunc angelus cum Virgine, cum ei Dei Filium ex ea nasciturum nuntiavit: simile videtur concionator dum verbum Dei populo proponit, ut paulo superius declaravi. Nec etiam novum est inventum in Ecclesia, sed iam per multa saecula usurpatum, et continuatum, ut iam monstratum est. Sed etiamsi novum esset, non omnino reiiciendum foret, quia sic antiquum nihil esset probatum, aliquando enim novum fuit. Neque si aliquid est antiquum, idcirco durare semper debet, alioquin duraret lex Moysis. Quod vero ait: in primitiva Ecclesia non fuit usurpatum, falsum ostendimus paulo superius, cum de dignitate et excellentia salutationis angelicae ageremus. Sed esto, quod in Ecclesia primitiva salutatio angelica in usu tam frequenti non fierat, mirum non est; nam tunc temporis Christus docendus, et instillandus erat. Et propterea d. Paulus in epistolis suis Christum Iesum frequentissime nominat, praedicat, magnificat; unde etiam ab eo tanquam suffragium et auxilium implorandum erat, quo altius eius amor, cultus, fides, ac devotio erga eum cordibus fidelium imprimeretur. Primo itaque instillandus erat cultus Christi, postea cultus Deiparae. Dilatato per orbem universum cultu, ac veneratione Christi, docendus etiam ac praedicandus erat cultus Mariae, ut sic post Christum Deum ac hominem prima creatura plena gratia coleretur, veneraretur, benediceretur. Hinc factum est ut in tam frequentem usum salutatio angelica successu temporis veniret.

IV. Quandoque argumento praedicationis non quadrat invocatio Virginis, ut si de lascivia, vel superbia sermo habendus sit. Quasi vero non valeat succurrere Virgo in exprobratione vitiorum, sicut in commendatione virtutum. An vero argumentum tale quadrabit Christo, vel Spiritui sancto? Multo minus. Quis ergo invocandus, Iupiter, an Mercurius? Venus an Flora?

V. Producit ex epistola divi Iacobi 1, 5: *Si quis vestrum*, inquit, *indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter*; non ait, postulet a Virgine. O lepidam obiectionem! An non a Deo petit, qui per Virginem petit? Immo efficacius petit, quia citius de nobis diffidentes, et humiliati exaudimur per Matrem Dei, quam sine ea.

VI. Christus apostolis, et in eis praedicatoribus omnibus dixit, Matth. 10, 20: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*, ac per hoc invocandus est Spiritus sanctus, non B. Virgo. Consecutio millies inepta negatur. Nam quemadmodum Dei Filius non per alium, quam per Virginem incarnationis administram nobis datus est: ita et Spiritus sanctus per eam communiter datur. Ideoque cum Spiritus sanctus primo missus est in apostolos, ibi aderat Maria ferventer orans, ac perficiens defectum orationum, quas apostoli, et alii fideles ad Deum pro eius adventu fundebant: et intelligamus idem facere nobiscum, dum Spiritum sanctum nobis infundi precamur.

VII. Postremo levissimas rationes calumniis, et imposturis fulcire contendit. Inductum esse, ait, hunc morem in sermonibus ad blandiendum femineo sexui. O impudentiam! Ipse feminarum amore irretitus putat omnes concionatores feminis blan- 2 Erasmi imposturae refelluntur.

diri, cum Dei Matrem salutant. Ulterius hunc morem acceptum putat ab ethnicis, et poetis, qui musam invocabant. Gravis impostura, quam paulo superius numero 3, et discursu proxime praecedenti refutavimus. Ad extremum quod ait, Beatam Mariam loco veneris a nobis invocari, blasphemia est horrenda. Quis furor? quae impietas? quae tanta vesania? Virginem illam, quam s. Ioannes Chrysostomus cherubim honoratiorem, et seraphim incomparabiliter gloriosiorem, omnibus angelis incomparabiliter sanctiorem et puriorem esse verissime scripsit, cum venere impurissima meretrice conferre? Piget me certe, et pudet talia referre. Facessat igitur Erasmus cum suis naeniis, immo verius blasphemiis. Nos morem tam pium, sanctum religiose observemus, gloriosam Dei Genitricem toto cordis affectu veneremur, ac salutemus, ut eius patrociniis Spiritus sancti gratiam, et tandem aeternam gloriam consequamur. Amen.

DISCURSUS CCLI

QUO AUCTORE, ET QUIBUS DE CAUSIS FIDELES TRIPLICI CAMPANAE PULSU, TER SINGULIS DIEBUS, VESPERE, MANE ET MERIDIE EXCITANTUR AD SALUTANDAM DEIPARAM VIRGINEM TRINA SALUTATIONE ANGELICA

1 Vetus est Ecclesiae institutum ter in die salutare gloriosissimam Deiparentem Mariam trina salutatione angelica, nimirum mane, meridie et vespere. Et parum pius est, qui non soleat tunc caput aperire, in genua procumbere, etiam in vicis, plateis, foro venerando hanc Sanctissimam Matrem, eique summum incarnationis Christi mysterium, ac beneficium in memoriam revocando his verbis: *Angelus Domini nuntiavit Mariae, et concepit de Spiritu sancto. Ave Maria*, etc. ut in libellis precationum.

Huius tam pii, tamque religiosi instituti auctorem fuisse Urbanum II pontificem maximum in Concilio claromontano graves auctores prodiderunt, ex quibus vide Arnoldum Uvionium lib. 5 ligni vitae, cap. 28. Cum enim praefatus pontifex Terram sanctam e manibus Saracenorum eripere, et christianis restituere satageret, ad impetrandum divinum auxilium contra barbaros constituit, ut omnes fideles Beatissimam Virginem singulis diebus his, nimirum mane, et vespere angelica salutatione salutarent.

2 Incarnatio Filii Dei qua hora facta.

Incertum est qua hora praecise Filius Dei in terram descendit, et humanam naturam in utero Virginis assumere dignatus est, ac factus homo. Nonnullis visum est, eum tempore matutino, quum scilicet natura, hoc est aurora incipit apparere, descendisse, tunc enim humana mens ad divina est aptior; et B. M. Virgo maxime apta fuit, quae illam partem diei usque ad horam tertiam contemplatione Deo sacrare solebat, ut probati et graves auctores tradunt. Quod etiam in figura praemonstratum fuit, cum manna filiis Israel matutino tempore de coelo cadebat, Exodi 16, 13. Huius sententiae fuerunt duo praestantissimi ex Ordine nostro theologi et episcopali dignitate fulgentes, b. Albertus magnus, et s. Antoninus 4 p. Summae, tit. 15, c. 9, par. 4. Nonnullis placuit Filium Dei in terram descendisse, et humanam naturam in utero Virginis assumpsisse vespertino tempore, et illam legationem angeli, atque ideo colloquium Virginis cum eo usque ad mediam noctem durasse, ut veritas responderet figurae. Eadem enim hora Rebecca, quae fuit figura B. Mariae Virginis nuntium accepit a famulo Abraham, qui eam sponsam filio suo accipiebat, Gen. 24, 63. Sicut ergo legatus Abrahae vespertino tempore ad Rebeccam venit, ut eam filio domini sui in uxorem desponsaret: ita Gabrielem legatum Dei vespertino tempore advenire conveniens erat, ut Mariam sponsam Filio Dei reciperet. Uno igitur ex his duobus temporibus incarnationem Christi contigisse credendum est. Quare merito his temporibus Ecclesia Dei cunctos fideles campanae pulsu ad salutandam Dei Genitricem excitat, quo mysterium incarnationis Filii Dei recolant, de tanto beneficio genibus provoluti Deo gratias agant, et Sacratissimae Virgini Matri de tanto gaudio et dignitate gratulentur.

3 D. Bonaventura quatenus auctor fuit trini pulsus pro salutatione angelica.

Nonnulli d. Bonaventuram doctorem seraphicum huius pii instituti auctorem faciunt; sed ille solum huius devotionis fervidus promotor extitit, nam quotiescumque ad populum verba faciebat, ad B. V. Mariam singulari pietatis affectu prosequendam, et angelica salutatione venerandam, maxime quando a completorio aeris campani sonum percepissent, hortabatur, ut Petrus Ribadeneira ex Galesino in vita eius testatur.

4 Pulsus trinus in die pro salutatione B. M. Virginis quid significet.

Haec sacra consuetudo pulsandi mane et vespere pro salutatione angelica inchoata a Concilio claromontano, quod celebratum fuit anno 1094, in viridi observantia fuit annis 171 usque ad Gregorium X, qui adiecit pulsum meridianum, ut ter quotidie B. V. Maria honoraretur ob triplicia mysteriorum genera, quae in sacratissimi rosarii recitatione a piis recoli solent in honorem Deiparae Virginis. Sunt autem haec mysteria quinque *gaudiosa*, totidem *dolorosa*, totidem *gloriosa*. Pulsus matutinus ad contemplanda mysteria *gaudiosa* excitat propter Christi incarnationem, quae matutino tempore facta fuisse creditur, ut iam meminimus. Meridianus ad recolenda mysteria *dolorosa* cohortatur, propter summos maximosque dolores, quos Christus in crucis patibulo circa meridiem morti iam proximus una cum moestissima Matre pertulit. Vespertinus ad meditanda mysteria *gloriosa* invitat, quae in gloria aeterna post vitae huius vesperam, hoc est mortem, nos clara facie visuros speramus. Unde antiquitas sanctissimi rosarii comprobatur (1).

5 Cur B. Virginem ter in die, mane videlicet meridie et vespere salutamus.

Ulterius, mane Beatissimam Virginem salutamus, ut omnes actiones nostras illius diei ei commendemus, quatenus per intercessionem eius illo die a peccatis custodiamur, et in bonis operibus confortemur. In meridie eam salutamus, ut adulto iam die, illa brevi oratione spiritum reficiamus. Vespere, ut peccatorum, quae scienter, sive ignoranter illo die commisimus, per ipsius intercessionem veniam consequamur, et meritis ipsius illa nocte protegamur.

6 Hic autem precandi ritus suo fundamento non caret. Id enim regius vates in honorem Dei se praestitisse cecinit psalm. 54, 18: *Vespere, et mane, et meridie narrabo, et annuntiabo, et exaudiet vocem meam.*

7 Ioannes XXII pont. max. circa annum Domini 1320 hanc devotionem auxit, et indulgentiis ornavit, occasione miraculi, quod auctor sermonum Discipuli, Ioannes Herbart, narrat his verbis: In vigilia annuntiationis B. M. Virginis duo propter iustitiam saecularem sunt ad stipites manibus, et collis ligati, ut cremarentur. Accenso igitur igne, unus illorum crebro B. M. Virginem invocabat, recolens si aliquando ieiunia, et orationes, vel aliqua ipsi Virgini praestitisset. Et ecce eidem, vestibus et corpore illaesis, penitus sola colli, et manuum vincula ignis consumpsit. Reiectus est autem solutus secundo in ignem, et iterum permansit illaesus, et ab igne exilivit. Sicque ad ecclesiam B. Virginis ductus est, et papa Ioannes XXII statuit sero fieri pulsum campanae, ad quem quicumque homo flectendo tria *Ave Maria* dixerit, viginti dierum indulgentiam haberet. Et de hoc miraculo, ac indulgentiis habetur publicum instrumentum. Haec Discipulus de pulsu serotino. Alias plures indulgentias vide, ubi agimus de rosario.

8 Eundem precandi ritum mane, meridie, vespere confirmavit Callistus III, ut populum ad orandum contra Turcas pro christianorum pace invitaret, prout Platina, et Alphonsus Ciaconus in vita Callisti papae testantur.

9 Interdicti tempore fas est pulsare pro Ave Maria.

Hinc factum, ut is mos salutandae B. M. Virginis ter in die in Ecclesia tam sacer sit, ut etiam in locis ecclesiastico interdictu subiectis fieri possit, uti gravissimi canonistae, s. Antoninus 3, tit. 27, cap. 4 sub finem, Angelus de Clavasio, Silvester Prierias, Tabienna verbo *Interdictum*, et Navarrus in manuali, cap. 27, num. 177 docent.

10 Hunc pium precandi ritum devote peragebat inter alios plurimos s. Carolus Borromaeus cardinalis, et archiepiscopus mediolanensis. Quandocumque campanae sonum ad angelicam salutationem audiebat, quocumque loco esset, in via etiam fracta, et coenosa, mox e rheda prosiliebat, vel ab equo descendebat, humi poplites figebat, et Reginam coeli devota salutatione angelica salutabat. In eius vita.

Cum itaque hunc tam pium salutandi B. M. Virginem ritum Ecclesia catholica commendet, ad eum usurpandum indulgentiis invitat, ratio suadeat, exempla moveant, cum diu noctuque sine

(1) Melius docet Benedictus XIV in tract. de festis, in festo annunt. quod cum Ecclesia nesciat certitudine saltem morali horam praecisam mysterii incarnationis, nec scit diem, ut fideles benedicant Dominum omni tempore pro tanto beneficio, ideo ter in die eos excitat pulsu campanae. Quod dicit auctor de convenientia cum mysteriis sanctissimi rosarii, potest considerari velut ratio mystica addita rationi principali, uti assolet. *Editor*.

intermissione promamus, cum archangelo Gabriele Reginae coeli offeramus, dicentes: *Ave Maria gratia plena*, etc. Haec de salutatione angelica. Ad alias precandi seu colendi formulas in honorem Deiparae Virginis institutas veniamus.

DISCURSUS CCLII

DE CANTICO MARIANO *MAGNIFICAT*

1 Virtutes B. Virginis declaratae in cantico.

Hoc cantico Ecclesia catholica Virginem Deiparam summe colit, ac veneratur; in eo siquidem praeclaras eius virtutes commemorat, et fidelibus ad imitandum proponit; videlicet grati animi in Deum significationem, Dei laudem perfectam, vitae sanctimoniam, ac humilitatem.

2 Gratitudo erga Deum B. Virginis exemplo docetur.

Magnificat anima mea Dominum. En tibi grati animi in Deum significationem. Quicquid in aula mentis suae splendidum, quicquid pulcrum, pretiosumque Deipara Virgo reperiebat, id totum divini muneris, et operis esse non dubitabat, et totum Deo adscribebat; ideoque non se, sed Dominum magnificabat, eiusque spiritus non in propriis meritis, sed in Dei muneribus exultabat. Quapropter ait: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*. Beata Elisabeth Spiritu sancto afflata multis praeconiis eam exornabat, quae habes Luc. 1 a v. 42 usque ad 45. Haec praeconia B. V. Maria negare non poterat, nec debebat. Non poterat, quia Elisabeth non a se, sed a Spiritu sancto loquebatur: non debebat, quia ea ad Dei gloriam spectabant. Canit ergo, et canendo celebrat, et magnificat Deum, illi beneficium incarnationis tribuens, non sibi ipsi. *Magnificat anima mea Dominum*, hoc est tu Elisabeth me laudas, et magnificas, quod Dei Mater effecta sim, quod benedicta sim inter mulieres, quod beata sim eo quod crediderim ea quae dicta sunt mihi a Domino. Ast ego Dominum meum laudo, benedico, adoro, ex toto animi affectu eum magnifico. Ille etenim me magnificavit, quia mihi magna fecit, et ad tantam dignitatem, quam nec mens mea capere, nec lingua eloqui valet, me sublimavit: ego vicissim eum magnifico; non quia magnum facio, sed quia magnum, potentem, sanctumque praedico, et cuncta divina charismata quae ab eo accepi, ad eum refero. Ubi sunt, qui opes, pulcritudinem, sapientiam, ceteraque dona in parentes, naturam, semetipsos referunt? Praebet Virgo Sanctissima exemplum, ut omnia dona in Deum referamus; totum id, quod in nobis est boni, Deo adscribamus.

3 Laus Dei perfecta docetur exemplo Virginis.

Ulterius, proponitur nobis in hoc cantico laus Dei perfecta ab ore Virginis promanans. Alii Deum laudant in tibiis, cymbalis, psalteriis, cytharis, organis, quae laus optima quidem est, et templis Dei dignissima. At Virgo intemerata animo, et spiritu eum laudat. *Magnificat*, ait, *anima mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*. Hoc illius psalterium est, hoc musicum organum. Alii solum ore et lingua Deum laudant, de quibus Deus per Isaiam 29, 13: *Populus iste*, ait, *ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me*. At B. Virgo anima, hoc est, totis viribus, et potentiis animae Deum magnificat. Magnificat corde, magnificat ore, magnificat miraculis, quae in Virgine maxima Deus patravit, magnificat sanctissima vita, virtutumque decore admirando.

4 Per animam quid intelligitur, per spiritum quid.

Rursus proponitur vitae sanctimonia, *anima mea*; et rursus, *spiritus meus*. Per animam intelligitur sensitiva pars, per quam communicamus cum brutis; per spiritum intellectus, et voluntas, per quae communicamus cum angelis. Nemo dicere potest: *Anima mea, spiritus meus*, nisi qui totaliter liber est a servitute peccati. Qui vero diaboli servitati per peccatum se mancipavit, et subiugavit, aut carnis illecebris, aut huius mundi divitiis, aut vanis honoribus animum, et spiritum suum tradidit, hic nequaquam dicere valet: *anima mea, spiritus meus*; non est siquidem eius, sed diaboli, carnis et mundi, iuxta illud Ioann. 8, 34: *Qui facit peccatum, servus est peccati*. Cum igitur B. Virgo nulli

Sanctimonia vitae Deiparae Virginis.

unquam peccato subiacuerit, et nulli alterius servituti quam Christi, cui servire regnare est, se subdiderit, perfectam semper, atque perpetuam vitae sanctimoniam retinuerit, iure dicere poterat: *anima mea, spiritus meus*. O quam parum spiritus hodie in terris est reperire, una sola caro totum nunc orbem occupavit; omnes ea quae carnis sunt, quaerunt, opes, delicias, honores, et non ea quae spiritus. At Maria tota spiritus erat, quod videbat, quod sentiebat, quod intelligebat, quicquid erat, totus spiritus erat. Immo vero et ipsa caro eius in spiritum transierat; nullum enim duellum carnis cum spiritu unquam habebat, et ideo vere dicere poterat: *Exultavit spiritus meus*. Exultavit, inquam, non in mundi huius honoribus, non in laudibus tuis de me, o Elisabeth, non in splendore natalium meorum, non in nobilitate stirpis davidicae, non in praeconiis angelicis, sed *in Deo salutari meo*. In Deo, non in mundi vanitate, non in carnis voluptate, non in terrenorum affectu. Terrena non curo, prosperis non inhio, adversa non formido.

Merito sane exultabat Maria in spiritu. Sicut enim sidus radios sine ulla sui corruptione longe diffundit, ut flos odorem suum late exhalat, ut mens verbum, mons vaporem, ignis edit calorem: sic illa in lucem editura erat Salvatorem. O quanto gaudio, quantave laetitia tunc perfundebatur, cum talia mysteria in se complenda meditabatur!

5 Humilitas B. Virginis

Ultimo proponitur humilitas. Tot, tantisque gratiarum muneribus cumulata Virgo non insolescit, non se iactat, non sibi applaudit, nihil sibi arrogat; sed solum Deum magnificat, atque exaltat, quod videlicet humilitatem hoc est exiguitatem, et abiectionem eius respexit. *Quia*, inquit, *respexit humilitatem ancillae suae*. Nonnulli ex graeco transtulerunt, *nihilitatem ancillae suae*. Dignitatem Matris Dei abscondit, humillimam se fatetur ancillam. Nimirum non mea sapientia, non mea nobilitas, non mea pulcritudo, quae nullo erant mihi, illi placuerunt; sed mea humilitas, mea abiectio, mea exilitas, et ut ita dicam, nihilitas. Quae ego eram ad tantum officium? Ipse respexit in me, non ego expectabam: haud digna eram tali honore; ancilla sum Dei, immo vero indigna sum illi ancillari; ille dignatus est oculos suos in me convertere, et me ex tot millibus, ex tot myriadibus unam eligere in matrem, et sponsam. Tam profundam humilitatem admirans sponsus coelestis Cant. 4, 9 ait: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, ... in uno crine colli tui*. Uno crine colli B. Virgo Dei cor vulneravit, cum ne pili quidem in oculis eius se existimavit. Licet enim virginitatis, et aliarum virtutum merito sciret se magnam esse apud Deum, non tamen id alicui suo merito adscribebat, sed suam tenuitatem, inopiam, indignitatem (1), et si fas est dicere, nihilitatem profitebatur, praedicabat, canebat.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, praedicantes Dei omnipotentiam, et supereffluentem beneficentiam in me ipsius ancilla; quod sicut coelos ex nihilo, et pro nihilo creavit, ornavit, inque sedem suam destinavit, ita etiam et me pro nihilo elegit, gratiis ornavit, suum tabernaculum fecit, atque ad tantam, quanta post Deum nequit maior esse, dignitatem evexit. 6

Ecce enim ex hoc, id est, ab hinc, deinceps, ab hoc instanti, quo tu afflata Spiritu sancto, Elisabeth, me Matrem Dei agnovisti, ab hoc articulo temporis, quo filius tuus adhuc in utero tuo manens, supra omnem naturae ordinem, Filium meum qui idem Dei Filius est, ex utero salutavit, et adoravit, *Beatam me dicent omnes generationes*. Ego omnium mulierum indignissima nunc a terra in coelum transeo, in tantam dignitatem evehor, ut futuris deinceps temporibus omnes nationes terrae, omnes coeli et inferorum incolae sint me felicissimam passim vocaturae, eo quod angelis instauratorem, sanctis patribus redemptorem, peccatoribus indulgentiam, iustis gloriam, infirmis medicinam, famelicis panem coelestem, sitientibus gratiae fontem pepererim. O admirabilem Mariae humilitatem! Inter tot gratiae dona non insolescere, non se iactare, non superbire; sed se nihilum repu- 7

(1) Intellige *indignitatem*, considerata infinita distantia inter creaturam et Creatorem, cuius B. Virgo facta est mater. Alio sensu erroneum est hoc dicere, nam non solum habuit dignitatem negativam, quia sine ulla labe, sed etiam dignitatem positivam ex gratia qua erat plena, et ideo etiam meruit divinam maternitatem, ut docent patres, ut docet Ecclesia: *ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante praeparasti*. Quocirca etiam in primo sensu, scilicet considerata ut creatura relate ad Creatorem, melius dicendum *non digna*, quam *indigna*, quae vox includendo indignitatem positivam ex peccato, offendit fidelium aures, praesertim in publicis concionibus. Sic quoque post paucos versus, ubi legitur in auctore: *ego omnium mulierum indignissima*, melius dicendum: *ego omnium mulierum infima*, quae verba redolent humilitatem. *Indignissima* est enorme mendacium, nam fuisset vel prae ceteris, vel saltem ut ceterae peccatrix. Quis id sustinet? Hoc adnotavimus non animo docendi auctorem, quem [illegible], ut hoc suum celeberrimum opus in laudem Virginis, ut omnibus sit utilitati, primi Neapoli edere curavimus post tot saecula, sed amore veritatis, et ne incauti non recte intelligendo quod in auctore legunt, in errores inducantur, et forsitan inducerent alios. Hoc protestamur, ne quis, quod ne cogitamus quidem de nobis, iudicet. *Editor*.

tare. *Humilem esse est nihil se existimare*, inquit s. Dorotheus, sermon. 2 de humilitate.

8 *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Et in his verbis elucet summa Virginis humilitas. Poterat sic dicere: *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Vere enim magna erat, cum in Dei Matrem assumpta angelorum Regina, totius mundi domina effecta est. Abstinuit tamen ab hoc modo loquendi, ne sibi aliquid tribueret, ut totum in Deum referret, ut nihilitatem suam a Dei donis distingueret. Et in hoc magis magna praedicanda est, quia in tanta magnitudine, ac sublimitate non intumuit, non superbivit, non se iactavit. *Non est magnum esse humilem in abiectione, magna prorsus, et rara virtus humilitas honorata*, inquit d. Bernardus hom. 4 super *Missus est.*

Recte igitur hoc cantico Deipara Virgo colitur, cuius tot tantaeque virtutes in eo commemorantur. Sed ut huius cantici praestantia magis elucescat, libet de eo pluribus agere.

DISCURSUS CCLIII

NOBILITAS CANTICI MAGNIFICAT EX VARIIS DIVERSORUM ELOGIIS, SEU EPITHETIS DECLARATUR

1 In huius cantici laudem varii expositores totos nervos ingenii sui intenderunt, ut illud pro dignitate nobis commendarent. Hinc variis elogiis, epithetis, seu titulis illud exornarunt, ut quod uni deest, altero quoque modo suppleatur. Nonnulli ergo illud appellarunt, *carmen Virginis;* alii, *carmen triumphale Mariae;* alii, *Virginis epithalamium;* alii, *dulcissimum, atque eruditissimum Mariae canticum*, alii, *insignem, et mirabilem sanctae Virginis concentum;* alii, *divinum, et excellentissimum Mariae canticum;* alii, *carmen sanctissimum, et divinum encomium;* alii, *compendium divinorum sacramentorum Mariae;* alii, *symbolum marianum;* alii, *evangelicam doctrinam Mariae;* alii, *catechismum perfectum;* alii, *suavem harmoniam Mariae;* alii, *Mariae cytharam perfectissime temperatam;* alii, *vaticinium virginale;* alii, *psalterium decachordum;* alii demum, *primum novi testamenti hymnum.* Singula haec epitheta ad trutinam vocemus, ut dignitatem, ac nobilitatem huius celeberrimi cantici agnoscamus. Primo itaque dicitur

Carmen Virginis

2 Non Mariae sororis Moysis, non ipsius Moysis, non Debborae, non Barac, non Annae, non matris Samuelis, non Isaiae prophetae, non Ezechiae regis, non Iudith, non Abacuc, non trium puerorum in fornace babylonica, non Zachariae, non Simeonis, qui cantica cecinerunt; sed Virginis. Virginis autem non cuiusvis, sed Virginis Deiparae, sanctissimae, purissimae, castissimae, intemeratae, intactae, inviolatae, Virginis fecundae, Virginis perpetuae.

Carmen triumphale Mariae

3 Mos erat antiquis post victorias, aliaque beneficia Deo laudes canere, et carmen gratulatorium, sive triumphale in grati animi significationem peragere. Sic Moyses cum Maria sorore ob demersum in mari rubro Pharaonem Deo in gratiarum actionem cecinerunt, Exod. 15. Sic Debbora post occisum Sisaram, ad laudem Dei canticum composuit, Iudic. 5. Sic populus israeliticus post puteum divinitus ostensum cecinit, Num. 21, 17. Sic David non solum suo, sed etiam alieno ore accepta divinitus beneficia declaravit; nam postquam arcam foederis Ierosolymam introduxit, quatuor cantorum principes instituit, 1 Paral. 15, 17, et 16, 41. Sic Iudith post Holofernem iugulatum triumphum decantavit, Iudith 16. Sic Ezechias post sanitatem restitutam, Isai. 38, 10. Sic tres pueri post flammas fornacis babylonicae consopitas, Dan. 3, 32. Sic alii post alia beneficia Deo gratulatoria, et triumphalia carmina reddiderunt. Haec omnia cantica hoc canticum triumphale Virginis adumbrabant, quae non Pharaonem in mari submersit, non Sisaram confodit, non Holofernem truncavit; sed diabolum devicit, serpentis antiqui caput contrivit, et totius generis humani hostem propulsavit; quare carmen illius merito triumphale dicitur.

Cantica triumphalia diversorum.

Virginis epithalamium

Nunquam ullius principis nuptiae celebrantur, in quibus non cantetur oda aliqua ingeniosa in gratiam tam sponsi, quam sponsae. Multo magis congruum fuit, supremo mundi Principi nuptiis suis naturam humanam dignanti epithalamium canere, tam nobiles sponsos laudibus prosequi, tam mirabiles nuptias depraedicare. Hoc epithalamium multo ante per Salomonem Deus sibi cani voluit, cum Cantica canticorum cum conscribere fecit, in quibus Deus cum Ecclesia velut sponsus cum sponsa colloquitur, non se Deum, Dominum, fortem, omnipotentem, quae nomina terrorem incutere possent, nominat; sed sponsum, fratrem, amicum, dilectum, quae nomina ad amorem fovendum vel excitandum pertinent, appellat. Verum epithalamium Virginis nostrae illud antiquum tantum praecellit, quantum figuratum figuram, veritas umbram superat. Ibi sponsa, puta Ecclesia Verbi divini unionem cum natura humana postulat sub metaphora: *Osculetur me osculo oris sui*, Cantic. 1, 1. Hic unio ipsa naturae divinae cum humana cernitur. Ibi sponsa quaerit: *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Hic in thalamo, puta Virginis utero requiescens ostenditur. Ibi sponsa poscit: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Hic iam sponsa, id est, Ecclesia in odorem sponsi sui currit, immo volat; quoniam Christus homo factus, et natus, odorem suavissimum in omnem mundi partem diffudit, quo angelos e coelo, pastores a Iudaea, magos ex Oriente, gentes barbaras ex toto terrarum orbe ad sui cognitionem traxit. Ibi sponsa quaerens sponsum non invenit. *In lectulo meo... quaesivi illum, et non inveni*, Cantic. 3, 1. Hic iam in virginei uteri thalamo praesens cernitur, et invenitur. Ibi desiderabat sponsa Christum videre: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris, et deosculer te?* Cantic. 8, 1. Hic iam adest conceptus, et post paucos menses nasciturus, uberibus Matris Sanctissimae lactandus. Vide quam bene canticum Dominae nostrae epithalamium dicitur. 4

Cantica canticorum sunt epithalamium Christi, et Ecclesiae.

Cantici canticorum cum cantico mariano antithesis.

Dulcissimum atque eruditissimum Mariae canticum

O quam miram, quam ingentem aeternae dulcedinis suavitatem Virgo Beatissima praesensit, cum Christum in utero concepit. Abraham ex sola prophetica cognitione Verbi incarnati tanto gaudio perfusus est, ut de eo Christus diceret Ioan. 8, 56: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit, et gavisus est.* Quantum putas gaudium Maria habuit, cum non per tropos, non per figuras, imagines, aut umbras Deum vidit, sed in hospitio uteri sui ex sanguine proprio conceptum habuit? Illi, credo, Isaias in spiritu cecinit 12, 6: *Exulta, et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.* David quoque in persona eius cecinisse videtur psalm. 83, 2: *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Exultet Maria, et prae laetitiae magnitudine consueta silentii claustra reserans, canit: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* 5

Gaudium B. M. Virginis quantum, et quale.

Homo qui thesaurum in agro suo invenit, prae gaudio vadit, et vendit universa quae habet, et emit agrum illum, Matth. 13. Et Maria cur non gaudeat, cur non dulciter canat, quae invenit gratiam apud Deum, quae invenit eum, *in quo sunt thesauri sapientiae, et scientiae Dei absconditi?* Gaudet mulier cum filium parit: *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem peperit filium, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum*, Ioann. 16, 21. Et Maria Mater Christi benedicta, sponsaque Dei carissima cur non gaudeat, cur non dulciter canat, quae salva virginitate Dei Verbum concepit, absque dolore eum paritura?

Israel videns redemptionem Sionis adeo exultavit, ut diceret ps. 125, v. 1: *In convertendo Dominus captivitatem Sion facti sumus sicut consolati;* et v. 3: *Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus laetantes.* Quidni Beatissima Virgo propter eximium incarnationis opus non laetaretur, videns totius humani generis redemptionem iam adesse, mundi captivitatem iam finiri? Credo eam talia, vel his similia secum tunc locutam esse. Egone ancilla abiecta, ab omnibus sprata sum illa, in qua Deus sibi habitaculum constituit? egone in utero meo concludam eum qui continet omnia? egone Mater ero Filii Dei Regis regum, Domini dominantium, qui gubernacula regni tenet in perpetuum? egone sum quae patriarcharum desideria, populorum 6

Digitized by Google

suspiria, prophetarum oracula, patrum in lymbo captivitatem gementium lacrymas, hominum miseriam, per meum fetum fuimus? Incredibilem ergo tunc in animo concepit consolationem: tunc repletum est gaudio os eius, et lingua eius exultatione: tunc dictum est inter gentes: magnificavit Dominus facere cum illa, facta est laetans, et exultavit spiritus eius in Deo salutari suo. Quare Rupertus in cap. 1 Cant. hanc Mariae exultationem perpendens exclamat: *O beata Maria, inundatio gaudii, vis amoris, torrens voluptatis totam te operuit, totamque obtinuit, et sensisti quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Dulcissimum ergo est hoc Mariae canticum.

7 Est eruditissimum. Multa namque in eo B. V. Maria arte divina conclusit mysteria, quae erudite exponit Rutilius Benzonus episcopus recanatensis, in libro quem super *Magnificat* edidit. Quare Hugo de s. Victore homil. super feriam VI quatuor temporum Adventus, hanc de isto cantico dignam protulit sententiam: *Nemo huius cantici verba putet leviter aestimanda, quae nimirum de tam profunda conceptione prolata sunt, ut absque profunda investigatione digne penetrari non possunt. Et omne quod dictum est, ab illa summae veritatis intima luce, cui mens Virginis excellenter inhaeserat, emanavit, nec aliud quicquam dicere potuit, quae meditanda locuta non est.*

Insignis et mirabilis Beatissimae Virginis concentus

8 Insignem ostendunt nomina insignia Deo a B. Virgine in hoc cantico attributa, qualia sunt: Dominus, Salvator, potens, sanctus, misericors, verax. Magna, et insignia beneficia Virgo a Deo suscepit, ait enim: *Fecit mihi magna qui potens est.* Non explicat quaenam haec magna fuerint, nec quam magna. Quia nempe inexplicabilia sunt, et nullius creatae mentis intelligentia comprehensibilia (ausim dicere) ne ipsius quidem Virginis. Pro me stat s. Thomas a Villanova conc. 3 de nativitate B. M. Virginis: *Fecit mihi magna qui potens est; sed quam magna! Nescio an ipsamet valuit suam comprehendere magnitudinem.* Haec ille. Cum itaque Deipara Virgo magna et insignia beneficia a Deo accepisset, merito ei magna, et insignia nomina reddit. Sciens hoc esse ingenium Dei, ut cum hominibus res magnas praestat, nihil aliud ab eis exposcit, nisi sola nomina, et titulos. Quocirca Lipomanus protoparenti vitio vertit, quod a Deo magnis beneficiis auctus rusticum se in respondendo exhibuit, vocatus a Deo, *Adam ubi es?* respondit: *Vocem tuam audivi.* Non addit: Clementissime Deus, Domine meus, Creator meus, et huiusmodi, sed sine digno epitheto Deum alloquitur; largus in accipiendis a Deo beneficiis, avarissimus vero in reddendis Deo nominibus fuit. Similiter d. Chrysostomus homil. 2 premens illa verba Iob cap. 1: *Circuivi terram, et perambulavi eam,* in satanam iratus ait: Superbus, et tumens, neque sui locum, et statum sciens, neque interrogantis dignitatem, dicit: *Circuivi terram.* Plane rusticus, ac superbus satanas, qui multis donis a Deo locupletatus nomina gloriae ei surripuit. Non sic Maria; humilis, comis, beneficiorum grata, Deo gloriosa nomina, et illustres titulos, ac ingentia epitheta dat, a quo res insignes accepit, et ideo canticum eius insignis concentus dicitur.

9 *Incarnatio Christi quae mirabile in se continet.* Sed nedum insignis, verum et mirabilis concentus iste nominatur, quia nimirum mysterium incarnationis insigne et admirabile depraedicat. Mysterium incarnationis in aliis operibus divinis elucet. Primo, quod in eo duo extrema inter se distantissima, puta natura divina et humana, in uno supposito copulata sunt: principium et finis, summum et infimum, natura creata cum increata, actus purus cum pura potentia, mortale et immortale, aeternum et temporale in unum conveniunt. Secundo, quod in assumptione humanitatis tota universitas creaturarum illustrata, nobilitata, et quodammodo ad esse divinum elevata est. Omnia quippe creaturae habet aliquid homo; habet commune esse cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Cum ergo homo in unitatem personae divinae assumitur, tota quodammodo creatura in eo sublimatur. Quia igitur in hoc cantico tam insigne, tamque admirabile mysterium decantatur, merito insignis, et admirabilis Mariae concentus nominatur.

Divinum et excellentissimum Mariae canticum

10 Est vere divinum. Nam, sicut Deus, omnes perfectiones creaturarum in seipso formaliter, et excellenter, sive, ut aiunt theologi, eminenter claudit. Maria soror Moysis cecinit populi israelitici liberationem: Maria Deipara canit totius generis humani salutem. Cecinerunt Israelitae ob puteum divinitus effossum: Maria canit ob fontem aquae vivae inventum. Debbora cecinit triumphum, quem de Sisara hoste populi sui tulit: Maria canit triumphum, et victoriam quam de hoste antiquo, daemone, carne et mundo reportavit. Anna canit partum Samuelis: Maria canit partum Christi Salvatoris. Iudith cecinit Holofernis capitis amputationem: Maria canit diabolici capitis contritionem. Isaias cecinit generis humani redemptionem, quam in spiritu futuram praevidit: Maria canit mundi restaurationem, quam re ipsa in seipsa iam inchoari sensit. Tobias cecinit pro accepta a caecitate curatione: Maria canit pro totius generis humani illuminatione. Ezechias rex cecinit pro vitae temporalis prorogatione: Maria canit pro aeternae vitae toti generi humano collatione. Salomon cecinit pro praevisa in spiritu Christi cum Ecclesia desponsatione: Maria canit pro iam facta et consummata Christi cum Ecclesia unione. Tres pueri in fornace babylonica canunt pro sua in mediis flammis conservatione: Maria canit pro virginitatis suae mira integritate. Simeon canit quia Christum semel in ulnis portare meruit: Maria canit, quia Verbum Dei incarnatum in suo utero portat. Zacharias canit quia factus est pater praecursoris: Maria canit quia facta est Mater Salvatoris. Quanta o bone Deus in uno cantico mysteria! O divinum, et excellentissimum Mariae canticum! *Canticum Mariae omnia cantica sacra continet.*

Sanctissimum et divinum Mariae encomium

In singulis enim huius cantici versibus divinam magnificentiam mirifice extollit. In primo, absolutam eius potestatem praedicat, cum non filium, non sponsum, sed Dominum vocat: *Magnificat anima mea Dominum.* Hoc sensu olim regina Esther eum laudabat: *Dominus universorum tu es, et in ditione tua cuncta sunt posita.* Et regius vates ps. 83: *Nomen tibi Dominus, tu solus Altissimus super omnem terram.* In secundo, magnificat redemptionem, et salutem. *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* In tertio resonat benignitatem Dei in respectione humilium, et beatificatione eorum. *Quia respexit humilitatem ancillae suae; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* In quarto decantat liberalitatem in operatione mirabilium. *Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius.* In quinto extollit Dei clementiam in misericordia, et miseratione erga timentes eum. *Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum.* In sexto depraedicat Dei potentiam in superborum et arrogantium confusione, ac dispersione. *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* In septimo collaudat Dei magnificentiam in humilium exaltatione, et potentum depressione. *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* In octavo commendat eius magnificentiam in esurientium saturatione, et divitum derelictione. *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.* In nono laudat magnificentiam in perditorum restauratione et miserorum susceptione. *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae.* In decimo magnificat Deum in exhibitione, et impletione eorum, quae ipse patribus antiquis pollicitus erat. *Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, et semini eius in saecula.* Vides quam sanctum, quam divinum sit istud Mariae encomium. Quamobrem merito ab aliis vocatum est *symbolum marianum.* 11

Compendium divinorum sacramentorum

Vere compendium; continet enim Verbi divini incarnationem, eiusdem nativitatem, gentium vocationem, Iudaeorum reprobationem, peccatorum remissionem, gratiae divinae collationem, inferni devastationem, coelestis beatitudinis consecutionem. 12

Suavis harmonia Deiparae

O quam dulciter cecinit coelestis haec luscinia, id est, Virgo integerrima, nihil in eius musica suavissima obstrepebat. Nos enim canimus, raucum sonum edimus. *Raucedo enim animi peccatum est,* inquit Origenes hom. 6 in Leviticum. Virgo clarissima semper voce absque ullius raucedinis, id est, peccati vesti- 13

gio (1) Dei laudes celebrabat, quia nulla vel tenuis peccati raucedo eam occupabat. Vox eius tota canora, tota suavis erat, quia spiritus divini flamine, dum canebat, afflata erat. Dulce melos, dulce canticum est, dum quispiam Deum eadum ore, verum et vita et opere laudat. Quare d. Augustinus in psal. 148: *Cum laudatis*, inquit, *Deum, toti laudate; cantet vox, cantet vita, cantent facta*. Sanctissima Virgo pie vivere nunquam cessavit: unde semper Deum perpetuo sanctissimae vitae cantico laudavit. Erat eius vita perpetuum canticum, ac novum canticum, quia nova vita erat, inaudita, et nunquam conspecta. Nos frigide Deum laudamus: B. Virgo ardentissime laudabat, quia eius maiestatem amore perfecto complectebatur. Unde eius canticum tantum Deum oblectavit, ut ad eam diceret Cant. 2, 14: *Sonet vox tua in auribus meis.*

Mariae cythara perfectissime temperata

14 Instrumenta musica saepe ob subintrantem pulverem raucescunt, aut suavitatem amittunt: in marianum autem organum nec minimus peccati venialis pulvisculus unquam subintravit(2): nulla unquam discordia, aut rebellio carnis adversus spiritum in ea constitit. Unde cythara eius temperatissima suavi sua melodia nunquam carere potuit. Discite sacerdotes, religiosi, monachi, quorum nocturnus, diurnusque labor est hymnis, psalmisque decantandis intendere, exemplo Mariae Deo canere; cythara vestra, hoc est vita vestra sit temperata, pura, honesta.

Evangelica doctrina Mariae

15 Multas siquidem, easque praeclaras evangelicas doctrinas hoc canticum Mariae continet. Primo, ex eo discimus Deum magnificare, et hoc, sensu Origenis hom. 8 in Lucam, est animam suam, quae Dei imago est, magnam virtutibus facere; quemadmodum is regem magnificare dicitur, qui eius imaginem egregie pingit. Virgo Beatissima Deum magnificavit, quia animam suam singulari Dei ope tam magnam fecit, ut cunctis seraphinis praecelleret. Si is regem magnificat, qui imaginem eius egregie depingit; quantum putas Virgo Beatissima Regem coeli magnificavit, quae animam suam illius imaginem pulcherrimis omnium virtutum coloribus ita depinxit, ut omnium angelorum pulcritudinem superaret? Rursus Deum magnificavit, cum ei ex carnis suae substantia tegimen mortalitatis subministravit. Magnificatus fuit Christus in corpore d. Pauli, cum pro eo constanter sive vivere, sive mori non recusabat, dicens: *Magnificabitur Christus in corpore meo, sive per mortem, sive per vitam: mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum*, Philipp. 1, 20; quanto magis magnificatus fuit, cum in virgineo thalamo tegimen nostrae mortalitatis induit? Magnificatus sane. Hinc Ecclesia in officio nativitatis Domini canit: *Rex pacificus magnificatus est, cuius vultum desiderat universa terra*. Et rursus: *Magnificatus est Rex pacificus super omnes reges universae terrae*. Discimus igitur ex hoc cantico ab optima virtutum magistra Deum magnificare tum ore, tum opere, tum virtutum exemplo.

Magnificare Deum quid.

B. Virgo quomodo Deum magnificavit.

Documenta ex cantico *Magnificat*.

16 Secundo, discimus omnia nostra in Deum referre, ut sicut illustrissima coeli Regina tot gratiarum muneribus aucta nihil sibi arrogat, nullam gloriae, seu magnificentiae partem sibi tribuit, sed totam in Deum confert, ut paulo superius in discursu proxime praecedenti deduximus: ita et nos quicquid in nobis boni invenimus, id totum in Deum totius bonitatis fontem referamus. Scriptum namque est: *Ad locum unde exeunt flumina, illuc et revertuntur, ut iterum fluant.*

17 Tertio, discimus Deo pro beneficiis gratias agere. Uberrimas gratias Virgo a Deo acceperat: uberrimas quoque ei gratias agit, cum eum in cantico suum Salvatorem vocat. Sane Christus totius generis humani Salvator est, at tamen Virgo Beatissima eum Salvatorem suum vocat, quasi se solam redemisset. *Exultavit*, inquit, *spiritus meus in Deo salutari meo*, et commune beneficium suum peculiare facit. Quia nimirum gratus animus beneficium in se collatum tanti aestimat, ut quamvis illud omnibus exhibitum sit, quasi sibi soli exhibitum fuisse credit. Id etiam ante me in d. Paulo d. Chrysostomus notavit premens illa ipsius verba Galat. 2. *Qui dilexit me, et tradidit seipsum pro me. Quid facis Paule*, ait hic s. pater, *dum communia propria tibi vindicas, quaeque pro toto orbe terrarum facta sunt, tibi facis peculiaria? Declarat par esse ut, quisque nostrum non minus gratias agat Christo, quod totum mundum redemerit, quam si ipsummet solum redemisset; neque enim recusaturus erat vel ob unum tantum exhibere dispensationem* (3).

Gratitudo beneficiorum Dei in B. Virgine.

Quarto discimus, quod in nobis debeat exultare spiritus, non caro. Canit enim tympanistria nostra: *Et exultavit spiritus meus*, etc. Spiritus exultat, cum carnem vincit, cum ratio appetitui sensitivo dominatur, cum eius prava desideria cohibet, et voluntatis imperio obsequentem facit. Caro exultat, cum prava sua desideria adimplet, uti exultabant illi qui dicebant: *Venite ergo, et fruamur bonis quae sunt, et utamur creatura tanquam in iuventute celeriter. Vino pretioso, et unguentis nos impleamus: et non praetereat nos flos temporis*, Sap. 2, 6, 7. In his non dominatur id quod spirituale est, sed quod animale: non regnat spiritus, sed caro contra illud Apostoli Rom. 6, 12: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*. Itaque Virgo non carne, sed spiritu exultare docet, et quidem non in creaturis, sed in incommutabili bono, qui est Deus. *In Deo salutari meo*. Haec igitur est evangelica doctrina Mariae, hic catechismus perfectorum.

18 Spiritus quando exultat.

Caro quando exultat.

Vaticinium Mariae

Hoc est epithetum Origenis hom. 8 in Lucam. Prophetica cantica nonnulli cecinerunt. Moyses qui ad litteram Iudaeorum in terram promissionis ingressum, allegorice vero gentilium in Ecclesiam, ac tandem in coelestem patriam aditum prophetavit, dicens: *Introduces eos, et plantabis in monte haereditatis tuae, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine*, Exod. 15, 17. Isaias qui abundantiam coelestium bonorum, et spiritualium charismatum in nova Ecclesia futuram, et ex Christi vulneribus hauriendam prophetico spiritu praedixit: *Haurietis*, inquiens, *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis in die illa: Confitemini Domino, et invocate nomen eius*, Isai. 12, 3, 4. Abacuc, qui in suo cantico Christi Domini de morte, ac diabolo victoriam illo carmine praecinuit: *Ante faciem eius ibit mors. Et egredietur diabolus ante pedes eius*. Simile est hoc canticum, et ideo merito vaticinium Mariae appellatum; expresse enim prophetiam Mariae continet, cum se beatam, ac felicem praedicandam ab omnibus generationibus praedicit. *Beatam*, ait, *me dicent omnes generationes*. Et vero non solum Elisabetha, sed et omnes generationes, tam quae praeterierunt, et quae sunt, quam quae erunt, eam beatam praedicant, ut inferius epitheto sequenti fusius monstrabimus. 19

Psalterium decachordum

Quia decem versibus, quasi decem chordis constat. Cum itaque Virgo Beatissima hos decem versus canit, velut in psalterio decem chordarum Deo laudem dicit secundum id, quod regius vates longe ante canebat: *Deus canticum novum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi*. Aptissime autem canticum istud psalterium decachordum appellatur, quia decem magna mirabilia 20

(1) Intellige de totali exemptione ab omni labe sive originali, sive actuali; nam etiam de eo qui habuit peccatum, et postea totaliter est deletum, potest dici quod non remanet in eo vestigium peccati facti, uti quando totaliter deletur impressio, idest *vestigium* pedis in pulvere. Quocirca ad tollendam aequivocationem praesertim in publico, ad honorem immaculatae Virginis melius dicendum absolute: absque ulla omnino raucedine, id est peccato, etc. *Editor.*

(2) Etiam hic advertendum est, quod non sit facienda mentio tantum de peccato veniali, quod est actuale; sed etiam de originali, quod non habuit: immo quia nomine pulveris, de quo etiam religiosa corda sordescunt, possunt venire etiam defectus ex infirmitate humana, qui non attingunt veniale peccatum, quos etiam B. Virgo non est passa; unde dicendum est absolute, et praecise: nec ullus omnino peccati, vel defectus pulvisculus subintravit. *Editor.*

(3) At pro B. Virgine adest revera ratio specialis redemptionis, quae non est communis omnibus. Redempta enim fuit, ut omnes norunt, et est de fide, redemptione praeservativa, quatenus a gratia praeventa in primo instanti peccatum originale non contraxit. Praeter quam quod plenitudo gratiae, quam Spiritus sanctus in eam diffudit ex meritis Filii, qua ipsa una est sanctior omnibus sanctis et angelis simul etiam sumptis, secundum sententiam communissimam, fecit ut in eam Christi merito specialissimo modo derivaverint: sic proinde dicendum merito eius redemptionem fuisse singularem. *Editor.*

virgineo ore in eo praedicantur. 1. Suprema Dei potestas, et eminens dominium. *Magnificat anima mea Dominum.* 2. Ineffabile redemptionis beneficium. *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* 3. Clementia, qua humanae abiectionis miseriam respexit, et respiciendo sublevavit. *Quia respexit humilitatem ancillae suae; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* 4. Magna, et inaudita eius potentia, ac eximia sanctitas. *Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius.* 5. Late exundans eius misericordia, quae in mysterio incarnationis maxime enituit. *Et misericordia eius a progenie in progenies.* 6. Rectissima eius iustitia. *Fecit potentiam in brachio suo.* 7. Magna eius potentia in debellandis superbia. *Deposuit potentes de sede.* 8. Immensa bonitas in satiandis esurientibus. *Esurientes implevit bonis.* 9. Auxilium in suscipiendis miseris. *Suscepit Israel puerum suum.* 10. Fidelitas in promissis. *Sicut locutus est ad patres nostros.* Quare merito appellatum est hoc canticum, *psalterium decachordum.*

Primus novi testamenti hymnus

21 Canisii celebris theologi epithetum. Vere primus, nullum enim unquam suavius, aut melius melos ab ullo cantatum est, sed nec a quoquam, antequam a Maria cantaretur, cantari auditum est. Nec decebat profecto ab angelis, aut hominibus ante cantari, quam a Virgine quae prima incarnati Verbi gaudia praegustare, ac delibare merebatur. O canticum canticorum omnium! Hinc Zacharias cantare didicit: *Benedictus Dominus Deus Israel;* hinc angeli: *Gloria in excelsis Deo;* hinc Simeon: *Nunc dimittis servum tuum, Domine.*

Omnia antiquae legis cantica huius cantici umbrae, et figurae fuerunt: proinde illa antiqua, istud novum. Bene novum, quia multae novitates simul in eo concurrunt. Nova cantatrix, quia Virgo et Mater; *Novum faciet Dominus super terram, mulier circumdabit virum.* Nova mysteria canit, quia Deum hominem factum praedicat. *Omnium autem novorum incarnatio Christi est maxime novum,* teste s. Damasceno lib. 3 de fide. Nova amoris, humilitatis et religionis affectu haec mysteria manifestat. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.*

22 *Magnificat* cur in vesperis cantetur. Ex ore Virginis canticum hoc Ecclesia didicit, quod quotidie in horis vespertinis canit, Deiparae Virgini se conformans, quae duabus vel tribus horis post meridiem ad domum Elisabeth veniens hoc canticum fere ad vesperam cecinisse creditur, ut erudita probat Rutilius Benzonus in commentariis super Magnificat lib. 1, cap. 10.

23 Venerabilis Beda huius vespertini cantus morales quidem, sed pulcherrimas rationes adducit. Vespertina, inquit, hora potius, quam alia canticum hoc in Ecclesia canitur. 1. Quia Deipara in ipso vespero, id est, in fine mundi suo singulari assensu mundo succurrit perdito. 2. Quia per hoc fit incarnationis in vespere mundi factae iugis recordatio. 3. Quia Deipara ipsa est stella maris quae in huius mundi vespero nobis lucere coepit, sicut vesper stella, a qua nomen traxit vespertinum officium. 4. Ut mens nostra per diem variis cogitationibus fatigata, imminente quiete, scilicet noctis tempore, recolendo dicta Dei Genitricis, quicquid superfluum, vel nocivum diurna cogitatio contraxit, totum hoc precibus et lacrymis, ea intercedente, mundetur. 5. Quia Virgo portavit Dominum in vespere mundi.

24 *Magnificat* cur singulis diebus Ecclesia canit. Singulis autem diebus illud canit, quatenus animos fidelium ad iugem dominicae incarnationis memoriam excitet, et ad exempla Dei Genitricis Mariae, quae in hoc cantico relucent, et a nobis explicata sunt, provocet.

25 Per canticum *Magnificat* multa mirabilia patrata. Propter huius cantici recitationem plurima a Deipara beneficia collata memorantur apud Caesarium lib. 7 exempl. c. 26, et sequenti; apud Cantipratanum lib. 2 apum, c. 29; apud Iacobum de Varagine ser. in festa annuntiationis; apud Pelbartum lib. 1, part. 4, c. 2, et lib. 12, part. ult. c. 6, quae diligenter collegit Rutilius Benzonus super Magnificat lib. 1.

26 S. Maria Oegniacensis *Magnificat* moribunda canit. Hoc canticum s. Maria Oegniacensis moribunda decantabat, non modo ut affectum suum erga Virginem, sed etiam ut studium suum, quo tota vita exarserat, eius humilitatem, et gratitudinem imitando moriens testaretur. Nec defuit illi pia Mater, quae eam admonuit, ut extremo sacri olei Sacramento tempestive se perungi faceret; et illi morienti cum apostolis adfuit, immo et cum ipso Christo Domino, qui crucis suae salutare vexillum ad morientis pedes affixit, victoriae illius argumentum, qua de hostibus per crucis humilitatem triumpharat. Ex eius vita.

B. Virgo ei apparet.

27 Discipulus. Non absimile est, quod refert Ioannes Herbart noster qui studio humilitatis seipsum discipulum appellavit, in suo promptuario lib. 7 illustr. miraculorum, c. 51. Cum quidam monachus in B. Virginem mirifice studiosus in horis recitandis memoriam haberet B. Virginis, et praesertim in cantico *Magnificat*, non solum in singulis versibus, sed etiam in singulis verbis, transactis iam septemdecim annis in Ordine, cum morti appropinquaret, apparuit ei B. Virgo, eique mortem post diem septimum praedixit; et singulari eum exornare volens privilegio, brachiis suis collum monachi cingens eum osculata est, eique suam benedictionem dedit. Postea die septimo coram priore monasterii iterum apparens, angelorum, sanctorumque agminibus cincta morientem monachum consolata est, donec ille summa iucunditate et gaudio plenus Deo spiritum redderet.

Monacho *Magnificat* devote canenti B. Virgo apparet, eumque osculatur.

28 *Magnificat* daemonibus terribile. Hoc cantico daemones maxime torquentur, praesertim cum illa verba in daemonum confusione dicuntur: *Quia respexit humilitatem ancillae suae; ecce enim ex hoc beatam*, etc. et illa: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Quod quotidiano experimento, et observatione se didicisse narrat Rutilius Benzonus l. 1, c. 21 super *Magnificat*, et maxime Laureti, ubi praefatus auctor episcopum egit. Faxit Deus, ut hoc canticum exemplo Virginis canora voce, absque ulla peccati raucedine quotidie canamus. Amen.

DISCURSUS CCLIV

DE OFFICIO B. M. VIRGINIS

1 Sabbatini officii maioris de B. M. Virgine quis auctor. Duplex officium de B. M. Virgine Ecclesia celebrat, maius videlicet, et minus; maius pluribus psalmis, ac precibus constat; minus paucioribus. Maius prius usurpare coepit sanctus Ildephonsus archiepiscopus toletanus qui circa annum Domini 660 floruit. Hic post editum de perpetua Deiparae virginitate librum, novem lectiones in officio ad Deiparae honorem quolibet sabbato dicendas confecit. Cumque quadam die sabbati admirabilis in Ecclesia harmonia resonaret, arbitratus canonicos eo absente matutinum officium persolvere, ocius cum suis ad Ecclesiam perveniens admirabilem vidit claritatem, et angelorum choros officium illud a se editum decantantes, ac B. Virginem quam angeli laudabant, in episcopali cathedra residentem, quae absolutis matutinis, s. Ildephonso ad se vocato, casulam ad celebrandum coelitus allatam illi dedit. Pelbartus lib. 4 stellarii Virginis, p. 4, art. 3, c. 2.

2 Ordo quoque cluniacensis qui coepit anno Domini 812, idem officium singulis sabbatis extra quadragesimam, et nisi occurrat aliqua alia festivitas, suis recitare iussit, ut patet ex ordinario eorum.

3 Sanctus item Gerardus episcopus csnadiensis in Ungaria, qui obiit anno Domini 1047, singulis sabbatis cum novem lectionibus, ut in die assumptionis B. Mariae Virginis, in honorem eius sanctissimae Matris officium explebat. Surius in eius vita die 4 septembris.

4 Officium parvum de B. M. Virgine a quo compositum. Piam hanc colendi B. M. Virginem consuetudinem Urbanus II pontifex maximus in Concilio claromontano anno Domini 1094 approbavit. Insuper officium parvum de B. Virgine a Petro Damiano compositum (1), quotidie dicendum constituit, decrevitque ut omnes Ecclesiae clerici exemplo monastico officium B. M. Virginis quotidie recitarent. Cum enim sacram expeditionem christianorum in Terram sanctam ad eripiendam de manibus infidelium Ierosolymam adornaret, ad implorandam Dei Genitricis opem hanc devotionem instituendam in animum duxit. Quantum vero Virginis preces apud Filium valuerint, sacrae illius expeditionis felix eventus declaravit; nam anno Domini 1099 christiani, duce Godefredo, magna omnium gratulatione Ierosolymam ceperunt, eamque multis annis strenue retinuerunt; donec postea nostris peccatis exigentibus in Saracenorum manus deveniret. Decre-

(1) Re melius considerata, nunc conveniunt eruditi s. Petrum Damianum non fuisse institutorem, sed restitutorem et promotorem officii parvi B. Virginis. Cardinalis Bona in tractatu de Div. Psalm. cap. 12, p. 2 dicit: *In utraque ecclesia graeca, et latina horas S. Mariae institutas invenio trecentis et amplius annis ante Damianum*; et citat etiam pro sententia super expressa gravissimos scriptores. Vide etiam Paggi *in breviario rom. pontif.* in vita Urbani II. *Editor.*

tum Urbani II de recitando quotidie parvo officio B. M. Virginis in principio vim praecepti non habuit, neque vim ullam ante 400 annos obtinuit, ut Sotus noster lib. 1 de iustit. et iure, q. 7, art. 2 adnotavit. *Alioquin*, inquit, *in Ordine s. Dominici non esset fratribus iussum, ut surgentes illud in dormitorio persolverent*, idque a 400 annis. Verumtamen postea adeo religio invaluit, ut vix iam sit qui audeat negare praeceptum, praesertim illis diebus in quibus a tempore immemorabili, ex praescripto constitutionum vel rubricarum breviarii in choro recitari consuevit, consuetudine vim praecepti habente in Religionibus, qualis est nostra. Alioquin qui officium romanum, seu breviarium romanum observant in horis recitandis, a tali praecepto liberantur virtute constitutionis Pii V, quae incipit: *Quod a nobis*, edita anno Domini 1568.

Porro idem Pius V pie hortatur omnes ad illud recitandum, adiecta indulgentiarum largitione. Idem simul praecipit servandam in choro eius recitandi consuetudinem praescriptis in breviario diebus. Quin ex constitutione eiusdem, qui ex beneficio ecclesiastico obtinent pensionem, tenentur ad recitandum saltem officium parvum B. M. Virginis.

5 S. Francisca officium B. M. Virginis recitans a pluvia non madefit.

Ceterum haec pia in laudem Virginis precandi formula ita usu recepta est, ut nedum religiosi fere omnes, verum et saeculares, qui aliquo pietatis gustu afficiuntur, singulis diebus eius officii recitandi consuetudinem retineant. S. Francisca vidua romana a Paulo V nuper canonizata horas B. M. Virginis recitans sub dio, licet maxime plueret, comitibus omnibus madidis, in oratione perseverans, sola madefacta non est. Ab eius morte per librum istum horarum Deiparae plurima miracula patrata sunt. Ex bulla canonizationis Pauli V.

6 Poena devina in eos qui officium B. M. Virginis intermittunt.

Hanc piam, et sacram precandi formulam multum sibi placere ipsa B. Virgo miraculo ostendit, quod b. Petrus Damianus lib. 6, epist. 32 narrat. Statutum erat in quodam monasterio sancti Benedicti, atque per triennium fere iam servatum, ut cum horis canonicis officium B. M. Virginis diceretur. Erat in eo monasterio Gozo, monachus reprobae vitae, sed dicacis, et accuratae facundiae. Hic coepit conqueri, satis superque sufficere, quod sanctus praecepit Benedictus, nec novae adinventionis pondus debere supponi, nec nos esse antiquis patribus sanctiores, qui videlicet haec superstitiosa, et supervacanea iudicantes, psallendi nobis metam, omnemque vivendi regulam praefixerunt. Hac sane debere nos esse contentos, ne ab illa incautius declinantes per anfractus, ut invia ducamus erronei. Quid plura? Contra Reginam mundi praeliari visus est, et confecit; ad hoc nimirum fratres versuta machinatione pellexit, ut solitas B. Virgini laudes ulterius non offerrent. Sed divinum iudicium a nostrae pravitatis intuitu non dormitans in illud monasterium animadvertit, nos enim adversus illud tot adversitatum grandines, tot denique bellorum, et conflictuum exortae sunt tempestates, ut ipsis quotidie monachis minaces gladii necis exitium intentarent. Fiunt undique depraedationes, atque rapinae. Conflagrantur cum segetibus areae familiares, ac servi sancti loci crudeliter trucidantur, et non imago mortis, sed mors ipsa grassatur, adeo ut taederet iam monachos vivere, dum nequaquam possunt in procinctu certaminis amicum suae professionis officium custodire. Non paucis expensis ad Teutonorum partes imperator expetitur, pragmaticae sanctiones cum tutelis advehuntur. Sed tantundem est. In omnibus quippe studiis non fructus, sed labor supervacuus. Unde cum ego petitione fratrum saepe pulsarer, quatenus sequester accederem, et, si possibile esset, pacis inter eos foedera continuarem, hac rogantibus voce respondi: Christus est pax nostra, de qua etiam ex Virgine recens nato ab angelis dictum est: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Quia ergo Matrem verae pacis de suo monasterio proiecerunt, dignum est, ut inquietis calamitatum tribulationumque procellis, atque turbinibus agitentur. Verum ne lectorem diutius protraham; fratres illi haec, quae dixeram, non dubiis erumpentibus signis vera probantes, in arcto positi tandem ad cor redeunt, pavimento se humiliter sternunt, ac percepta poenitentia, nunquam se de cetero neglecturos solita Dei Genitricis praeconia unanimiter pollicentur. Mox itaque post illas coruscationes atque tonitrus tanta coeli serenitas redit, ut ex tunc hucusque fratres iucundae pacis otio perfruantur, ac de scyllea voragine se delatos ad portum, gubernante Filio Virginis, gratulentur. Impletum ergo est, quod per prophetam dicitur: *Revertimini ad me, et ego revertar ad vos, dicit Dominus.* Hucusque d. Petrus Damianus.

DISCURSUS CCLV

DE ANTIPHONIS ECCLESIAE IN HONOREM DEIPARAE VIRGINIS CONSCRIPTIS

1 Antiphonae unde ortum habeant.

Antiphonae in singulis horis officii ecclesiastici a s. Ignatio martyre ortum habere creduntur. Sanctus Ignatius tertius a b. Petro apostolo episcopus antiochenus, teste Socrate lib. 6 hist. cap. 8, vidit angelos alternis vicibus psallentes, indeque alternam psalmodiam in Ecclesiam induxit. Antiphona enim significat vocem reciprocam, duobus choris alternatim psallentibus. Antiphonas Graeci primi composuerunt, et apud Latinos s. Ambrosius instituit. Ex hinc in cunctis regionibus occiduis usus increbuit antiphonas in choro decantandi. Cantantur autem ante psalmos a duobus choris alternatim, ad notandam mutuam dilectionem, sive caritatem, quae in paucioribus quam in duobus consistere nequit. Post psalmos vero communiter ab omnibus cantantur, quia de dilectione commune gaudium surgit. Hinc antiphona communiter intelligitur cantilena divinis laudibus ad recreationem inserta; nihil enim amplius quam caritas animas recreat. Ita Guilielmus Durandus in Rationali divinorum officiorum, lib. 5, c. 2, num. 29, et 31.

Antiphonae cur canantur ante et post psalmos.

Varias igitur in laudem B. M. Virginis antiphonas Ecclesia canit; nihil enim magis recreat animos, quam memoria Virginis, d. Bonaventura testante, qui in Speculo c. 8 de mente d. Bernardi, ita ait: *O magna, o pia, o multum laudabilis Virgo Maria, tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te.* Non omnes hic recensere animus est, sed solum eas, quae Deiparae gratas esse specialis aliqua beneficia, vel miracula testantur. Sit igitur prima *Salve Regina.* 2

Salve Regina, Mater misericordiae

3 Hermanus Contractus huius cantici auctor.

Auctor huius sacri, et pervulgati cantici fuit vir illustris Hermanus Contractus, quem nescio, quo pacto Cuspinianus episcopum facit constantiensem. Hic in Svevis de comitum veringenium prosapia oriundus, ab ineunte aetate membris omnibus captus fuit, atque ob eam causam nomen Contracti habere meruit. Scientiam tamen divinitus accepit. Cum enim monachus in Ordine s. Benedicti factus esset, multis precibus B. M. Virginem rogare instituit, ut ipsum eo morbo liberaret. Illa vero clara voce se ei visendam praebens optionem obtulit; utrum e duobus mallet, sanusne fieri, et, ut erat, rudis et indoctus permanere, an perseverare in morbo, et in omnibus scientiis insignis evadere? Cum autem Hermanus, ut debebat, hoc posterius praetulisset, ab eo tempore mirabiles progressus in omni genere litterarum facere coepit, adeo ut neminem in eis superiorem, vix etiam aequalem habere crederetur; ac nominatim tres linguas, latinam, graecam, hebraicam ita calleret, ac si in ea natus esset. Igitur singulari erga Deiparam Virginem pietate accensus, hoc ei canticum composuit, et dedicavit circa annum Domini 1040. Is praeterea in Mariae laudem selecta quaedam, et suavis cantica edidit, quae adhuc in usu servantur Ecclesiae, uti sunt *Ave praeclara*, etc. *Alma Redemptoris Mater*, etc. *O quam gloriosum lumen*, etc. Trithemius in catalogo virorum illustrium Ordinis s. Benedicti, cap. 84.

Alias etiam antiphonas composuit.

4 S. Bernardus hoc canticum illustravit.

Hoc praesens canticum, seu antiphona, uti in piorum manus delata est, statim ab omnibus frequentari, et decantari coepit. In primis s. Bernardus, B. Virginis cultor eximius, magnam huic cantico auctoritatem conciliavit; illud namque devote recitavit, et aliquot concionibus ad monachos suos, ut nonnulli putant, miris praeconiis illustravit. Hoc pium, ac sanctum eius exercitium miraculo confirmatum est. Visitur Afflegemii in Brabantia, in coenobio s. Benedicti imago Deiparae, quae cum salutaretur a d. Bernardo dicente: *Salve Maria*, respondit intelligibili, et amica voce: *Salve Bernarde.* O beatam, et omni dignitate sublimiorem, omnibus votis expetendam salutationem!

S. Bernardus a B. Virgine salutatur.

5 Miraculum.

Idem sanctus cum Spirae in ecclesia cathedrali *Salve Regina* devotius recitat, aestu devotionis abreptus, illa postrema verba, *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria* proferens, tribus diversis locis ter genua flexit; ad quorum contactum lapis pavimenti cessit, et vestigia recepit. In cuius rei memoriam haec ipsa verba tribus aereis incisa laminis, iisdem locis humi positis etiamnum

Digitized by Google

Spirae visuntur. Guilielmus Eynsengreulus lib. 12 chron de urbe spirensi refert (1).

6 S. Bonaventura illud versibus decorat.

Hoc deinde iucundissimum carmen s. Bonaventura ducentis annis, postquam erat ab Hermano conditum, piis meditationibus, et versibus decoravit, quos habes apud Vincentium Hensbergium in viridario mariano, parte 1.

7 Salve Regina angeli canunt.

Martinus Navarrus pietate, et doctrina clarissimus, prior abbas monasterii Roncae-Vallis, in suo manuali de oratione cap. 19, n. 183, de hoc cantico ista refert: Fama est, sit, sapidam illam orandi formam *Salve Regina* olim in nostra Ronca-Valle sabbatis solitam ab angelis cantari apud quemdam fontem, quem ab eo tempore in hoc praesens angelorum fontem appellant, quam, ut aiunt alii, s. Bernardus audivit ab iisdem alibi cantari. Haec Navarrus.

8 Quare romana Ecclesia hoc canticum ut piissimum, et Virginis Mariae laudibus refertum, divinis esse adiungendum precibus decrevit. Gregorius IX pontif. max. illud auctoritate pontificia approbavit, et per omnes totius orbis ecclesias canere iussit. Innocentius IV in magno illo turbine, quem Fridericus II in Ecclesia excitaverat, remedia quaerens, clare praecepit, ut quotidie sub completorio canticum *Salve Regina* decantarent, Deo per B. V. Mariam propitiante. Albertus Krantzius in Saxonia lib. 8, cap. 10, Paulus V praesentibus in templo praedicatorum, dum haec antiphona ab eis canitur, ducentos dies indulgentiarum concessit (2).

9 Miracula per Salve Regina patrata.

Multa miracula per hoc canticum perpetrata fuisse legimus. Caesarius lib. 7, cap. 30 sacerdotem quemdam, qui hanc antiphonam *Salve Regina* identidem dicebat, a timore tonitruorum, ac fulminum, quibus nimis terrebatur, liberatum fuisse prodit merito Deiparae, quae ei ad altare oranti apparens, sic eum allocuta est: *Quia antiphonam* Salve Regina *libenter, ac frequenter decantas, nunquam tonitrua, neque fulmina, quorum timore saepius affligeris, te laedent;* et ex eo tempore liberatum se sensit. B. Sadoch hoc canticum more Ordinis nostri cum 48 fratribus processionaliter decantans, cum iis omnibus Sendomiriae coronam martyrii obtinuit. Bzovius ad annum 260.

Beatus Franciscus recitans hanc antiphonam cum muliere quadam, quae difficultate pariendi per septem dies laborabat, ubi ad illa verba *fructum ventris tui* pervenisset, mox illa sine periculo filium masculum peperit, quem etiam b. Francisco dicavit. Rutilius Benzonus in *Magnificat*, lib. 1, c. 22.

Virtute huius cantici canonicus quidam regularis in extremis vitae, cum de sua salute valde solicitus esset, per revelationem accepit se per recitatam a se frequenter, ac religiose antiphonam *Salve Regina* salvandum esse; et mox quiete spiritus accepta, animam Deo reddidit. Benzonus ibidem.

10 Dominicanorum devotio ad Salve Regina unde orta.

Hoc canticum in Ordine praedicatorum iam inde ab initio Ordinis in summa devotione fuit habitum, et frequentari coeptum hac occasione quam narro ex Bzovio ad annum 1228. 1. Cum novellus Ordo fratrum s. Dominici vario a daemone vexaretur, nam nonnullos ex iis terrebat ignea forma super eorum capita ardente; alios flammiferos dracones obiiciebat, aut asinos terribiliter cornibus armatos; alios aliis vexabat imaginibus, nec quiescere eos sinebat, adeo ut necesse fuerit adhibere per vices quiescentibus excubias. Sed et quidam Parisiis a malignis spiritibus correpti sunt, inter quos qui nascentem Ordinem exornabat, regis erat filius. Nonnulli etiam lymphatici mentis esse impotes videbantur. Quam pestem patres diffundi ac late grassari advertentes Deiparae opem implorarunt, et ne suis ipsa clientibus deesset, exorarunt, facta in perpetuum valitura oratione, ut fratres quotidie completorio peracto, processionali more in medium ecclesiae prodirent, et hanc antiphonam B. M. Virginis canerent. Quod ubi fieri coeptum est, omnes illae tartareae ludificationes discussae, ac dissipatae sunt, pax fratribus reddita, obsessi a daemone liberati, mens desipientibus restituta, denique omnia in dies prospere succedere coeperunt. Hinc in morem inductum est, ut omnis christianus, maxime in Italia, singulis eam diebus Deiparae dicat.

Porro quam gratum sit hoc melos Beatissimae Virgini, ipsa in visione cuidam devotae matronae ostendit. Marsiliae fuit quaedam mulier, Lombarda nomine, Deo in singulari vitae sanctimonia deserviens. Haec cum quadam die in aede praedicatorum interesset antiphonae *Salve Regina*, corporeis nudata sensibus quatuor mirabilia mentis oculis vidit. Primo cum caneretur: *Spes nostra salve*, vidit delapsam coelitus Deiparam canentes placido vultu resalutantem. Deinde cum fratres exclamarent: *Eia ergo Advocata nostra*, procumbentem coram Filio in genua suppliciter, et pro canentibus exorantem conspexit. Postea cum dicerent: *Illos tuos misericordes oculos ad nos converte*, vidit Deiparam placidissime eos intuentem. Et dum supplicarent: *Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende*, illam tanquam puellaribus restitutam annis, atque lactantem parvulum Iesum velut recenter natum singulis offerentem animadvertit. Postremo dum canerent: *O dulcis Virgo Maria*, leniter caput submisit, et recedentibus illis, ipsa quoque in coelum remigravit. Quae tunc mens Sanctissimae Deiparae? Quanta felicitas beatis illis obtigit patribus! A Regina coelorum, orbis universi Imperatrice salutari, complecti! Plura alia singularis amoris argumenta B. Virgo praedicatoribus exhibuit, dum hoc canticum canerent: quae vide discursu CCXXXVII. — 11 Pro dominicanis B. Virgo orat, et resalutat.

Haec audiant, haec legant male feriati idiotae, qui maiore inscitia, quam conscientia apud simplicem plebeculam mentiuntur, Ordini praedicatorum in poenam a Sede apostolica iniunctum esse, ut canticum *Salve Regina* processionali ritu extra chorum decantent, eo quod de conceptione B. M. Virginis non satis digne sentiant. Scilicet, puniret sancta Sedes apostolica praedicatores eam opinionem tenentes, quam sancta mater Ecclesia non definit, non determinat, sed indecisam esse, et in suis terminis manere vult? gratiis, ac favoribus prosequeretur, indulgentiis ornaret eos, qui inventrici gratiae, genitrici vitae minus devoti essent? ipsa Virgo Deipara honoraret eos, qui suo honori detraherent? resalutaret se lacerantes? supplicaret pro sibi adversantibus? matrem se praeberet hostibus? serenum vultum praeberet se conspuentibus? Apagete idiotae, vestris conscientiis consulite, et alios in huiusmodi errores ex anilibus nugis originem trahentes non inducite (3). — 12 Dominicanorum obtrectatores taxantur.

Eia, fratres carissimi, stultas et sine disciplina quaestiones, quae generant lites, relinquamus; de eo quod cuivis liberum est, sentire non contendamus; honoremus Matrem Dei et nostram; admiremur eius conceptionem; extollamus eius nativitatem; imitemur vitae sanctitatem, magnificemus gratiae inventricem; nostram sospitatricem exaltemus exaltatam super omnes choros angelorum, nostram mediatricem, Ordinis praedicatorum specialem patronam, advocatam, dominam. Extra chorum quotidie prompta voluntate procedamus, et dulcissimae Matri hoc suave melos occinamus, cum animi fervore et submissa devotione dicentes: 13

Salve Regina, clara regum progenies, Regis regum mater, sponsa, filia, coeli, terrae, maris regina, angelorum, hominumque domina; quam superi colunt, observant inferi; cui ancillatur terra, serviunt elementa. 14 Paraphrasis in Salve Regina.

Mater misericordiae, quae Christum summe misericordem nobis peperisti, per quem misericordiam a Deo consecuti sumus, quae nobis quotidie misericordiam a Deo precaris, et impetras. 15

Vita, quae mortem superasti, vitam gratiae impetrasti, vitam gloriae genuisti. O vita mirabilis, quae mortuos vivificas: o vita amabilis, quae mortales immortales constituisti: o vita delectabilis, quae solem illuminas, terram exhilaras, mortem calcas, perditos in salutis regnum revocas. 16

Dulcedo, quae nobis dulcissimum fructum ventris tui produxisti, et salutis antidotum suavissimum generi humano propinasti. Eva acerbum pomum posteritati tradidit, sed tu suavissimum fructum, orbis delicias, panem vitae mundo effudisti. *Dulcedo*, 17

(1) Verba praedicta: o *clemens*, o *pia*, etc. quae deerant antiphonae *Salve Regina*, s. Bernardus addidit ter genua flectendo, ut narrat auctor, cum audiret eam decantari a clericis Spirae. V. Bened. XIV in tract. de festis, in festo *Patrocinii B. Virginis*, et multos alios auctores, quos ibi citat. Hoc voluimus adnotare, ut mellifluo doctori debita gloria reddatur. *Editor.*

(2) Omnibus recitantibus canticum *Salve Regina* sunt concessi 40 dies indulgentiae. Vide s. Alphonsum M. de Ligorio in 2 p. operis *delle Glorie di Maria* in catalogo indulgentiarum, ubi refert indulgentias concessas pro variis precibus in honorem B. Virginis. *Editor.*

(3) Bene id dicit auctor pro illis theologis Ordinis sui, qui licet opponebantur sententiae piae et secundum sensum Ecclesiae, tamen cum nondum esset definita, bona fide putabant pugnare pro veritate, nullo modo iniuriam facere B. Virgini, cuius se filios amantissimos corde, et opere protestabantur, uti inter alios s. Antoninus archiepiscopus florentinus, qui solus inter sanctos Ordinis praedicatorum tenuit sententiam negantem immaculatam conceptionem, et non ideo fuit minus dilectus Virgini immaculatae, quam tam ardenti, et filiali amore prosequebatur, et cuius patrocinio ad tantam doctrinae et sanctitatis gloriam pervenit. *Editor.*

quae a tot saeculis expectata, et veterum patrum votis ardentissimis desiderata, tu nobis matrem lectissimam, et suavissimam exhibuisti, legis, ac prophetarum umbris finem imponens tristem orbem exhilarasti. *Dulcedo*, quia nihil in te amarum, nihil amarulentum, nihil terribile conspicitur, tota suavis es. *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua*, Cant. 4, 11. *Dulcedo*, quia suavissimis tuis moribus, piissimaque conversatione, verbis et exemplis dulcore plenissimis Christi Ecclesiam recreas, instruis, aedificas, et formas. *Dulcedo*, quia amaritudinem peccati expellis impetrando veniam, et dulcedinem gratiae acquiris introducendo ad vitam. *Dulcedo*, quia quotidie afflictos consolaris, et moestis laetitiam praebes. Infelix plane ac deplorandus, qui tuam dulcedinem non sentit, qui tua dicta, facta, dotes, dolores, consolationes sensu intimo non gustat.

18 *Spes nostra*, in cuius intercessione, et patrocinio post Deum potissimum confidimus; nulla enim dies, nulla quies, ac ne vis momentum quidem tenue tuis transcurrit beneficiis otiosum, quin eos qui tuam opem inclamant, mari terraque protegas, et depulsis vitae procellis salutarem porrigas dexteram.

19 *Ad te clamamus exules filii Evae*. Tu enim es Mater omnium viventium vita spirituali, sicut Eva fuit mater viventium vita corporali. Ad te ergo clamamus exules a patria, exules a visione divina, et utinam non exules a gratia, et consolatione materna. Exules filii Evae, quia superbi, praesumptuosi, ambitiosi, gulosi, carnales, inobedientes, ad malum proni, ad bonum difficiles, defectus nostros excusantes, et ubi possumus, in alios retorquentes, in omnibus Evam sequentes.

20 *Ad te suspiramus*. Ah! piissima Mater, benigna Domina, omnibus amabilis, omnibus delectabilis, omnibus affabilis, *ad te suspiramus*, ob tuam absentiam ad te venire desiderantes; *suspiramus* tuum Filium Dominum nostrum videre optantes, *suspiramus* ad te miserorum solatium, peccatorum refugium, captivorum auxilium, medicinam infirmorum, protectricem bellatorum, dominam universorum.

21 *Gementes et flentes in hac lacrymarum valle*, intus gementes, exterius flentes, in loco lacrymoso iacentes. Gemimus onerati peccatis, flemus repleti miseriis in hac lacrymarum valle. Gemimus sauciati, flemus spoliati, in hac lacrymarum valle derelicti. Gemimus solem iustitiae videre desiderantes, flemus inimicis servientes, in hac lacrymarum valle tuum auxilium implorantes.

22 *Eia ergo advocata nostra*, quae causam nostram coram throno gloriae Dei perpetuo agis, et vindictam quam meremur, clementer avertis.

23 *Illos tuos misericordes oculos ad nos converte*, quibus miserias nostras aspicias, et tuum sanctum amorem in cordibus nostris imprimas. Tuus enim aspectus peccati tenebras pellit, catervas daemonum fugat, vitia mentium purgat, corda congelata calore sancto in Dei amorem resolvit.

24 *Et Iesum*, hoc est, Salvatorem, medicum, immo ipsam salutem animarum nostrarum, vitam, et resurrectionem mortuorum. Iesum speciosum forma prae filiis hominum, nostri amantissimum, qui amore nostri de coelo descendit, laboravit, sudavit, crucem et mortem subiit. *Iesum*, qui est Sapientia Patris aeterna et increata, gaudium, et laetitia nostra, iustitia sempiterna, iustificans omnes credentes, et sperantes in se. *Iesum*, qui est vita aeterna, sanctorum felicitas, et beatitudo.

25 *Benedictum*, utpote Dei benedicti Filium, cui coelum, et terra benedicit, quem omnes videre desideramus, quem invocamus, ad quem suspiramus, cuius divinitate, et humanitate frui, et beari affectamus.

26 *Fructum ventris tui*, ex quo scaturiunt fontes aquae salientis in vitam aeternam. Fructum ex quo vitalis ille panis, corpus, inquam, Dominicum producitur, et immortalitatis salutaris potio exhibetur. Fructum dulcissimum, cuius dulcedo Stephano lapides, Laurentio craticulam dulcem fecit. Fructum prae cuius dulcedine, *ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii*, ibat Andreas ad crucem, Paulus ad gladium, Petrus ad patibulum, Ioannes ad dolium. *Ventris tui*. Ex te namque tanquam ex virga iessea hic fructus processit. Hunc ergo, o Mater, o Virgo sanctissima, o Regina augustissima

27 *Nobis post hoc exilium ostende*, quem olim in praesepio iacentem ostendisti pastoribus; in Bethlehem tribus Magis; in templo Simeoni seni, et doctoribus; in nuptiis architriclino, et invitatis; in monte Calvario in cruce Deo Patri, angelis et hominibus. Hunc nobis nunc gloriosum in coelo ostende, hoc est, precum tuarum efficacia impetra, ut ad illam perennem felicitatem patriam nostram admittamur, et fructu ventris tui omnem saporis suavitatem continente, tanquam nectare, et ambrosia suavissima repleamur, saturemur, inebriemur.

O Clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria. Clemens, ut domina; pia, ut mater; dulcis ut virgo. Clemens in subditos, pia in 28
filios, dulcis in sibi peculiariter devotos. Clemens indigentibus. Clemens peccatoribus, et insipientibus; pia iustis, et proficientibus; dulcis perfectis, te assidue contemplantibus. Clemens imperando, pia liberando, dulcis te donando. Clemens consolando, pia blandiendo, dulcis osculando. Clemens subiectis, pia correctis, dulcis praedilectis. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

Hoc tam pium, tam devotum Mariae canticum haeretici divellere, infamare, et tanquam impium, et idololatria plenum reiicere contendunt. Nostrae partes erunt, uti honorem Virginis, ita et cantica in honorem eius edita pro viribus tueri, impios confundere, pios ac devotos in fide, dilectione ac pietate erga B. M. Virginem promovere, ac firmare, ut alibi, ita et discursu qui sequitur.

DISCURSUS CCLVI

HAERETICORUM CANTICUM SALVE REGINA IMPUGNANTIUM ARGUMENTA, SEU POTIUS DELIRAMENTA DILUUNTUR, ET HUIUS CANTICI SINGULA VERBA CATHOLICE EXPLANANTUR

Ex omnibus officii ecclesiastici partibus, et precandi formulis in honorem Deiparae Virginis recitari, vel decantari solitis nihil est quod magis haereticis nostri temporis displiceat, quam hoc solemne, et celeberrimum canticum *Salve Regina*. 1

Lutherus in primis in sermone de natali B. Mariae dicit, nulla ratione in bonum sensum trahi posse. Hinc eius asseclae lutherani hoc canticum, totum quantum est, ad Christum reducere conantur, et reducunt his verbis: *Salve Iesu Christe, Rex misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra salve. Ad te clamamus exules*, etc. *Eia ergo Mediator noster, illos misericordes oculos ad nos converte, et te nobis post hoc exilium ostende. O Iesu, o clemens, o pie, o dulcis Iesu*. Id videre est apud Cornelium Schult tomo 4, parte 1. *Lutheranorum Salve.*

Petrus Pseudomartyr in comment. ad caput 3 prioris epist. ad Corinth. scribit, hanc antiphonam non posse ullo modo ab impietate defendi, cum illa omnia tribuat Mariae, quae soli Deo conveniunt. 2

Nos singulas huius antiphonae partes in B. M. Virgine rectissime convenire orthodoxe docemus, idque in solutione argumentorum eorum clare demonstrabimus.

I. Offendit haereticos initium hoc suavissimum, et devotissimum huius cantici *Salve*, quasi nos in lingua portemus salutem Mariae, quae iam sempiternam vitam in gloria aeternaliter possidet. Stolida obiectio! Virginem gloriosam sempiterna vita perfrui non ignoramus, proinde hoc verbo *Salve*, non tam ei salutem precamur, quam congratulamur secum de salute communi, quam universo generi humano peperit, qua ratione etiam Ecclesia in principio missae canit: *Salve, sancta Parens, enixa puerpera Regem*. 3

II. Torquet eos sequens verbum *Regina*, et ingratum est illis Deiparam Reginam appellari. Sed helleboro opus habent malo affectu erga Virginem excaecati. Quidni Maria appelletur Regina, quae genuit Regem regum, et Dominum dominantium, Apoc. 19? nonne et Matri tribuitur, quod tribuitur Filio, cum omnis honor filii in matrem redundet, iuxta illud Prov. 17, 6: *Gloria filiorum parentes eorum?* Rursus, nonne Regina est, quae ex regali progenie exorta refulget? Ex tribu enim Iuda, ex prosapia regis David non solum per lineam maternam, sed etiam paternam, nempe per Nathan, Beata Virgo descendit, quod fusius probatum dabimus inferius in epitheto *Regina angelorum*. 4 *Regina est B. V. Maria.*

III. Non sustinent audire illud epithetum *Mater misericordiae*. *Deus est*, inquit Petrus Martyr, *proprie Pater* misericordiarum, 2 Corinth. 1; *non ergo licet vocare Mariam Matrem misericordiae, nisi divinis honoribus eam ornare velimus*. Sed quam infirma sit haec argumenti formula, Scriptura ostendit. Nonne Christus dicitur *Plenus gratia*, Ioan. 1, 14, et tamen etiam Maria dicitur *plena gratia*, Luc. 1, 28, et Stephanus *plenus gratia*, Act. 6, 8? nonne Christus dicitur *lux mundi*, Ioann. 5 *Petrus Martyr arguitur.*

Digitized by Google

8, 12, et tamen hoc idem apostolis Christus ipse tribuit, Matth. 5, 14: *Vos estis lux mundi*? Denique, nonne in Scripturis Christus dicitur *Fundamentum*, *Pastor*, *Caput*, *Petra*, *Magister*, *Pater*, *Episcopus*, *Mediator*, et tamen haec nomina passim tribuuntur apostolis? Non igitur recte colligit Petrus Martyr, Deus est Pater misericordiarum; ergo impius est qui Mariam salutat Matrem misericordiae.

6 *Maria cur dicatur Mater misericordiae.*

Dicitur ergo Maria *Mater misericordiae*, quia peperit nobis Christum fontem misericordiae, qui in Scripturis etiam appellatur misericordia, ut psalm. 47, 10: *Suscepimus Deus misericordiam tuam*, et 30, 17: *Salvum me fac in misericordia tua*, et psalm. 84, 8: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*. Secundo dicitur *Mater misericordiae*, quia ea praecipua cura illi est cordi, ut nobis peccatoribus a Deo impetret misericordiam. Tertio, quia est valde misericors. Ea enim est Scripturae phrasis genitivum substantivum loco adiectivi ponere; ita legimus *Viri misericordiae*, id est, misericordes; *Viri sanguinum*, id est, sanguinolenti; *Deus pacis*, id est, pacificus; Pater misericordiarum, id est Pater summe misericors. Ad eundem modum Maria dicitur, *Mater misericordiae*, id est, valde misericors.

7 *Maria quomodo vita.*

IV. Displicent haereticis verba illa quae sequuntur: *Vita, dulcedo, et spes nostra*. *Christus*, ait Petrus Martyr, *est proprie vita, qui de se ait: Ego sum via, veritas, et vita. Aequatur igitur Maria Christo, cum appellatur vita.* Bis inepta consecutio. Non enim Maria est vita per essentiam, uti Deus; nec principalis causa vitae, uti Christus, de quo Act. 3, 15: *Auctorem vero vitae interfecistis*, et Ioan. 11, 25: *Ego sum resurrectio et vita*, et Coloss. 3, 4: *Cum Christus apparuerit, vita vestra*. Sed dicitur *vita*, quia peperit Christum, qui est auctor vitae nostrae. Sic etiam Eva dicta est vita. Vox enim hebraea חוה *Heva* vitam significat, quia mater futura erat omnium viventium vita animali. Immo Evae non conveniebat primo, et principaliter hoc nomen *vita*; primo enim appellata est *Virago*, Genes. 2; sed impositum fuit ei propter aliud, nempe in figuram, erat enim typus Mariae, quae vere vera vita dici meretur, cum sit Mater Christi, qui est vera vita, et per hoc etiam est Mater omnium fratrum Christi per eum viventium. Lignum vitae, quod vitam producebat, lignum vitae dicebatur, Genes. 2, 9. Sed iustius hoc nomen meretur Virgo, quae nobis veram vitam produxit.

Eva fuit figura Mariae.

8 *Maria quomodo est dulcedo.*

V. Argutatur Petrus Martyr: *Deus est proprie auctor totius consolationis*, 2 Corinth. 1; *non igitur Maria dulcedo nominari potest, nisi Deo asseratur aequalis*. Frivola, et nullius roboris ac momenti consecutio. Non enim facimus Mariam auctricem principalem totius consolationis, uti Deus est, sed secundariam. Est enim vere dulcedo in seipsa; nihil enim in ea est amarum, nihil acerbum, nihil venenosum tam culpae, quam poenae. Est dulcedo quoad nos, quia nobis dulcissimum fructum Iesum Christum Dominum nostrum de utero suo produxit, qui est gaudium, consolatio, et dulcedo nostra. Et hac ratione s. Germanus patriarcha constantinopolitanus Mariam compellans, ait: *Tu mundi universi gaudium*. Est item dulcedo Ecclesiae Christi, eo quod suavissimis suis moribus, piissimaque conversatione, et verbis et exemplis dulcore plenissimis recreat universam Christi Ecclesiam. Hinc de ea dicitur Cantic. 4, 11: *Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua*. Est alterius dulcedo, quia in omnibus suis actibus, et sermonibus erat semper, et est mansueta, lenis, et benigna. Lege in evangelio quam dulciter cum Filio dum in terris erat, loqueretur, Luc. 2, 48: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te.* Rursus considera quam dulciter cum angelo in Nazareth, cum Elisabeth in domo Zachariae locuta sit, Luc. 1. Deinum attende innumera beneficia, quibus illa semper consolata est, et quotidie consolatur afflictos. Neque enim est angulus orbis terrae, in quo non reluceat memoria aliqua beneficiorum eius. Ad extremum est dulcedo, quia omnes Christi fideles suavissime trahit ad Deum per exempla virtutum suarum. Hinc illi ad eam: *Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*.

B. V. Maria dulcedo est nedum hominum, verum et Dei et angelorum.

Et non solum nostra, sed etiam Dei, et angelorum est dulcedo. Certum est Mariam suaveolentia, ac dulcedine suae innocentiae, puritatis, castitatis ac humilitatis Dei Filium in terram traxisse; quod ipsa innuit in amoris Cantico, c. 1, v. 11: *Dum*, inquit, *esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. Accubitus regis sinus est Patris, quia semper in Patre Filius. Cum ergo Dei Filius esset in sinu Patris, nardus Mariae, hoc est, humilitas eius dedit odorem suum, quae Dei Filium adeo oblectavit, ut ipsum in terram detraheret, ut exponit d. Bernardus super Cantica.

Angelorum quoque dulcedo, et iucunditas est. Nam peperit eis restauratorem ruinarum, quae per malum angelum factae fuerant. Hinc multorum sanctorum patrum sententia est, omnes angelos Virgini in coelum ascendenti obviam venisse, et cum ingenti gloria, gaudio ac triumpho eam ad dexteram Filii collocasse. Nunc quoque gaudium est angelis faciem B. Virginis in coelo conspicere, quod in epitheto *Causa nostrae laetitiae* latius probabitur. 9

Nec modus iste loquendi abhorret a phrasi Scripturae. Si enim Apostolus scribens ad Philippenses cap. 4, v. 1 appellat eos *gaudium, et coronam suam*; et ad Philemonem v. 20: *Ita frater. Ego te fruar in Domino*: quod tamen absolute de summo bono, et summa dulcedine intelligitur; cur non liceat nobis eodem tropo dulcedinem nostram vocare Matrem Dei? 10

VI. Pergit ineptire Petrus Martyr: *In solo Deo sperandum esse testatur Propheta, qui dicit. Maledictus homo, qui confidit in homine*, Ier. 17, 5; *non ergo Maria spes nostra nominanda est, nisi forte iam homo esse desierit*. Hanc ratiunculam superius discursu XCV satis superque resolvimus, ubi deduximus non solum in principali Domino, a quo omne bonum fluit, spem esse collocandam, sed etiam in intercessoribus, et ministris. 11

VII. Postremo taxat illa verba huius cantici, *Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende*. *Deus Pater est*, inquit Petrus Martyr, *qui ad Filium credentes adducit*, Ioan. 6, *et ipse se Filius nobis ostendet, cum beatos faciet*, Ioan. 14. *Quomodo igitur Maria nobis post hoc exilium ostendet, nisi ipsa quoque sit Deus, et beatos facere queat?* 12

Huic obiectioni ipsimet haeretici calumniando orthodoxos per risum respondent. Iesum nobis, inquiunt, Maria ostendit, quia imperat Christo ut se nobis ostendat. Erasmus Roterodamus: In gremio, inquit, suo adhuc infantem circumgestat, ut cum maluerit, pro suo arbitrio illum demonstret. Lutherus conviciatur: beatitudinem nobis confert. Apage sis cum istis nugis. 13

Haereticorum stultae solutiones.

Nos a Maria petimus, ut Iesum nobis ostendat, non ut auctoritate sua beatitudinem nobis conferat; hoc enim proprium est Dei, de quo Sap. 10, 10 dicitur: *Iustum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei*; sed ut precibus suis apud Deum efficiat, quo possimus post hanc vitam Christum Filium eius ad dexteram Patris sedentem videre. Sicut enim gentiles illi rogaverunt Philippum: *Domine, volumus Iesum videre*, Ioann. 12, 21, cupientes per eum ad Iesum sibi aditum parare, et Iesum sibi ostendi; ad eundem modum nos Mariam rogamus, ut post hanc vitam nobis Iesum ostendat, hoc est, ad Iesum nobis aditum paret, ei nos praesentet, commendet, qua divinitate eius perfrui valeamus in saecula sempiterna. Amen.

Ostendi nobis Iesum a Maria quomodo petimus.

Sub tuum praesidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, etc.

Haec antiphona illustri miraculo nobilitata est. In quodam romanae provinciae oppido nonnulli ex civibus odio plusquam vatiniano se prosequebantur, ita ut unus alterius vitae insidiaretur. Inter hos fuit quidam, Horatius nomine, qui habuit fratrem Mutium, virum bonum, et pacis amatorem. Hic religiosum quemdam Ordinis capuccinorum, qui eo tempore ibidem concionabatur, adit, eique periculum in quo propter fratrem suum versabatur, exponit. Concionator monet, ut ad patrocinium B. M. Virginis confugiat, saepius in die hac oratione se ei commendet: *Sub tuum praesidium*, etc. Paret ille, et hanc antiphonam singulis diebus maiore quo poterat, cordis ardore recitat. Contigit ut prima quadragesimae hebdomada hostes venirent, qui Horatium, et Mutium ad necem quaerentes cuniculos ignivomos subterraneos sub domo eorum foderunt, quo vi ac impetu sulphurei pulveris domum everterent, ac habitatores delerent. Sed Mater misericordiae sibi devotorum memor eis succurrit, et ab imminenti periculo domum tutata est. Nam ignis ille modicam tantum parietis partem disiecit, ita ut aliqui tantum lapides, et calcis fragmenta in cubiculum, ubi familia dormiebat, caderent, ut appareret quantam ignis ille ruinam afferre potuisset, si divinitus repressus non esset. Illucescente die, omnes ad ecclesiam vadunt, Deo gratias agunt, qui per B. M. Virginis intercessionem eos a periculo mortis liberavit. Mutius in sua devotione persistens rursus hostes ad se venientes videt, quorum iram declinans mox in naviculam, quae forte ad litus stabat, ascendit, melos consuetum B. M. Virgini 14

Antiphonam Sub tuum praesidium recitans a praesenti mortis periculo liberatur.

Digitized by Google

occinit: *Sub tuum praesidium confugimus*, etc. Hostes in litore stantes accurrunt, sclopetis ipsum appetere non cessant, percussit glans plumbeus peram, quam Mutius gestabat, sed gestantem non laesit. Ergo confidentius in oratione persistens suam salutem Beatissimae Virgini commendabat per antiphonam solitam. Inimici ignea tela contra ipsum torquebant, ille coelum precibus pulsabat.

Mira res! Ignei globuli crebris ictibus pallium, sagum, et subuculae manicas ubique perforaverunt; Mutium tamen minime laeserunt. Ergo ab oculis inimicorum recedens Beatissimae Virgini suae protectrici impensius gratias egit. Augustinus Manni in historia rerum mirabilium in Ecclesia Dei gestarum, cap. 74.

Alia miracula ad recitationem huius antiphonae patrata vide apud Antonium de Balinghem die 3, et 24 maii.

Regina coeli laetare, Alleluia

15 Hac antiphona ab angelis primo veneratam fuisse gloriosam Dei Genitricem in historiis ecclesiasticis legimus. Anno Domini 596 saeva pestis inguinaria Romam occupaverat, quae plurimos mortales, et Pelagium pontificem extinxerat. Divus Gregorius papa Pelagii successor ad placandam iram divinam solemnem supplicationem Romae indixit. Factum est cum sacram iconem Deiparae, quae nunc in ecclesia Sanctae Mariae maioris religiose colitur, per urbem in processione deferret, angelus supra molem Adriani apparuit, qui gladium primo exertum in vaginam recondidit in signum Numinis placati.

Angeli Deiparae antiphonam canunt. Ferunt, tunc angelorum chorum in sublimi hanc antiphonam Deiparae cecinisse: *Regina coeli laetare, Alleluia. Quia quem meruisti portare, Alleluia. Resurrexit, sicut dixit, Alleluia.* Tunc d. Gregorius subiunxit: *Ora pro nobis Deum, Alleluia.* Vide Baronium anno quo supra.

DISCURSUS CCLVII

DE RESPONSORIIS IN HONOREM DIVAE VIRGINIS IN ECCLESIA DECANTARI SOLITIS ET ALIQUO MIRACULO NOBILITATIS

1 Responsoria cur ita dicta. Responsoria dicuntur, quia lectionibus, quibus subiiciuntur, respondent, id est, consonant. Cum igitur in Ecclesia lectiones de B. M. Virgine saepius legantur, saepius etiam responsoria eisdem subiiciuntur. Ea tantum commemorare placuit, quae aliquo insigni miraculo, seu prodigio claruerunt. Sit igitur primum in festo purificationis ab Ecclesia decantari solitum

Gaude Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti, quae Gabrielis archangeli dictis credidisti, etc.

2 Hoc responsorio perpetua Deiparae virginitas colitur, et in confusionem Iudaeorum, aliorumque eius virginitatis hostium publice decantatur. Porro quam gratum sit Deiparae Virgini hoc canticum, insignibus miraculis comprobatum est.

Primum miraculum. Romae tempore Bonifacii IV pontificis, cum de perpetua Mariae virginitate cum Iudaeis esset altercatio, clericus quidam caecus inspectante populo, in templo quod olim Pantheon, hodie s. Maria ad martyres, sive Rotunda dicitur, et in festo purificationis B. M. Virginis, cum hoc responsorium in Iudaeorum confusionem decantaret, lumen divinitus recepit. Quare in huius rei memoriam ordinatum esse dicitur, ut illud in officio purificationis B. M. Virginis diceretur. Id scribunt Thomas Cantipratanus noster in libro apum, in appendice exemplorum ad 2 lib. Pelbartus in Stellario B. M. Virginis, lib. 2, part. 3, cap. 2. Hoc responsorium etiam in breviariis romanis ante Pii V reformationem habebatur, et hodie in breviariis nostris retinetur, et solemniter in primis vesperis, et in matutinis precibus festi purificationis B. M. Virginis decantatur.

3 Secundum miraculum. Aliud miraculum ad hoc responsorium patratum refert Pomerius lib. 12, parte ultima, c. 1. Quidam puer cum hoc responsorium in scholis didicisset, et pulcra voce per plateas civitatis, et portas civium gratia obtinendae eleemosynae decantasset, Iudaei qui in illa civitate in magno numero erant, id iniquo animo ferebant, quod saepe illa verba inibi posita: *Erubescat Iudaeus infelix, qui dicit Christum ex Ioseph semine esse natum*, audissent. Unus itaque ex ipsis puerum fructibus, et aliis bellariis allectum in domum suam vocavit. Puer simplex Iudaeum secutus est, ubi loco bellariorum vulnus lethale in gutture accepit, et percussus interiit. Mater eius paupercula vidua filium diutius quaerit, sed frustra. Hoc solum a civibus audivit, quod puer ille visus sit a plurimis portas illius Iudaei intrasse, sed an inde exierit, nec ne, nemo testimonium dabat. Sola hac coniectura mota mater misera, et pro puero valde solicita, iudicem adit, et Iudaeos in ius vocat, tanquam filii sui peremptores. Sed cum id testimoniis probare non posset, tali pacto, et conditione se oneravit, ut omnes domus Iudaeorum scrutentur, et si apud eos filius deperditus reperiretur, omnes Iudaei perirent, sin minus illa calumniae poenas daret, ut viva combureretur. Placuit conditio iudici. Igitur Iudaeorum domus diligenter perscrutantur, sed puer nullibi invenitur, iacebat enim occisus sub modio sepultatus. Ergo mulier ad poenam talionis condemnata cum ad rogum ducitur, exultant Iudaei, compatiuntur christiani, eo quod misera mulier, filio amisso, seipsam etiam perdiderit. Contigit iam prope ecclesiam Beatae Mariae Virginis transire, ibi devotius Deiparam omnium afflictorum adiutricem invocare coepit. Quod dum facit, ecce aures eius dulcis sonus percutit, visumque est illi quasi filius suus responsorium illud *Gaude Maria Virgo*, etc. cantasset. Conversa ad populum rogat, eum aliquem cantum auribus percipiant. Audierunt illi, et mox ad locum unde cantus audiebatur, processerunt. Invenerunt puerum sub modio occultatum, dulciter responsorium illud occinentem. Sustollunt modium, et gladio in gutture vulneratum, proprio sanguine cruentatum puerum cernunt. Stupefacti eum accipiunt, qui eis omnia quae facta fuerunt circa eum, per ordinem narravit, et quomodo a Beatissima Virgine sanatus fuerat, edixit. Omnes igitur in laudes Deiparae prorumpunt, Iudaeos rogo adiudicant, et puerum sanum matri restituunt. Haec Pomerius loco citato.

Tertium non absimile, sed magis mirandum, quod in speculo exemplorum, dist. 9, c. 59 habetur. Devota quidam inter praecipuas meditationes suas praefixerat sibi ad contemplandum incarnationis dominicae mysterium. Quod cum ardentissimo spiritu satis pro suo modulo contemplaretur, non poterat se continere, quin erumperet, et cantaret solemne hoc de quo agimus, responsorium, *Gaude Maria Virgo*, etc. Latebat in oratorio illo in quo devotus canebat, infelix Iudaeus, virginei partus hostis immanis. Hic audire non sustinens gloriosum paeana, pium Virginis cultorem uno vice sub multam noctem canentem aggressus oppressit, inque frusta concidit, et sepelivit. Adfuit Deipara, et suum ac sui partus admiratorem exhumavit, redintegravit, reanimavit, parocho sistit, Iudaeum de sacrilegio convicit, damnavit, punivit, omnesque fideles certiores reddidit, quantum illi et suo Filio placeret haec pia cantio, in qua recolitur eius virgineus partus. 4 Tertium miraculum.

Hodie Beatissima Virgo puerum Iesum praesentavit in templo, etc.

Haec antiphona in festo purificationis B. M. Virginis in secundis vesperis canitur. Quali viso et portento nobilitata fuerit, superius diximus, cum de festo purificationis B. M. Virginis egimus. Ad responsoria redeamus. 5

Felix namque es, Sacra Virgo Maria, etc.

Hoc responsorium iuxta Suessionem urbem in Gallis auditos esse angelos concinentes in laudem Sanctissimae Virginis, in festo assumptionis eiusdem scribit Thomas Cantipratanus libro 2 apum, c. 40, p. 7. 6 Angeli responsorium canunt.

Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus, etc.

Hoc responsorium s. Antonini archiepiscopi florentini devotio multum commendavit, nobilitavit. Hic virginitatis amore accensus, cum adhuc in saeculari vita degeret, a Deo ardentissimis precibus flagitabat, ut hoc donum virginitatis sibi concedere dignaretur. Igitur singulari Dei beneficio usque ad finem vitae virgo permansit, quemadmodum ex suis confessariis est acceptum. Cum itaque ageret animam, defecta iam voce, illud crebro et suaviter iterabat: *Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio.* Incertum, inquit auctor vitae eius, an ad Deiparam conversus, quae se cum morte luctantem visitasset; an exhilaratus, quod inviolatum usque ad illum diem corpus virgo ab omni obscenitatis putredine conservasset. 7 S. Antonini archiepiscopi florentini devotio et mors.

Digitized by Google

DISCURSUS CCLVIII

DE HYMNIS, PROSIS, AC VERSIBUS IN HONOREM DEIPARAE VIRGINIS AB ECCLESIA DECANTARI SOLITIS, ET ALIQUO MIRACULO SEU PRODIGIO DECORATIS

1 Hymni, inquit d. Hieronymus, sunt qui Dei fortitudinem, et maiestatem praedicant, et eiusdem semper vel beneficia, vel facta mirantur. Maxime vero Dei fortitudo, et maiestas in Beatissima Virgine enitet, quare eam merito hymnis, et laudibus Ecclesia celebrat. Non omnes, sed solum illos qui aliquo speciali favore, vel miraculo illustrati sunt, hic referam. Sit igitur primus

Ave maris stella

Hymnus iste inter ceteros principem locum tenet. Quis vero illius auctor fuerit, incertum est. Attamen si coniecturis aliquid assequi fas est, stylum d. Bernardi recolet. Ad huius hymni recitationem nonnulla patrata miracula narrantur.

2 Primum est. Pictor quidam, nomine Andreas, cum factam B. M. Virginis iconem, quae apud Montem Serratum religiose colitur, pictura exornare, et illustriorem reddere conaretur, ubi penicillum admovit, illico caecus factus est. Noluit Deipara humano artificio pulcrior effici. Tribus mensibus lumine oculorum privatus Sacram Dei Genitricem assiduis precibus fatigabat, ut lumen oculorum adeo desideratum sibi restitueret. Nec fuit irritum votum, nec vacua postulatio. Cum enim religiosi ibidem canerent hymnum hunc, (ipso pariter ferventissime Deiparam deprecante) atque ad ea verba pervenissent *profer lumen caecis*, repente visus facultas ei restituta est. Locrius ex libro manuscripto miraculorum Montis Serrati, miraculo primo.

3 Aliud praeclarum miraculum refert Horatius Torsellinus lib. 3 hist. Domus Lauretanae, c. 3. Cum quidam schedam daemoni in pignus pacti, quod cum ipso pepigerat, tradidisset, ductus poenitentia cum istum hymnum recitaret, et ad illa verba pervenisset: *Monstra te esse matrem*, protinus traditam schedulam recuperavit.

4 Tertium non minus mirandum narrat Antonius Balinghem in calendario mariano, die 20 augusti, num. 2, factum anno Domini 1538. Quidam habitus pro mortuo ab hoste suo qui lethales ei ictus inflixerat, ac deorsum extra viam abiectus in fossam, congesta super eum humo ac lapidibus, ut lateret, licet adhuc viveret, seseque Deiparae commendaret, usurpato hymno isto, cum pervenit ad *Monstra te esse matrem*, mox sensit se divinitus nullo amplius neque terrae, neque aggestorum lapidum pondere gravari, ac post aliquot dies omnino convaluit.

Quem terra, pontus, aethera (1)

5 Hunc hymnum sibi gratissimum esse ipsa Virgo Deipara ostendit. In conventu spoletano fuit quidam novitius, mirae sanctitatis, atque puritatis adolescens, qui cum recitaret hymnum B. V. Mariae: *Quem terra, pontus, aethera*, etc. et ad illa verba venisset, *Mundum pugillo continens*, admirabatur, et intra se quaerebat, qui fieri posset, ut Deus mundum pugillo contineret. Oranti secundum quietem visa est multitudo innumerabilis angelorum sedem ingentem portantium; qui cum illam in loco spatioso collocassent, adfuerunt et alii angeli, qui aliam sedem detulerunt, et contra statuerunt. Tum deinde et alii multo plures angeli descenderunt, et Christum humeris suis delatum, sed iudicis vultu subiratum in prima sede, in secunda autem Dei Matrem sedere fecerunt; atque interim omnes sancti adfuerunt, et singuli iuxta ordinem constituerunt. Tremebat ille a facie tantae maiestatis, praesertim cum audiret iudicem iussisse, ut tam bona quam mala hominum opera coram omnibus renuntiarentur. Cumque plura facinora, quam sancta facta commemorarentur, magis exhorruit ille, cum aspiceret Christum manu una universum mundum, quasi globum corripuisse, et ingenti cum impetu allidere, atque proiicere voluisse, nisi Diva Virgo ad vocem plorantis, dicentisque: *Sancta Mater, succurre miseris*, occurrisset, atque prece simplici prohibuisset, illud adiungens: Ne acceleraveris, Fili, tam cito mundum, quem proprio sanguine redemisti, indicare. Iam enim meos praedicatores submisi, qui illum ab improbitate ad pietatem revocabunt, atque sanctitatis praeceptis informabunt.

Haec cum primum aspexisset ille, tum demum intellexit Dei magnitudinem immensam, qua mundum universum ambit, et ad nihilum redigere potest; idque merito hymni, *Quem terra, pontus*, etc. Haec narrabat ex s. Antonino Bzovius num. 4.

O gloriosa Domina (2)

6 Hoc hymno s. Antonius patavinus daemonem eum praefocare conatum fugavit. Eundem hymnum animam agens more cycni laetus cecinit. Ita habet eius vita.

Maria Mater gratiae

7 Insignis iste hymnus in fine canitur, unde coronis omnium hymnorum qui de Beatissima Virgine cani, seu recitari solent, merito dicendus est. Hunc tam valentes, quam moribundi magna pietate iterant, quo Deiparae Virgini in eo articulo sese commendent. Hunc s. Richardus episcopus cisterciensis, morbo gravatus, et confectus in articulo mortis mandavit sibi ad aures incessanter recitari: atque ita inter suspiria piae devotionis et verba sacrae orationis in illam beatissimam supernorum civium societatem migravit. Surius in vita eius die 2 aprilis.

8 Narrat Pelbartus lib. 10 Stellarii, parte ultima, cap. 8, ex Ioanne Aegidio seu Iuniore Ordinis praedicatorum in libro qui inscribitur: *Scala coeli*, de quodam iuvene qui paternis bonis dilapidatis, spe pecuniae adipiscendae in nemus a praestigiatore quodam perductus coepit a daemone ad Deiparam negandam urgeri: sed iuvenis terrore perculsus hos versiculos, *Maria Mater gratiae*, quos quotidie recitare consueverat, clara voce pronuntiat. Hinc daemon iratus, praestigiatore praefocato, statim evanuit. Ad prosas veniamus.

Inviolata intacta et casta es Maria

Ex breviario praedicatorum in primis vesperis festi purificationis Beatae Mariae Virginis.

9 Hanc prosam quidam caecus musices peritus composuit, cumque eam post octavam lectionem officii assumptionis B. M. Virginis, alacri et alta voce cantaret, luminis usum recipere meruit. Ioannes Iunior dist. 8, exemplo 58.

Salve Maria mater pietatis, et totius Trinitatis nobile triclinium

10 Haec verba sunt desumpta ex prosa quam canit Ecclesia in Ordine praedicatorum in festo assumptionis B. M. Virginis quae incipit: *Salve Mater Salvatoris*, etc.

B. Alberto magno B. Virgo pro salutatione gratias agit.

Hanc prosam cum componeret b. Albertus magnus, Ordinis nostri theologus eximius, ac toti mundo celebris, et venisset ad versum: *Salve Maria Mater pietatis*, parum substitit, et deliberans quid adderet, subito adiecit: *et totius Trinitatis nobile triclinium*. Et ecce Beatissima Virgo ei apparens dixit: *Gratias tibi ago, bone Alberte, quia me salutasti salutatione, quali ab alio nunquam salutata fui*. Ex parvo chronico Ordinis praedicatorum.

Versiculi quoque in honorem Virginis decantati, vel recitati miraculis coruscasse leguntur, quos praecipuus est iste:

Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria

11 B. Henricus Suso per suffragium B. Virginis daemonem fugat.

Beatus Henricus Suso Ordinis nostri, cognomento Amandus, vir sanctitate mirabilis, cum satanam nigro vultu, et igneis oculis arcum manu vibrantem acriter increpasset, quod quemdam fratrem ignea sagitta contorta pene mutum effecisset: cumque ipsum eadem sibi ferociter minantem, ac novum in se parantem iaculum conspexisset, Deiparae opem imploravit hoc versu: *Nos cum prole pia*, etc. Quibus verbis pronuntiatis hostis infestissimus protinus abscessit. Leander lib. 5 de viris illustribus Ordinis praedicatorum.

(1) In breviario romano nunc: *Quem terra, pontus, sidera*. *Editor.*
(2) In breviario romano nunc: *O gloriosa virginum*. *Editor.*

Digitized by Google

DISCURSUS CCLIX

DE PARTICULARIBUS PRECANDI FORMULIS IN HONOREM DEIPARAE VIRGINIS AB ECCLESIA USURPATIS, ET MIRACULIS SEU ALIQUIBUS SPECIALIBUS IPSIUS VIRGINIS FAVORIBUS DECORATIS

1 Complures sunt precationes particulares, quas praeter divinum officium Ecclesia in honorem Deiparae Virginis ad invocandum eius suffragium usurpat, et pro opportunitate, ac cuiusvis devotione recitari amat, talesque recitantes specialibus gratiis, favoribus prosequitur, ac indulgentiis donat. Ex his praecipuae sunt, quae ex oratione dominica, ac salutatione angelica constant, et ad certum numerum dispositae a fidelibus recitantur. Particulares ex eo dictae, quia in peculiaribus locis, vel religiosorum familiis aut piorum hominum sodalitatibus frequentius usurpantur, vel etiam a particularibus personis in speciali devotione habentur. Inter quas est facile princeps

Rosarium seu psalterium B. M. Virginis

2 Haec precandi formula a sancto patre nostro Dominico a 430, et eo amplius annis adinventa, a fratribus Ordinis praedicatorum maximo cum animarum fructu in toto orbe terrarum promulgata, multis miraculis illustrata, infinitis propemodum gratiis et favoribus a summis pontificibus exornata est. Constat autem ex tribus quinquagenis salutationum angelicarum, interiecta ad singulas decades oratione dominica, propositis ex vita Christi et Deiparae mysteriis, ut vocant, quinque gaudiosis, quinque dolorosis, et quinque gloriosis. De huius sacrae precandi formulae nomine, institutione, dignitate, utilitate, recitandi ratione commodiua, Deo iuvante, et Sanctissima Deipara suffragante, inferius dicam, eam epithetum *Rosa mystica* explanabo. Nunc ad alias huiusmodi precandi formulas, earum videlicet originem, dignitatem, utilitatem declarandam accedo. Et primo loco post rosarium corona B. M. Virginis ponitur.

Corona B. M. Virginis

3 Corona non est idem quod rosarium. Post sanctissimum rosarium inter sacras precandi formulas quibus Deipara Virgo colitur, corona praecipue adnumeratur. Hanc nonnulli putant eandem esse cum corona rosacea, sive rosario B. M. Virginis, sed hallucinantur. Differunt enim hae sacrae precandi formulae in multis.

4 Rosarium et corona in quo differunt. Primo, rosarium significat sertum B. M. Virginis ex centum quinquaginta salutationibus angelicis, et quindecim orationibus dominicis contextum: corona sacra vero principaliter circulum vitae et annorum eiusdem Deiparae Virginis designat. Secundo, rosarium continet quindecim *Pater noster*, et centum quinquaginta *Ave Maria*: corona vero septem *Pater noster*, sexaginta tres, vel septuaginta, aut septuaginta duas, sive septuaginta tres *Ave Maria*. Tertio, in rosario tota vita Domini ac Salvatoris nostri pia meditatione recensetur, in corona vero numerus annorum, sive circulus vitae Deiparae Virginis devote recolitur. Et quoniam in opinione est positum, quot annis B. V. Maria in hoc mundo vixerit, quibusdam asserentibus 63 annis, quibusdam 70, vel 72, aut 73; idcirco quidam secuti opinionem communem ab Ensrbio traditam, et a b. Birgitta per revelationem acceptam, recitant 63 *Ave Maria*. Quidam vero opinioni d. Epiphanii, et Cedreni adhaerentes 70; quibus vero placet opinio Caesaris Baronii, 72 aut 73 *Ave Maria* dicunt. Quarto, rosarium psalterium dicitur; nam instar davidici psalterii 150 *Ave Maria* continet: corona vero nequaquam hoc nomine gaudere potest; nam illas septem orationes dominicas in memoriam septem gaudiorum B. M. Virginis recitat, salutationibus vero angelicis curriculum vitae, seu annorum eiusdem Virginis recolit. Ultimo, rosarium, et corona differunt. Nam sanctissimi rosarii s. pater noster Dominicus auctor fuit: coronam vero b. Ioannes a Capistrano Ordinis s. Francisci de observantia adinvenit, ut legimus apud Carthagenam de rosario, homilia 4. (Coronae B. Virginis auctor quis.)

5 Coronae origo. Porro haec sacra precandi formula non humana voluntate, sed ipsa Deipara Virgine edocente, inventa est hoc modo, quem Pelbartus in Stellario coronae Virginis, lib. 2, p. 2, art. 3 narrat. Cum clericus quidam in habitu saeculari quotidie serto florum Beatissimae Virginis imaginem coronare solitus Ordinem minorum suscepisset, et post aliquod tempus ad saeculum redire vellet, eo quod in Religione sertum illud ex floribus Beatissimae Virgini more suo offerre non posset, oranti gloriosa Virgo apparuit, et ne Religionem desereret, vetuit; simulque eum docuit sertum quoddam spirituale ex salutationibus angelicis contexere, et sibi offerre: illudque sibi longe gratius futurum, quam sertum illud ex floribus compactum.

Modum vero texendi hoc sertum spirituale, seu rationem recitandi hanc esse voluit. Ut videlicet in memoriam septem gaudiorum, quibus ipsa perfusa fuit, septem orationes dominicas recitaret Deo gratias agendo pro illo beneficio Virgini collato, et cuilibet orationi dominicae decem salutationes angelicas subnecteret. Septem autem Virginis gaudia in serto recolenda sunt. (Gaudia B. Virginis septem.) Primum in conceptione Filii sui; secundum, cum in utero Dei Filium gestaret, et Elisabetham visitavit; tertium, cum Christum salvo suae virginitatis flore genuit; quartum, cum Filium recens natum et a Magis adoratum vidit; quintum, cum eum perditum Ierosolymis in templo inter doctores invenit; sextum, cum post mortem resuscitatum conspexit; septimum, cum in coelum assumpta, et super omnes choros angelorum exaltata ad dexteram Filii sui consedit.

6 S. Bernardinus coronae B. Virginis cultor. Hanc precandi formulam s. Bernardinus sua devotione valde commendavit, et auxit. Solebat enim quotidie, cum adhuc saecularis esset, eam devote recitare ante imaginem Deiparae, quae ad portam civitatis senensis, ubi ipse natus est, collocata erat: quam et frequenter etiam invisebat factus religiosus. Idque saepius narrabat, quicquid donorum a Deo habebat, hoc totum se impetrasse per devotam gaudiorum B. V. Mariae recordationem, in quorum honorem quotidie coronam recitabat.

7 S. Thomae cantuariensi B. V. Maria apparet et modum salutandi edocet. Et vere longe ante s. Bernardinum ipsa Deipara Virgo s. Thomae cantuariensi episcopo apparens, hanc septem suorum gaudiorum piam memoriam sibi placere multum declaravit. Cum enim ipse singulis diebus frequenter salutaret B. M. Virginem per septem eius gaudia iam recensita, se salutanti conspicuam fecit, et his verbis eum allocuta est: Carissime devotionem tuam gratanter accepto, quia de meis gaudiis quae in vita ista habui, frequenter exultans, et ea commemorans me salutas. Attamen vellem insuper, ut illa mea gaudia, quae in coelis nunc gloriosa habeo, recoleres, et similiter de his quotidie exultares, et me salutares. Quod si feceris tu, et quicumque alius fidelis ob mei devotionem, ei promitto, quod in tempore obitus sui ego eius animam protegam, et liberabo, et in conspectu Filii mei pro ipsa astabo, et intercedam pro ea, ac consolabor eam. Tunc b. Thomas: O gloriosa coelorum Regina, et superbenedicta Domina mea, dic, quaeso, mihi quae sunt ista gaudia in coelo, de quibus te salutare debeo? Tunc illa ea enarravit hoc modo et ordine:

(Salutatio B. M. Virginis per eius septem gaudia ab ipsa Deipara s. Thomae cantuariensi tradita.)

1. *Gaude flore virginali, quae honore speciali transcendis splendiferum*
   Angelorum principatum, et sanctorum decoratum dignitate numerum.
2. *Gaude sponsa cara Dei, nam ut clara lux diei solis datur lumine,*
   Sic facis orbem vere tuae pacis resplendere lucis plenitudine.
3. *Gaude splendens vas virtutum, cuius pendens est ad nutum tota coeli curia*
   Te benignam, et felicem, Iesu dignam Genitricem venerans in gloria.
4. *Gaude nexu voluntatis, et amplexu caritatis, quod iuncta sis Altissimo,*
   Ut ad votum consequaris, quicquid Virgo postularis a Iesu dulcissimo.
5. *Gaude Virgo Mater Christi, quia sola meruisti, o Virgo piissima,*
   Esse tantae dignitatis, quod sis Sanctae Trinitati sessione proxima.
6. *Gaude mater miserorum, quia Pater saeculorum dabit te colentibus*
   Congruentem hic mercedem, et Filius poli sedem regnis in coelestibus.
7. *Gaude Virgo Mater pura, certa manens et secura, quia tua gaudia*
   Non cessabunt, nec decrescent; sed durabunt, et florescent per aeterna saecula.

Has salutationes transcribera volui ex suctore pomerii libro 10, ut cuilibet recitare volenti obviae sint. Eas enim multi devoti quotidie racitant, at ad quamlibet unam *Ave Maria* addunt.

8 Huic salutationi affinis est illa alia precatiuncula Deiparae Virgini lange gratissima. *Gaude, Dei Genitrix Virgo immaculata. Gaude, quae gaudium ab angelo suscepisti. Gaude, quae genuisti aeterni luminis claritatem. Gaude Mater, gaude sancta Dei Genitrix Virgo, tu sola mater* innupta. *Te laudat omnis factura. Genitrix lucis, intercede pro nobis.* Hanc salutationem cum quidam monachus quotidie ante sacrum altare B. M. Virginis pertransiens ex more recitaret, audivit vocem ex eodem altari procedentem: *Gaudium mihi annuntiasti, gaudium tibi eveniet.* Scribit Petrus Damianus lib 3 apist. ep. 10. Sed iam unde digressi sumus, revertamur, nimirum ad coronam B. M. Virginis.

Salutatio B. M. Virgini gratissima.

9 Haec sacra precandi formula a fratribus minoritis, quos vocant de observantia, mirum in modum est propagata, et plurimorum devotioni commendata. Quam summi pontifices sua auctoritate approbatam multis indulgentiis ornarunt; ex quibus sunt Iulius II. Leo X et alii.

10 Hanc inter alios post b. Ioannem a Capistrano mirifice promovit frater Iacobus de coronis, eiusdem Ordinis minorum de observantia, qui admodum studiosus Deiparae existens, multas quotidie coronas recitare, aliosque omnes quibuscum agebat, etiam episcopos, et cardinales ad coronam recitandam hortari consueverat, ut vel ex ea adeptus sit nomen de coronis. Post spiritum prophetiae quo claruit, et miraculorum virtutem sibi a Deo, Deiparaeque deprecatione concessam, in coronae recitandae pietate persistens, effoeta iam aetate, perceptis Ecclesiae Sacramentis, in burgo s. Sepulcri mortuus est. Cumque ad eius exequias universus plane populus accurrisset, quidam vidit in oratione, in spiritu, eius animam deducentibus angelis in coelestia regna conscendere. Ex chronicis s. Francisci.

Promotor coronae B. Virginis Iacobus de coronis.

11 Porro quantum haec precandi ratio B. M. Virginem oblectet, ipsa monstravit. Quidam ex Ordine minorum hanc precandi formulam singulis diebus recitabat. Cum vero aliquando pransurus una cum aliis in triclinio discumberet, intermissae consuetudinis recordatus, impetrata a superiore venia, in ecclesiam continuo se recepit, ubi cum diutius subsisteret, alius iussus a superiore ut eum avocaret, offendit pie orantem, viditque Virginem Deiparam duobus angelis comitatam, qui rosas pulcherrimas orantis ab ore colligebant, easque in capite suae Reginae reponebant. Quotiescumque vero inter recitandum dulcissimum nomen Iesu repetebat, non ipse tantum, sed etiam angeli, ac Beatissima Virgo reverenter caput inclinabant. Quae res divulgata maiorem devotionem ad coronam B. M. Virginis recitandam in cordibus fidelium excitavit. Ex chronicis ut supra.

Quam grata sit recitatio coronae B. Virgini exemplis monstratur.

12 Eodem ferme miraculo decoratus est Aloysius albanensis, minorum de observantia novitius, qui a Gabriele anconitana guardiano coronam recitare edoctus, cum illam diutius recitaret, visus est nedum ab ipso superiore, verum et ab aliis habere suo capiti imminentem angelum, qui in aureum filum rosas decem, at aureum item lilium inserabat. Mox etiam absoluta corona, visus est idem angelus ex rosis ac liliis corollam nectere, et novitii capiti imponere, statimque abscedere. Atque ad eius miraculi monumentum ex eo loco ubi novitius orabat, sentiebatur odor rosarum, ac liliorum suavissimus. Novitius vero multis favoribus a Deipara cumulatus usque ad mortem in summa pietate perseveravit.

13 Placet hic commemorare et illud quod b. Bernardinus e Feltre pro suggestu narrabat. Frater quidam Veronae in oratorio Porcariae, cum ab coronam Deiparae recitandam post aram remotus arbitris recessisset, deprehensus tamen in ea devotione ab altero fuit; qui quidem observavit, quoties is inter recitandum coronam *Ave Maria* pronuntiaret, angelos, qui coram Virgine astabant, auream, quam manu gerabant, coronam in Reginae nostrae caput imponere, mox de capite deponere, et ad singulas salutationes angelicas rursus imponere. Alios vero angelos ad singulas salutationes angelicas eidem Deiparae rosam et lilium offerre. Ex chronicis sancti Francisci, 3 parte, c. 33.

14 Eiusdem precationis alia miracula, quae supra nominatus beatus Bernardinus narrabat. Frater Antonius de Rubes Deiparae devotioni addictissimus, cum in urbem Vicentiam iret, aliquando a repentina, et assidua pluvia fuit deprehensus. Cumque nullum quo se reciperat locum, inveniret, arreptam e globulis coronam capiti sua imponens, ait: O angelorum Regina, in necessitatibus amicorum patrocinia dignoscuntur, oro te, ut recorderis clientis tui. Res mira! iis verbis prolatis, ad urbem usque progressus est, ne levi quidem gutta pluviae respersus.

15 Aliud ibidem miraculum narratur. Cum matrona quaedam nobilis filios suos ad coronam singulis diebus recitandam flexis genibus, antequam in gymnasium irent, edocuisset, accidit, cum irent in gymnasium, unum ex ipsis e ponte in flumen praecipitari. Re cognita, mater non ad fluminis aquam, sed ad Deiparae opem statim confugit, eique filiorum salutem impense commendat. Nec sine mora accedit ad fluvium, et filium aquis praefocatum, super aqua natantem conspicit, et vivum conspicit. Igitur laetabunda filium incolumem Deiparae affert, qui etiam affirmabat, se ab ea Domina, ante cuius imaginem quotidie prima mane coronam recitare solebat, a praesenti discrimine liberatum. Haec omnia ex chronicis s. Francisci, p. 3, c. 36, et 37.

16 Eadem precandi formula in honorem Deiparae Virginis per patres Societatis Iesu longe lateque propagata est usque ad orientis, et occidentis solis terminos, et multis miraculis eius vis et efficacia confirmata et illustrata, ut ex annalibus suis deducit Petrus Hamerus eius Societatis presbyter conc. 23 in Adventu. Inter cetera ait: Anno Domini 1593 in Mexico adolescenti cuidam illud saluti fuit. Hunc daemon oblata primum eximiae mulieris specie illexit, blanditiisque captum extra urbem in remotissimum ab arbitris locum multa iam nocte seduxit. Ibi hominem magnopere monere, orare, postremo imperare coepit, ut B. M. Virginis coronam, quam circumferebat, statim abiiceret, si sua forma frui vellet. Miratus est adolescens, qui corona in veste abdita illi suboluisset, cur tantopere Beatae Virginis cultus invisus esset. Demum suspicatus id quod erat, illum diabolum esse, omnino negat se id facturum. Hic satanas ubi nihil impetrat, ira furens, abiecta mulieris forma, sese in horribilem belluam convertit, et anguibus, cornibusque attonito novitate iuveni exitium minatur. Sed furor ultra minas progressus non est, Beata Maria belluae impetum prohibente. Mox ille a periculo liberatus sacerdotem adit, cuius suasu Sacramentis armatus, et in illa devotione coronae confirmatus Divae Virgini debitas grates persolvit. Multis aliis miraculis haec devotio coronae B. M. Virginis confirmata est, a quibus recensendis nunc supersedeo, et ad alias precandi formulas accedo.

Corona B. Virginis diabolum fugat.

Corolla Beatae Mariae Virginis

17 Coronae affinis est corolla, quae a nonnullis viris religiosis, et cultus B. Virginis studiosis recitatur in memoriam duodecim illustrium virtutum eiusdem Virginis, constatque duodecim salutationibus angelicis praesignatis in illis duodecim stellis, quibus redimitur caput mulieris amictae sole, Apoc. 12, 1.

18 Hae duodecim salutationes angelicae in tres quaternarios dividuntur in honorem Sanctissimae Trinitatis, et cuilibet quaternario praemittitur una oratio dominica, quarum prima recitatur in honorem Patris aeterni, secunda in honorem Filii coaeterni, tertia in honorem Spiritus sancti coaequalis. In singulis autem salutationibus angelicis recolitur una ex insignioribus virtutibus B. M. Virginis, imploraturque auxilium, ut eam in ea virtute imitari, in eaque crescere valeamus. Disponuntur autem hoc modo.

19 Primum *Pater noster*, etc. recitatur in honorem Dei Patris, quo petimus ab eo, ut promoveat in nobis fidem, cultum, et reverantiam erga Beatissimam Virginem, utpote Filii sui Matrem purissimam, virtutibus, et gratiis omnibus cumulatissimam, ac Reginam angelorum et hominum. Deinde dicitur quater *Ave Maria* in honorem quatuor virtutum quae Deum concernunt, quibus excelluit B. Maria. Prima virtus est fides, qua credidit se Virginem fore simulque Dei Matrem, ac sub cruce firma et stabilis in fide divinitatis, redemptionis, et resurrectionis Christi permansit. Secunda est spes, qua se in conceptione, partu, fuga in Aegyptum, passione ac morte Christi, aliisque summis angustiis pressa totam divinae providentiae resignavit et commisit. Tertia est caritas pura, fervens, liberalis, laboriosa, constans, et nunquam cessans; de qua plura diximus in epitheto proxime superiori, discursu CCXI. Quarta est religio erga Deum et Christum, ei serviendo, eum portando, vestiendo, lactando, alendo, eius verba in corde suo conservando, circumcisionem, purificationem, aliasque leges, et templi caeremonias servando.

Virtutes B. M. Virginis in corolla recolendae. Erga Deum 1. Fides.
2. Spes.
3. Caritas.
4. Religio.

20 Secundum *Pater noster*, etc. recitatur in honorem Filii, qui

Digitized by Google

Erga seipsum. est spes nostra, postulando ab eo donum spei, ut in omnibus necessitatibus magna fiducia od B. Virginem, quae est mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra, recurramus. Mos recitantur quatuor *Ave Maria* in honorem quatuor virtutum B. M. Virginis, quibus perfecta erat erga seipsam 1. Humilitas. Prima est humilitas, qua salutata ab angelo, et electa Dei Mater se eius ancillam vocavit; qua Elisabeth visitavit, eique servivit; qua mysterium incarnationis celavit, et laudata laudem in Deum retulit, dicens: ***Magnificat anima mea Dominum***; qua Iosepho servivit; qua denique ultimo loco tum in domo, tum inter apostolos et fideles sedit, ut Act. 1, 14 sumitur. 2. Virginitas. Secunda est virginitas, qua primo omnium virginitatem Deo vovit; qua maximo illam zelo custodivit, dicens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* qua domi manebat; qua impuras aliorum cogitationes solo aspectu pellebat, ut in superiori tomo late ostendimus; qua Dei Filium illaesa, et inviolata concepit et peperit, ac Mater simul et Virgo in aevum permansit. 3. Fortitudo. Tertia est fortitudo, qua in morte Christi iuxta crucem constantissime stabat iniurias Iudaeorum tolerando, Filii opprobria aspiciendo, tamen animo non despondendo. 4. Paupertas. Quarta est paupertas, quae tanta fuit, ut non esset ei locus in diversorio, sed in stabulum secedere sit coacta, ibique parere Christum totius orbis Dominum.

21 Tertium *Pater noster*, etc. recitatur in honorem Spiritus s. postulando ab eo gratum animum erga Virginem, cui ut Matri Redemptoris, ut mediatrici nostrae apud Deum, et amantissimae Erga proximum. matri omnia nostra debemus. Deinde dicitur quater *Ave Maria* recolendo quatuor virtutes eximias Virginis erga proximum. 1. Caritas fraterna. Prima est caritas fraterna qua proximum iuvit, sponsos in nuptiis Canae Galilaeae, cum vinum non haberent, sua intercessione Filio commendavit. 2. Obedientia. Secunda est obedientia, qua et augusto Caesari ethnico in pendendo censu, et legi Moysis in purificatione, et Iosepho sponso obedivit: quo etiam curavit, ut praeceptis Filii alii obedirent, cum in nuptiis dixit: *Quodcumque dixerit vobis, facite*. 3. Misericordia. Tertia est misericordia, qua viscera misericordiae suae cuilibet eam invocanti aperit: qua Iesum Filium suum in nostram redemptionem in cruce, in cibum in Eucharistia nobis miseri- 4. Modestia. corditer, et liberaliter elargita est. Quarta est modestia, quae tanta fuit, ut d. Dionysius in epistola ad sanctum Paulum, quam recitat Christophorus a Castro in historia Deiparae cap. 19, scribat se eam pro dea habiturum fuisse, nisi fides eum aliud docuisset. Hinc in sermone erat parca, verba eius singula erant praemeditata, pia, pudica, humilia, misericordiae, caritatis et laudis Dei plena; ut eum, concepto Dei Verbo, ac salutata Elisabeth, cecinit: ***Magnificat anima mea Dominum***, etc.

Ad finem corollae recitari potest antiphona, *Salve Regina*, versus, *Ora pro nobis*, oratio, *Concede nos*, versus, *Nos cum prole pia*, etc. et *Fidelium animae* etc. (1)

Ex psalterio s. Bonaventurae psalmi quinque in honorem B. M. Virginis dictati, et miraculo illustrati

22 Oratio contra pestem. Anno Domini 1470 Romae conventum Ordinis s. Augustini, qui vulgo S. Maria de populo dicitur, saeva pestis occupavit, et in brevi custodem conventus, et socium eius absumpsit. Fratres perterriti quo se vertant, nesciunt, ad priorem uti patrem confugiunt. Prior, convocatis omnibus, quinque psalmos ex psalterio s. Bonaventurae in honorem Deiparae Virginis edito selegit, eosque ad Dei laudem, et eius Genitricis honorem quotidie persolvere imperavit. Mira res! Ubi id votum Deo eiusque Genitrici Mariae fideliter reddere coeperunt, pestis evanuit, nec unquam conventum illum invasit, perturbavit, infecit. Placuit hanc formulam precandi hic inserere, quo omnibus obvia fiat, et in tam atroci plaga remedio, et solatio sit.

SUFFRAGIUM

23 Sub tuum praesidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis, damnis, tribulationibus, solicitudinibusque cunctis a peste, et subitanea ac improvisa morte libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

ORATIO

Beatae, et gloriosae semperque Virginis Mariae, quaesumus Domine, intercessio gloriosa nos protegat, et ad vitam perducat aeternam. Amen.

PSALMUS 1

Magna es Domina, et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, et universa Ecclesia electorum eius.

Misericordia tua, et gratia tua ubique praedicatur: Deus operibus manuum tuarum benedixit.

Miserere nostri Domina, et sana infirmitatem nostram: tolle dolorem nostrum et angustiam cordis nostri.

Mitte angelum bonum in occursum: per quem ab hostibus defendamur.

Miserere nostri in die angustiae nostrae: et in veritate tua irradia nos.

Miserere nostri Domina, miserere nostri: quoniam tu es spes et lux omnium sperantium in te.

Memento nostri, perditorum salvatrix: exaudi planctus et suspiria nostra.

Memento nostri Domina, et ora pro nobis: in laetitiam bonam verte moestitiam nostram.

Miserere servorum tuorum, Domina: et ne sinas eos angustari in tentationibus suis.

Miserere nostri, Regina gloriae et honoris: et de omni periculo custodi vitam nostram.

Miserere nostri, Mater Salvatoris: praesta consolationem in tribulatione nostra.

Medere contritis corde o domina salutis: et refove eos unguento pietatis.

Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto, etc.

PSALMUS 2

Ad te, Domina, clamabo et exaudies me: in voce laudis tuae laetificabis me.

Ad te clamavi, cum anxiaretur cor meum: et exaudisti de monte sancto tuo.

Amplectamur Mariae vestigia, peccatores: et beatis pedibus eius provolvamur.

Accedite ad eam cum devotione et reverentia: et delectetur cor vestrum in salutatione eius.

Accedite ad eam in tribulationibus vestris: et stabiliet vos serenitas vultus illius.

A rugientibus praeparatis ad escam: de manibus quaerentium nos liberati sumus gratia illius.

Attendite, popule Dei, praecepta Dei: et Reginae coeli nolite oblivisci.

Aperite cor ad investigandam eam: labia ad glorificandam illam.

Accendatur affectus cordis in illam: et inimicos nostros induet confusione.

Abstulit a corde moestitiam et dolorem: et suavitate sua cor nostrum dulcoravit.

Adorate illam in decore illius: glorificate opificem pulcritudinis eius.

Adiutorio suo sancto evasimus pericula mortis: et saeva peste liberati sumus.

Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto, etc.

(1) Pius IX definito dogmate immaculatae conceptionis, ad promovendam in omnibus fidelibus quotidie memoriam et devotionem erga Deiparam semper immaculatam, pro corolla de qua auctor locutus est, sed cum aliqua additione concessit has indulgentias.

Omnibus recitantibus in honorem duodecim specialium privilegiorum B. Virginis immaculatae parvam coronam constantem ex duodecim *Ave Maria* divisis in tres quaternarios, cuilibet quaternario addendo in principio unum *Pater noster*, et in fine unum *Gloria Patri*, et singulis *Ave Maria* addendo hanc laudem: *sit benedicta sancta, purissima, et immaculata conceptio Beatae Virginis Mariae*, 300 dies indulg. conceduntur. Eis autem qui recitant eam quotidie, confessis, et sacra communione refectis conceditur omni mense indulgentia plenaria. Concessit etiam 100 dies indulg. illis qui dicunt hanc orationem: *O Maria concepita senza peccato pregate per noi che ricorriamo a voi*, et osculantur numisma immaculatae conceptionis. *Editor.*

Digitized by Google

PSALMUS 3

Refugium tu es, Domina, in tribulatione nostra: et virtus potentior conterens inimicum.

Religiosi omnes adorate et honorate illam: quia ipsa est adiutrix et spiritualis advocata.

Recurramus ad illam in tribulatione nostra: et eripiet nos de periculis nostris.

Recordare Domina, ut loquaris pro nobis bonum: et indignationem Filii tui avertas a nobis.

Respice miseriam Mater gloriosa: Virgo angustiam et tribulationem ne tardes removere.

Recordare, Domina, pauperum et miserorum: et sustenta eos ope refugii tui sancti.

Recordare nostri, Domina, et non apprehendant nos mala: succurre nobis in fine, ut inveniamus vitam aeternam.

Resperge cor nostrum dulcedine tua: fac nos oblivisci angustias huius vitae.

Respice, Domina, humilitatem servorum tuorum: et ne sinas eos periculis subiacere.

Reple nos servos tuos virtutibus sanctis: et ira Dei non appropinquet nobis.

Respice, Domina, humilitatem cordis nostri: et libera nos de afflictione pestis.

Reminiscere miserationum tuarum, Domina: et revela peregrinationem incolatus nostri.

Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto, etc.

PSALMUS 4

In te, Domina, confido: propter multitudinem misericordiae nominis tui.

Iudica me, Domina, quoniam ab innocentia mea digressus sum: sed quia in te speravi, non infirmabor.

In manus tuas commendo corpus et animam meam: totam vitam meam et diem ultimum meum.

Infunde nobis radios tuae pietatis: et clarifica nos fulgoribus misericordiae tuae.

Innova signa et immuta mirabilia: ut sentiamus adiutorium brachii tui.

Intercede pro nobis salutifera Mater Dei: quae angelorum et hominum salutem peperisti.

Infunde gratiam de thesauris tuis: et unguentis placa dolorem nostrum.

Ingrediatur oratio nostra in conspectu tuo: et voces gementium ne despexeris.

In manu tua, Domina, salus et vita consistunt: laetitia sempiterna et aeternitas gloriosa.

Inveniant, quaeso, gratiam apud Deum: qui te in suis necessitatibus invocabunt.

In periculis et rebus dubiis et in necessitatibus cunctis invenientes: adiutorium dabis.

Ipsa enim mederis contritis corde: et refoves unguento pietatis.

Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto, etc.

PSALMUS 5

Ad Mariam, cum tribularer, clamavi: et clementia sua exaudivit me.

Ad te, Domina, levavi animam meam in iudicio Dei mei: et precibus tuis non erubescam.

Ave gratia plena, Deus tecum: per quam salus mundi restauratur.

Ascendisti alternantibus hymnis angelorum: choris archangelorum constipata, rosis et liliis coronata.

Ablue, Domina, omnia peccata nostra: sana omnes iniquitates nostras.

Aufer a nobis tribulationem nostram: et dulcifica omnem dolorem nostrum.

Avertatur a nobis ira Dei per te: placa eum meritis, et precibus tuis.

Aperiantur nobis per te portae iustitiae: ut enarremus omnia mirabilia tua.

Ad Dominum accede rogatura pro nobis: ut per te liberemur de angustiis nostris.

Adiutorium sit in virtute nominis tui: per te omnia opera nostra dirigantur.

Ab omni perturbatione libera servos tuos; et fac eos vivere sub pace et protectione tua.

Adorent te familiae gentium: glorificent te omnes ordines angelorum.

Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto, etc.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
Pater noster, etc.
Et ne nos inducas in tentationem.
Sed libera nos a malo.
Salvos fac servos et ancillas tuas.
Deus meus sperantes in te.
Mitte nobis auxilium de sancto.
Et de Sion tuere nos.
Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
Domine exaudi orationem meam, etc.
Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS

Defende, quaesumus Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto tibi corde prostratam ab omni infirmitate et peste, et ab omnibus tuere clementer periculis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia precatiuncula in simili casu pestis in honorem Deiparae Virginis recitata, et insigni miraculo illustrata

24 Carthagena tomo 3 de mirandis Deiparae Virginis.

In civitate conimbricensi magna pestis grassabatur. Inter alios cum moniales s. Clarae fugam meditarentur, ut a praesenti mortis periculo se liberarent, repente ad ostium monasterii mendicus quidam pulsat. Ad quem cum quaedam moniales accurrissent, ille continuo rogat: Cur adeo tristes et turbatae essent? Pestis, aiunt, invadit nos, unde de discessu cogitamus. Tunc ille: Bono animo estote; en offero vobis praesens remedium. Hanc chartam accipite, antiphonam in ea scriptam in honorem Dei, et Deiparae Virginis singulis diebus recitate. His dictis disparuit. Moniales antiphonam divinitus missam accipiunt, et singulis diebus tum alta, tum submissa voce canunt: et ita per intercessionem B. M. Virginis a lue pestifera omnes miraculose evadunt.

25 Hanc precandi formulam hic inserere placuit, ut in casu pestis cuilibet eam recitare volenti obvia sit, ut per eam, uti iam multoties probatum, hanc plagam divinam evadat.

Stella coeli extirpavit, quae lactavit Dominum,
Mortem pestis, quam plantavit primus parens hominum.
Ipsa stella nunc dignetur sidera compescere,
Quorum bella plebem cedunt dirae mortis ulcere.
O piissima stella maris, a peste succurre nobis;
Audi nos Domina, nam Filius tuus nihil negans te honorat.
Salva nos Iesu pro quibus Virgo Mater te orat.
Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Deus misericordiae, Deus pietatis, Deus indulgentiae, qui misertus es super afflictionem populi tui, et dixisti angelo percutienti populum tuum: contine manum tuam; ob amorem illius stellae gloriosae, cuius ubera pretiosa contra venena delictorum tam dulciter suxisti, praesta auxilium gratiae tuae, ut ab omni peste, et improvisa morte securo liberemur, et a totius perditionis incursu misericorditer salvemur per te, Iesu Christe Rex gloriae. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Salutatio B. M. Virginis a b. Iordano edita

26 Beatus Iordanus, primus post s. p. nostrum Dominicum generalis magister nostri Ordinis, in honorem venerandi nominis *Maria* salutationem confecit, quae pro numero litterarum hoc nomine contentarum totidem psalmis, antiphonis ab eadem littera incipientibus, interiecta cuilibet salutatione angelica, et praemisso

Digitized by Google

ante omnia hymno, *Ave Maris stella*, B. M. Virginem salutabat. Hanc salutationem tomo superiore inseruimus, et quo miraculo illustrata fuerit in b. lossione narravimus.

Beatus venter qui te portavit Christe, et beata ubera quae lactaverunt Dominum Deum Salvatorem nostrum

27 Hanc orationem praemisso, *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui*, clericus quidam, etsi saeculo deditus, saepius genuflexo recitabat. Accidit ut in gravem morbum incideret, linguaque et labiis penitus consumptis, iaceret horridus aspectu. Quadam die vidit ad lectuli caput personam pulcra facie et venerando aspectu, et angelum suum custodem esse suspicatus est. Haec aegroti vices dolens in hunc modum lamentari sibi videbatur: Quid, o Domina, mater misericordiae, fons pietatis? hoccine est gloriae, et gratiae tuae salutatorium? haeccine est lingua in beatificationem ventris, et partus tui longo usu, et ardenti affectu sic assuefacta, ut pene nihil aliud sonare posset in Ecclesia Dei? Domina, Domina, si tu dees tuis, quis aderit suis? Non sic Domina, non sic. Ad nihilum devaniet spes hominum, ni ad te non incipiant habere refugium. Haec ubi audivit, ecce apparet ei Mater Domini, et quasi compensans moram in adiutorio clientis sui die, qua insimulabatur ad lectum, propius accessit, extractisque uberibus, visa est protinus lac immittere in os aegri. Et illo sancti lactis rore infuso, protinus restituit ei linguae integritatem, labiis antiquum decorem, et toti corpori pristinam sanitatem. Redditus igitur sensibus, continuo sanus et incolumis surrexit, et divinam misericordiam tum lingua, tum vita et morum mutatione omnibus praedicavit: et renuntians omnibus carnis illecebris, et mundi oblectationibus de cetero vitam religiosam duxit. Vincentius Belluacensis lib. 7, cap. 84.

B. Virgo sibi devotum lacte suo in os eius immisso sanat.

O intemerata, et in aeternum benedicta, etc.

28 Hanc orationem in honorem Deiparae, et s. Ioannis evangelistae s. Edmundus adolescens, postea archiepiscopus cantuariensis, recitare solebat. Et cum die quadam eam oblivione esset omisisset, sequenti nocte a s. Ioanne evangelista sibi in somnio apparente reprehensus est, qui gravem ferulae ictum ei comminatus percussit, ut eam in posterum nunquam omitteret. Surius in eius vita tom. 5. Alius quoque eadem oratione daemonis insidias evasit, ut Vincentius Belluacensis lib. 31 speculi historiarum, cap. 73 narrat.

S. Edmundus cantuariensis ob omissam solitam precationem a s. Ioanne evangelista reprehenditur.

29 In similium precationum numerum referri potest rithmus ille elegans, devotus, et erudite compositus, *Omni die dic Mariae*, quem n. Casimiri devotio multum nobilitavit, quem vivens devote recitavit, et post mortem in pectore suo collocari mandavit. Habetur in fasciculo orationum p. Valeriani de Cracovia, folio 328, et illa rithmica precatio valde devota, quae in officio B. M. Virginis parvo scribitur, *Stabat Mater dolorosa*, cuius auctor a nonnullis existimatur s. Gregorius papa, teste s. Antonino 3 p. hist. tit. 22, c. 3, paragr. 32, et Philippo bergomate in supplemento ad annum 1299. Sed de his precandi formulis satis.

DISCURSUS CCLX

DE PROCESSIONIBUS IN HONOREM B. M. VIRGINIS AB ECCLESIA STATUTIS ET USURPATIS

1 Processionibus quoque Sacram Deiparam Virginem Ecclesia catholica colit, et duas praecipue solemnes processiones per annum in eius honorem celebrat. Unam in festo purificationis eius cum candelis accensis in manibus, de qua superius abunde egimus, cum de hac festivitate B. M. Virginis tractaremus. Alteram in festo assumptionis eiusdem Virginis in memoriam processionis illius, quam tota coelestis curia una cum Christo fecit, cum ei ex hac valle miseriae ad regna siderea venienti ad eam recipiendam, thronoque collocandam obviam venit. Ita s. Antoninus 4 par. tit. 15, cap. 14, paragr. 3.

2 Rupertus quoque abbas lib. 5 de divinis officiis, cap. 25 testatur, processiones quae in quibusdam ecclesiis per totum annum diebus dominicis fieri consueverunt, ad Deiparae oratorium primum tendere, ibique Beatae Dei Genitrici congratulari de resurrectione Filii, quae eo die recolitur.

Sed magis solemnes videntur communi totius populi aestimatione illae processiones quae in ecclesiis religiosissimorum fratrum Ordinis praedicatorum, et aliis in quibus erecta est confraternitas sanctissimi rosarii, quotannis cuiuslibet mensis prima dominica, et festis B. M. Virginis fiunt. Harum originem, finem, seu fructum et ritus omnes examinare, et de eis disserere libet. 3

De ortu sive origine processionum sanctissimi rosarii

Processiones rosarii, sicut et confraternitatem ipsam rosarii, ortas esse a s. p. n. Dominico sentio, planeque pronuntio. Et licet huius rei nullum antiquum scriptorem testem habeam; ipse tamen harum processionum constans usus, perpetuaque traditio de hoc me dubitare non sinit. *Traditio est, nihil quaeras amplius*, ait s. Chrysostomus hom. 4 in epist. ad Thessalonicenses. Et Tertullianus lib. de carne Christi cap. 2: *Si christianus es, crede quod traditum est.* Et sane turpissime hallucinaretur, qui ex solo scriptorum silentio suam processionibus rosarii antiquitatem adimeret, ut supra ostendimus, cum de antiquitate, et ortu ipsius archiconfraternitatis egimus. 4

Traditionum vis.

Rem notam exemplo praesenti notiorem faciam. Quis ignorat praesenti saeculo nostro multos gravissimos, et celeberrimos viros, uti Franciscum Ariam, ex nostris Ludovicum granatensem, Ludovicum Lopez, Vincentium Hensbergium de rosario scripsisse, et nullam mentionem de processionibus fecisse, quae tamen in toto orbe christiano statis festis, et quibuslibet primis dominicis cuiusque mensis solemniter, publice, et cum magna populi frequentia fiunt? Sicut ergo nunc negare nefas est processionum rosarii usum, et frequentiam ex silentio modernorum: ita negare nefas erit earundem antiquitatem ex silentio antiquorum.

Firma igitur stet sententia, a s. p. n. Dominico processiones rosarii ortum habuisse. A qua stat non vulgaris testis, sed ipse summus pontifex Pius V, qui in bulla sua edita anno 1569 satis clare id insinuare videtur, ita fatus: *Consueverant romani pontifices, et alii sancti patres praedecessores nostri, cum bellis corporalibus, vel spiritualibus premerentur, aut aliis tentationibus vexarentur, quo facilius ab illis evaderent, et tranquillitatem adepti Deo facilius, et ferventius inservirent, et vacarent, divinam opem implorare, et sanctorum suffragia per supplicationes, seu per litanias deposcere, ac oculos cum David in montem levare, certa spe confidentes sibi auxilia affutura. Quorum exemplo adductus, et Spiritu sancto, ut pie creditur, afflatus b. Dominicus, Ordinis fratrum praedicatorum auctor, (cuius institutum, et regulam cum in minoribus essemus, expresse professi sumus) simili qua nunc temporis occasione, qua Albigensium haeresis partes Galliarum et Italiae misere grassabatur, ... levans in coelum oculos, ad montem illum gloriosae Virginis Mariae respiciens, modum facilem, ac omnibus pervium, ac admodum pium orandi, ac precandi Deum, rosarium, seu psalterium excogitavit*, etc. Haec Pius V. Certe cum asserit s. p. Dominicum maiorum exemplo divinam opem implorasse per supplicationes, seu Litanias, aperte insinuat eum usurpasse cum maioribus rei substantiam, nimirum supplicationes ipsas, et circumduxisse processiones, quales hodie archiconfraternitas rosarii constanter frequentat. 5

Processionum sanctissimi rosarii auctor s. p. n. Dominicus.

Quod etiam Gregorius IX in bulla canonizationis n. p. n. Dominici innuit, cum ait: *Pastor, et dux inclytus in populo Dei factus, inexplebile gaudium de zelo concipiens animarum, multos generans in conversione tam strenuae multitudinis.* Nimirum pastor factus docendo; dux vero processiones circumducendo. 6

Quo consilio quibusve de causis in sanctissimo rosario processiones fiant

Cum sacratissimi rosarii pia devotio huc vel maxime tendat, ut praecipua redemptionis humanae mysteria piis meditationibus percenseat, et percensendo recolat, hinc etiam processiones usurpat, quibus processiones Christi, et Mariae Matris eius sibi repraesentat, et animo revolvit. Omnia Christi Domini in hac terra, non cum Matre tantum et Iosepho, sed cum apostolis etiam, discipulisque aliis itinera, et peregrinationes optimarum, sanctissimarumque processionum instar fuere. Quanquam non tam processiones dicuntur, quam processionum exemplar. Ad illarum 7

Processionum nostrarum exemplar est vita Christi et Mariae.

Digitized by Google

ergo similitudinem, atque memoriam hae nostrae fiunt. In istis quippe idem est ipse, qui in illis, etsi non eodem modo; ibi enim visus est in specie propria, hic videtur sub specie aliena, puta specie panis in sanctissimo Eucharistiae Sacramento, quod tunc circumgestatur apud nos. Ad illum tunc confluebant Iudaei, et gentiles, illum laudabant, glorificabant, dicentes: *Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam*, Luc. 7, 16. *Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui*, Marc. 7, 37. *Glorificaverunt Deum, qui potestatem talem dedit hominibus*, Matth. 8, 9. *Omnis turba quaerebat eum tangere*, Luc. 6, 19. *Straverunt vestimenta sua in via: alii autem caedebant ramos de arboribus, et sternebant in via: turbae autem quae praecedebant, et quae sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini*, Matth. 21, 8. Talis, inquam, acclamabat populus, cum in terris peregrinaretur, et processiones faceret Dominus. Nos pariter ad eum confluimus admirabundi, venerabundi, adorabundi; ipsi ovamus; ipsi pompam festam atque triumphum ducimus; ipsum laudibus in coelum evehimus; ipsi concinimus hymnos, rithmos, cantica, psalmos. Ipsi aulaea et vestimenta sternimus, frondes de arboribus caedimus, vias instruimus, flores spargimus, faces incendimus, odores accendimus, vexilla, cruces praeferimus, et qui praeunt, et qui sequuntur, ad eum clamant, eum exorant tum devotis suspiriis, tum vocibus altisonis.

8 Ulterius, in his processionibus nostris processiones gloriosae Dei Genitricis Mariae repraesentamus, et recolimus. Tota fere vita Sacrosanctae Dei Genitricis Mariae processionis cuiusdam pulcherrimum specimen praebet. An non processionis pulcherrima facies erat, quando haec Virgo trimula in templum processit, at illos quindecim gradus templi ascendit?

An non processionis optima forma fuit, quando haec Virgo cum sponso suo Ioseph in Bethlehem profecta est, quando stabulum in templum vertit, in quo aeternum Dei Filium peperit, et in praesepio posuit? Ibi auditi sunt psallentes angelorum chori, visa laetitia pastorum, et debita obsequia orientalium regum.

An non vera processio fuit, quando eadem Virgo *exurgens abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda?* quae pars illi processioni deesse poterat, in qua Regina coeli procedebat, et corpus hoc sacratissimum, quod nos sub speciebus panis, et vini circumferimus velatum, in suo sanctissimo utero velut in fercula, sive ut vocant, sacra monstrantia, ex auro optimo charismatum, arte manuque Dei affabre facta recondidit, illudque processionaliter gestavit? quid, inquam, illi processioni defuit, aut deesse poterat? Neminem tam impium esse credo, qui Reginae Regique coelorum comites ivisse ministros angelos neget. Si enim sedenti in coelis assistunt, et ministrant, cur in utero Virginis quasi coelo animato quiescenti non adstarent, non ministrarent? Ita plane Apostolus testatur, Hebr. 1, 6. *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei*. Et vero ubi ventum erat in stationis locum. Deus bone, qui cantus auditi Deiferae Mariae! qui plausus Elisabeth! quae praecursoris exultatio! En tibi tertiam processionem.

Quid de praesentatione Christi in templo dicam? an non ibi processionis pulcherrima species? Ex natali stabulo, sive ex Bethlehem progreditur Virgo, comitatur iustus Ioseph, effertur Filius Dei, Deus et homo: infertur in templum, sistitur Domino, et offertur Deo: occurritur illi a Simeone, et Anna; ille canit, *Nunc dimittis*, etc. haec prophetat, uterque Deum benedicunt. *Ab his quatuor*, inquit s. Bernardus serm. 2 in purific. B. M. Virginis, *processio est, quae per quatuor orbis climata, solemnibus hodie gaudiis ad memoriam revocatur*.

An non processionis speciem praebuit fuga in Aegyptum? an non vera processio fuit, quando Sanctissima Mater cum Ioseph et Iesu puero duodenni per omnes annos in die solemni Paschae secundum consuetudinem in Ierusalem adoratum ibat? Luc. 2, 41.

An non processionis formam habuit, quando Virgo cum Filio, apostolorumque sacro comitatu Iudaeam omnem, et Galilaeam obibat?

An non et illa processio, licet luctuosa fuit, quando dulcissimus Virgo Filium suum cruce onustum in montem Calvariae sequebatur, quando sub cruce lacrymosa stabat, quando de cruce depositum in sinu luctuosa gerebat, quando eum in tumulum Mater desolata deferebat?

An non optimae processiones fuerunt illae, quando Deipara Virgo post ascensionem Christi in coelos loca illa sancta in quibus redemptionis nostrae mysteria Filius eius operatus est, frequentius invisebat? quando bethlehemiticum illud tugurium in quo Verbum incarnatum pepererat, saepius adibat? quando Nazareth ubi eum cum tanto gaudio educarat, revisebat? quando ad Iordanem fluvium, in quo a Ioanne baptizatus, et Patris coelestis testimonio Dei Filius declaratus erat, se conferebat? quando montem Calvariae ubi mortuus, speluncam in qua sepultus erat, lacrymis irrorabat? quando ad montem Oliveti, ubi in coelos ascendit, pergebat, et eo perveniens impressa pedum eius vestigia osculabatur? postremo, an non solemnis processio illa fuit, quando gloriosa, et felix Virgo ex hac valle miseriae ad aethereum thalamum processit, quam tota coelestis curia una cum Christo comitata est, et ad dexteram Filii collocavit? Has ergo processiones Christi et Deiparae Virginis repraesentamus, et recolimus, cum processiones nostras tum in rosario, tum alibi facimus. Vere etenim hae processiones fuerunt, immo nostrarum processionum norma, et exemplar.

De fine sive fructu processionum sanctissimi rosarii

Quo fine, quibusve de causis hae processiones fiant, et quae utilitates ex eis in Ecclesiam Dei promanant, summi pontifices apostolicis diplomatibus docent, ac declarant. 9

Causas, propter quas hae processiones fiunt, tres assignavit Paulus V in diplomate, quod incipit: *Piorum hominum*, edito anno Domini 1608 die 15 aprilis, nimirum, propter christianorum principum concordiam, haeresum extirpationem, ac s. matris Ecclesiae exaltationem. Pius V in bulla quae incipit: *Consueverunt*, edita anno Domini 1569, uno omnia verbo complexus est: *Pro tranquillitate sanctae matris Ecclesiae*. Gregorius XIII in bulla, *Monet Apostolus*, edita anno 1573, totius pene christiani nominis conservationem fraternitati rosarii adscribere non dubitat. Processionum causae.

Fructus autem harum processionum est Dei Optimi Maximi honor, qui promovetur, cum crucibus, cereis, hymnis, canticis fidei orthodoxae veritas manifestatur; Dei ira placatur; Deiparae coelitumque apud Deum intercessio conciliatur; bella, pestes, fames, aeternaque supplicia deprecantur. Ob has enim causas, sive fines praecipue processiones in Ecclesia instituuntur. 10 Fructus.

De ritibus processionum tam in rosario, quam alibi

Ut cum maiore Christi Dei nostri gloria, cum animorum nostrorum fructu, et excitatione fiant processiones, adhibentur in eis nonnulli ritus seu caeremoniae. Sunt autem hae, crucis praelatio, confratrum in camisiis, seu cappis praecedentia, reliquiarum sacrarum statuae, seu imaginis Deiparae, nec non sacrosanctae Eucharistiae circumgestatio, faces seu cerei accensi, ordo procedentium, vestitus pro cuiusque statu et conditione, cantus et harmonia musica, campanarum sonitus, et quandoque bombardarum fragor. Adhibentur interdum nudipedalia, alicubi flagella seu disciplinae. In festo Sacratissimi Corporis Christi, et in octava eiusdem, nec non in festo sanctissimi rosarii prima dominica mensis octobris vidi extrui altaria in portis domorum; seu palatiorum, in quibus vel sacrosancta Eucharistia, vel reliquiae sacrae, vel imagines sanctorum collocantur, vel odores accenduntur; et cantari quatuor evangeliorum initia in quatuor fori seu claustri partibus. Horum omnium causam, ac mysteria in praesenti aperire placuit, Et primo declarare 11 Ritus.

Caeremonias esse sacras, utiles, meritorias et ad divinum cultum spectantes

Sane sacrae sunt, quia mentem a corporalibus ad spiritualia et divina elevant. Cum enim basilicas intramus, easque ornatas, mundas, et crucibus, ac sacris imaginibus, altaribus, reliquiis, accensis lampadibus instructas conspicimus, devotionem facile concipimus, quod non experimur, cum templa haereticorum, ubi nihil est, nisi sedes ad concionandum, et mensa lignea ad coenam faciendam, ingredimur. 12 Caeremoniae Ecclesiae sunt res sacrae.

Utiles. 1. Quia intelligentiam iuvant, quae enim dogmata fidei rudes non capiunt, haec eis caeremoniae declarant. 2. Memoriam provocant ad recolenda Christi Domini nostri mysteria, et insignia beneficia in ortu, vita, passione, resurrectione generi humano exhibita. 3. Fidem exercent, nam dogmata fidei Utiles.

Digitized by Google

quae corde credimus, caeremoniis confitemur, ac protestamur. 4. Religionem conservant, ne vilescat, contemnatur, et sic paulatim pereat. Caeremoniis namque Religionis nostrae mysteria vestiuntur, et ornantur, ut externam quamdam maiestatem sensibus obiiciant, et maiore cum reverentia ab ipsa mente percipiantur. Itaque id sunt caeremoniae Religioni, quod cortex pomo, et sal carnibus. 5. Catholicos a Iudaeis, Turcis, Paganis, haereticis distinguunt. Facile hoc tempore catholicum inter haereticos, Turcas, et paganos dignoscas, si illum signum sanctae crucis sibi in fronte imprimere, rosarium sive coronam gestare, in ecclesia genua flectere, feria VI a carnibus abstinere videas; hoc enim Iudaei, Turcae, haeretici non faciunt.

Meritoriae. Meritoriae sunt; si in caritate fiant, sunt enim actus religionis, quia per eas fidem, spem et caritatem protestamur.

Ad Dei cultum pertinentes. Ad cultum divinum pertinent; sunt enim pars cultus divini. Cum enim homo ex anima et corpore constet, nedum animo, verum et corpore Deum honorare debet. Et sicut cum actu externo peccat, Deum ignominia afficit: ita cum actu externo meretur, eundem honorat: caeremoniae autem actus externi sunt. Quo igitur ad eas magis efficiamur, rationes earum nosse oportet. Hinc primo inquiritur

Cur in processionibus praefertur crux cum labaro

13 Crux in processionibus cur praefertur. Hac caeremonia palam facimus et contestamur omnes nostras preces, psalmos, melodias vim et efficaciam habere a sancta cruce, a qua etiam omnis gratia in homines descendit. Praeterea eius aspectu incitamur ad precandum ardentius, ad serviendum alacrius, ad gratias agendum cumulatius, ad adhaerendum constantius Christo Domino, qui pro nobis in cruce mori dignatus est.

Passionis Christi instrumenta. Varia quoque passionis dominicae instrumenta multis in locis circumferri cernuntur, ut per sensus ipsos excitentur omnium animi ad salutarem illius recordationem, ipsiusque, qui passus est, amorem, laudem et cultum. Haec sunt instar illius gladii, quem tabernaculo consecravit David, qui tartareum Goliath peremit, 1 Reg. 21, 9. Instar conopaei vasorumque omnium bellicorum, quae, Holoferne contrucidato, in anathema divinae obtulit maiestati Iudith, uti ex c. ult. v. 23.

14 Vexilla cur appenduntur crucibus. Crucis vexilla affigimus ad instar labari illius, quod suis praegestari curabat copiis primus ille christianorum imperator Constantinus, ut est apud Eusebium lib. 9 hist. cap. 9, et lib. 5 vitae Constantini. Formam illius vide apud Bellarminum, lib. 2 de imaginibus sanctorum, cap. 27. Haec autem vexilla cruci affigimus in signum triumphi quem de diabolo virtute crucis devicto facimus. Vexillum enim est triumphale signum regum, et imperatorum; unde cum aliqua civitate potiuntur, imperiale vexillum in ea erigere solent. Secundo, ad repraesentandam victoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Christi in coelos. Unde sanctam crucem populo praesentaturi canimus: *Vexilla regis prodeunt*. Regis, inquam, qui per crucem diabolum devicit, qui inferno spoliato gloriose a mortuis resurrexit, qui cum triumpho in coelos ascendit, et captivam captivitatem secum duxit.

15 Vexillum per aera delatum in processionibus quid significet. Vexillum per aera delatum Christum in coelos ascendentem significat. Vexillum in processione multitudo fidelium sequitur, quia et Christum ascendentem in coelos magna sanctorum collectio comitata est. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, Ephes. 4, 8. Ad archiconfraternitatem rosarii venimus.

16 Rosarii archiconfraternitas cur in processionibus crucem praeferi. Diabolus cur crucem timet. Archiconfraternitas nostra in processione crucem praefert, ut profitetur ac contestetur se christianam esse, spem suam, vitamque omnem ad meritum passionis Christi referre. Secundo, ut crucis aspectu ad precandum ardentius, ad serviendum alacrius Deo, ac Sanctissimae Genitrici eius incitemur. Tertio, ut semel in cruce devictus, et calce Virginis protritus satan procul pellatur. Ubi enim crucem videt, mox recordatur cruce Christi se victum, spoliatum, et enervatum: inde crucem timet, et fugit, quomodo canis fugit lapidem, vel baculum, quo percussus est.

17 Consuetudo fuit olim primis diebus Rogationum draconem cum cauda longa, et erecta exsculptum, vel depictum ante crucem et vexilla deferre; ultimo vero die quasi retro aspicientem, cauda vacua atque depressa eumdem retro ostentare narrat Durandus lib. 6, c. 102, num. 9. Quo dabat intelligi, draconem, qui significat diabolum, per duos dies, scilicet, ante legem et sub lege regnasse, et mirum in modum desaevisse: tertio vero die, hoc est, sub lege gratiae victum, prostratum ac enervatum esse. Et ob id primo, et secundo die cum cauda longa, et erecta quasi potestatem habens praecedebat: tertio vero die, cum cauda vacua et demissa retro sequebatur, quia iam non potestate dominatur, sed quasi fur retro aspiciens, et fugiens homines per suggestiones seducit.

In labaris aliae cernuntur imagines B. Virginis, apostolorum, 18
martyrum, confessorum, virginum, aliorumque magnorum in ista militia ducum, at Christi Domini amicorum, quatenus eorum excitemur exemplis, ad consequendas easdem victorias, quas ipsi de carne, mundo ac diabolo, auxiliante Deo, consecuti sunt. Archiconfraternitas sanctissimi rosarii labaris, seu vexillis suis imprimi curat pictoris arte imaginem Deiparae in brachiis filiolum gestantis: ab una parte s. patrem Dominicum, ab altera s. Catharinam senensem, hinc inde confratres, et consorores coronas, sive globulos precarios ab illis accipientes, atque suas preces offerentes; quo ostendat se totam Deiparae cultui deditam esse, Christum Filium eius unice venerari, in eoque spem suam totam collocare exemplo sancti patris sui Dominici, et s. Catharinae senensis consororis carissimae, qui in vexillis expressi cernuntur. Forma vexilli sanctissimi rosarii.

Cur in camisia seu cappis confratres procedant

In Polonia confratres rubeis camisiis, quas cappas vocant, 19
induti in processionibus procedunt. Indaganti huius caeremoniae originem, ut causam, hanc ex b. Alano libro de dignitate psalterii B. M. Virginis cap. 3, vix non eius ipsissimis verbis narro. Cum b. pater Dominicus ad oppugnandos haereticos albigenses Tolosam urbem regni, et haereseos principem venisset, ad ingressum eius omnes campanae impulsu divino ultro personarunt. Fit magnus populi concursus ad sanctum Romanum, vident novum hominem, audiunt praedicatorem, rosarii doctorem ac praeconem. Interim oritur tempestas horribilis, abduntur fulgura et fulmina, crederes fractum illabi orbem. Inter tantas coeli fragores homines perterriti voces attollunt omnia ultima expectantes. Unus stat securus s. Dominicus qui salutem spondet, si ipsi conversione responderint. Inter haec portentum quoddam apparet manum sublatam habens, et minitantis speciem praebens, metum mentibus oddens. Spondent illi conversionem, modo vir sanctus Deum oret, et aeris quietem impetret. Orat igitur sanctus, imperat ventis et coelis, et facta est tranquillitas, et aeri prisca reddita est facies, manus quoque minitans demissa evanuit. Igitur sanctus Dominicus populum dimittit, et in crastinum redire iubet. Veniunt igitur, quo ritu? quo cultu? *In camisiis*, inquit Alanus, *cum candelis ad eandem veniunt ecclesiam, ubi s. Dominicus iterum praedicavit, et plurima miracula fecit.* Ecce tibi originem camisiarum, seu, ut alii vocant, saccorum, seu capparum. Haec autem facta sunt annis tribus aut quatuor ante institutionem Ordinis fratrum praedicatorum. Ita b. Alanus.

Cur sanctorum reliquiae in processionibus deferantur

Ubi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum non defertur, 20
reliquiae sanctorum deferri solent, usu maiorum qui reliquias sanctorum in magna veneratione habere, et secum circumferre consueverunt. Moyses discessurus cum populo ex Aegypto in Palaestinam, non ibi reliquit ossa s. Ioseph iamdudum mortui, sed ea honorifice secum asportavit, et in terram promissionis transtulit, Exod. 13, 19. Verisimile est autem Moysen etiam aliorum patriarcharum ossa extulisse, nam ex Act. 7, 16 constat eos omnes in Palaestinam translatos esse, et sepultos in Sichem, neque apparet quo alio tempore, quam hoc transferri potuerunt. Quod autem tantum ossium Ioseph Scriptura mentionem faciat, causa est, quia solus Ioseph adiurarat Hebraeos, ut id facerent, ipseque hunc eis egressum praedixerat. Sacrarum reliquiarum cultus probatur. Patriarcharum ossa Moyses ex Aegypto transtulit.

Rursus 2 Paralip. cap. 5 legimus, introductam fuisse arcam 21
Domini in templum noviter extructum magna cum celebritate, et populi frequentia. Si ergo vetus illa materiata Dei arca sacerdotum humeris religiose gestabatur, cur non et sanctorum corpora, reliquiae et vestes? benedicta illa foederis arca quid aliud erat, nisi cistula quaedam ex incorruptibili ligno Sethim composita introrsum, atque extrorsum auro obtecta, tabulas legis, urnam auream cum manna, et virgam Aaron, quae fronduerat, continens? At sanctorum corpora longe praestantiora sunt, sive ma- Arca foederis quid erat, et quid continebat.

teriam, sive formam, sive contenta in eis spectes. Quid lignum quantumlibet pratiosum, et quaevis aurea argenteaque involucra ad corporis humani compagem? quod cum eius forma contendere potest artificium? cooteota quia comparare valet? Eteoim in corporibus sanctorum non lapideae legis tabulae, sed ipsamet lex viva et spirans, ipseque Spiritus sanctus, totaque per gratiam SS. Trinitas inhabitabat. Arca quatenus lignea erat, nullum honorem merebatur, sed ideo honorabatur, quia repraesentabat sedem Dei, et quia per eam Deus loquebatur. At corpora sanctorum fuerunt vivae sedes Dei, et viva organa per quae Deus locutus est, nam 1 Cor. 6, 19 dicitur: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* at c. 3, v. 16: *Nescitis quia templum Dei estis vos, et Spiritus Dei habitat* in vobis? Igitur aequalis, si non maior illis honor, et reverentia debetur. Unde divus Gregorius lib. 5 Moral. c. 10 ait: *Quid est mens iusti, nisi arca testamenti?*

22 Translationes corporum diversorum sanctorum. In novo quoque testamento multas sanctarum reliquiarum translationes a priscis et sanctis patribus factas legimus. Translatio reliquiarum sanctorum apostolorum Petri et Pauli facta est eo tempore, ex eo loco quo passi sunt, ad catacumbas, de qua divus Gregorius libro 3, epistola 30. Eorumdem corporum translatio a catacumbis partim ad Vaticanum, partim ad praedium Lucinae in via ostiensi cum honore facta est, de qua Cornelius papa epistola 1. Translationem reliquiarum ex Palaestina in Alexandriam describit Rufinus lib. 2, c. 28. Tempore Constantini imperatoris translatas fuisse Constantinopolim s. Andreae apostoli, s. Lucae, et s. Timothei reliquias scribit s. Hieronymus lib. contra Vigilantium. Tempore Arcadii translatas ex Iudaea in Thraciam reliquias s. Samuelis prophetae tanto cum honore, ut in vase aureo ab episcopis reliquiae portarentur, comitante tanta populorum frequentia, ut a Palaestina usque ad Chalcedonem iungerentur populorum examina scribit idem s. Hieronymus loco quo supra. Sanctus Chrysostomus lib. de s. Babyla describit quanto cum honore reliquiae martyris translatae sint. Sozomenus lib. 7, cap. 10 describit translationem reliquiarum s. Meletii antiocheni. S. Augustinus lib. 9 confess. cap. 7 mentionem facit translationis corporum sanctorum Gervasii, et Prothasii. *Mediolani eram*, inquit, *cum corpora sanctorum Gervasii, et Prothasii effossa digna cum honore transferrentur.* Theodoretus libro 5, c. 36 describit translationem reliquiarum d. Chrysostomi. Evagrius libro 1, capite 16 describit honorificam translationem s. Ignatii sub Theodosio iuniore ad Antiochiam. Horum igitur patrum exemplo reliquias sanctorum in processione deferimus, et maxime cum Concilium bracarense canone 5 statuat, in supplicationibus thecam reliquiarum gestari debere manibus episcopi, aut aliorum sacerdotum, populo praecedente et sequente.

Porro quae, quantaque miracula per sacras reliquias Deus operari dignatus est, tradunt luculenter Robertus Bellarminus controv. 4, lib. 2, cap. 3, et auctor horum exemplorum, cap. 3, tit. 54.

Cur statua vel imago Deiparae, aliorumve sanctorum imagines in processionibus deferantur

23 Hunc quoque ritum a maioribus acceptum retinemus. Antiqua maiorum pietas vix unquam proditur mariales celebrasse processiones, quin simul eiusdem insignem statuam ad spectaculum, et religionem solemni cum pompa circumgestarit. Plenae sunt his exemplis ecclesiasticae historiae, quas non pigebit sub brevitate transcurrere.

24 Anno Christi 596 cum pestis inguinaria Romam occupasset, et quamplurimos mortalium una cum Pelagio papa extinxisset, d. Gregorius Pelagii successor in pontificatu ad placandam iram divinam, et misericordiam eius implorandam solemnem supplicationem Romanis indixit, in qua publice circumtulit iconem gloriosae Dei Genitricis Mariae, quae nunc in S. Maria maiore religiosissime colitur; et ita ira divina deferbuit, et angelo percutienti dictum est: *Contine manum tuam*, qui etiam supra molem Adriani apparuit, et gladium prius exertum in vaginam recondidit in signum Numinis placati. De hac re superius plura dixi, cum de hac imagine egi.

25 Constantinopolis auxilio Dei Genitricis ab hostibus saepius liberata. Anno 625, Heraclio orientis imperatore Persiam cum victore exercitu funditus conquassante, Cosroas rex Persarum, ut illum a Persia retraheret, Sabaram cum quinquaginta millibus lectissimorum militum ad obruendam Constantinopolim mittit, qui Hunnis in auxilium arcersitis, terra, marique Bizantium dies iam decem premebant. Incolae inter ea per omnia templa Deo, ac semper laudabili Virgini humiliter supplicabant. Quid acciderit, audi. Viderunt barbari prima luce cum sol oriretur, mulierem quamdam illustrem eunuchis comitatam, ex porta Blachernarum exeuntem, (erat autem in Blachernis templum a Constantinopolitanis frequentari solitum) quam cum Heraclii opinarentur uxorem esse, ad suum principem ob mariti absentiam ire pacis petendae causa transitum ei concesserunt, subsequentem ea urbe hominum turbam ipsi adorturi. Ut vero fossae ambitum egressam non ire ad regem viderunt, ad locum usque, cui veteris saxi nomen est, eam insecuti sunt. Ilis eum suis ex conspectu eorum evanuit. Ipsi autem, tumultu concitato, inter se congressi ad vesperam usque mutuo strages ediderunt. Mane insequentis diei dux cum maiorem suorum partem intestino conflictu periisse videret, cum paucis summa cum ignominia ab urbe discessit, quem domum revertentem in euxino mari saeva tempestas ita excepit, ut aquis obrutus misere periret. Sicque Domini virtute pariter, et cooperatione intemeratae Dei Genitricis Virginis Mariae urbs constantinopolitana ab hostili manu liberata est. Baronius anno 626.

26 Pleraque alia haec urbs inclyta, cultui Deiparae Virginis totaliter addicta, gratae in processionibus eius imaginis reliquit exempla. A Chagano Scythia obsessa, praedae iam, extremoque exitio destinata, cum patriarcha Sergius acceptis Deiparae Virginis imaginibus eum omni multitudine moenia circumiret, per illas supplicationes civitatem ab obsidione liberavit.

27 Rursus Isauri Leonis tempore numerosissimae Agarenorum copiae Persas, Aegyptios, Libycos, Indos, Aethiopes maximis cum caedibus, et damnis percurrerunt et divexarunt. Tandem victoriis elati, spoliis incitati, audacia ebrii, mille octingentarum navium classem Constantinopolim appellunt, eam undique circumdant, oppugnant, assiliunt. Summa erat res periculi. Constantinopolitani, ut erant Deiparae singulariter devoti, imagine Deiparae, quae in Blachernis religiose asservabatur, accepta, magna cum devotione circa moenia civitatis moerentes et afflicti circumgestabant, et s. Germano patriarcha praeeunte, ipsi Sacrae Dei Genitrici devote supplicabant. Mirum dictu! Plurimi hostium cum Malsama principe Saracenorum, et Zuirimiro Arabum duce fame, frigore, pestilentia abierunt. Multae naves eorum ab igniferis imperatoris navibus exustae, aliae vero procellosa tempestate demersae sunt; Bulgari quoque auxiliares viginti duo millia ex illis occiderunt. Ita experimento omnes didicerunt urbem illam fuisse in tutela Sanctissimae Virginis Dei Matris Mariae. Similes processiones Constantinopolitanarum vide apud Gretserum de processionibus lib. 1, c. 11.

28 Imperatores B. Virgini specialiter devoti. Saxoniae domitor, Germanorum rex primus, et imperator Carolus magnus vix unquam visus in praelio, vel in publico, quin aurei velleris loco iconculam Deiparae ex collo circumferret. Ludovicus pius eius filius, ne venatum quidem proficiscebatur, nisi sacram Deiparae imaginem secum ferret, ut coram illa in media solitudine suas funderet preces. Krantzius in Metrop. lib. 1, c. 1.

29 Imagines B. Virginis in triumphum ductae. Quid quod Virginis Mariae imagines in triumphos duci, atque adeo ipsas triumphare voluerunt, non pauci, nec semel? Ioannes Comnenus imperator constantinopolitanus post insignes victorias quas ex Scythis, aliisque hostibus auxilio Dei Genitricis reportaverat, instituto festo, quod *Pizzinicorum* vocabant, in rei gestae monumentum, et grati animi testimonium Deiparae religiosum paravit triumphum, quem in haec verba describit Nicetas. Currus gemmis pretiosissimis ornatus a quatuor equis candidissimis trahebatur, habenas viris potentissimis moderandas, currum cognatis suis curandum dedit; in curru Dei Genitricis imaginem collocavit. Ipse crucem manu gestans pedes antecessit, et s. Sophiae templum ingressus, atque in conspectu omnis populi ob successum gratiis Deo actis in palatium abiit.

30 Emmanuel Graecorum imperator post devictam a se Pannoniam hoc modo Constantinopoli triumphavit. Currum partim aureum, partim argenteum fieri fecit, cui imaginem Deiparentis imposuit. Equi albi currum trahebant, quem imperator ipse, imperatorisque propinqui, amici, duces, senatus universus, quique magistratu aliquo seu honore fulgebant, venerabundi sequebantur. Nicetas in suis annalibus

31 Constantinus item palaeologus cum urbem imperii sedem amisisset, amissamque felicissimo eventu recuperasset, ut primum rebus compositis Constantinopolim venit, coram Deiparae ima-

Digitized by Google

gine illa, cuius pictura s. Lucae tribuitur, gratias primum egit, et prae laetitia lacrymas fudit. Mox eamdem triumphali religiosaque pompa circumlatam pedes ipse prosequitur pius et gratus imperator, iconem B. Mariae triumphare volens, cui victoriam acceptam referebat. Annales bizantini, et Zonaras tom. 3 annalium.

32 Similiter Ioannes Ximista orientis imperator cum contra Russos dimicaret, et de belli eventu dubitaret, vidit Deiparam negotium dantem equiti cuidam, ut Ximistam iuvaret. Tunc in equo visus est quidam imperatorios defendens, et barbaros profligans. S. Theodoretus martyr is erat, cuius tunc feriae agebantur: ergo imperator victoriam reportat. Victori redeunti clerus, senatus, populusque constantinopolitanus obviam venit, coronas, currumque triumphalem cum regio apparatu, quem quatuor equi albi trahebant, gratulabundus obtulit. Imperator coronas accipit, currum triumphalem spoliis regum devictorum opimis onerat, ei Mariae Virginis simulacrum imponit, ipse vectus equo anteit, triumphandique gloriam victrici Mariae Virgini, coelesti Bellonae, gratus libensque concedit.

33 Asturus rex Britanniae dum bellaret, solitus erat ferre in interiori parte clipei depictam imaginem Beatissimae Virginis, quam quoties in mediis belli periculis religiose aspiciebat, toties auxilium Beatae Virginis impetrabat. Rupertus Holcoth super libros Sapientiae lectione 35.

34 *Lusitani ope B. Virginis mirabilem victoriam obtinent.* Sed recentiora commemorare libet, quae vel patres nostri, vel nos ipsi vidimus, aut videre potuimus. Anno Domini 1587 Lusitani erant fere ducenti, foederatorum Aethiopum decem millia sub signis habebant. Hac tantula manu tota sexcenta adversariorum millia fuderunt, fugaruntque incruenta prorsus victoria. Praetor lusitanus Virginis effigiem secum semper in expeditionibus habebat, flexo venerabatur genu quotidie; haec in castra solemni pompa reducta est. Bozius in annalibus anno Domini 1587.

35 Eodem saeculo ad Dei gloriam, Christi honorem, Matris eius laudem insigne in Chio insula contigit miraculum. Maxima erat locis in illis siccitas: fames iam erat, et adhuc impendebat multo gravior. Indixit Turca omnibus omnium sectarum coetibus preces, quae ex ipsarum ritibus essent maxime solemnes. Primo igitur magnis clamoribus orarunt Turcae; orarunt deinde Iudaei; tertio Graeci schismatici; tandem vero Graeci catholici, qui ex Chio in collem quemdam processionem instituerunt gestantes magno cum honore Beatissimae Virginis imaginem, et eius sanctorumque omnium exposcentes suffragia, quos quidam irridebant. *Supplicatio catholicorum cum imagine B. Virginis quam efficax.* Quidam vero e Turcis praesertim tanta christianorum tamque solemni pompa in iram acti vim, et e quodam insidiarum loco lapidationem parabant. Sed periculum omne coercuit inopinatus mancipiorum quorumdam christianorum adventus, et summam cunctis laetitiam attulit optatissimus imbrium defluxus. Hoc enim abundantissime concessit Deus, cum a colle illo in summum se templum recepissent catholici, adeo sane mirabiliter, ut Turcarum plerique cavis labentem pluviam exciperent manibus, exceptamque velut certissimum Dei donum oscularentur; nonnulli etiam in catholicorum aedem venirent, et ubi Magnae Matris imago esset, requirerent, ad eamque genibus nixi, venerabundi adreperent, prout qui praesens interfuit, retulit, homo minime vanus, Georgius Iustinianus, ex cuius relatione haec scriptis mandavit Nicolaus Serarius lib. de processionibus, cap. 5.

36 *Maximilianus Bavariae dux ope Dei Genitricis hostes profligat.* Idem quoque exemplum etiam nostra aetas vidit. Cum serenissimus elector dux Bavariae Maximilianus rebelli Austriae, et Bohemiae nomine Ferdinandi II imperatoris arma inferret, in labaro aulico, quod suum dominum fidelibus auspiciis praecedebat, B. Virginis imago eleganter depicta visebatur cum hac inscriptione: *Da mihi virtutem contra hostes tuos.* Vere dedit toto expeditionis tempore, praecipue ad urbem Pragam, ubi fugatis, caesis, debellatisque hostibus, victoriam aeternum memorandam obtinuit, utraque Austria, Bohemiaque domita, et in Caesaris potestatem redacta. Drexelius de cultu coelitum.

37 Si igitur victores christiani Deiparentis imaginem circumgestant, cur fraternitatum maxima, puta rosarium, quae tot victorias de malevolis accusatoribus, calumniatoribus, detractoribus, invidiosis persecutoribus auxilio Dei Genitricis patronae suae reportavit, in eius honorem ipsius imaginem, vel statuam publice non praeferat? Praeferat, et vivat, vigeat, floreat in aeternum. Amen.

—

DISCURSUS CCLXI

CUR SANCTISSIMUM EUCHARISTIAE SACRAMENTUM IN PROCESSIONIBUS SACRATISSIMI ROSARII CIRCUMGESTETUR

Totius olim ecclesiae occidentalis hic mos fuit sanctissimum Eucharistiae Sacramentum processionaliter deferre. Ex quo enim praeclara illa sacratissimi Corporis Christi festivitas ab Urbano IV instituta est anno salutis 1262, tantum in eius Sacramenti cultum populus christianus inarsit, ut processioni cum eo circumducendae qualibet V feria per totum annum morem haberet sacrum, ac solemnem. Non erat in ecclesia occidentali gens, non urbs, non ecclesia maior, seu collegium, non paroecia, non coenobium ullum, ubi quaque V feria Venerabile Sacramentum in processione cum solemni pompa non circumferretur. Tandem tepescente fidelium devotione per multos abusus, viluit haec hebdomadaria cum Venerabili Sacramento procedendi consuetudo, et ex hebdomadaria in annuam versa est. Sicut et communio laica primitus fuit quotidiana, tum dominica, tum demum annua facta est, et indicta. Acerbe tulit sancta mater Ecclesia, et de abusibus, ac prafanata devotione erga SS. Sacramentum indoluit, moestaque solemnem illam pompam de qua ante gloriosius exultabat, deponere et antiquare coacta est. Annis igitur fere octoginta post institutam solemnitatem Corporis Christi, missus est a Benedicto XII legatus apostalicus Nicolaus de Cusa, qui hebdomadariam illam Eucharistiae circumgestationem per ecclesiam abrogavit anno Domini 1340. Albertus Krantzius in Metropoli lib 11, c. 30. 1 *Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum olim saepius in processione gestatum.*

I. Archiconfraternitas sacratissimi rosarii non sinebat istum pietatis igniculum in se prorsus extingui, aut elanguescere, sed suo cum sinu excepit, processiones eucharisticas saepius in publico facere summa cum Ecclesiae approbatione amavit, moestamque matrem Ecclesiam hoc officio suo tantum consolata est, quantum abusus ceterorum, seu torpor eam contristaverat. Qua etiam ex causa grata erga fraternitatem eam vicissim beneficiis ornavit, et locupletavit, indulgentiis et privilegiis processiones illius cohonestavit, miris que laudibus, et praeconiis eam pene in coelum extulit. Specialis igitur devotio erga SS. hoc Sacramentum huius confraternitatis effecit, ut hunc pium, ac religiosum ritum apud alios antiquatum illa sola retineret, quem postea aliae sodalitates, quae certis diebus, ac festis idem SS. Eucharistiae Sacramentum processionaliter deferunt, ab ea mutuaruot. 2 *Prima causa. Specialis devotio erga Sanctissimum Sacramentum.*

Ulterius, sacer Ordo praedicatorum huic sanctissimo Sacramento speciali devotione semper affectus fuit, quod testatur officium Corporis Christi ab hoc Ordine per s. Thomam aquinatem editum, et societas Venerabilis Sacramenti a viris eiusdem Ordinis instituta. Cum igitur fraternitas rosarii sit germana soror huius sacri Ordinis, devotionem illius ad hoc SS. Sacramentum aemulari debebat. *Dominicani Sanctissimo Sacramento Eucharistiae devoti.*

II. Secunda causa huius ritus est haereticorum confusio. Archiconfraternitatem hanc potissimum ad extirpandam haeresim Albigensium institutam esse diximus, quae orationi, Sacramentis, ac in primis sanctissimo Sacramento Corporis ac Sanguinis Christi potissimum infesta erat; ergo ut frontem fronti, aciem aciei obiicimus, clypeum orationis contra tela impietatis praetendimus. Scutum fidei, hoc est Sacramentum fidei (sic enim Eucharistia appellari solet) sumimus, processiones fidelium quasi instructas acies educimus, quas hosti tartareo, totique eius exercitui opponimus. Hoc sacrum Concilium tridentinum cogitabat, cum de institutione festi Corporis Christi ageret, loquens in haec verba sess. 13, c. 5: *Atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et haeresi triumphum agere, ut eius adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universae Ecclesiae laetitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant.* 3 *Secunda causa.*

Ulterius, non defuerunt, et hodie non desunt Antidicomarianitani, qui honorem Dei Filio debitum non Matri exhibere calumniantur. Ut igitur ostendamus nos longe inferiori cultus gradu Matrem Dei prae Filio adorare, nimirum hunc ut Creatorem ac Redemptorem, illam ut creaturam, atque redemptam, corpus Christi Sanctissimum ex Virgine Maria natum circumferimus omnem cultum, ac honorem Matris in maiestatem, ac nomen Filii referentes. Hinc in processionibus Litaniis canendo Filio acclamamus: *Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis;* Matri vero: *Sancta Maria, ora pro nobis.* 4

Tertia causa. S. Eucharistia obdurata corda emollit.

5 III. Ad excitandum in nobis mentis fervorem. Hoc enim divinissimum Sacramentum vel ob oculos positum magnam vim habet ad emolliendа corda quantumvis rigentia, quod apparuit in Wilhelmo illo quondam Aquitaniae duce, viro insolentissimo, crudelissimo, ac schismatico, quem multis verbis divus Bernardus ad poenitentiam, et summi pontificis obedientiam frustra cohortatus, cum Sanctissimum Christi corpus patenae impositum ad eum detulisset, hisque verbis eum allocutus fuisset: *Rogavimus te, et rogantes despexisti. Supplicavit tibi servorum Dei coram te prostrata multitudo, et sprevisti. Ecce post servos ad te Dominus omnium venit: ecce Filius Virginis, caput Ecclesiae, quem tu persequeris, ad te procedit. Adest iudex tuus in cuius manus deventurus est spiritus tuus. Numquid et illum spernis? numquid et illum cui curvatur omne genu coelestium, terrestrium et inferorum, despicies?* in alterum virum mutavit. Nam continuo dux expavit, et praesentiam corporis Christi non sustinens, quasi extra se positus in terram prostratus est. Elevatus a militibus rursus in faciem corruit, nulli loquens, nullum aspiciens. Tunc ad eum vir Dei: *Surge*, inquit, *et sta super pedes tuos, et divinam ausculta sententiam. Praesens est et episcopus pictaviensis, quem ab ecclesia violenter expulisti. Vade iam, reconciliare patri tuo, et innocentia electo a Deo pontifici pare, sicut ei paret omnis Ecclesia sanctorum.* His auditis tyrannus iussa exequitur, et nedum leoninam illam ferocitatem deponit, sed et agni mansuetudinem induit. Tanto amore Dei succenditur, ut depositis armis, nudatus etiam propriis vestibus, loricam ferream ad nudam carnem posuerit, et totum vitae suae tempus in poenitentiam duxerit: in eremum accedens ex homine angelus terrenus factus est. Surius in eius vita die 10 februarii. Ecce tibi vim, et efficaciam Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti. Idem archiconfraternitas rosarii intendit. Hoc praeclarum, ac unicum salutis nostrae pignus ante faciem omnium ponit, illudque in processionibus circumgestat, quatenus obdurati homines in aspectu illius ad cor redeant, et ad suscipiendum hoc coeleste pabulum animarum diligentius se praeparent.

B. Bernardi oratio ad Wilhelmum aquitaniae ducem.

Wilhelmi Aquitaniae ducis mira conversio.

Wilhelmi austera poenitentia.

6 In hanc archiconfraternitatem adscripti frequentius sacra communione reficiuntur ob ingentes indulgentias communicantibus a summis pontificibus concessas. Ut ergo tantum Sacramentum dignius sumant, illud frequentius in processionibus Ecclesia eis ad adorandum proponit. Bene quidam dixit, quisquis dixit: *Prius adora, deinde manduca.* Qui enim hoc Sacramentum devote adorat, ad sumendum illud digne se comparat. Aspectus enim eius venerationem parit: veneratio ad communicandum devotionem accendit.

7 IV. Ad supplendos defectus. Multas omissiones, et defectus in adorando tam augusto Sacramento quotidie committimus; vel per ignorantiam, cum oblivio tanti beneficii mentem fortuito occupat: vel per negligentiam, cum lente, et frigide, et velut obiter illud adoramus, ac non eo devotionis spiritu quo par est, veneramur. Hisce igitur defectibus velut resarciendis hanc illustrem et eximiam venerationis pompam singulis cuiusque mensis dominicis, et aliis statis diebus praestamus. Hac ratione motus Urbanus IV pontifex maximus solemnitatem illam annuam Corporis Christi instituit, quatenus in eo quod in aliis missarum officiis circa solemnitatem est forsan praetermissum, devota diligentia suppleatur, et fideles, festivitate ipsa instante, intra se praeterita memorantes id, quod in ipsis missarum solemniis saecularibus forsitan agendis implicati, aut alias ex negligentia, aut fragilitate humana minus plene gesserunt, nunc attente in humilitate spiritus, et animi puritate resarciant. Haec ille in bulla quae incipit: *Transiturus ex hoc mundo*, etc.

8 V. Postrema, eaque potissima ratio huius religiosissimi ritus est peculiaris devotio, et gratitudinis officium erga gloriosam Dei Genitricem Mariam sacratissimi rosarii patronam. Quotiescumque enim hoc Sanctissimum Sacramentum nobis proponitur, toties nobis in memoriam revocatur hoc sanctissimum corpus esse substantiam illam quam ex purissimo sanguine Virginis Spiritus sanctus in eius utero sacratissimo confecit, formavitque; quae postea ex eiusdem Virginis sanguine in utero crevit, et post nativitatem eius lacte nutrita fuit. Ulterius revocatur nobis in mentem substantiam illam carnis, quae olim fuit Virginis, nunc hypostatice esse unitam Verbo Dei. Haec cogitantes ad magnam devotionem erga B. Virginem accendimur, et intelligimus nos illi multum debere, quae tam pretiosum salutis nostrae pignus nobis protulit.

Divinissimum Eucharistiae Sacramentum sub speciebus panis et vini nobis proponitur, et utriusque Beatissima Virgo causa dicitur. Cant. 7, 2 venter eius comparatur acervo tritici: *Venter tuus sicut acervus tritici.* Vere venter Virginis acervus tritici fuit, nam granum illud benedictum, quod cadens in terram mortuum fuit, et multum fructum attulit, in se continuit. Ex hoc grano panis hic vitae, qui de coelo descendit, confectus est, et in castissimis visceribus Deiparae M. Virginis velut in clibano divini amoris igne succenso coctus. Hinc illud mellifluі doctoris effatum sermone 2 de natali Domini: *Felix mulier, benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus, superveniente igne sancti Spiritus, coctus est panis iste.* Quare s. Epiphanius serm. de laudibus Deiparae eam sic salutat: *Ave clibanus intellectualis, qui ignem et panem vitae calidum mundo in cibum attulit, de quo Salvator mundi Christus ait: Accipite et manducate, hoc est corpus meum.* Sanctus Damascenus oratione 2 de dormit. Virginis vocat eam, *Mensam animatam, ex qua panis vitae, ac coelestis ille nullius agricolae manibus excultus fructus corporeo modo pullulavit.* D. Bonaventura in Litaniis B. Virginem appellat, *Deliciarum Dei dapiferam.* Hinc verba illa Salomonis Prov. 31, 14: *Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum*, plerique doctores B. Virgini accommodant. Vere namque de longe, id est, de coelis per vitae huius pelagus portavit panem suum. Bene suum, quia sola absque opera viri illum concepit, quem apud Bethlehem, quae domus panis interpretatur, per partum suum virgineum tanquam ex navi in omnium utilitatem exposuit, quo in Sanctissima Eucharistia pascimur, nutrimur, ac vires ad laborandum in vinea Domini, et ad confligendum cum nostris hostibus reficimur. 9

Sub specie quoque vini hoc divinissimum Sacramentum in ultima coena a Domino institutum est, cuius mysterii causam fuisse B. Virginem pro certo credendum est. Hinc Cantic. 7, 2 de ea dicitur: *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Umbilicus commemoratur, quia sub umbilico fetus concipitur, fovetur et alitur. Crateri assimilatur, quia ex Virginis utero tanquam ex cratere Christi sanguis qui ex speciebus vini in Eucharistia profertur, prodiit. Hoc est quod Salomon Prov. 9, 1, 2 ait: *Sapientia aedificavit sibi domum.... miscuit vinum, et proposuit mensam suam.* LXX transtulerunt: *Miscuit in cratere vinum suum.* Ex hoc cratere vinum suavissimum aeque ac odoratissimum in totius mundi salutem datum est. Hic crater *tornatilis* dicitur ob exactam, et numeris omnibus absolutam rotunditatem, ac proinde munditiem; rotunda enim figura nullum angulum, nullam rugam habet, nullum locum, in quo sordes latere possit, continet. *Nunquam indigens poculis*, quia omnibus sitientibus abunde hoc coeleste vinum exhibetur, nec unquam exhauritur. Unde Ecclesia canit: *Sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille, nec sumptus consumitur.* Haec de sacrosancta Eucharistia, qua est Sacramentum. 10

Deinde in sacrosanctam Eucharistiam, qua est hostia et sacrificium, spectemus, suspiciamus, colamus ac veneremur, suspicere quoque, colere ac venerari debemus Virginem gloriosam, quae sacerdotii munere functa est. Sic eam s. Epiphanius loco iam citato appellat: *Virginem*, ait, *appello velut sacerdotem pariter et altare, quae quidem mensam ferens, dedit nobis coelestem panem in remissionem peccatorum.* Vere Virgo secundus post Christum sacerdos; his enim dotibus, quibus primus ac maximus sacerdos, exornata est, ut esset nimirum sancta, innocens, impolluta, segregata a peccatoribus, et excelsior coelis effecta. Et infra idem s. pater B. Virginem vocat verum sacerdotem pariter et altare, quae dedit nobis coelestem panem Christum in remissionem peccatorum. Sanctus Methodius in hypapante eam appellat, *Altare animatum panis vitae.* Quoties igitur hoc divinissimum Sacramentum in altari pro adoratione exponitur, vel in processione defertur, ad amorem, et honorem nedum Christi, verum et Sanctissimae Matris eius nos excitare debet. 11

B. V. Maria quatenus dici potest sacerdos.

Post Deum Deiparae Virgini debemus, quod coelesti hoc pane nutrimur, quod eucharisticis deliciis beamur. Ipsa namque est arca illa, quae verum manna ita continuit, ut nobis quoque exhiberi curaret: ita Filium suum lactavit, et eo libentius ei ubera praebuit, quod sciret suum lac in sanguinem vertendum, quo fideles nutriendi essent. O Maria quantae tibi debentur pro hoc munere gratiae! Ego nedum eloqui, verum nec satis cogitare valeo, et quotiescumque cogito, in contemplatione tanti beneficii prorsus deficio, et cum s. Petro Damiano exclamo: *O beata ube-* 12

S. Petrus

Digitized by Google

Damianus in sermone de nat. B. Virginis.

ra, *quae dum tenue lac puerilibus labiis infundunt, angelorum cibum, et hominum pascunt.* Et cum eodem s. patre vos amice compello. Hic dilectissimi fratres, hic rogo, perpendite quam debitores simus huic Beatissimae Dei Genitrici, quantasque illi gratias post Deum agere debeamus: illud siquidem corpus Christi quod Beatissima Virgo genuit, quod in gremio fovit, quod fasciis cinxit, quod materna cura nutrivit, illud, inquam, absque ulla dubietate, non aliud nunc de sacro altari percipimus, et eius sanguinem in Sacramentum nostrae redemptionis haurimus.

13 Maximas igitur Deiparae M. Virgini referre debemus grates, quod Christum nostrorum scelerum pretium, nostrae refectionis cibum, nostrae gloriae praemium ex suo sacratissimo utero in omnium utilitatem protulerit. Si enim Ioseph filius Iacob patriarchae, eo quod triticum huic vitae mortali pernecessarium in futurum sterilitatis septennium conservandum curavit, a Pharaone in tantam dignitatem evectus est, ut supra omnes eum constitueret, eique suum anulum, stolam byssinam, et torquem aureum donaret, faceretque supra suum currum ascendere, ut praeconis voce denuntiare, ut omnes coram eo genuflecterent, et praepositum universae terrae Aegypti scirent, nec quisquam absque Ioseph imperio quidpiam agere praesumeret: insuper eum lingua aegyptiaca, *Salvatorem mundi appellarit*, ut sacra historia Gen. 41, 45 testatur; quanto magis Deiparae debet universus orbis, quae panem vitae, qui de coelo descendit, quo ab aeterna morte liberamur, non solum in septennium, sed in omnem aetatem, nec uni tantum Aegypto, sed nationibus omnibus in Ecclesia, et perpetuo permansurum ex suis sanctissimis visceribus concepit, peperit, lacte nutrivit, et toti mundo in cibum protulit? *Impar est illi omne humanae linguae praeconium*, ait s. Petrus Damianus loco quo supra. Quare cum processiones huiusmodi facimus, tantae Matri summas quas possumus, gratias agamus, quod nobis miseris, captivis et mendicis dedit Filium suum Deum; miseris in solatium, captivis in pretium, famelicis in viaticum, laborantibus in praemium, infirmis in medicamentum. Veneremur huius uteri pudicitiam, contemplemur arcae huius mysticae gratiam, quae tale excepit munus, talemque genuit prolem, quae nos corporis sui manna reficeret, cruore inebriaret, passione redimeret, morte salvaret. Cui sit laus, honor, virtus et imperium per infinita saecula saeculorum. Amen.

DISCURSUS CCLXII

QUO FINE, ET CUI BONO STATIS DIEBUS PER FORA, PLATEAS, VICOS, COMPITA, ET ALICUBI PER AGROS PROCESSIONES FACIMUS SACROSANCTUM EUCHARISTIAE SACRAMENTUM GESTANTES

1 Valent haec omnia ad eximium Dei cultum, Christi Domini nostri gloriam et honorem, et solemnem fidei nostrae protestationem, haereticorum confusionem, et nostram instructionem. Singula ponderemus, et declaremus.

2 I. Valent ad eximium Dei cultum. Ubique locorum Deus est, ubique nos conservat, ubique sua in nos beneficia confert. Plateae ad necessaria commodaque omnia gressus nostros ferunt; fora alimoniam vestitumque subministrant; agri frumentum suppeditant; vineta vinum; horti fructus et olera; aqua pisces; aer sine quo nec horulam vivere possumus, vitam confert; merito itaque Deum in foris, plateis, vicis, agris laudamus et invocamus, quia ubique eius beneficia sentimus. Hinc Apost. 1 Tim. 2, 8: *Volo viros orare in omni loco;* et s. Chrysostomus in psal. 133 ait: *Nos in omni loco, domo, agro, foro, mari, diversorio, ubicumque oramus.*

3 Praeterea, in omnibus locis interdum a nobis peccatur. In foris variae non raro fiunt fraudes, falsaeque in emendo et vendendo iurationes; in plateis saepius inconditae voces ebriosorum audiuntur; nusquam pene sermones vani, aspectus lascivi, aliaeque multae peccatorum formae absunt. Iuste itaque haec loca cum Sanctissimo Sacramento lustramus, ut ea quasi expiamus, et honorem ibidem Deo ademptum voce, cantu, precibus, quali quali modo restituamus.

4 Insuper recte Deum invocamus stantes, geniculantes, sedentes, iacentes. De statu exempla habes Exod. 17, 9, psal. 105, 23, 30, et psalm. 133, et 134, Luc. 18. De geniculatione 3 Reg. 8, 54, 2 Paralip. 6, 13, 1 Esdrae 9, 5, Isai. 45, 23, Luc. 22, 43, Act. 7, 60, 9, 40, 20, 36, et 21, 5, et Eph. 3, 14. De sessione Exod. 17, 12. De iacendi situ, Isai. 38, 2, Genes. 48, 15, 16. Si itaque stando, genua flectendo, sedendo, iacendo oramus, quidni etiam ambulando, et procedendo oremus?

II. Valent ad Christi Domini nostri honorem. Cum enim sanctissimum eius corpus in ferculo, seu monstrantia, per fora, vicos, plateas, compita circumgestamus, honorem ei ereptum in die Parasceve hac solemni pompa, et apparatu quodammodo recompensamus. Illo die Dominus ac Redemptor noster magno cum dedecore, et ignominia per forum, vicos et plateas civitatis Ierusalem ab Anna ad Caipham, a Pilato ad Herodem pro nostra salute raptus fuit. Hodie per civitates, oppida, villas universi orbis christiani cum honore, maiestate, atque apparatu solemniter deducitur. 5

Illo die tanquam malefactor despectus huc et illuc rapiebatur, nunc super humeros sacerdotum summa cum veneratione portatur; tunc tanquam fatuus omnium sibila excipiebatur, nunc tanquam rex omni genere musicorum honoratur; tunc cruce oneratus a plerisque irridebatur, nunc summis praeconiis et laudibus afficitur, ab omnibus tanquam rex colitur, veneratur et adoratur. 6

Ioseph post tot iniurias, calumnias, servitutem et carcerem ad tantum honoris culmen pervenit, ut triumphali curru impositus, clamante praecone, patriae pater, immo *Salvator mundi* nominaretur. Sic nunc accidit Christo: olim malefactor, seductor, vini potator habebatur; nunc ab omnibus fidelibus uti verus Deus, Dominus ac Salvator agnoscitur, adoratur et colitur.

Romani in triumphis deferre solebant tabulam, quae omnia triumphantis praeclara facinora quae in bello gessit, depicta gestaret omnibus inspicienda. Ipse vero imperator in curru triumphali ducebatur, penes quem maximus captivorum numerus ibat. Lege Alexandrum ab Alexandro lib. 6 genialium dierum. Eundem in modum Ecclesia catholica facit. Consecratas species panis, et vini, uti simulacrum quoddam corporis, et sanguinis Christi, (non vacuum et inane, ut Calvinistae putant, sed realiter et vere continentes corpus et sanguinem Christi) in processione solemniter defert. Ipsum Imperatorem coeli et terrae per vias publicas civitatis, non in curru triumphali, sed in manibus sacerdotis circumgestat, quem nos miseri captivi per eum de servitute diaboli liberati comitamur, laudamus, atque benedicimus. 7

Scythae, teste Herodoto, solebant regis mortui cadaver circumferre, quo illius intuitu ad dolorem animi subditorum provocarentur. Ad eundem modum Ecclesia catholica cupiens ex una parte excitare fideles ad lacrymas et dolorem ob Christi mortem, ex altera vero ad gaudium et laetitiam ob tam singulare beneficium, quod mecum nobiscum, et pro nobis pati dignatus est, per omnes christianas regiones, viasque publicas Corpus eius Sanctissimum, non mortuum, sed vivum, et in substantia immortale et gloriosum defert, ut eo ritu fideles excitet ad lacrymas ob memoriam mortis, ad iubilum vero ob immensum beneficium. Et ob id optime dixit Concilium viennense sub Clemente V: *In hac sacra commemoratione adsunt nobis suavitas, gaudium simul et lacrymae.* 8

III. Haec publica Sacrosanctae Eucharistiae circumgestatio est solemnis, ac realis fidei nostrae protestatio. Illa siquidem protestamur. Primo, Iesu Christi Domini nostri divinitatem, quae nullis templorum parietibus concluditur. Secundo, eiusdem potentiam, quae tanta est, ut panem in humanam carnem, immo in totum Christum solo verbo transubstantiare possit. Tertio, perfectissimam eius humanitatem cum corpore et anima, nec non divinitate sub modicis speciebus panis et vini contineri. Quarto, protestamur, Christo etiam sub speciebus panis et vini velato deberi cultum latriae soli Deo debitum; quod profani haeretici non minus stulte, quam impie negant, quos inferius confutabimus. Ultimo, hac publica circumgestatione Sanctissimi Sacramenti protestamur, et publice confitemur, nos fidem nostram non erubescere; quandoquidem fidei dogmata, quae Iudaei, Ethnici, et Haeretici irrident, cantu et versibus publice celebrare non dubitamus. 9

IV. Ad haereticorum confusionem. Omnes quotquot hoc augustissimum Sacramentum oppugnant, vituperant, ac despuunt, dum vident nos nedum verbis, sed et factis clarissimis confiteri, sub speciebus panis, et vini contineri vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem Christi, istudque Sacramentum tantopere suspici, et laudari, tanto pietatis sensu ac veneratione coli, et adorari, irascuntur, fremunt et tabescunt. Ut ergo ad- 10

Digitized by Google

versarii, (verbis sacrosancti Concilii tridentini utor sess. 13, c. 5,) *In conspectu tanti splendoris, et in tanta universae Ecclesiae laetitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant*: has solemnes processiones peragimus, ut victrix veritas de mendacio et haeresi triumphum agat. Scriptum namque est: *Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet, et tabescet, desiderium peccatorum peribit*, psalm. 111, 10. Nos etenim in primis optamus eos converti, ac resipisci, vel si resipiscere nolint, quos excaecavit et dementavit haeresis, confundantur saltem, et erubescant.

Bilinum christianorum usura vis, et efficacia. Fit enim non raro, ut huiusmodi processionibus, et caeremoniis illorum animi commoveantur, ut meliora aut capessant, aut certa sentiant, aut loquantur. Ecquid vero nos in nostris ecclesiis? quid simile unquam facimus? quae apud nos devotio? quod pietatis exercitium? quae minima devotarum Deo mentium vel species, vel umbra?

11 Nicolaus Serarius lib. de processionibus, cap. 5, ex Alano Copo dialogo 6, cap. 9, narrat de filia cuiusdam usuri regis, quae arctissime in aedibus paternis conservabatur, et ab omni christianorum colloquio studiose arcebatur: cum aliquando publicas christianorum supplicationes e fenestra vidisset, et furtivo matronae cuiusdam colloquio per fenestram frueretur, adeo ad fidem christianam suscipiendam exarsit, ut baptismum enixe flagitaret. Quare vel invitis parentibus abducta baptismo expiata est. Haec ibi.

12 Processiones quid nos doceant. V. Ad nostram instructionem. Quae in his processionibus fiunt, animos nostros instruunt, et ad fidem, ac pietatem mirifice accendunt. Magna procedentibus nobis datur occasio precandi maiori cum alacritate, voluptate, delectatione et fructu. Facilius enim et libentius Deo laudes persolvimus, cum illa ambulandi, canendi, simulque precandi caeremonia nostra devotio excitatur. Caeremoniae oculis obiectae in piis animis novos quosdam pietatis ignes accendunt, somnum torporemque omnem ex animo depellunt, affectumque vehementius commovent. Cum crucem in processione praeferri vides, cogita vitam nostram omnem processionem esse, in qua crucem Christi portare debemus, hoc est, quasvis tribulationes, angustias, persecutiones patienter tolerare.

13 Praeterea, si quis in processione mente agitet Domini nostri processiones, sive itinera, quae pro salute nostra facere dignatus est, christianae pietatis gustum neque levem, neque ingratum, aut inutilem percipiet.

14 Adde, si videat, et mente revolvat quot homines hic iam in processione progrediantur, et post centum vel octoginta annos ubi non erunt omnes, in lacrymas credo prorumpet, uti olim Xerxes, viso numeroso exercitu, ea cogitatione motus lacrymatus est; ut praeter Plinium noster etiam s. Hieronymus in epitaphio Nepotiani refert.

15 Rursus, processio hoc ostendit, quod tuo fortassis in funere brevi futurum est: praeibit crux, aderunt pueri, praeibit clerus, et tu efferéris mortuus. Ergo dum vivis, processiones fac, hoc est, progressus in spiritu et perfectione christiana.

16 Cantus in processione nos monet, ut Deo nostro perfectum ex omni parte reddamus obsequium, ut mente, pariter et corpore clarissima voce laudes eius celebremus. Et cum ex una ecclesia ad aliam, vel ab uno altari ad aliud distans procedimus, prece, industria et zelo elaborandum est, ut Ecclesiae catholicae fines quam longissime proferantur, sanctaque Religio ad impias et barbaras nationes protendatur.

DISCURSUS CCLXIII

QUID HAERETICI CARPANT IN HUIUSMODI PROCESSIONIBUS CUM VENERABILI SACRAMENTO OSTENDITUR, ET REIICITUR, ET QUAM SIT PIUS, QUAM SANCTUS HIC RITUS EX SCRIPTURIS, ET ECCLESIASTICIS HISTORIIS DECLARATUR, ET COMPROBATUR

1 Tria potissimum in huiusmodi processionibus nostris calumniantur haeretici. Primo, Venerabilis Sacramenti circumgestationem. Secundo, eius adorationem. Tertio, processionum caeremonias.

At nos haec omnia Scripturae sacrae et rationi valde conformia, pietati christianae consentanea, totique Ecclesiae utilia esse aperte monstramus.

2 S. Eucharistiae circumgestatio ex Scripturis probatur. I. Circumgestatio Sanctissimi Sacramenti sacrae Scripturae conformis est. Certum namque est Corpus istud, quod nos in Venerabili Sacramento vere, realiter, substantialiter contineri credimus, et confitemur, a B. M. Virgine in utero novem mensibus, et in ulnis biennio aut triennio gestatum fuisse; Ierosolymam in templum delatum, illinc relatum; in Aegyptum deportatum, indeque reportatum; a Simeone sene manibus libratum, et sinu exceptum; et forsan a piissima illa Anna prophetissa in brachiis receptum, Luc. 2. Si itaque corpus Christi mortalitatis nostrae involucro involutum, et obtectum gestabatur, cur panis, et vini velo tectum atque absconditum gestari, et circumferri non debet?

Ulterius, ipsemet Christus Dominus seipsum suis manibus in coena ultima per sanctissimam illam mensam totam circumtulit; quidni et nos ita faciamus? 3

Adde rationes ex Scriptura petitas. Veteris testamenti arca varie olim, pieque delata, et multoties fuit circumlata, ut sacra historia narrat. In Iosue 6, 1 Reg. 4, et 7, 2 Reg. 6, et 15, 3 Reg. 8, 1 Paralip. 13, et 15, 2 Paral. 5. Quidni ergo et sanctissimam novi testamenti arcam, in qua residet omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut Coloss. 2, 9, religiose circumferamus? minorne nostra erga verum solem, quam Hebraeorum erga umbras erit observantia ac studium? *Lex enim vetus umbra erat futurorum bonorum.* 4

Perge. Circumgestant adhuc hodie Iudaei circum synagogas suas id, quod in iis se habere putant pretiosissimum, *Thorath*, scilicet volumen Legis. Cur et christianis quod in Ecclesia summum, excellentissimum, ac pretiosissimum habent, mysticum videlicet Corporis Domini volumen, vivam spirantemque legem circumferre nefas? 5 Ex usu Iudaeorum.

Ulterius, gentiles olim ad falsorum, inaniumque deorum honorem simulacra per vias, urbes, vicos, regionesque ferebant, de quo Isaias cap. 46, 7: *Portant illum*, subaudi deum aureum, *in humeris gestantes, et ponentes in loco suo*; et Baruch cap. 6, 3: *Videbitis in Babylonia deos aureos, et argenteos, et lapideos, et ligneos in humeris portari*. Si itaque illi quos portabant, deos summa cum religione circumferebant; quanto potius nos Christum Iesum, Deum verum et hominem, Dominum ac Salvatorem nostrum omni, quo possumus, honore prosequi, magno cum triumpho ac veneratione circumferre oportet? an impietas infidelium, superstitio gentilium fidem, pietatem, religionem christianorum vincet? Hinc omnibus saeculis gestatio sanctissimi Corporis Christi in Eucharistia christianis usitata fuit. 6 Gentiles sua idola circumferebant.

Apostolorum temporibus peracta communione de corpore dominico, quod residuum erat, in pastophorio magna cum veneratione recondebatur, ut scribit Clemens romanus lib. 8 Constitutionum, cap. 13, secundum editionem aliam, cap. 20, hoc ne sine gestatione fieri potuit? 7 Ex antiquo usu Ecclesiae.

Proximo post apostolos saeculo Sacrosancta Eucharistia ad fratres, quos a mysteriorum celebratione impedimentum aliquod arcuisset, a diaconis deferebatur, teste s. Iustino martyre, apolog. 2 sub finem, qui floruit anno Domini 130. 8

Venientibus eodem saeculo peregre in urbem episcopis mitti a pontifice solebat obviam eucharisticum pacis, communionisque symbolum narrat s. Irenaeus apud Eusebium, lib. 5 histor. c. 20.

Tempore persecutionis cum in Ecclesiis christiana facta esset a sacerdote sacris operato Eucharistiae consecratio, illam plerique omnes, ut eius cum luberet, participes fierent, domum deferebant, et diu etiam quandoque asservabant, ut ex Tertulliano lib. 2 ad uxorem, s. Cypriano serm. de lapsis, Clemente alexandrino lib. 1 Stromatum, Sophronio in prato cap. 79, Sozomeno lib. 8, cap. 5 discimus. Cum igitur christianorum alii suas in hac, alii in alia platea domos haberent, et alii prope locum ubi mysteriorum celebratio fuisset, habitarent, alii vero longe, nonne liquet per varias urbis plateas delatam, et circumlatam fuisse Eucharistiam? 9 S. Eucharistia olim a pluribus gestabatur.

Par sane argumentum est ex eiusdem mysterii ad aegrotos portatu, qualem narrent Dionysius alexandrinus apud Eusebium lib. 6, cap. 36, s. Paulinus in vita s. Ambrosii, Amphilochius in vita s. Basilii, et alii. 10

S. Tarsicius martyr anno Domini 116, cum Sacramentum Eucharistiae deferret, a militibus ethnicis Valerii imperatoris comprehensus, interrogatus quid gereret, indignum iudicans porcis prodere margaritas, tamdiu ab illis mactatus est, donec exhalaret spiritum, et revoluto eius corpore, sacrilegi discussores nihil Sacramentorum invenerunt. Venerabilis Beda, Usuardus, et martyrologium romanum die 15 augusti. 11

S. Exuperius tolosanus episcopus, cum voluntariae inopiae 12

Digitized by Google

se totum dedisset, neque aureum, argenteumve vasculum ullum haberet, coelestem huiu dominici corporis thesaurum in canistro portabat. Refert hoc, illumque tam sanctae paupertatis amatorem dilaudat b. Hieronymus epist. ad Rusticum 9.

13 Sanctissimos quoque anachoretas in remota, et vasta eremi loca sacrosanctum Eucharistiae viaticum asportasse testis s. Basilius epist. ad Caesaream Patritiam.

14 *Navigantes olim Eucharistiam secum portabant.* Immo consuetudo erat portandi in itinere terra, marique sacrosanctam Eucharistiam sudario involutam. S. Ambrosius in orat. de fratris sui Satyrii obitu scribit, christianos, cum maritimum iter instituerent, navesque ingrederentur, Eucharistiam secum deportasse, ut in extremo naufragii periculo sacram abillis particulam Satyrius rogarit, at impetrarit; quia tamen adhuc catechumenus erat, nec tangere illam, nec intueri poterat involutam, cuius praesentissima ope medus e fluctibus salvus, et incolumis evasit. Talem in longa e constantinopolitana urbe in Italiam navigatione Sacramenti delationem prodidit etiam memoriae s. Gregorius lib. 2 dialog. c. 33. Et de Pimoee episcopo per britannicum mare navigante idem scribit Baronius anno Domini 635. Liquet igitur sacrosanctae Eucharistiae circumgestationem Scripturis sacris, Religioni, et rationi consentaneam esse, necnon antiquissimam, a veteribus christianis usitatam.

15 *S. Eucharistiae adoratio Scripturae, ac rationi quam conformis sit.* II. Adoratio similiter sacrosanctae Eucharistiae tum Scripturae, tum rationi valde conformis est. In Sacramento quod deferimus, credimus, et confitemur Christum Dominum verum Deum, et hominem praesentem. Ergo si merito cultum divinum exhibemus. Quomodo enim coeli, terraeque Creatorem, Dominum, ac Redemptorem nostrum absque honore praeteriremus, cum scriptum sit: *Dominum tuum adorabis, et illi soli servies?* an in hoc bestiis irrationalibus peiores facti locum concederemus? Notum est bestias rationi expertes, sed divino instinctu non semel sacrosanctae Eucharistiae reverentiae signa exhibuisse.

Bestiae S. Eucharistiae signa reverentiae exhibent.

16 *Apes S. Eucharistiae templum construunt.* De apibus narrat Thomas Cantipratanus lib. 2, cap. 40, quod in laqueari ex favis mellis sacrosanctae Eucharistiae, inibi a quodam scelerato iniectae et absconditae, honorificentissimum locum ad normam templi confecerunt.

17 S. Bonaventura in vita s. Francisci agnum sanctissimo Eucharistiae Sacramento reverentiam fecisse narrat.

18 *Mulus sacrae Eucharistiae Sacramentum adorat.* Auctor vitae s. Antonii de Padua narrat: In tolosana regione incidit s. Antonii cum pervicacissimo haeretico acrior disputatio: pene hominem validis de Verbo Dei rationibus in sententiam catholicae fidei pertraxerat, cum ille ceu coluber pede pressus insurgens: Missa, inquit, faciamus verba, et ad res veniamus. Habeo iumentum, quod tridui inedia macerabo, post triduum adero ego cum iumento, tu adsis cum Sacramento; si animal neglecto pabulo ad suum Deum adorandum accurrerit, ecclesiasticae doctrinae assentiar. Dictum, factum. In maxima populi frequentia s. Antonius, peracto sacrosanctae missae sacrificio in proxima ecclesia, secum ferens divinum Christi corpus egreditur. adfuit illico haereticus cum iumento fame confecto. Proiicitur illi pabulum magna copia. Tum Antonius in manu tenens sacrosanctam Eucharistiam, elata voce: In nomine, inquit, Domini praecipio tibi brutum animans, ut relicto pabulo Deum tuum adores. Mira res! Mulus statim accurrit, et submisso capite, profusus in terram sacrum Christi corpus adoravit. Haec ibi.

19 Sed si grave ac molestum errantibus huiusmodi miraculis credere, audiant, quaeso, sacram Scripturam, quae Salvatorem recens natum a bove, et asino cognitum commemorat, Isai. 1, 3; legant historiam de Balaam asina, Num. 22. Immo naturam ipsam consulant, et videbunt camelos coram heris suis genua inflectentes, necnon elephantes solem orientem adorantes. Si itaque iumenta dominis suis reverentiam exhibent, homo ratione fideque insignitus Domino, Creatori, ac Redemptori suo ipsam non praestabit?

20 *S. Eucharistia etiam absque speciali mandato adoranda.* Non est scriptum, aiunt, nec a Deo imperatum. Quasi vero nihil fieri possit ac debeat, nisi quod diserte aut scriptum est, aut imperatum. Ubinam legit David arcam dominicam cum tot sacrificiis, et tripudiis in aedificatum tabernaculum invehere, ut fecisse legitur 1 Paral. 14, et 1 Reg. 6? Magi ex oriente cuius imperio cum muneribus Ierosolymam venerunt, ustumque infantulum in pauperrima casa, in egentissimae Matris gremio adoraverunt? ex qua Scriptura didicit Ierosolyma Dominum asino insidentem, despicatissimis discipulis cinctum, tam pompose excipere, ramos et vestes ei prosternere, coeleste Hosanna ei occinere? Divino, inquies, impulsu isthaec fecerunt. Bene ais. Sed num isto caret Ecclesia? num sponsum non audit sponsa? num a suo capite non movetur corpus?

III. Caeremoniae similiter in huiusmodi processionibus usitatae Scripturae et rationi consentaneae sunt. Nonnullas iam superius attigimus; reliquas in discursu, qui sequitur, explicare et declarare aggrediar. 21

DISCURSUS CCLXIV

DE ALIIS RITIBUS IN PROCESSIONIBUS MARIANIS ET ALIAS USURPARI SOLITIS

Quo cum maiore Dei gloria, Genitricis eius honore, ac fidelium devotione processiones peragantur, adhiberi solent in eis multae aliae caeremoniae, quae maiestatem quandam sensibus obiiciunt, et corda hominum ad devotionem movent. In primis adhibentur 1

Faces seu cerei

Non solum ubi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in processione deferunt, sed etiam ubi solae reliquiae sanctorum, vel statua Deiparae circumgestantur, confratres ac sorores sanctissimi rosarii cereos accensos portant. Non hoc necessitatis causa, ut haeretici garriunt, sed honoris ac venerationis cuiusdam. Scimus enim in antiqua lege fuisse candelabrum aureum ante aram propitiationis, in quo lumen collocatum erat, quod ex mandato divino tota die ac nocte tabernaculum testimonii illuminabat, Exod. 27, 20: et apud diversas gentes honoris quoddam genus erat faces praeferre principibus viris, Iudith 3, 10: legimus quod, Holoferne descendente in virtute magna in civitates Syriae, Mesopotamiae, Libyae, atque Ciliciae, populi exierunt ei obviam excipientes eum cum coronis, et lampadibus. Iulio Caesare ascendente Capitolium, quadraginta elephantes dextra, atque sinistra lychnos gestabant. Svetonius in eius vita. Heliogabalo ad idem templum pergente, populus utrinque cum facibus discurrebat. Svet. in eius vita. Gordiano quoque eo se conferente, ignis ei de more praeferebatur. Sveton. in eius vita. Constantino magno Christi fidem publico edicto sanciente, revertentem ad civitatem tota civitas cereis, lampadibusque repleta comitata est. Baronius ad annum Domini 324. 2 *Luminarium antiquissimus usus.*

Manavit quoque in Ecclesiam consuetudo per universum orbem faces accendere etiam sole lucente in signum venerationis, et laetitiae. Unde ab initio Ecclesiae clerici qui acolythi, seu ceroferarii dicebantur, fuerunt instituti, quorum officium erat cereos et lampades accendere, et deferre sive ad synaxes, sive ad sacra mysteria, sive ad martyrum sepulcra. 3

Immo et episcopis in argumentum honoris ac reverentiae faces accensae praeferebantur. Athanasio ab exilio revertenti cum cereis, et tibicinibus obviam processum est, teste s. Gregorio nazianzeno orat. de ipso. Catholicis episcopis, et sacerdotibus in exilium missis christianorum turbae cum cereis occurrerunt, ut refert Victor uticensis lib. 2 wandalicae persecutionis. Haec fuerunt reverentiae laetitiaeque publicae apud veteres argumenta. Quidni igitur Deo, ac Redemptori nostro eadem reverentiae ac laetitiae signa exhibeamus? 4

Admonet vero fideles haec cereorum gestatio. 1. Ut verum lumen Christum Iesum, lumen de lumine, lucem veram, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, mente interius apprehendant, in corde gestent, manibusque, hoc est bonis operibus, exterius ferant. 5

2. Ut nostra nostris in manibus, hoc est, operibus, studiis, et actionibus omnibus fides luceat. In cereo enim significantur tres virtutes theologicae, fides in lumine, caritas in calore, spes in cerei recta altitudine. Sicut enim cereus ex imo sursum ascendit: sic spes nostra ad coelos usque erigitur, et nos erigit. Hic cereus datur gestandus manibus, quia non sufficit corde fidem, spem et caritatem retinere, nisi etiam operibus eam prodamus et exerceamus. Cum cereis accensis non stamus, sed procedimus; quia his virtutibus instructi non otiari, non quiescere, sed operari, et progredi de virtute in virtutem, ad ulteriora nos extendere, in novitate vitae ambulare debemus. Hoc est, quod regius vates psalmo 83, 8 praedixit: *Ibunt de virtute in virtutem.* Alii vertunt: *Qui pergunt ab acie in aciem*, a coetu uno sacro in alterum. 6 *Cereus quid significat.*

Cerei cur gestantur in processionibus.

7 3. Ut recordemur cerei, qui nobis in baptismo datur ardens, ad insinuandum quod tunc in cordibus nostris infusa est fides ardens, caritas flagrans, spes erecta per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

8 Moribundi cur cereos gestant. 4. Ut recordemur cerei, quem in hora vitae ultima solent ex hoc mundo migraturi christiani tenere in testimonium, quod tunc vero lumini Christo adhaeremus, ipsiusque fidem integram retinemus: spem in eo firmam collocamus, caritatem erga Deum et proximum habemus; vel in testimonium quod tunc in corpore omnes libidinis, invidiae, iracundiae, ceterorumque vitiorum flammas extinctas habere, omnes ex animo erroris, perfidiae, et ignorantiae tenebras fugari, et solius verae lucis radios nobis micare, ac splendescere cupimus. Alias horum luminarium rationes vide superius, ubi de festo purificat. B. M. Virginis egimus.

9 Vigilantius refutatur. Invidebat hos sacros ritus christianis Vigilantius haereticus; irrident eos modo profani Novatores, quos loco memorato refutavimus, et inferius copiosius refutabimus. Verum haec pietatis officia Deo esse gratissima miracula illustrant a Deo ostensa tum in cera, tum in lampadibus. Duo recitabo.

10 Luminarium miracula. In urbe Roma templum s. Agathae ab Arianis olim temeratum catholicorum usui restituerat s. Gregorius papa. Die quodam, cum in ea lampades sine lumine dependerent, emisso divinitus lumine sunt accensae. Post paucos iterum dies, cum expletis missarum solemniis, extinctis lampadibus custos ex eadem ecclesia egressus esset, post paululum intravit, et lampades quas extinctas reliquerat, lucentes reperit; quas negligenter se extinxisse credens, eas iam solicitius extinxit, et exiens ecclesiam clausit. Sed post trium horarum spatium regressus lucentes lampades, quas extinxerat, iterum accensas invenit, ut videlicet ex ipso lumine aperte claresceret, quia locus ille a tenebris in lucem venisset. Narrat ipse s. Gregorius dial. 3, cap. 3.

11 De cera ex cereo Ecclesiae delata haec s. Paulinus apud Gregorium turonensem de miraculis s. Martini. Domum quamdam incendium vastabat; interea clamor ad coelum tollitur, et b. Martini auxilium imploratur. Venit in mentem cerae particula a sancti templo delata, quae reperta, et igni iniecta protinus cunctum extinxit incendium, novoque miraculo cera, quae ignem alere solita est, violentias ignis vi sanctitatis oppressit. Multa alia miracula omitto patrata ex ceris illis, quae ex cereo acceptae paschali, aliisque puris admixtae, et sacra chrysmate delibutae, ac benedictione pontificali sanctificatae propter impressam imaginem *Agnus Dei* dici consueverunt. Ad ritus revertor.

Ordo

12 Ordo in processionibus quid denotet moraliter. Pueri, et puellae primo procedunt, post religiosorum chori, tum clerici, demum viri omnium ordinum pro cuiusque aut dignitate, aut loci consuetudine. Sic enim servatur illud Apostoli monitum 1 Cor. 14, 40: *Omnia secundum ordinem fiant;* et illud psal. 148, 12: *Iuvenes, et virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini*; et psal. 150, 6: *Omnis spiritus laudet Dominum*, seu omnis qui spiritum ducit, qui respirat; ut hebraea vox habet.

Bini, vel terni procedunt, ut hoc apostolorum, discipulorumque a Domino missorum binio, vel ternio recolatur, simulque socialis animorum coniunctio, et caritas indicetur. S. Bernardus serm. 2 de purificatione B. M. Virginis hanc rationem huius ritus assignavit in haec verba: *Merito nunc bini, et bini procedimus; sic enim ob commendationem fraternae caritatis, et socialis vitae missos a Salvatore discipulos evangelia sacra testantur. Turbat processionem, si quis solitarius incedere curat, nec sibi soli nocet, sed etiam aliis est molestus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes, non soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Haec d. Bernardus.

Vestitus pro cuiusque statu et ordine decorus

13 Vestium splendor. Nam et hoc ad aliquem Dei honorem facit; hinc et in veteri lege qui arcam foederis gestabant, non vilibus, plebeiis, communibusque vestibus ornati erant, sed lineis induti incedebant. Et David in reductione eiusdem arcae accinctus erat ephod lineo, 2 Reg. 6, 14. uti et hodie clericos superpelliceis indutos videmus. Principum maiestatem ornat aulicorum cultus. Unde regina Saba cum in Salomonis aula videret ordines ministrantium vestesque ipsorum, tota obstupescebat, et prae admiratione a seipsa pene discedebat, 3 Reg. 10, 1. *Ecce plusquam Salomon hic*, Matth. 12, 42. Proinde aequum est ut exteriore isto moderato, decentique cultu Regis nostri potentiam, quoad possumus, cohonestemus, iuxta illud quod quidam canebat: *Fit populus festo consonus ipse suo.* Et de Iudith in ipsius libri extremo legimus: *Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria*, nimirum, *Casta placent superis, pura cum veste venite.*

Videas etiam in processionibus huiusmodi egregie ornatos pueros, rosis coronatos iuvenes, sertis redimitos viros sacerdotem antecedentes, vel subsequentes. Indicant haec omnia laetitiam, Christi Domini gloriam, festi diei, qui eius honori totus dicatus est, celebritatem, et decus eximium. Certe qui vanitati, mollitiei, petulantiae, inanium deorum culturae serviunt, haec ornamenta adhibent, ut illi qui Sap. 2, 8 aiunt: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant;* quanto magis in Dei cultum, et honorem ea traducere oportet? Fiunt ista saepe in nuptiarum pompis, in scholasticorum honorum laureationibus, festisque ac lautis aliis actionibus; quidni et illa, quorum finis, ac scopus tandem una summa Dei nostri gloria, ac honor? 14 Pueri et iuvenes sertis redimiti.

Eadem ratio est tot florum, graminum, ramorumque vel in plateis stratorum, vel domorum parietibus appensorum; urbs tota unum templum fit, maxime in festivitate Corporis Christi, quando hoc sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publice per plateas circumgestatur. Nepotianum s. Hieronymus laudabat, quod solicitus fuerit, si niteret altare, si parietes essent absque fuligine, si pavimenta tersa. Hoc in illo religiosum officium omnibus christianis imitari liceat. 15 Nepotianus a s. Hieronymo laudatus.

Videas quoque pueros in calathis flores portantes, eosque ante Christum Dominum spargentes, et effundentes; quod nobis decorum, Christo honorificum est. Si enim in die Palmarum in ipsius viam caesi rami, strataeque vestes fuerunt; cur hodie cum iam non humili asello vehitur, sed in manibus sacerdotum portatur, idem honor ei exhiberi non debet? Huc faciunt peristromata, quae aut in aedibus appenduntur, aut certis in locis sternuntur. 16 Pueri cum floribus.

Huc refer equitatum in aliquibus locis in processionibus cum Venerabili Sacramento. Solemnem pompam facit, uti Cracoviae in octava Corporis Christi, cum ex templo sancti Floriani ad basilicam Corporis Christi fit processio cum Venerabili Sacramento. Hic mos rationi ac religioni valde congruus est. Christus enim in ierosolymitana sua processione iumento usus est. Et est quidam honor Domino, ut iumenta nostra eius tantum cultui die aliqua serviant, cum et ea eius honorem alias quiescere debeant ex praecepto divino, Deuter. 5, 14. Quod alicubi sancti patres has equestres processiones reprehendunt, solam in eis iuvenum aut equestri cursu certantium, aut levius alioqui se gerentium petulantiam arguunt. 17 Equitatus in processione.

Cantus et harmonia musicae

Et haec ad magnam Dei laudem facit. Habemus enim exemplum angelorum, qui nato Christo cantabant: *Gloria in excelsis Deo.* Habemus exemplum veteris testamenti, ac praesertim regis ac prophetae David, qui non solum psalmos quamplurimos composuit, et choros canentium instituit, sed etiam psalmo 150 hortatur, ut instrumentis musicis Deum laudemus. *Laudate eum*, inquit, *in sono tubae, laudate eum in psalterio et cithara. Laudate eum in tympano, et choro, laudate eum in chordis, et organo. Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis.* Ipse etiam reducendo arcam de domo Obededom adhibuit varios cantorum ordines, tot nablorum, cymbalorum, tubarum, aliorumque instrumentorum genera, ut 1 Paral. 15, 28 testatur. Habemus exemplum Ierosolymitanorum a Christo approbatum, qui ei magnis vocibus clamabant: *Hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini.* Habemus exemplum Christi, qui ultima coena peracta, cum apostolis hymnum cecinit: *Et hymno dicto*, graece, *hymno cantato*, *exierunt in montem Oliveti*, Matth. 26, 30. Habemus exemplum Pauli, et Silae, qui media nocte orantes hymnos decantabant, Act. 16, 25. Habemus exemplum apostoli Pauli, qui ad Ephesios scribens monet eos, ut in psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus se exerceant, Eph. c. 5. 18 Cantus Ecclesiae probatur.

Evangeliorum quatuor initia

19 Quatuor evangelia in processione Corporis Christi cur canuntur.

In quatuor fori, seu claustri partibus, in plerisque locis decantamus. 1. Ut significemus exiisse iam, vel sensim adhuc exiturum in quatuor orbis partes evangelii Christi sonum. 2. Ut evangelio nos ubique et in omnibus adhaerere indicemus. 3. Quatuor evangelia sub dio, sive in propatulo canimus, ut per evangelii efficaciam cacodaemones in aere degentes frangantur, ut aer purgetur, et ad utilitatem frugum temperetur. 4. Ut Deus sua clementia quatuor anni partes nobis faustas, et felices reddat. Hinc et Aethiopes christiani annos singulos aliquo evangelistarum nomine appellant.

Arulae

20 Altaria cur collocantur.

In quibus ferculum, seu sacra monstrantia, vel odores, vel imagines, aut reliquiae sacrae collocantur, honoris, qui Christo Domino fit, argumenta et notae sunt, simulque pietatis nostrae incitamenta, et adminicula. Dum arcam Domini deportaret David, licet extra tabernaculum sacrificare alias non liceret, iussit in via hostias mactari quamplurimas, ita ut septimo quoque passu septem sacrificarentur tauri, septemque arietes, 2 Reg. 6, 13, et 1 Paral. 15, 26, quasi ubicumque arca Dei foret ara etiam merito fieret, ipsaque eius praesentia locus sacrificio idoneus videretur. Quanto magis sacrosanctae divinitatis arcae, hoc est, Corpori Christi hic honor exhiberi potest, ac debet.

Campanarum sonitus ac bombardarum fragor

21 Campanae et bombardae cur sonentur et al.

Haec non ad necessariam solummodo populi evocationem, sed ad quamdam etiam excitationem pietatis, Deique venerationem adhibentur, non secus ac cymbala, sistra, tubae, tympana.

22 Et quod in ierichontinis suburbanis processionibus erant sacerdotales tubae, hoc in nostris quodammodo sunt campanae, et bombardae.

Nudipedalia et ad poenitentiam confirmati sacci

23 Horum etiam in veteri testamento quantus fuerit usus, ignotum nemini, ut 2 Reg. 3, 31, 3 Reg. 20, 31. 4 Reg. 19, 1, 2 Esdr. 9, et Esther 4, 1. Et David tristi illa processione qua Ierosolymam Absalonem filium fugiens deseruit, id comprobavit. *David ascendebat*, inquit Scriptura, *clivum olivarum scandens, et flens, nudis pedibus incedens, et aperto capite*, 2 Reg. 15, 30. Iisdem caeremoniis usi sunt Patroclus patriarcha constantinopolitanus, et imperator Theodosius in illis Litaniis de quibus Nicephorus lib. 14, c. 46, Glycas annalium parte 4, et Cedrenus in Theodosio. Easdem usurparunt antiocheni in illo terribili terrae motu, de quo narrat Paulus diaconus libro 26, et s. Otho cum episcopum bambergensem adiret, et in bello sacro christiani, et multi alii.

24 Alii etiam adhibent flagella, ieiunia, eleemosynas, ut his castigationibus divina maiestas placata flagella iracundiae suae a nobis amoveat. Hi sunt ritus, hae caeremoniae quas Ecclesia catholica in processionibus marianis, et aliis, quas statis temporibus peragit, ad consolationem et eruditionem fidelium usurpat. Sed quoniam haeretici tam sanctas, tamque pias caeremonias despectui habent, carpunt, et irrident; idcirco, ut absoluta sit de nostris processionibus tractatio, eorum impietatem arguere, et processionum sanctitatem pluribus demonstrare placuit ad laudem Dei, et B. Virginis honorem.

DISCURSUS CCLXV

PROCESSIONUM ANTIQUITAS ET SANCTITAS TUM EX SCRIPTURIS, TUM EX USU ANTIQUORUM SANCTORUM PATRUM CONTRA HAERETICOS DEMONSTRATUR

1 Sicut olim in veteribus Romanorum triumphis momus erat, qui ad triumphantis gaudium et fastum temperandum eius mores, gestaque canino dente mordebat: sic hodie haeretici sacrum hunc ac religiosum processionum catholicarum, et triumphandi ritum carpunt, subsannant, mordent; quin etiam abominantur, et execrantur nos blasphemorum, et idololatrarum nominibus afficientes, maxime cum vident Sanctissimum Sacramentum, sanctorum reliquias, cruces et imagines in processione a nobis deferri, et ritus iam nominatos usurpari. David olim regio cultu deposito, amiculo seu ephod lineo indutus coram arca Dei pie saltabat, ac gestiebat, quem videns de fenestra Michol, Saulis regis filia, at ipsius Davidis uxor, despexit, subsannavit, et imminuti cerebri nota signavit, 2 Reg. 6, et 1 Paralip. 15, 29. Ad eundem modum cum populus christianus ad Dei gloriam, suarumque animarum spirituale commodum ante novi foederis arcam, Corpus, inquam, Domini cum iubilo praecedit, haeretici ab Ecclesiae sanctae gremio deflectentes eadem prorsus, quae Michol coniugi suo, nobis ogganniunt, solemnia nostra subsannant, ceremonias carpunt, drammaticos et scenicos gestus appellant, vanisque hominibus et scurris comparant. Videas eos processionum tempore praesertim in urbibus, ubi catholicis sunt permixti, interdum ex fenestris aspicientes, interdum in platea alicubi stantes, vel ad mensas in conviviis sedentes, ac inter pocula iacentes, ac ructantes nostra sacra irridere, modo has, modo illas calumnias contra ea effutire, processiones nostras ethnicas, paganas, blasphemas, idololatricas appellare. Sed age has processiones, et venerationis instrumenta, rationes, et modos in Scripturis exemplum habere, vel certe iis non repugnare, pietati ac religioni antiquorum conformes esse demonstremus: pietatem christianam dilucidemus, et impietatem haereticorum confutemus. Fac, obsecro, benignissime Iesu, ut fidelium mentes in tuo amore firmentur, at cecutientium oculi ad cognoscendam veritatem aperiantur.

Processionum maxima antiquitas in Scripturis sacris est saepius insinuata. Licet enim processionis verbum in Scripturis sacris non inveniatur, res tamen ipsa clare et aperte in iisdem monstratur. Quemadmodum enim licet Trinitas, purgatorium, et alia huiusmodi nomina in Scripturis clare et expresse non videantur, sufficit tamen quod res per ipsa significatae reperiantur: ita licet verbum processionis non legatur, sufficit quod res ipsa, nimirum precabunda itio, reditio, circumitio saepius insinuetur. 2 Processionum ritus ostenditur ex Scriptura.

1. Iosue 6, 3, cum Iericho urbem Dominus expugnare vellet, iussit cunctos bellatores Israel semel per diem circuire urbem Iericho, sicque facere sex diebus. Septimo autem die, praecedente arca, clangentibus sacerdotibus septem tubis, quarum usus est in iubilaeo, eandem circumitionem imperavit fieri septem vicibus. Quid sibi volunt tot circumitiones? quid arcae circumlatio? quid sacerdotum, levitarum, totiusque populi praesentia? quid tubarum, et quidem iubilaeorum clangor? quid in iisdem circumitionibus alia tam multa, quae ad urbis expugnationem minime valebant? Omnia haec meritissimo sunt sacrae processiones, cuiusmodi et hodie sunt nostrae. 3

II. Cum a Philisthaeis caesi fugatique essent Israelitae, mox maiores natu dixerunt: *Afferamus ad nos de Silo arcam foederis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum. Misit ergo populus in Silo, et tulerunt inde arcam foederis Domini exercituum sedentis super cherubim*, 1 Reg. 4, 3, 4. Et quid hic aliud, nisi sacra quaedam processio? Cum enim in tam gravi calamitate arca illa ab Heli summo sacerdote ex tabernaculo extracta fuit, et humeris sacerdotum imposita est, nec aliorum fortasse, quam Ophni et Phinees filiorum Heli, qui propterea eo in loco expresse nominantur: sic processit pompa illa non triumphalis, sed feralis; nam tunc suo vitio Israelitae perierunt, et arca Domini capta est, filii Heli occisi sunt, magno praeeuntium, et sequentium agmine, partim feliciter precante, partim miserabiliter eiulante. En tibi processionis ritum. 4

Neque is novus apud Israelitas, sed usitatus esse monstratur. 5 Arca foederis saepius in supplicatione deportata.
1. Quod accepta clade statim maioribus natu huiusmodi cogitatio venit in mentem. *Afferamus*, inquiunt, *ad nos de Silo arcam foederis Domini*. Si enim novum id plane, inusitatumque fuisset, non tam subito tamque fidenter eiusmodi consilium aut cepissent, aut populo proposuissent seniores illi. 2. Non adeo fuisset ad arcam in castra mittendam facilis Heli summus sacerdos, qui eam adeo adamabat, et venerabatur, ut filiorum caedem siccis oculis audiret; at cum arcam Dei captam esse audivisset, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est, 1 Reg. 4, 18. Licet enim fuisset in filios indulgentior, nequaquam tamen ullius in divino cultu propriae aut remissionis, aut iniuriae, alteriusve culpae accusatur. 3. *Cum venisset arca foederis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi et personuit terra*, 1 Reg. 4, 5. Cur, quaeso, Israelitae de arcae adventu adeo laetati essent, tantos in coelum, tamque festos cla-

Digitized by Google

mores sustulissent, si quidem iam insignem cladem acceperant? Quia nimirum ex eius praesentia optimam spem hauriebant. Et quomodo hausissent, nisi similis aliquando experientia praeivisset? 4. Cum Philisthaei arcam veniase audivissent, timuerunt dicentes: *Venit Deus in castra et ingemuerunt*. Ut quid hostes iam saepius victores timerent, nisi talem ritum deferendi arcam aliquando vidissent, vel de re audivissent?

6 III. Processionem aliam divino incitati spiritu prophetae suppeditant. Cum Saul a Samuele, iubente Deo, in regem Israel unctus fuisset, recedens ab eo obvium habuit gregem prophetarum descendentem de excelso, et ante eos psalterium, et tympanum, et tibiam, et cytharam, ipsosque prophetantes, hoc est varios in Dei laudem hymnos concinentes, 1 Reg. 10, 5. Et quid aliud grex iste, ut LXX vertunt, *chorus prophetarum* fuit, quam nostrarum processionum forma? Idem videre est in cuneo illo prophetarum vaticinantium, quos lictores Saul, dum quaerunt David, invenerunt in Ramatha, et Samuelem stantem super eos, 1 Reg. 19, 20.

7 IV. Processionem nostram aperte facere visus est David rex, qui audito quam insignibus domum Obededom Deus benedictionibus replesset, eo quod arcam testamenti ad menses aliquot in domo habuisset, pretiosum hoc munus in urbem reducere, et in tabernaculo, quod honorificentissimum apparatat, collocare constituit. Igitur tum pro divina reverentia, tum pro regia magnificentia plurimos undequaque convocavit sacerdotes, levitas, cantorum ordines; tot nablorum, cymbalorum, tubarum, aliorumque instrumentorum genera adhibuit; victimas destinavit innumeras, adeo ut ad senorum passuum processus septem sacrificarentur tauri, septemque arietes, 2 Reg. 6, 1, et 1 Paralip. 15, 26, quasi ubicumque arca Dei foret, ara etiam merito fieret.

Omnes ergo pro se quisque suo munere fungens, ordinatim urbem regiam ingrediuntur decenti procedentes agmine. Qua pompa conspecta, David pietatis ardore inflammatus prae gaudio tripudiare, et saltare ante arcam Domini coepit. An non pulcherrima, splendidissimaque processionum species haec est?

8 V. Processionum speciem clarissime prae se tulerunt duo illi chori prophetarum laudantium Deum, et procedentium cum gratiarum actione, et cantico, cymbalis, psalteriis, et citharis, quos Ioacim, Nehemias rex, et Esdras sacerdos congregaverant in dedicatione murorum Ierusalem restauratorum post captivitatem babylonicam, de quibus Nehemias lib. 2 Esdrae, cap. 12.

9 VI. Ternae illae ad ierosolymitanum templum itiones, et reditiones, quae ab omnibus in Terram sanctam quotannis suscipiebantur, nimirum pro festo Paschae, Pentecostes, et tabernaculorum, de quibus Deuteron. 6, 16, nostrarum processionum vivum exemplar fuerunt, in quibus hymnos, preces, et gratiarum actiones Deo occinebant. Triplex enim causa ascensus illius ad templum a doctoribus assignatur. Primo, ut ab Israelitia agerentur Deo gratiae, in Paschate quidem pro liberatione ex Aegypto, in Pentecoste pro data coelitus lege, in scenopegia pro dato promissae terrae dominatu. Secundo, ut sua quaedam vota et sacrificia offerrent omnes. Tertio, ut benedictionis quae per expressum Iehovae nomen a pontifice, cum tantum tiebat, forent participes. In quos fines nos etiam processiones facimus.

Cur in antiqua lege ter ad templum quotannis ibant Iudaei.

10 Hinc etiam apud ethnicos ambarvalia, et amburbalia, hoc est arvorum, et urbium lustrationes, de quibus Festus, et Macrobius l. 5, c. 5. Hinc segetum lustrationes, de quibus Virgilius 2 Georg. Hinc idolorum circumgestatio, de qua 2 Reg. 5, 51, Is. 46, 7, Baruch. 6, 3. Hinc Isidis gestata sacerdotum humeris statua, et mira Dianae pompa in apuleiani asini lib. 11. Hinc Aegyptiorum supplicationes, et processiones apud Caietanum orat. 1. Hinc ea Gallorum rusticorum consuetudo simulacra daemonum candido tecta velamine per agros suos circumferre solitorum, de qua Sulpitius in vita s. Martini, cap. 9. Quemadmodum enim diem sequitur nox, vitam mors, hominem verum et vivum pictus, et mortuus: ita caeremonias, quibus verus Deus recte pieque colitur, sequitur superstitio, et impietas. Est Dei simia diabolus: quod ei videt venerationis ergo fieri, sibi quoque factum vult. Hinc et aras, et sacrificia, et iuges ignes, et lucernas, et omnem fere iudaicam a Deo traditam sacrorum disciplinam, supellectilem, splendorem ad inanima, mutaque idola sua transferre satagit, prout a Tertulliano lib. de ieiunio, et Iulio Firmico lib. de mysteriis et erroribus gentilium monstratum est. Quia igitur antiquissimas illas mosaicae legis processiones daemon viderat, falsam harum imitationem impia cum cacozelia in sceleratos idolorum cultus invexit. Ex impiarum igitur et superstitiosarum vetustate processionum intelligitur aliquo modo piarum, et sanctarum, quae ad Dei cultum referuntur, vetustas.

Ethnicorum processiones unde originem habuerunt.

Diabolus simia Dei.

11 VII. Iam in novo testamento, tum in evangelio, tum in historiis multa sacrarum processionum occurrunt exempla. Omnia Christi Domini in hac terra, non cum Matre tantum, et Iosepho, sed cum apostolis etiam discipulisque aliis itinera, et peregrinationes, praesertim quas extremo vitae suae obiit, cum e domo ubi agnum ederat, sacrumque Venerabile Sacramentum instituerat, in hortum egressus est: cum inde ad Annam venit, postea mane ad Pilatum, inde ad Herodem, et ab Herode rursus ad Pilatum rediit, inde ad Calvariae montem perrexit, nostrarum processionum exemplar fuere nobilissimum. Sanctus Bernardus serm. 2 de ascens. Domini ipsam Christi Domini cum sanctarum animarum agmine in coelos ascensionem felicem dignamque processionem appellat. Sic B. M. Virginis, apostolorumque varios progressus nostrarum processionum viva fuisse exempla paulo superius deduximus.

Processionum exempla ex novo testamento.

12 VIII. Apud christianos etiam processionum usus antiquissimus, et continuus legitur, si demas illa tempora, in quibus idolorum cultus, tyrannorum impietas grassabatur. Quomodo enim de templo in templum precabundi obirent, quomodo urbes, vicos, camposque agminatim supplicabundi circuinirent, quando singuli ad necem quaerebantur? At ubi christianorum sacris publica, certa, constansque concessa est divinitus tranquillitas, tum demum videri coeperunt pia canentium, et progredientium agmina.

Ex usu antiquorum christianorum.

13 Primo, cum Constantinus imperator aedificationem civitatis constantinopolitanae absolvisset, eamque in Beatissimae Virginis honorem dedicasset anno Domini 330, supplicis more rogavit episcoporum conventum, ut precationibus suis munitiones, et muros novae urbis firmarent. Igitur praelato dominicae crucis vexillo, cum hymnis, ac precibus circuitus peracti, fora, plateae, praecipua omnia urbis loca consecrata sunt. Nicephorus lib. 8, c. 26. Eiusdem imperatoris tempore Litaniis vacasse monachos testatur Sozomenus lib. 9 tripartitae historiae.

14 Cum e Daphne transferrentur Antiochiam reliquiae s. Babylae martyris temporibus Iuliani apostatae, qui anno Domini 363 imperium cepit, tyranno illo invito, publice magnus tum virorum, tum mulierum, ac puerorum numerus cum canticis, et psalmis per plateas processit. Sozomenus lib. 5, c. 19, Ammianus Marcellus lib. 22, qui adolescens tum interfuit oculatus testis.

15 Iuliani eiusdem temporibus s. Basilius ibat non raro ad sanctae Theclae templum una cum populo comitante, prout narrat d. Gregorius nazianzenus orat. de ipso, et Amphilochius.

16 Cum in urbem Antiochiam reliquiae s. Meletii reportarentur, processionem cum psalmis describit Sozomenus lib. 7, cap. 10, et Socrates lib. 5, cap. 8.

17 Theodosius senior bellum adversus Eugenium gesturus omnia orationis loca cum sacerdotibus, ac populo circuibat sanctorum auxilia, ac preces flagitans. Ruffinus lib. 2, cap. 33.

18 Arcadius imperator cum ossa d. Samuelis prophetae de Iudaea in Thraciam transferret, omnes episcopi dissolutos cineres in serico, et vase aureo portaverunt, omnium ecclesiarum populi sanctis reliquiis occurrerunt, et tanta laetitia quasi praesentem viventemque prophetam cernerent, susceperunt. Sanctus Hieronymus adversus Vigilantium. Nonne pia haec, sanctaque processio?

19 Cum Placillae, imperatoris Theodosii iunioris uxoris, Antiocheni tumultuantes statuam evertissent, gravissimamque iram, et commeritas poenas postea extimescerent, publicas supplicationes statuerunt, in quibus carmina quaedam luctuosa numeroso concentu cantaverunt Deo supplicantes, ut ferocientem imperatoris animum compesceret, et tantopere excitatam iram mitigaret. Nicephorus lib. 12, cap. 43.

20 S. Ambrosius scribens ad seniorem Theodosium epist. 29 meminit antiquae consuetudinis christianorum, qui cum ad sanctorum quorumdam ecclesias celebritates peragerent, in processionum more agere consueverant, una scilicet precando, psalmoque canendo. *Monachi*, ait, *psalmos canentes ex consuetudine, usuque veteri peragebant celebritatem sanctorum machabaeorum martyrum*. Coepit autem Theodosius imperare anno Domini 379.

21 S. Chrysostomus ad debilitandam Arianorum insaniam, insignes admodum, splendidas, et pias per vicos urbis constantinopolitanae instituit processiones, etiam nocturnas. Socrates lib. 6, c. 8, Sozomenus lib. 8, c. 8.

Digitized by Google

22 S. Porphyrius cum gravis Palaestinam teneret siccitas, publicam instituit processionem pluviae impetrandae causa. Idem rursus ad Marnae divisum iam templum (Marna erat Iovis templum, quem deum imbrium faciebant) cum toto populo processit, ut locus ille purgaretur, et fundamenta extruendo templo christiano iacerentur. Omnes ibant psalleates, ipse vero sequebatur portans sanctum evangelium, et penes se habeas pium clerum. Erat autem psalmus quem dicebant: *Venite, exultemus Domino*, etc. Marcus in vita s. Porphyrii.

23 Theodosius iunior, qui imperii habenas rapessit anno Domini 408, cum gravissimam tempestatem Constantinopoli cerneret, populum, ut a circo ad ecclesiam tenderat, admonuit. Litania igitur instituta est, supplicantes processere, laudibus Deum levavere, atque una concora ecclesia civitas tota facta est. Et ipse imperator mediis hymnis canendis praeiit habitu privato incedens. Nicephorus lib. 14, cap. 3.

2 Anno imperii eiusdem undecimo, qui erat Domini 418, excitata inter iudaeos et christianos lite, et synagoga Iudaeorum in templum christianorum conversa, Severus minoricensis episcopus processionem instituit ad synagogam, comitabantur illum omnes fere christiani et iudaei; christiani autem psalmos canentes concludebant illo versu: *Periit memoria eorum cum sonitu, Dominus autem in aeternum permanet*. Baronius ex codice vaticano anno Domini 418.

25 Anno imperii eiusdem vicesimo quarto, qui erat Domini 431, pro ephesina Synodo pie decertantes archimandritae, monachorum catervis stipati exsurgunt, hymnosque, et psalmos decantantes ad regiam contendunt, ut refertur in actis Concilii apud Peltanum, tom. 2, cap. 19, et 20. Et paulo post tam monachi, quam plebs psalmum postremum versus postremam civitatis partem concinentes (erat enim via qua incedebant, ex principalioribus una) ad s. Marii martyrium abscedunt. Et hic rursum non parva monachorum multitudo ei cum hymnis et cereis occurrit.

26 Marcianus imperator anno Domini 450 in supplicationibus publicis praeibat, et maximam indigentibus pecuniam praebebat. Nicephorus lib. 15, cap. 15. Atque huius tempore beatus Mamertus episcopus viennensis solemnes ante dominicam ascensionem instituit Litanias, et processiones, ut testatur Ado in chronico aetate 6. Monstravimus igitur processiones nostras esse antiquissimas, et sanctissimas, utpote quae tot saeculis a tot sanctis patribus ad hodiernum usque diem in Ecclesia usurpatae, in tot regionibus et locis propagatae, tam crebro et a tam multis usitatae fuerunt. Ex qua autem apud christianos coeperunt, quando unquam abiectae? quae iis provincia, urbs, vicus et pagus caruit? Eas occidentalis, eas orientalis, et quidem in anno crebrius celebrat ecclesia.

27 Taceat igitur nefaria haeresis, et tam sanctum, tamque pium processionum ritum, quem sacrae litterae commendarunt, viri sanctissimi, ut David, Nehemias, vel certe Israelitarum primores indixerunt, christiani usu perpetuo approbarunt, viri summi et sapientissimi, ipsaque demum Ecclesia catholica usurpavit, dente canino lacerare desistat. Iam eorum naenias, hoc est ineptos sermones, quos contra processiones nostras effutiverunt, refellamus.

DISCURSUS CCLXVI

NAENIAE HAERETICORUM CONTRA PROCESSIONES CHRISTIANAS REFELLUNTUR

1 Novatores contra nostras processiones et caeremonias tria potissimum obiiciunt.

I. Hunc ritum ethnicum, et paganum esse; siquidem gentiles olim supplicationibus ac processionibus vacabant, ut et nos paulo superius meminimus.

2 Sed hanc sequelam stultam, et ineptam esse dicimus. Hunc enim ritum non ex gentilium superstitione, sed ex Israelitarum religione accepimus. Quod enim in honorem Dei Israelitae faciebant, hoc idololatrae amenter et scelerate ad falsorum deorum suorum venerationem transferebant. Versutus satan quod apud Iudaeos in honorem veri Dei fieri videbat, hoc sibi ab excaecatis gentilibus exhiberi curabat. Videbat apud Iudaeos vero Deo extrui templum, institui sacerdotes, fieri sacrificia, hoc idem sibi a gentilibus fieri faciebat, immo maiora sacrificia, et plura ab eis exigebat. Unicum templum habuit Deus in veteri

Diabolus semper honorem Dei sibi usurpat.

lege, in quo coleretur: diabolus autem uno templo contentus non erat, sed impleverat mundum templis, templa altaribus, altaria simulacris. Ab unico Abraham Deus petiit sibi filium offerri, et sola viri voluntate contentus vivum ei filium reliquit: diabolus ulterius progressus est, dum non ab uno, sed ab innumeris cuiusque generis hominibus filios sibi in sacrificium mactari postulavit; quod deplorans Psalmista, ait ps. 105, 37: *Immolaverunt filios suos, et filias suas daemoniis: et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, ac filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan*. Deus petiit ab hominibus cor: *Fili, praebe cor tuum*. Diaboli superbia maiora postulavit, ut scilicet re ipsa corda, et viscera ex ipsis corporibus humanis extraherentur, sibique offerrantur super ardentes prunas. In Mexico, ut refert Ioannes de Zumaraga, primus illius civitatis episcopus, in epistola ad fratres minores, (franciscanus erat) cum diabolus ibi colebatur, a gentilibus singulis annis plusquam viginti millia cordium puerorum, et puellarum solita erant diabolo afferri. Non ergo contemnenda est nostra in processionibus devotio quod ab idololatris impie usurpata legitur; alioquin detestanda essent templa, sacerdotium, sacrificia, altaria, quae gentiles in usu habuerunt, immo et detestanda esset virginitas, quia et Vestales virgines apud Romanos fuerunt.

Diaboli superbia, et crudelitas quanta.

II. Aliud quod abiiciunt, non minus stultum, quam ineptum est. Processiones, aiunt, indicamus impedimentum aliarum necessariarum operarum; et notum est multa impia facinora in magnis processionibus perpetrata fuisse, et potentes quosdam dominos formosas feminas ex processionibus raptas abduxisse. 3

Tria insana dicta hic effutiunt. Processiones, aiunt, sunt impedimentum operarum, igitur tollendae. Pari ratione multa sacra, ut dies dominicus, coetus praedicantium, crebrae conciones eorundem tollendae essent, quae vere operarum necessariarum impedimenta sunt, non autem processiones, per quas ira Dei placatur, pestis, fames, siccitas, nimia pluvia, bella, obsidiones, aliaeque calamitates avertuntur. Rursus, per processiones multa bona impetrantur, nimirum Ecclesiae amplificatio, infidelium illuminatio, haereticorum conversio, christianorum principum concordia, hostium victoria, aeris salubritas, frugum ubertas, publica tranquillitas, et similia. Nonne Iericho urbem regiam, praesidioque multo firmissimam disiecere processiones? Iosue 6. Nonne clade metuque consternatos Israelitarum animos sacra erexit processio? 1 Reg. 4. Nonne in Obededom domum faustitatem, beatamque cornucopiam sacra intulit processio? 2 Reg. 6. Nonne ierosolymitanam urbem, ut divino esset Numini gratissima, eiusque auxilio ac favore tutissima, sacra consecravit processio? Nehemiae 12. Taceo bellicas calamitates, urbium ab hostibus obsidiones, epidemiae contagionem, nimias pluvias, aliaque irae Dei flagella per processiones aversa, quae satis copiose narrabam tomo superiori, discursu 11 per totum. 4

Processionum fructus

Non sunt igitur audiendi maligni atque invidi Novatores, qui per processiones operas necessarias impediri autumant, qui laborem non existimant, nisi quod corpus atteritur: orationes vero, psalmodias tam diurnas, quam nocturnas in censu laborum non habent. Immo multum detrimenti respublica caperet, si Dei cultus minueretur, si nullus esset, qui diu noctuque iram Dei placaret, omnibus circa operas mechanicas occupatis. Venit mihi frequenter in mentem hominum ingratitudinem admirari, et deflere, quibus omne quod Deo impenditur, nimium vel superfluum videtur, cum tamen a Deo habeant omnia. 5

Et illud quod oggannunt, non verbis, sed risu potius excipi posset. In processionibus, inquiunt, magna perpetrata fuisse scelera. Numquid non fuerunt, et etiamnum non sunt in omnibus pene rebus creatis offensiones, et scandala? Cum *creaturae Dei in odium factae sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium*, ut ait Sapiens 14, 11. Num tollenda omnia? tollendus oculus, eo quod ophthalmia laborat? tollenda vina, eo quod illis multi inebriantur? tollendi gladii, eo quod illis multi se et alios occidunt? tollendae divitiae, eo quod multis irritamenta malorum sunt? immo et in sacris, quae licet pauca Novatores retinent, tollendus dies dominicus quem homines saepe in vanitatibus, comessationibus, ebrietatibus consumunt? tollendus baptismus in cuius administratione sumptus superflui fiunt, lauta convivia parantur, homines gulae ventrique indulgent? tollendae nuptiae, in quibus pompae, ebrietates, et plerumque homicidia et adulteria perpetrantur? Prudentis est secernere a malis bona, scelera emendare, abusus tollere, im- 6

proborum audaciam coercere, libidines potentum fraenare, non illico Dei cultum minuere, coeremonias abolere, religionem omittere.

7 III. Quod postremo in processionibus nostris hymnos, pias cantiones, sanctorum invocationem, reliquiarum deportationem, cereorum accensionem, statuarum circumgestationem, et similia condemnant, omnia haec impia, et idololatrica affirmant, flocci facimus: cum haec omnia optima, et sanctissima esse paulo superius liquido ostendimus. Et de processionibus ista sufficiant.

DISCURSUS CCLXVII

DE RELIQUIIS DEIPARAE VIRGINIS

1 Scimus Mariomastygas refragari, vociferari, et mere somnia vocare marianarum reliquiarum asservationem, et cultum. Sed nos ista omnia surda aure pertransimus, et reliquias Deiparae ad cultum, et venerationem ipsius spectare probe intelligimus, et constanter docendo asseveremus.

2 Reliquiarum nomine quid intelligatur.

Porro, si reliquiarum nomine accipias sola sanctorum ossa, sic nullas reliquias Divae Virginis habemus; cum certo constet eam cum corpore et anima in coelum assumptam esse, ut universa Ecclesia pie confitetur; et temerarius ille deinceps censeretur, qui hanc gloriam Sanctissimae Virgini denegaret. Verum sacrarum reliquiarum nomine veniunt etiam vestes sanctorum, calcei, supellectilia, quae vel propriis manibus contrectarunt, vel industria sua elaboraverunt; immo loca ubi sancti passi sunt, vel ubi habitaverunt, vel apparuerunt, vel ubi miracula aliqua ostenderunt, aut aliquid praeclari gesserunt. Assumpto itaque, et coelis donato corpore B. M. Virginis, nobis solum relicta sunt ea quae sacratissimo eius, vel etiam Christi tabernaculo proxima fuerunt, ut vasa, vestes, supellectilia, quae ipsa vel propriis manibus elaboravit, vel saltem contrectavit; loca insuper in quibus ipsa vel apparuit, vel aliqua miracula ostendit. Ex his nos multa possidemus ad nostrum solatium, ac praesidium, eaque veneremur ac colimus. Et prima est

3 I. Domus Lauretana, in qua gloriosissima Virgo Maria Regina mundi nata, et educata est; in qua ab archangelo Gabriele Dei nuntio est salutata; in qua Verbum caro factum est; in qua Deus homo factus mansit, manducavit, bibit, dormivit, quievit. Haec ter augusta domus de Nazareth in Dalmatiam, de Dalmatia in Italiam anno Domini 1294 manibus angelicis translata est, et modo in Piceno, Italiae regione, magno populorum concursu religiosissime colitur. De cuius ortu, translatione, magnificentia, dignitate, ac praestantia satis superque dixi tomo superiore, discursu V, et sequentibus.

4 II. Domus in qua habitasse fertur Deipara exulans in Aegypto. Hanc decem millibus passuum a Cairo distare narrat Cornelius Iansenius Concord. evangel. cap. 11. Ab ipsis etiam Saracenis in magna veneratione habetur, qui lampadem ardentem ibi perpetuo conservant; ibique pretiosas balsami arbusculas Iesu beneficio increvisse, quae sola aqua putei, qua ad obsequia Domini Virgo Mater usa fuerat, irrigatae vegetantur, crescunt ac perdurent. Haec Iansenius. Vide etiam Baronium, Ieso Christi anno primo.

Domus Deiparae partem se habere gloriantur ascetae montis s. Eligii iuxta Atrebatum, teste M. Attilio lib. 4, cap. 40 apud Locrium in Maria Augusta.

5 III. Praesepe Domini, in quo ipsa Virgo puerpera Filium natum reclinavit, Romae sub altari praesepii in nobilissimo sacello a Xysto V constructo, apud Sanctam Mariam maiorem est reconditum, de quo Onuphrius lib. de septem ecclesiis.

6 IV. Cunabulum, et aliquid ex fasciis, ac pannis infantiae Salvatoris conservantur in eodem templo S. Mariae maioris in ferculo marmoreo reliquiarum. Onuphrius loco citato.

7 V. Fasciae Salvatoris ab Eudoxia Augusta ex Ierosolyma Constantinopolim ad Pulcheriam Augustam transmissae, et ab ea in templo magnificentissimo cum Deiparae zona collocatae sunt. Nicephorus.

8 VI. Tunica inconsutilis Christi desuper contexta per totum, quam Dominus dividi a militibus nunquam passus est, Romae in templo s. Ioannis lateranensis continetur in ferculo marmoreo super altare s. Mariae Magdalenae, quam tunicam fecit B. Virgo Filio suo. Onuphrius loco citato.

9 VII. Interula linea D. N. Iesu Christi, quam ei B. Virgo fecit, Romae apud s. Ioannem in Laterano super altare s. Mariae Magdalenae in capsula argentea habetur recondita.

VIII. Velum, quo velatum fuit corpus sanctissimum Christ 10
Salvatoris in cruce pendentis, ibidem super idem altare asservatur, teste Onuphrio loco citato. Quod velum dicitur fuisse velamen capitis B. M. Virginis, quod ipsa videns Filium suum iam crucifigendum totaliter nudum, ex capite suo detraxit, et lumbos Filii circumligavit. Ita meditatur s. Anselmus in dialogo de passione Domini, et s. Bonaventura in meditatione vitae Christi.

IX. Vela, quibus B. V. Maria verecundissimum suum vultum 11
obnubebat, asservantur in variis locis. Primum Romae in templo s. Crucis ierosolymitanae. Attilius uti supra. Alterum in Melita insula. Gabriel Barrus lib. 2 de antiquitate et situ Calabriae. Tertium in Terra-nova Calabriae oppido. Idem auctor, qui supra. Quartum Treveri ex b. Helenae dono, teste Middendorp lib. 5 academiarum in Treveris. Sextum Assisii, in templo s. Francisci, quod quotannis his cum honore ostentatur. Locrius libro 5. Septimum Tungri, subtilis texturae, lana ac serico mixta. Octavum Atrebati, teste Locrio, uti supra.

X. Annulus desponsatorius B. M. Virginis. Hunc aquicinctini 12
monasterii monachi habere se praedicant, et monstrant effigiem quamdam exigua in palla ornatam. Quod inter ceteras virtutes hanc etiam operetur, quod puerperis molestias partus acrius patientibus valde proficit; quod exemplis demonstrat Locrius lib. 4 de Maria Augusta.

Extat et alius annulus, quem s. Ioseph tradidit in hac desponsatione Virgini coniugi futurae, et maxima cum veneratione servatur Perusii in capsella aurea sub undecim clavium firma custodia, quae a totidem seu viris, seu communitatibus asservantur. Plurimis claruit, et claret modo miraculis. Non ex ullo metallo, sed ex onyche lapide, qui in Palaestina satis vilis est, factus. Antonius de Balinghem die 22 ianuarii.

XI. Vestis integra B. M. Virginis a Leone primo imperatore 13
Constantinopolim delata, et in nobilissimo templo in Blachernis collocata est. Metaphrastes in oratione de vita et obitu Deiparae. Nicephorus lib. 12, cap. 21.

Eiusdem vestis Virginis pars aliqua habetur Romae, tum in Sancta Maria maiore, tum in sancto Ioanne lateranensi, tum etiam in sancto Laurentio extra muros, teste Onuphrio, loco citato.

Forolivii quoque in Aemilia, in collegio Societatis Iesu, in simulacro Deiparae ex Germania allato bona pars vestis Deiparae asservatur. Hispania quoque aliqua parte vestis gloriatur, quam Oveti oppido Hispaniae asservari tradit Marianus Siculus libro 5 historiae hispanicae. Alteram partem Consentiae, et Balneariae in Calabria asservari narrat Gabriel Barrus lib. 2 de antiquit. et situ Calabriae, libro 3. Aquisgrani item unam partem, Tungris alteram asservari, et coli scribit Locrius lib. 5 de Maria Augusta, c. 24.

XII. Zona sanctissimae Virginis, qua divinissimum suum pe- 14
ctus constringebat, et Deum, qui in utero eius continebatur, cingebat, quae saepe humectabatur ex guttis lactis intemeratae Virginis, Constantinopoli in templo a Pulcheria Augusta Arcadii filia magnificentissime extructo collocata fuit, ut testatur Nicephorus lib. 14, cap. 4. Hanc zonam sancti patres miris laudibus extulerunt; nominatim vero s. Germanus patriarcha constantinopolitanus in laudem eius insignem orationem habuit, quam habes ex Metaphraste apud Surium, tom. 4, die 31 augusti.

Singulare est, quod de hac virginea zona narrat Euthymius 15 Miracula ad zonam B. Virginis patrata.
monachus apud Metaphrastem. *Laudatur*, inquit, *zona quae annos plus congentos illaesa atque integra perseverat, cui nequaquam infuscatus est color, quae vincit splendore nivem, talemque se videntibus exhibet, qualis ex manu prodivit artificis. Ea se coeli Regina re vera, ut credimus, cinxit.* Ubi etiam post multa in sacrae zonae commendationem prolata testatur in eo Deiparae templo, ubi haec zona cum Christi fasciis asservabatur, paralyticos erigi, caecos illuminari, febre laborantes curari. Adiicitque ad sua usque tempora (vixit autem circiter circa annum Domini 1109) eam zonam servari illaesam.

Eius zonae partem Burgenses ex urbe Constantinopoli anno 16
Domini 1230 dono sibi datam acceperunt. Constantinopoli per Turcas occupata, seu antequam in extremam istam direptionem veniret, Romani hanc zonam acquisiverunt, eamque se nunc possidere, et religiose asservare profitentur, teste Onuphrio libro de septem urbis ecclesiis. Aquisgranenses etiam eam sibi vin-

Digitized by Google

dicant, Atrabatanses quoque eam se possidere gloriantur, et Tongrenses Eburonum suam faciunt. Quam contentionem nonnisi Ecclesiae monumentis lustratis sedaveris, vel plures zonas Virginis fuisse, aut unam in diversa frusta dissectam dixerim.

17 XIII. Fasciae sepulcrales quibus Sacrae Dei Genitricis corpus post animae ipsius in coelum migrationem brevi tempore (nimirum usque dum in corpore, et anima in coelum esset assumpta) involutum fuit, a Iuvenali episcopo ierosolymitano missae sunt ad Pulcheriam Augustam, et in templo Blachernis ab ipsa constructo reconditae. Nicephorus lib. 15, cap. 14.

18 XIV. Indusiae Dei Genitricis duae extant. Altera Aquisgrani a Carolo magno ibi reposita anno Domini 810, auctore Philippo Bergomense libro 10 Suppl. Aquisgranenses ex traditione acceperunt, eam ipsam esse, qua Virgo Mater pariens erat amicta: coloris est candidi, longitudine ulnis duabus, et semis. Altera vero Carnuti in Gallia ex Caroli Calvi munere conservatur, quae eam urbem memorabili, ac testatissimo miraculo a Barbarorum furore defendit. Rem gestam Vincentius Belluacensis libro 24 speculi historiarum, cap. 46 narrat his verbis: Rollo pirata cum magna manu latronum Carnutum invasit. Cives nec armis, nec muris confisi camisiam B. M. Virginis in modum vexilli super propugnaculo custodum exponunt. Hostes coeperunt ridere, et in eam sagittas dirigere; sed divinitus excaecati nec accedere, nec retrocedere valebant. Quod videntes cives multa eorum se caede satiarunt. Evasit tamen Rollo, quem suae fidei Deus reservavit.

19 XV. Ex sacratissimis Deiparae capillis pars aliqua multis reperitur in locis, Romae praesertim, tum in Sancta Maria maiore, tum in sancto Ioanne lateranensi, tum in subterraneo sanctae Helenae sacello, quod est in templo sanctae crucis in Ierusalem, ubi ostenduntur crines Deiparae, idque solis feminis, et semel in anno dumtaxat. Ex Onuphrio in libro de septem urbis ecclesiis.

20 Ex iisdem porro capillis aliquid habet Ovetum Hispaniae oppidum, auctore Mariano Siculo libro 5 de rebus hispanis; aliquid Aquisgranum Germaniae urbs; aliquid tandem amplissimum quoddam B. M. Virginis in Groylanda insula monasterium ex dono Henrici imperatoris, qui eos in aurea pixide inclusos ab Hugone rege Galliae dono acceperat.

21 XVI. Feretrum sive arcula capillis Deiparae, aliisque reliquiis gestandis compactum extat Lauduni in Gallia. Mirum est quot, quantisque prodigiis omnipotens Deus hoc suae Genitricis feretrum cohonestavit; nam et vim, facultatemque audiendi surdis, loquendi mutis, quo artes, opesque humanae non pertingunt, divinitus reddidit. Qui vero feretrum illud non ea qua par erat, religione susceperunt, praesenti supplicio affecti gravitatem sceleris ex gravitate poenae intellexerunt. Vincentius Belluacensis libro 26 speculi, a c. 11 ad 21.

22 XVII. Ex virgineo lacte quod Christus Dominus sugebat, aliquid asservari in diversis locis invenio. Assisii in coenobio s. Damiani monialium s. Clarae. Toleti, et Oveti in Hispania, teste Marino Siculo libro 5 de rebus hispanicis. Parisiis etiam in summo templo, ac in sacello regio aliquid eiusdem Virginis lactis custodiri auctor est Petrus Bonfonius lib. 2 fastorum parisiensium.

Crediderim ego istud lac ab uberibus Virginis non in terra viventis, sed iam in coelo regnantis promanasse. Legimus enim nonnullos sanctos Deiparae Virgini impense addictos ab ea in visione lactatos fuisse. Id mellifluo s. Bernardo concessum traditum, et creditum est. Idem s. Fulberto episcopo carnutensi graviter infirmanti concessum legitur apud Baronium anno Domini 1028. Ne autem illusio vel phantasma id esse putaretur, in Fulberti gena remanserunt guttae aliquot illius pretiosissimi lactis, quos ipse diligenter sudario exceptas collegit, hodieque in thesauro ecclesiae carnutensis summa cum veneratione servantur. Simile narrat Carthagena ex s. Petro Damiano de quodam clerico iam iam morituro, cui gloriosa Deipara visibiliter adstitit, et sacri uberis papilla lac exprimens eius labellis instillavit, et sanitati restituit. Fertur autem quod adhuc tunc in eius labiis quaedam lactis vestigia videbantur. Divini huiusce lactis B. V. Mariae miracula vide apud Antonium de Balinghem in calendario mariano mense augusti.

23 XVIII. Vitta B. Virginis. Eius pars quaedam apud Burgenses fuit ex dono cuiusdam episcopi in Syria, nomine Muysia, qui cum esset Constantinopoli, eam Lamberto burgensi praeposito dono dedit anno Domini 1230, idque ipsemet episcopus litteris testatur.

24 XIX. Chirotheca Deiparae cum eiusdem capillis e transmarinis partibus Audomarpolim in s. Bertini monasterium opera Simonis abbatis s. Bertini delata est, ut videre licet in chronico bertinensi manuscripto.

25 XX. Soccus Deiparae. Ante 500 circiter annos Suessione, Galliarum urbe, reconditur, teste Hugone Farsito canonico laudensi, qui anno Domini 1113 vixit, et librum miraculorum B. Virginis suessionensis edidit.

26 XXI. Mantica Deiparae, hoc est perula viatoria, qua forte usa est itinere fugiens in Aegyptum, pie asservatur apud cluniacenses; unde etiam festum inventionis manticae B. Virginis celebrant.

27 XXII. E lecto Deiparae astat aliquid Romae in S. Maria maiore in marmoreo ferculo, quod reliquiarium dicitur, auctore Onuphrio de septem urbis ecclesiis.

28 XXIII. Pecten B. Virginis una cum eiusdem peplo ex dono s. Helenae Constantini matris Treveri conservatur, auctore Iacobo Middendorpio lib. 5 academiarum in Treveri.

29 XXIV. Glomus ipsius Deiparae Virginis sacratissimis manibus deductus, ex filis convolutus Brabantiae in oppido Huo asservari dicitur.

30 XXV. Fusus Deiparae a Pulcheria Augusta in secundo templo Constantinopoli a se excitato repositus, auctore Nicephoro lib. 11, c. 14. Treveri asservatur.

31 XXVI. Arbores. Apud Hermopolim in Thebaide arborem esse memorant *Persea* dictam, quam Maria cum Filio, et sponso Ioseph Herodis infanticidium declinante, et Hermopolim petente, verticem eminentissimum, praesentem Deum quasi praesentiens, ad terram usque flexit, et Christum Dominum adoravit. Cuius eiusdem fructus, aut folio, aut corticis particula aegrotis admota morbos a corporibus hominum depellebat. Laerius loco quo supra.

32 XXVII. Columna ex iaspide, super quam B. V. Maria stans s. Iacobo apostolo adhuc superstiti apparuit, Caesaraugustae in templo maiori religiose asservatur.

33 XXVIII. Sepulcrum Deiparae in petra excisum ad instar sepulcri Domini extat in valle Iosaphat; licet Nicephorus affirmet illud Constantinopolim translatum esse. Sed hoc non de toto tumulo, sed de aliqua eius parte intelligi debet. Ut etiam Romae in templo s. Crucis in Ierusalem, tum etiam in templo s. Laurentii extra muros de lapide sepulcri Dei Genitricis reliquiae extant. Onuphrius loco citato.

34 XXIX. Fons in Aegypto in quo B. Virgo Iesum parvulum saepe lavit, panniculosque eius atque linteola mundavit, dum ibi exularet Herodis furiam fugiens. Prope illum fontem lapis est super quem Christi panniculos et linteola, quae laverat Beata Mater, exsiccanda extendebat. Ex eo fonte ab ipsis Saracenis irrigatur balsami hortus, ac maxime fecundatur. Huius lapidis meminit Iacobus de Vitriaco in historia orientali, c. 86.

35 S. Ildephonso B. Virgo casulam donat.

XXX. Planetae, seu casulae tres ipsius Deiparae manibus ad sacrosanctum altaris ministerium peragendum mortalibus donatae inveniuntur. Prima, et nominatissima illa, quam d. Ildephonso archiepiscopo toletano B. Virgo donavit, cum ita compellans: *Quia fide, ac conscientia pura praeditus lumbos tuos virginitatis cingulo cinxisti, et gratia labiis tuis diffusa virginitatis meae gloriam in cordibus fidelium depinxisti, accipe vestem de thesauris Filii mei, ut etiam in hac vita vestimento gloriae adorneris, et ea in meis, ac Filii mei solemnitatibus vestiaris.* Rodericus Ximenius lib. 2 de rebus Hispaniae.

36 S. Bonito B. Virgo casulam donat.

Altera vestis est, quam eadem Sanctissima Virgo s. Bonito episcopo alvernensi obtulit. Dum enim in templo s. Michaelis devotius oraret, illa splendidissimo angelorum ac sanctorum coetu comitata ei apparuit, et vestem sacerdotalem qua in sacrificio missae utimur, et casulam vocamus, in signum amoris ei donavit. Eius materia et textura a nullo hominum dignosci potest; et est eximii candoris, miraeque lenitatis, ac levitatis. Vincentius Belluacensis lib. 7, c. 97.

37 S. Thomae cantuariensi B. Virgo casulam donat.

Tertia est illa, quam d. Thomas archiepiscopus cantuariensis adhuc adolescens ab ipsa Beatissima Virgine sibi apparente accepit. Cum enim corporis sui castitatem Deiparae vovisset, illa in dilectionis symbolum casulam purpuream atque pulcherrimam, in pixide inclusam ei pro singulari munere dedit. Res gesta narratur in speculo exemplorum l. 9, c. 12.

38 XXXI. Oleum, quod s. Thomae cantuariensi, dum esset in

Digitized by Google

Oleum eidem donat.

exilio, Deipara conservandum dedit, eique praedixit, reges anglos, qui hoc unguento ungerentur, pupillos Ecclesiae futuros. Quod unguentum in aquali aurea et olla lapidea conservatum diu latuit, nimirum usque ad annum 21 Richardi regis II, praedecessoris Henrici IV, qui eo inunctus est ab archiepiscopo cantuariensi. Thomas Walsigham in historia anglicana.

39 XXXII. Cereus, quem B. Virgo duobus histrionibus Istrio, et Normano tradidit, asservatur Atrebati, et multos morbos sanat, sed praecipue contra ignem sacrum praesentissima adfert remedia. Unde multi alii cerei, ut burgensis, falcobergensis, bononiensis, nigellanus, arxensis, dimanarunt. Iacobus Meierus lib. 4 annalium flandricorum ad annum 1095.

40 XXXIII. Theologia, quam B. Virgo s. Gregorio thaumaturgo per Ioannem apostolum tradidit, cuius hic est tenor: *Unus est Deus, Pater Verbi viventis, sapientiae subsistentis, et potentiae et figurae aeternae: perfectus Perfecti Genitor: Pater Filii unigeniti: unus Dominus: solus ex solo, Deus de Deo, figura et imago deitatis: Verbum efficax, sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva et potentia totius creaturae effectrix: filius verus veri Patris, visum effugiens visum effugientis, et corruptioni non obnoxius, non obnoxii corruptioni, non obnoxii morti, et aeternus aeterni. Unus Spiritus s. ex Deo ortum et existentiam habens, quique per filium apparuit, videlicet hominibus, imago filii perfecti, perfecta vita, viventium causa: fons sanctus, sanctitas sanctificationis suppeditatrix, per quem manifestatur Deus Pater, qui est super omnia et in omnibus; et Deus filius, qui per omnia permanet; Trinitas perfecta, quae gloria, atque aeternitate, et regno non dividitur, neque abalienatur.* Hanc fidei confessionem, cum Gregorius excepisset, conclusit appendice: *Ergo*, inquiens, *neque creatum quidquam, aut servum in Trinitate est, neque adscititium quidquam, et adventitium, ut quod quidem prius non esset, nec suppeteret, posterius autem introductum sit. Neque vero deest unquam Filius in Patre, neque in Filio Spiritus, sed immutabilis et inalterabilis eadem semper Trinitas est.*

Porro hanc fidei catholicae regulam Gregorio divinitus revelatam cum orientalis tum etiam occidentalis ecclesia cognovit et approbavit, atque ut sacrosanctum depositum coelitus collatum religiosissime custodivit, eamque in s. oecumenica Synodo recitavit, maxime quod sciret Gregorium Spiritu s. plenum non nisi eo inspirante et scripsisse, et vulgasse hunc canonem. Ex Baronio anno 233.

41 XXXIV. Epistola B. M. Virginis ad s. Ignatium, cuius tenor talis est: *Ignatio Ioannis discipulo humilis ancilla Christi Iesu. De Iesu, quae a Ioanne audisti, et didicisti, vera sunt, illa credas, et in illis inhaereas, et christianitatis votum firmiter teneas, et mores et vitam facto conformes. Veniam autem una cum Ioanne te, et qui tecum sunt, visura. Sta et in fide viriliter, nec te commoveat persecutionis austeritas, sed valeat et exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo.*

42 Hanc epistolam licet Baronius ad annum 48 non recipiat; eam tamen s. Bernardus serm. 7 in psalm. 90, Carthusianus in comment. super Dionysium Areopagitam, de div. nom. Xystus senensis in biblioth. sancta, lib. 2, Canisius lib. 5 de Virgine Maria, Rutilius Benzanus in *Magnificat*, lib. 1, cap. 11 uti legitimam recipiunt. Quibus etiam ego aetate, scientia, auctoritate postremus me subscribo.

43 XXXV. Alia epistola eiusdem ad Florentinos, cuius exemplar tale est: *Florentia Deo ac Domino Iesu Christo, Filio meo, et mihi dilecta, tene fidem, insta orationibus, roborare patientia; his enim sempiternam salutem apud Deum, et apud homines gloriam consequeris.* Hanc epistolam Hieronymus ferrariensis in eadem urbe die 23 octobris, anno Domini 1495 pro concione interpretatus est.

44 XXXVI. Tertia epistola eiusdem ad Messanenses data ad eos hac occasione, quam narrat Mutius lib. 1, cap. 13, et Laurentius Mascelli lib. de B. V. Maria, cap. 18. Dum Paulus Roma proficiscens esset Regium, rogatus a Messanensibus duas habuit conciones, unam de incarnatione Verbi, alteram de virginitate Mariae adhuc superstitis. Qua concione excitati Messanenses miserunt duos nuntios Ierosolymam, Mariae protectionem deposcentes, per quos illa misit unam epistolam hebraice scriptam manu sua, quam Paulus graece convertit. Ex graeco hisce temporibus Constantinus Lascar eamdem transtulit in latinum in hunc modum: *Maria Virgo, Ioachim filia, ancilla Dei humillima, Christi Iesu Mater, ex tribu Iuda, stirpe David, Messanensibus omnibus salutem, et Dei Patris omnipotentis benedictionem. Vos omnes fide magna legatos, ac nuntios per publicum documentum ad nos misisse constat. Filium nostrum, Dei genitum, et hominem esse fatemini, et in coelum post suam resurrectionem ascendisse Pauli apostoli praedicatione mediante viam veritatis cognoscentes; ob quod vos et ipsam civitatem benedicimus, sub cuius perpetua protectione vos esse volumus. Anno Filii nostri 42, indictione 1, 3 nonas iulii, feria 5 ex Ierosolymis.*

Certe si Ecclesiae constaret has epistolas fuisse a B. Virgine scriptas, neminem credo dubitare posse, illas inter Scripturas adnumerandas fore.

Ego sane non incredibile puto B. M. Virginem aliquid scripsisse pro documento, et consolatione fidelium. Si enim multae virgines sanctae, ut s. Catharina senensis, Birgitta, Gertrudis, Hildegardis, et multae aliae, imma et sibyllae inter ethnicos aliquid scripserunt, multo convenientius id de Deipara Virgine credi potest, ac debet. Hinc puto orta fuisse praeclara illa sanctorum patrum, quibus eam ornarunt, epitheta, ut d. Augustini serm. de assumptione, d. Bernardi serm. 35 in Cantica, qui B. Virginem appellarunt: *Christianae religionis magistram*. B. Ignatius epist. 1: *Haeresis interemptricem*. Haec autem non convenirent Mariae, nisi illa nedum praesentes verbis, sed etiam absentes scriptis confortasset. 45

An B. Virgo aliquid scripserit.

DISCURSUS CCLXVIII

INIURIA HAERETICI IMPUGNANT CULTUM ET VENERATIONEM RELIQUIARUM DEIPARAE VIRGINIS

Reliquias Deiparae pie veneratur, ac colit sancta mater Ecclesia obaudiens haereticorum blasphemias, qui hunc cultum uti superstitiosum abominantur, et damnant. 1

At nos illum pium ac religiosum dicimus multis exemplis sanctorum tum veteris, tum novi testamenti commonefacti. Eliseus pallium Eliae quod ei in curru igneo assumendus tradiderat, religiose servavit, eoque aquas Iordanis sicco vestigio transivit. Mulier haemorroissa solam fimbriam Christi cum fide tangens sanata est, nec a Christo superstitionis damnata; cur nos superstitionis damnamur, qui reliquias Deiparae Virginis pie, et religiose colimus? Populi qui ad umbram s. Petri eo modo quo poterant, attingendam certatim accurrebant, superstitiosi habiti non sunt; cur nos ut tales habemur, qui nobiliores reliquias veneramur? an non vilior est umbra Petri quavis etiam minima reliquia B. Virginis? Non habiti sunt superstitiosi, qui Pauli sudaria, et semicinctia ad aegrotos deferebant. Act. 19, 12; cur nos superstitionis accusamur, qui reliquias Deiparae Virginis pie veneramur? 2

S. Augustinus reliquias sanctorum Gervasii et Prothasii miris praeconiis effert, sacrumque missae sacrificium super eorum corpora celebrat. D. Ioannes Chrysostomus s. Petri catenas tanti facit, ut diadematis regum eas praeferat. D. Hieronymus Terrae sanctae vestigia, et pretiosum bethlehemiticum praesepium extollit. S. Gregorius thaumaturgus cuncta, quae per manus illius Deus miranda perpetrabat, reliquiis sanctorum, quas de collo suspensas gestabat, attribuit. Sanctus Antonius pallium tritum, et ex foliis palmarum contextum s. Pauli primi eremitae pro magno dono accepit, illudque purpurae regum praefert. Et nos cur superstitionis insimulamur, qui reliquias Dei Genitricis religiose asservamus, et venerando recolimus? 3

Sanctorum reliquias pie venerandi exempla.

Forsan ais, incredibile esse, ut tanto tempore integrae, et illaesae permaneant. Sed nequaquam ista incredibilia esse cognosces, si et in aliorum sanctorum reliquiis conservatis divinam providentiam pensalus. Sancti Iacobi apostoli cathedra ad Constantini usque tempora inter tot ierosolymitanae urbis direptiones, totque incendia Tito primum, deinde Adriano imperatoribus illaesa prorsus, et integra servata est, teste Eusebio lib. 7. Romae similiter lignea s. Petri cathedra honoratur, et eiusmodi alia sexcenta de sanctorum reliquiis apud probatos auctores inveniuntur. Quare si haec in sanctorum reliquiis conservandis, et colendis peracta sunt, mirum esse non debet, complurium virorum pietate praestantium in reliquiis Deiparae, quae longo intervallo reliquos omnes sanctos dignitate, et efficacitate superat, colligendis, et omni honore prosequendis singularem pietatem, 4

Digitized by Google

ac studium eluxisse. Unum atque alterum divinae custodiae circa sanctorum reliquias exemplum adferam.

5 Surius in vita s. Mauri affirmat, sanctum Benedictum abbatem dilectissimo suo discipulo s. Mauro in Gallias discedenti in pignus paterni sui amoris in dedisse reliquias Sanctae Dei Genitricis Mariae in capsula eburnea inclusas. De quibus Gregorius turonensis libro de gloria martyrum, cap. 19, hoc quod sequitur, narrat miraculum. Quidam Ioannes natione gallus, in Iordane a lepra mundatus, reliquias Beatissimae Virginis a Ierosolyma portans in patriam revertebatur. Cumque in Italia in latrones incidisset, capsa, in qua beata illa gestabat pignora, ab iisdem latronibus effringitur, nihilque in ea reperitur. Latrones extracta pignora in ignem proiiciunt, caesoque homine discedunt.

Reliquiae Deiparae in igne manent integrae.

Tunc ille semivivus exurgens, ut vel cineres exustarum colligerat reliquiarum, invenit eas super carbones accensos iacere illaesas, ipsumque linteum, quo involutae erant, ita admiratur integrum, ut non putaretur in ignem iniectum, sed in aquis absconditum, collegitque cuncta cum gaudio, et viam quam pergebat ingressus, ad Gallias incolumis pervenit.

6 Reliquiae Deiparae incendium extinguunt.

Idem s. Gregorius turonensis loco citato, cap. 10 aliud earundem Deiparae reliquiarum miraculum narrat. B. V. Mariae, inquit, reliquias cum sanctorum apostolorum, et b. Martini reliquiis quadam vice super me in cruce aurea positas exhiberem, eumque per viam graderemur, conspicio haud procul a via hospitiolum cuiusdam pauperis incendio concremari, erat enim foliis quae ignibus maxima praestant fomenta, contectum. Currebat miser cum liberis, et uxore aquam deportans, sed flammae non mitigabantur. Tunc extractam a pectore crucem levo contra ignem, mox in conspectu sanctarum reliquiarum ita extinctus est ignis, ac si non fuisset accensus, Dei omnipotentis virtute. Cui sit laus et gloria in saecula. Amen.

DISCURSUS CCLXIX

DE OPERIBUS MISERICORDIAE IN HONOREM DEIPARAE VIRGINIS EXHIBITIS

1 Cum sanctorum honor praecipue consistat in imitatione virtutis eorum, ut s. Augustinus serm. 30 de martyribus ait: *Satis digne sanctos colunt, quisquis imitatus est*; merito christianus populus in honorem Deiparae Virginis opera misericordiae exhibet, ut eam quoque imitando, debitum servitutis officium Matri Dei impendat. Ipsa namque infinita propemodum, eaque illustris misericordiae exempla ad imitandum nobis reliquit, et in dies relinquere non desinit. Unde Mater misericordiae communiter appellatur.

2 Opera misericordiae corporalia in honorem B. Virginis. Leontii abbatis pietas erga B. Virginem.

I. Sunt autem opera misericordiae duplicia. Quaedam corporalia, quaedam spiritualia. Opera misericordiae corporalia in honorem B. Virginis exhibet, quicumque ob amorem Dei, et Genitricis eius eleemosynam pecuniae, cibi, vel vestium in egenos erogat et confert, praesertim cum ob eo nomine Virginis petitur. Talis erat Leontius abbas in obsequio B. M. Virginis ferventissimus, qui per undecim annos nunquam ex ecclesia discessit, quin eleemosynam aliquam in honorem Dei Genitricis ibi relinqueret. Si vidit pauperem ad se venientem, et ille caecus erat, ipsa apprehensa manu eius, ei eleemosynam porrigebat. Si autem pauperem videbat, ante illum aut in columnae basi, aut in scamno, aut in sanctuarii gradibus eleemosynam ponebat, atque inde pauper eam tollebat. Interrogatus cur id faceret? *Non ego*, inquit, *sum ille qui eleemosynam tribuo; sed domina mea Sancta Dei Genitrix, quae me, et illos nutrit*. Ex prato spirituali, capite 61.

3 Alexandri alensis devotio erga B. Virginem.

Eiusdem pietatis erat erga B. Virginem Alexander alensis ob doctrinae tum eruditionem, tum soliditatem doctor irrefragabilis nuncupatus. Is rogatus ex inopinato, ut pro amore Deiparae Religionem minorum vitae austeritate et altissima paupertate conspicuam ingrederetur, id non minus pie, quam fortiter praestitit. Sanctus Antoninus 3 parte hist. tit. 24, capite 8, par. 1 scribit.

4 Eandem pietatem erga B. Virginem exercent, qui nosocomia, orphanotrophia, et huiusmodi pauperum, et orphanorum domicilia sub Deiparae nomine appellata extruunt: infirmis, pauperibus, ac orphanis, qui in nosocomiis degunt, cibum vestitumque ministrant; eos qui in publicis custodiis, vel triremibus detinentur, ob amorem Virginis visitant, et iuvant: dotem puellis subsidio necessario destitutis, ut in matrimonio collocentur, vel quod longe praestat, ut in coenobio sanctimonialium divino obsequio mancipentur, subministrant. Extant huius pietatis in Beatam Virginem insignia monumenta, praecipue in urbibus Italiae.

Italorum devotio erga B. Virginem.

Romae extat domus orphanorum S. Mariae in Equiro. Ibidem nosocomium S. Mariae a consolatione, et templum S. Mariae super Minervam, in quo quotannis in festo annuntiationis B. M. Virginis nomine eiusdem Virginis ipse summus pontifex ex confraternitate misericordiae puellis nobilibus necessaria dote destitutis easdem assignat. Venetiis extat xenodochium antiquissimum vulgo S. Maria de caritate dictum ab Alexandro III pontifice indulgentiis illustratum. Florentiae quoque visitur xenodochium nobilissimum quod vocant S. Mariae novae. Neapoli multa huiusmodi domicilia sub nomine B. M. Virginis enumerat Petrus Antonius Spinellus, illius urbis civis, in throno Deiparae c. 39, num. 6, et sequentibus.

5 Opera misericordiae spiritualia in honorem B. Virginis.

II. Opera misericordiae spiritualia in honorem B. Virginis exercent, qui confraternitati alicui B. M. Virginis nomen suum dant, et opera pietatis in ea exerceri solita devote peragunt: peccata sua statis diebus sacra confessione expiant, et sacrosancta Eucharistia se reficiunt.

6 Eadem pietate praediti noscuntur, qui ad ipsius cultum, et devotionem alios tum consilio, tum quali quali opera inducunt. Quales sunt, qui rosarii ac coronae recitationem docent, qui ad ieiunii sabbati, vel vigiliarum B. M. Virginis observationem alios hortantur. Quales sunt concionatores qui B. Virginis devotionem profitentur, et de eius laudibus, ac miraculis libros edunt, eius cultum tum lingua, tum calamo, tum exemplo in populo promovent, ob Virginis amorem quasvis iniurias remittunt.

S. Gerardi devotio erga B. Virginem.

Ex numero horum fuit s. Gerardus canadiensis episcopus, et martyr, a quo si quis per nomen Matris Christi veniam peteret, mox audito nomine Matris misericordiae, lacrymis perfundebatur, et ex animo veniam concedebat. Surius in eius vita.

7 S. Ludovinae visio de praemio eleemosynae.

Porro quam grata sint Deiparae opera misericordiae egenis exhibita, ipsa sanctae Ludovinae in visione ostendit. S. Ludovina ministerio angeli, et B. Virginis imperio in paradisum rapta vidit beatorum quasi exercitum, mediumque Deiparam, ac deinde mensas sterni, exornarique serico, et eleemosynas quas per id tempus ipsa Ludovina famelicis dederat, quam aptissime in illis mensis collocari; potiones quoque quas in figulinis vasculis pro sua facultate ipsa pauperibus porrexerat, partim crystallinis partim aureis pateris reverenter apponi: exinde cernit clarissimorum virorum coetum in mensis illis ornatis, instructisque discumbere, sonitumque audiri, quasi iucunde hilariterque prandentium, quibus omnibus videbatur illa alacriter ministrare. Illius postea memor visionis beneficia erga inopes cumulavit. Ita habet eius vita.

8 Eia igitur fratres carissimi huic tantae Virgini devota servitutis officia hactenus recensita devote exhibeamus, prompto animo eam colamus, veneremur, honoremus, quam Pater aeternus ut Filii communis parentem honoravit, quam Ecclesia catholica tot officiis, tot obsequiis colit, ut vidimus. Veneremur eam cui dignitas pontificum, maiestas imperatorum, regum atque ducum nudum caput inclinat. Preces fundamus, vota reddamus ei, quam barones coelici submisse adorant; ad cuius pedes sanctarum virginum examina, martyrum acies, ac prophetarum cunei genua curvant. O beatum illum, qui se ei inclinat, qui eam invocat, qui illi supplicat, qui se eius benevolentiae quam officiosissime commendat. Dubio procul apud eam, et Filium eius gratiam inveniet; ac demum ad consortium aeternae gloriae admittetur. Amen.

DISCURSUS CCLXX

QUID HAERETICI CONTRA CULTUM AC VENERATIONEM, NEC NON CONTRA OFFICIA, SEU OBSEQUIA B. V. MARIAE AB ECCLESIA IMPENSA, HACTENUS RECENSITA OBIICIANT, DILUITUR

1 Hactenus de cultu et veneratione B. M. Virginis egimus, eaque officia, seu obsequia, quibus eam Ecclesia catholica semper coluit, et usque modo colit, recensuimus. Superest ut pro coronide istius epitheti cavillos haereticorum diluamus.

2 Argutantur igitur cultus mariani hostes, et cultus divini improbi zelatores. Cultu, aiunt, Mariae diminuitur cultus divinus, ille videlicet cultus quo colitur Deus in spiritu, et veritate, qui

Digitized by Google

fit remotis abrogatisque diis alienis; qui praecipitur Exod. 20, 3: *Non habebis deos alienos coram me.* Nos autem, aiunt ipsi, Mariam deam vocamus, Mariae altaria, sacella, templa extruimus, Mariae vota vovemus, ferias instituimus, missas celebramus.

3 Rursus aiunt: Scriptum est Matth. 4, 10: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Non igitur Mariae, vel alicui alteri precatur.

Prima obiectio diluitur. Sed haec non ex minori inscitia, quam malitia proficiscitur. Audi, haeretice. Cultus Dei *in spiritu, et veritate* est cultus latriae, qui nihil aliud requirit, praeter fidem, spem et caritatem. Fidem exigit: *Creditis in Deum, et in me credite*, Ioan. 14, 1. Spem: *Spera in Domino,... et dabit tibi petitiones cordis tui*, psal. 36, 3. Caritatem: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua et in tota mente tua*, Matth. 22, 37. Ut scilicet quanto anima, intellectu, voluntate consequi possumus, Deum diligamus: ut omnem affectum, et omnes tum animi, tum corporis vires ad amandum, honorandum, colendum Deum, et ad obtemperandum, obsequendum, et obediendum ei convertamus, nullam creaturam ei vel aequemus, vel praeferamus. (Cultus Dei in spiritu et veritate quid sit.) Cultus Dei in spiritu et veritate est, ut non faciamus nobis deos alienos. (Alieni dii quinam sunt.) Alienos, inquam, illos scilicet quos caeca gentilitas colebat, quos furata fuerat Rachel patri suo, Gen. 31. Alienos, qui novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres Israelitarum, Deut. 32, 17; quibus filii eorum dementati immolabant, 37: *Immolaverunt daemoniis, et non Deo, diis, quos ignorabant: novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Alienos, quos Apostolus commemorat 2 Corint. 4, 4: *Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium*, et Philip. 3, 19: *Quorum Deus venter est*, et 1 Corint. 8, 5: *Siquidem sunt dii multi, et domini multi.* Alienos, de quibus Ieremias 10, 11: *Dii qui caelos, et terram non fecerunt, pereant de terra.* Non autem intimos, amicitiae vinculis Deo vero coniunctos, per gratiam divinae naturae consortes factos, qualis fuit Moyses, ad quem Dei nomen translatum ab ipso Deo legimus, Exod. 7, 1: *Ecce constitui te deum Pharaonis:* quales sunt principes, iudices, et omnes qui aliqua dignitate praecellunt, de quibus Exod. 22, 28 dicitur: *Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices:* quales erant de quibus divinus Spiritus psal. 81, 6 per psalmistam ait: *Ego dixi: Dii estis;* et superius: *Deus stetit in synagoga deorum; in medio autem deos diiudicat;* quales sunt de quibus idem psaltes psal. 8, 6: *Minuisti eum paulo minus ab angelis*, haebraice, *diis.*

4 Cultus Dei in spiritu et veritate est, ut nemini praeter ipsum sacrificia libentur, hostiae offerantur, vota nuncupentur, altaria construantur. Cultus Dei in spiritu et veritate est, ut Deum nostrum timeamus, et illi soli serviamus.

Iam monstrent (per Deum et salutem ipsorum oro) tale quid in cultu Mariae. Quomodo in Mariam credimus? in Maria ut Deo speramus? Mariae ut Deo confidimus? quomodo illam toto corde, et medullis animae diligimus ut Deum? quae sacrificia illi ut deae litamus? vota vovemus, altaria et templa ut Deo extruimus? quomodo ei cultum latriae soli Deo debitum exhibemus? quomodo Mariam ei exaequamus, aut praeferimus?

Vitam et spem nostram, fateor, eam vocamus, sed principalem causam vitae eam nequaquam dicimus, solum Christum auctorem vitae credimus, de quo legimus Act. 3, 15: *Auctorem vitae interfecistis.* Vitam vocamus, quod Christum auctorem vitae nobis peperit. Spem eam vocamus, quia advocatam, auxiliatricem, patronam nostram eam agnoscimus, quia post Christum in ipsius potissimum intercessione confidimus; ipsa enim orat, et intercedit indesinenter pro nobis peccatoribus, miracula edit, et operatur admiratione et stupore digna.

Quod si illam deificatam cum Petro Damiano, deam cum d. Gregorio nazianzeno appellamus, Dei honori derogatum nihil volumus. Est enim dea non aliena a Deo, sed intima Dei, soror Dei, amica Dei, sponsa Dei, genitrix Dei, solium gloriae Dei, templum Dei, sacrarium totius divinitatis. Est dea charismata gratiarum ab ipso gratiae fonte super omnes creaturas repleta. Dea est Virgo Maria, quia Deum deorum Salvatorem nostrum de suo immaculato utero mundo profudit. Quod si illos Scriptura dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, Ioan. 10, 35, cur deam appellare non licebit eam, in qua *Verbum caro factum est?* 5 (Secunda obiectio refellitur. Dea est Virgo Maria, sed quomodo.)

Id vero quod eos offendit, nimirum quod templa, sacella, altaria Mariae dicamus, ferias instituimus, missas celebramus, quae Deo propria sunt, ita explico. Haec, et alia huiusmodi nos Mariae exhibere, non ipsi, sed Deo in ipsa. Quis enim antistitum assistens altari, dixit: Offero tibi Maria? Sed quod offertur, Deo offertur, qui Mariam coronavit. Altaria quoque, templa, sacella non ipsi Mariae, sed Deo in Maria extruuntur, qui eam sic sublimavit ut Matrem suam, et faceret, ut prae omnibus sanctis honorificentius coronaret. 6

Eodem modo resolvitur id quod obiicitur: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*, Matth. 4, 10. *Adorabis*, inquam, cultu latriae, ut Creatorem, et universi architectum; cum hoc tamen sanctos adorabis, ut amicos, et famulos Dei, uti adoravit Abraham et Gedeon angelos, Nathan Davidem, Nabuchodonosor Danielem, et alii, de quibus superius diximus. 7

Soli Deo servies, servitute latriae ut Domino, ac bonorum omnium auctori, et largitori; cum hoc tamen et hominibus servies, Eph. 6, 5: *Servi obedite dominis carnalibus*, multo magis hominibus sanctis, qui sunt viva imago Dei; et inter hos B. V. Mariam adorabis, et illi servies uti Matri Dei. Adorabis eam uti Reginam et Dominam coeli et terrae divina gratia effectam. Adorabis eam tanto maiori honore, hyperduliae scilicet, quo ipsa inter omnes amicos, affines et consanguineos Dei per gratiam factos Deo propinquior exstitit. Ipsa enim Deum genuit; ipsa totam humani corporis substantiam illi de sanguinibus suis tribuit; ipsa eum novem mensibus in suo sacratissimo utero gestavit: infantulum uberibus lactavit; propria cura educavit; virum in passione non deseruit. Tanto maiori honore eam veneremur, quanto prae ceteris excellentissima est, quae magnitudinem suae divinitatis intra sui ventris arcanum conclusit. Cui sit laus, gloria, honor et imperium in saecula. Amen.

VIRGO PRAEDICANDA

Ordo ad praecedentia. **Laudatio, seu praeconium veneratio non postrema est. Cum enim quempiam laudamus, seu praedicamus, virtutem eius extollimus, cui veneratio debita est. Quapropter fidelis Ecclesiae chorus, postquam gloriosam Dei Genitricem Virginem venerandam, hoc est omni cultu, honore ac reverentia dignam compellavit, mox eam Virginem praedicandam, hoc est omni laudatione, commendatione, praeconio dignam asserit. Quod quam verum sit, palam fiet ex discursibus qui sequuntur.**

DISCURSUS CCLXXI

AN ET QUIBUS DE CAUSIS GLORIOSA DEIPARA SIT PRAEDICANDA

1 Laudes veterum feminarum. Probas feminas laudare, ceu et improbas vituperare, auctoribus nedum sacris, verum et profanis solemne fuit. Hinc laudatur Sara, quod Abrahae obediebat dominum eum vocans, Gen. 23. Laudatur Rebecca, quod in hospites munifica fuit, et nedum ipsos, verum et camelos eorum potavit, Gen 24. Laudatur Rachel, quod pudica, facie decora, et venusto aspectu fuit, Gen. 29. Laudatur Maria soror Moysis, quod victorias Domini cecinit, Exod. 15. Laudatur Debbora, quod hostibus devictis triumphavit, Iudic. 5. Laudatur mater Samsonis, quod religiosa, nec vinum, nec siceram bibens, nec immundum quid contingens fuit, sed Deo libamina obtulit, Iudic. 13. Laudatur Ruth Moabitidia, quod noluit relinquere socrum suam Noemi orbatam duobus libe-

Digitized by Google

ris ac marito, Ruth 1. Laudatur Anna mater Samuelis, quod per orationem, a Domino filium obtinuit, quem etiam eidem obtulit, 1 Reg. 1. Laudatur Abigail, quod Davidem contra Nabal ira percitum mitigavit, 1 Reg. 21. Laudatur Thecuitis, quod Absalonem Davidi patri suo reconciliavit, 2 Reg. 1, 4. Laudatur Saba, quod a finibus terrae sapientiam Salomonis audire venit, 3 Reg. 10. Laudatur Iudith, quod singulari strategemate Holoferni duci regis Assyriorum caput amputavit, exercitum eius fugavit, et civitatem suam ab obsidione liberavit, Iudith 13. Laudatur Esther, quod Assuerum regem Assyriorum placavit, et ferale illud decretum contra gentem suam revocavit, Esther 7. Laudatur mater septem fratrum machabaeorum, quod filios suos ad martyrium animavit, 2 Machab. 7. Laudatur Elisabeth mater s. Ioannis Baptistae, quod cum Zacharia viro suo iusta fuit, incedens in omnibus iustificationibus, et mandatis Domini sine querela, Luc. 1. Laudatur Anna filia Phanuelis, quae usque ad annos 84 vidua erat, et non discedebat de templo ieiuniis, et orationibus vacans die ac nocte, Luc. 2. Laudatur Samaritana, quod Christum Prophetam agnovit, eumque suis civibus praedicavit, Ioan. 4. Laudatur animosa illa mulier, quae, scribis ac pharisaeis Christum maledicentibus, de turba prosilit, et in laudes eius prorupit, clamans: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera quae suxisti*, Luc. 11, 27. Laudatur s. Maria Magdalena quod cum aliis mulieribus Christum sequitur, morienti adstat, unguenta parat, in tumulo quaerit, hortulanum interrogat, Dominum recognoscit, ad apostolos pergit, eum resurgentem nuntiat; illi dubitant, ipsa credit. Laudatur in Actis apostolorum Dorcas, Aquilla, et Priscilla, et aliae multae. Laudatur a profanis castitas Lucretiae, animositas Semiramidis, bellica fortitudo Amazonum, sapientia Sibyllarum.

2 B. Virgo cur praedicanda. Prima causa. Nubes fulgurans B. Virgo, et cur.

I. Beatissima Virgo omnes feminas longe intervallo superat, immo in comparatione Deiparae aurum illarum arena est exigua. Quare s. Methodius B. V. Mariam ad vivum depingere volens, *nubem fulgurantem* eam appellavit. Sicut enim tonante coelo sonus fulminis longe lateque diffunditur, adeo ut prae fragore eius alii soni non audiantur: ita ubi heroica B. M. Virginis facinora per totum orbem insonuerunt, aliarum mulierum praeclarae virtutes prae illius sanctitate quasi conticuerunt. Et d. Hieronymus commendatis sanctis veteris testamenti feminis, subiunxit: *Taces de Anna, de Elisabeth, et ceteris mulieribus, quarum velut siderum igniculum clara Mariae lux abscondit*. Quid dicam de mulieribus ethnicis, quarum dotes in comparatione virtutum B. M. Virginis vitia merito censeri possunt? Iure merito itaque ei occinimus: *Virgo praedicanda*. Et haec est prima huius epitheti causa, Virginis excellentia.

3 Secunda causa.

II. Deipara Virgo est praedicanda, quod Christum Dei Filium conceperit, in utero gestaverit, ac genuerit. Et vero omnium linguis et calamis praedicari debet, quae omnibus benedictionem peperit. D. Pauli verba sunt 2 Cor. 9, 6: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*. Cur itaque Deipara Virgo benedictionem, et laudem omnium non meteret, quae omnium benedictionem seminavit? Messuit sane, et satis abunde. Hac ratione illam praedicavit, et publice praeconizavit illa mulier evangelica dicens: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti*. Hac ratione sancti patres in laudem huius sacratissimi uteri virginalis totos se effuderunt. D. Epiphanius serm. de laud. Mariae: *O uterum*, ait, *impollutum habentem circulum coelorum, qui Deum incomprehensum portasti. O uterum coelis ampliorem, qui Deum in te non coarctasti. O uterum qui coelum et septem circulis constans, et capacior illis exstitis*. Chrysippus quoque orat. de Virgine hac ratione B. Virginem laudat, et salutat: *Ave*, inquit, *Virgo, quae vulvam adepta es praeter naturam, vel ipsis coelis latiorem, quandoquidem per hanc comprehendisti eum, quem ne coeli quidem capiunt*. Et d. Gregorius nyssenus in orat. de natali Domini: *O beatum*, inquit, *uterum illum qui bonitatis praestantia ad se animi traxit bona. In reliquis enim omnibus vix animus purus Spiritus sancti praesentiam capit: hic autem caro fit Spiritus sancti receptaculum*. Et d. Augustinus serm. 9 de temp. *O femina super feminas benedicta, quae virum omnino non novit, et virum suo utero circumdedit*. Et d. Bernardus serm. 1 de assumpt. *Non in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit*. Et Guerricus abbas serm. 4 de annuntiat. *Quam beatus ille venter eburneus, unde caro eburnea sumpta est Redemptoris, pretium animarum, miraculum angelorum, solium summae maiestatis, thronumque potestatis, cibus vitae immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis*. Et alii multi.

Uteri virginalis laudes.

III. Deipara Virgo est praedicanda, quod Verbum incarnatum saepe contrectavit, oculis propriis vidit, familiariter ac intime cum eo locuta, et conversata est, brachiis amplexata est, ulnis propriis gestavit, in gremio fovit, uberibus lactavit, ac denique suavissimis osculis carnem Dei osculata est. Hac ratione s. Augustinus serm. 2 de assumpt. in laudes eius prorupit: *O felicia oscula lactentis labiis impressa, cum inter crebra indicia reptantis infantiae, utpote verus ex te filius tibi Matri alluderet, cum verus ex Patre Dominus imperaret*. 4 Tertia causa. Familiaritas B. Virginis cum Deo quanta.

Merito sane B. Virgo ex hoc capite est laudanda, et praedicanda. Si enim Christus apostolos suos beatos praedicavit, quod eum viderent, quod corporali eius praesentia, dulcissimaque familiaritate gauderent: *Beati*, inquiens, *oculi, qui vident, quae vos videtis*, Luc. 10, 23; quanto magis beata praedicanda est B. V. Maria, quae non solum oculis suis eum vidit, non solum verba eius audivit, sed etiam eum portavit, lactavit, nutrivit, vestivit, totque annis cum eo mansit? 5

O quantum gratulandum est ei de illa tam sancta, tamque dulci familiaritate cum Iesu. Mens non capit, lingua effari non potest, quo gaudio, quanta iucunditate perfusa fuerit Virgo Filium Dei lactans, labia sua labiis eius apprimens, et os ori. Si ad partum eius gavisi sunt angeli, et cecinerunt. Si Magi solam stellam videntes quae ducebat ad Christum, *gavisi sunt gaudio magno valde*; quanto putas gaudio perfundebatur Virgo gloriosa, quando Filium Dei concepit, peperit, lactavit, in gremio fovit, nutrivit, vestivit, et cum eo conversata est? 6 Gaudia B. Virginis ex puero Iesu.

Huc spectabat Richardus de sancto Laurentio lib. 2 de laud. Virg. par. 5, cum non solum ventrem Virginis, et ubera eius, sed etiam omnia membra laudare, benedicere, praedicare, ac salutare docebat his verbis: *Benedicenda sunt quotidie singula membra Virginis, ut in singulis membris nostris benedictionem reportemus ab ea. Benedicendi sunt pedes, quibus Dominum portavit; venter in quo portavit; cor, unde in eum fortiter credidit, et ferventer eum dilexit; ubera quibus lactavit; manus quibus nutrivit; os et lingua, quibus ei dedit felicia oscula nostrae redemptionis; nares, quibus sensit suaveolentem fragrantiam humanitatis eius; aures, quibus dulcia eius eloquia delectabiliter auscultavit; oculi, quibus ipsum devote respexit*. 7

Quare quisquis es, qui Virginem colis et amas, hunc pensum ei quotidie cum omni devotione reddere non omittas. Ad singula eius membra singulas salutationes angelicas scilicet, *Ave Maria*, dicas. Duas ad pedes, duas ad manus, duas ad oculos, duas ad aures, duas ad nares, duas ad labia, duas ad ubera, duas ad os et linguam, unam ad uterum, unam ad cor, duas ad corpus et animam. Et sic in universum erunt viginti salutationes, quas cum totidem genuflexionibus, si fieri potest, in modum petitionis coram imagine, vel altari gloriosae Virginis quotidie persolves.

IV. Laudanda est ac praedicanda, quia in ea et per eam Deus laudatur. Laus matris laus est filii. Unde cum matrem laudamus, a laudibus filii non recedimus. Quare pia illa mulier Christum laudare volens, in Matris laudes deflexit. *Beatus*, inquit, *venter qui te portavit, et ubera quae suxisti*, intelligens per Spiritum sanctum in Matris laudibus Filium collaudari. 8

Idem significatum est Cant. 2. 1, ubi postquam se laudaverat Filius: *Ego flos campi, et lilium convallium*, statim ad commendationem Matris transit, dicens: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*; ut intelligeremus laudes suas esse Matris laudes, et laudes Filii quodammodo in Matris laudes converti.

Observatum est a doctoribus nusquam generationum omnium, aut omnium generationum, et generationum laudem, ac praedicationem, nisi Deo tribui. Volve Scripturas et ita invenies. Primo soli Deo dicitur psalm. 78, 13: *In generationem et generationem annuntiabimus laudem tuam*; et psalm. 124, 13: *Domine memoriale tuum in generationem, et generationem*; et psalm. 144, 4: *Generatio, et generatio laudabit opera tua*, et alibi. Quod si haec est Dei propria laus, cur ipsa prudentissima, et humillima Virgo hanc laudem, et praedicationem sibi tribuit in illo cantico *Magnificat*, dicens: *Beatam me dicent omnes generationes*? Intellexit sane Spiritu sancto plena, laudem Dei esse laudem Matris eius. Unde quia bene noverat se Deum concepisse, et eius Matrem se futuram esse, non immerito laudes omnium generationum sibi pollicebatur, quae eum paritura erat, cui omnium generationum laus debetur. 9

Digitized by Google

10 V. Praedicanda est exemplo omnium generationum, populorum, ordinum, statuum, et aetatum, quae in laudes B. M. Virginis tam abunde se diffuderunt, ut nulla unquam fuerit aetas, nulla natio, nullus hominum status, seu ordo, qui laudes B. M. Virginis omiserit, contiuerit, aut suppresserit. Age id latius deducamus.

DISCURSUS CCLXXII

A QUIBUS GENERATIONIBUS POPULIS ET LINGUIS FUIT PRAEDICATA ET CELEBRATA B. V. MARIA

1 Quantum Ecclesiae fides ire retro, et ascendere potest, semper haec gloriosissima Virgo fuit praedicata, laudata et celebrata.

2 Deus B. Virginem celebrat. 1. A Deo, qui illam ab aeterno sibi in matrem elegit, et prae ceteris puris creaturis primo praedestinavit, ut in superiori tomo probavimus. Eam laudavit, cum eius cognitionem angelorum intellectibus in ipsorum creatione impressit, cum in patriarcharum vota ac desideriis eam posuit, cum per prophetas eam praedicari, in figuris adumbrari, in symbolicis nominibus significari voluit.

3 Angeli B. Virginem celebrant. 2. Ab angelis praedicata fuit, cum in eius ortu cecinerunt: *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol?* Cant. 6, 9.

S. Michael B. Virginem praedicat. Et specialiter a Michaele archangelo praedicata fuit, cum ille in persona Dei mulierem quae una cum semine caput serpentis contritura erat, praedixit: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius*, Gen. 3, 15. Haec verba a s. Michaele in persona Dei prolata fuisse, ceu et alias apparitiones tam in lege naturae, quam in lege scripta factas, quas Scriptura sacra commemorat, constanti asseveratione docet Pantaleon apud Surium in festo s. Michaelis, et alii.

S. Gabriel B. Virginem celebrat. A Gabriele archangelo praedicata fuit, cum ei dixit: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, Luc. 1, 28.

4 Et ab illo angelo celebrata fuit, qui Iosepho in somnis apparens, eam Matrem Iesu appellavit: *Surge, et accipe puerum, et matrem eius*, Math. 2, 3. Cum *matrem* dixit, tali encomio eam ornavit, quo nullus excellentior inter creaturas excogitari potest, ut in superiori tomo monstratum est.

5 Et illi angeli eam multum celebrarunt, qui in assumptione eius admirantes clamaverunt: *Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?* Cant. 3, 6. Unde d. Athanasius ponderans illa verba Mariae: *Beatam me dicent omnes generationes*, ita fatur: *Beatam te praedicant omnes angelorum, et terrestrium hierarchiae, et hierarchicas manus attollentes benedicunt tibi, quae et in coelis benediceris, et in terris beata praedicaris.*

6 3. Ab hominibus. Hi ab initio nascentis Ecclesiae per omnes aetates Virginem agnoverunt, eiusque dignitatem, maiestatem, gratiam admirantes, beatissimam praedicaverant, de quibus Cant. 6, 8 dicitur: *viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt, reginae et concubinae, et laudaverunt eam.* Per filias intellige animas fideles, quae a primo parente Adam usque ad ultimum fidelem, qui natus est, sive nasciturus est in fine mundi, gloriosam Dei Genitricem viderunt, et *beatissimam praedicaverunt.* Percurramus saecula, perlustremus omnes mundi aetates, et videbimus tam in lege naturae, quam scripta, eaque veteri, et nova omnes filias, hoc est animas fideles Deiparam Virginem vidisse, et *beatissimam praedicasse.*

7 Adam Christi incarnationem praevidit. *In lege naturae.* Vidit eam primus parens Adam, et *beatissimam praedicavit*, cum in illo sopore, vel potius ecstasi, Christi incarnationem praevidens, dixit Genes. 2, 23: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae.* Divini Spiritus instinctu haec verba Adam protulit, ut Concilium tridentinum sess. 24 testatur. Et d. Paulus Adamum tunc praevidisse Christi incarnationem, et eius unionem cum Ecclesia aperte scribit Eph. 5, 32, cum ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* Cum ergo Sacramentum incarnationis viderit, fieri non potuit, ut etiam S. Dei Genitricem non agnosceret. Agnovit sane, et *beatissimam praedicavit*, quam tanti mysterii administram, tanti Filii Matrem futuram praevidit.

Vidit eam Noe, cum arcam fabricavit. Deipara namque fuit vera illa arca Noe, quae ipsius Noe factorem portavit, de qua anonymus in rithmo: 8

Haec est arca testamenti,
Noe portans in praesentis
Maris huius fluvio.
Quam Messias introivit,
Et intactam custodivit,
Clausa foris ostio.

Vidit eam Abraham patriarcha, et *beatissimam praedicavit.* Et quando vidit? Cum nimirum a Deo intempestae noctis silentio foras eductus, coelum suspicere, et stellas numerare iussus est. *Suspice*, ait Dominus, *coelum, et numera stellas, si potes*, Gen. 15, 5. Tunc Abraham inter nocturna sidera lucentis lunae splendorem admiratus est. Et in stellis quidem suae posteritatis claritatem, in luna vero Mariam, et Dominam agnovisse et adorasse putandus est, de qua Cant. 6, 9: *Pulcra ut luna.* 9

Vidit eam Iacob patriarcha, et *beatissimam praedicavit*, cum moriens suum ei verticem inflexit; benedicens namque singulos filios Iosephi fastigium virgae eius adoravit. Id eum prophetice fecisse s. Paulus Hebr. 11, 21 aperte indicat, cum ait: *Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, et adoravit fastigium virgae eius*, scilicet Iosephi filii sui dominantis in Aegypto, fide credens Christum ex virga Iessaea, puta B. Virgine nasciturum. Quasi diceret: Virgam video, Virginem agnosco, fastigium meritorum, et dignitatis quod supra omnes sanctos efferat, pronus adoro; nec enim vulgaris sanctitatis, et maiestatis futuram credo hanc virgam, quae magnum Prophetam, summum Sacerdotem, Regem regum, Messiam promissum proferet; cui non modo Aegyptus, non modo sol et luna, verum coelestia, terrestria et inferna omnia genua inflectent. O quam venusta erit virga illa, quae florem tam pretiosum producet: quam pulcra, quam grata, quam ornata, quae vitam, gratiae thesaurum, mundi salutem, ac totius orbis illustratorem ab utero suo profundet! 10

In lege scripta. Vidit eam Moyses in rubo incombusto, in virga miraculo florente, in petra aquas fundente, in tabernaculo, et arca foederis, in altari thymiamatis, in sanctuario, in propitiatorio, et *beatissimam praedicavit*, cum de puerperis legem ferens puerperam virginem ab ea excepit, cum dixit: *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit*, etc. Lev. 12, 2. Non dixit generaliter: Omnis mulier quae pepererit, immunda erit; sed conditionem apposuit, *si suscepto semine pepererit*, quibus verbis excipere voluit Matrem Dei, quae non suscepto semine peperit, ut angelicus doctor 3 p. q. 37, art. 42 adnotavit. Quasi diceret: Mulierem video, Virginem agnosco, quae post annos 1450 paritura est Messiam promissum, non suscepto semine, sed mystico spiramine. Hanc ego ab hac lege excipio, quam uti Reginam, Matrem Domini mei supplex veneror, et a longe saluto, et adoro. Audi mellifluum Bernardum in serm. purificat. B. M. Virginis: *Putas*, inquit, *dicturus Moyses mulierem quae peperisset masculum, immundam esse, non timuerit super Matrem Dei blasphemiae crimen inducere? Et ideo praemisit: si suscepto semine.* 11

Vidit eam Aaron in virga florente, Gedeon in vellere, et *beatissimam praedicaverunt*, cuius vel umbram solum videre meruerant. 12

Vidit eam David, et *beatissimam appellavit*, cum solem, ac thalamum psal. 10, reginam a dextris psal. 44, tabernaculum Altissimi psal. 45, terram benedictam psal. 48, civitatem Dei psal. 86 appellavit. 13

Vidit eam Salomon, et *beatissimam praedicavit*, cum in laudem eius Proverbiorum multa capita, et tota Cantica Canticorum cecinit. Cum eam domum Sapientiae Prov. 9, mulierem fortem Prov. 31 appellavit. Cum in Canticis variis symbolicis nominibus eam condecoravit. Cum c. 1 similem esse dixit vino, et oleo effuso, tabernaculis Cedar, equitatui suo in curribus Pharaonis, fasciculo myrrhae, botro cypri, oculis columbarum. Cum c. 2 lilio inter spinas, malo inter ligna silvarum, cellae vinariae, columbae in foraminibus petrae. Cum c. 3 virgulae fumi ex aromatibus myrrhae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii, filiabus Sion. Cum c. 4, et 5 oculis columbarum, fragmento mali punici, turri David, monti myrrhae, Libano, favo mellis distil- 14 Summarium epithetorum B. Virginis ex Canticis Canticorum.

Digitized by Google

Summarium epithetorum B. Virginis ex Ecclesiastico.

lanti, lacti et melli, odori thuris, horto concluso, fonti signato, paradiso malorum punicorum cum pomorum fructibus, fonti hortorum, puteo aquarum viventium, aquiloni et austro. Cum c. 6 gregi caprarum, cortici mali punici, reginis, et adolescentulis, aurorae consurgenti, lunae, soli, horto nucum, pomis convallium. Cum alibi eam comparavit nebulae obtegenti terram, columnae nubis, gyro coeli, profunda abyssi, cedro Libani, cypresso in monte Sion, rosae in Iericho, olivae speciosae, platano iuxta aquas in plateis, cinnamomo et balsamo, myrrhae electae, storaci et galbano, ungulae et guttae, aliisque multis. Quae omnia licet Sapientiae divinae tribuuntur, quaedam tamen aptius Matri Messiae aptari possunt, ut Galatinus lib. 7 Arcanorum, c. 1 adnotavit.

15 Vidit eam Isaias propheta, et *beatissimam praedicavit*, cum eam appellavit cap. 8 librum grandem, prophetissam, et virginem, cap. 11 virgam de radice Iesse, cap. 19 nubem levem, c. 45 terram quae germinavit Salvatorem. Cum in spiritu parituram videns, cum admiratione exclamavit: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel*, 7, 14.

16 Vidit eam Ieremias vates, et *beatissimam praedicavit*, cum c. 17 eam solium gloriae Dei, cap. 31 mulierem circumdantem virum nuncupavit.

17 Viderunt eam Ezechiel, et Daniel prophetae, et *beatissimam praedicaverunt*, cum ille c. 44 portam principis clausam; hic vero c. 4 montem, de quo abscissus est lapis sine manibus, eam nuncupavit.

18 Viderunt eam Abacuc vates, et Zacharias rerum divinarum inspector eximius, et *beatissimam praedicaverunt*, cum ille c. 3 montem Pharan, montem opacum: iste vero c. 4 candelabrum aureum septem lucernis, id est, septem Spiritus sancti donis exornatum eam nominavit.

19 *In lege evangelica*. Vidit eam Elisabeth et *beatissimam praedicavit*, cum voce magna clamavit: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Luc. 1, 42.

20 Vidit eam s. Ioannes Baptista adhuc in utero matris manens, *et beatissimam praedicavit*, cum introitum eius in domum Zachariae patris sui praesentiens per os matris Elisabeth eam reverenter salutavit.

21 Vidit eam s. Marcella, et *beatissimam praedicavit*, cum clara voce coram omni populo eius encomia celebravit: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera quae suxisti.* Viderunt eam sancti apostoli, et *beatissimam praedicaverunt*; cum omnes una voce in suo symbolo eam Matrem Dei, ex Spiritu sancto concipientem, ac virginem testati sunt. Licet enim symboli partes cuique apostolo attribuantur; omnes tamen viva voce congregati in unum illud symbolum posteris tradendum unanimiter composuerunt, in quo dicitur: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*. Ex his praecipue

22 Vidit eam s. Matthaeus apostolus et evangelista, et *beatissimam praedicavit*, cum c. 1 dixit: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus* Quo encomio nullum maius excogitari potest, ut superiori tomo probatum dedimus.

23 Vidit eam s. Lucas evangelista, et *beatissimam praedicavit*, cum Act. 2 scripsit, Mariam perseverasse in oratione cum apostolis unanimiter post ascensionem Domini in coelum: et multa alia in evangelio.

24 Vidit eam s. Iacobus minor, apostolus, et *beatissimam praedicavit*, cum in sua liturgia, et sacrificandi christiana formula Mariam excellentissimis nominibus appellavit, nimirum, superbenedictam, pretiosiorem cherubim, gloriosiorem seraphim. Quin et hortatur populum, ut cum presbytero sacra faciente non modo memoriam faciant Deiparae, sed etiam eam implorent atque invocent, quod verba illa demonstrant: « Commemorationem agamus « sanctissimae, immaculatae, gloriosissimae, benedictae Dominae nostrae Matris Dei, et semper Virginis Mariae, ac omnium « sanctorum, et iustorum, ut precibus atque intercessionibus eorum omnes misericordiam consequamur ». Et paulo post: « Cum « sacerdos rogasset Deum, ut inter sanctos omnes praecipue meminisse velint sanctissimae, immaculatae, super omnes benedictae, gloriosae Dominae nostrae Deiparae, semperque Virginis Mariae ». Statim haec subiicit chorus: « Dignum est, ut « te vere beatam dicamus Deiparam, semper beatam, et omnibus « modis irreprehensam, et Matrem Dei nostri honorabiliorem « quam cherubim, et gloriosiorem quam seraphim, quae sine « corruptione Deum Verbum peperisti, te re vera Deiparam magnificamus ». Et rursus: « Tibi, o plena gratiae, universa « creatura gratulatur, angelorum coetus, et hominum genus, « quae es templum sanctificatum, paradisus spiritualis, virginum « gloria, ex qua Deus carnem assumpsit, et puer factus est Deus « noster, qui est ante saecula. Tuum enim uterum thronum fecit, et tuum ventrem latiorem, et ampliorem coelis ipsis reddidit. Tibi, o gratiae plena, universa creatura gratulatur, gloria tibi ».

Viderunt eam filiae Sion, hoc est, apostolorum discipuli, et Ecclesiae doctores, et *beatissimam praedicaverunt*, cum illius maiestatem, gratiam, et gloriam, nec non dona a Deo accepta miris encomiis extulerunt. 25

25 Saeculis omnibus B. Virgo fuit praedicata.

Saeculo primo s. Dionysius areopagita d. Pauli discipulus, ubi primum gloriosam Dei Genitricem vidit, tantum divinum fulgorem, eximiumque maiestatem non solum in corporis positione, sed etiam in morum sanctitate in persona eius se conspexisse narravit, ut in haec verba prorumperet: *Nisi mihi de Christo esset revelatum, eum solum esse verum Deum, facile crederem alium praeter hanc virginem non esse Deum*. Dignum tali Virgine encomium, quod narrant Ubertinus lib. de vita Salvatoris, Carthusianus comment. super lib. de divinis nominibus, Canisius lib. 5 de Deipara. 26

26 Saeculum primum.

Vidit eam eodem saeculo s. Ignatius martyr illustris, et *beatissimam praedicavit*, cum in epistola quam ad s. Ioannem dedit, Mariam Matrem Iesu *coeleste prodigium, et sacratissimum spectaculum* vocat. Et epist. 2 ad eundem eam *universis admirandam et cunctis desiderabilem* dicit. 27

Secundo saeculo vidit eam s. Iustinus martyr, et *beatissimam praedicavit*, quando apologia 2 pro christianis, et in dialogo contra Triphonem de virginitate Deiparae honorificentissime locutus est. Et quaest. 136 ad orthodoxos scribit Mariam esse magis praedicandam ob virtutem qua meruit esse Mater Dei, quam ob ipsam Matris dignitatem, appellatque Mariam omnium feminarum virtutibus excellentissimam. 28

28 Saeculum secundum.

Vidit eam s. Irenaeus martyr, et *beatissimam praedicavit*, cum Evae primae matri eam opponens longe excellentiorem agnovit, ita fatus: « Sicut Eva inobediens facta et sibi et universo « generi humano causa facta est mortis: sic et Maria habens « praedestinatum virum, tamen virgo obediens, et sibi et universo generi humano causa facta est salutis. ». Et inferius: « Evae inobedientiae nodus solutionem accepit per obedientiam « Mariae; quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc « Maria Virgo solvit per fidem ». Et iterum l. 5 contra Valentinum, c. 19: « Quemadmodum Eva per angelicum sermonem « seducta est, ut effugeret Deum, praevaricata verbum eius; ita « et Maria per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum obediens eius verbo. Et sicut illa seducta est, ut effugeret Deum: sic haec suasa est obedire Deo, ut virginis Evae « Virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum astrictum est « morti genus humanum per virginem; ita solvitur per virginem « aequa lance disposita virginalis inobedientia per virginalem « obedientiam ». 29

Viderunt eam saeculo tertio Clemens alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus martyr, Hyppolitus martyr, Gregorius neocaesariensis, Arnobius, et alii multi qui ab anno Domini 200 usque ad 300 vixerunt, et *beatissimam praedicaverunt*, cum in suis scriptis egregie eius honorem contra Iudaeos et Paganos propugnarunt, et multa praeclara de ea scripserunt, et dixerunt. Piaculum videretur praeterire epitheta illa, quibus illam exornavit s. Gregorius thaumaturgus, eiusdem saeculi pater, qui floruit anno Domini 233. Hic ser. 2 de annunt. non longe ab initio Mariam appellat immaculatum puritatis, ac integritatis simulacrum, ac supercoelestis laetitiae vas atque receptaculum, nive candidiorem mentem habentem, corpus vero auro fulgidius. Et serm. 2. eam vocat campum deliciarum, animatam civitatem de qua psal. 86 scribitur: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, paradisum Dei ratione praeditum, portam orientalem, domicilium Dei Verbo dignum, alterum coelum, sanctuarium, arcam Dei ratione praeditam, animatum Regis angelorum palatium. 30

30 Saeculum tertium.

Viderunt eam saeculo quarto s. Methodius, s. Athanasius, s. Hilarius, s. Cyrillus ierosolymitanus, s. Basilius, Optatus milevitanus, s. Gregorius nyssenus, s. Gregorius nazianzenus, s. Epiphanius, s. Ephrem, Iuvencus presbyter, Prudentius, et alii fere innumeri, et *beatissimam praedicaverunt*, cum in suis 31

31 Saeculum quartum.

scriptis copiosissime ac honorificentissime de Matre Dei locuti sunt. Supervacaneum puto verba eorum referre, et singula loca indicare, cum eorum scripta hoc argumento refertissima sint. Dabo tamen verba aliquorum, quae amorem eximium erga Virginem declarant, et miram dulcedinem spiritus ea proferentium exprimunt.

32 Et in primis s. Methodii martyris illustris, Olympii primum, et postea Tyri episcopi, qui B. Virginem in hunc modum celebrabat: « Benedicta tu celeberrima, et desideratissima; tuum, Dei Genitricis, nomen divinis benedictionibus, et gratiis omni est ex parte refertum. Tu fidelium fax. Tu incircumscripti (si ita loqui fas est) circumscriptio. Tu speciosissimi floris radix. Tu Creatoris Mater. Tu nutris omnia nutrientis. Tu cuncta continentis et comprehendentis comprehensio. Tu illius gestatrix, qui verbo suo portat universa. Tu porta, per quam in carnem ingressus est Deus. Tu purificandis labiis carbonis forceps. Tu praeaugustus illius sinus, qui sinu suo omnia complectitur. Tu incomprehensibilis illius roris vellus. Tu bethlehemitica illa cisterna, quam velut vitae refocillatricem David desideravit, et ex qua immortalitatis poculum mortalibus emanavit. Tu propitiatorium. Tu per quam Deus naturam humanam indutus mortalibus innotuit. Tu impollutum illius indumentum, qui luce uti vestimento circumfunditur. Tu Deo nullius alioquin rei indigo carnem, quam non habebat, mutuata es, quo nimirum hac ratione Omnipotens id, quod esse dignatus est, homo videlicet vere appareret. Quid hoc illustrius, quidve sublimius? Qui coelum et terram implet; cuius praeterea sunt omnia, quaecumque moventur atque subsistunt, is tui factus est indigus. Tu enim admirabilem incarnationem, quam aliquando non habuit, Deo mutuo dedisti. Tu potentem illum corpore tanquam decenti quadam panoplia induisti, per quam quidem ipse facile a me caperetur, et cerneretur; ego vero lutum, et commodum ad illum accessum haberem; per quam etiam ignita omnia maligni tela extinguuntur. Euge, euge Mater Dei, et Ancilla. Euge, euge, quae debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur. Deo namque universi debemus, tibi vero etiam ille debet. Proinde qui dixit: Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut is decretum a se promulgatum observaret, atque adeo hac in parte alios excelleret, omnem matri et gratiam, et honorem impendit, quae certam secundae nativitatis ministram illi se praebuit, quamque ipse patrem (hominem) nesciens secundam hanc ipse nativitatem in matrem viri inexpertem ultro sibi cooptavit ».

33 Sancti quoque Epiphanii cyprii laudes adscribere placuit, qui etiam illo saeculo gloriosam Deiparam praedicabat his verbis: « Sum enim exili voce, tardaque lingua, et minime disertus, ut sic verba facere possim de percelebri, sancta, innupta et Deipara Maria, Matre Domini, de qua leviter loqui non debet humana lingua ». Et inferius: « Quid dico? et quid proloquar? quo pacto beatam praedicabo gloriae radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis superior exstitit; natura formosior est ipsis cherubim, seraphim, et omni exercitu angelico: cui praedicandae coelestis ac terrena lingua minime sufficit, immo vero nec angelorum ». Et post pauca: « O Virgo pura, sancta Mater Domini, beata sponsa Trinitatis individuae, beata tu inter mulieres, quae Deum et hominem omnium Creatorem velut infantem in terra peperisti. Beata tu inter mulieres, quae sola in terra Deum coelestem concepisti. Beata tu inter mulieres, cuius ubera suxit, qui alit universa. Sancta Maria, Virgo Deipara, beata tu inter mulieres, quae nunc genuisti eum, qui olim in paradiso formavit Adam e luto. Tu enim es Deipara, quae Verbum ex te incarnatum peperisti. Deipara exsistis, quae Deum Verbum in forma servi concepisti. Deipara existis, quae Deum Verbum suscipiens incarnatum peperisti. Deipara existis, quae sola solius Dei unigenitum Filium genuisti. Non temporaneum Deum genuisti ex te incarnatum, sed aeternum, qui ante te est, et ante omnia ». Et aliquibus interiectis: « O Virgo sanctissima, quae exercitus angelorum in stuporem deduxisti. Stupendum enim est miraculum in coelis mulier amicta sole. Stupendum miraculum in coelis mulier gestans lucem in ulnis. Stupendum miraculum in coelis alter thronus cherubicus. Stupendum miraculum in coelis mulieris filius, qui et ipsius et saeculorum est pater. Stupendum miraculum in coelis thalamus virginis habens Filium Dei Deum, sponsum Christum. Stupendum miraculum in coelis Dominus angelorum infans virginis effectus est. O sanctissima Virgo Mater Salvatoris, quae genuisti principio carens Verbum, Filium scilicet eumdem cum Patre habentem thronum, consubstantialem Patri et Spiritui sancto: qui cum Patre et Spiritu sancto est ante saecula, qui concameravit coelos, et terram condidit. Ave Sanctissima Virgo, beata inter mulieres, quae Verbum ex te incarnatum peperisti; Verbum, inquam, Patris, Filium Verbum, ante saecula Deum Verbum, initio carens et aeternum; Verbum cum Patre et Spiritu sancto unitum; Verbum eumdem cum Patre habens thronum; Verbum sedens super cherubim; Verbum quod glorificant animalia quadruplicem faciem habentia; Verbum quod creavit angelos; Verbum quod fecit, ut principatus et potestates essent; Verbum quod extendit coelos, et terram condidit; Verbum, verum Deum, ipsum Christum Dominum nostrum, quem Sanctissima Virgo peperisti, et denuo post partum virgo, quae geminam produxisti, et coronam regiam plexuisti. O beata Virgo, quae gloriam coelestem portasti, et ex multis floribus paradisi mundum odore bono replesti ». Et concludens: « Dico illam esse coelum, thronum simul et crucem; extendens enim sanctas ulnas Dominum portavit thronus cherubicus, cruciformis et coelestis: de qua per Scripturas in coelos incumbo, et conspicio illam ab angelis adorari. Hinc Gabriel in primis salutat Virginem: Ave gratia plena, quae es splendidum coelum. Ave gratia plena, quae habes radium de coelo, lucidis facibus coruscantem, utpote solem Christum ». Quanto putas amore flagrabat erga B. Virginem pectus istud, quod talia verba promebat? Prae stupore deficio, cum tantam devotionem contemplor.

34 Adhuc s. Ephrem diaconi, qui eodem saeculo florebat, orationem non minus elegantem, quam piam, qua gloriosissimam Dei Genitricem depraedicabat, laudabat, celebrabat, hic inserere placuit; quo omnes cognoscant, quam eximie coluerint prisci illi patres B. Virginem. Orationis talis tenor est ex Surio die 1 novembris:

35 « Intemerata, prorsusque pura Virgo Deipara, regina omnium, spes desperantium, domina mea gloriosissima, eademque optima, sublimior coelicolis, purior solis radiis et splendoribus, honoratior cherubim, et polyommatis (id est multoculis) spiritibus, sanctior seraphim, et nulla comparatione ceteris omnibus superis exercitibus gloriosior, spes patrum, gloria prophetarum, apostolorum praeconium, et honor martyrum, sanctorum laetitia, et lumen studiosorum Abraham, Isaac et Iacob, decus Aaron, Moysis splendor, et Gedeon vellus, hierarcharum coetus, et omnium sanctorum ac virginum corona ob fulgorem inaccessa. Acerra aurea, lucerna micantissima, urna coeli manna gestans, tabula scriptam legem ferens mortalibus, arca vera, charta divinissima, omnium princeps, circumspecta et lucifera virgo, consolatio sanctissima et omnium dux sacratissima puella ».

« O rube incombuste, et patens praedium, et viridans Aaron illius virga. Virgo profecto extitisti, et flos filius tuus. E radice David, et Salomonis germinavit Christus noster Creator, Deus et Dominus omnipotens, Altissimus et solus. Tu quoad corpus Deum et Verbum genuisti: virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Claves non excussit Deus Creator tuus in tuo virginali utero; absque semine carnem indutus, te, o celeberrima, talem praeservans, qualis extiteras ante partum. Per te reconciliati sumus Christo Deo meo, Filio tuo. Tu peccantium et auxilio destitutorum adiutrix. Tu portus procella vexatorum, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix celeberrima. Tu orphanorum susceptio, tu captivorum redemptio, tu aegrotantium exultatio, et omnium salus. Tu solitariorum stabilimentum et spes mundanorum. Tu virginum decus, corona et gaudium. Tu mundi laetitia, o Domina princeps, Regina praestantissima, et perquam benedicta, puella veneranda, dominorum Domina purissima. Sub alis tuis custodi me et protege. Miserere mei, qui sum luto inquinatus, qui sceleribus quampluribus Creatorem Deum meum, et iudicem offendi, ne adversus me glorietur satanas exitiosissimus, ne in me exurgat execrandus inimicus meus, ne servum tuum a tui spe destitui cognoscam, ne calumnietur me detrectantium lingua. Non mihi alia fiducia, o Virgo sincera. Ex ulnis equidem maternis tibi, Domina mea, deditus sum, miserabilis et cliens tuus vocatus sum, ne malevolus satanas me ad infernas portas abducat. Tu enim meus portus, o Virgo inviolata, et praesens auxiliatrix. Denique sub

tutela et protectione tua totus sum. Crebris lacrymis te, o celeberrima Mater, imploro, et advolvor tibi, Domina mea, suppliciter clamans, ne dulcis filius tuus, et vitae omnium dator ob multa, quae patravi, scelera tollat me de medio, et miseram animam meam ceu leo diripiat, vel velut sterilem ficum infelicem me excidat. Sed obsecro, ut Christum meum adeam, et subeam solus illas beatorum, ubi non sunt lacrymae, non vexatio, non molestia, non mora, non tormenta, non locorum angustiae, sed laetitia inexhausta, voluptas iustorum, deliciae, exultatio, gloria et splendor. Imple os meum gratia dulcedinis tuae: illumina mentem o gratia plena: move linguam meam, et labia ad laudes tibi alacri, et laeta anima canendas, et praecipue melos illud angelicum celebratissimum, quod Gabriel in Nazareth servili habitu ad te Virginem et Matrem Dei mei integerrimam clamans cecinit, salutationem maxime congruam, et dignissimam, mundi salutem, cunctarumque animarum tutelam ».

« Dignare, Virgo, te tuum servum laudare, et dicere: Ave Dei splendidissimum, et luculentissimum vas: ave Domina Maria gratia plena: ave in mulieribus Virgo beatissima: ave stella fulgentissima, ex qua Christus prodiit: ave illustrissima lux, Mater et Virgo: ave quae mirifice Regem omnium peperisti: ave per quam nobis sol praeclarissimus illuxit: ave Domina cunctis sublimior: ave canticum cherubim et hymnus angelorum: ave pax, gaudium et salus mundi: ave humani generis laetitia: ave patrum praeconium, et prophetarum decus: ave martyrum pulcritudo, et corona sanctorum: ave piorum gloria et in solitudine degentium hymnus: ave praeclarissimum hierarcharum coelestium ornamentum: ave hymnigraphorum omnium oratio: ave praestantissimum orbis terrae miraculum: ave terrigenarum omnium delectatio: ave paradise deliciarum, et immortalitatis: ave lignum vitae, gaudium et voluptas: ave vallum fidelium, et mundi salus; ave tranquille portus, et a fluctibus agitatorum liberatrix: ave nostra periclitantium auxiliatrix: ave progenitoris illius Adam resurrectio: ave iucunda libertas: ave omnium parens: ave flos gratiae et consolationis: ave refugium peccatorum et hospitium: ave propitiatorium laborantium: ave refugium in Ierosolymis: ave throne mei Creatoris gloriosissime: ave splendor illustrissime et micantissime: ave spes omnium proborum adversis casibus afflictorum: ave conversorum refugium: ave virorum iuxta mulierumque regina et tutela: ave mundi mediatrix gloriosissima: ave universi terrarum orbis conciliatrix: ave Domina, sceptrum fidelibus tuis impetrans: ave gloria, et laetitia omnium sacerdotum: ave virgo solatium solitariorum: ave porta coelorum, ascensus omnium: ave reseramentum portarum paradisi: ave, quae moerores sedasti, adornatrix omnium: ave eadem, quae lenisti oppressorum molestiam: ave clavis coelorum, et regni Christi: ave portus optime huius vitae nautarum: ave animae meae spes bona et fida: ave christianorum omnium firma salus: ave lumen praefulgens quo mundus illustratur: ave Mater Christi Filii Dei vivi: ave nostra genitorum protectio luculenta et gloria: ave, quae nullo spatio comprehensum in sinu comprehendisti: ave, quae Christum vitae datorem educasti, Christum pientissimum omnium Creatorem, Deum, dulcem Iesum meum, altorem mundi, hominum amantissimum, omnipotentem patrem meum, cui competit gloria, honor et potestas in saecula, laus et magnificentia cum aeterno Patre et Spiritu sancto nunc et semper, et in saecula saeculorum. » Aetna amoris ardebat in corde isto, quod talia verba eructabat; prae dulcedine spiritus emoriebatur, quando ista cogitabat, proferebat, scribebat.

36 Saeculum quintum. Viderunt eam quinto saeculo ducenti patres in Concilio ephesino congregati, et *beatissimam praedicaverunt*, cum eam Matrem Dei veram contra Nestorium haereticum proclamaverunt, quo titulo nihil maius, nihil dignius, nihil sublimius, aut excellentius excogitari potest.

37 Vidit eam eodem saeculo s. Cyrillus episcopus alexandrinus, et cum gravissimo illo patrum coetu in eadem Synodo ephesina, *beatissimam praedicavit*, cum eam appellavit eximium universi orbis terrarum decus, lampadem inextinguibilem, virginitatis coronam, rectae fidei sceptrum et normam, templum inviolatum, Ecclesiae fundatricem.

Vidit eam Proclus cyzicenus episcopus, et postea patriarcha constantinopolitanus, et in supra nominato Concilio *beatissimam praedicavit* his verbis: « Maria est spiritualis Adami paradisus. Maria unitarum inter se naturarum officina. Maria salutaris reconciliationis panegyris. Maria thalamus, in quo Verbum humanam carnem sibi desponsavit. Maria animatus naturae rubus, quem divini partus ignis non combussit. Maria vere levis illa nubes, quae super cherubim sedentem in corpore suo gestavit. Maria vellus mundissimum coelesti pluvia madens, ex quo pastor ovem induit. Maria ancilla et mater, virgo et coelum. Haec sola pons est, per quem Deus ad hominem descendit. Haec admiranda illius oeconomiae, tela ex qua, et in qua ineffabili quodammodo admirabilis illius unionis tunica confecta, cuius quidem textor extitit Spiritus sanctus, netrix virtus ex alto obumbrans, lana vetusta pilosaque Adami pellis, trama impolluta Virginis caro, radius textorius immensa gestantis gratia, artifex verbum per auditum illapsum ».

Viderunt eam hoc tempore s. Maximus episcopus, s. Paulinus, Evodius, Victor uticensis, s. Leo, Cassianus, Theodoretus, s. Petrus Chrysologus, Sedulius, Petrus Damianus, Boetius martyr, Gennadius, s. Fulgentius, et *beatissimam praedicaverunt*, cum in suis scriptis miranda de B. Virgine dixerunt. Solius s. Fulgentii laudes hic adscribere placuit, qui post multa encomia Virginis omnes omnium statuum feminas ad eius amplexum invitat, ita fatus: « Venite virgines ad Virginem; venite concipientes ad concipientem; venite parturientes ad parturientem; venite matres ad matrem; venite lactantes ad lactantem; venite iuvenculae ad iuvenculam. Ideo omnes istos cursus naturae Virgo Maria in Domino nostro Iesu Christo suscepit, ut omnibus ad se confugientibus feminis subveniret, et sic restauraret omne genus feminarum ad se venientium nova Eva servando virginitatem; sicut omne genus virorum Adam novus recuperat, Dominus Iesus Christus ». 38

Viderunt eam sexto saeculo b. Remigius, Primasius, Paschasius, Cassiodorus, Andreas cretensis, et *beatissimam praedicaverunt*, cum in scriptis suis gloriosae Virginis honorificam mentionem fecerunt. Solius Andreae ierosolymitani, cretensis episcopi, praeclara encomia, et eximias laudes inserere libet, quibus orat. in salutationem angelicam B. Virginem ita salutat, et laudat: « Ave gratia plena Dominus tecum; qui est ante te, hodie tecum est, et paulo post erit ex te. Illud quidem ab omni aeternitate, hoc autem in tempore. O immensam humanitatem, o benignitatem incredibilem! Non fuit satis gaudium indicasse, nisi ipsum gaudii auctorem inesse Virgini significaret. Illud enim *Dominus tecum* perspicue Regis praesentiam declarat, qui sic ex ipsa corpus assumit humanum, ut a propria gloria non recedat. Ave gratia plena, Dominus tecum. Gaude laetitiae instrumentum, per quod tristis execrationis sententia in laetum gaudii iudicium commutatur. Gaude vere benedicta, gaude Virgo praeclarissima, gaude ornatissimum divinae gloriae templum, gaude sacrosanctum regis palatium, gaude thalame, in quo sibi Christus humanitatem sponsam adiunxit, gaude electa a Deo, antequam genita. Gaude divinum inter Deum, atque homines conciliationis perfugium. Gaude thesaure vitae immortalis. Gaude coelum in quo sol gloriae splendet, domicilium coelo praestantius. Gaude unicum illius qui nusquam capitur, amplissimum habitaculum. Gaude sancta terra virginea, ex qua novus Adam formatur, qui veterem Adam servet. Gaude fermentum sanctum, ac Deo gratum, ex quo totius generis humani massa fermentatur, et in unius corporis Christi panem evadit, et admirabili ratione coagmentatur. Gaude gaudii Mater sempiterni. Gaude nova Dei arca ». Haec ille pius pater. 39 Saeculum sextum.

Viderunt eam saeculo septimo s. Gregorius magnus, Isichius, venerabilis Beda, s. Ildephonsus, Leontius, s. Isidorus episcopus hispalensis, et *beatissimam praedicaverunt*, cum celeberrime, ac devotissime de Deipara quamplurima in scriptis suis pronuntiarunt, et cultum eius in populo mirifice promoverunt. 40 Saeculum septimum.

Viderunt eam saeculo octavo s. Ioannes Damascenus, s. Germanus patriarcha constantinopolitanus, et *beatissimam praedicaverunt*, cum de B. Virgine docta et eleganter scripserunt, et de eius honore, cultu et invocatione multa praeclara in scriptis suis reliquerunt. 41 Saeculum octavum.

Viderunt eam saeculo nono Theophylactus, Pascasius abbas, Rabanus, Haymo, Alcuinus, Isidorus, Strabo, et alii multi, et *beatissimam praedicaverunt*, cum multa, eaque praeclara ad B. Virginem spectantia scriptis suis inseruerunt. 42 Saeculum nonum.

Viderunt eam saeculo decimo b. Petrus Damianus, Hermanus Contractus, Fulbertus carnotensis episcopus, et *beatissimam* 43 Saeculum decimum.

praedicaverunt, cum multa in suis scriptis in laudem eius congesserunt, et pulcras, ut vidimus, antiphonas et responsaria in eius officio ediderunt, et Ecclesiae reliquerunt.

44 Saeculum undecimum. Viderunt eam saeculo undecimo d. Anselmus, Oecomenicus, Ivo carnotensis episcopus, Guerricus igniacensis, et alii multi, et *beatissimam praedicaverunt*, cum praeclaras homilias, orationes, tractatus de B. M. Virgine ediderunt.

45 Saeculum duodecimum. Viderunt eam saeculo duodecimo Petrus choriacensis, Richardus de s. Victore, Euthymius graecus, s. Bruno carthusianus, Robertus tuitiensis, et d. Bernardus claravallensis, abbates, et *beatissimam praedicaverunt*, cum omnes nervos ingenii sui in laudes Virginis intenderunt, et multis, ac praeclarissimis encomiis eam celebrarunt, ut opera eorum testantur.

46 Saeculum decimum tertium. Viderunt eam saeculo decimo tertio Albertus magnus, sanctus Thomas aquinas, s. Antonius patavinus, s. Bonaventura, Richardus de Media-Villa, Aegydius romanus, Durandus, Paludanus, Hugo cardinalis, et tota illa theologorum scholasticorum, quae hoc saeculo floruit, caterva, et *beatissimam praedicaverunt*, cum in laudem B. M. Virginis hymnos, rithmos, prosas, quaestiones, tractatus, disputationes, sermones, commentationes, precandi formulas, aliaque opuscula piissima et doctissima ediderunt, et honorem eius maxime contra haereticos egregie tutati sunt, ut ex eorum scriptis colligitur.

47 Saeculum decimum quartum. Viderunt eam saeculo decimo quarto Liranus, Ioannes Gerson, Ioannes de Turrecremata S. R. E. cardinalis, et alii multi, et *beatissimam praedicaverunt*, cum de B. Virgine conciones, tractatusque ediderunt, et ubique de ea laudatissime locuti sunt.

48 Saeculum decimum quintum. Viderunt eam saeculo decimo quinto s. Vincentius Ferrerius, s. Antoninus archiepiscopus florentinus, Alphonsus Tostatus, s. Bernardinus senensis, s. Laurentius Iustinianus, Ioannes Trithemius, Bernardinus de Bustis, b. Alanus, et *beatissimam praedicaverunt*, cum doctissimos ac piissimos sermones, tractatus, quaestiones de B. M. Virgine ediderunt, in quibus magnas eius laudes descripserunt.

49 Saeculum decimum sextum. Viderunt eam saeculo decimo sexto s. Thomas a Villanova, Thomas Caietanus, Dionysius carthusianus, Ambrosius Catharinus, Petrus Canisius, Alphonsus a Castro, Bartholomaeus de Pisis, Bartholomaeus Medina, Franciscus Suarez, Franciscus Costerus, et alii plurimi, et *beatissimam praedicaverunt*, cum B. Virginis sanctitatem, puritatem, et dignitatem scriptis suis illustrare nisi sunt, et honorem eius contra modernos haereticos egregie propugnarunt.

50 Saeculum decimum septimum. Vidit eam saeculo decimo septimo infinita propemodum doctorum, concionatorum, theologorum, ac sacrae Scripturae interpretum caterva, (nonnullorum nomina superiori tomo, discursu 111 circa finem recensui) et *beatissimam praedicaverunt*, cum tot homilias, conciones, orationes, tractatus, disputationes, discursus, commentaria, defensiones, opuscula, rithmos, odas in laudem B. Virginis conscripserunt, quorum libri omnibus obvii sunt. *Apertum est templum Dei in coelo*, ait d. Ioannes Apoc. 11, 19, *et visa est arca testamenti eius in templo eius, et facta sunt fulgura, et voces, et terrae motus et grando magna*. Ad eumdem modum in coelo isto, sive coelorum regno, puta Ecclesia militante, postquam apertum est templum Dei, hoc est divulgatum evangelium, praedicata fides Christi, visa est sacra illa et animata arca Dei, Virgo Maria, cognitum est quantae sit dignitatis, quantae sanctitatis, quantae potestatis. Unde audita sunt micantia laudum fulgura, variaeque doctorum, concionatorum, theologorum voces, quibus gloriosam Dei Matrem praedicarunt, celebrarunt, commendarunt, attendentes quod Eccli. 43, 33 dicitur de Christo, *Exaltate illum quantum potestis, maior enim est omni laude*, etiam de Matre illius intelligi debere.

51 Vides igitur quam pulcre, quam apte d. Bernardus serm. 2 de Pentecoste B. Dei Genitricem, *negotium omnium saeculorum*, appellavit. *Ad illam*, inquit, *sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium omnium saeculorum respiciunt universi*. Vere B. V. Maria, *negotium omnium saeculorum*, dicitur, quia omnibus saeculis suae excellentiae magnitudine negotium facessivit, omnium saeculorum ingenia exercuit, omnium calamos, omnium linguas fatigavit. Iure merito itaque dicitur, *Virgo praedicanda*.

B. Virgo negotium omnium saeculorum cur dicta.

52 Concubinae intelligentur infideles. Addit Salomon: *Et concubinae laudaverunt eam*. Concubinae vulgo meretrices dicuntur. Unde animae illae, quae peccatis, suggestionibus daemonis, et maxime infidelitati consentiunt, meretrices sunt, Ezech. 16, 24: *Aedificasti tibi lupanar, et fecisti tibi prostibulum*. Lupanar vocat synagogas haereticorum, in quibus animae, relicto vero sponso Christo, diabolo adultera adhaerent, et variis erroribus polluuntur. Concubinae igitur B. M. Virginem laudaverunt, hoc est Turcae, et haeretici, qui quamvis eam non videant, nec cognoscant quae, qualis, quantave sit Dei Mater, nec perpendant; veritate tamen compulsi a laudibus tantae Virginis abstinere non potuerunt. Nec mirum, cum etiam daemones Christum Messiam esse proclamaverunt Marci 1, 24, et Luc. 4, 23: *Quid nobis, et tibi Iesu Nazarene: venisti perdere nos? Scio qui sis, sanctus Dei. Tanta quippe est vis veritatis, ut contra omnium ingeniorum calliditatem, solertiam, et contra fictas hominum insidias facile se per seipsam defendit*, ut ait Seneca de veritate. Age audiamus quid Mahometus, quid haereticus in laudem Virginis volens nolens protulerit.

Veritatis quanta vis.

Mahometus in Alcorano cap. 72 de Virgine Maria ita scriptum reliquit: *Nullus nascitur de filiis Adam, quem non tangat satan, et eius filium. Multi perfecti fuerunt ex viris, nunquam ex mulieribus, nisi mater Isae*. 53

Haereticus quid dicat, attende. Desiderius Erasmus B. Virgini Lauretanae olim hoc elogium et voce prompserat, et calamo scripserat, unicum illam appellans coeli decus, certissimum terrae praesidium, praepotentem nostram Dominam, augustam coeli terrarumque Reginam, huius nostri pelagi stellam, terrae nostrae lunam, immo spem unicam nostrarum calamitatum, quae quidem inter coelites una tantum vel meritis, vel gratia, vel auctoritate polleat, ut sola Iudicis iram possit restinguere. 54

Erasmi encomia in B. Virginem.

Idem alibi B. Virginem ita salutabat: *Salve inclyta Regum progenies, sacerdotum decus, patriarcharum gloria, coelitum triumphus, inferorum formido, christianorum et spes, et solatium*.

Lutherus quasi iam sui oblitus, veritate coactus in Comment. super Matthaeum dicebat: *Eo ipso quod Maria mater Dei facta est, tam praeclara, et ingentia ei bona data sunt, ut superent captum cuiuscumque. Hinc enim omnis honor ac beatitudo provenit, ut in universo genere humano unica persona superior sit cunctis, cui nemo sit par; quod cum coelesti Patre filium habeat communem*. Et postea: *Talem*, ait, *ac tantum honorem in hac matris nomenclatura contineri, ut nemo maiora de illo praedicare possit, etiamsi tot linguas habeat, quot flores terrae, stellas coelum, mare arenas sustinet*. 55

Calvinus similiter in harmonia evangelica circa cap. 1 Lucae in laudem Mariae haec protulit: *Hodie nequit celebrari allata nobis per Christum benedictio, quin simul occurrat, quam honorifice Mariam ornaverit Deus, qui unigeniti Filii sui Matrem eam esse voluit. Felix Maria, quae Dei promissionem amplexa sibi, totique mundo salutem concepit, et peperit*.

Bucerus quoque in expositione cap. 1 Matthaei in Virgine laudanda egregium se eius (et utinam vere) exhibet cultorem. *Pius animus*, inquit, *de Maria, vase tam sancto atque electo, ut Christum nobis pareret, non nisi sanctissime cogitabit*.

Oecolampadius applaudit sermone de laudibus Mariae. *Quid mirum*, ait, *si parabolice Maria nobiliori creaturae comparetur? Pulcra ut luna, electa ut sol, clarior sideribus, fecundior terra, profundior abyssis, candidior liliis, odoratior rosis, humilior violis*. Et rursus: *Procera ut palma in Cades, exaltata ut platanus iuxta aquam, exaltata ut cedrus Libani*.

Sic igitur impletum est quod Virgo Deipara Spiritu sancto plena de seipsa prophetavit: *Beatam me dicent omnes generationes*. Vere omnes generationes tam angelorum, quam hominum, tam fidelium, quam infidelium eam beatam dixerunt: et adeo in eius amorem cuncti exarserunt, praecipue autem fideles, ut nihil sit pulcrum, nihil pretiosum, nihil ab arte aut natura egregium, nihil ab ingenio acutum, aut praeclarum, quod non ultro omnes in laudem eius conferant. Beatam eam dixerunt antiqua gentilium oracula, sibyllarum vaticinia, doctorum, poetarum ora, quos furor divinus implebat, qui eam tot obscuris aenigmatibus designarunt, tot versibus non intellectis decantarunt, ut in superiori tomo disc. CLIX monstravimus. Beatam dixerunt divinorum prophetarum oracula, quam mille modis repraesentabant, et miris laudibus extollebant, antequam hic nasceretur in terris. Beatam dicit vetus et novum testamentum, quae quasi duo seraphim alternis vocibus eam collaudant. Vetus quidem figuris, seu adumbratis suis imaginibus eam depingit; novum autem semper alta, et clara voce praedicat. Vere *Virgo praedicanda*, quam mundus

Digitized by Google

universus adorat, laudat, celebrat. Quicquid praeconii, et laudis, quicquid ornamentorum, et nominum adinvenire poterat, totum in laudes eius congessit. Beatam eam praedicant omnes generationes tam virorum, quam mulierum, coniugatorum, virginum, viduarum. Beatam praedicant mulieres, quia per eam ab opprobrio, et infamis maledictionis liberatae sunt. Beatam praedicant virgines tanquam virginitatis magistram, et virginum vexilliferam, virginem carne, virginem mente, virginem professione; virginem denique talem qualem depingit Apostolus, *sanctam corpore et spiritu*. Beatam praedicant coniugatae tanquam fecunditatis miraculum. Beatam praedicant viduae tanquam continentiae speculum. Beatam praedicant viventes tanquam vitae reparatricem. Beatam praedicant mortui tanquam eorum vivificatricem. Beatam praedicant omnes, quia per ipsam beneficium salutare acceperunt omnes, angeli reparationem, homines reconciliationem, peccatores gratiam, iusti gloriam, infirmi medicinam, famelici panem coelestem, laborantes gratiae fontem, mortui vitam. Beatam dicunt omnes generationes, quia ipsa genuit eum, qui fecit omnes generationes. Ter quaterque felix, ac beatus, qui eam laudat, qui ei supplicat, qui eam praedicat. Nunc videamus

DISCURSUS CCLXXIII

QUOMODO SIT PRAEDICANDA GLORIOSA DEIPARA VIRGO MARIA

1 Laus Mariae ineffabilis.

Quoniam B. Virgo omnium encomiorum legem excedit, idcirco nulla creatura infra Deum perfecte Matris Dei dignitatem, nedum enarrare, verum nec mente comprehendere potest. Testantur hoc gravissimi patres. D. Bernardus serm. 4 de assumpt. *Quaenam lingua*, inquit, *etiamsi angelica sit, poterit dignis extollere laudibus Virginem Matrem?* S. Ioannes Damascenus serm. 3 de assumpt. *Virginem non hominum lingua, non mundo sublimior angelorum mens sat dignis laudibus efferre potest.* Arnoldus carnotensis abbas de laudibus Mariae. *Si linguis hominum loquar et angelorum, nihil proprie de sanctae ac perpetuae Virginis Matris Christi Mariae gloria eloqui potero.* Testantur sancti evangelistae qui nihil de laudibus eius in evangelio scripserunt, ut suo silentio proderent Mariae laudem ineffabilem esse. Quare omnium laudum genera huc advocanda sunt, ut Virgo tam sancta, tam gloriosa quovis modo a nobis laudari possit. Licet enim plene eam laudare non possumus, tamen ab eius laude abstinere non debemus. Si enim *memoria iusti cum laudibus*, quanta magis memoria Virginis, per quam nobis Christus factus est iustitia?

Sancti evangelistae cur de laudibus B. Virginis nihil scripserunt.

2 Laudum quatuor genera.

Quatuor genera laudum in Scripturis sacris invenimus. 1. Silentium. *Te decet hymnus Deus in Sion*, psal. 64, 2. Vatablus, et alii ex hebraeo vertunt: *Tibi Deus silentium laus.* 2. Praeconium. *Cantate ei, et psallite ei, narrate omnia mirabilia eius*, psal. 104, 2. 3. Obsequium. *Laudate eum sol, et luna, laudate eum omnes stellae, et lumen*, psal. 148, 3. Sed quomodo laudare possunt Deum quae vocis, sensusque expertia sunt? In eo quod a suo officio, et servitio non recedunt. Servitium ipsorum laus Dei est, ait d. Hieronymus haec verba ponderans. 4. Imitatio. *Qui mihi ministrat, me sequatur*, Ioann. 12, 26. His quatuor generibus laudum praedicanda est gloriosa Deipara Virgo Maria, ut quod uni deest, altero suppleatur. Et quidem celebranda est.

3 I. *Silentio.* Silentium esse optimum genus laudis superiore tomo disc. III, par. 1, et disc. CXLIII, par. 9 luculenter ostendimus. Unde quisquis silentio Virginem celebrat, eam eximie laudat. Omni laude maior Virgo est, ut iam docuimus; quare quisquis laudibus eius imparem se confitetur, omni laude superiorem agnoscit; alias enim Dei Mater non esset, si plene laudari ab hominibus posset. Hoc genere laudis praedicarunt B. Virginem sancti evangelistae, cum de laudibus eius nihil dixerunt. Audi s. Thomam a Villanova conc. 3 de nat. B. M. Virginis: *Sancti evangelistae de eius laudibus silent, quoniam ineffabilis est eius magnitudo. Satis fuit de ea dicere: De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Hoc genere laudis eam praedicarunt patres illi, quos discursu III recensuimus, qui laudibus Virginis prorsus impares se fassi sunt. Et hoc ipsum fateri eximium genus laudis est.

4 Nec obstat quod multa eaque praeclara sancti patres de ea dixerunt, scripseruntque, et hodie omnes eam pro viribus laudant, hic lingua, iste calamo dignitatem eius praedicat. Sunt haec omnia quasi una gutta integro mari comparata. Unde quemadmodum una gutta aquae mari infusa nihil ei adiicit, et unus pulvisculus levis etiamsi in bilancem incidat, quantumvis illa solertissime vibrata sit, non tamen eam vel minimum gravat, nec in alteram partem inclinat: ita quamvis sancti patres multa in laudem Virginis dixerint, celsitudinem tamen eius, ac perfectionem nequaquam assecuti sunt.

Laus Mariae Dei laus est, ut diximus. Unde sicut Deum nemo pro dignitate laudare potest; alias enim Deus non esset, si a quopiam intellectu creato, vel sermone comprehendi posset: ita Maria digna Dei Mater non esset, si ab hominibus, vel angelis pro dignitate laudari posset. 5

Huc spectans s. Germanus patriarcha constantinopolitanus in serm. de dormitione Virginis aiebat: *Si palmo metiri terram possumus, ac funiculo mare circumscribere: si cubitis coelum continetur, et stellarum numerari copia potest: si guttae pluviae, telluriaque glebae, ventorumque impetus, atque arenae comprehenduntur, certe facile, quod in manibus est, argumentum comprehendi queat, nimirum admirandae huius Virginis perfectio.* Et petrus Comestor apud s. Antoninum 3 part. hist. tit. 18, c. 8 B. Virginis dignitatem naturae ingenio prorsus inexplicabilem esse praedicabat his versibus: 6

Si fieri posset, quot arenae, pulvis, et undae,
Undarum guttae, rosae, gemmae, lilia, flammae,
Æthera, coelicolae, nix, grando, sexus uterque
Ventorum, pennae volucrum, pecudum genus omne,
Silvarum rami, frondes, avium quoque, pennae,
Germina, ros, stellae, pisces, angues, et aristae,
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,
Linguae cuncta forent, minime depromere possent
Quae sit, vel quanta Virgo Regina Maria.
Quae tua sit pietas nec littera, nec dabit aetas.

II. *Praeconio.* Licet B. Virginem nemo satis laudare possit, nemo tamen ab eius praeconio cessare debet. Haec namque est voluntas Filii Dei, ut Matrem eius, et Dominam nostram benedicamus in omni tempore, scilicet nocte et die, in prosperis et adversis, et ut laus eius semper versetur in corde, et ore nostro de ipsa meditando, ipsam laudando, orando, benedicendo, illi gratias agendo, illius magnalia praedicando. Laus enim matris laus est filii. Quare sicut Deum benedicimus in omni tempore: ita et Matrem eius benedicere debemus omni tempore. Hoc est quod Isaias 60, 18 ait: *Occupabit... portas tuas laudatio.* LXX legunt: *Portae tuae sculptura.* Portas nostras debet occupare laudatio. Quisquis enim ad pium vitae institutum aditum sibi parat, Deum et Sanctissimam Matrem eius primo laudare addiscat. Sed cur in portis ponitur sculptura, sive laudatio sculpta? Quia nimirum laudatio nostra debet esse firma, ac diuturna, et tam alte cordi impressa, ut facile obliterari non possit, ut ex Procopio Aloysius Novarinus in Umbra virginea excursu 105 deducit. Porro quae nos vel maxime alliciant ad praeconia Virginis, abunde ostendimus tomo superiore, discursu III. 7

III. *Obsequio.* Et hoc genus laudis postremum non est. Hoc enim modo Deum laudant sol, luna, stellae, ut diximus, cum Deo obsequuntur, et ab officio suo non recedunt. Eodem modo eum laudant angeli. *Benedicite Domino omnes angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius*, psalm. 102, 20. Eodem modo laudabant eum innocentes infantes ab Herode necati, de quibus Ecclesia in collecta: *Deus cuius hodierna die praeconium innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Et sanctus Romanus martyr, de quo Petrus de Natalibus lib. 10, cap. 75 narrat, *quod sanguine proprio Dei laudes scribens christianos astantes hortabatur.* Eodem modo Deum laudant, qui corpus suum assiduis ieiuniis, disciplinis, aliisque mortificationibus sensuum, intellectus, et voluntatis Deo immolant hostiam sanctam, viventem, Deo placentem, rationale obsequium exhibent. Eundem in modum praedicanda est Deipara Virgo Maria, ut nimirum ei obsequia praestemus, ut paulo superius in expositione proxime praecedentis epitheti fuse enumerata, et dilucidata habes. 8

IV. *Imitatione.* Hoc esse optimum genus laudis, Virginem moribus exprimere, vitae sanctimoniam eam imitari, et primo se laudabilem exhibere, antequam in laudes Virginis prorumpas, superius ostendimus discursu CCXXIV. Ieiuna est quaevis lau-

datio, balbutiens omnis lingua, inutilia prorsus commendatio, quam virgineae virtutes in laudatore expressae non adornant.

10 Quare Sapiens Prov. 31, 28 Virginis laudatores describens, ait: *Surrexerunt filii eius, et beatissimam praedicaverunt.* Nihil dicitur quid in laudem eius dixerunt, quia non tam voce, aut calamo, quam moribus, et vitae sanctitate eam praedicaverunt. *Surrexerunt*, inquit, subintellige, a peccatis; qui enim digne Mariam praedicare vult, prius per poenitentiam a peccato surgere debet, ut sic vitae puritate, et sanctimonia Virginem puram, et sanctam referat. Ulterius, a peccatis surgere debet, *quia non est speciosa laus in ore peccatoris.* Item ait: *filii eius praedicaverunt eam.* Filius Mariae est, qui eam uti matrem suam vita, moribusque refert; alias degener audiet, quisquis eius moribus se non conformat. *Filii* itaque *eius*, id est, imitatores eius, *beatissimam praedicaverunt eam.* Nam non plene praedicat Virginem, qui filius eius non est, nec imitator. Sic itaque eam praedicemus, laudemus, celebremus, ut eius filii digni esse inveniamur. Amen.

DISCURSUS CCLXXIV

QUAM DULCIS QUAM UTILIS QUAM SALUTARIS SIT LAUDATIO MARIAE

1 De Maria loqui dulce.

Licet Mariae nomen *amaritudinem* portendat, cum Maria *mare amarum* significet, ut primo tomo disc. XCII monstravimus; nihil tamen suavius, nihil dulcius, nihil salubrius, quam de Maria loqui, scribere, praedicare, audire. Iesu nomen satis est dulce, satis suave, satis delectabile, ut mellifluus Bernardus serm. 15 in Cantica ait: *Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus.* Sed Mariae nomen specialem quandam suavitatem, ac dulcedinem redolet. Non auderem id affirmare, nisi haberem auctorem omni exceptione maiorem Richardum, qui lib. 1 de laudibus Virginis, cap. 2 ita ait: *Sicut nomen Iesu est mel in ore, in aure melos, in corde iubilus: sic et nomen Mariae, et etiam amplius, si dicere audeamus. Iesus causa quasi superbum nomen est, et nimium potens, nostrum humilius nomen affectus decet, ut si in Iesu aut deitatis, aut sexus virilis austeritatem aliquis vereatur, recurrat ad Mariam, in qua nihil horum est suspectum; Maria enim nomen muliebre est, mansuetudinem praeferens, et commendans. Quod si sexum verearis, pro eo quod et sibi, et aliis fuit in ruinam, virgo est.* Haec ille. Sicut itaque de Iesu loqui, scribere, audire delectat, ita et de Maria; immo magis, quia in ea nec deitas terret, nec virilis sexus, qui fere durior ac severior communiter reputatur; femineus blandior, suavior, lenior. Ab hac sententia etiam stat d. Bernardus serm. in nativit. Mariae: *Forsitan, inquit, et in Iesu maiestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, mansit tamen Deus? Advocatum habere vis, et ad ipsum? ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed et pura singularitate naturae.*

2 Laudatio Mariae quam dulcis.

Tam dulce, et suave est de Maria loqui, scribere et audire, ut nullus sit tam ingens dolor, nulla tam gravis tristitia, nulla tam aspera amaritudo, quae tam suavi locutione, vel scriptione non temperetur, non leniatur, non dulcis reddatur. In magna amaritudine erat s. Ioseph sponsus Virginis, cum carissimam suam sponsam gravidam cerneret; at unde hoc esset, aut quomodo factum fuisset, ignoraret. At ubi angelus cum eo de Maria loqui coepit: *Noli*, inquiens, *timere accipere Mariam coniugem tuam*, statim hoc verbo mentem illius erexit, animum recreavit, et omnia tristitiae nubilam depulit.

In magna tristitia fuit Magdalena virginei nominis baiula, dicta Maria, cum Iesum in monumento quaereret, nec inveniret. Videbat eum, et loquebatur cum eo, sed hortulanum putabat. At ubi Iesus nomen Mariae protulit, ubi dixit: *Maria*, statim illa conversa magistrum suum agnovit, statim ad pedes eius cucurrit. Tantum virginei nominis vel ipse sonus effecit, Magdalenam recreavit, ut statim ab ea moeror abiret, error evanesceret, veritas ei patesceret. Id ante me advertit priscus doctor Origenes homil. de Magdalena: *O mutatio*, inquit, *dexterae excelsi! Conversus est dolor magnus in gaudium magnum, mutatae sunt lacrymae doloris in lacrymas amoris, ubi Maria audivit* Maria; *praesensit in nomine quandam singularem vocationis dulcedinem, et per eam cognovit ipsum, a quo vocabatur, esse magistrum suum.* Haec ille.

3 Laudatio Mariae quibus dulcis, et quibus non.

Id tamen serio animadvertendum est, Mariae laudationem non cuilibet dulcem, et suavem esse, sed piis dumtaxat et perfectis. Quisquis enim amaritudinem peccati in corde gerit, dulcedinem huius laudationis vix sentit. Nam non est speciosa laus in ore peccatoris. Et sicut lingua felle infecta mel sentire vix sinit; ita laudantis improbitas dulcedinem laudationis aut retundit, aut inficit. Idem hic accidit, quod olim in manna, quam si quispiam impurus, vel improbus comedisset, nauseam habuit, si vero pius et iustus eam edit, omnem saporis suavitatem sensit: sic in laudibus Mariae, si purus et iustus eam laudat, dulcedine perfunditur; si vero impurus et iniustus sit, vix eius dulcedinem sentit.

4 Id experimenta didicerunt plurimi viri piissimi, et B. Virginis cultores eximii. Divum Bonaventuram cum d. Bernardo, et abbate Eckberto loquentem audimus: *O magna, o pia, o multum laudabilis Virgo Maria, tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita piae memoriae portas ingrederis.*

Idem experti sunt illi de quibus Caesarius lib. 7, cap. 50 scribit: *Iuxta Ecclesiam s. Severini in Colonia inclusus quidam* (quem communiori vocabulo eremitam dixeris) *habitabat, Marsilius nomine, in Tuscia ad s. Sebastianum quandoque episcopus. Hunc cum matronae civitatis frequentarent, et una ei confessa fuisset, quod Dominae nostrae nomen dicere non posset sine quadam mira dulcedine, de causa tantae gratiae requisita respondit: Singulis diebus in honorem eius quinquaginta* Ave Maria *cum totidem veniis dicere consuevi, per quae tantam dulcedinem merui, ut omnis oris mei saliva orationis tempore in mel videatur conversa. Quod cum audisset iam dictus inclusus, exemplo devotae feminae, vix per sex hebdomadas angelicam salutationem praefato modo, et numero compleverat, et ecce tantam dulcedinem sentire coepit in illius dulcissimae salutationis prolatione in ore et gutture, ut mellis dulcedinem longe transcenderet ipsa dulcedo. Eandem dulcedinem meruit de Ordine nostro quidam monachus exemplo illius provocatus.* Haec Caesarius.

5 Ulterius, laudatio Virginis utilis est. Quisquis enim eam digne laudat et celebrat, superis cumulatur donis, et spiritualibus gratiarum thesauris dives efficitur. Salomonem audiamus: *Surrexerunt filii eius, et beatissimam praedicaverunt.* LXX viri graece transtulerunt, *et divites facti sunt.* Ecce Virginem laudare est divitem esse. Clarius alias Sapiens Eccli. 3, 5 idem expressit: *Sicut qui thesaurizat, ita et qui honorificat matrem suam.* Haec verba ad Mariam deflexinus primo tomo, disc. III. Ipsa namque est mater nostra. Quisquis igitur eam honorificat, thesaurizat sibi vitam aeternam, ut paulo inferius dicam.

B. Gertrudi B. Virgo apparet.

Ad haec, laus Virginis utilis est, quia in hac vita cultoribus eius speciale patrocinium conciliat, et a quibusvis periculis, et interitu eos praeservat. Laus Virginis pallium quoddam est, quod Virgini exhibet quisquis eam digne celebrat. De hoc pallio Isaias 61, 3 ait: *Et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris.* Hoc pallio laudis B. Virgo eos operit, quicumque eam laudant, et ei devote serviunt. Quod ipsa b. Gertrudi in visione ostendit, cuius superius meminimus, nunc attigisse sufficiat. B. Gertrudis aegrotans, cum plura verba in laudem Virginis efferre non posset, quam haec: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum*, ea saepius repetens B. Virginem pallio aureo, et floribus mire exornato indutam conspexit, quo significabatur b. Gertrudem pallium illud Sanctissimae Virgini exhibuisse, et frequenti salutatione tam pulcre exornasse, simulque portendebatur b. Gertrudem sub pallio, hoc est, patrocinio Virginis semper futuram.

6 Avicula ad invocationem Mariae ab interitu libera.

De sua laude loquens Deus, ait: *Laude mea infraenabo te, ne intereas*, Is. 48, 9. Idem et mater suis cultoribus dicere potest; nam Mariae laus sibi devotos ab interitu revocat, quod vel in avicula monstrari potest, de qua Bernardinus de Bustis parte 12 de coronatione Mariae scribit in hunc modum: *Legitur quod quaedam devota iuvencula docuit quandam aviculam dicere.* Ave Maria; *ita quod garriendo, nihil aliud proferebat. Quadam autem die volucris rapax ipsam rapuit, et asportavit. Quae cum clamaret:* Ave Maria, *statim illic avis rapax mortua cecidit, et avicula ad gremium iuvenculae est reversa.* Ecce avicula ratione carens ad nudam Virginis salutationem ab interitu revocata est, et ad vitam rediit. Quid sperare debent homines pleno affectu Mariam laudantes? Mortis tempore tartareus volucer aderit ani-

mam rapere paratus. Quid tunc agendum? Maria est laudanda, Maria invocanda, Maria salutanda. Fugiet rapacissimus hostis, vel sola venerandi huius nominis prolatione exterritus. Terribile quippe est mortis auctori nomen Mariae, ut in epitheto sequenti videbimus. Quare s. Bonaventura in psalterio B. M. Virginis ait: *Gloriosum, et admirabile est nomen tuum; qui illud retinent, non expavescent in puncto mortis.*

7 Tandem laudatio Mariae est saluteris. Suis enim laudatoribus aeternae vitae pignus confert. Hinc apud Siracidem legitur: *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt*, Eccli. 24, 31. Filius loquitur; sed eadem verba et Matri ab Ecclesia accommodantur. Quemadmodum et illa psalmi 49, 23: *Sacrificium laudis honorificabit me; et illic*, id est, in laude mea, *iter, quo ostendam illi salutare Dei*, id est, salutem aeternam. Iter namque ad vitam aeternam sibi parat, quisquis secundum Deum Mariam digne laudat et celebrat. Igitur qui salutem quaerit, qui vitam immortalem consequi desiderat, Mariam laudet, Mariae serviat, Mariam invocet; ipsa namque est, per quam salus mundi credentibus apparuit, ut in epitheto, *Mater Salvatoris*, abunde probavimus.

8 Elias cur mortuus non est. Elias in coelum raptus legitur; ipsaque morte superior factus, nunc immortalis cuiusdam vitae speciem prae se fert, 4 Reg. 2. Et unde id obtinuit? Quia Virginis cultor eximius, et puritatis eius imitator strenuus extitit. Audiamus s. Methodium, qui hom. in festo purificat. B. M. Virginis ita ait: *Puritatis tuae, o Virgo, Elias propheta praescius, atque imitator in spiritu cum esset, vitae illius igniferae sibi coronam colligavit in hunc usque diem divino suffragio morte superior declaratus.* Ipsum Eliam Eliseus, successor eius et discipulus, in figura praemonstravit, cum in ollam exitialem cibum continentem, clamantibus iis qui comedebant: *Mors in olla, vir Dei*, salutarem farinam immisit; et ab illa olla omnem amaritudinem pepulit, ut sacra Regum historia testatur. Farina illa quam Eliseus in ollam misit, Christum praefigurabat; qui in ollam sacratissimam, Virginis uterum, immissus omnem mortis amaritudinem a cibis abegit, et medicinam salutarem mundo contulit per Virginem.

Laudationem Virginis salutiferam esse multi experti sunt, ex quibus ille nivernensis ecclesiae clericus, qui hanc regulam sanctae servitutis sibi indixerat, ut B. Dei Genitrici quotidiana per singulas horas laudum vota persolveret. Hic morbo oppressus, et iam iam moribundus gloriosam Dei Genitricem sibi adstare vidit, quae sacri uberis papillam exerens eius labiis, quibus eam laudare ac praedicare solebat, lac instillavit, et illo coelesti antidoto eum protinus sanavit; qui resumptis viribus, mox clericalibus indumentis ornatus ecclesiam adiit, seque choro psallentium fratrum laetus interserens, mirum videntibus spectaculum praebuit. Dicitur quod adhuc in labiis eius quaedam lactis illius videbantur vestigia. Petrus Damianus lib. 6 epistolarum, epist. 29. 9 Laudator Virginis eius ubera sugit, et ab infirmitate convalescit.

Et b. Dominicus s. p. n. Dominici socius, qui in omni concione laudes Virginis commemorans in hora sui transitus B. Virginem videre meruit, a qua multum recreatus feliciter cum magno iubilo obdormivit in Domino. Ferdinandus Castilius histor. s. p. Dominici part. 1, lib. 1. cap. 61. 10

Hanc igitur Virginem praedicandam totis praecordiorum affectibus amplectamur, laudemus, veneremur, praedicemus. O si mihi centum linguae essent, mille ora, aurea vox, calami innumeri, omnia haec in laudem huius Virginis converterem, et in omnem aeternitatem dedicarem. Da Virgo, da mater, da domina mea carissima, eademque optima, ut te omni ratione colam. Impetra tuis assiduis postulationibus, ut te laudem, te glorificem, te benedicam, tuas virtutes enarrem, tua mirabilia notificem, tuam exemplarem et deificam vitam praedicem, tuam perfectionem elucidem, ut tui promissi compos fiam, quo dicitur: *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt*. Amen. 11 Auctoris votum.

VIRGO POTENS

Cum mulieres vulgo habeantur pusillanimes, et metus ac infirmitas animi adeo per eas grassetur, ut Salomon quasi pro miraculo habeat mulierem fortem invenire, dicens: *Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium eius*, Prov. 31, 10. Proinde insignis Deiparae laus est a fortitudine et potentia commendari.

Summa totius epitheti. **Sane haec praecelsa Virgo est potens in Deum, et apud Deum. Ulterius, est potens in daemones, quos devicit; in idola, quae evertit: in haereses, quas interemit. Potens est, quia alios potentes facit. Haec omnia declaremus, at unde tam potens sit Virgo Deipara videamus**

DISCURSUS CCLXXV

DEIPARA VIRGO EST POTENS IN DEUM ET APUD DEUM

1 Potentia Dei quanta. Magna huius Virginis potentia monstratur ex eo, quod in Deum potens extitit. Deum, inquam, excelsum in fortitudine sua; qui, ut ait Isai. c. 40. 12: *Quis mensus est pugillo aquas, et coelos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes, et colles in statera?* Deum, in cuius conspectu gentes quasi stilla situlae, et quasi momentum staterae reputatae sunt, et insulae quasi pulvis exiguus. Coram quo omnes gentes quasi non sint, et quasi nihilum inane reputatae sunt ei, in tam potentem Maria potens extitit, cum ad efficiendam humanam salutem eum de coelo in terram traxit, cum salutaria illa verba protulit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Ingens Dei potentia enituit, cum uno verbo cuncta quae in coelo, et in terra sunt, creavit. *Dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt.* Sed maior Dei potentia in *fiat* Virginis illuxit. Ad *fiat* Dei mundus factus est. *Fiat lux, et facta est lux. Fiat firmamentum in medio aquarum*, etc. *Et factum est ita*: ad *fiat* Virginis Verbum caro factum est. Ad *fiat* Dei homo factus est in animam viventem per unionem animae cum corpore: ad *fiat* Virginis Deus factus est homo per unionem Verbi cum humanitate. Istud maius est quam illud, quia ista res est nobilior et praestantior quam illa. Quod si secundum regulam philosophi actiones a terminis specificantur, et ab eis suam nobilitatem, et perfectionem sumunt; profecto tanto nobilius est *fiat* Virginis, quam *fiat* Dei, quanto nobilior est Christi conceptio, quam mundi creatio.

Fiat Dei, et *fiat* Virginis comparantur inter se.

Ingens fuit potentia eorum, qui in coelo mire operati sunt. Moysis, qui in columna ignis et nubis populum israeliticum in desertum duxit, Exod. 13. Samuelis, qui tempore messis mugire tonitrua fecit contra naturam regionis illius, 1 Reg. 7, 10. Eliae, qui ignem de coelo super victimas advocavit, 3 Reg. 18. Et rursus eundem ignem coelestem super quinquaginta bellatores semel atque iterum descendere fecit, 4 Reg. 1. Ionathae, qui orationem intonante, ceterisque respondentibus, descendit ignis super sacrificia, 2 Machab. 1. At Virginis potentia maior, quae non ignem, vel tonitru de coelo, sed Dei Filium de sinu Patris in terram pertraxit. O Virginem potentem! 2

Hoc mihi bene insinuasse videtur sponsa in persona Mariae loquens Cant. 2, 4: *Ordinavit in me caritatem.* Pagninus ex hebraeo transfert: *Vexillum eius super me amor.* Vexillum in urbe aliqua, seu turri duplici de causa collocari solet: vel ut argumento sit illam urbem bello victam, et subactam in potestatem eius cuius vexillum erectum est: vel ut indicetur eam urbem non victam, sed aliarum victricem, et quasi principem esse. Ob utramque causam vexillum amoris in Virgine erectum dicitur; tum quia ipsa a Deo victa per amorem fuit; tum quia ipsa Deum sua pulcritudine quodammodo vicit, cum ad se amandum, immo ad se parandum per carnis assumptionem pertraxit. Et quidem quod Virgo victa adeo fuerit, non obscure indicat, cum ait: *Adiuro vos,* 3 Vexilla cur in turri collocantur. B. Virgo a Deo victa.

Digitized by Google

filiae Ierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo, Cant. 5, 8. Ecce victam se fatetur, cum se languere dicit. Languet enim telo amoris sauciata. Hinc LXX transtulerunt: *Quia vulnerata amore ego sum.* Si igitur sponsa se vulneratam confitetur, plane bellum indicat, quod vulneraverit, superaverit, subiecerit. Tunc autem eam vulneravit, quando per ostii foramen manum misit, et vitalis amoris spiculum in cor eius contorsit. *Dilectus meus*, inquit, *misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum eius*, Cant. 5, 4.

4 Rursus, B. Virgo Deum vicit: et ob id tanquam victrix vexillum amoris gestat. Sponsus ipse id fatetur Cant. 4, 8: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno crine colli tui.* LXX legunt: *Excordasti me*, hoc est, tua pulcritudine me superasti, et quodammodo prostrasti, atque ita prostrato quodammodo blande insultans, mihi cor eripuisti. Et hinc est quod sponsa sponsum cor suum appellat: *Ego dormio, et cor meum vigilat*, hoc est, sponsus, qui est cor meum, vigilat, ut rex Salomon exponit. Cum ergo sponsa suo sponso cor eripuit, seumque fecit, plane insignem victoriam de eo reportavit, cum tam opima spolia ei detraxit. Ipso enim corde quid gloriosius esse potest?

B. Virgo Deum vicit.

5 Sed elegantius est, quod sequitur: *In uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.* Quemadmodum in bello quis primo vincitur, deinde capitur, et tanquam captivus ligatur: ita sponsus primo sponsae oculo tanquam telo deiectus est, deinde tanquam captivus eiusdem crinibus ligatus. Ecce quanta est huius Virginis potentia, cuius vel uno oculorum aspectu tantus Rex victus, et uno tantum crine colli ligatus est. Desinat iam Salomon mulierem fortem quaerere, haec enim sola vere fortis est, quae regem potentissimum Messiam oculis suis capere, et aureis crinibus irretitum veluti captivum per amorem gestare, ac toti orbi instar prodigii ostentare potuit.

Potentia B. Virginis exaggeratur.

6 Praeterea potens est apud Deum, ac dicam omnipotens; siquidem eius intercessio est efficacissima; quod s. Antoninus part. 4, tit. 15, cap. 17, paragr. 4 solida ratione demonstrat, ponens discrimen inter orationem Deiparae, et aliorum sanctorum. *Oratio*, inquit, *sanctorum innititur gratiae Dei, non iuri naturali, et iustitiae evangelii. Nam filius non tantum tenetur amare matrem, sed et obedire, iuxta illud Apostoli: Filii obedite parentibus vestris, quod etiam est de iure naturae.* Et mox: *Oratio Deiparae erat nobilissimus modus orandi; tum quia habebat rationem iussionis et imperii, tum quia impossibile erat, eam non exaudiri, iuxta id quod in figura eius dixit Salomon matri suae Bethsabee*, 3 Reg. 2, 20, *cum aliquid petere vellet: Pete, inquies, mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem meam.* Quod miram Deiparae potentiam apud Filium non obscure indicat.

Intercessio B. Virginis quam sit efficax.

7 B. Teresia, mulier nostra tempestate insignis, carmelitarum discalceatorum fundatrix dicere solebat, Christum in coelis facile exaudire preces sancti Ioseph patris sui putativi, quod ipse experimento suo didicerat, quam ipsi in terris subditus fuerit, ut legitur Luc. 2: *Et erat subditus illis*, Mariae videlicet, et Ioseph. Quanto magis Virginem Matrem exaudiet, a quo tot obsequia tum in sua infantia, tum etiam toto vitae suae tempore accepit. Quantum eam honoraverit tum in coelis, tum in terris, in epitheto *Virgo veneranda* dixi.

B. Teresiae narratio.

8 Quare optime quidam theologus neotericus, sed solide doctus, aiebat, B. M. Virginem in precum efficacia non solum sanctos singulos, sed omnem etiam coelestem curiam superare. *Si cogitatione*, inquit, *fingamus Deiparam Virginem, aliquid postulare, totamque coelestem curiam illi resistere, sicut apud Danielem unus angelus alteri resistebat, potentior esset, maiorisque efficaciae, et valoris apud Deum Virginis, quam reliquorum omnium sanctorum oratio.* Suarez tom. 2, p. 3, disp. 23, sect. 2 (1).

9 Robertus Fossanus in salutationem angelicam, concione 25 in vita s. patris Dominici se legisse narrat, quod unum B. Virginis suspirium plus possit apud Filium, quam omnium sanctorum simul suffragium. Libet rem narrare ex historia s. p. n. Dominici. Cum b. p. Dominicus daemonem e corpore cuiusdam energumeni eiicere vellet, interrogavit daemonem prius, quisnam sanctorum post Christum Dominum esset in coelis, quem daemones magis formidarent, et quem homines maxime colere, diligere et glorificare deberent. Recusavit daemon huic interrogationi responsum dare, donec tandem coactus dixit: Coacti fatemur (erant enim plures) neminem nobiscum damnari, qui in Mariae cultu, et obsequio perseverat. Nam unicum suspirium ab ea, et per eam Sanctissimae Trinitati oblatum superat, et excedit omnium sanctorum preces; et magis eam nos reformidamus, quam omnes sanctos paradisi. Notum etiam sit vobis, plurimos christianos in hora mortis ipsam invocantes salvari; immo necessitate compulsi dicimus, neminem in exercitio rosarii eius perseverantem aeternos inferni subire cruciatus; ipsa enim devotis servis suis veram impetrat contritionem, quo fit, ut et peccata sua confiteantur, et eorum indulgentiam a Deo consequantur. Haec in historiis. Tanta est vis veritatis, ut etiam adversarios cogat interdum sibi testimonium dare.

Suspirium unum B. Virginis plus valet apud Deum quam omnium sanctorum preces. Sanctissimi rosarii confratres notent.

Et ideo Ecclesia frequentius, et altiori quodam modo orat ad Virginem, quam ad reliquos sanctos. In Litaniis de sanctis ter ipsam invocat, *S. Maria, S. Dei Genitrix, S. Virgo virginum.* Et sancti patres in suis orationibus impensius quam aliis divis Beatissimae Virgini se suaque omnia commendant. B. Ambrosius in fine secundae praeparationis ad missam, quae habetur tomo 5, ubi multum a Domino pro se et proximis suppliciter postulasset, Deiparae et sanctorum suffragia poscit. *Et ut efficax*, inquit, *sit haec mea deprecatio, B. M. Virginis suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti, et prima inter mulieres donum munus offerret, et nulla praeter ipsam tam carum acciperet, novum scilicet munus primum offerret, ut puerpera virgo perseveraret, ut Deum virgo pareret, et post partum virgo permaneret.* S. Gregorius nicomediensis oratione de oblatione Deiparae in fine cum multa de laudibus Virginis praeclare dixisset, sic eius potentiam extollit: *Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile, ne immensam tuam clementiam superet multitudo peccatorum. Nihil tuae resistit potentiae, nihil tuis repugnat viribus: omnia cadunt tuo iussu, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuae potestati serviunt. Te omnibus operibus suis reddit excelsiorem, qui est ex te natus.* Et infra: *Tuam enim gloriam Creator existimat esse propriam: et tanquam Filius in ea exultans, quasi exsolvens debitum implet petitiones tuas.* D. Anselmus de excellentia Virginis cap. 11: *Benignissimus Filius tuus Dominus noster Iesus Christus erit ad concedendum quicquid velis, promptissimus, et exaudibilis: tantummodo itaque velis salutem nostram.* Sanctus Bernardus in sermone de aquaeductu: *Filioli*, inquit, *haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae.* 10

Illud quoque potentiam Deiparae Virginis apud Deum, et intercessionis eius efficaciam, ac praestantiam non leviter probat, quod inter sanctos non solemus uti uno intercessore ad alium, cum omnes sint eiusdem ordinis: ad Virginem autem tanquam ad Dominam, ac Reginam alii sancti adhibentur intercessores. Unde salutationem angelicam aliis sanctis recitamus, ut eam pro nobis Virgini repraesentent. Et confirmatur id ex revelationibus s. Birgittae, libro 4, cap. 103, ubi s. Dionysius areopagita introducitur ad Virginem, sic loquens: *Regina misericordiae, tu es cui data est omnis misericordia, et Mater Dei facta es propter miserorum salutem: miserere igitur regno Franciae tuo, et meo. Tuo quidem, quia habitatores eius pro modulo suo te honorant: meo autem, quia patronus eorum sum, et in me habent fiduciam. Tu vides quantae animae periclitantur omni hora.* Et cap. 104 B. Virgo cum s. Dionysio, et aliis sanctis Christum Dominum pro eodem Franciae regno interpellat. 11

S. Dionysius pro regno Franciae B. Virginem orat.

Accedit gravis auctoritas s. Anselmi, qui tantam potentiam, et efficaciam precibus Virginis tribuit, ut dicere audeat, non semel contingere velociorem esse salutem ad invocationem nominis Mariae, quam Iesu. Verba illius dabo ex libro de excellentia Virginis, cap. 6: *Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Mariae, quam invocato nomine Iesu unici Filii sui. Et id quidem non ideo fit quod ipsa maior, et potentior eo sit: nec enim ipse magnus et potens est per eam, sed ipsa per ipsum: quia Filius eius Dominus et Iudex est omnium, discernens merita singulorum. Dum igitur ipse a quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profecto id iuste facit. Invocato autem nomine Mariae, etsi merita invocantis non merentur, ut exau-* 12

Salus quandoque velocior ad invocationem Mariae quam Iesu, et quam ob causam.

(1) Hodie est haec sententia communis inter doctores, cum eam in examen revocaverint ex proposito. Quod sequitur ex alia communi sententia, scilicet B. Virginem omnes angelos et sanctos superare etiam collective sumptos uti in dignitate, sic etiam in gratiae plenitudine, in sanctitate, in amore, et quo Deus ipsam, et ipsa diligit Deum. Vide Suarez, cuius sunt verba ab auctore citata, s. Alphonsum Mariam de Ligorio in libro coelesti doctrina referto: *le glorie di Maria*, et alios recentes theologos marianos. *Editor.*

diatur; merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur. Huius rei praeclarum typum habemus in illis duobus gemellis Iacob, et Esau. Illum mater diligebat, eo quod de venationibus eius vesceretur, Gen. 25, 27, 28. Cerneres utrumque parentem in suo quemque dilecto magis honorando contendentem. Sed utor e duobus filiis plus profecerit, Esau ne ex favore patris, an Iacob ex amore matris? Certe Iacob a matre dilectus fratrem suum Esau dilectum a patre vicit, et plus amor matris Iacobo, quam amor patris Esau profuit. Nam Iacob a matre dilectus benedictionem paternam, avitam haereditatem, cum Christo cognationem, cum Deo amicitiam, gloriam demum aeternam obtinuit; Esau vero a patre dilectus haec omnia perdidit. Si igitur mater illa filio tantum profuit; quantum putas gratiae, quantum gloriae ex affectu materno Mariae consequitur, quisquis ad eam confugit, qui suo patrocinio se committit?

13 — A B. Virgo ob precum suarum efficaciam sit potentior Christo.

At forsan obiicies: igitur Mater potentior est Filio? Neutiquam. Totum enim quod Maria habet, acceptum Filio refert. Verba Salvatoris ipsum magis declarabunt. Aiebat ille Ioan. 14, 12: *Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet.* Et sane ita factum legimus. Maiora enim miracula apostoli fecerunt, quam ipse Dominus ac Salvator. Ad umbram transeuntis Petri sanabantur aegroti, Act. 5, 14; ad umbram Salvatoris transeuntis nullum legimus sanatum languentem; nisi quod, ad tactum fimbriae vestimenti eius mulierem fluxum sanguinis patientem invenimus sanatam, Matth. 9, 22. Apostoli multa miracula patrarunt, quae non solum ad hominum beneficentiam, sed etiam ad supplicium spectabant. Petrus enim Ananiam, et Saphiram solo verbo interemit, Act. 5; Paulus Elimam magum excaecavit, Act. 13, et Corinthium incestuosum satanae tradidit, 2 Corinth. 5; Christus autem nullum, nisi beneficii loco miraculum fecit; quale est mortuos suscitare, infirmos sanare, etc. Apostoli per totum orbem miracula patrarunt, multos tum ex Iudaeis, tum ex gentilibus converterunt: Christus autem tantum in Iudaea paucos Iudaeos convertit. Apostoli variis linguis locuti sunt: Christum non nisi unica lingua locutum fuisse legimus. Igitur apostoli potentiores quam Christus? Absit. Totum enim quod apostoli habuerunt, a Christo acceperunt.

Apostoli maiora miracula fecerunt, quam Christus.

Sane, quod b. Ennodius orat. 4 b. Hieronymum extollens, dixit: *Hieronymus noster, nisi praeceptorem suum Gregorium diceret, ille melior censeretur,* hoc ego de apostolis et Christo usurpare ausim. Apostoli nisi Christum Deum suum, Magistrum suum dicerent, Christo potentiores a tota orbe censerentur: sed quia quicquid virtutis habuerunt apostoli, id totum acceptum referunt a Christo, idcirco nemo iam audebit illos praeferre Christo. Idem prorsus de Iesu, et eius Genitrice Maria dicimus. Velocior est nonnunquam salus, invocato nomine Mariae, quam nomine Iesu; non ideo tamen Maria potentior est Iesu, quia hoc totum quod Maria habet, acceptum refert a Iesu. Velocior salus a Maria, quam a Christo; quia in Maria divina pietas relucet absque iustitiae terrore: in Christo autem, utpote iudice, residet cum iustitiae rigore. Idcirco licet attrahat Christi pietas, terret tamen iudicis severitas, quae rationem exigit etiam de omni verbo otioso. Igitur mirum non est, si magis confidat reus in sola pietate, quam in eadem pietate iustitiae coniuncta. Id mihi non obscure indicarunt duo celebres doctores, Hugo de s. Victore, et mellifluus Bernardus. Hugo in sententiis ita loquitur: *Si pertimescis supplicaturus ad Deum accedere, respice ad Mariam; non illic invenis quod timeas, genus tuum vides.* Divus Bernardus in sermone de Aquaeductu ita fatur: *Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus ad folia fugiebas: Iesum tibi dedit Mediatorem,* etc. *An vero trepidas et ad ipsum, forsitan et in ipso maiestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus? Advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed et pura singularitate naturae. Nec dubius dixerim; exaudietur et ipsa pro sua reverentia. Quid enim? potestne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam? non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum plane.* Haec ille devotus.

Apostoli non fuerunt potentiores Christo, licet maiora miracula fecerint, quam Christus.

14 Ergo Virginis tam potentis auxilium imploremus, Mariae vestigia amplectamur, devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur, totis medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam veneremur; ut in cunctis necessitatibus nostris eius suffragia experiamur. Amen.

DISCURSUS CCLXXVI

DEIPARA VIRGO POTENS CONTRA DIABOLUM

Iam inde a mundi exordio versutissimus humani generis hostis contra nos pugnat, semper acies parat, et sua instruit agmina, ut nos expugnet. Potens est valde, quia *non est potestas quae aequiparetur ei super terram.* Et ubi viribus nihil efficit, ad fraudes et insidias currit. Vere terribilis est hostis iste, si nostram imbecillitatem inspiciamus; ridendus, si Mariam spectemus. Ipsa namque eum nedum devicit, sed et caput eius contrivit, divino eloquio attestante, Genes. 3, 15: *Ipsa conteret caput tuum.* Haec verba de B. Virgine exponenda esse communis patrum sententia docet. D. Cyprianus id argumento eleganti comprobat, ita fatus: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem; non dicit pono, ne ad Evam pertinere videretur; sed* ponam, *id est suscitabo mulierem, quae repudiata facilitate credendi, non solum te non audiat, sed ob ipso etiam Gabriele deferente verbum rationem, et promissorum exigat novitatem.* D. Epiphanius lib. 3 adversus haereses haeresi 78 idipsum ex eo probat, quia subiicitur: *Inter semen tuum, et semen illius.* Nusquam, inquit, reperitur semen mulieris, verum secundum aenigma de Eva, accipitur inimicitia adversus ea, quae ab ipsa gignuntur, ipsius serpentis, et diaboli qui in serpente fuit, et invidiae; proinde perfectissime non potest totum in ipsa impleri. 1

Adde, inimicitias hic promittit Deus perpetuas, et nunquam intermissas discordias, quia absolute et indefinitive ait: *Inimicitias ponam.* Inter homines autem nullus est, qui perpetuas inimicitias cum diabolo egerit; omnes enim Dei hostes, ac proinde diaboli familiares propter peccatum nascimur, et saepius vivimus. Ergo cum audis: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem,* mulierem quandam intellige, quae inimicitias istas ab initio susceptas nunquam intermiserit, nunquam inimica Dei, nunquam serva diaboli, vel eius familiaris per peccatum fuerit. Haec autem non est alia, nisi Sanctissima Virgo. 2

Ait ergo Deus: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem,* quasi diceret: Ex eo fortassis serio triumphas, o venenate serpens, quod mulierem facilem et benevolam nactus eam tibi nullo negotio subdidisti, et in ruinam impulisti: et quod caput damni est, omnes per illam feminas in similem ruinam traxisti, et totum genus humanum perdidisti. At ne putes fortasse mea consilia propterea illusa esse; suscitabo mulierem, id est, novam illam feminam adversum te ponam, non iam tibi familiarem, et benevolam, qualem expertus es, sed infensam valde tibi, et implacabilem hostem. *Inimicitias ponam,* hoc est, perpetuas, et nunquam intermissas discordias inter te et hanc mulierem, inter semen tuum et semen illius. Semen diaboli, vel peccatum intellige, cuius diabolus pater est; vel ipsos peccatores, qui propterea semen diaboli appellantur; quia amissa gratia, et adoptione filiorum Dei, in diaboli filios quodammodo vertuntur. Unde Salvator ad nonnullos huiusmodi: *Vos,* ait, *ex patre diabolo estis.* Semen vero mulieris Christus est. Cum ergo ait Deus: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius,* perinde est ac si diceret: In gloria magna ponebas pessime serpens, quod vitiata per culpam femina, et viro per feminam in ruinam acto, totum ipsius feminae semen, id est, cunctam illius progeniem simili vitio affeceras, et iam inde posthac te filios suscepturum tibi putabas. Sed secus fiet; hoc enim tibi denuntio, et indico, quod semen aliquod sanctum ex muliere sancta tandem exurget, quod cum semine tuo, id est, peccato, vel peccatoribus immortales inimicitias transiget. Et *ipse,* (ut est in graecis codicibus) hoc est Christus, vel *ipsum,* (ut nonnulli legunt) hoc est semen mulieris; vel *ipsa,* (ut Vulgata habet) hoc est mulier, *conteret caput tuum,* hoc est, machinationes tuas, dolos tuos, insidias tuas, cogitationes tuas pessimas dissipabit, et disperdet. Nam Christus in Maria, et Maria per Christum caput serpentis, hoc est, machinationes diaboli contriverunt, et dissiparunt. 3

Scio haereticos nominis mariani hostes acerrimos hic Mariae clientes calumniari, et depravationis huius loci eos accusare. Sic unus eorum ad epistolam in vigiliis assumpt. Mariae impudenter os suum in caelum ponit: *Sub papatu indocti monachi plusquam supine oscitia et negligentia ebrii, et stertentes, ne se torquere hac disputatione cogerentur, audacissime, quod de semine mulieris dicitur, depravarunt: et quod in neutro genere exprimendum erat, ipsam semen, scilicet mulieris, conteret caput*

4 — Haereticorum cavillus. Georgii maioris procacia.

serpentis, in femineum commutarunt: ipsa conteret caput serpentis. Idque postea ad stabiliendam idolomaniam de invocatione Mariae Virginis transtulerunt. Haec ille fanaticus. Idem ante effutiverunt Lutherus, Kemnitius, Heshusius, et alii.

5 Refutantur.

Sed hic insaniem suam, malitiam ac insanum furorem prodiderunt. Quos enim indoctos monachos crepant? an illis indoctus episcopus d. Ambrosius? an ebrius et stertens d. Augustinus? an supina ignorantia laborentes illustres Ecclesiae doctores, d. Chrysostomus, d. Greg. magnus, Claudius Marianus, Eucherius, venerabilis Beda, Rabanus, Strabus, Lyranus, Rupertus, d. Bernardus, qui illud Genes. ita legunt: *Ipsa conteret caput tuum?*

6 Locus *Ipsa conteret*, etc. explanatur.

Scio septuaginta interpretes legere: *Ipse conteret caput tuum*, et referre hoc pronomen *ipse* ad semen mulieris, quod in hebreo est masculini generis. Et ita legit etiam Irenaeus lib. 4 contra haereses, cap. 78, d. Cyprianus lib. 1 testim. c. 9, Petrus Chrysologus serm. 137. Scio etiam s. Leonem papam ser. 3 de nativit. Domini legere, *ipsum*; sed lectionem vulgatam, quae habet *ipsa*, non spernunt, nec damnant.

7 Ceterum quod spectat ad harum versionum diversitatem, animadvertendum est voces illas, *ipse*, *ipsa*, *ipsum*, hebraice posse iisdem litteris scribi, nempe per הוא, hoc modo הוא, ut docet lexicon Santis Pagnini, et Complutense, licet varia exigant puncta. Cum enim *ipse* scribitur, *scharek* ponitur in vau, hoc modo הוּא, et legitur *hu*. *Ipsa* vero habet *chiric* sub *he*, hoc modo הִוא, et legitur *hi*. Idque manifeste ex sacris Scripturis confirmatur. Nam Genes. 3, 12, ubi nos habemus: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, et comedi*; hebraica lectione additur: *ipsa dedit mihi*, et scribitur tribus litteris הוא. Similiter Exodi 3, 8: *Educam de terra illa*, pronomen *illa* tribus illis litteris effertur הוא. Quoniam vero puncta a recentioribus Iudaeis sunt inventa, idcirco potuit antiquitus utroque modo verti, et hinc orta translationum varietas. Verum illa est praeferenda, quam habet editio vulgata, nimirum *ipsa conteret*. Nec obstat verbum illud *conteret* hebraice esse masculini generis, et ideo referri ad semen, quod in hebraeo est masculini generis, non autem ad mulierem, quae est feminini generis. Nam in sacris litteris solent interdum pronomina et verba masculini generis coniungi nominibus femininis, ut Ruth 1, 8, et Esther 12, 5, quae quivis in textu hebraico recognoscere poterit.

8 Ad maiorem tamen huius loci explanationem addam, et illud d. Augustini lib. 12 de doctrina christiana, cap. 12, diversas interpretum translationes interdum sibi non adversari, sed sibi invicem attestari, et se mutuo exponere, ut in re proposita videmus; sive legatur *ipse*, sive *ipsum*, sive *ipsa*, in idem recidunt, cum certum sit *ipsam*, quicquid in hac serpentini capitis contritione praestitit, id totum Filii sui virtute, qui est semen eius, confecisse. Unde *ipse*, *ipsa*, *ipsum*, non se excludunt, sed mutuo includunt. *Ipse*, ais, sed natus ex Maria: *ipsum*, inquis, semen Mariae conteret caput serpentis. Ergo et ipsa, non ex seipsa; sed ex ipso videlicet semine, sive Filio, conteret caput serpentis. Sed verbum contextus magis indicat, legi debere *ipsa*, quam *ipse*, vel *ipsum*. Nam Deus inimicitias futuras praedixit inter quos? Inter serpentem et mulierem, semen mulieris et semen serpentis. *Inimicitias*, ait, *ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius*. Cuius illius? forte illius seminis? Nequaquam. Ait enim: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem*. Ergo nedum inter semen mulieris et semen serpentis, verum et inter ipsam mulierem et semen eiusdem serpentis inimicitia intercedere debuit, et re ipsa intercessit. Neque enim alterius mulieris gloria totis viribus a daemone eiusque semine, puta haereticis, et impiis, oppugnata est praeter Deiparae, ut inferius palam fiet. Neque etiam alia mulier, quae diabolum cum suo semine contriverit, ostendi potest, nisi Maria. *Cui haec servata victoria*, ait d. Bernardus in epistola ad Lugdunenses, nisi *Mariae?* Maneat igitur, caput serpentis tartarei nedum a semine mulieris, verum et ab ipsa muliere, cum ei inimica fuerit, contritum esse.

9 Et illud nullatenus silentio praetereundum est, quod doctores advertunt, quod dicitur: *Inimicitias ponam*. Non dictum esse: fraudem, astutiam, dolum ponam inter te, et mulierem, sed *inimicitias*, ut intelligas multo maiorem futuram mulieris in superando daemone potentiam, quam fuerit daemonis in vincenda muliere. Siquidem daemon per fraudem, et astutiam feminam decepit: mulier vero non per fraudem, ac dolum, sed indicto bello, inimicitiis publicatis, aperto, ut aiunt, marte congrediens daemonem superavit.

Hoc autem Maria multipliciter praestitit, ut d. Fulbertus carnotensis episcopus adnotavit. Primo, serpentis caput contrivit servando virginitatem et humilitatem; quia ex hac extinxit mentis superbiam, ex illa carnis concupiscentiam. Secundo, contrivit potentiam satanae per Christum, quem de suis castissimis visceribus protulit. Unde quicquid Christus in expugnatione satanae gessit, hoc B. M. Virgini adscribere recta ratio iubet. Ipsa namque Christo arma, hoc est humanam carnem subministravit; quibus ille tectus daemonem devicit. Nunquam enim daemon cum Christo tam libere congredi ausus fuisset, si Virgo Sanctissima carne nostra mortali eum non induisset. Quare Cantic. 4 Beata Virgo comparatur turri David, quae aedificata est cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium. Ex illa namque velut ex turri armis bene provisa Dei Filius se armavit, et ad hostem humani generis expugnandum processit. Quod regius vates in spiritu cernens decantabat ps. 92, 1: *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et praecinxit se.* Nimirum indutus est humanitatem decoram, et speciosam, ac simul fortissimam, ac potentissimam; et praecinctus est ad hostes scilicet debellandos. Et sicut, qui gladium vel arma ad alterius caedem alteri porrigit, eiusdem necis particeps esse dicitur; et sicut Eva Adamo pomum porrigendo ad humani generis perditionem est cooperata: ita et B. Virgini quae arma Christo dedit, daemonis per Christum devicti expugnatio suo modo adscribi debet. Tertio, contrivit caput serpentis, hoc est, astutiam satanae elusit, cum maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia ad nihilum deduxit. Tandem, caput satanae contrivit, quia hostem humani generis de tyrannide deturbavit, ut quem antiqua Eva in altum erexerat, is per novam Evam, scilicet Mariam deiiceretur. 10

Quomodo B. V. Maria daemonem vicit.

Turri David B. V. Maria comparata.

Ad significandam hanc Virginis potentiam in daemonem coelestis sponsus assimilabat eam equitatui populi Dei, Cant. 1, 8: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.* Equitatus Dei sunt angeli sancti, ut d. Gregorius exponit. Sicut in liberandis Israelitis de servitute aegyptiaca equitatus Dei, fortitudo nimirum sanctorum angelorum enituit in subvertendo Pharaone, et curribus eius in mari rubro: ita Deiparae fortitudo in exitu servorum Dei ex hoc mundo in terram promissionis praecipue elucet in daemonis victoria, eiusque curribus, hoc est, suggestionibus, tentationibus, aliisque peccatorum illecebris penitus demoliendis. 11

Angeli sancti sunt equitatus Dei.

Terribiles daemonibus angeli sunt, sanctique omnes, adeo ut ad eorum praesentiam contremiscant, et solo sanctorum nomine invocato, tartareae legiones terreantur, ut legimus in actis sanctorum Antonii, Hilarionis, Benedicti, et aliorum. At una Maria tantum terrorem daemonibus incutit, quantum sancti universi, immo magis; ad quod significandum, Cantic. 6, 3 castrorum aciei comparatur: *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Itane una virgo, tenera puella, forti et armatae aciei ac bene instructae confertur? Ita plane. Ipsa namque sola est ad instar numerosi exercitus, universis daemonibus formidabilis. 12

Una B. Virgo est magis terribilis daemonibus, quam omnes sancti.

Hinc collige quanta sit huius Virginis fortitudo, ut ipsa sola pro fortissimo, et numerosissimo exercitu habeatur. Illud vero non vacat mysterio, quod Spiritus sanctus non vocat eam fortem, non victricem, non triumphatricem, non eius spolia dividentem; sed terribilem instar aciei bene ordinatae, quia sicut haec non semel solo aspectu hostium turmas adversus eam venientes deterret, et fugam arripere compellit: ita B. Virgo sola aspectu adeo terribilem se malignis spiritibus exhibet, ut ab ea longo diffugiant.

Idem de ea praedicabat sponsus Cant. 7, 1: *Quid*, inquiens, *videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Ipsa enim una propter fortitudinem suam est instar copiosi exercitus ex fortissimis militibus collecti. Id ante me cogitabat s. Bernardus apud sanctum Bonaventuram in speculo Beatissimae Virginis. *Non sic*, inquit, *timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aereae potestates Mariae vocabulum, patrocinium, exemplum: fluunt, pereunt sicut cera a facie ignis, ubicumque inveniunt crebram huius nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem.* 13

Ipsum angelus in revelationibus s. Birgittae expresse asseruit, et docuit. Postquam enim de promptitudine angelorum in obsequiis Sanctissimae Virginis disseruisset, haec subiicit: *Super omnes etiam malignos spiritus ipsam sic Deus potentem effecit, ut quotiescumque ipsi aliquem hominem Virginis auxilium* 14

D. Birgittae revelationes.

ex caritate implorantem impugnaverint, ad ipsius Virginis nutum illico pavidi procul diffugiunt, volentes potius poenas suas, et miserias sibi multiplicari, quam eiusdem Virginis potentiam super se taliter dominari. Vide revel. s. Birgittae, in serm. angelico, c. 20.

15 Idem de Virginis nomine sacratissimo expresse testatur sanctus Germanus patriarcha constantinopolitanus in sermone de zona Virginis, cum Virginem sic affatur. *Tu nequissimi hostis contra servos tuos invasiones solo nominis tui invocatione sanctissima repellens tutos atque incolumes servas.*

16 Potentia B. M. Virginis contra daemones exemplis probatur. 1 exemplum in religioso.

Id exemplis corroborare libet. Primum sit. Quidam dicitur fuisse solo nomine religiosus, ad omnia quae religionem spectabant, durus et negligens. Quotidie tamen B. M. Virgini salutationem angelicam centies offerebat. Ad extrema deductus mente excessit, seque a daemonibus summo Iudici praesentari vidit; qui eum sibi adiudicari petebant. Iudex, cognitis eius sceleribus, damnandum censuit. Sed ecce, adest B. Virgo Maria, schedulas quibus singulae salutationes angelicae continebantur, proferens petit, et impetrat a Filio eius iudicium iterum agi; daemones libros peccatorum a reo commissorum adferunt. Positis igitur in libra utriusque partis tabulis, flagitia lancem suo pondere deprimebant. Id Virgo conspicata supplex Filium orat, ut unam sanguinis guttam ex virgineo utero assumptae, pro peccatoribus in passione fusam sibi dari velit. Annuit ille. Quare addita ad lancem salutationum angelicarum pretiosissimi sanguinis stilla, illius rei peccatis quasi levissima favilla praeponderavit. Confusi daemones abscessere a Virgine se victos fatentes. Ille vero ad se rediens convaluit, Virginis potentiam, atque clementiam depraedicavit, et deinceps vitam religioso nomine dignam instituit. Id narrabat Ioannes Herbart, vulgo Discipulus, in promptuario exemplorum, de miraculis B. M. Virginis c. 50.

17 2 exemplum ex s. Iustina, et s. Cypriano.

Aliud exemplum marianae potentiae in daemones in sanctissima illa martyre et virgine Iustina, quae a Cypriano quodam antiocheno magicis artibus infascinata, a daemone libidinis facibus miro exagitata, ut iuvenis cuiusdam, qui eam vehementer amabat, pravae voluntati consentiret, ad Deum recurrit, simulque Virginem Mariam supplex obsecravit, ut sibi virgini periclitanti auxilium ferret. Interim corpus ieiunio, et humicubatione, quae sunt castitatis arma, exercens; tandem ex daemone victrix Deiparae patrocinio evasit, ipsumque Cyprianum ad fidem hac occasione conversum, nobilis martyrii inclytum collegam habuit, quorum festum Ecclesia anniversario ritu die 26 septembris celebrat. Ita refert Gregorius nazianzenus. Sed mihi videtur hunc Cyprianum non fuisse episcopum carthaginensem, sed alium, ut dixi, antiochenum, cui haec vere tribuitur historia. De Cypriano enim episcopo carthaginensi et martyre nihil tale legimus, et eum fuisse magum nullibi invenimus.

18 Idipsum aperte colligitur in milite quodam apud Caesarium, lib. 2 exemplorum, cap. 12. Hic enim miles cum multas divitias a patre sibi relictas, venditas prodegisset, ob idque tristis solum vertere cogitaret, ne apud notos mendicare cogeretur, a nefario quodam suo villico daemonum consuetudini assueto nocte per quoddam nemus ad locum palustrem ad daemonem adductus, qui maiores ei divitias atque honores est pollicitus, modo Christo abrenuntiaret, quod importunis villici suasionibus invitus tamen effecit, et Christum (ut Caesarii verbis utar) ore negavit, et manu exfestucavit, atque diabolo fecit homagium. Tunc adiecit diabolus: Adhuc opus imperfectum est; abrenuntiare etiam debes Matri Altissimi; illa est enim, quae maximum nobis infert damnum, et quos Filius per iustitiam abiicit, Mater, quia nimis misericors est, ad indulgentiam reducit. Quod cum miles se facturum constanter abnueret, re infecta, ingenti tamen scelere obstrictus rediit. Verum dum revertitur, ad ecclesiam in via divertit, coram altari ad imaginem Deiparae Filium in sinu gestantis prostratus, ex intimoque corde magno fletu, et clamoribus Matrem misericordiae implorabat, quo sibi admissi sceleris veniam a Filio impetraret. Mira res! Ipso audiente, Deipara Filio haec dicebat: *O dulcissime Fili, miserere huic homini.* Puer vero, ut delicti gravitatem militi ostenderet, se aliquantulum durum exhibuit; nam faciem a Matre avertens nihil ei dicebat; cumque iterum rogaret hominem seductum asserens, Matri dorsum vertit dicens: *Homo iste me negavit, quid ei faciam?* Tum imago surrexit, puerum super altare posuit, eiusque pedibus prostrata: *Rogo,* inquit, *Fili, ut propter me dimittas ei hoc peccatum.* Mox infans Matrem elevans, ait: *Mater, nunquam tibi aliquid negare potui, ecce propter te totum dimitto.* Haec omnia cum non ipse solus, sed et alius miles, qui praedia, ac bona illius emerat, quae iste vendebat, casu eamdem ecclesiam ingressus vidisset, et audisset, unicam filiam ei in matrimonium collocavit, ac dotis nomine bona ab eo vendita tradidit, pollicitus se eum haeredem reliquorum bonorum post mortem facturum, cui iste laeto animo annuit, sicque per Deiparam et peccati veniam, et bonorum temporalium affluentiam est consecutus.

Addit Caesarius rem fuisse adeo contestatam, ut uterque miles cum haec scriberet, adhuc, ut putabat, viveret. Eamdem historiam narrat Vincentius Belluacensis lib. 7 specul. hist. capit. 105, et 106, asseritque evenisse in castello quodam Aquitaniae in ipsa nocte assumptionis Deiparae, in qua ille resipuit, et per Deiparam sui sceleris veniam est consecutus.

Multa alia huiusmodi exempla adfert Caesarius, qui libro 5, cap. 44 narrat de puella quadam quae a daemone ad fenestram solaris rapta angelicam salutationem pronuntians daemonem fugavit. Et lib. 3, cap. 13 scribit de quadam alia muliere, quae post vitam impudice actam, religionis habitu suscepto, cum a daemone visibili forma diu, noctuque, ut ad saeculum rediret, sollicitaretur, angelica salutatione recitata, ope Virginis daemonem abegit. 19

19 Salutationis angelicae vis contra daemones.

Iacobus de Varagine in conc. annuntiationis B. M. Virginis refert, quemdam 14 annis a daemone obsessum pronuntiatione angelicae salutationis ab eius potestate liberatum. 20

Iacobus de Paradiso carthusianus apud speculum exemplorum dist. 9, num. 107 scribit de quadam matrona Dei Genitrici impense addicta, cui erat filia satis dissoluta, et ob eam causam a daemone ad tartarum rapiebatur. Haec, angelica salutatione pronuntiata, mox ab eius potestate liberata est. 21

Illustre est, et multis clarissimorum scriptorum testimoniis celebratum de Theophilo exemplum, quod ne Centuriatores quidem, pestilentissimi nostrae tempestatis haeretici, et Dei Genitricis gloriae satis invidi in suis centuriis negare ausi sunt. Est autem huiusmodi: Theophilus adanensis ecclesiae oeconomus tanta sanctimoniae laude floruit, tanta munus sibi commissum integritate civiumque approbatione exercuit, ut defuncto eius urbis episcopo, munus illud sibi omnibus cleri, et civitatis sententiis, votisque delatum pertinaciter recusarit; cumque se eo loco indignum plane profiteretur, enixis precibus a Metropolitano eam dignitatem est deprecatus, oeconomique locum magnae humilitatis experimento retinuit. Accidit autem, ut invidorum calumniis paulo post ita frequenter, acriterque peteretur, ut ab episcopo oeconomi gradu deiectus, in ordinem redactus viveret. Hanc ille iniuriam iniquissime ferens diaboli instinctu se ad magum quemdam genere hebraeum contulit, opem ex eius maleficiis quaerens. Eam hic enixe pollicitus, postera nocte ad hypodromum deducit, monens ne signum crucis ulla ratione poneret. Ibi satanam magno satellitio stipatum Hebraeus precatur, ut Theophilo opem roganti ferat. Negat satanas se facturum, nisi ille Filio Mariae, et ipsi Mariae renuntiet, renuntiationemque scriptis tradat. Paret miser Theophilus iussis, renuntiationemque scriptam cera obsignatam ei tradit, seque mutuo amice sunt amplexati; tantoque scelere suscepto, tamen laetus abit domum. In sequenti luce, Deo sic permittente, Theophilum episcopus in templum publice advocatum honorifice suo loco restituit, augetque insuper novis dignitatis, ac iurisdictionis appendicibus: rogat etiam sibi agnoscat, si eo deposito, quem sanctum optimumque sciat, alium subrogaverit ineptum. Verum enim Dei benignitate, qui non vult mortem peccatoris, salutares coepissent cogitationes in miseri hominis animum irrepere, vehementissimos poenitentiae stimulos paulatim concepit. Vacabat autem ieiuniis, precibus et lacrymis, cumque hinc admissi sceleris magnitudinem ingenti cum animi cruciatu secum reputaret, atque penderet; inde vero quod Christum, eiusque Genitricem chirographo abnegasset, seque in servum satanae tradidisset, clausos omnes aditus ad veniam consequendam sibi videre videretur, unum illum, qui per Deiparam semper patet, sibi facilem esse existimabat, quamquam ad illum, dum ei quoque renuntiavit, clausisse sibi, quantum in se erat, agnosceret. Ergo ad Virginis templum ferventi corde, et magna animi alacritate confugiens ieiuniis, et assiduis diurnis, nocturnisque precibus, lacrymisque infatigabiliter quadraginta ipsos dies noctesque ad eius apud Christum patrocinium impetrandum vacavit; nec frustra. Nam post quadragesimum diem nocte media Dei Parentem corporeis oculis ad se venientem conspicatur.

22 Exemplum de Theophilo ope Dei Genitricis a daemone liberato.

Theophilus daemoni se devovet.

Theophilus poenitentiam agit.

Ad B. Virginem recurrit.

Digitized by Google

B. Virgo Theophilo apparet, eumque obiurgat.

Illa primum Theophilum acriter obiurgat, patrati sceleris acerbitatem exponit, quamque difficulter huiusmodi condonetur impietas, qua ipse Christus abnegatur, docet. Verum cum ille crimen agnosceret suum, et magnopere illud detestaretur, allatis aliorum consceleratorum exemplis, quibus tamen ad misericordiam aditus patuisset, eandem quoque misericordiam sibi suppliciter, enixeque implorabat; nam et Ninivitae (inquit) quibus subversionis dies iam denuntiata erat, per poenitentiam sunt servati: similiter et David post tot beneficia divinitus accepta in adulterium et Uriae caedem prolapsus non tantum peccatorum remissionem, verum etiam prophetiae donum iterum est consecutus. Petrus apostolorum princeps post trinam Christi negationem dominici gregis pastor efficitur. Paulus ex persecutore factus est vas electionis. Cyprianus olim magus, satanae totus addictus, per daemonum incantationes Iustinae virginis sanctissimae pudicitiam expugnare conatus, tandem ad Christum conversus cum eadem Iustina praeclaro martyrio est coronatus. Sicuti ergo hi omnes, aliique innumerabiles per poenitentiam a Filio tuo veniam adepti, nonnulli etiam dignitate aucti sunt; ego quoque miser peccator ad tuam misericordiam accedo, ut manum mihi porrigas, utque malorum quae admisi, veniam per te a Filio tuo consequar. Tum Virgo Beatissima misericordiae mater iubet fateri a se Iesum Christum esse genitum, eum esse vere Dei Filium, a quo vivi iudicandi essent, et mortui. At Theophilus post accusatam humiliter, ac demisse suorum laborum ex Christi abnegatione impuritatem; paruit tamen, quemadmodum sibi imperatum est, fideique confessionem, et eos praesertim articulos, qui ad Christi divinitatem, atque incarnationem spectant, disertis verbis pronuntiat; seque ex corde, et ore confiteri, colere, adorare ac complecti affirmat. At Virgo Beatissima se pro eo veniam a Filio impetraturam pollicita recessit, cum iam illucesceret. Neque interea quicquam ex pristinae vitae duritia perennibus lacrymis, ieiuniis, perpetuisque precibus in eodem Virginis templo humi stratus Theophilus remisit; sed Deiparae imaginem intueri non cessabat spem suae salutis expectans: cum ecce tibi nocte alia eandem peccatorum advocatam Deiparam in conspectu habuit, quae hilari vultu et laetis oculis clementiores voces illas adiunxit: Homo Dei sufficit tibi poenitentia, quam ostendisti, suscepit Deus lacrymas, et preces tuas propter me; tantum memento, rectam in Filium meum fidem ad extremum usque spiritum conservare. Ad haec Theophilus se fideliter praestiturum, quae ei pollicitus erat, respondit, adiecitque se eam omnium defensionem, atque spem secundum Deum agnoscere. Verum angebat chirographi, quo se daemoni obstrinxerat, molestissima recordatio. Itaque multis lacrymis oppletus unum hoc restare, quod a Matris Dei clementia petat: Chirographi, inquit, quo me daemoni devovi, restitutionem. Post triduum Deipara afflictorum levamen per quietem chirographum, ut erat obsignatum, ei defert. Experrectus illud supra suum pectus repositum invenit, vix seipsum prae laetitiae magnitudine capiebat. Insequenti luce, cum dies esset dominicus, ecclesiam episcopus numerosusque fidelium coetus ad sacra facienda, atque audienda convenerat. Evangelio recitato, ad episcopi pedes coram universa ecclesia procidens Theophilus factum narrat: chirographum sui sceleris testem episcopo tradit; quod etiam ut in ambone coram populo legeretur, impetravit. Erupit in Dei, Deiparaeque laudes, qui ad rei gestae narrationem obstupuerat, episcopus: iubet Theophilum e solo surgere, cuius rogatu scelerata singrapha flammis est tradita, mirante ac gestiente populo clamante: *Domine miserere.* Episcopus silentio indicto, sacrum missae officium peregit; Theophilo sacrosanctam Eucharistiam impertivit; statimque (mirum dictu!) solis instar Theophili facies palam collucere visa est toti populo, qui ex hoc ad Dei gloriam magis praedicandam mirifice accensus est. His peractis recta ex eo loco ad B. Virginis templum, in quo adeo mirabiliter e tartari faucibus ereptus erat, Theophilus se contulit. Nec mora, aegrotare confestim coepit, brevique ac salutari morbo, rebus domesticis dispositis, post triduum salutatis fratribus eodem loco assumptus animam Deo reddidit, cum inter moriendum Dei semper, Deique Matris laudes celebraret. Hoc beneficium Deiparae in Theophilum e satanae unguibus extractum multi clarissimi viri celebrarunt. In primis Eutychianus clericus, eiusdem Theophili minister, qui haec omnia partim se vidisse, partim ab ipso Theophilo accepisse testatur. Idem beneficium depraedicant Simon Metaphrastes apud Surium die 4 februarii, s. Petrus Damianus serm. 1 de nativ. Virginis, s. Bernardus tom. 2 in deprecatione ad Virginem, s. Bonaventura in Speculo B. M. Virginis, Vincentius Bellnacensis lib. 21 Spec. c. 6, s. Antoninus 3 p. summae theologicae, tit. 31, c. 4, paragr. ultimo, et multi alii. Ex his perspicuum est Deiparam Virginem potentem esse contra daemones.

Poenitentium exempla. — *Theophili confessio.* — *Theophilo B. Virgo veniam peccatorum impetrat.* — *Chirographum quo se daemoni devoverat, reddit.* — *Theophilus sancte moritur.* — *Auctores huius historiae de Theophilo.*

Quisquis igitur daemones in fugam vertere, quisquis eorum laqueos conterere, quisquis eorum vim repellere cupit, ad Mariam recurrat, Mariam invocet, Mariae patrocinio se commendet. Habet illa tantam vim, ut universas aereas potestates, et tartareas legiones sola possit in fugam vertere, prosternere, exarmare. Pugnent pro te angeli, arma sumant in tui defensionem apostolorum acies, martyrum agmina, confessorum cunei, virginum exercitus, daemoni bellum inferant universi; una Maria his omnibus robustior. Nam quia omnium sanctorum merita habet in se congesta, immo sine ulla comparatione eorum sanctitatem superat; ideo et eorum omnium vires habet in se collectas, et eius robur ac fortitudo omnium fortitudinem excellit. 23

Una Maria fortior est contra daemonem quam omnes sancti simul et cur.

Idcirco illa sola lunam sub pedibus habere describitur, Apoc. 12. Luna stultum significat iuxta illud Ecclesiastici 27, 12: *Stultus sicut luna mutatur.* Et quis est ille stultus quem B. V. Maria pedibus premit, nisi satanas? D. Bernardum in serm. super *Signum magnum* pulcherrime disserentem audi. *Unicus ille stultus, totius stultitiae princeps, qui vere mutatus ut luna, sapientiam perdidit, in decore suo sub pedibus Mariae conculcatus, et contritus miseram patitur servitutem.* 24

O quoties satanas expeteret nos, et cribraret sicut triticum, quoties peccatis nostris exigentibus draco ille immanis virus suum in nos effunderet, si Virgo potentissima Deipara Maria eius potestati non resisteret, illum non coerceret, vires illius non enervaret, potentiam non deprimeret, superbiam non calcaret. Quoties ille nos peccatorum laqueis irretitos praedam suam iam iam deglutiendam haberet, nisi illa ab eius cruentis faucibus nos eriperet. Merito de illa dici potest illud psalmi 34, 10: *Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum et pauperem a diripientibus eum.* Propterea Andreas cretensis de dormit. Virginis eam *Christianae fidei propugnaculum* appellat, et eorum qui spem in ea collocant, propugnatricem nominat. 25

Et non solum ipsa diabolum devicit, sed etiam nos vincere docuit, cum exempla sanctarum virtutum, humilitatis, patientiae, orationis, abstinentiae nobis reliquit, quibus ceu potentissimis armis eum vincere valeamus. Atque ita quod olim de Marcello Romanorum duce fortissimo dicebatur, *Marcellus Annibalem tot Romanorum cladibus insolescentem, ac vinci propemodum nescium, vinci posse docuit*, id de B. Virgine usurpari posse censeo. Illa enim prima daemonem saevissimum hostem, cuius cruentas manus nullus unquam filiorum Adam evadere poterat, posse vinci docuit, cum Salvatorem mundi genuit, qui daemonem victum ligavit, de eoque gloriose triumphum egit. Magna igitur Virginis nostrae potentia se prodit, quae hostem tam potentem, draconem tam terribilem devicit. 26

B. Virgo diabolum vincere nos docuit. — *De Marcello Romanorum duce dicterium.*

Emphasim magnam habet, (quod iam fere praeterieram) quod dicitur: *Conteret caput tuum.* Non dicit Deus, percutiet, aut vulnerabit, sed *conteret*; quod enim percutitur, aut vulneratur, interdum sanatur: quod vero conteritur, nunquam amplius reparatur. Ad insinuandum quod B. Virgo hostem infernalem adeo devicit, ut adversus eam insurgere ultra non audeat, neque si velit, possit; sed prostratus expavescat, recedat atque fugiat. 27

Est ergo quod B. Virgini gratulemur, et nobis gaudeamus, quod fortem illam mulierem quam Salomon anxie quaerebat, nos invenerimus. Celebrat Virgilius Camillam reginam Volscorum, quae ad expugnandos hostes insigni fortitudine praedita fuit. Celebrat Suidas Semiramidem Assyriorum reginam, quae in bellicarum rerum gloria adeo illustris fuit, ut mater exercituum diceretur. Celebrat Herodotus Tomyrim Massagetarum reginam, quae contra Cyrum Persarum regem bellum movit, et nedum exercitum eius delevit, sed etiam ipsum regem cepit, eiusque caput abscissum in utrem humano cruore plenum demisit, insultans ei his verbis: *Filii mei sanguinem sitivisti*, (filium enim eius occiderat) *sanguinem bibe.* Sed cum mariano robore harum mulierum fortitudo non venit comparanda. Has enim hominum copias Virgo nostra, daemonumque catervas incredibili animi fortitudine, ac invincibili robore profligavit, in quo nec similem habere visa est, nec sequentem. 28

Mulierum fortium nomina, et laudes.

Celebris fuit Cleopatrae reginae Aegypti fortitudo, quae non contenta Syriae, et Arabiae dominio, Romanorum etiam monar- 29

Digitized by Google

etiam aggredi tentavit; cuius audaciam praedicans Propertius, lib. 3 canit: *Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubin*. Scilicet ausa fuit non solum Romanorum stemmata delere, et propria ibidem substituere, verum etiam Anubim, lingua aegyptiaca *carnem*, sub cuius forma Aegyptii colebant Mercurium loco Iovis quem Romani colebant, adorandum constituere. At Mariae fortitudo longe hac superior. Siquidem loco diaboli canis infernalis, Cerberi dicti, animas hominum per peccata dilaniantis opposuit mansuetissimum agnum Christum, de quo s. Ioannes: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Opposuit, inquam, venerandum, colendum Deum, quem ex suis castissimis visceribus nobis progenuit.

30 Mulierum gloriosi triumphi. Ex quo patet, non sic olim triumphasse Esther de Aman, dum effecit, ut e patibulo suspenderetur, Esther. 7, 10. Nec strenuissimam matronam Iudith de Holoferne, quem proprio gladio iugulavit, Iudith 12, 10. Nec optimam feminam Iael de Sisara, quem terebrata utroque tempore in terra defixit, Iudic. 4, 21. Nec reginam Thebitem de rege Abimelech, quae fragmen molae de muro iaculata regis capiti illisit, Iudic. 9, 43. Nec denique sapientem illam feminam in Abela de Seba filio Bochri viro Belial, et perduellionis reo, contra suum Davidem tumultuante, cuius capite amputato, suam urbem ex illius ingressu maxime periclitantem liberavit, 2 Reg. 20, 12. Non sic, inquam, victrices illas feminas quas vel sacra, vel profana, ut vidimus, commendat historia, de suis hostibus triumphasse, ac potentissima Virgo Maria de diabolo, cuius caput contrivit, fraudes elusit, et vires confregit, gloriosissime triumphavit.

31 Est igitur quod Virgini nostrae gratulemur, et triumphum canamus cum d. Bernardo dicentes: *Tu bellatrix egregia primum eum qui primus Evam supplantavit, expugnare aggressa es. Tu et spiritum elationis Evae vertice humilitatis complosisti. Tu terribilis ut castrorum acies ordinata, quam horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt praeter morem armatura omni fortiorum instructam contra se procedere feminam, feminam fortem, ad bellum doctissimam, cuius ensis super femur suum propter timores nocturnos, in circuitu eius acies valida spiritualium virtutum suo se ordine tuentium*. O Virgo potentissima, humani generis protectrix ferventissima, auxiliatrix efficacissima nos tibi devotos tuere, ab hoste maligno eripe, in vita et in morte tuo patrocinio sublevа, ut tecum mereamur, o Domina, perfrui beatissima illius praesentia, qui ex te natus vivit et regnat cum Patre, et Spiritu sancto per infinita saeculorum saecula. Amen.

DISCURSUS CCLXXVII

DEIPARA VIRGO POTENS CONTRA DIABOLI SEMEN, HOC EST PECCATUM, EIUSQUE TENTATIONES, SUGGESTIONES AC ILLECEBRAS

1 Peccatum est semen diaboli. Peccatum esse diaboli semen, nemo est qui ignoret. Ut enim gratia, virtutes, dona, piae cogitationes, et sancta desideria sunt semina, quae Deus in mentibus hominum serit: ita peccatum, eiusque tentationes, suggestiones, occasiones, carnis illecebrae sunt semina, quae diabolus antagonista Dei perpetuae in animas hominum iacit. Hinc Christus Matth. 13, 25 eum satorem appellat: *Venit*, inquiens, *inimicus, et superseminavit zizania*. Hoc semen pessimum diabolus in cordibus hominum, et in omni operatione eorum seminat. In comestione ponit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignaviam, in convictu invidiam, in gubernatione avaritiam, in correctione iram, in praesulatu sive dominatione superbiam. In corde seminat cogitationes malas, in ore locutiones falsae, in membris operationes iniquas: in vigilando movet ad prava opera, in dormiendo ad somnia turpia: laetos movet ad dissolutionem, tristes ad desperationem. Et tam longe, lateque hoc semen maledictum in agro naturae humanae sparsit, et spargit, ut nullius sit cor tam mundum, quod aliquando hoc impuro semine commaculatum non fuerit, excepta gloriosissima Deipara Virgine, quae contra hoc diaboli semen tam potens fuit, ut nullius unquam peccati illecebram, tentationem, occasionem, fomitem senserit, sed semper ab omni concupiscentia, ab omni vitii aestu immunis, ab omni carnis insultu, seu motu penitus libera vixerit. Late hoc probavimus tomo superiori in epitheto, *Mater purissima*. Modo nonnulla addere libet.

2 Peccati omnis ex- pers B. V. Maria. Virgo potens contra peccatum quod nunquam admisit. *Deus in medio eius non commovebitur*. Cum quispiam graviter peccat, commovetur quodammodo Deus in eo, ut ab eo transeat, et per gratiam recedat. Peccavit Adam, et statim Deus dicitur deambulare *ad auram post meridiem*, Gen. 3, 8. Et quid illa deambulatio significabat? Indicabat quod per culpae illius gravitatem Deus in Adamo commotus erat, et per gratiam ab eo transibat. Sicut contra eum protomartyr Stephanus pro Christo martyrium subibat, Iesus non ambulans, sed stans ab eo visus est, Act. 7, 55, quia tunc a Stephano per gratiam non recedebat; sed in eo manens eum confortabat, et ad martyrium animabat. Hanc mihi cogitationem iniecit gravissimus doctor Ambrosius commentans psalmum 45, in quo ponderans verba praeallegata, ita ait: *Deus in medio eius non commovebitur, nec commotus est, quia nullius peccati prolapsione commotus est Dei Filius. Ubi aliquis gravius peccat, commovetur in eo Deus, ut ab eo transeat; unde et Adae peccanti deambulare visus est, et Stephano stare, quia ille in praevaricatione lapsus est, hic in martyrio coronatus*. In Maria igitur Deus commotus non est, quia per gratiam suam nunquam ab ea recessit: et hoc ideo, quia etiam ipsa a Deo nunquam abiit, nunquam per peccatum a Deo se elongavit, nunquam a prima innocentia et puritate discessit.

3 Ob eam causam puto Eccli. 24, 19 dici: *Quasi oliva speciosa in campis*. Et cur oliva speciosa potius in campis, quam in sylvis? Sylvae spinas et vepres nutriunt, inutilibus arboribus et frondium densitate obsitae radios solares non admittunt. Idcirco in sylvis praedones et latrones latitant, serpentes et scorpiones ibidem nutriuntur. Quapropter per sylvas mentes sylvestres peccatorum designantur, quae caligine vitiorum tenebrosae solem iustitiae a se excludunt, proinde fructu bonorum operum vacuae vepres, et spinas, hoc est peccata nutriunt. In eis praedones, latrones, serpentes, scorpiones, hoc est vitiorum magna multitudo invenitur, ita ut nullus possit ibi locus esse iustitiae, aut accessus sanctitati. Campus vero fecundus est apertus, soli expositus, bonos fructus et arbores fructiferas producens. Talis fuit Maria. *Oliva speciosa* non in sylvis, sed *in campis*, quia nullas unquam vitiorum umbras sensit, nullis criminum vepribus obsita fuit. Nunquam sine fructu bonorum operum; sed semper fecunda, semper aperta, solique iustitiae exposita olivam misericordiae, et pietatis cunctis mortalibus impertit, qua eos mirifice fovet, nutrit, confortat.

4 Ulterius, Virgo potens contra peccati tentationes, occasiones, illecebras, quas penitus a se abegit, et exclusit. Licet enim exterius a diabolo tentari potuit, (nam et Christus eo modo tentatus est, Matth. 4.) interius tamen nullum tentationis stimulum sensit, nullum concupiscentiae inordinatae motum habuit, adeo ut non carnea esse videretur; sed, ut ita dicam, lapidea, quod ante me docuit Guerricus abbas serm. 2 de annuntiat. *Recte*, dicens, *Maria vocatur petra, quae in amorem integritatis proposito firma, affectu solida, sensu quoque ipso adversus illecebras peccati tota insensibilis erat, et lapidea*.

5 Occurrit memoriae locus Eccli. 24, 41: *Ego quasi fluvius Dioryx*, ex vetustis exemplaribus aliqui sic legunt: *Ego quasi fluvius vorax*. Haec verba B. Virgini ipsa Ecclesia tribuit, nam optime in eam quadrant; ipsa namque gratiarum omnium fluenta, ut ita dicam, hausit, ac voravit. *Omnia charismata intrant in Mariam*, ait d. Bonaventura in speculo Virginis cap. 3, *flumen gratiae angelorum intrat in Mariam; flumen gratiae patriarcharum, ac prophetarum intrat in Mariam; flumen gratiae martyrum, confessorum, virginum, doctorum intrat in Mariam, omnia denique flumina intrant in Mariam. Sed quid mirum, si omnia gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit?* Haec d. Bonaventura.

6 Rabanus existimat eo nomine Araxem totius Persiae maximum fluvium notari, qui tanto impetu volvitur per declivia, ut praeceps eius lapsus omnia secum auferat impedimenta, puta pontes, arbores, saxa, etc. Hinc illud poetae:

Pontem indignatur Araxes.

Cum hoc fluvio Araxe Maria aptissime comparatur, nam collectis undique omnium gratiarum rivis, in quamdam immensam evasit gratiarum vim, ut omnes peccatorum illecebras, occasiones, tentamenta devinceret, demergeret ac devoraret.

7 Id praefiguratum habemus in Debbora prophetide, insigni femina, quae Sisaram ducem exercitus regis Chanaam devicit. Quam victoriam ipsa Debbora decantans, Iudic. 5, 20 ait: *De coelo dimicatum est contra eos: stellae manentes in ordine et*

Digitized by Google

cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt. Hoc B. Virgini pulcre accommodari potest. In conflictu quo illa inferorum acies perterruit, profligavit, atque prostravit, de coelo dimicatum est. Ipsa namque est coelum propter coelestes praerogativas, virtutes, dona. Ipsius animae vires sunt velut stellae virtutibus radiantes. Omnes quoque corporis sensus veluti sidera fulgentissima adversus Sisaram tartareum acerrime pugnarunt, *in ordine suo.* Nam praescriptum sibi a ratione ordinem ita servarunt, ut ne in minimo quidem ab eius rectitudine deviarent.

Pulcre sponsus Cant. 4, 1 oculos Dei Genitricis oculis columbarum assimilat. *Oculi*, ait, *tui columbarum.* Columba iuxta fluenta residens tam acuta, tamque cauta esse perhibetur, ut venientem accipitrem ex umbra praecognitum perniciter effugiat. Ita B. Virgo iuxta fluenta huius mundi manens tam prudens, tamque provida fuit, ut accipitris tartarei adventum praesentiret, ita ut nunquam per suggestiones, tentationes, aliasque peccatorum illecebras, seu occasiones, quibus eam expugnaret, ei appropinquare posset: quod alibi uberius tractavimus.

DISCURSUS CCLXXVIII

DEIPARA VIRGO POTENS CONTRA SEMEN DIABOLI, HOC EST IDOLOLATRIAM, IUDAICAM PERFIDIAM, ET CUNCTAS HAERESES

1 [Semina Dei quae, et diaboli quae.] Idololatriam, iudaismum, haereses esse semen diaboli certum est. Nam cum Deus ab initio semina quaedam virtutum in animis hominum conseruisset, quibus ad unum Deum colendum, bonum sequendum, malum vero fugiendum incitarentur; de quibus seminibus Cicero lib. 3 tusculanarum quaestionum ait: *Sunt ingeniis nostris semina innata virtutum, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret,* diabolus antagonista Dei, importunus generis humani hostis, ex adverso in animis hominum seminavit oblivionem Dei, pronitatem ad malum, ineptitudinem ad bonum. Deus legem suam in populo israelitico seminavit: diabolus tot errores, falsas religiones, tot exleges et barbaros, tot infideles, tot simulacrorum cultores, tot scelerum monstra in toto mundo sparsit. Deus per apostolos, et praedicatores semine evangelii universum mundum implevit: diabolus tot Iudaeos, tot Mahometi sectatores, tot haereticos sevit, per quos universum mundum erroribus deformavit. Atque ut ab
[Idololatria olim in mundo regnans.] idololatria incipiam. Totus pene orbis terrarum iam inde ab initio propemodum generis humani post maximum illud universae terrae diluvium fallacium daemonum fraude inductus verum unius veri Dei religionem impio multorum et falsorum deorum cultu et superstitione commutaverat. Mortuos homines primum propter merita, et beneficia accepta, ut Iovem, Martem, Mercurium, Saturnum, Plutonem, Cererem, Venerem, Dianam: deinde impios daemones ementitis miraculis, et prodigiis hominum oculis, atque mentibus sese insinuantes: postea solem, lunam, et eximia quoque Dei, et naturae opera pro diis colebant; deinde etiam muta animalibus, feris, belluis, avibus, atque serpentibus, caepis, atque alliis: ad extremum, nullum exitum inveniente insania, sculptis, fictis, pictisque humana arte simulacris divinum honorem tribuebant. His delubra lucosque dedicabant; his simulacra et sacerdotes consecrabant; his litabant, his immolabant; his festos dies epulis, choreis, plausibus, cantibus, lusibusque variis indulgentes agebant; his denique vitam suam tribuebant, salutem commendabant, et auxilia ab eis implorabant, *dicentes ligno: pater meus es tu: et lapidi: tu me genuisti,* ut Ieremias propheta 2, 27 memorat.

2 Verum has tenebras tetras et horribiles Virgo Deipara dispulit, quando de utero suo sacratissimo mundo lumen aeternum effudit, Iesum Christum Dominum nostrum, qui in Iudaea praedicans eam multis signis, miraculis, ac doctrinae evangelicae radio illustravit: deinde dimissis per universum mundum duodecim apostolis, hominibus quidem egenis, sed vitae sanctitate, et miraculorum efficacia optime instructis, genus humanum daemonum fallacia pessumdatum ab errore ad veritatem, a scelere ad innocentiam, a nequitia ad sanctimoniam, denique a falsorum deorum innumerabili multitudine, et abominandis ritibus ad unius veri Dei agnitionem, et rectam sanctamque religionem reduxit.

3 Hoc insigne opus s. Cyrillus hom. 6 in Nestorium B. M. Virgini tribuit, cum eam sic alloquitur: *Per te omnis creatura idolorum amore detenta conversa est ad cognitionem veritatis, et fideles homines ad sanctum baptisma pervenerunt, atque in orbe terrarum constructae sunt ecclesiae.* Et Euthymius orat. de zona Deiparae: *Sanctissima*, inquit, *Virgo aras contrivit idolorum, et delubra gentilium perdidit et comminuit, et cessare fecit immoderatam sanguinis effusionem.* Porro quantus sanguis humanus effundebatur in sacrificiis daemonum, paulo superius dixi. Iam ad Iudaeos, et haereticos veniamus.

Hoc semen serpentis tartarei, puta Iudaei et haeretici, iam inde ab incunabulis Ecclesiae Evae huic novae insidiari coepit, se- 4 [Iudaei Mariae hostes.]
cundum quod ab initio praedictum fuit: *Tu insidiaberis calcaneo eius.* Insidiati sunt ei Iudaei, homines non mente, sed corpore circumcisi, qui instructa acie, more legionariorum pugnantium Mariam lacessiverunt, et usque modo lacessere non desinunt, vocantes eam *Thula*, hoc est carnificinam; vel *Sono*, id est, meretricem; vel *Thmeo*, id est, sordidatam. Sed irrito conatu. Nam Mariam omnes generationes benedicunt, Mariam universi colunt ac venerantur, ad Mariam tanquam ad aram misericordiae omnes christiani recurrunt.

Postea insidiati sunt ei haeretici, qui ab initio nascentis Ec- 5 [Haereticorum B. Virginem impugnantium nomina.]
clesiae totis viribus eam oppugnarunt. Alii sophismatum globos, alii conviciorum machinas, alii blasphemiarum acervos in eam coniecerunt. Sed illa semper invicta, semper victrix extitit; ubique patrocinando, ubique opem ferendo os loquentium iniqua obstruxit.

Insurrexerunt in eam Ebion, et Cerinthus negantes eius vir- 6 [Ebion, et Cerinthus.]
ginitatem, et veram maternitatem. Sed quid effecerunt? Ut eam orthodoxi omnes virginem et matrem, virginem castissimam, matrem admirabilem praedicarent, laudarent, colerent.

Infestarunt eam Collyridiani, qui volentes in eam videri nimis 7 [Collyridiani.]
pii, deam faciebant. Quasi vero magis quid sit fictam esse deam, quam veram Dei Matrem. Sed et isti nihil profecerunt. Nam ab universa Ecclesia Maria habetur et creatura per naturam, et Deo proxima per gratiam.

Involavit in eius honorem Constantinus Copronymus impe- 8 [Constantinus Copronymus.]
rator impius, cum volebat B. Virginem solum honorandam, ac venerabilem fuisse, quamdiu intra se Christum gestavit, verum ex quo illum peperit, nihil eam a ceteris mulieribus differre. Sed fugatus est, et tantae blasphemiae poenas dedit, cum, vindice Deo, igne aestuans interno, atque desperans infelicem spiritum exhalavit. Baronius anno 775.

Lacessivit eam Nestorius, cum non Theotocon, hoc est Dei 9 [Nestorius.]
Genitricem, sed Christotocon, hoc est Christi Genitricem appellare voluit. Sed non impune, nam lingua eius blasphema a vermibus exesa, ipse tandem misere obiit. Et Deipara Virgo triumphat, quae universi orbis christiani conspiratione non solum Christotocon, verum etiam Theotocon audit.

Vexarunt eam Helvidius, Iovinianus, Apollinaris, qui vir- 10 [Helvidius, Iovinianus, Apollinaris.]
ginitatem eius immaculatam criminati sunt. Sed et isti perierunt. Et Deipara virgo ante partum, in partu, et post partum ubique praedicatur.

Aggressi sunt eam Albigenses, qui castitatem eius plusquam 11 [Albigenses.]
angelicam infami infamia violarunt. At quid sunt consecuti? Periit memoria eorum cum sonitu, et honor Dominae nostrae in aeternum permanet.

Invaserunt eam Manichaei, qui humana substantia spoliare 12 [Manichaei.]
Dominam nostram conati sunt, angelum esse dicentes, non Adami neptem. Sed quo id tentarunt successu? Ut eam orthodoxi omnes a protoplasto prognatam eiusdem naturae nobiscum fateantur.

Insidiati sunt ei nostri saeculi haeretici. Et primo cum ea 13 [Lutherus.]
praeliari aggressus est sectariorum huius temporis primipilus Lutherus, cum eam ore blasphemo, nescio cui mulierculae conferre non erubuit. Sed quid evicit? Ut nunquam magis pro honore Mariae pugnatum sit, nunquam frequentius usurpatum illud d. Chrysostomi in Liturgia: *Vere dignum, et iustum est glorificare Deiparam, et semper beatissimam, et penitus incontaminatam Matrem Dei nostri, honoratiorem cherubim, et gloriosiorem incomparabiliter seraphim, quae citra corruptionem Deum peperisti, vere Deiparam te magnificamus.*

Instruxerunt aciem in eam satanae ministri, Erasmus, Oeco- 14
lampadius, Magdeburgenses, Petrus martyr, Bucerus, Brentius, Calvinus, et alii fere innumerabiles apostatae, audacia proiecti, nequitia deterrimi, mille artibus nocendi instructissimi, et in Virginem adeo venerandam, adeo sanctam, adeo sublimem mille sagittas torserunt, mille hastas vibrarunt, mille saxa congesserunt, cum eam inauditis maledictis lacessiverunt. Sed Deipara

invulnerata mansit, et hos omnes Virgo potentissima devicit, confregit, dissiparit et in triumphum duxit.

15 Non immerito Apoc. 12, 1 lunam sub pedibus habere describitur. *Luna sub pedibus eius.* Luna est haeresis tum propter inconstantiam, quod in dies mutatur, tum propter contrarietatem ad solem, quod solem iustitiae Christum pravis dogmatibus obscurat, et obnubilat. Hanc lunam Beatissima Virgo sub pedibus habet, quia eam superat, prosternit, calcat, proterit.

16 Vincentium mos victorum colla calcare. Hic fuit antiquus ritus tractandi hostes post victoriam, pedibus cervicem vel dorsum eorum terere, seu calcare. Sic iubente Iosue coram toto populo, principes exercitus posuerunt pedes super colla quinque regum quos devicerant, Iosue 10, 24, 25. Sic Adonibezec iussit reges septuaginta sub mensa colligere ciborum suorum reliquias, Iudic. 1, 7. Hoc denotat illud psalm. 46, 4: *Subiecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris;* et psal. 17, 39: *Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos.* Et in historia Regum lib. 3, cap. 3, v. 3 dicitur, quod David non potuit aedificare domum Domino, donec daret Dominus hostes sub vestigio pedum eius; et Iudith 14, 15: *Dominus conteret eos sub pedibus vestris;* et Rom. 16, 20: *Deus pacis conteret satanam sub pedibus vestris velociter.* Hinc alii quidam tyranni, subiugatis regibus, usi leguntur dorso eorum tanquam suppedaneo scabello ad equum conscendendum, ut Sapores Persarum rex Valeriano imperatore. Trebellius in Valeriano. Et Tamerlanus rex Tartarorum Baiazete Turcarum tyranno, de quo poeta:

Qui Constantini toties perterruit urbem,
Sub Tamerlana sella, canisque fuit.

Triumphi B. M. Virginis de hostibus. Eodem modo B. V. Maria, interemptis haeresibus in universo mundo, eos pedibus supponit, calcat, proterit in signum triumphi. Quoties illa de haereticis triumphum egit? Ut omittam tropaea iam memorata. Triumphum egit de Iuliano apostata, quem per s. Mercurium martyrem occidi iussit. Triumphum egit de Arianis, cum Narseti duci contra eos pugnanti consultrix, et adiutrix fuit. Triumphum egit de Nestorio, cuius linguam qua convicia in Mariam effundebat, vermes corroserunt. Triumphum egit de Constantino Copronymo, qui febri aestuans, et elephantiasi putrescens, Mariam ultricem scelerum agnoscens, vix demum tantis malis doctus palinodiam cecinit, et honorem Virgini restituit. Triumphum egit de Leone Isauro, cuius haereticam pravitatem severissime ulta est. Triumphum egit de Albigensibus, cum Simoni Montisferrati comiti tantam virtutem largita est, ut aliquando quingenti de suis fugarent decem millia haereticorum in terra Albigensium. Quinimmo triginta de suis fugarunt tria millia aliorum, et tria millia de suis magnum regem Aragoniae plusquam cum viginti millibus haereticorum debellarunt occisum. Erantque tunc fideles saepius inermes, et tamen haereticis terribiles. Immo centum de parte comitis visi sunt ab adversariis fere totam terram cooperire ex angelorum assistentia; terrorque minimi ipsorum fidelium contra haereticos erat ut terror immanissimi, et fortissimi gigantis. Ita narrat b. Alanus in suo psalterio, c. 16.

Simonis Montisferrati comitis victoriae mirabiles.

17 Haereses quomodo B. Virgo interemit. Hinc merito Ecclesia B. Virgini saepius triumphum canit his verbis: *Gaude Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo.* Quod quidem B. Virgo multipliciter praestitit. Primo, quia generando et pariendo veritatem, qua omnis falsitas propellitur, ipsae haereses pariter interemptae sunt; vel, quia pariendo Christum Deum verum et hominem omnium haeresum mors secuta est, quia omnis haeresis vel contra divinitatem, vel contra humanitatem pugnat. Secundo, quia ipsa principem tenebrarum conculcavit, qui omnium haeresum est auctor. Tertio, quia singulari modo magistra apostolorum fuit, ut tomo superiore, disc. XCIV probavi, quorum doctrina haereses refelluntur. Quarto, quia sacram Scripturam ab haereticorum tineis conservavit, et usque modo conservat diligenter. Hinc cedro comparatur, Eccli. 24, 17: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Cedrus nunquam a carie laeditur. Hinc Plato lib. de legibus mandavit, ut in cedro leges conscriberentur. Cedrus itaque cum sit B. V. Maria, sacras litteras, hoc est legem divinam, ab haereticorum tineis defendit, satanicam arcet cariem, efficitque ut in dies magis ac magis sacra Scriptura a piis et catholicis auctoribus illustretur, et haereses confundantur, dissipentur, intereant. Quinto, haereses interemit, quia plurimae earum circa Christi incarnationem versantur, quae facile reiiciuntur ab his qui B. V. Dei Genitricem agnoscunt. Sexto, quia fidei defensoribus, et doctoribus contra haereses strenue pugnantibus singulariter auxiliatur, uti d. Gregorio thaumaturgo, cui symbolum fidei tradidit; d. Damasceno pro cultu imaginum scribenti, et ob id manu per abscissionem privato, eam abscissam restituit; s. Ildephonso pro eius perpetua virginitate contra haereticos pugnanti vestem ad sacrificandum donavit. Septimo, quia suis meritis et precibus haeresum perfidiam retundit, haereticorumque perfidiam comprimit.

Cedro cur comparata B. Virgo.

Ex quo colligere licet Virginis Deiparae potentiam, quae tot inimicissimorum hostium cuneis circumdata fuit semper, eritque sicut sol, ad quem nulla sagitta pervenit, sicut adamas, quem nullum ferrum frangit, sicut scopulus in medio mari, quem nulli fluctus loco movent.

Nunquam Virginis nostrae tantam perspexissemus potentiam, nisi a tot hostibus fuisset oppugnata. Augetur Mariae potentia, quanto magis premitur. Non minuitur persecutionibus Deiparae Virginis gloria, sed crescit. Conspirent in eam omnes tenebrarum principes et aereae potestates; coniiciant telorum acervos iudaeorum rabbini ac duces; invalent in eam haereticorum magistri, tantum abest ut Mariae nomen obscurent, gloriam pessundent, quin magis illustrent, stabiliant, confirment. Oppugnari Maria potest, expugnari non potest. 18 Potentia Mariae quanta.

Cum itaque talis sit B. Virgo, qualem modo descripsimus, est quod ei gratulemur, et nobis gaudeamus, quod habeamus post Christum potentissimam apud Deum advocatam, quae in omnibus necessitatibus nostris parata est nobis subvenire, quae diabolum capitalissimum hostem nostrum potest comprimere et propulsare, quae peccatum eiusque illecebras potuit vincere, quae idola et cunctas haereses potuit interimere in universo mundo per Christum Filium suum. Cui sit laus, honor, gloria et imperium per infinita saeculorum saecula. Amen. 19

DISCURSUS CCLXXIX

UNDE DEIPARAE VIRGINI TANTA POTENTIA

Potentem Virginem nostram esse in Deum et apud Deum, contra diabolum et semen diaboli, puta peccatum, eiusque occasiones, suggestiones, illecebras, idololatriam, iudaicam perfidiam, et cunctas haereses luculenter monstravimus. Nunc admiratio mentem subit, unde Virgini nostrae tanta potentia, cum illam eiusdem nobiscum naturae agnoscamus, non deam, sed hominem dicamus? Rem breviter expedire libet, et singula paucis enarrare et dilucidare. 1

In Deum potentem reddidit humilitas. Quis crederet humilitatem quae omnibus cedit, omnibus se facilem praebet, nulli resistit, nullum petit, tanta pollere potentia, ut Deum omnipotentem vincat? Verumtamen ita est. Maria humilitate Deum vicit, humilitate Deum de coelo in terram traxit, ad humilitatem se inclinare Dei maiestatem quodammodo coegit. Mellifluum Bernardum illa verba Cantici, *Nardus mea dedit odorem suum*, exponentem audiamus. *Quid est aliud*, inquit hic sanctus, *nardus mea dedit odorem suum, quam placuit mea humilitas? Non mea*, inquit, *sapientia, non mea nobilitas, non mea pulcritudo, quae nulla erant mihi, sed quae sola inerat humilitas, dedit odorem suum, id est solitum. Soliti placet Deo humilitas, soliti plane, atque ex consueto excelsus Dominus humilia respicit, et ideo cum esset rex in accubitu, id est, excelsa habitacula sua, illuc quoque humilitatis odor ascendit, et Regem attraxit, ac in Matris sinum inclinavit.* Descendit itaque Deus per humilitatem, in Virginis humilitate requievit, ex eius humilitate prodivit eius humilitate victus. 2 Humilitate Maria Deum vicit.

Mariae humilitas scala fuit per quam Dei Filius ad nos venit, asserente s. Augustino, qui sermone 35 de sanctis ita in laudem humilitatis exclamat: *O vere gloriosa Mariae humilitas, quae porta paradisi efficitur, scala coeli constituitur. Facta est certe humilitas Mariae scala coelestis, per quam descendit Deus ad terram. Quia respexit, inquit, humilitatem ancillae suae, et quid est dicere respexit, nisi comprobavit, placuit ei humilitas mea?* O vere beata humilitas, quae Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, coelos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, et hominum animas ab inferis liberavit. 3 Humilitas Deum in terram descendere fecit.

Humilitatem haec omnia praestitisse sacer textus evangelii non obscure indicat. Vix dixerat Maria angelo respondens: *Ecce an-* 4

Digitized by Google

cilla *Domini fiat, mihi secundum verbum tuum*, cum statim in eius utero conceptus est Dei Filius, ut communis sententia fert; ut hinc disceremus Beatam Dei Genitricem de humilitate, non de virginitate Deum concepisse. Audiatur divus Bernardus hom. 3 super *Missus est: Etsi placuit ex virginitate; de humilitate tamen concepit.* Firmat hoc b. Albertus magnus, qui serm. 6 de nativitate Domini ita fatur: *Maria non tantum pro eo quod erat mondissima; sed potius pro eo quod erat humillima, meruit concipere Filium Dei sicut per semetipsam testatur: Respexit, inquiens, humilitatem ancillae suae: non sit castitatem, licet esset castissima, sed humilitatem.* Mariae igitur humilitas Dei Filium in sinum suum attraxit, qui in Patris sinu requiescere solebat.

5 De aquila narratur quod licet in sublimi habitet, tamen ad escae concupitae conspectum se in terram demittit, Iob attestante qui ait 39, 28: *Aquila... in petris manet, et in praeruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam... et ubicumque cadaver fuerit, statim adest.* Idem de Virgine et Deo cogita. Habitabat Deus in excelsis, sed ubi Mariae humilitatem velut praedam vidit, statim advolavit, et ad modum aquilae ad escam desideratissimam cucurrit. Magna igitur Virginis potentia in eo enituit, quae humilitate Deum vicit.

Certe quod de Ninivitarum rege s. Maximus aiebat homil. de ieiuniis; *Sapiens rex hostes virtute superabat: Deum autem humilitate vincebat*, plenius Mariae congruit; ipsa enim nedum tot hostes vicit, ut iam vidimus, sed etiam ipsum Deum, qui in tantae humilitatis sinum se lubens deiecit.

Apud Deum potentem facit. 1. Quod sit Mater unigeniti Filii Dei. 2. Quod totius orbis Domina. 3. Quod Mater nostra dulcissima, atque misericordissima.

6 1. *Quod sit mater unigeniti Filii Dei.* Si iusto in terris credenti omnia sunt possibilia, sicut Veritas ipsa testatur Matth. 9, quanto potiori iure Matri Domini amplissimo fidei pignore super omnes credentes insignitae omnia sunt possibilia? Potens ergo est, ne dicam omnipotens, apud Patrem ratione Christi communis Filii. Potens apud Spiritum sanctum, cui cooperata est in incarnatione Christi. Potentissima apud Filium Dei, cuius ipsa est Mater: ipsa Regina coeli, et terrae, cum regat Regem, et regnorum victorem Deum.. Pulcre sanctus Bonaventura in speculo B. M. Virginis: *Quia*, inquit, *Dominus potentissimus tecum est: ideo et tu es potentissima secum, potentissima per ipsum, potentissima apud ipsum, ita ut vere dicere possis illud* Eccli. 24, 15: *Et in Ierusalem potestas mea.* Nam in Ierusalem, id est, ecclesia triumphante et militante potestatem habet Mater potentissima Creatoris. *Accedit ad thronum Dei non solum rogans, sed et imperans; Domina, non ancilla,* inquit s. Petrus Damianus sermone 1 de nativitate Virginis. Quomodo imperans, cardinalis sapientissime? an non imperare est superioris? ergo obedit Deus Virgini imperanti? Ita plane. Nec hoc novum putes, aut erroneum suspiceris. Nam et Iosue cum imperasset soli: *Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon. Steteruntque sol, et luna... obediente Domino voci hominis.* Ita habetur Iosue c. 10, v. 12, 13, 14. Si Iosue stationem siderum poscenti obedivit Deus, quomodo non obediat postulanti suorum salutem Mariae? quid supplicando ab Assuero humilis non obtinuit Esther? an non deprecatione sua latam mortis in Iudaeos omnes sententiam revocavit, atque abolevit? quid prudens Abigailis comitas a Davide non impetravit, adeo ut illa deprecante (tametsi alioquin iureiurando esset obstrictus) stolidae Nabalis ingratitudinis oblivisceretur? quid vero apud Filium suum non valeat Virgo nostra, si modo peccatoribus delictorum veniam et gratiam obtinere velit? Vult sane, et impetrat. Quis enim conscientiae stimulis agitatus, criminum pondere praegravatus Mariam invocans Dei auxilium non sensit? quis ebriosus, quis libidinosus, quis iracundus, quis gulosus, quis invidus, quis aliis vitiis obvolutus ad Mariam recurrens opem eius praesentem expertus non est, ut repente de ebrioso sobrius, de libidinoso castus, de iracundo mansuetus, de guloso temperans, de invido caritate ardens favore tantae Virginis fieret?

Peccatoribus patrocinatur B. Virgo.

7 2. *Quia totius orbis Domina. Fecit in te magna*, ait Petrus Damianus in serm. nativ. Mariae, *qui potens est, et data est tibi omnis potestas in coelo, et in terra.* De hac potestate fuse egimus toto superiore disc. XC.

8 3. *Quia mater nostra dulcissima, eaque misericordissima.* Christus est pater noster carissimus, Maria mater nostra dulcissima, mater pulcrae dilectionis, mater divinae gratiae, mater misericordiae, ut quotidie ab Ecclesia salutatur; quid igitur tales parentes apud Deum non obtinebunt? Hinc d. Bernardus peccatorem consolans, ita fatur: *Quid iam times peccator? an non tuto iam Deum adire potes, etsi peccatis onustus, ante te talem habens Matrem, quae pro te Filio suo supplicet, sua illi monstrans ubera, ac talem nactus mediatorem Patri sua exhibentem vulnera?*

Totidem fere verbis Arnoldus carnotensis, abbas Bonaevallis tractatu de laudibus Mariae eamdem sententiam explicans: *Filius* inquit, *ostendit Patri latus et vulnera: Filio Mater pectus et ubera. Quinque Christi vulnera sunt quasi quinque ora, vel linguae; duo ubera Mariae sunt quasi duo ora, seu linguae pro nobis Deum interpellantes: et quae possit esse repulsa, ubi tot intercedunt caritatis insignia?*

9 Idem ipsa Virgo innuit Cant. 8, 10. cum ait: *Ego murus, et ubera mea sicut turris.* Quod indicat, cum respicit Unigenitus meus ubera quae suxit, ventrem in quo requievit, sinum in quo non semel iacuit, quasi murus sum eius iacula impediens. Quamobrem non frustra catholici orationi dominicae mox subiungere consueverunt salutationem angelicam, ut per Mariae interventum suscipiat Deus orationem nostram, et praestet, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Efficax quippe est Mariae suffragium, immo imperium, ut diximus. Parentum enim postulata apud filios morigeros, qualis est Christus, quid sunt, nisi imperia?

Salutatio angelica cur subiungitur orationi dominicae.

10 Contra diabolum Virgo potens est, quia caput eius contrivit, unde ei terribilis facta est, ut supra ostendimus. Contrivit autem caput eius humilitate. *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius*, Gen. 3, 15. Cur calcaneo Virginis insidiatur tartareus serpens? Calcaneum, infima pars corporis, humilitatem significat; huic ergo daemon semper insidiatur, quia nihil ei adeo displicet in Virgine quam humilitas; ob ea enim se victum esse novit, unde eam expugnare conatur facilem sibi victoriam pollicens, si humilitatem Virginis tollere posset. At Virgo potens nunquam non humilis, semper humilitatis armis induta incedit, et ex quo semel superbiae patri bellum indixit, semper caput eius calcaneo humilitatis proterit. Ab hac sententia stat s. Fulbertus, qui in sermone de nativitate B. M. Virginis ita ait: *Si interrogetur in quo serpentis caput ipsa contrivit, nimirum in eo quod humilitatem Deo sacrificavit.*

Humilitate B. Virgo diabolum vicit.

11 Secundo, facta est potens per Christum, quem uti lapidem angularem in diabolum proiecit, et caput illius confregit. Id praefiguratum fuit in nece Abimelech, qui malis artibus principatu occupato, multos occiderat, multos occidere tentabat, sed dum turri ad quam viri mulieresque confugerant, ignem apponere nititur, *una mulier fragmen molae desuper iaciens, illisit capiti Abimelech, et confregit cerebrum eius*, Iudic. 9, 53. Ad eumdem modum, cum princeps huius mundi, puta diabolus, totum genus humanum fraudulenter sibi subiecisset, et in omnes truculenter saeviret, una mulier a tot millibus, a tot myriadibus mulierum selecta lapidem vivum, Christum, de quo Danielis 2, 45 dicitur: *abscissus est lapis sine manibus*, corripuit, et capiti diaboli illisit, caput illius confregit, eumque occidit. Et vere nunc diabolus mortuus quodammodo videtur, nam vires suas uti antea, contra nos exercere non potest.

Diabolus per Mariam occisus, et quomodo.

12 Tertio, fortem eam fecit in daemones clementia. Cum enim suam clementiam ac pietatem erga nos ostendit, vires hostis tartarei frangit, et ab eius ira et saevitia nos subducit. Quod praefiguratum habemus in illa muliere hebraea Iahel nomine, quae Sisaram ducem exercitus regis Iabin, porrecto illi lacte suo occidit, ponens supra tempus capitis clavum, quem malleo percussit, et in eius cerebrum defixit, Iudic. 4, 21. Iahel vera fuit Maria, quae principem tenebrarum lacte sopitum interemit. Et quod est illud lac Virginis? Clementia, pietas ac misericordia Virginis, quam cum nobis illa exhibet, satanico hosti necem parat. Non a me ipso id loquor, pro me loquitur Andreas Eremitanus apud Novarinum, excursu 84: *Iahel Sisaram occidit hostem populi Dei, porrecto lacte. Tu quoque inimicum nostrum tuae clementiae dulcedine suffocasti.*

Clementia Virginis diabolum fugat.

13 Contra peccatum et tentationes potentem fecit gratia divina, quae in ea primo fomitem ligavit, postea penitus sustulit, ut doctor angelicus, 3 p. q. 24, art. 3 probat (1). Subscribit s. Am-

(1) Vide quod alibi adnotavimus in primo tomo de fomite nunquam penitus existente in B. Virgine. *Editor.*

brosius serm. ultimo in psalm. 108: *Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Et s. Augustinus lib. de natura et gratia, c. 36: *Inde scimus quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere, et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

14 Caritas B. Virginis quanta. Specialiter autem contra tentationes, et peccati illecebras eam potentem reddidit ardentissima caritas et orationis fervor immensus, ut omittam alias causas, ob quas impeccabilis fuit, recensitas primo tomo, disc. CLII. De ardentissima eius caritate s. Bernardinus serm. 51, art. 3, c. 2 ita scribit: *Sicut magnus ignis effugat muscas, sic ab ardentissima Virginis mente, et inflammatissima caritate effugabantur daemones, et pellebantur in tantum, non quod solum in modico non erant ausi respicere mentem eius, sed nec de magno spatio illi propinquare.*

De oratione vero Virginis Richardus victorinus c. 26 comment. in Cant. ita narrat: *Virgo tenebrarum principi terribilis fuit, ut ad eam accedere, eamque tentare non praesumpserit. Deterrebat enim eos flamma caritatis, incendebant orationes, et fervor devotionis, stupebant immunem a peccatis.*

15 Contra idola, iudaicam perfidiam et haereses cunctas potens facta est Deipara Virgo, quia eum genuit, qui mundum vicit, idola confregit, et omnes errores sustulit. Olympiadem fortissimam feminam antiquitas indicavit, eo quod Alexandrum magnum, virum fortem et magnanimum, egregium bellatorem, multorum regnorum expugnatorem progenuit. Certe Maria fortiorem Alexandrum Christum genuit, qui non solum Graeciae imperium, et aliquot regna sibi subiugavit, sed etiam totum mundum devicit, Ioan. 16, 33: *Confidite, ego vici mundum.* Non solum daemonem fugavit: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, Ioan. 12, 31; sed etiam daemonum aras, templa, idola demolivit, errorumque tenebras dispulit: insuper ipsum infernum confregit. Osee 13, 14. *Morsus tuus ero, inferne.* O potentem bellatorem!

Alexandri magni imago. Alexandrum depicturus Apelles, pictor peritissimus, volens nedum externa corporis delineamenta, verum etiam et internas animi eius dotes in illa imagine exprimere, fulmen in manu sua tenentem depinxit; quo insinuavit, illum tantae fortitudinis fuisse, ut sicut fulmen sono et fragore suo cuncta terrarum spatia replet, et alios quosvis sonos superat, ita ut eos silere faciat: ad eundem modum Alexandri heroica gesta aliorum praeclara facinora tantum superarunt, ut eos quasi silere facerent, et absorbere viderentur. Ita scribit Valerius Pierius. Immo et Scriptura divina testatur 1 Machab. 1, 3: *Siluit terra in conspectu eius*, scilicet Alexandri. Quod est, nullius tunc, nisi Alexandri arma perstrepebant; nullius, nisi Alexandri vexilla in sublime levabantur; nullius, nisi Alexandri bellica instrumenta personabant. Hectores, Achilles, Hercules ante illum non audiebantur. Alexandri magni fortitudo bellica.

Alexandro imperante omnes hostes obmutuerunt. Ad eundem modum Christo apparente omnia idola per universum orbem terrarum conticuerunt. Olim in orbe Iupiter, Mars, Saturnus, Iuno, Venus, ceteraque huiusmodi deorum portenta resonabant, divinis honoribus colebantur. At post Christi adventum conticuerunt, nihil ex illis, nisi ridicula manserunt nomina, *periit memoria eorum cum sonitu.* Talem Alexandrum Olympias nostra B. V. Maria nobis progenuit, et ob id illa veteri longe potentior iudicanda est. Porro hanc victoriam Virgini nostrae adscribunt duo celebres doctores, nimirum s. Cyrillus, et Euthymius patriarcha constantinopolitanus, quos in discursu proxime praecedenti citavimus.

Haec igitur est Virginis nostrae potentia, quam nos digne ad- 16
mirari, et collaudare condecet. Verum ut istius potentiae effectum in nobis sentiamus, Virginem tam potentem colamus, veneremur, ac praedicemus, ei tanquam patronae ac protectrici nostrae adhaereamus. Sicut enim nemo potest laedere eum, qui ad latus imperatricis stat: ita nec satanas potest nobis nocere, si ad latus tantae dominae, coeli terrarumque reginae steterimus, humilitatem eius, caritatem, ac devotionem imitamur. Non poterit nobis nocere hostis satanicus; immo nec tangere audebit, nec propius accedere ad Mariae devotos, et strenuos virtutum eius sectatores. Da nobis Iesu bone, Fili Mariae, Matri tuae digne servire, eam totis praecordiorum medullis, totis cordium affectibus amare, colere, venerari, virtutes eius imitari, et tandem eum ea regnare, Amen.

VIRGO CLEMENS

Ordo ad praecedentia. **Recte post potentiam clementiam Virginis nostrae laudanda venit. Clementia namque, et misericordia propria est virtus potentum, puta regum, principum, imperatorum. Praeclare Iustinianus libro ultimo codicis de donationibus inter virum et uxorem: *Nihil aliud*, ait, *tam peculiare imperiali maiestati est*, *quam clementia*, *et humanitas*, *per quam solum Dei servatur imitatio*. Et Claudianus in eandem sententiam:**

.... Cum vincamur ab omni
Munere, sola deos aequat clementia nobis.

Hinc in apibus videmus, regem sine aculeo esse; voluit enim natura, nec saevum esse, nec ultionem petere: telumque detraxit, et iram eius inermem reliquit. *Exemplum hoc magnis regibus ingens est*, ait Seneca libro 1 de clementia. Virgo nostra virgo est regia, utpote summi Regis mater, sponsa, et filia; proinde clementiae plena. Certe tam benigne suis subvenire solet, tam fortiter opem ferre, ut cum illa certare videatur clementia, et potentia; nescias cui palma sit danda, et num ex aequo *potens* ac *clemens* vocari debeat. Idcirco declarata et collaudata eius potentia, merito clementia depraedicanda venit. Et primo gratia claritatis investigandam

DISCURSUS CCLXXX

AN ET QUATENUS DEIPARA VIRGO CLEMENS

1 Clementia quid. Clementia est quaedam lenitas superioris in constituendis poenis. Et provenit ex quadam dulcedine affectus, qua quis ab omni eo, quod alium contristare potest, abhorret; ideoque maxime accedere videtur ad caritatem quae est potissima virtutum, ut s. Thomas 2 2, quaest. 157, art. 3, et 4 docet.

2 Haec virtus in Deipara Virgine mundi Regina cumulatissime invenitur. Ipsa enim apud Christum pro condonandis, vel minuendis poenis, quae iuste sceleribus nostris debentur, intercedit: Dei flagella efficacissimis suis precibus vel omnino avertit, vel saltem mitigat. Hinc verba illa apud Salomonem Prov. 31, 26 de muliere forti, per quam etiam Maria intelligitur, optime Virgini nostrae accommodantur. *Lex clementiae in lingua eius.* Summa Virginis nostrae clementia est, quae non solum in avertendis poenis, vel mitigandis consistit, sed etiam in celeritate, et promptitudine. Clemens est Virgo nostra, et simul celer in benefaciendo; quod exempla demonstrant.

Vix concepit in utero Dei Filium, et statim cum festinatione in montana perrexit. *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione.* Et quis eam ad tantam festinationem coegit? Caritas ei stimulos addidit. Sciebat enim Ioannem in utero matris pec- 3 Clementiae et caritatis marianae exempla.

Digitized by Google

cati originalis vinculis teneri, et ipsam matrem gravidam solatio et servitio egere. Ut ergo Christi praesentia, quem in utero gestabat, anima Ioannis a macula peccati originalis clueretur, et ipsa matri eius inserviret, cum tanta festinatione ad domum Zachariae processit. Hanc festinationem a caritate profectam fuisse s. Bonaventura diserte fatetur in spec. Virginis lect. 4, cum ait: *Quid eam ad officium caritatis festinare cogebat, nisi caritas, quae in corde eius fervebat?*

4 Aliud exemplum idipsum probat. In Cana Galilaeae ad nuptias vocati erant apostoli cum Christo, aderat ibi et Virgo. Vinum defuit. Quis primo vini defectum advertit? quis primo precibus occurrit? Maria, quae Filium mox compellat his verbis: *Vinum non habent*, Ioan. 2, 3. Vides quam prompta sit, quam celer in benefaciendo, nullus eam interpellat, nullus orat, sponte se patronam offert, non vocata se advocatam facit, tacentibus apostolis ipsa clamat: *Vinum non habent*. Ubi notate verba, et signate mysteria. Non ait Virgo: *Vinum nobis deest*, sed *vinum non habent*, non enim vinum sibi quaerebat, quae aquam libens temperantiae amica bibisset; sed eorum qui invitaverant, honori, ac necessitati consulere volebat. Non quaerebat sibi vinum, quaerebat aliis, ut inde cognosceres Mariam tam clementem, tam piam, tam benignam esse, ut velocius occurrat, quam invocetur, et suorum vota et postulationes etiam praeveniat. Quare Ecclesia in celebri ac solemni illa antiphona, *Salve Regina*, quotidie eam salutans, et invocans, in fine canit: *O clemens*, *o pia*, *o dulcis Virgo Maria*. Recte igitur Virgini nostrae occinimus: *Virgo clemens*.

5 *Iris B. Virginem significat.* Sed quatenus, seu quomodo Deipara sit *Virgo clemens*, operosius inquirendum est. Id nobis sacra Scriptura indicavit, cum Virginem nostram sub iride, oliva, civitate refugii adumbravit. 1. De iride habemus Gen. 9, 13 verba Dei: *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me et inter terram.* Arcus iste Virgo est, quae inter foederis pacisque inter Deum et homines signum est. Iris communiter divinae misericordiae symbolum est, cum a Deo in signum foederis post diluvium hominibus data fuerit. Hinc s. Ioannes Apoc. 4, 3 vidit thronum Dei circumdatum iride, id est misericordia, ut Blasius Uviegas, Ribeira, Pererius, et alii passim locum illum exponunt. *Thronus Dei Maria.* Beatissima Virgo Maria thronus Dei est, Christus enim in eius utero per incarnationem tanquam in throno resedit, ut plenius infra in epitheto *Sedes sapientiae* exponam. Hic thronus iridis ambitu, hoc est divinae misericordiae complexu circumdatur, quia misericordiae virtus eius viscera tam intime penetravit, tamque copiose respersit, ut matrem misericordiae eam effecerit.

6 *Iridis proprietates quinque B. Virgini accommodatae.* 2. Virgo nostra iris est propter variarum virtutum formas, quibus non homines tantum, sed angelos quoque in admirationem rapit. Iris versicolor recreat, et imbrem copiosum ac varium in terram depluit. Ita Virgo nostra pusillanimes consolatur, moestos recreat, et arida peccatorum corda copioso imbre gratiarum abunde irrigat. Hinc Ioannes Geometra hymno 2 sic eam salutat:

Salve versicolor coelum, iridis instar amoenas
Virtutum formas, florigerasque ferens.

7 3. Iris cingit, et protegit nostrum hemisphaerium: ita Deipara Virgo Ecclesiam militantem suis precibus cingit, ac protegit, ut ipsa b. Birgittae libro 3 revelationum, cap. 3 narravit: *Ego sto super mundum continua oratione, sicut arcus Dei super nubem.* Unde de ea illud psalmi 59, 4 merito usurpari potest: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus; ut liberentur dilecti tui.* Dedit eam Deus tanquam signum clementiae suae ac misericordiae timentibus nomen suum, ut sub tanti signi praesidio fugerent a facie arcus, quem sive Deus ipse per labores ac supplicia, sive daemon per tentationes intenderet.

8 4. Iris sive arcus coelestis aliquas arbores, ut aspalatum, odoriferas reddit, ut Aristoteles sect. 12 problematum num. 3 testatur. Ita B. Virgo variis virtutibus, et gratiis, quas hominibus conciliat, odorem suum diffundit. Hinc optime accommodatur illi quod dicitur Eccli. 24, 20: *Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi.*

9 5. Iris tempore Noe pacis, reconciliationis, et foederis signum fuit inter Deum, et homines. Fuit iris *εἰρήνη*, id est pax, ait Ticonius. Ita Deipara Virgo olim in incarnatione Filii Dei signum fuit misericordiae divinae a Deo collatae in humani generis redemptionem, quae per Christum Virginis Filium effecta est.

Eandem quoque Virginem velati mysticam iridem respiciens Deus, precibus eius placatus, poenas quibus peccatores iuste disperdendi forent, misericorditer revocat. Id ipse apud s. Birgittam lib. 6 revelationum, cap. 26 ingenue fassus est his verbis: *Nisi preces Matris meae intervenirent, non esset spes misericordiae.* Huius rei fidem nobis abunde faciunt complures visiones, quae apud probatissimos auctores diversis aetatibus referuntur. 10 *Visiones clementiam B. Virginis erga homines probantes.*

Prima sit illa facta s. patri nostro Dominico, qua vidit Christum Dominum contra peccatores iratum, ternas lanceas in orbem terrarum vibrantem, occurrisse vero Deiparam pro peccatoribus deprecantem, et obtulisse duos servos fideles, s. Dominicum, et s. Franciscum, qui mortales ad poenitentiam revocarent, atque ita placatum esse Dominum. Apud s. Antoninum 3 p. tit. 23, cap. 3. 11 *Prima visio.*

Secunda facta cuidam religioso, qui tridui spatio extra se raptus vidit Sacram Dei Genitricem flexis genibus, et iunctis manibus Deum pro humano genere deprecantem. Cui Filius cum beneficia a se in homines collata, et eorum nequitiam commemorasset, victus tandem Matris precibus missurum se dixit praedicatores, quorum opera converterentur. Eos vero qui in sceleribus obstinato animo permanere debent, poenas daturos. Apud auctorem vitae s. Dominici, quae legitur apud Surium die 4 augusti, lib. 1, c. 12. 12 *Secunda visio.*

Tertia ostensa cuidam infantulo apud Cremonam Italiae urbem, qui in cunis iacens, pannis obstrictus, in primam loquendi vocem contra naturam os aperuit, matremque suam escam parantem fratri suo maiori, qui plorando panem petierat, a corporis curis compescuit asserens sibi visam Dei Genitricem Mariam ante tribunal Christi stantem, instantissimisque precibus pro iudicio quod mundo propter peccata sua dare intenderat, ipsi supplicantem. Et post haec dimisit eloquium usque ad aetatem humanae conditioni congruam. Apud Bzovium de signis Ecclesiae lib. 24. 13 *Tertia visio.*

Quarta monstrata alteri puero undecim annorum, qui lue sacri ignis accensus, et Suessionis urbe Galliae in ecclesiam Deiparae cum aliis centum sex eadem lue infectis introductus, ad ingressum processionis, quae fiebat pro gratiarum actione, in vocem prorupit, narravitque se vidisse Deiparam Virginem pro populo supplicantem, ut dignaretur Deus hunc morbum a populo avertere, et hoc responsum a Filio accepisse: *Mater, tu es maris stella, fiat voluntas tua.* Idem puer narravit, paulo post se moriturum, et sic evenit, unum mensem non supervixit. Acta haec anno Domini 1128 legimus apud Vincentium Bellovacensem in Spec. hist. lib. 27, cap. 4; et s. Antoninum 2 p. hist. tit. 16, c. 14, parag. 2. 14 *Quarta visio.*

Quinta facta toti populo in ecclesia quadam provinciae, in qua Caesarius Ordinis cisterciensis monachus degerat, et opus illud insigne de miraculis conscribebat, ad divina congregato, qui imaginem Dei Genitricis tam vehementer sudare conspexit, ut omnes mirarentur, et sudoris guttae matronarum peplis extergerentur. Qua de re rogatus quidam a daemone obsessus, respondit: Quid statis mirantes? Filius Mariae manum extenderat ad feriendum, quam si ipsa non tenuisset, mundus iam non subsisteret. Ecce haec est causa sudoris. Audientes omnes territi sunt. Caesarius lib. 7 miraculorum, c. 2 narrat haec gesta esse suo tempore, anno Domini 1222. 15 *Quinta visio.*

Sexta monstrata Wilhelmo monacho cisterciensi in Claravalle multis divinis revelationibus nobilitato, qui in oratione raptus, in mentis excessu ad Christi tribunal ad cuius dexteram angelus cum tuba stabat, qui iussus est a Christo clangere, cuiusque sonitu mundus totus non secus ac folia in arbore contremuit. Cumque secundo clangere iuberetur, Mater misericordiae Deipara sciens si secundo tuba angelus insonaret, mundum consummandum, ceteris cunctis tacentibus, surgens ad Christi pedes accessit, et ut sententiam differret, ac mundo parceret, obnixius oravit. At Christus mundum adeo in maligno positum dicebat, ut et laici, et ecclesiastici, tum clerici, cum monachi suis peccatis eum irritarent, ideoque sententiam differendam non esse. At Virgo Mater Sanctissima instabat, ut parceret saltem propter cistercienses sibi devotos. Caesarius lib. 12 miraculorum, c. 58 scribit haec se accepisse a duodecim abbatibus ex capitulo generali revertentibus. 16 *Sexta visio.*

Digitized by Google

17 Septima visio. Septimo revelata cuidam novitio ex Ordine praedicatorum Spoleti degenti. Hic per quietem videbatur sibi videre Christum tanquam iratum in maiestate sedentem, in alia vero sede collocatam Virginem gloriosam, quibus innumerabilis angelorum, et sanctorum multitudo aderat; cumque Christus praecepisset legi bona mundi, quae quidem inventa sunt parva, similiter et legi mala, quae prae nimia multitudine audire fastidivit, subito totum mundum tanquam pilam unam Christus iratus arripuit, eumque inferius cum impetu praiiciens dixit: *Cum iudicatur, exeat condemnatus*. Quod cum praedictus novitius tremebundus aspiceret, voce magna exclamavit, dicens: *Sancta Maria, succurre miseris*. Ad cuius vocem protinus B. Virgo surrexit, et proiectum mundum propria manu recollegit, et dixit: *Sine, Fili, mundum quem proprio sanguine redemisti, adhuc iudicare, quia iam misi praedicatores meos, ut mundum ad te revocarent*. Haec scribit sanctus Antoninus 3 parte hist. tit. 23, cap. 5, paragr. 3, ubi addit, ad vocem illius novitii terrae motum subsecutum fuisse Spoleti, ubi hanc visionem praefatus frater habuit, ita ut plurima aedificia corruerent, et homines ea nocte de civitate exirent. Fratres ad vocem novitii accurrentes, eum penitus quasi insensibilem invenerunt. Hanc visionem novitius ille magistro suo in hora mortis narravit, et in ipso novitiatu cum magno spiritus fervore animam Deo reddidit. Apud sanctum Antoninum loco citato.

18 Idem s. Antoninus 4 p. summae, tit. 15 refert admirabilem quamdam Deiparae apparitionem, qua orbi terrarum periclitanti, ac summopere laboranti subvenisse se perspicue declaravit. Cum enim anno Domini 1399 Christus Dominus propter hominum scelera universum terrarum orbem in tres partes dissectum quasi delere in animum induxisset, in cuius signum iusserat quemdam rusticum tres panes quos habebat, in fontem immergere, Virgo Sanctissima in specie cuiusdam venerabilis matronae se ostendit ad illum fontem, prohibuitque quo minus eos immergeret. Verum ille iterum ac tertio rediit ad Christum, a quo demergere illos iubebatur; tandem uno in aqua demerso, reliquos iussu Virginis reservavit, quae nimirum suis precibus Filium e suscepto consilio, sententiaque dimoverat. Mox rei totius significationem rustico aperuit, eique mandavit, ut ad Filii iram mitigandam ubique supplicationes instituerentur ab hominibus candidis lineis indutis, et ut omnes e peccatorum coeno per poenitentiam emergerent, atque ad bonam se frugem reciperent. Quod cum ille ubique evulgasset, tantus animorum consecutus est motus, tanta morum vitaeque mutatio, ut omnes mares et feminae, clerici, laici et religiosi huiusmodi supplicationes instituerent, ieiuniis et precibus per eos dies vacarent, dissidentium animi reconciliarentur, sacrae confessionis et Eucharistiae Sacramenta crebrius usurparent, et similia pietatis signa ederent. Additque s. Antoninus 3 p. hist. tit. 22, cap. 3, paragr. 22 veram fuisse visionem, quod fructus animorum ex illa consecutus, quo homines ad imminentem mortem praepararentur, declaravit. Anno enim sequenti, qui fuit 1400, pestis ubique grassata tertiam fere partem hominum absumpsisse dicitur. Haec s. Antoninus. Ex his patet B. Virginem arcum esse, seu iridem in signum pacis foederis, ac reconciliationis humanae positam.

19 Oliva symbolum misericordiae. Rursus, adumbratur B. Virgo Maria in oliva Eccli. 24, 19: *Quasi oliva speciosa in campis*. Etenim oliva pacis, ac misericordiae symbolum est, iuxta illud poetae:

Paciferaeque manu ramum praetendit olivae.

Olivae comparatur B. V. Maria. Quare prisci pacem petituri supplicum in modum cum ramis olivarum ad eos quos exorare volebant, pergere consueverant, teste Dionysio halicarnasseo libro 7. Oliva etiam in diluvio sub aquis toto anno folia non amisit; eius enim ramum columba virentibus foliis retulit in arcam, Genes. 8. Ex quo intellexit Noe misericordiae divinae insigne, quod iam diluvium removisset. Ita B. Virgo perpetuam sanctitatis viriditatem retinens est divinae misericordiae typus. Ipsa velut altera columba ramum olivae in hunc mundum intulit, quo diluvii aquae, hoc est totius perditionis poenas iam cessare toti mundo indicaret.

20 Secundo, B. Virgo olivae comparatur, quia in eius utero Rex, Sacerdos, Propheta, Christus unctus est oleo misericordiae, ex quo non potuit Mater eius oleo non manere tota perfusa.

21 Longe aliter visus fuit Christus a Ioanne, ac visus est in Virgine. Ab illo visus fuit habens ensem evaginatum in ore ad feriendum peccatores; at in Virgine visus est unctus oleo, quod misericordiae symbolum esse noscitur. Ingruente maris tempestate si oleum inter fluctus maris effundatur, confestim furorem eius mitigat, ac lenit: ita postquam Christus in uterum Virginis descendit, nostrae amaritudines ac dolores sublatae sunt. Hinc Cant. 1, 2 dicitur: *Oleum effusum nomen tuum*. Sicut enim oleum aliis liquoribus supernatat, ignem fovet, vulnera curat: ita nomen Mariae super sanctorum nomina post nomen Filii ad amorem accendit, languidos sanat, caecos illuminat, duros penetrat, fessos recreat.

Tertio, Virgo nostra dicitur oliva, quia alii sancti sunt oleum. Quinque illae prudentes virgines quae acceperunt oleum in vasis cum lampadibus, sanctos significant, qui oleum misericordiae in vasis suis, hoc est cordibus acceperunt, ut venienti sponso, id est Christo, et sponsae, hoc est Ecclesiae, cum lampadibus, hoc est ardenti caritate occurrerent. Sed Virgo nostra misericordiae oleo ita abundat, ut ipsa arbori olivae comparetur, quae ubertatem olei semper ex ea manantis indicat. D. Bernard. in serm. de aquaeductu: *Deus*, inquit, *totius boni plenitudinem posuit in Maria; ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare*. Et serm. super *Signum magnum* ait: *De eius plenitudine accipiunt universi, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, angeli laetitiam.* 22

Cum igitur habeamus Virginem tam clementem, tam piam, tamque benignam matrem, eam devoto cordis affectu imploremus; ad eam in cunctis periculis, pressuris ac necessitatibus nostris confugiamus; ipsius tutelam praesidium flagitemus; eam in nostram advocatam devotissime suscipiamus, et secure negotium salutis nostrae ei committamus. Excelsa est, fateor, digna, et ultro quam dici potest, sancta; sed quanto altior, dignior, sanctior est omni matre, tanto clementior et dulcior ergo universos peccatores, et peccatrices. Ponamus igitur corda nostra in virtute eius, inveniemus eam matre carnali promptiorem, et in amore erga nos ferventiorem. Amen. 23

DISCURSUS CCLXXXI

QUANTA SIT DEIPARAE VIRGINIS CLEMENTIA ET QUOMODO IMPLORANDA

Magnitudinem clementiae, et misericordiae Virginis nostrae ut percipias, ad modum corporeae magnitudinis cum d. Bernardo eam metire, nimirum iuxta quatuor dimensiones quantitatis, videlicet longitudinem, latitudinem, altitudinem, et profunditatem. *Longitudo*, inquit d. Bernardus, *est usque ad novissimam diem invocantibus eam*. Revolve tempora praeterita, nullum reperies saeculum, annum, mensem, diem, horam, immo et momentum, in quo non extent Virginis Matris beneficia, quae ex eius in nos amore velut ex perenni fonte promanant. *Latitudo*, inquit idem d. Bernardus, *replet orbem terrarum*. Nam si beneficiorum multitudinem consideremus, nullum erit vel corporeum, vel spirituale, quod acceptum illi referri non debeat. In corporalibus, puerperas iuvat, steriles fecundat, morbos sanat, vulnera curat, fami et inopiae providet, ex carceribus vinctos educit, in periculis protegit, victorias triumphosque parat. Quis, quaeso, in hoc miseriarum oceano e calamitatum fluctibus incolumis evadit? quis e latronum manibus tam in terra, quam in mari positus, intactus manet? quis merces ex alieno litore ad portum secure transfert? quis victoriam aliquam de hostibus reportat, qui non plurimum se debere omnium protectrici Virgini Mariae fateatur? quis e montis supercilio praeceps actus, quis e turri praecipitatus, quis e fenestra proiectus, quis rebus omnibus spoliatus, circumventus, obsessus, falso delatus, ope Deiparae Virginis implorata, inconcussus non evasit, fortunas non recepit, adversarios non subegit? quis iure, sive iniuria carceribus mancipatus, compedibus vinctus, ad triremes, metalla vel catabulum damnatus, Mariam invocans eius clementiam non sensit? quis luminibus orbatus, aliqua gravi aegritudine correptus, vel pestilentia ictus, vel ab hostibus captus, ad Mariam devote recurrens, lumen non recepit, sanitati restitutus, a pestilentia servatus, ab hostibus liberatus non est? In spiritualibus quoque multa beneficia praestat. Baptismum procurat; ad Sacramentorum dignum usum hortatur; ad dignam confessionem, et poenitentiam manu ducit; sanctissimam Eucharistiam rite ac salubriter sumere facit; religiosas familias in Dei

1 Longitudo clementiae B. Virginis.

Latitudo.

Beneficia corporalia ope B. Virginis obtenta.

Beneficia spiritualia ope B. Virginis obtenta.

Digitized by Google

Ecclesiam intromittit; natura hebetes ingeniis, et scientiis donat; in castitatis pugna iuvat; in desperatione succurrit; amissos honores reddit; depravatos mores corrigit; salutem nostram variis modis procurat; peccatores convertit; conscientias eorum serenat; morientibus praesto adest; periculo damnationis expositis patrocinatur; ad beatitudinem viam munit. Quis conscientiae stimulis miserrimum in modum agitatus, quis in dubiis anxius, quis criminum pondere praegravatus, ad tam clementem patronam recurrens consolationem non habuit? quis antea superbus, avarus, gulosus, iracundus, invidus, crudelis, lascivus patrocinio tam benignae Virginis confidens repente humilis, liberalis, temperans, mansuetus, benevolus, mitis, castus non evasit? Testantur id luculenter varia tum nova, tum vetera monumenta omnis generis scripta, ubique erectae pyramides, colossi, cippi, tabulae, tum quae Loreti in Italia, ad montem Serratum in Hispania, apud Cestochoviam, Socalium, Lesayscum, Scape, Sciepium oppida, apud Villam Gallie in Polonia, apud Trochos in Lithuania, apud Hallas in Belgio, et alibi passim appensae cernuntur.

2 Altitudo. Altitudo clementiae Virginis non se terrae limitibus detineri patitur, in coelorum usque fastigium penetrat; ibi angelos laetificat, beatos recreat, Sanctissimae Trinitatis gloriam decorat. *Per hanc*, inquit s. Petrus Damian. ser. 3 de nat. B. Virginis, *non solum amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo angelicae sublimitatis augetur.* S. Anselm. lib. de excell. Virg. c. 8: *Omnia*, inquit, *quae in coelo sunt, per glorificationem tuam inaestimabiliter decorantur.*

3 Profunditas. Profunditas misericordiae Virginis in infernum usque descendit. Animabus illis, quae Purgatorii flammis torquentur, opem et refrigerium fert; et licet omnes soletur, eas tamen praecipue protegit, quae in hac vita eius obsequio, aut cultui addictae fuerunt; quod copiosius infra in expositione epitheti *Consolatrix afflictorum* dilucidabo. Illis vero, quae gehennales flammas meruerunt, opem fert, ut illas evadant, impetrata eis apud Filium gratia resipiscendi, et peccatorum venia. Insuper rugientium inferni leonum, et daemonum immanissimam rabiem, vires, et in nostram perniciem conatus elidit, et superat.

4 Non immerito Eccli. 24, 19 olivae speciosae, quae est in campis, assimilatur. *Quasi oliva speciosa in campis*, non in hortis, aut sylvis, sed in *campis*. Et cur in campis? Quia omnibus iustis, et peccatoribus ad eam accedentibus, ac de eius clementia gustare volentibus omni tempore, ac loco, ac pro omni necessitate est exposita. Tum etiam quia nobis viatoribus, tentationum aestu tanquam solis ardore afflictis, in campis apertis, ubi similes arbores desunt, optatum suo patrocinio velut umbraculo praestat refrigerium. Christus quoque Cant. 2, 1, *Flos campi*, dicitur; Deipara enim veluti campus absque colono, hoc est sine viri opere eum genuit, et omnibus accedentibus eum proponit. Propterea s. Ephrem ser. de laud. Virginis eam vocat, *Rubum ardentem, incombustum, et praedium patens;* quoniam Virgo fuit semper, et est omnibus ad eam necessitatum suarum causa humiliter accedentibus patens semper et aperta.

5 Nec obstat eius dignitas, ac sublimis maiestas, qua exaltata super omnes choros angelorum, quominus preces nostras audiat. Ipsa enim s. Birgittae revelare dignata est, ut in lib. Revelationum eius legimus. *Eadem*, inquit, *humilitas est nunc in Filio meo in potentia deitatis suae, sicut tunc fuit quando reclinabatur in praesepio, iacens inter duo animalia; licet omnia sciret secundum deitatem, nihil tamen loquebatur secundum humanitatem. Sic etiam nunc sedens ad dexteram Patris audit omnes loquentes ad eum cum caritate, et respondet per infusiones sancti Spiritus quibusdam verbis, et cogitationibus, quibusdam quasi ore ad os loquitur, sicut ei placet. Similiter ego quae sum mater eius, ita humilis sum nunc in corpore meo super omnia, quae creata sunt, exaltata, sicut tunc fui quando Ioseph desponsata eram.* Et infra ad calcem capitis: *Sicut ego humilis fui cognita soli Deo et Ioseph, sic etiam nunc sum humilis, sedens in sublimissimo throno, parata praesentare Deo omnium orationes rationabiles; sed aliquibus respondeo per divinas infusiones, aliquibus autem loquor secretius, sicut placitum est Deo.* Hactenus B. V. Maria.

6 Sole amicta B. Virgo. Non sine mysterio Apoc. 12, 1 sole amicta describitur: *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius.* Sol enim in omnia inferiora adeo munificus est, ut omnibus beneficia sua impertiat: atque adeo totum orbem circuit, ne aliquid eius vivifica vi destituatur; hinc psalm. 18, 7 dicitur: *Nec est qui se abscondat a calore eius.* Ad eundem modum Deipara Virgo in omnes munifica est, omnibus beneficia sua impertit, tam late clementiae suae radios diffundit, ut nullus sit tam longe dissitus, qui ab illis non feriatur, qui *ab eius calore*, hoc est caritate, et dilectione *se abscondat.*

7 Et hoc non leviter pertranseundum, sed attenta consideratione pensandum, quod dicitur, *amicta sole.* Plerique sanctorum solem vel manu deferunt, vel in pectore dumtaxat expressum gestant. Virgo nostra ab omni parte sole vestita dicitur; nam beneficentia eius in omnes se diffundit, non solum in bonos, sed et in malos; non solum in fideles, sed et in infideles, et paganos.

Turcis etiam et Iudaeis B. Virgo opem fert.

Legimus Turcas, Iudaeos, aliosque Barbaros opem illius sensisse. Sensit Corcutus Turcarum Pascià, qui gravi occultoque pectoris apostemate pressus, et iam fere animam agens, suasu cuiusdam christiani, Deiparae Virgini Lauretanae salutem suam commendans eam obtinuit. Horatius Tursellinus lib. de domo Lauretana.

Corcutus Turcarum Pascià ope B. Virginis convalescit.

Sensit Iudaeus, qui ex perpetuis carceribus auxilio eiusdem Virginis liberatus est, ut annales domus Lauretanae testantur.

Iudaeus ope B. Virginis sanatus.

Senserunt Saraceni, qui ad imaginem Deiparae, quae Sardenai prope Damascum extabat, una cum christianis concurrentes a variis languoribus sanati sunt. Bzovius ad annum Domini 1203.

Saraceni ope B. Virginis sanati.

Merito igitur sole vestita perhibetur, quae velut alterum solem induit sibi, de quo Matth. 5, 45: *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos.* Accinit s. Bernardus in serm. super *Signum magnum*, dicens: *Quemadmodum sol oritur super bonos et malos indifferenter, sic Maria praeterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium denique necessitatibus amplissimo miseretur affectu.*

8 Nemo intelligit, nemo credit, nemo capit, quanta Deus hominibus beneficia per Mariam conferat. Tempus me deficeret, si enarrare vellem exempla illorum, quibus benignissima Virgo clementiam suam abunde ostendit tum corporis, tum animi beneficia praestando. Vix opem postulata miseris subvenit; quid faciet, si instantissime compellata fuerit? Inimicis frequentissime praesens adfuit; quid faciet amicis? extraneis subvenire solita, ut vidimus, domesticos deseret? Absit. Vidimus igitur quanta sit Virginis nostrae benignitas, clementia, misericordia, bonitas. Nunc videamus, quomodo hanc clementiam implorare debemus, ut fructum eius assequi mereamur.

9 Mandata Dei servet quisquis clementiam B. Virginis sentire vult. Ut clementiae Virginis fructum adipiscamur, necesse est ut peccata detestemur, divina mandata accurate servemus. In cuius rei signum in nuptiis in Cana Galilaeae Deipara ministros monuit: *Quodcumque dixerit vobis, facite*, ne suarum precum fructus eorum contumacia impediretur. Quocirca ad nostrorum peccatorum acerbitatem ostendendam, quibus Deum in dies irritamus, visa est aliquando Deipara Christum orare, nec tamen Dei ultionem sublatam, quam tamen existima longe maiorem futuram fuisse, nisi eius preces intercessissent.

10 Cuius rei memorabile exemplum nobis suppeditat Pratum spirituale a Sophronio episcopo ierosolymitano doctissimo ac sanctissimo editum, cuius libri auctoris honorifica mentio habetur in Synodo nicaena II, act. 4. In cap. 50 sic legimus:

Anastasii abbatis narratio.

Scythopoli convenimus abbatem Anastasium narravitque nobis de abbate Georgio Incluso, dicens: Cum quadam nocte surrexissem, ut pulsarem signum, (ea quippe cura mihi iniuncta fuerat, ut excitarem fratres ad collectam) audivi plorantem senem, profectusque ad illum rogare coepi: Quid habes, pater, qui sic ploras? Ille vero nihil mihi respondit. Rursus cum rogarem illum, ut causam fletus mihi aperiret, ingemiscens et interno corde suspirans, ait: Quomodo mihi a fletu temperem, cum Dominus noster Iesus Christus reconciliari nobis nolit? Ego enim, fili, videbar mihi assistere cuidam super excelso throno residenti. Multa vero millia circa illum erant orantium illum, atque deprecantium, qui illorum precibus flexus non est.

Deus sanctorum et Mariae precibus non placatur.

Post haec accessit ad eum mulier purpura induta, procidItque ante illum, et ait: *Vel propter me placare, Fili.* Ille vero nihilominus inexorabilis mansit, atque idcirco ploro, ominor, verens quod futurum est. Haec mihi dixit abbas Georgius quinta illucescente feria Coenae Domini. Sequenti vero, id est, Parasceve, hora diei nona, repentino magnoque terrae motu corruerunt urbes maritimae Phoeniciis. Haec ibi.

11 Si quem igitur divina potentia terret, Mariae clementiam imploret; nihil in ea austerum, nihil terribile; tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam. Revolve diligentius evangelicae hi-

storiae seriem universam, et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod signum vel tenuis indignationis occurrit in Maria, de cetero suspectam habeas, et accedere verearis.

12 Misericordia B. Virginis maior est nunc quando in coelo regnat, quam fuerit, cum in terra viveret.

Quod si tam clemens, tam misericors fuit in hac vita, et in assumptione ex hac vita, quanto magis clemens et misericors est regnans in aeterna vita? D. Bonaventura in speculo Virginis, cap. 8, misericordiam Virginis existentis in coelo maiorem esse affirmat, quam fuerit, dum esset in terris, eique accommodat illud Ruth 3, 10: *Benedicta es o Domina, filia, et priorem misericordiam posteriore superasti.* Magna, inquit, fuit misericordia Mariae exulantis in mundo, sed multo maior est misericordia eius iam regnantis in coelo. Maiorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam. Unde pro splendore prioris misericordiae fuit Maria pulcra ut luna, pro splendore vero posterioris misericordiae est electa ut sol. Nam quemadmodum sol lunam superat magnitudine splendoris, sic priorem Mariae misericordiam superat magnitudo posterioris.

13 Maria Mater misericordiae libenter audit.

Et ex tam ingenti affectu ac propensione ad misericordiam qua nos miseros iuvare Deipara omni ope studet, nunc in coelo regnans Matris misericordiae titulo appellari gaudet, et quodammodo gloriatur, ut ex hac quam subiicio, historia patet.

14 S. Odo B. Virginem qua occasione Matrem misericordiae appellavit.

Quidam in monasterio s. Odonis primi abbatis cluniacensis ex latrone adeo perfectus monachus evasit, ut cum ad extrema deductus ab eodem s. Odone inviseretur, inter alia et adiecerit. Hac nocte, inquit, raptus sum in visione. Venit autem mihi obviam illustrissima, et summae auctoritatis femina, et cum mihi appropinquasset: Cognoscis me, inquit? Me id negante: Ego sum, ait, Mater misericordiae. Tum ego: Quid me iubes facere, o Domina? Tum illa: Post triduum venies huc, certam mihi horam indicans. Venit illa dies et hora, et monachus vita functus est; ut ex hoc ipso satis constet, veram eius fuisse visionem. Deinceps autem s. Odo B. Virginem solitus est Matrem misericordiae appellare. Surius in vita s. Odonis lib. 3, cap. 9. Ergo de tam clementi Virgine nobis gaudeamus, et ut clementiae eius fructum sentiamus, mandata Dei sedulo observemus. Amen.

DISCURSUS CCLXXXII

UNDE DEIPARA VIRGO ADEO CLEMENS ET MISERICORS

1 Iob, viva illa patientiae imago, clementiam suam, ac misericordiam narrans 31, 18: *Ab infantia mea*, inquit, *crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum.* Quanto magis B. V. Maria id dicere potest, quae nedum ab infantia, verum a primo puncto infusionis gratiae, quae facta fuit in utero matris Annae (1), semper gratia plena, misericordiam cum aliis virtutibus infusam accepit.

2 Mansuetudo innata B. Virginem clementem fecit.

Virtus autem quae clementiam in B. Virgine peperit, mansuetudo fuit. Clementia a mansuetudine ortum habere videtur. Mansuetudo enim iram cohibet, clementia vero poenas remittit. Unde hae geminae virtutes pari semper gradu incedunt, atque in unam actionem humanorum affectuum conspirant. Virgo Sanctissima mansuetissima fuit; perfectum quippe sui dominium absque pugna interiori habebat, et nulli nocere, sed omnibus prodesse studuit, nulli verbum asperum locuta, ut ex evangelica historia observavit s. Bernardus serm. super *Signum magnum*. Quin etiam iis qui contra eandem Virginem impie se gesserunt, et ad eam postea confugerunt, veniam legitur impetrasse, uti fecit Theophilo, de quo paulo superius narravimus, quod daemonis suggestione B. Virginem, eiusque Filium chirographo a se conscripto abnegans per eandem Deiparam Virginem misericordiam obtinuit. Quocirca Ecclesia de ea canit in hymno: *Virgo singularis, inter omnes mitis.*

3 Clementia B. Virgini innata. Patres boni saepe filios malos generant.

Fuit etiam Virgo nostra mitis, consequenter clemens, ac misericors; quia Davidis, et Abrahae patrum misericordium et mansuetorum filia extitit. Verum quidem est, et in pluribus evenit, quod filii non sunt successores paternarum virtutum. *Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitae: neque qui semen sunt Abrahae, omnes filii*, ut Apostolus ait Rom. 9, 6. Abraham misericors Ismaelem ferum et crudelem genuit; Noe castus Chamum impudentem; Isaac mitis Esau ferocem et livore plenum; Iacob sanctus Ruben, et alios nonnullos genuit scelestos; David eximius Dei cultor Salomonem idololatram; Salomon sapiens Roboam stultissimum; Ezechias probus improbum Manassen. Raro filii possessores paternarum virtutum efficiuntur. At hoc longe fuit a Virgine Sanctissima. Haec progenita ex Abraham et David haeres paternarum virtutum extitit (2). Abraham hospitalis nedum angelos in humana forma sibi apparentes, sed et quosvis peregrinantes ad se divertentes in domo libenter excipiebat, immo eos intrare compellebat, pedes eorum lavabat, fercula ad mensam ponebat, et in necessitatibus subveniebat. David mitis. *Memento Domine David, et omnis mansuetudinis eius.* Nam Nabalo, Semei, Sauli, et semini eius tot vicibus iniurias remisit, nec unquam se vindicavit. Haec ergo Virgo clemens de gremio mansuetorum, et misericordium virorum egressa illorum exempla sibi ob oculos proponebat, illos ut viva exemplaria hac in virtute habebat. Haud degener facta suae fontis originem fideliter servavit, totum illud poculum suave, quod in eam patres effuderant, avide hausit, non solum sanguinem, sed et virtutem, et viscera ipsa misericordiae a patribus suis David et Abraham sumpsit.

Clemens fuit et misericors quia femina. Clementiae viscera, et misericordia ita sunt feminis adnexa, ut ab eis nullatenus, vel cum summa difficultate auferri possint. Hinc mulier dicta est, quasi *mollis aer*. Et Deus volens clementiam ac bonitatem suam commendare, non virorum, sed mulierum pietati eam comparavit. Isai. 49, 15: *Numquid*, ait, *oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* 4 Mulieres quam sint misericordes.

Accedant praemia, admoveantur terrores, comminentur mortes, sit summum discrimen vitae, sit etiam summum honoris fastigium, facilius animam, quam viscera misericordiae tolles a femina. Maxima promissa habebant obstetrices a Pharaone aegyptio, duras postmodum increpationes. *Quidnam est hoc quod facere voluistis, ut pueros servaretis?* Exod. 1, 18. Attamen neque promissa, neque minae misericordiam illis eripere quiverunt, quominus masculos hebraeos recenter natos vivos servarent, quos crudelis Pharao necare praeceperat. *Non fecerunt iuxta praeceptum regis Aegypti, sed conservabant mares*, ibid. v. 17. Mortis periculo quid terribilius? Et tamen Iudith misericors in medium hostium se dedit, ad tabernaculum ipsius principis militiae processit, et summum vitae discrimen subiit, ut semicaptivos Bethuliae concives eriperet et liberaret. Iudith 13. Esther hebraea ad summum regalis solii fastigium elevata, misericordiae tamen haud oblita est. Quoties illa pro afflicta sua gente regi supplicavit? quoties, visis ardentibus furore oculis regis, corruit, et in pallorem colore roseo mutato, vultum suum lacrymis perfudit? quoties populum suum liberavit? Veniant in mentem sanctissimae Mulierum misericordium exempla.
illae feminae, Paula romana, Cunegundis imperatrix, Elisabeth ducissa, Hedvigis regina, et aliae multae, quae manibus suis pauperum pedes laverunt, ulcera osculatae sunt, vulnera medicarunt, in lectis collocarunt, solae ministrarunt, possessiones amplas xenodochiis donarunt. Harum exempla latius explicarem, nisi ut notissimas res in lucem, et notissimae rei, quod mirum feminae misericordes sunt, lucem adferrem. Quod si aliquae feminae sunt adeo crudeles, ut tygrides, leones, scorpiones malitia vincant, iuxta illud Eccli. 25, 23: *Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam*, hoc non est vitium mulierum, sed mulierum pessimarum; huiusmodi autem non feminae sunt, sed ferae. Hinc d. Chrysologus serm. de Herodiade caput Ioannis petente loquens, non feminam, sed feram vocat. *Ingreditur*, inquit, *non mulier, sed fera.* Quod si feminis propria est clementia et misericordia, Sanctissima Virgo fuit femina, non autem femina qualis qualis, sed gratia plena; non illa quae a feminis degeneravit, sed quae eas virtutibus excessit; non tantum Iuditham, Esther, sed et omnes alias. Igitur clementissima est.

Ulterius, clemens est, quia tota caritate flagrat. *Mariam totam*, ait d. Hieronymus, *incenderat divinus amor*, ita ut in ea 5 Ratio potissima cur

(1) Scilicet a primo instanti suae vitae. *Editor.*

(2) Id debet accipi dictum lato sensu, et modo oratorio. Nam cum post Christum B. Virgo fuerit prae omnibus plena omni gratia, quomodo ipsa imitata esset virtutes suorum patrum, quae omnibus saeculis facta est exemplar et forma virtutum omnium? cuius virtutes etiam communes in ipsa sunt singulares, pertingentes summum gradum perfectionis possibilis in pura creatura? Non homines ergo habuit magistros virtutum, quae *super senes intellexit*, sed Regem, quae eam *introduxit in cellaria sua*. *Editor.*

B. Virgo sit adeo clemens.

esset amor continuus, et ebrietas perfusi amoris. Et quid mirum? In Mariae pectus descendit vir ille indutus lineis humanitatis, qui ignitos carbones spargebat super universam terram, Ezech. 10, et eam plus aliis inflammavit, effecitque ut tota arderet caritate, benignitate, misericordia, ac clementia, fieretque spes christianorum, susceptio orphanorum, adiutrix destitutorum, solatium vexatorum, subsidium oppressorum, redemptio captivorum, refugium perditorum.

Iustitiae divinae exempla.

Et haec est potissima ratio, cur Deipara Virgo sit adeo clemens et benigna, quia in eius utero clementissimus Deus carnem nostram suscepit recordatus misericordiae suae, eamque clementem, piam, benignam effecit. Olim Deus saeviebat in coelum, et in terram. De coelo angelorum peccantium numerosam multitudinem deiecit, et poenis sempiternis addixit; in terra totum genus humanum peccati odio per diluvium delevit; integras regiones, has igne coelitus misso consumi, illas gladio necari, istas fame ac pestilentia perire fecit. Testis Sodoma, Gomorrha, Ierusalem, et aliae urbes, regna, provinciae dirutae et solo aequatae. Nullum praeterea in coeli palatia admittere valebat, bonos ac malos iuxta ad inferos detrahebat. At ubi in uterum Virginis descendit, mox iram deposuit, clementiam induit, et miram mansuetudinem amplexus est; coelos aperuit, humano generi reconciliatus bonos ad coelos duxit; et ipsam Virginem tam copiosa caritate, clementia, bonitate, benignitate ac pietate replevit, ut merito clementissima ab omnibus audiat. Quidni repleret clementia ac misericordia eam, in cuius sinu ipse clemens, et misericors factus est?

Per B. Virginem Deus generi humano placatus est.

Monoceros in sinu virginis se capi permittit.

Famosus ille monoceros, cuius tanta est feritas, Plinio teste, ut nec arte ulla venatoria prehendi queat, ad solam in campis virginem expositam propere accurrit, eius manui eum demulcentis mansuefactus succumbit, adeo dulciter in eius sinu recumbit, ut se nexibus indui, pedicisque implicari patiatur: quod etiam d. Gregorius lib. 31 Moralium memorat. Deus ob peccatum in se commissum olim tam ferox, tam indomitus, tamque horribilis generi humano erat, ut eius severitatem nulla vel precum instantia, vel sacrificiorum oblatio domare poterat, donec tandem in sinu almae Virginis Mariae inclinatus et mansuefactus se ligare permitteret.

6 Huius quoque rei egregius fuit typus Samson, qui nullis nervis ligari, nullis armis expugnari potuit, donec ipse Dalilae in gremio reclinatus, vinciri se ultro passus est, sponteque sua valida illa brachia, fortes manus in funes et vincula dedit.

7 Aegyptii, uti refert Pierius lib. 43, ut iram Iovis vel mitigatam, vel a vindicta quiescentem exprimerent, fulmen in molli thoro iacens ponebant. Iupiter enim fulmine in delinquentes animadvertere solebat, ut poeta ait:

Fulmineo saepe igne tonat.

Non dissimiliter Deus noster antequam homo fieret, velut fulmen homines terrebat, et castigabat. At ubi in molli thoro virginei uteri positus est, protinus omnem terrorem deposuit, et clementiam induit.

Idem olim exempla explicat s. Antoninus 4 p. tit. 15, cap. 21. Sol, inquit, per zodiacum discurrens in signo leonis est ardentissimus, et animalium corpora nimio calore languida reddit, sed ingrediens signum virginis mitigatur. Ita sol iustitiae, Deus noster in veteri testamento erat ut leo rugiens, Deus ultionum, peccatores terribiliter puniens, ut patuit ex iam adductis exemplis, sed ferventissimo amoris calore aestuans, et in uterum Virginis intrans factus est totus benignus, clemens, suavis ac misericors.

Non vacat mysterio, quod virgo coeleste signum inter leonem libramque sit constituta. Nam ad eumdem modum Virgo Beatissima leonis iram, de quo Apoc. 5, 5: *Vicit leo de tribu Iuda*, iustitiaeque rigorem disiungit, et quasi in media collocata utrumque temperat. Quid enim supplicii non inferret leo librae coniunctus, Deus iratus iustitiam exercens? Huius leonis B. V. Maria iram cohibuit, rigoremque iustitiae temperavit. Immo usque adeo Deus per Virginem iram deposuit, ut manus sibi omnino teneri, vinciri, immo et in cruce fixas esse voluerit, ut sese ad puniendum movere nullo modo possent.

Legimus mulierum interventu infestas acies diremptas, bella sedata, pacem stabilitam. Apud Trogloditas, et priscos Germanos id factum esse narrat Alexander ab Alexandro lib. 4, cap. 11. Simile factum esse apud Celtas refert Baptista Fulgosius lib. 5, c. 2; et apud Gallos cum bellum aliquod civile ortum esset inter eos mulieres ad concilium adhiberi solitas scribit Caelius Rhodiginus lib. 13, c. 33. Huius autem consuetudinis ratio erat, ut mulieres nunc lacrymis, nunc precibus animos virorum flecterent, quatenus depositis simultatibus, in gratiam redirent, et praeliari nefas ducerent. Potuere hoc in homines mulieres; potuit Virgo nostra in Deum ipsum, qui hominum sceleribus provocatus in eos iuste saeviebat, sed huius Virginis interventu iram, et indignationem deposuit, ac pacem cum hominibus inivit. 9 Mulierum interventu bella sedata.

Cum Romam Coriolanus dux Volscorum creatus animo infestissimo obsideret, neque legati ulli, etiam ex necessariis et familiaribus, ad eum semel et iterum missi, sed neque pontifices, sacrificuli, aeditui, augures, suis quisque insignibus ornati, senatus decreto ad eum profecti oratores quicquam impetrarent, Volumnia eius mater cum Virgilia eius uxore, et filiis, reliquisque mulieribus profecta in castra tam efficaciter peroravit, ut impetraret, et Coriolanus diceret: *A te, o mater, primum victus discedo.* Plutarchus libro 1 vitarum, in Coriolano. Ad eumdem modum Virgo Maria, rebus desperatissimis, sacerdotum, sanctorumque precibus iam repulsis, una et sola Iesum suum placavit, et per eum Patrem. Huic ergo Virgini ingentes gratias agamus, et laudes eius, uti coepimus, prosequamur. 10 Coriolanus precibus matris placatur.

Digitized by Google

VIRGO FIDELIS

Non postrema virtue nobis laudanda venit in Virgine, nimirum fidelitas. Haec divinis legibus praecipitur, e cunctis gentibus diligitur, inter omnes virtutes summe laudatur. Deus ipse fidelis cum sit, *Fidelis Dominus in omnibus operibus suis*, ps. 144, 13; et iterum, *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate*, Deut. 32, 4, fideles servos poscit. *Oculi mei ad fideles terrae*, ps. 100, 6. Et alibi: *Esto fidelis usque ad mortem*, Apoc. 2, 10. Hinc fidem etiam hosti, atque infideli servari vult, ut perfidiam odit ac execratur. Insuper, infidos mille periculis, et laboribus vitae praesentis et aeternae exponi, obruique permittit. Sedecias se suamque stirpem ac regnum evertit, quia fidem Chaldaeo datam fefellit, Ierem. 39, 5. Familia Saul suspensa, et extincta est ob Gabaonitas, quibus fidem fregit, 2 Reg. 21, 9. Ac ut omittam ex profanis Agathoclem tyrannum syracusanum, Tissaphernem ducem Persarum, Alexandrum magnum regem Macedonum, Theodatum Gothorum, Aistulphum Longobardorum, Ladislaum Polonorum et Ungarorum, qui violatae fidei publicae poenas dederunt.

Fidei publicae violatores puniti.

Fidelitas laudatur.

M. Attilii fidelitas laudatur.

Fidelitas a cunctis gentibus diligitur; est namque regnorum stabilimentum. Ubi fides est, regnum, licet debile, stabile evadit. Hinc Romani quia tam hostibus, quam amicis iugiter integram fidem praestabant, omnes gentes ad se traxerunt. Celebre inter alios fuit exemplum M. Attilii Reguli consulis, qui post multas de Poenis victorias, et triumphos arte Xantippi captus, in carcerem missus, legatus de permutandis captivis Romam missus, dato iureiurando, ut si non impetrasset, ita demum rediret. In senatu conditionem dissuasit, relictisque a se coniuge, et liberis, Carthaginem regressus est; ubi in arcam ligneam iniectus, clavis introrsum adactis, vigiliis, ac puncturis excruciatus ducam mortem subire maluit, quam fidem hosti datam fallere. Ita Plinius libro de viris illustribus.

Fidelitas inter omnes virtutes summe laudatur, Prov. 28, 20: *Vir fidelis multum laudabitur:* et merito. Ipsa namque ceteris virtutibus est rarior, carior, sanior; nam difficulter invenitur, teste Salomone Proverb. 20, 6: *Virum fidelem quis inveniet?* Et Apostolus 1 Corinth. 4, 2: *Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Carior; omnibus namque bonis praeponitur. Eccli. 6, 15: *Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius.* Sanior; Nam *Legatus fidelis, sanitas*, Proverb. 13, 17. Haec in laudem fidelitatis praelibasse sufficiat.

Huius virtutis praeclarum specimen Deipara edidit. Fidelis enim erat, hoc est servavit fidem Deo et hominibus. Quod ut palam fiat, singula discutere et declarare libet, quo amor erga Virginem, studiumque nostrum magis ac magis augeatur.

DISCURSUS CCLXXXIII

DEIPARA VIRGO QUATENUS FIDELIS DEO EXTITIT

1 Deo fidelis est, quisquis promissionibus eius credit, ei perpetuo adhaeret, eius secreta celat, eius honorem sibi non vindicat. Haec omnia ad amussim Virgo nostra observavit, et ideo merito Virgo fidelis audit.

2 I. Credidit Beata Virgo Deum promissa sua negare, revocare, aut fallere non posse. Credidit ineffabile mysterium incarnationis Filii Dei. Credidit se virginem illam a Deo electam, in qua sacratissimum hoc perficeretur mysterium. Credidit omne genus humanum Verbi incarnati beneficio fore salvandum. Credidit portam coeli a multis annis clausam patefaciendam, quae omnia Deus per prophetas suos promiserat.

3 Extollunt quorundam fidelitatem sacra eloquia. De Abraham dicitur Eccli. 44, 21: *Abraham in tentatione fidelis inventus est.* De David vero 1 Reg. 22, 14 legitur: *Quis in omnibus servis tuis, sicut David fidelis?* De Moyse Num. 12, 7 narratur: *Moyses in omni domo mea fidelissimus est.* Sed horum fidelitatem erga Deum longe superat fidelitas Deiparae Virginis.

4 Fides Mariae confertur cum fide Abraham, et ostenditur maior.

Credidit Abraham sterilem nonagenariam parituram: Mariae autem credidit virginem matrem futuram. Abrahae non defuit exemplum partus suae uxoris; Adam enim et Eva post centum triginta annos genuerant filium suum Seth. Noe quoque dum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cam et Iaphet, Genes. 5: Maria autem non habuit exemplum suae maternitatis. Nam a saeculo non est auditum virginem concipere, et parere. Propterea canitur: *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.* Abrahae promissa est proles, sed ex femina et viro: Mariae autem ex femina sine viro. Abraham credidit purum hominem ab eo fore generandum: Maria vero Deum et hominem ex ea esse concipiendum, et nascendum. Abraham accepta promissione, Deum etiam posse mortuum Isaac suscitare non dubitavit, ut Apostolus Hebr. 11, 19: *Obtulit Abraham Isaac..... arbitrans, quia et a mortuis suscitare potens est Deus:* Maria autem Deum nasci, et mori posse firmissime credidit. David in mediis periculis et malis constitutus, hinc Saule cum suis eum persequente, inde Aebis, et Philisthaeis caput eius petentibus, cum ab omnibus videtur omni humana ope destitutus, et quasi desperatus; credidit tamen Deo quod ab omnibus hisce malis eum liberaturus, et ad regnum, quod per Samuelem sibi promiserat, provecturus erat; ideo canebat: *Credidi propter quod locutus sum*, psalm. 115, 1. Maria in mediis angoribus posita, maxime cum videret Filium suum ligatum, consputum, contusum, cruentatum, flagellis laceratum, coronatum, sub cruce corruentem, crucifixum, sanguine perfusum, nudum, sitientem, emorientem. Ipsum tamen Filium Dei, Deum verum credidit, et de eius resurrectione brevi futura, ac totius generis humani redemptione per eum perficienda minime dubitavit. Nutabant eo tempore martyrum primores, vacillabant fidei columnae, fugiebant apostoli: B. Virgo a Christi latere, immo a cruce dimoveri non potuit. Cecidit Iudas nefarius proditor, qui extremam desperationem cum summo scelere coniunxit.

Mariae fides maior quam fides David.

Cecidit Petrus, qui volebat cum Iesu et in carcerem, et in mortem ire, Luc. 22; passi sunt scandalum apostoli. Virgo sola non nutabat, non vacillabat, non cadebat, non scandalizabatur, sed firma in fide stetit iuxta crucem Iesu, ut inferius discursu CCCXCVI fuse ostendemus. 5

Moyses, et Aaron crediderunt percussam petram posse aquas producere, non tamen absque haesitatione. *Num de petra hac*, ait Moyses, *vobis aquam poterimus eiicere?* Num. 20, 10. Maria

Digitized by Google

firmissime credidit ex petra intacti uteri sui fontem aquae vivae posse scaturire.

7 Accedit quod in promissione Deo facta de virginitate servanda adeo fidelis extitit, ut nec matrimonio copulata virum cognosceret, aut etiam Filium concipiens, aut parturiens ullo ratione illam violaret; sed virgo in aeternum permanserit, ut in epitheto *Mater inviolata*, copiose probavimus.

8 II. Ulterius Deipara Virgo fidelis Deo extitit, quia ei perpetuo adhaesit. Non tribulatio, non angustia, non adversitas eam a Deo abstraxit. Perpetuo cum Filio versata est, el semper assedit, et in tempore quidem ignominiosae passionis eius ab eo separata non est, quando et discipuli, et amici, et omnes noti, et alii quidem, ipso omnino relicto, se in pedes coniecerunt; alii vero cum paululum expectassent, negaverunt. Tunc fidelissima Virgo iuxta crucem in publico ac conspicuo loco stabat, et piis oculis Filii sui vulnera spectabat, crucem et ignominiam Christi non erubescebat, Iudaeos, et alios Christo insultantes non timebat, etiamsi esset Mater eius, quem illi tam hostili ac pertinaci odio prosequebantur, illud Ecclesiastici 6, 7 implens: *Si possides amicum, in tentatione posside illum.*

9 III. Fidelis erat Deo secreta ipsius tenendo. Fidelis est, qui amici secreta celat; quod apud eum vidit, occultat; quod ab eo audivit, tacet, ut Prov. 11, 13: *Qui fidelis est animi, celat amici commissum.* De secretis mulieres vulgo male audiunt, loquacissimum enim animal est mulier; servitutis quoddam genus putat, non posse loqui, libertatis posse. Hinc non facile retinet quae ei in aurem dixeris, utpote servitutis impatiens, libertatis avida. Marcus Cato, vir sapientissimus, illud saepe in vita se poenituisse dicebat, si quid arcani feminae credidisset. Ob eam causam Deus merito sacrae confessionis sigillum non concredidit.

Mulieres loquaces sunt.

M. Cato quid in vita poenituit.

Sed Virgo nostra, licet mulier, ab hoc vitio alienissima fuit, virtute taciturnitatis ornatissima, maximi secreti, incarnationis scilicet dominicae nedum particeps, sed et ministra effecta illud non prodidit, sed *conservavit omnia verba haec conferens in corde suo.* Secretum illud erat secretum secretorum Dei, non quoad substantiam operis; nam illud iam omnes fideles fere credebant, et fide futuri salvabantur. Prophetae praedixerant, figurae multae adumbraverant, Deus ipse de illo ad serpentem dixerat: *Inimicitias ponam inter te et mulierem*, etc. *ipsa conteret caput tuum;* sed quoad individuum et ad personam, tempus, locum, id est quo anno, quo die is nasceretur, et quis ille esset, ignorabatur. Quod Deus consulto tegebat, ne operi redemptionis nostrae daemon resisteret, sed velut piscis hamo verme tecto caperetur. Verme, inquam, illo qui de seipso dixit: *Ego autem sum vermis, et non homo.* Idcirco de desponsata virgine nasci voluit, ut partus eius celaretur diabolo, dum Christum putat non de virgine, sed de uxore generatum. Idcirco pauper ex paupere in tuguriolo paupere natus reponi voluit, esuriit, sitivit, fatigatus sedit, multa tulit, fecitque, sudavit et alsit, ne putaretur quod erat. Uni Virgini nostrae haec tota res concredita fuit, utpote fideli, secretae, obsignatum os habenti. Porro quam fideliter secretum istud Deipara Virgo servaverit, inferius, cum de taciturnitate ipsius in epitheto sequenti agam, enarrabo.

Incarnationis mysterium quomodo et cur fuit occultum.

10 IV. Fidelis fuit, quia Dei honorem sibi non usurpavit. Fidelis servus censetur, qui ex rebus domini sui nihil sibi attribuit, neque incassum quicquam expendit. Talis erat Deipara Virgo, cum ab Elisabeth magnis laudibus extolleretur ob coelestia charismata quibus praefulgebat; omnes illas laudes in Deum convertit nihil boni sibi arrogans, immo tanquam fidelissima suo Domino, a quo illa acceperat, nihil prorsus sibi reservans, in eum omnia referebat: *Magnificat anima mea Dominum; et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

11 V. Fidelis est, qui bona domini sui fideliter, et prudenter disponit. Matth. 24, 45: *Quis putas est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam? Fidelis servus est*, ait Theophylactus, *qui herilia bona sibi non subripit, nec velut domini res tractat, odiriturre; sed velut alieno, et gentilitia dispensat, non sua dicens esse, quae sunt domini, sed e diverso, quae sua sunt, domini esse. Prudens est*, ait d. Chrysostomus, *qui dispensare opportune novit, et unicuique dare cibum in tempore suo.* Talis per omnia fuit Beatissima Virgo. Locupletissimus divini Verbi thesaurus ad omnium nostrum utilitatem sibi traditus erat. Hunc tam fideliter omnibus exhibuit, ut eum sibi non reservaret, sed in salutem omnium daret; idque tam prompta voluntate, ut si neque Iudas ullus proditor et mercator fuisset, neque ullus iudaeus emptor, nullus Pilatus, nullus virgator, nullus lictor, ipsa, ut nos redimeremur, et Dei Patris voluntas impleretur, suum Filium Iesum, sui cordis delicium, propemodum fuerit crucifixura, si citra peccatum fuisset. Quidni? Sciebat Domini fuisse voluntatem, ut unus traderetur pro multis; et ideo tanquam fidelis dispensatrix ipsa hoc egisset, si alius quispiam non fuisset. Et sane prudenter.

Obedientia Mariae.

Unum enim pietatis genus est, hac in re esse crudelem. Summi Patris voluntas et caritas caritatibus omnibus, voluntatibusque anteferenda est. Cum alterutrius caritas violanda est, ante divinam humana omnis est violanda. Videmus Virginem Deo fidelem, eius praemia consequamur. Amen.

DISCURSUS CCLXXXIV

DEIPARA VIRGO QUATENUS FIDELIS EST HOMINIBUS

Hominibus fidelis est, quisquis amicitiam, sive amorem quem lingua praefert, corde gerit et refert. Proverb. 14, 5: *Testis fidelis non mentitur.* Qui enim verbis amorem ostentat, corde odium fovet, perfidus est, Iudae Iscarioti similis. Non sic Virgo Beatissima; nihil vitiosum, sed aperta omnia, candida, fidelia, casta. Quod gerit in corde, hoc profert ore. Omnes ad se invitat, omnes vocat. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini*, Eccli. 24, 26. Omnes quoque recipit, omnes amplexatur, omnes suo materno amore fovet, nullius preces aspernatur, in omnes beneficiorum dives est. Pulcre, et eum sensu s. Bernardus serm. 2 super *Missus est*: *Ipsam*, inquit, *sequens, non devias; ipsam rogans, non desperas; ipsam cogitans, non erras; ipsa tenente, non corruis; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; ipsa propitia, pervenis. Ille solus laudes huius Virginis sileat, qui fideli prece appellatam suis necessitatibus senserit defuisse.* 1

Amici fideles quinam sint.

II. Fidelis amicus est qui non accipit personas, qui scilicet non praefert divitem pauperi, familiarem extraneo, nobilem ignobili, non respicit fortunam, sed aequaliter colit amicitiam quovis tempore cum omnibus. Eccli. 22, 28: *Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut et in bonis eius laeteris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis.* Id volebat illa pictura amoris, qua pingebatur caecus 2

Tela, alasque ferens lumina nulla tenet.

Alciatus emblemate 114. Quicumque enim vere et perfecte amat, clausis oculis, absque disquisitione meritorum rei dilectae, aut propriae obligationis ad illi benefaciendum amoris pondere fertur. Qui enim merita discutit, atque obligationes explorat, prudentis quidem, aut sapientis, aut grati, non tamen veri amantis appellationem meretur. Beatissima Virgo Maria non acceptat personas, non respicit fortunam; aeque diligit divitem et pauperem, nobilem et ignobilem; aeque patrocinatur iusto ac peccatori: quare merito dicitur Cant. 6, 9: *Electa ut sol.* Quemadmodum enim sol omnes fulgentissimis suis radiis collustrat et exornat: ita B. V. Maria beneficentiae suae radios in omnes diffundit. *Ad illam*, ait d. Bernardus hom. de Pentecoste, *sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium saeculorum respiciunt et qui in coelo habitant, et qui in inferno, et qui nos praecesserunt, et qui nos sumus, et qui sequentur, et nati natorum, et qui nascentur ex illis. Illi qui sunt in coelo, ut resarciantur; illi qui in inferno, id est purgatorio, ut eripiantur; qui praecesserunt, ut prophetae fideles inveniantur, qui sequuntur, ut glorificentur.*

III. Fidelis amicus amare pergit, nunquam in amore deficit, nedum in prosperis, verum et in adversis amicitiam colit, sciens sincerae fidei amicum in adversis praecipue cognosci, iuxta illud Ennii: *Amicus certus in re incerta cernitur.* Quod et Scriptura sacra non obscure docet, Eccli. 12, 7: *Non agnoscetur in bonis amicus, et non abscondetur in malis inimicus.* Et d. Augustinus lib. 83 quaestionum, quaest. 71: *Nihil sic probat amicum, quam oneris amici portatio.* Et Isidorus libro 3 de summo bono: *In prosperitate incerta est amicitia, nec sentitur an persona, an felicitas diligatur.* Qui in prosperis solum diligunt, in adversis vero recedunt, non amici sunt, sed muscae, quae solum in aestate viventes, ac popinam et mensam consectantes vivunt, hyeme vero emoriuntur. Hirundines sunt, quae nonnisi in aestate 3

Amici ficti cui sunt similes.

Digitized by Google

domos inhabitant, hyeme vero advolant, et domos deserunt. Hederae sunt, quae muros, et arbores arctissime complectuntur, tantum ut adsurgant, et vigeant. Umbrae sunt corpus non comitantes, nisi quando sol lucet. Heliotropia sunt, quae sole orienta aperiuntur, et ad eum convertuntur; ubi is occubuerit, occluduntur, et tergum vertunt. Pediculi sunt nonnisi viventia depascentes corpora, at nullum cum cadaveribus maximis habentes commercium. Caladrii sunt qui ab aegrotante ad mortem faciem avertunt; cum vero aeger convaliturus est, firmissime eum intuentur plaudenti similes. Meretrices sunt, quae amant quamdiu utile est. Canes, qui tamdiu viatorem sequuntur, quamdiu panem iactat. Aurum adulterinum sunt, quod ubi adversitas ingruit, pallescit. Torrentes denique sunt, qui ingruentibus nivibus accrescunt, his vero fluere desinentibus arescunt. Amicum enim amico nedum in prosperis, verum et (immo magis) in adversis oportet esse fidelem.

4
Auxilio B. Virginis afflictis impensa.

Talis est Virgo nostra nedum in prosperis, sed multo magis in adversis iuvare solita. Quot per eam, bone Deus, afflicti de tribulationibus liberati, a periculis erepti, in necessitatibus adiuti, a peccati tyrannide salvati, a gravissimis tentationibus mundi, carnis et daemonis defensi, ab improborum hominum maleficio subducti, a gravi infirmitate curati sunt? quis enumeret quanti in tristitia consolati? quanti in adversis securi? quanti inter hostes et latrones impavidi? quanti inter maris pericula tuti? quanti damnationem aeternam piissimae Matris adiutorio evaserunt? Legimus eam quibusdam sibi devotis in infirmitate apparuisse, et iisdem more matris ubera sua sugenda praebuisse, et eos suasse. matronis in partu succurrisse, eisque obstetricationis officium exhibuisse; nonnullos qui se chirographo daemoni obstrinxerant, restituto chirographo, eos in tuto collocasse; quosdam a spectris et terroribus liberasse. Vere fidelis amica Virgo, quae tot auxilia, tot beneficia in adversis praestitit, et praestat.

5

IV. Fidelis amicus est, qui nedum in vita, verum et in morte, ac post mortem eum quem diligit, colit. Hinc Noemi ad Booz: *Benedictus*, inquit, *sit* (Booz) *a Domino, quoniam eamdem gratiam praebuerat vivis, servavit et mortuis*, Ruth 2, 20. Ipsum ostendit effigies illa veri amici apud Gyraldum libro de diis gentium, ubi pingitur iuvenis detecto capite, rudi tunica, in cuius fimbria scriptum est: *Mors, et vita*, quod dicitur, *Amicus sum in morte et in vita*.

Amici veri hieroglyphicum.

Talis est B. V. Maria. Nedum in praesenti vita nos tuetur, ac protegit iram Dei placans, hostiles quosvis impetus a nobis avertens, ac in via salutis nos constituens; verum et in hora mortis nobis patrocinatur, animas nostras conservat, tenebrosos atque horrendos pessimorum daemonum aspectus a nobis repellit, ac tandem in tremendo die iudicii pro nobis stat. Hinc eam assidue interpellamus: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc, et in hora mortis nostrae*. Et rursus: *Maria Mater gratiae, Mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, et mortis hora suscipe*.

6
In mortis hora nemo iuvare potest.
Exemplum cuiusdam in hora mortis afflicti consolationem capere non valentis.

Huiusmodi amicos mundus non habet, qui in hora mortis nobis subveniant. Voca tunc amicos, voca domesticos, voca parentes, uxorem, filios, filias, nepotes, vel te deserent, vel si iuvare velint, non poterunt. Legi de quodam insigni viro in morte vocanta, et implorante opem uxoris: Carissima coniux, adiuva me in istis angustiis. Cumque illa flens diceret: Kequi possum te adiuvare, carissime marita, in morbo incurabili? Vocavit filium primogenitum: Fili, adiuva me in hisce angustiis, ego pro te die ac nocte laboravi, et vitam saepe periculo exposui. Cumque ille pariter gemens diceret: Utinam, mi pater, te morte eripere possem; sed hoc vires meas excedit. Vocavit secundum, ac deinde tertium, ac ceteros ordine filios ac filias; deinde famulos et ancillas, quemque singillatim compellans, ac eius implorans opem. Cumque singuli dolentes idem responderent, dicerentque contra mortem non esse remedium, exclamavit ille: *O vanas hominum curas, o quantum est in rebus inane!* Ecce ego tibi, o uxor, vobis, o filii et filiae, laboravi, sudavi, vires et vitam impendi, quin et animam forte oppignoravi, at ecce haec est merces mea, ut in hac ultima hora implorans opem vestram non inveniam. O quam satius fuisset, si Deo servivissem, si amicos in terra, et in coelis mihi parassem, qui in hoc articulo mihi adessent! O si vivere liceret, quam saperem!

7
Mortis hora B. Virgo suis patrocinatur.

Non sic Deipara Virgo. Quisquis opem eius devote implorat, in tremenda illa mortis hora praesentissimum eius auxilium sentiet. O quam bene sapit, quisquis in hac vita Virgini tam fideli famulatur. Ipsi prae ceteris sanctis datum est sibi devotis in hora mortis assistere. Sicut enim Christo Filio suo naturali in hora mortis adstitit: ita filiis suis spiritualibus peculiari pietate sibi addictis in hora mortis adstat, suam opem eis impertit, daemones pellit, et ut sancto fine vitam claudant, efficit. Eam ob causam Cant. 6, 9, *Pulcra ut luna*, dicitur. Sicut enim luna praeest nocti, quia noctem illuminat; ita Virgo in mortis articulo, qui nocti assimilatur, sibi devotis illucescit, et tenebras depellit. Quare Pelbartus in Stellario Virginis lib. 12, parte 2, c. 1 Virgini accomodat illud Sap. 10, 11: *In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum: custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi, ut vinceret*. Quia nimirum Deipara tempore mortis a fraudibus daemonum tantummodo sibi devotos custodit, atque tutatur. Huius rei multa exempla habemus apud Ioannem Severanum in Selectis aureis iustorum morientium, quibus ostenditur B. Virginem cultoribus suis frequenter circa agonem apparuisse, ut eos in illo horribili puncto recreasse, et consolasse.

S. Fulberto aegrotanti B. Virgo apparet.

Fulberto carnutensi episcopo aegrotanti ipsa Deipara Virgo, cui illa impense addictus fuit, per visum apparuit, eique sacrosancta sua ubera sugenda praebuit, et una cum lacte corporis spiritum prophetiae infudit. Baronius anno Domini 1028. Alia huiusmodi exempla plura afferemus inferius in epitheto *Ianua coeli*.

8

V. Fidelis est, qui candidus est, et apertus non fucatus; qui amicum diligit ad bonum, et in bono non in malo. Qui scilicet non favet, non fovet illius vitia, sed virtutes in eo promovet, qui non adulatur eius cupidinibus, sed eas redarguit, eisque resistit, ac strenue amici salutem, et perfectionem procurat. Hinc amicus dictus est, quasi animi custos.

9
B. Virgo peccatores corrigit.

Talis est Deipara Virgo, quae peccatores non solum suavi admonitione ad scelerum suorum poenitudinem excitat, sed etiam increpationibus a pravo delictorum suorum consuetudine deterret. Exemplis manifestior fiet.

10
Cosmianam ab ingressu sepulcri dominici arcet.

Cosmianam uxorem Germani patricii haeresi severiana laborantem B. Virgo ei apparens ab ingressu sepulcri dominici in eodem loco prohibuit. Quomodo, inquit, nostra cum non sis, audes huc ingredi? Unde illa ad fidem catholicam conversa ad sanctum Christi sepulcrum admissa est. Pratum spirituale c. 48.

11
S. Catharinam senensem ob distractionem redarguit.

Sanctam Catharinam senensem divinae cuidam visioni semel intentam, eo quod oculos ex curiositate paulisper alio convertisset propter tantillam a divinis distractionem, acriter Sanctissima Dei Genitrix reprehendit, ita ut mox Catharina in amarissimum fletum proruperit. Raymundus Capuanus in eius vita.

12
B. Catharinam svecam ob inobedientiam corripit.

Beatam Catharinam svecam, s. Birgittae filiam, graviter reprehendit. Cum enim Catharina Romae matri adesset, tantoque desiderio invisendae patriae suae teneretur, ut nec matri sune eam retinenti obsequi vellet, Beatissima Virgo hac voce eam severius correxit: Ergone tibi opituler, quae neque Deo, neque mihi, neque matri, neque confessario cedis et obsecundas? Resipuit Catharina post hanc admonitionem, ut ad obedientiam promptior reddita est. Surius in eius vita.

13
Eskillum ob indevotionem terret.

Eskillum puerum duodecim annorum, eo quod ne una quidem vice salutationem angelicam sibi repraesentasset, per fornacem ardentem sibi in visione ostensam perterruit, et ad sui famulatum induxit: qui primo episcopus, postea ex episcopo monachus cisterciensis factus est. Spec. exempl. dist. 8, num. 32.

14
Ad abbatem Cyriacum ob librum Nestorii ingredi renuit.

Abbas Cyriacus de seipso testatus est, se aliquando mulierem honesta facie praeditam, et purpura indutam in somnis vidisse, Dominam nempe nostram, Sanctam Dei Genitricem Mariam duobus viris, nimirum sancto Ioanne Baptista et s. Ioanne evangelista comitatam. Abbas igitur e cellula egressus Deiparam rogare coepit, ut ad se ingredi dignaretur. Illa renuente, et dicente: Habes intra cellulam tuam inimicum meum, abbas valde sollicitus, et anxius factus est, nesciens quemnam, et ubinam in cella inimicum Mariae haberet. Forte fortuna codicem accipit, quem illi s. Isichius praesbyter ierosolymitanus mutuo dederat. Hunc evolvens duos impios Nestorii libros in fine adiunctos reperit, et eum esse inimicum Mariae cognovit. Sic igitur a Beata Dei Genitrice blande et fideliter correptus librum s. Isichio reddidit, qui eum ignibus tradidit. Ex Prato spirituali, cap. 46. Et utinam eodem zelo flagrent omnes, qui hoc aevo in auctores similis farinae incidunt.

15
Cistercien-

Quendam monachum cistarciensem Christianum nomine, qui dictis matutinis usque ad laudes capiti suo parcere volens super

Digitized by Google

sem monachum in templo dormientem a somno excitat. lignum quoddam ante altare se prostraverat, sub forma orationis ibi dormitans; mox ut oculos clauserat, B. Virgo excitavit, et veste eum feriens dixit: Christinne, non est hic locus dormiendi, sed orandi. Caesarius lib. 4, c. 40.

16 Alium electuario suo reficit. Alium eiusdem Ordinis monachum in cura corporis, et medicinis nimis occupatum, et extra monasterium frequenter vagantem, a pretioso quodam electuario, quod reliquis monachis distribuere Deipara videbatur, repulit his verbis: Tu de meo electuario non indiges, quia medicus es, et plurimas tibi impendis consolationes. Sed cum ille culpam agnoscens vitam emendaret, in proxima sua solemnitate iterum Domina famulos suos praedicto modo visitans, et ad eum veniens: Quia, inquit, te emendasti tuis medicamentis mea praeferens, ecce de meo electuario sicut ceteris tibi impertior. De quo tantum dulcedinis, et devotionis concepit, ut deinceps stabilis maneret, et carnis commoda tanquam stercora reputaret. Caesarius lib. 7 mirac. c. 48, et Vincentius Belluacensis lib. 7 Spec. c. 108.

Huius igitur Virginis fidelitati tota nos devotione committamus in quavis tribulatione et angustia, in quavis adversitate et inopia, tanquam ad fidam Dei amicam, et nostram benignissimam Matrem ac Dominam confugiamus. *Ne avertas*, monet s. Bernardus homil. 2 super *Missus est, oculos a fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis; si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam.* Fidelis est, potens est, ut vidimus: de patrocinio ipsius non diffidamus. Laudes eius sub metaphoris celebrare pergamus.

SPECULUM IUSTITIAE

Ordo ad praecedentia. **Hactenus epithetis propriis gloriosam Dei Genitricem pro nostra tenuitate ornavimus. Nunc metaphoricis vocibus utemur, et dignitatem eiusdem Dei Genitricis sub similitudinibus rerum corporalium adumbrabimus, compellantes eam Speculum iustitiae, Sedes sapientiae, Causa nostrae laetitiae, Vas spirituale, Vas honorabile, Vas insigne devotionis, Rosa mystica, Turris davidica, Turris eburnea, Domus aurea, Foederis arca, Ianua coeli, Stella matutina, etc. quo imbecillis intellectus noster per similitudines corporales, et visibiles ad dignitatem tantae Virginis contemplandam se attollere possit, et excellentiam gratiae, donorum, ac virtutum eius, nec non propensionem erga nos melius percipere valeat. Canimus igitur Virgini nostrae: Speculum iustitiae. Et claritatis gratia quaerimus**

DISCURSUS CCLXXXV

QUA RATIONE DEIPARA VIRGO DICITUR SPECULUM

1 Speculorum tres species. Tres inveniuntur speculorum species, aqua nimirum, ignis et crystallum. In illo se aspexisse Corydonem adeo perspicue, ut sibi ipsi summe placuerit, testatur Virgilius 2 egloga:

Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi.

Salmusem puellam magnam vitae partem secus stagnum transegisse, eo quod aqua ei speculum esset ad discriminandos crines, faciemque fucandam, auctor est Ovidius in Metamorphosi.

Quod speculum igneum esse solebat, Cuspinianus narrat, qui Proclum Anastasii imperatoris artificem ingentia fecisse specula scribit adeo exquisita arte, ut in maritimorum portuum turribus posita, emissis a se flammis, numerosam navium classem combusserint. Crystallina, et vitrea specula omnibus nota sunt.

2 Virgo Deipara una existens, simul aqueum, igneum et crystallinum speculum fuit. Aqueum, teste sponso Cant. 7, 4: *Oculi tui sicut piscinae in Hesebon*, hoc est sicut in illis piscinis perlucida est aqua, ita et oculi tui speculorum more, quae intuentium imaginem reddunt, ac repraesentant se referunt. Igneum speculum fuit, nam latius, ac longius B. Virgo principes tenebrarum inflammabat, et exurebat, quam dicta illa specula Procli naves a longe comburentia; quod saepius citata auctoritas Richardi victorini testatur, quae in commentariis in Cant. cap. 26 ita habet: *Virgo tenebrarum principibus terribilis fuit, ut ad eam accedere, eamque tentare non praesumpserint. Deterrebat eos flamma caritatis, incendebant orationes, et fervor devotionis*, etc.

Puritas B. M. Virginis. Crystallinum fuit, quia quicquid munditiei, quicquid puritatis, quicquid claritatis esse, excogitarique potest, hoc totum gradu quodam eminentiori B. V. Maria in se habuit.

3 Mundus Dei speculum. Totus mundus est speculum Dei, in quo relucent multiplices perfectiones eius, puta omnipotentia, bonitas, sapientia, immensitas, aeternitas, omniscientia, et alia eius essentialia attributa. Unde Trismegistus libro 3 Pimandri mundum appellavit librum divinitatis, et speculum divinorum, in quo nimirum Deus seipsum quasi Apelles summus clare expressit, et depinxit. Quod confirmans Apostolus Rom. 1, 20 ait: *Invisibilia enim ipsius Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, et divinitas.*

In B. V. Maria attributa divina relucent. Deipara Virgo inter omnes creaturas excellentissima censetur, proinde necesse est eam inter omnia creata specula perfectissimum omnium, atque splendidissimum speculum esse. Quare invisibilia Dei, puta potentia, sapientia, bonitas, scientia in ea clarius cognoscuntur, et melius percipiuntur; quo enim effectus perfectior est, eo in perfectiorem cognitionem causae hominem ducit.

Speculum magnum figuram magnam, parvum vero parvam repraesentat. Ceterae creaturae in comparatione Virginis specula parva sunt, et ideo imperfecta, ac diminute Dei magnitudinem referunt. At Beata Virgo maximum speculum est; ideo ipsa inter omnes puras creaturas perfectissime Dei magnitudinem repraesentat. 4

Homo et angelus praeclara quaedam Dei specula sunt, utpote ad imaginem Dei uterque creatus. Verum comparati ad Virginem puritatem, et claritatem suam amittere videntur.

Tria sunt speculorum genera. Quaedam figurae prominentis, quaedam figurae planae, quaedam vero concavae. Specula prominentia parvas res ostendunt, quae in eis repraesentantur. Plana nec parvas, nec magnas, sed mediocres exhibent. Concava magnas repraesentant. Non secus in hominibus, et angelis. Superbi velut specula tumentia Deum, alioquin in se magnum, parvum et exiguum referunt. Sancti vero homines, imperfecti tamen pro humana fragilitate, tanquam plana specula nec parvam, nec magnam Dei speciem exhibent, sed mediocrem. Beata autem Virgo Maria velut speculum concavum per profundissimam humilitatem Deum maximum in se repraesentat. Unde canit: *Magnificat*, hoc est magnum facit, sive magnum exhibeat, *anima mea Dominum.* 5 Speculorum tria genera.

Christus dictus est speculum Sap. 7, 29: *Speculum sine macula.* Vere *speculum*, quia totius sanctitatis norma, et omnium virtutum perfectissimum exemplar. *Sine macula*, quia sanctus, innocens, purus, omnisque labis expers. *Talis decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus*, Hebr. 7, 26. Talem quoque decebat esse Virginem, ut nimirum et ipsa speculum sine macula fieret. Divus Anselmus de conceptu virginali ait: *Decebat Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi.* 6

Speculum, nisi sit purum et clarum aspicienti, figuram et imaginem recipere non valet. Ita Deus Pater minime suam figuram, hoc est Filium, in hoc mariano speculo impressisset, nisi illud omnis sordis expers, et ab omni macula vacuum fuisset. Sed quoniam vita B. M. Virginis nihil aliud, quam expressum vitae Christi exemplar fuit, ideo et ipsa optime speculum sine macula dici potest.

Speculum accipit in se imaginem, seu figuram eius qui fecit 7

Digitized by Google

illud: ita et Beata Virgo in se recepit eum qui fecit illam. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Cum enim B. Virgo esset speculum tersum, politum ac splendidissimum, Pater aeternus illud intueri dignatus est, et in eo figuram, et imaginem suam, hoc est Filium, de quo Apostolus ad Hebraeos 1, 3 scribens, ait: *Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius*, impressit.

8 Speculum quantumvis lucidissimum sit, halitu tamen oris maculatur et obscuratur. B. Virgo tam fulgidum fuit speculum, talique puritatis splendore coruscans, ut antiqui serpentis halitus, quo universum genus humanum infecit, illam minime macularet, nec minima peccati venialis nebula obscuraret (1). Ipsa enim est quae caput serpentis tartarei contrivit; contrito autem capite, halitum et respirationem in eo oppressit.

9 Fabricator speculi, quantumcumque magnus sit, totam tamen ac integram speciem suam in eo conspicit: ita Deus mariani huius speculi artifex, licet immensus sit, totus tamen intra virginei thalami claustra se recepit. Quod Isaias spiritu prophetico praevidens Virgini congratulatus est in haec verba: *Exulta, et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel*, Isai. 12, 6.

10 Speculi haec est proprietas, ut si illud solaribus radiis exponas, iuxta materiam dispositam continuo ex reflexione et reverberatione radiorum solarium in speculo facta ignis generetur. Ad eundem modum, cum Deus sol iustitiae ignitos virtutis suae radios in speculum marianum misit, continuo ignis ille divinus, hoc est Dei Filius, de quo Deuter. 4, 24: *Dominus Deus tuus ignis consumens est*, in utero virginali conceptus est.

11 Docet Plinius lib. 1, c. 107, specula concava obversa solis radiis facilius accendi; quae si crystallina fuerint, capiendo, et transmittando aptiora sunt, quam vitrea, vel aerea. Speculum concavum, illudque non vitreum, vel aereum, sed crystallinum fuit B. V. Maria; concavum per humilitatem, crystallinum per puritatem. Esto, fuerint alii sancti specula humilitate profunda, puritate candida; nullus tamen tam profunda demissione, tam candida innocentia fuit ac Maria; idcirco nullum tantum ardoris, tantum claritatis a sole iustitiae accepit, ac Maria.

12 Quemadmodum radius solaris ingreditur speculum et egreditur a speculo absque ulla illius laesione: Ita Christus uterum Mariae ingressus, et ab eo per nativitatem egressus est absque ulla maternae virginitatis corruptione. Matris namque integritatem non minuit, sed sacravit, ac rutilantem magis, ac splendidiorem reddidit. Hoc cogitans s. Augustinus serm. de nativit. Christi, ita aiebat: *Solis radius speculum penetrat, et soliditatem eius insensibili subtilitate pertransit, et talis videtur intrinsecus, qualis est extrinsecus; ita nec cum ingreditur, illud dissipat, quia ingressu, et egressu eius speculum integrum perseverat. Speculum ergo non rumpit solis radius: et integritatem Virginis ingressus vitiare potuit radius divinitatis?*

13 Speculum imagines omnium ac aspicientium, sive parvi sint, sive magni, sive pulcri, sive deformes, in se recepit. Ita B. V. Maria omnes ad se confugientes, sive sint nobiles, sive ignobiles, sive iusti, sive peccatores, materno affectu suscipit. *Omnibus omnia facta est*, ait d. Bernardus serm. super *Signum magnum*, *sapientibus, et insipientibus copiosissima caritate debitricem se fecit, omnibus misericordiae suae sinum aperit, ut de plenitudine eius accipiant universi*, etc. Vides igitur quam convenienter Maria dicatur speculum. Nunc inquiramus

DISCURSUS CCLXXXVI

CUR DEUS MARIAM VOLUIT ESSE SPECULUM

1 Speculi cuiusque finis triplex. Non solum Deus Mariam speculum esse voluit, sed etiam hoc ei donavit, ut in ea sola universi proprii speculorum fines, et effectus perficerentur. Finis cuiusque speculi primus, ac praecipuus est tum sordium, tum pulcritudinis agnitio. Secundus macularum abstersio, quas persona speculans abstergit, cum speculum indicat. Tertius ipsa pulcritudo, quae ex huiusmodi purificatione procedens in speculo repraesentatur. Omnia specula naturalia primum dumtaxat efficiunt, macularum scilicet cognitionem. Purgationem enim macularum, et pulcritudinem non causat. Si enim maculata est facies, speculum eam non purgat: si compressus est nasus, si oculi torvi, aut lippientes, aut torta labia, speculum ea non reparabit. At Deipara Virgo tale speculum est, ut tres istos speculi fines praestet atque perficiat.

I. In primis valet ad macularum cognitionem. Quisquis enim 2
Deiparam Virginem tanquam fulgentissimum speculum sibi ob oculos proposuerit, quisquis profundissimam eius humilitatem diligenter perpenderit, magnos huius virtutis in se explorabit defectus; sentiet in se insatiabilem ambitionem, ridiculam iactantiam, turgentem superbiam, honorum vanam appetentiam, inanis gloriae aviditatem. Quisquis huius Virginis honestatem ac modestiam cum puritate et candore coniunctam contemplatus fuerit, minime non poterit deprehendere propriam vel incompositionem, vel immodestiam, vel impudicitiam, dissolutionem, pervicaciam, nimiamque in vivendo licentiam. Quisquis huius Virginis taciturnitatem, suavitatem, mansuetudinem, clementiam, solitudinem, patientiam, caritatem attentius consideraverit, quomodo non agnoscet magnam sui a Virgine disparitatem, suam loquacitatem, asperitatem, iracundiam, inclementiam, ignaviam, impatientiam, atque caritatis defectum?

Speculum, ait Seneca lib. 1 naturalium, q. 12, cap. 17, natura porrexit, ut homo seipsum nosceret, qui suos in se oculos 3 Cognitio sui ipsius quanta bona pariat.
vultumque inflectere non potest. Ita B. Virginem Deus nobis dedit, ut nos ipsos cognoscamus, et per nostri cognitionem ad Dei notitiam ascendamus. Qui enim cognoscit se creaturam esse, utique cognoscit suum Creatorem esse: qui scit se servum, ignorare non potest habere se dominum: qui novit se aliquando non fuisse, hunc non latet esse alium per quem conditus est: qui videt se propriis viribus subsistere non posse, hic auxilium alienum implorare non omittat: hinc timor Dei, hinc amor, hinc fides, hinc spes, aliaeque virtutes pullulant. Ecce quot bona cognitio sui pariat. Hinc s. Augustinus hoc unum per totam vitam orabat: *Noverim me, noverim te Domine*. Et philosophi sole lumine naturali illustrati illam sententiam, *Nosce teipsum*, velut vocem coelitus delapsam summa veneratione colebant, et delficae columnae aureis litteris inscribebant, ut Ausonius narrat. Ism ad notitiam sui, ut probatum dedimus, nullum aliud clarius speculum reperiri potest, quam Deipara Virgo. Merito igitur eam Deus voluit esse speculum ad cognoscendas animarum nostrarum maculas.

II. Postea divinum hoc speculum valet ad abstersionem ma- 4
cularum. Est enim B. Virgo, teste d. Ambrosio lib. 2 de virginibus, velut speculum, in quo refulget species castitatis, et forma virtutum: ipsa quid effugere, quid corrigere, quid tenere debeamus, ostendit. Superbi considerantes se in hoc humilitatis speculo elationis suae maculas abstergent. Avari hoc paupertatis speculum intuentes rerum terrenarum cupiditatem e cordibus abiicient. Libidinosi hoc purissimum castitatis speculum aspicientes concupiscentiae carnalis maculas lacrymis abluent. Iracundi hoc mansuetudinis speculum spectantes calorem iracundiae extinguent. Tepidi hoc devotionis speculum contemplantes languorem animi abiicient, et divinum fervorem concipient. Summa est: Quicquid turpitudinis quispiam in animo habuerit, in hoc puritatis speculo se contemplans agnoscet, et si Deum amat, si salutis suae desiderio tenetur, abluet et abterget.

Placet nonnulla heroicarum virtutum exempla adducere, quae 5 Speculum variarum virtutum Maria.
in hoc lucidissimo speculo refulgent et nostras maculas abstergunt. Turbatur Virgo in sermone angeli in forma viri apparentis, Luc. 1, et virgines verecundiam docet sectari, et petulantiam vitare. Ait Virgo: *Virum non cognosco*, et castitatem monstrat, libidinem vero comprimendam esse docet. Ait: *Ecce ancilla Domini*, humilitatem commendat, et superbiam arguit. In montana cum festinatione vadit, intrat in domum Zachariae, et salutat Elisabeth, caritatem Dei, et proximi suadet, et nostram tepiditatem damnat. In cantico *Magnificat anima mea Dominum*, etc. ad gratitudinem erga Deum ob beneficia accepta nos hortatur, et ingratitudinem fugere suadet. Vadit in Bethlehem cum Ioseph, quo nomen suum reique familiaris apographum iuxta Caesaris decretum reddat, et ad obedientiam nos trahit, inobedientiam vero detestari monet. Vadit in templum purganda, et secundum legem Moysis sacrificium offert, et maioris puritatis amorem insinuat, et negligentiam in profectu virtutum vitan-

(1) Dicendum est absolute: *nec ulla peccati nebula obscuraret*, cum sit de fide B. Virginem nullam habuisse labem non solum actualem, uti est tenialis, sed nec originalem. *Editor.*

Digitized by Google

dam esse indicat. Ad Filium loquens: *Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te*, et ad dolorem, ac poenitentiam ab amissam Christi gratiam commonet. Rursus Filium compellans: *Vinum non habent*, et misericordiam ac compassionem erga proximi miseriam nobis commendat. Stat *iuxta crucem Iesu*, et ad constantiam ac patientiam in quibusvis rebus adversis nos excitat. O speculum regale! o exemplar virtutum singulare!

6 Averrois dictum de Aristotele. Magnus ille philosophus Averroes de aristotelici ingenii acumine loquens, hoc de eo protulit elogium: *Creditur quod iste homo fuerit regula in natura, quam natura invenit ad demonstrandam ultimam perfectionem in scientia totius naturae.* Ita sane in ordine supernaturali B. Virgo fuit velut regula quaedam, et norma recta vivendi hominibus coelitus data, ut quicumque eam aspexerit, cuiusvis virtutis exemplum haberet, et contra quodvis vitium opportunum remedium inveniret.

7 Exodi 30, 19 legimus, Moysen fecisse concham quandam super basim positam, variis mulierum speculis circumornatam, ut sacerdotes se in illis aspicientes maculas abluerent. Verba Moysis sunt haec: *Missa aqua, lavabunt in ea Aaron, et filii eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accessuri sunt ad altare*, Exod. 30, 19. Ita pariter Deus in Ecclesia Beatissimam Virginem velut lucidissimum speculum posuit, in quo nedum sacerdotes, verum et quicumque mortales suorum vitiorum naevos agnoscerent, agnitos abluerent, et ad normam illius rationem vitae suae componerent.

8 Socratis speculum. III. Tandem speculum marianum valet ad pulcritudinem obtinendam. Socrates homo aevi sui sapientissimus speculum gerebat, ad quod adolescentulos adducere solebat, ut qui se perspexissent corporis, et ingenii dotibus praestare, virtutem libenter amplecterentur. Quibus vero illae dotes non obtingerent, maiori conatu et viribus virtutem, et scientiam quaererent. Avicenna quoque Maurorum acutissimus iis, quibus os distortum esset, frequentius se in speculo inspicere iubebat, ut oris ignominiam verborum honestate tegere niterentur. Apuleius libro de Deo. Longe prudentiori consilio Deus sanctos velut specula viva et animata nobis ob oculos ponit, quatenus ea aspicientes, et pulcritudinem virtutum in eis contemplantes eam amplecti studeamus.

Avicennae salubre consilium

9 Speculum ex duplici materia fit. Inter haec specula lucidissimum ac tersissimum speculum est B. V. Maria, in quo variarum virtutum formas conspicimus, quae nobis ad imitandum proponuntur. Speculum ex duplici materia componitur, plumbo videlicet, et crystallo vel vitro. Illa obscura, haec transparens et lucida. Ita B. Virgo ex geminis virtutibus coalescit. Obscura puta humilitate, et clara virginitate. *O quam pulcra est casta generatio cum claritate*, ait Sapiens 4, 1. Speculum subtus est vile, obscurum, deforme, supra nobile, clarum, splendidum. Talis fuit B. V. Maria; subtus humilis et abiecta, supra formosa et divina; extra omnem ornatum saeculi contemnens, intus omnigenis virtutibus coruscans.

10 Age igitur hoc divinum speculum contemplemur, virtutes in eo resplendentes admiremur, illud nobis in exemplar assumamus ad eius normam mores nostros componamus. Olim antequam Filius Dei homo factus esset, et matrem in terris haberet, per Isaiam prophetam populum suum his verbis hortatus est 51, 2: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram matrem vestram*, hoc est, defigite oculos in veterum patrum vestrorum fidem, obedientiam, ceterasque virtutes eorum eximias, atque etiam in remunerationem quam a Deo acceperunt, idque eo fine, ut et vos eorum insistatis vestigiis, et parem cum eis remunerationem obtineatis. Quod tunc in figura dictum est, id nobis iam clare et aperte dicitur. Attendite ad Christum Patrem vestrum, qui pro vobis mortem appetens in cruce per gratiam vos in filios suos genuit. Attendite ad gloriosissimam Mariam mundi Dominam in Sara illa antiqua praefiguratam; considerate sedulo eius vitam, mores; ad eius normam vitam vestram componite; vitia vestra corrigite; mores reformate, exornate; vitaeque Christi et Mariae vos conformate.

11 *Mementote*, ait Apostolus Hebr. 13, 7, *praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Praepositi illi quos imitandos proponit d. Paulus, fuerunt apostoli, virique apostolici, ad quorum imitationem nos invitat; sed multo magis ad imitandam Sanctissimam Virginem, ipsorum omnium apostolorum magistram, et perfectissimum vitae apostolicae exemplar.

12 Ad quod respiciens s. Methodius in hypapantem B. Virginem, *Facem fidelium* vocat. Nam sicut fax accensa non tantum solet in se, sed aliis etiam lucem praebet: ita B. Virgo non tantum caritatis igne in se flagrabat, sed et exempli fulgore aliis praeluxit. Eam igitur nobis velut speculum proponamus, ad illius formam mores nostros componamus, animum ornemus, vitam actionesque nostras eius vitae actionibusque conformemus, ut ei conregnare mereamur. Amen. Fax fidelium B. V. Maria.

DISCURSUS CCLXXXVII

QUATENUS DEIPARA VIRGO SIT SPECULUM IUSTITIAE DECLARATUR, ET VIRTUTES EIUS SINGILLATIM RECENSENTUR, ET AD IMITANDUM PROPONUNTUR

Etsi iustitia proprium et peculiare sit nomen unius de quatuor virtutibus cardinalibus; simul tamen universale et commune nomen est omni virtuti, et sanctitati. Bonam siquidem et sanctam vitam vocare solemus iustitiam. Prov. 11, 6: *Iustitia rectorum liberabit eos.* Et Matth. 3, 15: *Sic decet nos implere omnem iustitiam*; et 5, 6: *Beati qui esuriunt, et sitiunt iustitiam*; et rursus vers. 20: *Nisi abundaverit iustitia vestra*, id est virtus vestra, *plusquam Scribarum, et Pharisaeorum*. Virtutis autem nomine non solum externa bona, ut ieiunium, oratio, eleemosyna, paupertas, castitas, solitudo, etc. sed etiam interni affectus, puta fidei, spei, caritatis, purae intentionis, ceterarumque sanctarum affectionum actus intelliguntur. Omnium enim virtutum illustre fuit exemplar B. V. Maria, adeoque virtutibus omnibus excelluit, ut cunctis fidelibus per omnia saecula posita sit a Deo in speculum quod omnes aspiciant. Alii sancti, ait s. Thomas opusculo 8, specialia quaedam virtutum opera exercuerunt, quia alius fuit humilis, alius castus, et ideo ipsi dantur in exemplar specialium virtutum; sed B. Virgo in exemplar omnium. Si enim hoc speculum diligentius inspicias, nihil erit virtutis, nihil speciositatis, nihil candoris gloriaeque, quod in illo non resplendeat. 1

Concurrite ergo avidae virtutum perfectionumque virgines. Concurrite et vos viri, ac feminae, quotquot vitae vestrae perfectissimum optatis habere exemplar. In Maria invenietis omnium sanctorum virtutum exempla. Age si lubet, ea inspiciamus. 2

Maria speculum fidei

Fides se in primis offert uti semen, radix, fundamentum, et origo aliarum virtutum. Hac virtute B. V. Maria maxime excelluit, uti fuse probatum dedimus, tomo superiore disc. XCIII, et in hoc secundo tomo paulo ante in epitheto, *Virgo fidelis*. Nonnulla addere libet. 3 Fides B. Virginis quanta.

Magna fuit Virginis nostrae fides, quae eius uterum in Dei habitaculum praeparavit, et fidei latitudine hospitii angustiis occurrit. Auditis angeli verbis statim credidit, et Dei Mater effecta est. Fides hoc praestitit; nam ex magnitudine fidei, qua credidit, quod virgo posset Deum parere, et de sua substantia Deus homo fieri, illa verba protulit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Hinc Elisabeth ad eam: *Beata*, inquit, *quae credidisti*, quasi fidei eius tribuens tantum beneficium ipsi a Deo collatum. Et s. Ildephonsus serm. 1 de nativ. B. M. Virginis angelum ita loquentem inducit: *Non expavescas partum Virgo, nec metuas, neque multum sis inexperta formidine; tantum crede, et concepisti.* Hoc est, quod doctores dicunt, *B. Virginem concepisse per aurem*, quia fides ex auditu. Magna fuit Mariae fides, quae nullum unquam vel levissimum contra fidem motum habuit, quo solent etiam fidelissimi Dei servi aliquando praeter voluntatem eorum concuti. Nec obstat illud quod ab angelo nuntiante Christi incarnationem sciscitata est: *Quomodo fiet istud?* Nam interrogatio illa processit non ex dubietate, sed ex admiratione, ut tomo superiore, disc. CXLV contra haereticos disputantes copiose ostendimus. 4 Fide B. Virgo facta est Dei Mater.

Propter hanc fidei excellentiam Deipara Virgo a b. Ignatio vocatur, *Christianae religionis magistra*, a d. Augustino, *Mater credentium*, a d. Athanasio, *Haeresum interemptrix*, a d. Cyrillo, *Sceptrum fidei*. Sceptrum hieroglyphicum regni esse ex litteris sacris tradit Pierius lib. 41. Beata igitur Virgo *sceptrum fidei* dicitur; quia fides eius tam sublimis est, ut veluti res inter aliorum fidelium fidem emineat. Porro quam eminens fuerit 5 Fidei marianae encomia. Sceptrum fidei B. Virgo cur dicta.

Digitized by Google

fides Mariae, demonstratum est disc. XCIII, et in epitheto proxime praecedenti. Hanc igitur Mariae fidem congrua devotione sectemur; in quibusvis tribulationum fluctibus, in quibusvis adversitatum procellis in ea firmiter permaneamus exemplo Mariae.

Maria speculum spei et fiduciae in Deum

6 Spes in B. Virgine quanta. Beatissima Virgo firmissima spe, certissimaque fiducia in Deum erecta fuit. Primo, cum divinae tutelae in aetate tenera se tradidit, et non alium custodem et vindicem suae virginalis integritatis, quam illum ipsum elegit. Secundo, postquam Iosepho desponsata est, totum illud negotium Deo commendavit, firmissimeque credens eum effecturum, ut salvis nuptiarum foederibus, perpetuum virginitatis propositum sibi integrum remaneret. Ulterius, summam hanc in Deum confidentiam Virgo prodidit, cum Ioseph sponsum suum adeo turbatum vidit, ut de ea deserenda cogitaret, Matth. 1, 19: nec tamen Iosephum coelestis conceptus certiorem fecit. Qua putas in Deum spe cor eius tunc rapiebatur, cum ne verbulo quidem dilecto sponso suo mentis suae arcana patefaceret; sed ex sola divino arbitrio suspensa haereret, firmissimaque spe freta Deum ex illo animi cruciatu, et angore Ioseph sponsum suum liberaturum, suamque pudicitiam ab omni malae suspicionis nota vindicaturum, nec permissurum, ut sacratissimum illud matrimonium divino consilio contractum infami divortio distraheretur? Immo certissime credebat, haec omnia ad divinae maiestatis gloriam, sponsique sui Ioseph, et omnium electorum salutem cessura.

7 Spes Mariae. Praeterea, cum in Cana Galilaeae vinum deficere advertisset, quanta fiducia Filium suum interpellata est? Nondum eum miracula facientem viderat, nondum divinitatis suae potentiam declarantem conspexerat; et tamen spem certissimam concepit eum tantae inopiae insigni cum miraculo subventurum, et quamprimum occultam divinitatis suae potentiam manifestaturum.

8 Et adverte, quomodo negotium tam grande, opus tam sublime, et tanto studio a B. Virgine optatum, ipsa nec rationibus fulcit, nec importunis precibus extorquet; sed tantum necessitatem indicat, ut hinc discas magnae fiduciae in Deum argumentum esse, ut postquam feceris quae officii tui sunt, reliqua divinae voluntati committas, sciens nihil aliud te posse efficere, quam quod divinae placitum fuerit voluntati.

9 Hoc exemplo edocti nos quoque non gloriae mundanae, non amicis, non sanitati, non divitiis, non robori corporis, non alicui creaturae, nostraeque in primis prudentiae, sed Deo fidamus; in eo solo spem nostram collocemus; ex eo solo mente, animoque pendeamus exemplo Virginis, quae omnem spem suam in Deo collocabat, hac spe pascebatur, nutriebatur, roborabatur. O si mihi quoque tale pabulum praeberetur, et cor meum altius erigeret. Beatus ego, et mecum omnes tali dono, quod ad divina attollit, et hominem ad Deum rapit.

Maria speculum amoris erga Deum

10 Caritas B. Virginis erga Deum. Amorem Virginis erga Deum nemo satis digne nedum explicare, verum ne cogitare quidem potest. *Una est Mariae et Christi caro; unus spiritus, una caritas*, ait Arnoldus carnutensis tractatu de laud. Virginis. Deus caritas dicitur: *Deus caritas est*, 1 Ioan. 4, 16; Maria quoque caritas appellatur Cant. 2, 7: *Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam.* S. Gregorius nyssenus hom. 4 in Cantica legit: *Si excitetis, et expergisci faciatis caritatem.* Quis ergo digne tantae caritatis ardorem explicet? quis plene amoris tanti magnitudinem cogitet?

Tanti amoris ignes clare pro nostra tenuitate, tomo superiora, discursu XCVI per totum ostendimus, nunc iis quae diximus aliqua addamus, et quantum superabat amor B. Virginis aliorum sanctorum amorem erga Deum dilucidemus.

11 Amor B. Virginis erga Deum habebat quatuor praeclara insignia, quibus omnium sanctorum amorem antecellebat. Primum, reliqui sancti diligunt Deum, ut filii patrem; at Deipara ultra hoc diligebat eum, sicut mater diligit unicum Filium suum. Amor autem parentum erga filios vehementior est, quam amor filiorum erga parentes, ut docet Aristoteles lib. 8 ethicorum, cap. 12; et probat d. Thomas 2 2, q. 26, art. 9: *Vehementior est*, inquiens, *amor parentum erga filios, quam filiorum erga parentes. Prima quidem, quia parentes diligunt filios ut aliquid sui existentes; pater autem non est aliquid filii. Et ideo dilectio secundum quam pater diligit filium, similior est dilectioni, qua quis diligit seipsum. Secundo, quia parentes magis sciunt aliquos esse suos filios, quam e converso. Tertio, quia filius est magis propinquus parenti, utpote pars existens, quam pater filio ad quem habet habitudinem principii. Quarto, quia parentes diutius amaverunt. Nam statim pater incipit diligere filium, filius autem tempore procedente incipit diligere patrem. Dilectio autem quanto est diuturnior, tanto est fortior*, secundum illud Eccli. 9, 14: *Ne derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit similis illi.* Haec s. Thomas. Unde David ad declarandam magnitudinem sui amoris erga amicum suum Ionatham dixit: *Sicut Mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* Quanto ergo vehementius B. Virgo diligebat talem filium, cuius illa sola genitrix fuerat, et in qua matris simul, et patris amor erga filium erat? Filium, inquam, qui eam ad dignitatem pene infinitam evexit, ut nimirum esset illius Mater, cuius Deus est Pater. Sicut ergo Pater aeternus infinite diligit unigenitum suum, ita Deipara incomparabiliter plusquam omnes sancti diligebat Christum Dominum a se genitum. *Et quid mirum*, inquit d. Bonaventura, *quod prae omnibus diligat, quae prae omnibus est dilecta?* Amor enim humanus mensuram accipit ex amore divino.

Secundo, reliqui sancti non ita pure dilexerunt Deum, quia aliquando diligerant aliquid praeter ipsum, et quod non esset secundum ipsum; cum constet eos saepius peccasse saltem venialiter. At Deipara ita Deum amabat, ut nihil unquam praeter Deum dilexerit, et quod non esset secundum Deum, et propter ipsum; ut, ut docet d. Bernardinus senensis serm. 51 de concept. c. 3, *Nihil unquam elegit, nisi quod ei sapientia divina demonstrabat.* 12 Amor Dei in Virgine purus fuit, et qualenus.

Tertio, alii sancti non iugiter, nec continue Deum diligebant, cum multa cogebant eos huiusmodi actum quandoque intermittere, ut somnus, incogitantia, atque peccata venialia, quae nonnisi in Deum referuntur, licet neque omnino avertunt ab eo. At D. Virgo continua erat et iugis in dilectione Dei. Nam quamdiu erat in vigilia, ex speciali Dei privilegio semper Deo intenta Deum amabat, nec ab eius amore unquam cessabat. Cum enim perfectum dominium haberet suorum actuum, nunquam operabatur, nisi plane deliberans, et ex Dei amore cuncta disponens, ut singulariter impleverit illud Apostoli 1 Corinth. 16, 14: *Omnia vestra in caritate fiant.* Immo multi graves doctores affirmant, etiam dormiendo a contemplatione et amore Dei non cessasse, quorum numero est d. Bernardinus senensis superius a nobis citatus. Idque testari videtur d. Ambrosius lib. 3 de virginibus, ubi laudes Virginis canens, ait: *Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit; et tamen cum requiesceret corpus, vigilaret animus.* Nec dubium quin saepius sicut patriarcha Iacob dormiens divina viderit mysteria, et cor erga Dei amorem semper vigilabat, adeo ut tandem amore Dei languens defecerit, et obierit, semper apud amorem suum victura. Neque enim alio morbo correpta, quam amore divino (si amor talis morbus, non morborum potius medicina dicendus est) ex hac vita decessit, ut omnes doctores adstruunt. 13 Amor Dei in B. Virgine continuus fuit.

Quarto, alii sancti saepius tepide et remisse operabantur. At B. Virgo diligebat Deum summa intentione et conatu, quo poterat, secundum omnem efficaciam gratiae, et caritatis quam habebat. Unde concludo amorem Virginis intensissimum fuisse, tantumque excessisse amorem aliorum sanctorum, quantum sol in claritate excellit stellas, et mare rivulos immensitate aquarum. Cum igitur ex immensitate amoris colligatur mensura sanctitatis, sequitur B. Virginem sanctam, immo sanctissimam fuisse, quae tot gradibus amoris alios sanctos superavit. Proinde iure a d. Bonaventura loco superius citato scriptum est: *Christi et Mariae comparatione omnis curia caelestis tepet amore Dei.* Vide quae inferius dicemus de amore Virginis erga Deum in epitheto, *Vas insigne devotionis.* 14

Maria speculum amoris erga proximum

Amor Dei non sistit in solo Deo, sed etiam extendit se ad dilectionem proximi; ratio enim diligendi proximum Deus est. Hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit. Ita s. Thomas 2 2, q. 25, art. 1. Cum igitur Deipara Virgo Deum tantopere dilexerit, consequens est eam proximum quoque ardentissime di- 15

Digitized by Google

luisse. Id praefiguratum habemus in illa arca Noe, quam Deus iussit intrinsecus, et extrinsecus liniri bitumine, Gen. 6. Bitumen caritatem significat Dei, et proximi. Lyranus hic: *Et bitumine*, inquit, *id est caritate linies eam intrinsecus, id est caritate ad Deum, et extrinsecus, id est caritate ad proximum.* Arcam illam fuisse figuram Mariae actum est: quemadmodum igitur arca illa intrinsecus et extrinsecus bitumine linita fuit, ita B. Virgo caritate Dei et proximi ornata extitit.

16 Amor erga proximum in B. M. Virgine se prodit. 1. In desiderio venturi Messiae.

Hic autem amor proximi primo innotuit in ardenti desiderio Messiae venturi. Ubi haec Virgo genus humanum aliquando a perditione liberandum cognovit, ardentissimis precibus a Deo postulavit, ut Messiam mundo promissum mittere non tardaret. Coniungebat Virgo devotissima vota sua ac desideria votis patrum antiquorum, qui cum ingenti desiderio clamabant: *utinam dirumperes coelos et descenderes*: atque suis votis, ac precibus tantum apud Deum obtinuisse creditur, ut Messias adventum suum accelleraret. Si enim ad hoc veterum patrum preces plurimum valuerunt, ut theologi fatentur, quanto magis sacratissimae Virginis ardens desiderium profuit, quae longe ardentiori caritate adventum Messiae flagitavit? Putat s. Bonaventura 3 sent. dist. 4, q. 2, quaestiuncula 1 et 2, Beatam Virginem tantae caritatis beneficio, tam copiosis gratiae donis locupletatam fuisse, ut sola apud Deum plus mereri potuerit, quam omnia antiquae legis patres sanctissimi.

Meritorum B. M. Virginis efficacia quanta.

17 2. In assensu ad verbo angeli.

Rursus prodit se amor eius erga proximum in assensu ad legationem angeli. Ut vidit ad salutem generis humani praestolari quoque suum assensum, mox obsequia sua animo promptissimo Deo obtulit, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Optabat siquidem, ut tanto malo quantocyus remedium adhiberetur.

18 3. In visitatione Elisabeth.

Ulterius, cum Filium iam in utero concepisset, clarissimum fraternae caritatis signum, et luculentum testimonium dedit, cum Elisabeth cognatam suam visitavit, et Salvatorem mundi, qui Ioannem Baptistam sanctificaret, in suo utero virginali portavit. Non illam solitudinis amor, non itineris molestia a proposito revocavit. Idem amor effecit, ut silentii claustra rumperet, ut in publicum prodiret, ut iter tam longum et laboriosum iret. Amor alas addidit, ut festinaret, et nullas itineris molestias sentiret. Amor operatus est, ut cognatae suae de beneficio accepto gratularetur, et obsequia sua prompte et alacriter ei impenderet. Amor extorsit, ut tribus mensibus in domo Elisabeth maneret, eique in partu serviret. O quam pulcrum amoris modum hoc marianum speculum nobis ostendit! Plerique putant ad amorem proximi sufficere, si ei omnia fausta et felicia optes, si cum verbis amicis salutes, si dulcia colloquia cum eo misceas. Virgo beata docet, etiam operibus caritatem fovendam; cum ad cognatam vadit, eam nedum salutat, verum et beneficiis cumulat. Alii opera quidem caritatis exercent; sed ubi iactura honoris, fortunarum, vel aliud quodvis incommodum occurrit, ob opere desistunt. Virgo nostra nullo habito respectu honoris aut alterius commodi temporalis, proximam iuvat. *Exurgens Maria*, inquit sacer textus, *abiit in montana cum festinatione*, iter tam arduum ob amorem cognatae confecit.

19 4. In purificatione.

Ulterius, hunc amorem declaravit, cum iuxta ritum legis mosaicae ad templum purganda processit, ne videlicet populus mysterii ignarus ex ea scandalum sumeret, interim non curans quid de ea sentiret, vel diceret, quod nimirum eam uti feminam vulgarem, corruptam, immundam, peccatricem haberet.

20 5. In Cana Galilaeae.

Nobile quoque amoris erga proximum exemplum nobis praebuit, cum in Cana Galilaeae vini defectum dilecto Filio suo inculcabat, ab eoque obtinuit, ut ingenti miraculo aquam in vinum converteret. Docet nos non sua, sed aliena quaerere; *Caritas enim non quaerit quae sua sunt.* Docet proximorum necessitatibus compati. Docet in quacumque proximi inopia et aerumna ad Deum per orationem confugere.

21 Quid memorem caritatem illam quam tempore passionis Christi generi humano exhibuit? Nulli dubium esse debet B. Virginem tanto amore erga genus humanum arsisse, ut pro ipso mori una cum Filio admodum impense optaret. Id expressis verbis docuit Arnoldus carnutensis abbas d. Bernardi contemporaneus in tractatu de laudibus Virginis his verbis: *Optabat Virgo ad sanguinem animae et carnis suae addere sanguinem, et elevatis in cruce manibus celebrare cum Filio sacrificium vespertinum, et cum Domino Iesu corporali morte redemptionis nostrae consummare mysterium. Sed hoc solius summi Sacerdotis privilegium erat, ut de sanguine munus intra sancta inferret, nec poterat ei consors haec esse cum aliqua dignitas.* Haec ille.

Sed et propriam vitam pro salute generis humani quodammodo obtulit, et mortem perpessa est, prout idem praesul carnotensis protestatur, dicens: *In tabernaculo illo duo videres altaria, aliud in pectore Mariae, aliud in corpore Christi. Christus carnem, Maria immolabat animam.* De hoc latius agemus in epitheto *Regina martyrum*. 22

Maria speculum dilectionis inimicorum

Huius virtutis egregium specimen speculum marianum nobis exhibet. Matri nullus inimicus maior esse potest, quam qui filium unicum, quem ipsa vita cariorem habet, et in quo omnem spem suam collocat, in mortem rapit. Huiusmodi inimicos multos Beata V. Maria habuit. Iudaeos qui Filium eius unigenitum multis conviciis, contumeliis, maledictis onerabant; Iudam, qui eum tradidit; Scribas et Pharisaeos, qui ei insidias tetenderunt, et causam mortis velut advocati egerunt; Annam et Caipham, qui illum dignum morte in tribunali spirituali velut blasphemum iudicarunt; Herodem, qui illum sprevit, et alba veste indutum illusit; ministros, qui illum alapis caedebant; milites, qui illum comprehenderunt, ligarunt, flagellis caeciderunt; Pilatum, qui eum morti adiudicavit; turbam, quae *tolle, tolle, crucifige*, clamavit; latrones, qui ex cruce illi improperabant; Petrum, qui eum ter abiuravit; apostolos, qui eum deseruerunt. Et tamen hos omnes B. Virgo tanto amore prosequebatur, ut pro quolibet eorum una cum Filio, si id salus eorum exposceret, vitam ponere parata esset. Atque hinc quidem factum quod Christus a persecutoribus suis iniuriis omnibus affectus de ultione quidem a Patre ne esset, timuit. Propter quod Patrem rogavit: *Pater, ignosce illis*, etc. Et cur Matrem quoque non rogavit, ut et ipsa iniurias sibi in Filio illatas condonaret? Equidem Christus sicut Patrem habebat in coelis, ita quoque Matrem in terris; fasque fuit utrumque iniuriis suis laesum aestimare, quando utrique se carissimum sciebat. Unde et Mater roganda erat: Mater ignosce illis. Boni enim et mansueti filii, qui ab hostili manu cadunt, ex hac vita migraturi in more habent, utrumque parentem rogare, ut hostibus iniuriam sibi illatam condonent; intelligunt enim utrumque in persona sua laesum. Et cur Christus optimus, mansuetissimusque Filius idem non fecit? Sciebat nimirum dulcissimam Matrem suam licet laesam, nihil tamen iratam, quin potius ad omnem misericordiam inclinatam. 23 Inimici Mariae. Cur Christus Matrem non oravit, ut suis inimicis parceret.

Cum Filius eius dilectissimus in cruce pendens pro inimicis Patrem orabat, putas Matrem licet afflictissimam tunc pro iisdem non orasse? Oravit plane. Unum enim cor, una anima Filii et Matris erat; proinde quos Filius amabat, pro quibus moriens orabat, pro iisdem illa etiam eodem caritatis igne succensa Deum deprecabatur, mori optabat. Quidni? Si apostolus Paulus tanta erga inimicos caritate flagrabat, ut pro iis nedum mortem obire, verum etiam anathema esse a Christo optabat. *Optabam*, ait, *anathema esse a Christo pro fratribus meis*, Rom. 9, 3. Si sancta Catharina senensis, b. Iacoponus et alii sancti plurimi tanta erga proximos caritate ferebantur, ut non modo pro omnibus hominibus, verum et pro quovis sive amico, sive inimico mori parati essent; certe Virgo Deipara maiori ardore caritatis flagrabat, quae omnium sanctorum, immo seraphinorum caritatem suis ardoribus longe superabat. Haec de dilectione inimicorum. 24 Dilectionis inimicorum exempla.

Maria speculum religionis ac devotionis

Religio est virtus, quae debitum cultum Deo tanquam primo omnium rerum principio exhibet. Cum enim Deus omni genere perfectionis sit praeditus, et ab eo omnia esse, vitam, inspirationem, et omnia accipiant, debetur ei singularis honor, seu cultus, veluti tributum quoddam ab omni creatura rationali, quo illius excellentiam, et suam subiectionem protestetur, ac declaret. Sicut enim regi, quia ab eo quodammodo dependet tranquillitas publica, et felix status reipublicae, debetur honorarium quoddam tributum, quo eius potestatem, et beneficentiam, nostramque subiectionem profiteamur: ita Deo, quia ab ipso dependet esse, vita, et omne bonum nostrum, debetur a nobis singularis cultus, veluti quoddam tributum, quo hoc ipsum cum profunda submissione protestemur, ac declaremus. 25 Religio quid sit.

Haec autem virtus potissimum quatuor functionibus manife- 26

Religionis actus quatuor. statur. Primo, consideratione infinitae maiestatis Dei. Secundo, consideratione nostri nihili, quod videlicet ex nobis nihil sumus, sed omnia a Deo habemus. Tertio profunda mentis submissione, et inclinatione coram Deo, qua mens haec ipsa interius testetur. Quarto, eorundem actuum professione exteriori, puta sacrificiis, verbis, gestu corporis, et aliis huiusmodi.

27 Puncta contemplationis B. M. Virginis. Huius virtutis praeclarum specimen in Maria praeluxit. Ipsa enim debitum cultum Deo uti primo omnium rerum principio semper adeo exacte exhibuit, ut Religionis exemplar ab omnibus merito dicatur et habeatur. Cogita, quaeso, quam incredibili admiratione rapiebatur in infinitam Dei maiestatem, quam humana carne vestitam videbat. Crede eam tota mente in Deum defixam, ecstasim passam esse, cum demirabatur Verbum tacere mutum, Deum hominem, aeternum mortalem, omnipotentem imbecillem, auctorem et moderatorem omnium adeo nudum, tenerum et pauperem apparere; se vero corruptionis et doloris expertem, simul et virginem et matrem existere.

28 Humilitas Mariae. Secundo, considerabat se nihil esse. Agnoscebat suum parvulum vere, ut Isaias praedixerat, *admirabilem esse*, quem statim natum angeli praedicarent, et frequenti choro, publicisque laudibus decorarent; quem bethlehemitici pastores pro suo Messia profiterentur, quem demum Magi seu reges orientales stellae indicio excitati mysticis muneribus venerarentur, ac veluti primitiae gentium supplices adorarent. Haec animo volvens maiestatem Dei infinitam semper ob oculos habebat, et suam nihilitatem adeo respiciebat, ut in laudibus quoque quae illi offerebantur, suam nihilitatem aspiceret. Audierat ab angelo: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*; non se erexit, sed statim se deiecit, inclinavit se, et humilior facta quam antea, dixit: *Ecce ancilla Domini*. Dicta fuit ab angelo *Maria*, quod Dominam significat, et ipsa ancillae nomen, et munus sibi arripuit, ancillam se appellavit. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini*. Immo ancillam Domini se reputabat indignam (1), cum dixit: *Respexit humilitatem ancillae suae*: non dixit: Respexit ancillam suam, sed, *humilitatem ancillae suae*, vel ut alii transferunt, *nihilitatem ancillae suae*, ac si ancillae nomine censeret se indignam, et diceret: quamvis me appellem ancillam Domini, addo tamen humilem, et nihil, ut declarem me non esse dignam, ut sim ancilla Domini. O religionem! o humilitatem!

29 Nec leviter transeundum est illud quod ait: *Fecit mihi magna*. Hoc est non me magnam puto, nihilitatem meam cogito, vilitatem penso. *Fecit mihi magna*, et ideo respectu rerum tam magnarum parvam, immo nihil me existimo. Et unde Virgini tanta religio, et tam profunda humilitas? Audi d. Bernardinum tomo 2, serm. 51, art. 3. c. 2: *Affuit ei aspectus suae propriae nihilitatis, eo quod continue habebat actualem relationem ad divinam maiestatem, et suam nihilitatem*. Et ideo nihil in se, aut infra se vidit, sed nihil se reputavit.

30 Obiectio. Sed ais: Humilitatis hic actus fuit, non religionis. Humilitatem fuisse non abnuo, sed actum religionis principaliter fuisse constanter adstruo. Dicens Virgo: *Ecce ancilla Domini*, et rursus: *Respexit humilitatem ancillae suae*, et iterum: *Fecit mihi magna*, humilem se ostendit. Sed quia id animo declarandi eminentiam divinam dixit, ideo religiosa fuit, immo religionis exemplar.

31 Postremo profunde se submisit, et id exteriori gestu corporis declaravit, cum dixit: *Ecce ancilla Domini*. Ingens in his verbis Mariae exinanitio elucet; quod in Matrem Dei electa ancillam se vocavit, ne in hoc mysterio sibi aliquid tribueret, sed totum Deo.

32 Sunt qui putant, etiam corporis habitu summam religionem, ac humilitatem Virginem prodidisse, dum haec verba proferret: *Ecce ancilla Domini*, in genua provolutam esse. In hac sententia est b. Albertus magnus super *Missus est*, qui ait: *Percepta iam annuntiatione flexis genibus in terram, et elevatis oculis in coelum ac manibus, ex intimo corde, erumpentibus prae gaudio lacrymis, devotissime flagitando dixisse credimus: Ecce ancilla Domini*, etc. *et sic Deum, pariter et hominem concepisse*. Addit statim: *Et iste modus positionis, et situs eorum est, qui de manu angeli, vel sacerdotis suscipiunt dominicum corpus de altari*. En tibi Virginis religionem.

33 Iam vero quis aut oratione, aut cogitatione ulla consequi possit, quanta fuerit Virginis devotio? Devotio est prompta et parata voluntas exequendi ea quae spectant ad divinum servitium. Devotio B. Virginis erga Filium quanta.
O quam prompte illa Filio serviebat, quam alacriter illi ubera praebebat, ac eius ori guttas purissimi lactis instillabat. Cogita si potes, quibus tunc deliciis Deipara abundabat, cum Dei Filium pariter et suum in materno gremio foveret, sive stantem, aut ex virgineo etiam collo pendentem parvulum teneret, atque gestaret. Cogita quam suavis fuerit illa Filii ac Matris coniunctio, cum ambo se mutuo complectebantur, et mirifici amoris non dubiis indiciis inter se quasi certarent. Spectabat Emmanuelem verae fidei oculis longe acutius videns, divinique amoris brachiis multo fortius complectens et stringens Deum suum, Filium suum, Redemptorem suum, et gaudium angelorum. Sed de devotione B. M. Virginis exactius agemus inferius in epitheto, *Vas insigne devotionis*.

Maria speculum humilitatis

Huius virtutis Deipara Virgo dignissimum nobis specimen praebet. 34
Non magnum est humilem esse in abiectione, magna prorsus et rara virtus est humilitas honorata, ait mellifluus Bernardus. Nihil erat sublimius, nihil illustrius Maria, nihil tamen humilius. Si genus spectes, stemmata regum, tiaras pontificum, virgas patriarcharum, tropaea ducum, insignia prophetarum praeferebat. Si dignitatem attendas, nulla maior nedum dici, verum nec excogitari potuit, esse Matrem Dei, gratia plenam, dominam mundi, benedictam non tantum inter mulieres, sed etiam inter omnes tam terrestres, quam coelestes generationes. Quis unquam vidit, quis audivit talia? Et tamen ab angelo salutata, honorificis, quorum iam meminimus, titulis decorata non se extulit, nullo elationis spiritu intumuit, nihil sibi de se applausit, non titulos dignitati suae congruentes, ut reginae angelorum, dominae mundi, sponsae Spiritus sancti sibi adscripsit, sed animo turbata est, et ancillam se Domini nominavit. *Ecce*, inquiens, *ancilla Domini*. *Humilior facta est*, inquit d. Ambrosius libro 2 de virginibus, *ubi se a Deo cognovit electam*. Quod mirans ac stupens d. Bonaventura exclamat: *O mira et profunda humilitas Mariae. Ecce Mariam archangelus alloquitur. Maria gratia plena dicitur: superventio Spiritus sancti ei promittitur: in Matrem Domini assumitur: iam omnibus creaturis anteponitur: iam domina coeli et terrae efficitur: sed in his omnibus mira humilitate deprimitur dicens: Ecce ancilla Domini*. Ipsum longe antea s. Ambrosium in stuporem adduxit, unde libro 2 in Lucam ait: *Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam se dicit Domini, quae mater eligitur, nec magno illo, ac repentino exaltata promisso est*. In tam sublimi dignitate non est periclitata Mariae humilitas, sed profundiores quam antea radices egit, firmior, maior, ac mirabilior effecta est; quanto maiorem se audivit, tanto magis se humiliavit, et humilitate de amplitudine cum dignitate certavit. Vocata est ab angelo *Maria*, quod interpretatur domina, illa ancillam se vocavit, ut tam sublimi dignitati tanta humilitate occurreret. Ad supremum Dei Matris fastigium evecta, honoris culmen demittens, se in extremo ancillarum loco posuit; humilior facta quam antea fuerat, quia amplitudini dignitatis amplitudo humilitatis, quae in sui abiectione consistit, respondere debebat.

Haec vera humilitatis nota est, in dignitate non extolli, in beneficiis non intumescere, sed ad obsequia se promptiorem exhibere. 35 Humilitatis nota.
Talis fuit Maria. Ad dignitatem Dei Matris evecta, tot gratiis, et donis a Deo cumulata non se extulit, non intumuit, sed obsequium suum, humilitatem suam, servitutem suam magis declaravit, auxit, dilatavit. Attende quod ait: *Ecce ancilla Domini*. Pro solo incarnationis mysterio eius obsequium desiderabatur; ipsa tamen servitium suum non restringit, non coarctat, nec tempori, nec loco, nec operi se alligat; non dicit: Utatur Deus opera mea nunc, hic, et in hoc dumtaxat incarnationis mysterio, sed absolute et indefinite ait: *Ecce ancilla Domini*. Utatur Deus opera mea, ut lubet, quando, et ubi lubet, non solum in hoc mysterio, verum et in quovis alio opere semper me ancillam exhibebo, et in omnibus. O veram demissionem! o miram humilitatem!

Demissam humilitatem lego Abigail. Miserat ad eam David, 36
ut desponsaret sibi uxorem. At illa consurgens adoravit prona in

(1) Melius est dicere: non dignam. Vide quod alibi adnotavimus. *Editor*.

terram, et ait: *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei*, 1 Reg. 25, 41. Longe submissior Maria, quae non in uxorem, sed Matrem; non alicuius hominis, sed Dei; non extorris, aut vagabundi, sed eius cui dedit Deus possessionem terminos terrae; non inopis, sed eius qui portat omnia verbo suo, et in quo sunt omnes thesauri divinae bonitatis; non ad societatem thori, quemadmodum illa, sed ad oeconomiam salutis universi orbis; non ad coniugis, seu sponsae officium, sed ad reginae, ac dominae coelorum dignitatem assumebatur: in pulvere tamen posuit os suum, et quasi pulverem sese cognosceret, dixit: *Ecce ancilla Domini*. O insignem humilitatem! o stupendam abiectionem! Ubi sunt qui laudibus evecti, honore aliquo insigniti de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites facti subito intumescunt, pristinae abiectionis obliti genus suum erubescunt, et intimos parentes, consanguineos, amicos non agnoscunt, nec aspicere dignantur? quid miser intumescis? quid cinis, et pulvis superbis? Ecce Maria mundi domina in Matrem Dei eligitur, et ancillam se vocat, humilitatem non obliviscitur: et tu tui oblitus, servus cum sis, caput attollis, cristas erigis, super alios te offers. Disce a Maria humilitatem, speculum hoc purum, mundum, nitidum sincera et pura mente inspice, naevos superbiae abstergo, humilitatis pulcritudinem admirare, et imitari stude.

37 Non minus se prodidit humilitas Mariae. Cum ab angelo esset salutata, et ad tantum dignitatis gradum evecta, ut Mater Dei esset: cum salva virginitate de Spiritu sancto concepisset: cum Filium Dei in utero gestaret, atque ob hoc regina angelorum et hominum coli, et adorari posset; nihilominus expectare noluit, ut Elisabeth cognata ad ipsam visitandam veniret, sed potius eam hoc humilitatis officio praevenit, et illam nedum visitavit, et prior salutavit, sed et apud eam tribus mensibus mansit. Ad tantam Virginis submissionem s. Elisabeth obstupuit, et tantam maiestatem adeo sese humiliantem videns, exclamavit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Tu es summa omnium mulierum, gratia ac benedictionibus divinis plenissima. Tu digna es ab omnibus generationibus velut regina coli, et adorari, eo quod intra viscera tua contines Regem coelorum, ac Dominum. Et unde hoc mihi, ut Domina veniat ad ancillam, Genitrix Dei ad genitricem hominis, Mater Domini ad matrem servi? Meum erat ad te visendam accurrere, et nomine tum populi Israel, tum totius generis humani de tanta felicitate, et gloria tibi congratulari. Quomodo ego te suscipiam? quomodo tractabo? quomodo serviam tam excellenti ac illustri Reginae vilis, et abiecta serva? In hunc modum admirata Elisabeth humilitatem Mariae.

38 Rursus mira humilitas Mariae eluxit, cum ab Elisabeth magnis laudibus efferretur, quod nimirum Dei Mater esset. *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* Quod verborum eius efficacia tanta fuisset, ut ob eam infans in utero existens exultaverit, et sanctificatus esset *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* Quod beata esset, quod tam firmiter credidisset, quod fructus ventris eius benedictus esset, non inani gaudio exiluit, non se iactavit, sed totum in Dei honorem, et laudem retulit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum.* Hoc est, tu Elisabeth me laude, et honore magnificas: ego Dominum meum magnifico, eique omnem laudem et honorem defero. Tu miraris quod ego venerim ad te; ego miror quod Dominus dignatus sit venire ad me. Tu me laudas quod crediderim divinas promissiones in me perficiendas; ego laudo bonitatem infinitam Dei, quod dona gratiae suae adimplevit in me.

39 Et illud humilitatem Deiparae Virginis non parum commendat, quod cum Elisabeth quasi tribus mensibus mansit, ut Lucas 1, 56 narrat. Ipsam praesentem fuisse partui Elisabeth, et Ioannem Baptistam Filii sui praecursorem recens natum propriis manibus suscepisse, abluisse, pannis involvisse constanter tradit s. Bonaventura ad c. 1 vitae Christi cum aliis gravissimis patribus. Magna fuit humilitas Abigail quae, ut modo diximus, promptam se exhibebat abluere pedes servorum David; exhibebat, non lavabat: si lavasset, quos nunquam lavit, lavasset conservorum statu, et gradu similium. Mariae autem humilitas tam profunde se demisit, ut ablueret corpusculum servi Domini sui.

40 Hinc facit quod V. Maria ab angelo visitata, tot laudum praeconiis ab eo celebrata, gratia plena, Mater Dei, sponsa Spiritus sancti, inter mulieres benedicta proclamata, de tantis mysteriis instructa, ea in pectoris sui arcano per triginta tres annos celavit, adeo ut nulli hominum ea patefecerit, ne Zachariae quidem licet sacerdoti, et sanguine iuncto, nec s. Elisabethae cognatae suae; immo nec Iosepho sponso sibi carissimo, tum maxime, cum eam gravidam ignarus mysterii deserere cogitabat. Humilitatis quippe argumentum est dona sibi collata abscondere, cum necessitas non cogit, iuxta illud, *Sacramentum regis abscondere bonum est.* Ex hac Virginis humilitate factum est, ut complura eius privilegia in sacra evangeliorum historia litteris non sint consignata, ut colligere licet ex revelationibus s. Birgittae, lib. 6, cap. 94, ubi cum Deipara ei dixisset, Christum resurgentem sibi priusquam aliis apparuisse, et palpabilem se ei ostendisse, subiunxit: *Quamvis hoc non sit scriptum propter humilitatem meam.*

Ulterius, cum in Cana Galilaeae in nuptiis vinum defecisset, 41
non auctoritate materna a Filio miraculum exegit, sed modestissimis verbis ei praesentem inopiam indicavit. *Vinum non habent*, Ioan. 2, 7.

Deinde cum saepenumero adesset iis in locis in quibus Chri- 42
stus vel verba ad populum faciebat, vel miracula patrabat, videretque et audiret filium suum in tanta aestimatione esse, ut omnium saeculorum prophetis anteponeretur, omnes in sui admirationem raperet; nunquam tamen se matrem tanti Filii iactavit, aut aliquam auctoritatem se supra illum habere ostendit; sed humillime in silentio verbum Dei ab ore ipsius auscultavit. Quod colligitur ex Matth. 12, et Marc. 3, ubi Mater Christi cum aliquot cognatis concioni eius adfuisse legitur. Sic enim Christo concionanti ibidem significatur: *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quaerentes te.* Foris stabat B. Virgo quaerens loqui Filio. Non per consertam turbam in aedes irruit; nec licentia materna Filii sermonem interrupit, sed foris humiliter stetit, et commoditatem loquendi cum Filio expectavit.

Ad haec, ingentibus a Deo beneficiis cumulata erat, sacrarum 43
Scripturarum perfectissimam scientiam habebat, sacra mysteria optime intelligebat partim divina revelatione, partim Filii sui viva voce edocta, cuius parabolas, aenigmata, mirifica gesta, dicta avidius ebibit, fidelius credidit, sincerius luculentiusque animo concepit, et tamen per omnes annos quibus cum illo in terris conversata est, haec omnia in pectoris sui secretis servabat, ut s. Lucas testatur: *Maria autem conservabat omnia verba haec conferens in corde suo.* Donec tandem vidit divinae voluntati placere, ut aliqua in apertum proferret, quod et fecit, cum post Christi ascensionem multa mysteria apostolis, et evangelistis enarravit. Id pramens cogitatione doctissimus Rupertus abbas tuitiensis in cap. 12 Matthaei, ait: *Quamdiu Filius hominis in carne mortali, et passibili in terris vixit, fere tamdiu fuit B. Virgini tempus tacendi: et tamdiu tacuit, tamdiu in silentio fuit, velut hortus conclusus. Ubi autem gloria, et honore immortalitatis coronatus est Filius hominis, ex tunc B. Virgini fuit tempus loquendi, et hoc amicis, id est sanctis apostolis.*

Magnum humilitatis argumentum est cum hominibus vilis, et 44
abiectae conditionis conversari. Huius exemplum habemus in Maria. Primo, nuptias illas in Cana Galilaeae, quae erant pauperum hominum, (defecit enim eis inter medias epulas vinum) aspernata non est, sed ad eas invitata venit. Secundo, Mariae Magdalenae quae ante conversionem meretrix fuit, ac per hoc hominibus exosa, ut patet ex Pharisaeo qui eius praesentiam detestabatur, Luc. 7, conversationem non abhorruit; sed eam tempore passionis Christi ad montem Calvariae pergens sibi comitem adiunxit.

Humilium proprium est in contemptu sui delectari, et ludibria 45
hominum aequanimiter ferre. Id Beatissima Virgo praestitit. Primo, cum in Bethlehem cum Iosepho sponso suo venit, hospitio carens vile, abiectum et sordidum stabulum ingressa est, ibique Salvatorem mundi peperit, pannis involvit, et reclinavit in praesepio; tantumque in illo vili tugurio delectata est, ut ibidem per dies quadraginta usque ad purificationem maneret, et tres reges ab oriente cum muneribus venientes ibi exciperet. Secundo, cum in Aegyptum cum Iosepho, assumpto benedicto infantulo Iesu, fugit, ibique septem annis inter homines barbaros, ignotos, erroribus nefandisque flagitiis inquinatissimos, et execrando idolorum cultu infames mansit. Poterat Virgo precibus suis a Deo, quem in brachiis gestabat, tutelam contra Herodis insidias impetrare, ne cogeretur patria excedere; sed maluit molestias exilii pati, ne femina potens, et miraculis illustris ab hominibus haberetur. Tertio, cum ad templum purganda accessit, et sacrificium

pro se Filioque suo obtulit, nec laborans quod ab omnibus hominibus, ut vulgaris femina, immunda, peccatrix haberetur, credereturque sacrificiorum, et orationum sacerdotis remedio pro peccato expiando indigere. Quarto, cum Filium suum multis conviciis, contumeliis, probris a Iudaeis onerari vidit; cum eum Samaritanum, daemoniacum, insanum, blasphemum passim appellari audivit; cum se feminam vilem, pauperem, et nullius nominis a Scribis, et Pharisaeis existimari sensit, saepius audiens id quod Iudaei deblaterabant: *Nonne hic est fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria?* Matth. 13, 55; et Marc. c. 6, 3: *Nonne hic est faber, filius Mariae?* Cuncta haec profunda animi submissione excipiebat, immo gratulabatur sibi, et quasi incomparabili affecta beneficio exultabat, ut hac ratione ignominiae et crucis gloriosissimi Filii sui particeps fieret.

46 Postremo, humilium natura, et conditio est in hominum coetu infimum locum tenere iuxta doctrinam Salvatoris, Luc. 14, 8: *Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.* Eum morem B. Virgo tenuit. Postquam enim Christus in coelum ascendisset, et apostoli cum aliis centum viginti in coenaculum quoddam ad orationem convenissent, ait s. Lucas Act. 1, 14: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Iesu.* En tibi humilitatem Mariae. Novissima ponitur, quae fuit prima, utpote apostolorum mater, et omnium fidelium magistra. Ne mireris, talem se exhibuit, qualis in se erat; minimam, quia ut minima se gerebat; novissimam, quia ut novissimam se exhibebat. Audi d. Bernardum serm. super *Signum magnum*: *Maria quanto maior erat, tanto humiliavit se non modo de omnibus, sed et prae omnibus. Merito facta est novissima prima, quae cum prima esset, omnium novissimam se faciebat.* Haec de humilitate Virginis. Plura alia de hac virtute dicenda se offerent alibi.

Maria speculum obedientiae

47 Obedientiae exemplar extitit Maria, ut ad obedientiae amorem omnes vocaret. Fuit autem obediens Deo et hominibus.

Deo fuit obediens Virgo. Auditis enim et perceptis angeli verbis, et certior facta de Dei voluntate credidit, et paruit. Illius sunt voces Cant. 5, 6: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Anima Virginis liquefacta est per incendium caritatis, parata ad instar metalli liquefacti discurrere in omnes modulos divinae voluntatis, ut dilectus locutus est ad eam per archangelum Gabrielem. Unde dixit: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, quod perinde est ac si diceret sensu Titi Bostrensis: *En tabula sum, quamvis scripturam recipere idonea, scribat in me scriba ille, quodcumque visum fuerit; faciat de me universorum Dominus, quicquid libuerit, nunquam eius imperio repugnabo, quia nec nutui.*

48 Paruit sane Virgo Dei non solum imperio, sed et nutui. Hinc in Scriptura auribus comparatur. Christus obedientiam suam commendans per psalmistam ps. 39, 7 ad Patrem suum ait: *Aures autem perfecisti mihi*, id est perfectam obedientiam dedisti mihi, ut Hugo cardinalis ibidem explicat. D. Paulus haec verba adducens, Hebr. 10, 5, ita ea legit: *Corpus autem aptasti mihi.* Et quodnam corpus? Non aliud, quam quod de Virgine sumpsit. Igitur corpus Virginis est aures? Ita plane. Et cur aures?

B. Virgo tota aures et cor.

Quia Virgo in parendo divinis mandatis adeo imitata est aures, ut tota aures esse videretur. Aures istud habent singulare, ut non moveantur, nisi moto capite. Oculi moventur immoto capite, moventur manus, pedes, labia, lingua, et alia membra, si demas quaedam animalia quae aures movere possunt non moto capite. Ad propositum nostrum. Caput nostrum Christus est, eius aures sunt, qui eius verba audiunt. *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, Ioan. 8, 45. Hi nunquam moventur, nisi ad motionem capitis; quia nihil agunt, nisi quod Deus voluerit, innuerit, mandaverit. Aliis belluis insipientibus similes sunt qui aures suas, hoc est voluntates suas non moto capite movent. Aures Christi fuit Maria, quae nunquam mota est, nisi moto capite; nihil unquam egit, nihil praestitit, quod non esset iuxta Dei voluntatem; semper divinae voluntati paruit, semper se facilem vel ipsis nutibus Spiritus sancti praebuit, ita ut ad imperii eius umbram se dirigeret, componeret, et cuncta perficeret. Habuit in ea locum, quod Seneca alicubi dixit: *Generosus equus umbra virgae regitur.* Virginem enim nuda imperii Spiritus sancti umbra, solus eius nutus adeo rexit, ut cuncta pro divina voluntate prompte, alacriter, faciliter perficeret. Nec mirum. Adeo enim voluntatem suam divinae voluntati conformem, immo unitam habuit, ut utriusque una voluntas censeri possit. Audiatur Guerricus abbas serm. 3 de assumpt. ubi ait: *Maria voluntatem Patris in tantum faciebat, ut de ipsa praedicaret Pater: Vocaberis voluntas mea in ea.* Immo audiatur ipsa Deipara, quae apud s. Birgittam lib. 1 revelat. cap. 4 sic loquitur: *Habui obedientiam, quia studui obedire Filio meo in omnibus.*

Obediens fuit hominibus. Et primo, parentibus suis promptissima, laetissimaque voluntate in omnibus obsecundavit. S. Mechtildis quae per revelationem accepit, haec de ea refert lib. 7, c. 15: *Ab infantia patri et matri usque adeo obsequens, et morigera erat, ut nullo unquam se eos aut offenderit, aut contristaverit.* Nec parentibus modo, sed aliis etiam hominibus, teste s. Epiphanio, quaecumque de re cum illis ageret, honori et venerationi fuit. Quo tempore vixit in templo, summam reverentiam sacerdotibus exhibebat, et summi pontificis decretis promptissime obtemperabat. S. Bonaventura vitae Christi cap. 4 affirmat B. M. Virginem inter cetera quae consueverat degens in templo a Deo petere in orationibus, petiisse singularem a Deo gratiam mandatis, et decretis pontificis templi parendi. 49

Secundo, Ioseph sponso suo per triginta et unum annos (eo enim anno quo Christus baptismum suscepit, Ioseph mortuus esse creditur, secundum Canisium lib. 3, c. 31) subiecta fuit. In Nazareth eum sequendo: in Bethlehem cum Caesari census esset pendendus, eum comitando; in Aegyptum cum eo secedendo; per septem annos, sensu s. Anselmi in cap. 2 Matthaei, cum eo continuo manendo, et rursum in patriam redeundo. Sarae obedientiam Scriptura divina commendat eo quod Abrahae marito suo reverenter locuta est, dominum eum vocans. At B. Virginis reverentia, et obedientia erga b. Ioseph maior fuit. Sciebat Sanctissima Virgo, Ioseph ter benedicti pueri Iesu, suaeque virginitatis solummodo custodem esse; nihilominus tamen reverenter ei locuta est, ut eum patrem pueri appellaret. *Ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te.* Sic enim opinione hominum pater Iesu habebatur. Quinimmo eum sibi praetulit, et cum esset Regina coelorum, mater Regis angelorum, non se, sed Iosephum primo nominavit; non enim dixit: *Ego, et pater tuus*, sed: *Pater tuus, et ego.* 50

Tertio, obedivit Caesari Augusto homini ethnico, cum a Nazareth in Bethlehem nonaginta millia passuum itinere, (ut Antonius Aranda in descriptione Terrae sanctae tradit) idque partui vicina, cum Ioseph profecta est, *ut profiteretur*, hoc est ut nomen suum inscribi faceret, et nummum census capiti impositum penderet. Quo sane docet obediendum esse superioribus, nedum fidelibus, et bonis, verum et infidelibus, perversis ac impiis. Quod et apostolus Petrus in 1 ep. 2, 18 docet: *Servi subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.* 51

Quarto, obedivit, cum legi purificationis sponte se subiecit; quod communis lex vulgaribus feminis puerperis praescribebat, ipsa non vulgaris, sed singularis, ac proinde non obstricta, sed solo exemplo Filii sui mota executa est. Sciebat obedientissima Virgo Filium suum lege circumcisionis minime obnoxium fuisse, et tamen eam suscepisse; volens ergo conformis esse Filio, observantiam purgationis adimplet. D. Bernardus serm. in purificat. B. Virginis ait: *Vere, o Beata Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione; sed numquid et Filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum, nam et Filius tuus sic est in numero puerorum.* 52

52 Obedientia B. Virginis in purificatione.

Verus obediens, inquit b. Albertus magnus lib. de virtutibus, *nunquam praeceptum expectat, sed solum voluntatem praelati sciens, vel credens firmiter exequitur pro praecepto.* Non expectabat praeceptum reverendissima Virgo, solum voluntatem Dei aspexit, et ad templum purganda processit. Et d. Bernardus serm. de obedientia: *Fidelis*, inquit, *obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, praeripit praecipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem.* Haec puncta veneranda Virgo exactissime servavit. *Postquam*, inquit evangelista, *impleti sunt dies purgationis Mariae.* Non nectebat moras Virgo, non prolongabat tempus suae purgationis, statim manus operi, pedes itineri paravit, et assumpto Filio, ad templum purganda processit. 53

53 Obediens verus quisnam sit.

Obedientiam Samuelis d. Gregorius miratur, qui excitatus to- 54

ties a somno, toties redire iussus ad dormiendum, nihil aliud dixit, nisi: *Ecce ego*, vel *praesto sum*, 1 Reg. 2, 5. Sed magis admiranda est obedientia Deiparae Virginis, quae nulla voce excitata, solo exemplo Filii sui convicta legi divinae paruit.

55 Commendatur obedientia Abrahae qui ad mandatum Dei filium suum unigenitum occidere voluit. Notat hoc Spiritus sanctus Gen. 22, 3: *Igitur Abraham de nocte consurgens*. Non expectavit mane, sed statim de nocte antequam dilucesceret ad iussum Domini, et quidem arduum exequendum se accinxit. Maiori laude digna est Domina nostra, quae nullo mandato accepto voluntatem Dei exequitur, et quidem in re ardua. Arduum quippe erat, incorruptam et impollutam ad templum purgandam ire, inter corruptas et pollutas puerperas ibidem apparere.

56 Obedientia B. Virginis quam ardua. Quare morigera Virgo verba illa patris sui David psal. 16, 4 optime usurpare poterat: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*. Sane durum erat uterum gestare Virginem cui virginitas in animo ac desiderio erat; obsequitur tamen audiente Deo, et ancillam se praebet. *Ecce*, ait, *ancilla Domini*. Durum erat censum pendere pro illo, qui toto iure exemptus erat; procedit tamen in Bethlehem, et censui capiti imposita se, et recens natum subiectum profitetur. Durum erat non habere in diversorio locum, sed eiici in stabulum iumentorum illum praesertim, qui implens coelum, et terram in medio cherubinorum residet; declinat tamen in specum, et medium inter bovem asinumque collocat Dominum universorum. Durum erat illius ingratae civitatis experiri inhumanitatem, et in horrenda specu inter media iumenta pedorem, squalorem, famem, sitim, frigus tolerare; tolerat tamen, et Verbum caro factum, quoad potuit, suo calore fovit. Durum erat innocuo pusioni manus inilcere, tenerumque corpusculum duro silice vulnerare, et Principem salvationis signo damnatorum insignire; sustinuit tamen vulnerari illum qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, et sanat omnes contritiones nostras. Circumcisioni Christi B. Virgo interfuit. Nonnulli opinantur Deiparam animo virili ac generoso Filium suum circumcidisse. Verum id exploratum non est; sed saltem certum est eam circumcisioni interfuisse, spectasseque cum acerbissimo animi dolore sanguinem ex Christi Filii sui tenerrimo corpore manantem, cuius vel unica guttula sufficiens, immo superabundans erat pretium universo orbi redimendo. Durum erat, ut dixi, incorruptam, et castissimam quadragesimo post partum die in templo inter corruptas, et pollutas mulieres apparere. Obedientia B. Virginis in purificatione. Alia legi non se esse subiectam assereret, privilegiaque ex singulari conceptione, et parturitione praetenderet, moras necteret, causas purgationis quaereret, rationes et argumenta excogitaret, quibus se a lege puerperarum subducere posset. Maria licet a lege exempta legem non examinat, rationes non quaerit, non murmurat, non queritur, non moras nectit, non occasiones quaerit, non rationes aut argumenta excogitat, quibus suum honorem tueatur.

Putas, ait d. Bernardus, *quod non poterat moveri animus eius, et dicere: Quid mihi opus est purificatione? cur abstineam ab ingressu templi, cuius uterus virum nesciens templum factus est Spiritus sancti? cur non ingrediar templum, quae peperi Dominum templi? Lex alligat mulierem, quae suscepto semine concepit, ego non de virili semine, sed mystico spiramine. Meum ille uterum non aperuit, qui descendit sicut pluvia in vellus. Porta clausa, nemini que aperta; vir non transivit per eam, clausa quoque ipsi Principi, cui nihil clausum.* Flos de mea radice ascendit non proscindens, sed integrum corticem conservans. Lex iubet offerri sacrificium pro peccato, sed ego gratia plena, Deo plena, benedicta inter mulieres, nulli unquam maledicto subiecta, lilium inter spinas. Nihil deinde in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum, nimirum cum proles ista fons puritatis sit, et purgationem venerit facere peccatorum. Quid igitur in me legalis purificet observatio, quae purissima facta sum partu immaculato? Innocens Maria ista non dixit, sed obedientia seipsam vicit, Filium in ulnas accepit, ad templum maturavit, ipsum, et par turturum pro ipso obtulit. Indignum putabat humillima et obsequentissima Virgo Filio, qui simul et Pater suus erat, se non conformare.

57 Macheae imperatori Carthaginensium filius erat nomine Cartalus. Patre propter res magnas feliciter gestas ex invidia in exilium deportato, filius qui apud eosdem Carthaginenses rerum potiebatur, cum magno comitatu, ac splendido apparatu ad patrem exulem venit, ornatus nimirum purpura, et infulis sacerdotii se omnium oculis ingerebat. Tum pater in secretum abductum eum compellans, ait: Aususne es, nefandissimum caput, ista purpura, et auro ornatus in conspectum tot miserorum civium venire, et moesta ac lugentia castra, circumfluentibus quietae felicitatis insignibus, velut exultabundus intrare? nusquam te alibi ictare potuisti? nullus locus aptior quam sordes patris, et exilii infelicis aerumnae fuerunt? quid quod paulo ante vocatus, non dico patrem, ducem certe civium tuorum superbe sprevisti? et quid porro tu in purpura, coronisque aliud quam victoriarum mearum titulos geris? Quoniam igitur tu in patre nihil, nisi exulis nomen agnoscis, ego quoque imperatorem me magis, quam patrem iudicabo, statuamque te in exemplum, ne quis posthac infelicibus miseriis patris illudat. Atque ita cum ornatu suo in altissimam crucem in conspectu urbis eum affigi iussit. Iustinus lib. 18 historiarum. Haec pater filio reposuit, quod ei in cultu corporis non responderit, nec ei conformis esse voluerit. Idem prorsus B. Virgini accidere potuisset, si, quod nequaquam fieri potuit, Filio concors non esset, si dispar cultu, gestu omnium oculis se ingessisset. Homines quippe superbos Deus deiicit, et elatos detestatur. Voluit igitur B. Virgo esse inter mulieres tanquam una earum, sicut et Filius in numero puerorum tanquam unus eorum. Sed redeamus unde digressi sumus. Durum erat Virgini media intempesta nocte surgere, Filium unicum tollere, festino gradu in Aegyptum fugere, ibique in regione ignota aliquot annis manere; surrexit tamen, Filium unicum tulit, in Aegyptum iter arripuit, ibique perstitit, ut divinae voluntati per angelum intimatae obtemperaret. En igitur obedientiae perfectissimum in gloriosa, divinaque Virgine Maria exemplum habes.

Maria speculum verecundiae, seu pudoris virginalis

Omnigenorum bonorum fons est, et origo verecundia, seu pudor, maxime in feminis. Eccl. 26, 19: *Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata*. Seneca lib. 7 declamat. ait: *Proxima innocentiae est verecundia*. Unde Diogenes conspicatus adolescentem pudicum dixit: *Erubescit, salva res est*. Et Cic. 2 tuscul. *Saepe videmus fractos pudore, qui nulla ratione vincerentur*. 58 Verecundiae laus.

Huius virtutis praeclarum specimen dedit Virgo Deipara maxime in annuntiatione Gabrielis. Salutavit eam angelus: *Ave gratia plena*, et Virgo non respondet, par officium pari non refert, angelum salutantem non resalutat. Cur, quae tam humilis erat, angelum salutantem non resalutavit? numquid tam inurbana erat Virgo, ut salutationem omiserit? Absit. Non fastus hoc fuit, non superbia, sed verecundia; prae pudore non est ausa angelum resalutare. S. Ambrosium lib. 1 Offic. c. 18 loquentem audiamus: *Quamvis esset humilis, prae verecundia tamen non resalutavit angelum, nec unum responsum retulit, nisi ubi de suscipienda Domini generatione cognovit*. 59 Verecundia B. Virginis in annuntiatione Gabrielis.

Ulterius, s. Lucas de B. Virgine narrat: *Turbata est in sermone eius*, scilicet angeli. Haec turbatio summae pudicitiae argumentum fuit. *Solent*, inquit d. Bernardus, *virgines semper esse pavidae, et nunquam securae, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, et nimis arduum esse vivere angelice inter homines, et in terris more coelestium conversari. Unde omne novum suspectas reddit insidias*. Et unde Virgo turbabatur? unde timebat? quas insidias suspicabatur? Quia nimirum in angelo verba humana audiebat, eaque metuebat. Andreas cretensis Mariam sic loquentem facit: *Angelum ergo eum censebo? Verum hominis instar loquitur*. Maria itaque angelum timebat, quia instar hominis loquentem audivit. Discant virgines a Virgine verecundiam. Virgo Deipara angelum timet, quia instar hominis loquentem audit, et multae virgines cum hominibus sermonem habere tutum putant. Maria praesentiam angeli expavet, et illae virorum praesentiam non timent, colloquia cum illis miscere non formidant, nihil suae verecundiae timent, cuius iacturam prius faciunt, quam se fecisse agnoscant. 60 Virginibus doctrina.

Verecundiae exemplum in Virgine nos omnes habemus, quod sequamur. Habent praecipue mulieres, maxime virgines, quarum propria nota verecundia est, adeo ut a suo sexu, et professione virginitatis abire videantur, quae pudore ac verecundia carent. Verum namque est vetus illud: *Quae verecunda esse non vult, se lupanari parat*. Ergo virgines quae Virginem colunt, eam imitentur, quae sua verecundia omnibus praeluxit, et, quod maius est, verecundos suos cultores facit. 61 Virginum nota propria est verecundia. B. Virgo suos cultores verecundos facit.

62 B. Ioannes evangelista verecundus fuit, et unde.

B. Ioannes evangelista cum B. Virginem in sua recepit, eamque matris loco post Christi mortem habuit, ut evangelica historia testatur, adeo modestus, adeo verecundus fuit, ut nunquam ausus fuerit Virginis vultum intueri, nec in eius faciem oculos figere, ut scribit b. Amadaeus. Idque de coelo se divinitus cognovisse affirmat s. Mechtildis lib. 1, cap. 7 suarum revelationum. Et unde tantam verecundiam didicit? A Virgine verecunda, cum qua annis quindecim mansit.

63 Quisquis ergo verus cultor Virginis audire vult, hoc speculum saepius inspiciat, modestiam ac verecundiam Mariae sectetur; verecundia se exornet, si habitu virtutum ornari cupit. Pudor enim est virtutum, ut impudentia et procacitas est vitiorum sedes.

Maria speculum castitatis

64 Unius virtutis divinum plane exemplar B. Virgo praebebit. Sive enim spectas tempus quo eam elegit, sive studium quo eam amplexa est, sive puritatem quam exercuit, rem summa admiratione dignam videbis. In lege naturae castitas virginalis nec agnoscebatur, nec colebatur. In lege scripta solum quibusdam figuris Deus castitatem sibi summopere placere indicabat, cum ab esu ciborum sanctificatorum immundos arcebat, ut patuit in David, cui pane propositionis vesci etiam in extrema necessitate permissum non est, nisi cum sociis triduum se a mulieribus continuisset, 1 Reg. 21. Porro castitas virginalis nedum ignota, aut non usurpata fuit, quin potius loco opprobrii, et maledictionis ducebatur, si feminae coniugatae liberis carerent, et puellae ad liberos procreandos nuptui non traderentur, ut plenius ostendimus superius in epitheto *Sancta Virgo virginum* (1).

65 Prima igitur B. Virgo per votum perpetuae virginitatis se Deo consecravit, prima virtutem castitatis usque ad illud tempus incognitam magno studio amplexa est. Quare virginitatis dux, et magistra, ac perfectissimum quoddam castitatis exemplar nobis a Deo proposita est. Unde in Ecclesia catholica ab initio semper extiterunt homines, qui perpetuam virginitatem cum eximia corporis, et animae puritate coluerunt, prout superius loco indicato monstravimus, et in epithetis *Mater castissima*, et *Mater inviolata*, et *Mater intemerata*, de castitate Deiparae Virginis multa diximus.

Maria speculum paupertatis

66 Paupertas Mariae qualis.

De amore paupertatis in B. Virgine superius multa diximus disc. CCXI; nunc haec superaddamus ad paupertatis praeclarissimum specimen, quod Maria exhibet in multis. Sed ante omnia sciendum est, paupertatem Mariae non coactam fuisse, nec ex rerum inopia profectam; erat enim ex stirpe regia, de domo et familia David nata. Parentes eius Ioachim et Anna divites erant, et tripartitam substantiam habebant, partem in victum suum, partem in victum familiae, partem in pauperes eam disposuerant. Maria quoque cum lana, lino, serico, byssoque laborabat, ut s. Epiphanius in vita Deiparae testatur, et tunica Christi inconsutilis ab ipsa Deipara contexta per totum indicat. Ioseph item faber erat lignarius, ut vulgo creditur et pingitur. Non potest autem egere opifex magnae artis et diligentiae, nec ea familia in qua tam vir, quam mulier quaestum uterque faciunt, maxime adhuc sine liberis. Paupertas ergo Mariae voluntaria fuit, ex spontanea rerum temporalium abdicatione profecta. Reluxit autem

67 Paupertas B. Virginis in desponsatione.

Primo in desponsatione. Cum enim sponsum nobilem, locupletem posset sibi deligere, utpote speciosissima, regali progenie orta, eximiis dotibus tum animi, tum corporis exornata; Iosephum tamen simplicem, non opibus, non dignitate auctum, sed pauperem, officio fabrum sibi desponsavit. Licet enim Ioseph esset sanctitate et nobilitate praestans, opificio tamen pauper, nempe faber lignarius fuit, qui manu et arte quotidianum victum quaerebat, adeo ut opus esset ipsam quoque superbenedictam Virginem operam suam in lana, linoque faciendo coniungere.

68 Paupertas B. Virginis in partu.

Secundo, in partu. Venit regia Virgo in Bethlehem comitante sponso suo Iosepho, et hospitium habere non potuerunt. Erant diversoria pro adulteris, homicidis, nebulonibus, pro Maria et Ioseph hominibus sanctissimis *non erat locus in diversorio*, Luc. 2. Divertunt ergo in speluncam, vile bestiarum tugurium; ibi nascitur Rex angelorum, ibi reclinatur Fabricator coelorum, ibi pannis involvitur ditator pauperum.

Tertio, in purificatione. Obtulit pro Filio non agnum, uti ditiores, sed par turturum aut duos pullos columbarum, uti pauperes offerebant. Non ex necessitate, (nam ante paucos dies ingentem vim auri, aliaque munera a Magis acceperat, pro quibus nedum agnum, sed et greges agnorum comparare poterat: non enim ex crumena, vel reserata arcula, sed *apertis thesauris* Magos munera obtulisse legimus, Matth. 2.) sed paupertatis amore. Illud autem aurum tam copiosum pauperibus erogavit, ut s. Bonaventura de vita Christi, cap. 9 narrat. Immo ipsa Deipara s. Birgittae compendio vitam suam narrans, inter alia lib. 1 revelat. cap. 10 haec subiicit: *Omnia quae habere potui, dedi indigentibus, nihilque nisi tenuem victum, et vestitum reservavi.* Et mox: *A principio vovi in corde meo, nihil unquam possidere in mundo.* Et lib. 7, cap. 25: *De divitiis ego et Ioseph nihil reservavimus nobis, nisi necessaria vitae ad honorem Dei, reliqua dimisimus propter honorem Dei.* 69 In purificatione. S. Birgittae revelatio.

Quarto, in profectione in Aegyptum, ubi angelus Iosepho apparuit, eumque monuit, ut assumpto puero eiusque matre, fugeret in Aegyptum et mox iter arripuit. Quod indicat evangelista, cum ait: *Qui consurgens accepit puerum, et matrem eius nocte, et secessit in Aegyptum.* Caietanus: *Eadem*, inquit, *nocte, qua evigilavit a somno Ioseph, executus est, quod monuit angelus.* Non de facultatibus domus suae disponebant, non amictum idoneum, sarcinas, commeatum, pecunias, equos, et alia id genus ad tam longum, et arduum iter necessaria parabant; quod inopiam eorum liquido ostendit. 70 In profectione in Aegyptum.

Quinto, in cultu corporis. Pretiosarum vestium nullus amor eam unquam tetigit, nulla cura. S. Vincentius Ferrerius serm. in vigilia nativ. ita de B. Virgine narrat: *Beata Virgo non curabat de ornamentis.* Idem sanctus censet eam paucis ac simplicibus vestibus usam, adeo ut frigus a se arcere non posset. Unde Filium suum mox natum volens calefacere, non pectori admovit, sed animalibus anhelitu calefaciendum dedit, id non factura, si eum sinu suo fovere potuisset. Dabo verba s. Vincentii ex serm. in nativ. Domini: *Cogitate si Virgo Maria habebat frigus, quia non legitur quod portaret vestes foderatas: propter hoc posuit Filium suum in praesepio, ut animalia calefacerent eum anhelitu.* Haec ille magis devote ac pie, quam latine. 71 Vestitus corporis B. Virginis quam vilis fuerit. Paupertas Mariae in nativitate Salvatoris.

Pauperes habebat vestes, immo et paucas Deipara Virgo, ut vix corpus tegeret, non oneraret. Expectabat in angusta illa spelunca, in illo vili tugurio Magorum regum orientalium adventum. Numquid se tanquam Regina ornavit? numquid auro, gemmis, pretiosisque lapidibus, purpura, splendore vestium gloriam suam ostentavit? Ostentasset alia quae mundo servit, licet in mundo regnet. Deipara minime. Quid igitur? *Invenerunt* (Magi scilicet) *puerum cum Maria Matre eius. Invenerunt*, ait auctor operis imperfecti in cap. 2 Matthaei, *Matrem eius vix unam tunicam habentem non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem, quam habere poterat uxor carpentarii.* Quocirca Cant. 4, 11 de vestimentis Deiparae Virginis dicitur: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Odorem thuris vestimenta B. Virginis exhalabant, quia nihil in eis exquisitum, nihil vanum, nihil profanum, nihil quod Dei honorem dedeceret, apparebat. Ita s. Gregorius nyssenus homil. 9 in Cantica: *Talis*, inquit, *est odor vestimentorum tuorum, ut sit similis thuri, quod Dei honori est dedicatum.* Qui profana veste utuntur, culti ornatique incedunt non ad Dei honorem, sed ad honoris auram captandam; non thuris odorem, sed superbiam, iactantiam, inanem luxum olent; non enim honorem Domino deferunt, sed ipsi honorari volunt. Audiant haec qui ornatum vestium requirunt, in purpura, auro, gemmis, splendidis, mollibus ac pretiosis vestibus apparere gaudent. Audiant, inquam; et confundantur. Maria coeli, terrarumque Regina splendida vestium velamina non quaerit, vili, aspero, parvo paupereque amictu gaudet; et tu miser ac miserabilis molli splendidoque vestimento gaudes, gemmarum, monilium ornamenta requiris, inanium rerum pompa te iactas, et per ambitionem ostentas. Crede mihi, cultus iste vestium deformitatis ac levitatis mentis non leve argumentum est. Scite s. Bernardus lib. 3 de consideratione scribit: *Forma haec vestium deformitatis mentis indicium est.* 72 In adventu Magorum. Vestium pompam amantes taxantur.

Solent hoc vitio laborare mulieres, adeo ut muliebrem natu- 73

(1) Vide quod ibi adnotavimus de virginitate minime habita loco opprobrii, licet non fuerit in usu. *Editor.*

Digitized by Google

ram exuisse videatur, quae ornatui non studeat, pulcras, nitidasque vestes induere non amet. Et utinam in solis mulierculis hoc vitium sistat, in ecclesiasticos, et maxime religiosos non grassetur. Deplorabat hoc suo tempore d. Bernardus homil. 4 super *Missus est* · *Video*, inquit, (*quod magis doleo*) *post spretam saeculi pompam, nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis, humilisque magistri gravius insolescere, ac impatientes amplius fieri in claustro, quam fuissent in saeculo. Quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contempti, qui in sua nonnisi contemptibiles esse potuerunt, ut quia videlicet ubi a pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur, etc. Ita ne mundum sibi, et se mundo crucifixerunt, ut qui antea vix in suo vico vel oppido cogniti fuerant, modo circumeuntes provincias, et curias frequentantes, regum notitias principumque familiaritates assecuti sunt?*

Religiosi pomposi taxantur a d. Bernardo.

Quid de ipso habitu dicam, in quo iam non calor, sed color requiritur, magisque cultui vestium, quam virtutum insistitur? Pudet dicere, vincuntur in suo studio mulierculae, quando a monachis pretium affectatur in vestibus, non necessitas; nec saltem forma religionis retenta in habitu ornari, non armari appetunt milites Christi, qui dum se praeparare ad praelium, et contra aereas potestates praetendere paupertatis insigne debuerant, (*quod utique adversarii valde formidant*) *in mollitie vestimentorum pacis potius praeferentes indicium, ultro se hostibus sine sanguine tradunt inermes.* Sic ille pius ac devotus abbas. Quae utinam nostro saeculo non convenirent!

74 Igitur induamus Christum, induamus et Mariam. Christum, et Mariam induere est utriusque virtutes imitari. Imitemur ergo Christi et Mariae paupertatem, humilitatem, obedientiam, ceterasque virtutes, et tunc bene vestiti, tecti et muniti erimus. O quis mihi det hac veste indui. Exultarem, iubilarem, si voti mei compos fierem. Felices puto illas vestes, quibus B. Virgo moritura vestes suas reliquit, duas nimirum tunicas, ut tradit Nicephorus lib. 2 hist. cap. 21. Sed felicior essem, si non vestes Virginis haberem, sed Virginem sicut vestem induerem, vitam eius vita exprimerem, et moribus mores. Hanc spiritualem vestem quaero, hanc opto, hanc mihi donari cupio, ut supernae gloriae veste tandem exorner. Amen.

Auctoris votum.

Maria speculum prudentiae

75 Quam eximie reluxerit haec virtus, immo virtutum omnium moderatrix in B. Virgine fuse ostendimus in epitheto *Virgo prudentissima*. Quocirca s. Ephrem de laudibus Virginis eam appellat: *Principem omnium prudentissimam, et sagacissimam*. Profuerit videre epithetum iam memoratum.

Maria speculum iustitiae

76 Haec virtus in Deipara Virgine singulariter enituit. Ad iustitiam legis pertinet declinare a malo, et facere bonum, quae, ut s. Thomas 2 2, q. 79, art. 1 docet, sunt quasi duae partes integrales iustitiae, cum utrumque ad eius perfectum actum requiratur. At Deipara ab omni malo tantum declinavit, ut nec minima labes animam eius unquam commacularet. Hinc s. Bonaventura in Speculo, cap. 8 probat Deiparam esse iustissimam, quia *Christus, qui est iustissimus, iustissime fuit cum ea.* Et subiicit: *Quae anima esset iusta, si non Maria esset iusta?* Hoc est quod d. Bernardus dixit: *Quis iustus, si non Maria iusta, de qua ortus est Sol iustitiae?*

Maria speculum fortitudinis

77 Deipara ex omni parte fortitudine decorata cernitur. *Fortitudo, et decor indumentum eius.* Prov. 31, 25. Duplicem actum fortitudinis ponit s. Thomas 2 2, q. 133, art. 6. Unus est res adversas sustinere, alter res arduas fortiter aggredi. Utrumque actum fortitudinis Deipara strenue ac diligenter exercuit. Primo, res adversas sustinuit. Nam ut omittam incommoda quae propter Deum ex voluntaria paupertate, ex crebris itineribus, ad montana Iudaeae, ad Nazareth, ad Bethlehem, in Aegyptum, rursus in Galilaeam, et per singulos annos ad festa ierosolymitana, ex commoratione per septem annos in terra Aegypti inter populum ignotum, barbarum, idolorum cultui deditum sustinuit, gravissima sane fuerunt quae ex Filii, quem unice diligebat, doloribus et cruciatibus per compassionem sensit. Adfuit morienti Filio Virgo, ita tamen ut in ea nunquam constantia ac firmitas moreretur. *Stabat*, inquit s. evangelista, *iuxta crucem Iesu Mater eius*; non corpore, non animo concidit, nec vinci tot dolorum agmine potuit. Summe dolebat, sed dolor (quod in aliis fieri non solet) animi fortitudinem non minuebat, sed potius augebat. 78

Fortitudinis duplex actus.

Elephas, viso sanguine, non timet mori, sed magis acuitur in praelium, sicut legimus 1 Machab. 6, 34: *Elephantis ostenderunt sanguinem uvae et mori, ad acuendos eos in praelium.* Ad eundem modum Maria viso sanguine, quem Filius fuderat, non expavit, non robur ac vires amisit, timore consternata non fugit, non in terram corruit, sed stetit, visoque Christi sanguine animum sumpsit. Mater Christi erat, sed materna viscera tunc exuisse visa est, dum a querimoniis, a lacrymis, ab eiulatu abstinuit. *Stabat*, inquit s. evangelista, *iuxta crucem*. Pectus percussisse, muliebri impatientia lamenta fudisse, crines evulsisse non legimus. Nihil egit, quod muliebrem mollitiem proderet, nihil, quod Christi passionem impediret.

Tam fortis, tam firma fuit, ut supra hominem esse videretur. 79
Ob eam causam, inquit d. Epiphanius lib. 3, tom. 2, haeresi 79, Christus in cruce pendens matrem suam non Mariam proprio nomine, sed mulierem vocavit: *Mulier ecce filius tuus*, ne Deus putaretur, neve ut Deus coleretur, ut postea Collyridiani putabant, et Mariam pro deo colebant. Favere hunc errorem poterat tam magna in tanta angustia fortitudo vires hominis superans. Huic ergo errori Christus occurrit, cum matrem suam mulierem vocavit, et ob sexus infirmitatem eam deam non esse ostendit.

Cur Christus in cruce Matrem mulierem vocavit.

Quod si de altero fortitudinis actu loquamur, eum in Maria perfectissimum inveniemus. Ipsa enim manum ad fortia misit, cum daemones, saevissimos humani generis hostes domuit, et caput serpentis infernalis contrivit. Et ob id Cant. 6, 3 dicitur: *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* 80

Rursus, rem arduam aggressa est, et praestitit, cum in Christi passione ac morte adeo imperturbabilis stetit, ut si carnifices, si milites crucifigentes defuissent, ipsamet Virgo aeterni Patris voluntatem perficiens, suis manibus Filium pro generis humani salute immolasset. Hac de re fusius egimus tomo superiore, quam exemplo Abrahae filium suum immolare volentis ex divino imperio comprobavimus. Non enim in Beata Virgine minor parendi promptitudo, minor obsequii divini nota, minor amor erga Deum fuit, quam in Abraham. Doctores etiam id sentientes ibidem adduximus. De hac fortitudine Mariae inferius in epitheto *Regina martyrum* abunde agemus. 81

Maria speculum temperantiae

Temperantia in B. Virgine singulariter enituit. Si enim temperantia tanto perfectior est in homine, quanto magis pravis concupiscentiis caret, ut s. Thomas 3 p. q. 7, art. 2 ad 3 docet, qualis putas temperantia in B. Virgine extitit, quae pravis concupiscentiis nunquam subdita fuit? Fomes enim peccati, qui ad peccatum inclinat, in ea vel ligatus, vel totaliter extinctus erat (1). Quare d. Chrysostomus homil. in hypapantem: *Beata Maria ultra omnem humanae naturae modum modestiam, atque temperantiam excoluit; ac ob id universorum Dominum in utero gestare promeruit.* Partes huius virtutis subiectivae sunt abstinentia cibi et potus, et castitas, cuius pars est virginitas. S. Thomas 2 2, q. 143. 82

Partes vero potentiales, seu virtutes ipsi temperantiae annexae plures apud s. Thomam loco citato memorantur. Eiusmodi sunt mansuetudo, clementia, humilitas, modestia tum in exteriori corporis actione, tum in eiusdem corporis ornatu, ac vestibus. Singulas breviter attingamus, et eas in B. Virgine velut in speculo reluxisse monstremus. 83

Maria speculum abstinentiae, ieiunii et sobrietatis

Hae virtutes in B. Virgine fuerunt singulares. Quamvis enim 84

(1) Secundum communem sententiam fomes nunquam in B. Virgine fuit, ut saepe adnotavimus. *Editor.*

satisfactione opus non haberet, quamvis peccati expers esset, quamvis in sua carne nullum inordinatum motum, nullam inclinationem rationi repugnantem, vel ad malum impellentem, vel a bono retardantem sentiret. Siquidem a primo infusionis gratiae momento, quae facta est in utero matris Annae (1), a praedictis passionibus per totam vitam immunis fuit; nihilominus ad Dei gloriam, et ut Christi passionibus magis communicaret, ieiuniis, vigiliis, aliisque poenalibus operibus purissimam carnem suam affligebat. Et licet universe in rebus omnibus abstinentiam coluerit, maxime tamen a cibis et deliciis abstinuit.

85 Et primo in infantia. *Infans a lacte materno iam abhorruit, et mammam attingere noluit*, scribit Nicephorus lib. 1, cap. 7. Fulbertus in caput 2 Matthaei oraculum narrat, *felici cuidam anachoretae revelatum fuisse, Mariam aliquot diebus per hebdomadam semel dumtaxat materno ubera suxisse.*

86 Secundo in toto vitae progressu. Gregorius turonensis apud Novarinum, excursu 38 tradit, B. M. Virginem quotidie ieiunasse, et famem pane a coelo delato fugasse; quae vero a ministris templi in alimentum accipiebat, ea quotidie pauperibus erogasse. Abstinentiae liberalitatem iungebat, et quod voluptati subtrahebat, pauperibus tribuebat.

87 S. Bonaventura de vita Christi, cap. 3 refert, B. Virginem cuidam religiosae ancillae apparuisse, et his verbis eam compellasse: *Filia, tu credis, quod omnem gratiam quam habui, habuerim sine labore? Sed non est ita. Immo dico tibi, quod nullam gratiam, donum, vel virtutem habui a Deo sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda devotione, multis lacrymis, et multa afflictione, excepta sanctificationis gratia.*

88 S. Amadaeus homil. 4 de laudibus B. Virginis de eius abstinentia ita scribit: *Saepe, ut credimus, oblita cibi et potus, spretaque carnali necessitate, noctes insomnes agebat.* Nec hoc incredibile putandum est. Legimus enim plerosque sanctos adeo sive contemplationi, sive operibus suis intentos fuisse, ut cibi, ac potus obliviscerentur. Exempla habes apud Palladium in Lausiaca, et vitis sanctorum patrum. Idem contigisse B. Virgini, dum contemplationi, aliisque operibus vacaret, putandum est.

89 S. Ioseph marianae abstinentiae testis et unde. Deinde, abstinentiae marianae locuples testis est s. Ioseph sponsus eius, qui sponsae suae carissimae ventrem turgentem videns, nesciens unde id esset, utpote nondum mysterii gnarus, sibi quoque conscius non erat, eam qua semper se puriori, semper castam servabat; nihil tamen sinistrum de ea suspicabatur, nihil contra virgineam eius puritatem cogitabat. Ecquid animum eius ab omni suspicione exemit? Abstinentia Virginis, honestas in sermone, prudentia et gravitas in operatione. Ita auctor imperfecti, homilia in Matth. sentiebat: *Forsitan*, inquiens, *cum esset iustus, coepit sic cogitare de illa: Comessatrix, aut vinolenta nunquam fuit, non levis, non iocosa, non turpium verborum amatrix.* Ecce temperantia sola, si cetera abessent, evincere poterat Virginis castitatem, et sponsum ab omni suspicione liberare, qui abstinentiam sponsae cernens non putavit eam, nisi cum singulari pudicitia posse coniungi; unde magis abstinentiae sponsae suae credidit, quam suis oculis. Verum namque est quod idem auctor ait: *Omnis mulier, quae comessatrix et vinolenta est, etiam meretrix est.* Quod idem de sapientia Iob 28, 13 dixit: *Nec invenitur in terra suaviter*, hoc est voluptuose et delicate viventium. Cum autem Maria semper casta, semper pudica vixerit; consequens est eam abstinentiae, ieiuniorum ac sobrietatis amicam fuisse.

90 Quidni abstinens esset, quae fortem illum bellatorem qui mundum vicit, progenuit? Mater Samsonis filium concepturo et pariturа, abstinens esse iussa est ab angelo: *Concipies*, inquit angelus, *et paries filium; cave ergo, ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quidquam comedas: quia concipies, et paries filium.... et ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum*, Iudic. 13, 3. Quanto magis Mater Christi abstinens esse debuit, ex qua tam fortis bellator prodiit, qui non Israel tantum, sed totum genus hominum e tartareis philisthaeis liberavit, et totum mundum devicit. *Confidite, ego vici mundum*, Ioann. 16, 33.

91 Sed admiratio mentem subit, cum angelus nuntians matri conceptionem et nativitatem futuram Samsonis, abstinentiam ei indicit. *Concipies*, inquiens, *et paries filium; cave ergo ne bibas vinum*, etc. Angelus vero nuntians Mariae Christi conceptionem et nativitatem futuram, nihil tale ei inculcat, non ieiunium, non abstinentiam indicit. Quia nimirum sciebat Virginem abstinentissimam fuisse; unde sine causa eam abstinentiae moneret, nam huiusmodi cautio inutilis esset.

Et vera Maria abstinens esse debebat, quae lactare debuit, et re ipsa lactavit eum qui summae abstinentiae erat, Christum nimirum, de quo evangelica narrat historia: *Cum ieiunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus*, Matth. 4, 2. Quomodo enim lactaret ieiunii amatorem abstinentiae inimica? Appositum valde huic rei de s. Stephano presbytero legimus exemplum apud Petrum de Natalibus lib. 10, cap. 86: *Nato puero, anuncula quae ipsum primo de terra levavit, signum crucis lucidissimum in eius fronte conspexit. Cum vero mater infantulum aleret, si quos aliquando, quos non consuevisset, sumere cibos arripiebat, puer se ab ea abstinebat, et ubera tangere nolebat; si vero mater ieiunabat, puer spontaneus ipsius mamillas sugebat.* Tantus abstinentiae amor hunc sanctum tenuit, ut adhuc infans intemperantiam horreret, ieiunium vero adeo coleret, ut etiam in matre illud amplecteretur. Si parva magnis conferre fas est, non absimile, immo maius quid in Christo et Maria cernimus. Nondum natus erat Christus, cum in utero Matris passionem et crucem animo volvebat, ut tomo superiore, disc. XL, num. 3, et seq. docuimus. Eo mox nato Mater eius in pectore ipsius crucem conspexit; nam ab ea hora qua Christum genuit, continuo passionem eius, et crucem prae oculis habebat, eius flagella, spineam coronam, sputa, lanceam, clavos conspiciebat. Hinc Cant. 1, 12 ait: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Fasciculus myrrhae erat Christus, cum inter ubera Mariae commorabatur; cum enim uberibus lactabatur, simul inter ubera Matri monstrabat, quali myrrha, hoc est amaritudine, et dolore cor Matris implere debebat. Beatus Stephanus, ut diximus, ieiunantis matris ubera apprehendebat, non ieiunantis haud tangere volebat. Multo magis Christus ieiunantis Matris ubera captabat, et si ieiunans non fuisset, eam horruisset, utpote abstinentiae amator ab infantia sua. Signum igitur est B. Virginem abstinentem fuisse. Hoc speculum abstinentiae inspicientes permulti exemplo Virginis vigilias festorum eius, et dies sabbati in pane et aqua ieiunarunt, quos recensuimus in epitheto *Virgo veneranda*. Et hodie multi viri, et mulieres tum praefatis, tum aliis diebus carnem suam domant ieiuniis, et abstinentia escae et potus. Dignum namque est carnem suam huiusmodi mortificationibus comprimere in honorem Virginis, quae etiam tali mortificationi et afflictioni studuit, licet carnem purissimam, et spiritui obsequentissimam habuit. De castitate et virginitate, quae sunt species abstinentiae, iam diximus.

92 S. Stephani presbyteri mira infantia.

Maria speculum mansuetudinis

Mansuetudo quoque in Virgine mirabiliter reluxit, cuius mentem nullus iracundiae calor unquam accendit, neminem, licet humilem et pauperem, fastidivit, nullis obesse, omnibus prodesse studuit. Mens eius serena, tranquilla, clara, quasi aqua limpida, vel speculum tersum. Nulli verbum asperum unquam locuta est; plenum namque dominium suarum passionum habuit. Quare merito de ea canit Ecclesia: *Virgo singularis, inter omnes mitis*, etc. 93

Maria speculum clementiae

Clementia similiter in Beatissima Virgine mundi Domina cumulatissime invenitur. Ipsa namque apud Christum pro condonandis poenis, quae iuste pro nostris sceleribus debentur, iugiter intercedit. Sed de clementia Virginis abunde diximus in epitheto, *Virgo clemens*. 94

Maria speculum modestiae in exterioribus actibus

Modestia est compositio membrorum, sensuum, vestium, incessus, sermonis, aspectus, vultus, omniumque motuum, et sensuum exteriorum. Et nascitur ex moderatione, et puritate animi interna, divina Scriptura teste, quae ait Eccli. 19, 27: *Amictus hominis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de eo.* Et v. 26: *Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Et Prov. 17, 24: *In facie prudentis lucet* 95 Modestia quid sit.

(1) Adde: *in primo conceptionis instante. Editor.*

Digitized by Google

Modestia corporis in B. Virgine quanta.

sapientia: *oculi stultorum in finibus terrae.* Virgo Beatissima per omnia modestissima fuisse probatur. Tanta in vultu eius lucerat honestas, tantus decor in compositione membrorum, tantaque moderatio in omni corporis motu et gestu, ut de coelo venisse videretur. Incessus eius atque habitus erat praeferens humilitatem, redolens pietatem, exhibens gratiam, exigens reverentiam, et a solo aspectu laetificans et aedificans intuentes, ita ut Deum in carne conversantem homines crederent.

S. Dionysii areopagitae sententia de B. M. Virgine.

96 Narrat Dionysius carthusianus in cap. 3 de divin. nominibus, s. Dionysium areopagitam, cum e Graecia in Iudaeam venisset, et Beatam Virginem convenisset, tanta claritate fulgentem vultum eius conspexisse, ut prae nimio stupore deficiens in terram ceciderit, dixeritque: Nisi ratione naturali, et fide cognovisset, aliam esse divinitatem, se hanc ipsam Virginem loco Dei habiturum.

97 Quamobrem optime in eam quadrat, quod de nubecula 3 Reg. 18, 44 dicitur: *Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Nubecula fuit Beata semper Virgo Maria, de qua Isaias 19, 1: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem.* Vestigium hominis in ipsa tantum apparebat, quia operationes naturae communes quidem cum hominibus habebat, adeo ut ex hoc vestigio comedendi, bibendi, dormiendi, aliaque hominum communia exequendi homo esset, atque censeretur. Ceterum propter affluentiam gratiarum putaretur non homo, sed Deus. Propter vestigium hominis dicere poterat: *Homo sum, humani a me nihil alienum puto.* Propter abundantiam gratiae dicere poterat: *Homo sum, humana omnia a me aliena puto.*

Mores B. Virginis.

98 Epiphanius presbyter constantinopolitanus apud Nicephorum lib 8, cap. 23 B. Virginem ita depingit: *Erat Maria in rebus omnibus honesta, et gravis, pauca admodum, eaque necessaria loquens: ad audiendum facilis, et perquam affabilis, honorem suum omnibus exhibens, sine risu, sine perturbatione, et sine iracundia maxime erat: denique fastus omnis expers, simplex, minimeque vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens, sed humilitatem praecellentem colens. Et ut paucis dicam, in rebus omnibus multa inerat gratia.*

99 Non minus pie ac reverenter d. Damascenus eam depingit his verborum coloribus: *Quonam modo honestissimum tuum, o Virgo, incessum exprimam? quonam modo amictum? quonam modo oris venustatem? senilem in iuvenili corpore prudentiam? Honestus vestitus mollitiem omnem ac luxum fugiens; gressus honestus ac sedatus; mores severi atque hilaritate temperati: sermo iucundus ex leni animo proveniens.*

Accedit d. Ambrosius, qui gloriosam Dei Genitricem lib. 2 de virginibus his verborum coloribus exornat: *Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.*

100 Petrus Galatinus lib. 7 de arcanis catholicae veritatis, cap. 5 eius modestiam depingit: *Deipara usque adeo modestiam coluit, ut eius oculi nihil inhonesti, nihil illiciti aspexerint, adeo ut oculos unquam elevarit, sicut ceteri homines facere solent; sed semper (nisi Deum oraret) humi defixos tenuerit, atque inter ceteras perfectiones eo spiritu prophetiae donata est, ut si forte aliquid inconcessum, seu illicitum auditura, vel visura esset, illico eius aures et oculi clauderentur, ita ut nonnisi voluntati divinae deservire viderentur.* Hanc eius modestiam sponsus coelestis in turture satis eleganter expressit Cant. 1, 9, postquam eam equitatui suo similem praedixit, dicens: *Pulcrae sunt genae tuae sicut turturis, collum tuum sicut monilia.* Turture inter alites nihil modestius, quae nec fustu, nec dolo, nec ungue, nec rostro laedit. Nihil quoque modestius, nihil magis temperatum Maria Virgine, quae neque superbiae tumore, neque malitiae livore, neque avaritiae rapacitate, neque luxuriae petulantia, neque denique alicuius alterius flagitii commotione dimoveri unquam potuit a constantiae, rationis, honestatisque et venustatis uniformi tenore. Porro cervicem quam semel inflexit divinae iussioni, ita immotam et inflexam in sancto proposito, et ita flexibilem et obsequentem in divino obsequio ut servavit, et inclinavit, ut collum eius esset non secus velut monilia; ut sicut plumae turturis soli expositae nunc virent smaragdo, nunc scintillant carbunculo, nunc radiant hyacintho, nunc vero alterius gemmae colore refulgent; ita omnis motus exterior Virginis, totum cor, tota mens, totus animus, tota voluntas variis virtutum fulgoribus radiabat.

Maria speculum modestiae in sermone, hoc est taciturnitatis, seu silentii

Loquacitate ut plurimum mulieres laborare solent. Hinc Ioannes Thuillius super Alciatum emblemate 196 de illis ait: 101

Mulieres natura loquaces.

Ranae tres, et anus totidem, tres insuper raucae
Possunt et immensum voce replere forum.

Sed quid mirum? Sunt enim feminae prima sua creatione ex ossibus compositae, nempe ex costa Adae. Quare si colligantur costae in sacco et collidantur, sonum edunt, quod non facit terra: ita mulieres sunt loquaciores viris, qui de terra facti sunt in Adamo. Procul ab hoc vitio Deipara Virgo. Taciturnitatem adeo coluit, silentium tam arcte servavit, ut sexum exuisse videretur. Quamvis d. Ambrosius in cap. 2 Lucae cui etiam ego assentior, loquacitatem vitium esse personae, non sexus affirmet; sexus enim sanctus est. Porro haec modestia in sermone, seu taciturnitas in B. Virgine enituit. Primo, in colloquio cum angelo. Salutatur ab angelo Virgo, et turbatur statim. *Turbata est,* inquit s. evangelista, *in sermone eius.* Et cur turbatur? *Quia silentium suum quod valde amabat, infringere, vel orationes suas interrumpere cogebatur.* Ita Richardus lib. 4 de laud. Virginis. Ab hoc amore silentii quo Maria tenebatur, natum est, ut audiens angeli salutationem ipsum non resalutavit, non interrogavit, quid sibi vellet, et quorsum tenderet ista salutatio, sed solum cogitavit. *Cogitabat,* inquit s. Lucas, *qualis esset ista salutatio.* Maluit intra se cogitare, et solitum silentii rigorem tenere, quam angelum de salutationis qualitate interrogare. *Hinc est,* inquit s. Petrus Damian. hom. in nativitate B. M. Virginis, *quod tacendo audire meruit, interrogando inquirere non praesumpsit. Ait enim angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries filium.*

Secundo, taciturnitas Mariae enituit in occultatione mysterii incarnationis. Dei Mater effecta Virgo nulli rem patefecit, nulli mysterium prodidit, nec sponso quidem Iosepho, qui alioquin pro officio mariti scire omnia debebat: et conceptus signa videns, hoc est coniugem suam gressibus gravari, utero gravidari cernens, turbabatur, eo quod sponsam quam de templo acceperat, et nullatenus cognoverat, gravidam sentiebat, secumque diu aestuans disputabat. Unde hoc, aiebat, contigit? quid evenit? Non cognovi, non novi, non tetigi, non violavi, non gravidavi. Heu, heu, quid contigit! quid ego faciam? quid agam? Anxior, gemo, curro, consilium quaero, nec penitus invenio. Tandem ait s. evangelista, *voluit occulte dimittere eam.* In his omnibus taciturna Virgo silentium non rupit, secretum non prodidit, quo se a suspicione, maritum a tristitia liberaret. Noluit divina mysteria manifestare, silentii et modestiae exemplar omnibus futura, ut ab ea virgines et mulieres discerent sua passim non effundere, nec Dei dona in publicum iactare. Scriptum namque est Isai. 24, 16: *Secretum meum mihi.* Et Tob. 12, 7: *Sacramentum regis abscondere bonum est.* Proh! quam longe abeunt ab hac mente atque modestia, qui dona Dei statim effundunt, et in aliorum aures proscindunt, nihil supprimere possunt, nihil tacere. 102

Tacuit Virgo, semper siluit, donec, prodente Deo apud cognatam suam Elisabeth, mysterium propalatum esse cognovit; et nisi Spiritus s. qui eam obumbraverat, et Dei Matrem fecerat, eam prodidisset, rem semper sub silentio ipsa custodivisset. 103

Ulterius, volve evangelicae historiae libros, vix pauca verba a Virginis ore fusa reperies, idque solummodo cum necessitas, vel caritas proximi, vel maior Dei gloria efflagitabat. In evangelio septies tantum locutam legimus; et in singulis verbis, vel necessitatem, vel proximi caritatem, vel maiorem Dei gloriam invenimus. Locuta est cum angelo, cum homine, cum Deo. Cum angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* et erat verbum castitatis. Rursus: *Ecce ancilla Domini* etc. et erat verbum obedientiae, et humilitatis. Locuta est cum homine. Primo, cum salutavit Elisabeth, et erat verbum caritatis. Secundo, cum in Cana Galilaeae dixit ministris: *Quaecumque dixerit vobis, facite,* et erat verbum instructionis. Locuta est cum Deo. Primo cum dixit: *Magnificat anima mea Dominum,* et erat verbum gratiarum actionis. Secundo: *Fili, quid fecisti nobis sic?* et erat verbum doloris. Tertio: *Vinum non habent,* et erat verbum compassionis. Haec virginis nota est, haec modestiae consignatio, magna cogitare, et pauca loqui. 104

Maria septies tantum locuta legitur.

Digitized by Google

105 *Verus depingendi mos B. Virginem.* Hoc antiquitus B. Virgo solebat depingi cum oculo maiori, et ore minori, ut significaretur eam cordis oculum ad cogitandum maximum habuisse, os vero parvum ad loquendum. Meminit huius ritus s. Vincentius noster in sermone vigiliae nativitatis. *Nota*, inquit, *de signis taciturnitatis Beatissimae Virginis, quia depingitur cum maiori oculo, quam ore, ad innuendum quod habebat oculum cordis magnum ad cogitandum, et contemplandum; sed os parvum ad pauca loquendum.*

106 *Cur tam taciturna fuit B. V. Maria.* Et vero Maria taciturna esse debuit. Primo. Qui semper per orationem, et contemplationem Deo iungitur, vel in oratione saepius cum eo loquitur, colloquia hominum non amat, cautissimus silentii custos efficitur. Hinc Moyses, licet eloquentissimus, ubi semel cum Deo locutus est, statim tardioris, et impeditioris linguae effectus est, ut ipse fatetur: *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri, et nudius tertius: et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris, et tardioris linguae sum*, Exod. 4, 10. Maria non solum Deum loquentem audivit, sed etiam Deum ipsum in utero suo novem mensibus gestavit, et cum eo multis annis conversata est: quidni igitur taciturna esset? Secundo, quia hoc silentium ab optimo magistro perfecte didicerat, nimirum a Verbo divino, quod in uterum eius illapsum erat.

Verbum divinum cum in uterum virgineum descendit, omnia in silentio esse voluit, et Sapiens 18, 14 testatur: *Cum quietum silentium contineret omnia,... omnipotens sermo tuus de coelo a regalibus sedibus prosilivit*: ut ostenderet se libenter in illas mentes prosilire, quae silentium amant, quae non solam linguam, sed etiam cor ab omni strepitu passionum caute custodiunt. Huius rei non ignara Virgo silentii tam interni, quam externi amatrix fuit.

Praeterea, videbat Virgo Verbum divinum in suo utero, et mox natum ex utero per multum temporis spatium in silentio se continere, et nec vel unum verbum loqui, quod omnibus loquelam tribuebat; quidni ergo ipsa taceret, quae illius Verbi tanto amore tenebatur? sub cuius magisterio nedum in diuturno silentio, verum et in aliis virtutibus tam alte profecerat? Disce igitur quisquis Virginem amas, exemplo illius silentium colere, si desideras Deum in corde tuo habere: non enim meretur ob omnipotente sermone occupari, qui superfluis sermonibus occupatur.

Maria speculum modestiae in ornatu corporis seu vestibus

107 Mariae modestiam in ornatu corporis, seu vestibus abunde deduximus paulo superius paragr. 71, ibique ostendimus gloriosam Dei Genitricem pauperes habuisse vestes, et paucas, et nulla pretiosarum vestium cura oneratam fuisse. Illis pauca addamus. Epiphanius presbyter constantinopolitanus in vita Deiparae apud Nicephorum, lib. 2 historiae, cap. 23: *Vestimentis*, inquit, *quae ipsa gestavit, coloris nativi contenta fuit, id quod etiam nunc sanctum capitis eius velamen ostendit.* Cedrenus in compendio agens de moribus Deiparae, ait: *Vestes amplexans nullo colore tinctas*, hoc est viles, e nuda lana contextas.

108 *Cilicium B. Virgo gestavit.* Valde credibile est B. Virginem cilicium gestavisse, quo purissimam carnem suam affligeret, quamvis nullam afflictionis eius causam unquam dederit, vel in se habuerit. Id divinitus didicisse s. Gregorium turonensem Franciscus Ximenius a Novarino numero 372 relatus narrat his verbis: *S. Gregorius in libello de salutatione angelica scripsit, se divino oraculo monitum cognovisse, Deiparam ex quo templum ingressa est, sine cilicio hentam illam carnem pungente vixisse nunquam; illius vestes e vilissima lana nullo infectas colore; somnum ipsius super humo nuda, vel duris tabulis nullo instructis lecto.* Haec ille. Virginis exemplo omnis qui Christo servis, et Matrem eius colis, pompam saeculi sperne, vestium nitorem et luxum a te abiice, cilicio corpus tuum punge. Crede mihi, vestium nitorem nihil ad mentis splendorem facere, immo plerumque plurimum officere. Probe vestitus eris, si pro veste probitatem habueris exemplo Deiparae Mariae, quae pro nitore vestis puritatem mentis habuit.

Maria speculum solitudinis, hoc est vitae solitariae

109 Virgo nostra a teneris unguiculis hominum frequentiam fugiebat; publicum, quantum potuit, vitabat; se ab hominum oculis studio subducebat. Primo, trimula a parentibus in templum asportata, ibi usque ad desponsationem latuit; domi constituta latebras amavit. Divus Ambrosius libro de virginibus scribit: *Prodire domo nescia, nisi cum ad ecclesiam conveniret, et hoc ipsum cum parentibus et propinquis.*

Secundo, amorem vitae solitariae declaravit, cum viro nubere noluit, sed se totam a pueritia Deo consecravit; licet enim id principaliter fecit, ut pudicitiae candorem servaret illaesum; secundario tamen vitae solitariae amore. Hinc Isaias vates de ea prophetizans 7, 14: *Halmah*, hoc est *puellam absconditam* appellavit. *Ecce*, inquit, *virgo*, haebraice *Halmah*, *concipiet, et pariet filium.* 110

Tertio, amor vitae solitariae in ea enituit, cum angelus Gabriel ad eam veniret. *Ingressus angelus ad eam*, Luc. 1, 28. His verbis sacer scriptor innuit Virginem tunc in conclavi fuisse. Hoc enim sonat verbum illud, *ingressus*. Non igitur Maria tunc foris erat, ut mentitur Lutherus in postilla circa hoc evangelium, sed in penetralibus sola sedebat. Quod ante me advertit Eusebius emissenus scribens in haec verba: *Ingressus est angelus ad eam. Non enim Virgo in plateis erat, non in publico morabatur, intus erat in penetralibus.* Et d. Ambrosius libro de virginibus: *Haec, Maria, ad ipsos ingressus angeli inventa domi, in penetralibus, sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet.* Et lib. 2 in Lucam: *Sola in penetralibus, ait, quam nemo virorum videret, solus angelus reperiret: sola sine comite, sola sine teste.* 111

Sed numquid Maria tunc sola penitus fuit? Sola erat, si hominum consortia spectes; non sola, si virtutes, si libros sacros, si angelos, si archangelos, si prophetas, si Deum ipsum consideres. Eusebius emissenus loco indicato: *Sola*, ait, *sedebat, nec tamen sola, tanto virtutum exercitu circumsepta.* Et d. Ambrosius loco iam memorato: *Neque enim comites feminas desiderabat, quae bonos comites cogitationes habebat.* Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. Scipio Africanus, teste Plutarcho in eius vita, dicebat, *numquam se minus esse solum, quam cum solus esset*; magnis enim tunc heroicarum virtutum meditationibus veluti exercitu cingebatur. Quanto magis B. Virgo tunc minus sola erat, quando cogitationes sanctas, libros sacros, tot angelos comites habebat. Quid dico angelos? Deus ipse singulari quodam modo comes eius erat. Unde angelus eam salutans, id adiecit: *Dominus tecum.* Et merito: qui enim solitudinem amat, strepitus mundanos fugit, Deum comitem habere meretur. *Scipionis Africani dictum.*

Quarto, solitudinis amor in ea refulsit, quando Mater Dei iam facta ad domum Zachariae perrexit, ut nimirum salutaret Elisabeth cognatam suam, eique serviret, uti iam vetulae, et gravidae, et, uti ex angelo didicerat, pene iam parturienti. *Abiit in montana* per vias asperos, et occultas, sed *cum festinatione* amore solitudinis, et illa ingenti latendi cupiditate. Quod mente perpendens d. Ambrosius libro 2 in Lucam, cap. 3 aiebat: *Discite virgines non circumcursare per alienas aedes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sola, festina in publico.* 112

Quinto, solitudinis amorem ostendit Virgo, cum in Ægypto vixit Herodis fugiens saevitiam. Semper fere se domi continuit, vicinarum aedes non facile visitavit. De hoc Simon de Cassia lib. 2, cap. 22 ita scribit: *Stat in Ægypto pueruli mater cum puero, nec procedit in publicum, non verita hominum fraudes, sed custodiens honestatem, formam praestans iuvenibus, qualiter constantes peregre conversentur. Net, suit, laboratque manibus, et quaerit sic compendia vitae. Nullas vicinales visitat aedes. Fit nota omnibus per modestiam magis, quam si ingrederetur limina vicinorum.* Haec ille. 113

Denique hunc solitudinis et modestiae amorem per totam vitam continuavit. Cuius rei testis est gravissimus s. Vincentius Ferrerius serm. in vigilia nativitatis, ita fatus: *Beatissima Virgo nunquam exibat domo, nisi quando ibat ad templum, et tunc ibat tota composita. Semper habebat oculos suos ad terram cum gestu sanctitatis. Nunquam tripudiabat, sed oculis demissis ibat, ideo de ipsa dixit Scriptura: Quam pulcra es amica mea, quam pulcra es! Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet.* Cant. 4, 1. Audiant quam passim domo egredientes in obvios quosque oculos iaculantur. 114

Vis pudica, vis casta haberi? Domi sede, clausuram ama, publicum fuge, hominum frequentiam vita. Mulier honesta et prudens in penetralibus domus sedet, sicut de Iudith vidua san- *Mulieribus solitudo commen-*

Digitized by Google

datur exempla Mariae. cta Scriptura narrat, Iudith cap. 8. Quae vero impudica est, prae foribus domus, et in publico prostat, ut Proverb. 9 dicitur. Virgo nostra non se ostentabat, non per plateas et vicos vagabatur, quemadmodum Eva, cui per paradisum discurrenti daemon occurrit; sed domi haerebat, hominum frequentiam, quantum potuit, vitabat, orationi et meditationi vacabat.

115 Discite puellae, discite et vos mulieres non per alienas domos circumcursare, non in plateis morari, non aliquos cum viris in publico, et quod peius est, in secreto miscere sermones. Discite rura suburbana, villarum amoenitates cum affinibus atque cognatis non circumire. Discite choreas, theatra, aut publicas vias non frequentare.

116 Dina voluit pervagari, lustrare civitatis plateas. *Egressa est*, inquit Scriptura Gen. 34,1, *Dina filia Liae, ut videret mulieres regionis illius*. LXX legunt, *ut condisceret*. Sed quid voluit Dina condiscere? Ingenia videlicet, et mores, et studia, victum, habitum atque cultum illarum mulierum.

Erat enim tunc celebritas apud Sichimitas, ut Iosephus lib. 1 antiquitatum scribit, quo die festo voluptati atque conviviis Sichimitae indulgebant. Eo die Dina et rapta, et oppressa fuit. Idem fere accidit Sabinis virginibus, quae ad spectacula Romam profectae sub Romulo ex improviso raptae atque defloratae fuerunt. Ovidius libro Fastorum.

Et raptas sine mora Sabinas.

Vadat ad spectacula, choreas, theatra, scortum; saltet, tripudiet, sed impudica Herodiadis filia. Honesta virgo, et matrona domi sese contineat. Recte Tertullianus. *Publicatio virginis stupri passio est.*

117 Ergo qui diligi cupit a Virgine, secretum amet, solitudinem ambiat, frequentias hominum vitet exempla Virginis. Rebecca coniux Isaac duos filios habuit, Esau nimirum, et Iacob. Esau minus dilexit, ob hoc praecipue, quia vagus erat, huc et illuc cursitabat, utpote venator. Iacob vero, quia in tabernaculis habitabat, proinde secreti et solitudinis amator erat, a matre plus diligebatur, quia matris moribus magis se conformabat.

Nam et Rebecca tam secreti amatrix erat; unde cum desponsanda ad Isaac venisset, *tollens pallium suum cooperuit se*, ne passim videretur. Rebecca Virginis figura fuit. Unde sicut Rebecca eum filium magis dilexit, qui in tabernaculis habitans secreti studiosus fuit, quam eum qui foras divagatus est: ita Maria eos praecipue diligit, qui exemplo illius solitudinem amant, et mundanis strepitibus non se immiscent.

Maria speculum patientiae

118 *Patientia quid.* Patientia est aequo animo mala tolerare, non conqueri, non murmurare de ullo homine, aut de Deo, non se excusare quasi innoxius sit, aerumnas suas non divulgare. Talem in omnibus B. M. Virginem invenies, si eius aerumnas et afflictiones percurras.

119 *Dolores B. Virginis recensentur.* 1. Quo in moerore eam fuisse putas, cum s. Ioseph sponsum sibi carissimum tam afflictum, tamque turbatum cerneret, ut de se deserenda cogitaret: non quod videns eam gravidam, non se aliquid sinistri de ea suspicaretur, cuius sanctitatem tanti faciebat, ut potius crederet se oculis falli, quam eam virginem non esse; sed quia mysterium ignorabat; proinde consortio, sive cohabitatione tantae Virginis se indignum iudicabat? *S. Ioseph cur B. Virginem dimittere voluit.*

120 2. Quantis doloribus eam afflictam existimas, cum tenerum Infantulum, ac tam nobilem, utpote naturalem Dei Filium, nudum hyemis asperitatem, praesepii duritiem sustinentem cerneret?

121 3. Quae crux? quis dolor in mente eius obortus est, cum parvuli delicatissimi carnem octavo die a nativitate cultro lapideo circumcidi vidit?

122 4. Quae molestia Virgini contigit, cum intempesta nocte natali solo excedere, et in Aegyptum fugere quantocyus debuit?

123 5. Quae afflictio eam occupavit, cum in Aegypto per septem annos inter homines feros et incultos, Dei veri ignaros, multis sceleribus coopertos vitam traduxit?

124 6. Quam dirus doloris gladius animam eius transfixit, ubi Herodem furentem, et tanta immanitate in innoxios pueros oppidi Bethlehem, et finitimos eius saevientem cognovit, ut totam terram illam sanguine innocentum rigaret? Huius autem tam lugubris tragoediae Filium suum causam fuisse scivit, cuius unius iugulum impius Herodes in tot millium infantium innocua sanguine quaerebat

7. Quantus moeror mentem ipsius obsedit, cum Iesum duodennem in Ierusalem amisit? S. Bonaventura eam sic lamentantem, et ad Patrem cum lacrymis orantem introducit: *Pater aeterne, dedisti mihi Filium ex misericordia tua magna. Ego indigna eram illo, et nunc sum. Amisi illum. Redde mihi laetitiam salutaris tui. Sine eo vivere non possum. Et si ei servire non merear, sed nec eum accipere merui. Sicut eum misericordia accepi, misericordia recipiam.* Ad Filium vero: *Fili mi Iesu, Iesu Fili mi, ubi modo es? Ostende faciem tuam, et salva ero. Sonet vox tua in auribus meis. Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes, quia a te pendet anima mea, qui nosti ubi sim, aut me duc ad te.* 125

8. Quam graviter nuntius ille eam contristavit, qui s. Ioannem Baptistam in vincula coniectum, capite truncatum, uni puellae, scorto impudicissimo, saltatrici Herodis traditum nuntiavit? Valde namque eum diligebat, utpote suum cognatum; ac sciebat eum esse sanctissimum, in utero matris suae sanctificatum. 126

9. Quos dolores experta est toto triennio, quo Christus praedicavit? cum eum in comitatu aliarum sanctarum mulierum sequebatur; audiretque convicia, blasphemias, calumnias Scribarum, et Pharisaeorum, qui eum Samaritanum, a daemone obsessum, impostorem, seductorem, comessatorem, potatorem, insanum, legis divinae eversorem appellabant? cum eum nunc capere, nunc lapidare, nunc ex monte praecipitare, nunc caesariano iudicio tradere volebant? 127

10. Quantum dolorem sensit, cum primum funestus ille nuntius ei allatus est, Regem gloriae cum magna ignominia captum, funibus et catenis vinctum, milite armato stipatum, ab uno iudice ad alium tractum, per vias urbis ierosolimitanae tanquam sceleratissimum latronem circumductum? 128

11. Quo doloris sensu spectavit in domo Annae alapam ei impingi? sputis faciem oppleri? in domo Herodis velut fatuum veste alba indui? in domo Pilati flagellari, spinis coronari? 129

12. Quantus dolor eam afflixit, cum inconditos populi clamores: *Crucifige, crucifige*, audivit, et Barabbam latronem Filio suo innocentissimo in vita praeferri vidit? 130

13. Quo doloris sensu perculsa est, cum Filium suum dulcissimum e praetorio Pilati in publicum prodeuntem, flagellatum, coronatum, purpura indutum, sceptrum arundineum in manibus portantem, vultum eius sputis deformatum, alapis contusum, et ita populo monstratum vidit, et Pilatum dicentem audivit: *Ecce homo?* 131

14. Quantum doluit, cum Filium iam morti adiudicatum, tam dire excarnificatum, et tandem cruce oneratum vidit; iamque viribus fractum et lassum oneri succumbere, et in terram prolabi conspexit? 132

15. Quos dolores passa est, cum blasphemias latronum: *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos*; ludibria Scribarum, et Pharisaeorum: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere*; et rursus: *Vah, qui destruis templum Dei, et in triduo reaedificas illud*, audivit? 133

16. Quanto dolore affecta est, cum dulcissimum Filium suum e sublimi cruce ad Patrem aeternum vociferantem audivit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* 134

17. Quis dolor eam occupavit, quando Iesus ter benedictus os suum sanctissimum aperiens, ei dixit: *Mulier, ecce filius tuus*; deinde discipulo: *Ecce mater tua?* Grandis per omnem modum. Quae enim erat commutatio accipere Ioannem pro Iesu? servum pro Domino? discipulum pro Magistro? filium Zebedaei pro Filio Dei? purum hominem pro vero Deo? 135

18. Quam ingens dolor ille Virginis fuit, cum Iesum clamantem audivit: *Sitio?* Audivit, nec ei poculum aquae frigidae porrigere, nec caput inclinatum sustentare, nec vulnera alligare, nec ullum prorsus subsidium ei adferre potuit. 136

19. Quanta crux illi fuit, cum dilectum Filium inclinato capite, vultuque squalido novissima illa verba: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* proferentem audivit, illisque prolatis expirantem vidit? 137

20. Quo dolore concussa est, cum crudelem illam lanceam vibrari, et in pectus Filii magno impetu adigi, et ex vulnere sanguinem cum aqua profluere conspexit? 138

21. Quantum dolorem sensit, cum de cruce depositum Filium 139

Digitized by Google

in sinum suum recepit, pectorique applicuit? cum totam sanctissimi corporis compagem a capite ad calcem solutam, et undique convulneratam, plagisque deformatam vidit?

140 Haec, et alia multa Beatissima Virgo vidit, et audivit; et in his omnibus aerumnis, afflictionibus, moeroribus Virgo patientissima Deum laudabat, et glorificabat, maxime in morte unigeniti Filii sui. *Stabat*, inquit s. evangelista, *iuxta crucem Iesu Mater eius*. Non prae vehementia doloris in terram cadebat; non clamores extollebat; non palam eiulabat; non Scribarum, et Pharisaeorum invidiam accusabat; non militum crudelitatem arguebat; non furentis populi insaniam accusabat, sed *stabat* firma, quieta, modesta, voluntati conformans, et omnibus futuris saeculis exemplum patientiae relinquens.

141 Exhortatio ad imitationem B. Virginis. Hoc igitur speculum tersissimum frequentius inspiciamus, in istud obtutum nostrum figamus, ad istud faciem, vultumque componamus, ad istud intentionem, verba, facta omnia conformemus. Imitemur Mariam, quia inter puras creaturas meliorem non habemus, a qua exempla probitatis, ideam virtutis capere valeamus.

Habebant profanae gentes suas ad imitandum imagines. Athenienses Minervam ad sapientiam; Romani Lucretiam ad pudicitiam; Siculi Cererem ad ubertatem; Tyrrheni Vestam ad castimoniam; Hetrusci Carmentam ad vaticinium; Pelasgi Themim ad iustitiam; Latini Fortunam ad victoriam; Tiburtes Sibyllam ad divinationem; aliae gentes Dianam, Iunonem, Venerem ad venationem, fecunditatem, venustatem.

Venerantur Hebraei Rebeccam ob pulcritudinem; Deboram ob animi magnitudinem; Bethsabee ob prudentiam; Rahab ob fidelitatem; Iuditham ob fortitudinem; Estherem ob populi amorem; Abigailem ob moderationem. Nobis una sit pro myriadibus reginarum Regina, pulcherrima, animosissima, prudentissima, fidelissima, fortissima, suorum amantissima, moderatissima, purissima, virtutum omnium idea perfectissima. Nam re vera nihil est candoris, nihil splendoris, nihil virtutis, quod non resplendeat in hoc vivo speculo iustitiae et virtutum omnium, ut probatum dedimus. Ad alia eius epitheta explanando veniamus.

SEDES SAPIENTIAE

Nobile epithetum declarare aggredimur, quo Deus per prophetas, patriarchas, apostolos figuris, et sermonibus Beatissimam Virginem exornavit; quo Ecclesia, et sancti patres eam passim decorant: *Sedes sapientiae*. Pro declaratione igitur tam nobilis epitheti primo inquirendum est

DISCURSUS CCLXXXVIII

QUATENUS DEIPARA VIRGO SIT SEDES SAPIENTIAE, ET CUR SEDES SAPIENTIAE

1 Saepius in Scripturis sacris Beatissimam Virginem sede significari legimus. Primo, psal. 32, 14 Vulgata habet: *De praeparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram*. Genebrardus, Felix, et Santes Pagninus ex hebraeo vertunt: *De habitaculo sessionis suae*; clarius d. Hieronymus: *De firmissimo solio suo respexit*. Per hoc autem solium apte intelligitur B. V. Maria, quam Deus sibi ad habitandum praeparavit, de quo respexit super omnes qui habitant terram, id est super omnes peccatores. Ita Hugo noster cardinalis hunc locum commentans.

2 Thronus Salomonis B. V. Maria. Secundo, in illo throno Salomonis eburneo, auro fulvo vestito, sex gradus habente, quem duae manus sustinebant hinc inde tenentes sedile, Beatissimam Virginem figuratam fuisse multi sanctorum docent. Ex quibus Petrus Damianus in festo nativitatis B. M. Virginis de hoc throno sermonem habuit, ubi illum Virgini elegantissime accommodat. Eundem d. Bonaventura in Speculo Beatissimae Virgini pulcherrime adaptat. Idem facit s. Antoninus 4 p. tit. 15, c. 44, paragr. 7. Et merito; Virgo enim Deipara sedes est veri Salomonis Christi Domini, Regis pacifici, qui est pax nostra. Eburnea est propter puritatem, et innocentiam. Auro fulvo vestita propter eximiam caritatem. Sex gradus habet, id est sex ordines sanctorum, scilicet patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, quos longe excellit. Manus duae eam tenent, altera Christi, qua Deus est, altera eiusdem, qua homo est. Unde optime convenit ei illud elogium ibidem notatum: *Non est factum tale opus in universis regnis*, 3 Reg. 10, 20.

3 Tertio, in illo throno, seu solio excelso et elevato, quod Isaias 6, 1 vidit, super quod seraphim Dominum, et effectorem sedentem cernentes clamabant alter ad alterum, et dicebant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*. Hoc solium d. Bonaventura in Speculo B. M. Virgini pulcherrime adaptans, ait: *Hoc solium excelsum est in intellectu, elevatum in affectu; excelsum quoque inter homines, elevatum super homines; excelsum in gratia, elevatum in gloria. In solio mentis Mariae Dominus sedet, et domus corporis Mariae plena erat maiestate eius*.

4 Aliud solium in Isaia habemus 16, 5: *Praeparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, iudicans et quaerens iudicium*. Hoc solium misericordiae est B. V. Maria, in quo Agnus Dominator terrae, id est Christus, sedit, qui in veritate nos redemit.

5 Quarto, apud Ieremiam quoque 17, 12 nobile solium invenimus B. M. Virginem adumbrans. *Solium gloriae altitudinis a principio, locus sanctificationis nostrae*. Hoc solium Rabbi Haccados in libro revelationum arcanorum ad petitionem tertiam Mariam esse dicit: *Mater Messiae futura est sedes Dei, quam Deus construxit, ut in ea sederet Rex Messias ad augendam maiestatis suae gloriam cunctis mortalibus*. Idem sentit Petrus Galatinus libro 7 de arcanis fidei, capite 18: *Ego*, inquiens, *per solium gloriosam Virginem Messiae Matrem intelligi arbitror, quae est sedes Dei Altissimi*.

Vere sedes gloriae, quia Rex Messias eam sibi construxit, ut in ea sederet, ad ostendendam omnibus maiestatis suae gloriam. Unde versu sequenti mox additur: *Expectatio Israel Domine*; quod non de alio, nisi de Messia intelligi potest, ipse enim solus expectatio Israel erat.

Sed leviter transeundum non est illud quod vates ait, *a principio*. Et cur Maria dicitur solium Dei a principio? Quia ab instanti sanctificationis suae, hoc est infusionis gratiae, quae facta fuit in utero Matris (1), semper fuit solium Dei, in quo Deus per gratiam sedit, et nunquam recessit. *Deus in medio eius non commovebitur*, psal. 45, 6.

Et cur dicitur locus sanctificationis nostrae? Quia in eius utero per Christum sanctificati sumus. In primo instanti incarnationis, quo Christus in mundum venit, et prompta voluntate decretum et voluntatem Patris de sua incarnatione et morte pro salute hominum acceptavit, nos sanctificati sumus.

Quod d. Paulus Hebr. 10, 7, 8, 9 diserte docet, ubi Christum hoc modo loquentem inducit: *Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superius dicens: Quia hostias, et oblationes, et holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi; quae secundum legem offeruntur. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam*; et v. 10 subdit: *In qua voluntate sanctificati sumus*. Hanc autem voluntatem Christus habuit, cum primum in uterum Virginis descendit. Recte igitur Deipara Virgo dicitur *locus sanctificationis nostrae*.

Quinto, thronus ille sapphirinus Ezechielis 1, 26 quid aliud, 6

(1) Dicendum est: *quia ab instanti primo conceptionis simul et sanctificationis suae, hoc est infusionis gratiae semper fuit solium Dei*, etc. *Editor*.

Digitized by Google

quam B. V. Mariam praesignificabat? Sic enim legimus eo loci: *Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum*, nimirum quatuor animalium, *quasi aspectus lapidis sapphirini similitudo throni; et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper.* Per firmamentum plerique angelos intelligunt; per thronum vero sapphirinum, qui erat super firmamentum, B. M. Virginem significari volunt. Ita s. Antoninus 4 p. tit. 15, c. 44, paragr. 2, Petrus Galatinus libro 7 de arcanis, capite 18, d. Bonaventura in Speculo B. Virginis, c. 11. Et optime; sicut enim firmamentum ideo sic dictum, quia firmum est, ac nulli corruptioni obnoxium; ita angeli firmissimi sunt, nullis mutationibus, et casibus obnoxii, utpote in gratia confirmati. Super hoc firmamentum thronus sapphirinus cernitur; quia B. V. Maria super omnes choros angelorum exaltata est. Pulcre autem B. V. Maria sapphiro similis dicitur; sicut enim sapphirus, licet ex elemento terrestri, opaco et obscuro originem habeat, coelestis tamen coloris figuram refert, et aureis punctis collucet: ita B. V. Maria, licet a parentibus peccato obnoxiis prodierit; ipsa tamen nullius terrenae contagionis corruptionem sensit, sed tota coelestis fuit.

Angeli cur dicuntur firmamentum.

Sapphiro similis B. V. Maria.

Quidni coelestis, quam sol vestivit, luna calciat, stellae coronant? *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim*, Apocalyp. 12, 1. In hoc vero sapphirino throno conspicitur quasi aspectus hominis, id est Christus Dominus ex Virgine conceptus, in cuius utero novem mensium spatio tanquam in sede pretiosissima resedit. Ipse etiam Christus super thronum residet, quia solus suae Matris filius unicus est, et in gloria solus suae Matris merita et gloriam transcendit.

7 Sexta, apud eumdem Ezechielem 44, 2 de porta Sanctuarii sic legitur: *Porta haec clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam . . . Princeps ipse sedebit in ea.* Per portam hanc orientalem clausam B. M. Virginem semper intactam intelligi tomo superiore, disc. CLXIV per totum abunde ostendimus. Vir per eam non transivit, quia s. Ioseph eam non cognovit. In hac porta ipse Princeps sedet, nimirum Christus, qui Apocalypsis 1, 5, *Princeps regum terrae* appellatur.

8 Septimo, Danielis 3, 53 tres in fornace quasi uno ore Deum laudantes in hymno concinunt: *Benedictus es in templo sancto gloriae tuae,.... benedictus es in throno regni tui.* Lyranus, per templum sanctum gloriae Domini sanctissimam Christi humanitatem interpretatur, in qua velut in templo divinitas inhabitat corporaliter. Per thronum regni B. M. Virginem intelligit, in qua velut throno summus Rex coelorum resedit, et ex cuius gremio munera a Magis accepit. Ita Lyranus.

9 Introitus dominicae infra oct. Epiphaniae.

Huc credo Ecclesia respexit, cum dominica infra octavam festi Epiphaniae introitum missae sic incipit: *In excelso throno vidi sedere virum quem adorat multitudo angelorum.* Per excelsum thronum Deipara Virgo intelligitur, in cuius sinu Magi nomine Ecclesiae Christum, qui ab angelis adoratur, et viderunt, et ipsi pariter adorarunt. Postquam enim Verbum caro factum est, angeli adorarunt virum, hoc est Christum, Apostolo teste Hebr. 1, 6: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.* Christus autem infans, et in Matris utero reclinatus dicitur vir non aetate, sed sapientia et carnis plenitudine perfectissimus, de quo Ierem. 31, 22: *Femina circumdabit virum.* Invitat nos igitur per eos dies Ecclesia, ut cum sanctis Magis Dominum adoremus, *in excelso throno*, hoc est in Virginis Matris gremio positum; sic enim Magi eum viderunt, et adorarunt, ut gravissimi patres testantur. Sanctus Ambrosius serm. 1 de Epiphania: *Mater*, inquit, *partum molli blanditur gremio, cum adorandum Magis ingerit.* D. Chrysostomus homil. 8 in Matth. *Invenerunt*, ait, *Magi puerum cum Maria, quae eum in sinu suo collocavit.* Emissenus in cap. 2 Matth. *Quando ingressi sunt Magi, Virgo Christum super genua habebat.*

Christus infans cur dicitur vir.

10 Introitus missae dominicae infra oct. nat. Domini.

Idem Ecclesia inculcat cum verbis illis ex Sapientia 18, 14: *Cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de coelo a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit.* Hoec de morte primogenitorum Aegypti ad litteram explicant Lyranus, et Iansenius; quae mors inflicta fuit media nocte ab exterminatore angelo, mandante Domino. Ecclesia tamen hanc regalem sedem B. M. Virginem intelligit; unde haec in festis nativitatis Domini canit. Tunc enim *omnipotens sermo Dei*, id est Verbum Patris, media nocte, ut plerique contemplantur, de virgineo utero velut regali sede in mundum venit, et aereas potestates tanquam fortissimus bellator devicit; secundum quod Isaias de eo nascituro vaticinatus est: *Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere: festina praedari, quia antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci*, Isai. 8, 3.

Hinc sancti patres B. M. Virginem sedem Dei, ac thronum appellant. S. Iacobus in Liturgia quam VI Synodus universalis canone 32 allegat de B. M. Virgine, ait: *Deus noster suum aeternum thronum fecit.* S. Methodius martyr illustris orat. in hypapantem Domini Virginem vocat, *Sedem gloriosam, Deoque dignam.* S. Epiphanius, *Thronum cherubicum.* Divus Augustinus sermone de assumptione, *Thronum Dei.* Andreas cretensis orat. 2 de dormitione Virginis, *Thronum excelsum.* Damascenus orat. 1 de dormitione Virginis, *Solium regale.* Rupertus libro 5 in Cantica, *Unicam sedem Dei.* Sanctus Bonaventura in Speculo B. M. Virginis, cap. 5, *Sedem Dei altissimam.* Sanctus Ephrem serm. de laudibus Virginis eam sic compellat, et salutat: *Ave throne Creatoris mei gloriosissime.* S. Epiphanius sermone de laudibus Deiparae: *Ave gratia plena, quae thronum cherubicum divinitatis fulgore superas.* Tot, taliaque epitheta a nobis requirunt, ut de excellentia huius sedis, seu throni plenius agamus, quod discursu sequenti praestabimus, ubi primo quod promisimus, explicabimus, videlicet cuius sapientiae sit sedes Deipara Virgo Maria.

11 B. Virgo sedes Dei a sanctis patribus dicta.

Sapientiam duplicem esse novimus, creatam nimirum, et increatam. Creatam sapientiam, sed infusam sedem habuisse in Virgine tomo superiore, cum de gratiis gratis datis egimus, diximus; et in hoc tomo, in epitheto *Virgo prudentissima*, idem ostendimus. Increatam sapientiam sedem suam in Virgine habuisse, praesenti epitheto decantamus. *Sedes sapientiae*, non alterius certe, quam Christi, qui est Verbum, et Sapientia Patris. Pater enim divinus, unico verbo quicquid novit, dicit: et ideo Verbum Patris Sapientia Patris nuncupatur.

12 Sapientia duplex, et utriusque est sedes B. V. Maria.

Propterea Verbum divinum earum rerum omnium quae factae sunt, rationes in se fert; quare et Sapientia et Dei Verbum appellatur. Huius igitur Verbi, seu Sapientiae Patris B. V. Maria sedes dicitur, cum ei occinitur: *Sedes sapientiae.* Porro quam sit excellens sedes ista, discursus qui sequitur, declarabit.

DISCURSUS CCLXXXIX

QUAM EXCELLENS SIT SEDES DEI DEIPARA VIRGO MARIA

Multa sunt in oraculis, et apud patres, quibus hoc nomen *sedes* Dei tribuitur. 1. Coelum ipsum sedes Dei appellatur. Psalmo 10, 5: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in coelo sedes eius.* Et Isai. 66, 1 ait: *Coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Et Matth. 23, 22: *Qui iurat in coelo, iurat in throno Dei.* Et 5, 34: *Non iurare ...per coelum, quia thronus Dei est.*

1 Sedes Dei multa dicuntur in Scripturis. Coelum est sedes Dei.

2. Angeli sunt sedes Dei. Psalmo 79, 2: *Qui sedes super cherubim, manifestare coram Ephraim*; et psalm. 98, 1: *Qui sedet super cherubim, moveatur terra.* et Isai. 37, 16: *Deus Israel, qui sedes super cherubim;* et Daniel. 3, 55. *Benedictus es, qui intueris abyssos, et sedes super cherubim.* Peculiariter autem tertius ordo supremae hierarchiae a s. Dionysio areopagita c. 6 de coelesti hierarchia, et ab aliis sacris doctoribus throni appellatur, quod latine sedes sonat.

2 Angeli sunt sedes Dei.

3. Anima iusti dicitur sedes sapientiae Sap. 7, 27, ubi Vulgata de divina sapientia habet illud, *in animas sanctas se transfert.* Alia littera, inquit Hugo cardinalis super Isai. cap. 66 habet: *Anima iusti thronus Dei est.* Et d. Gregorius homil. 38 in evangelia hunc locum sic citat: *Salomon ait: Anima iusti est sedes sapientiae. Quemadmodum enim regem in throno sedentem omnes observant, et colunt: ita anima iusti, in qua singulariter resplendet Deus, colitur et adoratur.* Quare de divo Antonio s. Paulum eremitam primum alloquente d. Hieronymus in vita eiusdem Pauli sic scribit. *Antonius quasi Christum in Paulo videns, et in pectore eius Deum venerans, ultra respondere nihil ausus est.* Hinc et Ecclesia in officio ecclesiastico de virginibus in persona Christi eas alloquentis canit: *Veni electa mea, et ponam in te thronum meum.*

3 Iusti anima est coelum et sedes Dei.

4. Ecclesia est sedes Dei, Ierem. 17, 12. *Solium gloriae al-* 4

Ecclesia est sedes Dei.

titudinis a principio, locus sanctificationis nostrae. Hoc solium Clemens libro 6 constitutionum apostolicarum intelligit Ecclesiam. At B. V. Maria excellenter coelum est, thronus cherubicus, iustorum gloria, Ecclesiae membrum longe praestantissimum; igitur excellenter sedes Dei merito appellari potest.

5 Coelo comparatur B. V. Maria.

1. B. V. Maria coelum est. 1. Quia celesti celsitudine, coelesti claritate, coelesti firmitate, coelesti incorruptione, coelesti amplitudine, coelesti puritate, coelestibus aliis virtutibus abundat. Quod in toto hoc opere sparsim, prout se occasio offerebat, dilucidavimus.

2. Quia instar coeli tonat, pluit, fulgurat, coruscat. Pluit precibus, meritis, gratiis; tonat piis exhortationibus; fulgurat bonis exemplis; coruscat miraculis.

3. Quia sicut coelum non est capax alicuius peregrinae impressionis, ita nec Deipara propter mirabilem eius impeccabilitatem nullam peregrinam levissimi etiam peccati impressionem suscepit, ut sacrum Concilium tridentinum sess. 6, canon. 23, et ante illd Concilium claromontanum sub Urbano II definivit (1).

4. Quia sicut coelum in motu suo nullum errorem committere potest, quia semper motrici intelligentiae, seu angelo moventi obedit; ita B. V. Maria nullum peccati errorem committere poterat, quia Spiritui sancto suo motori obediebat.

5. Quia sicut coelum musicum concentum edit, teste Platone, qui singulis orbibus coelestibus syrenas assidentes assignat, quod et alii, tum philosophi, tum patres docent (2): ita B. Virgo frequenter divinas laudes aut ore, aut mente, aut certe opere concinebat; inter quas illud est suavissimum: *Magnificat anima mea Dominum.*

6. Quia sol, luna, stellae eam exornant. Sol illius est Christi divinitas, luna eiusdem humanitas, stellae variae Virginis virtutes. Cum igitur B. Virgo coelum est, consequenter sedes Dei excellentissima est.

6 II. Angeli in quibus Deus requiescit propter naturae suae praestantiam, et peculiariter throni, qui sunt tertius ordo supremae hierarchiae, sedes dicuntur Dei, quanto magis hoc nomine prae aliis appellabitur Deipara? S. Chrysostomus in liturgia hoc dignum protulit elogium: *Est honoratior cherubim, et incomparabiliter gloriosior est seraphim, in qua Deus praestantissimo modo non in anima tantum, sed in utero etiam singulariter requievit.*

7 Cum hominibus qui macula carent, delicias suas se habere Deus dixit. *Deliciae meae,* inquit, *esse cum filiis hominum,* Prov. 8, 31. Cur non magis cum Matre purissima maneret, et delicias haberet? Rupertus lib. 2 in Cantica: *Si deliciae eius cum filiis hominum, quanto magis lubens erat, et delectabatur cum ista ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum, vel filiarum hominum?*

8 Tam magnae fuerunt hae deliciae quas in Virginis utero Deus reperit, ut omnium aliarum creaturarum fere pertaesus, in una Maria voluptates suas posuisse visus sit. Deducit hoc optime sanctus Petrus Damianus serm. 11: *Numquid in angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit pravitatem? numquid in constellatione, seu scintillatione stellarum, quarum aliae convertuntur in sanguinem, aliae cadunt de coelo, aliae in tenebris obscurantur? numquid in aere, vel in igne, vel in ventis? Nequaquam, quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in spiritu Dominus, si verus est ille qui in curru igneo, et equis igneis est assumptus in coelum. Numquid in aqua, ubi fervens, et tortuosus Leviathan immoratur, aut in terra, quae sub maledicto Adae spinas emittit, et tribulos? Non est locus voluptatis, nisi uterus Virginis.* Haec ille. Unde divus Bonaventura in psalterio minori B. M. Virginem sic salutat: *Ave Virgo, Dei quies.*

9 Throni tertiae hierarchiae angelorum ordo cur dicti

Throni, qui supremum tertiae hierarchiae ordinem constituunt, ex s. Dionysio areopagita cap. 7 coelestis hierarchiae, et sancto Thoma 1 p. q. 108, art. 6 adepti sunt hoc nomen *throni* propter quadruplicem, quam cum sedibus materialibus habent similitudinem. Primo, propter situm. Quia sedes elevantur a terra, et throni ita elevantur, ut rationes rerum in Deo immediate cognoscant. Secundo, propter firmitatem. In sedibus enim quis firmiter sedet: ita in thronis Deus firmiter sedet, non ita quod throni ipsum firment, sed quod throni per ipsum firmentur. Tertio, propter susceptionem. Sedes enim sedentem suscipiunt: ita et throni Deum in se familiariter suscipiunt. Unde designatur in eis habitatio Dei, et propinquitas ad ipsum, nihil enim sedenti propinquius est, quam sua sedes. Quarto, propter figuram. Figura sedis est superius aperta ad suscipiendum sedentem. ita et throni sunt per promptitudinem aperti ad suscipiendum Deum, eique famulandum.

Haec omnia eximia quadam ratione, et excellentia perfectiusque prae omnibus puris creaturis in Deiparam conveniunt. Igitur ipsa per antonomasiam thronus, sive sedes Dei appellari debet. Singula ad trutinam voco. 10

11 Thronorum proprietates B. Virgini adaptantur.

Quod attinet ad situm. Huius divinae sedis, nimirum Deiparae Virginis tanta altitudo est, ut omnes tum angelorum ordines, tum sanctorum choros dignitate, gratia, gloria longo intervallo superet. Ipsa namque Dei Mater est, domina mundi, angelorum regina, ipsa omnium dotes, ac perfectiones cumulatissima continet. Illi non deest fides patriarcharum, nec spiritus prophetarum, nec zelus apostolorum, nec constantia martyrum, nec sobrietas confessorum, nec fecunditas coniugatorum, nec puritas virginum. Ipsa magno excessu omnes sanctos superat in gloria, ita ut non solum multis gradibus gratiae et gloriae excedat quemlibet angelorum, et sanctorum; verum etiam ipsa una plures omnino gradus gratiae et gloriae possideat, quam sit omnibus angelis et sanctis, etiamsi collective in unum velut acervum cogitatione conferantur, uti fuse et erudite probat Barradas tom. 1, lib. 6, cap. 16, et Suarez tom. 2, disp. 18, sect. 4. Et nos tomo superiore disc. CXXXIV, et CXXXV fuse ostendimus. Ipsa igitur dicere potest: *Ego in altissimis habito.*

Quod spectat ad firmitatem. Haec perfectissime in Virgine invenitur. Etenim haec firmitas ex s. doctore nostro, loco iam memorato, in materialibus sedibus spectatur, ut firmiter quis in eis sedeat: in thronis vero angelicis, ut firmiter Deo per amorem inhaereant. Unde id quod divini throni firmitatem labefactare, vel aliqua ratione concutere potest, est peccatum, quod a Deo creaturam rationis participem avertit ac separat. Propterea daemones post casum throni nequaquam dici possunt, etiamsi ex singulis ordinibus etiam thronorum ceciderint; quoniam Dei inhabitatio, quam thronorum nomen importat, peccato opponitur. Huiusmodi porro firmitas prae ceteris puris creaturis absolutissime in Deiparam convenit, cum in Deo praestantissimo quodam modo firmata fuerit. Ipsa enim speciali Dei privilegio nullam aliquando culpam, ne levissimam quidem, commisit (3), per quam in ea Deus commoveri posset, ut paulo superius diximus, cum illum locum psalmi 45, *Deus in medio eius non commovebitur,* explanabamus. Hanc firmitatem stupens d. Bonaventura in Speculo B. M. Virginis, c. 7 exclamat: *O vere beatissimum, o vere stabilissimum solium, sicut dicitur in libro Regum: Firmissimum solium tuum Domine in aeternum.* 12

Daemones cur throni dici non possunt.

Quod vero ad susceptionem, haec quoque eminentissime in B. Virgine reperitur. Sedes suscipit sedentem, proinde nihil est vicinius sedenti, quam sedes ipsa, ut s. Doctor noster loco citato dixit. Ita throni qui sunt tertius ordo supremae hierarchiae, Deum in se suscipiunt, illique vicini et familiares sunt. Hoc vero totum singulari ratione Deiparae convenit. In primis in anima eius per copiosiorem gratiam, quam in reliquis creaturis, quae rationis participes sunt, Deus non solum exceptus est, verum etiam ab instanti conceptionis eius mansionem perpetuam fecit (4), et in eius postea utero ex ea carnem suscipiens novem mensibus resedit. Eccli. 24, 12: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Haec autem residentia Dei in Virgine fuit nedum perpetua, sed et quieta, ac nullis bellorum turbinibus perturbata. Nulla namque in anima Virginis fuit repugnantia, nulla contradictio, nulla rebellio spiritus cum carne, sensuum cum ratione, ita ut de ea cani possit: *Et factus est in pace locus eius, et habitatio eius.* 13

(1) Addendum nunc est: *immo singulari privilegio, nec etiam labe originalis peccati inquinata fuit,* cum sit candor lucis aeternae, uti nuper definivit summus pontifex Pius IX. *Editor.*

(2) Hoc falsum est; at parcendum auctori qui vixit ea aetate qua haec passim docebantur. Quod prae oculis habeatur, semper ac similia tradit auctor, quod saepe occurrit. *Editor.*

(3) Displicet semper idem repetere, sed auctor si melius sensisset, ad id nos non cogeret: addendum igitur est: *immo nec originalem habuit. Editor.*

(4) Dicatur: *a prima instanti conceptionis eius,* etc. *Editor.*

*

14 *Paradisus fuit B. V. Maria.* Requievit in Virgine Deus velut in paradiso omnibus deliciis, voluptatibus omnibus referto, tantasque ibi delicias habuit, ut ipsummet Spiritum sanctum, qui istum paradisum sanctificavit ut tam delicatum per gratiam fecit, in admirationem rapuerit. Ait enim Cant. 8, 5: *Quae est ista quae ascendit de deserto deliciis affluens?* Scilicet quaenam est virgo haec, quae in squalenti huius mundi deserto tantis deliciis affluit, ut paradisus voluptatis effecta sit, in qua non iam Adam terrestris, sed Adam coelestis delicias sibi elegit; in quo lignum vitae, non quod aetatem senii expertem confert, sed quod ad vitam perducit aeternam, plantatum est? Hinc sancti patres B. Virginem passim hoc titulo decorant. S. Gregorius thaumaturgus serm. 3 de annuntiat. Deum ita ad angelum loquentem inducit: *Abi ad paradisum meum ratione praeditum.* Et s. Basilius Seleuciae episcopus orat. 30 B. Virginem salutat in haec verba: *Ave gratia plena: ave florentissime virginitatis paradise.* Et Leo imperator hom. in annuntiat. D. Virginis sic eam alloquitur: *Ave paradise, cuius fructum edentes insitam nobis, et interitus effectricem rubiginem abiecimus, et ad floridam senisque expertem formam traducti sumus.*

15 Excellentiam huius residentiae divinae in Virgine angelus Gabriel expressit, cum dixit: *Ave gratia plena, Dominus tecum*, id est Dominus tecum, sed plusquam mecum; familiarior es ei, quam ego; Deus mecum est ut Dominus, tecum est ut Filius; mecum solum per gratiam, tecum etiam per corporalem inhabitationem. Vide superius horum verborum expositionem.

16 Ad haec B. Virgo non solum Deum excepit, sed etiam portavit. Si enim iustis dicitur, 1 Corinth. 6, 20: *Glorificate, et portate Deum in corpore vestro*, quanto magis hoc Virgini convenit, quae uberiorem prae reliquis gratiam accepit, quae singulariter de suo sanguine conceptum Deum novem mensibus in utero portavit, in montana Iudaeae ad sanctificandum Ioannem Baptistam eiusdem Domini praecursorem detulit.

17 *Poloni quam apte sua lingua sacerdotes vocant.* Sacerdotes novae legis a Polonis *Piaston Boży*, hoc est Deiferi appellantur, eo quod sanctissimum Domini corpus in Eucharistiae sacramento conficiunt, tractant et deferunt. Id peculiari ratione B. M. Virgini convenit, quae verbis illis, *Ecce ancilla Domini*, Verbum Patris humana carne in suo utero vestivit, illudque in sacro utero, velut in nobilissima ac pretiosissima pyxide novem mensibus circumgestavit; natum postea manibus tractavit, aliis videndum, adorandum, osculandum et tenendum exhibuit. Missam consulto facio sedulam curam, ac ingentem sollicitudinem, quam per totum Christi vitae curriculum Deipara Virgo in ministrando ei adhibuit. In nativitate ipsa ei obstetrix fuit, ipsa nutrix, ipsa pannis induit, ipsa in praesepio reclinavit, ipsa infantem in ulnis suis tenebat, uberibus lactabat, dormientem observabat, inclementia frigoris algentem inter brachia sua illum amplexans fovebat, circumcisionis vulnus tenerrimae infantis carni inflictum curavit, ab Herodis persecutione mortem illi machinantis solicita eum in Aegyptum deferens liberavit. Vere Deifera. Quare b. Ignatius in suis epistolis quas ad B. Virginem scripsit, eam *Christiferam* appellat, et salutat. Et iam inde ab apostolorum temporibus ipsa cum Filio inter eius brachia residente depingi solet, quod a s. Luca, et consequenter ab aliis factum cernimus in imaginibus quae usque ad haec tempora in Ecclesia religiose servantur, et id perspicue testantur.

18 Haec est illa nubes levis super quam Dominus ascendit, et ingressus est Aegyptum, et a facie eius commota sunt simulacra Aegypti iuxta vaticinium Isaiae, cap. 20. Vere nubes quae solem iustitiae Dei Filium carne sua vestivit. Nubes levis, quia coelestis ab his terrenis longe seiuncta, super omnia avecta, ut nullius concupiscentiae, aut coniugii onere praegravata. Super hanc nubem Dominus ascendit, et Aegyptum ingressus est, cum incarnatus, corpore ex Virgine assumpto, eius brachiis veluti curru cherubico eo delatus est. Hinc Andreas cretensis orat. 2 de dormit. alludens ad illud psalm. 67, 18: *Currus Dei decem millibus multiplex*, eam salutat: *Tu es illa decies mille millibus multiplicatus Dei currus, quae millia millium locupletum adduxisti ad eum in carne tectum.*

19 Deinde B. V. Maria fuit Christo vicinissima. Primo in incarnatione per carnis identitatem; quia eadem caro quae fuit Virginis Matris, facta est caro Filii Dei. Secundo, in conversatione; quia eum aluit, vestivit, et omnem infantiam eius matris affectu prosecuta est, in eadem domo tot annorum spatio cum eo familiariter vixit, eadem mensa suavissimis, crebrisque colloquiis usa est, eius lateri iugiter adhaesit, melliflua eius praedicationis verba audivit, miracula facientem vidit. Tertio, in passione; quia recedentibus discipulis ab eo non recessit. *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius*, Ioann. 19, 25. Quarto, in coelesti gloria; quia super omnes choros angelorum exaltata ad dexteram Dei collocata est. Hinc s. Ildephonsus serm. 1 de assumpt. exclamat: *O sanctissima omnium feminarum, quae cum Deo tale tantumque contubernium habuit in terris, et ecce hodie exaltatur apud eum quem genuit, ut permaneat sine fine gloriosa in coelis.* Et d. Bernardus serm. super *Signum magnum: Quam familiaris ei facta es, o Domina, quam proxima, immo quam intima fieri meruisti, quantam invenisti gratiam apud Deum! In te manet, et tu in eo, et vestis eum, et vestiris ab eo; vestis eum substantia carnis, et ille te vestit gloria suae maiestatis; vestis solem nube, et sole ipsa vestiris.*

Quarta sedium materialium est proprietas, figura scilicet aperta, ut capax ad excipiendum sedentem: quod in thronis angelicis vult s. Thomas inveniri per promptitudinem qua aperti sunt ad Deum suscipiendum, eique famulandum. Hoc in Sanctissima Virgine Dei throno altissimo perfecte reperiri nemo dubitat. Huius enim Virginis corpus et anima, ut dignum Filii Dei habitaculum effici mererentur, a Patre aeterno ita fuere praeparata, ut quem coeli coelorum capere non poterant, suo gremio contulerit. Hinc s. Iacobus in Liturgia cum Virgine loquens: *Deus*, inquit, *noster tuum ventrem latiorem ac ampliorem coelis ipsis reddidit.* Hoc perpendens s. Epiphanius serm. de laudibus Virginis exclamat: *O uterum impollutum habentem circulum coelorum, qui Deum incomprehensibilem, in te vero comprehensum portasti. O uterum coelo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti.* Et s. Bernardinus de gloriosissimo nomine Mariae hoc ipsum admirans, ait: *O venter capacior coelis, diffusior terris, latior elementis, qui illum comprehendere valuit, quem totus mundus continere non potuit, et qui tribus digitis molem terrae appendit.* S. Bonaventura in Speculo cap. 5 idem considerans, B. M. Virginem ita alloquitur: *Tu immensissima Maria capacior es coelo: quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Tu capacior es mundo: quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre, quanto magis mente? Quis immensitatem Mariae potest mensurare?* Et Petrus Damianus serm. de nativitate: *Quid grandius Virgine, quae magnitudinem summae divinitatis intra sui ventris clausit arcanum?* 20 *Immensitas Mariae quanta.*

III. Si anima iusti est sedes sapientiae, quanto magis Deipara Sanctissima quae inter iustos principem locum obtinet, sedes sapientiae dicenda est? S. Bernardus serm. de Aquaeductu: *Et quis iustus, si non Maria iusta, de qua sol iustitiae ortus est nobis?* 21

Si de sanctis virginibus illud peculiariter canit Ecclesia ex persona Christi: *Veni electa mea, et ponam in te thronum meum*, quam potiori iure id dici potest Deiparae, quae est Virgo virginum, et virginitatis primiceria, uti ostendimus tomo superiore in epitheto, *S. Virgo virginum*? Tum etiam quia omnium iustorum gratias, favores, praerogativas, dignitates quae sexui non repugnant, ipsa sola eminentiori modo continet, ut superius probavimus.

Anima iusti est sedes sapientiae, eo quod praeter communem modum quo Deus est in rebus omnibus per essentiam, praesentiam et potentiam, est in ea speciali modo per gratiam. Et eo perfectiori modo in ea, quam in alia creatura rationali Deus inhabitat, quo maior est eius gratiae gratum facientis intensio, nulla habita ratione an creatura illa in naturalibus sit essentialiter perfectior, cuiusmodi sunt angeli respectu hominum, ut colligitur ex s. doctore nostro 1 p. q. 12, art. 6. Constat autem in B. Virgine maximam fuisse gratiam, qua incomparabiliter excessit omnes creaturas, tam infimas, quam supremas, uti ostendimus tomo superiore, discursu CXXXIII, et CXXXIV. Ipsa igitur per antonomasiam merito appellanda est, *Sedes sapientiae.* 22

Si Ecclesia est sedes Dei, multo magis B. Virgo quae omnibus puris creaturis altior est, et in Ecclesia militante dum viveret, et nunc post mortem in triumphante post Christum primum dignitatis locum obtinet. Unde Ecclesiae membrum praestantissimum est. Quare honorificentissima illa quae in Canticis de Christi sponsa, hoc est Ecclesia, dicuntur elogia, Beatissimae quoque Virgini convenire tanquam sponsae prae ceteris Christo dilectissimae, non tantum per accommodationem, sed 23 *Cantica Canticorum de B. Virgine intelliguntur.*

etiam in sensu aliquo a Spiritu sancto intento docet Andreas cretensis orat. 2 de dormit. Virginis: *Te, inquiens, Canticorum liber praedescribens, mystice significavit.* Et Ecclesia in prosa nativ. B. Virginis eam sic compellat: *Te signarunt ora prophetica, Tibi Salomon ennit Cantica Canticorum.* Idem quoque fatentur omnes qui Cantica Canticorum interpretati sunt. Apponius qui floruit anno Dom. 800, lib. 1 in Cantica infelicem pronuntiat, qui hoc non credit.

21 Cum igitur Deipara Virgo sit sedes Dei, quis non ingentis beneficii loco ducat ad tantam sedem admitti, in ea recipi, et collocari, hoc est tantae Virginis patrocinio gaudere? Felices fuerunt qui in sinu Abrahae recipiebantur, in quem etiam receptum fuisse Lazarum legimus; sed quanto maioris gloriae, maiorisque felicitatis est in sinu Mariae recipi, in qua thronum suum posuit Rex gloriae? Ad hunc igitur thronum occurramus, ad illum admitti deprecemur, ut in eo collocari, et in eo requiescere valeamus, praestante Deo ac Domino nostro Mariae filio, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat per infinita saeculorum saecula. Amen.

CAUSA NOSTRAE LAETITIAE

Postquam Virgo *Sedes sapientiae* appellata est, iure *Causa nostrae laetitiae* dicitur. Ex eo namque quod Sapientia Patris in ea resedit, cor eius tam abundanti laetitia effecit, ut ea quoque in totum genus humanum promanaret, et corda hominum ingenti gaudio perfunderet, tristitiam omnem abigeret, omnem moerorem pelleret, et incredibili suavitate repleret. Non enim sola Virgo tunc gaudium habuit, sed etiam aliis gaudii causa extitit, et super coelesti gaudio genus humanum gaudio repleta perfudit. Verae etenim laetitiae vas, et receptaculum fuit, ex quo ceteri mortales sibi laetitiam haurirent et gaudium. Scite s. Gregorius thaumaturgus serm. 2 de annuntiat. *Ave*, inquit, *gratia plena, quae supercoelestis laetitiae vas es, et receptaculum.* Vas autem fuit, quod laetitiam continuit non sibi soli, sed etiam aliis. Hinc idem doctor pergens, ait: *Ave gratia plena, nam per te gaudium omni dispensatur creaturae, genusque humanum antiquam dignitatem recuperat.* Et s. Methodius serm. de purificat. Mariae, Virginem compellans ait: *Salve in aeternum indesinens nostra laetitia Dei Genitrix Virgo.* Et s. Amadaeus homil. 7 de Virgine: *Quis, inquit, unquam ab ea aeger, vel tristis, aut ignarus coelestium mysteriorum abiit?* Quod quam verum sit luculentius monstrandum est. Et primo inquirendum

DISCURSUS CCXC

QUOMODO DEIPARA VIRGO CAUSA NOSTRAE LAETITIAE EXTITIT

1 Laetitia nostra est salus, et redemptio nostra quam praevidens Abraham in spiritu gavisus est, Christo attestante, Ioan. 8, 56: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, et gavisus est.* Immo ipse Christus huius laetitiae auctor principalis prae laetitia naturae nostrae induendae, *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Et Cant. 2, 8: *Venit saliens in montibus, transiliens colles.*

2 I. Huius quoque laetitiae causa optimo appellatur B. V. Maria, ipsa enim peculiariter ad salutem hominum est cooperata, non quod nos redemerit, vel de condigno nobis aliquid meruerit; hoc enim soli Christo convenit; sed quia Christum veram salutem nostram, et verum gaudium nobis peperit. Sara postquam Isaac pepererit, risit. *Risum*, inquit, *fecit mihi Deus*, Gen. 21, 6. Isaac autem risum sonat. Sara itaque et risit, et risum parturivit. Ad eundem modum vera Sara Maria cum Christum peperit, ingenti gaudio ipsa perfusa est, et nobis gaudendi causam praebuit, cum eum effudit, qui ablato omni moerore, ac tristitia, factus est nobis gaudium. Ergo Maria quae Iesum tanquam Isaac risum dedit, laetitiam mundo parturivit. Hinc Luc. 2, 10 angelus aiebat: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Et statim tanti gaudii causam subiecit: *Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* Hic veri gaudii fons, verae laetitiae auctor, hic noster Isaac, noster risus, quem Virgo exhibuit, ac proinde gaudium quo ipsa perfusa est, etiam per Filium ceteris communicavit.

3 B. Virgo incarnationem Christi acceleravit. II. Causa nostrae laetitiae dicitur, quia suo modo ad Christi incarnationem et mortem, unde nobis vera laetitia promanavit, cooperata est. Quod incarnationem attinet, certum est multum valuisse desideria, et preces patrum veteris testamenti ad accelerationem incarnationis Filii Dei, ut post doctorem angelicum tota theologorum caterva docuit. Verum singulariter propter intercessionem B. V. Mariae, quae decus erat mundi, ac propter puritatem eius, qua post Deum nulla maior imaginari potest, Deus non distulit mittere Christum suum. Sicut enim Ioseph cernens Iudam fratrem suum pro Beniamin fratre natu minimo valde solicitum, et reliquos fratres in magno moerore ac perturbatione non potuit ultra se cohibere, quin fratribus se manifestaret, Genes. 45, 1; ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, ut ita dicam, differre incarnationem ultra non potuerunt, postquam viderunt natam Virginem Mariam, tantum operis sui complementum. Sanctitas Beatissimae Virginis clamabat: *Veniat dilectus meus in hortum suum*, Cant. 5, 1. Caritas Patris respondebat: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui*, Cant. 4, 9. Filii festinatio geminabat: *Oculi tui me avolare fecerunt*, Cant. 6, 4. Spiritus sanctus prosequebatur: *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*, Cantic. 4, 10. Tres autem simul dicebant personae: *Post te curremus in odorem unguentorum tuorum*, Cant. 1, 3. Non ita pantherae fragrantia feras allicit; non ita monoceros fera alioquin crudelissima, quae capi se non sinit, nisi ad sinum virginis accurrit; non ita sol qui in leone ardet, in signo virginis ardores suos temperat; non ita insuperabilis Samson a Dalila sua eo suavius ligari passus est; non ita magnes ferrum attrahit, nec expansa fortius impellit vela ventus, quam sanctitatis fervor, et gratia Sanctissimam permovit Trinitatem, et Dei Filium ad accelerandum praefinitum tempus incarnationis. Ipsa Deipara Virgo solem iustitiae per decem lineas properare fecit, ut olim Iosue solem hunc materialem stare, et Isaias decem lineis regredi fecit: ita mirum Beata Virgo rapuit Deum, ut si Dei Filius venturus esset pedetentim parvisque passibus, Ipsa eum instigaret ad gradiendum gradum. Quidni? Si enim propter praedestinatos quosdam dies Antichristi breviabuntur, ut Christus ait Matthaei 24, 22; et si propter impoenitentiam aliquorum etiam diluvium viginti annis acceleratum est, sensu sanctorum Hieronymi, et Chrysostomi, sententia enim habebat post centum viginti annos inferendum, nisi se emendarent, quidni potuerit miraculum illud sanctitatis, et culmen divinorum operum benedicta illa in mulieribus Beata Virgo incarnationis Christi tempus accelerare?

Quod vero ad mortem Christi spectat, certum est B. M. Virginem ratione mortis Filii sui quem pro redemptione generis humani voluntarie litavit, et ad subeundam mortem quodammodo excitavit, et impulit, causam nostrae laetitiae extitisse. Ita enim putandum est, quod sicut prior illa Eva veterem Adamum ad peccandum sua cohortatione excitavit, et ad fructum vetitum gustandum suis blandimentis quodammodo impulit, ita haec poste- 4

Digitized by Google

rior Eva novum Adamum ad remedium adferendum persuasione, et cohortatione sua impulit. Hoc, ni fallor, mellifluus Bernardus in serm. de verbis Apocalypsis insinuat, cum ait: *Fidelis Maria, quae salutis antidotum et viris, et mulieribus propinavit; illa enim, scilicet Eva, ministra fuit seductionis, haec propitiationis: illa suggessit praevaricationem, haec iniecit redemptionem:* et consequenter laetitiam.

5 III. Beata Virgo causa nostrae laetitiae extitit, quia ad incarnationem Christi assensum suum praebuit. Deus cum humanam naturam in unitatem personae suae assumpsit, eam sibi velut sponsam copulavit. Hinc d. Paulus Eph. 5, 32: *Sacramentum, ait, hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* Nimirum Sacramentum matrimonii magnum est, non quatenus est coniunctio duorum hominum, sed quatenus significat, et repraesentat Christum et Ecclesiam, coniuges eorumque coniugium. Mysterium itaque incarnationis Christi matrimonium quoddam erat inter Deum et humanam naturam; proinde melius conciliari non poterat, quam ex parte utriusque consensu. Nec enim nobiles, et magni principes aliter contrahunt cum puella virgine, quam eius consensu adhibito. Hinc parentes Rebeccae dixerunt: *Vocemus puellam, et quaeramus ipsius voluntatem*, Genes. 24, 57. Cum itaque misisset Deus ad Mariam Virginem Gabrielem archangelum, qui nuntiaret consensum Verbi ex parte Dei, et indagaret consensum Mariae ex parte naturae humanae, quae tota huius mysterii beneficio nobilitanda, et exaltanda erat, Maria nomine totius humanae naturae consensit, cum angelo nuntianti respondit: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Et hoc suo consensu causa nostrae laetitiae extitit. Non a me ipso id loquor, stat pro mea sententia theologorum vertex s. Thomas aquinas 3 p. q. 30, art. 1, ubi ait: *Per angeli annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius naturae humanae in spirituali illo matrimonio inter Filium Dei, et humanam naturam.* Et s. Ildephonsus serm. 2 de assumptione: *Haec est Virgo, in cuius utero omnis Ecclesia subarrhabatur, et coniuncta Deo foedere sempiterno creditur.* Unde hoc admirabili mysterio intelligitur illud Cant. 3, 11: *Egredimini, et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis eius;* quem locum ad praesens propositum explicuimus superius ex sanctis patribus.

6 Hinc doctores illud Virginis *Fiat* tanti faciunt, ut etiam illo *Fiat*, quo Deus universa condidit, *Fiat lux*, etc. *Fiat firmamentum*, etc. illud praeferre non dubitent. Et merito. Ad illud enim *Fiat*, mundus factus est: ad istud *Fiat*, Verbum caro factum est: quod universam creaturarum congeriem infinite superat. Ideo hunc assensum Virginis summis votis exoptabant omnes, in quorum persona Ecclesia catholica in quodam responsorio canit: *Suscipe verbum Virgo Maria, quod tibi a Domino per angelum transmissum est, concipies, et paries Deum pariter et hominem, ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.*

7 Sancti patres Augustinus et Bernardus pie contemplantur totum mundum quasi ad Virginis genua provolutum eam ad assentiendum angelo nuntianti suppliciter orare. Dabo verba eorum. D. Augustinus serm. 17 de nativitate Domini Beatam Virginem cum angelo colloquentem compellat his verbis: « Responde iam « Virgo sacra, assensum tuum angelus praestolatur. Unde est « quod nuntius iste moratur? Iam audisti: Spiritus sanctus su« perveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ut prolem « gignas, et virginitatem non perdas. Ianua coeli per Adam quon« dam clausa tibi sonuit, per illam nuntius iste processit. Deus « in porta est: angelus quem moraris, expectat. O Maria, sae« culum omne captivum tuum deprecatur assensum; te Deo mun« dus suae fidei obsidem facit: per te parentum tuorum iniurias « obstergi deprecatur. Est nobis in coelum aditus, si assensus « tuus fuerit commodatus: et nobis succurres, et tibi; quia no« bis poena facesset, et tibi nuptias Filio suo in tuo thalamo Pa« ter praeparabit. » Deinde ad nuntium: « O tu angele, tanti « Regis nuntie, et secreti divini legate, fave partibus saeculi, « conscius secretorum coeli: laetabuntur socii tui, si negotium « iuveris mundi. Nos a vestro consortio impietatis mucro divisit: « per vos de reditu nostro tractetur. Inspice squalentem nostri « carceris miseriam, et loquere festinus ad Mariam: Usquequo mo« raris, Virgo, nuntium festinantem? Intuere Deum in coeli ve« stibulo me sustinentem, responde verbum, et suscipe Filium. « Da fidem, et senti virtutem. Pande sinus roseos, Virgo per« petua. Fides tua modo aut aperit coelum, aut claudit. Ecce, « inquit ancilla Domini, introeat rex in cubiculum suum, fiat « mihi secundum verbum tuum. Nec mora; revertitur nuntius, « et nuptialem thronum ingreditur Christus. Accipit stolam car« nis in thalamo Virginis, intra thesaurum maiestatis saeculus « carnis cessit, divinitati sponsatur homo, praemium accipit caro.

Mellifluus Bernardus hom. 4 super « Missus est » in eundem sensum Deiparam alloquitur: « Expectat angelus responsum: 8
« expectamus et nos, o Domina, verbum miserationis. In sem« piterno Dei Verbo facti sumus omnes, et ecce morimur: in « tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. « Hoc supplicat a te, o pia Virgo, flebilis Adam cum misera so« bole sua exul de paradiso; hoc Abraham, hoc David, hoc ce« teri flagitant sancti patres, patres scilicet tui, qui et ipsi ha« bitant in regione umbrae mortis; hoc totus mundus genibus « tuis provolutus expectat. Nec immerito; nam ex ore tuo pen« det consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio dam« natorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius ge« neris tui. Da, Virgo, responsum festinanter. O Domina, re« sponde verbum, quod terra, quod inferi expectant, et superi. » Haec d. Bernardus.

Huic quoque assensui Virginis salutis nostrae negotium defert s. Fulgentius, cuius sermo quorundam sensu reperitur inter 9
sermones d. Augustini serm. 18 de sanctis, ubi ait: *O Beata Maria, quis tibi digne valeat iura gratiarum, ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvet, quae solo tuo commercio recuperandi aditum invenit?*

Subscribit b. Laurentius Iustinianus serm. de annuntiat. agens de verbis illis: Ecce Ancilla Domini. « Isto unico, inquit, re« sponso complevit coelum gaudio: angelis omnibus exultationem « praebuit: captivo saeculo spem dedit: daemones universos ex« terruit: astantem laetum fecit nuntium: ac detentis in inferno « patribus libertatis gratiam repromisit. Affectu quippe avido, « extensis in coelum manibus, propatulo cordis auditu huiusce« modi praestolabantur responsum. Erat nempe illis prae liber« tatis amore diuturna nimia expectatio, pavidaque observatio, « ne ob humilitatis virtutem resisteret Virgo, consensumque ne« garet. Verum ut datum a Maria perceperunt responsum, om« nes pariter prorumpentes in laudem Domino decantavere, di« centes: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et « fecit redemptionem plebis suae. » Ita sancti illi patres de Sanctissima Virgine senserunt, scripserunt, docuerunt, ut nos tam piis vocibus in eius admirationem, cultum ac venerationem pertraherent. Et vero res admiratione digna videre tantum mysterium, atque adeo totius mundi salutem committi voluntati unius puellae. O admirandam, et omni honore dignissimam puellam! o feminam singulariter venerandam benedictam inter omnes feminas!

IV. Quia apud Filium mediatorem Dei et hominum media- 10
tricem agebat. Virgo namque sua vota, et desideria quae de salute hominum conceperat, Filio exponebat: Filius vero Matri suae deferens hoc acceptabat. Et rursus tam Matris, quam sua etiam de eadem salute desideria Patri offerebat. Pater vero primo Filio, deinde Matri optata donabat. Hunc ordinem praescripsit Arnoldus abbas carnutensis loco superius citato his verbis: *Cum ad propitiandum Deum tam propria, quam Matris vota caritas Christi deferret ad Patrem: tum quod Mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret.* Patet igitur non solum Christum, sed etiam Virginem causam salutis nostrae fuisse, et esse. Sic tamen ut Filius tanquam prima, Virgo autem tanquam secunda causa redemptionem nostram operata sit. Non quod Christus eius auxilio, vel adiutorio indigeret, sed quia Matris auctoritas et dignitas hoc postulabat, ut eius merita, preces et vota cum meritis ac votis Christi coniungerentur. Quapropter sicut partus, teste Aristotele de partibus animalium lib. 4, natura ipsa duce, ex viro robur, ex femina vero formam, et venustatem trahit: ita etiam redemptio nostra, quae per Christum et Mariam veluti parta est, ex Christo quidem sufficientiam, robur et constantiam, ex Maria vero venustatem et speciem sibi accersivit. Hinc illa adeo gloriosa, et tam frequentia sanctorum patrum elogia, quibus B. Virginem exornant, cum eam redemptricem, orbis reparatricem, humani generis renovatricem, redemptionis nostrae adiutricem appellant. Quae elogia nos in epitheto. *Mater Salvatoris*, fusius declaravimus. Nunc ea quae ad praesens epithetum spectant, prosequamur.

Digitized by Google

DISCURSUS CCXCI

IN QUO GENERE CAUSAE GLORIOSA DEIPARA CAUSA NOSTRAE LAETITIAE EXTITIT

1 Quatuor genera causarum philosophi assignant, materialem scilicet, formalem, efficientem et finalem. Per haec quatuor genera Virgo Deipara causa laetitiae nostrae esse probatur.

2 I. In genere causae materialis causa nostrae laetitiae fuit, quia Christum qui est gaudium nostrum, in suo sanctissimo utero recepit, cum angelo nuntianti fidem dedit. Sicut enim prima illa mulier Eva moeroris nostri causa extitit, cum serpenti aures praebuit: ita B. V. Maria laetitiae nostrae causa fuit, cum laetum nuntium a Gabriele suscepit. *Missus est*, ait. d. Bernardus serm. 2 de Pentecoste, *coluber tortuosus a diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet in totius posteritatis originem. Missus est interim Gabriel angelus a Deo, ut Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem, et mentem ipsius eructaret, ut eadem via intraret et antidotum, qua venenum intraverat.*

3 Eva, suscepto veneno, tristitiam a serpente trasit quam in peccatores transfudit; Maria, suscepto antidoto, gaudium et laetitiam toti humano generi attulit, eiusque maledictionem in quam devenerat, fugavit.

4 Eva, concepto verbo serpentis, inobedientiam mortemque peperit; Virgo Maria, suscepto Gabrielis laeto nuntio, fidem, et obedientiam Deo praestitit, cum dixit: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Hinc factum, quod serpens cum Eva perditionis nostrae negotium tractans a moerore coepit, tunc enim primum Eva audivit: *In dolore paries filios*; angelus apud Mariam salutis nostrae negotium procurans, a voce laetitiae auspicatus est, cum dixit: *Ave*, hoc est *Gaude*, ut superius expositum est.

5
Virtutum omnium exemplar B. V. Maria.

II. In genere causae formalis causa nostrae laetitiae dicitur, quia sua conversatione coelesti speculum est, et exemplar omnibus convertendi se ad Deum, qui est laetitia omnium, et gaudium sempiternum. Quod late deduximus in epitheto, *Speculum iustitiae.* Hinc sancti patres eam passim hoc titulo decorant. S. Ephrem orat. de Deipara sic eam salutat: *Ave lumen lucidissimum, quo mundus illustratur.* Et iterum: *Lucernam clarissimam*, vocat. Cyrillus alexandrinus lib. de recta fide ad reginas Beatam Virginem *Luciferam* appellat. S. Methodius in hypapantem, *Facem fidelium*, nominat. Vero fax est, quia non tantum in se ardore caritatis flagrat, verum etiam in fulgore virtutum ac doctrinae alios illuminat.

Fax fidelium Maria.

Maris stella Maria.

Hinc Maria maris stella interpretatur, non tantum quod navigantes in hoc mari magno dirigit, sed etiam quia illustrium exemplorum fulgore coruscat, omnesque illuminat, et ad sui imitationem invitat. S. Bernardus hom. 2 super *Missus est* agens de Virgine: *Ipsa est*, ait, *praeclara et eximia stella super hoc mare magnum, et spatiosum necessario sublevata, micans meritis, et illustrans exemplis.* Ideoque et Ecclesia de ea canit: *Cuius vita inclyta cunctas illustrat ecclesias*; et iterum: *Cuius vita gloriosa lucem dedit saeculo.*

6
B. V. Maria quomodo salutem nostram operata est.

III. In genere causae efficientis est causa nostrae laetitiae non primaria, sed secundaria, post Deum scilicet, sub Deo, et cum Deo. Quia nimirum ad redemptionem nostram, ex qua verum gaudium et laetitia in totum mundum profluxit, cooperata est. Primo, quia se digne disposuit, ac de congruo meruit, ut mater Dei esset, nobisque laetitiam pareret, de quo in superiori tomo discursu CXXX per totum abunde diximus.

Secundo, quia ex purissimo suo sanguine Christo corpus subministravit, quo ille veluti armatus in campum contra hostem humani generis processit, eumque devicit, prostravit, protrivit. Hinc psalm. 45, 5 Beata Virgo *Tabernaculum* Dei appellatur, *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Tabernaculum est subitarium quoddam tectum, in quo milites contra hostes se armare solent, ex quo armati in aciem prodeunt. Christus contra aereas potestates pugnaturus primo Virginis uterum subiit, et ibi sumptis armis, carne nimirum humana ex castissimis visceribus Mariae, sic armatus contra daemonem processit, eumque vicit, ac vires illius in nihilum redegit. Hoc regius vates Spiritu sancto praevidens, psal. 92, 1 canebat: *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et praecinxit se.* Nimirum indutus est humanitatem veluti decorum, speciosum, ac simul fortissimum thoracem, et praecinxit se ad hostes debellandos. Hunc autem thoracem in quo Christus daemonem vicit, B. Maria ex purissimo sanguine suo ei suppeditavit; unde merito et ipsa diaboli interemptrix dicenda est.

Diaboli interemptrix Maria, et quomodo.

Sicut enim qui gladium vel arma ad alterius caedem porrigit, eiusdem necis particeps dicitur, ita B. Virgo quia Christo contra diabolum pugnanti arma porrexit, merito diaboli interemptrix appellatur. Eva Adamo pomum porrigendo totius generis humani interemptrix dicitur: igitur et B. Virgo quae arma Christo dedit, salvatrix totius generis humani nuncupanda est.

7 Firmat hanc sententiam ipsa Deipara Virgo, quae d. Birgittam alloquitur in hunc modum: *Sicut Adam et Eva vendiderunt mundum pro uno pomo, sic Filius meus et ego redemimus mundum quasi uno corde.* Vide revelationes b. Birgittae lib. 1, cap. 35. Et huius dicti ratio est. Maria enim materno affectu ac summo caritatis vinculo Christo Redemptori ita coniuncta erat, ut dolores Filii suos existimaret; unde cor Filii cor suum appellabat, ut ibidem in revelationibus b. Birgittae legitur. Quare mirum non est, si ipsamet cum suo Filio mundum ac redemisse quasi uno corde dicatur.

8 In hunc sensum Lanspergius hom. 48 de passione Domini, et multi alii doctores quos in epitheto, *Mater Salvatoris*, recensuimus, Mariam cooperatricem redemptionis nostrae appellarunt. Accedit d. Gregorius thaumaturgus serm. 2 in annuntiat. qui Mariam non solum redemptionis cooperatricem, sed et principium ipsius reparationis vocat: *Tu*, inquit, *principium reparationis effecta es; Tu fiduciam in paradisum et introitum nobis dedisti, et antiquum dolorem luctumque fugasti.*

9 Placet id exemplo valde accommodato, ex Scriptura sacra desumpto illustrare. Iacob patriarcha moriens, et bona sua distribuens, partemque unam Iosepho segregans, ait: *Do tibi unam partem extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio, et arcu meo.* Loquitur de urbe et agro Sichem. Sic enim ex hebraeo LXX verterunt: *Do tibi Sichimam praecipuam super fratres tuos.* Scimus autem urbem, et agrum Sichem iure belli obtinuisse Simeonem et Levi filios Iacob, dum ob stuprum Dinae sororis suae urbem invaserunt, principem terrae, et filium eius trucidarunt, Genes. 34, 26. Cui praelio ipse Iacob nedum non interfuit, verum et filios pugnantes acriter increpavit, immo moriens maledixit, Genes. 49, 5: *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea... Maledictus furor eorum*, etc. Cum itaque partem illam Sichimitarum ipse gladio suo non possedit, cur eam sibi arrogare non veretur? Respondeo, quod filii fecerunt, hoc pater fecisse censetur, iuxta id quod Eccli. 11, 30 dicitur: *In filiis suis agnoscitur vir.* Quod igitur Filii quamvis patre inscio, et invito fecerunt, pater sibi attribuere non dubitat: quanto magis nos id quod Christus Virgine nedum sciente, verum etiam cooperante fecit, eidem attribuere valemus. Christus daemonem devicit, et profligavit: igitur et B. V. Maria eundem devicit, et profligavit. Christus sua victoria nobis laetitiae materiam praebuit: igitur et B. Virgo nobis laetitiam attulit. *Quicquid est causa causae, est etiam causa causati*, iuxta philosophos. Maria fuit causa Christi, utpote eius Mater: igitur et laetitiae per Christum causatae causa extitit.

10 Liceat mihi ratiocinationis huius efficacitatem ex profanis auctoribus declarare. Ulysses eo quod Achilli in habitu peregrino delitescenti, arte suo deprehenso, ac cognito arma sumere, et ad bellum troianum proficisci persuasit, eiusdem Achillis egregia apud Troiam facinora, et ipsam Hectoris caedem sibi adscribere non veretur. Sic enim contra Aiacem in illo Graeciae ducum celebri consessu cum Achillis arma sibi deposceret, de Achille loquentem inducit Ovidius lib 13 Metamorphoseon: *Iniecique manum, fortemque ad fortia misi.* Inde infert: ergo opera illius mea sunt. Si ergo Ulysses qui solum Achilli persuasit, ut arma capesseret, et ad bellum troianum se accingeret, eius praeclaras victorias sibi tribuendas putat; quanto magis Deiparae Virgini victoria de satana a Christo reportata, et laetitia inde promanata adscribenda erit, quae non solum consilio, sed etiam re ipsa in eo praelio in quo satan victus est, adfuit, immo cum Christo quodammodo pugnavit: cum in cruce morienti nedum adstitit, verum etiam compassa est.

B. Virgo quomodo pro genere humano passa est.

Christus secundum carnem patiebatur, illa secundum spiritum; Christus carnem, Maria spiritum immolabat; Christus sanguinis rivos, Maria lacrimarum fluenta fundebat. Et licet Christus adiutorio Mariae non indiguerit, ut ipse per Isaiam 63, 3 praedixerat: *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum*, congruum tamen, ut et Maria cum

ipso genus humanum redimeret. In iactura enim humani generis concurrerunt vir et femina, Adam et Eva; in reparatione quoque eius concurrere debebant vir, id est Christus, et femina, id est Maria. Adam licet solus transmisit peccatum in posteros, in praevaricatione tamen sociam habuit Evam. Ita Christus licet solus salutem mundo intulerit, in redemptione tamen sociam voluit habere Mariam, ut iisdem viis quibus mors intraverat in mundum, intraret et vita.

11 Libet adhuc hanc rem exemplis ex Scriptura sacra desumptis declarare. Barac dux populi Dei, tametsi a Deo iussus fuisset Sisaram oppugnare, noluit tamen arma sumere, nisi famosissima femina Debora cum eo in praelium descenderet. Hinc ait ad eum: *Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam*, Iudic. 4, 8, quamvis alioquin vir bellicosissimus illius auxilio non indigeret. Non dissimiliter dux noster fortissimus Christus, quamvis praecepto Patris ad expugnandum tartareum Sisaram solus de coelo missus fuisset; noluit tamen expugnare eum, nisi fortissima Debora Maria Mater sua sibi assisteret; non quod eius auxilio indigeret, sed ut modum congruum expugnandi hostem servaret, quem iam narravimus.

12 Huc spectat quod Spiritus sanctus per os Sapientis Prov. 8, 22 fatur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*. Pro quibus verbis LXX interpretes haec ponunt: *Dominus creavit me initium viarum suarum ad opera sua*. Et quamvis haec verba utriusque ecclesiae patres, tam graecae, quam latinae, partim de Sapientia et Verbo Dei increato, partim de Sapientia, et eodem Verbo incarnato interpretentur; Ecclesia tamen B. V. Mariae ea accommodat. Virgo igitur in persona Sapientiae fatur: *Dominus creavit me initium viarum suarum ad opera sua*. Per vias Dei d. Cyrillus et d. Ambrosius, et alii plures redemptionis nostrae rationes, et consilia a Deo inita intelligunt, ita ut sensus sit: Deus consilium de generis humani redemptione iniens, me quidem primam aut principem creavit. Quorsum? *Ad opera sua*, id est ad restauranda et reficienda ea quae fecit. Si ergo Deipara ad opera Dei reparanda condita, et creata est, merito ei salus, et redemptio nostra adscribitur, non quidem primario, sed secundario, ut diximus, per respectum videlicet ad Christum.

13 Hinc si excutias, et expendas omnia salutis nostrae mysteria, in Mariam, vel per Mariam, vel cum Maria ea perfecta invenies.

Salutis nostrae mysteria omnia per Mariam, vel cum Maria.

Æterno Dei decreto determinatum fuit ut Deus homo fieret, sed ut filius esset Mariae. Verbum caro factum est, sed de Maria; natum est, sed ex Maria; positum in praesepio, sed a Maria; a stella indicatum et a Magis salutatum, sed in sinu Mariae; in templum illatum et Deo oblatum, sed a Maria; fugit in Aegyptum, sed cum Maria; sedet inter doctores, quaeritur, at invenitur a Maria; instruit turbas, auditur a Maria; ordítur miracula, sed rogatu Mariae; pendet in cruce, adstat Maria; resurgit a mortuis, ante omnes apparet Mariae; ascendit ad coelos, assumit et Mariam, mittit Paracletum, impletur et Maria.

14 IV. Secundum causam finalem B. V. Maria est causa nostrae laetitiae; quia totum opus redemptionis nostrae, ac tota salus nostra, necnon quaevis beneficia quae in nos iugiter de coelo promanant, post Deum et Christum in eam referuntur, eique adscribuntur. *Totius boni plenitudinem*, inquit d. Bernardus, *Deus posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid salutis, ab ea noverimus redundare*.

15 Finis est, cuius gratia aliquid fit. Gratia Virginis totum quod habemus, a Deo accepimus. Divus Bernardus serm. 2 Pentecost. *Merito*, ait, *in te, respiciunt oculi totius creaturae, quia in te, et per te, et de te benigna manus Omnipotentis, quicquid creavit, recreavit*. Et serm. 14 de assumpt. eandem Virginem compellans: *Per te*, ait, *coelum repletum, infernus evacuatus est, instauratae ruinae coelestis Ierusalem, expectantibus miseris vita perdita data*. Sanctus Cyrillus homil. 6 in Nestorium cum Virgine loquens: *Per te*, inquit, *Trinitas sanctificatur; per te crux pretiosa celebratur, et adoratur in toto orbe terrarum, per te exultat coelum, angeli, et archangeli, fugantur daemones, et homo ipse ad coelum revocatur*. Et postea: *Per te unigenitus Dei Filius vera lux effulsit sedentibus in tenebris, et umbra mortis*. Quae bona propter amorem Mariae Deus hominibus contulerit, monstratum habes tomo superiori, disc. CCI, num. 15.

16 Par igitur est, ut huic Virgini omnem cultum, reverentiam, et amorem exhibeamus. Par est, ut mundi dominam, coelorum reginam, angelorum imperatricem, hominum reparatricem digne

Exhortatio ad cultum Mariae.

veneremur. Par est, ut de eius honore, gloria, magnificentia gaudeamus et exultemus, quae tantorum gaudiorum nobis causa extitit. Si paterfamilias, inventa ove centesima quae perierat, gavisus est, si mulier evangelica invente drachma decima congaudentes vicinas invitavit, quanto magis nobis gaudendum est, qui talem ac tantam Virginem invenimus, per quam quicquid perditum est, noscitur esse restauratum? Gaudet in evangelio qui thesaurum absconditum in agro invenit, et prae gaudio omnia quae habet, vendit, et comparat agrum istum. Multo magis gaudendum est nobis, ac toto corde iubilandum, quia invenimus agrum, hoc est terram illam benedictam, de qua propheta regius: *Veritas de terra orta est*, in qua salus omnium Iesus Christus latuit. Par est, ut tantae Virgini, tantae Matri tota mentis devotione serviamus, quatenus illa apud Filium Iesum Christum nostrae defensioni intendat, causam nostram semper promoveat, et illius perennis gaudii, et laetitiae sempiternae tandem participes faciat, praestante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per aeterna saecula saeculorum. Amen.

DISCURSUS CCXCIII

QUIBUS POTISSIMUM ET QUA RATIONE B. V. MARIA CAUSA LAETITIAE EXTITIT

Nobis potissimum B. V. Maria videtur causa laetitiae extitisse; canimus enim, *Causa nostrae laetitiae*. Sed si altius rem consideres, hanc laetitiam latius extensam videbis, maxime si ponderes dicta sanctorum patrum paulo ante citata, praecipue vero s. Cyrilli. *Per te*, inquit, *Trinitas sanctificatur; per te exultat coelum, laetantur angeli, et archangeli, et homo ipse ad coelum revocatur*. Ex quo apparet gloriosam Dei Genitricem causam laetitiae extitisse Deo, Christo, Spiritui sancto, angelis, sanctis ac beatis, toti mundo, ac generi humano. Singula explanemus. 1

I. Deo causa laetitiae extitit gloriosa Virgo Maria. Non auderem id affirmare, nec fontem totius laetitiae a creatura sua laetitiam capere posse crederem, nisi id ipse Christus disertis verbis assereret apud s. Birgittam in revelationibus. S. Birgittae B. Virgo apparuit, quae Filium vehementer in genus humanum iratum ad misericordiam flectens, ab eo haec audivit: *Tu angelorum, et omnium sanctorum gloria, et regina; quia in te Deitas consolata est*. Vide quam diserte vocet B. Virginem Deitatis solamen: solamen autem laetitia sequitur. Et unde Deus solamen capit a Virgine? Solamen Dei est mentis puritas, conscientiae quies, vitae sanctitas. Hinc cum hominibus iustis delicias suas se habere dixit Deus: *Deliciae meae esse cum filiis hominum*, Prov. 8. 31. *Filiis hominum*, ait, non hominibus, quia per homines vetus homo intelligitur: per filios autem hominum, qui novum vitae perfectioris genus instituerunt, significantur. Ita d. Damianus, qui verba illa psalmi 8, 5, *Quid est homo quod memor es eius? aut filius hominis quoniam visitas eum?* expendens, et illustrans, inter hominem, et filium hominis hoc discrimen ponit. *Puto*, inquit, *hominem ad veterem hominem, filios vero hominis ad Filium hominis*, scilicet Christum *pertinere*. Si igitur Deo deliciae sunt esse cum filiis hominum, id est iustis, cur non magis cum Matre Sanctissima, miraculo cunctorum filiorum et filiarum hominum? Deo itaque causa laetitiae extitit, quia in ea, et cum ea esse Deus in deliciis habuit. 2

II. Christo causa laetitiae extitit, cum in sacratissimo suo utero eum humana carne vestivit, tunc enim eum quasi regio diademate coronavit, iuxta id quod Salomon in Cant. 3, 11 longe ante cecinit: *Egredimini, et videte filiae Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis eius*. Non de seipso Salomon haec intellexit, nusquam enim a Bethsabee matre sua diademate coronatus legitur. 3

Quod enim Hebraei narrant de diademate quodam pulcherrimo, pretiosissimo, gemmisque exornato, quod Bethsabee Salomoni illo die dedit, eiusque capiti imposuit, cum filiam Pharaonis regis Aegypti in uxorem duxit, figmentum est. Nihil enim hac de re vel in sacris litteris, vel in probatis auctoribus legimus. Locutus est ergo de illo Salomone cuius ipse typus seu figura fuit, et cui Cantica Canticorum cecinit, scilicet Christo, quem Mater sua Virgo Maria regio diademate coronavit, cum eum in utero suo velut quodam thalamo nostrae carnis substantia induit. Ita hunc locum explicant sancti patres Augustinus,

Digitized by Google

Gregorius magnus, Gregorius nyssenus, Bernardus, Thomas, et alii. Nec sine fundamento. Divinitas enim Christi caput est, d. Paulo attestante 1 Cor. 11, 3: *Omnis viri caput Christus est,... caput vero Christi Deus.* Huic ergo capiti, hoc est divinitati B. Virgo diadema regium imposuit, cum illam regali carne sua, ex tot nimirum regibus orta vestivit, et adornavit. Dies vero quo haec facta sunt, fuit dies incarnationis, qui recte dies desponsationis dicitur. *Tunc enim Deus Pater Deo Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanae naturae coniunxit*, inquit d. Gregorius hom. 38 in evangelia. Ulterius, dies illa *dies laetitiae* appellatur, quia tunc Christus mirum in modum exultavit, cum iam tempus illud desideratum, quo in carne humana hominibus posset summa beneficia conferre, adesse vidit; hoc enim tempus valde desiderans, aiebat: *Deliciae meae esse cum filiis hominum.* Prov. 8, 31. Unde psalmista de eo canebat: *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*, psalm. 18, 6. Tanquam sponsus decorus, et ornatus Christus *de thalamo* suo, hoc est Virginis utero processit, et procedens *exultavit*, quia ingenti gaudio in utero Virginis delibutus per nativitatem in hunc mundum intravit. Huius autem gaudii gloriosa Virgo causa extitit, quae sic laetantem e castissimis suis visceribus mundo effudit.

4 Spiritus s. in solo opere circa Mariam coepit vocari Spiritus sanctus.

III. Spiritui sancto causa laetitiae extitit; nam per eam, et in ea eximia singularisque sanctitas Spiritus sancti innotuit. Volve veteris testamenti paginas, vix reperies alibi tam aperte nominari tertiam Sanctissimae Trinitatis personam, quam cum B. Virginem fecundam reddidit, ut Dei Mater fieret. Antea dicebatur *Spiritus Dei, Spiritus Domini.* At ubi B. Virginem fecundam fecit, mox Spiritus sanctus clare et absolute nominari coepit. Matth. 1, 18: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, et vers. 20: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et Luc. 1, 35: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Nec facile in omni serie veteris testamenti reperies hoc insigne vocabulum *Spiritus sanctus*. Etsi enim psal. 50, 13 David conceptis verbis Spiritum sanctum nominet: *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me*; non tamen absolute illud vocabulum pronuntiat, sed addit *tuum*, sicut et in ceteris Scripturis legalibus, sive propheticis, nusquam absolute Spiritus sanctus profertur, sed relative, hoc est *Spiritus Dei*, vel *Spiritus Domini* nominatur; nisi in illo opere quod in Maria operari dignatus est, ut diximus. Licet enim in veteri testamento plures alios iustos sanctificaverit, ut Abraham, Isaac, Iacob, David, Isaiam, Ieremiam, et reliquos, in solo tamen opere quod in Maria perfecit, absolute Spiritus sanctus nuncupatur, quia si sanctitas Mariae eorum sanctitati comparetur, vix sancti censendi sunt, adeo ut hic tantum Spiritus sanctus dicatur ob eminentissimam sanctitatem Mariae.

Sanctissima Trinitas quomodo accepit gloriam per B. Virginem.

Patet igitur quantam gloriam, quantamque laetitiam ex B. Virgine Sanctissima Trinitas accepit. Etsi enim ex se Deus excelsus et sublimis sit, ex se omnem gloriam, omne gaudium, omnem laetitiam habeat, ita ut maior esse non possit; eius tamen celsitudinem, magnitudinem, perfectionemque, praesertim autem amorem, bonitatem, largitatem, aliaque attributa B. Virgo distinctius, et explicatius apparere fecit, ut ea ex effectibus eorum pensemus. Proinde Richardus lib. 4 de laud. Mariae merito eam vocat magnificentiam Dei, cum ait: *Maria dicitur magnificentia Dei, quia magnificavit Deum*, subintellige, non in se, sed in effectibus suis.

5 Angelis quomodo causa laetitiae extitit B. V. Maria.

IV. Angelis causa laetitiae fuit. Primo quia ruinas eorum reparavit. Per casum Luciferi sedes angelorum vacuae manserunt, sed per Mariam restauratae sunt, sanctis doctoribus id testantibus. S. Anselmus in lib. de orat. Mariam compellans, ait: *Per te elementa renovantur, homines salvantur, et angeli redintegrantur.* S. Vincentius Ferrerius ser. de nativit. Mariae: *Maria*, inquit, *bona angelis, quia per eam reparantur eorum cathedrae.* Richardus lib. 10 de laud. Virginis: *Maria*, inquit, *data est angelis in restaurationem.* Secundo, quia in coelis eius aspectu laeti sunt, ipsiusque praesentia pascuntur, satiantur, et quodammodo beantur. Richardus lib. 1, c. 3: *Tam angeli*, ait, *quam homines iugiter respiciunt in Mariam.* Confirmat d. Bernardus homil. 2 super *Missus est: Virgo regia specie, et pulcritudine sua coeli civium in se provocavit aspectum.* Consentit sanctus Petrus Damianus serm. 45: *Felices*, inquiens, *angelici spiritus, qui Beatae Virginis habent praesentiam.*

6 V. Sanctis, et beatis causa laetitiae dicitur, quia per eam omnes sancti beantur. Nullus in coelo est, nullus erit, cui B. Virgo gloriam illam non parturierit. Virgini post Deum sancti debent quod Deo suo fruuntur. Proinde B. Virgo sanctorum mater dicitur. Hoc eam titulo donat b. Albertus magnus super *Missus est*, cum ait: *Omnium sanctorum, quos per spiritualem gratiam mediante Virgine regeneravit Deus, dicitur Mater ipsa Virgo: immo etiam angelorum dicitur Mater, quia ipsa mediante eorum restaurata est ruina.* Ab aliis *sanctorum corona* dicta est, quia sanctis coronam peperit.

Piaculum videretur hic supprimere elegantem conceptum Richardi lib. 1 de laud. Virginis, cap. 2. In salutatione, inquit, Mariae benedicitur Maria ab angelo, benedicitur et ab Elisabeth; nam tam angelus, quam Elisabeth dixerunt ei: *Benedicta tu in mulieribus.* Benedicitur ergo ab angelo, quia triumphantem Ecclesiam reparavit; benedicitur ab Elisabeth, quia Ecclesiam militantem iam fere mortuam suscitavit. Haec ille. Quicquid igitur Ecclesia militans a Deo possidet, quicquid et illa triumphans gloriae habet, B. Virgini post Deum debet. 7

Merito Chrysippus presbyter serm. de laud. Virginis eam salutat: *Ave radix omnium bonorum.* Et s. Epiphanius eam vocat, *Gloriae radicem.* Ut enim radix toti trunco succum, vitamque largitur: ita B. Virgo per Filium cunctis sanctis succum, vitamque bonorum operum praestandorum tribuit, quibus regnum coelorum promereri, et adipisci possint. 8

VI. Toti mundo causa laetitiae est, quia amore Virginis totus mundus a Deo conditus est. Ipsa fuit mundi istius finis, et exemplar. Cum enim Deus mundum esset conditurus, hoc eo libentius fecit, quia Iesum et Mariam in eo lucem aspecturos praevidit. Probat id Galatinus lib. 7 Arcanorum, cap. 1 ex Ieremia vate, cap. 33, 20, ubi nostra Vulgata habet: *Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies, et nox in tempore suo.* Cabalistae haec verba ita convertunt: *Nisi pactum meum esset, diem ac noctem, leges terrae ac coelo non posuissem.* Quae ita interpretantur, ut notat idem Galatinus: *Nisi amore mei Iesu et Mariae diem et noctem, leges coelo et terrae non posuissem, hoc est mundum non creassem.* Clarius idem docet rabbi Acheloa apud eumdem Galatinum, dum in glossa chaldaica super illud Genesis 1, *In principio creavit Deus coelum et terram*, sic ait: *Propter sapientiam creavit Deus coelum, et terram, hoc est amore intemeratae Virginis, quae est mundi sapientia, creavit Deus coelum, et terram.* 9 Mundus conditus est Iesu et Mariae honore.

Id confirmat mellifluus doctor Bernardus sermone 1 super *Salve Regina. De hac*, inquit, puta de B. Virgine, *et ob hanc, et propter hanc omnis Scriptura facta est; propter hanc totus mundus factus est: et haec gratia Dei plena est; et per hanc homo redemptus est: Verbum Dei caro factum est, Deus humilis, et homo sublimis.* Mirabilis sententia, et digna acceptione, si haberet fundamentum in theologia solida, hoc est sensu litterali Scripturae sacrae, et communi consensu sanctorum patrum. 10

Rursus causa laetitiae toti mundo recte dicitur, quia precibus eius totus mundus sustentatur, qui ob peccata nostra nullo pacto consistere posset, nisi ipsa gloriosa Virgo eum sua misericordia, et clementia pro nobis orando sustineret. Id ante me expressit, et docuit d. Fulgentius lib. 4 Mytholog. *Coelum*, inquit, *et terra iam dudum ruissent, si non Maria precibus sustentasset.* 11 Mundum Maria sustinet precibus.

Iusti sunt atlantes orbis, qui precibus suis velut humeris coelum sustentant, ne super peccatores ruat, eosque opprimat. Rufinus in praefat. lib. 2 de vitis patrum de iustis dicit: *Dubitari non debet, ipsorum meritis adhuc stare mundum.* Olim in palatiis statuae videbantur, quae columnas domus fulciebant, a Graecis dicebantur *Atlantes*, quia exculpebantur ad formam Atlantis, de quo fabulosa gentilitas narrabat, quod humeris suis coelum sustentaret. Sed vere, et absque fabularum figmento sancti sunt orbis Atlantes, qui gloria meritorum suorum apud Deum magni et potentes facti, cordis humilitate ad interveniendum pro peccatoribus in conspectu eius incurvati, velut columnae coelum sustinent, et mundum portant, ac orationum suarum fortitudine eum sustinent, ne ruat et pereat. Hinc de iustis Iob 9, 13 dicitur: *Sub quo curvantur, qui portant orbem.* Sed iustius hoc nomen gloriosae Virgini competit; ipsa enim nedum coelum mundumque sustinet, sed etiam ipsa coeli columna est. Hoc titulo eam donavit Guerricus abbas serm 4 in eius nativit. cum ait: *Columna coeli, gloria generis humani, miraculum mundi.* 12 Atlantes orbis sunt sancti. Columna coeli Maria.

VII. Generi humano causa laetitiae extitit, nam a multiplici miseria, luctu, moeroreque eum liberavit. A primo nascentis mundi exordio usque ad desideratam Salvatoris adventum ubique moeror, ubique luctus, gemitusque sonabant; tota terra, totum coelum mirabili inauditoque perculsa dolore lugebant, et vehe- 13

menter conflictabantur. Tota Trinitas dolebat, quod plasma suum, quod opus manuum suarum de sublimi illo deliciarum hortulo dolo serpentis antiqui deturbatum, et de regno coelesti sibi praeparato exclusum videbat. Angelorum acies, principatuum, potestatum, et dominationum cohortes dolebant, quod naturam nostram quam implendo fratrum suorum numero, lapsorumque ruinis restaurandis conditam didicerant, inimicae stirpis laqueo irretitam videbant. Terra lugebat, quod offensae divinae maiestatis rea pondere suarum iniquitatum pressa iacebat, iustitiae, divinique furoris gladio subiecta erat, densa errorum caligine involuta in tenebris et in umbra mortis sedebat, continuos fletus, planctus gemitusque edebat. Hinc psalmista aiebat: *Rugiebam a gemitu cordis mei.* Donec tandem Sanctissimam Virginem Mariam protulit, quae universo mundo gaudium, et salutem contulit. Per eam enim universa quae in terris sunt, et quae sub terraneis locis conduntur, et quae in coelis manent, veram, solidamque laetitiam invenerunt, gaudium acceperunt. Quod devote explanans s. Epiphanius serm. 3 de laudibus Deiparae, ait: *Per te, o Sancta Virgo, medius obstructionis paries inimicitias dissolvit; per te pax coelestis donata est mundo; per te homines appellati sunt amici, servi et filii Dei; per te homines meruerunt esse conservi angelorum, et cum eis familiariter conversari; per te notitia coelestis a terra transmittitur in coelos; per te homines fiduciam habent in coelo erga Altissimum; per te crux resplenduit per universam terram, in qua quidem cruce pependit Filius tuus Christus Dominus Deus noster; per te mors conculcatur, et spoliatur per te infernus; per te ceciderunt idola, excitata est notitia coelestis; per te cognovimus unigenitum Filium Dei, quem Sanctissima Virgo peperisti, Dominum nostrum Iesum Christum.* Haec ille.

11 Elogia Virginis.

Hoc cogitantes sancti patres diversis encomiis hanc Virginem celebrarunt, et titulis magnificis donarunt. S. Methodius in hypapantem eam appellavit, *Gaudium nostrum ineffabile.* D. Gregorius nazianzenus in tragoedia de Christo patiente, *Gaudium mortalium.* S. Ephrem orat. de laudibus Virginis, *Laetitia sanctorum, et praeclarissimum coelestis hierarchiae ornamentum.* Andreas cretensis in salutatione angelica, *Laetitiae instrumentum.* Et haud immerita. Ipsa namque praeter beneficia iam recensita continuo assistit coram tribunali divino pro genere humano; ipsa se advocatam et mediatricem nobis praestat, magna et admirabilia opera in causa nostra perficit; ipsa orat et intercedit indesinenter pro nobis, miracula edit, et operatur admiratione et stupore digna. Ipsa est animosa illa virago quae pulcherrimum ausa facinus Allophylorum ducem, communem humani generis hostem clavo confixit. Ipsa saeculis omnibus celebranda Iudith quae late grassantem tartareum tyrannum sola trucidans, populo suo pro certa desperatione subitam salutem, ac triumphum attulit. Ipsa formosa Esther deliciae Regis aetherei, qui triste mortis decretum, gladiosque iam in suae gentis iugulos intentatos in ipsum caedis machinatorem detulit. Ipsa gestat ubera ut turrim fortissimam, cuius protectionis vim nullis hostis nequissimi telo ne dicam expugnare, sed nec impugnare possunt. Ipsa perstrenuum bello concussorum praesidium, secura, fida et sacra iactatorum tempestate anchora, singulare a calumniatoribus exilium, desperatorum spes, dolentium solatium, paratum ad omnes casus subsidium, singularis salutis nostrae propugnatio, tutissimus naufragorum portus, studiosorum lumen, clausorum liberatrix, orphanorum susceptio, adiutrix destitutorum, subsidium oppressorum, redemptio captivorum, unicum molestiarum levamen, omnium cordis dolorum medicamentum, aegrotantium exultatio, infirmorum consolatio, remedium adversus daemones, miraculorum effectrix. Ipsa est Dea deificata, reparatrix parentum, purificatio posterorum. Ipsa, ut tandem finiam, gaudium nostrum ineffabile, per quam delicti nostri condemnatio expiata est, ac veri gaudii plena facta compensatio. Vere *Causa nostrae laetitiae.*

Beneficia B. Virginis in genus humanum collata.

12 Gratitudinis erga praeceptores exempla.

Cogita quantum huic Virgini genus humanum debeat. Carneadem philosophum tanta fuisse gratitudine erga Chrysippum praeceptorem memorant, ut nunquam oblivisceretur ei fateri: *Nisi Chrysippus esset, ego non essem.* Aeschynes Socratem magistrum tanti faciebat, tantaque observantia colebat, ut Socrates diceret: *Solus nos novit colere Aeschynes.* Platonem Aristoteles tanti fecit, ut nomini eius aram in templo construxerit, statuamque consecravit, in qua scriptum erat. *Hic est ille, quem probi omnes merito diligere debent.* Eundem Platonem Xenocrates tam ferventer diligebat, ut Dionysio aliquando dicenti Platoni: *Aliquis auferet tibi caput*, Xenocrates qui tum praeceptori aderat, responderit: *Non prius*, inquiens, *quam hoc*, suum ostendens caput. Utinam nos tales erga Dei Matrem, dominam nostram, patronam nostram, mediatricem nostram nos exhibeamus, eam tanti faciamus, ea observantia colamus, uti decet filios, clientes, et fidos famulos. Non aliam puto gratitudinem a nobis requirit, nisi ut Filium eius toto corde, tota anima, totis viribus diligamus, pia cogitatione contemplemur, animoque, et corpore submisso gloriam, honorem et reverentiam ei praestemus. Deinde, ne sceleribus nostris eum offendamus, neque gladium vindicem eidem contra nos tradamus. Sic fiet, ut qui pro nostra salute nostrae mortalitatis particeps factus est, nos divinitatis suae participes efficiat in saecula sempiterna. Amen.

DISCURSUS CCXCIII

QUIBUS POTISSIMUM EX GENERE HUMANO GLORIOSA VIRGO CAUSA LAETITIAE EXTITIT

Etsi toti generi humano, ut vidimus, gloriosa Virgo causa laetitiae extitit, nihilominus quibusdam peculiare gaudium attulit, 1
et abundantiori laetitia eos perfudit, ut ex Scripturis sacris, et doctoribus intelligi datur. In his invenio. 1. Protoparentes nostros Adam et Evam. 2. Veteris testamenti patres. 3. Mulieres. 4. S. Ioseph sponsum B. Virginis. 5. Ioannem Baptistam, Zachariam, et Elisabeth. 6. S. Ioannem evangelistam, apostolos, et Ecclesiae primitivae fideles. 7. Ipsius Deiparae parentes Ioachim, et Annam. De his singillatim dicamus.

2 Adam et Eva per Mariam consolati.

1. Protoparentes Adam et Eva post lapsum divina gratia spoliati, et e paradiso eiecti, in luctu, moerore, gemitu vitam ducebant, eo quod praevaricatione sua se, et omnes suos posteros perdiderint. In illo luctu unicum eis solamen fuit mulier illa in paradiso promissa, de qua Genes. 3, 15 sic legitur: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Quod de Christo, et Maria contra diabolum pugnantibus debere intelligi, etiam quoad litteram, superius monstravimus. Haec ergo mulier, videlicet B. V. Maria, licet adhuc non esset, unicum solatium fuit primis nostris parentibus in illo luctu, et moerore constitutis. Probat id s. Vincentius Ferrerius noster in serm. de concept. Virginis: *Revelavit*, ait, *Deus parentibus primis ab eis processuram Virginem Sanctissimam, quae afferret maius bonum, quam ipsi perdidissent; quare conceperunt Mariam Virginem, ipsam desiderando.* Hoc est non conceperant eam carne, sed voto, desiderio, ac mentali conceptu, quam post multa saecula ex Ioachim et Anna erat nascitura, et totum mundum sua praesentia nobilitatura. Et s. Bernardinus aliique doctores dicunt, Adam et Evam post peccatum annihilandos, nisi Virgo in eorum lumbis fuisset.

Adam et Eva in gratiam Mariae non sunt annihilati.

3 Eva in gratiam Virginis mitius fuit punita.

In gratiam B. Virginis tamdiu post futurae Eva prima mater nostra pro peccato suo mitius punita fuit. Cum enim Adamum in peccatum pellexisset, et debuisset severius corripi quam Adam; nihilominus mitius cum ea egit Deus, quam cum Adam; eum enim arguit, ut Genes. 3, 17 legitur: Evam vero interrogat: *Quare hoc fecisti?* quid ita? In gratiam Matris tamdiu post futurae hoc fecit, ut Virgini Eva deberet, quod gravius punita, aut penitus annihilata non sit. Hoc ante me cogitabat, et scribebat Aloysius Novarinus in Umbra virginea, Excursu 66, num. 645, idque deducebat ex d. Ambrosio de institut. virg. c. 4. Idem in eodem Excursu, num. 647 docet, Evam per Mariam in coelestem gloriam translatam fuisse. Idque s. Fulgentii auctoritate stabilit, qui sermone de laudibus Virginis ita fatur: *Maledicto Eva fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem Mariae remeasse.*

Hinc s. Bernardus hom. 2 super *Missus est*, Adamum et Evam afflictos hoc modo consolatur, eisque gratulatur in haec verba: 4
Laetare tu pater Adam, sed magis o tu mater Eva. Exulta, quia sicut omnium fuistis peremptores, immo prius peremptores quam parentes. Ambo, inquam, consolamini super filia, et tali filia. Si vir cecidit per feminam; iam non erigitur, nisi per feminam. Quare quod de Christo ait Apostolus 1 Corinth. 15, 22: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*, idem suo modo de Maria respectu Evae affirmare possumus. Affirmavit id b. Amadaeus homil. 7: *Sicut*, inquit, *in Eva omnes moriuntur, ita et in Maria omnes vivificabuntur.*

Digitized by Google

5 Patribus veteris testamenti B. Virgo quomodo profuit.

2. Sanctis patribus veteris testamenti causa laetitiae extitit; nam per Mariam misericordiae oleum, seu ille cui nomen est *oleum effusum* profluxit. Petierunt sancti patres, ut vel minima gutta huius balsami pretiosi deflueret de coelo, dicentes: *Rorate coeli desuper.* Habuerunt pro magno, si non totum, sed aliqua gutta huius misericordiae olei rorarat. B. V. Maria non guttam, sed totum oleum Filium suum, misericordem Deum illis patribus, immo toti mundo profudit.

6 Nedum salus aeterna, verum et temporalis illis antiquis patribus per Mariam obvenit. Oh Virginis amorem, inquit s. Bernardinus loco iam citato, praeservavit Deus Noe de diluvio, Abraham de caede regum, Isaac ab Ismael, Iacob ab Esau, populum iudaicum de manu Pharaonis et de captivitate babylonica, David quoque a leone Goliath, de manu Saul. Quidni? Cum Dei ira olim in populos infideles desaeviret, Moabitae etsi non levioribus criminibus criminati essent, quam alii, sic enim de eis Num. 25, 1 scribitur: *Fornicatus est populus cum filiabus Moab;* mitius tamen Deus cum eis processit. Nam cum Madianitas percuti iussisset; *Hostes*, inquiens, *vos sentiant Madianitae, et percutite eos*, Moabitas, qui magna sceleris, et cladis pars, et causa fuerunt, ab hac ultione seu plaga tacite excipit, et conservare vult.

Moabitas cur Deus lenius punivit.

Huius rationem investigans Lyranus eo loci ait: *Quia Ruth sancta utique femina ex Moabitis erat originem habitura.* Tantum unius feminae respectu Deus populo alioquin inquinatissimo pepercit; quid non faceret intuitu Mariae matris suae, quae longe sanctior, puriorque fuit, quam Ruth? Ruth antequam nata esset, Dei iram a populo suo avertit, et futura sua sanctitate Iudicis iram lenivit: Maria antequam nata esset, patribus suis opitulata est, eosque a diversis periculis eripuit, et gaudio ac laetitia implevit.

7 Mulierum opprobrium Maria abstulit.

3. Mulieribus. Femineus sexus ex primae mulieris levitate male audiebat. Unus mulieris lapsus totum femineum genus infecerat, maculaverat, in opprobrium dederat. Pleni sunt libri contumeliarum, quos nonnulli scriptores exararunt in opprobrium feminarum, quorum meminimus tomo superiore, discursu CVII. Maria quae Deum genuit, hoc opprobrium sustulit, femineos erratus abolevit, femineas maculas abstersit, femineum sexum ab omni labe ac contumelia vindicavit. *Mulier a muliere defensa est,* ait s. Gregorius nyssenus oratione 2 de nativ. Et s. Epiphanius serm. de laudibus Virginis eam appellat, *Restaurationem feminarum.* S. Bonaventura in psalterio, *Florem et gemma mulierum.* Recte restauratio feminarum dicitur, quia per ipsam a ruina primae maledictionis feminae probantur esse subtractae.

Mulierum gloria Maria, et quomodo.

Vere *flos, et gemma mulierum*, nam tetrum odorem quo prima mulier totum femineum genus infecerat, Maria sua fragrantia abolevit, et vilitatem sexus feminei in decorem et gloriam erexit. S. Epiphanius loco iam memorato: *Angeli*, inquit, *accusabant Evam; nunc vero Mariam gloria prosequuntur, quae mulierum infirmitatem vere gloriosam reddidit, quae lapsam Evam erexit.* Exuit opprobrium muliebris sexus, ubi Virgo advenit illius decor, et gloria. Hinc Hesychius presbyter serm. de laudibus Virginis: *Ecce*, inquit, *Virgo. Quaenam? Mulierum egregia, a virginibus electa, praeclarum naturae nostrae ornamentum, gloria luti nostri, quae Evam pudore liberavit, Adamum comminatione.* Vere causa laetitiae nostrae, quae utrique sexui fuit salutaris, utriusque est protectio, utriusque medicina. *Viris, et mulieribus salutis antidotum propinavit*, ait mellifluus Bernardus serm. 7 de B. Virgine. Sed maxime mulieribus causa laetitiae extitit, quas ab opprobrio liberavit, suoque decori ac gloriae restituit.

8 Favores singulares mulieribus a Deo concessi ob amorem Mariae.

Praeterea, mulieribus specialiter causa laetitiae extitit, singulares enim favores Deus ob amorem Virginis mulieribus concessit. Ut omittam quod in mundi exordio Deus in gratiam Virginis Evam ob praevaricationem non annihilavit, sed conservavit, ut paulo ante probavi, Christus in Matris suae gratiam mulieres in evangelio nunquam obiurgasse legitur, licet alioquin occasionem haberet ex Magdalena peccatrice, et illa muliere in adulterio deprehensa. Reges, doctores, scribas, et pharisaeos, immo et discipulos suos saepius increpavit, mulieres autem nullo vel tenui verbo pupugit, immo laudavit, et earum patrocinium assumpsit tam verbo, quam opere. Et quidem verbo; siquidem contra Magdalenam Simon pharisaeus murmurat, mox Christus eum reprehendit, et Magdalenam illi hospiti suo in humanitate praefert, Luc. 7. Contra eandem Iudas murmurat, eo quod unguentum pretiosum super caput Domini effuderit, Christus mox defendit: *Sinite*, dicens, *eam*, *quid molesti estis? Bonum opus operata est in me*, Marc. 14, 6. Adultera ad ipsum lapidanda adducitur, Christus arguto responso accusatores eius repellit, eamque liberat: *Vade, et iam amplius noli peccare*, Ioann. 8, 11. Opere. *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus*, Christus eam sanitati restituit, Luc. 4, 39. Haemorroissa sanguinis fluxum patitur, et a Christo sanatur, Matth. 9, 20. Chananaeae filia a daemonio liberatur, Matth. 5, 28. Viduae in civitate Naim unigenitus a morte excitatur, Luc. 7, 15. Samaritana a Christo edocetur, Ioan. 4. Quid ita? In Matris suae gratiam id totum Christus fecit, ut femineus sexus re ipsa experiretur, et edoceretur quantum Matri suae Virgini debeat.

Mulieribus Christus quam favorabilis ob amorem Matris suae.

Deinde religio eximia, mira pietas in Christum semper in isto sexu reluxit. Christum in vita alebant, ministrantes ei de facultatibus suis, Luc. 8. Hospitio excipiebant, Luc. 11. Dum a Iudaeis blasphemabatur, daemoniacus et magus vocabatur. *Extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti*, Luc. 11, 27. Dum omnes in eius mortem coniurati clamarent: *Crucifige, crucifige eum*, nec erat qui ei compateretur, una uxor Pilati nomine Procola, sollicita apud maritum egit, misso ad eum famulo, ut solveretur. 9

Mulierum religio, pietas, fortitudo in Christi passione.

Eunti in locum Calvariae, et crucem baiulanti quis condoluit? nonne mulieres quae super illum flebant? quis faciem sanguine, pulvere, lacrymis et consputationibus foedatam strophiolo detersit? nonne mulier Veronica nomine? quis astabat in cruce morienti? nonne mater lacrymosa et mulieres, quae secutae erant Iesum a Galilaea, ministrantes ei, inter quas Maria Magdalena, et Maria Iacobi minoris, et Ioseph mater, et mater filiorum Zebedaei Salome? quis istis mulieribus tam eximiam religionem, tam miram pietatem, tam magnam fortitudinem indidit, ut fugientibus discipulis ipsae mulieres fugam non arripuerint, et in cruce morientem Dominum non dereliquerint? Credo Mariam mulieribus hanc gloriam promeruisse, ut sicut illa Christo semper adhaesit, patientem quoque nusquam deseruit, et in hoc sexum virilem, apostolos videlicet vicit: ita et sexus muliebris eiusdem religionis, pietatis ac fortitudinis consors fieret in gratiam Virginis, cuius auxilio et precibus de maledictione ereptus est, et quotidie eripitur. Hinc etiam nunc mulieres magis fere quam viri devotiores sunt, patienti Christo compatiuntur, et mente crucifixo adhaerent magis quam viri, quod per Virginem mulieres consecutas facile crediderim. Hinc Ecclesia ad Virginem orans, specialiter femineum sexum illi commendat: *Intercede pro devoto femineo sexu.*

Mulieres religiosae, et tam fortes tempore passionis Christi per B. Virginem.

Plures e femineo sexu in coelum evolare, quam ex virili, nonnullorum opinio est, quibus etiam ego libenter subscribo. Videmus enim mulieres magis pias, magis bonis operibus deditas, magis religioni ac cultui divino addictas, quam viros. Mulieres vulgo scrupulosiores sunt; et, *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est*, inquit divus Gregorius. Inter mulieres enormia illa peccata, puta insidiae, latrocinia, homicidia, duella, proditiones, rapinae, violentiae, simoniae communiter non reperiuntur. Cum peccant, fragilitate fere peccant, aut alieno violentia, vel certe importunitate. D. Ambrosius lib. 5 in Lucam de Eva ait: *Levitate magis, quam pravitate peccaverat.* Mulieres post peccatum vehementius anguntur, quam viri duro corde. Confitentur quoque, communicant saepius quam viri; et confitentur maiori cum luctu et uberioribus lacrymis, quam viri. Viros plerosque, cum peccata confitentur, putes sacerdoti narrare lepidas fabulas, ita tenuiter dolere, atque erubescere in Deum peccavisse! Mulieres vero peccata sua, etiam minima narrant cum tanto dolore, ut eas maximorum scelerum reas putares. Id autem totum per Virginem sui sexus decus, et ornamentum feminas esse consecutas facile crediderim. Hinc Virgo Deipara speciali quodam privilegio feminarum devotionem, dilectionem, et affectum sibi vindicat, ut omnes ecclesiarum conventus, omnes fere societates, omnes religiosarum feminarum coetus maxime in honorem B. Virginis erecti legantur. Est igitur quod mulieres gaudeant de tanta femina, de tanta Virgine, quae tantorum gaudiorum eis materiam praebuit, et quotidie praebet. 10

Mulieres plures salvantur, quam viri Virginis patrocinio.

Ordo tangit sanctos Ioseph, et Ioannem Baptistam, et postulat a nobis sermonem, quo declaremus, qualis et quantae laetitiae causa B. Virgo ipsis extiterit. Sed melius speciali discursu exponetur, qui sequitur.

Digitized by Google

DISCURSUS CCXCIV

QUALIS ET QUANTAE LAETITIAE CAUSA EXTITIT GLORIOSA DEIPARA SANCTISSIMO IOSEPHO SPONSO SUO

1 De sanctissimo Iosepho tomo superiore discursu CXVII, et sequentibus abunde egimus. Nunc occasione ipsius laetitiae quam habuit ex cohabitatione Virginis, praeter ea quae iam superius diximus, pauca praelibare libet. Magnam sanctae laetitiae segetem sanctissimus Ioseph inde collegit, quod Virginis sponsus fieri meruit.

2 S. Ioseph in virtutibus semper proficiebat. I. Ioseph dictus Iosephum se praebuit, eo quod Virginis sponsus et pater Christi fuit. Ioseph additionem, et augmentum significat. Ioseph noster Christo et Mariae coniunctus semper crevit, sanctior semper evasit, nova semper augmenta in virtutibus amavit: alias iustus non audiret, quem hoc nomine insignit sanctus evangelista Matthaeus, dicens: *Ioseph autem vir eius cum esset iustus*, nisi semper crevisset, semper profecisset in melius. *Iustorum enim semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem*, Proverb. 4, 18. Sed unde Ioseph semper crevit, semper profecit, ita ut cum consummasset, tunc inciperet? Nupsit Maria Ioseph, et quia ipsa semper in virtutibus crevit, bona bonis addidit, merita meritis; idcirco et Ioseph ad maiora semper aspiravit, maiores profectus in virtutibus semper habuit.

3 Profectus in virtutibus in B. Virgine ipsius. Proficiebat Virgo aetate, proficiebat et virtutibus, adeo ut in fine vitae, cum nihil sibi fecisse videretur, proficiendi desiderio aestuans amoris vi vitam finiret, ut contemplativi auctores communiter docent. Hinc regius vates psalm. 44, 10 de ea canit: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*. Et v. 14 eam describit *in fimbriis aureis*. Quid est, quod Regina nostra in vestitu deaurato adstare dicitur, cuius vestis fimbriae aureae leguntur? Per vestem deauratam vita iusti significatur, per fimbrias vero eiusdem vitae extrema designantur. Vestitus ergo deaurati fimbriae aureae dicuntur, quia perfectior et pretiosior semper debet esse finis vitae, quam principium; in fine enim vitae tota perfectio quaeritur iuxta illud: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Ita s. Paschasius in expositione huius psalmi. Mariae ergo vestitus, hoc est vita, licet semper deaurata, id est perfecta fuerit; fimbrias tamen aureas habuit, quia per continuum in virtutibus profectum in fine pretiosissima, hoc est perfectissima fuit. Idem de beatissimo Iosepho

Profectus virtutum in b. Ioseph per Mariam sentiendum est, qui exemplo Virginis sponsae suae semper in virtutibus crevit, semper perfectior, semper sanctior evasit, ut probatum est. Hinc merito de eo dici potest, quod de quodam magno patriarcha vendito in Aegypto dictum est: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens*, Gen. 49, 22.

4 S. Ioseph propter Mariam in angelum evasit. II. Tantum beatissimus Ioseph ex coniugio Mariae profecit, ut in angelum pene evaderet, immo Deo similis efficeretur. Probat id eleganter, et nervose Isidorus Isolanus in libro de s. Iosepho: *Fuit*, inquit, *Ioseph conversatio angelica*, sensum non verba pono. 1. Angeli quidam semper adstare Deo dicuntur, ut ex illo s. Raphaelis ad Tobiam 12, 15: *Ego sum Raphael angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum*. Ioseph tanquam alter angelus, isque praecipuus coram Domino suo adstabat, nec alios comites habebat, nisi solam Virginem, ut in hoc quoque eius privilegium magis sit singulare, quam angelorum. 2. Angelorum chorus semper Deo adstat, et licet nonnulli in ministerium mittuntur propter eos qui haereditatem capiunt salutis; nihilominus mente semper Deo fruuntur. Ioseph semper Christo adhaerebat, nunquam a Christo oculos avertebat. *Putasne*, inquit Isolanus, *Ioseph Christi praesentiam sive in infantili aetate, sive in puerili, sive in adolescentia, sive in iuventute sponte aliquando deseruisse?* Et licet aliquando pro variis rerum familiarium negotiis a Christo aliquando abesse cogebatur, (deserviebat enim Christo propter eos qui haereditatem capiunt salutis, videlicet propter nos) semper tamen corde et animo illi adstabat, et mente eius praesentia fruebatur. 3. De angelis Christus narrabat, Matth. 18, 10. *Quod semper vident faciem Patris mei, qui in*

S. Ioseph an viderit clare Deum per essentiam in mortali corpore. *coelis est*. De Ioseph nonnulli censuerunt eum aliquando Dei essentiam in hac vita mortali clare vidisse, eo modo quo de divo Paulo, et Moyse d. Augustinus cum doctore nostro angelico 2 2, quaest. 175, art. 1 asserunt, et nos superius de ipsa gloriosa Virgine cum multis piis, et doctis viris idem docuimus. Sed de s. Ioseph id asserere non audemus, cum nullam hac in parte auctoritatem pro nobis habeamus, quam sequamur, et novitates semper abhorruimus, et abhorremus. Fortassis vero similius est,

S. Ioseph an viderit Christum in corpore glorioso. quod Bernardinus de Bustis serm. 12 de desponsatione Mariae pie credit, benedictum Iesum transfiguratum in corpore glorioso sanctissimo Iosepho non semel, sed saepius se ostendisse. *Si enim*, inquit, *hoc Petro aliisque duobus discipulis in monte Thabor praestitit, cur non Mariae, et Ioseph?* Sed nec istud asserere audeo, quod Scriptura non docet, Ecclesia non tenet, doctores communiter non tradunt, ratio non convincit.

5 Laetitia s. Ioseph quanta fuerit, simul et dignitas. Satis laetitiae, et beatitatis beatissimus Ioseph in hac vita mortali habuit, cum tam assidue Christum intuebatur, et nedum intuebatur, verum et contingebat, immo portabat, et amplectebatur. Quanta fuerit laetitia illa, quantum gaudium, quanta exultatio Deum in humano corpore videre, et quod maius est, hospitio recipere, in brachiis portare, per singulas horas illi adstare, eique ministrare, explicet qui potest; ego non valeo. Quis enim

S. Ioseph cum s. Ioanne Baptista comparatur. explicet huius patriarchae dignitatem, sanctitatem, et puritatem? S. Ioannes Baptista ex eo quod Christo occurrit, Christum vidit, cumque digito monstravit, tam magnus, tam sanctus fuit, ut Christus crederetur, seque ad hoc officium triginta annis angelicam vitam ducens paravit, ut protenso digito Christum demonstrare posset. Qua putas sanctitate, quave puritate s. Ioseph pollebat, qui Christum non dico digito monstravit, sed manibus contrectavit, hospitio excepit, in sinu fovit, nutrivit, vestivit, eique omnia necessaria ministravit? quantam putas dulcedinem, quantam

S. Ioseph comparatur cum Abraham. suavitatem, quantamve laetitiam inde habuit? Abraham magnus, et omni lingua celebrandus evasit, quia angelos hospitio recepit. Ioseph non angelos, sed angelorum Dominum, non paucis horis, sed multis annis excepit, Deique Matrem apud se habuit, eius fidelissimus custos, patronus et maritus. *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit et gavisus est*, inquit Salvator Ioan. 8, 56. Vidit in sola et nuda figura; vidit diem Domini, hoc est tempus adventus Domini; vidit non oculis corporeis, sed oculis mentis; exultavit, et gavisus est, non in re, sed in spe. At Ioseph non in figura, sed in praesentia vidit non tantum diem Domini, sed et ipsum Dominum; vidit non tantum oculis mentis, sed et oculis corporeis; exultavit, et gavisus est, non in spe, sed in re. Unde laetitia ipsius tantum superat laetitiam Abrahae, quantum corpus superat umbram.

6 Deo Patri quodammodo similis Ioseph. III. Auxit laetitiam Ioseph B. V. Maria, nam ex sui consortio Deo quasi similem reddidit. In Mariae coniugio beatissimus Ioseph personam Patris omnium conditoris gerebat, dum eiusdem Filii incarnati putabatur pater, cuius ille ab aeterno est verus et naturalis Pater. Tenet ille sinu suo, et fovet Filium suum. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*, Ioan. 1, 18. Tenuit et Ioseph eundem sinu suo, et fovit. Aeternus Pater Filium suum a desertoribus angelis in coelo defendit, qui cum eum superbia inflati adorare nollent, ut Ambrosii Catharini et aliorum sententia est, e coelo statim detrusi inferni flammis addicti sunt. Ioseph vices aeterni Patris in terris gerens eundem Dei Filium humana carne vestitum a satanae fraudibus, et insidiis protexit, eum eum ab Herodis tyrannide, et nece ipsa praeparata vindicavit. Aeternus Pater per Verbum omnia creavit, omnia produxit, et *sine ipso*, scilicet Verbo, *factum est nihil*. Ioseph per idem Verbum omnia quodammodo refecit, cum illud in carne humana nutrivit, fovit, a fraudibus et insidiis satanae custodivit, protexit, et ad salutem generis humani fideliter conservavit. Vides igitur quanta sit beatissimi Ioseph dignitas, quantave felicitas, et consequenter iucunditas, et suavitas aeterno Patri circa Filium eius parari.

7 Spiritus sancti vicarius s. Ioseph. IV. Ulterius, in Mariae coniugio beatissimus Ioseph Spiritus sancti vices in terris egit, nam Christus et Maria sub eius umbra quieverunt. De Spiritu sancto Ecclesia canit: *In labore requies, in aestu temperies, in fletu solatium*. O quoties Christus in gremio Ioseph quievit; quoties collum eius teneris brachiis amplexus est haerens illius pectori, ac humeris; quoties Ioseph in aestu ei umbram faciebat; quoties ex ocellis infantis lacrymulas detergebat. Vide quae superius diximus.

8 S. Ioseph scutum fuit Christi et Mariae. Solet Deus suorum scutum ac protectio dici. *Noli*, inquit, *timere, Abram, ego protector tuus sum*, hebraice, *Ego scutum tuum*, Genes. 15, 1. Magna dignitas Ioseph, qui Dei sui, et Matris eius scutum esse meruit. Sane scutum Christi fuit, nam legitimum eius ortum ex matre optime protexit. Si enim ille legitimus Mariae sponsus non fuisset, Christus tanquam illegitimus partus a Iudaeis habitus fuisset. Unde hoc nomine Dei

Digitized by Google

Filius Iosepho debet, quod tanquam ex adulterio conceptus non sit reiectus; talis proculdubio in falsa hominum opinione futurus, nisi eo Ioseph tanquam scutum contra hunc suspicionis ictum obiecisset. Deinde scutum Christi fuit, quia eum a saevitia Herodis protexit.

9 Scutum quoque fuit Mariae Matris eius, nam pudorem illius tanta fide et sapientia tutatus est, ut etiam intellectum angelicum diaboli obtenebraverit, ne agnosceret an virgo esset quae Christum pepererat. Videte, pensate, considerate, quanta auctoritate apud Deum, et angelos polleat beatissimus Ioseph, qui altissimi mysterii scutum fuit inexpugnabile, et meruit esse eius scutum et protectio, qui omnium scutum et protectio est.

10 Praeterea scutum Virginis fuit, quia eam veluti obiecto scuto protexit, cum in uxorem accepit, illo enim sacro coniugio effecit, ne a Iudaeis lapidaretur tanquam adultera. Origenes hom. 39 de diversis: *Propterea*, inquit, *Virgo fuit desponsata ipsi Iosepho, quia si non fuisset desponsata, omnium bonarum increduli, et inimici Iudaei lapidibus eam occidissent.* Considera quantum uni Iosepho debeat Virgo, quantum debeat Christus. Debet ei Virgo, quia per eum stetit, quod tanquam adultera reputata, et punita non est. Debet ei Christus, quia per eum tanquam illegitimus, ex illegitimo ortu conceptus reiectus non est.

11 V. Magnam laetitiam beatissimus Ioseph ex consortio Mariae hausit, quod per eam Filii Dei in humana carne non tantum tutor et custos, verum et pater nutritius fuit, cui Christus subditus fuit, et tanquam parenti obedivit. Historia orientalium catholicorum, quam ex hebraeo in latinum versam citat Isidorus Isolanus part. 4, cap. 9 Iesum ita loquentem introducit: *Ego conversatus cum Iosepho in omnibus, sicut si essem filius eius, et eram per omnia sicut ipse; et obediebam ei in omnibus, nec unquam transgressus sum verbum illius; et eram subditus illis sicut parentibus, diligebam Ioseph valde sicut pupillam oculi mei.* O dignitatem ineffabilem! o auctoritatem mirabilem! eum habere subditum, cui omnes creaturae serviunt! Forsan de historia memorata dubitas? Audi evangelium: *Et erat subditus illis*. Quis? quibus? Deus hominibus, Iesus Iosepho et Mariae suis parentibus.

Quanta putas gaudia exultabat Ioseph, quanta laetitia perfundebatur, cum ab Altissimi Filio audiebat se appellari patrem, cum videbat sibi in mensa et alibi servire cuncta regentem? Nec lingua dicere, nec calamus id exprimere valet.

12 S. Ioseph cum patriarcha primo Ioseph confertur. Patriarcha Ioseph dixit se vidisse solem et lunam adorare se; noster Ioseph vidit solem iustitiae Christum, et lunam splendentem Mariam sibi obsequentes, et, quod magis est, subditos. Magna dignitas illius Ioseph, quod ad imperium eius cunctus populus Aegypti obediebat. *Ad tui oris imperium*, ait ad eum Pharao, *cunctus populus obediet*, Gen. 41, 40. Maior dignitas nostri Ioseph, ad cuius oris imperium ipse mundi Conditor obedivit. Vere Ioseph totius mundi regimini aptus fuisset, quia illum rexit qui totum mundum gubernat.

13 S. Ioseph salvator mundi. Ioseph ille primum mundi salvator a Pharaone dictus est. *Vocavit eum lingua aegyptiaca salvatorem mundi*, Genes. 41, 45. Sed iustius hic titulus nostro Ioseph convenit, qui ipsius mundi Salvatorem ab Herodis manibus exemit, eumque pro salute nostra fideliter custodivit, nutrivit, vestivit, et eo libentius eum tutatus est, eique ministravit, quod sciebat et nobis ministerium illud profuturum. Scriptura salvatores appellat eos qui evangelium Christi populis praedicant. D. Paulus exhortans Timotheum discipulum suum ad attendendum doctrinae in 1 epist. 4, 16 scribit: *Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.* Quanto magis Ioseph salvator dicendus est, qui modo in Aegyptum, modo in Iudaeam Christum detulit, et unus praestitit facto, quod praedicatores omnes deinceps erant praestituri verbo. Hoc, ni fallor, cogitabat s. Hilarius in cap. 2 Matthaei scribens, ubi ait: *Ioseph sponsus Virginis circumferens Christum nunc in Aegyptum, nunc in Iudaeam designat apostolos Christum praedicantes Iudaeis, et Gentilibus.* Fuit ergo beatissimus Ioseph typus et exemplar omnium praedicatorum,
S. Ioseph exemplar omnium praedicatorum. quia quod illi verbo praestiterunt, ille facto praestitit, et omnibus viam monstravit ad conversionem mundi, et agnitionem veri Dei pro nobis incarnati.

14 Vides ergo quam uberem materiam gaudiorum gloriosa Virgo s. Ioseph sponso suo praebuit, quae eum consortio suo maritali adeo nobilitavit, talibus ac tantis divinae gratiae muneribus, ac praerogativis singularibus auxit, ornavit, ditavit. O beate Ioseph, qui ex consortio Virginis verus Ioseph, hoc est crescens in virtutibus effectus es velut alter angelus, ex Christi sui aspectu beatus, Deo Patri, ac Spiritui sancto similis, eorumque quasi vicarius factus, inenarrabili laetitia perfusus es, obtine, ut nos quoque aeternis illis gaudiis participes efficiamur, praestante Domino nostro Iesu Christo, intercedente Beata ac gloriosa Dei Genitrice Maria coniuge tua, te quoque suffragante. Amen.

DISCURSUS CCXCV

QUALIS, QUANTAEQUE LAETITIAE CAUSA EXTITIT GLORIOSA DEIPARA VIRGO MARIA ELISABETH COGNATAE SUAE, ZACHARIAE ET SANCTO IOANNI BAPTISTAE

Tunc praecipue gloriosa Virgo tribus his personis gaudium attulit et laetitiam, cum in montana perrexit, intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth, ut sacer textus evangelii narrat, Luc. 1, 39. 1

I. Elisabeth cognatae suae gaudii materiam praebuit in visitatione et congratulatione, in reverentia et honore, in ministerio, in donis. 2 Visitationes congratulatoriae quorumdam.

1. *In visitatione et congratulatione.* Venit ad domum Zachariae, non ut magis certior redderetur de dictis angeli qui nuntiaverat ei conceptum filii, scilicet Ioannis Baptistae, prout Theophilactus putabat; sed ut congratularetur Elisabethae de dono quod eam coelitus accepisse didicerat. Ita d. Ambrosius lib. 1, cap. 1: *Festinat invisere Elisabeth non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, vel dubia de exemplo; sed ut laeta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio.* Item lib. 2 de virginibus: *Ad cognatam suam ad montana processit, non utique ut exemplo crederet, quae iam crediderat oraculo.* Sic Iethro Moysen generum suum visitavit in deserto cum uxore et filiis, Exod. 28, cum audisset ipsum eduxisse filios Israel de Aegypto. Sic fratres, et sorores convenerunt ad Iob, ut congauderent ei, cum ex magna illa calamitate et tentatione ad magnas divitias et honores vidissent illum restitutum, Iob 42. Sic Ioachim summus sacerdos venit de Ierusalem Bethuliam, ut videret Iudith, et congratularetur ei de victoria ex Holoferne reportata. Sic demum consobrini Tobiae de recepto lumine, et filio restituto congratulati sunt. Ad eundem modum B. V. Maria, ubi cognovit ab angelo Gabriele cognatam suam Elisabeth filium concepisse in senectute sua, ad domum eius perrexit congratulatura ei de filio. D. Augustinus serm. 25 ad fratres in eremo scribit, Sanctissimam Virginem, et b. Elisabeth fuisse sorores amitas. Nam mater b. Elisabeth fuit s. Ismara soror germana b. Annae, quae fuit mater Deiparae Virginis. Cum ergo B. V. Maria Elisabeth visitavit, non parvam laetitiae occasionem ei dedit. Huiusmodi enim visitationes congratulatoriae, cum ex animo fiunt, amicis iucundae esse solent. Cum congratulari alicui nihil aliud sit, quam signis laetitiam ostendere, et cum aliquo gaudere. Cognatio inter B. V. Mariam et Elisabeth qualis. Congratulari quid sit.

2. *In reverentia et honore.* Iunior enim ad seniorem venit, et non tantum venit, sed etiam prior salutavit, memor illius sententiae: *Coram cano capite consurge, et honora personam senis*, Levit. 19, 32. *Docet enim*, inquit d. Ambrosius, *ut quanto castior virgo, tanto humilior sit, noverit deferre senioribus, sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis.* Haec autem reverentia, seu honor a Virgine exhibitus non modicam Elisabeth laetitiam attulit. Reverentia enim senioribus exhibita est protestatio quaedam dignitatis, excellentiae, et virtutis agnitae in ipsis, ut s. Thomas 2 2, quaest. 63, art. 3 docuit: *Senes*, inquiens, *sunt honorandi propter signum virtutis quod est senectus, licet hoc signum quandoque deficiat.* Hinc Origenes hom. 20 in Lucam opinatur, Iosephum a puero Iesu parentis honore cultum etiam propter aetatem. Maria ergo cum Elisabeth reverentiam exhibuit, hoc ipso dignitatem eius, excellentiam et virtutem agnovit, et protestata est, consequenter gaudium et laetitiam Maria ei praebuit. 3 Senes cur honorandi.

3. *In ministerio.* Mulieres praegnantes multa incommoda, fastidia, appetitus inordinatos, gravedines capitis, dolores circa partum, et in partu pati solent; unde ministerio aliorum et solatio plurimum egent. His malis remedium adhibere volens superbenedicta Virgo ad Elisabeth cognatam suam praegnantem cum festinatione abiit, et eam non solum visitavit, sed etiam ibi tribus mensibus mansit, et cognatae in partu fideliter servivit. 4

Digitized by Google

Beda super Lucam affirmat, B. Virginem tam diu mansisse in domo Elisabeth, donec partus tempore completo, praecursoris Domini sui propter quem maxime venerat, nativitatem videret, et sic in domum suam reversa est, videlicet ad virum suum in Nazareth. Hoc idem asserunt sancti patres Ambrosius et Bernardus. S. Petrus Damianus addit, Sanctissimam Virginem b. Ioannem mox natum primo de terra levasse, et cognatae partum omni servitute prosecutam.

Quidam modernus nec sane contemnendus auctor (Carthagena lib. 6, hom. 6) censet, B. Virginem sua praesentia non solum faciliorem reddidisse partum Elisabethae, sed etiam ab omni dolore quem puerperae pati solent, eam immunem fecisse. Postulaverat enim, inquit ille, ut ab antiqua illa maledictione cognatam suam liberaret. Et quoniam iuxta verbum angeli multi in nativitate Ioannis gaudere debebant, debebat etiam mater ut vel maxime huius gaudii consors fieret, non cum dolore, sed cum gaudio parere.

5 Ad parturientes sacrae reliquiae deferuntur, ut facile feliciterque prolem in lucem edant. Ad eundem modum B. V. Maria cognatae suae facilem et felicem partum cupiens pretiosissimam omnium sanctissimi corporis Christi reliquiam in utero suo detulit, qua miram in modum animum eius recreavit, exhilaravit, et omnes dolores parturientis, si Carthagenam auscultare volumus, ab ea abegit.

Elisabeth Ungariae regis filia laudatur ex officio quod feminis praegnantibus et aegris exhibebat; sed haec a Virgine Deipara didicit. Unde d. Ambrosius cap. 1 in Lucam ad similia obsequia feminas cohortatur: *Discite*, inquiens, *et vos sanctae mulieres sedulitatem, quam praegnantibus debeatis exhibere; nam cum uniuscuiusque necessitati praesto esse debeatis, quomodo non magis ei, ad quam ex conditione sexus invitamini?*

6 Elisabeth prophetissa fuit.

4. *In donis.* Multa dona Deipara Virgo b. Elisabeth attulit, cum ad eam invisendam venit. Primo, eam prophetissam effecit. *Prophetant matres spiritu parvulorum.* Prophetavit autem Elisabeth multipliciter. Primo, quia impraegnatam Virginem Mariam mox cognovit, de qua re nondum vel verbulum Deipara Virgo dixerat nec ipsi, nec alteri. Nec apparet unde rescire potuerit. Uterus enim Virginis nondum tumescebat, pallor vultus conceptionem fetus non indicabat; hic enim in B. Virgine non fuit sicut in ceteris puerperis. Secundo, quia sexum cognovit, quod scilicet masculum gereret; quia Matrem Domini appellat. Tertio, deitatem prolis. *Mater*, inquit, *Domini mei.* Quarto, fidem Virginis. *Beata*, inquit, *quae credidisti.* Quinto, prophetavit de futuris. *Perficientur in te quae dicta sunt tibi a Domino.*

7 Spiritus sanctus non datur, nisi per Mariam.

Secundo, Deipara Elisabeth donum attulit, quia eam Spiritu sancto replevit. Quidni? Ioannes in utero existens matrem suam Spiritu sancto replevit, ut d. Ambrosius in Lucam docet: *Cum filius esset repletus Spiritu sancto, replevit et matrem.* Et Maria Deipara id non efficeret? Effecit sane. Audiamus d. Bernardinum tom. 1, ser. 52, art. 1, cap. 2 loquentem: *A tempore quo concepit Virgo Deum in utero suo, quandam, ut sic dicam, iurisdictionem, seu auctoritatem habet in omni temporali missione Spiritus sancti; quia non vult ipse Spiritus sanctus, nisi per eam communicari, sicut et Filius a quo Spiritus sanctus procedit, per ipsum datus est nobis.* Si igitur Spiritus sanctus non vult communicari, nisi per Mariam, profecto nec Elisabeth Spiritu sancto repleta fuit, nisi per Mariam. Tertio, donum attulit, quia infantem in eius utero sanctificavit, de quo iam dicturi sumus. Quarto, omnes dolores parturientis ab Elisabeth abegit, ut iam ex Carthagena diximus.

8 II. Zachariae causa laetitiae extitit, quia largam benedictionem ipsi totique domui eius attulit, et ut ipsi loquela restitueretur, effecit. O ter quaterque beatam domum illam quam Christus cum Matre visitat. Benedixit olim Dominus domui Obededom, eo quod in domo eius mansisset arca Domini tribus mensibus; quantam putas benedictionem largitus est domui Zachariae, qui veram arcam Beatissimam Virginem continuit?

9 S. Ioannem Baptistam adeo copiosa laetitia perfudit, ut supra naturam in utero matris suae coram Beatissima Virgine subsiliret, et instar Davidis coram arca Dei tripudiaret. *Exultavit in gaudio infans in utero meo.* In aliis infantibus primum locum fletus occupat, in hoc primum obtinuit laetitia. Plinius lib. 7, cap. 16 pro magna re narrat, quod Zoroastes Bactrianorum rex eo die quo natus est, riserit; sed Baptista plus habuit, qui etiam in utero risit, et tripudiavit, et haud dubie matri quoque gaudium fecit, ita ut cum Sara matre Isaaci dicere posset: *Risum fecit mihi Deus.* De d. Nicolao legitur, quod natus stetit erectus, de s. p. n. Dominico quod e cunis egrediens in terra iacebat. Ista sunt specialia dona Spiritus sancti; sed abundantiora dona B. Virgo Ioanni attulit, et copiosiori laetitia eum perfudit.

Primo, gratiam iustificantem, et gratis datam suo adventu ei detulit, ac gratiam iustificantem per quam a morsu venenosi serpentis liber evasit. Ioannes in utero matris degens a mortifero peccati originalis serpente graviter saucius erat, B. V. Maria domum Zachariae ingressa primo emisit iacula quibus serpentem illum interemit, at Ioannem miraculosa sua salutatione ab illius morsu sanat. *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo*, Luc. 1, 44. 10

Vox salutantis Mariae erat iaculum quo infernalis serpens transfossus et necatus est, illudque virus peccati originalis ab anima Ioannis eiectum. Quemadmodum ad vocem baptizantis, qui formam profert: *Ego te baptizo: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, ab anima baptizati daemon aufugit, peccatum originale deletur: ita suo modo ad vocem Mariae salutantis Elisabeth ab anima Ioannis cacodaemon pulsus est, et peccatum originale deletum. Credo B. M. Virginem ex abundantia illa gratiarum habuisse vim sanctificandi homines, et hanc vim exercuisse cum in domum Zachariae intravit, et salutavit Elisabeth. Non temere id assero, stat pro mea sententia doctissimus et facundissimus Petrus ravennas, qui ait: *Ad primam vocem Virginis facta est sanctificatio praecursoris.* Credo B. M. Virginem tunc Ioannem Baptistam baptismo flaminis baptizasse, et eum primum filium spiritualem habuisse, in quo fecunda omnium sanctorum Mater est constituta. Non auderem id asserere primus et solus; sed id ante me docuit Bernardinus de Bustis ex s. Chrysostomo ita scribens parte 7, serm. 4: *Ioannes Baptista fuit filius Virginis per spiritualem baptismi regenerationem; ipsa enim eum baptizavit, non baptismo fluminis, sed flaminis, sicut dicit Chrysostomus. Cum enim B. Virgo salutavit Elisabeth, vox salutationis per aures eius ingrediens ad puerum descendit: virtute cuius salutationis puer Spiritum sanctum accepit*, sicut praedixerat angelus Luc. 1, 15: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.* Unde s. Ildephonsus serm. de assumpt. B. M. Virginem vocat *Sacramentorum arcam.* Nam sicut verba Sacramentorum, ubi prolata fuerint, gratiam conferunt: ita ut Maria locuta est, statim Ioannes infans in utero sanctificatus fuit, et exultavit. Placet hoc factum similitudinibus ex Scriptura desumptis declarare.

S. Ioannes Baptista baptizatus fuit a B. Virgine et quomodo.

11 Ut ad tubarum sacerdotalium sonos muri ierichuntini olim corruerunt, sic ad unam vocem Mariae vis tota satanae corruit. Et quemadmodum David, cythara sonante, spiritum malum a Saule expulit, 1 Reg. 16, ita noster David Christus, Virgine loquente, peccatum a Ioanne eiecit. Ingressa arca Dei in templum, simulacrum Dagon iterum atque iterum in terram cecidit, 1 Reg. 5. Sic coram animata arca Deipara Virgine daemon cecidit, ubi vocem eius audivit: et peccatum originale, quo Ioannes infectus erat, Dagoni simile contritum est. Quemadmodum sol domum ingrediens tenebras pellit, lucemque diffundit, ita Christus in animam intrans peccatum eicit, gratiamque largitur et gaudium.

12 S. Ioannes usum rationis in utero matris habuit, et quomodo.

Ulterius, magnam laetitiae segetem Deipara Virgo b. Ioanni attulit; nam in utero matris existenti accelerationem usus rationis conciliavit. Hoc gravissimi patres docent, et colligunt ex illis verbis sancti evangelii, Luc. 1, 44: *Exultavit in gaudio infans in utero meo.* Castalion: *Exultavit laetitia infans.* Quaedam lugdunensis versio: *Saliit fetus exultans.* Vatablus: *Subsiliit prae gaudio infans.* Massa illa carnis vix dum bene animata iacens, et gravissima, de repente instar avis, aut flammae ignis exiliit, velut Deo manum porrigente, Domino suo praesenti assurrexit, seque omnibus eius obsequiis paratissimum ostendit. Hinc, inquam, doctores colligunt, Ioannem in utero matris usu rationis praeditum fuisse. Sed loquentes audiamus.

D. Ambrosius in Lucam: *Habebat*, inquit, *intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum.* Et iterum: *In utero situs matris a mensura coepit aetatis plenitudinis Christi.* Theophylactus existimat Ioannem canticum Zachariae patris sui intellexisse, ideo Zacharias ad eum locutus est: *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis*, etc. Beda hom. de visitatione: *Ioannes*, ait, *Dominum esse qui in utero Virginis portaretur, intellexit.* Idem 13

docet Concilium basileense sess. 43. Et Ecclesia in eius officio canit: *Senserat Regem thalamo manentem*, et rursus: *Hinc parens nati meritis uterque abdita pandit.* Merita ergo tunc habebat Ioannes, et ratione utebatur: nam sine rationis usu merita propria esse nequeunt.

14 Scio s. Thomam doctorem coelicum, et Ecclesiae catholicae magistrum 3 p. q. 27, art. 3 in corp. scripsisse hoc privilegium usus rationis in utero matris soli Christo competere, et nulli alteri praeter eum convenire posse. Praefati tamen doctores auscultandi sunt, utpote s. doctori minime contrarii. Quod enim illi de usu rationis pro illo tempore, cum Maria visitavit Elisabeth, affirmant, hoc doctor angelicus de permanentia usus rationis negat, ut ibidem candidus eius interpres Caietanus cardinalis exposuit.

15
S. Ioannes in utero matris propheta fuit.

Postremo, Ioannes ex praesentia Mariae laetitiam hausit; nam in utero matris donum prophetiae obtinuit, ex sententia doctissimorum, et gravissimorum patrum. Origenes homil. 7 in Lucam: *Tunc primum*, inquit, *praecursorem suum prophetam fecit Iesus.* D. Leo serm. de nativit. praecursoris: *Spiritum prophetiae intra viscera matris accepit.* Euthymius: *Ioannes*, ait, *agnito supernaturaliter Domino suo, exultatione illum praedicavit propheticu gratia donatus.* Maximus in sermone de s. Ioanne Baptista: *Hic nasciturum Christum prophetantia spiritus revelatione praevidit, et natum privilegio gratiae singularis ostendit.* In tantum autem in b. Ioanne spiritualis praefulsit electio, ut ante mereretur annuntiare Dominum, quam linguam qua annuntiare posset, acciperet. Vere puer iste beatissimus omnium parvulorum, qui intra viscera materna adhuc conclusus, adesse Salvatorem mundi, quia nedum sermone poterat, prophetico gaudio revelaverit. Ut gallus ales lucis praenuntius, lucem quam nondum oculis videt, praesentit: sic ille abditum Christum clausumque duobus quasi uterorum maternorum parietibus agnovit, et velut amicus sponsi in aula ventris genitricis subsiliit, et instar Davidis coram arca Dei tripudiavit.

Nonnulli censent b. Ioannem Baptistam per Deiparam Virginem habuisse quod castus vixerit, quod in illo eremo non humanam, sed fere angelicam vitam duxerit, quod tam eximius praedicator et praedicatorum exemplar evaserit. Virgini debet, quae sua praesentia, suis verbis, suae sanctitatis odore etiam in matris utero latentem seipsum instruxit. De quo s. Petrus Damianus serm. 23 ita scribit: *Tanto tempore Maria cum Elisabeth manet, et nunc dulciori colloquio, nunc amplexu feliciore Ioannem puerum consecrat et insignit*, ut nimirum esset insignis praedicator.

DISCURSUS CCXCVI

QUALIS, QUANTAEVE LAETITIAE CAUSA EXTITIT DEIPARA VIRGO S. IOANNI EVANGELISTAE, APOSTOLIS ALIISQUE PRIMITIVAE ECCLESIAE FIDELIBUS

1
S. Ioannis evangelistae dona.

Sanctus Ioannes evangelista, et apostolus, privilegio amoris praecipui ceteris altius a Domino meruit honorari. Nam virgo est electus a Domino, supra pectus Domini in coena ultima recubuit, et ex ipso sacro dominici pectoris fonte evangelii arcana potavit, sedulus, fortis, ardens in apostolatus munere obeundo fuit, vita pacificus, verecundus, modestus extitit, maiora quam alii divina mysteria nobis aperuit. Hoc totum ob amorem Deiparae Virginis habuit, cuius oeconomus, tutor, provisor ac filius a Christo factus et declaratus fuit.

2
Christus ei Matrem commendat.

Immemor sui Christus in cruce, suppliciorumque quae patiebatur oblitus, Matris suae memor fuit, dum velut inter ultima verba testamenti Matris suae curam Ioanni discipulo familiarissimo et carissimo commisit illis verbis: *Mulier, ecce filius tuus.* Et Ioanni: *Ecce Mater tua*, Ioann. 19, 26. *Tunc*, inquit s. Bernardinus tom. 1, serm. 55, cap. 3, *D. Virgo in Ioanne omnium electorum per dilectionem facta est mater.*

3
Ob amorem Virginis tantam gratiam accepit.

I. Eo respectu sanctissimus Ioannes tantae sapientiae, tantae gratiae, tantaeque dilectionis possessor fuit, quia promptuarium sapientiae, gratiae, dilectionis, omniumque spiritualium divitiarum, Deiparam nimirum Virginem in sua recepturus erat. Et ideo ipse d. Ioannes 19, 27 de seipso scribens, signanter posuit: *Et accepit eam discipulus in sua.* Cur dixit, in sua, qui nihil habebat quod suum esset, et omnia Christi amore reliquerat? Nihil habebat, omnia terrena dimiserat, omnia mundana contempserat; sed quia gratiae possessor erat, iure in *sua* Dei Matrem recepit. *Neque enim*, inquit s. Ambrosius in exhort. ad virgines, *Dei Mater migraret, nisi ad possessorem gratiae.* Felix Ioannes tantae Matris munere, cuius intuitu tantam gratiam, et tantum Dei amorem habere dignus fuit.

4
Virgo electus ob Virginem.

II. Ob amorem Virginis Ioannes virgo est electus a Domino. Quomodo enim Sponsus virginum Matrem Virginem commendaret non virgini? Divus Epiphanius haeres. 78: *Manifestum est*, ait, *quod propter virginitatem Ioanni Matrem commendavit Dominus.* D. Ambrosius de institutione virginum capite 7: *Tradita est*, inquit, *Virgo Ioanni coniugium nescienti.* Libenter se Virgo virginibus, castisque hominibus tradit, illorum libenter mater est. Quare qui Virginem in matrem vult habere, et in propria suscipere, castitatem vehementer colat, omnem libidinis spurcitiam a se longe propellat, sit alter Ioannes pro sua tenui parte, Ioannis puritatem et castitatem aemuletur.

5
Ob amorem Virginis supra pectus Domini in coena recubuit.

III. Ob amorem Virginis Ioannes in coena ultima supra pectus Domini recubuit. Decebat enim ut qui mundissimae sanctissimaeque Virginis filius adoptivus futurus erat, filii naturalis amorem, spiritumque hauriret non aliunde, nisi a pectore ipsius Christi Filii naturalis Mariae.

6
Ob amorem Virginis tam fortis fuit.

IV. Ob amorem Virginis Ioannes tam sedulus, tam fortis, tam ardens in apostolatus munere fuit, ut eius vita testatur. Quanta passi sunt apostoli, quibus ludibriis expositi, quibus contumeliis affecti, et tamen haec omnia levissima eis visa sunt? *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, Actor. 5, 41. Quid non passus est Ioannes? quid non sustinuit? Non tamen defecit, non lassatus est. Et unde tantum robur habuit, tantam fortitudinem assumpsit? A Maria, cuius exemplo fidem suam fovebat, spem nutriebat, caritatem accendebat, fortitudinem roborabat. De fortitudine Mariae superius satis diximus.

7
Ob amorem Virginis tam pacificus.

V. A Maria Ioannes habuit, quod pacificus, verecundus, et modestus fuit. Pacificus Ioannes fuit, quia nulla tumultuosa negotia ei commissa fuerunt. Petro commendata est Ecclesia, et cum ea simul multa negotia ardua, difficilia, tumultuosa, licet sacra. At Ioanni commendata est Virgo pacifica, Virgo quieta, uti pacifico et quieto. Nequaquam enim Virgo mitis, benigna, modesta, quieta commendaretur viro passionibus inordinatis laboranti, rerum terrenarum affectibus pleno.

8
Modestiam a B. Virgine didicit.

Verecundiam quoque ac modestiam b. Ioannes a Deipara didicit, ut tam modestus tamque verecundus fieret, ut nunquam ausus fuerit Virginis vultum intueri, nec in eius faciem oculos figere, ut superius memorabamus ex s. Amadaeo, et sancta Mechtilde quae id se divinitus accepisse narrabat.

9
In schola Mariae quantum eruditus fuit.

VI. Tandem Ioannes in Mariae schola adeo eruditus fuit, ut plusquam homo a plerisque doctissimis putaretur. Origenes de eo ita scribit: *Non erat Ioannes homo, sed plusquam homo, quando et seipsum, et omnia quae sunt, superavit, cum aeternam Verbi generationem nobis descripsit, dicens: In principio erat Verbum*, etc. Hunc scientiae thesaurum in Ioannem effudit Virgo, d. Ambrosio testante, qui de institutione virginum capite 7 ita ait: *Non miror Ioannem prae ceteris locutum divina mysteria, cui praesto erat aula coelestium sacramentorum.* D. Paulus in tertium caelum raptus multa se ibi didicisse affirmat: *Audivit*, inquiens, *arcana verba, quae non licet homini loqui*, 2 Corinth. 12, 4. Sed plus profecit Ioannes in Mariae schola, quia quod ibi didicit, toti mundo palam fecit, et in nostri utilitatem convertit. Vides igitur quantorum donorum, et consequenter gaudiorum B. Virgo s. Ioanni materiam praebuit.

S. Ioannes doctior d. Paulo.

10
Apostolorum magistra.

VII. Apostolis causa laetitiae extitit, quorum magistra, consolatrix, protectrix fuit. Richardus lib. 2, part. 2: *Maria*, inquit, *apostolorum magistra facta est, qui nostri postea magistri facti sunt. Et ascendente Domino, apostolos novum docuit testamentum, quod ad docendum nos iidem apostoli conscripserunt.* Licet enim apostoli orbis doctores a Spiritu sancto plene instructi fuerint; idem tamen Spiritus eosdem apostolos de multis mysteriis maxime circa conceptionem, et nativitatem Christi a B. Virgine edoceri voluit.

11 Lucius Dexter antiquissimus auctor in suo chronico circa annum Christi 34 scribit, B. Virginem tantae auctoritatis fuisse apud apostolos, ut nihil grave gererent illi, quod non eius consilio ductuque fieret. Dabo verba illius: *Sacra Virgo consilio, luce doctrinae, et mirabili vitae exemplo praesidet collegio apostolico; nihilque grave gerunt illi, quod non eius consilio, ductuque gerant.*

Digitized by Google

12 Apud d. Birgittam in serm. angeli c. 19 ita legimus: *Ascendente suo benedicto Filio ad suum regnum gloriosum, Maria in hoc mundo ad bonorum confortationem, et errantium correctionem remanere permissa est. Erat enim magistra apostolorum; apostolis namque ad se venientibus omnia, quae de suo Filio perfecte non noverant, revelabat, et rationabiliter declarabat.* De quo fusius dicemus in epitheto *Regina apostolorum.*

13 Fidelibus primitivae Ecclesiae causa fuit laetitiae B. V. Maria.

VIII. Primitivae Ecclesiae fidelibus causa laetitiae fuit, ad quorum consolationem, fidei roborationem, auxilium et consilium post ascensionem Filii ad coelos quindecim annis, ut communiter tenetur, in hoc mundo vixit.

Abiit in coelum Christus, sed reliquit hic Matrem suam, quae nobis opem ferret, quae nos foveret, et recrearet. Hoc est quod per Salomonem Christus ad eam ait Cantic. 6, 4: *Averte oculos tuos, quia ipsi me avolare fecerunt.* Quid est quod oculos Matris a se averti cupit et mandat, quibus antea se captum, et vulneratum dicebat: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum*? Cant. 4, 9. Non fastidiens oculos maternos dicit, sed desiderans ut in nos Mater suos oculos flectat, cum amplius eos figere non valeat in Filium qui se ab ea iam subtraxerat per ascensionem in coelum. Quod perinde est ac si diceret: Noli me iam aspicere, o pia Mater, ut olim aspexisti cum mortalibus versantem: iam ascendi ad Patrem quo oculi tui pertingere non valent. Verumtamen ne oculi tui vacationem habeant, averte illos a me, et converte ad fratres et filios meos. *Ne* claudas illos, sed solum averte a me, et transfer in meos. A me, inquam, averte, quia iam assumptus ad Patrem a Matre amplius teneri diligi non debeo; et in meos converte, quos me ab illis assumpto maternae tuae pietatis teneritudine oportet confoveri. *Oculi tui me avolare fecerunt*, hoc est propter ipsos avolavi a te ascendens in coelum, ut avertas oculos tuos maternos a me, et convertas in meos, qui maternae tuae pietatis teneritudine foveri opus habent. Ita hunc locum explicabat Guilielmus in commentario super Cantica.

14 Fecit Maria, et perfectissime adimplevit, quod Christus iniunxerat. Abiit Christus in coelum, Maria mansit, in filios sibi a Filio commendatos oculos convertit, eos fovit, eos instruxit, eos solata est in afflictionibus, roboravit in persecutionibus. Ad ipsam confugiebant christiani consilii, solatii, auxilii causa; ipsa efficaciter apud Deum pro eis intercedebat, ipsa suo exemplo eos

Pro s. Stephano dum lapidabatur, orabat B. V. Maria.

animabat, iuvabat, confortabat. Cum s. Stephanus protomartyr pro confessione fidei a Iudaeis lapidabatur, ipsa Deipara Virgo pro eo Deum precata est, quamdiu duravit ipsius lapidatio. Id asserit Hieronymus Gratianus lib. 1 s. Stephani, capite 4. Qui loca sacra describunt, ut Brocardus Christianus, Adricomius, Ioannes Zuvalardus, Ioannes Cesesius de Veza, Noe Brances, Michael Ausingus, faciunt mentionem lapidis super quo tamdiu B. Virgo cum s. Ioanne evangelista pro Stephano Deum precata est, quamdiu duravit ipsius lapidatio. Et rem gestam hunc in modum breviter narrant: *Cum forte post obitum religiose pia Ierosolymorum loca Sancta Maria divinitus edocta intellexisset Stephanum a concitata multitudine rapi ad mortem, mox eo processit, et non procul ab urbis porta, quae vocabatur Ephraim, pro eo Deum oravit.* Non inutiles profecto Stephano tales preces fuerunt, quamvis fide et fortitudine pleno. Quare Deiparae debemus Stephanum, sicut et Stephano Paulum. Idem dicendum de aliis quamplurimis fidelibus, qui eo tempore a Iudaeis persecutionem passi sunt, de quo s. Lucas Act. 8, 1. In illa persecutione Deipara Virgo novellos illos christianos confortabat, solabatur, potenti sua prece fortitudinem, constantiam, patientiam, impetrabat.

Hinc s. Birgitta oratione 1, in revelat. B. Virgini eo nomine gratulatur: *Laetare*, inquit, *Virgo Maria, et de tua laetitia totus mundus laetetur, quia post ascensionem suam ad amicorum suorum consolationem, et fidei roborationem, et indigentium auxilium, et apostolorum suorum consilium in hoc mundo Filius tuus multis annis te permanere permisit.* Sed de his satis in praesenti, plura dicemus inferius in epitheto *Regina apostolorum.* Ulterius pergamus.

—

DISCURSUS CCXCVIII

QUAM COPIOSAM LAETITIAE SEGETEM ATTULERIT GLORIOSA VIRGO PARENTIBUS SUIS IOACHIM ET ANNAE

Sermonem de parentibus Mariae in hunc locum reiecimus, quia non solum de eorum laetitia, sed etiam virtutibus, meritis ac sanctitate paulo fusius, Deo iuvante, dicturi sumus. Affectus siquidem pius in progenitores tantae Virginis, eorumque sanctitas nos allicit, ut in eorum laudes mentem, linguam calamumque flectamus. Quicquid enim in laudem progenitorum Mariae dicitur, hoc totum in gloriam et honorem eius quae de stirpe illorum prodiit, redundat. Nec esset plena laus Mariae quam toto hoc opere pro nostra tenuitate celebramus, si a laudibus sanctissimorum parentum eius abstineremus. Plura nobis hic dicenda essent; sed quia haec incidenter agimus, plura in pauca contrahemus. Age ordiamur de laetitia sanctissimorum parentum Mariae disserere. 1

Cur de parentibus Mariae hic tractamus.

Quanta laetitia perfusi fuerint Mariae parentes hac prole divinitus aucti, adeo difficile explicatu est, ut ipsamet Virgo quae inenarrabili sapientia a Deo cumulata fuit, id se explicare non posse affirmet. Sic enim ipsa loquitur ad s. Birgittam libro 1, cap. 9 revelat. *Cum anima mea sanctificaretur, et corpori meo coniungeretur, tanta matri meae advenit laetitia, ut impossibile esset dictu* (1). 2

Ioannes cum esset in matris utero, ad Mariae praesentiam tanto gaudio perfusus est, ut se continere non potuerit, quin in ipso ventris carcere subsiliret, Luc. 1; cur non pleniori gaudio replerentur progenitores Mariae qui eam viciniorem, et coniunctiorem habebant, utpote filiam? 3

Primi parentes nostri cum a felici illo innocentiae statu excidissent, videntes quanta damna sua praevaricatione in totum genus humanum invexissent, valde animo cruciabantur; et ut aliquo modo dolorem illum lenirent, voto ac desiderio Virginem concipiebant, quae post tot saecula ex lumbis eorum erat proditura, et mundum sua praesentia nobilitatura. Hac cogitatione, hoc desiderio animum erigebant, hoc voto in tot calamitatibus, et aerumnis se suosque posteros recreabant mente concipientes Virginem quae iacturam illam innocentiae aliquo pacto resarciret, et damna deperditarum virtutum aliqua ratione repararet. *Exhilarantur in te, o Virgo intacta, hominum parentes primi*, canunt Graeci in Theotocio cuiusdam hymni. Et s. Ioannes Damascenus serm. 2 de dormitione sacrae Dei Genitricis introducit primos parentes Virginem compellantes hoc modo: *Tu sanguis noster, o beata filia, nostrum solvisti nefas. Tu fragile ex nobis sortita corpus mortalitatis, immortale nobis peperisti medicamentum. Tu esse ex lumbis arripiens, bene esse retulisti. Mortis leges, dolorum sertes variorum evertisti. Otium nobis pristinum restituisti. Nos coeli ianuas clausimus, tu reserasti. Per nos luctuosa ex nobis mundo sunt orta. Per te vero ex luctuosis aurea saecula mundo redierunt.* Haec illi. Si igitur Maria nondum nata, sed solum mente concepta primos parentes nostros tanto gaudio replere potuit, quanto plenius, quantoque perfectius id propriis genitoribus praestitit, qui eam non longe, sed omnium proxime spectarunt; qui eam non solum mente, sed etiam carne, et re ipsa conceperunt et genuerunt? De gaudio primorum parentum ex Virgine, vide quae superius diximus disc. CCXCIII, par. 1. 4

Adam et Eva mente concipientes B. Virginem gaudebant.

Adami et Evae ad Mariam oratio.

Sancti illi patres veteris testamenti, ut etiam superius meminimus, Virginem cogitantes, tali cogitatione animum erigebant, in illis calamitatibus et aerumnis se recreabant. Virgo quam animo volvebant, quam praesentem in spiritu intuebantur, amaritudinem eorum dulcorabat, moerorem et luctum abigebat. Exhilaratus est Abraham, exhilaratus Iacob, exhilaratus Moyses, exhilaratus David, exhilarati omnes patriarchae, omnes prophetae a longe diem Mariae videntes; sed magis prae ceteris Mariae progenitores sunt exhilarati, et maiori gaudio perfusi, utpote ei propinquiores, et magis coniuncti tanquam filiae. 5

Scimus communiter filios et filias esse parentum suorum solamen. Hinc mater Tobiae de filio absente dolens, aiebat Tob. 10, 4: *Heu! heu me! fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lu-* 6

(1) Hic observa, pie lector, ex ipsius Deiparae revelatione animam eius fuisse sanctificatam in coniunctione cum corpore, quod est, fuisse B. Virginem sine labe, immaculatam, ut gratia plenam in primo instanti conceptionis. Hinc valde mirandum quomodo auctor noster citet hanc revelationem, et permaneat in sua sententia tunc minus pia, nunc haeretica de conceptione Dei Matris in primo instanti non immaculata!! *Editor.*

Digitized by Google

men oculorum nostrorum, baculum senectutis nostrae, solatium vitae nostrae, spem posteritatis nostrae? Nullus filius, excepto Christo, nulla filia, excepta B. Virgine, tantum solatium parentibus suis attulit ac Maria.

7 Vis metiri magnitudinem gaudii progenitorum Mariae? Metire magnitudinem, hoc est dignitatem, sanctitatem, perfectionem ipsius Mariae, ex illa solum huius gaudii mensuram colliges; quo enim proles est dignior, sanctior et perfectior, eo parentibus gratior. At dignitas Deiparae Mariae est tam sublimis et mirabilis, ut a nullo intellectu creato satis concipi possit, ut tomo superiore disc. CV monstratum est: igitur et gaudium genitorum Mariae inexplicabile erat.

8 Genitores in filiorum et filiarum nativitate gaudere solent, illud tamen gaudium multiplici moerori, ac tristitiae admiscetur, praecipue in nativitate filiae. Vix ex matris utero filia prodit, mox parentibus iniicitur cura et solicitudo cumulandae dotis, educandae, custodiendae, ornandae puellae. Hinc Tertullianus lib. 1, cap. 5 ad uxorem filios vocat *amarissimam voluptatem*. D. Paulus 1 Cor. 7, 28 de coniugatis loquens: *Tribulationem*, ait, *carnis habebunt huiusmodi*. Per tribulationes carnis d. Thomas in commentario intelligit afflictiones pro rebus necessariis sibi, et filiis procurandis. In nativitate Mariae secus factum est, nam illa mox ut in lucem prodiit, non solum omnem tribulationem carnis a suis genitoribus abegit; sed etiam ingenti gaudio corda eorum implevit.

Hinc s. Fulbertus sermone in ortu Virginis b. Annam compellans, ait: *Gaude, et laetare o felix pro tali filia, quoniam tali dote donata es, quo nulla ante te, vel postea meruit antecelli.* Pondera illud, *quoniam tali dote donata es.* Tantum enim abest, ut de paranda dote filiae progenitores Mariae essent soliciti, quin potius filia ipsa dotis loco parentibus esset, quos superis donis, et insigni sanctitate abunde cumulavit, ut discursu sequenti palam fiet.

9 Mariam *laetitiae organum* vocat Andreas ierosolymitanus, et s. Ephrem sermone de laudibus Virginis sic eam salutat: *Ave pax, gaudium, consolatio, et salus mundi. Ave humani generis laetitia.* Ioannes Lanspergius sermone in festo s. Annae B. M. Virginem appellat *Matrem misericordiae, et totius consolationis.* Qui ergo consolationis, gaudii, laetitiae expertes esse poterant, qui consolationis ac laetitiae genitores erant? qui supero gaudio non perfunderentur, qui mundi gaudium mundo exhibebant? Inenarrabili sane laetitia perfusi sunt, inexplicabili gaudio repleti, ubi tanta prole divinitus aucti fuerunt.

10 Angeli solam Deiparam Virginem conceperunt, et ex hoc spirituali conceptu mira laetitia, et gaudio perfusi fuerunt, et in signum huius diem festum conceptionis et nativitatis B. M. Virginis celebrent, attestante s. Vincentio nostro in sermone de conceptione Virginis. *Sancti*, inquit, *angeli conceperunt Virginem in eorum mentibus, per quam eorum ruina repararetur, et inceperunt tripudiare, et facere festum magnum.* Si itaque angeli tantum gaudium habuerunt, eo quod Beatissimam Virginem sola mente conceperunt, quanto putas affectos fuisse gaudio eiusdem Virginis parentes, qui eam nedum mente, sed etiam carne conceperunt, et progenuerunt? Sed fontes tanti gaudii altius scrutari et aperire libet.

DISCURSUS CCXCVIII

FONTES EX QUIBUS TANTA LAETITIA PARENTIBUS DEIPARAE MARIAE PROFLUXIT, APERIUNTUR ET INDICANTUR

1 Ioachim et Anna steriles et senes.

Ex multis capitibus sanctissimi parentes Mariae tanta prole divinitus aucti laetitia perfusi fuerunt. Primo, diu expectaverant, diu prolem petierant, diu illos Deus exercuerat. Ambo senes erant, ambo steriles. De Ioachimo s. Gregorius nyssenus sermone de Christi nativitate ita scribit: *Ioachimus tam expers sobolis consenescebat.* Et paulo post: *Sine filiis ad senectutem pervenerat.* De Anna vero s. Ildephonsus sermone de nativitate Virginis: *Maria*, inquit, *nata de Anna sterili.* Nicephorus libro 1 historiae, c. 7: *Ad liberorum procreationem Anna infecunda et sterilis.* Sanctus Vincentius Ferrerius sermone 2 de nativitate Virginis ait: *Ioachim et Anna viginti annis fuerunt sine prole.* Quod prius notaverat s. Hieronymus sermone de nativitate Mariae inquiens: *Isti duo veri hominibus, pii, per annos circiter viginti castum domi coniugium sine liberorum procreatione exercebant.* Alii existimant hos coniuges piissimos non solum annis viginti in connubio sine prole permansisse, verum et annis circiter quinquaginta, ut et conceptus et ortus Virginis esset mirabilior. Legimus enim multos huiusmodi parentes, postquam hunc numerum annorum excesserunt, a Deo tandem prole auctos fuisse, ut parentes sancti Modesti patriarchae ierosolymitani, postquam in matrimonio quadraginta annos exegissent, hac prole divinitus donati fuerunt. Similiter s. Georgii episcopi, s. Remigii, s. Liberti, s. Euphrosynae eamdem gratiam habuerunt. Ne igitur parentes Virginis putantur inferiores, diuturniorem illis sterilitatem assignant. Si ita est, bene est; nam quo diuturnius sterilitatis opprobrium pertulerunt, eo maioris laetitiae compotes facti sunt; gratius namque accidit, quod diu quaeritur, diu postulatur, postque diuturna desideria pleniore gaudio eorum mens impletur, quorum expletur desiderium. Verum namque est quod Euripides apud Stobaeum serm. 73 ait: *Verum adeo egregium, eisque pulcrum nihil est, quam cum carentes prole, cuius desiderio maxima tenentur, filiorum recens natorum domi lumen aspiciunt.* Quod praecipue locum habet in parentibus Mariae, quae nedum domui eorum, verum et toti mundo verum lumen attulit.

Quamdiu steriles fuerunt.

Ex sterilibus parentibus nati recensentur.

Respondit dilationi muneris gaudii magnitudo, et quo diutius cunctata est divina clementia, eo pleniore gaudio sanctorum coniugum mentem perfudit. Respondit moerori laetitia, tristitiae gaudium, et quo maior moeror ob negatam sobolem sanctos coniuges invaserat, eo maior laetitia mentem eorum occupavit, tantumque ex nativitate Mariae gaudium conceperunt, ut praeteritae moestitiae obliviscerentur. Experti sunt quod Cassiodorus libro 8 variarum, num. 20 dixit: *Sequenti gaudio confert dulcedinem praemissa tristitia.* 2

II. In eo auctum fuit horum sanctorum coniugum gaudium, quod scirent Mariam totius mundi esse futuram laetitiam. Sic s. Ephrem in serm. de laudibus eius ait: *Tu mundi laetitia.* Universorum laetitia fuit B. V. Maria, sed specialiter suorum parentum, quibus gaudii materiam suppeditavit, et auxit; quod laetitia illa intra proprios parietes non se continuit, sed in universos copiosissime se effudit. 3

3 Laetitia coeli et terrae ex Mariae nativitate.

III. Quis ob Mariam superis donis, tamque insigni sanctitate cumulati fuerunt. Clari fuerunt Mariae parentes, illustres, nobiles, ac divites, ut Nicephorus lib. 1 eccles. hist. cap. 7 scribit. Sed maiorem nobilitatem Maria eis conciliavit, cum morum probitatem, vitae sanctitatem eis conciliavit. Animi nobilitas plus est, quam natalium splendor, immo sanguinis claritudo saepius veram nobilitatem obscurat, et inficit. *Clarus sanguis*, inquit Ioannes Sarisberiensis lib. 8 de nugis Curialium, c. 15, *elationem parit, potentiam affectat, conculcat inferiores, pares contemnit, superiores habere dedignatur, loquitur grandia, totus tumet alto magnoque sanguine.* Nobilitatem carnis parentes Mariae habuerunt, habuit ab eis et Maria; sed maiorem nobilitatem in suos genitores refudit, quam ab eis accepit. Pulcre Rudolphus Agricola in precat. ad b. Annam eam alloquitur: 4

Nobilitas vera quae.

Conspicuos praestant alios benefacta parentum,
Tu contra natae nobilitate nites.

Nobilissima fuit B. V. Maria, sed in hoc vere nobilem se exhibuit, quod avorum, et parentum nobilitatem nihili fecit. Unde Deus non respexit eius nobilitatem, sed humilitatem, ut ipsa in suo Cantico fatetur: *Respexit humilitatem ancillae suae,* non dixit *nobilitatem*, licet de sacerdotali et regali familia duxisset originem, sed humilitatem. Hanc humilitatem et consequenter sanctitatem B. Virgo parentibus suis conciliavit, adeo ut quicquid agerent, spirarent, Virginem Mariam saperet, Mariam redoleret, Virginem respiceret. Quanta igitur putas perfusos fuisse laetitia, cum videbant in senili suo corpore virtutum iuventam florescere, in carnis sterilitate omnis sanctitatis florem germinare? Emarcuerant membra gignendae soboli prorsus inepta, sed cum emarcido corpore vernabant vividae virtutes in mente. 5

IV. Gaudebant, quia virtutes et merita illorum magis celsa, magis illustria, magis conspicua et splendida facta sunt. Non dubito quod hi sancti coniuges in sanctitate, religione, puritate, humilitate, ceterisque virtutibus alios pares habuerint; verumtamen ex eo quod parentes Mariae fuerunt, omnes hae virtutes magis singulares, celsiores, insigniores, illustriores, ac magis conspicuae in eis factae sunt per respectum ad Mariam. 6

Digitized by Google

7 Solent filii paternarum virtutum gloria splendescere. Hinc s. Lucas 1, 6 laudaturus Ioannem Baptistam primo parentum eius iustitiam, sanctitatem, ac pietatem retulit. *Erant*, inquit, *iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, et iustificationibus Domini sine querela*, sciens parentum sanctitatem in filios resilire. In Maria vero aliter accidit. Ipsa genitoribus suis gloriam peperit, ipsa lucem illorum magis splendescere fecit, ipsa virtutes eorum ac sanctitatem illustravit, perfecit, venustavit. Hinc factum puto, quod gloria sanctorum Ioachimi et Annae tam diu latuit, et per multa saecula celebrata non est; nulla dies per annum eis dedicata, nulla templa, nulla altaria eis erecta, nulla memoria in officio ecclesiastico indicta. Coeptum tandem est s. Annae festum celebrari, ac novissime etiam Ioachimi. Quid ita? Prius debuit B. Virginis sanctitas et excellentia praedicari, prius eius dignitas et gloria toti mundo manifestari, ne quis existimaret Mariae sanctitatem, excellentiam, dignitatem a parentibus profluxisse cum potius e converso Maria parentum suorum lux, decus et gloria fuerit.

Cur sanctorum Ioachimi et Annae festivitates per multa saecula celebratae non sunt.

8 Saepius in animo volvebam, cur parentum Mariae nomina divinis litteris inserta non sint. Evangelium volve et revolve, nullibi invenies quisnam Virginis pater fuerit, quaenam mater. Cur ita? Non istud casu accidisse putandum est. Hoc factum puto, ne quis Mariae nobilitatem, dignitatem, excellentiam ex parentibus profluxisse putaret. S. Lucas, ut diximus, parentum Ioannis Baptistae meminit, quia eorum sanctitatem ad laudem Ioannis plurimum facere noverat; parentum vero Mariae nullam mentionem fecit, quia Mariae sanctitatem, celebritatem, gloriam non ex parentibus colligi debere, sed ex Filio qui de ea natus est, significare voluit. Unde quemadmodum Mariae tota dignitas in illis verbis continetur Matth. 1, 16: *De qua natus est Iesus*: ita et Ioachim et Annae in istis: *De quibus nata est Maria*. Hinc tota dignitas, gloria, maiestas in hos coniuges manavit, quod genuerint eam quae Deum peperit. Hinc Ioachim et Anna post Deum Mariae debent, quod mundo innotuerint, quod modo ab omnibus cultu debito celebrentur, et festivis gaudiis honorentur. Ipsa namque genitoribus suis praeivit, ipsa eos luce perfudit, ipsa eorum virtutes, merita ac sanctitatem toti mundo apparere fecit.

Cur parentum Mariae in Scriptura nulla mentio.

9 Quid mirum? Primis illis patriarchis, et prophetis B. Virgo decus, splendorem, et ornamentum attulit. De Moyse d. Paulus 2 Cor. 3, 7 narrat, quod ex consortio sermonis Domini tantus splendor faciem eius venustavit, ut non possent intendere filii Israel in faciem eius propter gloriam vultus eius. Et quod erat illud consortium sermonis Domini? Mariam in figura videbat, Mariam cogitabat, de Maria loquentem Deum audiebat. Audiatur s. Methodius hom. de purific. B. M. Virginis, eam sic alloquens: *Nonne Moyses ille magnus propter figuras intellectu difficiles, quae te Virgo tangebant, diutius in monte commoratus, ut ignota de te, o casta, sacramento edoceretur?* Et s. Ephrem syrus serm. de laudibus Virginis eam vocat: *Deum Aaron, Moysis splendor*. Si tantum profuit Moysi Mariam in figura videre, de Maria sermonem serere, Mariae laudes, et mysteria audire, quantum putas profuit genitoribus Virginis eam praesentem nedum videre, sed etiam gignere? non solum cum ea sermones miscere, vel eius laudes audire, sed etiam eam portare, vestire, nutrire, amplecti, osculari, educare, in domo cum ea tot annis morari? Non desunt qui credunt nonnunquam faciem sanctorum coniugum singulari quodam splendore ex consortio Mariae fuisse perfusam. Etenim si facies Moysis a longe Virginem spectans splenduit, quomodo non resplenduisset facies parentum eiusdem Virginis proxime ipsissimam Virginem intuens, amplectens, osculans? De facie id asserere non ausim, de mente non dubito, quod eximio quodam insignium virtutum decore fuerit illustrata ac decorata per Mariam.

10 V. Postremo gaudebant, quia totam suam dignitatem, excellentiam a Maria profluxisse videbant. Certum est, dempto ipso Matris Dei titulo, de quo superius tomo primo egimus, nullum esse sublimiorem ac digniorem titulum in terris, quam esse parentes Matris Unigeniti Filii Dei, sui et omnium Conditoris.

Dignitas parentum Christi quanta.

11 Arborem ex fructu cognoscimus, et quo nobilior fructus fuerit, eo nobilior arbor quae eum produxit. Beatae Annae tanquam arboris fructus fuit gloriosa Mater Dei; unde sicut Matris Dei dignitatem nemo plene intelligit, nemo perfecte comprehendit, ut superius probatum est: ita et b. Annae dignitatem nemo plene intelligit, nemo perfecte comprehendit. Hoc quoque et Ioachimo parenti convenit.

Fuit b. Anna radix, quae virgam, scilicet Virginem protulit, ex qua deinde Christus veluti flos germinavit, et quo sanctior fuit hic flos, quam filii ceterarum matrum, eo maiorem sanctitatem, puritatem, dignitatem virgae, puta Matri contulit, et a Matre in radicem, hoc est ipsius progenitores profluxit. Resilit igitur Christi dignitas in Mariam, et per Mariam in Mariae genitores. Et quo Filius natae celsior, eo Genitricis parentes digniores, utpote Filium Dei tanquam nepotem respicientes. 12

Immo singulari modo parentes Virginis Filium Dei ut nepotem respiciunt. Nam aliae mulieres, alii viri respiciunt nepotes suos non ut filios dumtaxat suarum filiarum, sed etiam filios patrum qui eos genuerunt. At Ioachim et Anna respiciunt Christum nepotem suum ut filium dumtaxat filiae suae Mariae. Christus enim qua homo, ita filius Mariae est, ut sit solius; est enim homo sine patre. Et ita Ioachim et Anna plenius sunt avi Christi, quam alii avi, et aviae nepotum et neptarum suarum, consequenter magis coniuncti sunt Christo, quam alii nepotibus et neptibus suis. 13

Ioachim et Annae quanta coniunctio cum Christo.

Doctor angelicus 3 p. quaest. 27, art. 5 plenitudinem gratiarum prae ceteris sanctis maiorem fuisse in Maria ex eo probat, quod *propinquissima fuit Christo secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam*. Eadem ratio urgere videtur de Ioachimo et Anna, qui post Mariam Christo fuerunt propinquiores. Unde sicut Maria ex eo quod fuit Christo propinquissima secundum carnem, prae omnibus puris creaturis cumulatiore gratia donata fuit: ita Ioachim et Anna ex eo quod post Mariam Christo propinquissimi fuerunt, post Virginem maioribus gratiis, favoribus, donis aucti fuisse videntur. 14

Idem doctor angelicus 1 p. quaest. 25, art. 6 ad 4 asserit, B. Virginem ex hoc quod est Mater Dei, habere quandam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus. Unde theologi colligunt, Deum, licet sit omnipotens, non posse facere meliorem matrem Maria Virgine. Si enim meliorem matrem faceret, meliorem Filium ei dare deberet, quam sit Filius Mariae. Atqui meliorem Filium quam sit Filius Mariae nedum dare, verum nec imaginari possibile est; Deus enim est, quo nihil maius excogitari potest: igitur nec matrem meliorem, quam sit Mater Christi, dare, et excogitare possibile est. Hoc ipsum de b. Ioachimo et Anna dici congrue potest; cum enim Ioachim sit avus Dei, Anna vero avia eiusdem, dignitatem quasi infinitam habent ex bono infinito quod est Deus. Nec Deus etiamsi omnipotens sit, maiore, melioreve nepote eos donare, et ex hac parte eos altius attollere sublimiusque beare potuit. 15

Matrem meliorem quam sit Maria Deus facere non potest.

Ioachim et Annae dignitas quasi infinita.

Ulterius, horum sanctorum coniugum dignitas ex eo liquet, quod ad unionem hypostaticam Filii Dei cum natura humana quodammodo concurrunt. Caro Christi est caro Mariae, caro autem Mariae est caro parentum Ioachim et Annae; igitur caro Ioachim et Annae est quodammodo caro Christi, hypostatice Dei Verbo unita. Qua dignitate nihil maius excellentiusque excogitari potest. Vides igitur quanta dignitas, quanta excellentia e Christo profluxit in Mariam, et a Maria resilit in parentes. Unde merito gaudere debebant de tanta filia, et de tanto nepote. Sed quo magis elucescat horum sanctissimorum coniugum dignitas, excellentia, sanctitas, quaerendum restat 16

DISCURSUS CCXCIX

QUARUM VIRTUTUM ACTIBUS IOACHIM ET ANNA MERUERUNT TANTA PROLE DIVINITUS AUGERI

Haud dubium hos coniuges piissimos se ad Virginis conceptum partumque praeparasse, at non tam natura quam gratia eam progenuisse. Hinc factum, ut antequam tam beata prole augerentur, senectutis corona redimiti fuerunt, ut muneri tam eximio excipiendo diutius praepararentur. Non immerito eis nomina Ioachim et Anna imposita fuerunt. Ioachim enim, ut notavit venerabilis Beda, *Praeparatio, sive Domino praeparatus* interpretatur, ut vel nomine ipso significaretur prius omnium virtutum actibus diuque praeparandum, quam tam insignis prolis dono cumularetur. Nomen vero Anna *Gratiam* significat. Divus Epiphanius oratione de laudibus Mariae: *Anna gratia interpretatur, propterea quod Ioachim et Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus talem fructum germinarent Sanctam Virginem adepti*. Non est igitur quod dubitemus Mariam gratiae ac virtutum suorum progenitorum filiam fuisse. Nec id mirum. Nam si de viri sancti 1

Cur senibus concessa Virgo.

Cur Ioachim et Annae B. Virgo concessa.

Maria gra-

Digitized by Google

tiae, ac virtutum filia.

formatione Boetius universe loquens, lib. 4 de consolat. prosa 6, haec ait: *Viri sacri corpus virtutes aedificaverunt*: quanto iustius id de B. Virgine dici potest et debet? Dixit, et scripsit Ioannes Gerson sermone de conceptione Virginis: *Virtutes fecerunt atque formaverunt corpus et animam personae sanctae.* Et Geometra Virginem alloquens: *Gaude*, inquit, *virgineum ex virtutibus ortum virtutum exemplar viridum, et eximium.* Porro virtutes quibus B. Virginem progenuerunt, et quibus se ad conceptum, et partum eius praeparaverunt, innumera sunt. Nonnullas dabo, et explicabo. Igitur ad tam beatam prolem suscipiendam se praeparaverunt, eamque meruerunt.

2 Fides Ioachim et Annae quanta.

I. Fide. Angeli voce recreati et de futura prole admoniti sancti coniuges minime haesitarunt, sed exemplo Abrahae in spem contra spem crediderunt, non considerantes corpora sua iam prae senectute exsiccata et pene mortua, consequenter nuptiis et gignendae proli prorsus inepta. Immo fides horum coniugum plenior fuit, quam in Isaac conceptu. Ibi Abraham solus credidit, sed Sara risit quasi dubitans; hic uterque coniux credit certum angeli verba exitum habitura, nemo ridet, nemo haesitat. Ibi Sara sola viri fide prole cumulatur: hic Anna non sola fide Ioachim concepit, sed etiam sua, nec Ioachim uxoria fide prole donatur, sed et sua. Fide insignes fuerunt hi coniuges, qui mundo illam pepererunt quae fidei dux omnibus erat futura. Hinc non immerito quidam Mariam appellavit, *Fidei filiam*.

3 Spes parentum Mariae quanta.

II. Spe et fiducia in Deum. Diu Dominum sustinuerunt Mariae genitores, nunquam in eis consenuit obtinendae prolis spes. Uterque senex, uterque sterilis erat: uterque credidit, et speravit se tandem prole a Deo donandos. Non neglexit Deus sanctorum coniugum fidem, spem, et sanctum desiderium non frustravit: destinavit ad eos angelum qui utrumque solaretur spe futurae prolis. De hoc ita scribit s. Hieronymus in historia Deiparae: *Angelus Domini cum immenso lumine Ioachimo adstitit, qui cum ad eius visionem turbaretur, angelus qui ei apparuerat, timorem eius compescuit. His dictis apparuit Annae uxori eius.* Sed clarius, et fusius idem narrabat Eustathius in Hexameron: *Circa horam nonam Anna sub arbore in viridario suo sedens his verbis Deum obsecrabat: Deus patrum nostrorum benedic mihi, et exaudi orationem meam, sicut benedixisti Sarae, et dedisti illi filium Isaac. Haec cum diceret, in propinquam arborem aspectum referendo aspexit passerem pullis suis incubantem, hinc amare, repetito suspirio, eiulansque dixit: Heu Domine, quando nec his fecundis volucribus assimilor! Et talia dicenti angelus Domini apparens liberorum praenuntiavit susceptionem. Haec eadem in monte Ioachimo idem angelus manifestavit.* Haec Eustathius antiquus auctor graecus, noviter latinitati donatus, et vel ob solam antiquitatem fide dignus.

4 Perfecta igitur fuit horum coniugum spes, quam nulla difficultas infregit, nulla temporis diuturnitas fatigavit: crescebat cum aetate fiducia, et quo senior aetas erat, eo magis in eis spes adolescebat. Reiecti ab Isachar pontifice una cum muneribus quae offerebant, ut d. Hieronymus loco iam memorato scribit, non diffidunt, non desperant, et licet videant se steriles, et grandaevos, non considerant tamen corpus suum emortuum, sed contra spem in spem credunt, ut olim Abraham, immo magis; licet enim Sara uxor eius sterilis et senex fuerit, non fuit tamen sterilis Abraham, sed senex tantum: ut inde cognoscas maiorem parentum Mariae spem extitisse quam Abrahae, et Sarae praesertim, quia spes in Sara vacillavit, dum risit, in Anna semper firma et inconcussa mansit, ut iure de illa s. Vincentius Ferrerius serm. in festo b. Annae dixerit: *Anna habuit fructum suum in sanctificatione sperando certe.*

5 Conceptio B. Virginis qualis fuit.

III. Caritate erga Deum, et proximum. Caritate erga Deum flagrabant hi coniuges piissimi, adeo ut ex caritate divina, et non ex concupiscentia carnali conciperent gloriosissimam Virginem Deiparam Mariam. Id ipsa disertis verbis asserit apud b. Birgittam lib. 1 revelat. c. 9. *Ioachimus*, inquit B. Virgo, *et Anna ex caritate divina, et ex verbo angeli convenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra suam voluptatem ex divina dilectione; et sic ex semine eorum per divinam caritatem caro mea compaginata est.*

6 Petrus Galatinus non obscuri nominis auctor lib. 7, cap. 8 censet, in generatione B. M. Virginis fomitem peccati in parentibus eius prorsus extinctum fuisse. Dabo ipsius verba: *Ob ardentem devotionem vehementemque contemplationem, qua unanimiter in generationem Beatissimae Virginis intenti ambo tenebantur, fomes in illo actu penitus extinctus fuit.* Et vere id de facili concedere debet, quisquis horum sanctissimorum coniugum mentem tunc in Deum raptam, et alta contemplatione absorptam fuisse credit, et tuetur. Amor enim divinus cum actu fomitis consistere nequit.

Id nonnulli ex ipsa notione nominis deducere contendunt. Ioachim, inquiunt, idem significat, quod *Deus elevabit*. Nomen vero Anna, *Gratia Dei*, latine interpretatur; quia nimirum per amorem Dei, qui a gratia Dei promanat, adeo mente elevati erant, ut ex caritate et non carnali voluptate Virginem conciperent. Et quomodo carnali voluptate aestuarent, qui Matrem pulcrae dilectionis parituri erant? quomodo caritatis flamma non arderent, qui ad hoc destinati erant a Deo, ut per prolem quam suscepturi erant, toti mundo remedium adferrent?

Et hinc statim se prodit amor eorum erga proximum. Amor 7 Amor erga proximum Ioachim et Annae.

enim Dei amore proximi nunquam destituitur, sed eum parit, eique semper coniunctus est, ut superius dixi. Hinc desiderium illud prolis tam vehemens, tam ardens, quo tenebantur hi coniuges, ut iam meminimus, non processit dumtaxat ex voluntate amovendi a se opprobrium sterilitatis, sed magis ex amore erga genus humanum. Licet enim fortassis ignorarent suam sobolem Dei Matrem immediate futuram esse, poterant tamen scire ex eorum genealogia oriundam: insuper scientes ex divinis litteris tempus proximum esse, quo nasceretur puella illa quae iuxta vaticinium Isaiae conceptura, et paritura erat Emmanuelem, occulto quodam divino impulsu mundi reparationem spectabant cogitabant, quaerebant. Unde sobolem non sui tantum causa, sed et suorum, quin tacite et totius mundi amore ambiebant. Omnes mulieres tam in lege naturae quam in lege mosaica, quae liberos tam avide quaerebant, occulta quadam vi Mariam spectavisse diserte docuit Richardus a s. Laurentio lib. 1 de laud. Virginis. Si igitur illis hanc mentem ingenerare potuit Maria a longe per fidem conspecta, cur non magis eandem mentem, eundem affectum ingeneraret suis parentibus, in quorum lumbis proxime gestabatur? Non sibi igitur dumtaxat hi sancti coniuges sobolem quaerebant, nec tantum bonum intra domus suae parietes claudere studebant, sed caritate Dei et proximi flagrantes totius mundi salutem sitiebant.

Hinc s. Vincentius noster serm. 2 de nativit. Mariae illud Ge- 8 Ioachim coelum, Anna terra.

nesis initium: *In principio creavit Deus coelum et terram*, Ioachimo et Annae accommodans, ait: *Ista simultas coeli et terrae figurabat simultatem coniunctionis matrimonii Ioachim et Annae.* Ioachim dicitur coelum, Anna dicitur terra. Coelum suo influxu terram fecundat, terra fructus suos edit, et utrumque non sibi dumtaxat, sed toti mundo inservit, utrumque Deo obtemperat, utrumque divinae providentiae obsequitur, utrumque hominum utilitati adlaborat. Ad eundem modum Ioachim et Anna non sibi dumtaxat, sed toti mundo Mariam pepererunt, toti mundo fructum vitae protulerunt, uterque impulsu divino ad opus nuptiale venit, uterque Deo obsecundavit, uterque saluti hominum, ac libertati adlaboravit.

IV. Religione ac pietate erga Deum. Religio ac pietas in 9 Religio Ioachimi et Annae.

Deum in his sanctis coniugibus multipliciter enituit. Primo, in sacrificiis quae libens, et large Ioachim offerebat. De eo s. Eustathius in Hexameron ita scribit: *Ioachim diebus festis munera Deo dupla maiora aliis offerebat, ut sic populo omni, et sibi divinum numen placando propitium redderet.* Hinc putarunt aliqui Ioachimum sacerdotem fuisse. Sed hoc d. Augustinus lib. 23 S. Ioachim an fuerit sacerdos, et qualis

contra Faustum manichaeum cap. 9 non credit, immo reiicit ut minime authenticum, nec canonicum. Non fuit sacerdos; sacrificia tamen mystica laudum, precum, bonorum operum Deo quotidie offerebat. Unde si quispiam hac de re contendere velit, concedi posset Ioachimum et Annam sacerdotes fuisse mysticos, quomodo etiamnum quilibet fidelis etiam laicus, tam vir, quam mulier sacerdos dici potest sensu s. Petri apostoli 1 epist. 2, 9: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.*

Porro sacrificia horum sanctorum coniugum fuerunt vota, pre- 10 Sacrificia Ioachim et Annae quae fuerunt.

ces, orationes cum lacrymis, eleemosynae, abstinentia, seu ieiunium, hospitalitas, peregrinatio ad sacra loca, aliaque pia et sancta opera, maxime patientia.

V. Vota. Inter alia eximia, et electa sacrificia, et vota quae hi 11 Maria a parentibus fuit Deo oblata per

coniuges Deo obtulerunt, omnium electissimum fuit Maria ipsa quam parentes Deo voverunt, etiam antequam genuissent. Huius voti meminerunt Nicephorus lib. 1 ecclesiast. historiae, cap. 7; s. Germanus in encomio de Virginis praesentatione; s. Vin-

*

votum. centius Ferrerius serm. 1 de nativ. B. M. Virginis. Et vero decuit B. Virginem Deo dicare, antequam nasceretur, quia soli Deo nascebatur. Hinc parentes eius nedum pie ac religiose, sed etiam prudentissime fecerunt, cum eam antequam nasceretur, Deo voverunt, ut per hoc monstraretur, eam prius Dei fuisse, quam lucem aspiceret.

12 Et hoc non vacat mysterio, quod parentes Mariae pro sobole obtinenda non offerunt aurum, argentum, pecuniam, nec aliquid terrenum, sed tantum prolem quam suscepturi erant, ut per hoc indicaretur, nihil fuisse dignius, nihil eximius in tota universitate purarum creaturarum illa prole quam expectabant. In hoc quoque eximia horum coniugum religio apparet, quod statim ac opportunum advenisse viderunt, quo templo offerri poterat Virgo Deo sacrata, non cunctati votum quod emiserunt, adimpleverunt. Communis sententia est trium annorum fuisse Virginem, cum templo dicata est.

13 Quisnam fuerit auctor huius voti, et quis coniugum alteri suggesserit votum adimplendum esse, non omnium non mens, nec una sententia. In hoc conveniunt, ambos a Deo impulsos fuisse, ut sobolem quam postulabant, Deo voverent; sed quis coniugum alteri suggesserit Deo offerendam filiam, differunt. S. Vincentius Ferrerius noster in serm. de s. Anna indicat, Annam fuisse quae Ioachimum de solvendo voto admonuit: *Postquam*, inquiens, *b. Anna ablactavit Virginem, dixit viro suo: Domine, non recordamini de voto? Respondit: Immo; ideo compleamus votum.* Idque ratio suadet; nam videmus mulieres fere magis pias, at in iis quae pietatem, ac religionem spectant, magis solicitas. Iacobus apud s. Eustathium huius piae suggestionis s. Ioachimum auctorem facit. *Facta*, inquit, *biennii puella, dixit Ioachim Annae uxori suae: Introducamus eam in templum Domini, ut reddamus votum nostrum quod promisimus, ne forte a nobis auferat Deus, succenseatque nobis. Et dixit Anna: Expectemus tertium annum. Et dixit Ioachim: Expectemus.* Dubium est, quisnam huius sacri consilii auctor fuerit; certum tamen ambos votum adimplevisse, cum tempus opportunum ex divino instinctu cognovissent.

14 Sacrificium Ioachim et Annae quam fuerit Deo gratum.

Qualis fuerit illa religio ac pietas, quam sublimis, quam magna, quam Dei oculis grata et accepta, explicari non potest. Non desunt qui hos coniuges in hac oblatione conferunt Abrahae, qui unigenitum suum Deo mactare voluit. Sed re vera coniuges hi Abraham in hoc superarunt, quia ille iussu Dei Filium suum Isaac immolare voluit; hi vero antequam iuberentur, nulla gaudii sui ratione habita, nulla iucunditatis ac voluptatis, quam ex Mariae aspectu amplexuque hauriebant, eam Deo in obsequium tradiderunt. Unde quia Dei petitionem, imperiumque anteverterunt, in sua oblatione magis meruisse videntur. Simile est quod s. Chrysostomus hom. 24 in epist. ad Ephesios in Anna matre Samuelis advertit, ubi eam cum Abraham comparat, et in merito praefert ex eo capite, quod *ille*, puta Abraham, *postquam petitus erat, filium suum dedit: ista vero* s. *Anna ante petitionem dedit.*

15 VI. Precibus, et oratione. Fudisse sanctos coniuges pro impetranda sobole orationem non est dubium. Hoc enim plurimi antiqui et gravissimi patres testantur. S. Eustathius in Hexameron de Ioachim narrat: *Supplicibus votis Deum orabat, ut et sibi, quemadmodum Abrahae legitimae prolis concederet fecunditatem, solum enim hoc se dona in Israel carere cognoscebat.* Andreas cretensis orat. 1 de dormitione Virginis: *Deum orabant, rogabant, supplicabant, ut vincula solveret sterilitatis.* S. Epiphanius haeresi 79: *Maria per preces, et omnem diligentiam secundum promissionem patri, ac matri donata est.* S. Antiochus hom. 107 de compunctione: *Anna cum petitionem suam obtinuisset, promeruit accipere S. Virginem.* S. Vincentius noster serm. 2 de nativ. Virginis: *Faciebant orationes devotas.*

16 Non neglexit sanctorum coniugum desideria Deus, nec preces eorum sprevit. Destinavit ad illos angelum qui utrumque solaretur futurae prolis spe. De hoc ita scribit s. Hieronymus serm. de nativ. Virg. introducens angelum Ioachim alloquentem his verbis: *Noli timere Ioachim: ego enim sum angelus Domini missus ab ipso ad te, ut annuntiem tibi preces tuas esse exauditas.*

17 S. Pharao oratione navem ad ripam fluminis trahit.

Gratissima fuit Deo horum coniugum oratio, et consequenter efficacissima. Quidni grata, et efficax esset, quae Mariae spirabat odorem? De s. Pharaone episcopo Petrus de Natalibus lib. 9, c. 117 scribit, eum orationum suarum efficacia navim quae ad ripam pervenire non poterat, ad ripam fluminis traxisse. Potuit hoc s. Pharao in navi, quidni parentes in Maris, de qua Salomon Prov. 31, 14: *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum?*

Olim vigebat haec superstitio, ut orantes exauditos iri putarent, si orationem super mare funderent. Damnat hanc superstitionem s. Augustinus tract. 10 in Ioannem, cap. 2 in haec verba: *Non tunc exaudiri vos arbitremini, quando super mare oratis: immo detestamini tales orationes.* Ioachim, et Anna non super mare materiale orarunt, sed super mare spirituale, puta Mariam, quae mare amarum interpretatur, ut superiori tomo late monstravimus. Et ideo oratio eorum Deo gratissima, at efficacissima extitit. 18

Nec illud mysterio caret, quod Ioachim in solitudine, Anna vero in horto suo orando Mariam obtinuit. De s. Ioachimo s. Eustathius loco memorato scribit: *Moerore obrutus deserta petiit, illic tabernaculo extructo, supplicibus votis Deum orabat.* De s. Anna s. Epiphanius serm. de laud. Virginis narrat: *Precabatur Anna in horto suo.* Quid est quod Ioachim in solitudine, Anna vero in horto orando voti compotes efficiuntur? Ut per hoc insinuaretur hos coniuges piissimos oratione sua obtinuisse a Deo eam, quae primorum parentum damna repararet. Adam et Eva constituti in solitudine, in illo horto voluptatis, nimirum paradiso, non orarunt. Volve et revolve sacras paginas, nullibi reperies Adamum et Evam in paradiso orasse. Quod etiam advertit Simon de Cassia lib. 13 de passione Domini, cap. 3, cum ait: *Orat inter arbores Iesus, quia inter arbores peccavit, et non oravit Adam.* Ut ergo vel loco proderetur, Ioachim et Annam suarum precum interventu obtinuisse eam, quae illa damna repararet, quae Adam et Eva orationis neglectu in totum mundum invexerant, ambo in solitudine, in horto, inter arbores orarunt. Lapsi sunt inter arbores Adam et Eva, quia orationem praetermiserunt, non enim tam facile peccassent, si oratione se munivissent. Erecti sunt et voti compotes facti sunt Ioachim et Anna, quia orationi vacarunt, nec tam facile Virginem impetrassent, si Deum precibus non fatigassent. 19

Adam et Eva lapsi sunt, quia in paradiso non orarunt.

VII. Lacrymis. Flevit Anna, flevit et Ioachim, inquit s. Vincentius noster serm. iam indicato. Et his lacrymis nedum sterilitatem suam, verum et mentem suam rigarunt, unde adeo fecundi facti sunt, ut nedum virginem optatam progenerarent, verum etiam animas suas multis bonis operibus cumularent. Sicut hortus, recepta suavi pluvia, semina germinare et crescere facit; ita lacrymae carnem et mentem horum sanctorum coniugum irrigarunt, ut supernae gratiae radiis adiuti bonorum operum fructus emitterent, et vitae arborem Mariam producerent. 20

Impudicam suam Venerem impudicitiae matrem ex aquis prodiisse gentiles fabulabantur. Nos Virginem nostram pudicitiae matrem ex lacrymarum aquis prodiisse dicimus. Unde non erravit, qui Mariam *lacrymarum filiam* appellavit. 21

In principio mundi *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Aquae illae horum coniugum lacrymas designabant. Cum enim Ioachim et Anna flerent, super istas aquas lacrymarum ferebatur Spiritus Dei, id est angelus. *Qui facis angelos tuos spiritus*, psal. 103, 4. Recte s. Damascenus hos coniuges turturibus lacrymabundis comparat, cum orat. 1 de nativit. Virginis ait: *O castissimum ratione praeditarum turturum par Ioachim et Anna.*

De loco voluptatis egrediebatur fluvius ad irrigandum paradisum. Gen. 2, 10. De oculis Ioachim et Annae egressus est fons uberrimus lacrymarum, qui ipsosmet adeo irrigavit et foecundavit, ut ex sterilibus fertiles fierent, et Mariae partu mundum universum fecundarent. 22

VIII. Eleemosynis. *Eleemosynas magnas faciebant*, inquit s. Vincentius noster loco citato. Eleemosynas esse sacrificium Sapiens Eccli. 35, 4 aperte docet: *Qui facit misericordiam, offert sacrificium.* Gratissimum hoc sacrificium Deo fuit, utpote ab ingenti caritate profectum. Unde angelus apparens Ioachim his eum verbis compellat: *Noli timere Ioachim; ego enim sum angelus Domini missus ab ipso ad te, ut annuntiem tibi eleemosynas tuas ascendisse in conspectum eius.* S. Hieronymus serm. de nativ. B. M. Virginis. 23

Et vero hi coniuges misericordia maxime affluere debebant, ut vel sic innueretur, quod misericordiae matrem parituri erant. Hinc non inepte quidam Mariam *Eleemosynae filiam* nuncupavit. 24

IX. Abstinentia, et ieiunio. Sancti hi coniuges qui orationem fundebant cum lacrymis et eleemosynis, eam abstinentia et 25

ieiuniis animabant. S. Eustathius loco citato de Ioachim ait: *Quadraginta dierum ieiunio Deum deprecabatur.* Ieiunavit et Anna, de qua ita scribit Ioannes Lanspergius in eius festo: *Anna ieiuniis, et orationibus obtinuit uteri foecunditatem.* Superius diximus, oratione fuisse in sanctorum coniugum terra Virginem proseminatam, lacrymis irrigatam et fecundatam; sed ieiunii aratro haec terra proscindenda, et aranda fuit, ut Virginem germinaret.

Ieiunium est aratrum quo corporis nostri terra scinditur.

Ieiunium vero esse aratrum quo corpus nostrum aratur, sancti spiritualesque agricolae noverunt. S. Ambrosius serm. 36 hanc metaphoram ita versat: *Illa terra aratris scinditur, ut mundanis sit congrua frugibus: mea terra ieiuniis inaratur, ut coelestibus sit apta seminibus. Sicut enim reditum uberiorem capit, qui frequentius vexando exercet campum, ita maiorem gratiam percipit, qui exercet corporis sui campum saepius ieiunando.*

Ieiunii fructus enumerantur.

S. Chrysologus ser. 31 ieiunium vocat *singulare sanctitatis aratrum*, quo corporis nostri terra colitur, quo mens copiosum sanctitatis fructum adferat, et uberem innocentiae messem homini paret. Quemadmodum enim terra minime culta, nec aratro proscissa suapte natura spinas, urticas, lappasque producit: ita et illius mens qui corpus suum abstinentia non arat, noxis emittit, indecoras cogitationes, obscena verba, actus turpes progerminat.

Ioachim et Anna ieiunare debuerunt, et ob quas causas.

26 Primo igitur debuit terra sanctissimorum coniugum, ac parentum Mariae ieiunii aratro scindi, et excoli, quo illorum mens coelestibus seminibus recipiendis fieret aptior, et corpus non iam spinas ederet et tribulos, sed illam de qua dicitur, Cant. 2, 2: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Secundo, debuerunt parentes Mariae ieiunare, ut ex eorum abstinentia B. Virgo germinaret, ex eorum ieiunio ieiuniorum amica Virgo pullularet.

Ieiunium Samsonem et Samuelem peperit.

Samsonem, ac Samuelem a ieiunio prodiisse, ieiunii fructum fuisse b. Basilius hom. 1 de ieiunio asserit. De Samsone ait: *Cum ieiunio in utero matris conceptus est, cum ieiunio educatus est, ieiunio in virum adolevit.* De Samuele: *Samuelem nonne deprecatio cum ieiunio coniuncta donavit matri?* Quanto iustius id de Virgine dici potest ac debet, per quam calamitates et omnia mala quae Adam et Eva intemperantia sua in mundum invexerant, auferenda erant? Hic optime quadrat quod d. Chrysostomus proemio in psal. dixit: *Cibus e paradiso eiecit, ieiunium te reducit.* Ex ieiunio ergo prodire debuit Virgo quae eum paritura erat, qui hominem e paradiso propter gulam eiectum per ieiunium in paradisum reduceret. *Per cibum offensus est Deus, per ieiunium mitigetur*, ait s. Zeno serm. de ieiunio. Aio ego: Per cibum mundus cecidit, per ieiunium erigatur: ex ieiunio illa prodeat, quae mundo perdito salutem adferat Deum pariendo.

Ieiunium virginitatis nutrix.

27 Ulterius, ieiunare debuerunt Ioachim et Anna in gratiam Virginis nasciturae. S. Basilius hom. 2 de ieiunio ieiunium *virginitatis nutricem* appellat, eo quod virginitas voluptates non amat, delicias carnis spernit, ieiunio vero nutritur, fovetur, custoditur, et conservatur. Ex ieiunio ergo nasci, ex abstinentia prodire debuit Virgo, ne quis voluptatis et deliciarum eam amicam putet, quae ieiunium semper amavit, abstinentiam coluit, cum ieiunio in utero Matris concepta, cum ieiunio educata est, cum ieiunio adolevit.

S. Ioachim quadraginta diebus ieiunavit, et cur.

S. Germanus encomio in sanctissimam Virginem, et s. Eustathius asserunt Ioachimum diebus quadraginta ieiunasse, antequam Virginem impetraret. Quadragenarium istud ieiunium mysterio non caret. Moyses iturus in montem, ut cum Deo loqueretur, 40 diebus ieiunavit: locutus est autem cum Deo de iis mysteriis quae Virginem spectabant, ut ex s. Methodio paulo superius diximus. Mente igitur concepturus Virginem Moyses per 40 dies ieiunat, et Ioachim cum Anna eandem Virginem nedum mente, verum et carne concepturi totidem diebus ieiunio vacare non debuerunt? Debuerunt sane, ut Virginem impetrarent, Virginem susciperent, quam Moyses e longe conspecturus totidem diebus ieiunavit.

28 Christus diabolum victurus 40 dies ieiunat, Matth. 4; Ioachim quoque 40 dierum ieiunio excipit Virginem, quae diabolo caput contrivit, iuxta id quod praedictum erat, Genes. 3, 15: *Ipsa conteret caput tuum.*

Ieiunii quadragesimalis mysteria.

29 Post 40 dies diluvii Noe fenestram arcae aperuisse dicitur, Genes. 8, 6. *Quadragenarius numerus*, inquit b. Alcuinus scribens in Genesim, interrog. 126, *tribulationem poenitentiae ostendit. Quod vero post quadraginta dies fenestram aperuit Noe, significat ieiunio coelum reserari.* Cum ergo Ioachim per quadraginta dies ieiunavit, ostendere voluit, quod talem filiam a Deo impetravit, per quam coelum reseraretur, et per quam omnibus aditus ad coelum pateret. Et vero talis fuit B. Virgo, ut inferius in epitheto, *Ianua coeli* patebit.

30 Moyses, Elias, et ipse Christus quadragenario numero ieiunia consecrarunt; ut innueretur, nulla esse tempora quae ieiuniis non indigerent, sed tam illa quae fuerunt ante legem, quam ea quae sub lege, et ea quae sub gratia sunt, ieiunio consecrantur, ut b. Alcuinus loco citato docet. Ieiunavit ergo Ioachim 40 diebus, quia impetrare studebat Virginem, quae omnia tempora tam ea quae ante legem, quam ea quae sub lege fuerunt, et ea quae sub gratia sunt, consecravit, omnia saecula illustravit.

31 Manna e coelo pluit populo, sed non nisi ieiunanti. D. Ambrosius de Elia et ieiunio cap. 13: *Ieiunantibus*, ait, *manna de coelo descendit, epulantibus culpa praevaricationis ascendit.* Ieiunantibus sanctis his coniugibus manna coeleste quod Mariam figurabat, divinitus datum est.

32 Daniel mysterium incarnationis et passionis Christi in spiritu visurus ad id se ieiunio praeparavit. Ampigolius in Biblia aurea, c. 1: *Daniel*, inquit, *post ieiunium revelatum est mysterium passionis et incarnationis Iesu*, quod colligitur ex Daniele, cap. 9, vers. 3, et 26. Et parentes Virginis ieiunium non praemisissent, qui Virgini et Christo viciniores fuerunt?

33 Quia Anna serviebat Domino die ac nocte ieiunio, et orationibus, ideo meruit a Domino prophetare de Christo, Luc. 2, 37. Ita et Ioachim cum Anna, quia oraverunt, et orationem suam ieiunio animarunt, meruerunt Virginem suscipere, quam s. Vincentius noster serm. de s. Anna abstinentiae sobolem appellat.

34 X. Hospitalitate, seu peregrinorum susceptione. Steriles et senes erant Mariae parentes, ut superius dictum est; hospitalitatem igitur exercent, ut Virginem a Deo impetrent. S. Hieronymus serm. illo saepius citato de nativ. Mariae: *Aliam*, inquit, *partem suae substantiae pauperibus et peregrinis erogabant.* Idem habet s. Vincentius noster serm. 2 de nativit. Virginis.

Hospitalitas laudatur.

S. Ioannes abbas sua praesentia arborem alieno tempore florere facit.

Hac hospitalitate membra Ioachim et Annae iam emortua quodammodo revixerunt, ut Virginem conciperent, Virginem mundo progenerarent. Appositum valde huic rei exemplum habemus in Ioanne abbate viro sanctissimo. Hic cum de Syris in Italiam venisset, hospitio cuiusdam piae matronae receptus fuit, postea angeli monitu sub arborem se recepit, quae, dum sub illa talis hospes quiesceret, tantam ab hospitis praesentia vim accepit, ut ingenti miraculo statim flores protulerit valde alieno tempore, cum mensis december decurreret. Narrat Petrus de Natalibus lib. 3, c. 207. Ad eundem modum, dum hi sancti coniuges pene iam emortui peregrinos hospitio recipiunt, ab ipsis reviviscunt; nam in senectutis hyeme, addita sterilitate, constituti, flores fructumque quem natura denegabat, miraculose producunt, Virginem concipiunt, Virginem edunt, idque mense decembri, quo conceptio immaculatae Virginis a tota Ecclesia celebratur.

35 Nec mirum; hospitalitati enim hoc praemium debetur. Abraham dum hospites excipit, de Sara sene et sterili filium suscipit. D. Ambrosius lib. 2 Offic. cap. 21: *Abraham*, inquit, *pro hospitalitatis mercede fructum posteritatis recepit.* Hospitalitas Sunamitidis ei filium dedit, eundemque precibus Elisei mortuum suscitavit. Hospitalitas Lazarum quatriduanum, Christo iubente, vitae restitutum, Marthae vivum reddidit, Ioann. 11. Hospitalitas etiam hos sanctos coniuges Ioachimum, et Annam recipiendae Virgini paravit.

36 XI. Peregrinatione ad loca sacra. Recipiebant peregrinos Ioachim et Anna; parum istud, sed et ipsi peregrini esse voluerunt. *Peregrinati sunt*, inquit s. Vincentius noster serm. 2 de nativit. B. Mariae, *de Nazareth usque Ierusalem saepe et discalceati.* Quod humilitatem eorum, ardensque desiderium Virginis obtinendae arguit. O quam lenis, quam dulcis fuit eis iste labor in quaerenda Virgine! Pastor ille evangelicus ovem deperditam quaerens, nihil tam grave, tam difficile reputabat, quod in gratiam ovis non subiret, dummodo inveniret eam; unde inventam gaudens in humeros suos ponit, et ad gregem deportat. Ad eundem modum Ioachim, et Anna ovem desideratam Mariam quaerentes, montes et silvas obibant, difficilesque peregrinationes suscipiebant, et tamen vix laborem aliquem, aut lassitudinem sentiebant obtinendae prolis fiducia, quam totius mundi gaudium sciebant esse futuram. Quare omnis lassitudinis obliti, omnisque laboris ad propria redibant.

37 O quantum eis profuit haec sacra peregrinatio! quantum gau-

Theodosii imperatoris peregrinatio miraculo comprobata.

dium attulit illa submissa humilitas! Venerat ad loca sacra peregrino, vilique habitu Theodosius imperator, cumque templi limen ingrederetur, subito lucernae omnes extinctae, et statim divinitus accensae sunt. Tunc Ioannes pontifex Ierosolymorum ad imperatorem: *Vere tu*, ait, *beatus es, qui cum imperatoria personam sustineas, tam vili habitu ad loca haec ingressus es.* Cedrenus in Theodosio. Non absimile accidisse reor his sanctissimis, iuxta ac nobilissimis coniugibus Mariae parentibus, Ioachim, et Annae. Vili habitu, ac sine calceamentis Ierosolymam saepius adeunt. Quid factum? Lucerna extincta subito divinitus accensa est. Sterilitas, et senectus lucernam in his parentibus extinxerat, hoc est prolem eis ademerat. Proles enim lucerna dicitur psalm. 131, 17: *Paravi lucernam Christo meo*. Agellius: *Lucerna filium, et haeredem significat.* Sed cum peregrinationes in Ierusalem nudis pedibus suscipiunt, lucerna quae fuit in eis extincta, reviviscit, accenditur, divinitus tam sancta proles eis donatur.

30 XII. Patientia. Multa pia opera hi parentes sanctissimi praestiterunt, quo prolem a Deo obtinerent. Sed hoc praecipue Deum ad eorum vota flexit, quod forti, ac aequo animo tulerint, cum a sacerdote una cum muneribus reiecti sunt. Libet rem narrare ex Eustathio auctore vetusto, qui in Hexameron ita scribit: *Iam celeberrimo die festo appropinquante, omnibusque, ut moris erat, munerum magnificentia donantibus, primus Ioachim, ut primus deferret, accurrit: sed Rubio quidam eum remoratus est, non licere ipsi primum offerre affirmans, qui in Israel adhuc sine prole degebat.*

40 Clarius eandem rem narrat s. Hieronymus serm. de ortu Virginis, ubi et nomen sacerdotis adiicit: *Ea tempestate Isachar pontifex erat: cumque inter ceteros concives suos etiam Ioachim cum oblatione sua videret, despexit eum, et munera eius sprevit, interrogans cur inter fecundos infecundus ipse stare praesumeret.* Hanc repulsam Ioachim aequo animo tulit, nec dura verba doris, asperisque regessit, discessit statim, et in solitudinem se recepit, ut saepe citatus s. Eustathius scribit.

Idem asserit s. Vincentius noster serm. 2 de nativit. Virginis, cuius verba lecta digna hic inserere placuit: *Ioachim expulsus fuit de templo a sacerdote, cum tamen esset de maioribus, quia sterilis, et infecundus. Moraliter instruimur hic habere patientiam. Ioachim et Anna viginti annis fuerunt sine prole, et faciebant eleemosynas, orationes, etc. et non obtinuerunt. Sed quia habuerunt patientiam in verecundia sibi facta a sacerdote, statim habuerunt promissionem et obtinuerunt habere prolem. Patet ergo quod qui vult aliquid obtinere a Deo, plus valet patientia, quam aliud. Ioachim enim poterat se vindicare de sacerdote, sed noluit, ita et vos debetis facere.* Haec ille. 41

Quisquis igitur Deiparam Virginem spiritualiter vult excipere, et mente concipere, hos coniuges piissimos Ioachim, et Annam imitetur. Fidem eorum, spem, caritatem, religionem induat; vota, preces, orationes cum lacrymis saepius Deo offerat; misericordia erga proximum ardeat; carnem suam ieiuniis et abstinentia velut aratro scindat, quo ad recipiendam divinam gratiam mentem praeparet; hospitalitatem sectetur, pias peregrinationes suscipiendo; fastum omnem deponat; vili habitu incedat; mentem humilem circumferat; bonis exemplis omnes illustret; sanctitatis radios in omnes diffundat; patientiam in rebus adversis habeat. Quo fiet, ut Ioachim et Anna spiritualis factus, Virginem Deiparam spiritualiter concipiet, ac pariet, ac eorundem gaudiorum, quibus ipsi per Virginem perfusi fuerunt, particeps efficietur, intercedente Beata ac gloriosa Dei Genitrice Maria. Amen. 42

VAS SPIRITUALE

Sancti, et sapientes vasa vocantur.

Alexandri magni apophthegma.

Pergit Ecclesia decantare Deiparentis Mariae dignitatem, ac merita sub metaphora vasis. Solent enim homines sancti ac sapientes hac metaphora adumbrari, et nomine vasis appellari tam apud sacros, tum apud profanos auctores. Divus Paulus Act. 9, 15 dictus est a Christo *vas electionis*, id est vas electum, quia nimirum sapientiam, sanctitatem, doctrinam, ceterasque virtutes in seipso quasi in vase sancto conservabat, et circumferebat. Vide s. doctorem nostrum in proemio epist. ad Romanos hanc metaphoram eleganter explanantem. Alexander quoque magnus Diogenem cynicum in dolio decumbentem conspicatus, exclamasse fertur: *O vas sapientia refertum:* quia scilicet ex suo dolio velut quoddam astrum reclusum sapientiae scintillas quasdam emittebat. Ad eundem modum Ecclesia gloriosam Dei Genitricem metaphora vasis adumbrat, eamque compellat. Primo, *Vas spirituale*; deinde, *Vas honorabile*; tum demum, *Vas insigne devotionis*. Quod quam verum sit, et Deiparae Virgini consonum, videndum est, et inquirendum

DISCURSUS CCC

QUATENUS DEIPARA VIRGO SIT VAS SPIRITUALE

1
Vasa pro instrumento.

Vas in Scripturis sacris geminam significationem habet. Primo accipitur pro omni instrumento, ut *vasa mortis*, psalm. 7, 14, sunt sagittae. Simeon et Levi filii Iacob dicuntur, *vasa iniquitatis bellantia*, Gen. 49, 5, id est instrumenta iniquae caedis, ac stragis Sichimorum. *Vasa interfectionis in manu sua*, Ezech. 9, 1, id est gladius, vel securis. Vasa quae fortior diripit, Mat. 12, 29, sunt inferiores daemones, quibus Beelzebub utitur ut ministris, ac instrumentis: ut homines quos adiutores habet, aut sub captivitate detinet. *Vasa psalmi*, psalm. 70, 22, et *vasa cantici*, Amos 6, 5, sunt musica instrumenta. *Vasa transmigrationis*, Ezech. 12, 3, sunt instrumenta ad iter conficiendum necessaria, uti baculus, currus, calcei, sacci, pera, penula, et alia quae sibi comparare solent peregrini. *Vasa ministerii*, Hebr. 9, 21, sunt omnia illa quibus sacerdotes in ministerio tabernaculi utebantur, etiam vestes. Sic d. Paulus Act. 9, 15 dicitur *vas electionis*, id est instrumentum a Deo electum ad conversionem gentium. Sic corpus humanum saepius dicitur vas.

Corpus humanum dicitur vas.

David 1 Reg. 21 petens a pontifice sibi et suis dari in necessitate panes propositionis, rogatus ab eo si mundi sunt pueri maxime a mulieribus, respondit: *Continuimus nos ab heri et nudius tertius,... et fuerunt vasa puerorum sancta*, id est corpora impolluta. Et d. Paulus 1 Tessal. 4, 4 uxorem vocat vas. *Sciat*, inquit, *unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore.* Et d. Petrus 1 epist. 3, 7 mulierem vocat, *muliebre vasculum infirmius*. Mulieres siquidem infirmiores sexu, et complexione. Et Plato dixit: *Corpus est vas animae*, id est instrumentum animae. Sicut enim faber sua regula, vel trulla quasi instrumento utitur ad omnem fabricam; ita anima utitur corpore quasi instrumento et organo ad omnes suas actiones, adeo ut nec intelligere quidem possit sine sensibus, et conversione ad phantasmata. Sic theologi vocant sacramenta causas gratiae instrumentales, eo quod in eis velut vasis contineatur gratia hominem iustificans, velut effectus in sua causa instrumentali.

Mulieres dicuntur vasa.

Corpus est vas animae.

Sacramenta vasa gratiae.

2
Vas pro receptaculo.

Secundo accipitur vas pro receptaculo. Sic sol, Eccli. 43, 2, vocatur vas admirabile, opus Excelsi, quia sol velut vas continet lucem, qua Deus totum mundum illuminat. Sic Act. 10, 11 linteum quod de coelo demittebatur ad Petrum, appellatur vas, eo quod omnis generis escas continebat, easque esurienti Petro afferebat. Sic Rom. 9, 23 boni, et praedestinati dicuntur *vasa misericordiae*; et 2 Timoth. 2, 20 *vasa aurea*, ad conservandam perpetuo Dei gratiam ordinata. Mali vero, et reprobi *vasa irae*, sibi vasa *lignea et fictilia*, ad recipiendam iram Dei, et per-

Praedestinati cur vasa misericordiae,

Digitized by Google

reprobi vero vasa irae dicti.

petuum interitum apta. Sic d. Paulus Act. 9, 15 dictus est *vas electionis*, id est *vas electum*, quia virginitatem, virgineumque animum iugiter in corpore illibato, quasi in vase sancto conservavit, ut patet 1 Corinth. 7. Sic Gregorius IX summus pontifex s. Antonium de Padua, *Arcam testamenti*, nominabat, eo quod sapientiam, eloquentiam, Scripturarum peritiam in seipso quasi in vase aureo, vel argenteo conservabat.

S. Paulus cur vas electionis dictus.

S. Antonius de Padua a Gregor. IX *Arca testamenti* cur appellatus.

3 Maria Spiritus sancti instrumentum.

I. His duobus modis Deipara Virgo dicitur ab Ecclesia *vas spirituale*. Primo, pro instrumento. Ipsa enim velut organo, seu instrumento ad salutem nostram, et omne bonum sanctus usus est Spiritus. Ex ipsius purissimo sanguine Filio Dei carnem formavit: per ipsam divinam naturam cum natura humana in unitatem personae divinae coniunxit. Quare d. Bernardus libro 5 ad Eugenium papam Mariam comparavit mulieri illi evangelicae, cuius meminit Christus apud d. Matthaeum c. 13, quae sicut farinae tres mensuras, aut tria sata commiscuit, atque contemperavit, ita Maria Verbum divinum, animam, et carnem, perinde ac tria sata in unitatem personae divinae coniunxit. Conspirat in idem d. Ambrosius in epist. 82. *Per mulierem*, ait, *caro eiecta est ex paradiso*, *per Virginem iuncta est Deo*. Quocirca D. V. Maria recte unio dicitur; qua sibi, suaeque carni, et consequenter toti generi humano Filium Dei, et concomitanter totam SS. Trinitatem univit, et copulavit in perpetuum. Hinc Hesychius hom. 2 de B. M. Virgine eam vocat *instrumentum incarnationis*. Per Mariam enim velut per instrumentum Deus redemptionis, et salutis nostrae negotium perfecit, non quod ipsa per se eius lytrum et pretium solverit; sed quod ipsa e carne sua purissima conceperit, et pepererit Christum qui est pretium salutis nostrae, et quod astans cruci Filii sui vitam eius, dolores, et mortem atrocissimam Deo obtulerit ardentissima caritate in holocaustum pro peccatis totius mundi, sicut olim Abraham obtulit Isaac Deo in holocaustum. Quocirca s. Epiphanius sermone de laud. Virginis eam vocat sacerdotem, et altare. *Virginem*, inquit, *appello velut sacerdotem*, *pariter et altare*. Fusius ista tractavimus in expositione epitheti proxime praecedentis. Spiritus sanctus ergo opus incarnationis, Christus opus redemptionis operatus est ut causa principalis, B. V. Maria ut causa instrumentalis. Quod innuunt verba illa Prov. 8, 30 in persona Virginis prolata: *Cum eo eram cuncta componens*. Sane ante nativitatem Virginis cuncta incomposita erant, omnia per culpam destructa; sed illa omnia composuit, dum opifici universae naturae ad eius reformationem sola deservivit. Hinc d. Bernardus ad eam: *Merito*, *o Domina*, *respiciunt in te oculi universae creaturae*, *in qua*, *et ex qua benignissima manus Dei*, *quicquid creaverat*, *recreavit*.

B. Virgo unio cur dicta.

B. Virgo fuit instrumentum nostrae redemptionis et quomodo.

4 Per Mariam Deus nobis omnia bona confert.

II. Secundo, B. V. Maria est *vas spirituale*, sive instrumentum; quia ea velut instrumento utitur Deus ad omne bonum nostrum perficiendum; per eam velut instrumentum omnem gratiam, omne donum, omnem virtutem nobis confert.

5 Per Mariam Ecclesia plantata.

Per Mariam Deus Ecclesiam primitivam plantavit, adeoque fertilem effecit, ut in omni sanctitate effloresceret, ac viros apostolicos, virgines, et martyres proferret. Immo per Mariam effecit, ut omnes fideles viverent vitam non tantum christianam, sed et religiosam in paupertate, castitate, et obedientia, uti fecere Essaei sub s. Marco Alexandriae, et Ierosolymae christiani sub s. Petro, ut colligitur ex Actis apostolorum, c. 2, 3, et 4.

6 Per orbem dilatata.

Per Mariam omnibus saeculis in diversis nationum populis Ecclesiam suam plantavit, rigavit, et per universum orbem dilatavit. Per eam enim episcopos, doctores, concionatores, Ordinum fundatores; item virgines, martyres, confessores Ecclesiae pro opportunitate submisit, ad eius vel instaurationem, vel incrementum, uti s. p. n. Dominicum et s. Franciscum Christo volenti mundum sceleratum perdere ad eius renovationem suggessit, et obtulit, ut acta eorum testantur.

7 Religiones institutae.

Per Mariam sanctos Ordines, Religiones, Congregationes, Societates, etc. excitavit, et erexit. Historiae docent, omnes pene Religiones eius instinctu, et ope institutas, quod fusius monstravimus cum de Religionibus ageremus in expositione epitheti *Virgo veneranda*. Superiori tomo, disc. CXI ostendimus B. M. Virginem primam omnium vitam religiosam in obedientia, paupertate, castitate egisse, eiusque exemplar posteris dedisse. Et hodie videmus fere omnes, quicumque a saeculi vanitate ad religiosam vitam evocantur, ipsius fore auxilio, instinctu et quasi voce evocari. Proinde eam omnes religiosi uti matrem et patronam singularem colunt, venerantur, invocant. Ipsa quoque Ordines omnes, ac religiosos singulos peculiari cura, singularibus favoribus et amore complectitur. Quod iam loco memorata in tomo praesenti ex religiosorum annalibus ostendimus. Unde quicquid est sanctitatis, sapientiae, meritorum, v. g. in Ordine dominicano, quem ipsa specialiter instituit, fovit, protexit, instruxit, promovit, dilatavit, ut supra dictum est, B. Virgini secundum Deum adscribi debetur. Zelus s. p. Dominici, sapientia s. Thomae aquinatis, fortitudo s. Petri martyris, efficacia concionum s. Vincentii Ferrerii, doctrina et sanctimonia s. Antonini florentini, miracula s. Hyacinthi, admiranda vita s. Catharinae senensis, ceterorumque omnium sanctorum, qui ex institutione et disciplina s. p. n. Dominici religiose et sancte vixerunt, vivunt, et vivent, virtutes, et merita in Beatissimam Virginem post Deum referuntur. Quare in Ordine praedicatorum laus, et gloria Beatissimae Virginis semper crescit, et crescet usque in diem iudicii. Omnes eam ut parentem, magistram, ducem, protectricem, promotricem nostram, causam gloriae nostrae colimus, diligimus, laudamus, celebramus, et celebrabimus in omnem aeternitatem, quicquid oggannient malevoli.

Religiosi per B. Virginem a saeculo ad vitam religiosam evocantur.

Dominicani omnia merita B. Virgini accepta referunt.

Dominicanorum devotio erga B. Virginem.

Per Mariam Deus doctores Ecclesiae erudit, et contra haereticos armat. Ipsa s. Gregorium thaumaturgum sapientiam docuit, et, ne in errores Origenis magistri sui impingeret, s. Ioannem evangelistam ei doctorem assignavit, per quem symbolum fidei orthodoxae ei in manus tradidit, ut refert s. Gregorius nyssenus in eius vita. Ipsa s. Cyrillum contra Nestorium docentem Beatissimam Virginem esse Christiparam, et non Deiparam, non tantum erudivit, sed et armavit, effecitque, ut Nestorii blasphema lingua computresceret, et misere infelicem animam exhalaret. Ipsa Ioanni eustocheno s. Ioannem evangelistam magistrum dedit, qui ei librum sacrae Scripturae in manus tradens magnum eiusdem interpretem effecit, et auctoravit. Ipsa s. Ioannem damascenum contra Copronymum, Leonem Isaurum, ceterosque iconoclastas ad eos debellandos instruxit, et iuvit. Ipsa Ruperto abbati tuitiensi divinarum rerum cognitionem tantam indidit, ut eo tempore nullus ei par vel similis in orbe reperiretur. Ipsa Hermano Contracto peritiam linguarum, et omnium rerum scientiam de repente contulit. Ipsa b. Alberto magno cum rudi esset ingenio, tantum acumen mentis donavit, ut philosophorum sui saeculi prodigium et portentum extiterit. Ipsa denium s. patrem nostrum Dominicum contra Albigenses ita instruxit et armavit, ut brevi tempore illam haeresim per se et suos aboleverit, et de ea triumphaverit. Quare Ecclesia celebre illud in officio B. M. Virginis canit elogium: *Gaude Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo*.

8 Doctores instructi per B. V. Mariam.

Per Mariam pias hominum saecularium Congregationes, ac Societates Deus erigit, et promovet, et maxime eas quae ipsius nomine insignitae sunt; ex quibus admirabilis in totam Ecclesiam redundat fructus. Experientia ipsa docet, per hosce hominum coetus multis in locis fidem orthodoxam restitutam, pietatem avitam revocatam, bonorum operum studium et zelum accensum. Id liquet vel maxime in Sodalitate sanctissimi rosarii per s. patrem nostrum Dominicum erecta et instituta; in qua ipsa Deipara mira in omni hominum genere opera ad Dei gloriam efficit, et etiamnum per d. Dominici alumnos efficere pergit, ut superius meminimus.

9 Confraternitatum fructus.

Sanctissimi rosarii fructus.

Per Mariam Deus multis hominibus sanctas cogitationes, pia desideria, sana omnis honestatis consilia suggerit. Videmus viros, ac mulieres Beatissimae Virgini devotas, ac praesertim Sodalitati sanctissimi rosarii adscriptas, quanta sit eorum pietas, quanta devotio, quam iugis sacramentorum frequentatio. Ex viris praecipue religiosis qui devotionem sanctissimi rosarii in populo promovent, cernimus quanto zelo animarum ferveant; quam magna, quam mira in omnibus provinciis operentur; quam multos infideles et haereticos ad fidem Christi convertant; quot urbes antiquae virtuti et pietati restituant; quot quantosque utriusque sexus homines a saeculi vanitate, illiusque illecebris ad vitam religiosam, immo angelicam traducant. 10

Per Mariam Deus regibus, ac ducibus illi devotis bellicam victoriarum in praeliis gloriam, ac triumphos largitur, ut Narseti contra Gothos, Heraclio imperatori contra Cosroham regem Persarum, Pelagio I Hispaniae regi, Basilio imperatori, christiano exercitui sub Godofrido Bullonio contra Saracenos, Alphonso VIII Castellae regi contra Mauros, Pio V contra Turcas, et aliis pluribus, quos in expositione epitheti *Auxilium christianorum* recensebimus.

11 Victoriae hostium per Mariam.

Digitized by Google

12 Per Mariam Deus salvat, quoscumque salvat. Maria Christum a coelo in terram sua puritate et humilitate devocavit, ut superius probatum est; sic pariter ipsa prima verbo et exemplo viam omnibus hominibus in coelum patefecit. Quocirca Christus omnibus electis eam praefecit, voluitque, ut nemo salvetur, coelumque conscendat, nisi ipsa consentiente, immo adiuvante et dirigente. Qua de re fusius agemus inferius in expositione epitheti *Ianua coeli*. Qui ergo salvus esse cupit, et salutem suam assecurare desiderat, cultor sit B. Virginis, ac in eius amore et devotione quotidie crescat, et proficiat.

Hinc merito s. Bernardus dixit: *Deus totius boni plenitudinem posuit in Maria; ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare*. Et s. Bonaventura in Speculo B. Virginis, c. 6: *Quicquid post Deum pulcrius, quicquid dulcius, quicquid iucundius est in gloria, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam.*

13 III. Tertio, sumpto vase pro receptaculo, B. Virgo est *vas spirituale*, quia sicut vas corporale recipit, vel continet vinum, ita B. V. Maria recipit, et continet in se omne coeleste bonum. In vase hoc servatum fuit per novem menses dulcissimum manna humanitatis Christi ad cibum animarum nostrarum. Hinc Andreas cretensis oratione de annuntiatione B. Virginem salutat: *Salve urna aurea, quae eum fers, qui dulce manna reddit*. In vase hoc pretiosa mandatorum Christi praecepta conduntur. In vase hoc coelestium donorum imbres, et aquarum gratiae immensa copia quasi in vase humilitate profundissima, et capacitate amplissimo conservantur. In vase hoc omnia charismata sanctorum, angelorum et hominum congesta sunt. Hic fides patriarcharum, spes prophetarum, zelus apostolorum, constantia martyrum, sobrietas confessorum, scientia doctorum, castimonia virginum continetur. Hic reperias diligentiam angelorum, illuminationem archangelorum, stabilitatem thronorum, magnitudinem dominationum, excellentiam principatuum, severitatem potestatum, potentiam virtutum, scientiam cherubinorum, caritatem seraphinorum.

14 *Vas qualis sit B. V. Maria.* IV. Quarto vere B. Virgo est *vas spirituale*, continens mystice vasa illa quae Scriptura commemorat. Beata Virgo est vas illud in quo coeleste manna, id est Christus, asservatum fuit, Exod. 15, 30. Est vas novum Deo exhibitum, in quo sal divinae sapientiae ad sanandas aquas humanae generationis, ne ultra in iis mors et sterilitas spiritualis esset, positum fuit, 4 Reg. 2, 20. Est vas aureum, et argenteum de pecuniis templi Domini, hoc est ex propriis, et potissimis meritis Christi fabricatum, 4 Reg. 12, 14. Est vas purissimum confectum ex argento, quod ab omni rubigine praeservatum fuit, Prov. 25, 4. Est vas mundum habens aperculum divinae protectionis, et ligatum desuper Spiritus sancti superventione, et virtute Altissimi circumdante illud. *Vas enim quod non habuerit aperculum, nec ligaturam desuper, immundum erit*, Num. 19, 15. Est vas castrorum in excelsis in firmamento coeli resplendens gloriose, Eccli. 43, 9. Est vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso, Eccli. 50, 10. Est vas altissime suspensum in solio gloriae domus Patris sui, Isai. 22, 24. Est vas conflatum a fabro sufflante in igne ruinas, et proferente illud in opus suum, nempe humanitatis Christi, et redemptionis humanae, Isai. 54, 16. Est vas alterum a Deo fabricatum dissipato priore e luto facto, sicut plantaverat in oculis eius ut faceret, Ierem. 18, 4. Est vas utile in domo Dei, in quo gloriatur Deus qui possidet illud, Baruch 6, 58. Est vas unum in quo frumentum humanitatis Christi positum fuit, ex quo hordeum, faba, sene, milium, et vicia laborum, passionum, et mortis eius ad panem in salutem generis humani conficiendum originem traxerunt, Ezech. 4, 9.

V. Demum Maria est *vas spirituale*. Sicut enim vas corpo- 15
rale puta crater impletur vino, ut convivis propinetur: ita Beata Virgo non sibi soli gratia plena est, sed eam aliis propinat, et communicat. Ex Maria mundus habet, ut hauriat, quicquid cupit; dat omnibus affluenter; nulli gratiarum suarum oleum denegat, nec timet ne sufficiat sibi, et nobis, sicut prudentes illae virgines dixerunt, Matth. 25. Quod perpendens Richardus a s. Laurentio lib. 1, c. 4, B. Virginem compellat his verbis; *Benedicta es gratia plena, et in tantum plena, ut ex tuo redundante totus hauriat mundus. Si enim prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*, Matth. 25, *tu prudentissima Virgo, et Virgo virginum, non unum tantum vas habuisti oleo gratiae repletum, quo lampadem tuam inextinguibiliter ardentem nutrires; sed aliud gestasti vas redundans et indeficiens, ex quo effuso oleo misericordiae, omnium lampades illuminares, et vasa omnium usque ad summum et perfectum impleres, et in illa nihil minueres. Prudens ergo fuisti, ut tibi provideres, nec timida, ut aliis subvenires. Nec dixisti: Ne forte non sufficiat mihi et vobis, sed sciens, quod sufficiens et tibi, et nobis, et sufficienter retinuisti, et sufficienter tribuisti.*

Hinc s. Ephrem in oratione B. Virginem appellat *captivorum* 16
redemptionem, et omnium solatium. Sergius ierosolymitanus de nativ. Virginis eandem vocat: *Tenebrarum expultricem, Adae reparatricem, Evae renovatricem, immortalitatis fontem, corruptionis interitum*. Nec mirum; ex ipsa enim velut ex vase pleno et redundante omnes omnia charismata spiritualia hauriunt, et habent; afflicti consolationem, moesti laetitiam, ignorantes scientiam, caeci lumen, captivi libertatem, iusti gratiam, peccatores veniam, praesidio et spe destituti spem et fiduciam. Ad hoc igitur *vas spirituale* avidis animis, laetis mentibus accurramus, ex ipso fontes gratiarum hauriamus; est quippe repletum omnibus bonis, quae nobis exhibere disposuit Deus benedictus in saecula. Amen.

VAS HONORABILE

Cum d. Paulus duplicia vasa ponat, Rom. 9, 21, alia in honorem, alia vero in contumeliam, non satis esset Beatissimam Virginem compellasse, *Vas spirituale*, nisi adderetur, *Vas honorabile*, hoc est vas in honorem. Unde videndum est, et explanandum

DISCURSUS CCCI

QUATENUS DEIPARA VIRGO DICATUR, ET SIT VAS HONORABILE

1 *Vasa duplicia.* Sanctus Paulus electum vas, in quo nomen sacrosanctum Domini nostri Iesu Christi circumferretur, scribens ad Romanos, 9, 21, ut modo meminimus, duo genera vasorum ponit. Quaedam in honorem, quaedam in contumeliam. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Vasa in domo in honorem, id est honorifica, sunt lances, orbes, crateres, cyathi: in contumeliam
Vasa in honorem quae. sunt ollae, pollubrae, matulae. In Ecclesia vasa in honorem sunt electi, ac praedestinati, sive Iudaei, sive Gentiles, quos Deus per tribulationes format, per tentationes probat, per gratiam et virtutes exornat, per gloriae collationem in thesauro suo custodit, et servat. Vasa in contumeliam sunt mali, indurati, ac re- *Vasa in contumeliam quae.*
probi, qui sua culpa huiusmodi vasa fiunt, quibus non ad conservandum suae gratiae balsamum, sed ad excipiendas sordes irae, et damnationis Deus utitur. Hanc autem differentiam vasorum, non ipsa quidem massa alia nobilia, alia vero ignobilia efficit, est enim una et eadem; sed usus eorum, qui ista sibi vindicant, id praestat. Pari ratione in hominibus non ipsa natura hos quidem poenae et supplicio, illos vero gloriae aeternaeque vitae coronis adiudicat; sed ipsa voluntas mala damnationi obnoxios, bona vero dignos beatitudine reddidit. Vide Theophylactum in expositione huius loci. Honoris ergo fons, et origo est Deus, nam scriptum est ps. 17, 20: *Salvum me fecit, quoniam voluit me*. Contumeliae vero est ipse homo. *Perditio tua, Israel*, Osee c. 13, v. 9.

Digitized by Google

2 Prae aliis vasis Virgo ad quam hic dirigitur sermo, est vas maxime honorabile, id est honore maxime dignum. Omnia vasa humana declinaverunt, corrupta et abominabilia facta sunt. *Factus sum tanquam vas perditum*, ait unus ex iustis psal. 30, 13. Et Oseas vates 8, 8: *Israel nunc factus est in nationibus quasi vas immundum.* Talem se dolebat apud Sophoclem Oedipus, quod turpiter esset educatus. *Ita me*, ait, *turpibus bellam educastis vas repletum sordibus*, hoc est abiectis cogitationibus, indecoris verbis, turpibus actibus. O vas perditum et immundum, abominabile et despectum!

3 Sola inter omnes puras creaturas Maria vas solidum non confractum, vas pretiosum, vas admirabile, vas immensum, vas pulcherrimum, vas electum, vas nunquam deformatum, vas ornatum, vas non vacuum, sed bene signatum, vas super ipsos cherubim et seraphim splendidissimum, ac purissimum. Nam, *et in angelis suis Deus reperit pravitatem.* Vas igitur honorabile. Singula ponderemus.

4 Vas multis modis honorabile B. V. Maria.

Maria vas solidum non confractum; quia nulli unquam fragilitati, aut instabilitati subiectum, nulla unquam diabolicae suggestionis vi, aut peccati impetu fractum, vel dissipatum. Ulterius, solidum non confractum, quia in reliquis feminis, dum concipiunt, virginitatis claustra violantur, et parturientes prae nimio dolore quasi franguntur. Deipara autem instar solidissimi vasis tanta fuit firmitate ac soliditate praedita, ut nec conceptus virginitatem, nec partus integritatem disrumperet, sed inviolata prorsus, integerrima ac solidissima maneret.

5 Maria vas pretiosum, quia aureum. *Vas auri solidum*, Eccli. 50, 10. Bene vas auri, sive aureum, quia regio decore tanquam auro pretiosissima fulget, et flagranti caritate rutilat. Vas auri, quia divinitatis aurum cum terra humanitatis nostrae permixtum in se continebat. Hinc Hesychius ierosolymitanus uterum Virginis auri *fodinam* appellavit, quia ex eo divinitatis aurum cum terra humanitatis nostrae permixtum effossum, erutumque est.

Uterus Virginis auri fodina.

6 Maria vas admirabile. *Vas admirabile opus excelsi*, Eccli. 43, 2. Sane admirabile, quia nusquam invenitur simile. Nec primam similem visa est, nec habere sequentem. *Opus Excelsi.* Etsi multa magna opera fecit Deus in creaturis mundi, nihil tamen sublimius, nihil excellentius, nihil magnificentius fecerunt opera digitorum eius Virgine Dei Genitrice Maria. Si demas assumptam a Verbo naturam humanam, nullum opus, nullam creaturam reperies in qua tanta divinae potentiae materia resplendeat, sicut in Maria. *Non est factum tale opus in universis regnis.* Nec in regno coelestium, nec terrestrium, nec inferorum, quod natura stupet, homines mirantur, daemones tremunt, plurimum reveretur angelica celsitudo.

7 Maria vas immensum. Immensa fuit gratia, qua Virgo fuit plena. Immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum. Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum qui maior coelo est, continere potuit. Hinc s. Bonaventura in Speculo cap. 5 Virginem alloquitur: *Tu, immensissima Maria, capacior es coelis, quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua se cinxit viscera factus homo.* Si ergo Maria tam capax fuit ventre, quanto magis mente.

8 Maria vas pulcherrimum. Sicut vasa, puta calices in quibus sacerdotes celebrant, vel crateres, aut cyathi ex quibus divites vina bibunt, solent affabre elaborari, intus et extra auro artificiose ornari, gemmis distingui, et quasi ocellari; ita Deus Mariam intus et extra ornavit; intus omnium gratiarum immensa copia, et decore, ac virtutum omnium splendore; extra eximio, praeclaro, ac pulcro corpore, formaque non feminea et illecebrosa; sed gravi, decora, venerabili et augusta, qualem praeferunt imagines eius a s. Luca depictae, quas superius enumeravimus, et loca in quibus asservantur, et coluntur, indicavimus, et illa egregia phisiognomia membrorum eius, quam graphice ex Epiphanio presbytero, et Nicephoro lib. 2, c. 23, et 44 alibi descriptam dedimus. Hinc sponsus eam laudans, Cant. 4, 1 ait: *Quam pulcra es, amica mea, quam pulcra es!* De pulcritudine Mariae tomo superiore fuse egimus.

9 Maria vas electum. Si d. Paulus, *vas electionis*, cognominatus est, Act. 9, 15, eo quod venerabile Christi nomen ubique terrarum circumferret, et promulgaret; quale vas censenda est Deipara Virgo, quae ipsum Christum Dei Filium in uterum suum recepit, et novem mensibus in utero portavit? Debuerat mundus Dei Filium de coelo in terram venientem, ut humanam naturam assumeret, summa reverentia, pleno amoris amplexu recipere; debuerat ei thronum miro virtutum varietate ornatum praeparare; sed caecus, sed ingratus, sed indignus eum despexit, et abiecit. *In propria venit, et sui eum non receperunt*, Ioan. 1, 11. Sola Virgo ex omnibus una, eum in vase immaculato uteri sui excepit, recondidit, et foetorem peccatorum qui Dei Filio terram exosam reddebat, virtutum, ac meritorum suorum odore ita abegit, ut eum fragrantia sua ad se alliceret, et traheret, ac officium ceterorum hominum suppleret, vicaria praebendo viscera ad Messiam excipiendum, vicaria brachia ad eum amplexandum, vicariam linguam ad eum laudandum et salutandum, vicarium cor ad eum amandum, vicariam denique se totam ad ei ministrandum.

Maria vas nunquam deformatum. Hebraei hoc religiose servabant, ut *Thephilem*, hoc est Dei verba in tali membrana scriberent, quae nulli macula careret, mundissima esset, et ex mundo animali detracta, ut tradit Oleaster noster ex eorum ritibus in c. 13 Exodi. Si itaque nuda Dei verba requirebant tam puram, tam mundam membranam in qua scriberentur, quomodo ipsum Dei Verbum non hominum, sed Dei manu in utero Virginis velut pagina scribendum, non requireret vas purissimum, mundissimum, in quo reciperetur, et reconderetur in salutem hominum? Sed de puritate B. M. Virginis uberius tractavimus tomo superiore in expositione epitheti, *Mater purissima.* 10

Thephilem Iudaeorum quid, et quomodo scribebatur.

Maria, *Vas ornatum omni lapide pretioso*, Eccli. 50, 10. Lapides pretiosi, et gemmae apud antiquos hieroglyphica erant rerum coelestium, ac divinarum. Hinc s. Agnes, aliaeque virgines beatae apparuere vestitae cycladibus aureis et gemmeis, ut s. Ambrosius serm. 90 scribit; quod denotat animum earum ornatum fuisse coelestium virtutum splendoribus. Lapides igitur pretiosi virtutum genera sunt, quibus marianum vas mirum in modum exornatum refulget. Numquam tales India genuit hyacinthos, tales Phoenicia beryllos, tales smaragdos Erithraea, tales pyropos Carthago, tales amethystos Tucamania, tales adamantes Arabia, tales topazios Chile, Massilia tales carbunculos, Ganges tam pretiosos lapides, qualibus hoc vas marianum a suo conditore ornatum est. Singulorum lapidum proprietates enarrabimus, easque B. Virgini accommodabimus in expositione epitheti, quod proxime sequitur. 11

Lapides pretiosi denotant virtutes.

Maria vas non vacuum, sed bene signatum. Non vacuum, quia gratia plenum. *Ave gratia plena.* S. Bernardus serm. de Aquaeductu: *Plena*, inquit, *sibi, superplena nobis; de plenitudine eius omnes accepimus.* Hinc s. Gregorius thaumaturgus serm. de annuntiat. eam appellat, *Gratiae thesaurum.* D. Bernardus loco citato, *Gratiae vehiculum.* Richardus a s. Laurentio libro 10 de laud. Virg. *Divinae munificentiae, ac liberalitatis gazophylacium.* Vas bene signatum, quod ipse castitatis amator Christus nedum munivit, verum et obsignavit. Sigillo munitum Mariae uterum fuisse affirmat Chrysippus presbyter hom. de laudib. Virg. et s. Ildephonsus serm. 5 de assumptione Mariae, et Proclus in orat. in natalem Iesu Christi, ex eo quod Virgo virginitate non violata, immo integritate obsignata peperit, sigillum castitatis non perdidit, et prolem suscepit. De quo tomo superiore, in epitheto *Mater inviolata* copiose egimus. 12

Maria vas super ipsos cherubim ac seraphim splendidissimum, ac purissimum. S. Epiphanius orat. de laud. Virginis eam compellans: *Formosior es*, inquit, *cherubim, et seraphim, omnique exercitu angelico.* Andreas cretensis orat. de dormit. Deiparae his eam verbis exornat: *Eximia pulcritudo a Deo sculpta, statua recte descripta, vira archetypi imago.* Gregorius nicomediensis orat. de oblatione Deiparam sic alloquitur: *O pulcherrima pulcritudo omnium pulcritudinum! o Dei Genitrix pulcrorum omnium summum ornamentum.* Hac de re fusius tractabimus inferius in expositione epitheti *Regina angelorum.* De honore huius sacrosancti vasis uberius agamus, ut illud magis ac magis honorabile esse probemus. 13

DISCURSUS CCCII

DEIPARAM VIRGINEM ESSE VAS HONORABILE OSTENDITUR EX DIVINA ELECTIONE, USU SEU OFFICIO AD QUOD ASSUMPTA EST

Honorem vasis non desumi ex massa, seu materia ex qua confectum est, paulo superius diximus, sed ex voluntate et electione artificis. Illud enim vas erit nobile, et honorabile, quod ad usum nobilem et honorificum artifex ordinat: illud vero ignobi- 1

le et despectum, quod ad eam turpem, abominabilem et sordidum conficit. *An non habet potestatem*, scribit Apost. Rom. 9, 21, *figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Pari ratione in hominibus honor non desumitur ex natura, quae una eademque est in omnibus, sed ex divina electione; quem enim Deus ad subliniorem honorem evehere vult, huic maiorem gratiam, maiores virtutes et dona confert, et magis honorabilem facit. Quem vero despicit, huic gratiam suam, virtutes et dona subtrahit, et consequenter vilem, abiectum et abominabilem reddit. *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit*, ait Salomon Eccle. 7, 14.

2 Praedestinatio B. Virginis quam sublimis.

1. Inter omnes puras creaturas gloriosam Virginem Deus singulariter dilexit, praeelegit, et ad dignitatem matris suae modo prorsus singulari praedestinavit. Et hoc est quod ipsa ait Eccli. 24, 41: *Ego sicut aquaeductus exivi de paradiso*, quia nimirum aeterna Dei ordinatione ac dispositione ad derivandum toti mundo fontem illum paradisi qui vere fons est, et ex fonte paternae substantiae ab aeterno procedit, ordinata ac disposita sum.

3 Et hoc sibi volunt illa verba Prov. 8, 22: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* Quae licet principaliter de Christo intelligantur; illum enim secundum divinitatem Dominus in initio viarum suarum, hoc est actionum suarum possedit, quia ab aeterno ante omnem creaturam in sinu Patris fuit; secundum humanitatem, quia ab aeterno Dei consilio ut caput et finis omnium divinorum operum sub ipso Deo, ut scilicet angeli et homines propter Christum fierent, praeordinatus fuit. Secundario tamen, et per accommodationem haec verba Ecclesia in B. Virginem transfert, dum in conceptione et nativitate eius in missa haec verba canit.

4 Lutherus Ecclesiam carpens carpitur.

Lutherus in postilla circa enarrationem de festo nativ. B. M. Virginis Ecclesiam carpit, eo quod ea quae Salomon de sapientia scripsit, Virgini temere accommodet, et licentia incredibili Ecclesiam blasphemiae, atque mendacii insimulat his verbis: *Coarte et epistolam hanc torserunt in Mariam, divinae Sapientiae tantum competit, ipsi videlicet Christo, hic enim ante saecula fuit, in quo omnia condita sunt. Quod autem Mariae Deiparae hoc tribuitur, merum mendacium, et in Deum blasphemia est.* Haec fanaticus ille. Similia passim alii haeretici docent, et probris innumeris ob hanc causam Ecclesiam onerant. Sed caeci sunt, et cimmeriis tenebris animos offusos habent. Nunquam Ecclesia haec verba de Maria Virgine ad litteram intelligi voluit, quae firmissime credit ac fatetur divinam personam infinito intervallo cuilibet excellentia praestare; sed quadam libertate accommodandi usa est iuxta morem sanctorum patrum, qui saepius ea quae dicuntur de Deo, Virgini eius Matri attribuunt, et ea quasi mutuo accepta statim restituunt. Quicquid enim de Sanctissima eius Parente praedicari dicitur, hoc totum cumulata laude ad ipsum Deum redit, licet Galatinus lib. 7. de arcanis plus aequo huic accommodationi tribuens, asserit quaedam ex his quae in hoc capite dicuntur, melius longe de Virgine, quam de Sapientia posse interpretari.

5 Theoctisti error.

Ipsam ergo Virginem *Dominus possedit in initio viarum suarum*, hoc est operum suorum, non quod ipsam ante saecula crearet, uti Theoctistus quidam eremita asserebat, cuius Baronius in anno 823 meminit; sed quod illam ab aeterno praedestinavit, ut esset una cum Christo prima, princeps et domina omnium operum Dei, puta omnium purarum creaturarum. Unde Rabbini, teste Galatino lib. 7, cap. 1, Matrem Messiae vocant *primum hominem*. Primum intelligo non creatione, et tempore, sed tum dignitate, tum fine, et scopo, tum in praedestinatione, et decretis Dei. Christus quidem est primus praedestinatus, immo caput omnium praedestinatorum; sed Mater a Filio non fuit disiuncta in praedestinatione divina. *Relativa enim sunt simul cognitione.* Unde Cant. 6, de B. Virgine dicitur, *Electa ut sol*, quia in sui praedestinatione atque electione non fuit disiuncta a Filio, qui *sol iustitiae* dicitur, Malach. 4.

B. Virgo est primus homo.

6 Maria est idea praedestinatorum.

Secundo, praedestinavit Deus B. Virginem ut esset idea sanctitatis iuxta quam sanctos angelos, patriarchas, prophetas, apostolos, martyres, confessores, virgines, religiosos efformaret. Cum ergo Deus B. Virginem mente concepit, et praedestinavit hos omnes, adeoque fideles omnes praedestinavit. Unde ipsa subdit: *Ante colles ego parturiebar*, Prov. 8, 25, id est in priori ratione ante angelorum sanctorum electiones, (qui sunt veluti colles altissimi tum propter naturae, tum etiam propter gratiae sublimitatem) ego in divina praedestinatione parturiebar, id est concepta, et formata sum in mente et praedestinatione Dei. Sanctus Augustinus lib. 1 de Trinit. cap. 12 legit: *Ante omnes colles genuit me, id est ante omnes altitudines creaturarum.* Concepit me, inquam, in mente sua ab aeterno, et ex tunc me parturit, quasi gestiens me eniti et parere, ut in tempore a suo decreto me quasi eniteretur, et pareret. B. Virgo ab aeterno una cum Christo praedestinata fuit a Deo, non tantum ut esset sancta, sed ut esset mater sanctorum, sicut et Christus est pater, princeps, caput, dux omnium sanctorum, tam angelorum quam hominum, immo idea sanctitatis, ut scilicet iuxta Christum et Mariam Deus reliquos omnes sanctos delinearet, et efformaret. Et sicuti Christo ab aeterno decrevit principatum gratiae, et gloriae, destinavitque eum ab aeterno regem, principem, ducem et dominum totius creaturae: Ita et B. Virgini Matri eius ex tunc decrevit principatum, ut esset princeps, et regina ac domina totius purae creaturae. Et sicuti Deus voluit condere angelos, Adamum, ceterosque homines, ac creaturas universas propter Christum (Christi enim incarnatio fuit finis, decor, forma et complementum creationis angelorum, et hominum, ac totius universi) insuper Christo addixit primatum, et principatum omnium operum, etiam supernaturalium, fecitque eum caput omnium suarum praedefinitionum, et praedestinationum, praedestinatorum, effectuum, donorum, gratiarum, virtutum, gratiae, et gloriae, quas ab illo, et per illum in ceteros sanctos quasi per influxum capitis in membra derivat: ita suo modo propter Mariam voluit condere angelos, homines, et creaturas universas. Audi d. Bernardum serm. 2 in *Salve Regina. Propter hanc*, inquit, *totus mundus factus est.* Et sicuti Christo Deus addixit primatum, et principatum omnium operum suorum tam naturalium, quam supernaturalium, fecitque ut per illum quasi caput omnes gratiae in membra derivarentur: ita et Mariae suo modo dedit primatum, et principatum omnium suorum operum. Rupertus in Cant. 4: *Haec in coelis Regina sanctorum et in terris Regina regnorum est: quandoquidem est mater Regis regnanti, quem constituit Dominus super opera manuum suarum, ac proinde Regina constituta totum in iure possidet Filii regnum.* Et sicut per Christum veluti caput omnes gratiae divinae in membra defluunt, ita et per Mariam quasi per collum eaedem gratiae in nos derivantur. Vide quae diximus tomo superiore, disc. CXXXIV, n. 25, et CLXXXIX, n. 2, et seq.

Praedestinatio Mariae quam alta, quam sublimis sit.

Illud quoque Eccli 24, 14: *Ab initio, et ante saeculo creata sum*, merito B. Virgini aptatur, propter suae praedestinationis praestantiam. Licet enim haec verba Sapientiae divinae sint ad litteram, mystice tamen B. Virgini per Ecclesiam accommodantur. Ait ergo: *Ab initio, et ante saecula creata sum*, hoc est princeps, et regina constituta sum ab aeterno, namque Deus in sua praedestinatione detulit mihi primatum, et principatum super omnia opera sua. *Sic* enim dicuntur creari reges, episcopi, praesides, et magistratus, cum dignitas regalis, episcopalis, praefectorae, et magistratus eis confertur. 7

Et illud Cant. 6 B. M. Virgini ob eandem causam optime accommodatur, *Electa ut sol.* Sicut enim sol non habet similem inter astra, ita Virgo Beatissima inter sanctos, et praedestinatos. Hoc cogitabat d. Bernardus, cum in deprecatione quae tomo 2 suorum operum habetur, ita B. Virginem alloquebatur: *Tu electa es ut sol; ille inquam Sol solis conditor. Ille enim electus est ex millibus virorum, tu electa es ex millibus feminarum. Ille electus est ex omnibus quae sunt, tu electa es ex omnibus, quae per illum sunt.* 8

Quocirca Deipara huius dignitatis ratione qua omnibus personis creatis longe lateque antecellit, iure optimo illud Eccli. 24, 10 usurpare poterit: *In omni populo, et in omni gente primatum habui*, quia ab aeterno in Dei praedestinatione fuit ordinata, et constituta a Deo princeps, et regina coeli et terrae, angelorum et hominum, ac totius universi, ut dixi. 9

11. Ulterius, hoc vas marianum honorabile est, non solum ex eo quod illud Deus ab aeterno ad honorem elegit; sed etiam quia ab initio mundi in variis figuris, archetypis, exemplaribus per saecula omnia delineavit. Ita eius virginitatem delineavit et praelusit in angelis, caritatem in seraphinis, sapientiam in cherubinis, potentiam in virtutibus, auctoritatem in potestatibus, excellentiam in principatibus, magnitudinem in dominationibus, stabilitatem seu constantiam in thronis, lumen in archangelis, integritatem in coelis, splendorem in stellis, nostram necessitatem in elementis, iucunditatem in pratis, fructum in arboribus, 10

Digitized by Google

spirandi agendique virtutem in animalibus, atque adeo omnium iustorum virtutes nihil aliud fuerunt, nisi umbratilia quaedam praeludia gratiarum, virtutum ac donorum Virginis. Hinc d. Bernardus serm. 2 de Pentecoste B. Virginem appellavit, *negotium omnium saeculorum*, quia ad ipsam tendunt omnia saecula, ad eam ornandam et coronandam omnia saecula negotiantur; omnes enim omnium saeculorum fideles Mariam amarunt, et glorificarunt, ut in epitheto *Virgo praedicanda* latius monstravimus. Hodie nulla pene est civitas, quae non habeat templum in honorem Virginis dicatum: nullum templum quod non habeat sacellum, vel altare, vel imaginem B. Virginis: nulla ecclesia quae ei *Salve Regina*, vel alias similes antiphonas, seu hymnos, et laudes non occinat: immo tota Ecclesia eam assidue salutat: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, etc.

B. V. Maria negotium saeculorum cur dicta.

11 Unde antequam Virgo nasceretur, omnes omnium saeculorum ordines, successiones, et status optarunt eam videre, concipi, et nasci, teste s. Damasceno serm. 1 de nativitate Virginis. *Certabant*, inquit ille, *saecula, quodnam maxime ortu tuo gloriaretur. Verum eorum concertationem praefinitum Dei, a quo facta sunt saecula, consilium superavit, et postrema prima facta sunt, dum ipsis felicissima nativitas tua obtigit.*

12 III. Praeterea B. Virgo est *vas honorabile*, quia a Deo electum, ut in eo reconderetur, uti re ipsa reconditum fuit pretiosissimum balsamum, Christus Deus noster. Hoc honore, hac dignitate B. Virgo superat omnes angelos et homines; maternitas enim est dignitas incomparabilis, et incomprehensibilis. Per hanc enim B. Virgo contraxit consanguinitatem cum Deo; eamque proximam, summam et arctissimam. Et facta est quasi ordinis divini habens eundem Filium sibi consubstantialem in humanitate, quem Deus Pater habet consubstantialem in divinitate. Quare sicut dicit Deus Pater: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, sic idem eidem dicere potest Beatissima Virgo.

Maternitas Dei quanta sit dignitas.

13 Rursus per hoc B. Virgo facta est sponsa Spiritus sancti, quia eius ope, et opera, sine viro, virgo manens concepit, et peperit Christum. Unde poeta:

Salve Virgo, Dei filia, sponsa, parens.

Fuit enim ipsa filia Dei Patris, sponsa Spiritus sancti, parens Filii Dei.

14 Forsan ignoras, vel animo non pensas, quid sit esse matrem Dei? quantus sit hoc honor, quam sublimis, quam mirabilis dignitas haec non recogitas? Pauca te docebo.

15 Matrem Dei esse est maternitate quodammodo Deo superiorem esse, ius maternum in Deum velut suum infantem, suam prolem habere, Deo ceu Filio imperare. Filius enim naturaliter parentibus subiectus est. Quod admirans, et stupens d. Bernardus serm. 2 super *Missus est*, ait: *Deus cui subditi sunt angeli, principatus, et potestates, subditus erat Mariae, et Ioseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, et elige quid amplius mireris, sive Filii Dei benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum; et quod Deus feminae obtemperet, humilitas absque exemplo; et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio!*

Matrem Dei esse quid sit.

16 Matrem Dei esse est parere et gignere Deum, est dare Deo suam substantiam, suam essentiam, suum corpus, suam carnem, suum sanguinem; quae dignitas est plane immensa, et omnes omnium creaturarum excellentias et dignitates in unum conflatas longe superat. Sicut enim humanitas Christi ex hoc, quod est unita Deo hypostatice, est quodammodo infinitae dignitatis; ita B. Virgo ex hoc quod est Mater Dei, habet quandam infinitam dignitatem ex bono infinito, quod est Deus. Et ex hac parte non potest aliquid fieri melius ea, sicut non potest esse aliquid melius Deo. Ita s. Thomas 1 p. q. 25, art. 6.

Maternitas Mariae est infinita quodammodo.

17 Matrem Dei esse est tanquam in radice, fonte, fundamento habere omnia divina charismata, dona, praerogativas, et privilegia quae habent, vel habituri sunt sancti; et est transcendere tam gratia, quam gloria omnes angelos, et homines sanctos, non solum seorsim sumptos, sed etiam adunatos, et in unum cumulum collectos. Ex hoc enim quod Deus Mariam vocat suam matrem, eam colit ut matrem, amat ut matrem, obedit ut matri, consequenter exornat dotibus et gratiis, ut matrem tanto Filio dignam. Unde sicut in regno terreno honor et dignitas reginae superat omnes dignitates principum, ducum, marchionum, comitum, baronum, subditorum etiam collective sumptorum, quia est transcendens, et altioris ordinis, ac par regiae maiestati: ita pariter dignitas Mariae Reginae coeli, et terrae in regno coelorum superat dignitates omnium angelorum, et hominum utpote sibi subditorum, etiam adunatas, et in unum conflatas. Sanctus Epiphanius orat. de laud. Virg. *Sola Deo excepta*, inquit, *cunctis superior existis.*

Non desunt qui gratiae plenitudine Mariam supparem Christo faciunt, quamvis gratia Virginis multis nominibus sit inferior gratia Christi. Attamen in hoc suppar esse videtur, quod sicut nulla pura creatura Christo propinquior fuit, quam eius Mater; sic nec in gratiae magnitudine nullo Christo vicinior fuit, quam est Maria eius Mater, adeo ut in infinitum sancti ceteri a Virgine distent, sensu s. Ioannis Damasceni orat. 1 de dormit. Virginis. *Dei Matris*, inquit iste, *et servorum Dei infinitum est discrimen*, in dignitate scilicet, in privilegiis, in virtutibus, in donis, in gratia, et gloria. Haec enim omnia quantumcumque extendantur, augeantur, increscant in pura creatura, nunquam pertingent ad dignitatem Matris Dei, quia haec est altioris ordinis. 18

Hinc Ecclesia angelos sanctos et homines colit dulia, B. Virginem vero hyperdulia, quae proxime accedit ad latriam qua colitur Deus. Iunge simul omnes honores qui singulis angelis, et hominibus debentur, ac deferuntur, omnes erunt duliae, nec unquam pertingent, quantumcumque increscant, ad hyperduliam B. Virgini debitam; quia haec est altioris ordinis. Vides igitur quam sit honorabile vas istud. Unde omnes alii aliorum honores respectu istius quasi non sint. Licet enim angeli, patriarchae, prophetae, apostoli, martyres, confessores, virgines fuerint vasa honorabilia, quibus velut organis ad multa bona opera Spiritus sanctus usus est; si tamen eorum honor Mariae honori comparetur, vix honorabiles fuisse censendi sunt, adeo ut hic tantum B. Virgo dicatur *vas honorabile* ob eminentissimum honorem sibi exhibitum. 19

Regina Austri maximo sibi honori duxit, cum in conspectum Salomonis admissa est, 3 Reg. 10. Sed longe maior Mariae honor, quae nedum in conspectum veri Salomonis admissa est, verum eum peperit, genuit, aluit, iugiter lateri eius adhaesit, mellifluа praedicationis eius verba audivit, insignia eius opera specialius vidit, certius agnovit, propensius retinuit, et apostolis aliisque fidelibus tradidit. 20

B. Virgo honorabilior regina Saba.

Estheris fuit honor ingens, quod in Assueri regis potentissimi coniugem assumeretur. Esther 2. Nec non ancillae Ruth, quod a Booz in uxorem deligeretur, Ruth 4. Rebeccae quoque quod ab Isaaco illius connubium expeteretur, Gen. 24. Denique Roxanes, ac Compaspen, quod ipsarum nuptias Alexander magnus ambiret. Sed quid haec sunt ad honorem Mariae, quae summi Regis regum, ac totius universi opificis mater, ac sponsa effecta est? 21

B. Virgo honorabilior Esther.

Honorificum fuit Davidi de gregibus ovium sustolli, de post foetantes accipi, in regio solio collocari, et regio diademate decorari. Magis honorificum Mariam ex humili creaturarum conditione extolli, Dei Matrem effici, angelorum, et totius universi reginam constitui. 22

B. Virgo honorabilior quam David.

Multum se honoratum putavit Salomon, cum, magnifico templo suo inter cetera mundi miracula miraculosissimo iam condito, suam ibidem Deus dignatus est manifestare gloriam, ac suam in eodem orantibus benedictionem conferre, eorum preces exaudire, et sua edere oracula promisit. Sed magis B. Virgo honorata est, quae huc evecta est, ut Dei thronus esset, eumque non in figura, sed in veritate portare meruerit. 23

B. Virgo honorabilior quam Salomon.

Taceat Daniel se in lacu leonum magno honore affectum, eo quod per prophetam ab angelo portatum enutritus fuit, Daniel 14. Desinat Elias honori sibi ducere, quod angelum in deserto nutritorem habuit, 3 Reg. 19. Sola Maria glorietur se tanto dignam honore, quod Regem angelorum in hospitio uteri sui excipere, eum parere, nutrire, vestire meruerit. 24

Quam Daniel, Elias, Paulus, pastores, et Magi.

Iam non miremur Paulum usque in tertium coelum raptum, miremur Mariam templum Dei, tabernaculum Altissimi effectam. 25

Magna fuit pastorum vigilantium super gregem praerogativa ab angelo ad recens natum puellum visendum invitari, et humaniter ad sacram eius praesentiam admitti, Luc. 2. Magi quoque insigne sibi accidere decus ex eo credebant, quod puerum cum Maria Matre eius invenissent, ipsum adorassent, sua illi sceptra ac diademata, oblatis muneribus, in obsequium velut 26

vassalli detulissent, Matth. 2. Quanto maiori honore Maria digna non est, quae non adorare modo, sed et in suum uterum suscipere, manibus portare, brachiis crebro eum amplexari meruit?

Quod si crux quae sanguine Christi fuit irrigata, si sepulcrum in quo corpus eius fuit reconditum, si stabulum in quo natus, si coenaculum in quo Eucharistiam instituit, si hortus olivarum qui ceu torcular dolorosum Christi sanguinem ex eius corpore expressit, si mons Calvariae in quo mortuus est, si denique tota terra in qua commoratus est, sancta appellatur, quod venerandorum eius pedum plantis calcata est; si omnia etiam loca quae sua sacra beavit praesentia, ab omnibus omnino christianis pie coluntur, ac venerantur, quanto maiori, eminentiorique honore B. Virgo digna est, quae sacrum Christi corpus ex suo purissimo sanguine cooperante Spiritu sancto concepit, in utero per novem menses portavit, fovit, aluit, et pro salute mundi in lucem edidit? Dici non potest quantum honoris huic sacro vasi inde accessit, quod ad maternitatem Dei sublimatum est. Hac de re fusius tractavimus tomo superiore, in expositione epitheti *S. Dei Genitrix*, disc. CVI per totum.

VAS INSIGNE

Vasorum honorabilium quaedam sunt vilia, seu mediocris pretii, ut orbes, lances, ollae, amphorae ex terra, ligno, ferro, aere, stanno, vitro confectae; quaedam insignia, et pretiosa, ut orbes, lances, crateres seu cyathi ex argento, auro elaborati, gemmis et lapidibus pretiosis ornati. Non satis igitur erat Beatissimam Virginem compellasse *Vas honorabile*, sed necesse erat addere, *Vas insigne*, hoc est non quodcumque, licet honorabile; sed eximium, egregium, nobile, et superexcellens. Videndum est igitur

DISCURSUS CCCIII

QUAM INSIGNE SIT VAS GLORIOSA DEIPARA VIRGO MARIA

1 Catonis Porcii elogium. De Catone Porcio magnificum quispiam hoc protulit elogium: *Is summus imperator, summus orator, summus iurisconsultus*. Claudius Minoe embl. 83. Excessit plane, quisquis tam gloriosum ei inscripsit encomium, nam Cato Aquilio Gallo multo inferior fuit, si illius in iure peritia cum huius doctrina veniat in certamen. In oratorio munere ac facultate neque Lucium Crassum, nec Marcum Antonium, nec Hortensium, aut Ciceronem superavit. Iam vero in arte militari non est cum Alexandro magno, Caio Cesare, aut aliis multis, quos respublica romana olim laudatissimos habuit, comparandus. B. M. Virginis Genitricis Dei ea est praerogativa, ut quicquid in ea consideres, omnia summa, insignia, et eximia invenias. Una ipsa, ac sola inter creaturas est phoenicis instar. *Una est columba mea, perfecta mea*, ait sponsus Cant. 6, 8.

2 Summa in ea fides, quia ea quae pleno mundo nondum revelata fuerunt, prima credidit. *Beata quae credidisti*, Luc. 1. Summa spes, quia nedum ipsa firmissima spe, certissimaque fiducia in Deum erecta fuit, verum et nobis spes facta est; nam post Dominum in ipsius potissimum intercessione confidimus. Unde non solum *Mater sanctae spei;* sed etiam ipsa spes ab Ecclesia nominatur. *Vita, dulcedo, et spes nostra*. Summa caritas, Cant. 2, 4: *Ordinavit in me caritatem*. Alii legunt: *Vexillum eius super me caritas*. Quia ut in exercitu vexillum super omnia attollitur, ita caritas Virginis aliorum sanctorum caritatem superat. Summa

Humilitas B. Virginis quam insignis. humilitas; nam cum Matris Dei titulo condecoraretur ab angelo, ad ancillae se demisit conditionem, dicens: *Ecce ancilla Domini*. Perpende ineffabilem animi demissionem. Nulla magis pugnat cum conditione ancillae, quam dignitas materna. Nam ut auctor est Aristoteles in Ethicis: *Pater et mater, etiam bello capti, filiorum servi esse non possunt*. Ea enim est patriae potestatis vis, ut omnem undecumque profectam penitus consumat servitutem. Audeo dicere dominium non ita cum servitute pugnare, sicut patria illa potestas; fieri enim potest, immo saepe accidit, ut domini conversione fortunae instabilis aliquando servi sui mancipium esse incipiant, non autem ut pater aut mater filii sui servi sint. Mira igitur Sanctissimae Deiparae humilitas, quae ad matris dignitatem evecta ad eam conditionem per summam animi demissionem sese obiicit, quam maxime ipsa maternitas excludit. *Ecce

Virginitas quam insignis. ce ancilla Domini*. Summa virginitas, quia integerrima, sterilitate carens, corruptionis minime obnoxia. In aliis virginibus adest integritas, sed cum sterilitate coniuncta: in Maria est summa integritas summa cum foecunditate copulata. Hinc poeta:

Partus, et integritas discordes tempore longo
Virginis in gremio foedera pacis habent.

Hinc s. Germanus orat. de zona: *Omnia*, inquit, *tua admirabilia sunt, o Deipara, omnia ingentia, et aliorum vires superantia*. Miraculum hominis rectius dixeris Mariam, quam hominem. S. Chrysostomus sermone in festo nativitatis Mariae: *Magnum*, inquit, *re vera miraculum, fratres dilectissimi, fuit semper B. V. Maria. Quid namque illa maius, aut illustrius ullo unquam tempore inventum est, seu aliquando inveniri poterit?* Hinc s. Ignatius martyr epistola 1 ad s. Ioannem evangelistam B. Virginem appellat, *Coeleste prodigium, et sacratissimum spectaculum*. Vide epithetum *Mater admirabilis*, quod in superiori tomo exposuimus. Merito itaque Beatissima Virgo appellatur *Vas insigne*. 3

Insignis dicitur, eximius, egregius, qui signo aliquo, vel nota inter alios eminet. Ita qui nobilitate, aut virtute aliqua, aut etiam vitio inter alios eminent, insignes dicuntur. Insignia enim facinora dicimus, quae vulgaria non sunt, sed rara, nihilque habent mediocre, sed aut insigniter bona aut mala. In summa, quicquid excellit, insigne dicitur. Sane B. Virgo in omnibus excellit, sive naturalia species, sive gratuita. Contemplare in creaturis singulis perfectiones; in terra stabilitatem, in aquis virtutem purificantem, in aere subtilitatem, in igne vim penetrantem, in coelis incorruptibilitatem, in luna splendorem, in sole claritatem, in angelis tandem puritatem, limpidissimam Creatoris sui, et creaturarum intelligentiam. Rursus considera perfectiones gratuitas. In angelis primaevam puritatem, in quibus erat Deus simul condiens naturam, et largiens gratiam. In patriarchis fidem, in prophetis spem, in apostolis fervorem, in martyribus fortitudinem, in confessoribus iustitiam, in doctoribus sapientiam, in virginibus integritatem. In omnibus Virginem excellere videbis. S. Idiota tomo 3 bibliothecae sanctae ait: *Sanctorum omnium privilegia, o Virgo, omnia habes in te congesta, nemo aequalis est tibi, nemo maior te, nisi Deus*. 4 Insignis quis dicatur. Perfectiones rerum naturales. Perfectiones supernaturales.

De Zeuxi heracleote famosissimo pictore narrat Cicero lib. 2 de inventione, quod hunc Crotoniatae diligenter requisierunt, ut eis Helenae simulacrum depingeret, quod excellentem muliebris formae pulcritudinem in se contineret, illud in suo Iunonis templo inter tot egregias picturas locaturi. Haud gravate Zeuxis conditionem suscepit, sed nolo omnia illico ab illis quaesivit, quasnam virgines formosas haberent. Illi autem statim hominem duxerunt in palaestram, atque ei pueros ostenderunt multos magna praeditos dignitate. Cum puerorum igitur formas, et corpora magno hic opere miraretur: Praebete mihi quaeso, inquit, ex istis virginibus formosissimas, ut in mutum simulacrum ex animali exemplo verum pulcritudinem transferam, et id quod pollicitus sum vobis, opere impleam. Annuerunt Crotoniatae. Publico de consilio virgines unum in locum conduxerunt, et pictori quam vellet, eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit, quarum nomina multi poetae memoriae tradiderunt, quod eius essent iudicio probatae. Neque enim putavit omnia quae 5 Zeuxis pictor eximius Helenam Crotoniatis pingit.

Digitized by Google

quaereret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse; ideo quod nihil simplici in genera omni ex parte perfectum nature expolivit. Illarum itaque quinque puellarum pulcritudine, ac venustate diligenter inspecta, pulcherrimum simulacrum Helenae elaboravit, quod Crotoniatae in fano Iunonis collocarunt. Ad eundem modum Deus Optimus, Maximus, recensitis quasi omnibus, quae in angelis, quae in hominibus, quae in ista, quae in illo laudata creatura fuerunt, aut futura erant praeclarissima gratiarum, ac virtutum exempla, larga manu, altiore tamen gradu in Mariam Virginem Matrem Dei suis futuram maxima prodigalitate congessit. *Benedictionem omnium gentium*, omnium creaturarum, *dedit illi*, fecitque, ut esset stabilior terra, mundior aqua, subtilior aere, penetrabilior igne, incorruptibilior coelis, clarior sole, splendidior luna, purior angelis, sapientior cherubinis, ardentior seraphinis. Fecit, inquam, ut ei cederet patriarcharum fides, et aequari non possit prophetarum spes, et haud similis esset apostolorum zelus, et palmas deferret fortitudo martyrum, iustitia confessorum, sapientia doctorum, integritas virginum, continentia viduarum, fecunditas coniugatorum. Omnia namque haec omnium rerum Conditor in Maria matre sua futura cumulatiori, altiori et eminentiori gradu congessit.

In Mariam Deus omnes gratias omnium creaturarum congessit.

6 Hinc Gabriel angelus B. Virginem salutans: *Ave*, inquit, *gratia plena*; non dixit gratiarum, aut gratiis plena, sicut Esther Assuera dixisse legitur, Esther 15, 17: *Facies tua plena est gratiarum*; sed *gratia plena*, insinuare volens Virginem non solum multis gratiis collective sumptis, sed etiam unaquaque gratia singillatim, et seorsim sumpta fuisse plenam: verbi gratia, adeo plena fuit fide, ut nullus in ea relinqueretur locus dubitationi. Alii enim sancti, licet fuerint pleni fide, nonnunquam tamen tentabantur ab infidelitate, saltem aliquos motus levis infidelitatis habuerunt. At B. Virgo tam plena fuit fide, ut nunquam sentiret vel levissimum motum infidelitatis. Similiter sic plena fuit caritate, ut nec novissimum, vel modicum locum daret irae, invidiae, vel odio, aut simili vitio opposito caritati. Sic plena fuit humilitate, ut nullus in ea unquam esset motus superbiae. Alii sancti, licet pleni fuerint humilitate, non tamen talem plenitudinem habuerunt, quin aliquando vel cogitatio superba mentem eorum occuparet, saltem venialis. At B. Virgo speciale privilegium habuit, ut nunquam pestiferae superbiae stimulum persentiret. Adeo plena fuit castitate, ut nec etiam primos motus concupiscentiae carnalis senserit; et sic de aliis gratiis, et virtutibus. Vides igitur quam insigne sit istud Vas, quam eximium, quam egregium, quam nobile, quantum excellentia sua alia huiusmodi vasa superet, et eis superemineat.

Virtutes B. Virginis quam perfectae fuerunt.

7 Vas electionis fuit divus Paulus, vasa pulcra ac pretiosa fuerunt patriarchae, prophetae, apostoli, evangelistae, martyres, confessores, doctores, virgines; sed B. Virgo vas excellens, vas insigne; habet enim ipsa puriorem virginitatem quam habeant ceterae virgines; maiorem scientiam quam habeant doctores; perfectiorem sanctimoniam quam confessores; fortiorem patientiam quam martyres; altiorem divinorum secretorum notitiam quam evangelistae; ardentiorem zelum quam apostoli; clarius lumen propheticum quam prophetae; maius gaudium de Messia quam habuerunt patriarchae; denique gratiam quamcumque maiorem quam habuerit ullus sanctorum, angelorum et hominum.

B. Virgo quam insigne vas per comparationem ad alios sanctos.

Tot tibi sunt dotes, Virgo, quot sidera coelo.

Ceteris, inquit d. Hieronymus, *datur gratia per partes: Mariae vero tota se infudit gratiae plenitudo.*

8 Vas insigne, opus magnificum, ac pretiosum manu Sapientiae excisum, in quo magnum pietatis sacramentum, puta incarnatio Verbi peracta et celebrata est. *Et magnum magni Numinis illud opus.*

9 Vas nobile et pulcherrimum, omnibus angelis, etiam seraphinis pulcrius, immo idea et exemplar totius perfectionis, virtutis, et sanctitatis, decoris, et gratiae tam angelorum, quam hominum, quin et creaturarum omnium.

10 Vas immensum, omnium operum Dei circa redemptionem hominum principium. *Ab aeterno*, inquit, *ordinata sum.* Bene *ab aeterno*, quia opus tam magnificum, vas tam immensum, et eximium, non unius horae, mensis, anni, aut saeculi erat, sed omnium saeculorum.

11 Vas affabre elaboratum, et valde ornatum, in quo Deus prae ceteris puris creaturis suam sapientiam, potentiam, bonitatem, ceterasque perfectiones suas, quoad fas erat, expressit, et mundo repraesentavit.

Vas pulcherrimum, immo oceanus pulcritudinis, fons paradisi, templum, et sacrarium Dei, *abyssus humilitatis, gratiae et sapientiae*, uti illud vocat s. Ildephonsus. *Abyssus miraculorum*, ait s. Ioannes damascenus orat. 5 de nativ. B. Virginis. Sed quam pulcherrimum sit istud vas, quam splendide ornatum declaremus, ut quam insigne sit, quam pretiosum clarius monstremus. 12

DISCURSUS CCCIV

DEIPARAM ESSE VAS INSIGNE AC PRETIOSUM MONSTRATUR EX ILLO LOCO ECCLESIASTICI 50, 10: *VAS AURI SOLIDUM, ORNATUM OMNI LAPIDE PRETIOSO*

De Simone Oniae filio haec verba esse prolata, nemo est qui ignoret; mystico tamen Mariae Virgini optime accommodari possunt. 1

Ipsa est *vas auri*. Nam ex ea velut auri fodina effossum, eruitumque est aurum divinitatis cum terra nostrae humanitatis coniunctum. Richardus lib. 2 de laud. Virginis ait: *Corpus eius*, scilicet Mariae, *terra est Hevilath*, Genes. 2, *de qua exortum est aurum peroptimum, scilicet caro Christi, ex cuius pretio inpretiabili omnes nati locupletati sunt*, et *redempti*. Nunquam pauper esse poterit, qui auri huius copia ditescit.

Vel *vas auri*, id est aureum; nam B. Virgo tota fuit aurea, hoc est caritate flagrans, et rutilans. Sicut enim aurum inter metalla primas tenet, ita caritas inter virtutes primatum obtinet. Et vero B. Virgo tota aurea esse debuit. Olim ineffabile Dei nomen in auro scribebatur, nec in alio metallo viliore illud inscribere licebat, ut innuit s. Augustinus quaest. 120 super Exodum. Si itaque nudum nomen Dei nefas erat, nisi in auro scribere, quomodo ipsum Verbum Dei, Deus verus in propria persona recipi poterat in Virgine, si ipsa tota non fuisset aurea? Fuit sane decore regio fulgens, et flagranti caritate rutilans. 2

2 B. Virgo fuit aurea.

In auro tantum nomen Dei exarabatur.

Solidum. B. Virgo semper fuit solida, hoc est in bono stabilis, firma, et inconcussa, quam nullus tentationis ventus, nulla aura desidiae, vel torporis a bono proposito movere potuit; sed semper tanquam solida ac firma petra stetit, Deo adhaerens, et perseverans in omni gratia et virtute.

3 Soliditas Mariae quae et quanta.

Idcirco solet Maria coelo comparari, ut supra vidimus. Iure dicitur coelum; quia non fluidae fuit, sed consistentis naturae, incorruptibilis, firma, solida velut coeli, de quibus Iob 37, 18: *Solidissimi quasi aere fusi sunt.* Vere solidissima fuit B. V. Maria, quae variis gravibusque adversitatum ictibus quassata nedum frangi, verum nec concuti potuit, ut monstravimus in epitheto, *Speculum iustitiae*, cum de patientia ipsius ageremus. Hinc illa merito de seipsa ait Cant. 8, 10: *Ego murus: et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Sicut enim murus, et turris solida ac firma sunt: ita B. Virgo semper fuit in bono proposito solida, semper stabilis, semper firma, nusquam nutans, et inconstans; murus in amore integritatis, turris in possessione caritatis et virtutum omnium, in qua possessione semper habuit pacem. Quisquis enim in se ipso constans est, perpetua pace coram Deo, et in anima sua laetatur.

4 Coelum cur dicta B. V. Maria.

5

Hinc Apocalyps. 12, 1 lunam sub pedibus habere dicitur, ut cognoscamus omnis instabilitatis eam fuisse expertem. Lunam enim ideo pedibus calcat, quia omni mutabilitate, quam luna significat, superior est. Lunam calcat, sed sole vestitur, quia sol iustitiae Christus ita soliditatem eius firmavit, ut velut firmissima petra evaderet. Sol lutum solidare consuevit, cum in illud radios suos vibrat: ita sol iustitiae Christus eorum corda solidat, et firmat, quae oculis misericordiae aspicit. Intuitus est Petrum, et statim ei Petri nomen indidit. Ioan. 1, 42: *Intuitus autem eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ecce a Christi intuitu Petrus efficitur petra. Non est igitur mirum, si etiam Maria quam Deus respexit, *Respexit humilitatem ancillae suae*, usque adeo in bono solidata sit, ut vas solidum fieret.

Lunam cur Maria calcat.

Ornatum omni lapide pretioso, hoc est ornatum virtutibus, donis, meritis, quibus hoc vas marianum mirum in modum refulget, ut paulo superius dixi. Urbis Ierosolymae de coelo descendentis fundamenta cum d. Ioannes delinearet, duodecim esse gemmis distincta demonstravit, Apoc. 19, v. 19, 20. Primus erat

3 Duodecim lapides pretiosi, quibus B. Virgo or-

nata fuisse monstratur.

iaspis, secundus sapphirus, tertius chalcedonius, quartus smaragdus, quintus sardonix, sextus sardius, septimus chrysolitus, octavus beryllus, nonus topazius, decimus chrysopasus, undecimus hyacinthus, duodecimus amethystus. His duodecim lapidibus marianum vas ornatum resplendet.

6 Iaspidis color, virtutes et proprietates B. Virgini adaptantur.

1. Iaspis est firmissima fides Virginis. Iaspis traditur esse viridis: esto inveniantur et iaspides alii caerulei, alii candidi, alii rubei, sed viridis optimus est. Maria viridis est; eius namque fides semper vivit, eius castitas nunquam suae virginitatis florem amisit. Aliarum virtutum germina quibus ab initio floruit, nunquam emarcuerunt, immo felicius in dies, et uberius pullularunt. Hinc est quod hortus semper cultus, semper viridis, semper fecundo quadam ubertate parturiens a sponso suo nuncupatur. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus*, Cant. 4, 12.

7 Iaspis phantasmata fugat, Maria omnium deorum, ac idolorum, nec non haeresum phantasmata fugavit. S. Cyrillus hom. 6 in Nestorium B. Virginem alloquens: *Per te*, sit, *omnis creatura idolorum errore detenta conversa est ad cognitionem veritatis*. Et Ecclesia canit: *Gaude Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo*.

8 Iaspis B. Virginem designat.

Iaspis venereas cogitationes, et appetitus carnales refraenat, oculos purgat, sanguinem et menstrua sistit, uti venerabilis Beda, Ruveus, et alii penes quos sit fides, scribunt. Maria impuras et carnales cogitationes, et desideria pellit, omnemque virtutem inserit. B. Ambrosius lib. de institut. virginis, cap. 7: *Tanta*, inquit, *erat Virginis gratia, ut non solum in se virginitatis gratiam reservaret, sed etiam iis quas viseret, virginitatis insigne conferret*. Visitavit Ioannem Baptistam, et in utero matris exultavit, nec immerito integer corpore, id est virgo. De hac plura alibi diximus.

9 Sapphiri virtus et proprietates B. Virgini adaptantur.

2. Sapphirus est animus Virginis. Sapphirus caeruleus est, coelestis coloris, aureis punctis collucet, radiis solis percussus ardentem emittit fulgorem. Maria tota coelestis est; cum enim corpore in terris degebat, mente et vita in coelis versabatur: aureis punctis, hoc est actibus caritatis semper collucebat: radiis solis iustitiae percussa ardentiore caritate flagrabat.

10 Sapphirus gemma gemmarum est, ait Abulensis in Exod. cap. 24. Maria Virgo virginum, maxima seu Antistita virginum, ut suo loco uberrime docui.

11 Sapphirus, ait Pierius hieroglyphico 41, apud veteres magna semper in veneratione fuit; siquidem per eum imperium, et summum sacerdotium significari manifestum est. Unde Aelianus lib. 14, cap. 24 docet, apud Aegyptios summum sacerdotem, qui supremus erat iudex, solitum habere colla appensam imaginem e sapphiro, quae appellabatur *veritas*. Hinc etiamnum pontificibus, et cardinalibus congruunt sapphiri; et pontifex recens creato cardinali sapphirum mittit. Apud omnes generationes in summa veneratione fuit, estque, et erit B. V. Maria, ut in expositione epitheti *Virgo praedicanda* monstravimus. Ipsa enim Christum summum Regem, summum Sacerdotem, summum Iudicem vivorum ac mortuorum peperit. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*.

12 Sapphirus (ut nonnulli putant, penes quos sit fides) homines ad pietatem, constantiam, pacem, et cupiditatum refraenationem incitat. Id verius praestat B. V. Maria; quotquot enim eam intuebantur, illico omnem immodestiam, petulantiam, levitatem deponebant, et sanctos mores induebant. Solo aspectu ac praesentia his quos viseret, integram integritatem conferre solitam paulo superius diximus ex d. Ambrosio, et alibi idem fusius monstravimus.

13 Scabellum sapphirinum B. Virginem adumbrabat.

Moyses, Aaron, Nadab, Abiu, et LXX de senioribus Israel ascendentes in montem, ut legis tabulas a Deo acciperent, viderunt Deum Israel, et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, et quasi coelum cum serenum est, Exodi 24, 10. Scabellum hoc sapphirinum significabat clarissimam puritatem, vel purissimam claritatem B. M. Virginis, in qua velut in scabello sedere dignatus est. Ita Rabbi Moyses, et Rabbi Hacados explicant apud Galatinum l. 7, cap. ultimo.

14 Sapphirus si excellat, insigniri solet pulcherrima stella, ut colligitur ex Plinio lib. 37, cap. 9. Ita B. Virgo sapphirus fuit gerens pulcherrimam stellam, hoc est Christum, qui stella nuncupatur, Apoc. 2, 28: *Qui vicerit,... dabo ei stellam matutinam*, id est meipsum, ut nonnulli interpretantur.

Sapphirus si expolitur, admodum speculi reddit imagines. Diva Virgo adhuc in utero sanctificata (1), hoc est gratiae plenitudine nitida, facta est speculum sine macula, digna referre illum qui est imago bonitatis divinae, figura et character substantiae eius. 15

Sapphirus in modum speculi laevigatus radium ex se eiaculatur, qui suo nitore aerem circumfusum tingit. Et B. Virgo gratiarum, ac virtutum plenitudine expolita radium claritatis aeternae, hoc est Dei Filium, ex se edidit. Unde Ecclesia in prosa nativitatis Domini canit: *Sicut sidus radium profert, Virgo Filium pari forma; Neque sidus radio, neque mater Filio fit corrupta*. 16

Sapphirus sensu Dioscoridis medicinalem dicitur habere virtutem, iuvat epilepticos, elephantiasi correptos, ophthalmia laborantes, nec non aliis morbis affectos sanat. Certior et celerior est medicina a Deiparente. Sanat sapphirus aegritudines corporis, sanat Maria etiam aegritudines animi miraculis, exemplo, doctrina, patrocinio, oratione. Nimis multus in recensendo essem, si instituerem numerum eorum quos ipsa sanavit, quos ad meliorem mentem et statum convertit, quos a diaboli vinculis liberavit, quos Christo initiatos sua virginitate, humilitate, mansuetudine, caritate, aliisque virtutibus illustres reddidit. 17

Porro usque adeo Virgo sapphirina est, hoc est coelestis, ut fundata in sapphiris dicatur. Isai. 54, 11: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos et fundabo te in sapphiris*. Scio quosdam haec verba de Ecclesia per Christum fundanda interpretari, quam Christus per ordinem lapidibus, hoc est apostolis, prophetis, doctoribus sternit; iure merito tamen de Virgine interpretari possunt, quam Deus virtutum omnium et gratiarum varietate, velut pretiosis lapidibus stravit, id est ornavit. Apta vero B. Virgo dicitur fundanda in sapphiris, qui sunt coloris coelestis; quia gratiae eius et virtutes omnes plane coelestes, et divinae fuerunt. Nec illud caret mysterio, quod non aedificata dicitur in sapphiris, sed *fundata*, quoniam etiam ea quae in Virgine inferiora videbantur, et quasi totius aedificii fundamenta, coelestia plane fuerunt: potissimum vero eius humilitas, in qua tanquam in sapphiro pretiosissimo fundata coelum quoddam splendidissimum retulit. 18

3. Chalcedonius sive carbunculus est ardens caritas Virginis. Carbunculus in tenebris lucet. Cornelius a Lapide in Apoc. c. 19 narrat se audivisse a lusitanis viris gravibus, regem Lusitaniae in festo Corporis Domini praeferre in fronte equi carbunculum tantum et tam fulgidum, ut plateam illustrare videatur. Ita B. Virgo suarum virtutum splendore totum mundum illuminat, suisque meritis, et exemplis velut coelestibus radiis collustrat. Hinc s. Ephrem in orat. de Deipara eam salutat: *Ave lumen lucidissimum, quo mundus illustratur*. 19 Chalcedonius B. Virgini adaptatur. Carbunculus in fronte equi regis Lusitaniae quam lucidus.

4. Smaragdus est Deiparae virginitas. Smaragdus, ait Pierius hieroglyph. 41, perpetuum clarumque virorem retinet, et virginitatis symbolum est, adeo enim rei venereae contrariatur, ut si quis in patranda re venerea hunc lapidem attingat, ipse lapis sponte frangatur. Haec ante Pierium b. Albertus magnus, Bercorius, Abulensis, et alii prodiderant. B. Albertus magnus scribit, regem Hungariae post nocturnam pollutionem invenisse mane smaragdum quem in annulo digiti gestabat in partes dissectum. B. V. Maria sua virginitate perpetua viruit, ante partum, in partu, et post partum virgo permansit, et omnibus castitatis, sanctitatis, caritatis speculum effecta est. *Cuius vita inclyta cunctas illustrat ecclesias*. 20 Smaragdi virtutes B. Virgini adaptantur. Smaragdus venereis contrarius.

5. Sardonix est rerum terrenarum contemptus in Maria. Sardonix constat tribus coloribus, inferius nigro, medio candido, superius miniato. Talis fuit B. V. Maria. In corpore vivens adhaerebat corpori, nihil tamen ex eo terrenae labis contrahebat, sed purum semper ac coelestem spiritum servabat; infra pedes res humanas habebat; in medio, id est in corde, pura virtutum candore collucebat; in apice vero miniati, hoc est primis futurae gloriae radiis iam afflati, ignea caritatis rubore purpurascebat. Candorem simul cum rubore habebat, quia candorem caritati sociabat sponso suo persimilis, de quo Cant. 5, 10 ait: *Dilectus meus candidus et rubicundus*. 21 Sardonix B. Virgini adaptatur.

6. Sardius est pietas Virginis. Sardius vulneribus ferro inflictis, et tumoribus medetur. B. Virgo plagas peccatorum nostrorum sanat, ambitionis humores singulari suae humilitatis exemplo dissolvit, superbiae morbo laborantia capita ad pristinam sa- 22 Sardius B. Virgini adaptatur.

(1) Melius dicatur: in primo instanti sanctificata. *Editor.*

Digitized by Google

nitatem restituit. Hinc Ecclesia illi occinit: *Ave stella matutina, peccatorum medicina.*

23 Sanguis peccati symbolum.
Sardius sanguinem undecumque fluentem sistit, ait Boetius. Beatissima Virgo peccatum explodit. Peccati quippe symbolum est sanguis. Osee 4, 2: *Sanguis sanguinem tetigit.* D. Gregorius in Ezechielem: *Sanguis*, ait, *sanguinem tangit, cum peccatum peccato additur: ut ante oculos peccatoris adiunctis iniquitatibus anima cruentetur.*

Sardius feris terrorem incutit, Aretas in cap. 4 Apocalypsis. Beatissima Virgo daemonibus feris tartarein valde terribilis est, et sibi devotos iisdem terribiles facit. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.*

24 Chrysolitus B. Virgini adaptatur.
7. Chrysolitus est misericordia Virginis. Chrysolitus valet contra asthma, hoc est pectoris angustias, et contra pusillanimitatem, melancholiam, molestias, et timores nocturnos, uti se expertum scribit Rueus Cardanus, et ex eo Anselmus Boetius. B. Virgo peccatoribus, et scelerum conscientia oppressis subvenit: item timidis, scrupulosis spem, robur, veniam ac gratiam impetrat. Hinc Ecclesia canit: *Sancta Maria, succurre miseris, iuva pusillanimes*, etc.

25 Beryllus B. Virgini adaptatur.
8. Beryllus est patientia, ac animus fortis et heroicus Virginis. Beryllus nisi in sexangulas formas poliatur, non fulget; repercussione enim angulorum fulgor acuitur. B. Virgo quanto magis laboribus, afflictionibus, angustiis premebatur, tanto splendidior, venustior, fulgentior apparebat, teste s. Ignatio martyre in epistola ad s. Ioannem qui de B. Virgine scribit: *Maria (ut dicunt) in persecutionibus et afflictionibus est hilaris, in penuriis non querula, in iuvantibus grata et modesta, miseris et afflictis condolet, et subvenire non pigrescit.*

26 Topazius B. Virgini adaptatur.
9. Topazius est sapientia Virginis. Topazius, ut Abulensis, Berchorius, Vincentius, et ex iis Alcazar scribunt, comprimit passiones animae, ac nominatim passionem lunaticam, phrenesim, iram, tristitiam, luxuriam. B. Virgo sic composita erat, et nulla passio, vel inordinata affectio, distractio, fragilitas mentem eius perturbaret; sed semper laeta, quieta, modesta, pacifica fuit; in omnibus enim, et per omnia divinis mandatis obtemperavit. Unde eam psalmista dicere potuit: *Parata sum, et non sum turbata, ut custodiam mandata tua.*

27 Chrysopasus B. Virgini adaptatur.
10. Chrysopasus est sapientia Virginis. Chrysopasus infirmitatem oculorum sanat, ut in rem obiectam firmiter infigi possint, B. Virgo sua sapientia errores gentilium, et haereticorum eliminat, errantesque ad Dei cognitionem adducit. Quare Gabriel 4, dist. 49, art. 3, dubio 2 hoc dignum de B. Virgine protulit elogium: *Beatam Virginem doctorum aureola, reliquis aliis praestantiori esse coronatam, quoniam non solum vulgarium hominum, sed et apostolorum, et magnorum theologorum doctrix fuit, et Ecclesiae doctores, patres et magistros sua sapientia illuminavit.*

Doctorum aureolam B. Virgo habet.

28 Hyacinthus B. Virgini adaptatur.
11. Hyacinthus est amor coelestium in Virgine. Hyacinthus est lapis violaceus, et coelestis coloris, et coelestem mentem et conversationem significat. Hinc Ecclesia, et quaelibet anima sancta calceatur hyacinteo, iuxta illud Ezech. 16, 10: *Calceavi te ianthino*, vel ut LXX interpretes legunt, *hyacinthino*, id est violacei, et coelestis coloris calceo. Ecclesia enim et quilibet iustus haec omnia terrena pessumdat, et proterit. Unde luna est sub pedibus Ecclesiae, et sanctorum, Apocal. 12, 1. B. Virgo Maria tota est hyacinthina, cuncta enim temporalia, et omnem creaturarum mutabilitatem despiciebat, et pedibus calcabat. Unde luna sub pedibus eius ponitur. B. Bernardus lib. de beneficiis, cap. 26: *Virginis*, inquit, *appetitus non esuriebat, nihil praeter Deum poscebat, nihil expetebat terrenum.*

29 Amethystus B. Virgini adaptatur.
12. Amethystus est humilitas et sobrietas Virginis. Dictus est amethystus, ἀπὸ τοῦ μεθύσκειν, id est inebriari, ab α privativo, eo quod non inebrietur, id est vini colorem non integre accipiat; aut quod ebrietati resistere credatur. Ita Isidorus, et Rueus, qui etiam citat Aristotelem. B. V. Maria humillima in oculis suis, parva nunquam superbia inebriata est. Unde dicebat: *Respexit humilitatem ancillae suae.* Vides igitur quam insigne, quam praeclarum, quam pretiosum sit vas istud marianum, et quam eleganter ornatum. Mirare igitur, obstupesce, et exclama: O vas admirabile! o instrumentum praeclarum! o receptaculum stupendum! Hoc vas, fratres carissimi, in cordibus nostris diligenter recondamus, ut ipsius salutifero liquore perfundi mereamur. Vas plenum, si moveamur, de facili subvertitur, et effundit liquorem. B. Virgo est vas liquore divinae gratiae plenum; si itaque precibus nostris moveatur, effundet nobis liquorem gratiae in praesenti, et gloriae in futura vita. Quam nobis concedere dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus benedictus in saecula. Amen.

DEVOTIONIS

Devotio largo modo sumpta quid sit.
Sola virtus devotionis in vase mariano tam insigni memoratur, laudatur, decantatur, eo quod devotio, si eam paulo latius accipias, omnem virtutem, qua Deo debitum cultum reddimus, complectitur. Vide s. doctorem nostrum 2 2, q. 82, articulo 1 ad 1, et 2. Cum in B. Virgine devotio decantatur, ceterae virtutes quae ad eam vel ut principium, vel causam, vel effectum, vel signum, vel motivum, aut quovis alio modo referuntur, depraedicantur. Quomodo devotio complectatur omnem virtutem, lege apud d. Thomam loco citato, et apud eius commentatores eo loci, Caietanum, Valentiam, Bannesium nostrum, et maxime Lessium capite 36, dubitatione 2 per totam. Operae pretium est igitur demonstrare, quae quantave fuerit devotio Virginis. Age ordiamur.

DISCURSUS CCCV

QUAE, QUANTA, QUALISVE FUERIT DEVOTIO B. VIRGINIS ANTE CONCEPTUM, ET NATUM DEUM ET HOMINEM

1 Devotio quot modis sumatur.
Devotio duo significat. Primo, specialem actum religionis; et sic devotio nihil aliud est, quam interna quaedam sui ad cultum divinum oblatio et traditio. Sicut enim qui alicuius principis obsequio totum se tradit et devovet, devotus illi principi dicitur: ita qui ex affectu cultus, et honoris divini se totum Deo mancipat, actum peculiarem religionis facit, qui dicitur absolute devotio a devovendo. Unde devoti dicuntur, qui seipsos quodammodo Deo devovent, hoc est destinant, dedicant et consecrant. Propter quod et olim apud Gentiles devoti dicebantur, qui seipsos idolis devovebant in mortem pro sui salute exercitus, sicut de duobus Deciis Titus Livius lib. 10, decade 1 narrat. Unde devotio nihil aliud est, quam *voluntas quaedam prompte se tradendi ad ea quae pertinent ad Dei famulatum.* Ita s. Thomas 2 2, q. 82, art. 1 in corpore.

Devotio quid sit.

2
Secundo, devotio significat conditionem quandam actus interni. Sic devotio nihil aliud est, quam promptitudo quaedam, et fervor affectus ad cultum divinum, puta ad orationem, ad laudem, ad sacrificium, ad adorationem, ad solvenda vota, etc. Unde quicumque prompte et ferventer haec afficiunt, et faciunt, dicuntur devoti. Prompte, inquam, quia promptitudo requiritur, ut superentur omnes difficultates, timores, et perturbationes, quae hominem ad cultum Dei lentum faciunt. Haec autem promptitudo consistit in affectu absoluto, et deliberato vincente omnem timorem, fugam, et tergiversationem voluntatis, ita ut nihil amplius illam retardet ab executione, quando occasio se offert. Fervor vero consistit in intentione, et vehementia affectus. Hinc eos devotos communiter appellamus, quos promptos, alacres, ferventes in iis quae ad cultum Dei spectant, videmus; nemo vero

Devoti qui dicantur.

tepidos in oratione, vel cultu divino devotos diserit. His modis B. V. Maria fuit Deo devota.

3 Maria in templo praesentatur.

Tertio aetatis suae anno a parentum gremio divulsa, in templa praesentata, ac divino obsequio mancipata est, ibique infantiae, ac pueritiae aetatem per undecim annos, ut Nicephorus tradit lib. 2, c. 3, spiritualibus rebus vacans in Sanctis sanctorum religiosissimo traduxit; nec inde discessit, priusquam divino explorato oraculo, sacerdotes Ioseph eius virginitatis custodi eam in sponsam tradidissent.

4 Quid in templo egit.

Quid ibi in templo ageret, b. Birgitta divina revelatione id edocta narravit lib. 1 revel. cap. 10, et lib. 3, cap. 8: *Eo tempore*, inquit, *quo Maria in templo commorata est, ipsam fugisse consuetudinem naturam, immo et propriorum parentum, quoad eius fieri poterat. Nunquam cor eius neque die neque nocte a Deo recedebat. Etiam manuariis operibus intenta, a precibus non desistebat; assidue versans ante oculos Deum, quem unice amabat. Neque prius ei cupiditas dormiendi, quam necessitas fuit. Et si dormiret corpus, vigilaret animus.* Ita etiam notaverat s. Ambrosius lib. 2 de virginibus.

5 Pauca meditationis B. M. Virginis in templo.

Doctissimus, ac sanctissimus, et per omnia B. M. Virgini devotissimus s. Bonaventura Ecclesiae doctor in opusculo de meditatione vitae Christi tomo 2, cap. 3 in persona ipsius Virginis loquitur, et narrat quidnam illa egerit in templo, cum ibi annis undecim moraretur, in haec verba: *Cum pater meus, et mater mea me dimiserunt in templo, primo statui in corde meo habere Deum in Patrem, et devote ac frequenter cogitabam, quid possem facere Deo gratum, ut dignaretur mihi dare gratiam suam. Secundo, surgebam semper in nocte media, et pergebam ante altare templi, et maximo desiderio petebam ab omnipotenti Deo humilitatem, patientiam, benignitatem, mansuetudinem, et omnes virtutes, per quas efficerer gratiosa ante conspectum suum. Tertio, petebam ut faceret me videre tempus, in quo esset nata illa Beatissima Virgo, quae debebat Filium Dei parere; et ut conservaret oculos meos ut possem eam videre, linguam ut possem eam laudare, manus ut possem ei servire, pedes ut possem ire ad servitium suum, genua ut possem adorare Dei Filium in gremio suo.* Haec s. Bonaventura loco citato scribit, et ea b. Elisabethae revelata fuisse monet. Cum enim b. Elisabetha a Deipara instantius quaereret, quidnam illa faceret in templo Domini, cum tenuula a parentibus oblata esset, B. Virgo hoc ei responsum dedit, quod modo retulimus. Cumque b. Elisabeth ulterius quaereret: o dulcissima Domina, non eratis vos gratia, et virtutibus plena? B. Virgo respondit: *Pro certo scias, quod ita me reputabam ream et vilissimam, et gratia Dei indignam, sicut tu, propterea petebam sic gratiam, et virtutes.*

6 Exercitia B. Virginis in templo.

Porro exercitia eius in templo haec fuerunt. Tota rebus divinis ac spiritualibus intenta erat, mane ad horam tertiam orationibus insistebat, a tertia ad nonam opere textrino se exercebat, a nona iterum orabat, donec de manu angeli cibum sumeret. Ita d. Bonaventura loco memorato.

7

Ulterius, mysterium incarnationis quod Virgo Sanctissima ex Scripturis didicerat, saepenumero mente volvebat. Saepius cogitabat, quomodo immensus ille Deus, et infinite bonus naturam humanam assumpturus esset; saepius cogitabat illud Isaiae vaticinium: *Ecce virgo concipiet et pariet filium*, et magno desiderio ferebatur in illam matrem, quae conceptura et paritura erat Messiam promissum, et ut tantae matri inservire posset, toto pectore flagitabat.

8 In B. M. Virgine desiderium Messiae quantum fuit.

O quam felicem se reputabat, si oculis suis Messiam promissum videre, si lingua sua eum laudare, si manibus illi ancillari, si fimbriam vestium eius attingere, si denique genua sua ante eum flectere, et Deum suum adorare posset! Tametsi non raro oculos suos deflectebat ad considerandam parvitatem, et indignitatem suam: et quanto magis elevabatur per contemplationem, tanto magis descendebat per humilitatem. Inde enim nascitur vera devotio. Primo, cum divinam excellentiam consideramus, et beneficia eius recolimus, quae tanquam ex perenni fonte in nos assidue promanant: hinc enim videmus Deum omni cultu, et obsequio esse dignissimum, et incitamur ad peculiarem actum religionis, qui dicitur devotio. Secundo, cum consideramus inopiam, et miseriam quam ex nobis habemus; ex hac enim videmus nobis esse maxime congruum et expediens ipsi servire; nam nemo praeter illum nos iuvare, et beare potest. Vide s. Thomam 2 2, q. 82, art. 3.

Devotio vera unde nascatur.

9 Devotio B. M. Virginis in opere textorio.

Ad devotionem etiam quodammodo spectat lanificium quod D. Virgo eo tempore exercebat. Epiphanius presbyter constantinopolitanus in vita B. M. Virginis: *Erat ipsa docilis, et amans doctrinam; et non solum in sacris litteris, sed etiam in lana et lino, serico et bysso laborabat.* Laborabat autem non res nugosas et curiosas, seu illecebrosas et noxias, quales sunt pepla, et sindones adeo subtiles, ut per eas corporis forma, et nuditas translucea t, quales operari solent mulieres curiosae, et mundanae, sed *conficiebat ea quorum usus in templo erat sacerdotibus*, ait divus Epiphanius, quod devotionem eius arguit. Opus enim quodcumque etiam manuale ad Ecclesiae ornatum, et Dei cultum ordinatum ad devotionem spectat, immo devotionem internam auget, et promovet. Quare virgines orationi et contemplationi addictae a prudentibus confessariis lanificio vacare iubentur, tum ut otium vitent, tum ut orationi, ac contemplationi postea aptiores reddantur; quae enim assiduo orationi, aut lectioni, aut meditationi operam dant, cerebrum quod feminis est debile, affligunt et laedunt, fiuntque phantasticae, anxiae, scrupulosae, maniacae, superbae, delirae, ut experientia docet.

10 Devotio B. Virginis in angeli exceptione.

Ulterius devotio Virginis se prodidit, cum angelum Gabrielem in domum suam excepit. *Credimus*, inquit b. Albertus magnus super *Missus est*, *Mariam Virginem in adventu angeli inclinatis genibus, et elevatis prius manibus, et iactis in coelum oculis ad Patrem misericordiarum pro incarnatione Filii sui devotissimas preces cum lacrymis fudisse, et angelo venienti reverenter assurrexisse, sicque perturbatam de nova salutatione capite inclinato humiliter stetisse.*

11

Praeterea devotio Virginis enituit, cum votum virginitatis Deo nuncupavit, quod ipsa indicavit, cum dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Verbum *non cognosco* tempus omne complectitur; perinde est enim ac si diceret, non cognovi, et non me cogniturum esse decrevi, ut tomo superiore fusius declaratum dedimus.

12 An in utero matris B. Virgo votum virginitatis emiserit.

In hoc voto emittendo nonnulli B. Virginem tam promptam, tamque devotam fuisse autumant, ut illud in matris utero emisisse affirment, ut antequam nasceretur, suam virginitatem Deo sacraverit, quin et in ipso conceptionis instanti (1). Id probatur Barradio, Placido Nigidio, Salazaro, aliisque neotericis qui novas sententias captare solent, dummodo eas devotio suadeat. Nos autem qui candidissimam, eamque solidam in Scriptura, patribus antiquis, ratione firma fundatam s. Thomae theologiam sequimur, huic sententiae subscribere non possumus. Scimus quidem hoc assertum esse pium, et Deo possibile: credimus multa extraordinaria, ac nobis incognita in B. Virginem Deum contulisse privilegia, quae Matrem Dei decebant; sed quae praecise, quanta et qualia illa fuerint, nulli hactenus revelatum est. Quare B. Virginem in utero matris ab instanti suae conceptionis usum rationis habuisse, et tunc votum virginitatis perpetuae Deo nuncupasse, pie opinari, et coniectare possumus; verum id tanquam certum asserere non debemus, cum id Scriptura divina non habeat, traditio, et antiquorum patrum auctoritas non doceat, Ecclesia non definiat. Satis devotionis in B. Virgine enituit, cum accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit. Ita s. doctor 3 p. quaest. 26, art. 4 (2).

Auctoris mens.

13 Devotio B. Virginis in assensu ad legationem angeli.

Tandem devotio Virginis se prodit, cum in Matrem Domini electa ancillam se vocavit, ac in genua provoluta dixit: *Ecce ancilla Domini.* Venienti angelo Virgo sapientissima ac urbanissima honoris gratia assurrexit, ut nuntium, et a quo missus fuerat, pro more, proque merito honoraret. Ita stantibus ambobus,

(1) Adde primo, et dic: in ipso primo conceptionis instanti, item paulo inferius. *Editor.*

(2) Nunc haec sententia, quod B. Virgo habuerit perfectissimum usum rationis ab ipso primo immaculatae conceptionis instanti est communis apud omnes theologos, qui eam ex professo in examen vocarunt, adeoque est certa. S. Ioannes Baptista cum sanctificatus fuit, habuit usum rationis, ut omnes concedunt: ergo id etiam dandum B. Virgini cum sanctificata fuit, nempe in primo instanti conceptionis. Eo magis quod decebat Mariam Reginam angelorum perfectissime prae illis a primo instanti suae vitae Deum cognoscere et laudare et toto corde diligere. Idcirco pie, et rationabiliter asseritur quod ex eo primo instanti totam se Deo sacraverit, emisso voto perpetuae virginitatis. Ceterum quod hoc votum emiserit iam accepto sponso simul cum eo, nunc est sententia reiicienda, cum omnes teneant iam ante emisisse, licet cum eo renovaverit. Vide Bened. XIV in tract. de festis in festo desponsationis B. M. Virginis. *Editor.*

Digitized by Google

legatio illa divina peracta est, ut Marcus Uvignerius cardinalis in suo decachordo parte 1 meditatur. Ubi iam B. Virgo assensum praebere debuit, flexis genibus in terram, ut elevatis oculis in coelum ac manibus, ex intimo corde erumpentibus prae gaudio lacrymis devotissime flagitando dixisse creditur: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, et sic Deum pariter et hominem concepisse. Ita b. Albertus magnus noster super *Missus est*. Ubi mox addit: *Et iste modus positionis, et situs eorum est, qui de manu angeli, et sacerdotis suscipiunt dominicum Corpus de altari.* Hanc devotionem admirans s. Ambrosius ait: *Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam se dicit Domini, quae Mater eligitur.* Hanc devotam humilitatem, seu humilem devotionem alibi saepius exaggeravimus. Faxit Deus ut eam imitemur. Devotionem eiusdem Beatissimae Virginis quam habuit post conceptum, et natum Salvatorem nostrum enarrare pergamus.

DISCURSUS CCCVI

QUAE, QUANTO, QUALISVE DEVOTIO FUERIT B. VIRGINIS POST CONCEPTUM ET NATUM MUNDI SALVATOREM

1 Devotio Virginis post partum.

Post conceptum, et genitum mundi Salvatorem non minor devotio Virginis fuit; sed multis modis aucta est, et semper in ea crevit.

I. Devotio Virginis eminuit, cum primum desideratum cunctis gentibus Messiam e castissimis suis visceribus mundo edidit. Postquam se peperisse sensit, Filiumque natum vidit, statim inclinato capite, iunctisque manibus, magna cum reverentia et humilitate puerum adoravit, et devotissime salutavit: Bene veneris Deus meus, Creator meus, Dominus meus, Filius meus. Moxque illum in manus suscepit, speciosa speciosum amplexa est, suavia oscula infanti impressit, ad pectus magna cum laetitia admovit, ac materno et tenero amore fovit, et calefecit. Nulla ibi obstetrix, nulla mulierecularum sedulitas intercessit; ipsa pannis infantem involvit, ipsa in praesepio reclinavit, ipsa et mater, et obstetrix fuit, ut d. Hieronymus in lib. contra Helvidium scripsit, et post eum b. Birgitta per revelationem cognovit.

2 Devotio Virginis in mysteriorum incarnationis meditatione.

II. Admiranda eius devotio refulsit in assidua mysteriorum illorum quae non solum oculis corporis, sed et magis oculis mentis cernebat meditatione. Omnia Verbi incarnati mysteria Virgo sapientissima in corde suo colligebat, cum figuris atque vaticiniis antiquae legis conferebat, uti s. Lucas 2, 19 narrat: *Maria conservabat omnia verba haec conferens in corde suo.* Considerabat horum mysteriorum altitudinem, mirabatur Verbum infans hominem factum, per quod facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, quod factum est. Stupebat, cum videbat sugentem ubera, qui regit sidera: panem esurire, fontem sitire, lucem dormire, sapientiam instrui, virtutem sustentari, laetitiam plorare, fiduciam pavere, salutem pati. Considerabat horum mysteriorum sublimitatem, maiestatem, bonitatem, insuper sapientiam et caritatem Dei infinitam; et quo magis dono fidei, et sapientiae pollebat, eo sublimiori admiratione rapiebatur. Mirabatur enim non ex ignorantia, sed prae rei magnitudine, sicut et Christus fidem Centurionis miratus est, Matth. 8, id est magnam reputavit; et ex hac admiratione mira devotio in eius animo nascebatur.

Sanctus Basilius seleuciensis episcopus orat. in annuntiat. B. Virginis introducit Deiparam cum Filio suo Deo et homine in una persona ita expostulantem, et disserentem: *Ecquid igitur, o fili, tecum disceptabo? lactene te nutriam, an vero ut Deum colam? ut mater curabo, an vero ut ancilla adorabo? filium amplexu fovebo, an vero ut Deum supplex invocabo? lacne tibi praebebo, an vero thymiama offeram?* Qua putas devotione tunc cor eius ardebat? quantis gaudiis exsuberabat? quanta laetitia affluebat? quanta mentis dulcedine abundabat, dum Virgo haec in corde suo cogitabat, pensabat, conferebat?

3 Septem opera misericordiae B. Virgo Christo exhibuit.

III. Devotio Virginis enituit in solicita Christi educatione, et obsequiis eidem fideliter exhibitis. Devotionis eius indicibilis magnum argumentum est, quod Christo Domino in hac carne mortali degenti omnia opera misericordiae corporalia solicite praestitit, ac exhibuit. Sunt autem septem in evangelio Matth. c. 25 enumerata: esurientes pascere, potum dare sitientibus, nudos operire, aegrotos invisere, peregrinos suscipere, captivos redimere, mortuos sepelire, quae hoc versu continentur:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo. Haec autem opera licet sint actus caritatis, seu misericordiae, a vero tamen religione ac devotione proficiscuntur, et sunt signum verae religionis; nemo enim haec praestat, nisi vera religione imbutus. Hinc d. Iacobus in epist. 1, 27: *Religio munda, et immaculata apud Deum, et Patrem haec est: Visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum.* Haec omnia opera Virgo gloriosissima non minus solicite, quam devote Christo exhibuit.

Esurientem pavit, cum labore manuum suarum in pueritia illum aluit; immo et in aetate adulta usque ad annum tricesimum, quo Christus mundo se manifestans evangelium praedicare coepit, ex eleemosynis piorum virorum alimenta ei ministravit. Non desunt qui dicunt cibum ei parasse Beatam Matrem, quem ei angeli detulerunt; ita enim Matth. narrat 4, 11: *Angeli accesserunt et ministrabant ei.* Huc faciunt verba illa Cant. 2, 16: *Qui pascitur inter lilia.* Christus inter lilia pascebatur, cum inter castissima lilia, Mariam et Ioseph, vivens in pueritia a manibus eorum cibum capiebat, ut d. Bernardus serm. in nativit. B. Mariae exponit. 4 Esurientem pavit.

Sitientem potavit, cum ei ex ubere suo sacrosancto in infantia lac praebuit. Non per nutricem, ut matres illae delicatae, quae absque iusta causa et necessitate filios alere dedignantur, sed eos nutricibus tradunt. Virgo Beatissima Filium suum aluit per se uberibus suis, eum lactavit, nutrivit, potavit. Hinc Ecclesia canit: *Sola Virgo lactabat ubere de coelo pleno.* 5 Sitientem potavit.

Nudum vestivit, cum eum carne sua velut indumento cooperuit. Ante incarnationem Christus cum in forma Dei esset, quasi nudus fuit, nullo enim humano vestimento indutus erat. At ubi incarnari dignatus est, habitum nostrae mortalitatis induit. Philipp. 2, 7: *Habitu inventus ut homo.* Quem habitum ei B. Virgo ex propria carnis substantia confecit, illoque velut purpurea veste in utero suo eum induit. Unde recte Christus B. Virgini dicere potest illud Iob 10, 11: *Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me.* Rursus, nudum induit, cum in porticu bethlehemitico recens natum pannis involvit, et reclinavit in praesepio. Ulterius nudum induit, cum ei vestimenta parabat, quibus ille utebatur. Tunicam illam inconsutilem super quam milites sortes mittebant, fuisse opus manuum B. Virginis Euthymius existimat, quae modo Romae apud s. Ioannem in Laterano religiose asservatur. 6 Nudum operuit. Tunicam Christi B. Virgo manibus propriis confecit.

Infirmum visitavit. Christus Dominus sicuti cum aliis hominibus eiusdem naturae erat, ita quoque eorum infirmitatum, et miseriae particeps et consors fuit. Non quidem passus est infirmitates quae ex defectu naturae ortum habent, puta ex imperfecta corporis formatione, et vitio seminis, vel ex intemperantia, quales sunt caecitas, surditas, febris, morbi caduci, calculi, podagrae, et similes. Corpus namque eius temperatissimum fuit, utpote a Spiritu sancto formatum; ipse quoque temperatissimus erat, et omnium rerum medicarum peritissimus, et multo peritior Adamo, qui in statu innocentiae nulli morbo obnoxius fuit. Passus est tamen Christus infirmitates, id est carnis et animae fragilitates, quales sunt fames, sitis, fatigatio, naturales mortis horrores, ignominiae, irrisiones, verbera, contumeliae, spoliationes, mors demum ipsa. In his infirmitatibus positum B. Virgo eum visitavit, ei sedulo ministrans, compatiens, consolans. Graviter infirmatus est Christus, cum in lecto crucis a planta pedis usque ad verticem capitis vulneratus decumbebat, *nec erat in ea sanitas*, ut ait Isaias. In hac infirmitate B. V. Maria eum visitavit, cum usque ad ultimum halitum ei in cruce pendenti adstitit. *Stabat iuxta crucem Iesu mater eius*, Ioan. 19, 25. 7 Infirmum visitavit. Infirmitates quas passus est Christus, quas non.

Peregrinum suscepit, cum in mundum venientem Christum hospitio uteri sui collegit. Cum Dei Filius in mundum venire dignatus est, non invenit ubi requiesceret pes eius. *In propria venit, et sui eum non receperunt*, Ioan. 1, 11. B. Virgo excepit eum in domum suam, hoc est uterum et cor suum. Ibi eum carne humana velut regia purpura vestivit, vestitum pro salute mundi in lucem edidit. 8 Peregrinum suscepit.

Captivum redemit, cum de cruce depositum in ulnas suas recepit. Acerba illa crux velut carcer quidam fuit, in quo clavorum vinculis constrictus Christus detinebatur. Ex hoc carcere B. Virgo illum redemit, non quidem opere, sed prompta voluntate; si enim potuisset, et divinae voluntati id placitum fore putasset, ipsa pro Filio vitam suam exponeret, ut ille liber a tanto supplicio remaneret. Et huiusmodi voluntatem Deus pro facto acceptavit. *In amicis non res quaeritur, sed voluntas*, ait d. Hieronymus epist. 33 ad Castret. Et s. Ambrosius serm. 26: *Voluntas perfecta faciendi reputabitur pro opere facti.* Hinc Abra- 9 Captivum redemit. Voluntas stat pro facto.

hamo dictum est: *Non pepercisti filio tuo unigenito propter me*. Genes. 22, 12, cum tamen filium non iugulasset, manu ab angelo retenta; sed animi destinatione, voluntatisque non parcendi studiosissimae. Idem de B. Virgine esto iudicium.

10 Mortuum sepelivit una cum Nicodemo, et Iosepho ab Arimathaea, qui mortui Christi corpus e cruce deposuerunt, sindone mundissima involverunt, et in monumento novo in quo nondum quisquam positus fuerat, posuerunt.

11 *Devotio B. Virginis in observatione legis divinae.* Devotio Virginis se prodidit in divinorum mandatorum observatione, quia legis divinae servandae B. Virgo studiosissima fuit, purificationis legem ad quam minime tenebatur, sponte subiit. Templum quotannis ex Nazareth cum Filio statis in lege temporibus non sine longi itineris labore adire solebat, quamvis ea lege mulieres minime tenebantur, sed soli viri. Sic enim Exodi 23, 17 praecipitur: *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.*

12 Quod si devotio in templorum consecratione, et in dedicatione, et in oblationibus elucet; quanta fuit Deiparae religio, quae animum et corpus suum templum Spiritui sancto dicavit, quod Dei Filius sua inhabitatione sacravit? quae Filium suum in die purificationis Deo Patri oblationem gratissimam obtulit? Haec fuit Beatissimae Virginis post conceptum et genitum mundi Salvatorem devotio. Nunc videamus

DISCURSUS CCCVII

QUAE, QUANTA, QUALISVE DEVOTIO FUERIT B. VIRGINIS POST ASCENSIONEM CHRISTI IN COELUM

1 Ascendens Christus in coelum Matrem suam carissimam in hac valle miseriae reliquit ad discipulorum suorum, aliorumque fidelium consolationem, fidei roborationem, auxilium, consilium, instructionem, directionem. Fecit hoc Mater piissima, et non minus solicite quam devote adimplevit omnia quae Christus iniunxerat, ut alibi fusius ostendimus.

2 *Devotio in quo consistat.* Devotio est mandata Dei servare, in omnibus voluntati eius obtemperare, ipsum cogitare, ipsum expetere, propter ipsum omnia facere. Fecit hoc Maria nedum post Christi ascensionem in coelum, sed etiam toto vitae suae tempore uni Deo in omnibus placere satagens, illique pura conscientia in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus vitae suae serviens. *Devotio Virginis in observatione divinorum mandatorum.* Voluntas Virginis erat arca voluntatis Dei. In arca illa veteris testamenti servabatur lex divina, ita et in corde Virginis, ut de ea dicere possis illud psalmi 1, 2: *In lege Domini fuit voluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte.* Verba illa Salvatoris Matth. 5, 18: *Iota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant*, optime quadrant in Virginem. Illa enim nec iota, nec unum quidem praeterivit legis divinae apicem. Omnia mandata divina et magna, et minima perfectissime servavit, nullum ne veniale quidem peccatum commisit. Nulli unquam milites, nulla castra sic praescriptum servant ordinem, ac Virginis virtutes suum ordinem adversus diabolum dimicantes. Quare Cantic. 6, 3 appellatur, *Terribilis ut castrorum acies ordinata.*

5 Devotio est mysteria vitae, passionisque Christi assidue recolere. Fecit hoc Maria. Omnia vitae, passionisque Christi mysteria assidue mente revolvebat. Omnia verba eius Christum resonabant, cogitata et suspiria Christum expetebant. Cum ambularet, non sine Christo ambulabat. Quoties illa flebat, toties propter Christi dolores, vel certe ob Christum plorabat. Si gaudebat, de Christo vel propter Christum gaudebat. Denique nihil erat in illa quod Christum non redoleret, ac repraesentaret. Tota Deo unita, tota Christo devota erat. *Maria vi amoris obiit.* Hinc communis piorum doctorum sententia est, Mariam nullo morbo correptam, nullo dolore oppressam ex hac vita migrasse, sed amoris vi obiisse. Nec mirum; semper enim Dei sui amore exarsit, semper caritatis flammis gravida extitit, semper flammas ab ore evomuit, ab omni parte amoris ignes spirabat.

Profuit haec devotio Virginis apostolis, aliisque Ecclesiae primitivae fidelibus. Nam videntes in Christi Matre tantam devotionem, tantum erga Deum amorem, exemplo illius, auxilio, consilio, oratione ad martyria se animabant, in illis persecutionibus Iudaeorum, calumniis, carceribus, tormentis fortes, constantes, patientes erant, ut superius exemplo s. Stephani protomartyris probavimus. Fuit ergo B. Virgo quasi atlas Ecclesiae primitivae, uti et est modernae.

Devotio est loca sacra, maxime ea in quibus Christus salutem nostram operari dignatus est, frequentius invisere. Fecit hoc Maria post Christi ascensionem in coelum. Speluncam illam bethlehemiticam in qua Verbum incarnatum pepererat, pannis involverat, in praesepio collocarat, a pastoribus et Magis adoratum videbat, saepius invisebat. Nazareth, ubi eum tanto cum gaudio educarat, adibat. Iordanem fluvium, in quo a Ioanne baptizatus, et Patris coelestis testimonio manifestatus erat, revisebat. Montem Calvariae quem Christus sanguine suo pretioso irrigaverat, ascendebat, eumque locum lacrymis irrorabat; tum ad sepulcrum, ubi sacrum corpus eius tumulatum erat, ingressa resurgentis Filii gloriam adorabat. Ad montem olivarum perveniens, unde Christus in coelum ascendit, impressa pedum eius vestigia osculabatur. Haec et alii auctores gravissimi, uti s. Antoninus, s. Vincentius, s. Dionysius carthusianus, Guerricus abbas, s. Ildephonsus relati a Canisio lib. 5 de Deipara, cap. 1 testantur. 4 *Devotio B. Virginis in peregrinatione ad loca sacra.*

Quis tunc sensus Beatissimae Virginis erat? quae suspiria, quos gemitus edebat? quae fluenta lacrymarum ex oculis effundebat, quis enarrare sufficiat?

Clarissima illa vidua romana, nomine Paula, cum eadem sacra loca saepius inviseret, ut scribit d. Hieronymus in eius epitaphio, et pervenisset Ierosolymam, prostrata ante crucem quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat; ingressa sepulcrum resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amoverat angelus, et ipsum corporis locum in quo Dominus iacuerat, quasi sitiens desideratas fidei aquas ore lambebat. Inde Bethlehem ingressa, et in specum Salvatoris introiens, postquam vidit sacrae Virginis diversorium, et stabulum, in quo agnovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui, me audiente, (inquit d. Hieronymus) iurabat, cernere se oculis fidei infantem pannis involutum, vagientem in praesepio Dominum, adorantes Magos, stellam fulgentem desuper, Matrem Virginem, nutritium sedulum, pastores nocte venientes, ut viderent verbum quod factum fuerat. 5

Ex huius religiosae feminae pietatis sensu utcumque colligere licet, quis fuerit Dei Matris animus, cum haec eadem loca sacra revisebat, cum inibi peracta mysteria quorum pars magna ipsa fuit, animo revolvebat, et haud dubie attentius, quo recentius eius inhaerebat memoriae. Non potuit certe ullo momento vitae, passionisque Filii oblivisci, cum cor eius clarissimum vitae, passionis ac mortis Christi fuerit speculum. 6

Et miramur ad sepulcrum Domini iam pridem ab initio tot, tantosque populos ex toto orbe cum omni religione ac pietate concurrisse, atque etiamnum concurrere iuxta illud Isaiae 11, 10: *Et erit sepulcrum eius gloriosum.* Maria id exemplo suo docuit, Maria huic pietati initium dedit, Maria hoc signum devotionis in nationibus erexit, ut ad illud omnes concurrerent. 7 *Peregrinatio ierosolymitana a B. Virgine ortum habuit.*

Devotio est orationi et meditationi vacare. Fecit hoc Maria; nam post Christi ascensionem in coelos cum apostolis aliisque sanctis viris, ac mulieribus in oratione perseverabat, ut testis est s. Lucas Act. 1, 14. Credibile est B. M. Virginem efficacia precum suarum adventum Spiritus sancti accelerasse. Hinc cum omnes discipuli cum Maria Matre Iesu in unum essent congregati, orationi instantes, Spiritus sanctus super eos repente venit, et corda eorum illustratione gratiae suae replevit. 8 *Devotio B. Virginis in oratione, et Sacramentorum frequentatione. Spiritus sancti missionem super apostolos credibile est B. V. Mariam precibus suis accelerasse.*

Devotio est sacrosanctam Eucharistiam saepius sumere. Fecit hoc Maria. Nam, ut eorum temporum pia consuetudo ferebat quotidie Eucharistiam sumere, eidem B. Virgo serviens, quotidie sacram Eucharistiam adibat: et Filii corpus quod prius in utero gestaverat, saepe visceribus inferebat, nec minore fide vel gaudio Filium Deum sub sacratis latentem speciebus excipiebat, quem primum utero intemerato Verbum aeternum exceperat, et humana carne nostra vestierat. 9 *Eucharistiam quotidie sumebat B. V. Maria.*

Ad omnium quidem fidelium solatium Eucharistiam Dominus instituerat, ut sui absentis desiderium moderatius ferrent. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, Matth. 28, 20. Sed praecipue tamen Sanctissimae suae Matris causa illam instituit, ut ante alios et prae omnibus solatio illi foret, tanquam diuturnam hanc peregrinationem ac moram beatitudinis a sua passione lenius illa ferret hac divina eius mensa corroborata. Tum expertus per novem menses purissimi huius diversorii sanctitatem Dominus illud cupidissime repetebat, atque inter illa virginea viscera, quae tantopere placuerant, libens se abdebat, ut et nubis divini sui conceptus, ac commorationis in utero virgineo receptus in Eucharistia similitudinem 10

Digitized by Google

ingereret, ac memoriam refricaret. Recte Damianus serm. de nativit. *Mirabile quidem fuit Christum concipi in utero carnis, sed non est inferius, si deferatur in ergastula pectoris.* Quis autem cogitatione consequi queat, quos hic aestus, quas flammas, quae divini amoris incendia illibata Mater percipiebat; dum sacram illam humanitatem Verbo cohaerentem in suo primum utero virgineo conditam, atque efformatam, ab se enutritam, tot officiis cultam, sacramenti veluti velo contectam intra sese penitissime recipiebat? quibus brachiis Deum filium amplexa teneret, ut tota eius deitate perfunderetur, ambiretur atque extra se raperetur?

Devotio B. Virginis in Eucharistiae sumptione.

11 Devotionis argumentum est alios ad pietatem et religionem inducere, in obsequio Dei instruere, confortare, dirigere, eis auxilio et consilio esse. Praestitit hoc Maria. Postquam Christus in coelos abiit, ipsa praeter apostolos, et evangelistas, de quibus iam toties diximus, alios etiam fideles primitivae Ecclesiae christianos in multis fidei nostrae arcanis instruebat, in persecutionibus illos solabatur, ad martyrium animabat, teneram illam Ecclesiae plantulam monitis suis et exemplis veluti aquis irrigabat. Sic enim Christus in coelum iam iam ascensurus eam alloquitur, apud Marcum Uviguerium cardinalem in chorda nona sui decachordi. *Neque diu, Mater, durabit nostra secundum carnem separatio. Instrues, confortabis, diriges discipulos meos. Et sicut in mea morte tu fuisti lumen indeficiens, spei inconcussa columna, caritatis amplissimum domicilium extitisti: ita post ascensionem meam pro gratiae plenitudine, et beneficentiae exuberanti virtute eris in omnes mihi fide subiectos fluvius gratiosus, quo in principio nascentis Ecclesiae quasi plantulae nutrientur animae iustorum. Cum haec impleveris, cum plantationes nostrae fuerint confirmatae, cum quae ego plantavi, tu irrigaveris, veniam ad te; et quomodo nunc me vides ascendere, sic te conducam. Gaude, Mater optima, et fruere felicitate quam vides in me, quam paulo post senties in te.* Gavisa est Mater ob Filii felicitatem, expectabatque suam. Interim donec tempus adveniret, perfectissime adimplevit, quod Christus iniunxerat. Erat omnium neophytorum mater, nutrix, ac custos fidissima, quos tam caro emptos pretio divini cruoris a Filio meminisset; erigebat lapsos, confirmabat stantes, currentes magis etiam incitabat, solabatur moestos, pusillanimes hortabatur, omnibus accommodata praesidia deferebat, nullumque maternae curae ac pietatis praetermittebat officium: omnibus exemplo, in primis sanctissimae vitae, tum suis ad Deum ardentibus precibus, tum opportuno salutarique maxime sermone prodesse laborabat.

12 Epistolae a B. Virgine scriptae. Ipsa adhuc in terris superstes ad quasdam urbes Italiae, ut Florentiam in Hetruria, Messanam in Sicilia, litteras dedit, in quibus eas ad fidem, religionem, ac pietatem erga Filium suum strenue hortatur. Copias harum litterarum superius in hoc opere inseruimus, ipsa vero authographa praedictae civitates se habere gloriantur.

13 Denique illustre devotionis signum reliquit, cum ex huius vitae exilio in patriam coelestem ad Filium migratura beato Ioanni discipulo dilecto mandavit, ut vestem quandam, qua ipsa benedicta Domina utebatur, pauperibus quibusdam feminis in vicinia degentibus traderet, ut Nicephorus lib. 2 histor. cap. 12 scribit. *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est, visitare pupillos, et viduas in tribulatione earum*, Iacobi 1, 27.

14 Hanc igitur B. Virginis devotionem sectemur, si verum Dei pietatisque sensum, si vere christianos, si sanctae vitae spiritum sugere, atque imbibere cupimus. Sic enim ad omnem sanctimoniam, et innocentiam, et tandem ad vitam aeternam pervenire merebimur. Amen.

DISCURSUS CCCVIII

QUAM INSIGNIS ET EXIMIA FUERIT B. VIRGINIS DEVOTIO

1 Omnia in Beata Virgine esse summa, eximia, egregia, admirabilia, et aliorum vires superantia paulo ante ex Germano patriarcha constantinopolitano diximus, et fusius dilucidavimus. Nunc id ipsum in devotione monstremus.

2 Devotionis quantitas unde pensatur. Devotio potissimum enitescit in iis quae ad cultum Dei spectant, ut in oratione, contemplatione, seu meditatione, et quanto maior in iis fuerit fervor, intentio, et affectus vehementia, in quolibet bono opere potest esse maior et praestantior in uno, quam in altero ex quatuor capitibus.

1. Si ille fervor ex maiori caritate proficiscatur. Caritas enim reliquis omnibus virtutibus dat statum virtutis, tribuitque eisdem dignitatem, vim et efficaciam merendi. Unde quo maior erit caritas, eo maius, dignius, Deo acceptius erit opus. Hinc *respexit Dominus ad Abel, et ad munera eius; ad Cain vero, et ad munera illius non respexit*, Gen. 4, 4; quia Abel voluntate propensa, et amore eximio hostiam Deo obtulit. Lege d. Thomam 1 p. q. 95, art. 4, et 4, dist. 49, q. 4, art. 4 ad primum et secundum. 3

2. Si ille fervor sit in tali opere, quod in aliquem egenum magis dignum impenditur. Hinc eleemosynam magis erogandam egenis bonis, quam peccatoribus docet s. Thomas 4, dist. 15, quaest. 2, art. 6, quaestiunc. 3. Et fuse probat s. Hieronymus lib. contra Vigilantium, et epist. 150 ad Helvidium, quaest. 1.

3. Si ille fervor tantus est, ut hominem impellat ad faciendum bonum opus, puta eleemosynam, non tantum ex eo quod sibi superest, iuxta id quod Luc. 11 praecipitur, verum etiam ex eo quod sibi est necessarium. Ideoque Luc. 21 Christus Dominus viduam illam paupercula in gazophylacium mittentem aera minuta duo plusquam omnes misisse affirmavit.

4. Si illud opus cum aequali devotionis fervore in magis indigentem conferatur. Iam devotio B. Virginis ex his quatuor capitibus insignis et eximia fuit.

I. Ex caritate quae in corde Virginis non solum in devotione, sed et in quolibet virtutum actu, ut quicquid faceret, ex summa caritate faceret. Summa enim gratia, et caritate ceteris omnibus puris creaturis eminebat. Theologi pii et docti constanti asseveratione docent, primum actum amoris divini in B. Virgine tam intensum fuisse, ut superarit omnes actus amoris divini, quos elicuerunt summi angeli, etiam cherubini et seraphini in termino viae suae. Cum autem gratia et caritas in esse habitus augeantur per actus ferventiores, et intensiores praecedente habitu, ut si habeas caritatem ut quinque cum actuali auxilio Dei prorumpat in actum ferventem ut decem, ut augeatur habitus praecedens usque ad decem. Rursus, si illo habitu ut decem prorumpat cum eodem auxilio Dei in actum ferventem ut viginti, augetur habitus praecedens usque ad viginti, et ita consequenter per progressionem arithmeticam semper conduplicando actus; quolibet enim actu caritatis (dummodo sit ferventior praeterito habitu) caritas augetur, ex sententia s. doctoris nostri 2 2, quaest. 24, art. 6. Constat autem B. M. Virginem actus caritatis, religionis, et aliarum virtutum assidue intensissimos elicuisse, consequenter habitus praecedentes ad minus conduplicasse. Quidni conduplicaret, quae ex toto conatu cum actuali Dei auxilio semper operabatur? quam nulla distractio, nulla tentatio, nulla concupiscentia, nulla gravedo corporis, quae in nobis huiusmodi actus remissos faciunt, impediebat? Ergo demus B. Virginem in primo instanti usus rationis habuisse gratiae et caritatis habitum ut centum, (infusus est enim ei maior habitus quam supremo seraphino) ac elicuisse actum caritatis ut centum: illo actu, cum esset ferventissimus, auxit praecedentem habitum caritatis, eumque ad minus conduplicavit, fecitque intensum ut 200. Altero actu ex habitu sic intenso usque ad 200 elicuit actum aeque intensum ut 200; meruit ergo totidem, scilicet ducentos gradus adiici habitui praecedenti caritatis, ut iam is esset intensus ut 400. Tertia operatione elicuit actum intensum ut 400, et eo meruit augmentum aliorum 400 graduum, ita ut ille actus iam esset ut 800. Et sic semper actu adaequando habitum, continuo eum conduplicavit. Quam conduplicationem, si per omnes, et singulos, eosque continuos actus quos B. Virgo Maria toto vitae suae tempore, nimirum per 60, aut (ut plerisque placet) per 70 annos elicuit, per progressionem arithmeticam supputes immensam, et prorsus ineffabilem gratiae, caritatis, virtutum, ac meritorum cumulum, in B. Virgine invenies. Proinde non erravit, qui dixit, B. Virginem hoc tam longo, frequenti ac continuo divini amoris incremento ad tantum caritatis incrementum, immo incendium, et tantum meritorum culmen in fine vitae, puta anno aetatis suae 63, aut 72 conscendisse, ut si in una lance bilancis collocarentur omnia omnium sanctorum, tam hominum, quam angelorum, etiam seraphinorum opera ac merita, in altera vero unius B. Virginis, haec illi praeponderaret. Vide quae diximus hac de re in tomo superiori, discurs. CXXXV, et CXXXVI. 4 Caritas B. Virginis quanta fuerit.

Non desunt qui affirmant B. Virginis devotionem tantam, et tam continuam fuisse, ut ne a somno quidem eius contemplatio retardaretur. In ea sententia fuisse videtur s. Ambrosius, qui 5 Contemplatur

Digitized by Google

B. Virgo etiam in somno.

lib. 2 de virginibus loquens de B. Virgine, haec habet: *Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit: et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat.* Multarum sanctarum animarum est non solum otio sancto dormire, id est a terrenis curis vacare, et in coelestibus per contemplationem corde vigilare; sed etiam secundum corpus dormire, et secundum animam per somnum coelestia videre, ut patet in Iacob, qui dormiens vidit scalam illam, cuius summitas coelos tangebat, Genes. 28, 12. Salomoni quoque concessum est, ut dormiens corpore, vigilaret mente, ut docent Lyranus, et Dionysius carthusianus super 3 Regum. Imo ex sacro textu id colligitur; narratur enim quod Salomon in somno petiit a Domino sapientiam; postulatio autem est actus mentis, et liberi arbitrii. Multi etiam viri sancti, et praecipue prophetae ex speciali dono Dei divina mysteria dormientes intellexerunt, ut constat ex verbis Iob 33, 15, 16: *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo: tunc aperuit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina.* Unde doctor angelicus 1 2, q. 113, art. 3 ad 2 adducens illud Numeri 12, 6: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*, ait, in tali casu conservari usum liberi arbitrii. Quanto igitur verosimilius est id supernaturali Dei virtute Virgini accidisse, ut non solum vigilans, sed etiam dormiens a contemplatione nunquam cessaret, cum verissimum sit illud d. Bernardi epist. 174 effatum: *Quod aliis licet paucissimis est concessum, B. Virgini minime fuit denegatum?*

Sancti dormientes corpore, vigilantes mente quidnam fuerint.

Salomon dormiens corpore mente vigilabat.

6 Cinnamomo cur comparata B.V. Maria.

D. Gregorius nyssenus super cap. 4 Canticorum narrat, cinnamomum hac speciali virtute praeditum esse, ut si dormienti naribus imponatur, nulla re impediri dormientem, quo minus interrogantibus respondeat. B. Virgo ob id cinnamomo comparatur, quod etsi dormiret, passim tamen et familiariter cum Deo colloqueretur. Cor namque eius in somno corporali adeo pervigil fuit, ut intime Deo per coelestium contemplationem uniretur.

7 Placet pro hac sententia ipsissima d. Bernardini verba adducere ex tomo 2, serm. 51, art. 1, c. 2. *Somnus*, ait, *qui absorbet, et sepelit in nobis liberi arbitrii actus, et per consequens actum merendi*, non *credo quod talia in Virgine fuerit operatus, sed animo eius libero ac meritorio actu tunc tendebat in Deum. Unde illo tempore erat perfectior contemplatrix, quam unquam fuerit aliquis alius dum vigilavit.* Quare Cant. 5, 2 ipsa dicit: *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Stat quoque pro eadem sententia b. Albertus magnus cap. 176, et 177, et s. Antoninus 4 parte, tit. 15, cap. 20, parag. 2. Hi aiunt, Virginem nunquam peccasse, nec otiosam fuisse, sed semper cum maxima caritate operasse, in omni actu valde meruisse, ita quod omnis Mariae actio semper fuit intenta in Deo.

8 Rota quae in terra volvitur, parte ima et minima terram tangit, cetera sursum extat, ac in alto est; sic Maria pro humilia decurrens quantum necesse erat corpori sublevando, somno vacabat: optima autem et maxima parte ad coelum elevata fuit.

9 Hominibus in statu innocentiae, *tam felicia erant somnia dormientium, quam vita vigilantium*, teste s. Augustino lib. 5 *contra* Iulianum, c. 9. Id de B. Virgine multo iustius dicere possumus. Vide Suarez super 3 p. d. Thomae, disput. 18, sect. 2. Cui etiam optime accommodes verba illa Prov. 31, 18: *Non extinguetur in nocte lucerna eius*; quia B. Virgo tam nocte, quam die vacabat orationi, et amori divino, ceterisque bonis operibus.

10 Contemplatio B. Virginis quam continua.

In antiquo illo tabernaculo quod Moyses in deserto ex pretiosa, atque omnis generis materia construxit, ex divino praecepto lucerna semper ardebat, Exod. 28, 20. Ad eundem modum in hoc celebri tabernaculo Virginis ignis divini amoris semper inardescebat, semper namque flammigeris caritatis actibus cor eius accensum erat. Quemadmodum enim ex albesto lapide ignis semel accensus nunquam extinguitur, ut divus Augustinus lib. 21 de Civitate Dei, cap. 5, et 6 narrat; sic ignis caritatis Spiritus sancti gratia in anima Virginis ab instanti infusionis gratiae (1) accensus nunquam ardere desiit, sed semper absque ulla intermissione flagrabat, d. Hieronymo id perhibente serm. de assumpt. Virginis: *Totam incanduerat eam divinus amor, ut nihil esset in ea quod mundanus violaret affectus: sed ardor continuus, ebrietas perfusi amoris.* Et b. Anselmus libro de excellentia Virginis c. 4 ait: *Superat omnes omnium creaturarum amores et dulcedines magnitudo amoris Virginis in filium suum, et dulcedinis immensitas qua exultabat et liquefiebat anima eius in Dominum Deum suum.* Hinc coelestis sponsus Cant. 8, 6 caritatem eius igni assimilat: *Lampades eius lampades ignis atque flammarum.* Symmachus vertit: *Impetus eius impetus ignis.* Quemadmodum enim ignis turribus, ut arcibus fortissimis subiectus impetu suo eas evertit, ut solo aequat; ita ignis caritatis Virginis, quo ab instanti infusionis gratiae continuo ardebat, in corde eius omne terrenum desiderium evertit, dispersit, consumpsit, et prorsus annihilavit. Iure a quodam sibi devoto doctore Beata Virgo dicta est, *Æthna caritatis*, quia semper Dei amore ardebat, semper flammis caritatis aestuabat, semper ab omni parte amoris ignes spirabat, et evomebat. Audiamus s. Bonaventuram in Speculo cap. 14 hac de re disserentem: *Quis dubitare potest omnino in caritatis affectum transisse viscera Mariae, in quibus ipsa, quam Deus est, caritas novem mensibus corporaliter requievit?* Et d. Damascenus orat. de nativitate singulas sensuum actiones recensens, haec de B. Virgine narrat: *Oculi eius semper ad Dominum, perenne ac inaccessum lumen intuentes, aures divinum sermonem audiunt, ac spiritus citharae delectantur*, etc. *Cor purum ac labe expers spectatia omni carentem cernens Deum, ipsiusque cupiditate semper flagrans.* Quibus verbis hi sancti patres innuere videntur, B. Virginem caritate non tam fuisse imbutam, quam informatam, et animatam, adeoque fuisse ipsissimam caritatem, sicut ferrum ignitum non tam ferrum esse videtur, quam ignis.

Caritas Virginis quanta, et quam continua.

II. Devotio Virginis insignis, et eximia fuit, quia obsequia religiosa, ac devota non cuilibet, sed ipsi Deo in persona exhibuit. Quod perpendens d. Anselmus in homilia super verba illa: *Mulier quaedam Martha nomine excepit illum in domum suam*, 11
ait: « Alii hospitio quemlibet in domo sua suscipiunt: B. Virgo « non quemlibet, sed proprium Dei Filium, qui non habuit ubi « caput suum reclinaret, non in domo, sed in utero suscepit. « Alii nudum quemlibet veste mutabili, atque corruptibili undelibet composita operiunt: B. Virgo Verbum Dei carne virginea, quam Deus in unitatem personae assumpsit, quae sine line incommutabilis atque incorruptibilis permanet, velut veste « operuit. *Habitu inventus ut homo.* Alii quemlibet esurientem, « vel sitientem cibo, vel potu exteriori reficiunt; Beata Virgo « Deum hominem, in humanitate indigentem, non solum exterioribus cibis, et potibus pavit, verum etiam interiori suo lacte aluit. Et ut breviter illa septem misericordiae opera percurramus, quae cum quis uni de minimis suis facit, Deus sibi « facta confitetur, B. Virgo non quemlibet ex minimis, sed summum Dei Filium hospitem suscepit, aedum carnis, vel etiam « pannis operuit, esurientem pavit, sitientem lacte potavit, infirmum per infantiam, et iacentem non solum visitavit, sed etiam balneando, fovendo, leniendo, gestando frequentavit, ut « merito de ea dicatur: *Martha satagebat circa frequens ministerium.* Comprehenso et crucifixo, quasi in carcere constituto praesto fuit. »

11 Devotio B. Virginis in obsequiis Christo exhibitis.

III. Virginis summa devotio emicuit in eo quod haec obsequia Christo exhibita non de his quae sibi superfuerant, sed de his quae sibi necessaria erant, impendit. Alii induunt pauperes de lana ovis, B. Virgo induit Filium suum de purissimo sanguine suo. Alii pascunt pauperem pane extrinseco, Beata Virgo pavit Deum humanatum de lacte proprio. Alii suscipiunt pauperem in tugurio, Beata Virgo suscepit immensum Deum in corde et corpore suo. Alii propter Deum ministrant infirmo: Beata Virgo Deo in corpore paupereulo ministravit. Alii solliciti sunt ne quid deficiat inopi: B. Virgo solicita fuit, et manibus suis laboravit, ut subveniret Deo homini indigenti. Alii incarceratos, et vulneratos homines visitant, et eis compatiuntur dum vivunt, et mortuos sepeliunt: B. Virgo Christo pro nobis capto, ligno crucis affixo, vulneribus dilaniato tanto dolore compassa est, ut ineffabile sit etiam angelicae linguae. *Summa est*, inquit s. Bernardinus sermone 51, art. 3, cap. 3, *sicut nulla unquam fuit similis contemplatrix, sic nunquam fuit Virgini similis ministratrix.* 12

IV. Virginis eximia devotio se prodidit; nam in maxime indigentem haec opera misericordiae contulit. Nemo quippe inter vistatores fuit Christo pauperior, ipso attestante, Matth. 8, 20: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos: Filius autem ho-* 13

(1) Sic rectius: *a primo instanti immaculatae conceptionis, in qua fuit iam gratia plena etc.* Item corrige paulo inferius. *Editor.*

Digitized by Google

minia non habet ubi caput reclinet. Hanc devotionem Virginis amperius exaggeravimus.

14 Devotio B. Virginis in custodia a peccatis. V. Eximia, et plane admiranda Virginis devotio refulsit in eo quod nunquam peccavit. S. Iacobus in epist. 1, 27: *Religio munda, et immaculata apud Deum et Patrem, haec est... et immaculatum se custodire ab hoc saeculo.* Vere B. Virgo in hoc eximie devota fuit; nam tam solicite se ab hoc saeculo custodivit, ut nullum unquam peccatum, nec minimum quidem veniale, nulla cogitatio, nulla tentatio mentem eius invaderet, et macularet, uti sentit tota Ecclesia, teste Concilio tridentino. Huius autem causa fuit duplex.

15 Ab omni peccato cur immunis B. V. Maria. Prior fuit protectio, et iugis assistentia Spiritus s. qui ita sensus eius mentemque regebat, ut prohiberet omnes illicitos concupiscentiae motus, etiam indeliberatos, et primo primos, ut theologi vocant, quibus etiam Adam in statu innocentiae subiectus esse poterat. Possidebat quippe Spiritus sanctus domum suam, quam sibi consecraverat; adornabat thalamum in quo Filius Dei novem mensibus quiescebat; servabat sacrarium suum exterius amovendo occasiones peccatorum, et interius suggerendo assidue menti eius pias, sanctas, divinas cogitationes ac desideria, intellectui eius tot pias illuminationes, voluntati tot sanctas affectiones iugiter immittendo, ut peccatum velut diabolum exhorresceret. Hinc lex carnis quam theologi fomitem vocant, legem mentis eius nunquam affligebat, rebellio nulla quietem spiritus infestabat (1).

16 Altera huius causa ardentissima caritas, et continuus Dei amor, qui ab ea omne frigus peccati procul depelleret. Sicut enim ardor continuus frigori opponitur, eumque excludit; sic amor Dei continuus opponitur peccato, eumque excludit. Dixi *continuus*, quia si intermittatur ardor et amor, remittitur calor et amor, fitque tepor, ac postea frigus. Ferventissimi saepe fiunt frigidissimi. Immo frequenter fit, cum quis in Religione zelo, ceterisque virtutibus ardentissimus, flagrantissimusque sit, postea si hunc fervorem intermittat, efficitur tepidus, ac tandem maxime torpidus, frigidus, ac rigidus, perinde ac ii qui incaluerunt in hypocausta, si in aerem frigidum exeant, in poros calore apertos subintrante frigore, fiunt frigidissimi, et in maximas aegritudines prolabuntur, ut paralysim, et alios morbos. Ad eundem modum qui antea fuerunt ardentissimi, postea fiunt frigidissimi, et in maxima scelera prolabuntur, uti Lucifer ex ardentissimo seraphino factus est teterrimus cacodaemon, Iudas ex apostolo factus est Christi proditor, Lutherus ex monacho, doctore et concionatore factus est haeresiarcha. Unde sanctus Augustinus aiebat, *se non invenisse meliores illis, qui profecerunt in monasteriis, nec peiores illis, qui defecerunt in monasteriis.* B. Virgo nunquam frigida, sed semper ardens. Verum B. Virgo quia seraphicis amoris aestibus iugiter ardebat, nullum dedit locum frigori, aut tepori; sed semper ad virtutes omnes, praesertim autem ad amorem Dei mens eius instar torrentis continuo rapiebatur; nec caput eius aut mens in hoc ardore lassabatur, vel remittebatur, sed potius augebatur, et accendebatur, id operante Spiritu sancto, qui, uti diximus, assidue interius et exterius eam gubernabat.

17 Donet nobis Dominus, ut scintillam tantae caritatis, tantae religionis, ac devotionis aliquando in cordibus nostris sentiamus. Invocemus potentissimam illam coelorum Reginam, eandemque gloriosissimam Theotocon, quae sibi devotis non solum invocata, sed etiam sua sponte favores et gratias donare, et ad miseros maternas ulnas explicare solet. Praestabit id benignissima Advocata, eademque dulcissima Mater, dummodo hoc conemur, ut sensualem omnem affectionem in nobis mortificemus, radices vitiorum evellamus, atque ita nos componamus, ut mundo mortui soli Christo vivamus, eique nos totos dedamus. Quod ut donare dignetur facere Domina nostra, etiam atque etiam supplicissime, et obnixissime oro atque flagito.

ROSA MYSTICA

Hortum amoenissimum variis florum generibus consitum Ecclesiam Dei esse nemo est, qui ambigat. Hoc enim in divinis paginis testatissimum reperimus. Cant. 4, 12: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus.* Sane conclusus, quia caritatis vallo undequaque cingitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur. In hoc horto hortulanus ille coelestis semper adest varia sementa gratiarum, ac virtutum conserens, tum deinde flores vernantes omnigenae pulcritudinis decerpens, inque conditorium regni coelorum transferens haec lilia nitenti castimonia candicantia, has violas conversione coelesti purpurantes, has rosas martyrio punicantes, inter quas est rosa venustissima Deipara Virgo Maria, quam hoc titulo in praesentiarum condecoramus, ei occinentes: *Rosa mystica.* Proinde videndum est

DISCURSUS CCIX

QUAM APTE DEIPARA VIRGO DICATUR ROSA

1 Dalechampius taxatur. Dalechampius medicus lib. 18 hist. plantarum, cap. 36 non minus inepta, quam impia scripsit, monachos tantum et mulierculas Beatissimam Virginem rosam appellasse, et appellare; quod falsum esse, et temerarium praesens discursus monstrabit.

2 Sub variis florum, et arborum nominibus Deiparae dignitatem, atque praestantiam Spiritus sanctus in Scripturis sacris adumbravit. Sub lilio, Cantic. 2, 2: *Sicut lilium inter spinas.* Sub balsamo, et cinnamomo, Eccli. 24, 20: *Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi.* Sub myrrha electa: *Quasi myrrha electa, dedi suavitatem odoris*, ibidem. Sub nardo, Cantic. 1, 11: *Nardus mea dedit odorem suum.* Sub rubo ardente incombusto, Exod. 3, 2: *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi: et videbat quod rubus arderet, et non combureretur.* Sub cedro, Eccli. 24, 17: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Sub cypresso, ibidem: *Quasi cypressus in monte Sion.* Sub palma, ibidem v. 18: *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Sub platano ibidem v. 19: *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas.* Nulli tamen flori convenientius comparatur B. V. Maria, quam rosae. Eccli. 24, 18: *Quasi plantatio rosae in Iericho.* Et 39, 17: *Quasi rosa plantata super rivos aquarum.* Et cap. 50, 8. *Quasi flos rosarum in diebus vernis.* Illarum siquidem arborum, et florum proprietates certam quamdam Deiparae Virginis virtutem adumbrant. Lilium candorem et puritatem vitae eius designat, balsamum miram virtutum fragrantiam, cinnamomum profundam rerum divinarum contemplationem, myrrha mortificationem, nardus humilitatem, rubus ardens incombustus carnis integritatem, cedrus mentis incorruptionem, cypressus meritorum altitudinem, palma omnium tentationum, passionum et adversitatum victoriam, oliva misericordiam, platanus iuxta aquas miserorum ad ipsam confugientium refugium, rosa vero totam vitam eius exacte exprimit.

3 Haec est rosa illa nobilissima quae de illustrium regum ramis progenita est, quae super coelos quoque exaltata, et per orbem universum dilatata est. Haec est rosa illa fragrantissima, ad quam apis illa coelestis, quae pascitur inter lilia, et florigeram inhabitat patriam angelorum, advolavit, cui insedit, cui adhaesit, ex

(1) Nec poterat infestare, nam ut iam alibi notavimus, fomes omnino in B. Virgine ex speciali privilegio non fuit secundum rectiorem sententiam sicut nec peccatum originale, sed tota enim gratia repleta. *Editor.*

Digitized by Google

qua dulcem humanitatis florem decerpsit. Haec est illa rosa cuius pulcritudinem sol et luna mirantur: cuius odore infirmi sanantur, morbi curantur, mortui resurgunt. Haec est illa rosa, quae suo suavissimo odore superos recreat, inferos contristat, et mundum universum sua gratia refocillat. Age id fusius tractemus, et dilucidemus.

Maria rosa sine spinis

4 Sunt qui dicunt rosas ante peccatum sine spinis vernasse, post peccatum spinis inhorruisse. Ita credidit d. Basilius hom. 5 in Hexameron, et d. Ambrosius lib. 3 Hexameron, c. 11. Rosa nostra Virgo Maria non ante, sed post peccatum floruit; et tamen ex sentibus peccatorum nullam asperitatem contraxit. Perpende quatuordecim generationes ab Abraham, qui genuit Isaac, usque ad *Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*, et invenies inter hos progenitores multos spinosos, quos ferebat hortus ille antiquus. Mulieres intueamur e quibus B. V. Maria originem duxit, quae propterea in eius genealogia recensentur; nonne omnes peccatis obnoxiae, nonne spinae fuerunt? Thamar incestuosa, Rahab meretrix, Ruth idololatra, Bethsabee adultera. Viros aspiciamus; David adulter et homicida, Salomon, Roboam, Ioram, Achaz, Amon, et alii idololatrae. De hoc spineto B. V. Maria velut rosa pulcherrima prodiit.

5 Rosa de spinis prodiens nihil durum vel asperum, nihil horridum, vel aculeatum ab eis contrahit; sed tota mollis, suavis, amoena existit: Deipara Maria de radice durae cervicis prognata nullam duritiem, vel asperitatem ab ea accepit, sed tota mollis, tota suavis, tota gratiosa mansit. Id Sedulius lib. 2 pulcro carmine complexus est:

Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod laedat habens, matremque obscuret honore,
Sic Evae de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquae facinus nova Virgo expiavit.
Sicut spina rosam genuit Iudaea Mariam.

Et Adam de sancto Victore B. Virginem compellans:

Salve Verbi sacra Parens,
Flos de spina, spina carens,
Flos spineti gloria.
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu spinae nescia.

Id devote contemplans mellifluus Bernardus serm. de B. M. Virgine haec ait: *Eva spina fuit, quae et virum suum ad mortem pupugit, et posteritati sui aculeum peccati infixit. Rosa Maria. Eva spina vulnerando, Maria rosa omnium affectus mulcendo. Eva spina infigens omnibus mortem, Maria rosa reddens omnibus salutiferam sortem.*

6 Dolorem, ac sensum qui ex spinarum puncturis accidit, rosa macerata, ac vulneri imposita lenit, et sanat, ut Plinius lib. 11, c. 6 scribit. Ita dolorem peccatorum, quem aculeo praevaricationis suae Eva intulit, Virgo Maria innocentia sua delevit, ac sanavit. *Quod Eva tristis abstulit, Tu reddis almo germine.*

Maria rosa candida et rubicunda

7 Fingunt poetae olim rosam enatam fuisse e sudore feminae nomine Ionne, cuius haec erat indoles, ut in diluculo candida, in meridie vero ruben appareret. Sane quod in hac rosa commentum fuit poetarum, in Beatissima Virgine veraciter impletum video. Haec enim in ortus sui diluculo (1), seu exordio rosa fuit gratiae nitore candidissima: in annuntiationis vero meridie divinitatis igne in utero eius humanam carnem sibi incorporante, amoris flamma ignita, et rubicunda effecta est.

8 Ulterius, candida, et rubicunda. Candida per virginitatem, rubicunda per caritatem; candida carne, rubicunda mente; candida virtutem servando, rubicunda vitia calcando; candida affectum purificando, rubicunda passiones mortificando; candida Deum diligendo, rubicunda proximo compatiendo. Crediderim candorem, et rubedinem Virginis simillimum candori, et rubedini Christi, de quo Cant. 5, 10 dicitur: *Dilectus meus candidus, et rubicundus.* Candidus ille propter puritatem, rubicundus propter caritatem; candida Virgo, et rubicunda propter easdem rationes. Illius quippe virtutes, quoad fieri potuit, B. Virgo perfecte possidet.

Sed maxime candidam, et rubicundam contemplor in eius perpetua virginitate. Rosa vel candida vel rubicunda, virginitas candida simul et rubicunda: candida propter puritatem, rubicunda propter carnis mortificationem. 9

Hinc rosa sua odore, et colore roseo virginitatis symbolum est. *Virginitatis symbolum rosa.*
Quocirca videas virgines rosis, sertisque, vel fasciculis rosarum mirum in modum delectari, eas capiti vel mitra imponere, aut appendere. Christiano etiam ritu rosis feretra eorum coronantur, quibus adhuc virginibus contingit mori. Et Deus ipse virgines, rosis miraculose datis, aut rosarum odoribus honorasse legitur.

Iulianus martyr antiochenus, et Basilissa virgo nuptiis inter se celebratis, cum Iulianus votum continentiae suscepisset, brumae tempore, rosarum ac liliorum fragrantiam in cubili collocati ambo senserunt. Tum sponsus stupescenti puellae dixit, odorem hunc munditiae virginalis esse, cuius suavitate illa capta mox una cum ipso in virginitate perseverare decrevit. Propositum amborum visus confirmavit Christus; namque cum Matre Virgine illis apparuit, pudicitiaeque coronis donatos dimisit. Surius tomo 1, in eorum vita. *Iulianus et Basilissa coniuges virgines.*

Angelus offerens s. Caeciliae et Valeriano eius sponso duas coronas e rosis et liliis, eos ad virginitatem et martyrium invitavit, ut eorum acta testantur.

Dorothea virgo martyrium obiens in hyemis rigore, puta die 6 februarii, ad Teophilum praesidis advocatum tria mala, et tres rosas elegantissimas, ex paradiso Sponsi sui, per puerum, qui procul dubio angelus erat in humana specie, misit, indices suae virginitatis. Ita habet vita s. Dorotheae. 10 *S. Dorothea rosas tempore brumae Theophilo mittit.*

Sanctus Ludovicus primogenitus Caroli II Siciliae regis, ideoque nepos s. Ludovici regis Franciae, spreto regno, Ordinem s. Francisci amplexus, indeque a Bonifacio VIII episcopus tolosanus creatus, moriens visus est rosam ex ore emittere ob meritum virginitatis, quae tanta in eo fuit, ut nec matrem osculari, nec feminam in vultu aspicere unquam voluerit. Ita habet eius vita die 19 augusti apud Ribadeneiram. 11 *S. Ludovicus Ordinis s. Francisci moriens rosam ex ore emittit.*

Et Sanctus Ioslerius monachus s. Bertini moriens anno Domini 1161 quinque rosas e vultu emisit, in quibus inscriptum erat nomen B. Mariae, eo quod vivens quotidie rosarium quinque psalmorum inchoantium a litteris nominis Maria in honorem ipsius recitaret. Ioannes Molanus in sanctis Belgii, die 30 novembris. 12

Virgae aridae Iosephi sponsi futuri Matris Virginis divinitus datum frondere, florere, et fructum dare ob pudicitiam maxime, qua dignus inter multos rivales unus declaratus est, cui Maria Virgo Mater Dei futura desponsaretur, et crederetur. Glycas part. 3 annalium. Cum itaque rosa semper fuerit symbolum virginitatis, merito ob virginitatem B. V. Maria dicitur rosa candida et rubicunda. 13

Maria rosa nobilissima

Rosa est flos florum. Rosae encomium extat apud Sappho poetriam. *Si floribus vellet Iupiter regem imponere, rosa utique inter flores regnaret. Est enim terrae ornamentum, plantarum decus, oculus florum, prati rubor, pulcritudo coruscans, amorem spirans.* Notum est illud Anacreontis: *Rosa honor, decusque florum.* Quare si quis laudibus omnibus sit cumulatus, rosa nuncupatur. S. Rosa virgo Ordinis s. Francisci sic dicta, eo quod velut rosa inter spinas virginitate, virtutibus et miraculis resplenduit. Similiter s. Petrus martyr de Ordine praedicatorum, *Rosa delectabilis* appellatur, quia ex parentibus infidelibus ortus mira fragrantia virtutum velut rosa venusta Ecclesiam implevit, et recreavit. Talis per omnia fuit Beatissima Virgo Maria, Regina florum, id est virginum, immo sanctorum omnium fastigium, Ecclesiae ornamentum, orbis oculus. Hinc sancti patres eam tanquam totius humani generis ornamentum praedicant. S. Cyrillus alexandrinus hom. contra Nestorium eam vocat, *Pretiosam margaritam orbis terrarum.* D. Chrysostomus serm. de Deipara, *Ecclesiae nostrae decus, gloriam, et firmamentum.* D. Damascenus orat. 1 de dormit. Virginis, *Humanae naturae venustatem, mulierum ornamentum, eximium humani generis* 14 *Rosae encomium.* *S. Rosa, et s. Petrus martyr cur rosa appellati.* *Epitheta B. Virginis.*

(1) Dic et corrige: *in conceptionis suae diluculo.* Editor.

Digitized by Google

decus, sacerdotum gloriam, christianorum spem. Et alibi huiusmodi magnificentissima epitheta, et gloriosos titulos multos passim in hoc opere adduximus, et adducemus.

15 Humilitatem animus qualis.
Rosa, licet florum regina, est tamen planta humillima. Deipara licet omnium florum, id est virginum, immo sanctorum omnium Regina, in tota tamen vita sua semper humillima. Habent hoc proprium humiles mentes, quo celsiores sunt, eo humiliores. Paleas ventus tollit in aura, triticum non rapit. Arbor pomis gravida ramum demittit, quem vacua in altum tollit. Iactantur fluctibus naves inanes, onustae vero pondere felicius navigant. Sic magis celsos sapientia, et virtute humilitas, modestia, mansuetudo magis demittit. Talis B. V. Maria; nullus secundum Deum illa celsior, et nullus humilior. Super omnes assumitur, et ancillam se dicit: Regina orbis, et Mater Altitonantis inauguratur, et extremam se feminarum nuncupat: *Ecce ancilla Domini.* Vere rosa florum regina, et tamen planta humillima.

Maria rosa pulcherrima et gratiosa

16 Rosae encomium.
Rosa est flos pulcherrimus. Quidam non ignobilis orator hoc de ea protulit elogium: *Rosa est flos florum, pyropus hortorum et purpura, odorum sapphirus, aprilis oculus, veris Phoenix, naturae pompa.* B. V. Maria pulcherrima, sive corpus sive animam inspicias. Pulcra fuit corpore, quae speciosum forma prae filiis

Pulcritudo B. Virginis quanta.
hominum e castissimis suis concepit visceribus. Quare sicut Christus speciosus fuit prae filiis hominum, ita Virgo pulcherrima fuit inter filias hominum. Pulcritudo enim corporis derivatur in prolem pulcritudine, et specie parentum, magis autem matris, quam patris, iuxta illud: *Multum de patre decoris, plus de matre feras.* Egimus de hoc latius tomo superiore, disc. CXXXII. Pulcrior mente, utpote thalamus Dei, thronus Verbi ex se incarnati, ac consequenter totius SS. Trinitatis. Quid throno Dei pulcrius? Certe nihil, nisi solus Deus. Hinc s. Epiphanius orat. de laudibus Virginis eam compellans, ait: *Solo Deo excepto, cunctis superior existis, formosior ipsis cherubim, et seraphim, et omni exercitu angelico.* Certe formosior; animi enim decor in virtutum omnium splendore, ac gratiae divinae praecellentia consistit. Cum autem B. V. Maria cunctos angelos gratia, et virtutibus longe transcendat: consequenter illis omnibus pulcrior, formosior, venustior, nobilior, gratiosior est. Vide quae paulo superius diximus de pulcritudine Virginis, in expositione epitheti, *Vas spirituale.*

17 D. Dionysius B. Virginem pene deam censet.
Communiter refertur, et hae de re circumfertur epistola s. Dionysii areopagitae ad s. Paulum apostolum, quam nos etiam alibi recitare meminimus ex Christoforo a Castro. In hac epistola s. Dionysius diserte fatetur: *Cum ad deiformem praesentiam altissimae Virginis ductus fui, tam immensus me divinus splendor circumfulsit, et plenius irradiavit interius, tantaque in me omnium odoramentorum superabundavit fragrantia, ut nec corpus infelix, nec spiritus posset totius ac tantae felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit et spiritus tantae maiestatis gloria oppressus. Testor, qui aderat in Virgine, Deum, si tua divina concepta mente non me docuissent, hanc ego deum verum esse credidissem.*

18 Eidem Dionysio homonymus carthusianus lib. 1 de laud. Virg. art. 35 haec scribit: *A planta pedis usque ad verticem capitis nihil penitus fuit in Virgine, neque in corpore, neque in animo indecens, irreprehensibile, indecorum, immo totum fuit divinae sapientiae circino formatum, pulcherrime circumcisum, ab omni superfluitate plenissime ac speciosissime operatum.* Nec mirum. Diva namque Virgo per miraculum a senibus, sterilibusque parentibus, ut paulo ante fuse ostendimus, concepta fuit: hinc non tam parentum, quam Dei, et Spiritus sancti opus extitit. Vide Dionysium Carthusianum libro citato, art. 3.

19 Vultus B. Virginis splendidus.
Idem art. 36 existimat, Virginis Sanctissimae vultum splendore quodam fuisse illustratum, quam opinionem etiam s. doctor noster 3 p. q. 28, art. 3 ad 3 refert, nec reprobat. Tanta erat B. Virginis maiestas, tanta vultus venustas, tantus decor, et concinnitas, ut omnium intuentium amorem sibi conciliaret, et vel ipso vultu Dei Matris prae se ferret dignitatem.

20 Pulcritudo Mariae cur rosae comparata. Pulcritudo
Porro pulcritudo Mariae merito rosae assimilatur. Reliquarum enim mulierum pulcritudines non rosae, sed potius spinae sunt, eo quod intuentium virorum oculos pungunt, et mentem lacerant, et eum ad consensum pertrahunt, quasi inflicto vulnere animam cruentant. Sola Virginis nostrae pulcritudo fuit velut rosa sine spinis; nullius namque mentem pungebat, nullius cor lacerabat, nullius animam, aut oculos laedebat, seu vulnerabat; sed omnium se intuentium oculos sic ad se rapiebat, omnium corda sua inaestimabili castitate sic penetrabat, ut in eis veneream libidinem ad horam extingueret. Id antea docui ex d. Ambrosio, d. Thoma, d. Bonaventura, et aliis, cum exponerem epithetum, *Mater castissima*, ubi verba horum doctorum et loca citavi.

Mariae libidinem extinguebat.

Ulterius rosa nostra est adeo pulcra, adeo venusta, ut pulcritudinem eius ipse Christus admiretur, et dilaudet, Cant. 1, 14 bis repetens: *Ecce tu pulcra es, amica mea, ecce tu pulcra es.* Cui illa: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. O qualis societas!* inquit Hugo victorinus, *Totus pulcher totam pulcram sibi sociat. Ego totus pulcher, et tu tota pulcra. Ego pulcher per naturam, et tu per gratiam. Ego pulcher quia totum quod pulcrum est, in me est; tu tota pulcra, quia nihil quod turpe est, in te est. Pulcra in corpore, pulcra in mente.* 21

Apud s. Birgittam lib. 5 post interrogationem novam Christus singula suae Genitricis membra laudibus extollit, et mystice eorum pulcritudinem declarat; et lib. 1, c. 61 Matri suae haec dixisse scribitur: *Angeli considerant alter alterius pulcritudinem, et pulcritudinem omnium animarum et omnium corporum admirantur; sed animae tuae pulcritudinem vident esse super omnia quae creata sunt, et corporis tui honestatem excellere omnes homines, qui creati sunt; et sic omnes angelos, et omnia quae creata sunt, excellit pulcritudo tua.* 22

Tam venusta tamque speciosa est rosa haec, ut de ea Sophronius serm. de assumpt. Virginis dicere non dubitaverit: *Nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris gloriaeque, quod non ex ea resplendeat; ideoque bene eam circumdant flores rosarum et lilia convallium, ut virtutes virtutibus fulciantur, et formositas decore castitatis augeatur.* 23

Pulcre occinitur ei ab Ecclesia in die assumptionis eius: *Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium.* Dies verni aliis totius anni diebus gratiosiores sunt, eo quod post asperitatem hyemis pacatissimi sunt, turbinum, et tempestatum ut plurimum expertes. B. Virginis virtutes et merita Deo, et hominibus gratissima sunt, eo quod nullis tum internis, tum externis tentationibus perturbata. Reliquorum sanctorum flosculi multis procellis tentationum concussi sunt. *Militia,* enim, *est vita hominis super terram,* Iob 7, 1. At B. V. Mariae merita nullo unquam bello perturbata fuerunt, sed somma pace, et tranquillitate semper fruebantur. *Auferens bella usque ad finem terrae.* Vere et erudite dixit Richardus de s. Victore lib. 2 de Emmanuele, c. 28: *In ceteris sanctis magnificum fuit, quod a vitiis non sint expugnati; in Virgine autem, quod nec in modico impugnata fuit,* subintellige a carne, et mundo; a diabolo enim tentari poterat, ne Filio suo superior esse videretur. 24

Tentationes nullas passa est B. V. Maria.

Maria rosa fragrantissima

Rosa, etiamsi ramos et folia sua non mittat in altum, odorem tamen suum longe lateque diffundit. B. Virgo suavem odorem ac miram fragrantiam emittebat; fuit enim templum castitatis aromatibus refertum. Olim in templo thymiama esse debebat ex unguentis, et aromatibus compositum, ut suaviter omnia redolerent, Exod. 30, 14. Idem in templo hoc Dei animato, templo pudoris, honestatis, puritatis factum est. Nunquam Virgo his aromatibus caruit, nunquam non suavem odorem castimoniae exhalabat; semper redolentissimae castitatis, puritatis, aliarumque virtutum florem penes se retinebat; semper pura, semper illibata fragrantissimam rosam innocentiae conservabat; semper suavissimum virginitatis odorem emittebat, quo totum coelum, immo ipsum Dei Filium adeo recreavit, ut eum in terram traheret. 25

B. Virginis caro fuit odorifera, et unde.

Ferunt Alexandrum magnum Macedonum regem tam suavem odorem ex membris corporis exhalasse, ut et interiores tunicas mirabili fragrantia complerentur. Plutarchus in vita Alexandri, quod et Theophrastus asserit. Sed forsan in rege illo nimis circa corporis cura id praestabat. At B. Virgo adscititios spernebat odores, ipsa naturalis corporis temperies hoc efficere poterat; ipsius namque constitutio optima fuit, ex qua speciali divina prudentia caro a Filio Dei assumenda praeparabatur. 26

Verum hanc rosae proprietatem, puta fragrantiam, in anima B. Virginis magis exquirere libet. Amor castitatis carnem B. Virginis adeo fragrantem reddidit. Pudicitia enim pure fragrat, 27

Castitas odorifera.

Luxuria foetet.

castitatis gratum odorem redolet. Hinc iure s. Petrus Damianus lib. de Omn. c. 3 eam appellavit, *Redolentissimam*. B. Ioannes Climacus gradu 15, *Odoriferam*. Quidni redolest castitas, quae luxuriae foetorem procul pellit, et suaveolentiam suam tam late diffundit, ut etiam coelum ipsum repleat? Sicut enim luxuria foetorem suum etiam in coelum evomit; (idcirco enim Deus Sodomae et Gomorrhae crimen sulphureo igne punivit, ut ex foetore supplicii peccati foetor colligeretur, ut Rupertus notavit) ita castitas odorem suum tam longe lateque diffundit, ut etiam ipsum coelum repleat, et quosvis facinorum foetores e mundo pellat.

Ioseph cur in Aegyptum una cum aromatibus ductus est.

28 Non caret mysterio quod Deus volens Iosephum castissimum iuvenem in Aegyptum ire, fecit ut ab Ismaelitis, non a quibusvis, sed ab iis qui aromata deferebant, in Aegyptum duceretur. Hoc enim Scriptura clare indicat Gen. 37, 25: *Viderunt*, puta fratres Ioseph, *Ismaelitas viatores venire de Galaad, et camelos eorum portantes aromata, et resinam, et stacten in Aegyptum.... Et vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum*. Quid hic mysterii? Quid enim referebat, ut Ioseph in Aegyptum deduceretur non quavis alia occasione, sed una cum aromatibus? Aegyptus immundis impuritatibus facinorum, et maxime carnalium voluptatum foetebat; idcirco oportuit, ut illuc castissimus Ioseph, pudicitiae ac temperantiae exemplar, deduceretur, qui suo suavi odore abominabiles illos foetores vel aboleret, aut certe temperaret. Castitatis enim fragrantia tanta est, ut foetores pellat. Cum itaque B. Virgo fuerit castitatis amantissima, non mirum, si caro eius virginea suavem sit sortita odorem.

29 Ab animo dixi hanc suaveolentiam profluisse; omnes enim dotes quae erant in carne Virginis, transfundebant se a pulcritudine mentis; quo fiebat, ut divina illa puritas, sanctitas, suaveolentia in corpore appareret. Porro si tanta fuit in Virgine fragrantia corporalis, quanta putas fuit spiritualis, quae Deum, et angelos, et animas sanctas mirifice recreabat? Hinc aiunt Cant. 1, 3: *Curremus in odorem unguentorum tuorum*, hoc est virtutum, donorum ac meritorum tuorum.

30 Ulterius, quidni odorem efflaret virginea caro, quae Spiritus sancti gratiam, virtutem, et cetera dona in se abunde recepit? Ferunt, terram in qua arcus coelestis capita deiecerit, cum a siccitate sua imbre immaduerit, halitum gratissimum odoris emittere. Id scribit Plinius lib. 17, c. 5. Multo suaviorem, gratioremque odorem terra virginea, hoc est caro Mariae emisit, cum in eam iam non arcus coelestis, sed ipsemet Dei Filius se demisit, tunc rosa haec suavissimum odorem dedit, cum in eam copiosus imber gratiae divinae descendit.

B. Hermannus audito nomine Mariae se, lorem sentit.

Mariae nomen odorem suavissimum exhalat.

31 Rosa haec mystica tam late odorem suum spargit, ut omnes oblectatione afficiat, quicumque eam nedum mente olfaciunt, verum etiam solum nomen eius venerandum *Maria* devote proferunt. Expertus est hoc Hermannus Ordinis praemonstratensis vir sanctissimus, qui Mariae nomen audiens velocissime se in terram prostrabat, et diutius quoad potuit sine scandalo, seu admiratione sic prostratus terrae adhaerebat. Cumque crebro id faceret contra morem Ordinis, quidam eius familiaris obnixe ab eo petiit, ut huius rei causam sibi enarraret. Narravit: Quoties ad nomen sacrae Virginis humi me abiicio, odorum omnium florum, et aromatum tanta suavitatis copia e terra in nares meas influit, ut semper illic haerere vellem, si liceret. Spe ergo recreationis huius ad prosternendum festinus sum, sed quia aegre tanta privar oblectatione, tardus sum ad surgendum. Hinc etiam factum, ut idem Hermannus soleret Mariam rosae nomine appellare. Surius tom. 2, die 7 aprilis.

Porcus odorum fragrantiam quantum log. at.

Haereticorum impuritas notatur.

32 Nostrum est, hanc fragrantiam appetere, post tam suaves odores huius mysticae rosae currere, eius mores, vitam, merita, et exempla admirari, et sectari. Haeretici huius mysticae rosae odorem oderunt, aversantur, fugiunt. Sed quid mirum? Porcus adeo omnem odit odorum fragrantiam, ut feratur conculcare rosas: et unguenta, pigmentaque adeo horret, ut iis extingui queat, ut animantia alia veneno. Atque hac de causa in Arabia suillum genus vivere non potest, ut Pierius in lib. 4 hieroglyphicorum narrat: quippe enim ea regio sit odoramentorum altrix, a boni cuiusque odoris hoste merito declinatur. Haeretici porci sunt immundi, profundis sordibus inquinati, coeno voluptatum immersi, nulla servant ieiunia, non vigilant: nunquam devotionis ergo peregrinantur: nunquam carnem macerant: non minus quam porci odorem continentiae, et castitatis abhorrent: et nedum in seipsis, sed et in aliis eum sufferre non possunt. Monachos, monachas, aliosque religiosos eum viros, tum mulieres odore castitatis fragrantes non patiuntur: lascivos, impudicos, incontinentes, apostatas fovent, et nutriunt. Quid ergo mirum, si odorem rosae marianae aversentur et fugiant?

Rosarum odore scarabaeus volans moritur, ut tradit Aristoteles de admir. capite 140. Quin si rosaceo unguento ungatur, etiam moritur, ut narrat Clemens alexandrinus Paedag. lib. 2, capite 8. Et merito; stercora enim pro deliciis amplectitur, foetorem omnem tanquam odorem suavissimum expetit; hinc fit, ut odorem rosae quem alii in deliciis habent, ipse respuat, adeo ut in eo amoriatur. Tales sunt haeretici; putidos suos errores amant, sordidas carnis delicias expetunt, pro decoro et odore suavissimo habent; hinc id quod vere odoriferum est, fugiunt, aversantur, oderunt. Sed pereant scarabei Orci, nos rosa nostra mystica delectemur Maria. 33

Scarabaei rosas oderunt.

Haeretici scarabaeis assimilantur.

Maria rosa medicinalis

Rosa improbos humores resolvit et purgat, cordis tremorem sedat, oculorum et aurium dolorem vel expellit, vel mitigat, ut Dioscorides cap. 71 affirmat. Plinius quoque lib. 20 natur. hist. tradit, quod si serta rosacea etiam sicca capiti imponantur, capitis dolorem vel fugant, vel minuunt. Quod Aelianus libro 12 historiae exemplo Aspasiae Hermotimi phocensis filiae confirmat, quae gravi tumore in ipso mento deformata serto rosaceo contrito, ac tuberi imposito, nedum sanitatem recepit, verum tanta pulcritudine emicuit, ut primum Cyro Persarum regi, et eo interfecto, Artaxerxi etiam nupta sit. 34

Sed et mortuis, etiam sepultis rosa utilis est; cariei enim resistit, et putredinem odoremque tetrum arcet. Hinc voluit Homerus, cum finxit cadaver Hectoris a Venere oleo rosaceo inunctum, et ob id a canibus et alitibus, quibus ad devorandum expositum erat, praeservatum fuisse. Apud eundem Homerum legitur de Ulysse, quod marinis fluctibus squalidus, a Pallade oleo rosarum delibutus pristinum decorem recuperavit. 35

Rosa mystica Maria hos omnes effectus in hominibus peccati morbo laborantibus operatur. Quot enim illa cordis tremores patientes, hoc est de salute sua desperantes sublevavit? quot improbos peccatorum humores repulit? quot ambitionis tumores dissolvit? quot superbiae morbo laborantia capita sanitati restituit? quot mortuos in peccatis iam foetentes ad vitam revocavit? Norunt qui aliquando Virginis auxilium implorantes miram eius potentiam, et virtutem experti sunt. Infiniti hodie in sordibus peccatorum computrescerent, nisi rosae istius vis et odor eos reficeret et solidaret. Lege inferius epithetum *Salus infirmorum*. 36

Maria rosa ierichontina

Non cuius rosae Maria assimilatur, sed rosae quae est in Iericho. *Quasi plantatio rosae in Iericho*, Eccli. 24, 18. Non in illa Iericho a Iosue maledicto, amaro, sterili, insalubri; sed in eo, cui Eliseus benedixit, salubri, fecundo, sacrato. 37

Salignacus tom. 9 descriptionis Terrae sanctae, cap. 6 testatur, in Iericho prope fontem Elisei huius generis rosas nasci quae nocte illa qua Salvator de utero Virginis prodire dignatus est, licet siccae sint, paulatim tamen sponte sua se aperiunt, et post eam noctem ramos iterum contrahunt, et in globum se colligunt. Nonnullas ex his rosis se vidisse testatur Martinus del Rio nobilis Societatis Iesu auctor, in libello cui titulus: *Florida Mariana*, panegirico 4. Evidens et clarum incorruptionis marianae miraculum rosa dicitur quasi rore sata. Nam secundum Galenum rosa se in aurora aperit, et rorem coeli, et solis splendorem recipit; sed recedente sole, se iterum claudit. Ad eundem modum rosa mariana, Gabrielis nuntio accepto, in aurora se aperuit, et angelicam salutationem quasi rorem accepit, et nedum solis claritatem, sed ut ipsum solem iustitiae sibi realiter incorporavit, dum consensum praebuit, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Sed iterum se clausit, quia licet ostium cordis per fidem, ac devotionem Dei Filio aperuit, claustra tamen pudoris semper clausa, incorrupta, et integra nedum ante egressum, sed et in egressu, et post egressum Salvatoris servavit. De illa Ezechiel 44, 2 vaticinatus est: *Porta haec clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa*. 38

Rosa unde dicta.

Digitized by Google

30 Iericho rosas odoratas producit maiores, gratiores, candore et rubore insignes; Beatissima Virgo inter alios sanctos est maior, gratior, purior, candidior. Nihil ardentius est Deiparae caritate, nihil candidius eius castitate, ut paulo ante satis superque probavimus. Dicamus ergo huic rosae mysticae, candidae simul et rubicundae, nobilissimae, fragrantissimae, pulcherrimae, medicinali, rosae in Iericho:

Ave rosa speciosa,
Rosa dulcis et formosa,
Tu es rosa singularis,
Sola rosa tu vocaris,
Nostris aspira mentibus.
O formosa, decens, o pulcra, et candida Virgo,
Qualis nulla fuit, nullave esse potest,
Tu vincis formosa rosas, tu candida vincis
Lilia, tu vulta vincis et astra tua.
Tu superas solis radios, lunaeque vigorem;
Luciferi fulgor par nequit esse tibi.
O facies laudanda diu, quam numina coeli,
Cum videant, semper cernere et usque iuvat.
Sunt oculi mites, frons laeta, genaeque decorae,
Os roseum, hinc nobis gratia quaeque venit.

Adsis, Virgo sacratissima, flos illaesus de spina, punctionis expers, spinarum nescia, florum gloria. Nos vera spineta in flores commuta; nos spinis cruentatos tua pulcritudine oblecta, tua virtute sana, tuorum exemplorum odore recrea, quo fragrantes rosae in hoc mundi spineto reperti, tecum tandem in coloniam paradisi coelestis transferri mereamur. Amen.

DE ROSARIO MYSTICO

Hactenus de rosa mystica egimus, superest ut etiam de rosario mystico, hoc est loco rosis consito, in quo copia rosarum spiritualium enascitur, pro nostra tenuitate aliquid dicamus. Et quamvis multi praeclarissimi, tum nostri, tum aliorum Ordinum viri multa hac de re scripserint, et in lucem ediderint; mihi quoque post terga metentium spicas colligere, et ex multis pauca decerpere, et haec in locum redigere liceat, ut omnes intelligant, planeque videant, minime ieiunum esse, et augustum, non sterile, non humile de rosario praedicandi argumentum. Simulque si non in amorem huius tam augustae confraternitatis, ad minus ad iustam eius admirationem rapiantur. Ad hoc autem vel maxime inducor, quia Ordinis praedicatorum alumnus sum, cuius praecipuae partes sunt archiconfraternitatem sanctissimi rosarii praedicare, commendare, et in populo promovere.

Valerianus lithuanides laudatur.

Porro inter eos qui hac nostra tempestate de sanctissimo rosario scripserunt, meo iudicio palmam tenet frater Valerianus lithuanides in Cracovia natus, doctor meritissimus Ordinis nostri, vir pius, mansuetus, fere dixi, sanctus, regularis vitae, et cultus Deiparae Virginis in rosario promotor ardentissimus et ob eam causam omnibus bonis valde carus, tum vero maxime reverendissimo Nicolao Rodulpho, totius Ordinis nostri generali magistro, cuius primo commissarius fuit, postea prior cracoviensis, tum demum hoc anno prior provincialis Poloniae salutatus est; dignus quem gloria virtutum in plura saecula superstitem sustineret. Sed cum haec scribo, nuntium de morte illius accipio. Obiit optimus pater Vilnae die 24 octobris, anno Domini 1635, cum provinciam Poloniae rexisset mensibus sex.

Hortus rosarum a Valeriano lithuanide editus laudatur.

Hic ergo eruditus pater lingua vernacula librum de sanctissimo rosario scripsit, quem hortum rosis consitum appellavit, eumque Augustissimae Imperatrici Deiparae Virgini Mariae dedicavit. Nemo, me iudice, clarius, distinctius, plenius, uberius illo hanc materiam tractavit. Duas plantationes rosae, ut ipse vocat, ierichontinae in hoc suo mystico horto posuit. Unam B. V. Mariae, alteram Sanctissimi nominis Iesu, totumque librum in duodecim partes divisit.

Nos quia haec non ex professo, sed incidenter tractamus, non diu morabimur, sed totum tractatum de rosario mystico in duo capita dividemus. Unum erit de rosario qua confraternitas est, alterum de eodem rosario, qua precandi formula est.

Digitized by Google

DE ROSARIO QUA CONFRATERNITAS EST

CAPUT I

Quid sit rosarium, et cur coetus hominum sub titulo B. V. Mariae congregatus confraternitas rosarii dicatur.

Rosarium quid sit.

Rosarium, si vim vocabuli spectes, idem est quod rosetum, vel locus rosis consitus, ubi plures rosae enascuntur. Cum itaque s. p. Dominicus D. Virgini ad stuporem addictus animadvertisset, B. Virginem esse velut venustissimam rosam omnibus gratiis, virtutibus, donis, meritis ornatam, ut iam diximus, nihil tam ex animo ipsi futurum arbitratus est, quam si rosarum copiam ei deferret, vel sertum mysticis contextum floribus, ex evangelicis conflatum vocibus, et odoriferis orationum dominicalium, salutationumque angelicarum flosculis consertum apportaret. Sunt enim divinae preces tanquam suavissima odoramenta quae in Deiparae nares spirant, et tanquam lectissimi flores quibus virginei eius oculi grato spectaculo pascuntur. Salutationes itidem angelicae sunt velut purpurantes violae, candida lilia, rutilantes rosae, quae Virginis prospectum oblectant, suoque odore ac suavitate animum eius mire afficiunt. Tot orationes dominicas, et tot salutationes angelicas, quasi tot rosas mysticas B. Virgini adnumeravit, eamque quasi corona rosacea ornavit. Unde a rosis hisce societas illa hominum sub titulo Dei Genitricis adunata, has rosas mysticas saepius frequentans, et B. Virgini offerens nuncupata est rosarium, hoc est locus ubi plures rosae mystice enascuntur.

Rosarium cur sic dictum.

Rosarii nomen quando divulgatum.

Illud tamen sciendum est, fraternitatem hanc ab initio simpliciter fraternitatem Mariae fuisse vocatam; sed quoniam sub hoc titulo etiam ante s. Dominici aetatem fraternitates erant multae; idcirco postmodum fraternitas psalterii B. M. Virginis appellata est, eoque nomine usque ad annum 1330, quo collapsa erat, gaudebat. Ab anno postea 1470, quo reflorescere coepit, fraternitas rosarii dicta est, eoque nomine eam hodie totus mundus appellat. Rationes huius assignabo inferius, cum de rosario, qua est precandi formula, agam.

DISCURSUS CCCX

QUO AUCTORE, ET QUA OCCASIONE CONFRATERNITAS SANCTISSIMI ROSARII SIT INSTITUTA

1 S. p. Dominicus rosarii auctor.

Vera, ac firma omnium catholicorum semper sententia fuit confraternitatem rosarii a sanctissimo patre Dominico Ordinis praedicatorum fundatore inclyto, per gloriosam Virginem Dei Matrem, cui devotissimus erat, ad hoc monita et confortato primo fuisse institutam, propagatam, et in diversis mundi partibus non sine magnis, praeclarisque miraculis dilatatam. Id summi pontifices in diplomatibus suis diserte testantur.

2 Et primo Leo X in bulla, quae incipit: « Pastoris aeterni » *sic tradit:* « Olim, prout in historiis legitur, a s. Dominico quae« dam confraternitas utriusque sexus fidelium de rosario eiusdem « B. M. Virginis nuncupata ad honorem salutationis angelicae « instituta, et in diversis mundi partibus praedicata fuit, etiam « sequentibus signis; sed cum ipsa confraternitas decursu tem« poris fere neglecta fuisset, et in oblivionem transisset, etc. »,

3 Deinde Xystus V in suis apostolicis litteris quae incipiunt: « Dum ineffabilia, *ita fatur:* Attendentes itaque quam Religioni « nostrae fructuosum fuerit sanctissimi psalterii, rosarii nuncu« pati, gloriosae semperque Virginis Mariae almae Dei Genitricis « institutum per b. Dominicum Ordinis fratrum praedicatorum « auctorem, Spiritu sancto ut creditur afflatum, excogitatum; « quantaque exinde mundo provenerint, et in dies proveniant « bona; et quod propterea utriusque sexus Christi fidelium con« fraternitates sub invocatione rosarii eiusdem B. M. Virginis « in diversis urbis ecclesiis ac capellis et altaribus canonice in« stitutas, earumque confratres ac sorores a quamplurimis, et « praesertim felicis recordationis Ioanne XXII, et Urbano IV, « ac Xysto etiam IV, necnon Innocentio VIII, Alexandro VI, « ac Iulio II, et Leone X, ac Adriano VI, et Clemente VII, et « Paulo III, ac Iulio etiam III, ac Paulo IV, et Pio etiam « IV, ac Pio V, et postremo Gregorio XIII romanis pontifici« bus praedecessoribus nostris, ac nonnullis Sedis apostolicae « cum potestate legati de latere nuntiis; nedum confirmationem « et augmentum earundem confraternitatum; sed etiam indul« gentias, ac privilegia et indulta merito obtinere meruerint.

Ipsum veterum historiarum monumenta proclamant: et maxime illa quae orbi communes fecerunt Ioannes de Monte, et Thomas a Templo, ambo s. p. n. Dominici socii individui praedicationis, de quorum testimoniis fusius agemus inferius, cum de statu et progressu archiconfraternitatis sacratissimi rosarii ab anno Domini 1221 usque ad annum 1350 tractabimus. 4

De rosario ab ipso qui scripserunt.

Accedunt testimonia virorum praestanti eruditione conspicuorum, et veterum historiarum peritia clarorum. Primum est congregationis leodiensis p. 1, c. 2, quae ita scribit: *Sodalitates sua dignitate fructuque superat nobilissima rosarii sodalitas a b. Dominico Ordinis praedicatorum fundatore circa partes tolosanas primum instituta.* 5

Congregationis leodiensis testimonium.

Alterum est Petri Canisii Societatis Iesu lib. 5 de Deipara, cap. 26, paragr. *Iam vero*, ubi haereticos perstringens, ita ait: *Sive in eos destomachatur, qui sanctum quoddam sodalitium ineunt, ut ad Mariae laudes saepius ex instituto celebrandas conspirent; huiusque consilii auctorem ac ducem Dominicum aliosque sanctos viros in hoc officii genere imitantur.*

Petri Canisii testimonium.

Tertium est Francisci Costeri eiusdem Societatis, qui christianorum instit. lib. 1, cap. 20 sic habet: *B. Dominicus fratrum praedicatorum primus institutor confraternitatem quamdam sua tempore instituit in honorem B. V. Mariae, a diversis summis pontificibus confirmatam, et variis indulgentiis ac privilegiis donatam. Quae in ea maxime posita erat, ut B. V. Mater Dei frequenti repetitione salutationis angelicae honoraretur, singulis qualibet hebdomada rosarium ter recitantibus.*

Francisci Costeri testimonium.

His accedit testimonium adversarii Petri de Vineis cancellarii Friderici II imperatoris, Ordinum s. Dominici et s. Francisci hostis capitalissimi, qui epistolarum lib. 1, cap. 37 epistolam habet in nostros et minoritas plane acerbam nomine cleri adversus duos hosce sacros Ordines conscriptam. Haec habet titulum: *Sacerdotium conqueritur de fratribus praedicatoribus et minoribus, eorumque factum reprimi petit.* In ipsa vero epistola haec habet: *Nunc autem, ut iura nostra potentius enervarent, et a nobis devotionem praeciderent singularum, duas novas frater-* 6

Petri de Vineis epistola.

Digitized by Google

nitates creaverunt, ad quas sic generaliter mares et feminas receperunt, quod vix unus, et una remansit, cuius nomen in altera non sit scriptum. Unde convenientibus singulis in ecclesiis eorundem, nostros parochianos, maxime diebus solemnibus, habere non possumus ad divina: immo, quod deterius est, nefas credunt, si ab aliis quam ab ipsis audiant verbum Dei, etc.

Petrus de Vineis quis.

7 Is autem Petrus de Vineis vixit anno Domini 1239, quem Fridericus imperator utpote oratorem et iurisconsultum illius saeculi non difficile principem ad Concilium generale lugdunense misit: sed postea perfidiae accusatum, quasi officio suo defuisset, et summo pontifici sive connivisset, sive eum contra imperatorem inflammasset, candenti lance aerea oculis abiecta excaecavit, deinde in Apuliam in teterrimum quemdam carcerem coniiciendum, ubi fame et paedore interiret, catenis onustum misit. Deo caecigante petulantiam linguae eius, quam ante aliquot annos Patavii pro concione contra pontificem Christi vicarium, et religiosos viros ei adhaerentes distrinxerat, atque offensis violarat. Lege Bzovium nostrum annalium ecclesiasticorum tomo 13, anno 1246, num. 7.

Petri de Vineis obitus.

8 Porro cum Petrus de Vineis duarum novarum fraternitatum mentionem facit, et contra eas nomine cleri conqueritur, intellige confraternitatem confalonis, quam s. Bonaventura instituerat, et confraternitatem rosarii, quam s. p. Dominicus condiderat. Hinc ergo patet, Martinum Navarrum virum alioqui doctissimum, et pientissimum graviter hallucinatum esse, cum in miscellaneo 4 de rosario, num. 4 scribit: *Anno Domini 1476 quidam egregius doctor Ordinis praedicatorum, nomine Iacobus Sprengherus, instituit solemnem, et generalem omnibus christianis utriusque sexus confratriam rosarii; cum summi pontifices diserte fateantur, huius sacri instituti auctorem fuisse s. Dominicum.* Sed quandoque bonus dormitat Homerus.

Martini Navarri lapsus.

9 At hic occurrunt multi, et nobis obiiciunt: Res sane admiratione digna, vetustorum scriptorum neminem istius sodalitatis a b. Dominico conditae ne vestigium quidem posteris tradidisse. Res d. Dominici gestas plurimi illius aetatis, vel florentis adhuc memoriae viri perscripserunt, ut b. Iordanus saxo, primus a b. Dominico generalis magister Ordinis; Umbertus, qui a b. Iordano tertius eundem clavum tenuit; Gerardus lemovicensis, Stephanus Salanachus, Constantinus urbevetanus postmodum episcopus, qui etiam officium de b. Dominico, quo Ordo utitur usque in praesentem diem, composuit; Theodoricus de Apoldia, qui illustria sanctissimi patriarchae facinora copiose perscripsit. Istud tamen quod excellens, et singulare est, nec ulla ratio praetoria suadebat, quin potius Virginis Matris gloria publicum fieri suo iure deposcebat, calamo ne quidem attigerunt. Adde, quod ceteri, et aliorum Ordinum scriptores, atque inter eos Caesarius heisterbacensis, qui aetate s. Dominici scripsit, nullam tantae rei memoriam ad nos transmiserunt; quod argumento est eos latuisse, consequenter sodalitatem rosarii a s. Dominico institutam non esse.

Obiectio. Vitae s. Dominici scriptores. Iordanus. Umbertus. Officium de s. Dominico quis composuit.

10 Constans tamen veritas est, a. p. Dominicum sodalitatis rosarii auctorem fuisse, et hac de re, praeter testimonia iam allata, Ioannem de Monte, et Thomam de Templo b. p. Dominici socios, aliosque insignes viros scripsisse inferius ostendemus, cum de statu, et progressu rosarii ab anno 1221 usque ad annum 1350 agemus. Inde pete magnas, et varias huius rei coniectores.

Navarri auctoritas enervatur.

11 At ne quempiam moveat Martini Navarri auctoritas asserentis Iacobum Sprengherum rosarii institutorem fuisse, ipsum Iacobum sponte sua veritatem narrantem, et sua verba resonantem audiat. Hic in constitutionibus restitutae sodalitatis statim in principio haec praemittit: *Ego frater Iacobus Sprengher sacrae theologiae doctor, prior conventus coloniensis provinciae Germaniae Ordinis praedicatorum anno reparatae salutis 1475, in festo natalitia B. V. Mariae, cum auctoritate reverendissimi patris ac domini Alexandri episcopi foroliviensis, per Germaniam cum potestate legati a latere nuntii apostolici, constitutiones sequentes multorum S. T. doctorum examine, consilio, et iudicio approbatas ordinavi de antiqua et devotissima confratria rosarii Beatissimae Deiparae, et curavi publicari.* Ita refert noster Ferdinandus de Pineda, operis sui de rosario lib. 2, cap. 7, art. 1. Ex quibus perspicuum est, rosarii sodalitatem longe ante Sprengheri, imo et Alani aetatem institutam esse; dum enim Sprengherus antiquam hanc confratriam vocat, aperte innuit etiam plusquam duobus saeculis antea institutam fuisse. Cui sententiae sacrosancta apostolica Sedes maximum robur adiecit, ut vidimus. Praecipue vero Xystus V pont. max. qui praeter id quod b. p. Dominicum huius instituti auctorem fuisse dicit, pontifices enumerans qui sacrum hoc rosarium confirmarunt, et indulgentiis ac privilegiis auxerunt, Urbanum IV ponit. Hic autem pontifex vixit anno Domini 1261, anno scilicet quadragesimo a felici transitu ex hac vita b. p. n. Dominici. Andreas Coppestein lib. 2 de fraternitate rosarii, cap. 11 pontificibus illis qui rosarii institutum privilegiis ornarunt, adnumerat Alexandrum IV, qui pontificatum gessit anno Domini 1254, uti et Clementem IV, qui Ecclesiam gubernavit anno Domini 1265. Ex quibus perspicuum est rosarii confraternitatem plusquam duobus saeculis Iacobum Sprengherum praecessisse. Quare merito ipse appellavit eam antiquam confratriam.

Sodalitatis rosarii antiquitas.

12 Hinc etiam deprehenditur lapsus Ioannis Bonifacii, qui lib. 2 hist. virginalis, cap. 15, statim initio, cum romanorum pontificum meminit, qui rosarii societatem indulgentiis ornarunt, eorum ducem, ac principem Bonifacium VIII nominat. At is error est insignis, systinae bullae iam adductae contrarius, nam Bonifacio supra triginta annos prior fuit Urbanus IV. Bonifacius enim VIII creatus est pontifex anno Domini 1294, Urbanus vero IV anno Domini 1261.

Ioannis Bonifacii lapsus.

13 Similiter convincitur erroris Sedulius, qui in commentario ad caput 2 vitae s. Clarae ex Thoma Bozio asserit, s. Bonaventuram primam omnium confraternitatem, nimirum confalonis inter saeculares condidisse; quo fieret b. Dominicum sodalitatis rosarii primum auctorem non esse, qui enim primam omnium dicit, quamvis aliam priorem excludit. S. autem Bonaventura posterior fuit aetate b. Dominico plusquam annis quadraginta. Nam Thomas Bozius quem citat Sedulius, diserte fatetur s. p. Dominicum confraternitatem sanctissimi rosarii instituisse. Postquam enim dixisset id quod ex Sedulio retulimus, proxime adiungit: *Ante s. Bonaventuram s. Dominicus formarat societatem rosarii, sed illi nulla lex, nisi meditandi, et orandi, et Eucharistiam sumendi.* Ex quo patet s. Bonaventuram instituisse confraternitatem confalonis non simpliciter primam, sed primam dumtaxat inter confraternitates quae sunt ad eleemosynas tribuendas, et pia caritatis opera in pauperes eroganda institutae. Huiusmodi non est confraternitas rosarii, ut diximus. Nunc videndum est, qua occasione instituta fuerit sacra rosarii archiconfraternitas.

Sedulii lapsus. S. Bonaventura confraternitatem confalonis instituit. Confalonis confraternitas quatenus prima rosario.

14 Beatus Alanus de Rupe Ordinis praedicatorum qui floruit anno Domini 1471, vir in divinis Scripturis eruditus, verbi Dei praeco eruditissimus, Deo summe devotus, B. M. Virginis cultor et admirator egregius, in libro de dignitate psalterii B. M. Virginis originem huius sacri instituti describit. Cum gloriosissimus pater praedicatorum Dominicus terras Hispaniarum causa peregrinationis perageret, (fuit circa annum 1200, nondum Ordine praedicatorum existente) prope s. Iacobum a piratis captus est cum socio suo Bernardo. Ambo ad triremem destinati, cum magna tempestas orta esset in mari, et omnes in summo vitae periculo versarentur, b. pater Dominicus precibus ardentissimis Deum et gloriosissimam eius Genitricem invocabat. Apparet ei B. V. Maria immenso lumine circumdata, et spem facit vitae tum sibi, tum sociis hac conditione, si omnes psalterium B. M. Virginis quotidie dicerent, et confratriam novam quae Iesu Christi, et Virginis Mariae diceretur, amplecterentur. Annuunt illi, et confratriam hanc sanctam celerius instituì cupiunt, cui se totus devovent. Interim frementes fluctus maris quiescunt, et fit tranquillitas magna. Sic igitur ipsa Deipara Virgine s. Dominicum edocente, instituta est confraternitas sub titulo Iesu Christi et Virginis Mariae. Haec b. Alanus ex ore Beatissimae Virginis sibi in visione apparentis se accepisse testatur. Cuius autem sanctitatis, probitatis, et fidei fuerit vir iste, in multis locis huius operis ex probatis auctoribus probatum habes. Vide Indicem verbo b. *Alanus*.

Occasio institutionis sodalitatis sanctissimi rosarii.

15 Aliam occasionem institutionis huius confraternitatis, sed primae non absimilem, multo minus diversam, sed alio tempore subministratam, narrat idem b. Alanus eodem libro, cap. 3, suffragantibus aliis quoque compluribus, Bernardo Lutzembergensi, serm. 15 de rosario, et serm. 27, Antonio senensi in chronico, Ferdinando Castellana de vita b. p. n. Dominici, libro 1, c. 11, et Breviario praedicatorum in festo rosarii. Cum nefaria haeresis Albigensium (Ab Albigo haec dicitur civitas) dignitati Deiparentis potissimum infesta in regione Tolosatium, et Italiae

Albigensium hae-

resis origo.

impie grassaretur, at inter turpissimos errores quos blasphemo ore emovebat, puritatem et integritatem sacratissimae Virginis horribilem in modum lacerabat, s. pater Dominicus, cui nihil post Deum magis cordi erat, quam Deiparantis amor et honor, vehementissimo animi dolore discruciabatur cernens haereticorum procaciam et summum oris propudium. Quare Sanctissimam Virginem beatissimus pater Dominicus assiduis precibus interpellabat, ut honorem et dignitatem suam adversus blasphemantium furores tueretur, et tantae malorum inundationi omnia obruenti praesenti remedio occurreret, tot animas pretiosissimo sanguine Filii sui comparatas in perditionem abire non sinaret. Audivit Regina misericordiae preces servi sui Dominici, seque illi quadam die ferventissime oranti in manifesta visione conspicuam exhibuit, et multo splendore, et gloria circumdata sic eum allocuta est: Bono animo esto, Dominice; nosti quanto impendio sanguinis, et vitae amantissimo Dei Patris, et meo Unigenite salus hominum steterit: non vult ipse perire quos salvavit et redemit. Hoc itaque tot malis magnum erit remedium. Rosarium institue, eamque precandi formulam, quam tibi trado, homines edoce, ac tum Filio meo, tum mihi longe esse gratissimam admone. Hoc erit unicum ad evertendas haereses, vitia extinguenda, virtutes promovendas, misericordiam Domini implorandam magnum, ac singulare in Ecclesia instrumentum. Volo autem atque iubeo, ut tu, tuique in Religione praedicatorum successores huius coelestis, et a me excogitati ritus sitis perpetui praecones, et annuntiatores, unde ingentes utilitates in animis fidelium orientur. Neque ipsa ope auxilioque sequentibus subinde signis unquam defuero. Istud eximium ac singulare donum a me tibi, et surrecturo mox Ordini pacto firmo in aeternum sit. Ex eius maiestatis visione primum perterritus Dominicus, deinde amplissimo Virginis munere egregie confirmatus, dici non potest quanto mentis gaudio fuerit perfusus; inde actis, quantas poterat, sacrae Deiparae gratiis, summaque veneratione exhibita, coepit vir sanctus incredibili ardore devotionem sacratissimi rosarii populis praedicare tanto cum audientium fructu, ut quamplurimi relictis erroribus ad catholicam fidem redirent, et innumerabiles qui peccatorum voraginibus immersi erant, mira Dei benignitate resipiscerent, et ad praeclaram virtutum frugem emergerent. Bzavius annalium tomo 13, anno Domini 1213, num. 11.

S. p. Dominico apparet B. Virgo.

Rosarium tradit.

Rosarii promotores dominicanos esse vult.

Rosarii origo.

36 Quo igitur haec precandi formula ab ipsa gloriosissima Virgine excogitata esset celebrior, et efficacior apud Deum, beatissimus patriarcha Dominicus sodalitatem instituit, in qua pristinam illam primitivae Ecclesiae communem fraternitatem, caritatem, pietatem, sanctitatem excitavit. De qua fraternitate habes Act. 4, 32: *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.* In hac sodalitate dictam precandi formulam usurpari voluit; primis enim saeculis frequentissimus mos erat recitandi psalterium davidicum, ut meminerunt s. Hieronymus, s. Augustinus, s. Basilius, et alii in proemio super psalmos. Et aliquorum sanctorum tanta erat in meditatione psalmorum devotio, ut paria psalmis verbera suae carni usque ad sanguinis effusionem infligerent, et ad impetrandam misericordiam divinam sanguinem lacrymis iungerent. Alii quibus forte tantae lectioni otium non erat, quot davidici psalterii hymni sunt et carmine, tot orationes dominicas fundebant: et hocce pietatis studium psalterii nomine significabant, illudque saepius repetebant anachoretae. Quo igitur hic precandi modus esset utilior, ut dixi, et efficacior apud Deum, beatus pater Dominicus confratriam instituit, in qua hanc precandi formulam frequentare voluit in honorem Deiparae Virginis, cui addictissimus erat, centies et quinquagies repetita salutatione angelica. Impossibile est enim multorum preces non exaudiri. De quo uberius tractabimus, cum de rosario qua precandi formula est, inferius agemus. Pergamus ulterius.

Psalterium davidicum olim in quanta veneratione erat.

Rosarium cur psalterii nomine b. p. Dominicus appellare noluit.

DISCURSUS CCCXI

ARCHICONFRATERNITAS SS. ROSARII CUI COMMENDATA

1 Ex quo sanctissimus patriarcha Dominicus Ordinis praedicatorum auctor inclytus, huius tam sacri instituti inventor extitit, tanta necessitatis vinculo eidem Ordini haec sacra archiconfraternitas copulata est, ut communi vocabulo nunc *patrimonium divi Dominici*, nunc *haereditas praedicatorum* appelletur. Et cum quidam ausu temerario, extra scitum, citrasque permissum Ordinis praedicatorum erigere sibi confraternitates rosarii attentarent, temeritatem eorum compressit sancta Sedes apostolica severe inhibendo, ne cuiquam liceat, cuiuscque sit status, ordinis, gradus, dignitatis, potestatis, vel auctoritatis, confraternitatem rosarii instituere vel administrare, nisi fratribus sancti Dominici, vel illi quibus ipsi ad hoc munus potestatem dederint. Sic enim Pius V in bulla quae incipit: *Inter desiderabilia*, edita anno Domini 1569, die 29 iunii decernit: *Auctoritate apostolica per praesentes statuimus, quod nulli licitum existat cappellam sanctissimi rosarii in quavis ecclesia, sive loco erigere, praeter dictum Generalem, aut ab eo deputatos.* Et inferius subdit: *Nos enim omnes praemissis contravenientes, indulgentiis, et peccatorum remissionibus eis concessis privamus, et privatos, et indignos esse decernimus.* Idem habet in bulla, quae incipit: *Consueverunt*, edita anno quo supra, die 7 septembris. Idem successores confirmarunt Xystus V, Clemens VIII, Paulus V.

Hanc confraternitatem Ordo praedicatorum instituí permittit etiam in locis in quibus domicilium non habet; sed cum certis conditionibus. Prima est, ut communitas quae confraternitatem rosarii habere cupit, eam cum debita instantia ab Ordine requirat, praecipue vero pastor illius ecclesiae, sive eius vicarius id postulet a provinciali, vel priore conventuali, qui illi ecclesiae vicinior est. Nam nedum provincialibus, verum etiam prioribus ea facultas concessa est in capitulo Romae 1589, et Venetiis 1592. Secunda, ut haec petitio in scriptis fiat ad certitudinem facti, et posteritatis memoriam. Tertia, ut illa civitas, oppidum, aut villa, in qua debet confraternitas haec erigi, distet per duo milliaria, vel per unum circiter ab alio loco dictam confraternitatem iam legitime erectam habente. Quarta, ut si quando serius, aut citius contigerit in illa civitate, oppido, villa, vel loco uno milliari vel duobus distante fratres Ordinis praedicatorum conventum habere, eo ipso absque aliqua alia declaratione illa confraternitas ad fratres tanquam ad fontem suum cum omnibus bonis suis spiritualibus, et temporalibus statim redeat. Quinta, ut confratres illi se regant, et gubernent iuxta capitula, et ordinationes, et statuta archiconfraternitatis B. M. Virginis in ecclesia nostra S. Mariae super Minervam Romae erectae. Sexta, ut a reverendissimo patre generali Ordinis praedicatorum, vel a patre provinciali, (maxime in Polonia, ex concessione capituli romani anno Domini 1608) quamplurimum potuerunt, confirmationem potant. Septima, ut communitas illa, seu pastor ecclesiae, in qua erigenda est confraternitas, primo licentiam obtineat a loci ordinario, cum litteris commendatitiis in quibus haec sacra archiconfraternitas, et christianae pietatis officia in ea exerceri solita commendentur populo fideli; alias institutio et erectio archiconfraternitatis erit nulla, et ille qui eam instituere, seu erigere sine praedicta licentia praesumpserit, suspensus ab officio manebit, ut Clemens VIII in bulla quam edidit pro erectione confraternitatum anno Domini 1604, declaravit. Octava, ut sacerdos qui hanc confraternitatem eriget, sit de Ordine praedicatorum, eamque instituat non aliter quam mediis praedicatione, et sit missus ad hoc a provinciali, vel priore conventuali ex consilio patrum conventus cum licentia in scriptis obtenta. 2

2 Rosarium cum quibus conditionibus conceditur aliis ecclesiis extra Ordinem.

DISCURSUS CCCXII

AN ARCHICONFRATERNITAS SACRATISSIMI ROSARII TRANSMIGRAVERIT AB ORDINE PRAEDICATORUM

Hanc haereditatem divinitus Ordini praedicatorum datam nonnulli invidere audaci temeritate ausi sunt, eamque huic praeclaro Ordini pietatis promovendae praetextu eripere tentarunt. Alii auctorem sacratissimi rosarii sanctum patrem nostrum Dominicum fuisse negarunt. Alii in Ordine quidem praedicatorum inchoatum esse, et multis annis floruisse, sed iam ab eo ad iesuitas transmigrasse docuerunt; ex quibus est Everardus Winemer carthusianus, qui in libro de inclytis urbis agrippinae templis, ubi de praedicatorum scribit ecclesia, asserere non dubitavit, rosarii fraternitatem a fratribus praedicatoribus Coloniae, ubi collapsa reflorescere coepit, transmigrasse ad patres iesuitas, eamque ipsam esse quam nunc praedicat Societas Iesu, et alio nomine confraternitatem annuntiatae vocat. Evenit attentatoribus istis, quod Ioseph et Azariae principibus, qui audientes res bene gestas, et 1

praelia quae facta sunt a Iuda et Ionatha, dixerunt: *Faciamus et ipsi nobis nomen, et eamus pugnare adversus gentes, quae in circuitu nostro sunt. Et praecepit his, qui erant in exercitu suo, et abierunt Iamniam. Et exivit Gorgias de civitate, et viri eius obviam illis in pugnam. Et fugati sunt Iosephus et Azarias usque in fines Iudaeae, et ceciderunt illo die de populo Israel ad duo millia viri, et facta est plaga magna in populo, quia non audierunt Iudam, et fratres eius*, 1 Machab. 5, 57, 58, 59, 60. Ad eundem modum isti audientes quanta mirabilia operatus est Deus per fratres Ordinis praedicatorum beneficio rosarii, illud sibi usurpare volebant dicentes: *Faciamus et ipsi nobis nomen*, etc. Sed fugati sunt a summis pontificibus, prostrata est temeritas eorum a sancta Sede apostolica, ut in puncto superiori diximus. Vel evenit eis, quod Davidi, qui audiens quod benedixisset Dominus Obededom et omnia eius propter arcam Dei, adduxit illam in civitatem suam, 2 Reg. 6, 12. Ita hi audientes Ordinem praedicatorum multis benedictionibus a Deo cumulatum ob sacram rosarii arcam, eam de Ordine auferre, sibi vero appropriare voluerunt, sed irrito conatu.

2 Prima opinio errorem intolerabilem continet, nec absque insigni temeritatis nota defendi potest post tam clarissima summorum pontificum testimonia iam allata, qui auctorem rosarii s. Dominicum fuisse suis diplomatibus testati sunt.

3
Sodalitas annuntiatae an sit eadem cum archiconfraternitate rosarii.

Sodalitas annuntiatae a rosario originem trahit. Rosarium est mater sodalitatis annuntiatae.

Secunda auctoris simplicitatem arguit, qui sodalitatem Mariae sub titulo annuntiatae cum archiconfraternitate rosarii confundit. Non inficior, immo ingenue fateor sodalitatem annuntiatae magnam affinitatem habere cum archiconfraternitate sacratissimi rosarii, quia ab eo originem ducit, et ex ipsa velut vitis e palmite, flos ex arbore prodit. Unde quemadmodum vitis palmitem, virga florem producens tantum abest, ut aliquid suae venustatis, et pulcritudinis amittat, quin potius pulcrior, et venustior evadat, ita tantum abfuit, ut confraternitas rosarii per partum sodalitatis annuntiatae aliquid de suae integritatis pulcritudine amiserit, ut potius eius vigor et fama pulcrior, illustrior, nobilior, clarior redderetur. Porro archiconfraternitatem sacratissimi rosarii esse matrem sodalitatis Mariae sub titulo annuntiatae disertis verbis fatetur Groppeus legatus apostolicus in approbatione eiusdem sodalitatis anno Domini 1576, ubi ait: *Nemo in hanc sodalitatem admittitur, nisi prius emiserit professionem fidei editam in Concilio tridentino, nomenque suum dederit confraternitati rosarii apud praedicatores, cuius membrum quoddam hanc sodalitatem esse cupimus.* Quam approbationem gropperianam, quae tantum provincialis erat, universalem fecit Gregorius XIII, et approbavit, multisque indulgentiis auxit pro scholaribus dumtaxat anno Domini 1577, et 1581, et 1584. Deinde Xystus V anno Domini 1585 eamdem sodalitatem annuntiatae ad quoscumque masculini sexus extendit.

4
Sodalitas annuntiatae alia est ab archiconfraternitate rosarii.

Rosarium a dominicanis non migravit.

Nihilominus sodalitas annuntiatae alia est ab archiconfraternitate rosarii sicut flos, vel fructus ab arbore decerptus. Potet hoc, quia iam instituitur, administratur, promovetur ab ipsis patribus Societatis Iesu, nullo praedicatorum consensu requisito, quod certe non esset, si prorsus eadem cum archiconfraternitate rosarii fuisset; nullas enim tunc indulgentias, et peccatorum remissiones haberet, eo ipso quod a fratribus praedicatoribus instituta non sit iuxta Pii V decretum superius relatum. Manet firma, et constans veritas, archiconfraternitatem rosarii ex Ordine s. p. Dominici nunquam migrasse; sed in eo, sicut ab initio manebat, ita manere usque in praesentem diem. Et hodie eo illustrior et clarior est, quo plures sodalitates ex se velut mater fecunda progeneravit, ut inferius dicetur.

5 Deus avertat archiconfraternitatem sacratissimi rosarii a nobis migrasse, migrasset nunque simul a nobis maxima illa Ordinis, et archiconfraternitatis patrona B. V. Maria; migrasset a nobis soror germana a s. patriarcha Dominico progenita, et ad eius ubera enutrita. Repetere libet memoria dictum, factumque insigne uxoris regis Itaphernis, de qua Plutarchus lib. de amicitia scribit: Cum victori Dario sisteretur captiva, toto ore et corpore celsi animi praeferens indolem regiam regem ipsum oris squalore obsita cepit, ut sortem eius miseratus rex Darius, vitam ei condonaret, simulque libertatem eligendi ex omnibus captivis quem vellet liberum concederet. Illa nihil deliberans, germanum fratrem sibi dari poscebat. Quod factum admiratus rex percontatur, cur regem suum coniugem Itaphernem praeterisset? Illa respondit: Alius maritus, aliique liberi, si Deus vellet, possunt mihi contingere, alium fratrem, defunctis iam vita parentibus, non est quod sperem. Is animus, amor idem esse debet fratribus Ordinis praedicatorum adversus suam archiconfraternitatem, nullam illius iacturam parvi pendere, utpote quae ab eodem patre secum sit progenita; quo ea humanis iamdudum exempto, et inter divos relato, iam non est, quod alteram isti similem sperare valeant. Verissimum namque est illud Plutarchi ibidem: *Fratris amissi nulla est recuperatio, ut neque manus oblatae.* Ergo fratres carissimi pro haereditate nostra stemus, ut strenui athletae pro ea pugnemus, eam nobis eripi non sinamus, eam piis colloquiis, exercitationibus, praedicationibus in cordibus fidelium plantemus et promoveamus, zelum s. p. n. Dominici in nobis exprimamus, si tanti patris filii dici et esse volumus.

DISCURSUS CCCXIII

DE STATU, ET PROGRESSU ARCHICONFRATERNITATIS SACRATISSIMI ROSARII AB ANNO DOMINI 1221 USQUE AD ANNUM 1350

1
Dominicanorum priscorum erga rosarium quanta devotio.

Dominicani per rosarium crescunt et florent.

Sancto p. n. Dominico per mortem in coelum feliciter recepto anno Domini 1221, dici non potest quantum hanc devotionem rosarii ipsa Deipara Virgo Maria in fratribus praedicatoribus promoverit, ipsosque deamaverit, et ut per universum terrarum orbem eandem devotionem praedicarent, eis auxilio fuerit. Dabo verba ipsius Deiparae Virginis, quae illa b. Alano fideli servo suo in visione apparens retulit, et ipse in lib. de dignitate psalterii B. M. Virginis, cap. 16 eadem inseruit: « Hortatione p. Dominici cuncti fratres et sorores Ordinis sui infallibiliter, et incessabiliter summa cum devotione mihi famulabantur, et Filio meo in hoc Trinitatis psalterio, ut ad minus quilibet frater omni die diceret psalterium integrum; et si quis omisisset hoc psalterium die aliquo, totam diem existimabat sibi esse perditam. Tanta fuit in hoc psalterio devotio, ut fratres d. Dominici citius reperirentur in ecclesia aut in choro causa huius psalterii dicendi, quam in dormitorio, vel studio. Tantaque huius psalterii in Ordine praedicatorum volitabat fama, ut si quempiam quis vidisset in aliquo negligenter agere, confidenter negligenti dicebat: O frater, certissime psalterium Virginis Mariae non dicis, aut saltem dicis indevote. Quamdiu duravit hoc psalterium in toto Ordine, tamdiu scientia, sapientia, observantia vitae regularis, miraculorum fama et gloria apud Deum et homines in immensum floruit. Per hoc quoque psalterium in ipso Ordine sacro contigerunt prodigia, et signa mirabilia. Per hoc psalterium Ordo d. Dominici intra breve tempus adeo crevit, ut intra sexennium fere per totum orbem percurreret. » Vincentii Bandelli magistri generalis Ordinis praedicatorum extat hac de re grave testimonium declarationibus constitutionum nostrarum insertum, dist. 1, cap. 15. « Dispergente b. Dominico p. n. fratres suos tanquam quosdam radios, immo tanquam quaedam luminaria, ubique terrarum coeperunt homines submittere corda et corpora sacratissimo iugo Christi, indueruntque habitum nostri Ordinis praelati, decani, praepositi, archidiaconi, abbates, priores, monachi, canonici regulares, diversarumque facultatum doctores, et alii viri illustres, et principes vita et scientia eminentes, qui velut filii Israel germinantes creverunt et multiplicati sunt, ac roborati nimis et intra breve temporis spatium per totum mundum diffusi provincias omnes citra et ultra mare fratribus Ordinis impleverunt, et urbes, civitates, oppida ecclesiis, collegiis et conventibus ornaverunt. »

Sabellicus Enneade 6, lib. 9 de Ordine praedicatorum verba faciens, de eius amplitudine, ac numerosa fratrum multitudine ita scribit: *Censebantur cum haec commentaremur una et viginti provinciae praedicatorum, conventus sive coenobia 4143, et in his initiati 26160, quorum circiter 1500 essent theologicae professionis magistri.* 2

3
Dominicanorum amplitudo.

Quid dicam de sanctis quos hic inclytus Ordo sub patrociniis rosarii Ecclesiae peperit? Primo saeculo sui instituti martyres 265 numerat, inter quos sunt illi sex, qui Tolosae pro nomine Christi decollati capita sua ab humeris avulsa e terra erigentes ea propriis manibus ad ecclesiam sui Ordinis detulerunt. Beatos vero operum sanctitate, et miraculorum gloria clarissimos numeramus illo saeculo 70 confessores. Iam persuadeat sibi qui potest, hisce viris relictam a s. p. Dominico haereditatem, puta archiconfraternitatem sacratissimi rosarii cordi fuisse. Quomodo maiorum suorum vestigiis insisterent, si tam salubre institutum

Digitized by Google

a Deipara commendatum, a s. p. Dominico institutum, a patribus suis tam ardenter promotum ipsi relinquerent? quomodo salutem animarum promoverent? quomodo Christi nomen inter tot gentes aut excitarent, aut obsoletum revocarent? quomodo depravatos mores hominum emendarent, si hoc unicum ac singulare ad evertendas haereses, et vitia extinguenda praesidium neglexerent?

4 *Dominicani quum late per orbem dispersi.* Accedit, quod Nicolaus IV pont. max. anno Domini 1299, die 3 septembris litteras dedit ad fratres Ordinis praedicatorum, qui tunc morabantur praedicando Christi evangelium in vastis illis orientis oris, inter barbaras nationes, puta Saracenos, Graecos, Bulgaros, Cumanos, Walacos, Æthiopes, Syros, Iberos, Alanos, Azaros, Gothos, Ziros, Ruthenos, Iacobitas, Nubianos, Nestorianos, Georgianos, Armenos, Indos, Tartaros, Ungaros maioris Ungariae, etc. quarum litterarum copiam habes apud Baptistam Confettium in Nicolao IV. Putasne fraternitatem rosarii eis non praedicasse? credibile ne est viros tanto zelo Dei, ac salutis animarum flagrantes hoc unicum pro convertendis animabus remedium non adhibuisse, et spiritu s. p. Dominici praeditos cultores fraternae in rosario pietatis minus diligentes fuisse?

5 *Dominicani primaevi rosarii promotores fuerunt.* Adde, quod pari omnino passu et zelo Ordo, et fratres sacratissimi rosarii currebant. Sancto quippe patri Dominico geminas manus ad operandum, vel geminos pedes ad currendum Deus dederat; alteram Ordinem, alteram fraternitatem. Quomodo ergo uno pede tantum spatium orbis terrarum percurrere, quomodo una manu tot fructus animarum colligere fratres eius poterant? Igitur devotione rosarii, velut acu filum, ita fidem et pietatem in animas hominum inducebant. Prodeat testis omni exceptione maior Leo X pont. max. qui de hoc primo constitutae fraternitatis saeculo ita scribit: *Confraternitas utriusque sexus fidelium de rosario B. M. Virginis a s. Dominico instituta, et in diversis mundi partibus per asseclas s. Dominici fratres praedicata fuit, etiam sequentibus signis.*

6 *Rosarii devotio a principio quanta fuerit ex narratione ipsius B. Virginis.* Porro quantus fervor, quantave devotio populi illo saeculo erat, b. Alanus, ipsa Deipara Virgine id ei referente, lib. quo supra, c. 17 scribit. « Per hoc (*subaudi rosarium*) scelesti peccatores, et mulieres in sanctam vitam mox convertebantur, gemitusque et fletus dabantur in abundantia. Poenitentiae causa huius psalterii etiam a pueris, et puellis fiebant incredibiles. Devotionis ardor ad me, et Filium meum, per hoc sic florebat, ut angelos in terris vivere fere putares. Fides quoque sic roborabatur, ut plerique cuperent libentissime mori pro fide, et contra haereticos bellare. ».

7 *Fructus ex rosario in ipsius exordio quanti.* Subdit miras Simonis comitis Montisfortis victorias. Deinde addit: « Sicque oratione dilectissimi mei Dominici una cum virtute huius psalterii terrae haereticorum subiugatae sunt Ecclesiae. Huius virtute psalterii multae fiebant eleemosynae, fundabantur ecclesiae, hospitalia aedificabantur, casta et honesta vita ducebatur, mirabiliaque plurima fiebant. Sanctitas etiam maxima, et contemptus mundi, honor Ecclesiae, maturitas principum, pax civium, honestas et communitatum et domorum vigebant. Quinimmo laboratores manuales non prius operi attendebant, quam me in psalterio meo salutassent; nec dormiebant, nisi prius genibus flexis devota in hoc mihi servivissent. Immo si casu dormientes se non dixisse psalterium meum recordati fuissent, mox e lecto prosilientes, et devotius poenitendo me salutabant. Tanta fuit istius psalterii fama, ut si qui fuissent devoti, mox ab omnibus auspicabantur fratres esse mei psalterii. Si vero aliquis peccator, aut blasphemus videbatur, de illo proverbium dicebatur: Iste non est de fratribus s. Dominici. Nec silebo quanta signa et prodigia per hoc psalterium in diversis mundi climatibus peregi. Pestilentias universales per hoc psalterium sedavi; bella horribilia pacavi; febres, sanguinis fluxiones, et huiusmodi nociva corporibus hoc psalterio penitus propulsavi. Certe mundus tunc meis gaudebat donis, coelestes angeli vestris iucundabantur psalteriis, tota Trinitas in eo laetabatur, Filiusque meus tanto praeconio gaudebat. Et ego supra omne quod potest a vobis excogitari, iucundabar, et gaudebam: *Et infra:* Hoc mihi gratissimum inter omnia est post missam fere quae fiunt in ecclesia ». Haec ipsa Deipara Virgo in visione referebat b. Alano sibi devotissimo, quae ipse non tam latine, quam pie, et vere suo libro inseruit, quem de dignitate huius psalterii conscripsit.

8 Ulterius, id colligi potest ex multis concionibus, variis opusculis, prosis, hymnis, antiphonis illo saeculo in honorem D. M. Virginis a viris doctis compositis, et ab omnibus cantatis, ex ieiuniis Sabbati quae tunc devotius observabantur, et ex genuflexione ad pulsum matutinum, meridianum, et vespertinum pro salutatione D. M. Virginis, quae tunc usurpari coepit. Quod non obscurum indicium est, tunc vel maxime devotionem rosarii viguisse.

At inquies, nullam tunc rosarii mentionem fieri. Sed a fortiori colligitur illud tunc viguisse. Si enim aliae precandi formulae in honorem B. M. Virginis tantum vigebant et florebant, a fortiori rosarium, quod iam pridem in usu esse coeperat, et tot miraculis ac prodigiis confirmatum, tot indulgentiis ornatum erat. 9 *Antiquitatis rosarii argumenta.*

Certe Ioannes XXII illo saeculo factus papa, nimirum anno Domini 1316, concesserat indulgentiam 24 annorum, et hebdomadarum 36, et duos dies recitantibus rosarium eo tempore psalterium D. Virginis nuncupatum, quam bullam testatur se vidisse b. Alanus, et autographum ipsius dicit extare in conventu avenionensi. 10 *Indulgentiae antiquae rosarii.*

Similiter Concilium avenionense concessit indulgentias 50 dierum recitantibus unam salutationem angelicam; proinde recitans integrum psalterium B. Virginis consequebatur indulgentiam dierum 7500, qui faciunt annos 6, hebdomadas 4, dies duos.

Paulo ante circiter annis 20 Bonifacius papa VIII, qui ad pontificatum assumptus est anno Domini 1294, tantos Ecclesiae thesauros in fraternitatem psalterii B. M. Virginis profudit, ut a Ioanne Bonifacio Societatis Iesu scriptore in Horto virginali, l. 2, c. 15 dicatur: *Dux et princeps eorum pontificum qui indulgentiis ex inexhausta Ecclesiae thesauro societatem rosarii ditaverunt.* Non parva sunt haec, non obscura de fraternitatis vigore, ac splendore testimonia. 11 *Bonifacius VIII primus rosarium indulgentiis ditavit.*

Insusurrabit forsan retusior aliquis: De hisce scriptores nihil. Sed quid opus erat rem eam litteris commendare, quam tanta monumenta secum certius ad posteritatem deferebant? Sed si tam mordicus scriptores a me poscis, dabo. 12

Ioannes de Monte, et Thomas de Templo, ambo s. p. n. Dominici socii individui praedicationis, quae audierant, et viderant, dicta gestaque eius litteris consignarunt. Eorum alter, videlicet Ioannes de Monte, suae praedicationis ac zeli specimen reliquit, conscripto a se volumine, cui titulum fecit: *Mariale.* Supervixit s. p. Dominico quatuor annis, mortuus est enim anno Domini 1225, ut scribit Antonius senensis in chronico Ordinis praedicatorum. Alter vero Ioannes de Templo vir in divinis Scripturis eruditus, religione praestans, et fama spectabilis scripsit librum de miraculis psalterii B. M. Virginis et de praedicatione illius facta per b. p. Dominicum. Hic vixisse proditur diutissime usque ad annum Domini 1280. Antonius senensis loco quo supra. 13 *Scriptores prisci de rosario.*

Deinde Caesarius heisterbacensis scripsit lib. 12 dialogorum de rebus gestis suo tempore, in quibus non pauca, seu admirationis seu miraculi plena commemorat de frequenti usu salutationis angelicae, quae partim Coloniae, partim in locis circumviciniis contigisse certis didicerat auctoribus. Non quidem usquam auctor ille de psalterii aut rosarii nomine meminit, sed solius numerosae, saepiusque frequentatae salutationis angelicae, quae Michael ab Insulis in quodlibeto de rosario constanter ad rosarium refert. 14

Cornelius Snebis rosarii praedicator generalis de rosario Mariae serm. 8 narrat, in ecclesia s. Petri oppidi insulensis se reperisse, et manibus tenuisse quemdam antiquum librum in pergameno scriptum de institutione cuiusdam fraternitatis in honorem B. M. Virginis *de Traillia* nuncupatae, quae institutio, uti in praefato libro habetur, facta fuit anno Domini 1237. *Reperi*, inquit, *ibi diversa nomina diversarum, et multarum virginum religiosarum ad dictam fraternitatem receptarum, quae loco contributionum temporalium pro fraternitatis sustentatione in luminaribus, et aliis necessariis obtulerunt* dona *spiritualia, videlicet psalterio dominica, et mariano, sive de Domina.* 15

Idem Cornelius de fraternitate halberstadiensi ibidem haec scribit: *Reperi in bibliotheca halberstadiensi conventus fratrum praedicatorum librum quemdam de nullo otio, quam de psalterio B. M. Virginis tractantem, quem adhuc hodie videre est. Creditur esse scriptus statim post tempora s. p. Dominici.* Plura vide apud eundem Cornelium. 16

Sed omnium luculentissimum testimonium est b. Umberti, quinti magistri Ordinis praedicatorum, qui floruit anno Domini 17

1254. Is in libro sermonum de fraternitate, libro 2, serm. 59 sic scribit: *Confratrias coepisse videndum est ad exemplum Ecclesiae primitivae, ut enim tunc, 1. erant congregati, 2. erat illis cor unum, 3. sanctis operibus vacabant, 4. sua in communi ponebant; ita et nunc in confratriis B. Virginis maxime per Italiam.* Et serm. 9 fructus confraternitatis huius enumerans, ait: *Nam 1. conveniunt in locum religiosum ad missam, 2. ibi fit sermo, et instructio ad fratres, 3. faciunt de bonis suis eleemosynas, et luminaria, 4. fiunt commemorationes confratrum defunctorum, 5. fiunt correctiones male se habentium, 6. fiunt orationes, et eleemosynae ad invicem, 7. fit quilibet confrater particeps omnium bonorum supradictorum. Haec est enim differentia inter fratres carnales, et spirituales, quod illi dividunt communia, hi communicant propria, ideo iustum est ut sua communicantibus communicetur Spiritus sanctus, qui datur calcantibus terram, et concordibus spiritu.* Haec Umbertus.

18 Non minus clara antiquitatis sacratissimi rosarii testimonia extant apud Thomam Cantipratensem natione Brabantum, b. Alberti magni discipulum, episcopum, suffraganeum cameracensem, qui floruit circa annum Domini 1260. Hic in libro quem vocavit *Apum* nonnulla miracula recenset, quae ad recitationem psalterii mariani facta sunt. Vide eum lib. 2 Apum, cap. 29, part. 6, et 8.

19 S. Ludovicus Galliae rex rosarii precibus a Deo impetratus.

Illud quoque satis apertum antiquitatis rosarii est testimonium, quod cum Blanca Galliae regina, matrona sanctissima, multis annis cum viro vixisset, nec ullam ex eo (quod satis aegre ferebat) prolem suscepisset, rogavit s. p. Dominicum per id tempus in Gallia degentem, ut prolem sibi e Domino impetraret. Vir sanctus reginae suasit, si prolem expeteret, ut maximo animi ardore et contentione psalterium Deiparae et ipsa pronuntiaret, et aliis quotquot posset distribuendum curaret. Modum insuper ac rationem eius recitandi traderet. Mox ubi regina psalterii pronuntiandi modum didicit, ac toto regno Galliae diligenter promulgandum diligenter curavit, voti sui compos facta Ludovicum filium qui deinde Galliae rex, sanctitate praeclarus, et pluribus miraculis illustris catalogo sanctorum adscriptus est, peperit. Ferdinandus de Castello in chronico Ord. praed. p. 3, lib. 1, capite 7.

Beatus Alanus de Rupe non obscura antiquitatis rosarii indicia prodidit. In apologia capite 8 ait: *Gandavi est Beginagium quoddam, ubi ab annis fere ducentis mulieres habent hoc psalterium pro horis.* Haec autem scripsit beatus Alanus ab hinc annis 166, floruit enim anno Domini 1470. Addit vero: *Sed et antiqui libri in exemplis, et delatione formalissime, et evidentissime clamant hoc verum esse. Sicut et in conventu gandensi Ordinis nostri, et in multis aliis locis probari potest.* Et in libro de psalterio B. M. Virginis capite 16 advocat in testes huius antiquitatis in templis et aedibus picturas, statuas, saxa, epitaphia excitata per Hispaniam, Italiam, et Britanniam. Quis igitur dubitet de antiquitate huius instituti post tot, et tam clara illius indicia, et vestigia?

DISCURSUS CCCXIV

DE LAPSU ET RENOVATIONE ARCHICONFRATERNITATIS SACRATISSIMI ROSARII

1 Optima et quae plus de coelo, quam de saeculo referat, est Livii decade 3, lib. 10 sententia: *Diu parta decora unius horae fortuna subinde evertere solet.* Cuius veritatem in se experta est sacratissimi rosarii archiconfraternitas. Haec cum Ordine praedicatorum eodem tempore, et nixu in lucem edita e beatissimo p. Dominico una cum ipso crevit per 150 annos, et una cum ipso collapsa erat calamitoso anno 1349, quo duplex saevissima

Pestis saevissima per totum orbem.

pestis, altera corporum, animorum altera in tota Europa grassari coepit. Corporum pestis tres annos per totum fere orbem debacchata est, adeo ut vix decimus quisque ex millesimo homine superfuerit, in aliquibus locis vix tertia pars hominum remaneret. Pleraque loca, arces, et oppida, et urbes prorsus derelicta sunt, ac in solitudinem redacta. In Italia aliquanto tempore pestis causa ius redditum non est; greges, et armenta vagabantur in campis sine possessore. Albertus Krantsius in Metro libro 9, Nauclerus Gener. 145, et chronicon sine figuris aetate 6, ubi addit, in Lubek una aestate obiisse nongenties millenos homines. Nam e primis vesperis s. Laurentii usque ad secundas obierunt ibidem mille quingenti. Poloniam nostram adeo viduatam fuisse colonis, ut Casimirus magnus, rex Poloniae cogeretur ex Saxonia corrogare homines quibus agros colendos, et urbes incolendas daret. Cromerus lib. 12 rerum poloniarum.

Animorum pestis adhuc longe gravior, eaque gemina. Una haeretica, altera schismatica. Haeretica erat *flagellantium* secta, 2 Flagellantium secta.
quae ex Italia egressa per Germaniam et Galliam late se diffudit, et per urbes ac oppida gregatim aberrans cum crucibus in veste, nodosis flagellis quibus aculei inserti erant, seipsos flagellabant dicentes, quod haec flagellatio potior sit ad delenda quaecumque peccata, quam quaecumque confessio; immo comparabant ipsam martyrio, vel praeferebant, quoniam ultro ipsi, ut dicebant, sanguinem proprium fundebant, martyres vero hoc pati cogebantur. A vulgo tanto cum applausu recepti, ut in oppidis, et pagis cum pulsu campanarum illos exciperent, et flagellatoribus plusquam sacerdotibus crederent. Albertus Krantsius lib. 8, cap. 28, Nauclerus Gener. 145, Alphonsus a Castro, verbo *Aqua*, haeresi 2. Saeva omnino haec pestis erat et rapida, licet parum diuturna.

Atrocior pestis et longe gravior subsecuta est, nimirum schisma, anno Domini 1376. Post regressum summi pontificis Gregorii XI ex Avenione, ubi septuaginta supra quatuor annis sedes 3 Schisma Ecclesiae sub Urbano VI.
pontificis romani inhaeserat, et post mortem eiusdem cardinales itali italum pontificem Urbanum VI, galli gallum Clementem VII dictum elegerunt. Ingens schisma tunc ortum est, cum duo papae Ecclesiam regebant, et unus alterum excommunicabat. Populi quoque fideles divisi erant. Nam Italia, Germania, Anglia, Lusitania, Hybernia, Dania, Polonia, Bohemia, Ungaria Urbano, Francia vero et Hispania Clementi obediebant. Duravit hoc schisma annis quadraginta.

Hac itaque gemina peste grassante, conventus, sive coenobia 4 Rosarium collapsum qua occasione, seu causa.
Ordinis praedicatorum, ceu et aliorum Ordinum qui morientibus adesse, eosdem instruere, ad exitum animare, Sacramentis munire solent, partim peste exhausta, partim schismate distracta, vacua manserunt. Hinc necessario subsecuta est ruina Ordinis, eiusque functionum cessatio. In quibus cum principalis esset rosarii praedicatio, et illam in ruinam parem trahi, et obrui necesse fuit. Maxime cum Ordo praedicatorum, ceu et alii Ordines, tempore schismatis divisus fuit in duos generales ut chronica loquuntur, magister Elias adhaesit Clementi VII, et vixit in generalatu annis triginta et duobus; et magister Raymundus adhaesit Urbano VI, et successoribus eius. Breviarium praedicatorum ruinam hanc sacratissimi rosarii partim hominum negligentiae, partim daemonis arti adscribit.

Ordo praedicatorum tempore schismatis divisus. Breviarium praedicatorum.

Sed qui fieri potuit, inquies, ut confraternitas tam mirabilis, 5 Obiectio.
et tam gloriosa sic oblivioni traderetur, ut nulla eius memoria apud homines remaneret? Haec quaestio olim b. Alano proposita fuit, cui ille in hunc fere sensum respondit: Teste d. Augustino, Deus ab initio mundi, et postmodum multos per annos a cunctis hominibus fuit summe cognitus. Et tandem tempore Abrahae ab omnibus fere hominibus fuit ignotus, intantum ut colerent idola. Sed et nunc lex Moysis alias famosissime secundum s. Hieronymum, est sepulta et oblivioni tradita quantum ad caeremonialia et iudicialia. Quinimmo et Ecclesiae iura quae olim fuere perfectissime observata, iam sunt in magna parte per contrarium usum neglecta et dimissa. His adde leges imperatorum, statuta civilia, famosa bellatorum facta, immo monarchias Chaldaeorum, Persarum, Graecorum, Romanorum, quae perierunt. Sed et multae religiosorum familiae adeo a pristina disciplina recesserunt, ut nova observantia et reformatione indigerent. Non est igitur quod moveat mentes hominum ruina psalterii. Ait enim Christus: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Luc. 18, 8. Haec enim secundum Platonem, et Aristotelem conditio est eorum quae fiunt sub sole, ut post processum generationis et augmentationis veniant ad finem decisionis, et postmodum iterum alio cursu renoventur ad statum regenerationis, et reparationis non in numero, sed in specie.

B. Alani responsio ad obiectionem de oblivione rosarii.

Verum sicut mundo per diluvium perdito servavit Deus Noe, 6 B. Alanus sacratissimi rosarii restaurator.
qui illum conservaret, et renovaret: ita collapsa fraternitate rosarii suscitavit Deus Alanum britannum virum sanctum, et eruditum, concionatorem eximium, verum d. Dominici sectatorem, anno Domini 1471, qui hoc pium institutum antiquatum pene, et plusquam centum annis in desidiosa hominum memoria sepultum in lucem revocavit, ipsa Deipara Virgine monente quae sibi in visione apparens horrendas orbi universo plagas impendere

B. Alano Virgo apparet.

Digitized by Google

praedixit, simulque mandavit, ut rosarii sodalitates rursus aggregaret. Quo autem ad id munus paratior at promptior redderetur, concionum eius adiutricem se fore Virgo promisit, et in signum huius patrocinii, mox in collum ipsius rosarium iniecit, et annulum de sacratissimi capitis sui crinibus contextum, e digito virginali detractum digito b. Alani inseruit.

7 B. Alanus B. Virgini quam dilectus, et familiaris. Bonifacius in horto virginali, lib. 2, cap. 15, exemp. 2, et Ludovicus Beyselius scribunt, beatum Alanum tantam familiaritatem cum B. M. Virgine habuisse, quantam homo cum homine mortali vix habet.

8 Michael de Insulis. Michael de Insulis in quodlibeto de rosario haec de eo scribit: *Fuit ferventissimus in amore Virginis Mariae, semperque in ore salutationem angelicam, ambulando, praedicando habebat.* Et ad finem compendii sui: *Quandocumque aliquid pronuntiare, aut dictare voluit, priusquam inciperet, genibus flexis salutationis suffragio divinum auxilium requisivit.*

9 B. Alano Christus apparet et s. Dominicus. Eidem Alano ipse Christus Salvator noster cum sacrum missae sacrificium offerret, in transubstantiata iam hostia apparuit, et sub poena praesentissimae mortis mandavit, ut rosarium evulgaret.

10 Idem a patriarcha Dominico sibi in vigilia apparente in mandatis accepit, ut omnes populos per psalterium marianum a se inventum ad amorem Dei et Mariae Virginis, nec non ad virtutum studium invitaret et traheret. Haec et alia plura ipse b. Alanus, suppresso nomine suo, in libro de dignitate psalterii B. M. Virginis narrabat, quae fusius adducit Andreas Coppesteinus lib. 1 de rosario, cap. 17.

11 B. Alanus rosarium restaurat. Tantis igitur visionibus b. Alanus partim perterritus, partim recreatus psalterium, nunc dictum rosarium B. M. Virginis cum ingenti animi fervore in populis praedicare, multa ex dictis, scriptis, factisque aliorum commemorare, atque etiam scriptitare coepit, divinosque rosarii flores in diversis mundi partibus per 15 annos sparsit, qui odorem suavissimum virtutum, ac divini amoris e cordibus hominum exhalarunt. Excepere illum praedicatores in toto Ordine nostro innumerabiles, inter quos Iacobus Sprengherus prior coloniensis, postmodum archiepiscopus salisburgensis, cui etiam B. Virgo apparens serio mandavit, ut praedicationi rosarii ardentius incumberet. Quod ille incunctanter fecit, et primo inter muros urbis Coloniae eam devotionem mirum in modum excitavit, auxit, propagavit. Inde postmodum per totum Ordinem, et orbem christianum hoc saluberrimum rosarii institutum divulgatum et propagatum est, adeo ut nihil aliud frequentius in suggestis, in ore virorum, feminarum, adultorum, senum, puerorum audiretur, quam rosarium. Nulla fere est civitas, oppidum, vicus, pagus, ubi rosarii cultus, aut saltem memoria illius non habeatur.

(Iacobus Sprengherus rosarium renovatum promovet Coloniae.)

12 Principes rosarium renovatum promovent. Excitaverat Deus tunc spiritum serenissimi imperatoris Friderici III, et illustrissimi Britanniae ducis Francisci, ac coniugis eius Margaritae, aliorumque fidelium non minus nobilitate, quam devotione clarescentium, qui omnes s. Sedis apostolicae auctoritatem, protectionemque implorarunt supplicando, quatenus hoc tam pium institutum hactenus collapsum, sed iam denuo resuscitatum, et renovatum ad obstruendum ora nonnullorum detrahentium s. Sedes apostolica approbare, et confirmare dignaretur. Non fuit irritum eorum votum, nec vacua postulatio. Nam Xystus IV pont. max. supplicatione, ac devotione eorum motus hanc archiconfraternitatem noviter renatam, at reflorescentem approbavit anno Domini 1479. Quem postea secuti alii summi pontifices Innocentius VIII, Alexander VI, Iulius II, Clemens VII, Paulus III, Iulius III, Paulus IV, Pius V, Gregorius XIII, Xystus V, Paulus V, Urbanus VIII, qui eandem archiconfraternitatem rosarii sub titulo B. M. Virginis confirmarunt, commendarunt, et innumeris gratiis, privilegiis, favoribus, indulgentiis auxerunt, et ornarunt de quibus latius disserit Andreas Coppesteinus lib. 3, cap. 6, 7, 8, et nos paulo inferius, Deo dante, ea de re nonnulla dicemus. Ad ea quae ad amorem rosarii magis provocare possunt, veniamus, et discurramus

(Summi pontifices rosarium confirmantes.)

DISCURSUS CCCXV

DE NECESSITATE ET UTILITATE ARCHICONFRATERNITATIS SACRATISSIMI ROSARII

1 Rosarii fructus. Quam necessarium semper fuerit, et est hoc tam pium institutum Ecclesiae Dei innumera opera pia in eo exerceri solita, et fructus eximii ex eo provenientes loquuntur. Qui sunt, quod populus christianus in hac archiconfraternitate ad Dei laudem, et Christi amorem, et Beatissimae Virginis venerationem gratiosissime trahitur; quod ad mutuum amorem, puritatem et omnem iustitiam vinculo fraternitatis perducitur, a vitiis et peccatis revocatur, et ad supernae felicitatis amorem et desiderium inflammatur. Haec enim fraternitas fidem operibus format, spem erigit, caritatem excitat, devotionem inflammat. Per eam torpor a mentibus fidelium excutitur, et fervor sanctae novitatis inseritur.

2 Taceo quot missae, quot orationes, quot eleemosynae, quot alia sancta et pia opera in hac confraternitate fiunt, quae alioquin intermitterentur. Nullam opinor in Ecclesia catholica esse congregationem, in qua frequentius, et ineffabilius orationis divinus cultus vigeat, quam in ista. De sacrificio Corporis, et Sanguinis Christi Deus per Malachiam 1, 11 loquitur: *In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Idem ego de hac archiconfraternitate dixerim, in qua omni loco, qua late patet praedicatorum Ordo, sacrificia mystica precum perpetuo nocte dieque absque intermissione vigent. Nullum esse temporis punctum existimo, quo non aliquae ad Deum preces fundantur in rosario; at ea maxime quo plures sunt rosarii oratores, quam sacerdotes, et quod facilius est ad rosarium accedere, illudque saepius repetere, quam missae sacrificium offerre.

3 Rosarii oratio quam efficax. Quid, quod illa ad impetrandum non potest esse non efficacissima? *Impossibile est preces multorum non exaudiri*, ait d. Ambrosius super epist. ad Romanos. Et s. Iacobus apostolus 5, 16: *Multum valet deprecatio iusti assidua.* Quantam putas hominum multitudinem fraternitas haec continet, inter quos absque dubio multi sunt Deum timentes, et mandata eius custodientes? Multi sunt innocentes, absque macula saltem mortali, qui rosarii pensum per singulos dies solvunt, multi qui austeram, ac sanctam vitam ducunt. Quid ergo talis et tanta hominum multitudo apud Deum Ecclesiae non impetrabit? Elias fuit homo similis nobis, passibilis, et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex, at rursum oravit, et coelum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum, 3 Reg. 17. Si itaque efficax fuit oratio unius iusti, ut exaudiri meruerit a Domino, quanto magis non proderit oratio multorum iustorum? Saul cum occidere vellet filium suum Ionatham, eo quod contra praeceptum patris modicum mellis ante solis occasum gustasset, universus populus apud patrem precibus suis tantum effecit, ut hanc offensam remitteret, eique vitam donaret. Quid non faciet apud Deum tantus populus huic sacrae confraternitati inscriptus? An devotio eorum iram Dei non placabit? an flagellum quod pro peccatis nostris meremur, e manibus eius, ut ita dicam, non excutiet? Non dubito, Christo ipso iudice, Matth. 18, 19: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est.* Quanto magis fiet, si innumerabiles fere consenserint super quacumque re obtinenda a Patre coelesti?

4 *Frater qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma*, ait Sapiens Prov. 18, 9; mutuis enim consiliis, officiis, exemplis, et precibus se invicem ad pietatem inflammant. Et quemadmodum ex philosopho Aristotele discimus: *Mutua necessitas quam homines de se invicem habent, ad urbes aedificandas genus humanum coegit*, simili quadam ratione multi in confraternitatem aggregantur propter mutua quae sibi invicem praebent opem, christianitatis officia, ut quod uni deest, ab alio accipiat tam in hac vita, quam post mortem, si eum poenis Purgatorii damnari contingat.

5 Rosarium haereses profligat, et vitia. Calamitates temporum in quibus rosarium institutum est. Ulterius, haec sacra archiconfraternitas habet magnam vim ad tollendas discordias, ac haereses, et concordiam nomini christiano conciliandam. Ob hanc causam Deus eam tunc institutam esse voluit, cum orbis christianus bellis, discordiis, haeresibus ardebat. Istas orbis calamitates superius, cum de Ordine praedicatorum ageremus, recensuimus, nunc eas magis exaggerare libet. Quid sanum, quid integrum in statu ecclesiastico eo tempore erat, cum rosarium institueretur? Id testantur septemdecim provincialia, et quatuor generalia ea aetate celebrata Concilia, lateranense I sub Callisto II anno 1133, lateranense II sub Innocentio II anno 1139, lateranense IV sub Alexandro III anno 1180, potissimum vero eboracense sub Coelestino III anno 1196, lugdunense sub Innocentio III anno 1200, lateranense generale sub eodem pontifice, cui 800 interfuere episcopi,

Digitized by Google

anno 1215, oxoniense in Anglia anno 1222, alaminicum anno 1225, lugdunense sub Gregorio IX anno 1237, viennense sub Clemente V anno 1272, ravennatense sub Nicolao IV anno 1286. Haec, inquam, nominatim in unum erant intenta, praecipue ut honestati cleri consulerent.

6 In statu politico quid divulsum ab invicem, et convulsum? quid non discors, et diversum inter se? Res omnes tum Ecclesiae, tum imperii, partim ex longa iam inclinatione fessae corruerant, partim etiam iam fractae in praeceps abibant, partim in praecipite stabant. In Oriente barbara infidelium tyrannis iam dudum occuparat Asiam, et Africam duas maximas orbis christiani partes, tam misera facies rerum erat, ut omne pene aut haereticum, aut schismaticum, aut mixtum ex his, aut apostaticum, aut ethnicum, ac proinde prorsus atheum esset; cum seu trux Persa, seu Turca ferox, seu Scytha barbarus, aut haereticus impius in istis partibus dominaretur. In tam densis errorum tenebris vix aliqua scintilla nominis christiani apparebat.

7 Godofridus Bullonius Terram sanctam recuperat. Sed et Palaestinae Terra sancta, Domini ac Salvatoris nostri patria, religionis christianae mater a Saracenis occupata, tyrannide pressa, ac spurcitiis illorum defoedata erat. Eripuerat quidem e Saracenorum manibus Ierosolymam inclitus Godofridus Bulloniae dux, praestantis animi, religionis ac fortitudinis vir, anno Domini 1099, feria sexta, hora qua Christus mortuus est. Verum annis septuaginta post elapsis, dum in occidente sacrum pontificium, atque imperium inter se pro investitura iam diu conflictantia acerrime digladiantur; interim Saladinus turca, Asiae totius domitor suae Ierosolymam iterato subiugatam tyrannidi occupat. Guilielmus Tyrius lib. 1 belli sacri, cap. 17, Carolus Sigonius de regno Italiae, Blondus decad. 2, lib. 5, Aemilius libro quinto, et alii.

8 Europam quoque quis rerum status per id aetatis habebat? Orientis imperium constantinopolitanum haeresibus dissectum, et schismate ab Ecclesia avulsum, angustis Thraciae finibus coarctatum, tributo pacem a Saracenis redimens serviebat, magis quam imperabat, ut Galli demum Venetique iuncti vetus illud Bizantium, Romam novam, vi occuparent, et Henricum illi flandrum imponerent imperatorem anno Domini 1203. Blondus decade 2, lib. 6.

9 In occidente heu quae turbae, quae furiae! Quas tragoedias in Ecclesia Henricus IV, Henricus V, Otho IV, Fridericus II, aliique nonnulli diversis temporibus excitaverunt? Lege Sigonium de regno Italiae, Albertum Krantzium de Saxonia lib. 7, c. 6, s. Antoninum 3 parte, tit. 19, Nauclerum, et alios.

10 Hispaniam quoque eodem simul tempore christiani nominis hostes Saraceni universam, quanta quanta erat, obruunt et subiugant.

11 Albigensium haeresis quam late serpebat. Huic tantae malorum Iliadi Albigensium haeresim diabolus adiunxit, quae tam valide pullulare, et excrescere in comitatu tolosano coepit, ut omne fidei triticum in gente illa in lolium erroris versum videretur, in tantumque error illorum invaluit, ut brevi intervallo temporis infecerit mille propemodum civitates, adeo quidem, ut si gladiis fidelium repressus non fuisset, brevi temporis interstitio universam Europam corrupisset. Tantis sceleribus offensum Numen mundum tam perditum iam perdere parabat.

12 S. p. Dominicus Christum mundum perdere volentem videt. Orabat aliquando s. p. Dominicus in ecclesia Dominum pro Ordinis confirmatione, atque intempestae noctis silentio vidit Christum Dominum adversus hominum scelera vehementer accensum tres lanceas quibus mundum deleret, vibrantem. Accurrisse vero Sanctissimam eius Matrem, ac pedes eius complexam orasse, ut parceret eis, quos proprio cruore redemerat: habere se servum fidelem, qui animos hominum criminibus perditos ad meliorem poenitentiae frugem revocaret, cui adiutorem socium adiungeret, qui in eandem operam incumberet. Cumque Christus fortes athletas et orbis restitutores sibi ostendi iuberet, obtulit Virgo Dominicum, et Franciscum. Hisque placatus Christus abscessit. Sed postera die vir Dei Dominicus eum obvium habuit s. Franciscum antea sibi nunquam de facie notum, ex nocturnae visionis habitu cognoscens, in amplexus et oscula ruit: Tu, inquiens, socius meus, simul in stadio curremus, nec ullus adversarius praevalebit. Ex Theodorico, s. Antonino et aliis.

B. Virgo sanctos Dominicum et Franciscum Christo praesentat.

13 S. p. Dominicus ecclesiam lateranensem lapsantem sustentat. Ipsum summo pontifici Innocentio III Deus in visione ostendit. Videbat is Christi vicarius in somnis ecclesiam lateranensem lapsantem a d. Dominico fulciri, dum ille humeros ruinosae fabricae supposuisset, et magna virtute sustentasset. Intellexit quod visio portenderet, Ecclesiam nimirum tunc in tali statu esse, ut iam iam cecidisset, nisi Christus eius caput, et columen de idoneis praedicatoribus, sanctis nimirum Dominico, et Francisco ei providisset. Theodoricus in vita s. p. Dominici.

14 Fraternitatis rosarii instituendae occasio et causa. Quod igitur in tantis malis remedium? quis huius tam gravis morbi Aesculapius? Fraternitas rosarii. Contraria enim contrariis recte curari consueverunt. Iam tanta mala ex animorum disiunctione inter homines prognata erant: animorum igitur eorumdem coniunctione persananda erant. Discordia per concordiam profligari, bella per pacem componi, odia amore, impietas pietate, hostilitas caritate fugari debebant. Fraternitas erat ex animis hominum eliminata, fraternitas rursum in iisdem plantari, erigi, suscitari debuit. Quid ergo? Mittitur a Deo et Deipara s. p. Dominicus. Fraternitatem rosarii praedicat tum ipse, tum socii per diversas orbis partes dispersi. Ecce tibi infra breve tempus Ecclesiae, et orbi tranquillitas. Nec mirum, hoc enim medium uti a Deo fuit s. Dominico misericorditer inspiratum, ita et feliciter usurpatum multum profuit Ecclesiae. Quod vel ex hoc uno colligere licet.

15 Albigenses unde dicti, et orti. Contra Albigenses expeditio Innocentii III pont. max. Exorta fuit sub hoc tempus bruta prorsus et infamis haeresis in comitatu tolosano, oppido Albi, a quo haeresis huius asseclae Albigenses nominati. Ecclesiae cor, et animam petebant, parisienses nonnulli theologiae magistri eos promovebant. Innocentius III tunc summus Ecclesiae Christi pastor tanto malo mature occurrere volens, duodecim abbates sacri Ordinis cisterciensis ad praedicandum inter haereticos mittit. Eandem provinciam demandat Fulconi tolosano et Didaco oxomensi episcopis. Didacus legationis atque itineris comitem sibi adiunxerat s. Dominicum, tunc oxomensis ecclesiae canonicum. Instant apud Deum precibus, apud populum pia conversatione et concionibus, sed parum proficiunt, fit in dies valentior, et numerosior hydra haeretica. Quid auxilii, quid consilii in re tanta? Pontifex crucem praedicare imperat. Philippum Franciae regem arma capere iubet. Cedit ille multa haereticorum millia, sed non excidit. Interim arma ponit. Abbates illi a praedicatione desistunt, e vivis decedit pius praesul Didacus. Unus in armis voluntariis cum milite voluntario perstitit Simon comes Montisfortis, unus in praedicatione s. p. Dominicus. Hic confratres praedicatores, ille commilitones cruce signatos contrahit. Ambo diversis armis omnia commovent, sed nihil promovent. Ergo s. p. Dominicus omnia sub duce Simone capita exercitus cruce signata praedicationibus, ac miraculis in fraternitatem reducit, alium populum inermem ubique per vicos, et oppida in eandem societatem inducit. Ordinem praedicatorum in paucis, confraternitatem vero psalterii seu rosarii in multis promovet. Tunc fides roborari coepit, adeo ut plerique libentissime pro fide mortem obire cuperent, ut haereticos debellarent. Cum enim Simonem Montisfortis comitem cum suo exercitu s. p. Dominicus rosarium orare docuisset, eius virtute praefatus comes incredibiles obtinuisse legitur victorias. Aliquando quingenti de suis fugabant decem millia haereticorum in terra Albigensium, immo triginta de suis aliquando tria millia aliorum. Et tria millia de suis magnum regem Aragoniae cum viginti millibus haereticorum debellarunt occisum. Erantque fideles tunc saepius inermes, et tamen videbantur inexpugnabiles et invincibiles. Haec b. Alanus libro de dignitate psalterii, cap. 10.

Rosarii initium.

Victoriae virtute rosarii obtentae.

16 Imago Crucifixi in manibus s. p. Dominici ab hostium telis illaesa manet. Illud vero in primis valde memorandum, quod s. p. Dominicus in bellis, quae Simon Montisfortis adversus impios Albigenses gerebat, pro militari vexillo sacram Christi crucifixi imaginem praeferebat non sine illustri miraculo. Nam cum hastile ipsum lignumque crucis multis in locis sagittarum telorumque hostilium terebratum esset, imago tamen Christi cruci affixi integra et illibata sine ulla laesione mansit. Ut hinc duplex miraculum admirari libeat, et illaesae Christi imaginis, et s. Dominici, qui eam inermis inter densissimos sagittarum telorumque imbres praeferens nullum acciperet aut vulnus, aut damnum. Haec sacra imago Tolosae in aedibus s. inquisitionis adhuc extat, ibique integra, sine ulla laesione visitur, summaque omnium veneratione colitur. Bzovius ad annum 1215, num. 11.

17 B. M. Virgo hostes in bello sternit. Per rosa- In eo praelio quod cum Albigensibus apud Tolosam Simon gessit, quispiam Britannus, nomine Alanus, eques, cum parva manu adversus ingentes haereticorum copias numero et viribus longe impar pugnasset, multis iam acceptis vulneribus, hostili circumdatus agmine, extemplo vidit sibi adesse Sanctissimam

rium obtentae victoriae mirabiles.

Dei Genitricem, quae centum et quinquaginta lapides in haereticos proiiciebat, et profligabat.

18 Antonius miles rosarii cultor eximius.

Alter quoque miles nomine Antonius, nobilis tolosanus, qui abiurata haeresi Albigensium, devotionem psalterii B. M. Virginis arripuerat, insignis, seu vexillis sertum rosaceum, quo hostibus terrorem incuteret, praeferebat. Quo signo egregias saepius de haereticis victorias reportavit, at rosarium tanquam nobile tropaeum erexit. Flaminius in vita s. p. n. Dominici. Aliqui iaculis desuper missis innumeri sunt confixi. Frequenter autem periclitanti Antonio ignita legio praesto fuit. Secuta est victoria, non tam humanis, quam supernis viribus parta. Simon enim Montisfortis qui non plures quam 800 equites, et 1000 pedites in exercitu numerabat, centum millia haereticorum partim profligavit, partim fugavit, ut res et fama est, virtute rosarii. Bzovius ex scriptoribus vitae s. Dominici, Flaminio, Theodorico et s. Antonino, ad annum 1213, num. 9.

19 Albigensium haeresis quomodo ceciderit.

Tunc haeresis Albigensium coepit cadere, haeretica pravitas decrescere, fidei catholicae veritas augeri, christiana pietas clarescere. Non tot capita obsecabat hydrae gladius ille herculeus, quot haereticos uno ictu demetebat sacratissimi rosarii devotio. Sicque haeresis Albigensium magna ex parte armis cruce signatorum, et praedicationibus dominicanorum, maxime vero orationibus rosarii devicta et prostrata est.

20 Triumphum itaque canit rosarii devotio de prostrata haeresi Albigensium, id testantibus non quibusvis vulgaribus, sed ipsis summis pontificibus romanis, quos audire religio est.

21 Gregorius IX in bulla canonizationis s. Dominici: *Dominico sagittante delicias carnis, et fulgurante mentes lapideas impiorum omnis haereticorum secta contremuit, omnis Ecclesia fidelium exultavit.* In theatro canonizationis s. p. Dominici abunde probatum est, sanctum patrem in sola Lombardia ultra centum millia haereticorum convertisse. Scribunt Antonius senensis in cron. praed. dec. 1, et Leander in vita s. Dominici. Et ita impletum fuit vaticinium illud ore sacerdotis in Ecclesia prolatum. Cum mater s. p. Dominici nomine Ioanna, puerum a consueto puerperii tempore ad templum b. Dominici exiliensis benedictini Ordinis, a quo et nomen habuit s. p. n. Dominicus, detulisset, sacerdos votivum pro illo missae sacrificium inchoaturus, Deo eius linguam movente, praeter missalis praescriptum, praeter suam ipsius mentem, et propositam legendi rationem tertio istud repetiit: *Ecce reformator Ecclesiae.* Choquetius cap. 4 viscerum Mariae.

S. p. Dominicus centum millia haereticorum in sola Lombardia convertit.

22 Pius V in bulla quae incipit: *Consueverunt*, loquens de rosarii meditationibus et precibus: *Coeperunt*, inquit, *Christi fideles iis meditationibus accensi, iis precibus inflammati in alios viros repente mutari, haeresum tenebrae remitti, et lux fidei catholicae aperiri.*

23 Pius IV in bulla quae incipit: *Cum praeclara: Nobis*, ait, *innotuit confraternitatem rosarii non sine magno fidei, et devotionis augmento iam diu erectam esse.*

Testis huius rei est tota Ecclesia, quae eo tempore quo de prostrata Albigensium impietate fraternitas rosarii sub auspicio B. M. Virginis triumphabat, illam antiphonam, cuius creditur auctor fuisse Sophronius Ierosolymorum antistes, solemni ritu in Ecclesia canendam constituit: *Gaude Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo.*

24 Porro quam ingentia beneficia mortales per rosarium consecuti sunt, et in dies consequuntur, Trythemius abbas dignissimus in lib. de confraternitate s. Annae, cap. 14 scripsit: *Quis numeret quanti a perniciosa mentis tristitia, et melancholia piissimae Matris adiutorio sanati sint? quanti quoque inter adversa securi, inter hostes ac latrones impavidi, inter maris pericula tuti evaserint? Maria mater sanctissima multos sibi devotos a diversis tentationibus consuevit eripere, a pestilentiae contagione liberare, a variis quoque infirmitatibus curare. Quis enarret quantos a pessima desperatione ad spem misericordiae duxerit? quantos a durissima peccandi consuetudine ad poenitentiae semitas revocarit? quantos in Religione et extra tepide conversantes igne divini amoris inflammarit? Eius meritis et suffragiis in partu mulieres a periculis alioquin vicinae mortis liberatae sunt: multi etiam a sententia perpetuae damnationis, sicut legimus, erepti. Denique nonnullos cultores suos ab infamiae opprobriis custodivisse dicitur. Alios a desperata aegritudine, nonnullos a vinculis et carceribus, quosdam et a mortis imminentis periculis liberasse memoratur. Legimus etiam meritis eius ad vitam nonnullos de morte revocatos, alios in mortis articulo per eam clementissime visitatos, et antequam relinquerent mundum, factos iam de coelo securos. Saepe etiam obtusa quorundam ingenia illuminasse dicitur, ut qui sine eruditione prius despecti fuerant, multis postea fierent in admiratione. Oratores quoque saepe in dicendo lapsos in tantum invocata roborasse dicitur, ut non solum constantes, sed etiam invenirent se factos in perorando promptiores. Amissa denique per eius invocationem legimus mirabiliter esse inventa.* Nihil his addo: passim historiae loquuntur. Vides igitur quanta sit necessitas archiconfraternitatis rosarii in Ecclesia, quam utilis fidelibus, quam salubris debilibus, quam proficua devotis.

Ulterius nulla est fraternitas, cuius solius tituli professio simul et fidei orthodoxae certa sit professio. Inter haereticos moraris? Rosarium gere, rosarium prome, aut voce profitare te in rosarii fraternitate esse, mox Romanensis audies, mox papicola cum cachinnis, et conviciis proclamaberis. Iam verus fidei catholicae confessor coram hominibus factus et agnitus eris, et illud, quod auctor fidei Christus Matth. 10, 32 protulit: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*, promereberis. Inter catholicos versaris? Exhibe rosarium, id ora, id lauda, vel ad eius cultores fratres te adiungito; continuo qui praesentes adfuerint, longe aliam de te opinionem tacitis animis concipient, te videlicet esse pium Christi, et B. M. Virginis Matris eius cultorem ac devotum famulum. 25

25 Rosarium tessera catholicismi.

Nulli autem mirum esse debet, quod rosarii archiconfraternitas tam salubre, tamque efficax sit contra haereses et vitia antidotum. Oratio enim et doctrina sana sunt adversus quasvis haereses firmissima praesidia, ac fortissima propugnacula. Sit magnus aliquis Paulus, aut Paulo maior praedicator, si piorum precibus adiutus non fuerit, nullus erit. Quare ipse Apostolus fideles rogabat Coloss. 4, 3: *Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.* Ac iterum 2 Thessal. 3, 1: *De cetero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur, sicut et apud vos.* At utrumque, oratio nimirum et doctrina, semper in archiconfraternitate rosarii eximia viguit. Unde mirum non est ipsius virtute haeresum et vitiorum monstra domita fuisse. 26

26 Rosarium unde habet virtutem haereses profligandi. Concionatores precibus adiutorium egent.

Utinam omnipotens Deus omnium christianorum corda ad hanc fraternitatem pertrahat, et ad devotionem rosarii accendat, quantam pacem in Ecclesia catholica videremus, quantam christianorum principum concordiam contemplaremur, quam subitam haeresum ac vitiorum extirpationem cerneremus. Haec namque confratria amorem proximi promovet, pacem et concordiam fovet, ad opera misericordiae ducit, cum in ea maior societas et unio sit, quam inter amicos et parentes carnales, ob communicationem excellentiorum bonorum, puta missarum, orationum, suffragiorum, meritorum aliorumque piorum operum. Constat igitur quam sit necessaria Ecclesiae Dei archiconfraternitas rosarii B. M. Virginis. Age videamus 27

27 Ad rosarii confraternitatem suscipiendam brevis exhortatio.

DISCURSUS CCCXVI

QUAM UTILIS SIT ECCLESIAE DEI ARCHICONFRATERNITAS SACRATISSIMI ROSARII OSTENDITUR EX ORDINE PRAEDICATORUM, QUEM ECCLESIAE PEPERIT

Quam utilis fuerit Ecclesiae archiconfraternitas sacratissimi rosarii sub titulo Dei Genitricis Mariae, rei probavit eventus. Cum saecula decimo, undecimo, duodecimo, et deinceps abundaret iniquitas, refrigesceretque caritas multorum tum propter funesta bella, quibus pene totus orbis atrociter ardebat, tum propter scelera quibus complures suae salutis immemores iram divinam provocabant; tum propter abusus, et corruptissimos mores, qui in plerisque hominum statibus mirum in modum invaluerant; tum propter densas ignorantiae tenebras, et insignem desidiam atque socordiam eorum quibus cura animarum demandata erat; tum propter pestilentissimas haereses ab Albigensibus, Manichaeis, Sacramentariis disseminatas; cum etiam Petri navicula tot haeresum erroribus impetita, tot bellorum turbinibus agitata maxime fluctuaret, Christus Dominus, etsi multis hominum criminibus offensus, Sanctissimae Genitricis suae precibus, ut vidimus, excitatus salutare hoc, et ad evertendas haereses, vitiaque extirpanda unicum remedium adinvenit, cum ar- 1

1 Prima utilitas, quod haereses ac vitia profligavit.

Digitized by Google

chiconfraternitatem sacratissimi rosarii per beatissimum patriarcham Dominicum instituit, ac mundo divulgavit.

2 *Secunda utilitas quod praedicatorum Ordinem peperit.* Porro inter innumerabiles huius sacri instituti virtutes, affectus, et utilitates quas paulo superius enumeravimus, illa praecipua, et fere inexplicabilis est utilitas, quod Ordinem praedicatorum Ecclesiae Dei peperit, cuius quanta sint merita in Ecclesia Alexander IV in bulla sua quae incipit: *Coelestis ille Agricola*, luculenter testatur, ubi post magnificos titulos, et speciosa epitheta, quibus hunc sacrum Ordinem exornat, hunc in modum eum celebrat et extollit:

Ordinis praedicatorum encomia a summis pontificibus prolata. « Haec est illa generosa plantatio, quae ramos suos undique expandens flores plurimos honoris et honestatis, fructusque uberrimos doctrinae profert et virtutis, et odorem sanctae ac laudabilis conversationis longe lateque diffundit. Hic est Ordo sacer praedicatorum, honestate floridus, praeclarus scientia, virtute fecundus, a Sede apostolica merito approbatus, qui inter alia plantaria dominica puritate conversationis, sapientiae dono, et virtutis merito dignoscitur, specialiter insignitus. Huius sacri, clari, conspicui et approbati Ordinis fratres sacrarum Scripturarum studiis instanter incumbunt, animarum profectibus, divinis officiis et orationibus incessanter intendunt, atque evangelicae praedicationi ardenter insistentes lumen divinae doctrinae ubique per orbem diffundunt. Hi sunt viri doctrina clarissimi, qui contemplationi coelestium ferventer invigilant, et piae vitae studio sine intermissione desudant. Hi sunt viri probati, et plene in lege Domini eruditi, efficaces quidem in opere, et in praedicatione potentes, quorum labia gratia coelestis edocuit ad propinandam salubrem doctrinam aliis, et commodum ac profectum animarum Christi fidelibus exponendum. Unde ubique per mundum ora ipsorum intonant veluti tubae, ac in omnem terram exivit sonus praedicationis eorum et usque ad fines orbis sua salutifera verba sonant. Hi sunt viri praeclari conspicua religione fulgentes, qui tanquam lucentia sidera in Ecclesiae fundamento suis splendidissimis documentis viam coelestis vitae mortalibus insinuant. Hi sunt phialae aureae plenae odoramentis, qui sua sacra conversatione suaviter redolentes, hortantur per hanc alios, et inducunt a somno negligentiae celeriter surgere, et excussa prorsus inertia ad opera lucis et bonitatis festinanter properare. Hi sunt dilecti Deo et hominibus fratres, videlicet praedicatores, morum honestate conspicui, scientiae titulis insigniti, quos aeterni Patris benignitas inter plurimas personas divinis obsequiis deputatas pro sui nominis attollenda gloria, et fidelium procuranda salute specialiter elegit, qui suum semper affectum ad amorem coelestium dirigentes virtutem divini nominis ubique publicant, et pro christianae religionis ampliando cultu vigili attentione laborant. Hi sunt qui vitam et merita beatissimi Pauli apostoli contemplantes gloriantur in sola cruce Domini nostri Iesu Christi, et mundi pompas ac solatia spernentes ad solam coelestem patriam, et ad paradisi delicias recta intentione suspirant. Hi sunt, qui propter Deum semetipsos salubriter abnegantes elegerunt in arctissima paupertate Deo deservire, tanquam nihil habentes et omnia possidentes. Hi postremo sunt, qui cum omnia terrena propter amorem bonorum coelestium reliquerunt, sobrie, iuste, pie et caste viventes, ac exilia vitae subsidia mendicantes Christum pauperem imitantur, perfectionem evangelicam amplexando. Unde clarissime constat eos in statu perfectionis existere, et per suae Religionis observantiam, quae quidem ipsius evangelicae perfectionis continet formam, in aeternae retributionis praemio praecellentem gloriam promereri ». Hucusque Alexander IV.

3 Honorius III huius Alexandri antecessor in litteris confirmationis Ordinis praedicatorum ad s. p. Dominicum datis fratres eius *futuros pugiles fidei*, *vera mundi lumina* appellat. Et hoc est celebre encomium.

4 Xystus IV quoque in bulla quae dicitur, *Mare magnum*, sacrum Ordinem praedicatorum encomiis celebrat, et quantae sit utilitatis in Ecclesia, diserte fatetur his verbis: « Nos Ordinis fratrum praedicatorum, et personarum eius statum prosperum, et tranquillum intensis desideramus affectibus,.... propter uberes fructus quos Ordo ipse multa praefulgens gloria meritorum, et gratia sanctitatis in agro militantis Ecclesiae ad propagationem fidei orthodoxae hactenus produxit utiliter, ac producit, et in futurum producturum fore spe firma tenemus, palmites suos a mari usque ad mare, et etiam ad barbaras extendendo nationes. » Has autem nationes ad quas extensus fuit sacer Ordo praedicatorum, diligenter enumeravit Nicolaus IV in bulla superius memorata.

Sed forte nasutulus quispiam tritum illud occinet: *Fuimus Troes*. Accipe igitur novum quod Clemens VIII non ad instantiam alicuius, sed motu proprio edidit testimonium in bulla, quae incipit: *Iniuncti nobis*, data anno Domini 1595, die 23 martii. *Ex quo* (subaudi Ordine praedicatorum) *uberrimi in Ecclesia Dei fructus ad ipsius omnipotentis Dei laudem, et christianae reipublicae spirituale commodum et utilitatem ab ipsius Ordinis initio semper prodierunt, et in dies prodeunt.* 5

Non priscos memoro; sed ultimos centenarios fructus, quos Ordo praedicatorum in rosario fundatus in Ecclesia protulit. Nonnullos ex multis deligo. Cum Indiae occidentales quae novus orbis dicuntur, sub Ferdinando et Isabella Lusitaniae regibus studio et industria Christofori Columbi repertus fuisset, postea anno 1497 immensa regna occidentem versus ab Americo Vespucio nomine suo America dicta, patefacta fuissent; duodecim fratres Ordinis praedicatorum velut duodecim apostoli se contulerunt adversus idololatriam pugnaturi. Ubi fugatis inferorum agminibus, aris daemonum eliminatis, delubris eversis, superstitionibus solutis, toto diaboli regno funditus averso, gentibus illis qui nunquam Christi fidem audierant, evangelium praedicarunt, et diversos inter se populos, diversis linguis inter se pariter loquentes, mexicana, misteca, zapoteca, otomiel, chochua, mixa, chontal, gustimacana, cuicateica, et in alia provincia lingua ooxacensi, et guatomalensi in unitatem fidei adunarunt. 6 *Dominicanorum expeditio in novum orbem.* *Dominicanorum labores in novo orbe.*

Primus Americae episcopus creatus est frater Vincentius e Valle-viridi Ordinis praedicatorum martyr illustris; post eum multi clarissimi viri tum de Ordine praedicatorum, tum aliorum Ordinum mendicantium episcopi facti sunt, multa monasteria construxerunt, et per circumvicina loca dispersi plurimos Christo pepererunt, quorum nomina scripta in libro vitae recensentur ex probatis auctoribus a Dominico Gravina in libello, cui titulus est: *Vox turturis*, parte 1, cap. 6, et part. 2, cap. 23. 7

In provincia cumensi anno 1530 fratrum praedicatorum ministerio annuntiatus est Christus populis brigansibus, popayaensibus, quilicensibus, pupilianensibus, hipialensibus, chymbensibus. 8

In Mexico fratrum praedicatorum opera (aliorum Ordinum viros non excludo) innumeri populi suavi iugo Christi subacti sunt. 9

In orientalibus Indiis sub Emmanuele lusitano rege, et Ioanne eius filio repertis fratres praedicatores innumerabiles populos Christo adiunxerunt. Si in Malacham quae olim aurea Chersonesus, pedes protendas, ad insulas philippinas, imperia iaponia, et ad Sinas usque excurras, cum aliorum Ordinum viris Ordinis praedicatorum fratres fidem catholicam plantantes, rigantes, excolentes invenies. 10

Iam si pridem noti orbis oras non solum occiduas, ut Italiam, Galliam, Hispaniam cum regnis, et provinciis sibi adiacentibus, sed et septemtrionales, ut Poloniam, Germaniam, Flandriam, Angliam, Hiberniam, Scotiam, et orientales, ut Valachiam, Turchiam, Persiam, Armeniam, Aegyptum, aliaque amplissima Turcarum imperio subdita regna percurras, videas ex Ordine praedicatorum viros recens saeculum martyrii corona, doctrina, sanctitate, miraculis exornasse. 11

Hoc tempore in Indiis nascente Ecclesia, et in Germania, Gallia, Hollandia, Anglia grassante haeresi, quamplurimi ex Ordine praedicatorum pro fide Christi occisi martyrio Ecclesiam Dei exornarunt. Ab anno Domini 1515 usque ad annum 1622 numerantur martyres nostri plures quam 150, praeter integra monasteria quae a barbaris, et haereticis eversa sunt, fratribus diversis suppliciorum generibus necatis. Nomina principalium martyrum proxime elapsi saeculi habes apud Dominicum Gravinam, libro superius citato, 2 parte, cap. 23. 12 *Martyres dominicani recenti saeculo.*

Placidus Filingerius clericus regularis in oratione habita Romae in templo Sanctae Mariae super Minervam tempore beatificationis b. Iacobi Salomonii de Ordine praedicatorum anno 1623 dominicanos beatos coram eminentissimis et reverendissimis cardinalibus, et romano populo numeravit, et recensuit ex eis plures, quam duo millia et octingentos. Dabo illius verba auro, et cedro digna. « Tantae Congregationis beatos enumerare non aggredior, ne pudeat supputationem complesse, cum coeperim, 13 *Placidi Filingerii de dominicanis elogium.* *Dominicani beati quot.*

« aut stulte coepisse complere, cum nequeam. Quos hic commemorem Dominicos, Aquinates, Petros, Antoninos, Hyacinthos, Raymundos, Bertrandos, Ferrerios, Agnetas, Catharinas, Benedictos, Nicolaos, Ioannes, Bartholomaeos, Iacobos, Matthaeos, Andreas nomine et spiritu apostolos? Sistamus. Quot sunt? quot beati sunt Dominici filii? Magnum aliquid cogitate, divinantes dicite: Centum? O mirum! Unius beati fulgore ac nomine unaquaeque satis est decorata Religio; et haec centum habet? Tamen dixistis parum. Cogitate plures. Plures? Ducenti erunt? Addite. Trecenti? quadringenti? quingenti forte? Insuper. Et quot? sexcenti? nongenti? Ulterius. Mille? Plures sunt. Innumerabiles? Plane. De coeli sideribus dictum accepimus: Numera stellas, si potes. Sunt autem mille viginti duo. Dominicani beati plures stellis coeli, plures volunt, quam duo millia et octingentos, plurimi super stant stellarum calculationem. Ex his velut septem planetae sunt canonizati sancti, Dominicus, Petrus, Antoninus, Thomas, Vincentius, Hyacinthus, Raymundus. O dominicanum coetum coelo ipso fulgentiorem! » Haec pater ille pius, et devotus.

14 Ex dominicanis praesules. Videas insuper ex hoc sacro Ordine tum hoc, tum proxime elapso saeculo quamplurimos praesules, cardinales, archiepiscopos, episcopos, qui ob virtutum praestantiam Deo, et hominibus dilecti, ad has dignitates assumpti Dei Ecclesiam illustrarunt. Inter quos eminet tum dignitate, tum sanctitate Pius V pont. max. cuius canonizationem totus orbis avide praestolatur.

15 Inquisitores. Videas inquisitores per totam Italiam, praecipue sacri palatii apostolici magistrum, romanae Sedis oculum, qui cuncta legit, inquirit; quod ille probat, inoffensum est; quod reprobat, suspectum. Insuper commissarium universalis inquisitionis romanae ex Ordine praedicatorum assumptum, qui in Conciliis, congregationibus, decisionibus pro Ecclesiae catholicae adiumento, fidei confirmatione, haeresum extirpatione, morum disciplina strenuam navant operam.

16 Concionatores ac confessarii regum. Videas regum, ac principum christianorum concionatores, et confessarios, maxime apud reges Galliae, et Poloniae, et nunc apud potentissimum Wladislaum IV Poloniae regem, et omnes invictissimos Hispaniarum reges, qui tum hoc, tum aliis saeculis ex dominicanis sibi confessarios, magistros ac praeceptores deligunt.

17 Academiae Ordini praedicatorum commissae. Videas insigniores academias universi pene orbis Ordini praedicatorum commissas, ut praeteream Salmanticensem, quae ab anno 1416 ex Ordine praedicatorum sapientissimos moderatores habuit, et quae iam a Philippo III Hispaniarum rege perpetuo Ordini nostro est addicta. Sunt aliae, ut vallisoletana, complutensis, conimbricensis, osunensis, compostellana, toletana, ovetensis, granatensis, hispalensis, baiacensis, valentina, barcinonensis, caesaraugustana, ilerdensis, oscensis, tarraconensis, mexicanensis, limensis, coloniensis, neapolitana, viennensis, aliaeque pene infinitae publicae, et privatae, quae studio et opera fratrum praedicatorum reguntur: in quibus solida, et candidissima s. Thomae doctrina perlegitur, haereses confutantur, et discipulorum animi luce veritatis illustrantur.

18 Theologorum dominicanorum numerus. Videas ingens agmen doctorum, theologorum, concionatorum, qui conciones, homilias, discursus, sacrae Scripturae expositiones, varia theologiae scholasticae tum speculativae, tum moralis commentaria graviter, et ornate conscribunt; et ad fidei dogmata roboranda, mores hominum reformandos praelo mandant, et in lucem edunt. Dies me deficeret si singulos enumerare vellem. Sabellicus Enneade 9, lib. 6, sua aetate, nimirum anno 1490, fuisse ex s. p. n. Dominici Instituto coenobia 4143, in quibus erant fratres numero 26000, et ex his mille quingenti sacrae theologiae magistri. Alfonsus Fernandez dominicanae familiae scriptores celeberrimos enumerat 1030.

19 Placidi Filingeri praeclarum Ordinis praedicatorum encomium. Hac tempestate qua per gratiam Dei Ordo praedicatorum magis reflorescit, academiae multiplicantur, studia augentur, existimaverim theologos, doctores, concionatores multo plures esse. Praeclarum est illud quod praefatus Placidus Filingerius in oratione memorata de Ordine praedicatorum protulit elogium: « In hac familia, s. *Dominici*, saecula connumerantur pontificatibus, lustra cardinalatibus, anni sanctis, dies praedicatoribus, horae confessionibus, momenta miraculis, urbes inquisitoribus, capita doctoribus, coenobia paradisis. *Et post pauca:* Non sunt in hac familia Diogenis lucerna homines inquirendi; quot fratres, tot homines, tot viri. Quod si monstrum aliquod tempora gignunt, monstrum erit excessu humanitatis, atque scientiae dominicana Religio ».

Piaculum esset praeterire unius docti, ac religiosi de Societate Iesu theologi de Ordine praedicatorum prolatum elogium. 20 Francisci Suarez praeclarum de Ordine praedicatorum encomium.
« Ex hoc Ordine, *praedicatorum*, tanquam ex equo troiano, vel potius arce munitissima, ad destructionem munitionum, ut Paulus loquitur, ab Ecclesiae hostibus appositarum prodierunt strenui propugnatores fidei, quam vel editis libris illustrem fecerunt. Sed piget omnium catalogum texere, cum facile constare possit ex ipsius Ordinis monumentis, quot, et quales prodierint Ecclesiae praelati, et sacri, ut vocant, palatii magistri, monarcharum Hispaniae confessarii. Quot in celeberrimis academiis professores primarii, ut facile credas, omnia haec iure prope haereditario huic illustri Ordini obvenisse, adeo ut per annos non paucos rari fuerint in republica litteraria alicuius nominis viri in doctrina sacra conspicui, qui dominicanae familiae non essent alumni. » Haec Franciscus Suarez tom. 4 de Relig. tract. 9, lib. 2, cap. 6, num. 12.

Post tot, et tanta testimonia res ipsa loquatur. Certum est, 21 Dominicani Concilium tridentinum conscribunt, et eorum numerus ibidem. S. Thomae doctrina e Concilio tridentino quanti habita.
Concilium tridentinum, quod Ferdinandus I imperator totius orbis scholam appellavit, praecipue fratrum praedicatorum opera conscriptum esse. Ibi videas fidei dogmata s. Thomae aquinatis verbis explicata, consulentibus ibidem multis theologis dominicanis partim a summo pontifice, partim a regibus, et principibus missis, partim ab episcopis secum adductis. Observatum est, ex sola dominicana familia plures huic sacrae Synodo interfuisse, quam ex ceteris religiosorum coetibus simul iunctis. Et quod a viris doctissimis animadversum, in materia de Sacramentis, de iustificatione, etc. non solum decreta iuxta doctrinam angelici doctoris stabilita esse; verum etiam cum patres Concilii Summam d. Thomae in publico consessu haberent, angelici doctoris conclusiones definitiones Concilii habitas esse.

Praeterea, nova editio missalis, et breviarii ab universa Sy- 22
nodo tridentina decreta, et postmodum catechismi romani compositio a Pio V facta, cui commissa est? nonne dominicanis? Certe frater Aegidius Foscarius episcopus mutinensis, et frater Leonardus archiepiscopus lanxianensis, et frater Franciscus Forerius, omnes ex Ordine praedicatorum, missalia, et breviaria romana reformarunt, et indicem librorum prohibitorum confecerunt.

Videas haereses extinctas per dominicanos. Quos hic referam 23 Dominicani haeretimastigae.
strenuos fidei christianae pugiles, veritatis catholicae vindices, haeretimastigas, qui in sacrosanctis Conciliis fidem orthodoxam adversus haereticorum errores strenue propugnarunt? Vix nata est haeresis aliqua ab annis quadringentis, quam dominicani doctores non oppugnarint, non discusserint, non exploserint.

Dux, et antesignanus noster beatissimus pater Dominicus in 24 S. p. Dominicus in evertendis haereticis quam strenuus.
sacra theologia doctor, primus sacri palatii apostolici magister, in Concilio lateranensi IV sub Innocentio III anno Domini 1215 Romae celebrato in confutandis Ioachim abbatis erroribus, et explodendis Almerici insanis egregium zelum, et praeclaram eruditionem in publico patrum consessu demonstravit.

Idem beatissimus pater in evertendis haereticis Albigensibus septem annos consumpsit, et centum millia ex eis, tum doctrina, tum miraculis ad fidem catholicam convertit, ut tempore suae canonizationis coram Gregorio IX legitime probatum est.

Primo etiam post felicissimum s. patris transitum anno, eius Haereticorum insolentia divinitus punita.
precibus tanta in filios suos gratia refulsit, ut in sola Lombardiae provincia centum haereticorum millia per tanti ducis alumnos ad verae fidei vexilla redierint, plurimis aliis pertinacibus igne concrematis, ita ut iure merito de hoc invictissimo athleta dicere possimus quod de Samsone Spiritus sanctus commemorat: *Multo plures interfecerit moriens, quam ante vivens occiderat.* Iudic. 16, 30. Ipso namque anno quo strenuus ille dux ad beatas sedes evolavit, Mediolani, et Brixiae duodecim millia haereticorum horribili terrae motu occubuerunt, dum in die natalis Domini laute epularentur; quae clades precibus, ac meritis praeclarissimi ducis nostri accidisse creditur, ut refert Caesarius lib. 4, cap. 49. Quid dicam de innumera Agarenorum multitudine in Hispania, Cathalaunia, Africa, Syria, Maiorica, in regno valentino, granatensi, finitimisque regionibus a s. Raymundo, fr. Guidone, aliisque fratribus praedicatoribus ad fidei catholicae lumen reducta? quid referam conversionem Saracenorum, Tartarorum, Cumanorum, Ungarorum, Indorum, aliarumque infidelium in oriente nationum per dominicanos procuratam? Haec iam supe-

Digitized by Google

rius ex probatis historiographis retulimus, nunc de solis haeresibus per fratres Ordinis praedicatorum profligatis loquamur ex chronicis.

23 Hugo primus cardinalis de Ordine praedicatorum ad Concilium lugdunense vocatur.

Anno Domini 1245 Innocentius IV generale Concilium lugdunense I indixit, in quo fr. Hugo de s. Theodorico de Ordine praedicatorum ad cardinalatum assumptus errores plurimos cuiusdam Petri de Vineis capuani circa summi pontificis auctoritatem eruditis disputationibus confutavit.

26 S. Thomas aquinas ad Concilium lugdunense vocatur.

In Concilio lugdunensi dominicanorum theologi qui fuerunt.

Anno Domini 1274 celebratum est Concilium lugdunense II sub Gregorio X pro unione Graecorum cum ecclesia latina, ad quod evocatus erat b. Thomas aquinas, ut cum graecis doctoribus de processione Spiritus sancti a Patre et Filio, aliisque fidei mysteriis incomparabili sua sapientia decertaret, sed in itinere constitutus ad coelestem patriam congravit. Interfuerunt tamen huic Concilio tres S. R. E. cardinales e praedicatoria familia assumpti, frater Petrus de Tharantasio qui postmodum fuit summus pontifex Innocentius V appellatus, frater Robertus archiepiscopus cantuariensis, et cardinalis portuensis, et frater Hugo gallicus archiepiscopus lugdunensis, et cardinalis ostiensis, et triginta episcopi, viri vitae sanctimonia, et litterarum copia illustres. Ex his frater Petrus de Tharantasio, et b. Albertus magnus cum Graecis magnam disputationem habuerunt, et de erroribus convictos ad unionem romanae ecclesiae adduxerunt. Aderat etiam doctissimorum fratrum agmen cum generali Ordinis fr. Ioanne vercellense, qui capitulum generale totius praedicatorii Ordinis eo tempore Lugduni celebravit, per quos decreta omnia, sanctionesque Concilii discussae sunt, et ordinatae. Et ipse fr. Petrus de Tharantasio cardinalis in quinta sessione oratorem Abagha regis Tartarorum cum duobus sociis baptizavit.

27 In Concilio viennensi Begardos, et Beguinas dominicani convincunt.

Anno Domini 1311 celebratum est Concilium viennense sub Clemente V, in quo fr. Emericus placentinus, fr. Berengarius tolosanus postea archiepiscopus compostellanus, aliique theologiae magistri Begardos, et Beguinas erroris convicerunt. Et fr. Guilelmus Durandus mimatensis episcopus iussu pontificis eruditissimum librum edidit de rebus in Concilio decernendis, iuxta quem omnes fere ordinationes sunt constitutae.

28 Wiclephi errores dominicani confutant.

Anno Domini 1372 in conventu Praedicatorum londinensi in Anglia celebrata est Synodus provincialis, in qua tredecim episcopi, et triginta theologiae magistri e praedicatorio instituto dogmata Ioannis Wiclephi damnarunt, doctissimeque confutarunt.

29 Schisma Ecclesiae tollunt.

Anno Domini 1414 inchoatum est Concilium generale constantiense ad schisma trium pontificum Ioannis XXIII, Gregorii XII, et Benedicti XIII extinguendum. In hoc negotio plurimum laboravit fr. Ioannes Dominici archiepiscopus ragusaeus, qui ob vitae probitatem, et doctrinae eminentiam creatus fuit a Gregorio XII cardinalis s. Xysti. Hic ergo vir eminentissimus, sublato ex sua opera trium pontificum schismate, datoque suffragio ad pontificatum Martino V, ab eodem in Bohemiam et Ungariam missus ad haeresim Hussitarum extinguendam Budae in Ungaria sanctissime obiit.

30 Pro unitate Ecclesiae laborant.

Anno Domini 1431 indictum est generale Concilium basileense. In hoc Concilio egregie pro Ecclesiae veritate laborarunt, et adversus Hussitarum errores strenue decertarunt fr. Bartholomaeus Tetzelius generalis totius Ordinis praedicatorum magister, fr. Ioannes Nider, fr. Ioannes de Turrecremata tunc magister sacri palatii, qui Bohemorum errores eruditis libris confutavit. Hic ab Eugenio IV cardinalis s. Xysti creatus, ob ferventissimum fidei zelum, et doctrinae sublimitatem a Pio II pont. maximo hoc nobili titulo insignitus legitur: *Universalis defensor, et protector fidei.*

31 P. Lapatii dominicani laus.

Anno Domini 1439 sub Eugenio IV indicta est florentina Synodus. In qua ad convincendos et arguendos doctores graecos delecti sunt a patribus ex praedicatoria familia duo praestantissimi theologi, fr. Bartholomaeus Lapatius episcopus coronensis, graeci idiomatis peritissimus, disputator acerrimus, et fr. Ioannes de Montenigro provincialis Lombardiae, theologus profundissimus, adversus quos ex Graecis electi sunt Bessarion episcopus nicaenus, et Marcus episcopus ephesinus, praesentibus Eugenio pontifice, et imperatore Graecorum. Tantorum theologorum argumentis convicti Graeci manus veritati submiserunt, et romanae ecclesiae adiuncti sunt, ut s. Antoninus archiepiscopus florentinus, qui huic disputationi interfuit, testatur. Solus episcopus ephesinus acerrimus disputator in perfidia mansit. Sed cum Bartholomaeus Lapatius in societate cardinalis veneti legati Constantinopolim venisset, tanti viri fama percrebrescente, placuit imperatori Graecorum, ceterisque aulae proceribus publicum certamen fieri inter ephesinum praesulem et fr. Lapatium iam ibi fama sapientiae celebrem. In quo certamine ephesinus episcopus, ita ab eo iterum publice superatus est, et confusus, ut intra paucos dies tristitia, et moerore absorptus in sua pertinacia misere obierit.

Constantinopoli cum episcopo ephesino disputat.

32 Thomas Caietanus pro dignitate pontificis fortiter stat.

Anno Domini 1513 sub Iulio II celebratum est Concilium lateranense V, in quo Thomas de Vio Caietanus vir acutissimus, postquam conciliabulum pisanum sua suorumque fratrum diligentia dissolvisset, strenuam navavit operam, et pontificis, conciliique auctoritatem non modo disputationibus, orationibusque, verum etiam editis super hac re libris, viriliter tutatus est, eaque de causa a Leone X, sub quo praedictum Concilium peractum est, cardinalitia dignitate ornatus fuit.

33 Dominicani primi Luthero se opponunt, et qui.

Anno Domini 1516 Martinus Lutherus haeresiarcharum pestilentissimus nonaginta quinque assertiones erroneas, scandalosas, haereticas circa indulgentias in publicum edidit. Quis primus ei se opposuit? quis primus adversus eum insurrexit, eiusque errores impugnavit? nonne dominicani? Nos Ioannes Tetzelius in coenobio francofordiensi haereticae pravitatis inquisitor centum et sex conclusiones propositionibus Lutheri contrarias ex sacra Scriptura et sanctis patribus decerpsit, quas in Germaniae academiis promulgavit. Conradus etiam Koelim theologus profundissimus, frater Silvester de Prierio sacri palatii magister, cardinalis Caietanus, Ambrosius Catharinus, Iacobus Hocstratus doctissimis scriptis suis Lutheri errores primi omnium confutarunt, quos secuti sunt alii innumeri. Magister sacri palatii apostolici petulantissimi hominis citati, et non comparentis falsam doctrinam Romae in foro Nagonio, anno Domini 1521 pridie idus ianii, una cum Hieronymo de Genutia episcopo asculensi condemnavit, prolataque sententia a magistro fr. Cypriano Ordinis praedicatorum in academia romana primario theologiae professore, eius statua et libri concremati sunt.

Eius libros et statuam Romae publice comburunt.

34 Dominicani in Concilio tridentino quam strenue se gesserunt.

Anno Domini 1545 inchoatum est Concilium tridentinum, et celebratum est annis octodecim contra haereses Lutheranorum tempore Pauli III, Iulii III, ac Pii IV, et Caroli V ac Ferdinandi Imperatorum. In hoc Concilio multi doctissimi, et sanctissimi viri e fratrum praedicatorum Ordine haereticorum conatibus validissime se opposuerunt disputationibus, congressionibusque publicis fidem orthodoxam acerrime propugnantes. Quot ibi fuerint, et qui decreta Concilii conscripserint, paulo superius memoravi. Porro inter disputatores praecipui erant sapientissimus magister fr. Petrus Soto, qui relicta curia Caroli Caesaris, cui a sacris confessionibus per aliquot annos fuerat, in Angliam se contulit, ut ibi furentium haereticorum recentes impetus reprimeret, quod et praestitit, cum in oxoniensi academia haereseos magistros in mendacio exultantes in disputatione confutavit, et mutos reddidit, ibique sacram d. Thomae theologiam publice magno cum fructu perlegit. Tandem ad oecumenicum hoc Concilium a Pio IV missus, in publica patrum congregatione doctores haereticos a duce witembergensi ad Concilium missos, quorum praecipuus haeresiarcha fuit Brentius, ita gloriose confutavit, ut omnium patrum consensu princeps theologorum iudicatus sit, ibidemque continuis studiis, vigiliis, laboribus consumptus magno omnium luctu vitam cum morte commutavit. Alter eiusdem cognominis, et eruditionis fr. Dominicus Soto in academia salmanticensi primarius professor, Carolo V quondam a sacris confessionibus, in eodem Concilio tridentino tam praeclarum suae eruditionis specimen dedit in publicis concertationibus theologicis, ut propter ardentissimum propagandae fidei studium, et gloriosos de haereticis reportatos triumphos hoc illustri stemmate a patribus sacrosancti illius Concilii donatus sit, flamma egrediente ex duabus manibus complexis cum hac inscriptione: *Fides quae per dilectionem operatur.*

Stemma f. Dominico Soto a Concilio tridentino donatum.

35 Dominicanorum labores in Anglia.

Anno Domini 1554 in Anglia cum sub regina Maria paululum catholici respirassent, mox opera fr. Bartholomaei de Carranza Ordinis praedicatorum cathedrae theologicae erectae sunt, haeresiarchae exhumati, triginta millia haereticorum vel flammis exposita, vel exilio mulctata, vel ecclesiae romanae reconciliata sunt.

Ibidem per fr. Petrum Soto super memoratum, aliosque dominicanos anglicanae iuventuti theologia scholastica explanata, fides exposita, ut merito dixerit Sanderus de schismate anglica-

no, libro 2: *Sub his magistris sapientissimis ita profecit Anglia, ut non aliunde hoc catholicae fidei semen, quod Deus in tam diuturno subsequente schismate, et tam immani persecutione nobis reliquit, extitisse videretur.*

36 Polonia a peste praedicatorum ab haeresi expurgata.

In Polonia nostra cum tota fere nobilitas variarum haeresum peste infecta fuisset, studio et opera fratrum praedicatorum ex magna parte ad sanitatem reducta est. Fr. Melchior mosticensis provincialis Poloniae myriadas seductorum ad fidem catholicam convertit. Is Sigismundo augusto regi Poloniae decretum confoederationis, et blasphemas schedas ab haereticis regi obtrusas e manibus una cum calamo excutere ausus fuit. Is Fricium ministrum haereticum, qui verbo erroris sacras Vchanscii archiepiscopi gnesnensis aedes profanare audebat, pepulit. F. Cyprianus suffraganeus wilnensis solus ferme Wilnae in Lithuania catholicam fidem retinuit. Fr. Michael mosticensis Ruthenos eiurato schismate ad unitatem catholicam adduxit. Fuerunt et alii doctissimi et religiosissimi viri, per quos fides catholica conservata fuit, et ad haec tempora conservatur, et defensatur. Testis est huius rei non vulgaris Stanislaus Carnkovius archiepiscopus gnesnensis, regni Poloniae primas, et primus princeps, qui, cum de fide catholica in Polonia conservata sermo incidisset, saepius aiebat: *Per istos fratres* (notabat dominicanos) *in Polonia catholicae fidei semen conservatum est.* Respiciebat illa infausta tempora, quae ipse cum iunior esset, spectabat; in quibus haeresis tantum invaluerat, ut vix reperire erat in toto regno Poloniae domum, seu familiam nobilem, quae haeresi contaminata non esset, si demas palatinatum Masoviae, qui fidei catholicae tenacius adhaerebat, unde tempore interregni post mortem Sigismundi augusti regis solus palatinatus Masoviae confoederationi haereticorum se opposuit, et contra eam protestationem fecit. Fere penes solos plebeios, qui novitatibus tam cito assuescere non poterant, tunc fides catholica mansit. Unde communi proverbio secta Lutheranorum fides nobilium, religio vero catholica fides rusticana appellabatur, ut ex maiorum nostrorum certa traditione accepimus. In eliminanda tam pestifera contagione multum desudarunt, praeter iam nominatos, Lucas leopoliensis, quem Orzechovius in Quincunxe gravissimum, et copiosissimum oratorem appellat, et Pericli ac Demostheni comparat. Fr. Severinus Roxolanus procurator canonizationis s. Hyacinti, haereticorum hostis acerrimus, et alii multi. Fr. Antonius praemisliensis reformator vitae regularis in Russia, sua dexteritate ab illustrissima Iazloviecorum familia haeresim pestiferam abegit. Vide Abrahamum Bzovium in libello cui titulus est: *Propago sancti Hyacinti.*

Stanislai Karnkovii de dominicanis testimonium.

Masoviae fidei catholicae tenaces.

Polonia quam graviter fuit peste haeretica infecta.

Lucae leopoliensis Ord. praedicatorum laus.

37 Inquisitores Ord. praedicatorum.

Post tot tantaque oppugnatarum, et expugnatarum per dominicanos haeresum argumenta, illud praecipuum, et omnium evidentissimum est sacrosanctae inquisitionis officium, primum b. Dominico, et eius filiis a multis summis pontificibus collatum, nobilissimum praedicatoriae familiae ornamentum, validissimum Ecclesiae propugnaculum, in quo dominicani per quadringentos annos et amplius adversus haereticam pravitatem dimicando multiplicis illius hydrae renascentia toties capita verbi divini gladio resciderunt, praeclarissimosque de haereticis triumphos toties reportarunt.

Magistri sacri palatii officium quam dignum, et nobile.

Accedit nobilissimum illud, et dignissimum magistri sacri palatii officium hortatu et consilio s. p. n. Dominici institutum, quo feliciter continuata serie iam per quatuor saecula dominicana Religio fungitur. Ille qui ad hunc honoris gradum evehitur, theologus est, ut sic dicam, theologorum, quos praecedit loco, consilio, definitione. Romae publice docet in palatio, quando summus pontifex cum cardinalibus de rebus Ecclesiae consultat. In congregatione s. officii, ubi soli cardinales resident, ipse cum generali magistro Ordinis praedicatorum et commissario curiae eiusdem Ordinis locum habet et suffragium. In itinere praecedit summum pontificem cruci vicinus. In sacello papali pedibus pontificis, loco tamen honorato, assidet. Absque eius facultate Romae nullus liber excudi potest, neque recitari oratio coram summo pontifice, nisi hanc viderit, cuius exemplar manu tenet, dum ea recitatur; ac si mutet orator, silentium potest indicere. Eius sententia tanti aestimatur, ut quacumque in disputatione fuerit, eo loquente taceant ceteri, neque ullus possit eandem quaestionem ventilare.

38 Dominicanorum theologorum qualitates.

Hoc tam praeclarum officium a summis pontificibus committitur solis theologis dominicanis, utpote purioris et candidioris doctrinae, nimirum thomisticae assertoribus. Tanta quippe est thomistarum theologorum iudicii gravitas, ut nihil unquam tradant, quod vel in Scriptura, vel in determinatione Ecclesiae, vel antiquorum patrum communi doctrina fundamentum non habeat; proinde profanas novitates peius cane et angue oderunt, et contra eas semper acerrime pugnant. Eruditae vetustati multum deferunt; quod invenerunt in Ecclesia, retinent et docent. Quare merito s. Sedes apostolica talibus viris censuram aliarum doctrinarum committit, eosque sui palatii magistros, ac fidei catholicae defensores constituit, quos credit non facile passuros, ut in urbe, aut orbe novum aliquod falsum, suspectum, periculosum aut scandalosum dogma propagetur. Hoc est quod summi pontifices in publicis Ecclesiae diplomatibus d. Thomae doctrinam collaudantes profitentur. Pius V in bulla quae incipit: *Mirabilis Deus*, edita Romae anno 1567, pontificatus sui 2, ait:

S. inquisitionis officium cur dominicanis commissum.

Angelici doctoris veritate doctrinae, quae apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis erroribus illustravit, ex eo tempore quo coelestibus civibus adscriptus fuit, multaeque deinceps exortae sunt hereses, confusae et convictae disparentur; quod et antea et liquido nuper in sacris tridentini Concilii decretis apparuit. Paulus in bulla ad Neapolitanos, edita anno 1607: *Splendidissimi*, inquit, *catholicae fidei athletae beati Thomae aquinatis, cuius scriptorum clypeo militans Ecclesia haereticorum tela feliciter elidit.* Et per quos? Certe per dominicanos; isti enim ex eo tempore quo d. Thomas coelestibus civibus adscriptus est, doctrinam eius constantissime tenuerunt, propugnarunt, et ex ea tela prompserunt, quae felici dexteritate contra haereticos torserunt, unde errores illorum confuderunt, convicerunt, dissiparunt.

Dominicani haereticorum tela eludunt.

39 Dominicani conversioni gentilium sedulo vacant.

Neque dominicanorum sapientia et zelus in refellendis solum haereticis enituit, verum etiam vel maxime in gentilium conversione ad fidem, prout antea narrabamus, et gentes, in quorum conversione laborarunt, enumerabamus. In Perside, et abditis Cathayae regnis sub annum Domini 1290 evangelium praedicasse testatur Paulus Venetus decade 4, libro 7, et antiqua monumenta. Unde post institutam a Lusitanis navigationem reperta est ab Antonio Sosa inter idola Indiae ad Gangem statua cum praedicatoria veste. Haec sunt antiqua; ea quae nostra vel patrum nostrorum memoria gesta sunt, et hodie geruntur, commemorare libet.

40 Videas hodie dominicanos in regno Camboiae, in regno Subzumae apud Iapones, et apud insulas philippinas conversioni infidelium sedulo invigilare, vineam illam Domini, quam praedecessores dominicani primo plantaverant anno Domini 1491, novissimis his temporibus mirifice promovere.

41 Taceo expeditiones illas antiquas in Africam, in Aegyptum, ad Abyssinos, et ceteros Nili accolas longe diffusos. Nihil dico de regno Congi, quod ab aliis Manicongo dicitur, in quo rex, et regina, et filius natu maior a nostris baptismi lavacro abluti fuerunt.

42 Dominicani in America primi praedicant.

Videas hodie per vastissima Americae regna dominicanos semen evangelii late spargere. In Americae mexicanum regnum primus episcoporum omnium venit fr. Iulianus Garcez episcopus tlaxcalensis, dominicanus. In nova Hispania insulam verae pacis dictam dominicani Christo Iesu, et Ecclesiae per evangelium genuerunt circa annum Domini 1589. Statuerant gentiles illi ob inaudita nostrorum militum avaritiae et crudelitatis exempla omnem a se excludere praedicationem evangelii, nisi ab ipsis tantum dominicanis sine ullo milite proponeretur. Accepta fuit conditio a nostris, et tam ingentes fructus edidere, ut admiratus Carolus V caesareo diplomate caverit, ne quis militum christianorum eam ingrederetur provinciam, quam solis praedicatoribus apertam esse volebat, meritoque provinciam verae pacis appellari.

Insulam verae pacis ad Christum convertunt.

Caroli V erga praedicatores studium.

Praetereo amplissimum et ditissimum Peruviae regnum a nostris primo penetratum, ubi variam sanctitatis ac doctrinae specimen edidere.

43 Peruviae regnum sanctitate et doctrina illustrant.

Quisnam primus ex religiosis adierit Sinenses concertatio est inter eos; quisque sibi palmam vindicat, et quo prior, hoc se mereri amplius credit. Vana opinio, quia non primo venientibus, sed maiore conatu caritatis laborantibus maior merces debetur. Fiunt *primi novissimi, et novissimi primi*, ut Matth. 20 dicitur. Certum tamen est, nostrum Gasparum de cruce ante omnes alios in sinense regnum penetrasse, ut testantur Petrus Gonzales a Mendoza augustinianus lib. 2, c. 3 de regno Sinarum, et fr. Hieronymus Gratianus carmelita in libro, cui titulus est. Stimulus propagationis fidei.

Sinarum regnum primi adeunt.

44 Armenos in fide vera conservant.

44 Videas Armenorum populos ab anno Domini 1319, quo fr. Bartholomaeus Parvus Ord. praedicatorum eos ecclesiae romanae adiunxit, huc usque per antistitas dominicanos in vera fide conservari. Mira res, illos populos christianos undiqua Turcis, et Persis mahometanis cinctos, per tot annos in tanto numero (viginti farus christianorum milia ibi numerantur) a praedicatoribus rito latina sub pontificis romani obedientia gubernari. Obstupuit Clamens VIII pont. max. cum haec audiret ab Azaria archiepiscopo naxivanensi, qui es Armenia Romam venerat anno Domini 1604. Hodie est archiepiscopus Armeniae noster fr. Augustinus persa conventus nostri cracoviensis filius. Novissime fr. Iacobus de Ambrosia Armeniae provincialis singulari ope Beatissimae Virginis sanctissimi rosarii advocatae plurimos illius regionis infideles ad Ecclesiae gremium adduxit, hodieque in ea sparta excolenda, non sine ingenti fructu desudat, ut constat ex alus litteris datis ad reverendissimum magistrum generalem Nicolaum Rodulphium anno Domini 1630, die 15 aprilis.

45 Videas quamplurimos as dominicanis in insulis et regnis Angliae, Hiberniae, Scotiae occultas, sed Dea notos confessores, qui occulte cathalicis Sacramenta administrant, tepidos in fide consolidant, fortes ad martyria accendunt. Placet audire reverendissimi Seraphini Sicci generalis totius Ordinis praedicatorum testimonium in principio actuum capituli generalis ulissiponensis insertum. « Pergit, oit, proculdubio sanctissima no« stra Religia in suis institutis feliciter, Dei benedicti favoris « aura aspirante. Nos etenim pra nostri muneris debito diversas « provincias perlustrantes plurimos e propiuquo saepe aspexi« mus religiosos, qui viam Dei primorum sanctorum patrum « vestigiis praenotatam magnis iisque continuis percurrunt iti« neribus. »

P. Seraphini Sicci de Religione dominicana testimonium.

46 Xenodochia opera dominicanorum erecta.

46 Videas cousilio, et ope praedicatorom xenodochis, et aliss pias domos erectas. Romae s. Catharinae domum pro pudicitia iuvencularum tuenda per fr. Ioannem de Turrecremata S. R. E. cardinalem erectam. Neapoli templum sancti Spiritus cum puellarum dispersarum coenobia ab Ambrosio Salvio episcopo neritonensi constructum. Ibidem nosocomium, Maria Francisca Longa adiuvante, concionatore quodam monopolitana dominicanae familiae construi coeptum.

47 Rosaria opera dominicanorum erecta.

47 Videas sacratissimi rosarii sodalitates in urbibus, castellis, oppidis, villis per universum orbem per praedicatores fundatas, ubi innumerus fidelium concursus fit, et ad Dei laudem, Beatissimae Virginis famulatum se congregant cum incredibili suarum animarom fructu, et Ecclesiae incremento.

48 Globuli precarii ab Ordine praedicatorum.

48 Videas tum viros, tum mulieres, nedum religiosos, verum et saeculares, immo et pueros globulos precatorios portare in protestationem fidei catholicae, in confusionem haereticorum, et consolationem fidelium. Quos globulos a p. n. s. Dominico se accepisse gloriantur.

49 Hac autem totum Ecclesia cathalica sanctissimo rosario debet. Per illud enim Ordo praedicatorum exordium sumpsit, crevit, propagatus est, Ipsa Deipara Virgine attestante, et b. Alano id referente: *Quamdiu duravit hoc psalterium in toto Ordine, tamdiu scientia, sapientia, observantia, miraculorum fama, et gloria apud Deum, et homines in immensum floruit.* Da hac utilitate plura loquamur at demonstremus.

DISCURSUS CCCXVII

QUAM SIT UTILIS ECCLESIAE DEI ARCHICONFRATERNITAS SANCTISSIMI ROSARII OSTENDITUR EX MULTIS RELIGIOSORUM FAMILIIS NUVITER ORTIS VEL RENOVATIS, ET ALIIS EMOLUMENTIS AB EA IN ECCLESIAM PROMANANTIBUS

Ex quo hoc salutare psalterii seu rosarii B. M. Virginis institutum in mundo divulgatum est, practer iam memoratos ex Ordine praedicatorum fructus multa alis ingentia at innumera Dei beneficia in Ecclesiam promanarunt. In primis ex rosario tanquam praeclara stirpe germinarunt innumera diversorom religiosorum Instituta sanctitate et doctrina tati orbi facta conspicua, quibus Ecclesia catholica plurimum illustrata refulget. Exardium sumo a praeclarissimo Ordine minorum.

Religiosi Ordines ex rosario.

1 Ordo minorum et praedicatorum sunt gemini fratres es unius matris Ecclesiae utero eodem tempore progeniti, quos Ioachimus abbas spiritu prophetico simul praedixit, quos B. Virgo ad mundi conversionem simul destinavit, quos vinculum votorum, communia omnium bonorum operum arctius colligavit, quorum unum studium, unum propositum, unus animus, unus finis, seu unus scopus est, salus videlicet animarum. Cum itaque ex his unus, puta Ordo praedicatorum, rosarii precibus sit natus, educatus, promotus, per orbem universum dilatatus, et alium eusdem rosarii meritis nasci, educari, promoveri, et per orbem dilatari oportuit.

Ordo carmelitarum etsi a rosaria prognatus dici non possit, utpote eo antiquior, rosarii tamen odore mirifice recreatus eo tempore, cum s. p. n. Dominicus illud per diversas orbis partes plantabat, in Europam venit. Unde magno necessitudinis vinculo mox cum dominicanis, in quorum Ordine hunc amoenissimum hortum rosarii plantatum vidit, sese coniunxit. Dominicani quoque vicissim eum inveront, foverunt, promoverunt, regulamque carmelitarum ad eum modum vivendi, quem nunc retinent, accommodarunt. Seriem rei ex chronicis nostris narrare libet. *Fuerunt ab initia nascentis Ecclesiae in Terra sancta, et maxime in Carmela eremitoe multi, sicut patet ex chronicis, et ex multis sanctorum vitis. Horum conversationem videns d. Albertus patriarcha ierosolymitanus multum eos spiritualiter in Domino nutriebat. Et in scriptis modum vitae eorum redigens, separatim in cellulis per totum montem Carmeli antea habitantes, sub cura unius eorum ipsos advocavit, et per professionis vinculum pariter colligavit, et per Sedem apostolicam confirmari curavit. Qui post multos annos ad papam Innocentium IV venientes Lugdunum, pro eo quod regula gravis erat, nec eis in civitatibus et villis habitare licebat, obtinuerunt quod negotium totum committeretur venerabilibus patribus domino Hugoni de sancto Theodorico presbytero cardinali, et fr. Guilielmo episcopo antacanensi, qui ambo erant de Ordine praedicatorum. Qui eis specialem regulam scripserunt, quam ex tunc profitentur, et tenent, et secunda per Innocentium papam IV bullatam, et confirmatam.* Haec chronicon praedicatorum. 2

Priscorum carmelitarum vita.

Dominicani carmelitanis regulam ordinant.

Ordo B. M. Virginis de mercede redemptionis captivorum ex rosaria prodiit; eius quippe auctor fuit s. Raymundus de Ordine praedicatorum una cum Iacobo Aragonum rege. Et ipse s. Raymundus Petrum de Nolasco primum generalem eiusdem Ordinis habitu sanctae conversationis induit, illique Ordini regulam s. Augustini, et nonnullas constitutiones a fratribus praedicatoribus mutuatas praescripsit. Natalis Gaver in libro de Ordine mercedis. 3

3 Ordo de mercede redemptionis captivorum ex rosario

Ordo servorum B. M. Virginis non inepte germen rosarii vocari potest. Hunc enim s. Petrus de Verona martyr inclytus Ordinis praedicatorum mirifice fovit, auxit, a calumniatoribus protexit; regulam insuper s. Augustini servitis praescripsit, at vitae arctioris formulam designavit. Quare si non eius Ordinis auctor, fautor certe, protector ac promotor dici debet. 4

4 Ordo servorum B. M. Virginis.

Ordo de militia Iesu Christi, seu de poenitentia s. p. n. Dominici ex hac archiconfraternitate ortum suum duxit. Eum namque s. p. Dominicus rosarii auctor fundavit, ut potentiae Albigensium opponeret. Haec sunt praeclara floridae rosaceae archiconfraternitatis germina. Hos omnes, ut credibile est, odor rosarii tunc enascentis mirifice recreavit, at a saeculi vanitate aversos ad bravium aeternae vocationis traxit. Horum omnium Ordinum instituto effectum est, ut innumeri scelera sua agnoscentes ad Deum converterentur; complures etiam utriusque sexus homines mundum saeculo mittentes religiosam vitam complecterentur, qui deinde pietate et litteris conspicui veluti stellae lucidissimae alus praefulsere. 5

5 Ordo de militia Iesu Christi.

Porro quantum ex renovatione rosarii Ecclesiae utilitatis accesserit, rei probavit eventus. Hac enim renovatione facta, et per orbem promulgata, mox Deus summorum pontificum ac aliorum Ecclesiae praelatorum zelum ad morum reformationem excitavit, qui indicto Concilio tridentino catholicae fidei veritatem contra recentiores haereticos explanarunt, et disciplinam ecclesiasticam quae iam prorsus collapsa erat, mirifice restituerunt. 6

6 Concilium tridentinum sanctissimi rosarii fructus.

Hinc diversi Ordines, et clericorum Congregationes in Ecclesia oriri coeperunt, ut Ordo minimorum, Societas Iesu, Ordo theatinorum, Ordo barnabitarum, et alii. Veteres quoque ad pristinam legum suarum observantiam redire visi sunt, ut ex franciscanis capuccini, ex carmelitis discalceati, qui omnes uberes fructus in Ecclesia fecerunt, et facere haud desinunt. 7

7 Religiones noviter exortae sanctissimi rosarii fructus.

Praecipue vero carmelitae discalceati ex florido mariano rosaria, puta Ordine dominicano plurima emolumenta se accepisse glariantur. Sancta mater Teresia eorum reformatrix eximia, cum 8

8 Carmelitae discalceati

Digitized by Google

rosarii fructus.

Dominicani s. Teresiam in negotio reformationis iuvant.

S. p. Dominicus s. Teresiae apparet.

B. Ludovicus Bertrandus s. Teresiam ad reformationis opus animat.

Petrus Fernandez pro ea sententiam fert.

P. Gavia librum eius approbat.

Pater Bannes s. Teresiae confessarius, encomiastes et spiritus eius promotor.

Praemium a B. Virgine accipit.

multa incommoda et contradictiones sustineret in aggressione reformationis primitivae regulae, quae olim dum Carmelus floreret, exactissime observabatur, et a patribus conventualibus praeceptum haberet ne alterius pergeret, optaretque, quod mallet monasterium, ibique resideret, a dominicanis in ea angustia solabatur. In primis, cum Segobiae ardentius oraret in sacello, in quo s. p. Dominicus usque ad sanguinis effusionem se flagellare solebat, post sacrosanctae Eucharistiae sumptionem s. p. Dominicum ad sinistram partem altaris conspexit. Rogat illa cur ad laevam? Respondet s. Dominicus: *Dexter locus Domino meo debetur*. Respexit mox Teresia, et Christum ad dexteram vidit, qui in brevi recedens dixit: *Festiviter age cum amico meo*. Ibi b. Teresia fere per duas horas cum s. patre Dominico verba fecit. Post tot colloquia s. pater manu stipulata ei promisit opem ad Congregationis discalceatorum promotionem, dicens: *Do tibi manum, quod cum fratribus meis tuus auxiliator ero*. Ribadeneira in vita s. Teresiae. Hinc factum, ut dominicani inter alios praecipue conatus s. Teresiae mirifice promoverunt, et ut serio operi cogitato incumberet, iusserint. Ex his fuit b. Ludovicus Bertrandus, qui ea de causa consultus a b. Teresia respondit, quod ad tam egregium opus peragendum Dei nomine animum induerent, atque eiusdem nomine certiorem eam fecit, et dixit, quinquaginta non elapsuros annos, quin reformatio haec quam aggrediebatur, una ex illustrissimis quas Ecclesia habet, Religionibus esset futura. Annuit similiter tali reformationi, et eam ardenter promovit. P. Petrus Fernandez dominicanus Xysti V pontificis maximi hac in causa commissarius, qui s. Teresiae aemulos novam eius progeniem extinguere volentes auctoritate qua pollebat, repressit, et pro Teresia sententiam tulit. P. Gavia de Toleto ex Ord. praedicatorum librum a s. Teresia ex particulari Christi revelatione conscriptum de vita sua, et affectionibus divinis quas passa est, refertum approbavit. Alterum *Iter perfectionis* intitulatum, praecipiente patre Bannes dominicano suo confessario, qui spiritum eius per annos circiter viginti quatuor accuratissime exploratum habuit, edidit. Idem p. Bannes in funere b. Teresiae concionem habens, eam miris encomiis exornavit, et inter cetera asseruit Teresiam s. Catharinae senensi sanctitate aequalem, sapientia atque prudentia superiorem. Idem pater Teresiam ad maximum perfectionis gradum adduxit, illique suasit, ut discalceatarum carmelitarum recollectionem opus insigne intrepide aggrederetur. Unde et beata virgo Teresia refert in praemium tanti consilii Reginam coelorum vidisse candido vestimenta illum induisse, et eius animam eidem Virgini recta absque repurgante igne in coelum avolasse visam esse ipsa testata est. Ex Petro Ribodeneira in vita s. Teresiae, et patre Dominico Gravina in Voce turturis, cap. 3. Haec commemorare placuit, ut omnes intelligant sanctissimi rosarii renovatam plantationem ad Ordines recenter erectos, praecipue vero ad reformationem carmelitarum plurimum profuisse. Et vero quia alius Ordinem Virginis reformare debuit, nisi eadem Virgo quae in rosario colitur? Quis fratres, sororesque Virginis ad pristinam austeritatem revocare potuisset, nisi rosarii Domina, et carmelitarum specialis Patrona b. Teresiam virginem ad id munus destinasset, et spiritum eius per rosarii sui cultores dominicanos promovisset? Pergamus fructus ex rosario colligere.

9 Sancti nostri saeculi rosarii fructus.

Postquam rosarii archiconfraternitas refloruit, mox viri operum sanctitate, et miraculorum gloria conspicui in Ecclesia florere coeperunt, ut s. Franciscus de Paula, s. Casimirus, s. Carolus Borromaeus, s. Ignatius Loyola, s. Franciscus Xaverius, s. Filippus Nerius, s. Teresia, ut taceam innumeros eos, qui nondum publico, ac solemni canonizationis ritu in cathalogum sanctorum adscripti sunt. Maxime vero in Ordine praedicatorum, in quo hic amoenissimus hortus rosarii plantatus est, et odorem in orbem universum spirat, multi viri et feminae sanctitate ac miraculis clarere coeperunt, quos longa serie recenset p. Dominicus Gravina loco supra memorato.

10 Orbis novi inventio fructus rosarii.

Dominicani primi in novum orbem navigant.

Hinc novi orbis inventio, qui daemonis astu advenis omnino praeclusus et impenetrabilis erat. Hic namque est genius hostis tartarei, ut quos semel illaqueaverit, tanta diligentia custodiat, ut omnes salutis aditus seu vias obstruat, ne a vinculis solvantur. Praecluserat hostis humani generis vias ad vastissimas illas Indiae et Americae regiones, quo gentes illas in tenebris, et umbra mortis sedentes in sua potestate obtineret. At ubi rosarium refloruit, mox illius odor densissimam illam, et foetidissimam errorum nubem, quam teterrimus hostis abiecerat, penetravit. Primi ex fratribus nostris, teste Maffeio, in illas oras novi orbis navigare coeperunt, qui ignotas illas Indias provincias perlustrarunt, gentium illarum innatam feritatem, et barbariem et incompositos mores commutarunt, et innumeros populos infidelitatis, et mortis tenebris insepultos splendida evangelii luce collustrarunt. Videre est fructus, quos ex mariano rosario per dominicanos in illis vastis regionibus Ecclesia Dei reportavit, nimirum barasilica, mexicana, peruana, quinensi, paraquaria regionibus, et philippinis insulis, ubi, idololatria reversa, mores efferatarum gentium ad normam christianae legis compositi conspiciuntur. Testis huius rei est provincia rosarii, quae insulas philippinas, imperia iaponia et Sinarum, aliaque regna complectitur, et a fructibus quos ibi rosarium produxit, nomen accepit. Ibi, ut p. Gravina noster loco memorato scribit, ad unguem constitutiones Ordinis nostri a fratribus servantur, adeo ut in illis fratribus primitivus s. Dominici fervor fervere videatur. Unde non tantum verbo, sed et exemplo excitati populi pagasinenses, gaoyenses, illocigalenses Christo nomen dedere apud lusionas insulas. In iaponico vero latissimo imperio regna Satsuma, Figen, et Fingo eorundem praedicatione, et actione lavacri sacri aqua lustrata sunt. Gravina loco citato.

Rosarii fructus in novo orbe.

Provincia rosarii.

11 Rosarium quantos fructus Ecclesiae attulerit.

Deinde si animum convertas ad eos qui inter catholicos ex rosario proveniunt fructus, facile huius sacri instituti vim, et energiam ad lucrandas Christo animas cognosces. Olim ignorantiae tenebris totus fere orbis obsitus erat, nunc doctissimorum theologorum diversae Religiones, et academiae stant. Divina Scriptura, sacra theologia, philosophia passim magna auditorum frequentia cum pari utilitate spirituali leguntur. Olim ecclesiasticae disciplinae nervus enervatus erat, religiosae familiae contemptae iacebant, iam multi, agnita saeculi vanitate, spretis eius oblectamentis, ad religiosorum familias passim advolant. Olim infelici aevo Lutheri divini verbi praedicatio neglecta erat, Sacramentorum usus vix ullus, confessio sola annualis, eaque frigidissima, aut confessionis mera caeremonia.

Tantus languor pene omnes invaserat, ut saepius quam semel 12
anno tata ad sacrosanctam synaxim accedere ad instar piaculi haberetur. In arcto, ac velut in extrema regula erat religio et pietas, et pudori erat non insanire cum insanis. Haec planissima erat via ad grassantem iam haeresim. At ubi rosarii devotio refloruit, propitio Deo, precibus B. M. Virginis placato, iam mutata in melius cernimus tempora, congregationes, seu sodalitates sub titulo Deiparae ad normam rosarii erectae cernuntur, ubi Dei cultus, erga Deiparam, angelos, sanctosque devotio propagatur, imaginum ac reliquiarum veneratio fidelibus inculcatur, templorum ornatus et mundities procuratur: iam verbi divini frequentissima frequentatio, Sacramentorum poenitentiae et sacrosanctae Eucharistiae tam crebra usurpatio, ut, affirmare audeam, quisquis nostro hoc aevo annuam dumtaxat confessionem instituit, hoc omnibus de seipso suadet, ne se alium credant, quam frigidissimum christianum. Haec sunt emolumenta ob archiconfraternitate sanctissimi rosarii in Ecclesiam promanantia. Pergamus enarrare.

DISCURSUS CCCXVIII

QUAM SIT UTILIS ECCLESIAE DEI ARCHICONFRATERNITAS SANCTISSIMI ROSARII OSTENDITUR EX ALIIS SAECULARIUM SODALITATIBUS A ROSARIO PROMANANTIBUS

1 Confraternitatum fructus.

Uberes fructus a saecularium sodalitatibus Ecclesiam percipere nemo ignorat. In his enim, ut ante diximus, maior Dei Deiparaeque honor et gloria relucet, Christi fidelium pietas promovetur, honestas morum et integritas vitae restauratur, animarum salus procuratur, templa et altaria ditantur et exornantur, infideles ad fidem suaviter trahuntur, fideles vero a vitiis et peccatis retrahuntur, ad mutuam caritatem et ardentiorem devotionem excitantur. Haec autem omnia operatur sanctissimi rosarii archiconfraternitas, quae etsi non omnium, plurium certe ac praecipuarum sodalitatum mater existit, quas progenuit, vel eis initium, et occasionem nascendi dedit; quales sunt sodalitas, seu confraternitas s. Crucis, Venerabilis Sacramenti, SS. Nominis Iesu, misericordiae, concordiae, de Salve Regina, s. Annae. Hae omnes ex florido rosaceo praedicatorum Ordine velut flosculi enatae sunt.

Confraternitates natae ex rosario quae et quot.

Confraternitas s. Crucis ad promovendam fidem catholicam 2

Confraternitas s. Crucis. precibas, pretio, meau, et opera a s.p. Dominico est institata, e. Petro de Verona martyre latias propagata. Conradus Sottardus de rosario lib. 4.

3 Venerabilis Sacramenti. Confraternitas Venerabilio Sacramenti, cuius officium est cum facibus comitari Venerabile Sacramentum, cum ad aegros defertur, est pelmes sanctissimi rosarii, orta nimirum ab Ordine praedicetorum. Communiter ontem d. Thomae eqainati tribuitur, cui et Urbaons IV eano 1264 iaiunsit, ut de hoc Venerabili Secramento officium ecclesiastieum cemponeret; quod composnit, et usque in praesentem diem e tota Ecclesia canitur. Hanc confraternitatem collapsam fr. Thomas Stella episcopus iustinopolitanus de Ord. praedicatorum restituit, et mirifice propagavit anno 1554.

4 Sanctissimi nominis Iesu. Confraternitetem sanctissimi Nominis Iesu contra essamentes nomen Domini in vanum esse institatom fratrum Ord. praedicatorum summi pontifices Pius V, et Gregorino XIII suis diplomatibus testati sunt, quam etiam huic Ordini adiudicarunt, prohibueruntque sub gravissimis poenis, at nulli sit unquam facultas hanc confraternitetem absque licentia prioria, seu provincialis Ordinis praedicatorum fondare, erigere, propagare, administrare. Et merito; magni namque s. p. Dominico, et fratribus S. p. Dominicus Sanctissimi Nominis Iesu cultor praecipuus. Dominicani Sanctissimi Nominis Iesu cultores praecipui. eius nomen Mariae, maximi Sanctissimum Nomen Iesu semper fuit. Hinc ad rosarii preces vitae Iesu et Mariae mysteria commeditanda esaignavit primus s. pater Dominicus. Hinc idem sanctus pater in ipsis praedicaterum primordiis congregationem instituit, quam de militia Iesu Christi appellavit, patrimenio s. Petri, pontificique romanae vi et armis tuendo pernecessariam. Unde Orde de tertia regula s. Dominici prodiit, qui sanctis virginibus Ecclesiam Dei plurimum collustravit. Praedicatorum quoque Ordinis zelo factum est, at salutatio angelica in tantum veniret usum, et cultum, ac tandem hanc sibi accessiunculam inveniret, et clausulam, *Iesus*, quam e. Sedes apostolica datis indulgentiis emplius fidelibus commendavit.

5 Misericordiae. Ceofraternitas misericordiae e Ioanne Turrecremata S. R. E. cardinale institute, et a Leone X, aliisque summis pontificibus late propagata est. In Italia tam alte provecta, at in eam cardinales, episcopi, principes, praelati, clerici, nobiles coepteri pro henore ducant. Eius officium est virgines oubiles, et pauperes ditare. Communi vocabule dicitur fraternitas ennuntiatao, cuius opera quotennia in die ennuntiationis B. M. Virginia summus pontifex dotat egentium Romanorum filias.

6 Concordiae. Confraternitas concordiae sub b. Venturine Ordinis nostri refloruit, et propegate ost. Hic enim zelosissimus, ac ferventissimus praedicator in suis concionibus voce, vultu, gestu, et habitu trium istarum vocularum proclamatione populum commevebat: B. Venturini Bergomi zelus in praedicatione. poenitentie, pax, misericordia. Hinc maxima pars populi nomen dabat institutae, ac restitutae eb ee confraternitati concordiae. Leander de viris illustribus Ordinis praedicatorum lib. 5.

7 De *Salve Regina*. Confraternitas de *Salve Regina*, euctoribus p. Iecobo Spraaghero priore coloniensi qui ibidem fuit rosarii reparator, et postea archiepiscopus salspurgensis, et Michaele ab Insulio Ordinis praedicatorum, anno Domini 1457 instituta est. Unde et haec filie est rosarii, hoc est ex rosario nata. Huius munus est interesse quotidie antiphonae *Salve Regina*, dum canitur in medio ecclesiae fratrum praedicatorum, ed quod Paulus V concessit 20 dies indulgentiae.

8 Confraternitas s. Annae a quo instituta. Confraternitas sanctae Annae ab eodem quo supra, Iacobo Sprenghero instituta est Coloniae anno Domini 1476. Hic enim devote considerans e. Annam nobis hanc prolem generosam, Dominamque nostram gloriosissimam Virginem Mariam protulisse, quae fructum vitae attulit, pro aliquali gratitudine in honorem horum trium, e. matris Annae, filiae Meriae, et filii eius Iesu Christi singulis tertiis feriis tres *Pater noster*, et tres *Ave Maria*, a confratribus et sororibus huius fraternitatis dici, et sibi invicem communicari optavit. Ita de ea seribit Michael insulanus in quodlibeto de fraternitate rosarii, materia 2, proposit. 2. Ortam sic, et institutam multi devote exceperunt; maxime in Polonia patrum nostrorum memoria hanc confraternitatem Anna regina Poloniae confraternitatem s. Annae promovet. devotissime excepit piissima regina Poloniae Anna Iagellonia Sigismundi I regis filia, Sigismundi Augusti soror, Stephani Bathoraei regis Poloniae coniux, eamque per episcopos regni mirum in modum dilatavit. Et cum fratres nostri huius confraternitatis auctores et inventores circa promotionem erchiconfraternitatis sanctissimi rosarii, et sanctissimi Nominis Iesu occupati essent, eam promovendam susceperunt religiosissimi patres Ordinis minorum de ebservantia vulgo dicti *bernardini*. Quos autem fructus ista confraternitas Ecclesiae catholicae adferat, ipsi effectus palam ostendunt.

Aliae vero confraternitates, puta scapularis B. M. Virginis de monte Carmelo, conceptionis eiusdem Virginis, nativitatis, annuntiationis, purificationis, assumptionis, lauretanae, compassionis, s. Rochi, s. Alexii, s. Michaelis, s. Sebastiani, s. Petri martyris, s. Hyacinthi, s. Angeli custodis, et si quae sunt aliae, (uti non dubito alias quamplurimas in diversis regnis, provinciis ac civitatibus esse) etsi ex rosario initium non habeant, occasionem tamen nascendi sumpserunt. 9 Confraternitates aliae ex rosario occasionem nascendi sumpserunt. Unde horum omnium erchiconfraternitae rosarii si non mater, saltem prototypon est; ad eius enim formam, similitudinem et normam illae institutae sunt. Porro quos fructus istae confraternitates in Ecclesia Dei proferant, res ipsa clamat, et liquido ostendit. Videmus enim cultum divinum in eis magis propagari, christianam caritatem ac pietatem mirifice foveri, mores hominum ad normam divinae legis componi, inimicitias reconciliari, simultates sopiri, odia restingui, ecclesias ornari, et alias multas utilitates quae sequuntur.

DISCURSUS CCCXIX

QUAM UTILIS SIT POPULO CHRISTIANO ARCHICONFRATERNITAS SANCTISSIMI ROSARII OSTENDITUR EX INDULGENTIIS ET GRATIIS A SUMMIS PONTIFICIBUS HUIC ERCHICONFRATERNITATI CONCESSIS

Ut in omni republlice bene institute aerarium est, unde tempore quovis incommodo, ut famis, belli, morborum, etc. egestati pauperum succurratur; sic est in Ecclesia, ut in regno spirituali, thesaurus spiritualis, unde solvant qui non habent. 1 Indulgentiarum fundamentum. In hoc Deus miseriam, et pauperiem nostram sublevat, cum nos ad hunc thesaurum admittit, et quantum pro satisfactione peccatorum nostrorum indigemus, tantum inde accipere permittit. Hic autem thesaurus constat ex meritis Christi, et operibus supererogationis sanctorum. Merita Christi sunt quasi oceanus inexhaustus, nam etsi sanguinis eius vel guttula satis erat ad totius mundi redemptionem, tamen tam abundanter sanguinem profundere voluit, ut infinitis mundis sufficeret redimendis, si tot aliquando conderentur. Ex hac igitur tanta pretiosissimi sanguinis copia thesaurus Ecclesiae constat, ex hac meritorum aerarium constitutum in solatium simul ac levamen pauperum ex propriis meritis satisfacere non valentium. In eundem thesaurum opera supererogationis sanctorum reponuntur. Multi enim plura passi sunt quam meruerunt. B. V. Maria nulla unquam peccati labe commaculata fuit, multa tamen passa est in Aegyptum fugiendo, ibidem manendo, inde redeunde, etc. tempore passionis adeo Filio compatiendo, ut doloris gladius animam eius pertransierit. S. Ioannes Baptiste mundus ab actualibus saltem mortalibus peccatis quam vitam egit in eremo tot annos? quid passus in carcere? quam tandem necem pertulit? Iob quantas afflictiones, et quantam calamitatem passus? Si peccata quaeris, innocentem invenies. *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: et calamitas quam patior in statera. Quasi arena maris haec gravior appareret*, Iob 6, 2. Atque ita de plerisque multis apostolis, martyribus, confessoribus, anachoretis, doctoribus, virginibus, viduis, quorum actiones, passionesque plures, gravioresque peccatis fuerunt. Nonnulli etiam arbitrantur hunc thesaurum ex quo indulgentiae dentur, constare ex primis institis damnatorum; multi enim ex damnatis pluribus annis in gratia perseverantes multoties orarunt, ieiunarunt, eleemosynas dederunt, sed frustra; nam in fine tandem defecerunt, in portu naufragium passi sunt. Illa ergo opera illorum collecta sunt, et in thesauro reposita, ut ea accipiat alter, quemadmodum de Iuda dicitur psal. 108, 8: *Et episcopatum eius accipiat alter,.... et diripiant alieni labores eius.* Bona doctrina in Scriptura sacra versaei s. Thomae theologie fundata 3 p. q. 89, art. 5. Licet enim opera bona per peccatum mortale mortificentur, et ex se non habeant vim perducendi in vitam aeternam, quatenus tamen remanent in acceptatione divina, prosunt etiam ei, qui fecit ea, ad vitam aeternam, si poenitet; si vero non poenitet, alii sancti de eis gaudebunt, secundum illud Apoc. 3, 11: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Aurum Aegyptiorum ob iniustis possessoribus eblatum Deus ad Iudaeos transtulit: ita opera bona ac merita etiam damnatorum idem iustissimus Deus ad electos suos

Digitized by Google

transfert, eorumque propria facit. Saepe bona perduellium fisco adiudicata tandem servis fidelibus cedunt. Sic etiam primae institiae damnatorum electis adiudicantur. Bona legitimis haeredibus destituta pro derelictis habentur, et principi, aut supremo domino aut dominae cedunt: ita merita a iam damnatis accumulata pro derelictis habentur, utpote legitimis haeredibus destituta; supremae itaque dominae nostrae, scilicet Ecclesiae debentur, ac in thesauro illius reponuntur. Ex hoc itaque thesauro summus oeconomus Ecclesiae, Christi vicarius larga spargit in nos indulgentiarum beneficia. Sed maxime in archiconfraternitatem sanctissimi rosarii summi pontifices se liberales exhibuerunt, magna prodigalitate indulgentias, favores, gratias in eam congesserunt. Unde merito haec sacra archiconfraternitas agro evangelico comparatur, in quo thesaurus magnae existimationis absconditus est, qui a quolibet fideli Beatissimae Virginis servo invenitur et emitur. Quomodo invenitur, et emitur? Modicis, paucisque laboribus, quos recensere libet, et indulgentias narrare.

Rosarium thesaurus evangelicus.

Pro iis qui in matriculum fratrum et sororum archiconfraternitatis sanctissimi rosarii se conscribi volunt

2 Quisquis in archiconfraternitatem ingreditur, in ipso ingressu tantam praesentissimorum spiritualium bonorum copiam accipit, ut nescio an in ullius Ordinis sacri Religione (si votorum professionem, et a mundo sequestrationem excipias) possint aut alia plura, aut eadem maiora cuiquam obvenire. Etenim in primo ad archiconfraternitatis aditum adest integra omnium peccatorum remissio, quae praevia sacramentali confessione, et sacrosanctae Eucharistiae sumptione, non culpam tantum, sed omnem quoque poenam reliquam funditus tollit, velut alter quidam baptismus; illud namque potest Sacramentum, hoc autem efficit sacramentale indulgentiarum; dummodo tamen in ipso ingressu praemissa sacramentali confessione, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in aliqua ecclesia, seu capella dictae confraternitatis percipias, et unam saltem quinquagenam rosarii recites, et pro tranquillitate matris Ecclesiae ores. Ita concessit Pius V in bulla, quae incipit: *Consueverunt*, edita anno Domini 1569, die 17 septembris.

Idem pontifex in eadem bulla iis qui in hanc archiconfraternitatem inscribi se fecerint, in mortis articulo constitutis, salutaris poenitentiae, et Viatici Sacramento munitis plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessit. Eamdem indulgentiam plenariam concessit Gregorius XIII in bulla, *Cum sicut accepimus*, edita anno 1579, die 25 maii: et alia eiusdem initii edita anno eodem iis qui in ipso ingressu confessi Sacramentum Eucharistiae sumpserint; et aliam similiter plenariam semel in vita quando peccata sua confiteri, et Sacramentum Eucharistiae sumere voluerint.

Pro gerentibus secum rosarium

3 Omni die quo quis de fraternitate rosarii secum tulerit palam globulos precatorios, vulgo dictos rosarium, meretur 200 dies de indulgentia, et totidem quadragenas ex concessione Innocentii VIII in bulla, quae incipit: *Splendor paternae*, edita anno 1488, et Alexandri VI in brevi, *Illius qui perfectu*, edito anno Domini 1494. Haec autem rosaria debent esse benedicta a patre priore, et in eius absentia a praeside rosarii, vel ab eo cui iniunctum fuerit a priore conventus, vel a sacrista.

Porro haec globulorum collectio, connexio, et ordinatio nobis optandam caritatem fraternitatis significat, quatenus rosaria gestantes mutuae caritatis, et christianae unionis commoneantur.

Pro devote orantibus rosarium

4 Multi summi pontifices, ut Ioannes XXII, Urbanus IV, Xystus IV, Innocentius VIII, Alexander VI, Iulius II, Leo X, Adrianus VI, Clemens VII, Paulus III, Iulius III, Paulus IV, Pius IV, Gregorius XIII, hunc pium orandi modum psalterium, seu rosarium B. M. Virginis nuncupatum mirifice commendarunt, et magnis indulgentiis exornarunt. Hos omnes pontifices recenset Xystus V in bulla, *Dum ineffabilia*, edita anno 1586, et ibidem eorum privilegia, indulgentias, immunitates, concessiones, indulta archiconfraternitati sanctissimi rosarii concessa innovat et confirmat.

Sed omnium maximam indulgentiam concessit Innocentius VIII vivae vocis oraculo iis qui in hac archiconfraternitate sunt, et per hebdomadam psalterium B. M. Virginis dicunt, semel in vita, et semel in morte, indulgentiam scilicet plenariam. Eamdem confirmavit, et de novo concessit Leo X in bulla, *Pastoris aeterni*, editâ anno Domini 1520. Eamdem magis auxit Paulus III, cum iis qui vel integrum rosarium, vel saltem unam quinquagenam recitaverint, et in confraternitatem adscripti fuerint, plenam indulgentiam concessit anno Domini 1537, die 13 septembris.

Pro confitentibus peccata sua, et communicantibus

Qui de fraternitate rosarii in festo annuntiationis B. M. Virginis confessus communicaverit, et unum rosarium in ecclesia, ubi fraternitas est, dixerit, indulgentiam plenariam consequitur. Pius V in bulla *Iniunctum*, edita anno 1566. Eodem die etiam alibi confessus, et communicans, dummodo visitet ecclesiam in qua est rosarium, et oret pro exaltatione Ecclesiae, concordia christianorum principum, extirpatione haeresum, acquirit plenariam indulgentiam. Gregorius XIII in bulla, *Cum sicut accepimus*, edita anno 1576. Qualibet prima dominica cuiuslibet mensis qui processioni interfuerit, confessus fuerit, et communicaverit, et supra dicto modo oraverit, indulgentiam plenariam meretur. Gregorius XIII in bulla, *Universis et singulis*, edita anno 1577, die 12 martii. Prima dominica octobris, quando festivitas sanctissimi rosarii peragitur, quicumque confessus fuerit, communicaverit, et supra dicto modo oraverit in ecclesia, vel capella rosarii, indulgentiam plenariam lucratur. Gregorius XIII in bulla, *Exponi nobis*, edita anno 1573, die 17 aprilis. 5

Pro visitantibus ecclesias sive capellas rosarii

Qui inscriptus in fraternitatem rosarii in prima dominica cuiuslibet mensis, nec non in singulis festivitatibus B. M. Virginis capellam seu altare rosarii in ecclesia dominicanorum, vel alia in qua rosarii archiconfraternitas erecta est, visitaverit, et praefato modo oraverit, plenariam indulgentiam consequetur. Gregorius XIII in eadem bulla, *Universis et singulis*. Idem pontifex omnibus et singulis utriusque sexus confratribus, qui vere poenitentes, et confessi, ac sacra communione refecti capellam rosarii iis diebus in quibus festa mysteriorum eiusdem rosarii celebrantur, devote visitaverint, indulgentiam plenariam concessit in bulla, *Pastoris aeterni*, edita anno 1581, die 5 maii. Insuper omnibus Christi fidelibus, tam confratribus, quam omnibus aliis utriusque sexus vere poenitentibus et confessis, qui capellam, seu altare rosarii in dominica tertia aprilis, et prima octobris a primis vesperis usque ad occasum solis dierum eiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi, ut dictum est, oraverint, plenariam indulgentiam concessit in bulla, *Cum sicut*, edita 1578, die 3 ianuarii. Pro confratribus perpetuo, pro aliis ad decennium. 6

Qui interfuerint in ecclesia, dum publice recitatur sanctissimum rosarium a populo fideli, centum dies indulgentiae consequitur ex concessione Urbani VIII pontificis.

Pro visitantibus quinque altaria

Quilibet ex dictis fratribus, et sororibus, visitando quinque altaria ecclesiae in qua erectum est rosarium, vel alterius cuiusque, si non datur accessus ad ecclesiam rosarii, vel etiam unum altare, vel duo quinquies, si quinque deessent, et recitando coram quolibet altari quinque *Pater noster*, et totidem *Ave Maria*, vel coram uno 25, si quinque desunt, easdem indulgentias integraliter consequetur, ac si omnes almae urbis stationes peregrinando circumiret. Ita concessit Clemens VII in bulla, *Etsi temporalium*. Quae gratia est omnium maxima; in multis enim festis tam chori, quam fori, Romae est indulgentia plenaria, aut certe maxima. Primo in ecclesia s. Ioannis in Laterano, si quis voluerit, quotidie sexies plenariam indulgentiam lucrari potest. Secundo, in omni die in qualibet de septem urbis ecclesiis semel plenaria indulgentia. Tertio, omni die in aliis compluribus longe maximae indulgentiae. Quarto, omni feria IV in s. Laurentio 7

Indulgentiae Romae quantae.

Digitized by Google

extra muros est plenaria indulgentia. Quinto, quotidie remissio tertiae partis peccatorum ad s. Praxedem; item tertiae ad sanctam Pudentianam, item septimae ad s. Mathiam. Has omnes indulgentias lucratur quicumque ex rosario altaria praedicto modo obit.

Pro iis qui processionibus rosarii intersunt

8 Pro festis B. M. Virginis. Quicumque Christi fidelium in festis purificationis, annuntiationis, visitationis, assumptionis, nativitatis, praesentationis, et conceptionis Beatae Mariae Virginis processionem associaverit, plenariam indulgentiam consequitur. Pius IV in bulla, *Dum praeclara*.

Pius V associantibus processiones rosarii, quae mense quolibet fiunt, et devote recitantibus integrum rosarium qualibet septimana septem annos, et totidem quadragenas de iniunctis sibi poenitentiis relaxavit in bulla, *Consueverunt*, anno Domini 1569.

Pro prima dominica cuiuslibet mensis. Gregorius XIII omnibus et singulis confratribus utriusque sexus vere poenitentibus, et confessis, ac communicantibus, qui processioni, quae prima dominica cuiuslibet mensis fieri solet, interfuerint, plenariam indulgentiam concessit in bulla, *Pastoris aeterni*, anno Domini 1581, die 5 maii.

Quaestio necessaria. Hic a multis quaeri solet, quantum sit cuique quod oret, vel praescriptum, vel consultum, cum in bullis pontificum dicatur: *dummodo oret*, etc.? Respondeo: de praescripto nihil est certi; de consulto vero, quantum cuiusque pietati collibuerit. Sufficit, putarem, simplicioribus quinque *Pater noster*, totidem *Ave Maria* dicere ad intentionem summi pontificis indulgentiam largientis.

Porro quotiescumque mentio fit communionis, debet intelligi, ad altare sanctissimi rosarii, et non alibi, exceptis his qui legitime impediti ecclesiam vel altare adire non possunt. Ita declaravit Pius V, et confirmavit Gregorius XIII. Quam declarationem memoria tenere opus est indulgentiam lucrari volenti.

Pro non valentibus visitare ecclesias vel altaria rosarii

9 Qui de fraternitate in dictis festis, seu dominicis nequiverit ecclesiam, vel altare visitare, aut processioni interesse, idque per morbum, aut carceres, aut itinera, aut navigationem, aut servitia, aut alia de causa iusta, is tamen si tali die oraverit unum rosarium, vel si infirmus, aut alias legitime impeditus est, tertiam eius partem dixerit, et confitendi firmum propositum habuerit, commeretur plenariam indulgentiam, ac si personaliter praesens fuisset. Pius V in bulla, *Inter desiderabilia*, anno Domini 1569, Gregorius XIII in bulla, *Cupientes*, anno 1583, Xystus V in bulla, *Dum ineffabilia*.

Pro quocumque bono opere

10 Qui de fraternitate rosarii fecerit quodcumque opus pium, meretur centum dies indulgentiarum per tria brevia Gregorii XIII data anno 1579. Primum die 3 ianuarii, secundum die 25 maii, tertium die 1 iunii.

Pro habentibus casus reservatos, vel censuras, vel vota

11 Pro huiusmodi Leo X in bulla, *Pastoris aeterni*, tam amplum privilegium dedit, ut in festivitate Paschae, et in singulis solemnitatibus B. M. Virginis, scilicet nativitatis, annuntiationis, visitationis, purificationis, et assumptionis, ac tribus diebus singulis festivitates praedictas praecedentibus, possent cuilibet presbytero Ordinis praedicatorum professo (modo sit approbatus secundum canones, et normam Concilii tridentini) peccata sua conConfessariorum in rosario auctoritas quanta. fiteri. Ipseque presbyter eorum confessionibus diligenter auditis, ipsos, et eorum singulos primum ab omnibus et singulis excommunicationibus, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, a poenis a iure, et ab homine quavis occasione et causa latis, et promulgatis: necnon sacrilegiis, incestibus, adulteriis, poenitentiarum iniunctarum, et divinorum officiorum, ac ieiuniorum omissionibus, aliisque eorum peccatis, criminibus, excessibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, in singulis etiam Sedi apostolicae reservatis (casibus bullae coenae Domini exceptis) absolvere, et eis pro commissis poenitentiam salutarem iniungere, ac iuramenta quaecumque (sine iuris alieni praeiudicio) relaxare. Vota quaecumque (exceptis visitationis Terrae sanctae, liminum b. Petri et Pauli, ac s. Iacobi in Compostella, necnon religionis et perpetuae castitatis) in alia pietatis opera libere commutari possit, ordinarii, et archidiaconi loci, et rectoris parochiani, et cuiusque alterius licentia minime requisita. Haec gratia data fuit ante Concilium tridentinum; sed post Concilium tridentinum eam innovavit, et de novo concessit Xystus V in bulla, *Dum ineffabilia*, edita anno 1586, die 30 ianuarii.

Siste gradum, et adverte diligenter, hoc tempore vigore huius Animadversio necessaria.
privilegii neminem posse absolvere a casibus quos locorum Ordinarii sibi reservant, quia hoc expresse prohibuit sub poena suspensionis ab officio ipso facto incurrenda Clemens VIII in bulla, quam edidit Romae die 24 decembris, anno Domini 1604. Eam vide apud Paulum Piasecium prax. episc. part. 3, art. 5. Possunt tamen praedicti confessarii Ordinis praedicatorum vigore Casus a quibus non possunt absolvere confessarii vigore rosarii.
huius privilegii absolvere ab omnibus casibus et censuris Sedi apostolicae reservatis, exceptis iis qui sunt in bulla coenae Domini, ac praeterea violationis ecclesiasticae immunitatis in terminis constitutionis Gregorii XIV, violationis clausurae monialium ad malum finem provocantium, et pugnantium in duello iuxta decretum Concilii tridentini et constitutionem Gregorii XIII, inicientium manus violentas in clericos iuxta canonem, *Si quis*; simoniae realis, ac confidentiae beneficialis: quia hos dumtaxat excipit Clemens VIII in bulla iam memorata.

Pro agonizantibus

Omnibus de fraternitate in agone positis plenariam indulgentiam concessit Innocentius VIII. Eandem concessit Adrianus VI 12
confratribus iis qui in agone tenuerint candelam benedictam, modo in vita soliti sint orare rosarium, ut habetur in brevi, *Illius qui dominicum*, anno 1523.

Qui confessus communicaverit ante mortem, consequitur plenariam indulgentiam, dummodo sit in rosario. Pius V in bulla, *Consueverunt*, anno 1569.

Qui sanctissimum Nomen Iesu et Mariae circa agonem ore, aut corde devote invocaverit, plenariam indulgentiam consequitur. Gregorius XIII.

Pro defunctis

Quicumque de fraternitate facit celebrare missam de rosario, 13
aut sacerdos ipse eam celebrat pro defuncto existente in rosario, liberat animam eius ex purgatorio. Alexander VI in brevi, *Illius qui perfecto*, anno 1494, et Paulus III anno 1237, die 3 augusti.

Scito hanc missam de rosario solum esse concessam fratribus Missa de rosario quando valoris.
Ordinis praedicatorum. Ceteri sacerdotes satisfaciunt per missam de B. M. Virgine, quae incipit: *Salve Sancta Parens*. Ita s. congregatio cardinalium anno 1628.

Quicumque ad associandum sanctissimi rosarii vexillum, quando corpora mortuorum confratrum ad sepulturam deferuntur, fuerint, et anniversariis pro animabus defunctorum confratrum celebrandis interfuerunt, et ut supra dictum est, oraverint, centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxavit. Gregorius XIII in bulla, *Cum sicut*.

Quicumque de rosario quocumque die dixerit rosarium pro defunctis, unam ex animam liberat e purgatorio. Paulus III in brevi, anno 1537, die 3 augusti.

Quicumque infrascriptis diebus visitaverit quinque altaria (modo quo supra narratum est) in ecclesia, ubi est rosarium, is eo die liberat unam animam ex purgatorio; sunt autem dies isti.

1. Omnes dies dominici per totum annum. 2. Festum purificationis B. M. Virginis, et festum s. Blasii episcopi, et martyris. 3. Feria tertia post primam dominicam quadragesimae. 4. Sabbatum post secundam dominicam quadragesimae. 5. Feria sexta ante dominicam passionis. 6. Feria quarta, quinta et sexta magna. 7. Festum s. Ioannis ante portam latinam, quod celebratur die 6 maii. 8. Feria quarta prima post Pascha. 9. Feria quinta, et sabbatum post Pentecosten. 10. Sabbatum quatuor temporum in septembri. 11. Vicesima septima die ianuarii, et decembris.

Hanc gratiam concessit confratribus utriusque sexus sanctissimi rosarii Leo X, quam ceteri pontifices confirmarunt. Et hoc

vigore stationum almae urbis, de quibus supra egimus. Stationes enim romanae praefatis diebus habent unam animam liberare e purgatorio.

14 Exhortatio ad ineundam rosarii confraternitatem. Elevemus ergo, fratres dilectissimi, omnem pietatis affectum ad Mariam sanctissimi rosarii patronam, et advocatam; accurramus ad Matrem nostram, namque benignissimam; nostras illi necessitates exponamus; eius suffragia ambiamus; eius confraternitati adeo ditissimae, ac tutissimae adscribi festinemus. Nam sine ea nihil possumus, sine ea miseri sumus, sine ea in praecipitia aeterna declinamus. Accurrite huc miseri, qui divites esse cupitis, ad hoc enim sacra haec archiconfraternitas ordinata est, ut thesauros vestros repleat, et modico labore ditissimos efficiat. Quid maria, terrasque, ah! miseri, tam anxie percurritis? quid totos dies, noctesque pervigiles ducitis, ut fallaces periturasque divitias acquiratis, quarum solicitudo anxios facit, copia pauperes, amissio desperatos? Has potius, oro, divitias ambite parvo labore acquirendas. In album seu catalogum archiconfraternitatis sanctissimi rosarii suum nomen dare, iuxta praescriptum illius vivere, psalterium Mariae hebdomadatim recitare, ecclesias visitare, missas audire, crebro confiteri, communicare, menstruis processionibus interesse, spiritualia et corporalia misericordiae opera exercere, rosarium secum quaquo versus circumferre, his laboribus modicis ingentes thesauri indulgentiarum inveniuntur, qui Beatissimae Virginis devotos hic et meritis locupletes, et in altera vita praemiis ditissimos faciunt, et utinam faciant. Amen (1).

DISCURSUS CCCXX

QUAM SIT SALUTARIS ARCHICONFRATERNITAS SANCTISSIMI ROSARII, OSTENDITUR EX TRIPLICI BONO, SCILICET UTILI, HONESTO AC DELECTABILI, ALIISQUE EMOLUMENTIS INDE PROVENIENTIBUS

1 Boni ratio triplex. Triplex ratio boni quam ex d. Ambrosio doctor angelicus 1 part. q. 5, art. 6 explicat, nimirum boni utilis, honesti, ac delectabilis, in hac sacra archiconfraternitate continetur, cum alias non tam facile haec tria boni genera in unam rem conveniant. Nam Horatius ait in arte poetica:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

2 Utile. Hic invenias rationem boni utilis. Utile namque est sub peculiari tantae Virginis praesidio, ac patrocinio, quasi sub eius pallio degere, suaque opera universa per illam Deo offerre. Quid, quaeso, periculum timere potest, cui Deiparentis maiestas, et fida Matris Virginis custodia semper praesto est ad omnem opem, et quodvis auxilium? Haec enim dignissima Regina coeli, licet universum genus humanum clementissime sua patrocinio tueatur ac protegat, speciali tamen benevolentiae suae sinu eos complectitur, qui in sua familia, et quasi aulico comitatu, et famulatu morantur.

3 Honestum. Invenias rationem boni honesti. Honestum quippe est ad Dei laudem, et Deiparae honorem aliorum societatem inire.

Delectabile. Rationem boni delectabilis. Iucunditatem enim maximam percipiunt qui huic sacrae confraternitati nomina sua dant. Hinc fit, ut nonnulli cum ad confraternitatem accedunt, confratres, et sorores conspiciunt, ingenti quadam laetitia et quodam spirituali devotionis sensu perfunduntur, et quasi tot facibus ad pietatem inflammari se sentiunt. Adde, cum homo natura sua sit animal sociabile, nec facile solitudine delectetur, sed consociatione gaudeat aliorum, iucundum est ei cum aliis conversari, de piis rebus, de virtutibus, de sanctorum exemplis, de Dei ac Deiparae cultu colloqui; haec enim pium animum mire oblectant, recreant, ac exhilarant, et ab improborum hominum consuetudine, a colloquiis pravis, a morum contagione arcent ac separant.

4 Singulare patrocinium Virginis. Ulterius, qui in hac archiconfraternitate sub patrocinio B. M. Virginis vivunt, et eius praescripta sedulo observant, divinae protectionis speciale auxilium, et Matris Dei singulare patrocinium sentiunt, in infirmitatibus, in tentationibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, et in omnibus denique prosperis et adversis Dei et suae Sanctissimae Matris auxilium, solatium, et consilium sibi adesse comprobant. Per maris, per terras si ambulabis, tutus eris. Non arma, non fulmina, non insidiae, non spirituales nequitiae tibi nocebunt; nam ipsa protectrix tua Virgo Maria murus erit tibi impenetrabilis, et custos nunquam dormiens. Ipsi quoque fratres, ac sorores quorum catalogo es adscriptus, suis orationibus te protegent, ut pars inimica tibi nocere non valeat. Scriptum est enim: *Frater qui adiuvatur a fratre quasi civitas firma*, Prov. 18, 19. Confratrum auxilium.

5 Æternae damnationis evitatio. B. Alani narratio. Praeterea, qui in hanc sacram archiconfraternitatem nomina sua dant, aeternae damnationis incendium non patientur. Quod visio cuiusdam devoti comprobat, quam b. Alanus lib. de dignitate psalterii B. M. Virginis, cap. 7 narrat. Quidam, ait, devotus ad superna raptus audiebat ex omni parte mundi voces terribiles: *Vindictam, vindictam, vindictam*, de habitantibus in terra. Post has voces vidit quaedam coelestis fluminis ignea se fundere super terram, illicoque perusse innumeram multitudinem hominum. Ecce tibi de coelis venit navis coeli sideribus ornata, multisque albis alis vallata tantae magnitudinis, ut innumeri in eam intrare possent. Ibi videbat quinquaginta de una parte navis, et quinquaginta de parte altera, et quinquaginta in tecto qui urnis aquam infundebant extinguentes horribilissimum illud incendium. Atque in capite navis sedebat quaedam Domina mirabilis, quam iris una cum navi ambiebat, clamabatque: Miseri filii hominum ad me confugite, ne in hoc diluvio praesenti pereatis, ut sicut olim mundus liberatus est a diluvio peccatorum per salutationem angelicam, sic et nunc per eandem salutationem ad me venite. Tunc universi qui hanc salutationem recitabant, invenerunt auxilium. Nam brevi temporis spatio vidit civitatem mirae magnitudinis cum turribus 150, ubi omnes psalterii B. M. Virginis cultores ponebantur, et a praesenti incendio servabantur. Tunc ait illa benignissima Domina: Sicut qui navim Noe contempserunt, omnes diluvio perierunt; sic omnes qui me, et psalterium contemnunt, temporibus novissimis in hoc diluvio peribunt. Si de visione dubitas, audi b. Anselmum qui ipsam B. Virginem ita affatur: *Sicut a te aversus, o Virgo Maria, necesse est, ut pereat, sic ad te conversus necesse est, ut salvus fiat*. In illa multitudine hominum quos vidit, narrabat se vidisse nonnullos ecclesiasticos, et laicos, qui ea die postea erant mortui. Ecclesiastici quidem duo cum blasphemia moriebantur, laici vero quinque cum devotione decedebant. Haec ex b. Alano qui hanc visionem hoc modo interpretatur. Navis illa coelestis est rosarii confraternitas sublimium virtutum alis vallata, iride fraternae caritatis, velut signo foederis quod constituit Deus inter se et confraternitatem, circumdata; Domina in navi sedens est Deipara Virgo Maria sanctissimi rosarii advocata; civitas cum 150 turribus sunt ecclesiae et conventus praedicatorum, in quibus quotquot ad hanc sacram archiconfraternitatem veniunt, et devota 150 salutationes angelicas recitant, salutem inveniunt. Adversarii vero huius archiconfraternitatis damnationem sibi acquirunt. B. Alani visionis interpretatio.

6 Beneficia Ordinis praedicatorum consequuntur. Amplius quotquot huius archiconfraternitatis membra sunt, ad omnia merita totius Ordinis praedicatorum admissi sunt. Primo per fr. Bartholomaeum de Comatiis de Bononia dicti Ordinis generalem magistrum, anno Domini 1480, die 13 octobris, eam admissionem approbantibus Innocentio VIII, et Leone X summis pontificibus. Postea per fr. Ioachimum Turianum de Venetiis, per fr. Seraphinum Caballum, per fr. Xystum Fabri generales magistros eiusdem Ordinis, qui omnes utriusque sexus Christi fidelibus, sacratissimi rosarii confratribus, participationem et communionem omnium missarum, orationum, praedicationum, studiorum, vigiliarum, ieiuniorum, abstinentiarum, peregrinationum, obedientiarum, laborum, ceterorumque bonorum ac meritorum, quae per fratres ac sorores Ordinis praedicatorum divina bonitas operatur, aut operari dignata est, concesserunt; eosque ad sui Ordinis beneficia et suffragia universa receperunt, et admiserunt in vita pariter et in morte. Et quod maius beneficium in hanc sacram archiconfraternitatem conferri potuit? habere ab Ordine tanta omnium religiosorum merita? habere tot sanctorum ac beatarum suffragia, qui in hoc Ordine numerantur mille octingenti? Indicibile beneficium! Hinc cum Socrate argumentari libet: *Deorum sunt omnia, sed boni viri deorum sunt amici, et amicorum inter se communia sunt omnia: bonorum igitur virorum sunt omnia, non secus quam deorum*. Socratis argumentum.

7 Accedit communicatio mutua meritorum, satisfactionum, ope-

(1) Quamplures alias indulgentias concessere pontifices post aetatem auctoris pro archiconfraternitate rosarii, ut videre est in tabella publice exposita in capella rosarii in ecclesiis fratrum praedicatorum. Ad haec Pius IX peculiares indulgentias pro recitantibus rosarium una cum aliis pluries in hebdomada concessit, etiam non confratribus societatis rosarii. *Editor.*

Communicationem omnium meritorum ad invicem habent.

rumque bonorum quaecumque et ubicumque per orbem christianum, a quibuscumque confratribus ac sororibus pie geruntur pro tempore, aut unquam gerentur. O vere beata, et superbeata fraternitas! o ter quaterque felix concordia! Non terrenarum divitiarum, sed coelestium charismatum, meritorum ac virtutum armarium. Haec bona sensu d. Augustini in immensum excedunt quaecumque bona terrena. Unde liquido constat, quod maius bonum homini confertur, cum ad istam confratriam recipitur, quam si regnum argenteum, vel mundus aureus aut gemmeus ei donaretur.

8 Peccata mortalia facile fugiunt.

Ad haec, quisquis in hac archiconfraternitate B. M. Virgini devotus fuerit, raro in peccatum mortale incidet, et quod si inciderit, facile ab eo resurget. Haec enim generatio coelestis fratrum et sororum eum conservabit, ne in profundum peccatorum veniat. Habent enim hoc merita bonorum, ut possint de congruo alteri gratiam mereri, ut theologorum princeps s. Thomas docet et probat 1 2, q. 114, art. 6, consequenter et remissionem peccatorum. Hoc est quod Sapiens ait Eccle. 4, 10: *Vae soli quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Si duo fuerint, simul fovebuntur mutuo, quanto magis si fuerint multi. Ipsa quoque purissima Virgo Maria quae nunquam peccatum fecit, in quam nihil inquinatum intravit, sua intercessione inquinamenta peccatorum ab eo amovebit, suisque precibus efficiet, ut ille nitor gratiae per peccatum amissus ei restituatur. Hoc autem dico, non ut quis inde peccandi ansam arripiat, sed si peccaverit, sciat se advocatam habere apud Patrem coelestem Virginem purissimam, clementissimam, misericordissimam, quae est advocata peccatorum.

9 In agone iuvantur.

Insuper, qui in hac archiconfraternitate fuerit, in mortis suae angustiis Beatissimae Virginis, confratrumque ac sororum suorum iuvamina, subsidiaque sentiet. O quam speciosa est misericordia in tempore necessitatis, quando nec ab amicis, nec e divitiis ullum capiemus auxilium; quando nos universa quae temporaliter amavimus, deserent, despicient! quam gratum, quam iucundum tunc erit meritis, precibusque confratrum iuvari, et ipsius Virginis tam potentis auxilio fulciri, cum in morte coeperit conscientia trepidare, cor ingemiscere, corpus rigescere, daemon acriter instare, iudex terribilis apparere! Quid insensate totis diebus, ac noctibus carnis voluptatibus, honoribus, deliciis inhians, de morte nihil cogitas, nulla subsidia pro illo puncto tibi praeparas? quid tanta cura, tanta diligentia morituras carni indulges, et animam in perpetuum victuram negligis? Iunge te horum fratrum consortio, Reginae coeli ac matris misericordiae opem implora, et nunquam poteris mala morte perire. Quisquis enim horum fratrum consortio adscriptus fuerit, aeternae damnationis sententiam evadet, ut paulo ante exemplo unico probabam. Forsan adhuc haeres? adhuc dubitas? Alio exemplo id tibi ostendam. In quadam domo cisterciensis Ordinis religiosus quidam in observantiis sui Ordinis remissus, Sanctissimae tamen Virgini in rosario devotus. Hic post mortem ad tribunal Christi raptus, et in multis accusatus, cum pro innumeris peccatis sententiam damnationis audire deberet, adfuit piissima Virgo Maria rosariorum multitudinem in sinu gestans, quae in statera contra peccatorum eius multitudinem appendi iussit. Cum igitur tanta peccatorum gravitas esset, ut ea rosaria praeponderare non sufficerent, procidit clementissima Virgo Maria ad pedes Filii sui in throno sedentis, eumque rogavit, ut unam vulnerum suorum sanguinis guttam sibi tribuere dignaretur. Tunc benignissimus Iesus unam a dextra manu sanguinis guttam exprimens, suae piissimae Matri eam dedit, quam illa in stateram cum rosariis imponens magnum illum peccatorum acervum tantum elevavit, ut nine pondera esse videretur, et velut pluma in altum elevata evanesceret. Tunc Maria ad suum clientem: Vade, et nostri beneficii recordare. Qui ad corpus reversus de pristinis negligentiis poenitentiam egit, et Dei Genitrici, suaeque liberatrici ardentius servire studuit. Ex auctore anonymo antiquo, sed veraci de rosario in bibliotheca gedanensi.

10 A purgatorii poenis citius liberantur.

Adde, qui in hac archiconfraternitate decedunt, citius ex purgatorio liberantur; fiunt enim participes per totum orbem christianum omnium missarum, orationum, suffragiorum, indulgentiarum. Qua gratia in terris nulla maior aut sperari, aut expectari potest. Quis, quibus opibus sibi tot comparare potest deprecatores? Non principem, non regem, non imperatorem, qui possit maiora animae suae providere suffragiorum praesidia, quam in hac archiconfraternitate cuivis parata sunt, et praestantur defuncto. O felicem societatem! o ter quaterque beatam communionem! Accedit quod B. V. Maria specialem curam habet eorum qui in purgatorio detinentur: igitur specialissimam habebit eorum qui in suum sodalitium adscripti fuerint. Haec enim Mater misericordiae licet omnibus sinum suae pietatis aperiat, specialiter tamen eos protegit, et ab omni angustia eripit, quos fraternitatis suae alumnos agnoscit. *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Unum hic adiiciam. Circa haec tempora iuxta Coloniam (ait incognitus de rosario) femina quaedam post mortem amicae suae apparuit ab ea petens, ut in fratrum registro apud praedicatores Coloniae se inscribi faceret. Rogat illa, cur id petat, cum iam defuncta sit? Respondet: Quindecim annis pro peccatis commissis purgatorii flammas pati debeo, sed si in numero fratrum istorum adscripta fuero, propter infinita rosaria quae in eo quotidie dicuntur, continuo liberabor. Vade ergo et fac citius, quod a te postulo, et hoc debitum fraternitatis pro me persolve, donec iterum tibi apparuero. Fecit iussa. Elapsis quindecim diebus illa rediit, et quindecim annorum poenam purgatorii in quindecim dies sibi commutatam fuisse suffragia fratrum denuntiavit. Haec incognitus ille.

Rursus, quando aliquis fratrum ex hac vita decedit, tantus confratrum et consororum numerus qui iam coelo receptus est, ei obviam venit, et cum ingenti gaudio animam eius ad thronum Dei tremendum deducit, et primo Reginae rosarii eam praesentat, quatenus eius patrociniis ab ira iustissimi Iudicis immunis remaneat. Hae sunt utilitates, et consolationes eorum qui hanc sanctam societatem ineunt. 11

12 Leges rosarii quam benignae.

Verum quispiam legra, debita, et obligationes huius archiconfraternitatis praetendere posset, quo minus eam ingrediatur, ne iugum suae cervici imponat.

Scito hanc archiconfraternitatem legibus quidem uti, legum tamen obligatione solutam esse. Unde eas nec leges vere, sed regulas potius aut consuetudines, sive instituta appellarim, ut earum omissio, vel transgressio vi sua nullum adferat reatum seu poenae, seu culpae. O praeclaram fraternitatem! o laudabile institutum, in quo legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, quo ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, ut ait Apost. Rom. 2, 15.

Si vera est, sicuti verissima Apostoli sententia 1 Tim. 1, 9: *Lex iusto non est posita*, hic plane id videmus. Tales quippe parit archiconfraternitas nostra, talia alit, tales instituit filios, qui sine lege legem christianam sequuntur: quorum conscientia, piaque voluntas ipsa dat legem non scriptam in tabulis, sed inscriptam cordibus, et moribus expressam. Quo quid laudabilius? quid gloriosius? 13

Laudabile est ex necessitate legi christianae subesse. Magis laudabile est illud talentum acceptae legis christianae sic expendere, ut exinde per abundantiam caritatis plurimum colligas, quod in lucro ponas. Tales in nostrae archiconfraternitatis instituto reperiuntur, qui nulla necessitate praecepti illi nomina sua dant, et ex mera amoris erga Deum et B. Virginem propensione magnam abundantiam meritorum colligunt. 14

Prudentissimum autem hoc archiconfraternitatis nostrae consilium, ac institutum esse nemo ambigit. Siquidem ne laqueum conscientiis hominum iniiceret, omnem a se ablegavit obligationis rigorem. *Ubi enim non est lex, non est praevaricatio*, Rom. 4, 15. 15

16 Rosarium conscientiam non onerat.

Postremo haec archiconfraternitas gratuitum cunctis ingressum praebet, ingressos propriae libertati derelinquit, observantem pie eius instituta miris praemiis munerat, non observantem ne quidem ad culpam venialem obligat, immo nec levissime reprehendit. Neminem trahit, invitat omnes, non ratione quaestus, sed devotionis gratia. Nam pro inscriptione seu receptione nihil omnino temporale exigit, immo nullum munus gratiosum a confratre, sive viro sive muliere, accipere potestas decreto Leonis X, *Pastoris aeterni*, et Pii V, *Inter desiderabilia*. Verum si post receptionem velit aliquis dare ad honorem Dei, et sanctorum, puta ad luminaria, vel ad eleemosynas pauperum, vel ad decorandum altaria, aut huiusmodi, hoc non est prohibitum, sed magis commendabile et meritorium. Unde sicut unus potest inducere alium per eleemosynas corporales ad reliqua spiritualia opera exercendo, puta ad oranda rosaria, ad dicendam missam, vel quidpiam simile: ita etiam fratres rosarii possunt se mutuo inducere ad dandum aliquid pro sustentandis, et continuandis operibus piis eiusdem fraternitatis.

Gratis in suum sodalitium recipit.

Illud autem haud dissimulaverim, quod quoties quispiam unum 17

Digitized by Google

Negligentium in rosario qualis poena. saltem rosarium integrum in hebdomada recitare omiserit, nec postea compensaverit, toties ipsius orationis meritum amittit. Quae iactura est amissionis poena. Unde et hic manet verissimum illud s. Augustini effatum homil. 3 in acta apostolorum: *Lex non invenitur sine poena.* Quare omittentibus rosarium contingit poena, secundum illam d. Gregorii magni sententiam in Registro lib. 8: *Liber homo si fraudem committit, in persona non debet puniri, sed in facultate.* At communio meritorum sunt facultates archiconfraternitatis: recte igitur confratres in ea utpote liberi de negligentiis puniuntur in facultatibus, non in persona. Verum hanc poenam non levem esse patent, quotquot salutis aeternae desiderio tenentur. Hae igitur sunt utilitates, et emolumenta ex archiconfraternitate sanctissimi rosarii promanantia.

DISCURSUS CCCXXI

DE DIGNITATE SEU EXCELLENTIA ARCHICONFRATERNITATIS SANCTISSIMI ROSARII

1 Etsi omnium sodalitatum laicorum quae sunt in Ecclesia, magna sit dignitas, amplitudo, splendor, cum unaquaeque alicuius sancti titulo insignita sit, cuius patrocinio specialiter se commendat, et servitio mancipat; nihilominus rosarii archiconfraternitas (post illam primitivae Ecclesiae communem fraternitatem, de qua Act. 4, 32 dicitur: *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una*) omnibus antecellit, illas praeit, illis palmam praeripit. Non e meipso id loquor, loquitur universa leodiensis congregatio enuntiatae in manuali societatis eiusdem part.

Manuale societatis enuntiatae. 1, cap. 2. *Omnes,* ibi legitur, *sodalitates a b. Dominico Ordinis praedicatorum fundatore circa partes tolosanae primum institutas, ac deinde per Europam universam egregie propagatas,* etc. *Quo factum, ut et rosarii ritum, et mysteria rosario expressa, et institutas sub rosarii nomine sodalitates summi pontifices magna sane nomine approbaverint, et indulgentiis maximis beaverint.*

2 Ioannes Trithemius abbas, vir integritatis et scientiae laude praestantissimus lib. de fraternitate s. Annae, cap. 15 de nostro rosario hoc protulit elogium: *Quanto Dei Mater cum genitrice sua meritis, et sanctitate reliquos sanctos in coelo antecellit, tanto fraternitas eius nomini dicata locum tenet eminentiorem. Unde devotione moti fideles, ut eam promptam apud Deum advocatam habere mereantur, sub nomine rosarii ad honorem eius fraternitatem instituerunt, quae iam per diversas mundi regiones adeo vulgata est, ut nulla pene sit provincia in qua non plures habeantur exemplo rosarii fraternitates.* Haec dicta sunt a viris nedum pietate, verum et doctrina conspicuis. Sed ut clariora fiant, libet nonnullas excellentias, et praerogativas incomparabiles huius tam praeclarae sodalitatis (salva singularum dignitate, et absque ulla nostrae confraternitatis vana iactatione) recensere.

3 A B. Virgine progenita. Archiconfraternitas sacratissimi rosarii sola est omnium confraternitatum, quae a gloriosissima Virgine Maria se progenitam gloriatur. Ipsius namque instinctu et iussu per s. p. Dominicum, eiusque fratres praedicatores est instituta, praedicata, propagata; ipsius instructione certis ritibus, et institutis informata, et observata; ipsius auspiciis latissime, celerrimeque in toto terrarum orbe in cordibus fidelium disseminata, ut superius diximus, cum de eius origine egimus. Unde nulla confraternitas est, quae tam praesens constansque patronae B. V. Mariae praesidium, et auxilium in tot casibus, signis et prodigiis aut experta fuerit, aut expertam sese tot tantisque factis docere queat.

4 S. p. Dominici a Gregorio IX prolatum elogium. Archiconfraternitas sanctissimi rosarii excellit auctoris sui sanctitate; institutorem enim habuit s. p. Dominicum, de cuius sanctitate Gregorius IX, qui eum sanctorum catalogo adscripsit, hoc dignum in cardinalium collegio protulit elogium: *Tantum de huius viri sanctitate dubito, quantum de sanctitate apostolorum Petri et Pauli.*

5 Antiquum in pretio habentur. Excellit antiquitate. Antiqua semper novis praeferuntur. Hinc pluris fiunt dudum exercitati in bello duces, quam novelli; veterani milites quam tirones, utpote dandis consiliis aptiores. Nobilitas item quo antiquior est, eo plus aestimatur. Vina item quo vetustiora, eo meliora. *Nemo habens vinum vetus, statim vult novum, dicit enim: Vetus melius est,* Lucae 5, 39. Nummi quoque vetustissimi, licet undique corrosi, semidirutae pyramides antiquae, sermo latinus priscorum Ciceronum, privilegia quoque, leges, mores provinciarum, urbium, oppidorum in maiori pretio habentur. Fides demum catholica, quia prima religio a Iesu Christo manans, mores, usus, ritus, leges et constitutiones antiquae Ecclesiae ab apostolis per traditionem usque ad nos devolutae venerabiliores sunt sectis haereticorum, et dogmatibus recentiorum. Ad eundem modum confraternitas rosarii quia antiquior, ideo illustrior. Nulla confraternitas laicorum antiquiorem ex omni retro aetate originem ostendere potest uti haec, quae primordia sua ad tempus institutionis Ordinis praedicatorum refert.

Scio et alios religiosos coetus Deiparam impense, eximieque coluisse, antequam aut Ordo praedicatorum, aut fraternitas rosarii existeret. Attamen qui hoc nomine fratres Mariae semper et ubique audiverit, coetum novi nullum, nec legere me de illo unquam memini. Scio gentem Ungarorum de familia Dominae olim dictam ob eximium ac vere singularem Deiparae cultum. Sed is longe eximior est, adeo ut confratres, et consorores Mariae dicantur. Ita Paulus V in bulla, *Piorum hominum,* edita anno Domini 1608, die 15 aprilis eos appellat *dilectos filios, Mariae confratres, et consorores.* Scio etiam Dominos teutonicos ante s. p. Dominicum fratres Mariae se appellasse, et scripsisse, sed privatim magis quam publice; nam communiter toto christiano orbe Teutonici vocabantur. Nec facile invenies apud ullum historicum alio eosdem nomine insigniri, unde et hodie non alio, quam Teutonicorum nomine aut Crucigerorum vulgo appellantur. Fratres carmelitanos non ignoro antiquissimos esse, et fratres Mariae nuncupatos, sed ante confraternitatem rosarii nedum in occidente visi, sed paulo post fraternitatem rosarii in Europa videri noscique coeperunt, nimirum anno Domini 1212. Rosarii vero fratres B. M. Virginis appellati sunt anno 1203, ut ex s. Antonino paulo superius ostendimus. Adde, fratres carmelitanos non statim ab hominibus fratres Mariae vocatos fuisse. Nam Honorius III, qui eorum Ordinem confirmavit anno 1227, non vocat eos fratres Mariae, sed solum eremitas de monte Carmelo, ut videre est in bulla confirmationis eorum apud Laertium Cherubinum, quod summus pontifex non fecisset, titulum eis tam honorificum non subtraxisset, nec ipsi carmelitae id permisissent, si passim et ab omnibus tunc fratres Mariae vocati fuissent. 6 Ungari unde familia Mariae dicti. Teutonici milites quatenus fratres Mariae dicti. Carmelitae fratres Mariae.

Scio b. Annonem archiepiscopum coloniensem fraternitatem sub Deiparae titulo instituisse anno 1600. Sed haec quasi in herba elanguit, et aruit; siquidem iampridem eius nec vestigia remanent.

Excellit cognatione cum tam praeclaro Ordine praedicatorum, cuius velut soror germana est ex eadem Matre Deipara Virgine, ex eodem patre s. Dominico eodem nixu prognata. Ambo simul creverunt, uti iam dictum est. Et fraternitas Ordinem illustrabat, et Ordo fraternitatem promovebat. De praestantia Ordinis praedicatorum vide quae paulo superius diximus. 7

Excellit amplitudine. Nulla fraternitas est quae hominum numero, dignitate, amplitudine, potentia sit frequentior, et venerabilior. Nulla est ad quam tantus concursus hominum omnis aetatis, ordinis, status, conditionis, sexus fiat ac ad istam. De hoc Iodocus Beysselius, vir iuxta gravissimus ac doctissimus, libro de rosacea corona sic ait: *Tanto existimanda est melior et divinior, quanto cum pluribus potest haberi communior. Nam ceterae quidem inter christianos sodalitates ita fermo sunt institutae, ut neque aetatum sint omnium, neque sexuum, neque conditionum. At vero haec infantiam mulcet, senectutem non offendit, otiosos exercet, non impedit occupatos, potentes et divites allicit, pauperes et debiles non excludit, tepidos ad fastidium non adducit, nedum viros, sed et defunctos admittit. Haec societas aliarum omnium videtur in se complexa esse divitias.* In hanc reges, principes, imperatores, atque Ecclesiae praesides pro summo ducunt honore cooptari. Viri tum prudentia, tum aevo maturi, doctrina, sapientia, eruditioneque conspicui amant nomen suum inscribi. *Nec est qui se abscondat a calore eius,* psalm. 18, 7. 8

Excellit gratiis privilegiis, et indulgentiis, quibus summi pontifices hanc archiconfraternitatem locupletarunt, et bearunt. Nulla confraternitas tot indulgentias, favores, gratias, et tam firmas habet ac ista. Indulgentiae huius fraternitatis perpetuae sunt, tam firmae, tamque stabiles, ut sub quibusvis suspensionibus, revocationibus, limitationibus a Sede apostolica factis nullatenus comprehendantur, sed semper ab illis excipiantur; et quotiescumque illae emanabant, toties in pristinum statum in- 9

Digitized by Google

dulgentiae rosarii restitutae esse censeantur. Ita Pius V in bulla quae incipit: *Iniunctum nobis*, data Romae anno 1566, die 14 iunii. Quod aperte monstratum est in illa generali revocatione omnium indulgentiarum Religionibus et confraternitatibus a Clemente VIII facta, et a Paulo V promulgata. Ubi idem Paulus V in bulla quae incipit: *Cum olim*, edita anno 1608, die 20 septembris, omnes indulgentias sacratissimi rosarii expresse restituit, et litteras revocationis nihil prorsus eis officere debere declaravit, perinde ac si illae litterae non emanassent.

10 Excellit celebritate. Nulla est confraternitas pro qua una tot pontifices seu bullas, seu brevia ediderint; pro qua tot cardinales, tot legati apostolici, totque sacri praesules et antistites scripserint, pro qua tot theologi, concionatores disputationes, discursus, sermones, libros confecerint, ac sacratissimi rosarii archiconfraternitas.

11 Excellit causalitate. Nulla fraternitas fuit quae Ordini religioso et aliis fraternitatibus initium, et occasionem nascendi dederit, ut haec de rosario, quod paulo superius fuse demonstratum dedimus.

12 Excellit duratione. Nulla fraternitas tot impugnatores habuit, nulla tot persecutiones sustinuit, tot adversa pertulit ac ista. Surrexerunt contra eam motus superbiae et inflatae scientiae eam destruere conantes, et dissipati sunt. Venerunt discordes venti maledicentiae cursum illius prosperum impedire conantes, et sedati sunt. Emicuerunt fulgura detractionis nitorem famae, ac nominis ipsius obscurare volentes; et perierunt. Elisa sunt fulgura accusationum, criminationum, detractionum, invidiarum. Fraternitas vero ab anno 430 non solum duravit, sed etiam in persecutionibus crevit. Ac ut omittam persecutiones haereticorum quae huic archiconfraternitati cum tota Ecclesia communes fuerant, certe pastores Ecclesiae non solum semel, neque bis, sed frequentissime renovatis exercitibus cum hac archiconfraternitate aperto marte confligerunt in sermonibus eam traducentes, ac in risum et opprobrium dantes. Varia invidiose et calumniose illi obiectabant, quod sit fraternitas nova, non approbata; quod per psalterium dimittantur aliae preces; quod parochiani ecclesias suas dimittent, et ad praedicatores fugient tanquam ad suos fratres, peribuntque emolumenta parochiarum, sepulturae, oblationes, missae, dona, familiaritates, et huiusmodi in detrimentum Ecclesiae; quod phantasiae sint, et somnia multa; quod multae revelationes ferantur de isto psalterio non approbatae; quod non possint illud omnes orare. Unde fratres praedicatores mercenariorum loco habebant, et absolvendi potestatem eorum in dubium vocabant. His accessit pestis gravissima anno Domini 1348, quae omnem pene Europam depopulata est; regna, provincias, urbes devastavit; monasteria, ecclesias praedicatorum, seu et aliorum religiosorum evacuavit; ita ut Ordo praedicatorum una cum sua fraternitate iam perire videretur. Et quasi haec parva fuissent, addidit Satan nonnullos invidos, qui Ordinis nostri patrimonium, haereditatemque perpetuam nobis eripere conati sunt. Fraternitatem rosarii ex Ordine praedicatorum, sede sua propria, patrioque domicilio, ubi nata, enutrita, corroborata, et ad omnem religionem et virtutem exercitata est, ad se, suasque ecclesias nullo iure transferre, sibique vindicare, eam pro libito instituere, administrare audaci pietatis promovendae praetextu conati sunt. Sed tantum abfuit, ut iis tempestatibus, ac procellis hortulus noster floridus obrueretur, ut iisdem potius vehementer cresceret, floreret, promoveretur, uti iam superius diximus. Hinc intelligimus non humano consilio, prudentia, viribus hanc fraternitatem sanctissimi rosarii tamdiu consistere; sed quia divinitus instituta, a Domino roborata, singulari Deiparae providentia et protectione munita est, ut adversus eam portae inferorum nullo modo praevalere possint, sive illis portis rabies haereticorum, sive furor detrahentium, sive invidia malevolorum designetur.

Persecutiones rosarii quae, et quantae.

Obiectiones contra rosarium.

13 Excellit festivitate. Nulla enim est, cuius titulo solemne festum in Ecclesia fuerit unquam decretum apostolica perpetuo valitura constitutione, ut in hac archiconfraternitate solemnitas rosarii indicta a Pio V, et Gregorio XIII.

14 Excellit miraculis. Nulla est laudatissimarum quarumcumque confraternitatum, quam Deus tot, tantisque, tantumque testatis miraculis illustraverit, atque haec de rosario. Iustum volumen mihi conficiendum esset, ut iam plurimi fecerunt, si singula recensere vellem. Compendium dabo ex abbate Trithemio, libro dicto, cap. 14. « Nemo, *inquit*, intelligit, nemo credit, nemo capit quanta Deus amatoribus S. Mariae quotidie beneficia conferat. Scimus autem, per invocationem Sanctae Mariae multos viros, potentes, eruditos, nobiles et ignobiles, virgines et mulieres, iuvenes et senes a maximis tribulationibus saepe liberatos, a periculis ereptos, in necessitatibus mirabiliter adiutos; multos etiam utriusque sexus homines religiosos, et saeculares a gravissimis tentationibus carnis et spiritus meritis Sanctae Mariae multoties comperimus liberatos. Alios in egestate, et paupertate constitutos per Sanctae Mariae suffragia inopinate abunde provisos; alios de gravi infirmitate esse curatos. Quis enumeret quanti a perniciosa mentis tristitia, et melancholia piissimae Matris adiutorio sanati sunt? quanti quoque inter adversa securi? inter hostes et latrones impavidi? inter maris pericula tuti evaserunt? Maria Mater Sanctissima multos sibi devotos a diversis tentationibus consuevit eripere, a pestilentiae contagione liberare, a variis quoque infirmitatibus curare. Quis enumeret, quantos a pessima desperatione ad spem misericordiae reduxerit? quantos a durissima peccati consuetudine ad poenitentiae semitas revocavit? quantos in Religione et extra tepide conversantes igne divini amoris inflammavit? Eius meritis et suffragiis in partu mulieres a periculis alioquin vicinae mortis liberati sunt. Multi etiam a sententia perpetuae damnationis, sicut legimus, erepti. Denique nonnullos cultores suos ab infamiae opprobrio custodivisse dicitur. Alios e desperata aegritudine, nonnullos a vinculis et carceribus, quosdam etiam a mortis imminentis periculis liberasse memoratur. Legimus etiam meritis eius ad vitam nonnullos de morte revocatos, alios de mortis periculo per eam in morte clementissime visitatos, et antequam relinquerent mundum, factos iam de caelo securos. Saepe etiam obtusa quorundam ingenia illuminasse dicitur, qui sine eruditione prius despecti fuerunt, multis postea in admiratione fuerunt. Oratores quoque in dicendo saepe lapsos invocata in tantum roborasse dicitur, ut non solum constantes, sed etiam invenirent se factos in perorando promptiores. Amissa denique per eius invocationem legimus mirabiliter esse inventa. Sed quid nitor in immensum? Nam si mihi ferrea vox esset, linguaeque centum, non omnia eius beneficia percurrere possem, quibus suis consuevit subvenire cultoribus ».

Summa- riorum beneficiorum devotis a Maria collatorum.

Vidisti originem, statum, progressum, necessitatem, utilitatem, dignitatem archiconfraternitatis sanctissimi rosarii, putasne in toto orbe christiano aut extitisse unquam, aut etiamnum extare talem confraternitatem, de qua tam admiranda, tam antiqua, tam nova, tam perpetua, et testata extent laudis praeconia? putas extitisse societatem laicam, (semper illam excipio primitivam Ecclesiae, de qua Actorum 4) quae tantum Ecclesiae Dei profuerit, quae tantam in populo christiano devotionem excitaverit? quae tot gratiis, privilegiis, indulgentiis, favoribus a summis pontificibus condecorata fuerit? 15

Quam miseri, qui ab hoc pio instituto se abstrahunt! quam infelices qui illud impediunt! o quantorum malorum se reos faciunt, qui hanc sacram archiconfraternitatem vel negligunt, vel impediunt! Honoris Dei et cultus Deiparae, qui praestari; Ecclesiae utilitatis et emolumenti, qui impetrari; omissarum tot orationum, quae Deo offerri; fraternae caritatis, quae augeri; neglectarum tot confessionum, et communionum quae percipi; indulgentiarum non perceptarum, quae participari; incrementa religionis catholicae, quae illustrari; animarum in purgatorio detentarum, quae liberari possent, se hostes exhibent, et sibi damnationem acquirunt. Audi quae ipsa Deipara Virgo b. Alano de Rupe revelare dignatus est: *Secretum tibi pando divinae providentiae. Scias et secure intelligas, quod et sine mora aliis patefacias, quod videlicet signum probabile est, et propinquum aeternae damnationis horrere, et attaediari et negligere salutationem angelicam totius mundi reparativam. Habentibus vero devotionem ad hanc signum est ordinationis et praedestinationis permagnum ad gloriam. Propterea qui tenet me in salutatione, semper me tenent, donec ad me in paradisum veniat.* 16

Rosarii hostes taxantur.

O si haec sacra archiconfraternitas ubique terrarum ardore, quo par est, praedicaretur, quantum floreret pietas, quam cito reflouresceret prisca illa christianorum devotio, ac caritas! Christiani uno Christo Patre, una Ecclesia Matre generati et educati, unius Dei, unius religionis vinculo et sacramento constricti consociarentur, caderet ignorantia, extirparentur errores, restinguerentur odia, et pestifera membra corporis Ecclesiae re- 17

Auctoris votum.

secarentur. Mahometismus, haeresis, poganismus ruerent; Iarusalem civitas Deo electa, sancta, et gloriosa Turcis eriperetur; regna per summum scelus christianis erepta, Asia. Ungaria, Graecia, Thracia, Armenia, Galatia, Cappadocia, Epirus, Cyprus, Bithinia, Pontus, Syria, Palaestina Ecclesiae quasi prima praedia, et patrimonia, Aegyptus, Africa, Aethiopia, totusque oriens christianis restitueretur. Tot millia, immo millionss christianorum misera sub iugo turcica gementium ad nos redirent; ubique pax, ubique concordia, ubique philanthropia, et amor fraternitatis coleratur; una esset fides mentium, et pietas actionum. Utinam hoc ante mortem mihi videre contingat, tunc laetus occumberem, canerem et iubilarem cum Simeone: *Nunc dimittis servum tuum Domine*, etc. Fac me voti mei compotem Iesu Christe Salvator mundi. Tu quoque dulcissima patrona, summi Regis filia, Verbi incarnati Mater, Spiritus sancti sponsa, sanctissimi rosarii advocata, confratrum tibi famulantium domina, votis meis respondere dignare, ut cultus Christi Filii tui Domini nostri, tuusque honor ubique propagetur, praedicetur, celebretur. Amen.

DE ROSARIO QUA PRECANDI FORMULA

CAPUT II

Totam Ecclesiam post cultum Dei cultui B. M. Virginis esse addictam ille poterit ignorare, qui Ecclesiam ipsam ignorat. Quare variis precandi formulis eam honorat; ex quibus nonnullas praecipuas, magis celebres, ac miraculis decoratas superius posuimus, cum epithetum *Virgo veneranda* explicaremus. Inter has princeps est psalterium, seu rosarium Deiparae a s. p. n. Dominico institutum, a fratribus Ordinis praedicatorum maximo cum animarum fructu in toto terrarum orbe promulgatum, multis miraculis illustratum, infinitis propemodum gratiis ac favoribus a summis pontificibus exornatum. Quod ex tribus quinquagenis salutationum angelicarum, interiecta ad singulas decades oratione dominica, constat, certis ex vita Christi et Deiparae mysteriis, ut vocant, gaudiosis, dolorosis et gloriosis ad meditandum propositis. De eius ergo nomine, institutione seu auctore, dignitate, necessitate, efficacitate, utilitate, recitandi ratione breviter agere animus est. Age ordiamur.

DISCURSUS CCCXXII

QUID SIT ROSARIUM ET CUR ITA DICTUM

1 Rosarii nomen quid significet. Rosarium, si solam significationem spectes, est idem quod rosetum, hoc est, locus rosis consitus, quemadmodum latinus poeta dixit 4 Georgic.

. . . . . *biferique rosaria Paesti.*

Unde sicut rosarium materiale, vel locus rosis consitus continet multitudinem fruticum gignentium suaveolentes rosas; ita rosarium mysticum, hoc est precandi formula in honorem Dei, et B. M. Virginis recitari solita continet multitudinem orationum dominicarum, et angelicarum, quae frequenter repetitae miram fragrantiam suavemque laetitiam illis pariunt, qui Patrem misericordiarum, et Virginem Matrem devota mente orant. Vide quae supra diximus disc. CCCVIII. Si vero rem ipsam, seu naturam, aut potius quidditatem, ut scholastici vocant, attendas, haec habe.

2 Rosarium quid sit. Rosarium *est sertum quoddam spirituale mysticis vocibus ex evangelio depromptis, tanquam rosis contextum, Virgini virginum Dei Matri religionis ergo a catholicis collatum.* Ita illud definit Philippus Bosquierus minorita doctissimus, ac disertissimus in Codro evangelico, concione 7, part. 7. Plenissime ita definieris ex bullis summorum pontificum Leonis X, Iulii III, Pii V, at breviario Ordinis patrum praedicatorum, hoc modo.

3 Rosarium *est sacra quaedam formula precandi Deum in honorem Mariae, qua centies, et quinquagies recitata salutatione angelica instar davidici psalterii, et cuilibet decadi interiecta oratione dominica, per quindecim decades quindecim praecipua humanae instaurationis mysteria piis meditationibus percensentur.* Iam videndum est

Quibus nominibus appelletur haec sacra precandi formula

4 Oratio haec quatuor potissimum nominibus appellari consuevit. Sertum, seu corona rosacea, psalterium B. Virginis, quinquagena sacra, et rosarium.

Cur dicatur sertum, seu corona rosacea

5 Vere sertum est, quia ex quindecim orationibus dominicis, et centum quinquaginta salutationibus angelicis velut rosis contexitur, et Virgini Matri ex ardentissimo erga eam amore a sibi devotis velut diadema regium offertur, et capiti imponitur. Serta enim virginum capitibus ornandis proprie adhibentur. Rosarium cur sertum seu corona B. M. Virginis dictum.

6 Haec nomenclatura a miraculo quodam illustri originem traxisse legitur apud Clementem Losow serm. 4 de rosario. Sancto patre Dominico per mortem in coelum recepto, cum devotio rosarii ab eo instituta valde tepesceret, et iam prorsus extincta esset, gravissima pestis varias regiones affligere coepit. Mortales consilii inopes ad eremum confugiunt, et sanctum quemdam eremitam ibi in magna austeritate vitam ducentem precibus pulsant, ut eos in suis orationibus apud Deum commendatos habere velit. Rogat ille impensius Matrem Dei, ut ipsa tanquam peccatorum advocata eis succurrere dignetur. Cui Virgo apparens: Meas, ait, laudes omiserunt, et ideo haec mala venerunt super eos. Devotionem pristinam reassumant, et meum patrocinium sentient: pestem ab eis abigam, saluti eorum consulam, si per angelicum *Ave*, quinquagies recitando, et inter decem salutationes angelicas unum *Pater noster* inserendo, me venerabuntur, salutabunt, et pergent; hoc enim psallendi genere ego valde delector. Illi iussa capessunt, nodos sibi de virgultis et ramusculis quasi calculos precarios conficiunt, illumque orandi modum toto pectore amplectuntur. Cumque cuperent nosse qualiter illud precandi genus vocari deberet, nodos illos sive calculos precarios a se confectos in altari B. Virginis ponunt, qui miraculose in serta rosacea commutati floruerunt. Inde tam globuli precarii, quam ipsa precandi formula sertum, sive corona B. M. Virginis appellata sunt. Haec Clemens Losow.

7 Aliud simile miraculum de hac nomenclatura serti seu coronae Beatae Virginis superius retulimus, cum de corona B. M. Virginis ageremus.

8 Adverte tamen coronam rosaceam a s. p. n. Dominico adinventam longe diversam esse ab illa corona, quam religiosissimi patres Ordinis minorum de observantia nuncupati praedicant, et in populo promovent, ut ibidem fuse monstravimus.

Cur haec sacra precandi formula psalterium Beatae Virginis dicta

9 Hoc orandi genus a primo suae institutionis exordio psalterium B. M. Virginis nuncupatum esse noscitur, eo quod ad instar davidici psalterii compositum sit. Sicut enim in psalterio

Digitized by Google

davidico sunt centum quinquaginta psalmi, ita in mariano sunt centum quinquaginta salutationes angelicae. Hic autem ritus laudandi Deum in honorem B. M. Virginis satis firmo nititur fundamento. Cum enim perfectiores quique fideles in primitiva Ecclesia davidico psalterio divinas laudes assidue celebrarent, ut superius memorabamus, s. p. n. Dominicus divino spiritu instinctus pro simplicibus quoque eundem modum laudandi Deum accommodavit, ut qui psalmos canere nescirent, quippe quos nec legere nec intelligere possent, Mariae psalterium recitarent. Insuper pro centum quinquaginta psalmis davidicis centum quinquaginta salutationes angelicas usurparent, ut sic prisca devotio conservaretur; laici etiam Ecclesiae se conformarent, et populus esset imitator chori et cleri nedum in moribus, et doctrina, sed et in Dei cultu, et ipsa orandi religione. Alias huius nomenclaturae mysticas et morales rationes adfert fr. Andreas Coppestein noster lib. 2 de rosario, cap. 19.

Cur haec sacra precandi formula quinquagena sacra dicta

10 Quinquagena sacra ideo dicta, quia in tres quinquagenarios est divisa, videlicet gaudiosum, dolorosum, et gloriosum. Porro tam ternarius partium, quam quinarius mysteriorum, quam quinquagenarius salutationum angelicarum numerus non caret mysterio.

Quinquagenae tres in rosario quid significent. Ternarius numerus commendatur.

Tres quinquagenae sunt. Primo, ob honorem Sanctissimae Trinitatis. Tres enim sunt personae in divinis, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Secundo, ob numeri ternarii perfectionem, mysterium, et sanctitatem. Numerus ternarius est perfectionis nota, in eo enim est principium, medium et finis; hinc Deo sacratus est secundum pythagoricos. Rursus mysticus est; nam anima tribus absolvitur, intellectu videlicet, memoria et voluntate. Abraham tres vidit, et unum adoravit, Genes. 18, iuxta glossam resurrectionis dominicae tertius dies. Tribus homo decipitur, suggestione, delectatione et consensu: tribus quoque resurgit, fide, spe, et caritate. Est enim fides praeceptorum, signorum, promissionum; spes veniae peccatorum, gratiae et gloriae; caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Iterum numerus ternarius orationi valde accommodatus. Seraphim ter proclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Isai. 6. Christus in horto ter orat. Divus Paulus ter Dominum rogavit, ut auferret a se stimulum carnis. Ecclesia tres nocturnos in matutinis habet. Nos tria in oratione petimus, peccatorum veniam, gratiam et gloriam. Igitur et in psalterio mariano merito tres quinquagenae. Tertio, tres quinquagenae sunt ad doctrinam Christi fidelium. Sicut enim in psalterio davidico prima quinquagena psalmo poenitentiali terminatur, qui incipit: *Miserere mei, Deus*: secunda post peractam poenitentiam misericordiam et iudicium Dei promittit in psalmo, qui incipit: *Misericordiam et iudicium cantabo tibi Domine*: tertia laudes Dei et sanctorum concludit in psalmo qui incipit: *Laudate Dominum in sanctis eius*. Ita in psalterio mariano in prima quinquagena fideles veniam peccatorum efflagitant: in secunda vitae emendationem quae Dei misericordiam cum quadam iustitiae aequalitate requirit, pronuntiant: in tertia Deum, eiusque Genitricem in psalterio decachordo cum omnibus sanctis hic laudant, et in futura patria in aeternum laudabunt. Ita Bernardus de Lutzemburgo serm. 15 de rosario. Porro quid quinarius mysteriorum, quidve quinquagenarius salutationum angelicarum numerus significet, inferius, cum de salutatione angelica agemus, et mysteria exponemus, dicemus.

Cur haec sacra precandi formula rosarium dicta

11 A docentis fere omnis haec sacra precandi formula nomine rosarii appellata est. Et merito; nam B. V. Maria magnam similitudinem cum rosa habet, ut nos superius ostendimus. Quia igitur hoc orandi genus post Deum Sacratissimae Virgini dicatur, iure merito rosarium, hoc est collectio rosarum appellatur. Ipsa quoque oratio magnam cum rosa similitudinem habet. Primo rosa de stipite surgit: angelica salutatio rosarium constituens, de corde Dei Patris quasi de plantario nascitur. Beatus Albertus magnus in libro de laudibus Virginis: *Haec salutatio*, inquit, *a Deo Patre est dictata, a Filio conscripta, a Spiritu sancto confirmata, ab archangelo Virgini deportata.*

12 Secundo rosa quinque foliis distinguitur; rosarium per quinquagenas dividitur, ut iam diximus, et postea dicemus.

Tertio rosa intra se grana continere videtur, quae cardialem excitant laetitiam: rosarium aureum in se caritatem continet, et multiplicat spiritualem laetitiam. Divus Bernardus ait: *Caelum ridet, angeli laetantur, terra gaudet, mens hominis exultat, daemones fugiunt, infernus contremiscit, dum dico: Ave Maria.* 13

Quarto rosa suavitate, fragrantia, floris pulcritudine alios flores superat: rosarium alias precandi formulas antiquitate, dignitate, utilitate excellit. Hinc Spiritus sanctus homines sibi devotos ad Dei laudem lacrymarum vi roboratam excitans rosae ad aquas positae eos comparat Eccli. 39, 17: *Obaudite me*, inquiens, *divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate*. Et mox: *Collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis.* 14

Quinta rosa odorem profert: rosarium mirabilem suae virtutis odorem spargit, ut longe lateque suam virtutem extendit. In terra devotorum mentes pascit et salvat, morbos exterminat, peccata eliminat, pestes abigit. In coelo Deum reconciliat, Beatam Virginem delectat, angelos ad nos invitat, sanctos laetificat. In inferno daemones terret, tartara claudit, animas a purgatorio liberat. Possem singula exemplis probare, sed id egregie praestiterunt, qui de rosario ex professo scripserunt. 15

Sexto rosa medicinalis est, ut superius in hoc epitheto monstravimus: rosarium marianum multiplicem medicinam praestat. Quot enim corporis morbi, quot pestes tum corporis, tum animae repulit, et quotidie repellit, testantur qui miracula eius scriptis prodiderunt. Certe infiniti in sordibus peccatorum putrescerent, nisi rosarii huius vis reficeret. 16

Septimo in rosa sunt folia viridia, rubicunda, et color aureus: in rosario sunt tres Christi mysteriorum et angelicarum salutationum quinquagenae. Viridia significant mysteria gaudiosa, rubicunda dolorosa, color aureus gloriosa. 17

Octavo reperiuntur rosae albae, rubeae, et flavae. Albae significant mysteria gaudiosa, rubeae exprimunt dolorosa, flavae denotant gloriosa. 18

Nono in rosa sunt spinae, frondes et flores: in rosario mariano sunt spinae quibus poenitentes compunguntur, sunt frondes quibus peccatores proteguntur, sunt flores quibus devoti coronantur. 19

DISCURSUS CCCXXIII

DE INSTITUTIONE, SIVE AUCTORE SACRATISSIMI ROSARII QUA PRECATIO EST

Sunt, qui prima rosarii originem ad tempora apostolorum referunt, adhuc superstite gloriosissima Dei Genitrice Maria; idque ex actibus apostolorum deducunt, ubi de primaevis illis christianis s. Lucas narrat: *Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.* Non erant autem aliae orationes communes, et omnibus perviae praeter orationem dominicam, quam Christus suis discipulis orandam praescripserat, et commiserat, et salutationem angelicam, quae eo tempore iam in usu fuisse legitur in liturgia s. Iacobi apostoli, ut testatur septima Synodus generalis. Eandemque dixerunt Syri ex apostolorum praescripto in sua missa his verbis: *Pax tibi Maria, plena gratia, Dominus noster tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus qui est in utero tuo, Iesus Christus. Sancta Maria*, et cetera. Sanctus quoque Bartholomaeus centies interdiu, et toties noctu, *Pater*, *Ave*, recitasse legitur apud Philippum Bosquerum in concione s. Bartholomaei. 1

De antiquitate et institutore rosarii variae opiniones. Oratio dominica et salutatio angelica temporibus apostolorum usitata. Liturgia s. Iacobi. S. Bartholomaei devotio.

Ioannes Rebellius tractatu de rosario, lib. 1, cap. 6, art. 1 affirmat, quod gentiles in suorum idolorum, ac daemonum cultu certis quibusdam figmentis ad instar rosarii confectis utebantur, calculis nimirum filo inductis, et certas aliquot orationes obmurmurabant, idque ante tempora apostolorum. Quem ritum ut extinguerent apostoli, atque in melius commutarent, rosarium instituerunt, illudque Ecclesiae legendum, seu orandum proposuerunt. Et nunc, inquit idem Rebellius, in partibus Asiae, in Iaponia, in chinensi regno gentiles istiusmodi calculos gestant, quibus certas orationes idolis offerunt. Paulus quoque Venetus lib. 3, cap. 23 istius ritus meminit apud Indos in haec verba: *Rex quoque ipse, ut alii, nudus incedit, deferens in collo torquem auream, sapphiris, smaragdis, rubinis, et aliis pretiosis lapidibus oneratam. Pendet quoque in collo eius charta quaedam scri-* 2

ea, cui innectuntur centum et quatuor pretiosi lapides, margaritae scilicet grandiusculae, quae eum admoneant centum et quatuor orationum, quas quotidie in honorem deorum suorum mane et vespere obmurmurat. Haec Paulus Venetus. Quod non obscure indicat pervetustam esse hanc consuetudinem orandi, cum daemon multis retro annis invidus huius mariani cultus similem sibi exhiberi suis cultoribus suaserit.

3 Ulterius ex variis historiis deducunt, hanc rosarii religionem antiquissimam esse. Sozomenus lib. 6, cap. 19, et Nicephorus lib. 11, cap. 26 memorant Paulum Lybicum in monte Phermo abbatem quingentorum monachorum rosarii religionem tenuisse. Hic enim abbas cum trecentas quotidie Domino preces offerret, ne de hoc munere quicquam detraheret, rem ad calculos vocabat, singulasque precationes singulis lapillis notabat. Nec dubium, quin orationes illae fuerint dominicae, ut salutationes angelicae, quae sunt rosarii materia.

4 *Pauli eremitae religio.* Polydorus Virgilius lib. 5 de inventione rerum, cap. 9 psalterii laici inventorem fuisse autumat Paulum eremitam hispanum, qui circa annum Domini 1093 de bello sacro Saracenis indicendo pro recuperatione Terrae sanctae cum Urbano II egit. Cum itaque summus pontifex, congregato Concilio claromontano, omnibus clericis edixisset, ut more monastico horas de B. M. Virgine praeter canonicas recitarent, Paulus quoque laicis rosarii preces impense commendatas praedicabat ad divinam opem per intercessionem Deiparae facilius implorandam. Quemquidem comprecandi ritum a Palaestinae eremicolis acceperat, quibus iam in usu erat laicum psalterium recitare. Idem testatur Ioannes de Pineda lib. 20 monarchiae Ecclesiae, cap. 2, parag. 4, Arnoldus Uvion lib. 5 ligni vitae, cap. 104, Guilielmus Tyrius lib. 3 de bello sacro, cap. 11, et 12, Molanus de natalibus sanctorum Belgii, die 15 iulii.

5 Beatus Alanus de Rupe in tractatu de rosario narrat ex quorumdam sententia venerabilem Bedam qui floruit anno Domini 700, inventorem fuisse rosarii in Anglia, ab eoque tempore plures fabricatas imagines Beatae Virginis rosarium in manu tenentes.

6 *B. Alberti monachi devotio.* Beatus Albertus monachus cuspinirensis monasterii qui circa annum Domini 1140 floruit, praeter psalterium davidicum quod recitabat, centies per diem flectebat genua, et quinquagies prostrato quidem corpore, sed articulis, et digitis sublevato ad unamquamque genuum curvationem salutationem angelicam dicebat. Surius in vita eius, die 7 aprilis.

7 Willegas die 14 decembris, et Petrus Hamiras Societatis Iesu presbyter, ex legenda flandrica, conc. 23 in Adventu meminit rosarii cuiusdam antiquissimi quinquaginta salutationum angelicarum cuius originem vix est reperire. Cuius virtute anno salutis 854 fusi, profligati, ac eiecti fuerunt ex tota Italia Saraceni, qui maximis copiis per portam ostiensem irruptionem fecerant. Iussit enim Leo IV pontifex maximus, cuius ductu atque auspiciis confectum est hoc bellum, milites omnes arma capere, et altera quidem manu rosarium B. Virginis, altera gladium gestantes in bellum proficisci. Nec longa interposita mora victoriam obtinent.

8 Ad haec congregatio camaldulensis rosarium pro horis canonicis choralium initio olim legisse fertur. Coepit autem dicta congregatio anno Domini 1030.

9 Carthusianorum quoque sanctissimus ac celeberrimus Ordo qui in orbem prodiit anno Domini 1101, suis fratribus conversis loco horarum canonicarum rosarium praescripsit, ut refert Madriuga eiusdem Ordinis alumnus in historia s. Brunonis, et originis chartusianorum.

10 Addunt quoque Ioannes Lopez, Ioannes Rebellius, Ioannes Bonifacius, et Sagastizaval, quod cum olim ante conditum Ordinem praedicatorum, et forte ante natum Dominicum eiusdem Ordinis auctorem pestis in citeriore Germania supra modum saeviret, venerabilem quemdam virum ex carthusianorum familia nomine Eloym magnis precibus Matrem misericordiae exorasse, ut benignitatis suae viscera in misera afflictos aperiret. Apparet ei Regina coeli, iubetque, ut in tantae calamitatis remedium sacrosancti rosarii sodalitatem institueret, aggregaretque: illud unicum esse miseris praesidium.

11 Tandem Nivellis oppido gallicae Brabantiae religiose asservantur, et passim ostenduntur sphaerulae aliquot filo nexae, ad quas s. Gertrudis orasse dicitur. Hinc aliqui sphaerulas illas rosarii gertrudiani partes esse autumant. Desiit autem vivere s. Gertrudis ante d. Dominicum annis plusquam quingentis, nimirum anno Christi 664.

Ad haec cum ante annos decem inventum fuisset Magdeburgi 12
corpus s. Norberti fundatoris Ordinis praemonstratensis, inventi sunt pariter globuli crystallini, per quos excurrebat filum, sed iam penitus in cineres erat redactum, quibus globulis usum fuisse s. Norbertum ad peragendas suas preces existimat Ioannes Bellus in laurea astriaca. Sanctus Norbertus autem fere centum annis floruit ante institutum Ordinem praedicatorum.

Ada quoque uxor Theodorici avennensis, quae vixit anno 1080, 13
sexaginta quotidie angelicas salutationes orabat. Ex quibus omnibus liquido constare videtur, rosarium marianum vel ab apostolis institutum, receptumque fuisse, vel certe s. Dominici aetatem longe superasse.

Postremo b. Alanus, cuius hac in parte magna est auctoritas, 14
erat enim de Ordine praedicatorum, sacratissimi rosarii post s. Dominicum renovator, et propugnator acerrimus in apologia c. 22 ingenue fatetur fraternitatem rosarii dudum fuisse continuatam per sanctos patres; sanctum vero Dominicum solum renovatorem, et informatorem eiusdem fuisse. Dabo beati Alani verba: *Beatissimus pater Dominicus divino fretus auxilio pro salute animarum, utpote qui fuit praedicator summus, re, nomine et professione, in mundum ad hoc cum signis, et portentis mirabilibus missus: idcirco communitatem istam renovavit, quae dudum ante tempora sua inchoata fuit.*

Ex quibus omnibus concludunt isti, rosarii devotionem iam olim ab apostolis institutam, longa et continuata temporum serie a fidelibus usurpatam, ab ipsis nascentis Ecclesiae incunabulis ad nostram usque aetatem perdurasse, et solum longa caligine cacodaemonis studio offusam a s. Dominico renovatam fuisse.

Verum nos hanc oltamve historiarum molem, si qua sit, haud moramur, sed strenue constanterque tenemus, docemus ac praedicamus formulam hanc precandi Deum in honorem Mariae quae rosarium dicitur, ante s. Dominicum non fuisse.

Non imus inficias orationem dominicam, et salutationem angelicam omnium celeberrimam, et antiquissimam ab apostolis ipsis toti Ecclesiae fuisse traditam, et tum ab ipsis, tum a reliquis fidelibus fuisse passim usurpatam, continuoque pietatis studio sanctorum omnium ore deinceps recitatam, et celebratam; quin potius existimamus orationem dominicam, et salutationem angelicam primo illo nascentis Ecclesiae exordio ardentiore spiritu, maiore devotione, et frequentius recitatas fuisse; sed in hunc modum, nimirum quindenis decadibus totidem selectiora vitae Christi Mariaeque mysteria percensendo, et cuilibet decadi salutationum angelicarum unum *Pater noster* adiiciendo, ante beatissimi Dominici aetatem usurpatas fuisse omnino negamus. 15 *Vera sententia de institutione et auctore sanctissimi rosarii.*

Et vero, si rosarium ante d. Dominici aetatem orbi cognitum fuisset, quomodo tot patres, tot Ordines sacros Deiparae Virgini ad stuporem addictos, et maxime cisterciensem Ordinem latuisset? Et sane aeternae nominis scriptor Caesar Baronius S. R. E. cardinalis, qui res ecclesiasticas accuratissime descripsit, et infiniti alii historiographi, qui per duodecim saecula res gestas in Ecclesia diligenter notarunt, nihil etiam quod Deiparenti iucundum, gratumque nosset, intactum praeterierunt, nullam huius precum formulae mentionem fecerunt; immo nec ipsum nomen rosarii attigerunt, vel speciem formamque eius prodiderunt, cum tamen omni aetate plurimi res ecclesiasticas, omniaque christianae pietatis vetusta documenta tradiderint. Quod argumento est hanc precandi formulam a Christo nato per duodecim aetates orbi prorsus ignotam fuisse.

Dicimus secundo, et indubitanter affirmamus formulam precandi, rosarium dictam, qua oratio dominica quindecies, et salutatio angelica centies et quinquagies repetitur, ut quindecim mysteria vitae Christi et B. V. Mariae piis meditationibus percensentur, ortum ac primordium habuisse a beatissimo Dominico Ordinis praedicatorum patriarcha inclyto.

Id romanorum pontificum clarissima attestatione exploratissi- 16
mum est.

Pius V in sua bulla, quae incipit: *Consueverunt romani pontifices*, data Romae 1569, die 17 septembris, tale huius rei testimonium profert: *Spiritu sancto, ut pie creditur, afflatus beatus Dominicus Ordinis fratrum praedicatorum auctor, cuius institutum et regulam cum in minoribus essemus, expresse professi sumus, simili quo nunc temporis occasione, quo Albigensium haeresis per partes Galliarum et Italiae misere grassabatur, et*

tam multos excaecaverat saeculares, ut in Domini sacerdotes, et clericos saevissime furerent, levans in coelum oculos, et montem illum gloriosae Virginis Mariae, almae Dei Genitricis respiciens modum facilem, et omnibus pervium, ac admodum pium orandi et precandi Deum, rosarium, seu psalterium eiusdem B. Mariae Virginis nuncupatum quo eadem Beatissima Virgo salutatione angelica centies, et quinquagies ad numerum davidici psalterii repetita, et oratione dominica ad quamlibet decimam cum certis meditationibus totam Domini nostri Iesu Christi vitam demonstrantibus interposita, veneratur, excogitavit, excogitatum per sanctae romanae Ecclesiae partes propagavit.

Gregorius vero XIII in bulla quae incipit: *Monet Apostolus*, data Romae, die 1 aprilis, anno Domini 1573, pontificatus sui anno quinto in eamdem rem sic inquit: *Memores b. Dominicum Ordinis praedicatorum institutorem, cum et Gallia et Italia o perniciosis premerentur haeresibus, ad iram Dei placandam, et B. Virginis intercessionem implorandam piissimum istum orandi modum instituisse, qui rosarium, seu psalterium D. Virginis nuncupatur.*

Tandem Xystus V in bulla, cuius exordium: *Dum ineffabilia meritorum*, data Romae die 30 ianuarii 1588 sic ait: *Attendentes itaque quam Religioni nostrae fructuosum fuerit sanctissimi psalterii, rosarii nuncupati, gloriosae semperque Virginis Mariae institutum per beatum Dominicum Ordinis praedicatorum auctorem, Spiritu sancto, ut creditur, afflatum, excogitatum; quantaque exinde modo provenerint, et in dies proveniant bona*, etc.

Ceterum qua occasione, et cuius instinctu seu monitu sanctus pater Dominicus hanc piam precandi formulam in populo christiano promulgaverit, diximus superius disc. CCCX, numeris 13, 14.

DISCURSUS CCCXXIV

ROSARIUM QUATENUS AB APOSTOLIS, IPSISQUE EXORIENTIS ECCLESIAE INCUNABULIS IN USU FUERIT, ET QUATENUS A S. P. DOMINICO INSTITUTUM SIT, DECLARATUR

1 In psalterio Iesu et Mariae, seu vulgariore appellatione, rosario mariano, duo consideranda sunt. Unum est orationum substantia et frequentia, immo et calculorum, seu sphaerularum precariarum usus. Alterum est methodus, seu ipsa precandi formula ita disposita, et aptata, ut per quindenas salutationum angelicarum decades quindecim orationibus dominicis interiectis ad globulos numeratas, praecipua quindecim salutis nostrae mysteria piis meditationibus percenseantur. Primum ab apostolis, ipsisque exorientis Ecclesiae incunabulis mirum in modum in usu fuisse asserimus. Alterum a s. patriarcha Dominico Ordinis praedicatorum conditore, ipsa Deipara Virgine monente atque docente, in Ecclesiam universam invectum, et per totum orbem publicatum constanter et verissime tuemur et probemur.

2 Damus itaque libenter Paulum lybicum, Paulum eremitam, venerabilem Bedam, Albertum monachum, Leonem IV pontificem, camaldulenses, carthusianos, s. Gertrudem, s. Norbertum, Adam uxorem Theodorici avesnensis, et si qui sunt alii, quorum religionem historiae commendant, vel memorant, qui ab ipsis Ecclesiae incunabulis usque ad d. Dominici tempora floruerunt, orationum substantiam et frequentiam tenuisse, et calculos, seu globulos precarios pro devotione sua accommodatos, et numeratos gestasse. Verum eam methodum, seu formulam precandi ad modum davidici psalterii dispositam, qua centies, et quinquagies repetita salutatione angelica, et cuilibet decadi interiecta oratione dominica, quindecim praecipua redemptionis nostrae mysteria piis meditationibus percenseantur, quae rosarium dicitur, usurpasse, seu scivisse ante sancti Dominici aetatem omnino negamus. Immo nec psalterii mariani nomen tunc auditum fuit, multo minus rosarii, quod, ut diximus, ducentis annis post felicem ex hac vita d. Dominici transitum primo usurpari coepit. Nam a d. Dominico, eiusque successoribus psalterium marianum communiter appellabatur.

3 Porro quod Ioannes Rebellius narrat, gentiles in suorum idolorum cultu certis quibusdam globulis ad instar rosarii confectis usos fuisse ante apostolorum tempora, et apostolos a gentilibus eum ritum accepisse, commutasse, et fidelibus proposuisse, nulla probabili fulcitur ratione. Absurdum namque est, immo dictu auditaque horribile, sanctos apostolos daemonis mimos facere. Magis credibile est, Orci bestiam globulos precarios apud christicolas vidisse, et eos suis cultoribus imperasse. Hic namque genius daemonis est, quod in honorem Dei fideles faciunt, hoc sibi scelerate usurpare.

Nullus ergo ante s. Dominicum eam rosarii devotionem quam nunc habemus, tenuit; nullus usurpavit. Licet enim s. Bartholomaeus ducentas quotidie preces dixerit, Paulus monachus trecentas; rosarium tamen non tenuerunt sub ea methodo, et forma quam diximus. Albertus monachus qui centies, et quinquagies per diem genua flectebat, et totidem salutationes angelicas recitabat, ad rosarium ceteris propius accessisse videtur, et tamen illud assecutus non est. Quemadmodum enim rudis atque indigesta lapidum lignorumque moles domus non est, donec artis formam induat: ita rosarium non est angelicarum salutationum repetitio, seu frequentia; sed earumdem in quindenas classes ad praecipua vitae, mortis, et gloriae Christi, Deique Parentis mysteria meditanda compositas studiosa et apta digestio. 4

Beatus autem Alanus, cuius hac in parte auctoritatem magni facimus, b. p. Dominicum huius devotionis non auctorem, sed renovatorem appellans, ita intelligendus est. *Dudum ante tempora d. Dominici inchoata fuit rosarii devotio*, subintellige, quoad substantiam seu materiam, et frequentationem orationum et salutationum angelicarum, sed non quoad methodum, formam, splendorem, et ordinem, qualem nunc habemus. Qui ordo in tribus consistit. Primo, in debita dispositione; nam quod antea summatim recitabant (si aliqui recitabant) 150 salutationes angelicas, hoc s. p. Dominicus in tres partes divisit. Primam appellavit gaudiosam, secundam dolorosam, tertiam gloriosam. Secundo, in praemissione unius orationis dominicae cuilibet decadi salutationum angelicarum. Tertio, in pulcro cuiuslibet decadis ornamento, quamlibet enim vitae Domini ac Redemptoris nostri ornavit mysterio. 5 B. Alani sensus.

Haec sane satis superque demonstrant b. patriarcham Dominicum sacratissimi rosarii auctorem, et inventorem fuisse. Quod si vero quispiam pertinacior huic veritati quidpiam obiicere voluerit, resolutum habes superius. 6

Tempus iam est, ut huius admirandae, et quovis stupore dignissimae precationis dignitatem, necessitatem, efficacitatem et utilitatem aperiamus, praetermissis iis quae iam de eius dignitate, necessitate, et utilitate superius enarravimus, cum de rosario qua confraternitas est, egimus. 7

DISCURSUS CCCXXV

DE DIGNITATE ET EXCELLENTIA PSALTERII SEU ROSARII MARIANI

Multa sunt quae hunc orandi ritum supra alias precandi formulas extollunt. Nos ea ad tria capita breviter reducemus, nimirum ad materiam, ad obiectum et ad formam. Excellit itaque haec sacra rosarii precatio alias omnes precandi formulas. 1

I. Materia huic psalterio tantam excellentiam tribuit, ut merito inter omnes precandi formulas caput extollat. Religiosissimus ille vir Thomas de Kempis in enchiridio monachorum, capite 5 de materia huius psalterii hoc dignum protulit elogium: *Inter omnes preces, et laudes Dei nihil* Pater noster *est sanctius, nihil* Ave Maria *dulcius, et angelis iucundius. Omnia vota, et desideria sanctorum oratio dominica excellit; omnia dicta prophetarum, et melliflua verba psalmorum, et canticorum plenissime et perfectissime in se continet; omnia necessaria petit; Deum summe laudat; Deo animam coniungit, et de terra ad coelum levat; nubes penetrat, et angelos transcendit. Beatus qui attente singula verba Christi pensat.* Hanc sancti apostoli ad ipsam solummodo orationem dominicam oblationis hostiam consecrabant, ut d. Gregorius epist. lib. 7, epist. 64 ad Ioannem syracusanum episcopum testatur. Sed fusius agere iubet de oratione dominica. 2 Orationis dominicae encomium.

Oratio dominica praestat omnibus aliis orandi formis auctoritate, brevitate, ordine, petitionum sufficientia, efficacia, et necessitate. 3 Orationis dominicae excellentia super alias.

1. Excellit auctoritate. Auctor illius est non homo, non angelus, sed summus Doctor, et Magister coelestis Iesus Christus Dominus noster, qui fecit nos vivere, docuit et orare, ut inquit s. Cyprianus. Cum enim ignoraremus quid peteremus, ideo, ne vagemur incerti, petendorum nobis hac oratione formam 4 Commendatur ab auctore.

*

dedit, ut ipsam devote discentes confidenter speremus postulata impetrare. Docuit id s. Augustinus serm. 126 in haec verba: *Quia stupido mens hominum, et ignara coelestium sciendi, nec invenire poterat quemadmodum Deum digne precaretur: ipse verus Dominus et Magister ostendit, et docuit quomodo debeamus orare.*

5 A brevitate.

2. Excellit brevitate. Sicut enim Verbum Dei incarnatum ad hominis usque naturam abbreviatum est, et exinanitum, ut quod coelo non capiebatur, praesepio clauderetur, teste Isaia cap. 10, 23; ita et lex evangelica abbreviata est, totque promissiones, tot figuras, tot praecepta veteris legis in illis duobus praeceptis clausit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ... et proximum tuum sicut te ipsum*, ita etiam oratio brevis a Christo data est omni sexui et aetati, doctis et indoctis valde accommodata. Brevitas namque tum intelligentiae tum devotioni valde est proficua. Intelligentiae, quia facilius capiuntur bene ordinata, quam longa diffuse et confuse posita. Devotioni, quia orantis affectus cito tepescit, et pinguedo devotionis per productiores moras evanescit. Unde s. Thomas 2 2, q. 83 ait: *Conveniens est, ut oratio tantum duret, quantum est utile ad excitandum interioris desiderii fervorem. Cum vero hanc mensuram excedit, ita ut sine taedio durare non possit, non est ulterius oratio prolonganda.* Hinc monachi in Aegypto crebras quidem orationes habebant, sed eas tamen brevissimas, et raptim quodammodo iaculatas, ut testatur sanctus Augustinus epist. 121, cap. 9.

S. Thomae orationis brevitas laudatur.

6 Ab ordine.

3. Excellit ordine. Quoniam divina plane methodo docemur in ea postulare primo quae ad gloriam Dei spectant, deinde quae ad salutem nostram pertinent; et in iis primum aeterna, deinde temporalia petimus, ut mox patebit.

7 A petitionum sufficientia.

4. Excellit petitionum sufficientia. Quicquid enim petibile est a Deo et nobis necessarium, in ea continetur. Quare quod s. Bartholomaeus apostolus, teste d. Dionysio areopagita de mystica theologia cap. 1 dictitabat, *Theologiam esse parvam et magnam, atque evangelium esse amplum et grande, ac simul breve ac concisum*, idem ego de oratione dominica dixerim. Est brevis verbis, ampla rebus, spiritu, documentis, et virtutum omnium gradibus. Hinc s. Ambrosius libro 5 de Sacramentis, cap. 4 exclamat: *O quam brevis oratio, et omnium plena virtutum!* S. Cyprianus serm. 6 de oratione dominica: *Orationis dominicae*, ait, *sacramenta quam multa, quam magna, breviter in sermone collecta, sed in virtute spirituali copiosa, ut nihil omnino intermissum sit, quod non in precibus, et orationibus nostris coelestis doctrinae compendio comprehendatur.* D. Augustinus epist. 121, cap. 12: *Si per omnia*, inquit, *sanctarum precationum verba discurras, quantum existimo, nihil invenies quod non illa dominica contineat, et concludat oratio.*

S. Bartholomaei apostoli sententia.

Bonum quadruplex in oratione dominica. Oratio dominica explicatur.

Omne petibile quod est aut in bonis adipiscendis, aut in malis amovendis in se continet. Bonum vero aut est gratiae, aut gloriae, aut naturae, aut fortunae. Bonum gratiae in oratione dominica petimus, cum dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*, id est innotescat omnibus nedum christianis, verum et paganis, iudaeis, turcis, et haereticis, et aliis quibusvis infidelibus, ut relictis erroribus, idolis et peccatis, in te credant, in te sperent, te toto corde diligant, laudent, praedicent, venerentur. Bonum gloriae petimus, cum dicimus: *Adveniat regnum tuum*, hoc est perficiatur in nobis beatitudo illa coelestis quam per fidem aspicimus, quam desideramus, quam expectamus. Sed ut hoc bonum assequamur, modum petimus: *Fiat voluntas tua*, subaudi in nobis, ut praecepta tua quae voluntatem nobis indicant, impleamus, et omnia tam adversa, quam prospera, utpote a voluntate tua profecta, aequo animo feramus. *Sicut in coelo et in terra*: ita tam prompte, tam alacriter, tam perfecte tibi obediamus in terra, sicut angeli et sancti obediunt in coelo. Bonum naturae petimus, cum dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, per panem intelligentes omnia subsidia vitae tum corporali, tum spirituali necessaria, ut panem Eucharistiae, panem verbi Dei, quae passim in Scriptura panes vocantur. *Nostrum* vocamus, id est proprium, nostro labore, industria, studio seu aliqua alia virtute acquisitum, non furto, rapina, fraudibus, seu dolis malis comparatum. *Quotidianum*, ne de crastino soliciti simus, sed tanquam hospites et peregrini vivamus in hoc mundo. Vel aliter, *supersubstantialem*, ut sanctus evangelista habet, id est valde substantialem, ut intelligamus non esse quaerenda supervacanea et curiosa, sed substantialia, simplicia, necessaria, sine quibus nullo modo vivere possumus. *Da nobis.*

Per panem quid intelligitur.

Quamvis non petamus, nec expectemus, ut Deus pluat manna de coelo, vel Sacramenta per angelos administret, aut sapientiam dormientibus infundat, sed in sudore vultus nostri panem nostrum tum spiritualem, tum corporalem manducare velimus. Tamen recte dicimus: *Da nobis*; tum quia sine Dei providentia, et auxilio inanes essent nostri conatus; tum etiam quia cupimus cibum de manu Dei accipere, id est ab illo sanctificatum, temperatum, dimensum, ut corpori prosit, et animae non obsit. Corporalis corpus non destruat, spiritualis mentem nutriat. *Hodie*, hoc est omni hora, omni momento, toto tempore nostrae mortalitatis et peregrinationis. Etenim nullus est dies, nulla hora, nullum momentum, quo aliqua in re subsidio Dei non egeamus, etiamsi non omni die, vel hora Sacramentis Ecclesiae, vel pane corporali indigeamus. Malum autem est aut culpae, aut poenae. Malum culpae aut est praeteritum, aut praesens, aut futurum. Malum culpae deprecamur, cum dicimus: *Et dimitte nobis debita nostra*. Nomine debitorum intelligimus peccata. 1. Quia omnis qui peccat, Deo iniuriam facit, ac proinde debitor remanet satisfactionis pro offensa. 2. Quia omnis qui peccat, legem Dei praevaricatur, lex autem Dei poenam habet adiunctam, cuius luendae fit debitor, qui legem ipsam violat. 3. Quia Dei operarii sumus, vineam, hoc est animam nostram excolendam ab eo accepimus, ex qua ille fructus expectat temporibus suis. Accepimus insuper talenta naturae, et gratiae, ut operaremur in eis. Sed quia negligentius operamur, inde debitores efficimur lucri non acquisiti, et consensus non redditi. Quare petimus: *Dimitte nobis debita nostra*. Et ne forte supplicantibus nobis Deus respondeat: Quare tu misericordiam a me petis, qui misericordiam odisti, et cur audes postulare, ut tibi parcam, qui turpe tibi ducis, conservis tuis parcere? Idcirco addimus: *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, ut testemur nos Deum in misericordia imitari, et misericordiam nobis valde placere. Praesens et futurum malum culpae deprecamur, cum dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem*: ne forte a tentationibus superati legem Domini violemus. Malum poenae deprecamur, cum dicimus: *Sed libera nos a malo*, hoc est ab omnibus malis, ac praesertim a praesentis vitae calamitatibus, in quas incidimus per peccatum Adae. Confirmat hanc sententiam Ecclesiae catholicae auctoritas, quae in sacrificio altaris, postquam dictum est: *Sed libera nos a malo*, subiungit hanc explicationem: *Libera nos quaesumus, Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus, et futuris*, et cetera. Ubi illud *praeteritis*, respicit petitionem quintam qua oramus: *Et dimitte nobis debita nostra*; *futuris*, petitionem sextam qua dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem*; *praesentibus*, petitionem septimam, qua postulamus: *Sed libera nos a malo.*

Malum duplex.

Peccata cur dicuntur debita.

Debitores sumus Deo et quamobrem.

5. Excellit efficacitate. Quia nihil potest Deum Patrem magis movere, quam oratio Filii eius. Neque ullus melius novit, quae sit oratio efficacior apud Deum, et quibus bonis nos potissimum egeamus, quam is quem Deus advocatum nostrum patronumque constituit. S. Cyprianus serm. 6 de oratione dominica: *Quae, inquit, potest esse magis spiritualis oratio, quam quae a Christo nobis data est, a quo nobis et Spiritus sanctus missus est? Quae vera magis apud Patrem precatio, quam quae a Filio qui est veritas, de eius ore prolata est, ut aliter orare quam docuit, non ignorantia sola sit, sed et culpa?* D. Chrysostomus super Matth. c. 6: *Qui non sic orat, ut docuit Christus, non est Christi discipulus. Nec Pater libenter orationem exaudit, quam Filius non dictavit: cognoscit enim Pater Filium; et non recipit verba quae humana cogitatio excogitavit, sed quae sapientia Christi exposuit.* Audiant hoc libellatici precatores, quos chartarum blattae magis, quam rosarii preces oblectant, quos rosaria manu praeferre pudet, quasi haec solas vetularum, aut anachoretarum manus condecorare debeant. Legere putant Deo acceptius, vel ad impetrandum efficacius, quam orare; sed falluntur. Orare enim Christus docuit, non legere; oris, non oculorum orationem propriam esse voluit. Unde et oratio ab ore nomen accepit. Sed lectio precaria magis delectat, aiunt, quam oratio rosarii. Legere insuper est eximium, litteratorum, cultorum, intelligentium virorum denique; at orare rosarium vulgare est, ac puellarum, mulierc ularum, idiotarum, ac de plebe simplicium. Heu! quanta vanitas! Scit humani generis hostis quantum sibi incommodet sacra rosarii precatio, et ideo multorum sciolorum oculos corporis capit, ut libellos potius volvere malint, quam rosaria orare delectet. Libenter videt, cum homines traditionem suam statuunt, 8

Libellatici precatores taxantur.

Digitized by Google

mandatum Dei reiiciunt. Verba quae humana cogitatio excogitavit, recipiunt; quae superno Christi sapientia exposuit, negligunt. Haec dixerim, non quod precariorum libellorum usui quicquam detractum velim, sed quod orationem dominicam et salutationem angelicam in rosario magis ac magis crebriorem esse optarim. Libellarios precatores non condemno, verum prae illis rosaria iacere, aut negligi, hoc stilo, hac voce exagito. Nunquam enim rivulos bene colit, qui fontes negligit; desipit, qui turbidam appetit, aut haurit, et limpidam respuit. Oratio dominica et salutatio angelica fontes sunt plane divini; at precum libelli, quamvis boni, quid aliud sunt quam rivuli quidam, et ii ex vario confluentis permixti? Sed redeamus unde nos zelus orationis dominicae abripuit.

9 6. Excellit necessitate. Quoniam nulla alia forma precandi est, quam omnes christiani conceptis verbis tenere, et frequentare iubentur, nisi ista. In constitutionibus apostolicis libro 7, cap. 25 monentur christiani omnes ter quotidie orationem hanc fundere. Item in Concilio toletano IV, canone 9 iubemur nullo unquam die orationem hanc intermittere, quam non sine ratione s. Augustinus in Enchiridio cap. 71 *quotidianam* vocavit. Deinde in Concilio remensi, cap. 2 docemur, non licere homini christiano dominicam orationem aut non tenere memoria, aut non intelligere, aut non frequentare. Unde multi sancti patres hanc orationem docto et eleganti stylo exornarunt, commendarunt, explanarunt.

Ulterius, materia rosarii est salutatio angelica. De huius dignitate et excellentia satis superque diximus superius.

10 Rosarii scopus quis. II. Obiecto excellit haec sacra precatio. Nam in se continet totam vitam, ac passionem Domini, ac Salvatoris nostri Iesu Christi, ac B. Virginis Matris eius. Nam praecipuum in quo psalterii, seu rosarii vis consistit, est mysteria vitae ac passionis dominicae considerare, fidem quam de eisdem mysteriis habemus, exercere; indeque ad virtutum studia nos exercere et animare. Cetera quae in eo exercentur, uti sunt 15 *Pater noster*, et 150 *Ave Maria*, quae illi psalterii nomen indiderunt, non sunt principalia, sed veluti media, quae ad primum et principale, hoc est

Rosarium est totius evangelii summa. meditationem vitae Christi, ac B. M. Virginis ordinantur. Quare nemo erraverit, quisquis hanc precandi formulam evangelii, immo totius veteris testamenti breviarium appellaverit. Quicquid enim patriarchae exoptarunt, quicquid figurae adumbrarunt, quicquid doctores explicarunt, quicquid theologi disputationibus ventilarunt, hoc totum rosarium continet. Hic incarnatio, vita, passio, resurrectio, ascensio Christi recolitur, quae patriarchae ardentibus votis exoptabant, quae prophetae praedicabant, quae tot sacrificia et caeremoniae adumbrabant, quae apostoli praedicabant, quae doctores ac theologi doctis commentationibus, disputationibus, glossis explanabant, et hodie explanant. Atque hoc est quod s. p. Dominicus, eiusque fratres praedicatores vitae, et laborum eius comites, ac testes seduli egerunt. Dum evangelium praedicabant, evangelicarum sententiarum explicationem ad rosarium applicabant, in eo totum evangelium habebant. Unde praedicatores evangelii tum orbis acclamatione, tum pontificum declaratione appellati sunt. Et merito; uno enim psalterii praedicatio est totius evangelii, immo totius veteris testamenti repraesentatio, et annuntiatio.

11 III. Forma excellit alias preces. Nam undecumque rosarium spectes, omnibus modis absolutissimum, et perfectissimum invenies. Dispositionem vis? quid magis dispositum? Ad normam davidici psalterii formatum est, cuius in Ecclesia post sacrosanctum missae sacrificium frequentissimus, et sanctissimus est usus. Immo psalterium marianum praestantius esse videtur, quam davidicum, ut mox dicetur. Ordinem partium consideras? quid pulcrius? Signum s. crucis, ac nostrae salutis pretium praecedit. Symbolum apostolorum velut praeconem fidei agit, oratio dominica, velut fundamentum salutationum angelicarum praemittitur, quod firmiores, ac Deo gratiores preces reddit. Brevitatem desideras? quid compendiosius? Breve verbis, amplum rebus, breve sermone, altum virtute, spiritu, documentis, mysteriis. Utrumque solemnem orandi ritum, videlicet vocalem, et mentalem claudit: ita ut sive precum verba, sive adiunctas iis considerationes attendas, nihil prius utrisque, nihil proinde rosario potius reperies. Ornamenta eius externa, et divitias videre cupis? quid splendidius? quid ditius? Totum Ecclesiae thesaurum in illud effusum putes, cum tot indulgentiis, tot privilegiis, tot elogiis summorum pontificum condecoratum videbis. Adde tot scriptorum elogia, tot concionatorum conceptus, tot litteratorum discursus in eius laudem editos. Facilitatem quaeris? quid vulgarius? quid cuivis promptius? quid expeditius? Doctis et indoctis, stupidis et ingeniosis, viris, feminis, adeoque puellis, urbanis, et rusticanis aptum, facile, ac promptum oratu est; domi, foris, in itinere, in terra, in mari, in bello, in lecto usurpari solet. Religionem cupis? quid sanctius, ubi tota vita Domini ac Salvatoris nostri Iesu Christi, nec non B. V. Mariae devote recensetur, celebratur, recolitur? Age iam videamus

DISCURSUS CCCXXVI

QUOD PSALTERIUM NOBILIUS, DAVIDICUM AN MARIANUM

Tempore b. Alani excitata fuit haec quaestio, cui ipse abunde satisfecit in sermone rosarii, atque fraternitatis apologia ad reverendissimum Ferricum episcopum tornacensem missa, quam ego illius verbis, sed compendio dabo. 1

Psalterium davidicum, et angelicum sive marianum habent se sicut excedentia, et excessa respectu diversorum. Psalterium davidicum mariano praestat. Primo, causalitate, quia fuit quodammodo causa dispositiva, et figurativa psalterii angelici. Secundo, significatione, quia plura in davidico significantur expresse, quam in angelico. Tertio, antiquitate. Quarto, orandi poenalitate, quia ibi maior est labor orandi quam in angelico. Quinto, intelligentia, et doctrina, quia ibi plura intelliguntur, et docentur, quam in angelico. Sexto, auctoritate, quia ex antiquo probari debent nova, non e contra. Septimo, frequentatione, et Ecclesiae devotione, quia ab Ecclesia pro principali oratione habetur in horis canonicis ad minus extensive. Octavo, magnitudine, et difficultate, quia maius, et difficilius est, quam angelicum. 2

Marianum vero praestat davidico. Primo, causalitate; est enim causa finalis, utpote eius consummatio. Finis autem est nobilior iis quae sunt ad finem, secundum philosophum. Secundo, perfectione, quia habet effectum nobiliorem, puta Verbum caro factum. Tertio, efficacia; Christus enim, et B. V. Maria maiore habuerunt medio psalterii angelici, quam davidici. Christus enim factus est homo Deus, Maria Mater Dei. Quarto, nobilitate; quia est initium novi testamenti, quod nobilius est vetere, sicut homo vivus homine picto. Vetus enim testamentum fuit tantum pictura et figura novi. Quinto, auctore; quia psalterium marianum a Sanctissima Trinitate fuit dictatum, ab archangelo Gabriele pronuntiatum, et Beatae Virgini praesentatum: davidicum autem (si auctorem proximum, et immediatum spectes) ab homine peccatore compositum, et veteri synagogae traditum. Sexto, veritate; quia angelicum est quodammodo maioris veritatis, quam davidicum, eo quod sit de praesenti, vel de praeterito: davidicum vero ratione prophetiae est de futuro. Propositiones autem de futuro non sunt verae, neque falsae, nisi propter falsitatem, aut veritatem alicuius de praesenti, secundum Aristotelem. Septimo, claritate; angelicum enim factum est in luce, davidicum in umbra. Octavo, post angelicum itur ad coelum: post davidicum itum est ad inferuum. Nono, per angelicam facta est universalis pax inter Deum et hominem, non autem per davidicum. Ex b. Alano. 3

DISCURSUS CCCXXVII

DE NECESSITATE ET EFFICACIA PRECATIONUM SANCTISSIMI ROSARII

Quam necessarium fuerit Ecclesiae Dei iam inde ab ortu suo hoc tam sacrum, tam pium rosarii institutum, eiusque admiranda, et omni stupore dignissima precatio, abunde diximus superius discursu CCCXVI, ubi enarravimus fructus eximios ab ea provenientes, nimirum christianam pietatem mirum in modum in ea et ex ea crescentem, orationum, sacrificiorum, eleemosynarum multitudinem, precationum maiorem efficaciam. Luculenter monstravimus, quantae per hoc sacrum rosarium fuerint discordiae sublatae, haereses prostratae, victoriae de hostibus obtentae, calamitates orbis aversae. 1

Efficaciam vero precum sanctissimi rosarii non aliunde melius deducere possumus, quam ex beato Alano huius devotionis renovatore, et ferventissimo promotore. Hic igitur in libro de psalterio B. Virginis ita ait: *Ausculta sancti tui nominis amator*, o 2

Digitized by Google

Mario. Coelum gaudet, omnis terra stupet, cum dico: Ave Maria. Mundus vilescit, cor in amore liquescit, cum dico: Ave Maria. Torpor evanescit, caro marcescit, cum dico: Ave Maria. Abscedit tristitia, venit nova laetitia, cum dico: Ave Maria. Crescit devotio, oritur compunctio, cum dico: Ave Maria. Spes proficit, augetur consolatio, cum dico: Ave Maria. Recreatur animus, et in bono confortatur aeger affectus, cum dico: Ave Maria. Siquidem tanta est suavitas huius benedictae salutationis, ut humanis non possit explicari verbis, sed semper altior manet et profundior, quam omnis creatura indagari sufficiat.

3 Rursus eandem efficaciam demonstrant crebra miracula, quae precibus sanctissimi rosarii semper fuerunt, et in dies fiunt. Quot enim precibus rosarii a daemone et a variis periculis liberati, ab infirmitatibus sanati, a mortuis resuscitati, e poenis purgatorii erepti fuerunt, libri miraculorum rosarii testantur. Nonnulla vide in annalibus Abrahami Bzovii, multa plura in horto rosis consito p. Valeriani lithuanidis, parte 7.

4 Ulterius, eandem efficaciam probant multae calamitates orbis, et ingentia mala precibus rosarii aversa, et fugata. Antiqua loco superius indicato commemoravimus, recentiora quae oculis nostris spectare licuit, referamus precibus rosarii a christiana republica propulsata mala.

5 Bohemica rebellio quanta mala in orbem moverit.

Illa rebellio bohemica Ferdinando II imperatori piissimo anno Domini 1617 facta totum fere orbem contra imperatorem, et augustissimam austriacam domum, ac regnum Poloniae Caesari amicitia coniunctum commoverat. Bohemi haeretici cum Friderico palatino Rheni, (quem sibi regem crearunt, reiecto Ferdinando legitimo rege) et Gaborio transylvaniae principe, ceterisque calvinianae factionis dynastis, et magnatibus in unam aciem confluxerunt, a Ferdinando imperatore, et legitimo Bohemiae rege profligati totam haereticam rabiem, turcicam, et scythicam barbariem in orthodoxorum capita concitarunt, et totam rempublicam christianam conturbarunt. Hugonotas contra regem Galliae; Anglos, et Danos, ceterosque Ungariae, et Germaniae principes haereticos contra imperatorem; turcicam potentiam, et scythicam feritatem ab oriente; pseudoregem Sveciae Gustavum sudermannum a septemtrione, et potentissimum moschum contra Polonos Caesari faventes advocarunt.

Tumultus in toto orbe.

Totus fere orbis tunc mutuis bellis collidebatur. Romanum imperium, qua late patet, intestinis belli flammis ubique ardebat. Belgium eodem incendio a 60 fere annis ab Hollandis excitato aestuabat; Britania tumultuabatur; Gallia ob Hugonotas bello concutiebatur; Italia a Gallis impetebatur; Hungaria fluctuans qua a Polonis, qua a Barbaris, Turcis et Tartaris invadebatur; Bohemia poenas rebellionis luebat; Dania contra Caesarem arma levabat; Svecia bellum circumterebat; Livonia diripiebatur; Transylvania vulpinabatur; Austria incursionibus Turcarum, Thracum, Tartarorum longe lateque patebat.

6 Poloniae calamitates.

Sed quid extraneas calamitates commemoro, cum non desint domestica precibus rosarii repulsa mala? Turcarum tyrannus Osman et eius successor Emirus, conscripto ex universa Asia, Africa, Graecia, Syria, Ægypto, Bulgaria, Macedonia, Ungaria, Moldavia, Valachia, aliisque ditionibus sibi subiectis numerosissimo exercitu, vocato in societatem belli magno Cham Tartarorum principe, cum septingentis millibus pugnatorum Poloniam invadebat.

Polonorum caedes et terror a Turcis.

Anno Domini 1620, facta ingenti ac terribili strage Polonorum in Valachia ultra Istrum, caeso generali duce eorum exercitus Stanislao Zolkievio, captis, et in foedam servitutem adductis ducibus, tribunis, centurionibus, aliisque plurimis nobilissimis, ac fortissimis militibus, anno sequenti totam Poloniam aliasque christianas regiones tanto terrore repleverat, ut plerique, primores praesertim ac ditiores, solum vertere, et partim in Germaniam, partim in Italiam raptis sarcinis, ac supellectili, se transferre cogitarent nihil iam tutum in Polonis a tanta potentia Turcarum sibi pollicentes.

Gustavus Livoniam invadit.

Polonis bello turcico distentis, Gustavus Sudermaniae princeps pseudorex Svecorum ab haeretica factione subornatus in Livoniam irruptionem fecit, et totam deditione magis, quam expugnatione munitionum in potestatem suam redegit.

Tartari Poloniam vastant.

Composita pace cum Turcis, Tartari nihilominus gens rapacissima et famelica, vel e flamma quod dicitur, cibum petere solita, toto fere quadriennio Russiam et Poloniam longe lateque usque ad Vistulam horribilem in modum vastabant. Triste spectaculum erat cernere carissimam patriam tam crudeliter vastari; parentes nostros dulcissimos, cognatos, et amicos, ingentem etiam hominum utriusque sexus forma et aetate florentium multitudinem loris adstringi; in morem pecudum prae se agi; omni genere contumeliae affectas matronas, et puellas honestas vel miserabiliter trucidari, vel in foedam servitutem abduci; oppida et villas incendi; templa Dei Optimi Maximi diripi, et profanari, nec non caedibus et libidinibus, ac sanguine innocentium hominum et sacerdotum pollui; Christi corpus coelitibus venerandum impuris barbarorum pedibus conculcari. Ferreus esset, qui tam misera conditione Poloniae tunc non commoveretur.

Gustavus Prussiam vastat.

Non minus saeviebat Gustavus Sveciae pseudorex felici successu in Livonia illectus. Anno Domini 1626 ab haereticis vocatus Prussiam regalem intrepide invasit, omnemque illam regionem, praecipue civitates et oppida sive ad mare balthicum, sive ad ripam Vistulae hac et inde sita, conniventibus, et eum iuvantibus haereticis incolis, in suam potestatem redegit. Partem Prussiae, quae in fide regis Poloniae remanserat, ac dobriensem tractum regis Poloniae cognati sui clementia fretus, longe lateque depopulatus, agros, villas, et oppida crebris excursionibus, caedibus et incendiis, nullo prohibente, ferro et igne toto quadriennio vastabat cum magna nominis poloni iactura et inaestimabili damno.

Gustavus imperium invadit.

Malis nostris satiatus, in Germaniam ab haereticis, et nonnullis principibus christianis, qui Ferdinando imperatori vel tot victorias et triumphos invidebant, vel potentiam eius metuebant, vocatus, quantas clades in imperio romano fecerit, historiae narrant.

Ultio divina in haereticos.

Sic Deo visum est, ut fastum et contumaciam haereticorum tum in Prussia quam in Germania praetextu libertatis evangelicae contra sanctissimas leges et instituta maiorum, contra antiquissimum christiani orbis consensum et contra legitimos magistratus suos se efferentem per ipsosmet paracletum retunderet. Hae fuerunt clades, haec funera, hae calamitates saeculi quo vivimus, et isto scribimus. His malis accessit saevissima pestis per totum fere orbem illis annis longe lateque grassans, et innumerabiles tum homines tum bestias absumens. In tot calamitatibus quod solatium? in tot tumultibus ac periculis quod levamen? luges preces, supplicationes, et lacrimae fidelium Dei misericordiam implorantium, et maxime preces rosarii. Ubi enim haec sacra precandi formula publice in ecclesiis tum nostris tum aliis a populo recitari coepta est, res christiana in meliori statu esse coepit. Nam rex christianissimus, necato ad Francofurtum Gustavo, plerasque arces munitissimas, et urbes opulentissimas, quae ab imperio defecerant, hostibus eripuit. Vladislaus IV Poloniae rex primo regni sui anno Moschos qui cum haereticis in perniciem Polonorum conspiraverant, domuit, erepto eis ducatu Smolenci et Cieroichoviae, quod prisci amiserant. Turcorum imperatori terror factus eum nedum a finibus Poloniae pepulit, verum et pacem cum rubore petere coegit. E manibus Svecorum Prussiam recuperavit, civitates, arces, oppida in fidem suam recepit, Tartarorum incursiones inhibuit, Cosacorum petulantiam repressit. Verum quia nondum hostes dissipati sunt, nondum sublata perfidorum rebellio, nondum sopita, et oppressa est pseudopoliticorum machinatio, nondum domitus est calviniani truculentissimus spiritus, foedifragi apostatae, Christi desertores, Iuda traditore peiores, Dei capitalissimi inimici, Deiparae iurati adversarii, mancipia satanae, inferno destinatae victimae, non resipiscunt, non quiescunt. Nondum publica sancita est tranquillitas, nondum bonorum indemnitati consultum, grassatur adhuc miles, spoliatur agricola, iustus patitur. Rogemus Dominum nostrum ut per intercessionem Deiparae Virginis patronae nostrae potentissimae precibus rosarii placatus hanc procellam statuat in auram, rebellium Deo et imperatori vaferrimos conatus in caput ipsorum retorqueat, mala nobis auferat, pacem donet, et tandem gloriam aeternam. Amen.

DISCURSUS CCCXXVIII

DE UTILITATE SEU FRUCTIBUS, QUOS EX ROSARIO PERCIPIUNT, QUI ILLUD DEVOTE RECITANT

Quam eximios fructus ex rosario Ecclesia catholica receperit, 1
et in dies recipiat; quanta emolumenta populus christianus capiat, cum huic sodalitati nomen suum tradit; quot indulgentias, favores, gratias, praerogativas consequatur; quantas consolationes in vita, in morte, et post mortem habeat, dummodo leges, et instituta huius confraternitatis observet, monstravimus superius discursu CCCXX. Nunc solum demonstrare superest quos

Digitized by Google

fructus spirituales percipiunt, qui sacras rosarii preces frequentius usurpant.

2 Quicumque spiritualis vitae studio tenentur, et ad propositam sibi perfectioris vitae metam aspirant, nullo magis obvio, magis facilia, magis iucunda, magis efficacia medio ad id consequendum habere possunt, quam crebram mysteriorum incarnationis, vitae, passionis Domini nostri Iesu Christi meditationem, et eximium Sanctissimae eius Genitricis Mariae cultum.

3 *Gregorii VII doctrina salubris pro consequenda vita beata.* Laudatissimus pont. Gregorius VII comitissae cuidam Mechthildis nomine viam perfectionis demonstrans, duo potissimum praescribit, quibus ad bene beateque vivendum prompte ac faciliter pervenire posset. Primum, ut Corpus dominicum frequenter susciperet; alterum, ut Matris Dei patrocinio se totaliter committeret. Hoc facile praestabit quisquis devotionem rosarii tenebit. Est enim Eucharistia sacrosancta commemoratio incarnationis, et passionis Christi; cultus item B. Virginis in rosario praecipuus est, et maximus. Unde quisquis rosarii devotionem frequentat, ad vitam beatam et perfectam iter sibi parat.

4 *Rosarium viam ad beatitudinem demonstrat.* Rosarii devotio brevissimam certissimamque viam, seu rationem assequendae sempiternae felicitatis demonstrat. Viae quibus ad generis nostri salutem e sinu Patris in Virginis uterum, et ex Virginis utero in hanc lucem Dei Filius progressus est, in rosario continentur. Viae similiter quibus gloriosa Dei Genitrix Maria ad felicem illam, et perennem patriam progressa est, in rosario elucent. Viae Christi sunt humilitas, mansuetudo, patientia, caritas, ceteraeque Christi virtutes. Viae Virginis sunt fides, spes, caritas, obedientia, castitas, devotio, quae in rosario proponuntur. Sane, ut diximus, rosarium est evangelii breviarium; quare cum hanc orationem fundimus, simul admonemur, quid credere, quid sperare, quid amare, quem colere, quid agere, quid fugere, quid appetere, quid contemnere debeamus. Unde hic maxime locum habet quod Coelestinus in epistola ad Gallos cap. 11 scripsit: *Legem credendi*, adde et operandi, *lex statuit supplicandi*.

5 Unde si vitia vis fugere, et peccata declinare, rosarium saepius ora, et orando expende, quid non egerit, ac passus sit per triginta tres annos Dei Filius, ut te a peccato et vitiis omnibus liberaret.

6 Si te superbia inflat, ambitio perturbat, luxuria inquinat, rosarium frequenta; hoc tibi ingeret non esse sine spinis rosas, nec honores, seu praelaturas sine onere. Rosa cito marcescit: ita aetas, carnis delitiae, mundi gloria cito transeunt, et evanescunt. Praeclare d. Ambrosius libro 3 Hexameron, cap. 13: *Inutilis splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis, aut fulgore virtutis, semper tibi spina proxima est, semper spinas germinas, nec prolixa manet gratia. Brevi unusquisque decurso aetatis flore marcescit.*

7 Si fidem vivam, spem firmam, caritatem ardentem habere desideras, rosarium usurpa. Hic fides excitatur, spes roboratur, caritas accenditur, dum mysteria vitae, passionis, ac mortis Salvatoris nostri recoluntur.

8 Si humilitatem, mansuetudinem, patientiam, obedientiam, caritatem, castitatem, ceterasque Christi, et Matris eius virtutes amas, hisque animum tuum ornare desideras, rosarium recita, ibi viva et absoluta omnium virtutum exemplaria, Christum videlicet, et Mariam inspicies, et ex iis clarissima vivendi documenta, et virtutum praestantissima exempla desumes. Scite dictum est a d. Ambrosio lib. 1 de virginibus: *Talis fuit Maria, ut eius unius vita sit omnium disciplina.* Omnibus illa praeluxit omnium aetatum, ordinum, ac conditionum mortalibus. Et virginibus virgo, et coniugatis maritata, et viduis vidua vivendi legem et normam dedit; honoratis et ignobilibus, pauperibus et locupletibus anteivit.

9 Si desiderio ardes loca sacra invisendi, non est tibi opus longi itineris difficultates subire, latitudinem orbis terrarum, montium altitudinem, marium vastitatem emetiri. Rosarium devote ora, poteris ibi meditando coram Salvatore, ac Virgine Matre quoties visum fuerit, te sistere; poteris eorum beato conspectu, sermone, congressu, ac contubernio prope quotidiano frui; poteris saepius illas aedes in quibus Sacratissima Virgo ab archangelo salutata Dei Filium utero concepit intemerato, introire; poteris domum Zachariae, in qua B. Virgo propinquam suam Elisabeth invisit, ingredi; poteris bethlehemiticum stabulum in quo Christus natus, templum ierosolymitanum in quo oblatus, et in medio doctorum inventus est, invisere. Poteris saepius hortum illum Gethsemani in quo Christus sanguineum sudorem fundens Patrem oravit, intrare. Poteris columnam illam ad quam ligatus durissime flagellatus est, coronam spineam, qua coronatus est, videre. Poteris funestae illi processioni, in qua Christus baiulans sibi crucem ibat in eum qui dicitur Calvariae locum, interesse. Poteris quotidie Pilati praetorium, Annae, et Caiphae domum, Herodis aulam, Calvariae montem adire, et ibi opprobria, calumnias, blasphemias in Salvatorem tuum congestas audire, eiusque despectus, irrisiones, livores, vulnera, mortem demum ignominiosam cernere. Poteris quotidie resurgentem, in coelos ascendentem Dominum contemplari. Poteris domum illam, seu coenaculum in quod Spiritus sanctus visibiliter in discipulos descendit, eosque gratia sua replevit, lustrare, ibique gloriosissimam Dei Genitricem in medio apostolorum, et aliorum fidelium sedentem, et orantem intueri. Poteris cetera omnia Palaestinae loca, quae Christus Dominus, ac B. V. Maria sua praesentia, ac impressis vestigiis nobilitarunt, consecrarunt, ac condecorarunt, quotidie invisere. Poteris demum omni hora in coelum ipsum empyreum mente ascendere, ibique Christum Dominum, et Matrem eius in corporibus glorificatis intueri, eorumque triumphum, gloriam, exultationem mirari. O ter quaterque beatum, qui divino munere id fuerit consecutus!

Si ad Dei amorem, et gratiarum actionem te velis excitare, atque inflammare, rosarium usurpa; nam nihil est praestantius, nihil efficacius, nihil Deo gratius, quam Christi vitam et passionem, et quam multa atque immensa ex illis beneficia simus consecuti, sedulo meditari. 10

Si denique dulcedinem spiritus vis gustare, plurimarum simul cogitationum, ac diversarum affectionum impetum cohibere, mentem distractam colligere, et effectum devotionis in te sentire, rosarium repete, ibi adinventa est optima via ac ratio, qua maxime coerceri, atque oblectari potest imaginativa facultas, praefixis et adiectis ad singulas decades singulis vitae Salvatoris, ac Sanctissimae Matris mysteriis, quibus dum lingua vocales orationes enuntiat, animus contemplandis inhaeret. Profuerit valere nostras exercitationes, seu praxim meditandi in gratiam confratrum, ac promotorum sanctissimi rosarii inferius positam, et finem epitheti praesentis, ubi ponitur exhortatio ad hanc sacratissimi rosarii precandi formulam saepius repetendam. 11

Cum itaque haec oratio sit tam utilis, tamque salutaris, aequum est, immo necessarium, ut eam saepius usurpemus; divinam Maiestatem, et Sanctissimae Matris eius dignitatem in ea frequentius contemplemur. Ita fiet, ut pro rosaceis sertis aeternae gloriae, ac felicitatis coelestis diadema consequemur. Amen. 12

DISCURSUS CCCXXIX

RECITANDI RATIO SEU FORMULAE VARIAE ORANDI ROSARII TAM RELIGIOSIS, QUAM SAECULARIBUS ACCOMMODATAE

Quo spiritualis esuries, atque in Deum devotio magis ac magis in cordibus hominum concitetur, mentisque nostrae maxime labilis, et inconstantis evagatio cohibeatur, excogitati sunt, formati, et traditi a viris piis, et doctis, tam saecularibus, quam diversorum Ordinum regularibus varii orandi modi, quibus rosarium non minus digne, quam utiliter, et faciliter, etiam a quovis rudiore persolvi possit. 1

Nonnulli quindecim illa mysteria ad quinque denarios revocarunt. At hic orandi rosarii modus licet pius sit, minime tamen concors est traditioni, et doctrinae primi inventoris rosarii. Hic enim per quindecim decades salutationum angelicarum ad instar davidici psalterii 150 salutationibus angelicis, praemissa cuilibet decadi una oratione dominica, rosarium constare voluit, statuit et ordinavit. 2 *Primus modus refutatur.*

Alii cuilibet salutationi angelicae certas meditationes inserunt, et ita centum quinquaginta salutationibus angelicis centum quinquaginta Christi mysteria, tam ea quae ad eius divinitatem, quam quae ad humanitatem spectant, adiungunt. Iste modus est b. Alani nostri, quem suo libello intitulato: *Hortus concluens cunctis Deiparae cultoribus in sanctissimo rosario reseratus*, inseruit Gosuvinus noster. Modus sane valde pius, et viris ac feminis contemplationi deditis mirum in modum accommodatus, sed quia valde prolixus, populo caute proponendus erit, ne tanta prolixitate putantes eam ad essentiam rosarii pertinere, deterriti a tam salutifera precandi formula retrahantur. 3 *Secundus modus b. Alani.*

Digitized by Google

4 Tertius modus Vincentii Hensbergii. Alii cuilibet salutationi angelicae, postquam pronuntiaverint dulcissimum illud nomen Iesus, 150 praerogativas, vel singularia beneficia B. Virgini a Deo collata, vel mysteria ex tota vita Salvatoris, vel B. Virginis collecta commemorant. Habetur hic modus in Viridario r. p. Vincentii Hensbergii Ordinis praedicatorum, et insertus est a Gosuvino loco quo supra. Et licet sit valde devotus, et religiosis viris, ac feminis maxime contemplationi deditis omnino consulendus; communiter tamen populo ob prolixitatem proponendus non erit, ne devotionem amittat, et labores eorum, seu occupationes circa rem familiarem, seu alia huiusmodi non impediantur.

5 Quartus modus Abrahami Bzovii. Alii salutationibus angelicis nihil quidem inserunt; sed praeconcepto mysterio in cuius memoriam mox unum *Pater*, et decem *Ave Maria* recitant, singulis decadibus orationes congruas subnectunt. Hic modus placuit r. p. Abrahamo Bzovio, quem in speciali libello de rosario conscripto tradidit; eundemque p. Gosuvinus loco quo supra inseruit. Modus certe optimus, sed solis libellaticis precatoribus conveniens, uti et ille quem Iacobus Alvarez Societatis Iesu excogitarit, apud eundem Gosuvinum habetur.

6 Quintus modus Bourgesii. Alii orationem dominicam, et salutationem angelicam in partes, seu puncta dividunt, et unumquodque punctum singillatim expendunt eo modo, quo nos superius orationem dominicam, et salutationem angelicam paraphrastice exposuimus. Hunc modum probavit p. Ioannes Bourgesius e Societate Iesu. Bonus, optimus, sed solis litteratis, iisque contemplationi deditis et assuetis congruens. Si cuipiam placuerit, nostram etiam expositionem paraphrasticam super *Pater* et *Ave Maria* superius positam videre profuerit.

7 Sextus modus eiusdem Bourgesii. Alii in singulis salutationibus angelicis speciales quasdam virtutes B. Virginis recolunt, puta caritatem in Deum et proximum ardentissimam, humilitatem catinam, obedientiam perfectissimam, puritatem intemeratam, mansuetudinem, modestiam, mortificationem, patientiam, prudentiam, sobrietatem, taciturnitatem. Hunc modum recitandi rosarium proposuit Ioannes Bourgesius in suo libello de rosario qui pro intelligentibus in studiis, vel aliis laboribus non occupatis valet. Si quispiam eum usurpare voluerit, habet copiosam materiam meditandi circa praedictas virtutes B. Virginis in hoc nostro opere, in epitheto *Speculum iustitiae*.

8 Septimus modus. Alii singulis salutationibus angelicis, cum ad nomen *Iesus* pervenerint, ea verbatim interserunt. *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.*

In prima parte *Iesus*. Quem Virgo archangelo nuntiante mirabiliter concepisti. Quem in utero tuo Sacratissima Virgo portasti, quando Elisabeth visitasti. Quem Virgo purissima sine dolore cum ineffabili gaudio peperisti. Quem Virgo in virgineis manibus in templum portasti, et Deo Patri obtulisti. Quem duodennem in Ierusalem perdidisti, et post triduum in templo inter doctores invenisti.

In secunda parte *Iesus*. Qui in horto pro nobis agonizans sanguinem sudavit. Quem Iudaei nudatum, ad columnam ligatum gravissime flagellarunt. Quem Iudaei spinis coronatum, arundine percussum, purpura indutum irrisorie adorarunt. Qui gravem crucis suae trabem in humeris benedictis baiulavit. Qui inter latrones cruci affixus pro nobis ignominiose mortuus est.

In tertia parte *Iesus*. Qui tertia die a mortuis gloriose resurrexit, et te Matrem suam laetificavit. Qui te vidente, coram discipulis in coelum gloriose ascendit. Qui apostolis, et cunctis fidelibus suis Spiritum sanctum de superis misit. Qui te Matrem suam super omnes coelos assumpsit, et ad dexteram suam collocavit. Qui te in anima, et corpore sublimissime glorificavit.

9 Octavus modus Martini Navarri. Clarissimus atque piissimus doctor Martinus Navarrus in 24 miscellaneo hunc recitandi rosarii modum tradidit, quem etiam 30 annis usurpavit.

Primum ante dominicam orationem Deum sibi praesentem animo proponebat. Deinde ante salutationem angelicam B. Virginem quasi circa mysterium illud quod animo volvebat, occupatam cerneret, sibi imaginatione formabat, puta, aut cum archangelo colloquentem, aut Elisabeth salutantem, aut Filium in praesepio adorantem, etc. Tertio, ad finem cuiuslibet decadis, velut ad exhilarandum animum, defixis oculis mentis in B. Virginem, quasi coram adesset, ita precabatur:

In fine primae decadis

Decies millies benedicant te, Virgo Mater gloriosa Maria, omnes angeli, archangeli, et virtutes, principatus, potestates, et dominationes, throni, cherubini et seraphini, cum quibus speramus te aliquando cernere, colereque in coelo. Amen.

In fine secundae decadis

Vicies millies benedicant te, Virgo Mater gloriosa, Adam, Eva, Elias, Enoch, patriarchae, prophetae, innocentes, s. Ioannes Baptista, et omnes sancti veteris testamenti cum quibus speramus te, etc.

In fine tertiae decadis

Tricies millies benedicant te, Virgo Mater gloriosa, Petrus, Paulus et omnes apostoli, Ioannes et omnes evangelistae, Stephanus et omnes discipuli Domini, Sebastianus et omnes martyres gloriosi, cum quibus, etc.

In fine quartae decadis

Quadragies millies benedicant te omnes sancti confessores, Silvester, Gregorius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Isidorus, Martinus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, et Franciscus, et omnes alii episcopi, doctores, monachi, et eremitae, virgines, vidui, et coniugati, cum quibus, etc.

In fine quintae decadis

Quinquagies millies benedicant te, Virgo Mater gloriosa, Anna mater tua, ambae Mariae sorores tuae, id est propinquae, Magdalena cum amicissimis tuis, Martha et Marcella, et amicae servaeque tuae, Agnes, Caecilia, Agatha, Lucia, Catharina, et omnes aliae sanctae martyres, virgines, viduae atque coniugatae, cum quibus speramus te aliquando cernere colereque in coelo. Amen. Licebit addere aliorum sanctorum nomina, quos peculiari devotione colis.

Valde bonus, et devotus rosarii orandi modus, quem plurimi amant, et usurpant ob brevitatem cum pietate coniunctam. Et ego eum usurpo, et aliis usurpandum suadeo cum ea declaratione, quam inferius pono.

Alii post sacram illam voculam *Iesus* in salutatione angelica pronuntiatam dicunt. In prima parte. *Iesus*, qui nobis augeat fidem rectam, spem firmam, caritatem perpetuam. 10 Nonus modus Bourgesii.

In secunda parte. *Iesus*, qui nobis intellectum illuminet, voluntatem inflammet, memoriam corroboret.

In tertia parte. *Iesus*, qui nobis sanctas cogitationes inspiret, verba componat, opera dirigat.

Concludentes quamcumque decadem communi illa glorificatione Sanctissimae Trinitatis, *Gloria Patri, et Filio*, etc. Bourgesius loco quo supra. Nec iste modus displicet, immo valde probatur, dummodo in qualibet decade mysterium ab institutore rosarii praescriptum pia meditatione tractetur.

Hieronymus Xaverius Ord. praedicatorum generalis magister, et postea S. R. E. cardinalis, ac regnorum Hispaniae supremus consiliarius hunc modum recitandi rosarium invexerat, illumque Romae in ecclesia S. Mariae super Minervam observari mandabat alternatim, seu per choros ad instar davidici psalterii peragi volebat in hunc modum: 11 Decimus modus Hieronymi Xaverii S. R. E. cardinalis.

Primo, praemisso ab eo qui praesidebat: *Deus in adiutorium meum intende*, chorus respondebat: *Domine ad adiuvandum me festina*. *Gloria Patri*, etc. usque in finem.

Deinde subiungebatur hymnus ad primam partem gaudiosam, *Quem terra pontus aethera*; ad secundam dolorosam hymnus, *Stabat Mater dolorosa*, etc. ad tertiam gaudiosam hymnus, *O gloriosa Domina*.

Postea sacerdos, vel praesidens proponebat puncta meditationis mysterii primi, deinde secundi, et sic deinceps.

Tunc primus chorus inchoabat: *Pater noster*, usque ad *in coelo, et in terra*, alter chorus prosequebatur: *Panem nostrum quotidianum*, usque ad finem. Postea primus chorus: *Ave Maria*, usque ad *ventris tui*; alter excipiebat: *Iesus. Sancta Maria*, usque in finem.

Digitized by Google

Post uoum *Pater noster*, et decimam salutationem angelicam subiungebant: *Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto. Sicut erat*, etc. et postea antiphonam cum versu, et collecta illi myeterio serviente sacerdos sive praesidens recitabat. Hunc modum recitandi rosarium habes insertum de verbo ad verbum in libro de rosario, *Hortus rosis consitus* intitulato, edito a reverendo p. nostro fr. Valeriano lithuanide, sacrae theologiae doctore, parte 6, c. 19. Vide eum, si tibi iste modus arridet. Mihi valde probatur, et eum usurpari video in multis ecclesiis in publica et solemni recitatione sacratissimi rosarii, licet truncate, quod ego non improbo. Pauci enim sunt ex populo qui hymnos illos, antiphonas, versus, collectas memoria teneant, et quotidie recitare velint ob alia impedimenta, seu occupationes domesticas. Proinde prudenter patres promotores faciunt, qui praemissis nonnullis, quae ad devotionem populi excitandam magis prodesse iudicant essentialibus contenti; rosarium breviter peragunt, ne populus devotionem amittat, et labores eorum non impediantur. Litteratis tamen, et laboribus minus occupatis praedictum modum, maxime in publica et solemni recitatione rosarii, observandum esse censeo et consulo.

12 Undecimus modus Valeriani lithuanidis. Valerianus lithuanides secunda parte libri supra memorati, capite 13, sanctissimi rosarii recitandi modum hunc esse optimum indicavit, eumque nedum in libro tradidit, verum etiam in tabulis descripsit, et publice in ecclesiis affigi curavit.

PRIMA PARS LAETA

In nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Amen.

1. *Annuntiatio*

Praemissa ea pia meditatione e Navarro observata, et a nobis paulo superius hic num. 9 notata, dicito:

Iesus amor meus annuntiatur per archangelum nasciturus ex te Matre Virgine Maria.

Pater noster et 10 *Ave Maria*.

Decies millies te benedicant, Virgo Mater gloriosa Maria, omnes sancti angeli, et archangeli, universique coelestis curiae spiritus, cum quibus speramus te aliquando cernere et colere in coelo. Amen.

2. *Visitatio*

Iesus amor meus, in tuo utero clausus tecum venit cognatam Elisabeth invisum.

Pater noster et 10 *Ave Maria*.

Vicies millies te benedicant, Virgo Mater gloriosa Maria, omnes sancti patriarchae, prophetae, innocentes cum s. Ioanne Baptista cum quibus speramus te cernere aliquando, et colere in coelo. Amen.

3. *Nativitas Domini*

Iesus amor meus, concinentibus angelorum choris, nascitur ex te laetante Matre Maria Virgine.

Pater noster et 10 *Ave Maria*.

Tricies millies te benedicant, Virgo Mater gloriosa Maria, omnes sancti apostoli, discipuli Domini, et evangelistae cum sanctis martyribus, cum quibus speramus te aliquando cernere, et colere in coelo. Amen.

4. *Oblatio in templo*

Iesus amor meus offertur Patri in templo a te laetante Matre Maria Virgine.

Pater noster et 10 *Ave Maria*.

Quadragies millies te benedicant, Virgo Mater gloriosa Maria, omnes sancti confessores, doctores, episcopi, monachi, eremitae, Religionum fundatores, virgines, vidui et coniugati, cum quibus speramus te aliquando cernere, et colere in coelo. Amen.

5. *Inventio in templo*

Iesus amor meus in medio doctorum in templo a te Matre Maria Virgine laetante repertus.

Pater noster et 10 *Ave Maria*.

Quinquagies millies te benedicant, Virgo Mater gloriosa Maria, s. Anna mater tua, Elisabeth, Maria Magdalena, Martha, et Maria cum sanctis virginibus, viduis et coniugatis, cum quibus speramus te aliquando cernere et colere in coelo. Amen.

Credo in Deum etc.

SECUNDA PARS MOESTA

In nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Amen.

1. *Captio*

Iesus amor meus in cruce passurus orat in horto, et capitur a Iudaeis, te dolente Matre Maria Virgine.

Pater noster et 10 *Ave Maria*.

Decies millies, etc. ut supra.

2. *Flagellatio*

Iesus amor meus, ad columnam ligatus et flagellatus, te dolente Matre Maria Virgine.

Pater noster et 10 *Ave Maria*.

Vicies millies, etc. ut supra.

3. *Coronatio*

Iesus amor meus coronatur spinea corona, te dolente Matre Maria Virgine.

Pater noster et 10 *Ave Maria*.

Tricies millies, etc. ut supra.

4. *Crucis baiulatio*

Iesus amor meus fert crucem ad montem Calvariae, te dolente Matre Maria Virgine.

Pater noster et 10 *Ave Maria*.

Quadragies millies, etc. ut supra.

5. *Crucifixio*

Iesus amor meus pro nobis cruci affigitur, et moritur, te dolente Matre Maria Virgine.

Pater noster et 10 *Ave Maria*.

Quinquagies millies, etc. ut supra.

Credo in Deum etc.

TERTIA PARS GLORIOSA

In nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Amen.

1. *Resurrectio*

Iesus amor meus tertio die a mortuis resurrexit, te laetante Matre Maria Virgine.

Pater noster et 10 *Ave Maria*.

Decies millies, etc. ut supra.

2. *Ascensio*

Iesus amor meus quadragesimo post suam resurrectionem die ascendit in coelum, te laetante Matre Maria Virgine.

Pater noster et 10 *Ave Maria*.

Vicies millies, etc. ut supra.

3. *Spiritus sancti missio*

Iesus amor meus demisit Spiritum sanctum, te laetante Matre Maria Virgine.

Pater noster et 10 *Ave Maria*.

Tricies millies, etc. ut supra.

4. *Assumptio*

Iesus amor meus te laetantem Matrem Mariam Virginem assumpsit in coelum.

Pater noster et 10 *Ave Maria.*

Quadragies millies te benedicant, etc.

5. *Coronatio B. M. Virginis*

Iesus amor meus te laetantem Matrem Mariam Virginem totius orbis Reginam constituit.

Pater noster et 10 *Ave Maria.*

Credo in Deum etc.

Brevis, facilis, prompta et obvia cuivis sanctissimi rosarii recitandi ratio

13 Cum haec precandi formula communiter a nobis praedicetur, ab ipsis summis pontificibus appelletur facilis, vulgaris, prompta, et cuivis obvia, non opus esse credo in eius recitatione tot verbis uti, maxime simplicioribus, nec non multitudine, ac varietate negotiorum impeditis. Isti enim cum vident tot orationes, gratulationes, laudes vocales rosario admisceri, illud sibi difficillimum putant, et a recitatione illius saepius retrahuntur, et in amore ac eius devotione tepescunt. Quare quo facilior, ac utilior hic precandi ritus fiat, brevem, ac facilem et omnibus pervium modum trado.

14 In primis facto signo sanctae crucis, *In nomine patris, et Filii et Spiritus sancti*, symbolum apostolorum praemittes, *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Cuius rationes gravissimas inferius habebis.

Duodecimus modus auctoris.

Deinde simplici intuitu revoca tibi in memoriam mysterium in tali decade meditandum, a cuius cogitatione non recedendo, dic unum *Pater noster* et 10 *Ave Maria.* Et ita procedes per omnes decades.

15 Pro hac methodo facilius capienda duo breviter accipe. Primum, oraturus praeconcipies breviter, et quasi in momento ante *Pater noster*, Deum esse Patrem et Dominum omnium, semper et ubique praesentem, et te nihilum et indignum audire dignantem. Hos humiliter, et magna cum reverentia eum compellabis, *Pater noster*, etc. Secundum, quotiescumque novum aliquod mysterium assumis ad meditandum, in principio salutationis angelicae praeconcipe Virginem Matrem in eodem mysterio occupatam, ut v. g. in prima decade gaudiosa, in primo mysterio, mentis oculos convertes in B. Virginem in secreto cubiculi cum archangelo Gabriele dulce, et humile colloquium habentem de incarnatione Filii Dei. Sic itaque constitutam, et ita tali mysterio occupatam, quasi coram tibi adesset, ad eam accedere praesumes, et summa cum animi submissione, veneratione, ac reverentia, sicut magnam Principem ac Reginam, eam salutabis decies: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum*, etc. Et hunc modum servabis in omnibus mysteriis. Iste est brevis, promptus, facilis rosarii recitandi modus.

16 Porro si vacat, et cupis mentem tuam spirituali gaudio refirere, et ne in extrinseca rapiatur eam retinere, plurimum iuvabit, ante quamlibet decadem, concepta devota cogitatione de mysterio in illa decade meditando, excitare in te affectum amoris erga Deum, doloris de peccatis, gaudii, congratulationis, aut compassionis pro qualitate mysterii, et dicere: *Iesus amor meus*, etc. ut paulo ante pro quolibet mysterio posuimus ex fr. Valeriano, et aliis.

Opportune addenda in recitatione rosarii.

17 Secundo licebit, antequam rosarium orare incipies, praemittere versiculum illum: *Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam*, et illum: *Dignare me laudare te, Virgo sacrata; da mihi virtutem contra hostes tuos*, uti praemittere docebat Ioannes de Carthagena Ordinis minorum, huius saeculi scriptor celeberrimus, et B. Virginis encomiastes egregius.

18 Tertio licebit in fine cuiuslibet decadis pro gratiarum actione subnectere communem illam Sanctissimae Trinitatis glorificationem, *Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto. Sicut erat*, etc.

19 Quarto licebit, immo convenientissimum erit in fine cuiuslibet decadis, recreando animum, fixis oculis mentis in Virginem, quasi eam in illo mysterio quod contemplatus es, occupatam cerneres, eam affectuose alloqui, addita, si loci secessus patitur, genuflexione, oculorum ac manuum elevatione, aut alia externa adoratione, et dicere: *Decies millies benedicant te, Virgo*, etc. Post secundam decadem: *Vicies millies*, etc. Post tertiam: *Tricies millies*, etc. Post quartam: *Quadragies millies*, etc. Et ita quot decades salutationum angelicarum Virgini in rosario accines, tot in eodem illi millia laudum acclamabis a Navarro, et Valeriano edoctus.

En tibi duodecim modos precandi sanctissimum rosarium, quos ex diversis colligere volui, ut orantis taedio, ac satietati opportune occurrerem, sciens verum esse illud, *varietas delectat.* Si vero quempiam delectat hoc rosarium recitare cum laudibus, gratulationibus, et postulatione virtutum, adiectis orationibus ad gloriosissimam Virginem Mariam ad singulas decades, tum oratione soluta, tum per rythmos, videat nostrum Gosuvinum in *Horto rosarii* haec fuse explicantem, et tradentem. Nos ad explicationem eorum quae diximus, venimus.

Quatuor sunt partes quae hunc sacrum precandi ritum integrant, crux, symbolum apostolorum, orationes dominicae, salutationes angelicae cum meditationibus vitae Salvatoris, ac Beatissimae Virginis coniunctae. Age videamus

DISCURSUS CCCXXX

CUR A SANCTA CRUCE ROSARIUM ORDIAMUR.

Psalterium Christi et Mariae a psalterio Davidis duxisse originem iam diximus. Clerum autem psalterium suum a signo crucis inchoare vidimus; proinde par est, ut et plus Christi populus imitator per omnia, et aemulator cleri existens, suorum psalmorum principium a signo crucis ducat. Cuius rationes sunt, quae sequuntur. 1

1. Consuetudo Christi fidelium habet, ut ad omnem actum, et ad omnem incessum signum crucis in fronte pingant edocti a priscis Ecclesiae patribus. Ita s. Martialis epist. 1, cap. 8 monebat: *Crucem Domini semper in mente, in ore, in signo tenete.* Tertullianus libro de corona militis: *Quaecumque conversatio nos edocet, frontem crucis signo terere.* Sanctus Cyprianus in Catech. *Fac hoc signum et manducans, et bibens, et sedens, et stans, et loquens, et ambulans.* Si igitur ad omnem actum iubemur a maioribus crucis signum efformare, quanto magis ad principem illum religionis actum, puta orationem, id non oportet usurpare? 2

2. Videmus in Ecclesia nihil esse sacrum quod s. crux non consecraverit. Testantur hoc sanctissima Ecclesiae Sacramenta, quae nec rite conferri, nec sancta esse possunt, nec administrari sancte, nisi crucis ea consignantis accesserit sanctitas, atque religio. Testantur ipsi templi parietes atque tecta, ipsae altarium sedes ac saxa, omnia sacrae supellectilis ecclesiasticae instrumenta ac indumenta. Profana sunt omnia, ac censentur nulla, quae s. crucis benedictio non sanctificavit. Si igitur crux omnia consecrat, congruum est, ut etiam orationem nostram sanctificet. 3

Crux omnia sanctificat.

3. Apostoli praeceptum est Coloss. 3, 17: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.* Rosarium orare est in verbo et opere Deum laudare, benedicere et praedicare. Huic igitur praecepto nec rectius, nec perfectius obtemperamus, quam cum hunc sacrum precandi ritum a sancta cruce inchoamus. Ulterius, rosarium est quaedam gratiarum actio pro immenso incarnationis mysterio, et aliis innumeris, quae ibi recoluntur. Tunc ergo rite iuxta Apostoli praeceptum Deo gratias agimus per ipsum, cum rosarii precibus signum crucis praemittimus. 4

4. Oratio rosarii nihil aliud est, quam realis fidei christianae professio. Hinc inter haereticos rosarium gerens, aut de fraternitate rosarii se esse affirmans, statim papicola audit. Crux christianismi est tessera. Unde quidam ethnicus ad sanctam Afram apud Surium ita loquitur: *Scio quia christiani erant, nam omnia horum frontes suas signo crucis, in qua Christus eorum passus est, signabant.* Surius in vita s. Afrae tomo primo. Sancti enim martyres in persecutionibus tyrannorum vel hoc uno signo se coelo superque christianos prodebant, et contestabantur, si cruce Domini frontem consignassent. 5

Rosarium est protestatio fidei catholicae.

Signare se signo s. crucis christianismi nota.

Stratonicus s. Iulianae tortor de repente conversus, sibi crucem imprimens exclamavit: *En et ego christianus sum.* Surius die 17 augusti. 6

Digitized by Google

Sancta Susanna martyr sub Diocletiano imperatore cruce se signans aiebat: *Ego Deo meo cupio meipsam sacrificium offerre.* Surius die 11 augusti.

S. Zeno veronensis episcopus, et martyr aiebat: *Frontem meam tueor, et fidem meam novi.* S. Cyprianus epist. 56 exhortans ad martyrium, ait: *Muniatur frons, ut signum Domini incolume servetur: muniatur os, ut Dominum suum Christum victrix lingua confiteatur.*

7 S. Ephrem serm. de s. cruce, tomo 3 crucem vocat scutum, et panopliam christianorum contra omnes hostium insultus. Hinc crucem semper gestabat in fronte, ut indicat eius imago ad vivum expressa, quam eius operibus praefixit Gerardus Wossius.

S. Ephrem crucem in fronte gerebat. Crux christianorum gloria.

Apud Æthiopes christianos, puta Abyssinos, mos est, ut populus cruces e collo pendulas gestet, monachi etiam in manibus portent, teste Damiano Goes in Æthiopicis.

In Africa, qui a christianis descendunt, et a Mauris separate in montibus habitant, crucem brachio impressam quasi signum christianismi gerunt. Et nuper anno Domini 1614 in Iaponia christianos martyres signo crucis in fronte a tyranno candenti ferro inustos legimus, quorum imagines Romae excusas se vidisse narrat Cornelius a Lapide scribens in prophetas. Nos igitur cum per Rosarium fidem Christi profiteamur, iure illud a signo sanctae crucis auspicamur.

8 5. Hac oratione tam fortiter, quam feliciter contra aereas potestates, contra haereses pugnare desideramus: igitur vexillum erigimus, signum salutis assumimus, telum vibramus, cum signum crucis fronti imprimimus: *Ecce crucem Domini, fugite partes adversae.* Hinc Evodius ticinensis canebat:

At mihi crux cuspis, crux scutum, cruxque corona;
Hac tegar, hac feriam, hac pacis foedera firmem;
Haec mihi dux belli, etc.

Hinc multas, et saepe usque ad miraculum magnas virtute rosarii legimus obtentas victorias. Felix haec coronaria funda, nunquam ictum haud facile vibrat, quin hostes tam visibiles, quam invisibiles prosternat.

9 6. Signum sanctae crucis est christianae fidei, ac totius symboli apostolici compendium. In eo enim Sanctissimae Trinitatis mysterium, Christi incarnatio, passio, remissio peccatorum docetur. Frontem signando tres personas Sanctissimae Trinitatis, Patrem, Filium et Spiritum sanctum clare pronuntiamus. Cum a capite ad umbilicum manum ducimus, Christum a summo coelo egressum in uterum Virginis descendisse, atque ex purissimo eius sanguine carnem nostram assumpsisse indicamus. Cum ab humero sinistro ad dexterum manum ducimus, nos esse translatos a sinistra ad dexteram, hoc est a morte ad vitam significamus. Cum sanctae crucis signum tota manu, digitis quinis efformamus, quinque vulnera Christi Salvatoris pia mente recolimus. Ecce quanta nobis fidei nostrae mysteria unica sanctae crucis formatione repraesentantur, et ad memoriam revocantur, ut si nihil praeterea sciret rudis homo, vel hoc solum illi ad salutem sufficere posset. Hic incarnatio, hic Christi passio, hic passionis causa, hic peccatorum remissio, hic mysterium Sanctissimae Trinitatis exprimuntur. Idem autem rosarium docet, quod nihil aliud est, quam totius novi testamenti ac doctrinae christianae compendium; ibi enim omnia mysteria salutis nostrae, atque adeo tota vita Christi Salvatoris pia meditatione recolitur. Cum igitur rosarii totius epitome ac summa sit crux, ac inter se maxime conveniant, merito crux rosario praemittitur, ut rosarium eisdem mysteriis plenum esse agnoscatur.

In cruce quae mysteria continentur.

Rosarium est epitome mysteriorum salutis nostrae.

10 7. Crucem praemittimus, ut eius virtute cor ad orationem praeparemus, ut cum maiore spiritus dulcedine, maiore fiducia quidquid petimus a Domino, postulemus. Signo crucis munitos diabolus in oratione molestare non audet. Sanctus Cyrillus catech. 4: *Manifeste*, ait, *signa crucem in fronte, ut daemones signum Regis videntes, trementes procul fugiant.* D. Chrysostomus homil. 55 in Matth. *Quid passurum putas diabolum, si mucronem te tenere viderit, quo vires eius Christus dissolvit, et quo caput draconis magno ictu contrivit?* Hinc et illa s. Eligii noviomensis episcopi saluberrima admonitio: *Frequenter nos cruce muniri idcirco valet, ut nos semper memoria Dei et vigilantes protegat, et custodiat dormientes.*

Crux diabolum fugat.

11 Sancta Maria Magdalena cuidam eximiae sanctitatis Ordinis nostri viro per visum apparens, haec ei revelavit, se videlicet, quamdiu in deserto, et aspera illa solitudine, atque horridis rupibus vixit, altissimae contemplationi divinitatis, mysteriorum vitae, ac passionis Christi considerationem iunxisse, et miraculosum sancti Michaelis auxilium contra daemones promeruisse. Qui eam invisens in ore speluncae crucem mysticam defixit, in qua cuncta Christi mysteria cernere licebat. Ibi Annae, et Ioachim historiam, ibi Mariam Iesum parientem, ibi Crucifixi tetrum livorem, ibi pium cruorem, ibi dira vulnera, ibi crucem, et moerorem eius dabatur intueri, et eundem regredientem ab inferis, et coeli sidera penetrantem. Ita Silvester Prierias in Rosa aurea.

S. Michael per sanctam crucem a b. Maria Magdalena daemones pellit.

8. Signo crucis crescit in oratione consolatio spiritualis. S. Augustinus in psalm. 30: *Hoc signum in conspectu hominum si feceris, si inde coram hominibus non erubueris, spera tibi perfici dulcedinem Dei, qua concrescat mira cordis consolatio ex impresso crucis signaculo.* Cum enim crucis signum fronti, et pectori nostro imprimimus, eius admonitu in meditationem de Crucifixo ingredimur, quae miram dulcedinem spiritus parit. *Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, Hebr. 12, 2. Hinc excitatur in nobis magna spes, et fiducia in Deo. Quid enim non speret, qui Dei Filium sibi datum, et in cruce pro se immolatum videt? Videt autem, qui in fronte sibi crucem efformat. 12

9. Ut spiritum superbiae a nobis pellamus. Omnis bene institutae orationis anima est animi demissio, sive humilitas. Cum ergo frontem cruce signamus, omnem superbiam a nobis fugamus. D. Augustinus sermone de diversis: *Omnis*, ait, *superbia habet impudentiam frontis.* Evacuatur frons, quae habet similitudinem crucis Christi. Ne igitur frons nostra sit effrons, tegenda est crucis signaculo, eodem sancto monente in psalm. 141: *Frontem non habet? Impudens est. Ne habeam frontem nudam, tegat eam crux Domini mei.* Frons quam crux dominica tegit, humilitate fulget, et orationem Deo summe acceptam reddit. Scriptum namque est: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*, Eccli. 35, 21. 13

10. Signum crucis ad recordationem omnis virtutis inducit, nimirum caritatis, patientiae, humilitatis, mansuetudinis, paupertatis, etc. quas Christus in cruce ostendit. Cum ergo crucem facimus, in memoriam omnis virtutis reducimur. Pereat Brentius lutheranus cum sua quaestione qua indigitat in prolegomenis: *Quid signum crucis facit ad honestam disciplinam, vel ad veram pietatem?* Nodum in scirpo quaerit impius; habeat ille et sibi similes haeretici lepram haeresis in fronte, crepet haereticum, contremiscat infernus. Nos frontibus nostris signum crucis imprimimus, illudque impressum in corde geramus cum sponsa postulantes: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, Cant. 8, 6. Signaculum Christi in fronte est, ut semper eum confiteamur; in corde, ut semper eum diligamus; in brachio, ut semper operemur. Amen. 14

DISCURSUS CCCXXXI

CUR PSALTERIO MARIANO PRAEMITTATUR SYMBOLUM APOSTOLORUM

Non me fugit multos eam praxim dicendi psalterium vel rosarium habere, ut post signum sanctae crucis mox orationem dominicam incipiant, deinde decem *Ave Maria* subiungant, reiecto in finem cuiuslibet quinquagenae symbolo apostolorum. Neminem carpo, sed id quod est magis consuetum, firmis rationibus stabilitum, auctoritatibus magnorum virorum munitum, usurpandum esse censeo. 1

Andreas Coppestein nostri Ordinis nobilis auctor, et sacratissimi rosarii praesenti saeculo ferventissimus promotor, et encomiastes, in suo libro de rosario B. M. Virginis hunc modum in recitatione huius sacrae formulae observandum esse docuit, ut cuilibet sacrae quinquagenae post signaculum s. crucis in fronte impressum praemittatur symbolum apostolorum, *Credo in Deum Patrem*, etc. Hic modus mihi semper placuit ob rationes quas ille assignat, et ego probo ac pono, enucleata prius nominis symboli significatione. 2

Symbolum graece, latine collatio dicitur, eo quod apostoli adhuc simul positi, facta secum collatione, quid per omnes gentes praedicarent, illud condiderunt. Vel quia in eo totius catho- 3

Symbolum quid.

Digitized by Google

licae religionis fides collata colligitur. Hoc orationi psalterii mariani, sive rosarii non sine ratione praemittitur.

4 1. Quia rectus ordo postulat, ut post confessionem et invocationem Sanctissimae Trinitatis in signo crucis factam, excipiat proxime fidei nostrae de eadem Trinitate confessio, et contestatio.

5 2. Ad effectum orationis consequendum. Quisquis ad orandum accedit, ante omnia fidem habere debet iuxta illud Apost. Hebr. 11, 6: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est.* Et sanctus Iacobus 1, 5: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo;... postulet autem in fide nihil haesitans.* Et ipse Salvator monet, Matth. 21, 22: *Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Idem saepius multa bona a plerisque obtenta fidei illorum adscribit; hinc Centurioni ait: *Vade et sicut credidisti, fiat tibi*, Matth. 8, 13; haemorrhoissae item: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit*, Matth. 9, 22; baiulis paralytici: *Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua*, Luc. 5, 20; et Magdalenae: *Fides tua te salvam fecit: vade in pace*, Luc. 7, 50. Quam igitur fidem ut necessariam ante orationem apostoli indicant, Christus exigit et remuneratur in supplicibus, hanc nos ante psalterii mariani recitationem praemittimus, ut effectum orationis sicut et illi facilius et citius assequamur. Hoc facit, quod d. Chrysostomus in sermone de fide, spe et caritate ait: *Fides est origo iustitiae, sanctitatis caput, devotionis principium, religionis fundamentum, qua ad Deum accedimus, qua praeceptis insistimus, qua expiata mente Dominum veneramur.* Et d. Ambrosius serm. 18: *Clavem quamdam ipsum symbolum dixerim, per quod reserantur diaboli tenebrae, ut lux Christi adveniat; aperiuntur conscientiae clausa peccata, ut iustitiae fulgeant opera manifesta.* Cum igitur fides sit origo, caput, principium, fundamentum, clavis, merito psalterio mariano praemittitur.

6 3. Ob exemplum Ecclesiae. Psalterium nostrum, ut diximus, est ad imitationem psalterii davidici. In psalterio autem davidico tam nocturno quam diurno clerus symbolum apostolorum praemittit, puta in matutinis et prima. Quare merito idem in psalterio mariano haec confraternitas servat, ut plebs ad imitationem precum ecclesiasticarum suum laicum precandi ritum conformet. Et eo vel maxime, quod rosarium sit fidei catholicae protestativum, eiusque tessera fidelem ab infideli discernit, ut dixi.

7 Deinde, ut fides orationem praecedat. *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt?* Rom. 10, 14. Hinc multi nedum in principio, verum et in fine psalterii mariani symbolum apostolorum recitant, quorum devotio laudem meretur, cum conformis sit precibus horariis Ecclesiae catholicae, quae etiam a symbolo incipiunt, et in symbolo finiunt.

8 4. Ad haereticorum confusionem, quorum extirpandorum gratia sanctissimum rosarium in Ecclesia adinventum esse creditur. Humani generis hostis fidei catholicae articulos ab initio oppugnare non destitit, et usque modo non desinit. Primis trecentis annis ab Ecclesiae catholicae exortu totus fuit in ipso primo articulo apostolici symboli labefactando occupatus. Quid enim aliud volebant illi ethnici imperatores romani Nero, Domitianus, Traianus, Marcus Antoninus Verus, Severus, Maximinus, Decius, Aurelianus, Diocletianus, acerrimi Christi Ecclesiae persecutores, quam unius Dei cultum per idololatriam abolere? quid Simoniani, Menandriani, Basylidiani, Valentinistae, Marcionistae, Manichaei haeretici, quam non esse unum Deum Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae? Rursus post trecentos annos diabolus nova castra instruxit ad tollendos alios articulos de Christi divinitate, incarnatione, passione, resurrectione, ascensione, adventu ad iudicium. Hinc excitavit Sabellium, Samosatenum, Photinum, Arium, Eunomium, qui vel Christi personam a Patris persona non distinguebant, atque eam proinde, ut d. Hilarius loquitur, perimebant, vel divinitatem eius negabant. Excitavit Nestorium, Theodorum Mopsuestenum, Eutychen, Dioscorum, Apollinarem, Manichaeum, qui contrariis artibus et machinationibus incarnationis mysterium, passionis, resurrectionis, ascensionis, et adventus Christi ad iudicium destruere, atque evertere studuerunt. Ubi vero id non successit, octavum articulum qui est de Spiritu sancto, magno impetu labefactare adorsus est, excitato schismate Graecorum ab apostolica Sede anno Domini 860. Cuius schismati fundamentum erat error, quo Spiritum sanctum a Filio non procedere contendebant. In ceteris vero sequentibus annis versutus satan totum se ad destruendos articulos convertit, qui ad Ecclesiam pertinent; idque magno studio perficere conatus est olim per Berengarianos, Petrobrusianos, Waldenses, Albigenses, Wiclephistas, Hussitas: et hodie conatur per Lutheranos, Zuinglianos, Confessionistas, Anabaptistas, Calvinistas, at irrito conatu. De his enim copiis triumphavit semper, et hodie vel maxime precibus rosarii triumphat sancta mater Ecclesia, in cuius triumphi memoriam psalterio mariano symbolum apostolorum praemittimus, B. Virgini gratulantes: *Gaude Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo.*

Cur in centum quinquaginta salutationibus angelicis cuilibet decadi praeponatur unum Pater noster

Huius rei rationes Cornelius Snebis, et Clemens Losow as- 9
signat. Prima est, quia congruum est, quae sunt sponsi, praeire illis quae sunt sponsae. Secunda, ut hic modus orandi fiat nobis meritorius, eo quod omnia opera nostra bona et orationes efficaciam habent a Christo, qui est auctor orationis dominicae. Tertia, ut orationis nostrae intentionem et fervorem Christi Domini oratione formemus, sicque salutationes angelicas in manus Matris Virginis deponamus, quibus ipsa magis devincta nos Filio suo gratius repraesentet. Bene namque divus Bernardus super *Missus est: Non est*, inquit, *accepta oratio in conspectu Salvatoris, quae non pertransit manus gloriosae* Virginis. Quarta, quia finis nostrae orationis Christus est; cum igitur finis sit primus intentione, iure merito primo loco oratio Christi ponitur: postea salutationes angelicae recitantur, ut ad Christum qui est finis, perveniatur. Volens enim attingere terminum, necesse habet pertransire medium. Medium autem perveniendi ad Christum est Sanctissima eius Mater Virgo Maria.

Cur orationi dominicae angelica salutatio subiiciatur

Longo piae vetustatis usu comprobatum est, ut qui dominicam 10
recitant precationem, mox adiiciant angelicam salutationem. 1. Quia congruum est, ut postquam per Christum adoptionis filios nos esse declaravimus, et ea quae ad bona comparanda, malaque depellenda a Patre nostro coelesti in oratione dominica precati sumus, continuo ad Sacrosanctae illius Virginis memoriam descendamus, quae nobis et mundo Redemptorem peperit, et nostrae salutis ac omnium bonorum quodammodo fundamenta iecit.

2. Necessum est, ut ea quae a Patre coelesti petimus, per Christum mediatorem ac Redemptorem nostrum impetremus. Cum vero salutationem angelicam recitamus, statim benedictus ille ventris mariani fructus Iesus Christus sese nobis offert, nostramque tum ad orandum, tum ad obtinendum fiduciam vehementer auget.

3. Ut eo magis admoneamur, quod quemadmodum ad lapsum humani generis sexus uterque concurrit, et communis mortalium perditio ex Adam et Eva profluxit: ita virum et feminam, puta Christum et Mariam Deus in salutem nostram coniunxit. Quod ergo ille pro negotio salutis nostrae peragendo coniunxit, hoc nos in precando coniungimus, ut citius divinam misericordiam impetremus.

4. Quoniam pro beneficio incarnationis perpetuas et immensas Redemptori nostro gratias agere debemus, commode gratitudinem hanc in hac salutatione testamur, ubi nedum Mariam Virginem huius mysterii administram salutamus; sed et Deum ipsum tanti beneficii auctorem celebramus, qui Sanctissimam Virginem omnium coelestium donorum munere cumulavit, eamque perditis nobis alteram Evam, hoc est vitae parentem donavit.

Cur magis dicantur decem Ave Maria *Deiparae Virgini, et unum* Pater noster *Christo Salvatori*

Brevis responsio est. Primo, propter brevitatem et hominum 11
fragilitatem. Longiora enim sunt *Pater noster*, quam *Ave Maria*. Secundo, quia Christus est fundamentum Ecclesiae, et omnium bonorum. Fundamentum autem semper est unum, super quo plura aedificia ponuntur, et ideo Christo unum *Pater noster* offertur, super quo plures salutationes angelicae in honorem eiusdem Dei et Domini nostri Iesu Christi, necnon Saoctissimae Matris eius quasi superaedificantur.

Digitized by Google

Cur decem Ave Maria, nec plura, nec pauciora

12 Denarius numerus in sacro Scriptura perfectus est, et mysticus. Non temere Deus totam legem in decem praeceptis conclusit. Non temere tabernaculum cum decem cortinis, et decem vestibus, quinque in uno latere, quinque in altero facere iussit, Exod. 26. Non sine mysterio, si vel decem iusti in Sodoma reperti fuissent, a punitione illius tam horrenda abstinuisset, Genes. 18. Non absque mysterio servus Abraham tulit decem camelos sponsam filio eius quaesiturus, Genes. 24. Non temere David panes decem afferre fratribus iussus fuit, 1 Reg. 17. Non temere fecit Salomon in oraculo duos cherubim de lignis olivarum decem cubitorum altitudinis, et alas duos cubitos habentes, 3 Reg. 6. Non temere in templo fecit candelabra aurea decem, necnon mensas decem, aliaque tali numero decem, 2 Paral. 4. Non sine mysterio Deus iubebat sacerdotes victimas sibi varias facere denas, 2 Paral. 4. Non sine mysterio servo fideli donantur talenta decem, Luc. 19. Non sine mysterio sanantur leprosi decem, Luc. 17. Haec qui negaverit, non christianus, sed atheus est. Cui enim in mentem venire potest, ut fortuitum quidquam, aut temerarium, aut superstitiosum, aut vanum Deus ordinare possit? Idem censeo et de denario in nostro psalterio. Psalterium davidicum decachordum erat, psal. 143, 9: *Deus canticum novum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi.* Psalterium marianum decachordum est, ex denis angelicae salutationis confectum. Sanctus Prosper in expositione psalmi 143: *Canticum*, inquit, *est canticum gratiae, et novi hominis, ac novi testamenti, quod in decachordo, id est decem praeceptis legis canitur.* Quia perfecte est in caritate cantatio illa, praesertim angelicae salutationis, quae ad memoriam decalogi per decades in parthenico psalterio rite solemniterque repetitur, qui dum corde et ore Virginem in salutatione veneramur, eandem et in vitae conversatione opere ipso imitemur. Quaeque igitur decas in psalterio et repraesentat illud davidicum decachordum, et eandem cum ipso significationem habet. Cum enim cuique orationi dominicae decies salutationem angelicam subiicimus, in mentem nobis venit decem mandatorum observatio.

DISCURSUS CCCXXXII

QUOD MYSTERIUM QUINARIUS IN QUALIBET QUINQUAGENA, QUOD QUINDENARIUS IN TOTO ROSARIO, ET QUOD TRES QUINQUAGENARII, SIVE CENTUM ET QUINQUAGINTA SALUTATIONES ANGELICAE SIGNIFICENT

1 Quinarius quoque numerus mysterium habet. Nemo est tam rudis, et sacrarum litterarum ignarus, qui non agnoscat numerum quinarium in Scriptura sacrum haberi. Non sine mysterio quinque columnae tabernaculi, Exod. 26, 37. Quinque sicli quibus redimebantur primogeniti, Levit. 6, 27. Quinque civitates refugii, Iosue 21. Quinque principes Madian simul ab Israelitis occisi, Num. 31. Quinque reges Amorrhaeorum extincti, Iosue 10, 5. Quinque satrapae Philisthinorum cum suis satrapis cultuque idolorum medio Israelitarum relicti, Iud. 3. Quinque exploratores e tribu Dan emissi, Iud. 18, 2. Quinque lapides limpidissimi Davidis, 1 Reg. 17, 40. Quinque panes propositionis ab eodem petiti, 1 Reg. 27, 3. Viri quinque de coelo Machabaeis in praelio in equis albis apparentes, 2 Mach. 10, 29. Quinque panes quibus pavit Dominus hominum millia, Matt. 14. Quinque talenta fideli servo ad superlucrandum data, Matt. 25. Quinque porticus Bethsaidae, Ioann. 5, 2.

2 Deinde quinario mirifica legimus facta in Scriptura. Quinque verbis mysterium incarnationis celebratum est. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Quinque verbis publicanus suam iustificationem a Deo obtinuit: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Quinque verbis latro in cruce ad paradisum susceptus est: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quinque verbis sanctissimae Eucharistiae sacramentum conficitur: *Hoc est enim corpus meum.* Quinque verbis Paulus ad Christum conversus: *Domine quid me vis facere?* Idem ad Corinthios scribens: *In ecclesia*, ait, *volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam*, 1 Cor. 14, 19.

3 Praeterea in rosario quinquies orationem dominicam in qualibet quinquagena quinque mysteria salutis nostrae recolentes repetimus, ut quinque vulnera Christi in memoriam refricemus. Sicut enim per quinque fenestras, id est quinque sensus corporis mors in animas nostras ingreditur, et animas necat: ita per quinque Christi vulnera eadem mors expellitur, et anima sanatur. Unde d. Bernardus: *Peccavi grande peccatum, et turbabitur conscientia mea; sed non perturbabitur, vulnerum enim Domini recordabor.* Iam videamus quid quindenarius numerus in toto rosario mysteriorum significet.

Quindenarius numerus in Scripturis sacris passim visitatus non vacat mysterio. Non temere Deus excrescere voluit diluvium cubitos quindecim altum supra summos vertices montium, Gen. 7, 20. Non frustra in tabernaculo, et in templo quindenarium observari voluit numerum cubitorum, et columnarum, Exod. 27, 14, et 3 Reg. 7, 3. Non sine ratione a sexagenario masculo sibi devoto voluit solvi siclos quindecim, Levit. 27, 7. Non fortuito regi Ezechiae addidit vitae annos quindecim, Isai. 36. Hoc qui negat, non christianus, sed Iudaeus est: qui solam corticem Scripturarum rodit, et deradit, ut capro ligni, et verum ac genuinum sensum, et eorum mysteria non capit.

Sed forte insusurrabit aliquis, numeros istos in Scripturis sacris sua mysteria habere, sed in rosario non item. Retusioris ingenii est isthaec obiectio. Nonne mysteria nostri rosarii digniora sunt caeremoniis Iudaeorum? Si igitur caeremoniae Iudaeorum mysteria in se continent, quanto magis rosarium marianum, maxime cum Pius V pontifex maximus in bulla quae incipit: *Consueverunt*, s. Dominicum hunc pium orandi ritum Spiritu sancto afflante instituisse testetur?

4 Beatus Alanus noster lib. de dignitate psalterii mariani, cap. 8 hoc quindenario numero docet significari quindecim regna B. M. Virginis in quibus illa a Deo constituta est, eaque ibidem enumerat. Et inferius alias mysticas orationes eiusdem quindenarii numeri ponit capite 20. Quae omnia et alia plura in suum librum quem de rosario edidit Andreas Coppesteinus lib. 2, cap. 23 congessit.

DISCURSUS CCCXXXIII

QUID SIGNIFICENT TRES QUINQUAGENARII SIVE CENTUM ET QUINQUAGINTA SALUTATIONES ANGELICAE IN ROSARIO

Numerus quinquagenarius annum iubilaei significat, ut ex sacra Scriptura colligimus.

1 1. Erat annus remissionis. Nam eo anno possessiones gratis restituebantur, et debita dimittebantur, Levit. 25. Et quia tres remissiones per Mariam eiusque Filium recepimus, remissionem culparum, remissionem poenarum praesentium, et remissionem futurarum; ideo merito tres quinquagenas salutationum angelicarum in honorem Dei ac Virginis Mariae in rosario recitamus.

2 2. Annus ille iubilaei quinquagenarius annus reversionis erat, in quo haereditates venditae ad suum dominum revertebantur. Triplex autem nobis reditus factus est per Mariam, secundum quod per Adam tria perdidimus. Primus reditus est a peccato in gratiam; secundus ab exilio in patriam; tertius a morte ad vitam. Cum itaque quinquagenam salutationum angelicarum in rosario ter repetimus, huius trini iubilaei per Mariam obtenti memoriam agimus.

3 3. Annus ille iubilaei quinquagenarius erat annus libertatis. Iudaeus enim si inopia pressus se alteri in servum vendidisset, eo anno ex mandato Dei dimittebatur, ne ultra in servitute detineri potuisset, Levit. 25, 40. Sed per Mariam triplex nobis libertas reddita est, secundum quod triplici servituti subiecti eramus, nimirum diaboli, peccati et observantiae veteris legis. Ex quo enim Maria Messiam genuit, non amplius diabolo per peccatum servimus, iugum mosaicae legis a cervicibus nostris excussimus, gratia et amore Dei informati suave iugum Christi portamus.

4 4. Annus ille iubilaei erat annus cessationis. Nam Iudaei anno quinquagesimo iubilaei non serebant, nec metebant, sed in requie erant, Lev. 25, 77. Per Mariam vere requies nobis reddita est in vita aeterna, prout Ecclesia canit: *Vitam datam per Virginem, Gentes redemptae plaudite.*

5 5. Annus ille iubilaei erat annus legislationis; nam quinquagesimo post liberationem die data est lex vetus in monte Sina, Exod. 19.

Ulterius, numerus quinquagenarius est symbolum indulgentiae seu remissionis. Nam in Pentapoli si reperisset Deus quinquaginta iustos, urbes illas flammis ultricibus non perdidisset,

Digitized by Google

Gen. 78. 26. Et Christus Luc. 7, dum remissionis et indulgentiae parabolam edocet, introducit duos debitores cuiusdam foenerarii, unum quinquaginta, et alterum quingentorum denariorum. Haec omnia quia pulcherrime in Mariam quadrant, per ipsam enim Legislatorem novi testamenti accepimus, per ipsius intercessionem remissionem peccatorum consequimur; idcirco merito quinquagenarium numerum salutationum angelicarum ei offerimus. Deinde in novo testamento quinquagesimo post resurrectionem Domini Spiritus s. super discipulos missus est, Act. 7, 7. Hoc ergo quinquagenario Spiritus sancti gratiam imploramus, quam per intercessionem B. Virginis obtinere speramus.

6 Dicunt et scribunt patres piissimi ac doctissimi, quod qui Mariam per hoc psalterium honorant, hanc gratiam ab ea recipiunt, quod centum quinquaginta diebus, vel ad minus totidem horis de sua morte certiores fient, ut bene, religiose ac pie diem extremum claudant. Etenim eis dulcissima Regina aut visibiliter apparere, aut ad minus eis verum dolorem de peccatis inspirare, ut conscientiam suam sacra Exomologesi purgent, ieiuniis, orationibus, eleemosynis insistant, ita ut certissimum sit, qui B. V. Mariae in hac fraternitate devote servierit, in aeternum damnari non posse. Et ob id tres quinquagenas ei offerimus, primam, ut bene vivamus; secundam, ut bene moriamur; tertiam, ut eius patrocinium in hora mortis sentiamus.

Denique est quaedam conformitas inter *Pater noster*, et quinquaginta *Ave Maria*, ut notavit Cornelius Snebis de rosario. Nam sicut in rosario quinquaginta *Ave Maria* continentur: sic in *Pater noster* habentur quinquaginta voces, addito Amen. Cum autem nulla Christi vocula mysterio careat, eas in oratione dominica singulas singulis salutationibus angelicis honoramus. Non igitur numerus salutationum angelicarum aut novus, aut, quod absit, superstitiosus videri debet, ut phanatici haeretici comminiscuntur, quos in fine huius tractatus refutabimus.

DISCURSUS CCCXXXIV

CUR IN ROSARIO MYSTERIA VITAE AC PASSIONIS CHRISTI PERCENSEANTUR, ET QUOMODO PERCENSERI DEBEANT

1 Meditationis laus. Meditatio vitae ac passionis Domini ac Salvatoris nostri Iesu Christi non est accidentarium quid sanctissimo rosario, sed intrinsece ac essentialiter ad preces rosarii spectans. Ut cibo potuque spoliatum corpus diu vitam tolerare non potest, ita et oratio rosarii meditatione vitae Salvatoris nostri carens vita spirituali destituitur; hac enim sola nutritur, fovetur, roboratur. Quod cor viventi, hoc meditatio mysteriorum redemptionis nostrae est rosario. Illud si auferas, vitam ademisti; meditatione mysteriorum a rosario tolle, illud sustulisti. Quod condimenta cibis, hoc meditationes sunt rosario. Sine condimentis cibus insulsus est, et fastidium parit: rosarii preces sine meditationibus languidae et insipidae videntur. Quod gemma annulo, hoc meditationes rosario. Annulum gemma decorat; meditationes rosario splendorem lucemque adferunt. Quod horto flores, pomariis poma, botri vineae, pascuis flumen, vallibus torrentes, nemori laurus, montibus fontes, hoc meditationes sunt rosario; ex illis enim rosarium ornatum, decorem fructumque capit: quos si auferas, ornatu suo rosarium nudasti, robore spoliasti. Quod lasso requies, moerenti gaudium, inopi aurum, fatiscenti robur, nervi corpori, spiritus sanguisque vitae; hoc meditationes sunt rosario. Quisquis enim devota mente mysteria vitae Salvatoris nostri in rosario percenset, alta securaque pace mentem firmat, ingenti laetitia perfundit, coelestibus opibus ditat, animam iacentem ac torpentem vivificat, excitat, roborat, et coelestium donorum abundantia velut spiritu sanguineque venas mentis suae implet. Quod sol diei, luna noctibus, navigantibus stellae, hoc meditationes sunt rosario. Quisquis enim vitam Domini ac Salvatoris nostri devota mente percurrit, velut sole mentem irradiatam praefert; si scelerum tenebris oppressus est, velut clarescente luna illuminatur; si denique fluctibus tentationum iactatur, gratissimam stellam invenit, quae eum inter scopulos secure ducit, tutumque portum demonstrat. Quod gluten, calx, clavi, funes iungendis firmandisque rebus, hoc meditationes sunt rosario; his enim tanquam glutine Deo adnectimur, tanquam calce astringimur, tanquam clavo conterebramur, tanquam fune colligamur. Hinc Apostolus passionem Christi recolens, aiebat Galat. 2, 19: *Christo confixus sum cruci*. Deme a rosario meditationes, quibus anima coalescit Christo, tota vis rosarii collabescet. Quod secures praevalidis secandis lignis, quod mallei ignesque ferro domando, hoc meditationes sunt duris et obstinatis cordibus contundendis ac emolliendis.

Meditationes vitae ac mortis Christi quam salutares. Quis enim adeo ferreus, qui recolens Dei Filium hominem factum in paupertate natum, velut mancipium in templo redemptum, tam multa pro nobis passum, honores et divitias huius saeculi appetat? contemplans Salvatorem sputis opprobriisque saturatum, serviliter virgis caesum, quaevis adversa patienter non perferat? audiens illum hosti bene fecisse aure reddita, proditori blandula verba et osculum dedisse, pro crucifixoribus Patrem orasse, in inimicum suum ferociat? perspiciens verbis, et rebus, et habitu contemptum, atque per illusionem adoratum, caesum denique ac omnia passum extrema, animi tumorem non deponat? Quod speculum faciei, hoc meditationes rosario. Speculum maculas detegit, rosarium animae recitantis illud reconditas deformitates nudat et aperit. Certum est enim, ubi vita moraque Christi animo circumfertur, ibi concupiscentia, libido, furor, invidia, ceteraque vitia agnoscuntur, et ad eius praesentiam totus ille vitiorum exercitus fugatur. Quod musica homini, hoc meditationes rosarium recitanti. Nullus enim animae moerenti, dissolvi cupienti, et esse cum Christo concentus est gratior, nulla musica sonantior, quam gesta Domini ac Salvatoris, nec non B. Virginis oculo mentis perspecta. Quod cella vinaria sitienti, hoc meditationes sunt rosarium oranti. Cum enim quispiam vitam Salvatoris nostri pia meditatione recolit, spirituali quadam ac coelesti dulcedine inebriatur. Quod hominibus sunt cellae aromatum, hoc meditationes sunt recitantibus rosarium. Hinc sponsa hoc suavi odore recreata aiebat: *Curremus in odorem unguentorum tuorum*, Cant. 1, 3. Quod horto seu prato ros, aut imber coelestis, hoc meditatio persolventi pensum rosarii. Ut enim campus rore coelesti destitutus arescit, ita animus hominis sacris meditationibus non rigatus arescit, fatiscit, languet. Unde meditatio dicta est, quasi mentis dilatio. Quod gladius anceps bis acutus, bis hostem feriens, hoc meditatio in rosario. In quamcumque enim partem hostis humani generis se verterit, signa intulerit, aciem direxerit, rosarium recitantem semper paratum invenit; is enim undique in inimicam aciem instructissimus est, corpore et mente contra hostem pugnat. Corpore, inquam, cum ore tot *Pater noster*, et tot angelicas salutationes pronuntiat; mente enim instaurationis humanae mysteria devotius recolit. Quod nobilissima medicamenta sunt morbis medendis, hoc meditatio oranti rosarium. Hinc s. Augustinus serm. 23 ad fratres in eremo: *Nihil*, inquit, *tam salutiferum nobis est*, *quam quotidie cogitare quanta pro nobis pertulit Deus et homo*. Et s. Bernardus serm. 62 in Cantica ait, nihil esse efficacius ad conscientiae nostrae vulneribus medendum, et animam purgandam, et perficiendam, quam frequens et continua Christi vulnerum, passionis, mortisque eius meditatio. *Quid enim*, inquit, *tam efficax ad curanda conscientiae vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula cogitatio?* Hac igitur de causa in rosario mysteria vitae, passionis, ac redemptionis Domini nostri, ac B. V. Mariae percensentur. Nunc videndum est, quomodo haec mysteria percenseri debeant.

Circa meditationes non expedit nimis solicitum esse, ut singula mysteria intense, aut ingeniose, aut docte, aut multo cum mentis discursu percurras; sed tantum beneficia haec ineffabilia mente apprehendas, quantum ad voluntatem tuam excitandam, delectandam, et amore divino inflammandam, incendendamque satis sit, ita ut dicere possis cum sponsa: *Anima mea liquefacta est, ut locutus est*, scilicet dilectus, Cant. 5, 6. Hoc enim discrimen sancti patres, ut refert noster b. Albertus magnus, inter contemplationem philosophorum gentilium, et christianorum fidelium statuunt, quod omnis philosophorum contemplatio in rerum cognitione sistit, qua intellectus proficit, sanctorum autem contemplatio, de qua in praesentiarum agimus, in intellectu solum non quiescit, sed ulterius ad voluntatem excitandam ac divino amore inflammandam progreditur. Singulariter hoc notavit noster angelicus doctor 2 2, quaest. 118, art. 7. *Quamvis*, ait, *contemplatio essentialiter in intellectu sita sit, ultima tamen eius perfectio in amore et voluntatis affectu consistit, adeo ut primarius contemplationis nostrae scopus et finis debeat esse affectus et amor Dei*. 2

Contemplatio sanctorum et philosophorum quo differat.

Has meditationes, ut omnibus perviae sint, maxime concionatoribus, qui sua praedicatione populum ad Dei amorem excitare ac inflammare debent, hoc in loco ponere volui; non quod velim 3

Digitized by Google

singula earum poncta e populo rudi semper mente concipi, (his enim, ut antea dixi, sufficit, ut in principio cuiuslibet decadis mysterium in cuius memoriam unum *Pater noster*, et decem *Ave Maria* recitant, mente concipiant) sed ut litterati habeant unde mentem suam spirituali gaudio repleant, hanc praxim meditandi posui. Age ordiamur.

PRIMA PARS SANCTISSIMI ROSARII

CONTINENS MYSTERIA GAUDIOSA

Primum annuntiatio; secundum visitatio Elisabeth: tertium nativitas Domini nostri Iesu Christi: quartum praesentatio eius in templo: quintum eiusdem disputatio inter doctores.

DISCURSUS CCCXXXV

QUID MEDITANDUM IN PRIMO SACRATISSIMI ROSARII MYSTERIO GAUDIOSO

Primum sacratissimi rosarii mysterium gaudiosum est de incarnatione Filii Dei in utero B. V. Mariae. In hoc tibi contemplanda se offerunt, quae sequuntur, et concitanda.

1 — 1. Pium voluntatis affectum in te concita, et immensam Dei bonitatem, et amorem quo incarnari, et homo fieri dignatus est, devote considera. Hunc autem amorem Dei magis perspicies, si consideraveris, quis fuerit status mundi ante adventum Filii Dei in carnem. (Mundi status ante Christi adventum qualis.) A primo conditi orbis exordio usque ad desideratum Salvatoris adventum densa caligo errorum ac peccatorum totam terram obtexerat; gentes universas vitiorum vincula obstrinxerant; daemonum cultus toto orbe vigebat; Iupiter, Mars, Venus, ceteraque monstra infernalium deorum veri Dei cultum et honorem sibi usurpabant; virtutis lumen extinctum, religio nulla, pietas nulla erat. Ferales gentium ritus et mores, portentosae consuetudines, turpissima vivendi ratio regnebat; iura denique non tantum humanitatis, sed et naturae violata erant. (Romanorum ethnicorum superstitio quanta.) Roma caput orbis, et verae religionis nunc antista, olim eo prolapsa erat abominandae impietatis, ut diversorum deorum monstra triginta millia percensuerit nominatim, et coluerit. *Magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem*, loquit s. Leo in serm. de sanctis Petro et Paulo. Alii longius etiam progressi infinitos pene deos posuere. Nam aves, serpentes, feles, crocodilos, immo allia, porros, caepas et herbas, quin et pestem, febrem, aliaque his absurdiora pro diis colebant, ut d. Augustinus lib. 3 de Civitate Dei, cap. 52, et lib. 4, c. 10, et seq. et lib. 18, cap. 15 memorat. Solum *notus erat in Iudaea Deus*, ubi etiam infinitis peccatis, et idololatria saepius offendebatur. Et tamen benignus Pater plasma suum non despexit nullo nostro bono ad amorem concitatus, nulloque merito provocatus; immo infinitis demeritis offensus, ubi venit tempus ab aeterno a sua Maiestate constitutum, ipse de coelo descendere, et humanam naturam assumere dignatus est. O liberalitatem infinitam! Quid est Domine, homo, quia magnificas eum, aut filius hominis, quia reputas eum? quid Domine Deus vidisti in nobis, quod tanta humilitate dignatus es visitare nos? quae erant merita nostra, quae officia a nobis tibi praestita? Nulla plane. Sola bonitas tua, sola clementia te de coelo descendere, et carnem nostram in utero virginali te assumere coegit. Omnes igitur angeli laudent te, et pro tam ineffabili misericordia tibi gratias agant; quandoquidem homines te non agnoscunt, nec tibi debitas gratias agere sciunt, aut certe non sufficiunt.

2 — (Deus quid sit ex s. Augustino.) 2. Cogita, quantum potes, quis sit ille qui carnem nostram induit. Est Verbum quod fuit ab initio, Deus aeternus et omnipotens, Creator coeli et terrae, Dominus universorum, rex regum et Dominus dominantium. Cogita quid sit Deus. Deus est, quem nec mens attingit, quia incomprehensibilis; nec intellectus capit, quia investigabilis; nec sensus percipit, quia invisibilis; nec lingua enuntiat, quia ineffabilis; nec Scriptura explicat, quia inexplicabilis. (Deus quid sit ex d. Gregorio nazianzeno.) Deus est, inquit s. Gregorius nazianzenus tractatu de fide, quod cum dicitur, non potest dici; cum aestimatur, non potest aestimari; cum definitur, ipsa definitione crescit, quia coelum manu sua cooperit, pugno omnem mundi ambitum concludit; quem omnia nesciunt, et metuendo sciunt, cuius nomini et virtuti famulatur hic orbis, at ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testimonium perhibet. Rursus cogita quid sit homo. (Homo quid sit, et quam vilis.) Homines, si naturam spectes, sunt infimi inter creaturas rationales. Sicut enim materia prima est infima inter res corporeas, ita anima est infima inter spirituales. Si hominum animas consideres, sunt peccatores, inimici Dei, superbi, ingrati, carnales, inepti ad omne bonum, proni ad omne malum. Si corpora, sunt mortales, morbidi, viles, sordidi, putidi, mox futuri esca vermium. Caro hominis est prae ceteris animalibus misera, infirma, putida, mille aerumnis subiecta, et per concupiscentiam corruptissima; et tamen Verbum aeternum, Deus verus hanc assumpsit: eo se inclinavit illa Maiestas, ut seraphinos cherubinos, et ceteros angelorum ordines praeteriens descenderet in imam hanc miseriarum vallem, et carnem adeo miseram sibi arctissimo hypostaticae unionis vinculo copularet. O miram dignationem! o ineffabilem caritatem.

Ulterius pensa diligenter hanc Dei dignationem, qua primo dignatus est monere Virginem per angelum, ut sibi praeberet assensum. (3 — Dei dignatio quanta.) Poterat Deus, nolente aut nesciente Virgine, Virginis thalamum subire. Poterat, ea non dante carnem, ex ea carnem sumere, sicut ex Adami costa, eo inscio, Evam produxit; sed noluit, ut ostenderet esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam, ut doctor noster angelicus 3 p. q. 30, art. 2 pie meditatus est, et solide docuit. O miram Dei dignationem! o Virginis excellentiam.

Adhuc attentius considera tanti Monarchae dignationem. (s) Ad ostium Virginis stantem, pulsantem, et assensum illius expectantem et efflagitantem intuere, et audi loquentem: *Aperi mihi, soror mea sponsa*. Hoc est, aperi mihi ostium fidei tuae, aperi conclave cordis tui; nam ostia carnis tuae perpetuo clausa erunt, clausis ostiis carnis per fidei ostium intrabo in uterum tuum. Aperi velociter, et hilariter divinae dignationi devota occurre. Ecce iuxta sanctorum omnium vota excito potentiam meam, et venio ad salvandum. Ecce sto ad ostium fidei tuae, et pulso; *Aperi mihi, soror mea sponsa*. Aperi, o terra virginea, et germine Salvatorem, o felix Maria, ad cuius fidei ostium stare, et pulsare Deus dignatus est, et expectare assensum. Poterat dilectus, non aperiente ipsa, introire in virginalem uterum; non debebat ad ostium stare et pulsare, nec consensum illius flagitare, sicut ab Adam non flagitavit, cum, dormiente ipso, Evam de costa eius formavit. Poterat, Maria nesciente, incarnationis mysterium celebrare; sed noluit, ne tantae fidei, tantae humilitatis, tantae obedientiae merito Virgo careret, quo libero consentiens cumulata est. O Beata Maria quis tibi digne valeat iura gratiarum, ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? quas tibi laudes humani generis fragilitas persolvat, quae per tuum consensum ad vitam aditum invenit? Esto benedicta in aeternum.

3. Aures mentis arrige, et quomodo Deus ad exequendum incarnationis mysterium coelestem legationem ad B. M. Virginem instituat, diligenter ac devote attende, quasi has, vel similes voces audires ex ore Dei: (5 — Dei sermo ad Gabrielem qualis) Ades dum, o archangele Gabriel, tam mirabilis, et inauditi mysterii minister esto, ad Virginem Mariam, paradisum meum ratione praeditum perge, dignum domicilium in ipsius corde et utero mihi praepara. Abi ad alterum quod in terra est coelum, et in eo solium mihi constitue. Illud *Ave gratia plena* ad Mariam dicito, ut ego aerumnosae atque afflictae miserear Evae. O quam festinus, quam laetus paranymphus ad Virginem

advolasse putandus est, quae Dei Mater erat futura, et mundi salutem, vitamque mundo effusura. Adit itaque libentissime Virginem archangelus Gabriel, sciens per hoc nuntium hominem qui ceciderat, erigendum, et fratrum suorum ruinas reparandas. Felix Gabriel, qui ad hoc munus prae aliis electus es, et nos felices, qui tuo ministerio vitae restituimur et saluti. Curre itaque, curre velociter Dei nuntie, laetare pro officio, gratias age pro gratia, expeditus esto pro munere, carnem humanam assume, ut in humana effigie Virgini appareas, eamque non solum in mente, sed etiam in corporeis sensibus recrea.

6 Gabrielis dignitas quanta, et unde colligitur. 4. Oculos mentis attolle ad Gabrielem nuntium, et ipsius dignitatem, maiestatem, pulcritudinem, et splendorem corporis, in quo B. Virgini apparuit; humilitatem et reverentiam, qua eam salutavit; mirabilem prudentiam, qua in exponenda legatione coelesti usus est, considera. Dignitatem eius vel ipsum nomen ostendit. Gabriel quippe interpretatur vir Dei, vel fortitudo Dei, vel virtus mea Deus, vel confortavit me Deus, vel Homo Deus, et nomine suo prodit quem nuntiare veniebat, Deum videlicet et Hominem, Deum fortem, et confortantem, qui aereas potestates debellare, et genus humanum confortare debebat. Eundem Gabrielem multi doctores excellentissimum omnium angelorum praedicant; sed satis dignitatis habebit, si eum summum in ordine archangelorum agnoscamus cum doctore angelico 3 p. q. 30, art. 2 ad quartum.

7 Gabriel cum multitudine angelorum ad Virginem venit. Considera maiestatem. Non enim credendum est, ut b. Albertus magnus noster contemplatur, quod Gabriel solus ad Virginem venerit, sed cum eo principali nuntio multitudo aliorum venit. Si enim facta est cum angelo multitudo coelestis exercitus laudantium Deum in nativitate ipsius et dicentium: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis*; idem credendum est in ipsius incarnatione. Et hoc significatum esse dicit b. Albertus magnus Genesis 24, ubi cum pater Abraham mitteret ad ducendum uxorem filio suo, misit quidem unum Eliezer, domus suae procuratorem, qui tamen multos comites habuit. Ita Pater summus mittens ad desponsandam sibi naturam humanam, unum quidem praecipuae dignitatis archangelum misit, tamen cum illo multos creditur misisse secundae dignitatis angelos. Valde probabilis sententia; nullus enim credo angelus fuit, qui non libens ad Virginem advolarit, sanctissimaque eius verba laetus exceperit. Iucundum erat eis a coelo descendere, animatum coelum adire, et Dei paradisum venerari.

8 Gabriel clauso ostio ad Virginem venit. Ad maiestatem Gabrielis spectare videtur, quod nullo aperto ostio, nulla dimoto repagulo, nullis serris dafirmatis, ad honestum cubiculum Divae Virginis intravit; non foris ad ianuam stetit, non ostium pulsavit, non ut ei aperiretur, flagitavit, nec expectavit; sed ut Dei nuntius maiore cum fiducia interioris thalami virginei vestibulum est ingressus. Angelicis quippe spiritibus parietes non obsistunt, cuncta aeque corpora, quantumlibet solida vel spissa, penetrabilia ac pervia eis sunt: non igitur difficile fuit angelum per clausum ostium ad abdita Virginis penetrare.

9 Gabriel non alatus B. Virgini apparuit. Considera pulcritudinem et splendorem corporis in quo Beatae Virgini apparuit. Non cogites angelum Gabrielem suffultum pennis seu alis ad Virginis cubiculum advolasse; monstrum fuisset, si conspectui Sanctissimae Puellae ita se praesentasset. Sciebat B. Virgo Scripturarum testimonio angelos alarum adminiculis non egere, ut in hominis effigie ad homines veniant. **In quali forma, seu specie B. Virgini apparuit.** Venit ergo in humana specie, qualem ipsa Virgo Maria apud s. Augustinum serm. 18 de Tempore describit in haec verba: *Ignaro Ioseph sponso meo, venit ad me quidam magnus Christi paranymphus, non patriarcha primus, aut propheta egregius, sed Gabriel ille archangelus, facie rutilans, veste coruscans, ingressu mirabili, aspectu terribili, dixitque mihi: Ave gratia plena.* Merito apparuit splendidus, quia nuntiavit eum, ex quo toti mundo splendor est ortus. Legati etiam dum reginam alloqui debent, splendide vestiuntur.

10 Humilitas Gabrielis qualis. Considera humilitatem et reverentiam. Putant aliqui flexis genibus, magnaque cum submissione, ac reverentia Gabrielem salutasse Mariam. Sed hoc cogitare ratio non admittit. Virgo enim humilitatis virtute super omnes homines sublimata, quae angelum a principio, et angelorum excellentissimum Gabrielem ad se venisse cognoverat, talem ac tantum nuntium, at praesertim Dei nuntium omnipotentis, coram se genuflexum verba facere ferre non debuit. **Gabriel coram B. Virgine genua non flexit et cur.** Angeli etiam sanctis hominibus apparere assueti nunquam flexis genibus, sed stantes, aut ambulantes in sacris litteris visi fuisse scribuntur. Tenebat hic nuntius Principis a quo missus fuerat, auctoritatem et maiestatem; sciebat Virginis humilitatem; meminerat praemissorum angelorum consuetudinem, quid cum orando deceret; pro horum omnium ratione illum genua flexisse ne credamus; stetit igitur pro sua sapientia, stetit, inquam, venustate plenus et maiestate. Ita meditatus est Marcus Uviguerius cardinalis in decachordo christiano 2 p. de vestitu et ornatu angeli Gabrielis.

11 Gabrieli quam dulce fuit colloquium cum B. Virgine, et quamdiu duravit. Cogita quam suave, quam dulce fuit Gabrieli archangelo illud cum Beata Virgine colloquium. Sunt qui novem horas integras eum cum Virgine mansisse et collocutum esse censent. Alii tota integra nocte apud Virginem fuisse existimant. Sed in re incerta nihil certi pronuntiare audemus. Coniectamur tamen angelum non brevi tempore cum Virgine fuisse, et diu cum ea sermonem produxisse, tum ob incredibilem Virginis modestiam, tum ob maiestatem humana maiorem, tum ob dignitatem ad quam a Deo eam electam videbat. Quod innuere videtur s. evangelista, cum ait: *Et discessit angelus ab ea*, quasi insinuans Gabrielem tam iucunde cum Virgine collocutum fuisse, ut avelli non posset. Credi potest, Gabrielem praesentia tantae Virginis et illo dulci colloquio tantum oblectatum fuisse, et rerum novitate ac magnitudine stupefactum, ut coelum amplius non cogitasset, nec a Virgine divelli potuisset, nisi Dei aliter iubentis praeceptum obstitisset. Hoc tamen de Gabriele archangelo cogitare pietas suadet, quod a Virgine non discessit, donec ipsa consentiente, Verbum iam in utero eius incarnatum cognovit; tunc enim Christum Dominum cum aliis angelis adoravit, et ante illum humiliter genua flexit, ut Apostolus ad Hebraeos scribens 1, 6 in persona Patris ait: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.*

12 Prudentia Gabrielis in quo consistit. Considera mirabilem prudentiam qua in exponenda legatione coelesti usus est. Prudens fuit in consolatione. Virgo superbenedicta conspiciens, et audiens angelum loquentem *turbata est in sermone eius*, ut narrat s. evangelista; quod advertens angelus statim eam benigne consolatur, dicens: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum*, ac si dicat: Longe a te depelle timorem o Virgo, non sum homo terreous, sed angelus coelestis: non sum invasor tui pudoris, sed custos virginitatis; non enim tales incolas coelum nutrit. *Ne timeas*, non enim sum ille angelus, qui hominem e paradiso eiecit; non sum ille, qui Aegyptum decem plagis percussit; non sum ille qui una nocte exercitum ingentem Sennacherib interfecit; non tibi nuntio gladium, sed gaudium; non mortem, sed vitam tibi totique generi humano apporto. *Ne timeas Maria*, ac si dicat: Non est cur, Virgo, angelum formides, quia angelis semper est cognata virginitas. Ne timeas, nihil hic doli est, nihil fallaciae, nullam circumventionem, nullas hic insidias suspiceris. Ne timeas; timeant illi qui Deum offenderunt; tu non timeas, quia gratiam invenisti apud Deum; timeat qui perdidit gratiam, non qui invenit. Plutarchus in vita Iulii Caesaris commemorat, quod cum, eo navigante, tempestas ingens in mari orta fuisset, nauclerus pavere coepit. At magnanimus Caesar ad eum: *Ne paveas*, ait, *tecum est Caesar et fortuna eius.* Non secus Gabriel videns Mariam turbatam, mox eam solatur dicens: *Ne timeas, Maria, Dominus tecum*, et gratia eius, *invenisti enim gratiam apud Deum.*

13 Gabriel cur Mariam nominat consolans eam. Ulterius prudentiam archangeli perspice, quod consolans eam proprio nomine compellat, quod salutando non fecit. Noverat enim nomen Mariae contra omnes timores et turbationem optimum esse antidotum, et praesentissimum remedium. Rursus Mariam eam appellat, hoc est Dominam, utpote dominatoris omnium Genitricem mox futuram.

14 Adhuc prudentiam Gabrielis considera in illis verbis: *Invenisti enim gratiam apud Deum.* Hoc est, invenisti, o Virgo, gratiam quam non habuit Sara, quam non sensit Rebecca, quam nec Rachel cognovit; illae enim ex sterilibus factae sunt matres amittentes una cum sterilitate virginitatem, tu autem virgo simul et mater eris, virginitatis detrimentum non patieris, et fecunda permanebis. Invenisti gratiam, quam nullus unquam in mundo invenit. Invenisti quod quaerebas. Invenisti quod ante te nemo potuit invenire. Invenisti gratiam; non creasti, ut Deus; non rapuisti, ut angelus; non perdidisti, ut Adam; non emisti, ut Simon magus; non abscondisti, ut infidelis doctor; sed restituisti potius toti mundo. Invenisti gratiam apud Deum, non apud homines, quia apud homines gratia fallax est.

15 Insuper prudentiam huius coelestis nuntii contemplare, et mi-

Digitized by Google

rare quam sapienter narrat modum conceptionis Christi. Primo, ex parte Virginis, secundo ex parte Spiritus sancti. Ex parte Virginis dicit: *Ecce concipies in utero et paries filium*. Concipies in utero, ut conceptus sit veritas, non figura: partus sit proprietas, non imago; ut sicut de Deo vero Deus verus natus est, sic de te homine verus homo nascatur. Et hic confutat haereticos, qui Christum aereum corpus assumpsisse, et per Mariam Virginem solum tanquam per fistulam transisse impie dogmatizabant. Ex parte Spiritus sancti, dum Beata Virgo modum inquisivit dicens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* statim angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*: hoc est, etsi virum non cognoscas, virginitatemque Deo nuncupaveris; concipies tamen et paries, non humana sed divina virtute, idque salva tua virginitate. Potentia Dei, ut umbraculum ab ardore concupiscentiae, qui in conceptu reperiri solet, proteget te: ne timeas ergo aestum libidinis sub tanto umbraculo sanctitatis. *Spiritus sanctus obumbrabit tibi*, hoc est defendet te, virginitatemque tuam quam tantopere diligis, ita proteget, ut sine ulla iniuria, immo summo cum gaudio, et decora concipias. *Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Non filius viri, quippe non virum patrem habebit; sed te Matrem in terris, Patrem vero in coelis.

16

Maria quid tunc faciebat, quando nuntius Gabriel ad eam venit.

5. In Virginem Matrem oculos conice, et quasi tibi coram adesset inspicienda, in suo conclavi sedentem, vigilantem, lectioni deditam, aut orationi vacantem pio mentis oculo intuere. In conclavi erat Virgo, nec tunc lecto cubabat, sed clauso super se ostio lectioni vacabat, illam prophetiam Isaiae: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium*, mente volvens, inclinatis genibus, et elevatis puris manibus, et iactis in coelum oculis ad Patrem misericordiarum pro incarnatione Filii sui devotissimas preces cum lacrimis fundebat, ut b. Albertus magnus super *Missus est* meditatur, et ut s. Vincentius sermone de incarnatione contemplatur. Cogitabat, inquit, Virgo tunc intra se. O qualis erit ista virgo, quam Isaias praenuntiat, quae digna erit concipere Filium Dei, esse Mater sui Creatoris et Regina coeli! Et rogabat, inquit, Dominum: Da mihi Domine antequam moriar, istam virginem intueri; conserva meum visum, ut eam videam; auditum, ut eam audiam; os, ut sibi loqui possim; manus, ut ei serviam. O quam benedicta erit illa Virgo, quam sublimis, quam mirabilis Mater, quae tantum Monarcham pariet, quam beata ubera, quae eum lactabunt, quam felices manus, quae eum portabunt, quam sancta labia, quae ei oscula figent! Haec intra se dicens Beata Virgo, ait s. Vincentius, uberrime flebat, et prae humilitate id de se cogitare non poterat. Ecce tibi angelus, non reserato ostio Virgini adstat, et illud dulce occinit: *Ave gratia plena, Dominus tecum*, etc. Stetit angelus pro sua sapientia, stetit, inquam, coram Virgine venustate plenus, et maiestate. Cui mox Virgo sapientissima assurrexit honoris gratia, ut tanti Monarchae nuntium pro more, proque merito honoraret. Hic cernere licebit iucundum spectaculum, et videre angelum stantem, et Mariam stantem, quae angeli salutatione se putabat indignam. Assurrexit nuntio Virgo, quae humilitatis nunquam oblita est. Assurrexit corpore, sed animo se magis demisit, se magis deiecit; humilior facta est coram ipso angelo, quo maioribus laudibus evehebatur ab eo; crescit quippe inter laudes et honores vera humilitas, non minuitur. O humilitatem mirabilem! o submissionem stupendam.

Quid, et quomodo orabat.

Gabriel stando legationem expediebat.

Maria Gabrieli assurrexit.

17

Ulterius, intuere Virginem tam pulchram, tam elegantem, tam decoram, quae Conditori suo complacere poterat. Contemplare virginem mente, virginem professione, virginem nobilem, regali genere ortam, virginem primam, virginum unicam, virginem singularem, virginem denique qualem optat Apostolus, mente et corpore sanctissimam, et mirare ante eam Gabrielem archangelum stantem, et nomine Unigeniti Filii Dei ab ea consensum praestolantem. Mox pium voluntatis affectum in te concita, quasi totum mundum ad Virginis genua provolutum, eamque ad assentiendum Angelo nuntianti suppliciter orantem cerneres; mox ad Virginem sermonem converte: Responde iam Virgo Sacra angelo nuntianti. Assensum tuum nuntius iste praestolatur, inde est quod coram te stat, et apud te moratur; intuere Deum in porta coeli qui ad te venire festinat, inspice squalleatem nostri carceris miseriam. Expectat angelus responsum, expectamus et nos, o Domina, miserationis verbum. In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, et ecce morimur: in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. O Domina responde verbum, et

Ad Mariam apostrophe.

auditui nostro da gaudium et laetitiam. Hoc supplicat a te, o pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exul de paradiso. Hoc Abraham, hoc David, hoc ceteri flagitant sancti patres, patres scilicet tui, qui et ipsi habitant in regione umbrae mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat. Nec immerito, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da, Virgo, responsum festinanter; o Domina, responde verbum quod terra, quod inferi, quod expectant et superi. Ipse quoque omnium Rex et Dominus qui concupivit decorem tuum, expectat responsionis tuae assensum, et exclamat: O pulcra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Quid ergo, o Virgo, tardas? quid moraris? quid trepidas? Trepidare, ais, virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere. Pulcre, et venuste. Sed iste vir, qui tibi nuntiat, non est homo, sed angelus; non invasor pudoris, sed amicus et custos virginitatis. O Maria, saeculum omne captivum tuum deprecatur assensum. Usquequo moraris, Virgo, nuntium festinantem? numquid non hoc est, quod quaerebas, quod gemebas, quod diebus et noctibus orando suspirabas? quid igitur? tu es cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Immo tu ipsa, non alia. Tu, inquam, illa promissa, illa expectata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Iacob iam morti appropinquans vitam sperabat aeternam, cum dicebat: *Expectabo salutare tuum, Domine*. Quid igitur cunctaris? quid ab alia speras, quod tibi offertur? quid per aliam expectas, quod tibi mox exhibebitur, dummodo praebeas assensum, respondeas verbum? Intuere Deum in coeli vestibulo stantem, et in tuum uterum venire festinantem. Responde verbum et suscipe filium. Da fidem et senti virtutem, pande sinus roseos Virgo perpetua, fides tua modo aut aperit coelum, aut claudit. Sed cogas: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Iam audisti: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, ut prolem gignas, et virginitatem non perdas. Sed rursum ais: *Virum non cognosco*. Immo idcirco id fiet, quia virum non cognoscis; si enim virum cognosceres, tanto Filio digna non esses. Responde verbum, et suscipe Verbum; profer tuum, et concipe divinum; emitte transitorium et amplectare sempiternum. Quid tardas? quid trepidas? Crede, et concepisti.

Deus loquitur ad Mariam.

Deinde devota mente considera eximias Virginis, quae in hac legatione se produnt, virtutes, easque imitari studeas, nimirum modestiam, timorem Dei, humilitatem, verecundiam, taciturnitatem, virginitatis zelum, prudentiam, fidem, devotionem. 18

Considera modestiam. Nam Virgo ab angelo laudata non se effert, non inani laetitia diffluit; sed timet, turbatur, quia laudatur: non enim ex aspectu angelico quasi insolito turbata est, iugiter enim visitabatur ab angelis, ut b. Laurentius Iustinianus serm. in annunt. B. M. Virginis notavit; sed ob excellentiam divini praesagii, quod propria merita praecellere videbatur. Revolvebat animo modestissima Virgo singula coelestis nuntii verba, seque deiiciebatur in se, parvitatem suam et Dei altitudinem matura consideratione pensabat, nihilque tanti oraculi dignum in se cernens turbata est. Modestia enim nescit extolli, laudes suas timet, et quo altius laudibus evehitur, tanto magis se demittit. *Turbata est*, inquit b. Albertus magnus, *quia de se non sensit, nisi humilia*. Unde s. evangelista non dixit: *turbata est de sermone eius*, sed *in sermone eius*, quia scilicet ea quae in illo sermone continebantur, iam ipsa a Deo non semel petierat, sed illum sermonem ad se reflecti posse prae humilitate non existimabat: quia illius merita excedere sibi videbatur, quod sermo ille continebat. Turbabatur itaque, quia prae modestia, et humilitate nihil in se tanto munere dignum videbat. Turbabatur, quia nihilitatem suam respiciebat. Ubi sunt illi, qui hominum laude vix tacti intumescunt, immo insolescunt, exsiliunt, ita ut intra se prae inepta laetitia, et inani gaudio se vix continere possunt? Tu quisquis es, Mariae modestiam imitare, quae tam officiosissime ab angelo salutata, plena gratia dicta, prae cunctis mulieribus ex Domini praesentia sublimata non intumuit, non se extulit, sed turbata est, et expavit.

Modestia Virginis in annuntiatione.

Timorem. Turbata est Virgo non in vultu angeli, sed in sermone. Sed cur in sermone? Quia angelus dixit: *Dominus tecum*. Dei nomen ac dignitatem expavit, et advenientis Dei maiestatem timuit: ita quippe Filium eius futurum cogitabat, ut sciret etiam iudicem, ut s. Petrus Chrysologus sermone 140 innuit. Si itaque Maria ad adventum Domini reverentiae signum 19

Timor B. Virginis.

expavit, dum nimirum venturum iudicem cogitabat, quanto magis nos turbari decet ad adventum aequissimi iudicis Christi.

20 Humilitas B. Virginis. Humilitatem. Salutata ab angelo Maria, *cogitabat qualis esset ista salutatio*. Et quare cogitabat? Quia humilis erat, et ideo sese salutatione angelica indignam reputabat. Ulterius humilitas eius eluxit, cum dixit: *Ecce ancilla Domini*. Ancillam se vocat, et ad supremum fastigium maternitatis divinae vocatur. D. Ambrosius in cap. 1 Lucae: *Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam se dicit Domini, quae Mater eligitur, nec repentina exaltata est*. Humilior facta est, ubi se a Deo cognovit electam, et quanto maiorem se audit, tanto magis se humiliat; non gloriatur in meritis, nec inter laudes suae humilitatis obliviscitur, sed ait: *Ecce ancilla Domini*. Vera ancilla, quae voluntati sui Domini nunquam restitit: quae neque dicto, neque facto, neque cogitatu unquam ei contradixit. Vere ancilla, quae divino servitio se perpetuo mancipavit. Et bene ancilla Domini, cuius filius servum se praedixit Patris. Psalm. 115, 16: *O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillae tuae*. O quantum nos debemus Mariae humilitati! Humiliter se Virgo demisit, ut Deum in se reciperet, et saluti nostrae consuleret. Si enim illa se non humiliasset, Deum pro salute nostra de coelo in terram non traxisset.

21 Verecundia B. Virginis. Verecundiam. Audita angeli salutatione, quasi viri specie mota Virgo trepidavit. Et quare trepidavit? Quia virum quem non solebat, aspexit; cum viris enim colloqui verecunda Virgo minime consueverat, siquidem virginitatem sedulo servare constituerat. Abeunt ab hac verecundia virgines illae, quae passim cum viris sermones miscent nulla necessitate, nulloque compendio colloquia producunt. Discant virgines a Virgine pudorem, discant verecundiam, discant oculos custodire, virorum aspectum fugere, vitare consortia.

22 Taciturnitas B. Virginis. Taciturnitatem. Salutatur Virgo ab angelo, et turbatur. Et cur turbatur? *Quia silentium suum, quod valde amabat, respondendo infringere cogebatur*. Ita Richardus a s. Laurentio lib. 4 de laudibus Virginis. Hoc cogitet quisquis virginitatem, quisquis castimoniam colit. A Virgine silentium discat, prava colloquia fugiat. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*, 1 Cor. 15, 33. Et sapiens: *In multiloquio non deerit peccatum*, Prov. 10, 19.

23 Virginitatis amor in Maria. Virginitatis zelum. Audita angeli salutatione, Virgo *turbata est*, non in aspectu eius, vel in visu, sed *in sermone eius*. Et cur in sermone contremuit et turbata est? Quia ab angelo de prole audivit. *Expavit pro cautela voti propositi sui*, inquit Guilielmus in Cantica. Virginitatem Deo spoponderat, quam amittere aucta filio timebat, et idea turbata est. Secundo turbata est, quia benedictam se audivit *in mulieribus*, quae semper optabat benedici in virginibus. Et ex tunc cogitabat qualis esset ista salutatio, quae iam videbatur esse suspecta. Ita d. Bernardus. Ulterius, idem zelus virginitatis se prodidit, cum dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ac si dicat: Cum sciat Dominus testis conscientiae meae, votum esse ancillae suae non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut ego frangam votum? si pariam filium, quomodo existens virgo lac filio praebebo? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam filium, et gaudeo de filio, et doleo de proposito. Si vero virgo concipiam, virgo et pariam, quod utrumque, si placuerit Domino meo, impossibile non erit, tunc scio vere, quia respexit humilitatem ancillae suae. Vide quam sollicita erat Maria de virginitate sua, ut etiam suspectam habuerit salutationem, in qua Dei Mater futura nuntiabatur. Disce a Virgine studiose virginitatem custodire, ut immarcescibilem gloriae coronam consequaris.

24 Prudentia B. Virginis. Prudentiam. Salutanti angelo Virgo non respondit, nec eum resalutavit; nam verborum sensu nondum plene percepto, respondere imprudentiae erat. Dum igitur Virgo prius cogitat, quam angelo respondet, eximiam prudentiam ostendit, ut latius deductum habes in expositione epitheti, *Virgo prudentissima*.

25 Fides B. M. Virginis quanta. Fidem. Magna fides Mariae in hoc mysterio eluxit, nam arcana ea quae nemo ante eam clare, et expresse credidit, videlicet mysterium Sanctissimae Trinitatis, quod illo tempore satis incognitum erat: deinde Filium Dei hominem fieri velle, idque ex virgine, quae semper virgo erat permansura: postea ipsam esse virginem illam a Deo electam in matrem: ipsum quoque filium orbis totius Salvatorem fore et Monarcham potentissimum, et Filium Altissimi credidit. Tam eximia fuit haec Mariae fides, ut longo intervallo excesserit fidem Abrahae patris credentium, fidem Moysis, Aaron, Gedeonis, et illorum omnium quos Apostolus ad Hebr. c. 11 enumerat, ut uberius deduximus in declaratione epitheti, *Virgo fidelis*.

Devotionem. Insignis devotio Mariae enituit, cum dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Perinde est enim, ac si diceret: En tabula sum, quamvis scripturam excipere idonea; scribat in me scriba ille coelestis, quaecumque ei visum fuerit; sum tanquam lutum in manu figuli, faciat de me plasmator meus, quicquid libuerit; sum tanquam cera liquescens, imprimat in me supremus Artifex formam quae ipsi placuerit; nam *anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est*. Veniat dilectus meus in hortum suum: veniat dilectus meus, quem peperit cor meum: veniat in me, quem sibi in hortum peculiari iure dicatum elegit: veniat, ex me carnem sumat, et ex me nascatur. *Fiat mihi secundum verbum tuum*. Hinc d. Bernardus homilia 4 super *Missus est* explicat his verbis: *Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea secundum verbum tuum. Fiat, obsecro, mihi verbum non prolatum quod transeat, sed conceptum ut maneat, carne videlicet indutum, non aere. Fiat mihi non tantum audibile auribus, sed et visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. Nec fiat mihi verbum scriptum et mutum, sed incarnatum et vivum, hoc est non mutis figuris mortuis in pellibus exaratum, sed in forma humana meis castis visceribus vivaciter impressum. Et hoc non mortui calami depictione, sed sancti Spiritus operatione; eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum est, nemini post me faciendum. Denique fiat mihi secundum verbum tuum*. Credibile est B. Virginem flexis genibus in terram, et elevatis oculis in coelum ac manibus, ex intimo corde erumpentibus prae gaudio lacrimis, devotissime flagitando protulisse haec verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Quod etiam alibi ex b. Alberto magno notavimus. 26 Devotio B. Virginis in assensu ad legationem angeli quanta. Quo corporis gestu B. Virgo angelo assensit.

Ulterius contemplare et perspice, quam potens, quam efficax, quam meritorium fuerit Mariae hoc verbum *Fiat*. Non tam potens fuit illud *Fiat*, quo Altissimus mundum condidit, et cuncta quae in coelo et in terra sunt, creavit, quam hoc *Fiat* ab ore Mariae prolatum; tale namque *Fiat* nunquam sonuit in orbe. Ad hoc *Fiat* natura stupet, ratio deficit, iudicium haeret, sensus hebescit, lingua mutescit, mens non capit, quod factum est in Maria, cum hoc protulit verbum: *Fiat mihi secundum verbum tuum*. Statim namque ad huius verbi sonitum, *Verbum caro factum est*, subito ex purissimo sanguine Virginis Spiritus sancti opere corpus Domini fabricatum, subito organizatum, subito animatum, subito Dei Verbo unitum: statim omni gratia et virtute infans repletus, omnium charismatum donis insignitus, clara Dei visione beatus, denique omni illa sapientia, gratia, et gloria qua nunc pollet in coelo, ditatus. Nescit enim tarda molimina Spiritus s. gratia, neque temporis indiget tractu in suo opere summus rerum omnium Artifex Deus. Insuper perpende, quam meritorium fuerit Virgini dicere illud *Fiat mihi*, etc. S. Bernardinus tomo 2 conc. serm. 51, art. 3, cap. 10 dicit B. Virginem actu illo fidei et obedientiae, quo angelo Christi incarnationem annuntianti, ac proinde divinae voluntati, quae per archangelum ei innotuerat, assensit, et assentiendo sese condigne disposuit, ac de congruo meruit ut esset Mater Dei, plus meruisse, quam meruerint omnes angeli, omnes martyres, omnes confessores, omnes virgines. Quod etiam revelatum fuit b. Ioanni a cruce, ut refertur in eius vita c. 14. 27 *Fiat* Virginis quam potens et efficax. *Fiat* quam meritorium B. Virgini.

Ulterius, hoc verbo *Fiat* B. Virgo ad tam sublime evecta est dignitatis fastigium, ut ad illud neque humanus, neque angelicus possit pertingere obtutus. Statim namque ex Adae filia, humilique puella Mater Creatoris, Domina mundi, Regina coeli, et totius creaturae Imperatrix facta est. O *Fiat* potens! o *Fiat* efficax! o *Fiat* super omne fiat summe venerandum! 28 *Fiat* quam sublimaverit B. Virginem.

6. Mentis oculis intuere unigenitum Dei Filium de coelo in terram delatum, et uteri virginalis angustias intrare. Illabitur immensus humani corpusculi vasculo. Unitur naturae humanae divinitas in hypostasi, mirandoque nexu dispares formae in uno adunantur supposito, in unamque utriusque personam mira arte uniuntur. Prodigium novum, mirante natura, toto coelo et inferiore mundo stupenda comparuit; Deus homo, homo Deus. Deus homine velatus, homo Deo insertus. Prodigium prodigiorum, miraculum super omnia mundi miracula maximum! 29

7. Cogita quam immensum, quam ineffabile gaudium B. Virgo Maria tunc habuit, quando Dei Filium intra ventris sui hospitium recepit. O Virgo sacra, quis explicare sufficiat tuorum 30 Gaudium B. Virginis in incarna-

Digitized by Google

tionis Filii Dei pleno momento quantum.

gaudiorum exsuberantiam in illa hora? quis cordis tui valeat narrare delicias? quis tuam mentis dulcedinem digna queat explicare sermone? Te obsecro, Virgo, tu nobis enarra quantas tunc delicias habuisti, cum intra ventris tui arcanum delicias humani generis suscepisti. Dic, quo ardore flagrabas, quibus flammis aestuabas, cum Deum, qui ignis consumens est, utero tuo sacratissimo conclusisti? Dic nobis, Beata, quid sensisti, quando te Matrem et Virginem, Virginem et Matrem Dei sensisti? Dic, Virgo Sacerrima, quanta gaudio repleta eras, quando te super omnem creaturam sublimatam et exaltatam utpote Creatoris Genitricem liquido cognovisti? Dic, Virgo felicissima, qua virtute tantos voluptatis ictus, tantam suavitatem et dulcedinem sustinuisti? O arca deifera, templum Domini, thalamus sponsi, urna pulcherrima, coelesti balsamo plena, per illud ineffabile gaudium quod habuisti, sempiterni gaudii participes nos esse concede.

31 Gabriel facta legatione, et obtento assensu B. Virginis ad sanctos patres ad limbum ivit.

8. Oculos mentis convilee in Gabrielem archangelum, qui facta annuntiatione B. M. Virgini, adorato Christo in Virginis utero incarnato, ut dictum est, statim citus et laetus sanctos illos patres inferis carceribus detentos adiit, et cum maxima exultatione eis narravit, iam conceptum esse Messiam ex Virgine, haec vel his similia ad eos loquens: Gaudete patres sancti, quia hodie puella illa sanctissima, de qua prophetastis, et in figuris praenuntiastis, humilitate sua Deum de coelo ad terram traxit, et in suo virginali utero concepit. O quanta laetitia, quam ingenti gaudio corda sanctorum patrum tunc perfudit! Tu quoque qui christiana professione censeris, ex anima gaude, et pro tam ingenti beneficio flexis genibus summa cum animi demissione iugiter Deo gratias age.

DISCURSUS CCCXXXVI

QUID MEDITANDUM IN SECUNDO MYSTERIO GAUDIOSO

1 In secundo mysterio gaudioso recolitur visitatio B. M. Virginis in domo Zachariae et Elisabeth.

2 Festinavit B. Virgo ad domum Zachariae, et cur.

1. In hoc considerabis Beatae Mariae Virginis festinationem, caritatem, humilitatem. Considera festinationem. Sic enim sanctus evangelista narrat: *Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione*. Hic oculos mentis attolle et celerem illam columbam, nimirum Deiparam Virginem Christo gravidam accelerante se fetu per culmina montium pervolantem aspice. Festinavit Virgo, non tempus in nimio cultu trivit, ut vanae mulieres faciunt: *Dum poliuntur, dum comuntur, annus est*. Dubitare non debes quod ex aliqua levitate, sed instinctu et motu Spiritus sancti Beatissima Virgo Maria in montana perrexit, alioquin et aetatis teneritudo, et virginitatis pudor, asperitas et prolixitas itineris, atque id genus alia facile eam domi retinuisset. Sed morem gerebat divinae inspirationi, nec quidquam sibi attendendum putavit, tantum ut Deo satisfaceret. Festinavit igitur Virgo, quia gratia Spiritus sancti eam impellebat. *Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia*. Haec Deiparam Virginem corripuit: haec eam in montana velociter ire fecit. Qui ignem sinu suo iniectum advertit, non patitur moras, mox se discingit, carbonem eiicit. Sparserat in Maria Deus copiosum gratiae suae ignem, quo Maria accensa velut quaedam Aethna ardebat, unde mox se corripuit, in montana perrexit, in domum Zachariae ingressa Elisabeth salutavit, Ioannemque in utero sanctificavit, et tota fere combusta fuisset, si illum ignem divinum Elisabeth et Zachariae non communicasset. Festinavit Maria, quia Christus qui in utero eius erat, festinabat. Ut gemma in annulo clausa ad annuli motum movetur: ita haec pretiosissima gemma Maria ad motum Creatoris sui qui omnia manu sua claudit, movebatur. Ut stella, licet ex se sit immobilis, ad motum tamen orbis movetur: ita haec stella maris adhaerens Christo, qui celeriter movebatur, ad motum etiam illius velociter currebat. Illa Ezechielis animalia spiritu agebantur: *Ubi erat impetus spiritus, illic gradiebantur*, Ezechiel. 1, 12: ita B. Virgo currebat quo Deus in utero suo inhabitans eam movebat.

3 Festinavit Virgo opus Dei diligenter faciens. Sciebat namque illud Ieremiae 48, 10: *Maledictus homo, qui facit opus Domini negligenter*. Illic Ioannes in Apocal. 12 videbat hanc singularem Virginem amictam sole, lunam vero sub pedibus eius. Quid est quod luna sub pedibus Mariae cernitur? Ex planetis velocius luna suum cursum absolvit. Saturnus eum in triginta annis, Iupiter in duodecim, Mars in duobus, Sol, Mercurius, Venus in uno anno cursum suum explent: luna vero in viginti octo diebus. Ut ergo denotetur velocitas Virginis, seu diligentia in operando bonum, dicitur esse calceata luna, seu lunam sub pedibus habere; quod etiam evangelista expressit, cum dixit: *Abiit cum festinatione*.

Festinavit Maria, quia iusti in via iustitiae semper festinant; unde psalmista ait psalm. 118, 32: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, id est cum spirituali iucunditate illud aperuisti. 4

5 Unde habuit B. Virgo, quod existens gravida festinavit.

Ulterius, illud pensa, et diligenter animo revolve; quomodo Maria festinare poterat, siquidem gravida erat. Pondus uteri quod alias feminas impedire solet, B. M. Virginem minime impediebat. Erat divina prole feta, eum in utero habebat, qui ipsam Matrem suis manibus portabat. Proinde quod alae avibus, quod vela navibus, rotae curribus, hoc sua proles tunc Mariae erat. Maria Spiritu sancto plena erat, ut navis vento vel igne repleta, qui eam non gravant, quin potius leviorem, et in cursu velociorem faciunt. Quod et d. Augustinus sermone de nativitate Mariae ante cogitabat: *Cum esset gravida Maria salubri levitate plaudebat; lumen enim quod intra se habebat, pondus habere non poterat*. Et inde, ut opinor, Elisabeth Dei Matris praesentiam augurata est, cum dixit: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Puellam integerrimam videbat, Ioseph sponsam cernebat; unde igitur divinae maternitatis opinionem habebat. Experta erat Elisabeth in suo conceptu aerumnas fetus, gravedinem, uteri fastidia, et timores partus; hic autem conceptus gravedinem sensit amitti, uteri fastidia vidit relevari, et puerperium gaudio perfundi, quod uni tribuit consortio et praesentiae divinae Matris.

6 Caritas Mariae in visitatione Elisabeth.

Considera caritatem Mariae. *Exsurgens*, inquit s. evangelista, *Maria*. Sedebat Maria in domo contemplationi et orationi vacans. At postquam nuntium accepit, quod Elisabeth cognata sua filium concepit in senectute sua, illum ignem coelestem de quo dicitur: *Deus noster ignis consumens est*, in hospitio uteri sui gestans, ardore illius inflammata surrexit, et ad Elisabeth cum festinatione se contulit.

7 Sedebat Abraham in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei, Gen. 18. At postquam hospites vidit qui angeli erant, exsurrexit, et ad Saram in tabernaculum properavit. Sedebat Virgo Deipara in fervore caritatis. At postquam hospitem adeo gratum in utero suo excepit, statim in montana cum festinatione abiit. *Hoc est iter eorum*, ait divus Ambrosius, *qui Deo pleni sunt, ad superiora cum festinatione contendere, ima deserere, terrena aspernari, suprema petere, coelestia ambire*. Quemadmodum cervi veloci cursu valles deserunt, montesque fuga petunt: sic is qui Deum corde concepit, a terrenis curis recedit, ad coelestia properat, cum Davide cantans: *Perfecit pedes meos tanquam cervorum, et super excelsa statuens me*, psal. 17, 34. De caritate Mariae in visitatione Elisabeth plura diximus in epitheto *Speculum iustitiae*, disc. CCLXXXVII, n. 18.

8 Humilitas Mariae in visitatione Elisabeth.

Considera humilitatem. Erat certe Virgo Maria generis splendore maximo illustris, utpote ex progenie regali. Erat virtutibus nobilissima, quae vera nobilitas est. Sed tum vel maxime nobilitata fuit, cum Verbum aeterni Patris in utero suo recepit. Facere illi animum ista poterant, ut dicere posset, quod Niobes numerosa prole superbiens, dicebat:

Sum felix, quis enim neget hoc? felixque manebo.
Sum maior, quam cui possit fortuna nocere.

Ovid. lib. 6 Metamorph.

Despicere quoque ex alto poterat, et dicere: Cur eat maior ad minorem? Mater Domini ad matrem servi? Genitrix Dei ad genitricem hominis? Illa tamen inde humilior effecta est, et oblita dignitatis suae ad Elisabetham vadit: visitat virgo uxorem, iunior seniorem, dignior inferiorem, gravida gravidam, Mater Domini matrem servi. Et non solum ad eam venit, sed etiam prior salutavit. Et his aegram, ac miseram tum a senectute, tum ab impraegnatione officio caritatis iuvat: felicem puerum Ioannem in lucem editum de terra levat, gremio suo excipit, et cognatae partum omni servitute prosequitur, ut sancti patres contemplantur et docent, quibus s. evangelista favet, cum ait: *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus*, Luc. 1, 56. Tu hanc virtutem in Maria attente et devote contuere, et qualem reve- 9

Digitized by Google

rentiam maioribus, urbanitatem omnibus, caritatem aegrotis exhibere debeas, ab ea disce, et imitari stude. De humilitate Mariae in visitatione Elisabeth plura vide superius, in epitheto, *Speculum iustitiae*, disc. CCLXXXVII, n. 38.

10 Amicus verus Christus.

II. Considera verum amicum Christum, cui tanta est sollicitudo pro amico Ioanne. Post infectam peccato protoplasti naturam, communi lege nullus nascitur non infectus peccato; servituti subiecti nascimur, filii irae, maculati, et defoedati in lucem edimur. Hac etiam peccati lege Ioannes tenebatur, hac communi macula in utero foedabatur. Venit Deus in mundum, ut nos ab hac macula emundaret, et nos ab hac servitute liberaret; et primo Ioanni hoc munus praestat. Adhuc in utero matris virginis Christus latitabat, adhuc in claustro virginali conclusus manebat, et iam sub iugo pressum amicum prospiciebat, iam communi labe foedatum videbat. Dolens igitur amici vicem amicus pius festinat liberare dilectum: non in longum differt, non largas praebet inducias morbo, sed virgineo vectus curru per montium culmina ad amicum properat; et non solum eum sanctificare accelerat, sed etiam honorare. Nam non solum gratiam iustificantem ei contulit, sed etiam usu rationis, et dono prophetiae in utero matris existentem donavit, ut alibi fuse probatum dedimus.

11 III. Considera duos parvulos nondum ex matrum visceribus editos, Christum videlicet et Ioannem, mutuo se salutantes, et unum gratiam infundentem in alterum, alterum vero infusam ab alio recognoscentem saltu, gaudio, tripudio, ut evangelium narrat. *Ecce enim*, inquit Elisabeth, *ut facta est vox salutationis* Mariae *in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo*. O vocem dulcissimam! o vocem potentem, vocem acutam, sensus cognatae viscera penetrantem! Potenti voce Mariae infans Ioannes in utero Elisabeth perculsus, somno ignorantiae sopitus excitatur, oculos cordis aperit, latentem post parietem carnis coelorum Regem mira perspicacitate cognoscit, saltat, gaudet, tripudiat, choreas in utero matris ducit. Dominum praesentem adorat, festinat obviam exire Maiestati, et aegre ferens quod teneatur in utero, adversus mensium conversionem conqueritur, invadit ventris angusti latera, quatit matricem tanquam invisam custodiam, insultat calcibus in claustra naturae, moram nascendi accusat, vociferatur non voce, sed motu et gestu, talia propemodum dicens Elisabethae: Inique facis, o mater, quae parere tardas, prophetam gestas in utero, contines gaudium orbis terrarum, portas praecursorem Christi Regis, contines militem regiae praedicationis, constringis martyrem, et maiorem omnibus inter natos mulierum, et impedis velocem cursorem pietatis. Inique facis, o mater, non nosti futura. Lux venit, solve matutinum; sol oritur, prius lucebit lucifer; in foribus lux est, et voce est opus; prope est sponsus, et iustum est ut thalamus extendatur in Iordane. Opus est sanguine qui mundum emat, et oportet me Agnum eminus ostendere. Propterea enim es liberata a vitio infecunditatis, ut qui nascatur ex sterili, eum indicet, qui nascetur ex virgine. Libet alloqui Ioannem utpote pro illo puncto rationis usum habentem. Cur saltas Ioannes? Quia, ait, voce non valeo, gestu, motu, tripudioque Dominum meum quem praesentem agnosco, saluto et adoro. Cur saltas Ioannes in matris utero? Ego salto in matris utero, ne amplius diabolum saltet in mundo. Mira res, genua flectit in utero, et quem verbis salutare non potuit, prophetico gaudio recognovit. Adorat velut alter Ionas in ventre caeli factorem suum, et quia suo non sinitur, parentis evangelizat eloquio. O mirabilem praecursorem! o visum acutum! o plusquam lynceos oculos Dei maiestatem intra Virginis viscera penetrantes! Fervens nuntius, qui ante gestivit nuntiare, quam vivere. Impatiens dux, qui antequam perveniret ad corpus, pervenit ad regem, ante rapuit arma quam membra, ante aciem petiit quam lucem, et ut vinceret mundum, vicit ante naturam, et quia tardabat corpus, solo spiritu implet evangelizantis officium. Quid dicam? Ioannes antequam Christum praecederet, se praecessit.

Vox Mariae in salutatione Elisabeth quam efficax. Ioannes Baptista nondum natus in utero matris Elisabeth quid agerit.

Ioannes in utero cur saltabat.

12 Certamen Ioannis cum Christo.

Mira profecto fuit horum duorum infantium concertatio, qua unus dona largiebatur, alter pro donis gratias agebat. Mirandum profecto duellum duorum infantium Iacob et Esau in arctissimo uteri Rebeccae campo legimus. Sed hoc tripudium illo duello mirabilius est. Certabant illi in utero, isti tripudiant; ibi bellum fuit, hic pax; ibi certamen, hic amor; ibi dissidium, hic foedus. Pax autem, amor, et amicitia praestantior est bello, odio, dissidio. Praeterea illi quid agerent ignorabant, isti vero sciebant; illi non suo, sed solum Spiritus sancti instinctu certabant; hic unus proprio, alter vero alieno spiritu tripudiat, et festivam cordis laetitiam agit. O cordatos pueros! o infantes disertissimos! pueros dixerim, an viros? Certe non modo viros, sed insignes etiam in utero matris philosophos. De Christo enim longe ante prophetatum erat: *Mulier circumdabit virum*. De Ioanne autem communis opinio fert, acceleratum ei fuisse in utero rationis usum; et quod Christo perpetuum erat, Ioanni ad punctum donatum est, ut superius disc. CCXCV, et CCXCVI, num. 12, 13, 14 monstravimus, nec id esse contra mentem divi Thomae docuimus.

IV. Perpende, quam salutaris et efficax fuit haec visitatio, praesentia et vox Mariae, et Elisabethae Ioanni et Zachariae; quod late deduximus in epitheto, *Causa nostrae laetitiae*. O ter quaterque beatam domum illam, quam Christus cum Matre visitat; in qua Mater Domini salutat matrem praecursoris; ubi futurae salutis gaudia inchoantur, et salus olim per feminam perdita per feminas incipit restaurari. 13

V. Iterato in B. V. Mariam oculos mentis converte; et prae gaudio canentem auribus cordis ausculta. Postquam Virgo regia uteri sui mysterium propalatum vidit, exultans animo, plena spiritu, repleta gaudio, fervore spiritus inflammata suavem Domino cecinit cantilenam: *Magnificat anima mea Dominum*, etc. Mira res! Virgo cui etiam loqui rarissimum erat, prae magnitudine spiritus voce sonora cantare compellitur. O magnam spiritus redundantiam! o fervorem cordis immensum! o beatae aures quae ab ore virgineo festivum canticum audire meruerunt! Non est auditum simile canticum ab initio. Unde merito Canticum Canticorum venit nuncupandum, quia videlicet auctoris maiestate, et materiae dignitate, et styli acrimonia omnium sanctorum cantica superat. De quo superius late egimus, cum hoc canticum exposuimus disc. CCLII, et CCLIII. Ibi lege et uberem materiam meditandi inde habebis. 14

Pensatis igitur tot tantisque in hoc mysterio Deiparae Virginis virtutibus, aliisque mirabilibus operibus et beneficiis, prae affectu exclama: O Virgo magna simul et parva, magna sanctitate, caritate, gratia, dignitate, parva profunda humilitate, praesta, ut tui amoris ac humilitatis imitator esse valeam; amore erga Deum et proximum ardeam; festinum progressum in virtutibus habeam, tuamque humilitatem sequar. Praesta, o Domina, per exultationem spiritus quam sensisti, et divino tuo cantico manifestasti, ut divinae visitationis particeps efficiar, qua possim omnes mundi consolationes contemnere, et exultare in solo Deo salutari meo. Amen. 15

DISCURSUS CCCXXXVIII

QUID MEDITANDUM IN TERTIO MYSTERIO GAUDIOSO

Tertium sacratissimi rosarii mysterium est de nativitate Domini nostri Iesu Christi, in quo sequentia puncta considerabis.

I. Considera aeternum et immensum amorem Dei Patris, qui nos homunciones, ter miseros, immo et inimicos, damnationem aeternam promeritos adeo dilexit, ut Filium suum unigenitum quo nihil maius habet et carius, nobis obtulit, donavitque gratis, non solum hominis, sed infantis etiam forma natum. Qui sic hominem exaltavit, et sublimavit, ut qui erat Deus noster, fieret frater noster, os de ossibus nostris, et caro de carne nostra. O inaestimabilem dignitatem! o ineffabilem caritatem! De throno maiestatis suae descendens pissimus, ac clementissimus Rex ad nos venit: cum dives esset, propter nos egenus factus est: e summo se minimum fecit: humilis infantis habitum induit, seque ad vagitus, lacrimas, famem, sitim demisit: hospitii vilitatem, lectuli asperitatem ultro subiit, ceterasque ad genus aerumnas mortalium, peccato excepto, in se suscepit. 1 Amor Dei erga nos quantus.

II. Perpende illud vere aureum d. Ioannis effatum: *Verbum caro factum est*, et accuratius expendens, quid Verbum, quid caro nostra sit, mirare. Verbum quod erat in principio apud Deum, Verbum Patri coaeternum, coaequale, consubstantiale, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, cuius celsitudinem admirantur angeli, stupent cherubim, pavent gentes, populi contremiscunt, hoc, inquam, Verbum caro factum est. Caro infirma, caro terrena, caro infantilis, caro impotens, caro de qua scriptum est Isaiae 40, 6: *Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri*. Mira Dei exinanitio usque ad carnem; mira 2 Verbi divini celsitudo.

Digitized by Google

quoque carnis exaltatio usque ad Deum. Deus factus est homo, ut homo fieret Deus; Verbum caro factum est, ut a carnis onere et servitute liberaret. O miram circa nos Dei dignationem! Mundi Monarcha, idemque Rex angelorum homo ac limus est factus, ut nos cinerem et pulverem splendori pristino restitueret, et vile mancipium satanae ad summam, et aeternam proveheret dignitatem.

3 Spelunca in qua Christus nasci dignatus est.

III. Affectu mentis usque in Bethlehem penetra, et illam speluncam in qua Christus nasci dignatus est, ingredere. Est locus sub rupe cava, non hominum manibus, sed Deo fabricante constructus, non ex lateribus, sed ex fortissimo et durissimo saxo constans; unde ex sacris illius temporis aedibus hodie solus permanet, ceteris bello aut vetustate consumptis. Hunc locum sacrum, porticum coeli parem, mystico illo tabernaculo, et Sanctis sanctorum digniorem, magnifico illo templo Salomonis sublimiorem animo inspice, mentis oculis intuere, et profunda cogitatione pensa. Non datum est tibi huic mysterio interesse corpore; non denegatur tamen ibi adesse spiritu et mente. Hanc igitur speluncam piae affectionis pedibus ingredere, ibique divinum infantem vel in praesepio, vel in sinu matris positum fidei oculis intuere.

Christus in praesepio qualis.

Contemplare Deum in puero, aeternum in tenero, leonem in agno, gigantem in parvulo. Mirare Dei potentiam tenerae carnis ergastulo circumclusam, vide cibum esurire, fortitudinem trepidare, omnipotentem pannis involutum, Verbum obmutescere, laetitiam plorare, manibus portari illum qui sustinet orbem. Contemplare potentissimum illum Samsonem ligatum manibus, capillis scissum in dilectae suae Dalilae gremio quiescentem. Aspice elegantem Moysen in praesepio veluti fiscella scirpea positum, ac frigori, fami ac inediae expositum, et vagientem. Vide *regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua*, Mater beata, Mater sancta, Mater virginea, Mater super omnes feminas benedicta. Diademate, inquam, non aureo, non argenteo, sed carneo ex visceribus suis, artifice Spiritu sancto, fabricato.

4 Paupertas Christi in nativitate.

IV. Animo lustra aeterni Regis hospitium, videbis cunas, videbis comitatum, videbis regium apparatum. Non ibi regia domus, non aureae cunae, non sub nobili ostro regali iacet, non eius membra, ut decebat Regem, purpura teguntur, non diadema fulget in capite, non ibi multitudo famulorum, in stabulo nascitur, in praesepio collocatur, iumentis associatur Rex aeternae gloriae.

5 Praesepe Christi est cathedra eius ex qua docet.

V. Accede devote ac reverenter, et perspicuo intuitu praesepium illud intuere; neque enim casu putandum est accidisse, quod puer Iesus in praesepio poneretur. Magna cathedra est praesepe istud, ex quo Deus incarnatus mortalibus loquitur, ex qua coelestis Magister doctrinam evangelicam tradit. Quidquid postea verbo docuit, hic statim ortus opere demonstravit. Quid enim aliud evangelium docet, quam voluntariam paupertatem, humilitatem, asperitatem, patientiam, obedientiam, caritatem?

In praesepio quid Christus doceat.

Hoc totum Christus ex cathedra huius praesepis docet. Clamat spelunca, et christianorum marmorea tecta, superba aedificia, aulaea purpurea, et aurea improbat. Clamat praesepe stragula ex foeno, et damnat lectos nostros delicatos, omnique mollitie refertos. Clamant panni, nostrumque in vestitu splendorem condemnant. Clamant lacrimae, ac nostros immoderatos risus et ineptas laetitias accusant. Clamat lac parvum, quo Christus pascitur, et nostra lauta convivia arguit. O quam magna cathedra est praesepe illud in quo divina Sapientia, Magister orbis residet, et talem doctrinam nobis tradit.

6 In praesepio Christi maiestas et humilitas.

VI. Considera in hoc infante maiestatem et humilitatem. Nascitur ex muliere, sed ex virgine; iacet in praesepio, et fulget in coelo; sociatur brutis, et adoratur ab angelis; pannis involvitur, et a prostratis coram se regibus colitur; obmutescit in gremio, et proditur radiante coelo; absconditur in stabulo, et coelestibus hymnis eius natalitia celebrantur. Quanta maiestas! quanta humilitas! Intus maiestas, foris infirmitas; intus potentia, foris infantia; intus thesauri divinitatis, foris stragula ex foeno, viles panni, indicia paupertatis.

7 B. Virgo Christum mox natum adoravit.

VII. Contemplare Virginem Matrem exaltatam non vitiatam, gaudia matris habentem cum virginitatis honore. Aspice qua devotione adoret, qua reverentia tractet, quam solerti diligentia servat filium, quem admirando partu edidit. Adorat Mater quem peperit Filium, et prius ut Deo offert devotum mentis obsequium, quam ut puero exhibeat necessarium matris officium. Virgo enim Sanctissima, ut b. Birgitta per revelationem accepit, postquam se peperisse sensit, filiumque natum ante se iacere conspexit, statim inclinato capite, iunctisque manibus, magna cum reverentia et humilitate puerum adoravit. Quod et Ecclesia credit, nam in officio canit: *Virgo quem genuit, adoravit.*

VIII. Partum considera, partum admirandum, partum stupendum, partum sacrum, partum Deo dignissimum, et obstupesce cum propheta Isaia, et exclama: *Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile?* Deus nascitur, Virgo parit, partus dolorem non affert, Virgo lacte cibat, Omnipotens pannis involvitur, Verbum obmutescit, gaudium angelorum vagitus et lacrimas fundit, et manibus portatur ille qui sustinet orbem.

8 Miranda in Christi nativitate.

IX. Puerum natum adora, in arcto praesepio mirare. O elegantem puerum! o pulcherrimum puerum tantis laboribus natum! Felices lacrimae quibus nostra abluuntur crimina: felices ploratus quibus possidemus aeterna gaudia: felices panni quibus nostra nuditas operitur, et nos gloria immortalitatis vestimur. Felix arctitudo praesepii qua nobis coeli amplitudo donatur. Tu enim Domine iaces in praesepio, ut nos sedeamus in gloriae throno; tu brutis animalibus associaris, ut nos angelicis inseramus choris, tu virgineo lacte cibaris, ut perpetuas nos mereamur degustare delicias. Tua paupertas meum patrimonium est, tua infirmitas mea virtus, tua deiectio mea gloria, tua infantia mea sapientia. Meum est totum, quod pro me pati dignatus es. Mei sunt ploratus, meae sunt lacrimae, meum est quod sustines, frigus, mea quam pateris, omnium indigentiam. Totus es meus bone Iesu, totus es meus, et in meos usus expenderis. Me tua arctitudo dilatat, me tua indigentia ditat, me vagitus tui laetificant, me stabuli in quo iaces, abiectio sublimat.

9 Ad Iesum mox natum apostrophe.

X. Cogita Virginis Matris angustias, cum vicina partui, divinae voluntati obtemperans lares proprios dimittebat, alienas sedes petebat, brumali tempore longum iter leucarum triginta per montosam regionem pergebat; Virgo tenera et gravida, Virgo publici nescia, domi sedere assueta ibat cum Iosepho in Bethlehem, ut secundum prophetas ibi Messiam pareret.

10 B.V. Maria itinerans.

XI. Considera Virginis humilitatem. Ingreditur Virgo regia pauperis hospitii angustias; intrat speluncam paleis et animalium stercore sordidatam, domunculamque vento et frigori perviam. Non ibi sella, non lectus, non mensa, non ignis, non denique alia supellex praeter humile praesepium pascendis animalibus praeparatum. Haec sunt, bone Iesu, partus solatia, quae Matri puerperae praeparas? hae deliciae, haec ampla palatia, hae opes, hic ministrantium apparatus! quis iam de adversa fortuna conqueratur? quis de sua sorte audeat indignari? quis quantumlibet adversa patiatur, non aequo ferat animo? Mater Dei haec sustinet, mundi Domina, Regina coelorum tali hospitatur hospitio, et vilis vermiculus indignatur, si quid ei triste acciderit.

11 Humilitas B. Virginis circa partum Salvatoris.

XII. Devota mente apprehende horam illam sacram, horam auream, horam rutilantem, horam super omnia tempora benedictam, qua B. Virgo inauditis ardoribus inflammata, divina dulcedine inebriata, mente in coelum ad ipsam divinae essentiae visionem, ut devoti contemplantur, rapta, genibus flexis ad orientem conversa, manibus et oculis in coelum intentis, illico, in momento et in ictu oculi Filium ante se editum vidit, et in illo momento, ut b. Birgitta lib. 7 revelationum, cap. 21 per revelationem accepit. B. Virgo sensit quasi dimidium cordis sui exisse, ex quo tantus fulgor prodibat et splendor, ut vix sol posset ei comparari. Haec b. Birgitta loco citato. Ubi etiam narrat, quod B. Virgo tunc induta erat pallio albo; quod sibi calceamenta detraxerit ob reverentiam, quemadmodum ascensurus Moyses ad rubum legitur ex praecepto Dei calceamenta sua solvisse, quoniam locus ille in quo staret, terra sancta esset. Et quod permiserit sponsum suum Ioseph abesse, cum se sciret mox parituram.

12 B. Virgo in partu quid egerit, et quomodo Christum pepererit.

XIII. Considera Virginis Matris parturae providentiam. Praenovit alma puerpera sui partus tempus; quare panniculos lineos mundos ad involvendum infantem tempestive praeparavit, secumque tulit. Ubi hora partus advenit, preces ad Deum fudit. Nam sicut eius prece et supplicatione Christus est incarnatus, et postea ad preces eius primum miraculum in nuptiis fecit, et a morte est revocatus ad vitam, et denique Spiritus sanctus super apostolos descendit: ita etiam eius precatione partus impetratus est. Orasse autem eam in hunc vel similem modum pie cogita. Manifesta, Pater aeterne, thesaurum tuum in agro corporis mei absconditum: revela mundo pretiosam margaritam in concha carnis meae latitantem; egrediatur de creatura Creator omnium, pa-

13 B. Virginis ante partum oratio.

Digitized by Google

ter ex filia; ex parvo rivo fons magnus, ex vasculo suo figulus; ex ramo radix virgulti; ex stella oriatur sol; ex centro infinita sphaera; Filius tuus unigenitus ex humillima ancilla sua. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, in qua mundus videat Factorem suum, peccator Redemptorem, iustus iustificatorem, tribulatus consolatorem, gentilis illuminatorem, Iudaeus glorificatorem, damnatus iudicem.

14 Gaudium B. Virginis in partu unde fuit, et quantum.

XIV. Cogita Virginem Dominam nostram tunc simul gaudentem et dolentem. Gaudentem de prolis maiestate, de conservata virginitate, de generis humani salute, de angelico iubilo et de pastorum laetitia. Gaudebat, quia omnis doloris expers eum genuit; quod mundi Salvatorem ipsa primum conspexit, tractavit, pannis involvit, et involutum in praesepio posuit. Quae mater, obsecro, ex nato filio maiore laetitia unquam perfusa fuit, maioremque causam ad filium amandum, dulcissimeque curandum assecuta est? Oh quem tanto magis gaudere potuit et debuit, quo exactius certiusque perspectum habuit, illum unum omnibus aliis, non dicam filiis, sed etiam creaturis longe praestare, et universis donis abundare. Quos igitur aestus, quas flammas, quae tripudia non persensit, quae tanto thesauro se ditatam vidit, tantoque Filio Mater sola noctes et dies gavisa est? quis poterit explicare, quae tunc fuerit Virginis mens? quod cordis eius gaudium? suavitatis eius abundantiam, dulcedinis copiam quis explicare valeat? quis gaudium illud aestimare poterit, cum Dei sui, se Creatoris sui matrem se conspiceret, cum virginitatem suam illibatam et integram sentiret? cum se gaudia matris habentem cum virginitatis honore; insuper mundi dominam, angelorum reginam, hominum advocatam esse cerneret? Non enim dignitatem suam ignorabat, siquidem prophetico spiritu in Deo salutari suo exultans dicebat: *Beatam me dicent omnes generationes.* Hae erant partus sui angustiae, hi dolores quos passa est Virgo, his anxietatibus torquebatur. Existimo, neque me fallit opinio, non potuisse ullo modo Virginis corpusculum tenerrimum tam ardentes, tam fervidas gaudii et amoris flammas sustinere, nisi ille eam grandi miraculo sustentaret, qui eam talibus spiculis et fulgoribus percellebat. Dolentem vero cogita de tanti Filii paupertate, inopia, miseria. Videbat iacere in praesepio totius mundi Monarcham, plorare totius mundi gaudium, velut foenum brutis expositum animalibus panem angelorum et hominum; et quo magis cognoscebat infantem omni honore dignissimum, tanto magis dolebat videns illum inhonoratum.

15 Gratulatio B. Virginis de tanto Filio.

XV. Gratulare Sanctissimae Virgini, ac incomparabili Matri felicissimum hunc partum; quod videlicet mundi Salvatorem, salva pudicitia virginali, non modo sine dolore, sed etiam cum ineffabili gaudio pepererit; quod pusionem pulcherrimum, suavissimum, et ornatissimum ineffabili Dei beneficio adepta fuit; et dicito ei: Perge Sancta Mater Filium tam amabilem amare, genas, oculos, faciem dulcis infantuli intuere. Perge speciosa speciosum amplecti, brachiis illum complectere, sinu fove, uberibus lacta, saepius osculare, et demulce sive arridentem, sive adblandientem pusionem pulcherrimum, ac speciosum forma prae filiis hominum. Habe felix puerpera, quem sola ex tuis visceribus concepisti; habe quem sola genuisti, neque cum alio, nisi cum Patre coelesti communem Filium accepisti. Lacta, o Virgo Beata, lacta Deum tuum, panem angelorum o benedicta refice ubere de coelo plano. Tu vere dicere potes cum Habacuc 3, 18: *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo*; et cum Isaia 61, 10: *Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo.* O felix Maria, o Genitrix gloriosa, tuorum gaudiorum participes nos esse concede.

16 S. Ioseph sollicitudo ante partum Virginis quanta.

XVI. Considera Iosephum beatissimum, Mariae sponsum castissimum, et integerrimum custodem media hieme in Bethlehem proficiscentem cum M. Virgine desponsata sibi uxore praegnante, suumque censum pendentem, ut Caesaris edicto satisfaceret. Considera eundem in Bethlehem oppido non otiosum sedentem, sed praesenti inopia, et rei familiaris angustia commotum, circumcursantem, Virgini pariturae domicilium, seu hospitium aliquod quaerentem, et eo animo satagentem Matri simul et puero fidum praestare procuratorem, sicut Deus hoc illi munus demandarat. Tristabatur ille, et exultabat. Tristabatur, cum pervagatis singulis quibusque domibus, nullum Virgini reperit domicilium, nullum sibi et sponsae adinvenit hospitium. Tristabatur, inquam, et quanto magis Virginem sibi desponsatam omni honore dignissimam cogitabat, tanto magis illam videns inhonoratam dolebat. Exultabat autem sciens sine decreto Dei nihil fieri posse, et quod vir bonus quidquid acciderit, aequo animo sustinere debet.

17 S. Ioseph devotio ad Iesum mox natum quanta.

Rursus cogita eundem Ioseph Mariae sponsum, et fidissimum Iesu nutritium patrem, in stabulo bethlehemitico constitutum, attonitum et tremebundum stantem. Stupebat oceanum infinitum modico vase conclusum, lucidissimum ardentissimumque solem levi nubecula circumdatum. Cogita quam amanter, quam crebro ille Christum puerum spectabat, quantam laetitiam de miro pueri decore atque splendore capiebat: quam frequenter de illo cogitabat: quam libenter sensus, et operationes omnes ad eius ministerium conferebat; dicam, et somniare non sine maxima voluptate solebat, utpote iam ab angelo instructus, Deum esse, quem Maria conceperat, et pepererat. Hinc Luc. 2, 33 narrat: *Erat pater eius et mater mirantes*, etc.

18 S. Ioseph reverentia erga Mariam coniugem suam.

Ulterius cogita reverentiam s. Ioseph, quam novae sanctaeque puerperae exhibebat. Quis enim ambigat s. Ioseph Virginem et Dei Matrem, et Dominam suam, ac pudicitiae castitatisque omnis exemplar adeo coluisse et suspexisse, ut non posset non paratus esse, ut tali coniugi per omnia inserviret? Haec cogitans ora diligenter eam tibi dari fidem erga Deum, amorem erga B. Virginem, reverentiam et observantiam, ut ex aliqua parte viro tam solicito, tam religioso conformari possis.

19 Angelorum obsequia circa puerum Iesum mox natum

XVII. Ob oculos tibi pone angelos de coelo descendentes veluti per choros, et turmas divisos; atque ad psallendum et orandum mirabiliter incensos. Considera eosdem velut apum examina circa puerum volitantes, eidemque sedulo ministrantes. Franciscus Suarez 3 par. q. 35, disp. 13, sect. 3 arbitratur infantem Christum, cum primum ex utero prodiit, angelorum manibus fuisse exceptum, et in brachiis Deiparae collocatum.

20 Angelorum harmonia circa Christi nativitatem.

XVIII. Aures cordis arrige, et dulcissimam harmoniam percipe, quam nato Regi coelorum intonant coelestis curiae principes. Resonabat undique coelestis harmonia, cum iteratis vicibus angeli intonabant: *Gloria in excelsis Deo.* Cogita quanto gaudio, quanto tripudio, quanto iubilo tunc universum personabat coelum. Contemplare noctem prius atram ingenti lumine coruscare, depulsisque tenebris meridianam lucem suo fulgore vincere.

21 Pastorum circa Christi nativitatem devotio.

XIX. Contemplare pastores adorantes, et rusticos illos spiritu divino plenos, gaudio laetantes, Deo suo, Christo suo rusticis laudibus concinentes. Properant illi alacriter videre natum Regem, praesepio recumbentem, inveniunt, agnoscunt, adorant, iubilant, coelestibusque hymnis rusticas intexerunt laudes. Hi sunt primi ecclesiastici lapides aedificii, hi prima Ecclesiae surgentis initia, quos Pastor pastorum et pascendis gregibus aptos ab ipso natalis sui exordio ad ovilis sui curam conduxit: qui magnum sibi emere ovium gregem postmodum suo sanguine destinaverat. Hic simul cogita, quantum horum rusticorum devotione B. V. Maria imitata est, quantum de illorum praeconio iucundata est. Gaudebat, inquam, et tacito intus animo cuncta volvebat *conservans omnia verba haec*, ut ait s. evangelista, *conferens in corde suo* uti prudentissima, uti sapientissima, uti honoris Dei communisque utilitatis zelantissima. Unde ab illa, ut creditur, post Domini passionem discipuli Domini, et apostoli, eorum quae nunc de his evangelica narrat historia, multa didicerunt.

22

XX. Considera prostrata iumenta in praesentia sui Creatoris. Iacet in praesepio totius mundi gaudium et honor, et veluti foenum brutis exponitur animalibus. Mira res, et cui similis a saeculo non est audita. *Consideravi Domine opera tua et expavi, in medio duorum animalium cognosceris.* Agnoscunt bruta animantia naturali instinctu Creatorem suum; irrationales bestiae genua flectunt, insolitis naturae motibus, Conditori reverentiam exhibent; et quae eloquio exhibere nesciunt, mugitu Deo suo personant laudem. Nec te pudet, homo, negligentiae et socordiae, si bos agnoscit, asinus adorat, iumentum prosternitur, et tu stabis, et silebis, et genua non flectes, ingratissime! Merito cuidam politico mundano cacodaemon alapam impegit, qui ad illa verba: *Et homo factus est*, genua non flexit, haec dicens ei: ingrate, et sceleste, si nobis Deus tantum beneficium exhibuisset, omni hora coram eo procideremus gratias agentes. Martinus Navarrus in miscellanea de oratione.

Daemon alapam dat cuidam, qui ad *Et homo factus est* genua non flexit.

23 Cur sub Augusto Caesare Christus

XXI. Considera tempus nativitatis Christi. Sub Augusto Caesare nasci dignatus est. Recte sub Augusto; Augustus enim significat idem quod sacer, vel sanctus. Ovid. lib. 1 Fastorum:

Digitized by Google

nasci voluit.

Sancta patres augusta corunt: augusta vocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu.

Christus est Augustus Caesar, et quomodo.

Talis fuit Christus Salvator. Augustus, immo augustissimus, quia sanctus et sanctitas ipsa est, et ad sanctificandum mundum venit. Augustus ab augmento dictus, quia imperium romanum auxit, et Christus numerum electorum Deo auxit, et naturam humanam suae gratiae et sapientiae auctoramento locupletavit. Caesar dictus est a caedendo, et Christus optimus Caesar, nam omnem idolorum cultum, et omnes errores per totum mundum succidit.

24 Cur sub tempus nativitatis Christi Augustus Caesar populum numerat.

Amplius, nascitur Christus sub Augusto populos sibi subditos tunc numerante, ut ostenderet natum esse illum, qui nos describeret in libro vitae. Divus Gregorius in homilia hodierna: *Nascitura Domino mundus describitur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in aeternitate.* Haec descriptio quacumque ex causa facta fuerit, certe divinae voluntatis fuerat administra. Siquidem ab aeterno constituit Deus eo tempore Filium suum unigenitum in lucem edi. Huic ergo mysterio Augustus vir ethnicus, et harum rerum ignarus, dum aliud cogitaret, serviebat. Verum namque est illud quod Proverb. 21, 1 dicitur: *Cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.* Multa saepe faciunt homines, et maxime principes, quae Deus in alium finem ordinat, de quo illi minime cogitant, quod postea eventus probat. Sic Caiphas princeps sacerdotum expediens esse cogitabat Christum mori, ne tota gens periret, nesciens quid diceret, Ioann. 11; sed Deus sciebat. Sic rex Assuerus nocte quadam quam insomnem duxit, iussit sibi adferri annales superiorum temporum, nihil cogitans de ea causa, ob quam demum agnitum fuit venisse eum in eam cogitationem inspirante Deo, ut Iudaeorum genti pararetur salus, Esther 6. Eadem ratione exiit tunc edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis, quo tempore nasciturus erat, qui omnium Dominus totum orbem terrarum in unius fidei monarchiam esset redacturus, regnaque omnia eversurus, ut ipse solus, et legitimus Dominus agnosceretur; et ut hac occasione beatus Ioseph cum Sanctissima Virgine in Bethlehem iret, et prophetia illa Michaeae impleretur, *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel*, Michaeae 5, 2.

Augustus Caesar cur sub tempus nativitatis Christi edictum edidit de describendo universo orbe.

25 Augustus primus Caesar.

Amplius, sub Augusto Caesare Christus nascitur. Augustus omnium primus imperator fuit; nam Iulius Caesar qui eum in filium adoptaverat, non imperatoris, sed dictatoris nomen habuit. Christus in orbe primus Rex fuit uti tempore, ita et dignitate.

Natus est Christus tunc, quando Augustus per multos annos in mundo sibi pacem habuit, cum universus mundus suo imperio subiectus esset, quia Deus sic disposuerat, ut tali tempore Filius suus nasceretur, ut impleretur id quod praedictum erat per prophetam: *Dominabitur a mari usque ad mare;* et: *Omnes gentes servient ei;* et iterum: *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis*, psal. 71, 7, 8, 11.

26 Media nocte cur Christus nasci voluerit.

Amplius, perpende tempus nativitatis Christi. Media nocte nasci dignatus est. Nam angelus missus fuit ad pastores, qui custodiebant vigilias noctis. Hinc antiqui christiani surgebant media nocte confitendum Domino ob memoriam incarnationis et nativitatis Christi illa hora peractae. Nascitur Dominus in nocte, ad designandum mundum tunc sepultum fuisse in densissimis tenebris. *Habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis*, Isaiae 9, 2. Natus est nocte Sol, ut insinuaret in tenebris se lucere, sed a tenebris non comprehendi. *Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.* Tandem natus est noctu, ut pro peccatis hominum, quae illi gravissima noctu perpetrant, Deum placaret. Alias rationes vide apud Salmeronem in expositione huius evangelii.

27 Hyeme cur nasci voluit.

Tempus anni elegit frigidissimum atque sterile ad denotandum quod mundus in maxima tunc erat frigiditate spiritus, quando abundante iniquitate refrigeuerat caritas.

Ad haec tempus elegit, quo incipit nox minui, dies autem crescere, ut moneret tenebras nostrae ignorantiae recedere, et veritatis lumen appropinquare.

28 Cur in Bethlehem non in Ierusalem.

XXII. Considera locum in quo Christus nasci dignatus est, Bethlehem nimirum. Bethlehem domus panis interpretatur, et ideo Christus in Bethlehem natus est; ipse enim erat panis vivus qui de coelo descendit. Bethlehem elegit nativitati, Ierusalem vero passioni, ut per hoc hominum gloriam confutaret, qui gloriantur de hoc, quod ex civitatibus nobilibus originem ducunt. Christus autem e converso in civitate ignobili nasci voluit, et in civitate nobili pati opprobrium. Vide s. Thomam 3 parte, q. 35, art. 7.

Rursus considera Christum voluisse nasci in stabulo, non in diversorio. Diversorium enim publica est domus: mysterium autem nativitatis suae voluit esse occultum. Unde etiam nullam obstetricem ibi adesse voluit, ne quispiam cognosceret, quod Mater eius illaesis virgineis claustris eum peperisset: sacramentum hoc absconditum esse voluit.

Cur nasci voluit in stabulo, non in diversorio.

Deinde in diversorio saepe multa licentia, mores depravati, corruptelae, ebrietates regnant. Admonere nos voluit ineptam esse animam ad eum recipiendum, quae fuerit diversorium, id est domus plena flagitiis. 29

Natus est in stabulo. Et cur in stabulo? Humilitatis studio, ut nimirum sederet in ultimo convivii loco, quo Pater coelestis ei diceret: *Amice ascende superius.* Alias rationes vide apud Salmeronem, et alios huius evangelii expositores. 30

Haec sunt quae in hoc mysterio contemplari debemus, non quidem oculis corporis; hoc enim paucis concessum est; sed oculis mentis. Hoc modo d. Bernardus devotus Virginis famulus hac nocte hora nativitatis infantem Christum meruit videre, et gratulatus est sibi mirum in modum. Nec dubium quin aliis pluribus hoc fuerit aliquando concessum. 31

D. Bernardus infantem Christum mox natum videre meruit.

Beata Benevenuta, s. Dominici soror, sacratissima Christi natalium die cum hoc mysterium attentius contemplaretur, meruit recens natum infantem Christum a manibus Sanctissimae Dei Matris excipere, sinuque suo fovere, et ad horae spatium complecti et millies exosculari. Deinde eum Sanctissimae Matri cum gratiis rursum dedit. Seraphim Razius, Ioannes Lopez, Plodius, Ioannes Gavaston. 32

B. Benevenuta Christum in manibus portat.

Eadem gratia, et insignis favor praestitus fuisse legitur beatae Columbae reatinae. Cum enim Christi natali die cuperet in cubiculo suo iconculis quibusdam Christi nativitatem adumbrare, ob idque a confessario suo aliquas imagines, seu statuas, ac praesertim quae duo iumenta referrent, commodata petiisset, et confessarius ei dare neglexisset, illa per totam sacratissimae illius noctis festivitatem orationi se dedit, ac tanti mysterii magnitudinem devotissime contemplari coepit. Rem ipsam Deus ei exhibuit, et quod in umbratilibus figuris, ut sacris pietatis crepundiis cernere non poterat, re ipsa aspexit. Puerulum Iesum vagientem, Sanctissimam Virginem Matrem, beatissimum Iosephum, bovem et asinum, omnia denique quae in bethlehemitico antro virginei partus tempore aderant, ter felix Columba videre meruit. Angelos insuper suavem illam ac dulcem cantilenam *Gloria in excelsis Deo*, etc. occinentes audivit. Insuper datum est illi divinitus Magos illos orientales Christum adorantes aspicere, et sidus illud quo ex oriente in Bethlehem ducti olim fuerant, intueri. 33

B. Columba mysterium nativitatis Christi in spiritu videt.

Eundem favorem specialem Dei munere habere meruit noster Ordinis frater Didacus Thomas, de quo ad finem actorum generalium capituli romani anno Domini 1629 celebrati ita fertur: Obiit in collegio oriolano quod est in Aragonia, nostri Ordinis frater Didacus Thomas collegialis pietate ac devotione insignis. Qui in suprema infirmitate constitutus matutinis natalis Domini interesse, prout exoptabat, non valens, divino favore in sinistra lecti parte totum divinae nativitatis mysterium propriis oculis intueri meruit, ac in supremo vitae suae termino B. V. Mariam sibi assistentem fratribus adstantibus declaravit. Haec illud capitulum generale Ordinis praedicatorum. 34

Fr. Didacus Thomas mysterium Christi nativitatis videt.

Praeterire non decet b. Eustachiam ferrariensem itidem Ordinis nostri sororem, eodem favore et gratia auctam. Cum enim saepius a B. Virgine flagitaret, et sibi horam illam felicissimi partus sui cernere concederet, in illa oratione in ecstasim rapta, mox se in rusticum tuguriolum delatam vidit, ubi infantem Iesum qui foeno iacebat, et B. Virginem eum adorantem reperit, et conspexit. Id illi non satis fuit, sed gloriosissimam Virginem Matrem amplecti, et Christum Dominum iniectis eius collo brachiis, millies et amplius osculari meruit. Tantam autem suavitatem ex utriusque aspectu et amplexu se coepisse narrabat, ut nisi a tam suavi, ut dicebat, somno se importune, ut per vim excitasset, haud dubie coelestibus illis deliciis immortua fuisset, eo quod animus corpori nexus tantam suavitatem ferre non posset. Cum divini istius muneris memoria frequentissime illi occurreret, tota in lacrimas resolvebatur, ab aliis rogata, quae spe- 35

B. Eustachia Christum in cunis iacentem videt.

eies orisque maiestas Deiparae fuisset, non aliud referebat, quam id nec angelorum lingua posse exprimi. Apparebat autem Beata Virgo circiter quatuordecim annorum. Obiit haec sanctimonialis anno Domini 1508. Ita scribunt Lopez, Plodius, Balmghem e Societate Iesu apud Hyacinthum Choquetium in libello cui titulus est: *Deiparae in Ordinem praedicatorum materna viscera*, cap. 20. Faxit Deus ut hoc mysterium saepius et devotius contemplemur, ut tanti gaudii et suavitatis participes esse mereamur. Amen.

DISCURSUS CCCXXXVIII

QUID MEDITANDUM IN QUARTO MYSTERIO GAUDIOSO

1 Christi humiliatio in oblatione.

Quartum mysterium proponit Deiparam Virginem in templum ierosolymitanum euntem, infantem divinum in suis ulnis portantem, et pro eo pauperum munus offerentem, ibique faustissimas Simeonis et Annae prophetissae acclamationes, et plena laetitiae oracula suis auribus accipientem.

2

I. Igitur in hoc mysterio devote contemplaberis Christi submissionem, qui cum esset Deus omnipotens, Dominus infinitae maiestatis, non contentus propter hominem homo fieri, inter homines nasci, in stabulo inter iumenta reponi, in praesepio reclinari, inter homines homo apparere, voluit etiam legem circumcisionis subire, ut peccatoris imaginem prae se ferret, utpote communi peccatorum qui sub lege nascebantur, cauterio patienter adustus. Insuper non multo post, id est quadragesimo a nativitate sua die, rursum se legis mosaicae observatorem, simulque pauperem, et servum ostendit, cum inter pauperum filios, ac primogenitos, qui peccatores a peccatoribus nascebantur, et velut servi in templo offerebantur, in templo et offerri, et redimi non est dedignatus. O Filium Dei servum! o Principem gloriae mancipium! Servus emptitius factus est Dominus orbis, o inaestimabilis humiliatio! o ineffabilis exinanitio! Hactenus nunquam magis in Christo humilitas enituit. Auctor legis ceu peccator legi se subiicit, in templo praesentatur, qui pios omnes suum sibi templum efficit; quinque siclis ut servus redimitur, cuius ditioni ac imperio totum universum subiacet. Hinc ipse ad Patrem clamat psalm. 115, 16: *O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus et filius ancillae tuae.* Ego Domine unicus filius tuus, tibi consubstantialis, tibi coaequalis, tibi coaeternus, tecum unus Deus, servus sum, quia servus natus sum: servus sum, quia in tuum servitium emptus sum. An non servus qui formam servi accepit? Philipp. 2, an non servus, qui a sacerdote hodie venumdatus est in servitium? *Et filius ancillae tuae*, hoc est Virginis Mariae, quae de se ait: *Ecce ancilla Domini.* Magna sane fuit haec Filii Dei deiectio!

3 Christus in hunc laborem gradatim processit.

Sed neque leviter praetereas id quod gradatim Filius Dei pro nobis humiliari dignatus est. Nam in die nativitatis cum esset Deus, apparuit inter homines factus homo; in die circumcisionis apparuit ut peccator homo, cauterio peccatoris adustus; deinde in die oblationis, quam in hoc mysterio recolimus, apparuit nedum peccator homo, sed ut servus ad altare venumdatus, in die Parasceve apparebit ut homo, peccator, servus, iniquus, inter latrones suspensus, *et cum iniquis reputatus est.* O quantum tibi debeo bone Iesu! quantum tibi debeo pro tanta tua humiliatione causa salutis meae suscepta.

4 Processio B. M. Virginis in templum in die purificationis.

II. Considera Virginem Deiparam ex illo Bethlehem tugurio ad templum progredientem, ut Domino secundum legem offerret sacrificium, et primogenitum suum sisteret coram Domino. Sic enim s. evangelista narrat: *Postquam impleti sunt dies purgationis eius Mariae secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino*, Luc. 2, 22. Cogita quam graviter, quam modeste mirabilis illa loinula procedebat; quam hilariter illud divinum onus lucis increatae in brachiis suis gestabat; quam devote locum sacrum ingressa est; quam religiose summi Dei maiestatem suspiciebat; quam reverenter ad altare accessit; quam prompte Filium obtulit; quam submisse sacerdotem honoravit; quam libenter illi quinque siclos pro redimendo filio dedit; quam exacte omnia quae lex Moysis praescribebat, observavit.

5

III. Mirare solemnem illam processionem a porta templi usque ad altare, non numero personarum, sed dignitate celebrem. Praecedebant duo senes Simeon et Ioseph, sequebatur Virgo Maria cum infante Iesu et Anna prophetissa praeco infantis. Postquam enim Simeon et Anna divino spiritu cognoverunt adesse Messiam, mox rapido cursu ad templum properarunt, ut in lege promissum, a patribus optatum et expectatum viderent. Quo gaudio, qua alacritate corda illorum intra viscera palpitabant, ex teipso collige, si de videndo in Ecclesia Christo sub propria specie tibi simile praeberetur oraculum. Hanc processionem in festo purificationis B. M. Virginis in toto orbe sancta repraesentat Ecclesia, accensos deferens in manibus cereos in typum Domini Salvatoris. Sicut enim in cereo triplex est natura, scilicet ignis, cera et lychnus: ita in Christo triplex est substantia. Divinitas designata per lumen, caro designata per ceram, anima designata per lychnum. Ac propterea cereus hic merito a fidelibus in honore habetur, tum propter Christi repraesentationem, tum propter solemnem illius a sacerdote benedictionem. Cerei accensi in die purificationis.

IV. Considera eximias virtutes Deiparae Virginis in hac Christi oblatione, et sua purificatione nitentes, nimirum Virginis religionem, humilitatem, obedientiam, paupertatem, liberalitatem et devotionem. 6

1. Religionem. Nam quod aliae puerperae ob vulgarem morem, vel ex timore legis in adeundo templo, in honorando sacerdote, in redimendo filio, ac demum in observando legis ritu factitabant, id B. Virgo verae pietatis, divinique cultus et obedientiae sanctae amore incensa, et spiritualibus desideriis plena cum fide perfecta peragebat. 7 Religio B. Virginis in purificatione.

2. Humilitatem. Beata Virgo tametsi ab aeterno Patre tam singulariter esset electa, ab ipso Dei Filio in matrem assumpta, a Spiritu sancto totius gratiae plenitudine inundata, supernis splendoribus abunde illustrata, plusquam angelica puritate decorata, omnis tam spiritualis quam corporalis maculae expers, inviolatque mente et corpore semper manens, ad tantam dignitatem Matris Dei, qua nihil excellentius in pura creatura esse, nec excogitari potest, adeo se despicit, humiliat ac demittit, ut purificationis legi se subiiciat, et instar reliquarum feminarum facto illo legali, illa purificatione se indigere ostendit, cum re vera non indigeret, nec lege obstringebatur. Puerperae quae suscepto semine concipiunt et pariunt, quae partu debilitantur, et nescio quos impuros menstrui cruoris fluxus patiuntur, propterea domi se continere lege mosaica iubebantur. At Dei Mater, non suscepto semine concepit et peperit, in partu imbecillior facta non est, nullos menstruos cruores passa est; proinde illa lege mosaica, *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit*, etc. non tenebatur; et tamen humilitatis studio legi mosaicae se subdidit, et inter corruptas et vitiatas mulieres Virgo, quae ipsis astris ac beatis mentibus purior est, comparuit. 8 Humilitas B. Virginis in purificatione.

3. Obedientiam. Voluntatem suam divinae voluntati subiecit; quod communis lex mulieribus praescribebat, non lege obstricta, sed solo exemplo Filii sui mota exequitur. Non, inquam, lege obstricta. Nam Moyses Spiritu sancto praevidens post annos 1150 futuram talem mulierem, quae parere debebat non suscepto semine, non generalem legem tulit, dicens: *Omnis mulier quae parit, immunda erit*, sed conditionalem hanc: *Mulier si suscepto semine pepererit*, etc. Qua conditione apertissime B. Virginem a lege absolvere voluit, sensu s. Thomae doctoris nostri angelici, qui 3 p. q. 37, art. 4 ad 2: *Signanter*, inquit, *Moyses videtur fuisse locutus, ad excipiendam ab immunditia Matrem Dei, quae non peperit suscepto semine.* Quod ante ipsum et divus Bernardus post multos priscos patres advertit, inquiens: *Putas dicturus Moyses mulierem quae peperisset masculum, immundam esse, non timuerit super Matrem Dei blasphemiae crimen inducere?* Et idcirco praemisit: *si suscepto semine.* Et tamen B. V. Maria obedientiae amore hanc legem suscepit. *Verus namque obediens*, inquit beatus Albertus magnus, *praeceptum non expectat: sed solum voluntatem praelati sciens, vel credens ferventer exequitur pro praecepto.* Non expectabat obedientissima Virgo praeceptum; sed sciens voluntatem Dei hanc esse, ut se Filio conformaret, ad templum purganda processit. Vide quae de obedientia Virginis diximus superius in epitheto *Speculum iustitiae.* 9 Obedientia B. Virginis in purificatione. Moyses B. Virginem lege purificationis non obstrinxit.

4. Paupertatem. Pauperem oblationem B. Virgo pro Filio obtulit; non agnum, sed par turturum, aut duos pullos columbarum. Non tamen adeo pauperem Virginem, ut agnum emere non posset quem more aliorum in sacrificium offerret, credibile est; tum quod erat filia Ioachim et Annae divitum, et habentium substantiam, ut eam partirentur in pauperes, in templi cultum, in 10 Paupertas B. Virginis in oblatione Filii in templo.

Digitized by Google

sui ac suorum sustentationem; tum quod Iosepho sponso optimo, ac diligenti fabro uteretur; tum quod regia munera a tribus Magis paucis ante diebus acceperat; tum quod quinque siclos in redemptionem Filii sui Iesu more aliarum matrum dedit. Nam sacerdotes illi Filium non restituissent, nisi illa quinque siclos pro illo numerasset. Si itaque quinque siclos qui apud nos duos taleros et medium faciunt, Virgo habuit, quomodo pro emendo agno anniculo non haberet? Paupertatem voluit commendatam habere summae paupertatis amatrix Virgo, quam in Filio suo mirum in modum relucere vidit, ut superius dictum est loco citato.

Sicli quinque quid faciunt.

11 Liberalitas B. Virginis in oblatione Filii.

5. Liberalitatem et magnificentiam. Recondunt suas opes avari divites, et vix exiguum aliquid egenis petentibus largiuntur. Virgo Deipara quem thesaurum coelitus datum acceperat, non sibi servat domi, sed exportat, in conspectu aliorum profert, domum Dei publice honorat, et secundum prophetae vocem *gloria implet*. Deinde ignoto seni Simeoni eundem thesaurum communicat, aliisque libenter impertit, ut et ipsi Christum amplectantur, et osculentur, eoque thesauro divites facti in Deo salutari suo exultent.

12 Devotio B. Virginis in purificatione et oblatione Filii in templo.

6. Devotionem. Recogita Deiparae Virginis devotum ad altare accessum. Postquam ad altare ventum est, Virgo Sacra genibus flexis, divino inflammata spiritu, plusquam seraphim, Filium quem admirando partu ediderat, manibus tenens ipsum Domino obtulit, haec vel his similia cogitans, vel dicens: Suscipe, summe Pater et aeterne Deus, oblationem hanc, quam in divinum tuum conspectum profero, quam pro toto orbe ancilla tua tibi offero. Suscipe, clementissime Pater, communem Filium, tuum ab aeterno, meum ex tempore. Gratias tibi immensas, qui sic me sublimare dignatus es, ut sim illius Mater, cuius tu es Pater. Suscipe nunc de manibus ancillae tuae sacrosanctum hoc sacrificium matutinum, tibi postea in crucis brachiis offerendum in sacrificium vespertinum. Suscipe, Pater piissime, hunc nobilem, immensumque thesaurum, hunc dilectum Filium tuum, ac meum primogenitum, quo nihil mihi aut melius, aut nobilius abs te dari, vel accipi a me poterat. Suscipe, inquam, Sanctum sanctorum, Salvatorem saeculorum, per quem cuncta in coelo et in terra instaurantur, quem modo ad aram sisto, tuisque oculis offero mundi propitiatorem. Respice, summe Pater, quod offero, et attende pro quo offero. Tu nunc, quaeso, caecos Israelitas novo illustres lumine, ut apertis fidei oculis praesentem lucem in hanc domum ipsis illatam, summque Messiam meis brachiis comprehensum aspiciant, et adorent. Neque illi solum, verum etiam quotquot ubique gentium in tenebris et umbra mortis sedent, hoc lumen toti mundo exortum, hoc Dei salutare omnibus populis paratum et expositum grate excipiant, ac intimis etiam sensibus complectantur. Te verum Deum et quem misisti Iesum Christum, agnoscant, agnitum colant, et colendo perpetuo celebrent.

13 Cogita quam sereno vultu, quam hilari fronte, quam benigna facie respexit piissimus Pater Filium dilectissimum virgineis manibus sibi oblatum. Nulla unquam Sanctissimae Trinitati hostia fuit acceptior, nulla oblatio gratior, sive munus ipsum spectes, sive offerentes ac eorum voluntates. Munus est ipse Deus incarnatus, communis Dei Patris et Virginis unigenitus; sacrosancta Salvatoris humanitas, corpus et anima hypostatice Deo unita; Filius Dei non adoptione, sed natura. Offerentes sunt B. V. Maria et s. Ioseph, ac sanctus senex Simeon cum Anna prophetissa, et iusti quotquot divinitus exciti, ad hanc oblationem in templum ierosolymitanum venerant celebrandam. Si respexit Dominus ad Abel et ad munera eius, multo magis respexit ad Sanctissimam Filii sui Matrem, aliosque nominatos offerentes, qui tale ac tantum munus animo propensissimo ei offerebant.

14 Simeon senex quis fuerit.

V. Oculos mentis converte ad Virginem Matrem Filium suum unigenitum Simeoni tradentem. Nicephorus lib. 1, cap. 2 scribit, hunc grandaevum senem virtute, dignitate, vitaeque sanctitate tunc temporis excelluisse. Timotheus presbyter ierosolymitanus eundem vocat primum et ultimum iustum: ultimum legis, primum gratiae, iudaeum religione, christianum gratiarum actione. Cyrillus ierosolymitanus in orat. de occurs. Domini, et divus Epiphanius in libro de proph. vita, et interitu Simeonem fuisse sacerdotem asserunt. D. Augustinus sermone 9 de nativitate Salvatoris eundem senem *famosum*, *annosum*, *probatum*, *coronatum* appellat. Hunc ergo venerandum senem dulcissimum puerum Iesum e manibus Deiparae Mariae accipientem pio mentis oculo inspice. Quos ille tunc aestus, quas flammas, quos mentis ardores persensit, cogita. Infantem, coeli et terrae Conditorem, pondus dulce in ulnas suas accipit; summa cum reverentia tractat, gestat, demulcet, complectitur; sacros deosculatur pannos, et benedicta velamina; lacrimisque subortis, miras illi in hunc vel similem modum cecinit laudes: Advenisti tandem cunctis gentibus desiderate, advenisti saeculorum laetitia, advenisti tam diu ab hominibus expectata. Gratias tibi, Domine, gratias tibi, quia visitasti plebem tuam, et sicut promisisti, ita implesti: sicut a patribus nostris audivimus, ita nunc oculis impletum cernimus. O quot reges et prophetae desideraverunt te videre, sicut ego nunc video, et non viderunt. Gratias tibi, Domine, pro tanto hoc munere tuo: implesti promissum tuum, implesti desiderium meum. Beatus profecto iste Simeon prae ceteris patriarchis et prophetis, cui tantum videre lumen, tanta frui gratia donatum est. Felix hic Simeon, cui se Christus tam efficaciter, tam dulciter contrectandum, deportandum, atque exosculandum praebuit, ut nullae opes, atque deliciae talem senem magis explere, magisque beare in terris potuerint. Vidit enim et gustavit si quis alius, quam suavis esset Dominus. Ob eam rem mento canus, ut olor candidus dulcissimam illam, et cygneam plane edidit vocem: *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace*, etc. Hoc est nunc absolvis a vinculo corporis servum tuum secundum verbum tuum, ut pollicitus es. A te enim accepi, non visurum me mortem, nisi viderem Christum Domini. Iam eum video, iam dulciter contrecto, iam deporto, iam exosculor, iam ergo in pace tranquilla, ac quieta morte ex hac procellosa vita abire possum. Iam moriar laetus, *quia viderunt oculi mei salutare tuum*, id est Iesum et Salvatorem, quem in mundum misisti. Expectabam consolationem Israel, iam video consolatorem. Inter brachia iam illum habeo, in pace iam moriar consolatione accepta. Mihi mori lucrum est, vivere Christus, quem in manibus fero. Mori non timeo, quia fero vitam; descendere non metuo, quia fero pacem. Moriar in pace, quia *vidi Dominum meum facie ad faciem, et salva facta est anima mea*. Nunc dimitte Domine servum tuum in pace. Fac me in abyssum descendere, non formido; *quia viderunt oculi mei salutare tuum*. Vadam igitur legatus ad inferos, et nuntiabo patribus nostris magnum laetitiae nuntium, ut gaudeant ipsi, sicut et ego gavisus sum. Tu Domine in mundum intras, et ego exeo: tu venis, et ego vado. Viderunt namque oculi mei salutare tuum, ne Iudaeorum, qui sunt generis mei, futuram quam in te monstrabunt, videant audaciam. Morte claudantur, ne videant funes, flagella, sputa, alapas, coronam spineam, clavos, crucem, plagas, opprobria, vulnera, quibus tu affligeris, et occideris. Beati seniles oculi, qui viderunt quod multi reges et prophetae videre desideraverunt. Beata brachia, quae portaverunt eum, sub quo curvantur qui portant orbem. Nicephorus libro 12 scribit grandaevum senem, postquam Christum Dominum contra conspexisset, ac eundem in ulnis gestasset, carnis mole statim solutum ac liberatum, quemadmodum in suo cantico visus erat desiderasse.

Simeonis oratio.

Simeon quam beatus ex Christi aspectu.

Simeonis canticum.

Simeonis mors.

15 Sacerdos quinque siclis Filium Mariae vendens.

VI. Aspice sacerdotem pro Filio Mariae mysticum sacrificium Deo offerentem; et non pro illo, sed pro mundo; sacrificium, scilicet *par turturum, aut duos pullos columbarum*, sicut lege praeceptum fuerat. Aspice eundem sacerdotem Filium Mariae quinque siclis vendentem. O si scires sacerdos, quis est iste quem vendis, non illum pro toto mundi auro, et omnibus pretiosis margaritis dares. Ignosce Virgo piissima; nam si ego essem ille sacerdos, non tibi forte talem venumdarem Filium. Vade, dicerem, Virgo gratiosa, revertere in domum tuam, vade in patriam tuam; puer iste secundum legem Domini est, quia primogenitus est. Talem primogenitum ego non vendo, in hoc lex venditionis locum non habet: at si lex violanda est, pro tali Infante violanda. Sed quis te o gloria nostra, quis te o laetitia nostra, sic contristare sustineret? quis auderet huiusmodi verba proferre? Emitur ergo Redemptor quinque siclis a Virgine, qui quinque plagis totum mundum redempturus erat. O quantam tibi debet fidelis Ecclesia, Virgo benedicta, quae tantum Filium e manibus veteris synagogae vindicasti, et quinque siclis tibi ac nobis eum redemisti. Misera synagoga a proditore Iuda triginta denariis eundem emerat, sed non in salutem, verum in damnationem. Unde et venditor ille videns quia damnatus esset, eo quod male vendiderat, abiens laqueo se suspendit. Sed tu Virgo eum emisti tibi in consolationem, et nobis in salutem. O bone Iesu, iam noster es, at duplici iure: primo, quia Pater te nobis dedit; secun-

Iesus noster est, et quo titulo.

Digitized by Google

do, quia Mater ta nobis redemit. Noster es, quia datus es nobis: noster es, quia emptus es nobis. Quod si tu noster es, omnia quoque sunt; cuius enim est persona, eius quoque sunt omnia bona personae. Nostra igitur sunt merita tua, nostra sunt vulnera tua, nostri vagitus infantis, nostri labores docentis, nostri dolores morientis. Quidquid in mundo egisti, quidquid laborasti, quidquid sustinuisti, quidquid meruisti, optimo iure nostrum est; quia tu noster es. Cum iudicaturus orbem adveneris, memento quia noster es. Iustus es Domine, redde unicuique quod suum est: redde etiam teipsum nobis, quia duplici titulo, ut dixi, noster es.

16 *Annae prophetissae devotio ad Christum.*

VII. Oculos mentis converte ad Annam prophetissam filiam Phanuel, de qua expresse meminit s. Lucas c. 2. Haec eodem spiritu agitata quo Simeon, ubi cognovit Messiam adesse, hac ipsa hora, puta cum B. Virgo et Ioseph inducerent Christum infantem in templum, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, *confitebatur Domino*, hoc est laudibus, praeconiis, et gratiarum actionibus replebat templum, *et loquebatur de illo omnibus*, hoc est pontificibus, sacerdotibus, populis: Venite pontifices, venite sacerdotes, venite populi, venite, et in terram procidentes hunc parvulum adorate. Hic est ille Messias in lege promissus: hic mundi Salvator tam longo prophetarum ordine nuntiatus: hic ille a patribus nostris tam optatus et expectatus. Credite mihi, credite, hic est *Nas bar*, id est *adorate filium*, ut Hebraei legunt, pro eo quod noster vulgatus interpres psalm. 2 vertit: *Apprehendite disciplinam.* Alii transferunt: *Osculamini filium.* Quod si forte quaeritis, unde sciam? Spiritus mihi dixit, Spiritus mihi revelavit. Sed caeci et infelices Israelitae tantae prophetissae vaticinium non receperunt: et Messiam agnoscere noluerunt. Non eos movit tanti muneris velut in propriam domum illati praestantia, et amplitudo: non eos excitavit Messiae et Matris eius veneranda praesentia: tanquam surdis canebant probatissimi vates Simeon et Anna, de quibus etiam antea conquestus est Deus per Ieremiam 8, 7: *Milvus in coelo cognovit tempus suum: turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit iudicium Domini.*

17 *Gaudia B. Virginis de Christo.*

VIII. Cogita quo gaudio, qua laetitia, quo tripudio cor Virginis tunc exultabat in Domino, cum audiebat Simeonem canentem, viduam confitentem. Satis gaudii habebat cum filium salvo pudore concepit, sine fastidio gestavit, sine dolore peperit. Satis laetitiae habuit, cum Filium Dei materno complexu sinu fovebat, panniculis involvebat ac fasciabat, coelesti ubere pascebat, castissimi amoris et reverentiae plena ei oscula figebat, eum eum iacentem in praesepio, suavissimo correptum sopore supplex adorabat. Si quam tristitiae nebulam acerbitas circumcisionis invexit, mox eam augustissimi nominis Iesu claritas dispulit. Adfuerunt et Magi reges ab oriente, qui natum Deum suum in B. V. Mariae gremio uti regio throno suppliciter adorantes, mysticisque muneribus, auro Regem, thure Deum, myrrha mortalem summa religione profitentes, V. Mariam ingenti laetitia affecerunt. Sed hodie magna gaudiorum copia illi accessit. In primis B. V. Maria sibi gratulata est, quod ad publicum piorum coetum, et Ecclesiae ministerium rediret; quod rebus divinis libere interesse; quod in Dei domo suo more versari; quod aeterno Patri, totique Ecclesiae suam gratitudinem declarare; quod non pro se tantum, sed et communi aliorum omnium nomine tale sacrificium, ac munus offerre posset; quod cunctis sacrificiis muneribusque longe praestare, et sacramentorum ac hostiarum omnium scopum et finem esse certissime intelligebat. Non dubium, quod multo alacrius in templum, ut Filium Domino sisteret, et quinque siclis redimeret, properavit, quam prius ad Zachariae domum propter cognatae obsequium perrexit. Nam praesaga futurorum optime cognovit illo die Messiam Filium suum populo israelitico cum fructu insolito manifestatum iri. Certe novi et ingentes fidei, spei caritatisque motus in virgineo pectore tunc fuerunt excitati, cum Mater Sancta a Simeone ut sene, ita etiam auctoritate gravi et venerando viro cum benedictionem, tum praemonitionem accepit. *Et tuam ipsius animam*, etc.

Gaudia B. Virginis in Christi oblatione in templo.

18 Quis ambigat multorum illic oculos et animos in Deiparam Virginem fuisse conversos, cum viderent Matris pulcritudinem inaestimabilem, venustatem et gratiam? Timotheus ierosolymitanus serm. de propheta Simeone testatur hunc venerandum senem Spiritu sancto afflatum, postquam venit in templum, suos circumtulisse oculos. Cum igitur matres cum filiis ingredientes, et ad sacrificium purificationis peragendum properantes circumlustrasset, vidit inter alias Virginem solam infinito et divino lumine circumdatam. Tunc haud sine clamore in hanc vocem prorupit: *Ecquid ancillae quae estis, cum libera et Domina concertatis?* ut reliqua praetermittam. Carthusianus etiam: *Forsitan*, inquit, *vidit divinum splendorem in vultu pueri.* Sanctus quoque Ildephonsus in serm. de purificatione Mariae plurimos e sanctis qui tunc Ierosolymis degebant, Domino a parentibus in templum deportato adfuisse testatur; quod etiam s. Lucas 2 non obscure indicavit, cum de Anna prophetissa verba faciens: *Haec*, inquit, *ipsa hora superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.* Hos autem omnes pios ac iustos fuisse nemo inficias ibit. O quantum tunc B. Virgo gaudebat, cum multorum oculos et animos in se conversos vidit, qui non modo Messiam gratissimis animis excipiebant, sed eam quoque uti matrem eius agnoscebant, praedicabant, venerabantur, suspiciebant. O quantum gaudebat, cum grandaevum senem Simeonem dulcissimum Filium suum partim corporeis, partim spiritualibus brachiis suavissime complectentem vidit, ac in templo itidem publice eundem confitentem audivit! O quantum gaudebat, cum tam celebres filii sui praecones, Simeonem et Annam prophetissam in templo invenit, qui Messiam verum non modo praeclaris titulis exornabant, sed etiam luculentum testimonium de illo dabant, et Israelitis omnibus eum velut digito demonstrabant! Quid enim Virgini Matri magis cordi ac voluptati esse poterat, atque vera Christi Filii agnitio, quae hactenus apud Israelitas tantum non extincta iacebat? Quidni igitur gauderet Sacra Deipara? quidni in spiritu exultaret, cum animadverteret sinceram fidem de nato Messia in multorum animis excitari, atque confirmari, evangelii semen tam feliciter surgere, satanae vero regnum labefactari, ac miseros perditosque homines ad bene beateque vivendum pervenire? O laetos Mariae oculos, quibus novam Ecclesiam surgentem aspexit! Hoc igitur est quod animus pietate imbutus in hoc mysterio pie contemplari debet.

Gaudia B. Virginis ex praesentia Simeonis et Annae.

Hoc devote contemplans b. Osanna mantuana, Ordinis s. Dominici soror, in festo purificationis hoc mysterium in spiritu videre, et puerum Iesum dulciter amplecti meruit. Sacro purificationis B. Virginis die, cum post sacram communionem hoc divinum mysterium ardentius contemplaretur, ingens eam incessit cupido videndi seriem, modumque purificationis Virginis, et oblationis Christi in templo. Mox in spiritu ad ierosolymitanum templum rapta Deiparam Virginem unigenitum suum Iesum beato seni Simeoni sistentem, tradentem, et hunc in ulnas suas eum accipientem incredibili laetitia aspexit; eundem vaticinantem, cygneumque illud: *Nunc dimittis* etc. accinentem audivit: viditque Virginem Matrem pro sua paupertate munera, par scilicet turturum, aut duos pullos columbarum offerentem. Vidit, inquam, et prae gaudii magnitudine uberius illacrimata in terram se deiecit. Vidit deinde prolem Matri restitutam, splendido linteo integi et circumvolvi. Tunc Deipara ad Osannam conversa, suavissimis verbis eam alloquens, Filium quem e brachiis Simeonis receperat, ei tradidit, quem illa diu inter amplexus retinens Matri postea tradidit, dicens illud Cant. 3, 17: *Revertere: similis esto, dilecte mi, capreae hinnuloque cervorum.* Hieronymus Montolivetanus, Plodius, Gavaston, Lopez. Tu hoc legens diligenter perpende, et ad amorem Dei, atque mysterium hoc meditandum affectum tuum excita: et ne horum gaudiorum penitus expers fias, ad B. Virginem te converte, et dic: O Beata Mater, tu nobis Deum Filium tuum in Eucharistia sacrosancta fruendum praebe, ut eum fidei et caritatis brachiis amplectamur. Pectori nostro admove, ut eius amore ardeamus, et cuncta terrena fastidiamus. Cum Simeone mori, et ad Filii, tuumque beatum conspectum evolare mereamur. Sit ille pax nostra, lumen, gaudium ac gloria sempiterna. Amen.

19 *B. Osanna mysterium purificationis Mariae, et oblationis Christi in templo in spiritu videt.*

DISCURSUS CCCXXXIX

QUID MEDITANDUM IN QUINTO MYSTERIO GAUDIOSO

Hoc mysterium proponit duodennem Christum cum parentibus suis Ierosolymam pro festo Paschatis religionis ergo peregrinantem, et ex oculis Mariae et Ioseph sese subducentem, triduoque perditum, in medio doctorum felicissima suae doctrinae primordia auspicantem, a B. V. Maria repertum, receptum, abductum, et legibus parentum per omnia parentem. Quod mysterium recolens meditare quae sequuntur. 1

Digitized by Google

2 Religio Christi. I. Considera puerum duodennem Iesum cum Matre sua et Ioseph patre putativo ierosolymitanam urbem petentem, et in templo adorantem: simulque mirare illius religionem et pietatem, quod mox ubi per aetatem licuit pedibus Ierosolymam ire cum parentibus suis, eo perrexit, et festinavit; et ubi primum templum conspexit, tanquam cuniculus recenter natus videns aquam, in illud ingressus est. Nunquam enim antea, ut doctores testantur, tenerrimus puer propriis pedibus templum Domini ingressus erat; qui in stabulo Bethlehem natus in peregrinatione Aegypti annos septem consumpserat, et propter suam parvam aetatem et debilitatem puerilem ad templum unius distans quod unum solum in toto regno erat, pergere non poterat. Nam viginti septem leucis Nazareth, ubi Christus enutritus fuit, ab Ierosolyma distabat, ut Burchardus ait.

3 Mores Christi in pueritia. Ulterius ab hoc puero Iesu duodenno disce prudentiam, pietatem, devotionem. Puer erat, illis tamen vitiis quibus illa aetas laborare solet, ut ineptia, petulantia, protervia, inconstantia, rebellione, levitate, obnoxius non erat; sed coelestis quaedam inerat ei sapientia, modestia, morum suavitas, ac facilitas, constantia et gravitas. Non ad ludos, iocos, aliasque pueriles vanitates properat, sed ad ferias in templo obeundas, ad pios hominum coetus, doctores et magistros festinat. *Bonum est viro, cum portaverit iugum Domini ab adolescentia sua*, Thren. 3, 17.

4 Religio B. Virginis. II. Considera Matris eius religionem, pietatem, in divino cultu miram diligentiam. Nemo eam cogebat, Deus non praecipiebat, magistratus id ab ea non exigebat; non enim lex divina postulabat, ut feminae statas ferias Ierosolymis celebrarent, sed viris dumtaxat praeceptum erat quotannis ter in eo convenire loco, et ibi Deum Israel adorare, ut habetur Exodi 23, et Deut. 16. Nihilominus B. Virgo non semel, sed saepius hoc longum, videlicet viginti septem leucarum, conficiebat iter, ut sacras ferias celebraret, locum sacrum visitaret, piis hominum coetibus adesset, ibique preces ad Deum funderet. Nec sola, sed cum puero Iesu, et cum Ioseph sponso hoc iter absolvit, ut omnes exemplo illius Creatorem suum colant, iners otium fugiant, studium et laborem honestum ament, bonorum societate gaudeant, precationi vacent.

5 III. Considera Christum parentibus se subducentem, et illis insciis in Ierusalem remanentem. Postquam enim Ierosolymam cum Maria et Ioseph venit, et adoravit, mox ad negotia Patris sui se contulit, doctorum gymnasium petit, ibique latentes in pectore suo divinae sapientiae thesauros cum stupore omnium aperuit, exemplo docens, nullum esse sanguinis, cognationis, vel propinquitatis respectum habendum, cum Deus ad meliora vocat, cum id gloria Dei exposcit, cum aeternae salutis ratio sic efflagitat. Tunc enim locum habet, quod graviter d. Hieronymus in epist. ad Heliod. dixit: *Licet parvulus ex collo pendeat nepos; licet sparso crine et scissis vestibus ubera quibus te nutrierat, mater ostendat; licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est hac in re esse crudelem. Pereant ergo facultates, detestentur patria, irascantur parentes, cognati et affines, offendantur amici, tantum non offendatur Deus.* Hoc ergo Christus puer docet in templo, ne propter parentes, cognatos, et amicos opus Dei omittamus, ne Spiritum sanctum contristemus.

Parentum non habenda ratio, cum Deus aliter disponit.

6 Christi mendicitas. IV. Cogita quid in illo triduo Christus puer egerit. Multi graves doctores meditantur, Christum illo triduo ostiatim mendicasse, inter quos praecipuus est b. Bernardus, qui in homil. dominicae infra oct. Epiph. ita loquitur: *Quid dicam Deus meus? an ut te per omnia nostrae conformares paupertati, et in te humanae naturae calamitates susciperes, quasi unus e turba pauperum stipem per ostia mendicabas? quis dabit me buccellarum illarum sic mendicatarum participem?*

7 Dolor B. Virginis ex amisso puero Iesu. V. Considera Mariae dolorem, quem ob amissum Filium in illo triduo habuit. Vespere illius diei quo egressi sunt Ierusalem, omnibus peregrinis in diversoria digressis quietis causa, diu et multum expectatus puer Iesus, non comparuit: summa cura, ac diligentia inter cognatos quaesitus, et minime repertus, quem putas animi dolorem, quem timorem, et angorem parentibus attulit, et maxime Matri afflictissimae, quae eum impensius amabat? Maldonatus scribit B. Virginem cum Ioseph eo ipso vespere, nulla interposita mora, neque capta quietis ulla parte, iter omne versus Ierosolymam noctu repetiisse, et quosvis regressos, et obvios in itinere de puero requisivisse; in eoque Ierosolymis conquirendo diem omnem posuisse maximo cum animi moerore. Alii putant noctem illam a Virgine Matre in precibus et lacrimis insomnem exegisse, et illud sponsae Cant. 3, 1 saepius repetiisse: *In lectulo meo per noctes quaesivi, quem diligit anima mea; quaesivi illum et non inveni. Surgam et circuibo civitatem: per vicos et plateas, quaeram quem diligit anima mea.* D. Bonaventura opinatur B. Virginem noctu conclusam eum lacrimis sic orasse: *Pater aeterne dedisti mihi Filium tuum ex misericordia tua magna. Ego indigna eram illo, et nunc sum. Amisi illum; redde mihi laetitiam Salvatoris tui; sine eo vivere non possum. Et si ei servire non mereor; sed nec eum accipere merui. Sicut eum misericordia accepi, misericordia recipiam.* Ad Filium vero sic: *Fili mi Iesu, Iesu Fili mi, ubi modo es? Ostende faciem tuam, et salva ero: sonet vox tua in auribus meis: indica mihi, ubi pascas, ubi cubes; quia a te pendet anima mea. Aut tu veni ad me qui nosti ubi sim, aut me duc ad te.* Cum quanto putas dolore et amaritudine B. Virgo haec verba proferebat? Non tam acerbe doluit Adam et Eva de paradiso emisso; non Iacob de filio Ioseph a fera pessima, ut ei dictum fuit, devorata; non David de Saul et Ionatha, ac filio suo Absalone occiso; non tam tristis fuit mater Tobiae de filio peregre misso, ac Maria de Filio amisso. Quis eloqui poterit gaudium Matris ex Messia Filio annuntiato, tamque diu desiderato? ex nato ab angelis et Magis adorato? ex eodem in templo praesentato, et pro Messia a quibusdam agnito? moerorem ex amisso quis dixerit? Dolebat Mater de Filio, Sponsa de Sponso, subdita de Domino amisso.

Lamentatio B. Virginis ex amisso puero Iesu.

VI. Existimo, nulla parentum culpa id factum esse, quod puer Iesus remanserit in Ierusalem; nam s. evangelista eos excusat, cum ait: *Et non cognoverunt parentes eius.* Non cognoverunt, quia mos fuit Hebraeorum, ut quemadmodum in templo seorsim viri, seorsim mulieres precaturi consistebant, ita et ad illam solemnitatem seorsim in Ierusalem ibant, et seorsim redibant. Poterat itaque existimare Mater, puerum Iesum utpote masculum cum patre suo putativo Ioseph iter egisse: ipseque Ioseph poterat opinari, illum in Virginis Matris comitatu esse; sciebat enim Matrem eius plurimum eius conspectu gaudere, et conversatione frui. Deinde non *cognoverunt*. Oppidatim enim se turmatim ad eam solemnitatem ibant, et ex urbe Ierosolyma revertebantur. Unde quemadmodum ceterae matres suis filiis antegrediendi, vel consequendi facultatem dabant, ita et B. V. Maria non poterat hoc Filio suo non indulgere, quem non modo puerum modestissimum semper experta erat, sed etiam Dominum Deum certissima fide agnoscebat, proinde illum hac et illac vagari, aut aberrare posse non credebat. Postremo non *cognoverunt*. Erat enim puer Iesus speciosus forma prae filiis hominum, unde ab omnibus amabatur, et certatim omnes cognati et amici, ceterique populares illum sibi comitem adsciscebant, utpote specie vultus, sermonis ac morum suavitate praeditum. Neque id B. Virgo invidebat, nec impediebat, in eius namque divinitatem magis quam in humanitatem cogitatione defixa erat: et licet ipsa plurimum eius conspectu caperetur, tamen eum fructum divinae eius consuetudinis ceteris communem esse gaudebat. Non cognoverunt ergo parentes eius, cum puer Iesus remansit in Ierusalem, quia existimabant, eum in comitatu esse, ut evangelium narrat.

8 Cur non cognoverunt parentes absentiam Iesu.

VII. Considera causas doloris Mariae ex amisso Iesu. Dolebat moestissima Mater, non quod timeret ne offensus puer flagitiis populi in coelum abiret alio tempore venturus, ut nonnulli meditantur; vel ne alios nutritores sibi quaereret, quoniam noverat, quanto affectu ac caritate ipsum nutriret, atque educaret; vel ne in manus Archelai filii Herodis incideret, et ab eo interficeretur; sciebat enim non esse sapientiam, non esse consilium contra Dominum. Nec etiam dolebat quod perditum formidaret, aut errasse existimaret, quem Deum certissime credebat; sed quia unigenitum suum et Patris longe dilectissimum amiserat: ex privatione igitur consolationis tam dulcis pueri dolebat. Deinde ex amore et commiseratione, ne puer tener ac delicatulus illo triduo aliquid in humanitate incommodi pateretur. Licet enim certo crederet eum Deum esse, sciebat tamen eum sic se in omnibus gerere, quasi minime Deus esset, sed purus homo. Videbat illum ab infantia more ceterarum puerorum adolescere, famem, sitim, frigus, aestum pati: saepe collacrimantem viderat, gressus formare, vocem sensim in verba proferre docuerat, puerum veste induerat, cibum potumque porrexerat: sciebat quidem illi semper et ubique, uti vero Deo, multitudinem angelorum

9 B. Virgo de perdito Iesu cur dolebat.

Digitized by Google

praesta esse, sed ministerio illorum usum non esse, nec omnipotentiae suae divinae vires hactenus ostendisse videbat. Proinde verebatur, ne forte sub dio pernoctandum ei fuerit, ne lecto, potu ciboque careret, absente se matre quotidianum eius victus administra. Et sane per eos tres dies creditur diversatus puer Iesus in templo, aut hospitali pauperum, et ostiatim cibum mendicasse, ut superius ex d. Bernardo docuimus; nam miraculo usum esse, aut angelorum ministerio non est verisimile. Hac igitur de causa moestissima Mater valde dolebat, sciens filium suum iam inde a nativitate sua multas aerumnas sponte ad peccatorum nostrorum expiationem pertulisse. Ad haec dolebat ex timore negligentiae propriae in custodiendo tali deposito. Licet enim Maria sine culpa, sicut iam diximus, carissimum pignus amisisset, sed quia sancti homines semper seipsos suspectos habent, ut d. Gregorius ait: *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est:* ideo B. Virgo ingentem animi dolorem et angorem ob amissum thesaurum unicum persensit: et non modicam curam, nec modicum corporis laborem nocte ac die ad puerum quaerendum et recuperandum impendit. Ut hinc etiam cognoscas quantopere hunc Filium suspexerit et amaverit, cuius gratia nullus illi labor molestus, nullum periculum fugiendum videretur.

Res est solliciti plena timoris amor.

10 Verbum Dei audientibus tria sunt necessaria.

Et tunc B. Virgo coepit in suo pectore experiri gladium illud a Simeone praedictum: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Ioan. 2, 35.

VIII. Contemplare puerum Iesum in corona doctorum sedentem, audientem eos et interrogantem, sedentem cum humilitate discipuli, cum externa quiete corpusculi, et interna sedatione collecti animi. Tria haec necessaria sunt auditoris verbum Dei, humilitas in cogitatione, modestia in actione, attentio devota in auditione.

11 Medium semper Christus amabat.

IX. Adverte Christum in medio doctorum sedentem. Medium amat Dominus. Natus mensit in medio iumentorum. Habacuc 3: *In medio duorum animalium cognosceris.* Domi fuit in medio parentum, puta inter Mariam et Ioseph; sicut enim medius est in Trinitate increata, ita medius est et in Trinitate creata, quae est Ioseph, Iesus, Maria. Baptizandus stetit in medio hominum. *Medius vestrum stetit quem vos nescitis*, Ioann. 1, 26. Concionando *operatus est salutem in medio terrae*, psal. 73, 12. Moriens pependit in medio latronum, Ioan. 19. Post resurrectionem stetit in medio discipulorum, Ioan. 20. In caelo medium tenet locum, est enim medius inter Patrem et genus humanum, utpote mediator Dei et hominum. D. Ioannes Apoc. 1 eum vidit in medio candelabrorum, et c. 5 in medio quatuor animalium, et in medio seniorum. Iudicaturus orbem terrarum sedebit in medio ovium et hircorum Matth. 25, 33: *Statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris.* Hic etiam sedet in medio doctorum, et docet. *Sedens magis docet, dum prudenter interrogat*, ait d. Hieronymus in prooemio galeato.

12 Gaudium B. Virginis ex puero Iesu invento.

X. Pensa quale et quantum Virginis gaudium fuit, cum Filium amissum post triduum in medio doctorum invenit. Tum cor illius conspecto Filio revixit, depulsoque metu ac moerore, novo et insolito gaudio dilatatum est. Tam velut illucescente sole redit lux animi serenata, abiit eclypsis triduani moeroris, pristinaeque laetitiae splendor effulsit, erupere ex oculis calidae gaudii lacrimae, quae priores illas frigidas tristitiae absterserunt. O Virgo Sacra, quis explicare sufficiat tuorum gaudiorum exuberantiam in illa hora? quis vel mente recolere deliciarum et suavitatum fluctus qui tunc in corde tuo agitabantur? dic nobis o Beata, quid sensisti, quando puerulum speciosissimum in corona doctorum conspexisti? quo iubilo, quo tripudio, quo cantico in illa hora exultasti? O pectus virgineum plusquam aeneum et adamantinum, quod tot impetus gaudiorum, tot fluctus deliciarum quibus agitatum es, sustinere potuisti! Una guttula dulcedinis, una scintilla spiritus viros sanctos rapit penitus in ecstasim et absorbet, et Virgo tenerrima, ac delicatissima tali spiritus impetu in ecstasim rapta non est, aut sensibus alienata? Non utique. Ipse namque Filius, qui eam talibus motibus impetebat interius, ipse eam roborabat exterius, ut matris officium exhiberet, sibique deserviret, se inventum in Nazareth reduceret.

13 Verba Mariae ad Iesum.

XI. Perpende Mariae modestiam. Invento Filio in templo inter doctores prae nimia laetitia non exclamat, non se disputationi interponit, non Filium interrogantem aut respondentem interpellat; sed pro modestia ac prudentia sua tacita stat, et ipsa admirans Filium disputantem audit, quoad dimisso coetu ad se reverteretur. Tunc benignissime eum excipiens, nulla data commotionis animi significatione, neque eum reprehendens; sciebat enim nullam esse in eo culpam, sed vehementer obstupescens, atque eo maiore perfusa gaudio, quo fuerat ante moerore confecta, placidissime eum alloquitur: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Hoc est: Quae causa fuit Fili mi, ob quam parentem tuum nutritium Ioseph, et me Matrem tuam tanto dolore affecisti? cur nos deserere voluisti? cur nobis insciis a nobis discessisti, quorum totum bonum, totum gaudium es? *Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.* Iosephum sibi praeponit utpote maritum reverentiae causa, et ait: *Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.* Nempe: Ecce dolentes vitam quaerebamus nostram tenebris moestitiae circumfusi; solem quaerebamus, qui nostris se conspectibus subtraxerat; moerore confecti gaudium quaerebamus, quod a nobis discesserat. Cur ergo, Fili mi, lumen oculorum nostrorum, solatium vitae nostrae, immo ipsa multo carior vita nobis te subtrahere voluisti? Fili recordare mutui affectus nostri ac pietatis erga te, simulque compassionis, cum te sub oculis nostris natum ex me paupercula pauperculum vidimus; cum anxii Herodem tecum fugimus; cum exules, inopes, et ignoti in terra Aegypti te fovimus, cum hactenus in te solo vivamus. Fili, quid nunc afflictis afflictionem addere voluisti? Arbitramur sane aliquam et iustam suscepti consilii tui rationem extare, quod hisce tribus diebus a nobis abesse volueris. Nunc autem ut omni solicitudine liberemur, expone causam quaeso, qua commotus a nobis te abiunxeris, et hic remanseris a nobis requirendus. Fui ne tui nescia, aut incuria, aut obliviosa tui, aut iniuriosa? Nescio, doce me: erro, eloquere: doleo, solare: timeo, certifica, atque ut me planius alloquaris, meque videas: *Ecce ego*, etc. Haec Mater ad Filium lacrimis, ut credo, obortis.

XII. Perpende responsum Filii ad Matrem. *Quid est quod me quaerebatis? nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Nempe: Non ignorabatis meum regnum non esse de hoc mundo? sciebatis me desursum esse, et de coelo descendisse, ideo terrena non consectari debere, sed coelestia? quorsum igitur me quaerebatis inter cognatos et notos, cum sciretis incumbere mihi redemptionis humanae negotium, cui me operam navare oportet? Iure maternam colo, sed Patrem antefero praesertim coelestem. Cogitare igitur potuistis me hoc agere negotium, hacque cogitatione quiescere, nec me cum tanto dolore quaerere. 14 Responsum pueri Iesu.

XIII. Mirare Christum puerulum parentum suorum alioquin observantissimum hic eos alloqui magna cum auctoritate, tanquam illis superiorem. Et re vera superior erat, sed nunquam tam insolita dicendi libertate usus fuerat. Insolitam libertatem assumens, sub parentum bonorum persona omnes filiorum curatores, et adolescentium institutores occulte admonuit, in negotio Dei parentum rationem non esse habendam. Iam enim venerat hora, ea qua valere incipiebat illud quod postea adultus docuit, Matt. 10. *Qui amat patrem et matrem plusquam me, non est me dignus.* Voluit igitur Dominus Iesus statim a pueritia docere filios, ut temperarent affectum carnis, omnemque parentum amorem divino postponerent. Nam in Dei Ecclesia nulla est pestis perniciosior, quam immoderatus et immensus ad consanguineos affectus: unde male ecclesiae Dei prospicitur, et gravia scandala oriuntur. Hinc postea cum laudatus fuisset a femina: *Beatus venter qui te portavit*, respondit: *quinimmo beati qui audiunt verbum Dei.* Rursus cum ei narratum esset: *Ecce mater tua et fratres tui foris stant quaerentes te*, respondit: *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei?* Ut nimirum doceret cognatorum affectum non esse magni faciendum cum agitur de honore Dei. 15 Parentum ratio non habenda in Dei negotio.

XIV. Mirare B. Virginis modestiam. Verbis Filii sui nihil opponit, licet responsi istius sensum non plene esset assecuta. Sic enim evangelista narrat: *Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.* Non quod ignorarent illum esse hominum Redemptorem ac Doctorem a Deo Patre missum in mundum; sed an ea aetate munus sibi a Patre iniunctum auspicari vellet; an eos mox deserturus, et praedicando evangelio vacaturus esset nesciebant; an modo, et quo ordine coelestis Patris negotia tractare in animo disposuisset, id inquam, exploratum non habebant. 16 Modestia B. Virginis.

XV. Contemplare Christi subiectionem per obedientiam et humilitatem. *Et erat subditus illis.* Quis? quibus? Deus hominibus. O admirandam Salvatoris obedientiam! o praedicandam in- 17 Christi humilitas.

Digitized by Google

desinenter Filii Dei humilitatem? Quid enim admirabilius, et ad humanam superbiam conterendam fortius adferri potest, quam puerum Iesum, coeli terraeque Dominum, non solum aeterno Patri, sed etiam Iosepho fabro, pauperique Matri per annum obsequi, et velut mancipium inservire, annisque triginta tam obscurum et inglorium vivere, ut pro fabri filio et fabro ab omnibus existimetur?

18 Christi obsequia parentibus exhibita. Obsequia autem quae parentibus praestitit Dominus Iesus, triplicia fuerunt, amoris, laboris et doctrinae.

Amoris. Nam, ut s. Vincentius noster in suo sermone ait, in domesticis operibus iuvit parentes in aqua, lignis, pane, vino, et aliis rebus ad victum necessariis afferendis, ministrans eis ceu servulus sedulus cum devota humilitate, alacritate, reverentia. O spectaculum hominum, et angelorum!

19 Labores Christi in adolescentia. Laboris. Nam cum patre suo nutritio Ioseph, utpote fabro lignario, ligna secabat, trabes attollebat, serram reciprocabat. S. Iustinus addit quod aratra et iuga fabricabat, ut suam parentumque paupertatem adiuvaret. Hinc mirantes doctrinam eius aiebant: *Nonne hic est faber, filius Mariae?* Marci 6. Hoc autem dicebant, quia fabrilem artem eum exercuisse sciebant, nec scholas unquam frequentasse noverant. Unde admirantes eius sapientiam Ioann. 7, 15 dicebant: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?*

20 Doctrinae. Nam doctrinam divinorum parentibus tradebat. Sanctus Vincentius noster in serm. de assumptione Virginis narrat, B. M. Virginem, ut postea Magdalena, ad pedes Iesu saepius sedisse, audiens suscitansque secreta multa. Similiter faciebat et Ioseph. Cogita quae fuerit illius sanctissimae familiae disciplina, religio, contemplatio, frugalitas, honestas, pax, exultatio, quando cum Deo vero carne humana vestito varios de rebus divinis sermones miscebant, una cum eo de frugalissima mensa cibum capiebant, una cum eo precationi se dabant, nunquam ab eius latere longius abscedentes. Quod putas gaudium, quae so-

Gaudia Mariae ex convictu, et conversatione cum Christo. latia Maria et Ioseph habuerunt, cum coram hoc propitiatorio sacrae humanitatis Christi velut duo cherubim stabant, defixis obtutibus mente suspensi haerebant, non capientes hanc divinae in homines caritatis et bonitatis immensitatem. Cumulavit hoc eorum gaudium tam diuturna, familiaris ac domestica consuetudo, et quo diutius Christo perfruebantur, eo maiore semper abundantia coelestium bonorum ac gaudiorum perfundebantur. O quantum gaudebant, cum fontem omnium bonorum, Deum hominem, Conditorem ac Salvatorem suum domi habebant, cuius oculorum uno conjectu mirum in modum exhilarabantur; cuius suavissimo sermone recreabantur, et ad omnem coelestis disciplinae rationem instituebantur; cuius factis et exemplis quotidianis ad praeclaras quasque virtutes incitabantur. O quanto gaudio replebantur, quando eum, quem amore diligebant, quem Creatorem et Dominum omnium sciebant, secum egentem, secum mensae accumbentem, secum in nocturnas preces se dantem, secum labori manuum parandi victus causa vacantem, et quaecumque nosse vellent se dulci affatu docentem habebant. Neque enim fere cum alio quopiam versabantur, quam cum amantissimo filio quem ipsa vita cariorem habebant.

Oratio ad B. Virginem. Per hoc igitur immensum, maximeque diuturnum gaudium, quod tibi o millies beata Mater tot annorum Filii tui domesticus usus ac familiaris convictus attulit, te oramus et obsecramus, ut in eo uno defigantur nostrae cogitationes, nostrae curae, nostrae spes, et expectationes, nostra solatia, et gaudia, utriusque fortunae tam prosperae, quam adversae praesidia, semper eum praesentem cogitatione circumferamus, absentem requiramus, nobiscum manentem complectamur. Ad eum suspiremus, eum semper desideremus, sive nos exhilaret sua consolatione, sive exerceat desolatione. Hoc te oramus, Virgo Sanctissima, per dolorem illum quem per triduum perdito filio sustinuisti; per gaudium quod habuisti, cum Ierosolymis perditum reperisti, repertum recepisti, domumque reduxisti. Obsecramus, ut et nos filium tuum Dominum nostrum inveniamus, absente eo lugeamus, praesente gaudeamus, cui cor nostrum semper commendatum habeamus, ne vagari nos per vana permittat. Amen.

SECUNDA PARS SANCTISSIMI ROSARII

CONTINENS MYSTERIA DOLOROSA

Primum oratio in horto: secundum flagellatio: tertium coronatio spinea: quartum baiulatio crucis: quintum crucifixio.

DISCURSUS CCCXLI

QUID MEDITANDUM IN PRIMO MYSTERIO DOLOROSO

1 Primum mysterium dolorosum agoniam Christi in horto Oliveti, trepidationem et pavorem, tristitiam, moerorem, taedium, atque ex toto eius corpore profluentem sanguinis sudorem, nec non eius comprehensionem a Iudaeis nobis ob oculos ponit. Quod recolens meditaberis quae sequuntur.

2 Vale quod Christus Matri suae dixit in termino vitae. I. Meditare illud triste ac dolorosum vale quod Redemptor Iesus, antequam postremum Pascha cum discipulis suis celebraturus Ierosolyma abiret, Matri suae benedictae dixit, omniaque quae sibi ventura erant, communicavit. Licet enim sancti evangelistae hoc non referant, communis tamen contemplativorum omnium sententia probat. Si enim Spiritus sanctus d. Paulo praedixerat vincula carceris, et aerumnas quas pro nomine Iesu Ierosolymis passurus erat, Act. 20, cur non pie cogitemus Dei Filium dulcissimae Matri suae dolores proposuisse, quos illa passura erat in ipsius passione? Dum tamen instantes sibi cruciatus dulcissimus filius Matri suae proponit, simul etiam divinam voluntatem proposuit, cui Virgo obsequentissima erat, ne tam gravi dolore cor

Dolor B. Virginis unde. matris sauciare videretur. Hoc tamen non obstante B. Virgo ingentes cruciatus in anima sensit; cor namque eius amor simul et obedientia miris convulsionibus pulsabat. Hinc caro luctabatur, illinc spiritus promptus erat; affectus matris cruciatus filii abhorrebat, voluntas Deo perfecte resignata non remurmurabat; summa amaritudo una cum dulcedine in illo sacratissimo corde erat. Sed satius est amaritudinem hanc in corde nostro sentire, quam multis verbis eam amplificare. Tibi itaque eam recogitandam relinquo.

II. Recole luctuosum ac dolorosum Christi ingressum in hortum. *Venit*, inquit s. evangelista, *in montem olivarum, ubi erat hortus*. Vide ut gratiosissimus hinnulus cervorum Virginis Mariae filius a sceleribus nostris pulsus, et exagitatus ad montem confugiat. *Montes excelsi cervis.* Atque ut vivi se sanguinis ac sudoris sui fontibus immergat, venit saliens in montibus, transiliens colles, exultabundus ad mortem properat, quo nos optatam illius in morte vitam inveniamus, ac in lacrimis eius medicinalibus sanitatem recuperemus. 3

III. Considera hortum in quem Salvator ingreditur. Non erat hortus iste amoenus, ut ille in quo Adam peccavit; sed doloribus, anxietatibus ac moestitia plenus. Hortus ille germinavit Adamo flores, lilia, rosas, et omnia generis fructus; hortus iste produxit Salvatori nostro spinas et tribulos acerbitatum, cruciatuum, ac dolorum interiorum. Properabat Dominus ad hortum istum, ut operi nostrae redemptionis tantopere desiderato ibi principium daret. Festinabat ad hortum, ut ubi genus humanum infirmari coepisset, ibi coelestis medicus pharmaci praestantissimi praeparationem meditaretur, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. In horto primus Adam peccavit, et totum genus humanum perdidit: in horto secundus Adam primordia salutis nostrae operari incipit. 4 Cur Christus oravit in horto.

Digitized by Google

5 IV. Oculos mentis tuae aperi, et vide quae pharmaca pro salute nostra Medicus coelestis in hos horto praeparet, dolorem nempe, tristitiam, moestitiam, pavorem, taedium, orationem et sudorem sanguineum. *Coepit*, inquit evangelium, *contristari et moestus esse*; et alibi: *Coepit pavere et taedere*; et s. Lucas 22, 41: *Positis genibus orabat*, et vers. 44: *Factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.* Tibi, o anima fidelis, Salvator dolet, tibi tristetur, tibi moeret, tibi pavet, tibi taedio afficitur, tibi orat, tibi sanguine sudat.

6
Cur doluit Christus in horto.

1. Tibi dolet. Christus, inquit s. Thomas 3 p. q. 46, art. 6 ad 4, non solum doluit pro amissione vitae corporalis, sed etiam pro peccatis omnium hominum, qui dolor excessit in Christo omnem dolorem hominis contriti, sive a damnis, sive e turpitudine peccati provenientem; tum quia ex maiore sapientia et caritate processit, ex quibus dolor contritionis augetur; tum quia pro omnium peccatorum malitia et turpitudine simul doluit, secundum illud Isai. 53, 4: *Vere... dolores nostros ipse portavit.* Si ille pro nobis non doluisset, cuncti dolores nostri pro peccatis cassi et vani fuissent, nunc autem ad delenda peccata magnam vim habent. *Si impius egerit poenitentiam,... omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor*, Ezech. 18, 21, 22. Quia ex hoc Christi dolores efficaciam dant.

7
Christus cur tristatur in horto.

2. Tibi tristetur. Observabatur animo eius abominabilis illa populi iudaici ingratitudo ac perfidia, qui eum uti Messiam non receperunt, immo malitiosissime repudiarunt. *Non habemus regem*, clamabant, *nisi Caesarem. Tolle, tolle, crucifige eum.* Affligebat cor eius Iudae proditoris facinus, fuga discipulorum, Petri negatio, Matris compassio praevisa; sed maxime tot hominum caecitas. Praevidebat enim innumeras ingratos, ac plane perditos christianos pro quibus pretiosissimum sanguinem suum die sequenti, et hac ipsa nocte effusurus erat, nullum omnino ex passione sua fructum percepturos, et liberae voluntatis malitia efficacissimum illud contra mortem aeternam antidotum neglecturos. Hinc merito tunc dicere poterat Salvator illud psalmi 29, 10: *Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Hoc est: Quid tibi proderit, o perfide, o perverse christiane, dum ego pro te tot tormenta patior, dum pro te in cruce morior, cum tu passionis meae fructum a te repellis, cum tu peccatis tuis me iterum crucifigis? Tibi itaque tristetur Dominus, videns te nolle de peccatis tuis conteri dolore, declinare a malo, et facere bonum, vitam tuam emendare, veterem hominem deponere. Tibi, inquam, tristatur videns te praecipiti cursu ad inferni incendia properare, ac sibimetipsi interitum accersere. O summam ingratitudinem! o deplorandam dementiam! Surda aure haec pertransies, levi pede praeteribis, in postremis repones tam acerbam Salvatoris tui tristitiam? O ingrate peccator! Salvator tuus tristis est pro te usque ad mortem, et tu crede mihi contristaberis, cum ingratitudinem tuam perpetua tristitia in inferno expiabis, nisi iam Christo Salvatori tuo tui causa contristato condolueris. Tunc anima tua contristabitur usque ad mortem, nam tristitia illa nunquam morietur. Eia igitur anima fidelis sponso tuo moerore prostrato compatere.

In peccatorem invectiva.

8
Christus cur moeret.

3. Tibi moeret. Quid est (interrogat s. Augustinus lib. Praenostic.) quod Christus in horto ante mortem turbatus est, nisi quia infirmos nos ac imbecilles infirmitatis suae similitudine consolatur? aut si quis peccatorum suorum multitudine aut magnitudine commotus imminente morte turbatur, ne hoc ipso se reprobum putans peiore desperationis morbo absorbeatur? Et s. Ambrosius lib. 10 in Lucam ait: *Pro me doluit, qui pro se nihil haberet, quod doleret: et sequestrata declaratione divinitatis aeternae, taedio meae infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, ut mihi suam laetitiam clargiretur.*

9
Christus cur pavet.

4. Tibi pavet. Occurrebat menti eius illa tam probrosa, tam foeda inter duos latrones mors. Stabant ante oculos catenae, flagella, virgae, spinae, clavi, lancea, crux, gravissima tormenta, contumeliae horribiles, verbera, et vulnera sine numero, sine mensura, sine modo. Hoc eum afflixit, hoc terrore percussit. Sed magis iustitiae divinae severitas, cui se pro peccatis nostris voluntarie subiecit. Non ignorabat se propter scelus populi sui percutiendum; non eum latebat, quam horrendum et ingens monstrum esset peccatum; optime sciebat, quam horrendum esset incidere in manus Dei viventis. Historiae produnt, virum quemdam, mortis sententia in diem crastinum producta, nocte una tota capite incanuisse. Salvator noster mortis sententia horrendo peccati monstro, ac severa divina iustitia sibi ob oculos proposita, totus palpitat, contremiscit, pavet. *Coepit taedere et pavere.* Tibi igitur pavebat o peccator, non sui, sed tui causa trepidabat. Pro mysticis suis membris caput angi voluit, exhausit medicus infirmorum potionem, dux belli militum trepidationem in se suscepit, pater optimus liberorum omnes curas ad se traxit, quo sanitatem, animi robur, constantiam, pacem, tranquillitatemque sis conferret. Sanctissimus pro peccatore, innocentissimus pro iniusto pavebat, trepidabat, contremiscebat; et homo peccator mortem aeternam non timet, non formidat, non fugit. Expavesces tamen, et perhorresces, o insensate, cum atrocia tormenta sceleribus tuis parata videbis. Ah Domine Iesu, sit mihi iste timor tuus scutum inexpugnabile adversus omnem timorem, quem tartareus hostis in hora mortis meae mihi iniicere tentabit. Tecum nunc timeo peccatum, horresco aeterna illa tormenta, formido inferni supplicia, ut in hora mortis meae cum fiducia coram te me sistam, et favorabilem in tuo tribunali sententiam referam.

In peccatorem invectiva.

5. Tibi taedio afficitur. Taedium apud eos, qui divinae gratiae atque misericordiae obicem ponunt, est primus ad laqueum gradus, primus ad desperationem stimulus. Voluit ergo benignissimus Dominus noster huius etiam passionis acerbitatem degustare, ut nostram spem erigeret, ut nostros terrores ac formidines, quae saepius nos ad desperationem provocant, tolleret, et corda nostra exultatione ac iubilo repleret. 10

6. Tibi orat. Mentis oculos eleva, et apparatum eius ad orationem diligenter considera. 1. Avulsus est ab apostolis. 2. Processit quantum iactus est lapidis. 3. Positis genibus orabat. 4. Procidit in faciem suam super terram. 5. Ter orationem suam repetiit. 11

Orationis Christi in horto apparatus.

Avulsus est ab apostolis, quasi amorem suum quem erga eos habuit, declarans. Avulsus est ab eis, ut solet avelli magna arbor a suis radicibus violento ventorum impetu agitata. Dura est amicorum ab invicem divulsio, dura coniugum separatio, sed nihil est, si cum tenero Redemptoris nostri erga discipulos amore conferatur. Avulsus est ab eis, ostendens quam firmiter in eorum cordibus per amorem radicatus erat. 12

Processit quantum iactus est lapidis, ut ostenderet et doceret solitariam debere esse orationem et contemplationem. Hic sancti patres Deum oraturi a mundi strepitu se sequestrabant, solitudines quaerebant. David psal. 54, 8 aiebat: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Anachoretae miras adinventiones in oratione faciebant. Alius multis annis erectus in columna stetit, alius viginti annis omne hominum commercium fugit, alius in silentio summo septem annos exegit, alter toto vitae tempore uno loco arcte reclusus nunquam inde egressus est. Sancta Catharina senensis inter turbationes populares ac strepitus suo sibi in corde solitudinem et eremum fabricabat. 13

Oratio solitaria commendatur.

Positis genibus orabat. In quo insignem Christi humilitatem considera. Posuit genua sua in terram, cui flectitur omne genu coelestium, terrestrium et inferorum. Simulque deplora illorum superbiam, qui ne forte sua commaculent vestimenta, in templis unum dumtaxat genu inflectunt. Tu semper utroque poplite flexo exemplo Christi in oratione perseverare stude. Sic exemplo illius s. Bartholomaeus apostolus ducenties per diem genua flectebat. Sic s. Iacobus apostolus poplites a frequentiore genuflexione instar calli obduratos habebat. S. Antonius saepenumero biduum et binoctium flexis poplitibus in oratione consumebat. S. Paulus anachoreta ita genua curvare solitus erat, ut etiam poplite flexo expiraret. 14

Genu utroque in oratione curvandum.

Procidit in faciem suam super terram. Genua flexisse non contentus, ecce in faciem procidit, quasi gravi onere pressus in terram cadit. Et vere gravi onere pressus erat, omnibus namque sceleribus nostris onustus fuit. *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.* Grave onus peccati esse quis nesciat, quod nec coelum, nec terra, nec mare sustinere potuit? Non tulit coelum scelus angeli, non tulit terra rebellionem Core et sociorum, non tulit mare inobedientiam Ionae. O pondus importabile et inexplicabile, quod Deum ipsum de coelo in praesepe detraxisti, et in hac agonia fortissimum gigantem in terram prostrasti. 15

Prima ratio cur Christus in faciem procidit.

Peccatum quam grave sit.

Procidit in faciem ob verecundiam. Quamvis enim ipse immaculatus esset, quia tamen omnium peccatorum personas sustinebat, oraturus ante tribunal Patris quasi pudibundus vultum suum abscondit. Ac si diceret: Deus meus confunder et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam tot iniquitatibus omnium hominum obrutus sum.

Secunda ratio.

Digitized by Google

Tertia ratio.

Procidit in terram, quasi deosculans terram, et gratias illi referens, quod instrumenta passionis quam ille ardenti desiderio expectabat, procrearet. Nimirum: Gratias tibi ago terra, quod funes quibus ligaturus sum, protulisti; spinas quibus coronaturus sum, edidisti; arundinem pro sceptro in manu pendendam praebuisti; ferrum in clavos, et lanceam quibus manus, pedes et latus perforandi sunt, subministrasti; lignum crucis in quo affigendus sum, procreasti.

Quarta ratio.

Procidit in terram quasi terram benedicens, antea enim maledixerat ei: *Maledicta terra in opere tuo.* Nunc vero, deposita ira, pretioso vultus sui tactu eam benedicit et sanctificat.

Quinta ratio.

Procidit in terram, ut devictis hostibus, coronae accipiendae sese aptaret. Imperatores qui victores extiterunt, non stantes, sed decorum adorantes coronam accipiunt. Ita Redemptor noster initio certaminis sese prosternit, ut certam victoriae coronam accipiat. Iunius Brutus terram exosculatus est, ut regnum Romanorum obtineret; osculum enim hoc promittebat illi qui matrem primo oscularetur. Valerius Maximus lib. 5, c. 3. Christus regnaturus in orbe terram osculatur, et in brevi potestatem accepit: *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in coelo et in terra*, Matth. 28, 18 (1).

16 Cur ter eandem orationem repetiit.

Ter orationem suam repetiit; quia sanctissimae Trinitati suas preces offerebat, et pro persona triplicis generis orabat; scilicet pro se, ut liberaretur, si voluntas Dei esset; pro discipulis, ne quid paterentur, ne scandalizati obdurescerent, ne Petrus impoenitens in sua infidelitate permaneret; pro omnibus fidelibus, ut calix passionis ad illos perveniret, et illis prodesset.

17 Sudor sanguineus in Christo unde.

7. Tibi sanguine sudat. O admirabile genus medicinae! Quis unquam vidit? quis audivit medicum pro febricitante aegroto sudorifero accepto pharmaco sudare, ut febris decumbentis propellatur, et sanitas infirmata restauretur? Hic ecce est noster coelestis Medicus, qui de se Matth. 9, 12 ait: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Unde animae tuae, o dulcissime Redemptor, tam vehemens timor? unde tanti sudoris anxietas? Tanta fuit huius interni moeroris, tristitiae ac timoris acerbitas, ut cor Iesu in summas angustias redigeret, ac toto corpore cruentum sudorem eliceret. Non tamen tanto timori cessit voluntas Iesu, nec se opprimi passa est, quia mortem pro salute generis humani desideraret. Haec fuit agonia illa et lucta inter sensus corporeus, et voluntatem Salvatoris. Sensus mortem refugiebant, timebant, dolebant: timor universum sanguinem ad cor tutandum interius occulta vi colligebat: amor in extimas partes corporis eundem sanguinem magno impetu propellebat. Vicit tandem amor timorem, sed non sine multo sanguine vicit; magno ei statit illa cruenta victoria, cuius sudor iste sanguineus testis extitit.

18 Haemorrhois serpens quam venenatus.

Christus cur sanguine sudat.

Ulterius, sanguinem sudare voluit, ut nos ipsius sudore sanaremur. Haemorrhois serpens a sanguinis fluxu sic appellatus, si quempiam momorderit, laido veneno, et aconito suo ita totum sanguinem intra venas commovet et exagitat, ut certatim in exteriores corporis partes erumpat, totumque corpus cruentet, ut Lucanus lib. 9 bellorum civil. meminit. Haemorrhois serpens peccatum est. Eccl. 21, 2: *Quasi a facie colubri fuge peccata.* Hic coluber dirissimus et plane horribilis sacrosanctum cor Salvatoris mordebat, diripiebat, dilaniabat, dum ille omnia et singula hominum scelera quae unquam perpetraverunt, adhuc perpetrent, et usque ad finem mundi perpetraturi sunt, velut in speculo conspiceret; et ob eam causam sanctissimum corpus eius totum sanguine perfusum, ac sanguine cruentatum fuit. Finge tibi in animo hominem cor apertum et patentia viscera gestantem, et horribiles aliquot serpentes cordi eius adhaerescentes, et miserum illum terribiliter affligentes. Tale tunc sacrosanctum cor nostri Salvatoris erat. Quot unquam peccata homines ab exordio mundi commiserunt, et usque ad consummationem eius commissuri sunt, in sua imaginatione velut in tabula depicta cernebat, quorum intuitus tantopere cor eius afflixit, ut instar innumerabilium serpentum illud lancinaret, excruciaret, dilaniaret. Hinc in totius corporis membris, immo et omnibus poris copiosus sanguis diffusus ac dispersus est. *Et factus est sudor eius*, o tot ferocissimis haemorrhoidibus elicitus et provocatus, *sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.*

19 Ad Christum in horto agonizantem oratio.

Sanctus Irenaeus martyr lib. 3 cont. haeres. affirmat Christum globos sanguinis sudasse. O cor saxeum, et plusquam adamantinum, quod tanta tam pretiosi sanguinis copia non emollescit! O Domine Iesu, fac obsecro, ut tecum ponar in agone, intime dolendo de peccatis meis. Tu Domine agonizas, tu sanguinem sudas, non pro tuis, sed pro meis peccatis, et ego tibi non condoleam? Tibi sanguineus sudor ex omnibus membris erumpit, ego neque unam lacrimulam effundam? Tu abstructo omnis solatii fonte, in hoc agone velut in mari amaro tribulationum totus absorptus es, et ego solatia quaeram? Absit hoc a me Domine: tecum sudare cupio. Da igitur, benignissime Iesu, ut hic tuus dolor, hic sanguineus sudor in ultima vitae meae periodo me recreet, erigat, confirmet et confortet. Haec agonia, hic sudor prae ceteris dominicae passionis punctis homines devotos magis solatur, recreat, confirmat, erigit. Sanctus Carolus Borromaeus dum in imaginem in qua haec agonia expressa erat, aspiceret, et in profunda huius mysterii contemplatione fixus detineretur, cum maxima consolatione ex hac vita migravit. Alia sancta quaedam abbatissa erga passionem Domini mirifice affecta tunc expirasse legitur, et recte in coelum evolasse, cum hic illi agon praelegeretur. O sublimem, o salutiferam contemplandi materiam!

Agoniam Christi in horto contemplari quam salubre.

S. Carolus agoniam Christi in horto contemplans sancte obiit.

20 Oratio Christi in horto.

V. Aures mentis tuae arrige, et Christum in horto pro se et pro te ferventius orantem ausculta. Sic enim orat: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.* Pater mi. O verbum dulce! fiduciam spirans! *Pater mi*, ego sum ille filius tuus ex tua substantia ab aeterno genitus, tibi coaeternus, coaequalis, ac consubstantialis Deus. Ego sum ille ad quem per os prophetae dixisti: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Cui testimonium e coelo praebuisti: *Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me, idcirco precor, respice in me. Ego enim sum ille innocentissimus, ille sanctissimus, qui semper talis ab aeterno fui. Tormenta omnia et singula quae me hac nocte et die crastina expectant, velut in speculo repraesentata conspicio, asperitatem singulorum iam iam praesentio, amaritudinem calicis huius interiori mentis palato iam praegusto. *Si possibile est, transeat a me calix iste.* Non dubito te omnia posse, idcirco me totum voluntati tuae subiicio: desiderium quidem carnis contradicit, et mortem tanquam sibi inimicam fugit: sed voluntas prompta est, et appetitus superior non horret mortem, immo salutem humani generis desiderat. *Fiat voluntas tua.* Si Pater aeterne, tibi pridem constitutum est, en me sisto: manus, pedes laqueis et clavis, dorsum flagellis et virgis, caput spinis, latus lanceae, totum denique corpus meum tormentis trado. *Fiat voluntas tua.* O amor! o pietas! o devotio! Toties repetit: *Fiat voluntas tua*, ut te doceat voluntatem tuam debere subiici in omnibus divinae voluntati. Orat, ut doceat non esse desperandum in quavis adversitate.

21 Angeli Gabrielis ad Christum in horto agonizantem oratio.

VI. Oculos mentis attolle, et angelum Gabrielem, ut pii credunt, spectabili corpore indutum vide; eumque summa cum reverentia vultuque commiserationis plenissimo Christum alloquentem ausculta. O princeps coeli et terrae, Deus aeterne, rerum omnium Creator, Pater tuus coelestis videns te in summo dolore ac tristitia, ac extrema pene agonia positum, in terra prostratum, et orationi iam diu ferventissime insistentem me misit, ut te inviserem, et de iis quae tu ab omni aeternitate melius nosti, tecum dissererem. Nate Deo, Deus homo, Iesu Christe, recordare decreti, quod cum Patre et Spiritu sancto ab aeterno de redimendo genere humano fecisti. Memento quod ab aeterno pro salute generis humani te ad mortem sponte obtulisti, et voluntatem tuam sanctis patribus in limbo existentibus per prophetas intimasti. Vide quam potens factus sit daemon in mundo, et quam iniuste possideat animas sanctorum: quantam catervam in vinculis teneat amicorum tuorum. Ergo exsuscita animum, vires repara, in arenam descende. Hoc superus coelitum coetus spectat, hoc medius mortalium, hoc inferus orbis in limbo patrum expectat. Probe nosti, Domine, venisse iam plenitudinem temporis, quo genus humanum ab aeterno interitu redimendum est. Te spectat et expectat tota misera humana natura, ad te anhelat et suspirat afflicta in limbo patrum caterva. Eia igitur, o Rex hominum et angelorum, viriliter age, et confortetur cor tuum. Docuisti mul-

(1) *Quae conventio Christi ad Belial?* iuvat hic tandem exclamare. Auctor noster saepe in hoc opere sumit exempla, comparationes, imagines pro rebus sacris, immo sanctissimis, ut hoc in loco, ex factis gentilium. Potestne ullo modo comparari Christus cum Bruto? an desunt in sacra Scriptura exempla sumenda, an potius non superabundant? Patres exemplo apostoli Pauli raro id fecerunt, et quando ratio peculiaris hoc suadebat esse utile. Caveant igitur adolescentes clerici qui hos discursus legunt, imitari auctorem, qui in hoc est valde reprehensibilis. *Editor.*

tas, et manus lassas roborasti: vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti. Perge igitur, et opus tamdiu a te desideratum, iamque a triginta annis inchoatum perfice. Sacrificium quod ab aeterno offerre statuisti, feliciter perage. Atrox quidem est dolor quem perfers, grandis ignominia quam sustines, gravissima tormenta quae passurus es; sed admirabilis fructus, ineffabilis gloria, summus honor accrescet humanitati tuae, et toti generi humano. Humanitas tua ad dexteram Patris collocabitur. Bibe ergo Domine calicem hunc, tibi certo est victoria. Sed si tu calicem mortis non biberis, sane supposito Patris decreto, omnes illum in aeterna gehennae damnatione bibent. Et vale o angelorum columen et lumen, o salutis aeternae unicum praesidium, anchora et asylum. Adeste huc afflicti, tribulati, qui estis in tenebris carceris, dolorum, ignominiarum, Christum aspicite, et spem in Deo collocate. Si enim Deus Christum in moestitia et doloribus confortavit et glorificavit: et vos eius membra pariter corroborabit, liberabit, et gloriosos efficiet.

Pro tribulatis solatium.

22
Apostolorum somnus in horto quid denotat.

VII. Christum discipulos dormientes invisentem intuere. Cum iam longo tempore orasset, et ab angelo confortatus esset, venerabilem vultum suum paulisper elevans a terra, a tantis pavoribus, tantisque taediis ac moeroribus in illa agone exantlatis, totus adhuc sudore sanguineo madidus venit ad discipulos, et invenit eos dormientes. Dum Christus sudat, omnes dormiunt; quandum ille nos sudore suo salvabat, nos in peccatis nostris dormientes reperiebat. Discipuli dormientes typus erant socordiae nostrae. Dormiebant illi nocte a moestitia ad somnum inducti: dormimus nos nocte peccati, crassa caligine vitiorum, tristitia in rebus divinis obruti. Oculi discipulorum erant gravati: intellectus nostri oculi gravi somno erant pressi; temporalia enim et terrena meditantes coelestia non cogitamus, neque curamus. O letargum pestiferum! Dominus pro nobis vigilat, orat, tristatur, sanguine perfunditur: nos in utramque aurem dormimus de aeterna salute minime solliciti. Hostis tartareus vigilat, circuit quaerens quem devoret: nos dormimus, et altum stertimus. Vigilat ille cum ludo, hic cum furto, alius cum carne, alter cum daemone: qui vigilet cum Christo, rarus et fere nullus est. O somnolentiam! o ingratitudinem!

Somnus peccatorum laxatur.

23
Iudae proditoris apparatus ad comprehendendum Christum.

VIII. Post haec oculos levabis, et armatam illam cohortem cui se Iudas ducem praebuit, videbis. *Adhuc eo loquente*, inquit s. evangelista Matthaeus 26, 47, *ecce Iudas unus ex duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus*, cum laternis, et facibus et armis missi a principibus sacerdotum et senioribus populi. Aderant ibi nobiles et ignobiles: nobiles magno numero, eorumque tribuni ac praefecti, aulici Pilati, domestici pontificum Annae, Caiphae aliorumque magistratuum. Non deerant lixae, et calones, et ex infima plebis faeces, perditissimi quique samnones. Cogita quantum convulneravit cor piissimi Iesu multitudo illa, cuius erat dux Iudas paulo ante discipulus, nunc proditor, paulo ante apostolus, nunc apostata, paulo ante socius, nunc latro. Evenit Domino Iesu, quod olim propheta in persona ipsius dixit psal. 40, 10: *Homo pacis meae in quo speravi: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*. Stratagema proditoris s. evangelista narrat: *Et confestim accedens ad Iesum dixit: Ave, Rabbi. Et osculatus est eum*, Matth. 26, 49. Hoc osculum multo amplius transfixit et vulneravit cor Iesu, quam si millenae in illud sagittae contorquerentur. Sanctus Leo papa serm. de pass. Dom. osculum istud *saevius omnibus telis* appellat.

Iudas proditor quantopere contristavit Iesum.

24
Mansuetudo Iesu in exceptione Iudae.

IX. Considera mansuetudinem Salvatoris. Hoc tam fraudulento Iudae osculo gravissime exacerbatus contra proditorem non commovetur, non excandescit, sed nefarium apostatam benigne suaviterque ad osculum et amplexum admittit. Erat is brevioris staturae, ut in s. Birgittae revelationibus lib. 48, cap. 69 legimus. Cum igitur ad sacratissimam Christi faciem pertingere non posset, Christus venerandum caput suum profundius inclinavit, ut osculum illud perversum ac veneno plenum exciperet, et dixit: *Amice ad quid venisti?* Ac si dicat: In hoc aggravatur tuum peccatum, quia sub specie pacis et amoris officium proditoris exequeris. *Ad quid venisti?* hoc est considera ad quam horrendum facinus patrandum accedis. Amoris pignore vulnus infligis: caritatis officio sanguinem fundis: et pacis instrumento mortem irrogas: servus Dominum, discipulus prodis Magistrum: ex milite Dei factus miles diaboli. Deinde nuncupat ipsum nomine proprio: *Iuda, osculo filium hominis tradis?* Credibile est dolosum nebulonem oscula adhibuisse urbanitates, adiisse Dominum detecto capite, curvatoque corpore: Christum autem tetendisse manus amplexaturas, et vultu hilari illum excepisse. Cui dixit: *Iuda, osculo filium hominis tradis?* Id est venenum infundis osculo, quo gratia caritatis infunditur: caritatis officio sanguinem fundis, pro pignore amoris vulnus infligis? *filium hominis tradis*, qui propter hominum salutem descendit de coelis? filium hominis tradis, qui te ex peccatore apostolum fecit? an non legisti, quod meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta oscula odientis, Proverb. 27? Haec Christus ad Iudam.

25
Comprehensio Christi in horto quam crudelis, et ignominiosa.

X. Post haec captivitatem Christi attentius considera, et quantis cum iniuriis, opprobriis, cruciatibus fuerit coniuncta diligenter perpende. Finge te videre furibundos milites civitatem aliquam diripientes, quanto furore, quanta immanitate in omnem sexum, statum, aetatem debacchantes. Horrendum spectaculum! Nihil ibi, nisi sanguis, lasciva, incendia, virginum deflorationes, et mulierum compressiones, vociferationes, blasphemias, eiulatus, caedes, confractiones. Deficiunt mihi verba quibus hanc crudelitatem exponam, immo vix eam imaginatione complecti valeo. Ad eundem modum immanissimi Iudaei, oculatissimi illi omnium actionum ac sermonum Christi illusores, qui assiduas illi insidias ad illam usque horam tetenderant, cum diu multumque anhelassent, et in Christi necem conspirassent, et eum capere non possent, nunc demum maledictum furorem suum exsatiare cupiebant. Tanto in eum impetu tantaque immanitate incurrerunt, quanto nullus unquam maleficus, aut latro perditissimus extitit captivatus. Non contenti manus eius et brachia ferreis catenis onerasse, funes etiam collo medioque corpori iniecerant, ac manus ita fortiter arctaque constrinxerunt, ut ex digitorum extremitatibus copiosum ei sanguinem expresserint, ut s. Ioannes Damascenus meditatur. Hic fuste caedebat, alius nodosa ferrataque clava, aut tribula, aut venabulo, aut bipenni pulsabat: hic barbam, ille crines capitis vellicabat. Alii in terram prostratum pessumdabant, alii funibus et catenis hinc inde raptabant, alii pedum tunsionibus ut surgeret, compellebant. Alii per torrentem Cedron, et viam lapidibus asperrimam pronum in terram, deiectum miserrimeque attritum hinc inde in partes varias distrahebant. Nullus ibi misericordia affectus, compassio nulla, diabolicus furor omnes et singulos agebat. Si carnifex furem, aut latronem ad mortem iam condemnatum ad patibulum et supplicii locum adducturus nimis arcta colligatis manibus vinciat, et constringat, adest quandoque sacerdos, adest qui consolandi causa eum comitetur, qui rogat, ut vincula aliquantulum laxentur. Sed hic mitissime Iesu, nemo erat qui rogaret, ut tecum mitius ageretur. Sic innocens Dei Filius ligatus erat, sic ad Iudaeorum et pontificum tribunalia raptatus erat, talibus opprobriis atque contumeliis saturatus fuit nostrae salutis causa. Captus est, ut nos captivos liberaret; vinculis oneratus est, ut vincula nostra dissiparet; ligatus est, ut nos solveret, tribunalia iniusta perpessus est, ut nos iustum Dei tribunal effugeremus. Primus pater noster Adamus manus suas nimium licenter, et improvide ad pomum illud exitiale extenderat: Christus pro effraeni piaculo satisfaciens sacratissimas manus suas dolorosis vinculis obiecit. Iacebat genus humanum incarceratum, variisque scelerum suarum nexibus implicatum: Christus, ut hanc captivitatem aboleret, vincula nostra rumperet, nosque a compedibus aeternae damnationis absolveret, permisit se captivari, et instar latronis vinciri. Hi sunt funes, haec vincula, hae catenae, hae compedes, quae Salvatorem nostrum ligant et onerant. Neque Iudaei, neque ethnici, neque hostes omnes tartarei Christum ligare potuissent, si peccata nostra, et amor illius ipsum non ligasset. *Christus Dominus*, ait Ieremias Thren. 4, 20, *captus est in peccatis nostris*. Ligatus est fortissimus Samson a Dalila, sed vincula sic rupit, quomodo si rumpat quis filum de stupa tortum sputamine. Poterat tam facile rumpere vincula illa mundi Salvator, sed noluit, ut vincula nostrae pravitatis disrumperet, et nos ab aeterna captivitate liberaret.

Christus comprehensus a militibus quam indigne tractatus.

Christus comprehendi, et ligari voluit.

26
B. Virgo quid tunc faciebat, quando Christus in horto orabat.

XI. Dum haec agebantur, cogita quid tunc B. Virgo fecerit. Quod evangelistae subticuerunt, hoc infallibilis spiritualium scriptorum meditatio tradit. Cum Filius torrentem Cedron pertransibat, anima eius ingentem dolorum torrentem pertransiit. Filio dolente, tristante, pavente, moerente, orante, ipsam quoque dolentem, tristantem, paventem, moerentem, orantem fuisse minime dubium est. Summa fuit inter Christum et Mariam sympathia naturarum, complexionum, motuum, propensionum, ac vo-

tantatum coniunctio: consequenter eximia quaedam gaudiorum ac dolorum communicatio. Quod igitur pro salute nostra Christus in corpore suo de condigno, et ex omni aequitate, ac rigore iustitiae Patri satisfaciens patiebatur, hoc Maria de congruo, impetratorio, ut vocant, merito procurabat. Et tametsi illa cum Filio compassionem suam suspicabatur, in horto non erat, semper tamen animo et cogitatione ei cohaerebat, extremasque illius divini cordis angustias oculis fidei contuebatur. Si Filius mortis metu consternebatur, illius ipsa morte perterrebatur. Filio orante, illa quoque orationi insistebat, et una cum Filio dicebat: *Pater si possibile est, transeat iste calix a Filio meo.* Filio voluntatem suam in voluntate Patris resignante, et ipsa suam resignabat, dicens: *Fiat voluntas tua.* Illo in genua se abiiciente, immo in terram procidente, prosternebat se et ipsa. Illo sanguineum sudorem emittente, lacrimas illa sanguineas emittebat. Illo in agonia deficiente, et ipsa deficiebat. Cum ille ab angelo confortabatur, confortabatur et ipsa. Cum suos apostolos dormitabundos excitabat, suos ipsa sensus languore oppressos concitabat. Cum a Iuda prodebatur, dolebat: cum tradebatur, flebat: cum comprehendebatur et vinciebatur, suspirabat. Cum Ioannes cuncta quae contigerant nuntiatum veniebat, sciebat illum in via esse, et haud procul distare. Iam enim a triginta tribus annis haec omnia praesciebat, cum in Filii praesentatione quadragesimo a partu die Simeon illi praenuntiarat: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Unde ab illo die ad calicem hunc tam amarum hauriendum se disponebat. Et verisimile est, ut primum Filius Iesus fari potuit, ante omnis eum rogasse, ut hanc sibi prophetiam exponeret, et quod Filius Matri ob singularem qua eam prosequebatur, reverentiam, et obedientiam ei exponere non dubitavit. Puto etiam totis illis triginta annis quibus cum domi suae habuit, ab ipso de universa vitae sequentia mortisque serie singillatim edoctam fuisse. Secretum aliquid Abraham amicum suum Deus celare non potuit, Genes. 18, et hic idem Filius aliquid a Matre sua absconderet?

B. V. Maria in horto cum Christo quomodo oraverit, et agonizaverit.

Christi omnem passionem B. Virgo praesciebat, et unde.

27 XII. Postremo contemplare tristem illum ad B. Virginem comprehensi Redemptoris allatum nuntium. Post Christi a satellitibus comprehensionem, post apostolorum dispersionem, Ioannes apostolus recta in Bethaniam, ubi Deipara tunc versabatur, properavit, eique Filium suum dilectissimum comprehensum esse nuntiavit. Hic tu leva anima mea, hic inquam, leva te super te, et Matrem hanc incomparabiliter plus ceteris dolentem considera. Considera, inquam, quos dolores, quos cruciatus, quas amaritudines in corde suo tunc persensit. O cor omnium cordium fortissimum! o cor adamantinum quomodo disruptum non es? Matris huius afflictae dolor adeo magnus erat, ut eum mens humana comprehendere non valeat. Talem namque amittebat Filium, qualis nunquam extitit, nec quoad corpus, nec quoad animum; erat enim Deus et homo. Unde sicut nunquam talis extitit mater, nec talis filius; ita nunquam talis visa est amaritudo. Verumtamen, ut rudi quodam modo tantam Matris huius amaritudinem concipias, finge te videre filium aliquem dilectissimum in urbis direptione e matris amantis brachiis violenter ab hoste irruente abripi et abduci: quis putas dolor, quis cruciatus, quae amaritudo cor illius matris occupat? Hoc mihi plane inscrutabile videtur. Sicut enim, ut quis de materno amore diiudicet, mater sit oportet: sic quoque qui de matris huius dolore loqui vult, mater sit necesse est, et quidem talis mater, quae nec primam similem visa est, nec habere sequentem; Mater, inquam, quae Redemptoris simul et Pater et Mater erat, ut alibi probatum est. Huic ergo dolenti Matri adhaereas, et corde dicas: O benignissima Mater, per illum ineffabilem animi tui dolorem quo affecta es ex illa tristi agonia Unigeniti tui in horto, et eius sanguineo sudore, oramus et obsecramus, ut ab eodem Filio tuo nobis impetres fortitudinem in adversis, quatenus in omni perturbatione simus constantes, animoque pacato et tranquillo in omnibus nos divinae voluntati resignantes dicamus: *Fiat voluntas tua. Non quod ego volo Domine, sed quod tu vis.* Perfice, ut quaevis incommoda ad Filii tui gloriam tolerare vehementer appetamus, peccatum et mortem aeternam cum illo timeamus, tremendum Dei tribunal et iustitiam eius horreamus, calicem illum quem Filius tuus hausit, bibere cupiamus. Amen.

S. Ioannes comprehensionem Christi B. Virgini nuntiat.

Dolores B. Virginis in Christi comprehensione.

Dolor B. Virginis in comprehensione Filii quantus fuerit, declaratur.

—

DISCURSUS CCCXLI

QUID MEDITANDUM IN SECUNDO MYSTERIO DOLOROSO

Hoc mysterium turpem ignominiam Domini Iesu denudati, columnae funibus revincti, per mille durissima flagra concisi speciem ob oculos nobis ponit. In hoc igitur mysterio attente, quae sequuntur, considera. 1

I. Considera quomodo opprobria et ignominiae Domini Iesu ingrescant. Primo comprehensus et ligatus probrosam illam in domo Caiphae accepit alapam; modo in domo Pilati ignominiosam, horrendam et servilem accipit disciplinam. Festina igitur, o anima mea, ad Pilati domum, in ea namque nova spectacula videbis. Grande, stupendum, et inauditum spectaculum! Deus homo flagellis caesus, flagellis durissimis terga praebens. *Obstupescite coeli super hoc.* Dei Filius, Creator universi ad columnam ligatus horrende flagellatur. Contemplamini probrum hoc devotae mentes, et considerate Regem angelorum et hominum suis vestibus exutum, omni tegmine carentem eum qui oves plumis, animalia pilis, lilia agrorum tanto decore et pulcritudine vestit, ut ad eam nec Salomon cum omni gloria sua pertingere queat. O prodigium! o spectaculum! Currite ad hoc novum spectaculum omnes animae Christi sanguine redemptae, properate, et stupore attonitae videte et aspicite potentissimum orbis Monarcham violenter spoliatum, coram tanta vilissimorum hominum multitudine nudatum, et nudo corpore ad columnam funibus arctissime ligatum. O miraculum summae humilitatis! Quis unquam credidisset Dei Filium eo se demissurum, ut ab hominibus et pro hominibus se flagellari permitteret? quis te, o infinita Maiestas, tam valide constrinxit? quis ad hanc columnam tam arcte ligavit? 2

Quem nullus potuit vincere, vincit amor. O caritas, exclamat b. Laurentius Iustinianus lib. de ligno vitae, cap. 4, *quam magnum est vinculum tuum, quo Deus potuit ligari. Nulli compedes, nulli laquei ad columnam eum tenuissent, si tu, o amoris vinculum, defuisses!*

II. Perpende ignominiam nuditatis Iesu. Specta castissimum et verecundissimum coram spurcissimis illis verberonibus nudum consistentem. Cogita quam ineffabilem cruciatum in eius virgineo pectore nuditas illa pariebat. Virgines Milesiae nuditatem magis metuebant, quam mortem; nam cum ultro seipsas occiderent, et magistratus post mortem eas nudas per compita raptandas indixisset, metu nuditatis necem sibi inferre desierunt. Quantus putas metus nuditatis fuit in ipso puritatis fonte, virginitatis flore illibato? 3

III. Perpende circumstantias et ritus, qui sensibilissimum illum flagellationis dominicae dolorem aggravarunt. Specta in primis carnificum flagellantium multitudinem. Dicit enim sanctus evangelista Matthaeus 27, 27: *Congregaverunt ad eum universam cohortem,* quae ut historiis proditum est, sexcentis sexaginta seu militibus constabat. Porro ex flagellationis lege unumquemque militem in reum manus mittere oportebat, uti dum quis miles gladiis sociorum necandus est, suum singulis ensem vibrare necesse est; uti dum Iudaei aliquem lapidabant, omnes assistentes aliquem in reum lapidem iacere oportebat. Tunc impletum est quod longe ante Dominus per os prophetae dixerat: *Circumdederunt me sicut apes,* ps. 117, 12. Nullus enim illorum vesparum a Salvatore compungendo et rubricando se continuit tum proprio furore et rabie agitatus, tum daemonis instinctu impulsus, qui cum Salvatoris innocentiam perspiceret, acriter eos exstimulabat, ut suum, hunc affligendo, reatum aggravaret. Deinde effera illorum rabies patientia et mansuetudine Agni huius innocentissimi magis ac magis efferescebat; quippe in tot verberibus, et tusionibus quiete stabat, et in tam dira laniena verbum non loquebatur. Quod et Iosephus Flavius lib. 6 de bello iudaico singulariter notavit his verbis: *Vir ille plebeius cui nomen Iesus, qui paulo ante ierosolymitanum excidium inclamabat: vae, vae, vae, et horribiles caedes Ierosolymitanis minitabatur, ad iudicem romanum adducitur, apud quem flagris usque ad ossa dilaniatus nec lacrimas, nec preces fudit.* Maior fuit Domini Iesu in patiendo constantia, quam illorum in caedendo pertinacia: hic ferendo non cedebat, etsi illi caedendo defatigarentur. His adde iussionem duplicem: primam Pilati qui ita eum caedi volebat, ut spectantium durissima corda ad commiserationem commoveret: alteram scribarum et pharisaeorum, qui veriti ne Pilatus eum a 4

Mansuetudo Christi in flagellatione.

Flagellatio Christi tam acerba unde.

Digitized by Google

morte liberaret, carnifices qua poterant instigabant, et munera promittebant, ut ad mortem usque eum caederent, vel ad minus tam atrociter dilaniarent, ut residuum vitae in summa miseria traduceret mille mortibus deteriore.

5 Flagellationis Christi tristis apparatus.

IV. Oculos mentis tuae converte, qualitatem, gravitatem, et numerum plagarum attende. Praecipiebat olim Deus Deut. 25, ut plagis dignus coram iudicibus prosterneretur, et coram illis verberaretur, ne a iustitiae ministris castigationis modus excederetur. Plagarum autem infligendarum numerus erat intra quadragesimum. Hinc d. Paulus 2 Corinth. 11, 24: *A Iudaeis*, inquit, *quinquies quadragenas uno minus accepi*. Non enim nisi triginta novem plagas incutiebant, ne numerum quadragenarium excederent. At in Christi flagellatione nullus modus, nulla mensura servata est; non enim humi pronus et prostratus, ut in dorso tantum iudaico more castigaretur, positus erat, sed pro Romanorum consuetudine toto corpore columnae alligatus, sine mensura, sine modo flagellatus est. Alligarunt namque primo Salvatorem columnae, deinde pedes eius et manus tam arctis vinculis constrinxerunt, ut in nullam se partem convertere posset; quem cum totum in uno latere discerpsissent, et flagris dilaniassent, aliud latus foras obverterunt, ut adimpleretur quod dictum erat per prophetam: *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.*

6 Flagellationis Christi gravitas ex quatuor capitibus probatur.

Ulterius, gravitatem huius flagellationis considera. Gravitas eius ex multis capitibus ostenditur. 1. Ex denudatione. Expoliatus erat Dominus omnibus suis vestibus qui, ut dixinus, coelum astris, terram pulcherrimis floribus, arbores frondibus, aves plumis, animalia pellibus, pisces squamis, homines et angelos beatos immortali gloria vestit. Denudatur Dominus, qui sacrarum virginum Agnetis et Barbarae corpora in opprobrium nudata coelesti lumine tegere voluit: corpus autem suum tunc non texit; sed solum confusio faciem eius cooperuit, ita ut dicere posset illud psalm. 43, 16: *Confusio faciei meae cooperuit me.* Adeo autem graviter Christum Dominum ille pudor affecit, ut tunc cum psalmista dicere posset ps. 34, 15: *Congregata sunt super me flagella, et ignoravi.* Et quomodo ignorasti dulcissime Redemptor? forte tam atrocia flagella non sensisti? Sensit equidem, sed prae nimio pudore quasi ea non perciperet. *Ligatur itaque*, inquit s. Bonaventura in meditat. vitae Christi, *et diversimode flagellatur. Stat nudus coram omnibus iuvenis elegans, et verecundus, speciosus forma prae filiis hominum; suscipit spurcissimorum flagella dura et probrosa caro illa innocentissima, tenerrima, mundissima et pulcherrima; flos omnis carnis et humanae naturae repletur livoribus et fracturis; fluit undique regius sanguis de omnibus partibus corporis, superadditur, reiteratur, et spissatur livor super livorem, et fractura super fracturam.*

7 Flagellatio supplicium infame.

2. Ex ipsa flagellatione. Hoc genus supplicii erat infame apud Romanos, utpote mancipiis et latronibus consentaneum. Unde scelus erat verberare civem romanum, et patria lex virgas ab omnium Romanorum corporibus amovit, ut testatur Cicero act. 7 in Verrem. Christus ergo cum nobilissimus esset, quantum putas dedecus ex hac flagellatione sustinuit?

8 Flagellatio Christi quam gravis fuit.

3. Ex flagellationis acerbitate. S. Birgittae lib. 7 revel. cap. 10 revelatum est, adeo fuisse crudelem Christi flagellationem, ut costae illius viderentur. Quod etiam ex Iosepho Flavio paulo superius probavimus.

9 In flagellatione Christus quot plagas accepit.

4. Ex numero plagarum. S. Vincentius noster serm. de passione Domini tot plagas Christum Dominum accepisse, quot sunt totius corporis ossa, ac singulis ossibus trinas plagas seu ictus inflictos fuisse ait. Corporis autem totius ossa, ex medicorum sententia, sunt ducenta septuaginta sex. S. Bonaventura de pass. Domini dicit, Christum quinque millia plagarum, vulnera vero 5676. Sancta Gertrudis lib. 4 divin. insin. cap. 35 refert 5400 fuisse. Ioannes Aquilanus de amara Christi passione testatur, d. Bernardo revelatum fuisse Christum Dominum 6666 percussiones accepisse. In revelatione s. Birgittae, sacrae illi feminae

Flagellatio Christi quam horribilis.

a Christo ipso manifestatum fuisse se in passione sua 5475 ictus accepisse legitur. Ut ut est, certum est Christum Dominum horribilem in modum et multis plagis laceratum fuisse. Quocirca per os prophetae Christus ait: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, ps. 128, 3. Alludit ad metaphoram fabri ferrarii qui forcipe candens ferrum apprehendens, primus omnium partem malleis concutiendam signans, illud percutit, deinde artifices socii laboris ferreis martellis innumeris ictibus illud ipsum feriunt. Ita plane accidit Christo Domino, cuius corpus primo Pilatus percussit, deinde ministri acerrimis verberum ictibus immaniter illud lacerarunt. Alia translatio habet: *Supra dorsum meum araverunt peccatores*; quia sicut arantes vomeribus sulcos profundos in terra conficiunt, ita flagellationes illae sacrosanctum corpus Christi excarnificabant, ut quasi sulcos in eo efficerent.

10 Mansuetudo Christi in flagellatione.

V. Contemplare Christi mansuetudinem. D. Birgitta lib. 4, cap. 70, et lib. 1, cap. 10 narrat, quod ex revelatione didicit, Christum sponte columnam amplexum funibus ligatum fuisse. Amplexus est columnam, non ut hostes casu suo interficeret, ut quondam fecit Samson, qui apprehendens utramque columnam domus super Philisthaeos illas corruere fecit; sed ut in ea pro nobis Deo Patri satisfaciens verberaretur.

11 Flagellis qualibus Christus flagellatus.

VI. Considera flagellationis instrumenta. Triplicia flagellationis instrumenta fuisse s. Vincentius noster serm. de pass. Dom. asserit.

Flagellatio Christi quam crudelis, et atrox.

Primo spinae quae virgis insertae erant, deinde nervi et funiculi quibus hamati stimuli praefixi erant, demum ferreae uncataeque catenae. Quae omnia cum feriebant, simul frustula cutis, sanguinis, carnis et cartilaginis discerpebant. B. Laurentius Iustinianus lib. de agone Christi, capite 14 memorat, sacrosanctum et virgineum Christi corpus ita crudeliter in hac flagellorum tortura laniatum fuisse, ut ossa etiam in variis membris nudata carne et pelle apparuerint. Quod concordat cum Iosepho Flavio, de quo supra meminimus.

12

VII. Mirare et contemplare Christum prae naturalium virium defectu in terram semianimem prolapsum vix se movere posse. Sicut enim a densa grandine molles frumenti spicae in agris prosternuntur, et arborum flores et frondes decutiuntur, plantae denique et frutices ad terram affiguntur: ita pulcherrima illa arbor paradisi, flos campi, et lilium convallium innumeris verberum flagellis percussum in terram corruit.

13 Verecundia Christi. Verecundia lolli Caesaris.

Amor tamen verecundiae et pudoris illi animos et vires suppeditavit, ut collecta sua veste nuditatem tegeret, quae profecto intolerabilior illi erat dolor, quam quem iam subierat. Iulius Caesar, postquam coniuratorum pugionibus confossus in terram cecidit, vestem studiose convolvit, ut honeste caderet. Svetonius capite 28. Multo magis de Salvatore nostro id sentire debemus.

14 Flagellationis Christi causa.

VIII. Recogita tam dirissimae et immanissimae flagellationis causam. Comperio Pilatum eum flagellare iussisse, quo efferatos odioque exacerbatos Iudaeorum animos ad eius dimissionem mitigaret, et emolliret. Verum essentialis et primaria huius flagellationis causa in nobis est. Nostra siquidem peccata illum in hunc modum discerpunt et excoriant. Quocirca ipse ait: *Congregata sunt super me flagella*, intellige culparum nostrarum, *et ego noxam omnem nesciebam*. Et iterum: *Quae non rapui, tunc exsolvebam.* Sic ergo propter scelera nostra traditus est Dominus iudicibus flagellandus.

15 Flagellationi Christi B. Virgo interfuit.

IX. Gloriosam Virginem Matrem afflictissimam in hac calamitosa tragoedia oculo mentis inspice. Neque enim in dubium vocandum est, eam huius terribilis carnificinae spectatricem fuisse. Id enim licet ab evangelistis non exprimatur, gravissimi tamen doctores id constanter asserunt. D. Augustinus lib. medit. c. ultimo, et d. Anselmus opusc. de pass. Domini. Id ipsum in revelationibus b. Birgittae lib. 1, c. 10 expresse legitur. Quantum putas dolor Christi tunc excrevit, dum non solum proprium corpus, sed etiam dilectissimae Matris suae animam secum flagellari vidit et sensit? Et tibi, o moestissima Mater, quis sensus tunc erat, cum cerneres Filium a tanta carnificum multitudine circumdatum, nudum ad columnam ligatum, virgis primum, deinde hamatis flagellis, ac demum ferreis catenis ita faede, ita crudeliter usque ad ossa laniari? quid tunc animo volvebas, cum eum nec alloqui, nec solari, nec iuvare aut reficere posses? O dolendum matris cor, quomodo sat habes loci ad 5475 verbera excipienda? quomodo prae doloris magnitudine teipsum non fregisti, non rupisti, non dissecuisti in mille partes?

Dolor B. Virginis in flagellatione Christi quantus.

16 Oratio ad Christum flagellatum.

Viden Domine, et re ipsa agnosco te ob peccata mea tam atrociter caesum, et dirissime flagellatum. Da mihi obsecro, ut acerbae huius flagellationis tuae puncturas, et aculeos in corde meo sentiam. Da, ut exemplo tuo corpus meum bona mortificatione et sancta disciplina affligam.

17 Ad B. Virginem oratio.

Eia Mater dolorosa, duc nos hodie in Pilati palatium ad columnam illam, ad quam Filius tuus alligatus tam dire flagellatus est, ut una tecum videamus et sacrosanctum hunc sanguinem, pretiosa carnis frustilla quibus pavimentum circum secus gemmatum est, colligamus, et in cordium nostrorum vasis repona-

Digitized by Google

mus: cuius merito ab iracundiae divinae flagellis, nostrisque peccatis, se demum ab aeternis gehennae cruciatibus liberemur. Amen.

DISCURSUS CCCXLII

QUID MEDITANDUM IN TERTIO MYSTERIO DOLOROSO

1 In hoc mysterio spinas quas sacratissimo Christi vertici in coronae modum implexas ad supremum ludibrium et cruciatum infixere truculenti carnifices, non absque lacrimis recolimus, et quot aculei Christi tempora terebrarunt, prosciderunt, lacerarunt, a divini cruoris quo purpurascunt, maiestate tot salutis sidera, tot felicitatis fontes veneramur. Hoc igitur mysterium devoto recole.

2 I. Insonent auribus tuis illa sponsae cuilibet animae fideli dicta Cant. 3, 11: *Egredimini et videte filiae Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua*. Egredere tu, o anima christiana, e terrenis cogitationibus, et mundanis curis, et attentius considera Regem Salomonem Salvatorem tuum in diademate spineo, quo coronavit eum mater sua, immanis illa lupa, iniustissima illa noverca, synagoga Iudaeorum.

3 Caeremoniae in coronatione regis. II. In hac nova et inaudita Regis nostri coronatione specta solemnitates omnes in coronatione regis terreni servari solitas, a nefariis tortoribus ad summum dedecus et ignominiam in coronatione Regis coelestis ad unguem observatas.

4 Prima caeremonia. 1. Rex coronandus maioris decoris et gloriae gratia quotidianis vestibus exuitur, ut regali purpura amiciatur, multaque splendidius convestiatur. Nefarii tortores maioris ignominiae et dedecoris gratia post dirissimam illam flagellationem Regem regum Dominum nostrum propriis vestibus, quae concreto iam cruore carni adhaeserant, exuunt, et summa crudelitate violenter ab eius corpore abstrahunt quo avulsa simul pelle, et carnium grumis in flagellatione acceptis, Agnus mansuetissimus quasi excoriatus stetit, ex cuius sacratissimo corpore novi sanguinis rivuli certatim profluxerunt. O triste, o horrendum spectaculum! Quem ad lacrimas non concitat tanta crudelitas, saxum sit oportet non homo. Quis tibi tunc Sanctissima Mater talia cernenti

Dolor B. Virginis in coronatione Christi. sensus fuit, cum uno, eodemque tempore duplici Filium tuum quam a te acceperat, veste denudari cerneres? Una quidem tuis e visceribus e tuo compacta erat sanguine, cutis inquam; alia tunica erat opere manuum tuarum contexta. Caro enim una cum pelle eheu! avellebatur, dum tunica exueretur, adeo nuda ut ossa conspicerentur. Horribile spectaculum! Sane quoties alicuius vulnera et ulcera spectamus, horrore concutimur. Quid igitur, si vulnera et sanguinem contemplemur eius, qui sponsus est noster, Deus noster? An non igitur duplici commiseratione conclamabimur, naturali videlicet et supernaturali?

5 Secunda caeremonia. 2. Reges ungendi et coronandi purpura aut paludamento regali vestiuntur, ut maiestas eorum ac sublimitas magis repraesentetur. Purpuram qua Christus Dominus indutus fuit, d. Matthaeus chlamydem coccineam vocat, quae non solum regale, sed et imperiale indumentum fuit. Apud Macedones namque chlamys erat amictus imperatorum, ut scribit Livius libro belli punici. Sed quo regali paludamento, quali purpura Rex regum et Dominus dominantium induatur, audi eundem evangelistam c. 27, v. 28: *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei;* quam alii evangelistae appellant, *purpureum vestimentum*. Contemplativi hoc vestimentum prorsus detritum fuisse existimant: quo iam pridem sordes abstergi, et calceamenta emundari solebant, ut illum illuderent, fictitiumque et comicum regem ostenderent. Quia enim Christus intrepide se regem coram Pilato confessus est: *Tu, inquiens, dicis quia Rex sum ego;* idcirco per ludibrium tanquam irrisorio regi, et qui fatue ad titulum regni aspiraret, regalia insignia, purpuram scilicet, et coronam imponunt.

6 Vide hic, o Virgo Mater, dilectum tuum candidum et rubicundum, non iam electum, sed eiectum ex millibus; leprosi quippe similitudinem induit. Quam bene sponsa eius Ecclesia de illo canebat: *Dilectus meus candidus et rubicundus*. Candidus est in Herodis palatio veste alba indutus, rubicundus in Pilati domo veste purpurea circumdatus. Opprobrium illic, opprobrium isthic: illa alba nobis promeruisti, o bone Iesu, innocentiae candorem: ista purpurea caritatis ornatum.

7 Tertia caeremonia. 3. Capiti regio imponitur corona auro, gemmis ac pretiosis lapidibus contexta. Regis nostri capiti qualis corona imponatur ex evangelio disce. *Tunc*, ait Matthaeus 27, 27. 29, *milites praesidis ... plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius*. O ignominiam! o dolorem! Cogita quam acerbus dolor Dolor Christi in coronatione.
ille fuerit, cum spinarum aculei acutissimi et durissimi, digitali longitudine implexi, et invicem contexti sacratissimo illi capiti furioso impetu desuper, ac circum circa fuerunt impacti, et usque ad cerebri loculamenta penetrarunt, ita ut sanguis per frontem, faciem, oculos copiose deflueret, vultumque sanctissimum, in quem angeli desiderant prospicere, miserabili spectaculo obscuraret. Inauditum hoc sane martyrium fuit, et quidem tam dolorosum, ut nisi divinitatis adminiculo humanitas sustentata fuisset, ex eo ipso tormento expirasset.

4. Regi iam coronato sceptrum regiae iurisdictionis symbolum in manus traditur. At Regi angelorum et hominum quale sceptrum hi immanes carnifices tradunt? *Posuerunt*, inquit evangelista, *arundinem in manu eius*. Arundo est levis, vacua, fragilis 8 Quarta caeremonia.
et mobilis. Per illam ergo arundinem levitatem animi et inconstantiam in Salvatore nostro indicabant. Per vacuitatem Christum vacuum sensu et intellectu demonstrabant, qui alioquin plenus sapientia erat. Per fragilitatem regnum illius caducum, omnis firmitatis expers notabant. Per mobilitatem Christi inconstantiam arguebant, quasi ille quacumque vanitatis aura nunc in hanc nunc in illam partem moveretur. In summa arundine illa significare voluerunt Regem coelorum esse regem phantasticum, umbraticum, vanum, iocularem ac ludicrum, qualem pueri constituere solent, mobilem instar arundinis, mentis inopem, rationis expertem, iudicio vanum. Vel etiam per arundinem indicare volebant miracula eius non vera extitisse, sed vana falsa et ludicra. Tu cogita mansuetudinem Salvatoris, qui atrocem illam iniuriam aequo animo ferens arundinem illam aversatus non est, non corrugata fronte, indignabundo aspectu, aut torvis oculis accepit, sed gratanti animo ac placido vultu manu prehendit. Arundinem cur Christo coronato in manum dederint.

5. Rex post inaugurationem in throno regali collocatur; tum regni proceres ac primores eum adeunt, manum ad sceptrum 9 Quinta caeremonia.
eius deosculantes, omnia fausta feliciaque ei precantur, populus conclamat: *Vivat Rex, vivat Rex*. Et funesti illi Regis nostri inauguratores, dixerim potius immanissimi tortores, quid? *Genu flexo ante eum*, inquit s. evangelista, *illudebant ei dicentes: Ave Rex Iudaeorum*. O illusionem! o contemptum! Simili derisione illudunt illi qui, uno tantum poplite flexo, Dominum in templis adorant, oculis hinc inde vagantur, lascivos, infandos et impuros obtutus licenter infigunt. O impietatem! Quem angeli in coelo ut Deum et Creatorem honorant, hi sycophantae mimica adoratione excipiunt. Quem illi Dominum Regemque suum suspiciunt ac venerantur; hunc scurrae isti ut comicum et fictitium regem iactant; et ut derisionis comoediam augeant, unico tantum genu flexo, et altero antrorsum protenso Dominum subsannant. Pro te illuditur, pro te contemnitur, pro te cachinnis et ludibrio exponitur Salvator, o anima devota! Tu ergo Deum tuum ac Regem agnosce, latriae cultu ipsius maiestatem prosequere, et ex intimo cordis affectu eum saluta cum Ecclesia: *Ave Rex noster*, etc. ut est in processionali. Genu unum in Ecclesia flectentes, et garrientes taxantur.

6. Regi iam coronato, subditi, quo affectum suum erga novum principem declarent, festivos dies instituunt, tormenta explodunt, ignes accendunt, ludos equestres faciunt, aliasque comoedias ac spectacula exhibent. At sanguinarii illi lictores quam horrenda spectacula Regi nostro exhibuerint, attende. *Acceperunt*, inquit d. Matthaeus, *arundinem, et percutiebant caput eius*, spinas capiti profundius imprimentes. Alii *alapas ei dabant*, alii *exspuebant in eum*, et faciem illam venerandam foetentibus sputis conspurcabant. Tunc impletum est, quod praedictum est per Isaiam 53, 2: *Non est ei species, neque decor*. 10 Sexta caeremonia.

III. Oculos tuos leva, et aures erige, o anima mea! Vide Christum Iesum, Deum et Hominem, Redemptorem tuum flagellis concisum, spinis coronatum, purpurea chlamyde indutum, 11 Pilati ad Iudaeos sermo.
arundinem manu gestantem, toto corpore non pro suis, sed pro nostris peccatis horrendissime laniatum, in publicum veluti theatrum a Pilato productum, et eundem praesidem ad durissimam gentem iudaicam clamantem: *Ecce homo*. Hoc est: Vidistis aliquando hominem tam immaniter caesum, ut prae multitudine plagarum et vulnerum vix appareat homo? En habetis iam flagellatum, percussum, consputum, spinis coronatum, illusum, iam bene emendatum. Quiescat furor vester, cesset iracundia vestra. Si in aliquo vos offendit, iam satis abunde tam horrenda disciplina satisfecit. *Ecce Rex vester*. Ecce quem vos, o Iudaei, re-

*

gni affectati titulo accusastis, sistit se vobis non clarus imperio, sed plenus opprobrio; si regi invidetis, iam parcite, quia iam deiectum videtis. Flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis caesus est: fervet ignominia, frigescat invidia. Quid ultra saevire vultis? *Ecce Rex vester*, quem vos mihi praesentastis, et accusastis de usurpato regno. Cur adhuc ei indignamini? Aspicite et videte illum. Ecce stat ante vos humiliatus, impotens, debilis, ligatus. Timetis forte haac purpuram regiam? terrori vobis est hoc regale sceptrum quod in manu tenet? Adhuc timetis istum regem, qui similis est illi quem pueri in comoediis et in iocis faciunt. Si Deum se faciebat, iam videte illum esse hominem, immo non tam homo esse videtur, quam hominis simulacrum. Iam igitur cesset iracundia vestra. At Iudaei cautibus duriores, tygribus immaniores, belluina rabie, immo furiis infernalibus agitati, instigantibus sacerdotibus et ministris, conclamare coeperunt: *Tolle, tolle, crucifige eum*; et: *Non habemus regem, nisi Caesarem*; et: *Sanguis eius super nos et super filios nostros*; et: *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris.*

12 IV. Cogita quantum hae voces ingeminatae cor Virginis Matris sauciarunt.

13 . Tot gladiis anima Virginis transverberata est, quot huiusmodi tragicas voces audivit. *Dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus.* Et rursus Pilatus ait: *Ecce homo.*

14 Ad Virginem apostrophe. *Ecce homo!* Mater desolatissima Filius tuus ex te Virgine natus, Deus tuus. *Ecce homo*, quem illibato virginitatis tuae pudore de Spiritu sancto concepisti, peperisti, virgineo lacte pavisti; quem infantem, puerum, adolescentem summa cura ac pietate educasti; quem uti Messiam tuum, humanique generis Redemptorem summopere semper admirata es, et omnibus officiis prosecuta. Hicne est, o praeclarissima Virgo, dilectus tuus, *speciosus forma prae filiis hominum?* Tu eum agnoscis, sed perfida gens iudaica eum a se abiicit, quem patres eorum uti Messiam promissum tot saeculis expectatum expetierunt.

15 *Ecce homo.* Pater aeterne, Filius tuus Deus homo factus, mediator inter te et homines. Respice in hunc hominem, o Pater coelestis. Hic est ille Filius tuus non adoptione, sed natura, in quo tibi bene complacuisti: *Protector noster aspice Deus et respice in faciem Christi tui.* Faciem, inquam, tibi semper aspectu iucundissimam, angelis ac toti curiae coelesti reverendam, et eo magis, quo nunc est foedissime deturpata ac cruentata. Respice in eius oculos divinissimos ad te conversos, sputis, lacrimis obsitos, cruore ac sanie coopertos. Placare nobis, ac propitius esto.

16 V. Cogita quantus ibi pudor, quanta ignominia, quanta confusio fuit nostri Salvatoris. Vir nobilis omne genus mortis subire mallet, quam omni populo ferro ad collum vinctus de superiore loco spectandus proponi, qua sannis et opprobrio populari exciperetur. Hanc tamen nostri causa contumeliam excipere dignatus est Dei Filius. Ait ergo Pilatus: *Ecce homo.*

17 Haec Pilatus ad Iudaeos, ut miserando hoc aspectu eorum odium et invidiam satiaret, et Christum liberaret. Tibi quoque, o infirma et misera anima mea, haec verba dicuntur: *Ecce homo*, qui cum in forma Dei esset, amore tui factus est homo. *Ecce homo* speciosus forma prae filiis hominum nunc est deformatissimus mortalium. Non est ei species neque decor. *Ecce homo* excellentissimae humilitatis, qui causa tui adeo se demisit, ut te suae divinitatis faceret esse consortem. *Ecce homo* spectatissimae patientiae, qui cum immorigeros filios, puta genus humanum, nec flagellis nec minis emendare posset, in seipsum omnem iram divinam convertit, ac se toto corpore immaniter pro eo flagellari permisit. *Ecce homo* ardentissimae caritatis, cuius tam inflammata caritas erga nos exarsit, ut pro nobis flagellis caedi, sputis defoedari, ignominiosa veste indui, dolorosa corona redimiri, sceptro arundineo insigniri voluerit, ut nos ab aeterna captivitate liberaret, et regni coelestis haeredes faceret. *Opprobria eius*, ait d. Hieronymus, *nostrum abstulere opprobrium, vincula eius nos liberos fecerunt. Corona spinea capitis eius diadema regium adepti sumus, vulneribus eius sanati sumus.* O spinae! o peccata! quae tantum Regem pupugistis, et tam immaniter lacerastis. *Ecce homo.* O anima mea, aspice eum et vide quam bene dixerit: *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis.* Tibi etiam dicuntur illa verba, o anima mea, *Ecce Rex vester.* Tuus est iste Rex, o anima devota! Rex sanctus et sapiens, Rex mansuetus, pius, liberalis, profusus atque benevolus. Hunc tu libenti animo suscipe, et ut Regem tuum adora, et cave ne loco illius daemonis obsequiis te mancipes.

VI. Postremo intuere Matrem moestissimam Beatam Virginem, et cogita, quis dolor, quis moeror, quis cruciatus cordis eius tunc erat, quando dilectissimum Filium suum pungenti illa spinea corona redimitum, purpura detrita et pannosa indutum, sceptrum arundineum in manu sua tenentem, ludibriis expositum, alapis caesum, sputis consputum et deformatum cernebat! Dic nobis Mater afflictissima, quis tuus in mediis hisce tormentis sensus fuit? an recordata non es magnificae illius promissionis a Gabriele tibi factae: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis?* Nonne cogitabas, nonne dicebas: O angele, ubi est promissio tua? Certe cum filio Rege Reginam me fore dixisti. Ubi sedes? ubi decus? ubi gloria regni? ubi promissa maiestas? hocne est domui Iacob imperare? quomodo regnat in domo Iacob, si domus Iacob non obtemperat ei? Immo ipsum coram Pilato negat: *Non habemus regem, nisi Caesarem.* Parum est, quod negat; sed crudeliter tractat, spoliat, flagellat, deridet, conspuit, veste ignominiosa induit, corona spinea pungit, sceptro arundineo percutit. Hocne est regnare, et non magis opprobria haberi? 18 Dolor B. Virginis in Filii coronatione. B. Virgo cum angelo expostulat.

Sed angelus ad haec dicere posset: Cesset tua querimonia Virgo, veritatis nuntius non nisi vera dicere potest. Leva oculos tuos ad Filium, et vera me dixisse probabo. Numquid in Filio tuo regiae potestatis insignia non vides? non aspicis diademate coronatum? non vides purpura indutum? non cernis sceptrum in manu tenentem? non audis Regem acclamatum? non vides a militibus flexis genibus adoratum? quid refert ad regnum, serio haec an ludibrio fiant? Intellige Maria mysterium, Sacramentum magnum agnosce: ea quae perfidi homines opprobrio faciunt, apud Deum et angelos serio fiunt, et quae ludibrio dicuntur, veritate complentur; et si vis mysterium, accipe. Angelus B. Virgini respondet.

Chlamyde induitur; quia adversus tartareos duces fortiter dimicat. Chlamys ista purpurea est, quia non in cruento praelio dimicat, sed pro populo suo sanguinem suum fundit; simulque verus imperatores admonet, ut pro subditorum salute, si ita res postulet, prompto animo sanguinem suum fundere non dubitent. 19 Chlamyde cur Christus induitur.

Purpura induitur ut se hostiam esse pro peccatis totius mundi fateatur. Phoenices, ut deos suos iratos placarent, filium dilectum sacrificabant. Et id fecit Saturnus occidens Levi unicum filium suum regio habitu indutum. Ad eundem modum Iesus dilectus Dei Patris Filius ad eum placandum mutato habitu, et vili indutus purpura seipsum in sacrificium offert. Achab habitum mutavit ascendens in praelium contra regem Syriae, ut vitam conservaret. Iesus vero praelium iniens crudele, ut vitam pro hominibus perderet, habitum mutavit proprium, et chlamyde coccinea indutus est, et spinea corona redimitus. 20 Purpura cur induitur.

Corona spinea coronatur. Antiqui coronabant reges et deos suos corona floribus contexta, ut testatur Plinius libro 13, cap. 18, ut indicarent, regiae dignitatis gloriam, honoris splendorem ac universam mundi pompam non secus ac flores marcescere. Christus non floribus, sed spina coronatur, ut regni eius diuturnitas demonstretur, de quo Gabriel: *Et regni eius non erit finis.* Spinae enim propter earum siccitatem longissimo tempore incorruptae et illaesae conservantur. Dum itaque eum spinis coronant, regnum illius aeternum et interminabile demonstrant. Dii gentium coronantur floribus, et sunt dii falsi: Deus noster coronatur spinis, et in hoc secernitur Deus verus a deo falso. Corona spinea coronatur verus, et rosis falsus. Dum ergo Dominum nostrum spinis coronant, ipsum respuentes Deum verum adorant; sed iam rosae convertuntur in spinas, et spinae convertuntur in rosas. 21 Corona spinea cur coronatur.

. Spinis coronatur Dominus, quia haec sunt tributa quae ei contribuimus. Regum ministri et subditi suas regibus exhibent opes in quibus illi triumphant, in auro et opibus subditorum regni pompa resplendet. Opes nostrae spinae sunt; sic enim Dominus divitias appellavit, Luc. 7. Peccata nostra coccinum esse docuit Isaias c. primo. Has opes nos Christo praebuimus. In his ergo Rex noster triumphat, in his eius pompa resplendet: quales opes illi praebuimus, taliter ipse triumphat. Pompa tam luctuosa et tristi docuit Christus regnum temporale pompam quidem regiam videri, sed re vera tristem esse et afflictam. Coronam sane reges habent in capite auro et margaritis fulgentem, eandem vero habent mille curis, et doloribus fulgentem. Contemptibilis videtur 22 Spinis cur coronatur. Corona Christi quid doceat.

Digitized by Google

corona nostri Salvatoris, sed in eius capite omnium regum aureas gemmatasque coronas superat. Solus enim Dei et hominis, atque Redemptoris corona haec est; nam triumphum indicat, quem solus Deus homo reportare potest, triumphum scilicet de peccatis.

23 Arundineum sceptrum Christo cur datum. Tenue fragileque sceptrum portat, nimirum arundinem, quia tanta est Regis huius fortitudo ut hoc illi sit satis superque ad redimendos populos, et coercendos hostes. Haec igitur sedes est David, hic decor, haec gloria regni illius, quod angelus promisit.

24 Oratio ad Iesum. O Iesu mi dulcissime, fac, ut dolorosam et amorosam in corde meo compassionem efformem, qua plagis tuis compatiar, scelestum ac ferale peccatum quod horum omnium causa est, semper evitem.

25 Oratio ad B. Virginem. O Maria suavissima, eademque dolorosissima Mater, gravis tui doloris me consortem effice, puncturas has et aculeos in corde meo me sentire concede. Eia igitur anima mea, spinas has in cor tuum collige, ex illis exemplo sanctae Catharinae senensis corollam tibi conflce, rosas vero in futura et immortali gloria expecta. Amen.

DISCURSUS CCCXLIII

QUID MEDITANDUM IN QUARTO MYSTERIO DOLOROSO

1 In hoc mysterio crucis probrum et pondus, quod teneris, exhaustis, ac propemodum luxatis Christi humeris gestandum per summam crudelitatem atque impietatem Iudaei iniecerunt, pia veneratione recolimus: illamque funestam processionem, quam Christus e praetorio Pilati baiulans sibi crucem in humeris ad montem Calvariae fecit, animo contuemur, nec non Virginis matris summum dolorem, ac moestitiam contemplamur.

2 I. Oculos mentis tuae leva, et intuere Salvatorem post prolatam a Pilato sententiam magna vi a lictoribus correptum, ludicris illis vestibus quibus imperatorem egerat theatralem, exutum, propriisque indutum, ut ab universa plebe posset agnosci, maioreque infamis notari. Detractam de capite coronam non legimus; aut si fuit detracta, mox iterum per vim fuit imposita, ut in ea Rex Iudaeorum moreretur.

3 Patientia Christi in acceptatione sententiae iniquae Pilati. II. Mirare Salvatoris nostri stupendam obedientiam, et patientiam. Audita iniqua Pilati sententia, eam suscipere non detrectavit, appellationem ad Caesarem Tiberium non interposuit, aut dilationem petiit, aut protestationem contra crudelitatem fecit; sed promptissime obedivit, statim humeros fractos, tot antecedentibus plagis concisos, ac plurima sanguinis effusione debilitatos cruci horrendae, trabi ingenti, ut referunt, quindecim pedum longitudinis, maximique ponderis supposuit, eam ad Calvariae montem supplicii locum delaturus.

4 III. Oculos mentis tuae aperi, et vide Redemptorem tuum procedentem ad locum, in quo passurus erat supplicium, immo ad aram in qua se holocaustum cruentum immolaturus, et quoddam sui sacrificium pro peccatorum nostrorum expiatione peracturus est.

5 Processionis Christi ad montem Calvariae series. IV. Ordinem huius processionis feralis attende. Procedit circumcinctus tortoribus, cruore madidus, sudore, sputis deformatus, cruce in qua necandus est, onustus, duobus latronibus qui cum eo crucifigendi erant, stipatus. Ita ne, o Rex gloriae, honorem tuum ob meam salutem prodigis? honorem, inquam, qui facultatibus, immo et vita ipsa pretiosior est? Ita sane, ut ita discas non erubescere, et honorem tuum aestimare cum perditissimis etiam peccatoribus conversari, quando de eorum conversione et salute agitur. Hanc enim ignominiam Christus libenter pertulit, ut peccatores salvaret.

6 V. Animo revolve itineris illius difficultatem. Quoties tunc Salvator in progressu impegerit, quoties ob nimium pondus in terram corruerit, quoties lapidum asperitate, scabritieque sanctissimos pedes offenderit, quoties ex hiantibus et compressis vulneribus sanguinem emiserit, quoties oneri succumbens ab immanissimis illis tortoribus fustibus verberatus, pugnis percussus, pedibus trusus, ad surgendum, et progrediendum compulsus fuerit, devote recole. Cum enim tot itineribus ad omnia quot erant Ierosolymis tribunalia raptatus, sanguineo sudore, flagellatione durissima, coronatione dolorosissima exhaustus foret, non mirum est, si sub ea trabe ferali saepe fatisceret, ac corrueret. O Domine Iesu illos tuos cruciatus et opprobria referre non sufficio, fac ut ea in corde meo sentiam.

VI. Dum haec cogitas, statue in animo tuo te videre innocentissimum Abel ab infido fratricida Caino foras eductum, ut ab eo efferata crudelitate trucidaretur. Contemplare verum Isaac holocausti lignis onustum in montem iter facientem, ut ibi immoletur, vere, et non ut Isaac, ariete substituto in vita servetur. Vide verum Noe admirabilem illam arcam portantem, qua ab aeterno mortis diluvio totum genus humanum servetur. Aspice Moysen virgam suam gestantem, ut Aegyptios, id est tartareos hostes disperdat, et veros Israelitas servet. Intuere verum Iacob in baculo suo Iordanem tormentorum transeuntem, ut perveniat ad cognationem suam, hoc est regnum Patris sui. Vide Abimelech ducem nostrum non iam arboris ramum, sed gravissimam crucis arborem humeris suis baiulantem, et asseclas ac milites suos vocantem et inclamantem: *Quod me videbitis facere, cito facite*, Iudic. 9, 48. Hoc est: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*, Matthaei 16, 24. Vide verum David seminudum, et nudipedem ab Ierusalem in desertum Calvariae abire. Vide Phoenicem ligno hoc onustum, quod sanguine suo non aromaticum reddet, in Calvariae montem evolantem, ut in eo amoris sui igne concrematur, quod deinde ad vitam immortalem resurgat. *In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies*, Iob. 19, 18. Vide bonum Pastorem, qui cum hac cruce omnes nos suis humeris gestat. Hinc per prophetam dicit. *Portabam eos in humeris meis*. Hunc ergo Ducem tuum, Regem tuum, Deum ac Salvatorem tuum, o anima mea, inspice. *Grande spectaculum*, inquit sanctus Augustinus tract. 117 in Ioannem, *sed si spectet impietas, grande ludibrium. Si spectet pietas, grande Sacramentum. Si spectet impietas, vide Regem pro virga regni lignum sui portare supplicii. Si pietas spectet, vide Regem baiulantem lignum, ad semetipsum figendum, quod fixurus erat etiam in frontu Regum.* 7 Figurae Christi crucem baiulantis.

VII. Illud mirare. Terrentur latrones, cum cruces vident, in quibus moriendum erat, et abhorrent; cum tamen eas ipsi gestare non iubeantur, sed lictores habent oneris administras. At Redemptor noster crucem suam cum gaudio amplectitur, alacriter eam super humeros suscipit, quia principatum capit. *Cuius imperium super humerum eius*. Quis non sibi persuadeat eum multo alacrius, multoque ferventius ad crucem properasse, quam s. Andreas qui crucem videns, exclamavit: *Salve crux pretiosa, iam diu desiderata*, etc. Non enim est discipulus supra magistrum. Alacriter Christus ad supplicium vadit, quia voluntarie mortem crucis elegerat, per quam diabolum, mortem debellare, inferi portas confringere, coeli portam aperire, genus humanum salvare debebat. 8

VIII. Contemplare multitudinem populi Christum ad montem Calvariae comitantem. *Sequebatur eum multitudo magna*. Alii ad crucifigendum, ut carnifices; alii ad videndum cum intimo cordis gaudio mortem eius adeo ignominiosam, ut pontifices; alii ad irridendum et conviciis exagitandum, ut milites; alii ad curiositatem explendam, ut reliqua plebs; alii ad condolendum ex pio affectu, ut piae mulieres, inter quas forsitan fuerant Maria Magdalena, Maria Iacobi, et Maria Salome, quae plangebant et lamentabantur eum. Quid porro inter haec Dominus? num turbatur? num plangit? num de ignominia sibi iniuste illata queritur? Minime. Sed perfectiorem flendi rationem edocet. *Nolite*, inquit, *flere super me; sed super vos ipsas flete, et super filios vestros*. Hoc est, non meam ignominiam deflete, sed peccata vestra, vestrorumque filiorum, ac civitatis huius ingratitudinem acerbissimo luctu deplorate. *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatae steriles et ventres, qui non genuerunt, et ubera quae non lactaverunt*. O admirandam caritatem nostri Salvatoris! Suorum opprobriorum ac cruciatuum oblitus eorum malitiam et ingratitudinem deflere iubet, qui ex passione et morte sua fructum percipere non curant. Huius caritatis ardentissimam flammam, o anima, in corde tuo concipe, et pro tam ingenti beneficio gratias age. 9

IX. Perpetua consideratione preme tremendam illam sententiam Salvatoris quam tunc protulit: *Si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* Lignum viride erat Christus, utpote arbor viridis ac florens, totius innocentiae ac sanctitatis humore abundans. Lignum aridum Iudaei et ceteri peccatores, utpote omni gratiae succo vacui. Si igitur divina iustitia pro peccatis 10

Digitized by Google

mortalium Filium carissimum, humore gratiae divinae plenum, ac proinde igni minime aptum, in tam horribilem cruciatuum ignem proiecit, quid faciet cum lignis siccis, aridis, inferni titionibus, qui ad aeternas flammas et inextinguibiles se aptos reddiderunt? Horresce anima mea, peccata fuge. *Horrendum* namque *est incidere in manus Dei viventis.*

11 Simon cyrenensis crucem Christi portans quid doceat. X. Specte Simonem cyrenensem crucem post Iesum portantam: aspice, et ut Simon sis, diligenter stude. Simonis nomen ex hebraeo obedientem significat: tu itaque Simon eris, si crucem Domini portandam post Iesum libenter ac sine contradictione suscipias. Simon ille advena erat, e villa Ierusalem veniebat. Et tu si crucem Domini digne portare cupis, advena et peregrinus esse debes. Poterat Dominus Iesus solus crucem in montem portare, sed alteri etiam eam imponi voluit, ut crucem suam etiam a fidelibus portari debere significaret. Quod antea perspicuis verbis docuit Matth. 16, 24: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Simon ex ligni sacri sanguine Domino consecrati non christianus modo, sed et illustris episcopus, et celebris martyr effectus est: et tu vere unctus Domini eris, hoc est christianus verus, si crucem Domini portabis.

12 Veronicae pietas. XI. Piissimam feminam Berenice vulgo Veronicam dictam aspice, et illius pietatem ac devotionem imitari stude. Illa videns Christum penes domum suam in montem Calvariae transeuntem, cruce onustum, sudore, sputis, cruore deformatum, carnificum manipulos penetrans, faciem eius sacratissimam albo mundissimoque linteo extersit, et in praemium suae pietatis faciem Domini singulari schemate in illo sudario expressam accepit, quae usque in praesentem diem Romae apud sanctum Petrum religiosissime servatur. Tu quoque Christo ad montem Calvariae eunti non corporis passibus, sed divinae contemplationis grassibus occurre: sudarium pii et sinceri affectus apporta, divinam eius faciem impiorum quorundam christianorum blasphemiis foedatam absterge, eorum blasphemias arguendo, vel si potestas tibi est, severissime castiganda.

13 Dolor Mariae in baiulatione crucis a Christo. XII. Afflictissimam Salvatoris Matrem intuere. Cogita quam acuto gladio anima eius sanctissima tunc sauciata fuit, cum Filium suum dilectissimum gravi crucis pondere pressum, ac toties appressum, carnificum cuneis circumdatum, latronibus hinc et inde stipatum conspexit. Neque difficile fuit optimae Matri, quanquam et ipsa interiore cruce tenebatur oppressa, sanguinolenta Christi vestigia consectari; sanguinolenta dico, nam cum illae creberrimae flagellorum plagae toto Christi dorso exceptae concussione ac pondere crucis in amplissimam plagam evasissent, undique divulsa cute, maximam recentis cruoris copiam effundebant, quae viam universam tingebat, designabat, purpurabat.

14 XIII. Recogita Virginis Matris ardentissimum desiderium quo tenebatur, ut Filium suum dilectissimum ad mortem euntem conspicere posset. Ex quodam angiportu occurrere illi cupiebat; verum cum id minime consequi posset, ante urbis egressum ad Calvariae pedem (ubi modo sacrae isti memoriae locus dicatus esse fertur) illi se obviam Mater desolatissima obtulit, genibus provoluta, supplex eum adorans cum stupore, ac dolore appressa. Et cum nihil eloqui posset prae nimio dolore, solo cordis affectu ac oculorum tacito coniectu haec vel similia ad Filium locuta esse creditur: Dialogus inter Christum et Mariam. O Fili mi carissime, idemque Deus optime, ut deformatum te, luridum atque exsanguinem intueor! Quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? quis det, ut tuam mortem mea redimam? Si foret hominum generi mors mea salutaris, quam vellem hanc subire crucem, quo tu liber evaderes! Cui Christus: O Mater mea amantissima, quid hic agis in hac populi ac militum tumultuante turba? quid me in hoc extremo cruciatu videre tantopere cupivisti? Tu mihi eris crux altera, tuus iste dolor pectus meum sauciabit. Sine, ma[ter], munus hoc redemptionis humanae a Patre meo mihi impositum ad felicem exitum perducere. Mox die tertia redivivus adero, teque revisam, ut quae passionis es socia, et resurrectionis meae ante omnes consors existas. Ad haec Mater: O Fili mi dulcissime, non ego te deseram, neque derelinquam ab omnibus hac extrema hora derelictum. Patere, Nate Deo, ut tibi Filio meo compatiar, aut certe morienti assistam. Certo scio, quod mihi crux tua erit immenso dolori, sed nunquam horrori. Excipiam moestissima Mater supremum Filii mei spiritum.

15 Hoc igitur mysterium anima mea saepius mente revolve. Nullam enim meditationem Salvatori gratiorem esse scito: quemadmodum ipse s. Petro apostolo declaravit, dum illi haud procul a Roma hoc schemate visus est in loco qui dicitur, *Domine, quo vadis*. Deinde etiam b. Ignatio Societatis Iesu fundatori inclyto Romam eunti, ut Societatis suae confirmationem ab apostolica Sede obtineret, in eadem se forma spectandum dedit, cruce onustus. Quidam vir devotissimus instanter a Deo petiit, ut sibi ostenderet, quid inter cetera servitia sibi maxime placeret. Extra se paululum constitutus in mentis raptu vidit hominem nudum frigore trepidantem, et crucem magnam super se baiulantem, et sibi quis esset interroganti respondentem: Iesus Christus ego sum. Rogasti enim me, ut tibi ostenderem quid inter cetera christianorum obsequia mihi magis placeret. Nunc dico tibi, quod hoc, scilicet quod quis iuvet me portare crucem meam, et vulnera, et passionem corde suo. Contemplatio mysterii baiulationis crucis quam salutaris. B. Ignatio Loyolae Christus crucem baiulans apparet.

O patientissime simulque benignissime Iesu, qui in hac funesta processione tua Veronicae religiosissimae feminae vultus tui effigiem in lintea expressam donasti, te oramus et obsecramus; effigiem illam sanctissimae Trinitati pro nobis offer; frontem illam atque caesariem spinis pungentibus pressam, cruore, sanie taboque foedatam, illos oculos cruore ac lacrimis innatantes, illud os divinissimum sputis, pugnis, alapis, plagisque innumerabilibus deformatum ad salutis nostrae copiosum fructum Deo Patri, ut facere soles, munus acceptissimum offer. 16 Oratio ad Iesum.

Te vero moestissima, eademque optima Mater, per Filii tui crucem gestantis extremos cruciatus precamur; opportuna nobis, ac summe desiderata divinae gratiae subsidia impetra, ut ad gestandam crucem nostram exemplo Filii tui ac Salvatoris nostri provocemur, ac corroboremur; crucem eius ardenter appetamus, ac hilariter perferamus, exemplo Simonis cyrenensis in humeros nostros suscipiamus, perseveranter toleremus, in eaque boni latronis instar poenitentes immoriamur. Amen. 17 Oratio ad Virginem.

DISCURSUS CCCXLIV

QUID MEDITANDUM IN QUINTO MYSTERIO DOLOROSO

In hoc mysterio Christum Deum ac Salvatorem nostrum innocentissimum, utpote totius bonitatis, et sanctitatis pelagus immensum, in cruce ignominiose clavis confixum, inter latrones pendentem et morientem contuemur, simulque moestissimae Matris eius dolores pia meditatione recolimus. 1

I. Oculos et mentem converte in Christum usque ad supplicii locum, ubi amarissimae mortis somnum capturus erat, pertingentem. Considera quatuor immanissimos lictores vestibus suis eum exuentes et spoliantes, immo verius cum iam quarto excoriantes. Primo eum denudarunt, cum flagellaturi essent. Secundo, cum coronarunt. Tertio, cum rursus suis eum vestibus induerunt ad montem Calvariae exiturum. Quarto, hoc loco. Creditu facile est interiorem tunicam vulneratis carnibus adhaesisse, quam crudelissime a corpore avellentes carnifices illi pellem quoque adhaerescentem, concretoque sanguini impactam simul etiam abstraxerunt. Summus hic iterum verecundissimo Salvatori pudor, summa ignominia, summus dolor. Vincentius Brunus medit. 36 de pass. Domini pie meditatur ex libro 1 revelationum s. Birgittae cap. 15, Deiparam Matrem quae eum recens natum pannis involverat, tunc velamen capitis sui detraxisse, illudque per propinquum aliquem militem submisisse, quo nudites Filii eius velaretur: idque velamen Aquisgrani inter sacras reliquias fertur asservari. Plerique tamen patres Christum Salvatorem nostrum omnino nudum, sine ullo velamine, solo cruore sacratissimi corporis sui coopertum in cruce pependisse, ut nimirum talis pro primo Adamo passurus in crucem ascenderet, qualis ille in paradisum intravit. 2 Denudatio Christi ante crucifixionem quam acerba. Christus an omnino nudus in cruce pependit.

O secunde Adam quam magno tibi stat nuditas primi Adami, quam ille ex inobedientia sua incurrerat. Siquidem ut illi nuptialem gratiae vestem procurares, necesse fuit te tanta cum ignominia in cruce coram toto populo nudum spectandum exhiberi. O moestissima Mater Virgo Maria, quantus tibi dolor tunc erat, cum videres dilectissimum Filium tuum illis vestibus quas tu illi propriis manibus contexeras, expoliatum? 3 Apostrophe ad Christum.

II. Considera denudatum aut potius excoriatum nostrum Salvatorem ultro se super crucis lectum extendisse in quo morale illud et cruentum suum cum Ecclesia matrimonium consummaret. Hic iam aures mentis tuae erige, et malleorum ictus quibus 4 Crucifixio Christi quam dolorosa, et

Digitized by Google

asperis horribilis. clavi contunduntur, quibus manus et pedes transfiguntur, audi. Contemplare quomodo manu dextera iam cruci affixa, sinistra quae a foraminis facti in quod clavus inserendus esset, loco distabat, funibus trahebatur, quo foramini facto responderet. Tantundem de pedibus haud dubie factum. Pensa quanta in eo teterrimo supplicio fuit vis cruciatus, quanta in totius corporis distractione, ac distensione membrorum, quanta in manuum ac pedum transfixione, quae sunt tenerrimae partes in quibus sensus habitat ac praecipue viget afflictio, quanta denique in nervorum contractione, venarumque patefactione, deorsum semper fatiscente mole corporis, ampliatis plagis, ac sensim stillante cruore, cruciatio. Quae melius meditatione assequi, quam verbis, seu calamo exprimi possunt.

5 III. Contemplare Redemptorem nostrum non iam resupinatum et in dorso super crucis trabem reclinatum, sed e manibus transfixis et pedibus clavatis ac perforatis suspensum. Quam acer ille dolor fuerit melius cogitari, quam dici potest; nam cum nonnisi novum dolorem sustineret adhuc in terra, cum in cruce protensus fuisset, iam sexcuplos eum in crucis elevatione toliss credibile est.

6 IV. Cogita quanto cum ludibrio, quot sannis, et cachinnis crucem crudeles illi carnifices erexerint; quanta cum impetu in paratam iam foveam eam cadere permiserint, ut totum Iesu Christi corpus horrendissime concuteretur. Credibile est in quassatione illa tantopere impetuosa manuum pedumque vulnera immanissimo hiatu dilatata. Nullum capitis fore pilum existimo, qui non prae pio horrore arrigatur.

7 Figurae Christi crucifixi. Hoc iam tam triste spectaculum intuens attente considera in eo mysteria tot figuris adumbrata. Vide arborem ligni vitae erectam in medio terrae in quo pendet fructus vitae, dans salutem universo mundo. Vide hic innocentissimum Abelem ab impio fratricida Caino, ingrata inquam synagoga, crudeliter ligno crucis occisum. Vide animatam divinitatis arcam non super Armeniae montes, sed in montis Calvariae vertice, non ab aquis, sed a peccatis nostris quae nos in diluvio irae divinae submerserunt, exaltatam. Vide iridem signum foederis inter Deum et hominem in nube humanitatis positam, et roseo purpureoque sanguine velut colore effulgescentem. Vide innocuum Isaac super lignorum strue collocatum, non ut ei parcatur, aut eius loco aries immoletur, sed ut ipse crudeliter et ignominiose mactetur. Vide Agnum paschalem crucis veru affixum quomodo in igne tot tormentorum assetur. Vide verum Moysen manus suas non iam ab Hur et Aaron sustentatas, sed ferreis clavis affixas in coelum levantem, et orantem, ut populus eius victoriam de tartareis Amalecitis consequatur. Vide illum serpentem non iam a Moyse, sed ab impia synagoga in crucis pertica, sive hastili elevatum, et pro omnium salute exaltatum. Vide verum Iosue clypeum crucis suae contra rebellem civitatem Hai, hoc est contra mundum erigentem, ut eum passione sua expugnet, et Patris potestati subdat. Vide verum Gedeon gladium suum contra tartareos Madianitas eximentem. Vide verum Samson duas columnas, hoc est duo crucis ligna apprehendentem, et domum infernalium Philisthaeorum destruentem, et regnum eorum funditus evertentem. Vide verum David in funda crucis, et quinque lapidibus, hoc est quinque vulneribus de torrente sanguinis sumptis, superbissimum Goliath infernalem aggredientem, et viriliter eum prosternentem. Vide verum Eliam in turbine passionis sursum elevatum, ut in paradiso coelesti collocetur. Triste ac miserandum spectaculum! stupenda incarnati Filii Dei abiectio!

8 Vidisti eum, o Isaia, super excelsum solium sedentem et elevatum quem duo seraphim comitabantur, cuius gloria erat plena omnis terra. Ecce hic cernitur non in solio sedens, sed in crucis patibulo, non inter seraphinos, sed inter duos latrones suspensus. Vidisti eum, o Daniel, in regni throno considentem cui millia millium ministrabant, et decies centena millia assistebant. Ecce iam morti adiudicatus non in throno sedet, sed in cruce pendet; non angelis servientibus circumdatur, sed a carnificibus exagitatur, et a Iudaeis blasphematur. Eheu quam dissimilis, quantum mutatus ab illo!

9 V. Considera dolorum Christi multitudinem et magnitudinem. Pro homine patitur, et sicut delictum Adae omnia humani corporis membra infecerat, ita ille in omnibus corporis sui membris passionem sustinuit. Caput eius augustissimum spinis est coronatum; facies speciosissima ipsis etiam angelis desiderabilis ad videndum sputis foedata, et alapis percussa; aures coelestium melodiis assuetae blasphemiis offensae; manus quae coelum et terram ex nihilo condiderunt; pedes qui super aquas ambulaverunt, et Palaestinae regionem praedicando evangelium et miracula faciendo peragrarunt, ferreis clavis affixi; gustus felle et aceto repletus, olfactus foetore calvarum et aliorum ossium cadaverum humanorum offensus.

VI. Considera locum, tempus, modum aliasque passionis Christi circumstantias. Moritur in monte Calvariae, ubi primus parens noster Adamus sepultus fuisse a nonnullis traditur, eiusque caput sub crucis pede, dum terra effoderetur, repertum, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Alii vero perhibent in hoc eodem monte Abrahamum filium suum Isaac qui vera sacrificii dominici figura fuit, immolare statuisse. 10 Cur Christus in cruce moriatur.

Moritur in campo aperto, ut effectus passionis eius omnibus esse communis ostenderetur. Cur in campo.

Moritur in aere, ut sublimatus aerem purgaret a daemonum multitudine infestum. Cur in aere.

Moritur in loco foetenti maleficorum supplicio affectorum, ut nos a foetoribus inferni liberaret, ac de statu mortuorum ad statum viventium transferret. Cur in loco foetenti.

Moritur elevatus a terra, ut affectus nostros a terra avelleret, eosque intra coelum conderet. Cur elevatus a terra.

Moritur in meridie, ut omnes agnoscant eius amoris excessum qui ita fervebat, sicut sol in meridie fervere solet. Cur in meridie.

Moritur in die solemni Paschatis, quando innumerabilis populus ex omni Iudaea Ierosolymam confluebat, ut passionis suae multos spectatores haberet, qui pro multis, id est omnibus patiebatur. Cur die Paschatis.

Moritur inter latrones, quia pro latronibus, id est peccatoribus sanguinem fundebat. Horum latronum societatem Iudaei procurarant, ut Christi gloriam penitus obscurarent, ac velut latronum principem iuste in crucem actum publicarent. Sed divina Sapientia in hoc mysterium ostendit. Ipsa enim crux velut Christi tribunal fuit, unde sicut Christus in medio latronum tunc suspensus fuit, ita in die iudicii inter bonos et malos sedebit. *Alios statuet ad dexteram, alios vero ad sinistram*, Matth. 25. Ex illis latronibus unus qui credidit, salvatus est, et beatos significat: alius qui Christo insultavit, damnatus est, et damnatos denotat. Cur inter latrones.

VII. Considera positionem Christi in cruce. Brachiis expansis pendet, ut nos omnes complectatur. Capite demisso ad nos semet inclinat, ut aeternae pacis osculo nos excipiat et prosequatur. Perforatas exhibet manus, ut sua nobis dona copiosissime largiatur. Apertum in pectore ostium reserat, ut omnes intromittat. Affixus est clavis, ut amoris constantiam demonstret. 11 Positio Christi in cruce cur talis.

VIII. Considera ignominiam Christi crucifixi. Nullus unquam tam ignominiose crucifixus ac Salvator noster. Crucifixus est Petrus iussu Neronis, crucifixus Andreas iussu Aegeae proconsulis, crucifixus Philippus iussu persecutoris, crucifixus Simeon Cleophae filius Ierosolymorum episcopus, crucifixus Agricola, crucifixa Iuliana, Zoe, crucifixi multi alii sancti; sed nemo tam ignominiose ac Christus. Et cur ita? Quia posuerat in eo Pater iniquitates omnium nostrum. O innocentissime Iesu, ego vere causa sum tantorum cruciatuum tuorum. Concupiscentia mea me in peccatum traxit, caritas tua te ad crucem duxit. Manus mea per inobedientiam prohibitum fructum apprehendit, manus tuae per Patris obedientiam ferreis in cruce clavis lacerantur. Ego pomi dulcedinem gustavi, tu pro me fellis amaritudinem gustas. Pedes mei velociter ad malum concurrerunt, pedes tui in cruce malleorum ictibus vulnerantur, et transfiguntur. Ego tot debita contraxi, tu debitum meum cui non eram solvendo, solvis. Mea itaque sit crux tua, mea sit compassio tua, mea sit satisfactio tua, ut quod mihi deficit ad salutem, e meritorum tuorum inexhausto thesauro suppleatur. 12 Ignominia quanta Christi crucifixi. Apostrophe ad Christum crucifixum.

IX. Perpende dolorem Matris afflictissimae Virginis Mariae, et cogita, quid tunc fecerit, cum Christus in cruce pependit. Sanctus evangelista Ioannes satis nobis narravit, cum dixit: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* O stupendam animi firmitatem! o robur invictum materni pectoris! *Stabat* ante crucem Mater, et fugientibus viris, id est apostolis, ipsa Virgo intrepide Christo adhaerebat. *Stabat*, et e patibulo Filium medium inter latrones pendentem, et iam iam morti appropinquantem, atque in ipsa agonia versantem contemplabatur. Pendebat in cruce Filius, Mater se tortoribus offerebat. Duplex ibi erat altare crucis, unum passionis in quo Christus moriebatur, alterum compassio- 13 Maria quid egerit, cum Christus in cruce pependit.

Digitized by Google

nis, in quo illi confixa Mater immolabatur. Christus Iesus carnem offerebat: Maria Virgo cor et mentem immolabat. *Stabat iuxta crucem*, et ludibundos illos, atque insultantes Filio morituro sacerdotes, et pontifices moventes capita, sannas morte diriores in eum iacientes, carnifices vestimenta partientes, ac tunicam inconsutilem aleae subiicientes aspiciebat.

14 Cum Christus pro hostibus, ac tortoribus suis universisque mortalibus ad Patrem cum lacrimis orabat, dicens: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*, ipsa Filium imitata, ad eum ex intimo cordis affectu intra semetipsam dicebat: Benignissime Fili, ignosce inimicis tuis hanc noxam profusi tui sanguinis per eum ipsum dolorem et amorem quo eum effundis, per eas ipsas plagas quas pateris. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.*

15 Cum Christus Ioanni dixit: *Ecce Mater tua*, et ipsi: *Ecce filius tuus*, illa humiliter acquievit, licet alicui possit videri haec inaequalis commutatio, accipere servum pro Domino, discipulum pro Magistro, filium Zebedaei pro Filio Dei.

16 Cum Christus circa horam nonam voce magna exclamavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* ipsa eo firmius cruci adhaerebat, videns Filium suum nedum ab apostolis, ac notis omnibus, verum etiam a Deo Patre desertum atque derelictum, immo etiam a seipso, cum a deitate quam in persona unitam sibi habuit, nihil opis atque levamenti reciperet.

17 Cum Christus clamabat: *Sitio*, et hoc verbo non tam sitim corporalem, quam sitim salutis nostrae explere cupiebat, ipsa quoque voluntatem suam divinae conformans salutem generis nostri ardentissime sitiebat.

18 Cum Christus latroni bono paradisum promittebat: *Hodie*, inquiens, *mecum eris in paradiso*, ipsa latroni pro tam ardenti fide, et constanti confessione Filii sui gratias egit, et salutem iam iam consequendam ex animo gratulata est.

19 Cum Christus diceret: *Consummatum est*, illa aliquantulum recreata impositum finem tormentorum Filii, et redemptionis humanae cernens Deo Patri gratias agebat.

20 Cum Christus in extremis voce magna clamans, dicebat: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, ipsa provoluta, oculosque ac manus versus Filium elevans (quod per tenebras non observata facere poterat) supremum illum Filii sui spiritum Sanctissimae Trinitati offerebat, actis, quas poterat, maximis gratiis de peracto sacrificio infinito pro redemptione generis humani, quod in ara crucis suus Filius idemque Summus sacerdos obtulerat; et in eodem vestigio consistens sacratissimum Filii sui demortui corpus adoravit, quod deitati coniunctum fuisse certissime sciebat.

X. Contemplare Sanctissimae Matris dolorem continuum. Dolores Christi eo expirante una cum vita expirarunt. At desolatissimae Matris Virginis dolores hic finem non habuerunt. Angebat illam cura ingens deponendi de cruce sacratissimum corpus Filii, illudque cum reverentia sepeliendi. Ecce mox adsunt milites praetoriani, e quibus unus crudeli lancea latus Christi mortui percutiens illud aperuit et cor Matris adhuc viventis ac spectantis immanissime sauciavit et transfixit. E latere Christi sanguis et aqua profluxit: ex oculis moestissimae Matris infinita vis lacrimarum promanavit. Illud vulnus in latere acceptum Christus utpote iam mortuus non sensit: Maria uti viva eundem ictum in corde suo summo cum dolore accepit. 21 Dolores B. Virginis post Christi mortem.

XI. Contemplare, quo cruciatu, quo gemitu, quo suspirio cordis B. Virgo singula demortui Filii membra ac vulnera deosculata est, cum eum de cruce iam depositum in ulnas suas accepit. Augustissimum illud caput undique spineo diademate perforatum cum dolore spectabat. Caesariem illam auream dispersam ac dilaceratam dolebat. Oculos illos qui eam toties exhilararant, nunc morte clausos lacrimis rigabat. Os exsangue, labia dulcia, faciemque speciosissimi prae filiis hominum, nunc cruore sanguineque deformata, sacratissima item manuum ac pedum hiantia vulnera, pectus illud amantissimum, ac patentissimam lateris plagam mirabatur, et ex intimo corde dolebat dilectum suum candidum et rubicundum adeo deformatum. 22 Dolores B. Virginis post depositionem Christi de cruce.

Hic compassionis affectum in te concita intra temetipsum haec vel his similia dicens. Quonam obsecro dolore afficereris, si germanum fratrem tuum cerneres pro factis tuis quae tu, non ille commisisset, patibulo plecti? et Deum tuum pro peccatis tuis in cruce suspensum, adeoque immaniter tractatum conspiciens non doles? non commoveris? Omnis creatura compatitur Christo morienti; sol obscuratur, terra movetur, petrae scinduntur, velum templi dividitur, sepulcra aperiuntur; et tu solus non compateris, pro quo Christus patitur? O bone Iesu, da nobis ut nullus dies abeat, quin passionem tuam, uti par est, gratissima recordatione usurpemus. Te quoque moestissima Mater obsecramus, ut huic mundo et nobismetipsis emori quotidie, ac crucifigi studeamus, ut cum Filio tuo ac Salvatore nostro Iesu Christo in perpetuum vivere valeamus. Amen. 23 Stimulus ad compassionem. Oratio ad Iesum. Oratio ad B. Virginem.

TERTIA PARS SANCTISSIMI ROSARII

CONTINENS MYSTERIA GLORIOSA

Primum resurrectio Domini nostri: secundum ascensio eiusdem in coelum: tertium Spiritus sancti missio: quartum B. M. Virginis assumptio: quintum eiusdem in coelis coronatio.

DISCURSUS CCCXLV

QUID MEDITANDUM IN PRIMO MYSTERIO GLORIOSO

1 In hoc mysterio Christum Dominum nostrum ab inferis et sepulcro redivivum, et devicta morte aeternae gloriae triumphos agentem adspicimus. Hoc igitur mysterium contemplare.

2 I. Oculos mentis tuae eleva, et sacratissimum Christi corpus quod non ita pridem lacerum, cruore perfusum, livoribus usquequaque turgidum, ignominiose denudatum, et in cruce suspensum, in manibus, pedibus, latere immaniter vulneratum, et occisum videbas: nunc redivivum, immortale, gloriosum, clarius sole, rutilantius astris aspice. In hoc igitur tam iucundo spectaculo mentem tuam recreans immortaliter gratulare Christo, et Sanctissimae Matri eius Virgini Mariae. Christo, inquam, quia gloriosus, quia decorus, quia immortalis, quia ad tantam gloriam sublevatus, a mortuis victor resurrexit. Hic est verus noster Noe humani generis servator, qui divini erga nos amoris vino inebriatus a somno mortis evigilat, et nuditatem suam qua in cruce pependerat, gloria immortalitatis convestit. Hic est innocentissimus Ioseph a fratribus venditus, calumniatus, incarceratus, qui de carcere et morte redivivus surrexit, et Dominus totius orbis effectus est. Hic est phoenix ille coelestis qui combustus erat, et iterum renascitur. Hic est illa virga Aaron quae aruerat, et iterum refloruit. *Et refloruit caro mea.* Floruit caro Domini, cum ex utero Virginis natus est; refloruit, cum a mortuis resurrexit, suoque odore orbem replevit. Figurae Christi resurgentis.

II. Cogita quae mens, qui sensus tunc fuerit B. V. Matris. Dipartitum fuisse cor ipsius existimo moestitia passionis, et laetitia resurrectionis: hac dilatabatur, illa contrahebatur: dilatabatur ex concepta spe resurrectionis, contrahebatur ex memoria praeteritae passionis. Dipartita erat tunc mens Mariae; nam simul erat cum Filio in tumulo, et limbo. In tumulo sacro eius corpori inhaerebat, vulnera omnia cicatricesque recensebat: in limbo cum sanctis illis patribus veteris testamenti versabatur, animam Christi portas inferi frangentem, infernum vastantem, diabolum ligantem, catervam sanctorum patrum educentem contemplabatur. Iubilum sanctorum patrum, daemonum vero ge- 3

mitum et ululatum audiebat. Ut sol occumbens ex nostro hemisphaerio in alterum hemisphaerium migrat, antipodisque nostris diem infert: ita Maria sanctissimam illam animam a corpore et orbe nostro digressam in altero hemisphaerio, ac limbo sanctis patribus deitatis suae fulgore beatificum diem intulisse contemplabatur. Adventu enim suo beatissima Salvatoris anima carcerem illum in quo patres sancti detinebantur, in paradisum commutarat. Hinc latroni in cruce pendenti a Christo dictum est: *Hodie mecum eris in paradiso:* hoc est in limbo in paradisum commutato.

4 Expostulatio B. Virginis ad Filium.

III. Recole preces et orationes Virginis Matris, quas illa ad Filium in tumulo iacentem fundebat. Non enim dubium est, quod sicut antea virtutibus suum Deum e coelo deduxit: ita eundem precibus suis ab inferis revocavit. Post illum acerbissimum dolorem, et ultimam omnium moestitiam, post transverberantem viscera gladium Virgo fide plena, spe certa, caritate accensa longos ab imo pectore gemitus emittebat cum propheta exclamans: *Exurge gloria mea: exurge psalterium et cythara.* Exurge, ac moreris, o Fili mi, exurge, et tristem solare Matrem, totamque tuam familiam. Exurge, obsecro, gloria mea, ne glorientur super te qui oderunt te gratis; retribue vicissitudinem inimicis tuis et confusionem aemulis tuis; erubescant impii; confundantur pudore qui te contempserunt, et moverunt capita sua super te. Memor esto opprobriorum tuorum, quae ab insipiente sunt tota die. Exurge psalterium meum, et cythara mea: cuius corpus in cruce, velut fides in psalterio et cythara distentum fuit et a Iudaeis percussum, obedientia caritatis in auribus Dei Patris suavissimum concentum edidit. O Fili mi, memor esto promissionis tuae qua dicebas: *Exurgam diluculo*, et Patrem tuum compellabas: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Haec dicens tota intus divino amore liquescebat, purpureasque genas lacrimis rigabat.

5 Christus resurgit.

IV. Contemplare Christum e sepulcro illaeso lapide resurgentem, et ad Matrem suam primo pergentem. Audivit e tumulo Matris suae voces Filius dilectissimus, nec in longum distulit unire animae mortales artus, quos crudelissima mors ab ea separaverat. Iam tertia dies aderat, cum anima illa potentissima Verbo Dei unita, gravissimo sanctorum patrum comitante senatu, tumulum in quo corpus exsangue iacebat, ingreditur, circumstantibus foris agminibus angelorum quos Pater divinus e coelo miserat spectare miraculum, dignasque triumpho concinere laudes. Subintrat igitur anima viscera frigida, prostratumque cadaver tumulo levat: mox cuto illa livida, abiecta mortalitate, rediviva rutilansque e sepulcro clauso prodiit. Corpus illud quod mortis caligine obscuratum erat, immortale et impassibile factum est; quod flagellatum, percussum, sputis oblitum, cruci confixum, lancea vulneratum erat, splendidius sole apparuit. Caput illud sanctissimum, quod spinis impii coronarant, regia corona clarescere coepit. Vultus ille deformatus, alapis percussus, in cruce madens cruore, coelesti quadam pulcritudine ornatus refulsit. Manibus pedibusque inflicta vulnera astrorum instar resplenduerunt. Latus quod miles aperuerat, super lucem solis coruscare coepit. Prodiit e sepulcri vinculis fortissimus Samson, et portas Gazae urbis tartareas cum opprobrio Philisthinorum confregit, abstulit, et victor evasit.

6 Gaudium in Christi resurrectione.

V. Cogito quantus tunc plausus omnium, quis cantus, quae harmonia fuit. Currit ad Virginem Gabriel archangelus, ut qui ante incarnationem eam salutaverat: *Ave gratia plena*, idem post resurrectionem primus ei gratulatum ivit, et (ut s. Gregorio revelatum fuisse s. Vincentius noster serm. 1 Pasch. refert) his verbis eam affatus est: *Regina coeli laetare: quia quem meruisti portare, resurrexit sicut dixit.* Ad quae verba illico Christus gloriosus cum sanctorum patrum choro ei adstitit. Ergo laeta Mater ad sacros Filii pedes provolvitur, divinas eius plagas, ac plantas reverenter complectitur gratulans, ac gratias agens ei de tot susceptis hominum causa laboribus ac tormentis. Tum ad sacras quoque manus invitata dulciter eas exosculans felices ac beatas praedicabat, quae salutis nostrae causa duro, infami, crudelique ligno crucis affixae opus redemptionis peregissent, tantaque vi divini cruoris effusa mandatum Patris coelestis explessent. Denique et divino lateri admota, plagam illam cordis hiantem reverenter dissuaviabatur. Quis tuam nunc Virgo explicet mentem, sensusque tuos quis valeat propalare? quid sentiebas tunc, o Virgo, cum sacer ad aures tuas coelicolarum pervenit

Christus post resurrectionem Matri apparet.

cantus? quae te tunc laetitia tenebat, cum videbas Filium tuum coram te immensa luce coruscum stantem, super astra fulgentem? cum videbas gravissimam illam faciem antea sputis foedatam, pugnis lividam, suo splendori restitutam? cum videbas serenatos oculos qui caligaverant in cruce, labia colorata quae expalluerant in morte, vulnera velut carbunculos fulgentia? quibus gaudiis pectus tuum aestuabat, cum in amplexum amantissimi Filii tui ruisti, cum brachiis tuis collum eius iam immortale cinxisti? quibus tripudiis cor tuum exultabat, cum audires dulcissimam illam vocem Filii tui quae raucedinem in cruce contraxerat, resonantem: *Ego sum primus et novissimus, et vivus, et fui mortuus, et ecce sum vivus in saecula saeculorum, et habeo claves mortis et inferni?* quae te laetitia tunc tenebat, quando se tibi Filius redivivus amplexandum, osculandum praebuit, quando suis ipse manibus lacrimas tuas abstersit? quod gaudium cordi tuo erat, quando sancti patres te Reginam suam agnoscebant, et salutabant? Aderant cum Christo redivivo primi generis humani parentes Adam, et Eva. Aderant et primaevi illi patres iustitiae laude clari, Abel, Seth, Enos, Mathusalem. Aderant prisci illi patriarchae, Abraham, Isaac et Iacob, sanctique eorum nepotes et posteri. Aderant principes et reges populi Israel, inter quos eminebat David, Iosa, Iosias, Ezechias. Aderant sacratissimi vates Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel qui suis vaticiniis Christum et Virginem celebrabant. Aderant eius propinqui Zacharias et Elisabeth, praecursor Ioannes Baptista, et carissimus sibi sponsus Ioseph. Aderant et eius sanctissimi parentes Ioachim et Anna, quorum omnium una vox erat gratulantium et gratias agentium Mariae, quod Redemptorem eis peperisset, et salutis eorum procurandae se sociam atque adiutricem praebuisset. Poterat dicere tunc Maria cum Iacob: *Sufficit mihi, si filius meus vivit. Convertisti, o Fili mi, planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum*, id est lugubrem vestem, *et circumdedisti me laetitia;* et rursus: *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* O gaudium ineffabile! o dulcedo incredibilis!

Gaudium B. Virginis in resurrectione.

Crediderim cum sancto Thoma a Villanova B. Virginem tunc ad visionem beatam elevatam fuisse. Ut enim sol, ubi se in limpidissimam crystallum orbicularem ingesserit, illam eximia claritate complet, lucidissimis suis radiis circumquaque diffusis: ita B. Virgo fulgentissimam Filii sui animam mirifico splendore deitatis sacri sui corporis domicilium collustrantem, atque beatificae visionis gloriam vidit, cunctosque tunc lustravit angelorum choros qui eam miris praeconiis efferebant, et beatam ac felicem praedicabant.

7 B. Virgo in resurrectione Filii divinam essentiam vidit.

VI. Cogito aequissimum fuisse, ut Christus post resurrectionem suam primo B. V. Matri suae afflictissimae appareret. Samson, heros ille fortissimus, ubi leonem velut haedum discerpsisset, postea in ore eius favum mellis invenit, et inventum primum ad patrem et matrem detulit, Iudic. 14. Sic Christus, ubi mortem leonem saevissimum morte sua dilacerasset, mella dulcissima resurrectionis in ore mortis inventa prius Matri suae communicavit. Sol ubi primum oritur campestria relinquens, altissimos montes laetis radiis illustrat. Ad eundem modum Sol iustitiae a sepulcro ortus alios sanctos et amicos relinquens, altissimum perfectionis montem Mariam gloriae suae radiis primo illustravit.

8 Christus post resurrectionem Matri suae primo apparere debuit.

Aequum fuit, ut Matri suae primo appareret. Dicunt enim iura: *Qui sentit incommodum, sentiat et commodum.* Nullus fuit 9
qui maius incommodum in morte Domini sentiret ac Maria: nullus etiam proximior esse debuit consolationi ac Maria. Quod si Iacobus frater Domini, ut auctor est Clemens romanus, iureiurando se obstrinxit, non se prius usurum cibo, nec panis, nec obsonii quicquam gustaturum, quoad Dominum redivivum die tertia conspiceret, et voti sui mox effectus est compos, quid Maria voti sui compos esse non debuit, quae in illo triduo passionis Christi sine cibo, potuque ac somno, ut credibile est, perduravit, et totum illud tempus partim praeteritae passionis recordationi, partim futurae mox resurrectionis expectationi tribuit?

Aequum fuit ut Matri suae primo appareret, qui parentes honorare docuit. Exod. 20, 12: *Honora patrem tuum et matrem tuam*, et Eccli. 7, 29: *Honora patrem tuum, et gemitus matris tuae ne obliviscaris.* 10

Postremo id aequum fuit ex Christi promissione, qui Ioan. 14, 21 dixit: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum.* Quanta igitur putas lae- 11

titia B. V. Maria perfusa fuit, quae Christum plus omnibus dilexit?

12 Crediderim ego illam praecipuo Dei auxilio indiguisse, ne laetitiae vi deficeret. De quadam matrona romana scribunt historiographi, quod cum e milite accepisset filium suum in praelio occubuisse, Hannibale Romanos debellante, maxime doluisse. Verum cum postea filium quem periisse crediderat, incolumem conspexisset, adeo laetatam fuisse, ut prae laetitia ne unicum proferens verbum, admotis ad filii collum brachiis, in eius amplexu animam exhalarit. Idem Beatae Virgini forte accidisset, si divino auxilio confortata non fuisset. O quam merito tunc potuit dicere illud Lucae 15, 9: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram!* Et non solum invenit, sed etiam eam multo pretiosiorem reperiit, quam perdiderat. Perdiderat eam feria sexta Parasceves abiectissimam et vilissimam; sed in die resurrectionis eam recuperavit cum inaestimabili pulcritudine et gloria fulgentem. Sexta illa feria potuit Virgo merito usurpare illud Thr. 1, 12: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.* Nunc vero in resurrectione verba potest vertere, ac dicere: O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est gaudium sicut gaudium meum. Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes Filii mei laetificaverunt animam meam. Magni fuerunt dolores mei, magna gaudia illis responderunt.

Gaudium B. M. Virginis in resurrectione Filii.

13 VII. Gratias ago Redemptori. Gratias tibi Christe, gratias tibi pro tanta humilitate tua, gratias tibi pro gloriosa resurrectione tua. Si enim a mortuis non resurrexisses, bone Deus qui Iudaeorum fastus, quod sacerdotum et pharisaeorum supercilium fuisset? quibus verbis famulum tuum subsannassent? quibus ludibriis, sannis et cachinnis Matri tuae et discipulis insultassent? quanta tuis sequacibus fuisset confusio? quantus pudor discipulis tuis, et ignominia fuisset in populo? quo irent? ubi comparerent? Delusos illos a te omnes dicerent, et pharisaeorum providentiae omnis populus applauderet, quia videlicet ita volunt hominem illusorem digna morte molestassent.

Fructus ex Christi resurrectione.

14 Gratias tibi iterum atque iterum pro tanta exaltatione tua. Si enim tam propere non resurrexisses, nihil nobis tuus adventus, nihil passio, nihil miracula profuissent. Unde merito ait psalm. 29, 10: *Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Et vere nulla fuisset. Si enim Redemptor noster non resurrexisset, nullus ei credidisset, nullus ad eum conversus fuisset. Tanta namque fuit passionis eius ignominia, ut etiam ipsi qui eius opera viderant, et doctrinam audierant, vehementissime turbarentur, atque ita consternati animo defecerant, ut non putarent se illum videre, quem videbant, sed spiritum aut phantasma esse. Si itaque isti fluctuabant, quid putandum de illis, qui eum non viderant, non audierant, non noverant? Fideles apostoli non facile credunt Christo viso, infideles populi quomodo crederent solo praedicantium verbo? Hoc est, quod ait Apostolus 1 Corinth. 15, 14: *Si Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides nostra.* Quis enim obsecro, quamvis clarus eloquio, peritus verbo, potens miraculo, gentili mundo, idololatriae daemonum tot retro saeculis dedito persuadere potuisset, ut hominem crucifixum, inter latrones pendentem medium, relicto patrum suorum ritu, ut verum Deum ac Dominum adorarent?

Gratiarum actio pro resurrectione Christi.

15 Gratias tibi, Christe, centies et millies gratias tibi, qui a mortuis resurrexisti, et fidem nostram stabilivisti, spem erexisti, caritatem inflammasti. Resurrectio tua est religionis nostrae immobilis columna, anchora firmissima, stabile fundamentum. Ex resurrectione tua totius fidei nostrae vigor est, ex illa credentium populorum seges abundantior surgit. Resurrectio tua principes contra te furentes et reges mitigat, insultantes paganos humiliat, adversantes populos conciliat, invidentes Iudaeos confundit, haereticos subsannantes prosternit. Resurrectio tua omnem intellectum contra veritatem Dei superbientem in fidei obsequium captivat, fideles munit, infideles confundit. Tolle Christi resurrectionem, et omnis fides nostra tepescit, omnis gloria Dei labitur, immo et spes tota christianorum cadit; si enim Christus non resurrexisset, nemo unquam suam resurrectionem speraret, nemo amore in Christo inflammaretur.

16 O plusquam martyr! o Virgo Deipara! ecce Filius tuus in vitam revocatus, immortalis, impassibilis, splendidus, mortis, peccati, mundi tortorisque victor: ecce psalterium tuum, ecce cythara quae suavissimo te oblectavit concentu, et aspectu. Pelle e cordibus nostris amaritudinem, mella dulcissima resurrectionis quae tibi tuus Samson praebuit, nos degustare concede. Amen.

DISCURSUS CCCXLVI

QUID MEDITANDUM IN SECUNDO MYSTERIO GLORIOSO

In hoc mysterio Christum super omnes coelos ascendentem animo sequimur, et gaudia Matris eius, apostolorum aliorumque fidelium pie recolimus. 1

I. Contemplare Redemptorem nostrum gloriose in coelos ascendentem. Post perpessam mortem, peracto salutis nostrae opere, devictis tenebrarum hostibus, expugnatis aereis infernorum muris, benignissimus Salvator ridente coelo, iubilante innumera sanctorum patrum caterva, gloriosus aethera scandit. 2

II. Mirare gloriam Christi ascendentis. Tanta cum gloria Dominus ac Redemptor noster in coelum ascendit, ut etiam ipsos angelos in admirationem traxerit, unde dicunt apud Isai. 63, 1 rogantes: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua.* Et psal. 23, 8, *Quis est iste rex gloriae?* Hoc est quis habitus iste est peregrinus? quis peregrinus rex e terra in coelum venit? Hactenus nullum hominem recepit nostra civitas, peregrina illi est omnis humanitas. 3

Christi ascendentis in coelum gloria.

III. Recole quis sensus, quae mens tunc erat Salvatoris, et quid egerit, quomodo suis valedixerit, pia consideratione revolve. Transiturus ex hoc mundo ad Patrem dulcissimus Redemptor ad apostolos suos in coenaculo congregatos sub prandii tempus venire dignatus est. Quorumdam adhuc de sua resurrectione dubitantium incredulitatem castigavit; aliorum importunam ac curiosam de regno Israel instaurando quaestionem reiecit; omnibus uti benignissimus Pater, et colendissimus Magister monita salutis dedit. Nonnullorum hoc mysterium pie recolentium mens est, Christum sub illius prandii tempus cum apostolis suis consedisse, et sacratissimum corpus et sanguinem suum eis in cibum et potum ministrasse. Nam si tunc quando ex hac vita mortali egrediebatur, pridie passionis ac mortis suae omnes apostolos refecit, atque solatus est, illudque mysterium in sui commemorationem eis frequentare imperavit; si et illis duobus discipulis in Emmaus euntibus, in subitanea illa et festinata coena, seipsum sub specie panis dedit, ut gravissimi doctores tradunt, verisimile etiam est hoc eodem extremo regressus sui ac triumphi die, cum iam ab oculis corporeis apostolorum, aliorumque discipulorum ac fidelium sese subducturus esset, et in coelos gloriosus triumphaturus, et ad dexteram Patris consessurus, hoc idem sacrum epulum sui erga eos amoris eximii argumentum eis praebuisse. Iidem devoti censent, B. V. Matrem praesentem tunc in illo coenaculo cum apostolis adfuisse, et sacrosanctum corpus Filii sui sub specie panis accepisse. Quidni acciperet, quae sanctae illius consuetudinis quae olim in Ecclesia primitiva viguit omni die communicandi, princeps fuit? 4

Opinio pia quod Christus ascensurus coelum corpus et sanguinem suum apostolis dedit.

Appropinquante meridie illius diei quo in coelum ascendere Salvator noster disposuerat, apostolos omnes, discipulos et alios fideles numero centum et viginti, quos recenset s. Lucas in actis apostolorum, ex illo coenaculo foras eduxit; cuius sacri coetus principem ac ducem Matrem suam dilectissimam esse voluit. Cogita qua laetitia, quove gaudio pectus Salvatoris tunc aestuabat triumphans de peccato, morte, inferno, cum victor in coelum ascendebat, stipantibus se angelis ac iustis omnibus e limbo liberatis. Quare illud quod patriarcha Iacob olim aiebat Gen. 32, 10: *In baculo meo transivi Iordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior*, hoc idem Salvator noster dicere poterat: In baculo meo, hoc est cruce mea transivi Iordanem istum, hoc est mare passionum ac tormentorum meorum, et nunc cum duabus turmis, angelis videlicet, et animabus iustorum quos de tyrannide daemonis labore cruoreque meo eripui et acquisivi, regredior in gloriam meam. 5

Ascensionis tempus.

Pie credendum ac meditandum est, Dominum ac Redemptorem nostrum, antequam se in aerem elevaret, omnes suos qui praesentes aderant, primos ex ordine complexum esse, deinde ad sacratissimas pedum ac manuum suarum plagas osculandas admisisse, in eoque officio B. Matrem omnibus exemplo praeivisse. Cum itaque omnibus valedixisset, sensim e summo iugo, ac cacumine montis Oliveti in aeram leviter sese erexit, elevatisque sacratissimis manibus, vel more sacerdotum hebraeae gen- 6

Ascensionis modus.

Digitized by Google

tis manibus solum in altum sublatis, vel more patriarchae Iacob manibus cancellatis, aut potius evangelicae legis a se condito novo instituto dextera cruce in aere efformata, ex quo fortassis ob apostolis haec benedicendi consuetudo etiam nunc in Ecclesia manet, indulgentissimus Pater carissimis filiis suis benedixit.

B. Virginis et apostolorum praesentia. Prosequebatur abeuntem ardentissimis votis Mater eius sanctissima, et universus ille piorum commemoratus coetus, et defixis in altum oculis quoad pertingere poterant, divinis eius vestigiis corde et animo inhaerebant, divinasque illas plantas quas in saxo mirabiliter impressas reliquit, reverenter osculabantur. Gratulabantur victori mortis ac triumphatori qui sursum ducebat captivam captivitatem, et naturam nostram cui dictum est: *Terra es et in terram ibis*, super omnes coelos, ac beatarum sedes evehebat. Prae gaudio a lacrimis non temperabant, oculos in coelum fixos a gratissimo illo conspectu vix demittere poterant. Et licet in candidissimam nubem Salvatorem iam receptum visu attingere non poterant, tamen spectando defixi manebant, nec ab eo quem occuparant loco, genibus humi positis, se commovebant.

7 Gaudium B. M. Virginis de Christi ascensione. IV. Cogita quis sensus, et quae mens fuerit tunc V. Mariae. Quadraginta illi dies quos Salvator noster a resurrectione ad ascensionem in terris exegit, laetissimi plane Matri eius fluxerunt, et horarum quadraginta moestitiam de eius morte ac sepultura abunde compensarunt. Nam eius conspectibus carissimus Filius saepius, ut pie credendum est, se offerebat, et illa sua rutilante facie, ac corpore glorioso eam recreabat. Vel si certe absens erat corpore, semper tamen divinissimus vultus, ac resurgentis gloria in animo illi occurrebant. Si quae tristitiae nebula mentem eius obfuscare potuit, certe quadragesimus ille dies, quem Salvator suae in coelos ascensioni designarat, quo postremum erat in terris conspectura Filium, eam contristare poterat. Verum tamen et ille dies laetissimus illi illuxit, diligebat quippe illa Filium, unde dignitatem ac gloriam eius solatiis anteferebat. Humanitatem eius ab oculis corporis abesse non aegre ferebat, quia deitatis immensitatem semper in animo circumferebat. Ipsi quoque dulcissimae Matri Christus Dominus divinitate factus est praesentior tunc, quando factus est ei humanitate longinquior. Cupivisset quidem ipsa una cum Filio statim in coelestem commigrare regionem; sed durum id fuisset, primum nascenti Ecclesiae utroque simul orbari parente, Patre, hoc est Salvatore, et Matre, hoc est Maria Virgine, quam Christus in cruce pendens toti Ecclesiae matrem designarat, constituerat, declararat, cum Ioanni in persona omnium fidelium sub cruce stanti dixerat: *Ecce Mater tua*, ut alibi fuse declarasse meminimus.

8 Angelorum laetitia quanta. V. Cogita quanta tunc fuerit laetitia omnium beatorum ordinum, quantave festivitas, cum Christus triumphator in coelum primus ingressus est. Quos laudum hymnos cecinerunt angeli, archangeli, principatus? quas gratulationes fecerunt virtutes, potestates, ac dominationes? quam suppliciter se prostraverunt Deo suo throni? quanta luce divinae sapientiae resplenduerunt cherubim? quam ardenti amore conflagrarunt seraphim, cum Christum in gloriam suam revertentem viderunt? quos sermones inter se habuerunt? quanta laetitia aestuarunt? Qui ista capit, aut lingua exprimere valet, ego non eum hominem reputo, sed simillimum Deo iudico.

9 Patris aeterni gaudium. VI. Cogita quanto cum gaudio et alacritate Pater aeternus Filium humana carne indutum ut coeli palatium ingressum exceperit, et Filius vicissim Patrem suum quo honore affecerit. Nec linguis hominum, nec angelorum, nec cuiusquam acumine ingenii definiri potest, quae Patris aeterni in reditu Filii hilaritas fuerit. Cum introduxit primogenitum in orbem terrae, dixit: *Et adorent eum omnes angeli Dei*; quanto magis, cum eum reduxit super omnes orbes coeli? Tunc angeli et archangeli exultabant, currum Christi triumphalem stipabant laetantes, et iubilantes: Io triumphe.

10 Exaltatio Christi. Ab hisce beatorum spirituum ordinibus ad supremum gloriae thronum deductus Salvator noster qua homo, mox ad Patrem suum coelestem hunc vel similem sermonem habuit, quem etiam aliquando in terris nobiscum versans habuerat: *Pater, ego te clarificavi super terram: opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam: et nunc clarifica me tu, Pater, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te*, Ioann. 17, 4. Mox a Deo Patre supra quam dici, vel cogitari potest, amantissime receptus ad dexteram suam considere, hoc est in potioribus bonis Patris sui esse supra omnem creaturam iussus est. Et tunc illa auctoritas, potestas ac dominatio in coelo et in terra iura haereditatis antea Christo collata iterum merito passionis fuit iterata et confirmata. Iterum totius curiae coelestis summus Princeps, Rex ac Imperator acclamatus fuit, omniumque mortalium salus in eius unius manu ac potestate constituta est. Iterum datae sunt illi claves vitae et mortis. Iterum collata est ei potestas supremaque iudicandi auctoritas homines vivos, et mortuos. Iterum constitutus est caput corporis Ecclesiae; hoc enim promeruerat eius summa in passione deiectio atque humilitas.

Hunc in modum sublimatus Redemptor noster praedam suam ac captivitatem laboribus et sanguine partam, hoc est animarum sanctarum cuneos Deo Patri quasi gloriosas manubias exhibuit, vacuasque illis angelorum qui ceciderant, sedes distribuit, omniumque suorum electorum coelestem haereditatem eis deberi in aeternum adiudicavit. Denique ex eo tempore advocatum, ac patronum generis nostri apud Deum Patrem, exhibitis ei manuum, pedum ac divini lateris plagis quas in eum finem in glorioso corpore reservavit, agere coepit. 11 Christus ad dexteram Patris collocatus mox quid egerit.

VII. Considera dignationem nostri Redemptoris. Super omnes coelos elevatus, ad dexteram Patris collocatus, Dominus coeli et terrae declaratus, non fuit immemor Matris suae dulcissimae, apostolorum, ac aliorum discipulorum, et fidelium quos in hac valle lacrimarum reliquerat; sed mox primarios duos angelos submisit, qui se iam in coeli palatium pervenisse illis nuntiarent, ac ut domos suas regrederentur, amice commonefacerent. *Cum* itaque *intuerentur in coelum euntem illum*, ait s. Lucas, *ecce duo viri astiterunt iuxta illos* (hos viros angelos fuisse a Christo submissos existima) *in vestibus albis, qui et dixerunt: Viri galilaei, quid statis aspicientes in coelum? Hic Iesus qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum*. In candidis vestibus apparuerunt; quia diem festum, iucundum ac laetum nuntiabant: redituramque Christum iudicem, ceterasque ab eo promissiones certissime eventuras confirmabant. His vocibus auditis, prima omnium Sanctissima Mater assurrexit, hisque primis nuntiis a Filio exhilarata una cum apostolis, discipulis aliisque sanctis mulieribus in domum se recepit, ad excipiendum Spiritum sanctum promissum sese praeparatura. 12

VIII. Recole beneficia per ascensionem Christi nobis exhibita. Primum beneficium est, quod tunc portae paradisi coelestis quae per quatuor millia annorum clausae erant, reseratae sunt. Ante Christi mortem, resurrectionem et ascensionem nulla anima, quantumvis sancta et pura, coelum introivit; sed nunc *ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem*, scilicet patriarchas, prophetas, aliosque sanctos erutos a captivitate inferni quasi victor et triumphator secum in coelum duxit. 13 Beneficia per Christi ascensionem generi humano collata.

Secundum beneficium est, quod tunc nobis Christus viam ad coelum ostendit. Strenuus dux in arduis ipse primus milites antecedit, viam ad ardua praemonstrat, vires et animum addit. Sicut Alexander magnus per Alpes exercitum ducens, videns eum defatigatum, ipse ex equo descendit, primus nives et glacies fregit et divisit: ita et Salvator noster, Antesignanus et Dux noster *ascendit pandens iter ante eos*. Christophorus a Castro ex hebraeo legit: *Ascendit defractor, aut perruptor ante eos*. Via coeli erat clausa, aditu difficilis et ardua, multis seris et obstaculis obstructa, Christus primus effractor tunc iter praeivit, stravit, viamque ad coelum cunctis monstravit. 14

Tertium beneficium est, quod tunc naturam nostram sublimavit, cum eam super omnes coelos et angelorum ordines evexit, nec non ad dexteram Patris collocavit. O immensam ergo nos Dei caritatem! qui et terra videbamur indigni, tunc elevati sumus ad coelum, et coelorum transivimus fines, et ipsa sede regali decorati sumus. 15

Quartum beneficium est, quod tunc fides nostra firmata, et consolidata est. Tunc vidimus quantum ac qualem habeamus Salvatorem. Scandalo fuimus Iudaeis, ludibrio gentilibus, quod hominem in cruce ignominiose occisum pro Deo haberemus et reveraremur. Ecce tibi, caece verpe, insane ethnice, Messiam nostri ignominiosum. Quis vidit, quis audivit tantam gloriam, tantum triumphum, tantum iubilum? Numerius Atticus iuravit quidem vidisse se Augustum in coelum ascendere, sed nemo illi credidit, ne Livia quidem eius filia, quamvis pro tam infami periurio decies sestertium, id est quingentos florenos homini numeravit. Simon magus postea volatum Christi aemulatus est; sed ut quondam fabulosus Icarus afflictus in terram decidit. In Perside magi 16

a daemonibus decepti ad coelum volare se posse persuasi, cum nudi eminentioribus locis ad volatum sese praecipites darent, multi periere. Pererius lib. in Daniel c. 4. Sed et antichristum nonnulli tradunt, hominum infinita spectante turba, in montis Oliveti verticem ascensurum, ac simulaturum se in coelum redire velle, unde ad homines descendere, mox fulmine interiturum. Omnia haec praestigia daemonis fuerunt. *Nemo enim ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo filius hominis qui est in coelo*, Ioann. 3, 13.

17 Fidei christianae testimonium constantia martyrum. Gratias tibi Christe Salvator, quod fidem nostram solidasti, et os loquentium iniqua obstruxisti. Hanc fidem ascensione tua auctam, et Spiritus sancti munere roboratam non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium supplicia extinguere potuerunt. Pro hac fide per universum mundum non solum viri, sed etiam tenerae virgines usque ad effusionem sui sanguinis decertarunt.

18 Quintum beneficium est, quod tunc spes nostra roborata est. Quis unquam sperasset humanam carnem ad superna coeli palatia posse pervenire? Carnis locus proprius terra est. *Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum*. Celsissima coeli palatia Deo et angelis conveniebant, hominibus vero incolatus terrae competebat. Coelum erat civitas angelorum, quia in eo conditi sunt, et a condito orbe eam inhabitant: terra autem civitas hominum, quia ex ea formati in ea ab orbe condito habitant. Christus gratia sua efficit, ut terreni incolae coeli cives fierent, cum carnem humanam in coelo collocavit. Quae spes, quod gaudium, quae exultatio nostra esse debet.

19 Coelestia cogitare debemus. Sextum beneficium est, quod tunc caritas nostra est inflammata. Cum enim Christus in coelum ascendit, novo quodam caritatis ardore corda nostra inflammavit. Quid agimus fratres? non pudet nos lucris, et voluptatibus, et vanitatibus terrae inhiare, nos brevibus, parvis et angustis rebus oblectari? Empedocles rogatus cur viveret? respondit: *Ut coelum aspiciam*. Longe verius christianus rogatus cur vivat, respondere debet: *Ut coelum nedum aspiciam, sed et consequar*. Hoc saepius pensa, hoc serio cogita, o anima mea, frequentius usurpans illud d. Bernardi: *Non pudet te corpore coelum suspicere, et mente in terra repere, caput sursum, et cor habere deorsum?*

20 Ascensionis Christi circumstantiae. IX. Considera circumstantias ascensionis Christi in coelum, earumque mysteria. Primo, de terra in coelos ascendit, ut nos a terrenis desideriis abstrahat, et coelestia desiderare doceat. Hoc semper in optatis erat Salvatori nostro, ut prae oculis haberemus patriam a qua excideramus, ideo oraturos docet ita dicere: *Pater noster qui es in coelis*, quasi coelestem patriam memoriae insculpens. Patria nostra coelum est, terra vero exilium et carcer, idcirco coelestia, et aeterna semper cogitare, spirare, prosequi, de iis loqui, ad ea anhelare debemus. Secundo, in ea forma quam assumpserat Dominus, in eodem corpore in quo passus fuerat, in coelum ascendit, ut nemo desperet se posse illum sequi, nedum in anima, verum et corpore, dummodo ei compati velit; quia scriptum est: *si compatimur, et conregnabimus*. Tertio, cito ascendit, non multis annis in hac misera vita commoratus est, tricesimo quarto anno nondum expleto, elevatus est: ut doceret nos non desiderare longam vitam, sed anhelare ad coelum, illudque prae oculis habere: annos virtutibus imple. Scriptum namque est Sap. 4, 8: *Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata*.

21 Vestigia Christi humo impressa quibus miraculis coruscant. Ascensionis suae egregium monumentum nedum apostolis, sed posteris quoque spectandum reliquit, dum in montis loco ex quo subsilit, sacrorum pedum vestigia impressit quae triplici miraculo illustravit. 1. Haec sacra vestigia Domini humo impressa inter medios licet Turcas admirationem augent, cum in eodem loco romanus exercitus sub Tito castrametatus esset Ierosolymam obsessurus, illa tamen vestigia non deleta, sed usque in praesentem diem conservata sunt. Miraculum auget, quod cum terra illa quotidie a credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem sacra vestigia pristinum statum continue recipiunt. 2. Locus ille divinis vestigiis sacratus nunquam tegi marmore, aut pavimento potuit, semper excussis quae manus adornandi studio tentavit apponere. 3. Eodem in loco, cum templum rotundum et magnificum in honorem ascensionis Christi s. Helena mater Constantini imperatoris construxisset, tectum ea parte qua Christi corpus ascendit, nunquam contegi, et concamerari potuit, sed transitus eius a terra ad coelum usque patet apertus. Scribit Baronius tom. 1, anno Domini 34. Quid sibi volunt mysteria haec? vestigia cur reliquit? Ut nos ad sui imitationem invitaret, quasi dicere vellet: Christiani mei, sicut me nomine imitamini, ita sequimini vitam. Inspicite vestigia mea, vestigiis meis insistite; ubi ego pedes posui, ibi et vos ponite; a viis meis non deviate.

Sed cur summum templi cacumen contegi non potuit? Ut nimirum via qua Christus in coelum ascendit, semper pateret: nec manus hominum occluderent, ubi nos continuo suspicere, anhelare, et corda elevare debemus, uti ad nostram patriam, thesaurum et amorem. *Ubi est thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum*. Hanc viam patentem sancti iugiter aspiciebant; hanc aspicere d. Paulus docebat, cum diceret: *Quae sursum sunt, sapite, non quae super terram*. Coloss. 3, 2. Hanc saepius aspicientes s. p. n. Dominicus et s. Thomas aquinas tanta mentis dulcedine ad coelestia rapiebantur, ut molem corporis sursum a terra traherent. B. Ignatius Loyola solarium ascendere solebat, unde in coelum libere suspicere posset, ibique fixis oculis in coelum uberrime lacrimans, aiebat: *Quomodo sordet mihi terra, cum coelum aspicio*. Ribadeneira lib. 5, c. 1. 22 Coelum semper aspiciendum. Aspicientium in coelum exempla.

Ex monte Oliveti ascendit. In hoc monte saepe Christus oravit et pernoctavit: in hoc monte passionem inchoavit, dum in horto orans sanguineum sudavit, mox que a Iuda proditus, captus et ligatus ad Annam et Caipham inde protractus est. Ecce ubi passioni initium dedit, ibi pariter passionis suae coronidem imposuit; ubi poenam iniuste sustinuit, ibi iustitia, innocentiaque eius declarata et glorificata est. Instrumenta et loca passionis suae in gloriam et triumphum commutata sunt. 23 Cur ex monte Oliveti ascendit.

Die Iovis in coelum ascendit, ut Clemens V in suis constitut. cap. 18, et 20 narrat; quia illo die magnum humilitatis argumentum exhibuit, cum discipulis suis pedes abluit. Ipsa die exaltatus est, ostendens quanti meriti sit humilitas apud Deum. 24 Cur die Iovis.

Meridiano tempore ascendit, ut impiae et indaicae Ierusalem quae eum depresserat et occiderat, conspicuus esset. Viderant Iudaei et ethnici tempore meridiano in cruce ignominiose distentum, et poenis et opprobriis saturatum: videant nunc eum in coelum gloriose scandentem. In meridie Deus paradisum clauserat. *Ambulabat*, inquit sacer textus, *Deus ad auram post meridiem*, ubi LXX viri in graeco legunt: *Ambulabat ad auram in meridie*. In meridie itaque Adamum ex paradiso expulit, et paradisum clausit; in meridie etiam paradisum coelestem nobis aperuit. 25 Cur in meridie.

Non subito raptus est, sed sensim ac paulatim ascendit, ut suorum pasceret oculos, ac animos recrearet. *Videntibus illis elevatus est*. Quibus illis? Nedum apostolis, sed etiam Maria Matre Iesu, piisque mulieribus, aliisque sanctis viris. S. Martialis epist. ad Tolos. c. 3, et epist. ad Burdeg. cap. 12 testatur se Christum vidisse, quando apparuit post resurrectionem, et quando in coelum ascendit. Multos spectatores ascensionis suae in coelum habere voluit, ut non solum illos intuentes, sed etiam nos omnes ad desiderium illius patriae coelestis accenderet, ad quam properabat. 26

Eia anima mea ad illam patriam coelestem quam tibi Christus nedum paravit, verum etiam in die ascensionis suae ad eam viam monstravit, et ianuam aperuit, vehementius aspira. Te vero sanctissima Mater, quam Filius tuus Salvator noster in coelum conscendens in hac valle miseriae pro nostro solatio custodem, nutricem, et parentem reliquit, et nostrae salutis adiutricem, administram, procuratricem esse voluit, per illud immensum quod in eius gloriosa ascensione habuisti gaudium, oro et obsecro, ut despecta terra, abdicatis omnibus huius saeculi male blandis voluptatibus, ad spirituales et coelestes delicias semper aspirem, ibi mente verser, ibi habitem, ubi est thesaurus noster Iesus Christus Filius tuus in saeculorum saecula. Amen. 27

DISCURSUS CCCXLVIII

QUID MEDITANDUM IN TERTIO MYSTERIO GLORIOSO

Post magnificentiam Christi resurgentis, post gloriam ascendentis, post sublimitatem in coelo residentis admirandum Spiritus sancti in igneis linguis cum grandi sonitu et fragore adventum super apostolos recolimus. Quod mysterium contemplanti haec sunt recolenda. 1

I. Considera sacrum illum coetum apostolorum, aliorumque discipulorum, ac piarum mulierum cum Maria Matre Iesu in uno coenaculo congregatum. Narrat s. Lucas act. 1 apostolos iuxta 2

mandatum virorum illorum qui in vestibus albis mox post Christi ascensionem eis apparuerant, a monte Oliveti e loco ex quo Christus in coelum conscenderat ab urbe Ierosolyma bis mille passibus dissita in urbem rediisse, et in consuetum montis Sion coenaculum se recepisse, in quo *erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Iesu, et fratribus eius.*

3 II. Considera virtutes quibus se sacra illa congregatio ad adventum Spiritus sancti comparabat una cum Maria Matre Iesu. *Erant perseverantes in oratione*: ecce perseverans patientia, oratio fervens et continua. *Erant omnes pariter in eodem loco:* ecce unanimitas, caritas vero, ac sincera animorum connexio. *Cum Matre Iesu:* ecce humilitas. Ob id enim s. Lucas Sanctissimam Virginem Matrem ultimo loco posuit, hanc enim ipsa sibi sedem extremam pro sua humilitate delegerat, licet omnem sacrum illum coetum dignitate, gratia, sanctitate longe antecelleret. In extremo loco considere voluit, et exemplo Salvatoris ad omnium pedes se prosternere parata erat, ut sua humilitate ac precibus adventum Spiritus sancti acceleraret, eiusque gratiam copiosius reciperet. Sicut enim aqua decurrit ad convalles, ita gratia Spiritus sancti diffunditur in humiles.

Humilitas Mariae.

4 III. Considero tres creaturarum species, in quibus Spiritus sanctus apparere voluit, ignem videlicet, ventum vehementem, et linguas varias. 1. In igne apparere voluit, ut Deum se esse ostenderet. Scriptum namque est: *Deus noster ignis consumens est*. Hinc Deus passim se in igne exhibuit hominibus. Moysi in rubo ardenti, Exod. 4, 4. Hebraeis in columna ignis, et nubis, Exod. 13, 21. Idem fecit iniens foedus cum Hebraeis. Exod. 24, 17: *Erat*, inquit, *species gloriae Domini quasi ignis ardens*. 2. In igne apparuit, ut sacrificium Christi cruentum sibi gratissimum fuisse testaretur. Piorum sacrificia igne de coelo misso comburi solebant, ut sacrificium Abel, de quo Genes. 4, 4: *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera eius.* Theodotion vertit: *Et inflammavit Dominus super Abel.* Similiter sacrificium Abraham, Genes. 15. 17; Eliae, 3 Reg. 18, 38; Nehemiae, 2 Mach. 1, 31. Quorum sacrificia igne de coelo misso combusta sunt, quo grata fuisse Deo monstrarentur. Summus Sacerdos noster ad Patris dexteram iam collocatus, vultuique eius assistens pro Ecclesia tota iuge sacrificium semel in cruce cruente peractum obtulit. Ecce Pater divinus hoc igne in quo Spiritus sanctus visus est, amorem suum testatur, quamque grate sacrificium illud suscepisset, liquido ostendit. 3. In igne apparuit. Qui Deum portat, ignem praeferre debet: quocirca sacrosanctae Eucharistiae tanquam Deo faces et taedae praeferuntur. Apostoli Deum per totum mundum portare debebant: idcirco hunc ignem coelestem in linguis et cordibus eos habere oportebat. 4. Olim principibus qui sunt dii quidam terrestres, ignis praeferebatur. Iulius Caesar ascendens capitolium cum lampadibus et facibus deductus est, quadraginta elephantis dextro ac sinistro lychnuchos gestantibus. Scribit Svetonius in eius vita cap. 37. Similiter Heliogabalus capitolium ingressus est discurrente cum facibus utrinque populo. Et Gordiano in eundem locum ascendente, ignis de more praeferebatur. De Constantino magno Caesar Baronius ad annum 324 scribit, quod cum Christi fidem Romae publico edicto sanciret, tota urbs eum cum cereis et lampadibus comitata est. Hic ritus demonstrabat reges et principes fulgore dignitatis, sapientiae, felicitatis, potentiae ceteros anteire, quemadmodum ignis antecellit elementa. Apostoli erant principes totius orbis. Psal. 44, 17: *Constitues eos principes super omnem terram.* Unde etiam ceteros patres Ecclesiae dignitate, sapientia, gratia praecelluni; quare tanquam principibus ignis praeferri debebat: et praelatus est, dum super eos Spiritus sanctus in specie ignis descendit. 5. In igne apparuit, quia per apostolos mundum reformare volebat: extremo tempore mundus renovabitur igne. *Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius*, ps. 96, 3. Primo quoque tempore praedicationis evangelicae mundus debebat renovari igne. O mirum paradoxum! mundum formaturus Deus a lumine orsus est, *Fiat lux.* Deinde eum reformaturus per apostolos lumen de coelo mittit, Act. 2, 3: *Apparuerunt illis dispertitae linguae tanquam ignis.* 6. In igne apostolis apparuit; quia per eos totum mundum debellare voluit. Consuetudo erat antiqua bellum igne indicere. Persae manus cum hoste conserturi ardentem facem in aciem adversariorum torquebant. Chaldaei qui ignem pro Deo colebant, eundem ante exercitum gestabant. Christus per apostolos orbi universo bellum inferre debebat iuxta illud. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Quocirca die hodierno ignem de coelo mittit, eoque bellum idololatriae gentilium indicit. Ultimo apostoli erant ministri Christi. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi.* Unde debebant esse igniti iuxta illud: *Qui facit ministros suos ignem urentem.* Isaias praedicaturus igne purificatur, Isai. 6. Ieremias eruditum se dicit igne de coelo misso: *De excelso*, ait, *misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.* Threo. 1, 13. Ad eundem modum apostolos igne coelesti erudiri decebat.

In igne cur Spiritus sanctus apparuit.

In vento Spiritus sanctus apparere voluit, eoque valido. *Factus est repente de coelo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis*; ut discipulorum mentes excitaret, quatenus advenientis Spiritus sancti maiestatem adverterent. Quadrat Spiritus nomen tertiae sanctissimae Trinitatis personae. A spirando enim et flando Spiritus sanctus dicitur, propterea etiam Christus eundem Spiritum sanctum post resurrectionem discipulis suis insufflando dedit, Ioann. 20, 22, ut sibi eum esse consubstantialem, et ex sua ipsius procedere substantia, et ut flatus ex intimo expirari corpore ostenderet. Vehemens erat ille flatus, ut potentiam Spiritus sancti declararet, sicque animos discipulorum corroboraret adversus reges et principes totius orbis. Sic quondam in Samsonem spiritus Domini irruit, quo multitudinem Philisthinorum prostravit, Iudic. 14. 6, 19, et 15, 14. Ita tunc in discipulos venit, eisque robur et constantiam pectoris adversus idololatras contulit. 5

In vento cur Spiritus sanctus apparuit.

In spiritu vehementi apparuit ad significandam vehementiam praedicationis apostolorum eis inditam a Spiritu sancto. Sicut enim validus ventus, turbo, et procella non tantum sternit segetes, frutices et arbores; sed domos integras, turres, immo et montes a fundamentis evertit, et in alium locum rapit, alioque transfert. Certe turrim Babel vi atque impetu ventorum fuisse eversam s. Epiphanius lib. 1 cont. haereses scribit: montes quoque excelsos vi ventorum terrae motum causantium eversos fuisse legimus et vidimus. Ita pariter apostoli idola gentium, aras et templa praedicatione sua everterunt, omnemque mundi potentiam, sapientiam, eloquentiam straverunt, et a gentilismo in Christi Ecclesiam transtulerunt. 6

In linguis etiam Spiritus sanctus apparuit. Lingua enim Spiritus sancti symbolum est; quemadmodum enim lingua cum verbo maximam cognationem habet, movetur enim lingua a verbo cordis ad formandum sonum vocis: ita Spiritus sanctus Verbo divino maxime coniunctus est, utpote ei consubstantialis, et ab ipso procedens. 7

In linguis cur Spiritus sanctus apparuit.

Sed cur in forma dispertitarum linguarum eis apparuit? Sanctus Cyrillus serm. de Spiritu sancto ea divisione significari putat, quod quisque ad multa Spiritum sanctum accipiebat. Praeterea hoc signum manifestabatur, quod diversarum linguarum donum eis conferebatur. Conveniens sane erat, ut apostoli diversis linguis loquerentur. Quemadmodum enim linguae unius divisio olim post diluvium multos populos disgregaverat: ita nunc linguarum omnium in ore paucorum hominum collectio eosdem populos dispersos Christo congregaret. Accedit, quod alia linguarum omnium notitia ad conversionem gentium apostolis maxime necessaria erat, utpote omnium gentium magistris quos non decebat interpretibus uti, sed nec illos habere poterant ob rerum temporalium inopiam, ad conversionem gentium. Multos sanctos legimus dono linguarum divinitus dotatos fuisse, ut s. Servatium episcopum traiectensem, qui lingua materna praedicans ab alienis perfecte intelligebatur; sanctum Antonium patavinum pro expeditione Terrae sanctae coram Gregorio IX pontifice italice concionantem diversae simul nationes intellexerunt; sanctum Vincentium Ferrerium ex Ordine nostro hispanice praedicantem multae diversaeque nationes intellexerunt; sanctum Bernardinum in Concilio florentino latine agentem graeci proprii duntaxat idiomatis gnari intellexerunt. Eodem dono dotati fuere novi orbis apostoli, s. Franciscus Xaverius, b. Aloysius, b. Ludovicus Bertrandus noster in Iaponia, et Martinus valentinus in occidentali India. 8

Cur in dispertitis linguis.

Linguis diversis loqui apostolos necesse erat.

Linguarum donum quibus fuit collatum.

Quorundam non infimae notae doctorum opinio est, apostolos una tantum lingua vernacula locutos ab omnibus nationibus inter se diversis intellectos fuisse adeo exacte ac si in eorum auribus sua idiomata resonarent. Sed magis standum est doctrinae sancti nostri doctoris angelici 2 2, qu. 176, art. 1 ad 2 qui docet, apostolos omnibus linguis locutus fuisse. Idipsum sacer textus indicat, qui graece ita habet ἑτέραις γλώσσαις, id est aliis linguis. Alias linguas vocat; quia diversae erant ab ea quae apo- 9

Apostoli quomodo variis linguis loquebantur.

stolis erat familiaris et vernacula. Et Ecclesia canit: *ut in ore eorum omnium genera nascerentur linguarum*. Et in canone missae dicitur, quod Spiritus sanctus apostolis in innumeris linguis apparuit.

10 Mithridates linguarum gnarus. Multum valet ad regendos et gubernandos populos linguarum notitia. Hinc Mithridates rex Ponti, ut quos sub imperium sibi coegerat, obsequentiores sibi redderet, sermonem singularum nationum didicit, et viginti duas linguas pro numero provinciarum quibus leges dabat, calluit. Val. Max. lib. 8, c. 7. Apostoli totius orbis terrarum praedicatores, rectores ac principes esse debebant: quare notitia omnium linguarum eis vel maxime conveniebat. Mithridates ethnicus omnium suorum populorum linguas callens et loquens, quid aliud loquebatur, nisi vanitatem? Sancti Apostoli magnalia Dei loquebantur, quae multi reges et prophetae, quantumvis hoc cuperent, non sunt consecuti.

11 Hae linguae igneae sanctos apostolos nedum eloquentes, sed etiam caritate ferventes effecerunt. Hinc Ecclesia canit: *Verbis ut essent proflui, et caritate fervidi*. Cum si praedicator es, si apostolicum munus obis, ut nedum eloquens, sed et caritate fervidus inveniaris. Cicero lib. 2 de oratore monet: *Ardeat orator, si iudicem vult incendere*. Id sibi iustius dictum existimet evangelicus orator.

12 Hae linguae super capita apostolorum insederunt, ut significarent, quod tunc apostoli totius orbis terrarum creabantur magistri et doctores. Doctores enim dum in academiis promoventur, bireto capita eorum condecorantur. Et bene capita, quia prudentes, et sapientes eos esse oportet qui ad doctrinam promoventur.

13 Gaudium B. Virginis in adventu Spiritus sancti. Super capita apostolorum linguae apparent, ut intelligant etiam concionatores a nullius reprehensione esse abstinendum, sed etiam ipsa capita reipublicae, urbis, regnorum esse obiurganda, si publice eos peccare contigerit.

IV. Considera quantum tunc fuerit B. Virginis gaudium, quae flammas divini amoris in suo pectore senserit, cum una cum apostolis Spiritum sanctum accepit. Non dubium, quod hoc Spiritus sancti illapsu copiosissimo, si quae forte mysteria de Christo Filio, de spirituali eius regno, de militantis et triumphantis Ecclesiae ordine ei nondum revelata fuerunt, tunc ei patefacta fuisse. O quantum gaudebat, cum leges evangelii per universum orbem proferendas ac stabiliendas, superstitiones omnes idololatrarum per apostolos abrogandas, gloriam Filii sui per universum mundum propalandam, infinitam hominum multitudinem ad Dei cognitionem et cultum adducendam videbat. Apostoli variis linguis Dei magnalia loquebantur: loquebatur et Deipara Virgo ignea lingua, meditabatur igneo corde, ac tota conflagrabat illo coelesti igne tota in Deum abrepta, tota ignis effecta.

14 Tu ergo qui habes cor non carneum, sed ferreum, frigidum, durum et rubiginosum, summis precibus hunc ignem coelestem efflagita, ut illo tangaris, affectu calescas, amore ardeas, compassione mollescas, et omni peccati rubigine careas. In quem effectum ad Beatam Virginem te converte, et ei devote dicito:

15 O Beata Mater, effice obsecro, ut hoc divino igne corripiar, qui me inflammet, renovet et in novum hominem transformet. Vivificet me ille spiritus tuus, Filiique tui, sine quo sum velut stipula sicca aridus, ut ferrum durus ac frigidus, ac plane mortuus. Vivificet me itaque Spiritus divinus, expurget, illustret, atque inflammet, et sibi in domicilium templumque consecret. Adaugeat fidem, spem, caritatem ceterasque Dei filiorum proprias virtutes. Inebriet me novo musto gratiae suae, quatenus ebrietate sobria, casto et sancta sopitus praeteritarum saeculi rerum sim immemor: depositis animo curis inanibus, ac terrenis sollicitudinibus eum ipsum agnoscam, eum cogitem, eum amem, solam, ei serviam, qui vivit et regnat per aeterna saecula saeculorum. Amen.

DISCURSUS CCCXLVIII

QUID MEDITANDUM IN QUARTO MYSTERIO GLORIOSO

1 Hoc mysterium laetissimum Dei Genitricis obitum, funus apostolorum lacrimis complocatum, et officiis parentatum, necnon felicissimum in coeli palatio, applaudente tota curia coelitum, ingressum nobis ob oculos ponit. Hoc mysterium recole.

2 Suspiria B. Virginis. I. Contemplare ardentissima illa B. Virginis desideria, et suspiria quae in extremo vitae suae habuit, dissolvi et esse cum Christo quindecimo anno, ut vulgo creditur, seu vicesimo quarto, ut nonnulli huius saeculi doctores credunt, postquam Christus devicta morte coelum conscenderat, unaquaque die in Filii desiderium cor Virginis vehementer accenditur, aestuans animus commovetur. Licet enim illo semper summi illius boni ardentissimo desiderio flagraret, attamen vitae fine appropinquante, ardentiore in illud aestu et impetu ferebatur, ut solent elementa, quo propius ad centrum vergunt, maiori vi ac impetu ferri: sic Sanctissima Mater, quo magis ad extremam horam appropinquabat, ardentiore in Deum amoris affectu ferebatur. Et quis possit explicare, vel saltem mente concipere illud flagrans desiderium, quo ardebat cor Virginis? David tametsi multis sceleribus irretitus, conversus tamen ad Deum tanto illius amore ardebat, ut clamaret ps. 119, 5: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*; et ps. 41, 1: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus*. Divus Paulus post tot iniurias Christo et Ecclesiae irrogatas scintilla divini amoris tactus dicebat: *Cupio dissolvi et esse cum Christo*; quanto putas avidius B. Virgo illam coelestem patriam desiderabat, cuius amoris pondus omnium amorum pondera excedebat? Hinc crebro cum suspiriis talia verba proferebat: O Fili mi dulcissime, o nate dilectissime, o Iesu suavissime, en cupio dissolvi et esse tecum. Quis mihi det, ut inveniam te? Iam satis morarum quas tot annis nectebam. An ego latrone vilior? an Stephano levita, an Iacobo apostolo tibi minus grata? Latro ille ut dixit: *Memento mei Domine*, statim audivit: *Hodie mecum eris in paradiso*, et ex carne migrans in paradisum introivit. Stephanus ut dixit: *Domine Iesu, accipe spiritum meum*, adfuisti, coelos aperuisti, eum tulisti, intulisti. Pariter in Iacobum, et in alios munificus, quos ad coelestes thalamos avocasti et assumpsisti. Me quare non? Satur sum huius mortalis vitae, satur malorum; te ut cerva a canibus exagitata fontem aquarum concupisco; ad te anhelo, ad te oculos meos levo, ad te suspiro, te unum solum aspicio. Et quis mihi det te in illa coelesti gloria videre? tecum gaudia illa quae nec oculus vidit, nec in cor hominis ascenderunt, possidere? Haec in horas exprimebat Maria. Etsi enim morem dulcissimo gereret Filio, inter curas tamen serviles coelum et Filium adspirabat; iam in culmine amoris stabat, illius ardore nubes transvolabat, coelestes orbes penetrabat; et ut coelo proxima ad illam beatitudinis sedem transire gestiebat.

Gabriel B. Virgini transitum ex hac vita nuntiat. Tandem cum iam optatissimus dies advenisset, quo eam dulcissimus Filius ex hisce vitae mortalis aerumnis eripere, atque in regiam gloriae suae coelestem transferre constituerat, venit archangelus Gabriel ingenti lumine coruscans, ramum olivae in manu deferens, et reverenter ubi Dei Matrem salutavit: Ave benedicta, suscipiens benedictionem illius, qui mandavit salutem Iacob. Ecce Filius tuus Dominus Iesus te Matrem venerandam expectat: die tertio cum corpore assumeris, ut coelestes mansiones iucundas reddas. Haec Simeon Metaphrastes orat. de Virgine, et Nicephorus lib. 2 hist. c. 22.

3 Apostoli ex diversis mundi partibus ad funus B. Virginis miraculose conveniunt. II. Cogita illum felicem diem quo ex hac vita Deipara Virgo migratura erat. Eo die omnes sancti apostoli qui passim toto orbe ad praedicandum evangelium dispersi erant, Ierosolymam divino imperio ab angelis, ut pie creditur, delati convenerant, excepto Iacobo qui iam mortuus fuerat, et Thoma qui absens, ut scribunt divus Damascenus, Iuvenalis Ierosolymitanus episcopus, Michael Syngelus presbyter Ierosolymitanus, Nicephorus, Metaphrastes, Gregorius turonensis, s. Dionysius areopagita qui fuit praesens, s. Melitus qui in sermone de assumptione affirmat se id accepisse ex ore s. Ioannis evangelistae. Glycas adiungit non solum duodecim apostolos, sed etiam septuaginta discipulos tunc convenisse, ut venerandum Virginis corpus sepulturae mandarent. Nec id cuiquam impossibile videri debet; similia enim portenta divinam virtutem operatam fuisse sacra volumina commemorant. Habacuc prophetam ex Palaestina in Babylonem angelus in momento temporis per capillum transtulit, Daniel. c. ultimo. Rursus angelico ministerio factum est, ut Philippus Christi discipulus, velut per aera deportatus nobili eunucho consociaretur, eoque baptizato ad suos in Azotum confestim rediret, Act. 8. Elias Thesbites ex hominum oculis subito raptus, et curru igneo exceptus in loca remotissima delatus est, ac demum post multa saecula in monte Thabor una cum Christo visus est. Ad eumdem modum angelus Domini subito, et quasi in ictu oculi potuit transferre Christi apostolos, et discipulos alios ex diversis mundi partibus, et eadem celeritate reducere. Angelus qui movet Ab angelis deferuntur apostoli.

Digitized by Google

solem, facit, ut sol qualibet hora tantum spatii conficiat, quantum quis conficeret, si una hora quinquagies totum terrae globum circumiret: proinde etiam potuit quilibet angelus apostolos Christi et discipulos ad funus Dei Matris peragendum ex remotis partibus orbis mira celeritate transferre.

4 Mors B. Virginis qualis.

III. Mirare Mariam morientem, seu potius pacifice obdormientem. Non enim morbo, aut languore, aut aegritudine, aut dolore aliquo, sed ardentissimis amoris divini telis confixa emortua est. Dionysius carthusianus lib. 4 de laudibus Virginis, art. 3: *Ad intuitum*, inquit, *dilecti Filii cum incomparabili expiravit ardore, divinorum quoque rerum contemplationi erat profundissime tunc intenta: ergo prae spiritualis suavitatis affluentissima experientia, ac ferventissima dilectione, separabatur sine poena a corpore.* In revelationibus b. Birgittae lib. 6, c. 62 ipsa Deipara Virgo seriem et modum mortis suae narrat in hunc modum: *Paravi me ad exitum, circumiens omnia loca more meo, in quibus Filius meus passus fuerat: cumque quadam die animus meus suspensus esset in admiratione divinae caritatis, tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix capere poterat, et in ipsa consideratione anima mea a corpore fuit soluta.*

5 Phoenicis more B. V. Maria mortua est.

Decuit sane haec gloria Deiparam Virginem, ut quae Filium imitata est moriens, eundem imitaretur tertio die reviviscens. More phoenicis quoque reviviscere debuit. Ferunt phoenicem in nidulo suo clausum flammas excitare, flammis exustum e cineribus suis nondum frigescentibus reviviscere. Quod Iob 29, 18 innuit, cum ait: *Dicebam: in nidulo meo moriar, et sicut phoenix multiplicabo dies.* Ita Maria rara avis in terra, in suo nidulo clausa, ignibus divini amoris consumpta rursus revixit, et dies suos in aeterna saecula multiplicavit.

6 IV. Contemplare Mariam iam iam ex hac vita egredientem. Postrema eius morientis verba haec, quae suae apocalypseos extrema esse voluit b. Ioannes: *Veni Domine Iesu*; vel quae ipse Christus in cruce iam iam expiraturus protulit: *In manus tuas, Fili, commendo spiritum meum.*

7 Christus B. Virginem ad coelos invitat.

V. Contemplare Christum Matrem suam dulcissimam ad regna coelestia invitantem his vel similibus verbis: *Surge, propera, amica mea, formosa mea, columba mea, et veni.* Surge, tu quae mihi olim affectu commortua, quae laborum, et curarum socia fuisti. *Propera*, nam tuos amplexus prae omnibus exambio: haerent mente brachia, quibus me de cruce depositum pie amplexata fuisti. *Propera* ad palmam, quae stadium decurristi: festina ad coronam, quam laboribus exantlatis promeruisti. *Iam hiems transiit*, imber et procella tribulationum praeteriit, *flores apparuerunt in terra nostra*, hoc est in gloria mea: flores dico, immo sidera, quae caput tuum ornent et venustent, et pulcriorem tibi corollam imponent. *Tempus putationis advenit*, quo fructum consolationis demetas et decerpas. Fui tibi hactenus fasciculus myrrhae inter ubera tua iugiter observans: iam tibi ero botrus cypri mentem tuam inebrians, et ardorem desiderii extinguens. *Veni electa mea, et ponam in te thronum meum.* Excepisti me in uteri tui cubile: veni tu quoque in mei regni praeparatum tibi sedile. Diademate regni caput meum, hoc est divinitatem meam coronasti, cum eam carne propria vestivisti, in die desponsationis meae, hoc est incarnationis meae, et in die laetitiae cordis mei: veni tu quoque, suscipe coronam gloriae quae nedum corpus, verum et animam tuam ornet, condecoret, ambiat. Nullus mihi plus ministravit in humilitate mea, nulli abundantius ministrare volo in gloria mea. Communicasti mihi quod homo sum, et ego tibi communicabo, quod Deus sum.

8 Christus hominibus ex hac vita transeuntibus apparet.

VI. Intuere Christum ad Matrem suam angelorum agminibus stipatum venientem. *Rex ipse*, inquit s. Damascenus oratione 2, *ad Matrem suam venit, ut divinis suis et purissimis manibus sanctam et labis expertem illius animam exciperet.* Solet Deus honorare sanctorum mortem praesentia sua. Ludolphus vol. 3 de vita Christi, cap. 46 censet, quemcumque hominem in morte videre Christum in cruce positum; malum ad suam confusionem, ut erubescat sibi non profuisse sanguinem Christi, sua culpa id exigente; bonum vero Christum videre ad suam exultationem. Idque probat ex 1 Thessal. 3, 13: *In adventu Domini nostri Iesu Christi*, id est, inquit ille, in die mortis, quando apparet tam bonis quam malis Christus in cruce positus; et ex Apoc. 3, 3: *Veniam ad te tanquam fur.* Et multa id exemplis probat, ut s. Tharsillae virginis, s. Pantaleonis, s. Chiliani, s. Barbarae, quibus Christus circa agonem apparuit, et ad felicem mortem, seu

Christus

patientiam cohortatus est, ut acta eorum testantur. Id copiosius Matri suae sanctissimae praestitit, cuius agoni non solum interesse voluit, sed etiam oculos eius propriis digitis clausit, ut divus Thomas cantuariensis ab ipsa Virgine per revelationem accepit.

B. Virgini in morte praesens adfuit, et oculos eius clausit.

9 Daemones in morte B. Virgo non vidit.

Ceteri cum moriuntur, horrendum daemonis aspectum sustinere coguntur; B. Virgo ex peculiari Christi favore eum non vidit, ut b. Laurentius Iustinianus sermone de assumptione scribit. Et quid daemonis aspectu terreri debuit, quae caput eius omnino contrivit? Hoc fuse probatum est discursu CCLXXVI, n. 3, et sequentibus.

10 S. Mellitus sardicensis episcopus.

VII. Contemplare corpus exanime Deiparentis Mariae. Sanctus Mellitus in bibliotheca sanctorum patrum serm. de assumptione D. Virginis huius rei seriem narrat. Tres virgines quae ibidem erant et vigilabant, susceperunt corpus Beatissimae Virginis Mariae, et laverunt illud funerum more. Cum exuissent illam vestimentis suis, sacrum corpus illud tanta claritate resplenduit, ut tangi quidem posset pro obsequio, videri autem species prae nimia luce coruscante non posset. Cumque vestissent eam linteis et indumentis, paulatim lux illa evanuit, et erat facies Beatae Genitricis Dei Mariae similis floribus lilii.

Corpus B. Virginis in morte quale.

11 Processio funebris in delatione corporis B. M. Virginis.

VIII. Specta processionem funebrem in delatione sanctissimi corporis Deiparae Virginis. Sanctus Mellitus loco supra citato narrat d. Petrum et Paulum corpus Beatae Virginis portasse, Ioannem ante feretrum palmam praetulisse, ceteros vero apostolos psalmos cecinisse. Ecce novum miraculum! Nubes lucida instar coronae apparuit super feretrum, sicut apparere solet magnus circuitus iuxta splendorem lunae, et angelorum exercitus erat in nubibus canticum suavissimum occinens, ita ut egressus de civitate populus mirabatur dicens: Quis est iste sonitus tantae suavitatis?

12 Alia miracula tunc facta fuisse gravissimi auctores prodiderunt. Nam tempore mortis Beatissimae Virginis Mariae multi infirmi sanati sunt, surdis auditus, claudis gressus, caecis visus redditus est, ut scribit d. Damascenus de dormitione Beatissimae Virginis. Idem divus Damascenus cum s. Mellito sardicensi episcopo narrat de quodam hebraeo qui fuit princeps sacerdotum iudaeorum, quod is furore concitatus feretrum in quo positum erat venerabile corpus Deiparentis Mariae, evertere et in terram deiicere voluit; sed mox manus eius feretro adhaeserunt. At cum ille ingenti dolore torqueretur, et poenitentia ductus auxilium peteret, dixit d. Petrus ad eum: Si credideris toto corde in Dominum Iesum Christum, solventur a feretro manus tuae: et cum dixisset: Credo, statim solutae sunt manus eius a feretro; et quia adhuc erant aridae, iterum Petrus dixit ad eum: Accede ad hoc corpus, et osculare lectulum, et dic: Credo in Deum et Dei Filium quem ista portavit, Iesum Christum; et cum accedens osculatus esset lectum, statim omnis dolor recessit ab eo, et sanatae sunt manus eius.

Cuiusdam Iudaei insolentia punitur.

13 Angelorum iubilus.

IX. Cogita quam gloriosa ex hac valle miseriae mundi Regina processerit, et quanta devotionis affectu tota in eius occursum coelestium legionum processerit multitudo. D. Bernardus serm. de assumptione credit coelum empyreum evacuatum fuisse, ut in occursum Dei Genitricis exierit. Angeli gaudebant, archangeli iubilabant, throni exultabant, dominationes psallebant, principatus harmonizabant, potestates cytharizabant, cherubim et seraphim hymnos concinebant usque ad supremum divinae Maiestatis tribunal suam Reginam deducendo.

14 In erectione illius statuae, quam Nabuchodonosor rex erexerat, intonuit sonus multiplex tubae, fistulae, cytharae, sambucae, psalterii ac universi generis musicorum, Dan. 13. O quam potiore ratione in erectione ad coelum huius vivae imaginis veri Dei congruebat tubas, fistulas, cytharas, et omnis generis instrumenta musica adhiberi!

15 Assumptio Beatae Virginis magis triumphans quam ascensio Christi in coelum.

Beatus Petrus Damianus serm. de assumptione: *In hac Virginis assumptione aliquid gloriosius, quam in ascensione Christi invenitur; Christum enim ascendentem angeli animaeque sanctae tantummodo sequebantur. At Virginem non angeli solum, sed et animae sanctae, sed Christus etiam ipse cuius infinita dignitas est, comitabantur.* Et post pauca idem sanctus ait: *Soli quippe angeli Redemptori occurrere potuerunt: Matri vero Filius ipse cum tota curia tam angelorum quam iustorum solemniter occurrens eam ad beatae sessionis erexit consistorium. Parum erat Christo, omnes coelicolas in occursum suae Genitricis mittere; sed etiam ipsemet promptius, quam illa paterfamilias*

Digitized by Google

qui accurrens filio prodigo illum amplexatus est, *cum ingenti maiestate et gloria Matri suae obviam venit.*

16 Cur Christus B. Virginem post ascensionem suam in terris reliquit.

Non sine causa B. Virginem Matrem cum apostolis Christus post ascensionem suam in terris reliquit, ut nimirum a tota curia coelesti ipsa sola merito cum honore exciperetur. Hoc cogitans divus Anselmus lib. de excellentia Virginis, cap. 7 Iesum ita alloquitur: *Quomodo potuisti pati, bone Iesu, ut te in regnum tuae gloriae remeante, Virginem quasi orbatam in miseriis mundi relinqueres, non eam statim tecum regnaturam annumeres? forsitan Domine, ne tuae coelesti curiae veniret in dubium, cui potius occurreret tibi Domino suo, an ipsi Dominae suae? Praecedere Virginem volebas, quatenus ei locum immortalitatis in regno tuo praeparares, ac sic comitatus tota curia tua festinus ei occurreres, eamque sublimius, sicut decebat, tuam Matrem exaltares.*

17 Contempletur animo qui potest, quo gaudio, qua festivitate, quibus concentibus iubilabant omnes beatorum spirituum ordines, quando et unicam Domini sui Matrem adventare, et ipsum Dominum suum si videbant omni sua gloria decoratae velle occurrere. Non solum igitur tota coelestium legionum multitudo in Mariae occursum prodiit, illamque ad thronum gloriae magno devotionis affectu deduxit; sed et Filius placido vultu, serena facie, divinis affectibus eandem suscepit, et super omnem creaturam exaltavit, ac denique dulciter osculatus est.

18 Arcae veteris testamenti triumphalis deductio in templum.

Cum rex David arcam foederis de domo Obededom in urbem reduceret, plurimos undequaque vocavit sacerdotes, levitas, cantores, ordines tot nabliorum, cymbalorum ac tubarum, aliorumque instrumentorum genera adhibuit. Similiter Salomon ad requiem arcae in templo Domini seniores omnes Ierusalem in Sion coegit, ut arcam foederis deferrent de civitate David, id est de Sion. Et tulerunt sacerdotes arcam, et portabant eam tum sacerdotes, tum levitae, et rex et omnis populus gradiebatur ante arcam boves et oves innumerabiles mactantes, et intulerunt sacerdotes arcam foederis Domini in locum suum, in oraculum domus, in Sancta sanctorum sub alas cherubim. Ad eundem modum ob requiem spiritualis arcae ipse novus Salomon Christus tum mundo sublimiores coelestium mentium ordines, tum primarios novi testamenti viros, id est apostolos una cum universa plebe sanctorum qui erant in Ierusalem, in unum cogens, animam quidem in Sancta Sanctorum, in exemplaria, inquam, ac vera et coelestia per angelos introducit: corpus autem apostolorum manibus portatur, Rege regum invisibilia suae deitatis splendore illud contegente, atque universo sanctorum coetu praecurrente, sacrasque voces emittente, laudisque sacrificium in tumulo tanquam in thalamo peragente. Hic fuit honor, haec gloria ligneae illius, et inanimatae arcae. Quanto magis hanc animatam Dei arcam honorare decuit? Decuit sane, quam non lignei, sed ignei currus deferrent: non boum iuga, aut albicantes quadrigae, sed ipsae coelestes virtutes traherent, chori coelestes paeana canerent, ipse Rex regum toto coelesti exercitu comitatus praecederet.

19 Triumphi Romanorum.

Æmilius Romanorum dux, devicta Macedonia, filios duos impuberes triumphans in curru duxit; Germanicus Caesar quinque; Sesostris Aegypti rex devictos reges annis singulis ad currum iungebat, ut ea pompa coram omnibus triumpharet. At Maria in nube lucida qua ferebatur, non duos, nec quinque, sed innumeros quos Christo genuit filios, iunctis in triumphum tot hostibus a se devictis, ducebat.

20 Comitatus B. Virginis in coelum ascendentis quanti.

Comitatus quoque fuisse multas e purgatorio igne ereptas animas putat Ioannes Gerson super Magnificat tract. 4 in fine. Quia sicut Regina coronabatur, animas e carcere dimisit, Reginamque suam sequi par erat. Innumerabilis etiam electorum coetus ex omni tribu Israel, ex omni populo, lingua et natione quas Ioannes in Apocalypsi vidit, Mariae liberatrici suae occurrebant.

21 Dum Bethsabee mater Salomonis ad eum venit, surrexit rex in occursum eius, adoravitque eam, et sedit super thronum suum. Non minorem certe reverentiam Christus Matri suae exhibuit; alioquin quomodo crederetur implesse, quod ipse in lege praecepit: *Honora patrem tuum et matrem tuam?*

22 Quod si pater Demetrii ad multa milliaria egressus est cineres corporis filii sui suscipiendi gratia, quanto maiore dilectionis affectu censendus est obsequentissimus Filius Matri suae in coelum ascendenti gratulanter occurrisse, non ut emortui corporis cineres, sed vivum ac gloriosis dotibus praeditum Mariae corpus susciperet?

Divus Augustinus lib. 2 de Civit. Dei, cap. 5 narrat, quod olim inter gentiles mater deorum, Berecyntia nomine, ingenti plausu et iubilo Romam fuit suscepta. Adduntque alii, Romanos illud Apollinis oraculum suscepisse, ut clarissimus omnium civium in occursum tantae matri egrederetur. Senatus vero decrevit, ut Scipio Nasica vir numeris omnibus absolutus ad illud munus praestandum illi occurreret. Cum igitur Deipara Virgo non falsorum deorum, sed veri Dei Genitrix esset, merito non Apollinis, sed Dei Patris decreto factum est, ut praestantissimus omnium civium coelestium, et nedum civis, sed etiam Rex in occursum matri suae egrederetur.

X. Considera gressus Virginis ad coelum ascendentis, et prae admiratione exclama: *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis filia principis!* Admirandum sane spectaculum. Visionem magnam videre cupiebat Moyses Exod. 3, 3: *Vadam*, inquiens, *et videbo visionem hanc magnam.* At calceos exuere, nudisque pedibus accedere iussus est. Sancti Dei omnes visionem magnam videre cupiunt, id est Deum, qua visione maior excogitari non potest. Verumtamen calceamenta, hoc est corporis membra exuere, nudoque animo terram illam sanctam intrare iubentur. Sola Beata Virgo in calceamentis, hoc est cum corpore terram illam sanctam ingreditur. Quare merito si eum admiratione occinitur: *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis*, etc. 23 Gressus Virginis in coelum ascendentis.

Ascendebat ex hac valle miseriae Virgo regia opibus affluens et miris deliciis; opibus inquam, hoc est gratiis, virtutibus, meritis. Felix illa patria quae tota nova et ineffabili gloria fuit decorata, et novis opibus cumulata. Cum regina Sabba cum muneribus ad regem Salomonem venit, tantam copiam auri et aromatum secum detulit, ut Scriptura dicat: *Non fuerunt aromata talia ut haec quae dedit regina Sabba regi Salomoni*, 2 Paralip. 9, 9. Felix Ierosolyma tanta hospite; sed felicior coelestis illa patria adventu Mariae. Non sunt allata ultra tam multa aromata, hoc est tam multa merita, tam multi virtutum odores, tam multae gratiae et gloriae opes, quantas Regina haec in coelestem attulit civitatem, quibus eam mirifice locupletavit. 24

Ascendebat Virgo de deserto huius mundi inferioris deliciis affluens, admirantibus coeli civibus, et dicentibus: *Quae est ista quae ascendit de deserto deliciis affluens?* Ascendebat deliciis affluens, hoc est spiritualibus, divinis, coelestibus donis abundans. Affluebat Virgo tunc deliciis; iam enim in ipso ascensu Deum intuebatur, iam Deo fruebatur, iam torrente seu potius mari voluptatis, ac deliciarum illius immersa erat. Hae fuerunt ipsius deliciae, Dei conspectus et fruitio, quibus si addas dotes corporis gloriosi, puta immortalitatem, agilitatem, subtilitatem, claritatem, incredibili modo B. Virginem tunc deliciis abundasse cognosces. 25

Ascendebat Virgo *innixa super dilectum*, hoc est super Christum, et merita ipsius. Equidem si gloriosa Virgo super Christum innixa non fuisset, in coelum conscendere non potuisset. Christus enim ait: *Ego sum via.* Hac igitur via sublata, in coelum quoque ascensus aufertur. Avis duabus eget alis ad volandum, si unam solam habeat, altera carens volare non poterit. Ad eundem modum homo, ut in coelum ascendat, duobus adminiculis eget, Christi meritis, et operibus bonis: qui merita tantum Christi ad coeleste regnum consequendum satis sibi esse putant, quasi una ala volare contendunt, sed frustra. Ad merita tua adde merita Christi; dextera ala sint Christi merita, sinistra ala sint bona opera tua: in coelum volabis, et ascendes sicuti Maria ascendit. 26 Opera bona ultra Christi merita nobis sunt necessaria.

Ascendebat Virgo velut Esther altera innixa super duas pulcherrimas famulas, Mariam videlicet et Martham, hoc est super vitam contemplativam et activam, quas in hac vita devote exercuit. Huiusmodi erant gressus pulcherrimi filiae principis in calceamentis. 27

Ulterius progressa Deipara Virgo aerem ignemque pertransivit ipso aere salubrior, ipso igne ardentior. Coelestes deinde orbes ingressa ad lunam pervenit, et in illa pulcritudinem suam longe antea depictam vidit, *Pulcra ut luna.* Luna visa altera pulcriore expalluit. Ne timeas luna, non expellet te domo luna pulcrior: non illam decet coelum infimum, alio multo celsiora fulgebit. 28

Ad orbes Mercurii, Veneris Martisque perveniens in eis stabilitatis ac firmitatis suae imaginem quandam conspexit. Deinde ad fulgentissimum solis domicilium progrediens illud claritate sua exornavit, et vicit. 29 Iter B. Virginis ad coelum per sphaeras coelestes.

Obstupuit sol corpus humanum longe fulgentius ac splendidius se intuens. Ne mireris sol, hanc Virginem te splendidiorem 30

Digitized by Google

oc fulgentiorem esse; ipsa auim est, quae verum Solem iustitiae peperit. Ulterius astrorum orbem adiit, eorumque claritatem, multitudinem oc magnitudinem considerans suam incorruptionem in eis longe ante espressam cernebat; sicut enim sidera sisa corruptione radium emittunt, sic illa absque laesione sui Filium in lucem edidit: at sicut radius sideri suam non imminuit claritatem, ita Filius Virginis non imminuit Matri suam virginitatem. Tum nulla intarposita mora orbes coelestas spectabat, easque motu velocissimo agitari, ab uno primo mobili amnes rapi cernens, mentem suam valociore motu ob amore Dei rapi sentiebat. Quid plura? Pervenit in coelum empyreum, beatorum sedem igneo splendore undique fulgentem. Primam hierarchiam angalorum, archangelorum et principatuum percurrit; secundam quam constituunt potestates, dominationes, virtutes, pertransiit; supremam quoqaa in qua throni, cherubini seraphinique Deo propinquiores assistunt, praetergressa est. Perge Virgo Deipara, perge, trassi omnes angelorum hierarchias, transi choros omnes, Matrem Dei inter angelos consistere non decet: singularis thronus, singularis chorus tibi debetur.

31 O felicem mortem! a beatum exitum Deiparae Virginis! o vulnus felicissimum! o languorem beatissimum, qui Beatam Virginem ex hac vita sustulit! Utinam omnes hoc morbo, hac febra beata (si eam sic appellare fas est) cum B. Virgine laboremus. Hic languor, haec febris mortem affert optatissimam. *Fortis enim est ut mars dilectio.* Mors a corpore, amor Dei quo Beata Virgo correpta mortua est, a corporeis voluptatibus animum separat.

32 O Beata Mater quae tam feliciter ex hac vita migrasti, et in beatam illam patriam tam gloriose introisti, perfice, ut et nos ad beatam illam futurae vitae aetarnitatem semper aspiremus; ad tuum, Filiique tui Salvatoris nostri optatissimum conspectum anhelemus; cupiamus dissolvi, quo maturius tecum ac cum tuo Filio in perpetuum vivamus. Amen.

DISCURSUS CCCXLIX

QUID MEDITANDUM IN QUINTO MYSTERIO GLORIOSO

1 In hoc mysterio contamplamur sacram illam animatam arcam Dei viventis, transacto sesaginta trium, vel ut aliis placet, septuaginta duorum annorum vitae diluvio super montes coelestis Armeniae requiescentem. Intuemur anima candidissimam illam, ac simplicissimam columbam ramum olivae deferentam, pacis ac victoriae symbolum, ad arcam Noe redeuntam. Aspicimus fortissimam illam Iudith contrito capita, non Holofernis, sed truculentissimi omnium hostis luciferi communi omnium civium coelestium plausu acceptam, supernam Ierusalem ingredientem. Miramur formosissimam Esther in Assueri palatium regio diademate ab eo coronatam intrare. Veneramur Bethsabee Matrem veri Salomonis ad thronum pacifici Salomonis evectam, et in eo collocatam. Contuemur prudentissimam illam Abigail obviam factam supremo Regi David contra genus humanum ira percito, omnem iracundiam deponere facientem. Gratulamur Virgini immaculatae, quae nullis terrenis inquinata affectibus, sed coelestibus educata cogitationibus non in terram reversa est, sed cum esset animatum coelum, in coelestibus tabernaculis collocata, at super omnes choros angelorum exaltata. Hic igitur recole quae sequuntur.

2 Gloria corporis virginalis. I. Considera gloriam corporis Deiparae Virginis. Iacebat in sepulcro sanctissimum corpus omni sensu et vita privatum, ut cetara hominum corpora iacere salent, corruptio tamen omnis procul aufugerat ab eo. Tertia illucescente die angelis stipatus ad sepulcrum venit Christus, penes quem et vitae et mortis imperium est. Resurrectio B. Virginis a morte. Mortem longius abscedere iussit, iacentique corpori non vitam solum, sed immortalitatem quoque, splendorem admirabilem, subtilitatem, agilitatam, pulcritudinemque inauditam contulit. Ingreditur beatissima anima carnem, quam deseruerat; surgit repente corpus, quod iacebat, ut sol altar fulgens, aquila velocius, ipsa pulcritudine pulcrius; facies mira venustate nitet; crines aurum fulgore superant; redivivae carnis membra totam videntur pulcritudinem eshausisse; attollitur humo corpus rutilantissimum; a dextris potentissimi Regis Filii sui Regina graditur; coelestis curia universa gradientam magna cum laetitia ac plausu comitatur.

3 Cum regina coronatur, magni pretii veste indui solet. Tunc Virgo coronata est, cum in coelum est assumpta: corpore igitur incorruptibili atque immortali quasi pretiosissimo indumento est ornata. *Astitit Regina a dextris* Filii *in vestitu deaurata*, id est corpore glorificata, quod immortalitatis et incorruptibilitatis auro radiat, quodque instar deaurati, et pretiosissimi est indumenti. *Circumdata varietate*, hoc est virtutum, gratiarum, meritorum ac donorum multiplicitate. O mirabilem ornatam! o decorum Virginis vestimentam!

Quidam longo tempore in pulvere iacentes de sepulcro lavati sunt, de quibus d. Matthaeus 27, 52: *Multa corpora sanctorum* 4
qui dormierant, surrexerunt, et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. Nullus tamen eorum immortalitate vitae donatus ast, nec cum corpore cum Christo in coelum ascendit; iterum obierunt, nam dumtaxat in testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri resurrexerunt; itaque postquam officio suo functi sunt, in sepulcra redierunt, ut d. Augustinus epist. 99 ad Evodium, d. Hieronymus super Matthaeum, Euthymius, Theophylactus et alii docent. Hanc gratiam immortalitatis soli Deiparae Virgini Deus contulit, quod ipsamet d. Birgittae revelare dignata est; *Scias*, inquiens, *quod nullum corpus humanum in coelo est, nisi corpus gloriosum Filii mei, et corpus meum*. Ex lib. 7 revel. c. 29. O miram, et singularem gratiam! S. Thomas in comment. super Matthaeum cap. 27 oppositam docet; sed in Summa 3 part. quaest. 53, art. 3 ad 2 in fine sententiam d. Augustini, et d. Hieronymi quam nos hic tuemur, expresse approbare videtur.

Minime decens erat, ut corpus illud virgineum Mariae putrescerat: putrescunt merito illi, qui imaginem hominis terreni portant. 5 Assumptionis B. Virginis in coelum convenientiae.
Verum, qui coelestis hominis imaginem induunt, docente Apostolo, *vivificati resurgent incorrupti*. In Virgine Maria nihil unquam terreni apparuit, tota coelestis, tota Christifera fuit: igitur non ut pulvis in pulverem reverti, sed ut coelum ad coelestam et perennem vitam consurgere se properare debuit. Confirmat hoc argumentum Origenes homil. 5 in Ieremiam: *Si ad peccatores dicitur. Terra estis et in terram ibitis, quare non dicitur ad iustum cuius est regnum coelorum. Coelum es, et in coelum ibis?*

Non potuit terra corpus illud retinere, quod coelesti imagine 6 Mors B. Virginem devorare timuit.
insignitum erat: non ausum fuit sepulcrum diutius tegere eam quae coeli, et coelorum naturam nobilitate superavit; extimuit mors eam devorare quae vitam suscepit. Is qui cibi alicuius amaritudinem espertus, cum primum postea quid simile vel visu percepit vel gustu, nauseam patitur, et sese ab illa quam ocissime potest, liberat, immo ad eius umbram castigatus expavet.

Qui semel est laesus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unco cibis aera subesse putat. Ovid.

Ad eundem modum mors memor morsus illius quem Christo 7
inflixit, cum corrosa et castigata eum evomuit; ubi primum similem carnem Mariae vidit, expavit, et compressis faucibus quam ocissime aufugit, et corpus illud sanctissimum coelo cui simile erat, reliquit. Qui namque portat imaginem coelestis, coelo reddi, et non in pulveram reverti debet.

II. Considera gloriam animae Deiparae Virginis. Ubi primum 8 SS. Trinitas quomodo B. Virginem in coelum venientem exceperit.
ad supremum SS. Trinitatis thronum deducta est, clarissimo illo divinae gloriae lumine collustrata magnificavit Dominum, et exultavit spiritus eius in Deo salutari suo. Mox Pater aeternus eam uti Filiam acceptissimam, Filius uti Matram dulcissimam, Spiritus sanctus uti Sponsam carissimam arctissimo deitatis suae complexu firmavit, ac in proximo throno gloriae sacrae humanitatis Christi supra omnes angelos et beatos eminentissime collocavit. Pater coelestis diadema suae omnipotentiae ei dedit, ut omnia facere posset, quaecumque vellet. Filius arcana suae sapientiae ei revelavit, ut deitatem altissime penetraret, et omnes res creatas in ea perspicacissime contueretur. Spiritus sanctus caritatis suae ac misericordiae donum ei contulit, ut mater misericordiae esset, nostrasque causas coram divina Maiestate peragerat uti advocata et patrona omnium mortalium. Pater lunam, hoc ast universam Ecclesiam militantem sub pedibus illius subiecit, Filius sole suae clarissimae visionis eam vestivit, Spiritus sanctus coronam stellarum duodecim, hoc est omnium suorum donorum ac gratiarum ornamenta capiti eius imposuit. Christus Salvator qua homo est, approbante, ac faustissimis gratulationibus eius factum prosequente tota curia coelesti, diadema illius

regni aeterni vertici eius imposuit; omnemque potestatem, auctoritatem, dominationem in omnes creaturas coelestes, terrestres, et infernales ei attribuit, omniumque gratiae suae thesaurorum supremam praesidem, ac dispensatricem constituit; omnia denique, ac singula bona quae nobis dare decrevit, per manus illius ad nos pervenire voluit.

9 B. V. Maria in Deo quaenam videat. Hinc theologi censent B. Virginem in Verbo videre omnes et singulas res, omnes homines, omniaque illorum opera et cogitationes liberas, omnesque eorum necessitates et pericula, ut singulis accommodata exoret praesidia. Immo quidquid Deus videt scientia visionis (iis solis exceptis quae singulariter ad Christum spectant) perspicacissime in divina essentia contuetur. Hinc d. Epiphanius eam πολυόφθαλμον, d. Ephrem πολυόμματον, hoc est multoculam vocat, eo quod nostra discrimina, necessitates, aerumnas, curas precesque ad eam fusas clarissime contueatur.

10 Gloria B. Virginis in anima. Ulterius eandem gloriam animae B. Virginis altius perpende. Consummata gloria sanctorum est illa ineffabilis visio essentiae divinae, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum*, ut ait Apost. 1 Cor. 2, 9. Quid praeparavit gignenti se? quam sublimiorem gloriam super alios sanctos B. V. Matri suae contulit, quae longe excellentius semper Deum dilexit!

11 Gloriam eius intuitus d. Ioannes eam Apoc. 12, 1 descripsit: *Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.* Amicta sole cernitur; nam sicut sol claritate sua omnia sidera vincit, ita B. Virgo suae gloriae claritate omnes sanctos superat. In solem prae nimia eius claritate et splendore humanus obtutus figi non potest: ita in Beatam Virginem tot ac tantis sanctitatis, gratiae ac donorum splendoribus radiantem nedum humanae, verum et angelicae mentis acies intendere non potest.

12 *Luna sub pedibus eius.* Per lunam d. Bernardus intelligit Ecclesiam triumphantem, et militantem, quae a Deo veluti Sole gratiae et gloriae lucem accipit. Universa ergo militans triumphansque Ecclesia constans ex angelis et hominibus est sub pedibus Mariae. Moyses post colloquium cum Deo habitum cum luna in fronte apparuit. Hoc est enim quod Exodi 34, 29 dicitur: *Ignorabat Moyses quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini*, hoc est ignorabat quod tam lucida esset facies eius, ut radius luminis vibraret ad instar lunae crescentis, quae duo cornua habere videtur. Maria vero lunam sub pedibus habet, ut nimirum intelligas supremum gloriae Moysis et sanctorum omnium infimum esse Mariae.

13 *In capite eius corona stellarum duodecim.* Ceteros sanctos Christus coronat lapidibus pretiosis iuxta illud psalmi 20, 4: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* At Beatam Virginem coronat stellis quidem, quia corona eius est cuiusdam superioris ordinis. Duodecim, quia omnimodae gloriae; in duodecimo quippe numero omnis perfectio est.

14 Rursus, quemadmodum stella multo pretiosior ac fulgentior est quovis lapide pretioso; stellae enim suo influxu aurum et lapides pretiosos gignunt: ita multo excellentior est corona Virginis ceterorum sanctorum coronis. Ad haec ceteri sancti aureas coronas in capitibus gestant: *Corona aurea super mitram eius*, Eccli. 45, 14, scilicet Aaron. At Beata Virgo tota fulget vestita auro. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato.* Hinc longe maior eius est gloria, quam ceterorum sanctorum. Quis illas aestimet gemmas? quis nominet stellas quibus Mariae regium diadema compactum est? Gloria quam Maria adepta est, tanta est, ut maior esse non possit. Thronus Matris Dei tam altus, ut nemo ad illum assurgere queat. Ut in terris nullus locus dignior uteri virginalis templo in quo Dei Filium Maria suscepit, sic in coelis nullus altior regali solio, in quo Beatam Mariam Filius sublimavit.

15 Non dubito eam similem gloriae Christi gloriam obtinere, quod ex verbis ipsius Salvatoris deduco, qui ait: *Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet*, id est hanc quam ipse propheta accepturus est; quia talis apud Deum reputatur, ac si prophetae fungeretur officio. Divus Gregorius homil. 20 in evangel. id pulcro exemplo declarat. *Proprium*, inquit, *fructum ulmus non habet, tamen portare fructum cum vite solet. Sic et saeculares viri, quamvis spiritualium virtutum dona non habeant, dum tamen sanctos viros donis spiritualibus plenos sua largitate sustentant, quid aliud quam vitem cum fructibus portant?* Certe cum Deipara ventris sui hospitio per novem menses Christum suscepit, quasi ulmus infrugifera fructum vitae portavit, eiusque aureis frondibus hic convestita fuit, et in patria coelesti eius mercedis particeps effecta est.

16 David rex olim dixerat 1 Reg. 30, 24: *Aequa pars erit descendentis in praelium et remanentis ad sarcinas.* Divus Augustinus de Paulo adhuc Ecclesiam Dei persequente dixit, illum per manus omnium Stephanum lapidasse, dum vestimenta lapidantium servabat. Principes etiam et iudices tam rebelles, quam illos qui eos domos recipiunt occultantve, eadem poena punire solent. Ita Deus eodem praemio praemiat prophetam, et receptatorem illius. Cum Deipara ventris sui hospitio magnum illum Prophetam mundi Redemptorem recepit, aequum erat, eius mercedis participem fuisse: et ita factum est, ut sicut Christus eam corpore et anima aeterna gloria fruitur, ita et Maria quae Christo in cruce prælianti adstitit, et quasi ad sarcinas mansit, et certa quodam modo corredemptrix nostra fuit, ut in superiore tomo fuse probatum est.

17 Ioannes Gerson cancellarius parisiensis tract. 4 in *Magnificat* censet Beatam Virginem solam constituere hierarchiam separatam sub Deo trino et uno hierarcha primo. Et mirum non est; quemadmodum enim quidquid gratiae dispersum erat in sanctis, totum adunatum fuit in Virgine modo excellentiore: ita quidquid est gloriae in angelis, et sanctis animabus, totum adunatum est in Virgine modo eminentiore. O incomparabilem gloriam! o inaestimabile, et incomprehensibile praemium! Virginem non habere supra se, nisi solam SS. Trinitatem, infra se omnes omnium angelorum hominumque hierarchias, omnes choros, omnes coelos, sidera et elementa sub se cernere inaestimabile et incomprehensibile est. Nec mirum; sicut enim incomparabile est quod Deipara Virgo gessit, et inaestimabile quod accepit: ita est incomprehensibile praemium, quod promeruit, ut ait s. Ildephonsus serm. de assumptione.

18 Salutatio B. V. Mariae. Ad hanc igitur Virginem adeo gloriosam Dei Matrem in hac valle lacrimarum constitutus oculos leva, et genibus flexis maiore qua potes devotione eam invoca et saluta. Salve in primis sancta et individua Trinitas, quae mihi tantae Virginis gloriam recolere concessisti. Salve Virgo Deipara, magnificum divinae gloriae templum. Salve consecratum aeterni Regis palatium. Salve thalame in quo Christi humanitas desponsata est. Salve inclyta regum progenies, sacerdotum decus, patriarcharum gloria, coelitum triumphus, inferorum formido, christianorum spes et solatium. Et hodie omnes tuis proni advolvimur pedibus, quibus etiam coelites ipsi sese substernunt, praesentes tuo nomini supplices tendimus manus. Succurre quaesumus, servatrix nostra, salus nostra, unicum certissimumque secundum Deum perfugium nostrum. Absit Domina nostra, ut in hac tua suprema gloria et felicitate curam nostri deponas, periclitantes et de sua salute solicitos mortales deseras, quin potius eo maiora divinae gratiae praesidia nobis impetres: at vere etiam pro tuo iure conferas, cum tibi Deus Filius in manus omnia tradiderit. Haec igitur praesidia gratiae nobis confer, quibus et ab omni crimine praemuniamur, et ad virtutum perfectionisque studium incitemur, ac tandem ad coelestem patriam in qua tu iam gloriosa triumphas, ardentibus votis semper aspiremus. Amen.

DISCURSUS CCCL

QUID HAERETICI ADVERSUS ROSARIUM ET SALUTATAM VIRGINEM OBIICIANT, REPELLITUR: ET OMNIUM QUAE IN HOC SACRO INSTITUTO TRADUNTUR, ET A FIDELIBUS USURPANTUR, RATIO REDDITUR

1 Ordinis praedicatorum munus quod. Quoniam praedicatorum Ordinis genuinum ac proprium est haereses eradicare, extirpare, effibrare, et Ordinis germana compar archiconfraternitas sanctissimi rosarii peculiare habet ac solemne confratres ad istum conatum suis precibus adiuvare: idcirco operae pretium duxi de rosario agens pro coronide tractatus huius ea in medium adducere, quae Antidicomarianitae contra hunc saluberrimum ac pium orandi ritum effutire non erubuerunt: eaque pro tenuitate mea post multorum tum Ordinis nostri tum aliorum gravissimorum ac doctissimorum virorum scripta confutare. Expedit enim, ut haeretici intelligant in castris catholicorum non unum aut alterum esse, sed multos qui cum eis adversa fronte congredi audeant. Praeterea veritatis hoc peculiare munus est, ut aperta fronte atque intrepido marte adversus falsitatem insurgat, illamque expugnare, detegere, et confundere

Digitized by Google

plures contendant, quemadmodum contra arianam haeresim innumerabiles fere scriptores sua tela torserunt. Hi sunt Athanasius, Basilius, Epiphanius, Dydimus, uterque Gregorius, uterque Cyrillus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Beticus, Idacius Clarus, Fulgentius, et alii.

2 Haereticorum blasphemiae in rosarium.

Mariomastygae meras elatrant blasphemias et calumnias in Virginem beatissimam, at cultores ipsius in rosario. Sacrum precandi rosarii ritum a tot saeculis a catholicis christianis receptum, velut blasphemum, satanicum, et superstitiosum reiiciunt. Tales sunt Bucerus, Pelicanus, Lambertus, Bullingerus, Brentius.

3 In primis nos accusant, quod salutationem angelicam saepe repetamus, et prae ea nullum locum orationi dominicae relinquamus. Deinde quod calculos precarios gestamus; quod eos benedicimus, indulgentiis cumulari facimus; quod eis imagines, aut cruces aureas, argenteas, aereas, ligneas appendimus. Alii nos increpant, quod in rosario certo precationum numero utamur, nimirum quinario orationum dominicarum, quinquagenario salutationum angelicarum, et quindenario decadum. Demum adscriptionem in confraternitatem tanquam fictitiam, et minime utilem spernunt.

4 Non contenti sacrum hoc rosarii institutum carpere ipsam etiam salutationem angelicam quae mundo remedium attulit salutare, miris et indignis modis lacerant, ut superius retulimus, et confutavimus. Nunc solum sacri rosarii ritum a venenatis eorum linguis et calamis defendamus.

5 Rosarium a blasphemiis haereticorum defenditur.

Nos igitur hunc sacrum precandi rosarium in honorem B. V. Mariae ritum, non blasphemum et satanicum, vel superstitiosum, sed pium et religiosum hoc sermone demonstramus. In rosario sunt nomen, orationum repetitio, numerus earundem, calculi precarii, et inscriptio in speciali libro seu matricula.

6 Rosarii nomen.

Nomen rosarii suavissimum est; non enim aliud significat, quam sertum quoddam spirituale, mysticis vocibus ex evangelio depromptis, tanquam rosis contextum, quod Virgini virginum Dei Matri offerimus. Serta enim capitibus virginum exornandis propria adhibentur. Hoc nomen miraculo ostensum et comprobatum fuisse superius narravimus ex Clemente Losow.

7 Orationes vero sine controversia sanctissimae. Nam dominicae orationis auctor est Christus; salutationis angelicae post Sanctissimam Trinitatem est Gabriel angelus, et Elisabeth. Quam Ecclesia catholica, ut formam quoque precandi haberet, hac clausit oratiuncula a veteribus usurpata: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.*

8 Sed sibilat serpens tartareus per os Brentii haeretici. Salutatio angelica, inquit iste, Deo electis est odiosa. Sed hanc fordam ac detestandam blasphemiam superius refutavimus, cum salutationem angelicam ab execrandis Calvini deliramentis tueremur. Vide discursum CCXLVII.

9 Repetitio vocis in oratione.

Repetitio quoque orationum in rosario non potest non esse religiosissima, utpote quae maxime valet ad excitandum inflammandumque precantis affectum. Legimus tres pueros in fornace hymnum Deo cecinisse, et saepius iisdem verbis versus repetiisse, Daniel. 3. Psaltem quoque regium in psalmis nunc verbum unum, nunc versum, nunc plures repetiisse. Certe in psalmo 135 vicesies septies haec verba repetit: *Quoniam in aeternum misericordia eius.* Idem sanctissimus rex et vates in ps. 118, vers. 164 septies in die Deo laudem se dixisse narrat. Angeli apud Isaiam 6, 3, et Apoc. 4, 8 animalia quae requiem non habebant nocte ac die, tertia tandem vocem in laudibus Dei iterant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens.* Dominus quoque se Redemptor noster in horto orans eundem sermonem ter repetiit. Divus Paulus ter Dominum rogavit, ut angelus satanae ab eo discederet. Sanctus Bartholomaeus apostolus nixus genibus centies noctu diuque orasse legitur, ut eius auditor Abdias babylonicus scribit. Ex vetustissimis anachoretis Palladius, Socrates, Macharius centum; Paulus aegyptius trecentas; virgo quaedam septingentas quotidie ad Deum fundebat preces; Thais meretrix a sancta Paphnutio electa spatio trium annorum quo clausa mansit, istam precationem saepius iterabat: *Qui plasmasti me, miserere mei*, ut in vitis sanctorum patrum legimus. Repetitio enim intensionis affectus argumentum est. Cur ergo nos accusamur, qui post tot tantorumque sanctorum exempla salutationem angelicam in rosario saepius repetimus?

10 Repetimus eam, sed non sine ratione, ut retulimus superius, cum blasphemias Calvini refutabamus, et salutationem angelicam uti piam, uti sanctam, religiosam multis argumentis extollebamus.

Saepe ogganiunt, et nobis obtrudunt illud Eccli. 7, 15: *Non iteres verbum in oratione tua.* Quibus respondemus eo loci non esse sermonem de oratione quae ad Deum funditur, sed de ea quae apud homines habetur. Quod indicat verbum proxime praecedens; postquam enim dixit Sapiens: *Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum*, mox adiecit: *Et non iteres verbum in oratione tua.* Quanquam si de oratione coram Deo sermo esset, intelligendus veniret, non esse repetendum verbum in oratione ex infidelitate, quemadmodum gentes quae putant, quod multiloquio exaudiantur, quos Christus arguit Matth. 6, 7: *Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* 11

Quod vero adversarii aiunt, prae salutatione angelica frequenti nullum pene orationi dominicae relictum locum, mera calumnia est: quia cuilibet decadi salutationum unam orationem dominicam praemittimus; in eaque velut in fundamenta salutationes angelicas collocamus, et orationis nostrae intensionem, ac fervorem Christi Domini oratione formamus, ut superius dixi. 12

Rursus accusant nos, quod calculos precarios, sive coronas benedictas indulgentiis, crucibus, et imaginibus aureis, argenteis, aereis ornatas gestamus. Vide quam fugiat rosarum coelestium odorem scarabeus orci: vide quam exosam habeat caritatem christianam totius dissensionis auctor. Globorum in rosario collectio, connexio et ordinatio nobis illam omnibus votis optandam caritatem fraternitatis significat, quam Christus nobis in evangelio commendabat: *Hoc mando vobis, ut diligatis invicem*, Ioann. 15, 17. Praeterea calculis precariis Christi fideles utuntur, tanquam symbolo manifesto romanae catholicae religionis. Unde quisquis eos inter haereticos portare conspicitur, mox papista ab omnibus iudicatur. Nec novus in Ecclesia est hic calculorum precariorum usus, ut superius ex probatis historiis monstravimus, eosque sanctos qui eis ab antiquo usi sunt, indicavimus. Vide disc. CCCXXIII, et CCCXXIV. 13 Globuli precarii quid significent.

Non alio autem fine usurpantur globuli isti, quam ab oratoribus olim loca et imagines ad retinendam verborum rerumque memoriam, quam a mercatoribus nummi aerei ad numerandas ingentes pecuniarum summas, quam ab Ecclesia catholica cruces, imaginesque Christi et sanctorum ad conservandam vitae Christi sanctorumque recordationem. 14 Globuli cur gestantur.

Benedictio autem pontificis, seu sacerdotis ad id potestatem habentis globulos alioquin profanos solemnibus precationis verbis in pium et salutarem usum fidelium destinat, sicut ritu Ecclesiae pervetusto aqua, sal, calices, cerei, herbae, templa ipsa benedictione sacerdotis ad sacrum usum destinantur. 15 Cur benedicuntur.

Indulgentiis benedictioni connexis fructum afferre maximum certum est; his enim allecta plebs fidelis numero maiore, studio ardentiore ad orandum Deum concurrit, ac pro rebus maximis, pro Ecclesiae catholicae incremento, pro extirpatione haereseum ferventius orat. Imagines vero aut cruces aureae, argenteae, aeneae vel ligneae rosariis appensae non alium significatum aut usum habent, quam imagines in templis, ut videlicet memoriam nobis renovent rerum a Christo, sanctisque gestarum. 16 Cur indulgentiis ornantur. Cur eis cruces vel imagines appendantur.

Quod autem hi globuli in certum numerum sunt redacti, nulli mirum esse debet. Nam Deus semper tam in lege naturali, quam sua divina magni fieri numerorum rationem esse voluit. In lege naturali Deus omnia in numero, pondere, mensura posuit, Sap. 11. Decimam partem fructuum in ministrorum Ecclesiae suae sustentationem dare praecepit, Genes. 14. Abraham tres angelos tractaturus convivio tria sata similae commiscuit, et unum solum vitulum saginatum occidi fecit, in tribus satis personarum divinarum Trinitatem, in uno vitulo naturae unitatem significans. Noe et qui cum eo ingressi sunt in arcam, non amplius quam octo numerantur; Iacobi patriarchae filii duodecim reperiuntur. In lege divina vetere oblationes et sacrificia sub certo numero reperiuntur. Certi ministri, certi dies festi, certi actus ad Dei cultum ordinantur, ut videre est in Exodo, Levitico, Numeris. Completo etiam Salomonis tabernaculo, principes populi sub certo numero munera offerunt, 1 Paral. 8. David certum numerum cantorum et ianitorum qui per vices suas Deo servirent, instituit, 1 Paral. 23, et 24. Propitiatorium longitudine duorum cubitorum et semis fieri demandatur. In nova lege Christus ipse certo tempore nasci, circumcidi, in templo afferri, baptizari et praedicare voluit. Certos etiam homines ex quinque panibus, et 17 Cur in certum numerum redacti.

Digitized by Google

duobus piscibus satiavit. Similiter pati, et resurgere a mortuis, et in coelum ascendere, apostolos et discipulos in certo numero habere voluit. Pisces in certo numero non sine singulari mysterio Petrus ad litus traxit, Ioann. 21. Insuper novae legis sacramenta septem, dona Spiritus sancti septem, orationis dominicae articulos septem, opera misericordiae corporalia septem, spiritualia septem, articulos fidei duodecim instituit. In coelesti patria tres angelorum hierarchias, novem angelorum choros, quatuor dotes corporum glorificatorum habet. Quidni ergo rosarium certo numero orationum peragatur? Quid vero significent hi omnes numeri, iam superius dixi, ubi etiam rationem ordinis cuiusque expcaui. Vide discursum CCCXXX.

18 Matricula rosarii cur inventa.

Demum frustra eos offendit matricula sive inscriptio confratrum et sororum in rosario. Hanc enim piam, utilem, et laudabilem esse tam ex sacris litteris, quam ex civilibus et humanis commonstro.

19 Inscribuntur confratres rosarii in matriculam quam ob causas.

1. Deus habet librum vitae in quo nomina eorum conscribit, quos ab aeterno salvandos fore praevidit, et ad vitam aeternam praeordinavit: de quo libro Luc. 10, 20 dicitur: *Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in coelis;* et Apocal. 20, 12: *Liber apertus est qui est vitae.* In hoc libro proprie scribuntur soli electi ad gloriam, ut d. Thomas 1 p. q. 25, art. 2 docet. Scribuntur igitur confratres in librum specialiter ad hoc deputatum, ut Virgine cooperante mereantur scribi in libro vitae, simulque petunt, ut per intercessionem B. V. Mariae de illo nunquam deleantur.

20 2. Describuntur in signum peregrinationis, quemadmodum descripti sunt filii Israel de Aegypto egredientes in desertum, Num. 1, 44. Aegyptus hunc mundum significat: merito igitur in fraternitatem huius Virginis inscribimur, ut eius intercessione ab hoc exilio salubriter egrediamur; ideo ad eam clamamus gementes, et flentes in hac lacrimarum valle.

21 3. Ob singularem Domini nostri Iesu Christi, et B. M. Virginis cultum in rosario. Quemadmodum enim levitae a Moyse numerati et descripti sunt, ut scirent se specialiter divino obsequio mancipatos esse: ita nos in fraternitate rosarii describimur, ut specialiter nos esse servitio Dei et Beatae Virginis obstrictos sciamus.

22 4. Ad evitandam divinae punitionis iram. Sicut qui signati erant signo *Tau*, servi Dei erant, qui vero non erant signati, divina ultione sunt interfecti, Ezech. 9, 4; sic qui sunt inter fratres conscripti, portantes signum fraternitatis, sunt servi Dei et Mariae, et non occidentur; si tamen ea quae fraternitatis sunt, devote adimpleant.

23 5. In signum divinae electionis, dilectionis et conservationis. Sicut s. Ioannes Apoc. 7, 3 vidit turbam magnam centum quadraginta quatuor millia signatorum, qui non sunt tacti a plagis quatuor angelorum: ita quicumque fraternitatis marianae sigillo signati fuerint, non incurrent infelicitatem, et plagas impiorum.

24 6. Propter augmentum fidei et Ecclesiae catholicae. Inscripti enim in societatem rosarii praebent indevotis et peccatoribus exemplum serviendi Deo, et Virgini Matri; isti enim cum vident illos inscribi in confraternitatem Mariae, excitatur eorum devotio, et augetur fides, et fervor in servitio Deiparae B. Virginis: quod non esset, si nulli scriberentur, et ita confratria cito periret.

25 7. Ad spem roborandam. Multi enim propter peccata sua desperarent; at ubi vident in libro tot confratres se habere qui eos meritis suis et precibus in vita, in morte et post mortem orationibus iuvant, maximam de salute sua concipiunt fiduciam, scientes impossibile esse multorum preces non exaudiri.

26 8. Ad caritatis incrementum. Quisquis enim in hac fraternitate B. Virgini devotus fuerit, raro in peccatum mortale incidet, et quod si inciderit, facilius ab eo resurget. Tales enim plus se amare debent, eo quod in maximis meritorum donis quae ab homine dari non possunt, communicant. Ad communicationem autem requiritur notitia, ut scias cui bonum tuum communicare debeas. Inscriptio igitur facit, ut cognoscamus eos qui ad hanc fraternitatem pertinent, et sciamus quos in vita iuvare, pro quibus post mortem specialiter Deum orare debemus. Cum quis cuipiam mille aureos donat, mox inter amicos scribitur. Ergo plus hi conscribendi sunt, qui invicem sibi sua merita communicant quae infinitos mundi thesauros suo valore excedunt.

9. Ad opera misericordiae promovenda. Certum est enim quod magis obligamur iuvare fratres, quam extraneos. Cum ergo quispiam ex fraternitate in miseria constituitur, ceteri ei subveniunt, qui cum eo in una fraternitate se inscriptos vident. 27

10. Ad maiorem virtutum et meritorum copiam. Hic enim multae, eaeque eximiae virtutes, ut humilitas, iustitia, religio, prudentia promoventur, augentur, manifestantur. Humilitas, quia cum in fraternitatem inscribimur, ad servitium Dei et Matris eius voluntarie nos adstringimus, et humiles eorum famulos nos esse declaramus. Iustitia, quia unicuique reddimus quod suum est, hac enim protestamur iustum esse servire Reginae coeli. Religio, quia nedum cultum internum, sed et externum publice Deo et B. Virgini exhibemus. Prudentia denique, quia veras opes et thesauros nobis comparamus, quibus vitam aeternam acquiramus. Prudentis est novissima praevidere, eaque media eligere, quae gloriae perpetuitatem pariant, et nos a suppliciis liberent. Unde prudentes mundus existimat eos, qui ad comparandas opes, ac divitias terrenas opportuna media inveniunt. Sed magis prudentes censendi sunt, qui spirituales divitias colligunt: quod faciunt, quando fraternitati nomina sua dant. Tot enim orationes, et sacrificia per universum orbem christianum pro eis fiunt: tot tantasque indulgentias, ut supra diximus, acquirunt quibus gratiam promereri, et a suppliciis purgatorii se liberare valeant. Certum est autem eos qui in fraternitatem inscripti non sunt, tot indulgentiis et gratiis se privare, quot ibi concessae leguntur. Indulgentiae enim tantum valent quantum sonant, ut ait s. Thomas; unde cum solis inscriptis dantur, pro inscriptis eas solum valere certum est. 28

Nec hoc novum aut mirum cuique esse debet, cum tam in Scriptura sacra, tam in iure canonico, quam civili huius inscriptionis exempla multa habeamus. Alexander rex Ionatham inter primos amicos inscripsit, 1 Machab. 10. Assuerus rex a Mardochaeo beneficium sibi praestitum scriptum invenit, quem nondum remuneratum beneficiis cumulavit, Esther 6. 29

In iure canonico in librum inscribi iubentur recens baptizati, 2, quaest. 1; regularem professionem emittentes, 27, q. 1; omnes feminae haeresim abiurantes, de consecr. dist. 2, can. *Ego Berengarius;* servi ab episcopo manumissi, 12, q. 2, c. *Episcopi qui;* eligentes, dist. 63, can. *Quanto*, 2, q. 1, can. *Legum;* pueri expositi, dist. 87, can. *Si expositus;* servi ordinati, dist. 54, can. *Nulli.* et alii. 30

Similiter in iure civili conscribuntur senatores, unde patres conscripti dicti, cives, equites, milites et alii. Specialiter autem haec inscriptio nostra inscriptioni militum assimilatur. Sicut mundani milites describuntur, ut sub uno duce ordinate cum hostibus carnalibus congrediantur: ita Mariae servi conscribuntur, ut contra mundum, carnem, diabolum sub eius patrocinio pugnent. Si igitur inscriptio laudatur in politia humana, cur non magis laudari debet in politia christiana, cum politia christiana praestet quacumque politia huius saeculi? Facessant igitur haeretici, et cultum Virginis Mariae, servosque eius in rosario conscriptos lacerare desinant, quia *animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei.... Spiritualis autem iudicat omnia*, 1 Corinth. 2, 14, 15. Hactenus de rosario. 31

Faxit Deus, ut omnes Christi fideles hoc tam sacrum tamque pium rosarii institutum amplectantur. Bone Deus! quantum cresceret fides catholica; quam magnum incrementum haberet caritas christiana; quantum augerentur virtutes, merita, et christianae pietatis opera, puta religio, devotio, pax, concordia, amor fraternitatis; una esset fides mentium, et pietas actionum. Ad laudem et gloriam Dei, et Domini nostri Iesu Christi cultum, et venerationem Sanctissimae Matris eius Virginis Mariae. Amen. 32 Auctoris votum.

Digitized by Google

TURRIS DAVIDICA

Septem turres in sacro eloquio invenimus. 1. Turris David, Cant. 4, 4: *Sicut turris David collum tuum.* 2. Turris eburnea, Cant. 7, 4: *Collum tuum sicut turris eburnea.* 3. Turris Libani, *Nasus tuus sicut turris Libani*, ibid. 4. Turris uberum sponsae, Cant. 8, 10: *Ubera mea sicut turris.* 5. Turris Ananeel, Zach. 14, 10: *A turre Ananeel usque ad torcularia regis.* 6. Turris gregis nebulosa, Michaeae 4, 8: *Tu turris gregis nebulosa filiae Sion.* 7. Turris fortissima, Prov. 18, 10: *Turris fortissima, nomen Domini.* Atque has omnes turres elegantissime Deiparae Virgini applicari possunt.

1. Turris Libani. Mons Libani in quo turris illa sita erat, semper odorem thuris efflabat: ita B. V. Maria in omni statu, ante nativitatem, in nativitate, in infantia, in adolescentia, in matura aetate, in senectute, in vita et in morte semper suavissimum odorem spiritualium virtutum edebat.

2. Turris uberum. Nam sicut ubera lacte turgentia copiose lac profundunt: ita Deipara gratia aliisque Spiritus sancti donis plena ea copiose in sibi devotos profundit, eosque mira dulcedine spiritus reficit. *Spiritus meus super mel dulcis.*

3. Turris Ananeel, interprete d. Hieronymo, gratiam sive donum Dei significat; quicumque enim ad Beatam Virginem velut ad turrim, vel munimen confugiunt, Dei gratiam et dona consequuntur.

4. Turris gregis est Beata Virgo, quia suum gregem, hoc est suos cultores munit, protegit et roborat.

5. Turris fortitudinis est, quia fortissima est, diabolum fugat, hostes repellit, cunctis fidelibus praesidio est. Hinc canimus: *Sub tuum praesidium confugimus, Sancta Dei Genitrix*, etc.

Quomodo sit turris davidica in expositione epitheti praesentis: quomodo vero turris eburnea, explanatione sequenti dicatur.

DISCURSUS CCCLI

QUA RATIONE B. V. MARIA DICATUR TURRIS

1 Turris quid sit. Turris est aedificium altum toti fabricae eminens, et forte, ad quod, ingruente hoste, rustici et cives confugere solent: sicut olim Romani in omni hostium incursu confugiebant ad Capitolium, Babylonii ad turrim Babel, Burgundi ad Burgum; unde non tantum seipsos defendebant, sed et hostes inde desuper telis offendebant, et conterebant. Hinc in sacris eloquiis per translationem principes turres dicuntur. Isai. 30, 25: *In die interfectionis multorum, cum ceciderint turres*, hoc est principes. Et Iudic. 20, 2 principes vocantur anguli populorum: *Omnes anguli populorum.* Et 1 Reg. 14, 38: *Applicate huc universos angulos populi.* Et Isaiae 9, 13: *Deceperunt Aegyptum, angulum populorum*, id est principem. Quemadmodum enim turris eminet, et angulus locum principem et illustrem tenet in aedificio: ita princeps in populo. Et quemadmodum imminente hoste homines confugiunt ad turres, ut ibidem se conservent; ita ad principes confugere solent, ut per eos ab hostium manu liberentur, et a quavis adversitate sub eorum patrocinio securi maneant. Ita quoque B. V. Maria in Ecclesia turris est, quia omnibus ante natis, qui vel in sanctitate nati, vel in iustitia creati sunt, eminet; ad ipsam confugiunt omnes rei, omnes moesti, omnes afflicti, et ea protegente liberantur ab omni hoste.

Principes cur vocentur turres et anguli populorum.

Dicitur ergo Beata Maria turris, primo propter altitudinem, secundo propter firmitatem.

2 Altitudo B. Virginis in quo sita. Altitudo Mariae consistit in quatuor, in aeternorum contemplatione, in meritorum cumulatione, in internorum roboratione, et in terrenorum detestatione.

3 1. Alta est B. V. Maria in aeternorum contemplatione. Cum vir perfectus ab his terrenis rebus mente se elevat, et cor suum ad rerum aeternarum altitudinem transfert, altus dicitur. Psalm. 90, 9: *Altissimum posuisti refugium tuum.* Sic B. V. Maria alta est, quia omnia terrena contempsit, cor suum ad coelestium amorem sustulit. Alta fuit, quia omnes suos cogitatus et intentiones, opera et desideria in alto collocabat, ita ut melius quam Paulus et reliqui apostoli dicere poterat: *Conversatio nostra in coelis est.* Unde Apocal. 12, 1 lunam sub pedibus habere dicitur. Luna variabilis et defectibilis mundum significat, quem qui sub pedibus habet, mundo superior censetur, consequenter altus est; tanto enim quis altior est, quanto plura sub pedibus ponit.

2. Alta in meritorum cumulatione. Sicut res multae simul aggregatae faciunt magnum cumulum et altum, sic virtutes et merita in homine aggregata faciunt eum per eminentiam sanctitatis, et perfectionis altum et sublimem. Beata Virgo Maria virtutibus et meritis alta est; ex eo enim quod Dei est, in tantam dignitatem excrevit, ut non angeli, non archangeli, non throni, non dominationes, non cherubim, non seraphim, non prophetae, non apostoli, non martyres, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles, aut invisibiles ei valeant comparari. Unde Proverb. 31, 29 de ea dicitur: *Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Supergressa est Beata Virgo divitias omnium sanctorum et angelorum; cum ipsa sit primiceria virginum, speculum confessorum, rosa martyrum, magistra apostolorum, oraculum prophetarum, expectatio patriarcharum, regina angelorum. Quid enim de divitiis omnium horum illi defuit? Habet dominium et primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium beatitudinum, omnium fructuum spiritus, cunctarum scientiarum interpretationes, spiritum prophetiae, discretionem spirituum, operationes virtutum; habet fecunditatem cum virginitate, maternitatem cum integritate; habet quod sit stella maris, porta coeli, et omnium domina; solo Deo excepto, cunctis superior exstitit. 4

Sanctus Ioannes evangelista Apoc. 12 mulierem vidit in coelo 5
amictam sole, lunam pedibus calcantem. Haec mulier sensu omnium doctorum est B. V. Maria, quae lunam sub pedibus habet, interprete d. Bernardo, hoc est totam Ecclesiam. Nam sicut luna lucet luce aliena quam a sole mutuatur: ita et Ecclesia per susceptam a Christo qui est Sol iustitiae, gratiam coruscat. Tota igitur Ecclesia et militans, et triumphans Beatissimae Virginis pedibus subiicitur, quia totam ipsa Virgo immensa gratiarum et meritorum culmine supergreditur. Hinc a sanctis patribus mons appellatur. Sanctus Gregorius in 1 Regum, c. 1: *Mons sublimis est Maria, quae meritorum verticem super omnes angelorum choros usque ad solium deitatis erexit.* Et d. Damascenus orat. 1 de nativ. *Virgo*, inquit, *est mons ille, qui collem omnem ac montem, id est angelorum omnium et hominum sublimitatem exsuperat: mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.*

Monti comparatur B. V. Maria.

Eam ob causam in Canticis Canticorum B. Virgo assimilatur 6
rebus quibusdam sua magnitudine absque comparatione exceden-

Digitized by Google

tibus omnem omnium mensuram. Cant. 7, 5: *Caput tuum ut Carmelus.* Qua enim proportione Carmelus caput cuiuslibet hominis, immo et innumerabilium simul hominum magnitudinem superat: eadem proportione caput Deiparae mysticum et spirituale, hoc est merita et dona omnium sanctorum hominum et angelorum excedit. Et iterum: *Statura tua assimilata est palmae.* Sicut enim palma inter alias arbores maxime est procera: ita B. Virgo inter alios sanctos homines et angelos est sublimissima. Ideo in revelationibus s. Birgittae in sermone angelico, cap. 5

Maria minor mundus cur dicta.

Deipara vocatur, *minor mundus*: quia ipsa sola complectitur ea quae divisim in aliis mundi partibus continentur, d. Hieronymo testante, qui ait: *Ceteris per partes praestatur: Mariae vero tota simul se infudit gratiae plenitudo.*

7 Fortitudo B. V. Mariae quae et quanta.

3. Alta in internorum roboratione. Sicut enim homo qui interius habet spiritum fortem et virtutem naturalem robustam, facilius ascendit in altum: sic qui interius in conscientia fortitudinem spiritus roborantis habet, in altitudinem perfectionis facilius ascendit. Deipara V. Maria spiritu fortitudinis ex omni parte decorata erat, ut Prov. 31, 25 de ea dicitur: *Fortitudo et decor indumentum eius.* Lyranus ait: *Fortitudo est constantia mentis, decor est exterior modestia et honestas.* Alii per fortitudinem et decorem accipiunt omnem virtutem et probitatem mentis. Alii intelligunt fortitudinem et decorem externum, sed ab interno manantem. B. V. Maria fortitudinem et decorem induit. Nam summa pollebat mentis constantia interius, pari modestia et decore fulgebat exterius: in omnibus quippe nutibus, actibus, verbis et gestibus summam servabat modestiae atque auctoritatis gravitatem. Ulterius excellebat omni virtute et probitate; habebat enim omnes virtutes in actu heroica, prout antea probavimus. Denique ipsa eius corporis species erat simulacrum mentis, figura probitatis ab interno promanans, iuxta illud psalmi 44, 14: *Omnis gloria eius filiae regis ab intus.* Cum itaque tali spiritu fortitudinis praedita fuerit, necesse est illam altissimam esse; hic enim spiritus eam tantum extulit, ut supra omne quod dici vel cogitari potest, eam sublimaverit.

8 4. Alta in terrenorum detestatione. Qui in turri est, ceteris qui in terra sunt, celsior et superior est, ac ex alto hostes ceteraque omnia despicit; quia unus ipse centum hostes angusto calle scandentes sistere, et deturbare valet. Ad eundem modum quisquis terrena despicit, celsior est terra: in Deo quippe et coelo mente fixus haec inferiora terrae deserit, honores, opes, gloriam pedibus calcat, sive prospera sive adversa, sive honores sive contumelias, sive opes et delicias, sive paupertatem contemnit: et si non corpore, certe animo in coelum se transfert, dicitque cum Paulo: *Nostra conversatio in coelis est.* Sanctus Gregorius libro 1 Regist. epistol. 5, loquens de se, cum religiosus esset, nec adhuc pontifex: *Nihil*, inquit, *in hoc mundo appetens, vel pertimescens videbar mihi in quadam rerum vertice stare, ita ut in me pene impletum crederem, quod, pollicente Domino, ex propheta didiceram · Sustollam te super altitudines terrae*, Isai. 58, 14. Multo magis B. V. Maria haec usurpare poterat, quae animi celsitudine quosvis sanctos superabat. Animo erecto in superna, transcendens nubes in coelis consistebat, ibique sedem figebat, ubi omnia humana, omnis potentia, honor, gloria ita minuta et exigua apparebant, ut ea sub pedibus poneret. *Luna sub pedibus eius.* Luna variabilis et defectibilis mundum significat: hunc Maria pedibus calcat, quia cuncta mundana et omnem creaturarum mutabilitatem despicit.

9 Turris est exterius solida, versus coelum erecta, et intus concava: talis fuit Beatissima Virgo. Exterius fuit singulari Dei protectione solidata, versus coelum stetit erecta, igne Spiritus sancti accensa; nam sicut scintilla igne inflammata sursum elevatur, sic affectus Virginis igne Spiritus sancti accensus haec terrena despiciebat, et sursum ad alta bona coelestia desideranda se erigebat. Interius concava fuit per humilitatem, vacua per voluntariam paupertatem, de qua superius multa diximus.

10 Turres in quem finem erigantur.

II. Beata Virgo turris est propter firmitatem. Turres sunt aedificia fortia ad defensionem castri, villae, oppidi, vel civitatis ordinata, ad quam tempore obsidionis, seu periculi milites et totus populus se recipiunt, ut ibi tuto asserventur: in iis quasi specula excubant, et circumquaque prospiciunt, ne hostis castrum, vel civitatem occupet. Quae turris fortior, quae firmior, pulcrior Virgine sacratissima, quam Deus gratia sua sic firmavit, ut neque dicto, neque facto, neque cogitatu a Deo unquam declinaverit? O quam fortissima turris fuit anima illa benedicta, quam

Fortitudo

nullis fraudibus, nullis impulsibus daemon valuit expugnare! Huius enim turris nunquam vel unam pinnam daemon potuit obtinere, ut antea dictum est, et postea dicetur. Turris firma supra firmam petram fundata, de qua Apostolus: *Petra autem erat Christus.* Turris immobilis; siquidem *Deus in medio eius non commovebitur.* Turris fortis est Beata Virgo, quia adversus hostes tartareos partes nostras agens eorum versutias et stratagemata dissolvit, potentiam enervat, vires frangit, ac in fugam vertit, efficitque ne ab illis tandem superemur, at vincamur. Ad quod significandum sancti patres Beatam Virginem per Iudith, et Iahelem praefiguratam affirmant; quoniam sicut Iudith Holofernem, Iahel Sisaram interemit, ita B. V. Maria daemonem superavit.

B. Virginis quanta.

Turris refugium est militum, ubi se ab inimicis tueantur: sic Beata Virgo turris est nobis in refugium nostrum; milites quippe sumus, et fortissimos ac crudelissimos hostes habemus; sed in hac turri defendimur, et protegimur, cum ad eam confugimus. Quis enim ad hanc turrim unquam confugit, qui praesidium sufficiens in ea non invenit? 11

Turres ad defensionem castri vel arcis ordinantur, quo facilius ex eis impetus hostium retundantur. Maria ad defensionem nostram est ordinata, quia peculiariter nobis in matrem, patronam, seu advocatam est data, ut materno affectu carissimis filiis efficacissime succurrat, adversus omnes tentationes divinae gratiae auxilia impetret, in extremo vitae articulo constitutis suam opem impendat, daemones capitalissimos nostros hostes repellat, et ad patriam coelestem ducat. Unde Ecclesia frequenter ad illam velut turrim se recipit cum eius auxilium enixe postulans canit: *Tu nos ab hoste protege, et mortis hora suscipe.* 12

In turri milites excubant, et circumquaque prospiciunt, ne hostis civitatem vel arcem occupet. In Beata Virgine velut in altissima turri excubant, qui assidua meditatione vitam eius revolvunt, eiusque exempla sedula pietate sectantur, quibus muniti omnes hostis versutias et stratagemata advertunt et effugiunt, civitatem animae ab hostili impetu strenue defendunt. 13

Pulcre de ea sponsus Cantic. 8, 9: *Si murus est, aedificemus super eum propugnacula argentea, si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Quibus verbis, interprete Titelmano, sponsus sub similitudine muri bene firmi et excelsi, argenteis propugnaculis muniti, qui nullo hostium impetu prosterni possit: sub similitudine item ostii cedrinis tabulis insolubilibus compacti sponsae inexplicabilem fortitudinem, et insuperabilem constantiam describit. Propugnacula vero argentea, splendida, pura, ac nitida tum ad ornatum et decorem, tum ad fortitudinem et munimentum extructa indicant in Virgine divina eloquia, quae ipsa diligentissime custodivit, in quibus custodiendis retributio multa. Et quoniam argentum reliquis metallis tinnitu suo dulcius resonat, ideo haec propugnacula argentea preces Virginis benesonantes ad hostes repellendos significare etiam possunt. Rursus tabulis cedrinis Beata Virgo a Deo optime est comparata, quia eius virtutes, merita, privilegia instar cedri imputribilia, et odorifera sunt. 14

Hinc est quod ex persona Virginis subiicitur eodem loco: *Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*, Cant. 8, 10. Scilicet postquam difficultatem illam reconciliandi hominem cum Deo superavi, merito genus humanum inexpugnabilis muri, se invincibilis turris, et fortissimae arcis illustri titulo me honorat, et cohonestat. *Ego quasi murus*, hoc est murus sum devote me venerantibus, pie recolentibus, strenue imitantibus, et obnixe deprecantibus. Turris sum ad me confugientibus. Romani olim in olympiacis ludis victoribus solebant varios honores deferre, coronam in capite, palmam in manibus, splendidas vestes, currum etiam triumphalem quo in urbem veherentur, eos ascendere iubebant. At illud honoris genus reliqua superabat, quando ad victoris ingressum urbis muros rumpebatur: quo ritu significabant, non opus esse muro civitati talis duces habenti, qui sic pugnare et vincere scirent et possent. Vide Suetonium. Ut ergo Beatissima Virgo se fidissimam suorum protectricem contra quosvis hostes et iram divinam monstraret, muro se comparat, quatenus homo peccatorum pondere gravatus, quod inter Deum et hominem dividit, non desperet, sciens se habere talem ac tantam protectricem, quae iram Dei placare, et quosvis hostes repellere vellet, sciret et posset. 15

Romani in triumphis cur murum civitatis rumpebant.

Sed cur murum et turrim coniungit cum uberibus? Ut ostenderet se esse murum et turrim ad protegendum, et matrem ad 16

Digitized by Google

nutriendum. *Murus, ait, sum, et ubera mea sicut turris*, ac si dicat: Murus et turris sum ad protegendum, mater ad nutriendum: murus et turris infirmis, mater parvulis. Si propter virium imbecillitatem times, murus et turris sum, intra me abscondere te potes a facie inimici. Si de parvitate tua confunderis, et crescere cupis in virum perfectum, mater sum, te meo lacte nutriam: murus et turris sum per fortitudinem, et mater per pietatem. Ego murus, et turris inexpugnabilis excelsa habens propugnacula; ego mater amabilis, et grandia habens ubera. Quam grandia? Sicut turris. O ingentia Matris nostrae ubera! Nullus igitur potest eam non habere ubera, quibus nos nutriat simul et muniat. Materna eius pietas quos nutrit, etiam munit, ut grandescant, fortes fiant, hosti tartareo terribiles reddantur. Turri ergo Beata Virgo sua ubera comparat, eo quod ubera ipsius non nutriendi tantum, sed et protegendi, et ab hostium impetu securos nos reddendi vim habent.

17 Hic perpende, quam apte Spiritus sanctus Virginis ubera turri comparavit, ut fortitudinem eius eximiam declararet. Unde cum audis eam dicentem: *Ubera mea turris*, debes inde reliqua colligere, sicut ex ungue leonem. Sicut enim cum homo debita membrorum proportione constat, si eius manum videas duntaxat, ex illa colligere poteris universi corporis magnitudinem propter proportionem quam inter se membra servare debent: ita cum audis ubera Virginis esse sicut turrim, inde reliqua colligere poteris; summa enim proportione universa in ea posuit coelestis Artifex, et omnia reliqua dona huic dono commensuranda erant. Si itaque sola ubera Beatae Virginis, quae ceterarum feminarum teneriora ac molliora membra esse agnoscuntur, tanto robore vigent, quanto putas robore, sive fortitudine ipsa Virgo praedita est? De eius fortitudine superius multa diximus in epitheto *Virgo potens*, et *Speculum iustitiae*.

18 Unde ipse sponsus comparavit Beatam Virginem alibi non cuicumque turri, sed illi quae tempore Davidis aedificata fuit adversus Damascenos. *Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum*, Cant. 7, 4. Nasus discretio est Deiparae qua praesentit diaboli malitiam, et subodorat a longe eius stratagemata, et sicut turris fortissima opponit se pro nobis diabolo qui nomine Damasci intelligitur. Damascus enim idem est, quod hebraeum *dam sac*, et interpretatur sanguinis saccus: talis autem est diabolus, qui sanguinarius est et homicida ab initio, atque ut *leo rugiens circuit, quaerens quem devoret*. Ab hoc hoste nos B. V. Maria tuetur, ac defendit.

19 O Turrim altissimam! o propugnaculum fortissimum! o castrum inexpugnabile ac tutissimum! nos miseros pusillanimes ad te confugientes recipe, fove, protege, sub tuo patrocinio custodi in vitam aeternam. Amen.

DISCURSUS CCCLII

QUA RATIONE B. V. MARIA DICATUR *TURRIS DAVIDICA*, QUOMODO SIT AEDIFICATA, QUANTA ET QUALI ARMATURA SIT INSTRUCTA SIVE MUNITA

1 Strenuissimus heros David, qui toties de hostibus suis triumpharat, fortissimam turrim cum propugnaculis et vallis a fundamentis erexit, ex qua omnis hostilis impetus a Ierosolymitana civitate facile eliderctur. In circuitu autem turris pendebant clypei, et arma fortissimis quibusvis viris bellatoribus accommodata, ut sacra pagina 2 Regum 5, et 1 Paralip. 11 testatur. Ad eundem modum victoriosissimus ille David Christus contra spirituales humani generis hostes, mortem videlicet, diabolum et peccatum turrim altissimam erexit B. V. Mariam ex qua hostes a longe conspicerentur, ad quam velut securissimum asylum omnes confugerent, in qua velut in tutissima arce omnes salvarentur, ex qua arma contra hostiles impetus sumerent, ne ab hostibus ex improviso praeoccuparentur. Age latius in hunc campum excurramus, et videamus quam recte Beata Virgo appelletur *Turris davidica*.

2 Turris David quae. Turris David erat domus inter collem Acra, et montem Moriach ad modum turris constructa; solebant enim Hebraei domos aedificare ad instar turrium, ut Rutilius Benzonus super *Magnificat* lib. 3, cap. 34, dub. 15 multis ostendit. Sicut ergo domus quae turris David appellabatur, constructa cum propugnaculis: ita B. V. Maria adversus omnes hostes est fortissima. Est enim arx, turris, munimentum, et propugnaculum Ecclesiae, quod verus David, id est Christus exaedificavit. *Natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus*. psalm. 86, 5.

Turris davidica est B. V. Maria, quam unam contra omnia nequissimi hostis tela propugnaculis, clypeis millenis, omnigenaque virtutum armatura munivit verus ille David bellator egregius Christus, ita ut neque corpus, neque animam eius ullus unquam pravae concupiscentiae assultus, non dicam expugnarit, sed nec oppugnarit quidem, ut superius ostendimus. 3

Davidica dicitur, eo quod ex familia David orta. Isai. 11, 1: 4
Egredietur virga de radice Iesse, id est Virgo Deipara veluti Maria Davidis filia.
pulcherrima virga e radicibus Iesse qui pater Davidis fuit, nascetur, et flos odoris suavissimi omnium arborum medicamentum Christus de eadem radice ascendet.

Vere turris David, illius inquam David, qui cum tartareo gigante pugnaturus ex hac turri arma contra eum sumpsit, hoc est corpus et sanguinem, quae in pretium nostrae redemptionis Deo Patri in cruce obtulit, et superbum Goliath quinque lapidibus de torrente, id est quinque vulneribus, et crucis baculo gloriantem, in Calvariae monte prostravit. 5

Davidica, quia David patris sui aemula. Davidi cum Messias 6
pollicaretur per Nathan illis verbis 2 Reg. 7, 12, 13, 14: *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius: ipse aedificabit domum nomini meo*, id est Ecclesiam, *et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum: ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium*. Tanti filii cum accepisset promissionem David, animo gratissimo locum ingressus in quo arca testamenti illo tempore asservabatur, debitas gratias Deo agens: *Quis*, inquit, *ego sum, Domine Deus, et quae domus mea, quia adduxisti me hucusque?* 2 Reg. 7, 18. Ab humilitate sumit initium, abiicit se a Deo in altum sublatus, capaciorem se per humilitatem ad plura recipienda beneficia effecit. Ad eundem modum Virgo Beatissima cum ab angelo nuntiante gratia plena diceretur, superventio Spiritus sancti ei promitteretur, in Matrem Domini assumeretur, creaturis omnibus anteponeretur, Domina coeli et terrae efficeretur, ab humilitate duxit exordium, abiecit se, et dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Quasi dicat: Quae ego sum ad tantum officium? Ipse respexit, non ego expectavi; humilis omnique eram et abiecta, et nunc e terra in coelos transeo, etc. ut superius explicatum est. Rursus idem David 2 Reg. 23, 5 verba novissima loquens: *Nec tanta est domus mea*, ait, *apud Deum, ut pactum aeternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum*, id est non propter nobilitatem et splendorem domus meae mecum inivit Deus pactum aeternum de Messia ex meo genere oriturum: sed propter bonitatem, ac misericordiam suam. Eundem in modum Deipara Virgo Maria, postquam Deum in utero suo concepit, cum gaudio et ineffabili mentis laetitia cecinit: *Respexit humilitatem ancillae suae*, id est non mea illi sapientia, non mea nobilitas, non mea pulcritudo, quae nulla erant mihi, sed quae sola inerat humilitas, placuit ei, ut etiam superius exposuimus. En tibi turrim davidicam a vero David Christo exaedificatam, propugnaculis et omnigena armatura munitam, ex familia David ortam, patris sui antiqui aemulam. Iam videamus quomodo haec turris sit aedificata.

Ad hanc rem alludens Salomon, Cant. 4, 4: *Sicut turris David collum tuum quod aedificatum est cum propugnaculis*. In solo 7
collo Virginem miratur, et quomodo sit aedificata, ex collo describit veluti ex ungue leonem, eo quod collum caput et faciem principaliora hominis membra sustinet. Ait ergo: *Aedificata est cum propugnaculis*, id est donis, et virtutibus ac meritis. Sicut enim in collo monilia, gemmae, torques, ac pretiosi lapides appenduntur: ita Christus in Maria Matre sponsaque sua omnia gratiarum dona, omnesque virtutes reposuit, quae fortissima sunt propugnacula ad omnia tela inimici tartarei, mundi et carnis propulsanda. *Aedificata est*, inquit, *cum propugnaculis*, cum sit nobis colluctatio non solum adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus, ut ait Apostolus Ephes. 6, 12. Necesse erat, ut tam acres pugnas, et congressus inituri armatura Dei indueremur. Divina igitur providentia factum est, ut Deipara Virgo tanquam bellicum armamentarium nobis proponeretur, ex qua omnia armorum genera ad repellendos hostes, et eorum insidias elidendas peterentur. Et hoc est quod dicitur de Maria: *Aedificata est cum propugnaculis*. Multi ex originalibus transferunt: *Aedifi-*

cata est ad disciplinas, adduntque turrim illam David tam affabre per omnem structuram exaedificatam fuisse, ut peritissimi artifices eo confluerent ad discendum, ut nimirum inde transcriberent, et exemplar haberent, quod alibi artificiose elaboratum esse volebant. Alii putant, turrim illam David opportunam fuisse ad circumspiciendum, et speculandum, proinde etiam opportunum fuisse sapientiae, atque doctrinarum locum; quare sapientissimus eo loci Salomon domum doctrinae constituerat, quod innuere videtur Proverb. 9, 3, cum ait: *Sapientia.... misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad moenia civitatis*. Non aliud de B. Virgine iudicium ferendum est. Nam cum prima Eva quam Deus aedificavit in mulierem, ruinarum exemplar fuerit, secunda Eva exaedificata fuit a Deo ad disciplinas, ut nihil elaborate et affabre in bonis moribus extruere potuerint nobilissimi artifices, id est sanctorum proceres, nisi prius in Mariam inspexerint. Maria fuit illis quasi specula, in quam omnium oculi conversi fuerunt. Hinc ipsa Prov. 8, 33 omnes ad se invitans ait: *Audite disciplinam et estote sapientes*, et 9, 4: *Si quis est parvulus, veniat ad me*, id est si sapere, si periti artifices virtutum ac meritorum evadere vultis, ad me currite, me inspicite, me auscultate: me siquidem Deus ad disciplinas aedificavit: opportunissima itaque est ad circumspiciendum et speculandum Beata Virgo Maria, opportunum etiam est sapientiae atque doctrinarum symbolum. Sed ad propositum redeamus, et quanta, et quali armatura instructa sit haec turris davidica, Salomonem audiamus Cant. 4, 4: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Mos fuit quorundam regum et principum, ut refert Rabbi Silemoth in Cantica, ex aliqua eminenti turri scuta, clypeos, pharetras, iacula, et alia diversa bellica instrumenta suspendere, ut terrorem inimicis incuterent. Eum morem Rex et Princeps omnium Deus in Beata Virgine servavit, cum in ea velut turri fortissima diversarum virtutum ac meritorum exempla, velut quaedam arma suspendit, quibus illa daemonibus terrori esset. Quare de illa dicitur Cantic. 6, 9: *Terribilis ut castrorum acies ordinata*. Quemadmodum enim terribilem atque ordinatam castrorum aciem fugiunt hostes; sic Beatam Virginem in qua virtutes omnes, actiones, et cogitationes sub Dei vexillis peculiari ac mirabili modo ordinatae sunt, fugiunt daemones.

8 Sed operosius inquirendum est, qui sint isti mille clypei qui ex Maria pendent, et omnis armatura fortium. Doctor angelicus noster opuscul. 4 ait: *Mille clypei sunt mille remedia contra quaevis pericula ex Beata Virgine pendentia*. Contra omnem impetum tribulationis, seu adversitatis tutissimum in Maria clypeum invenies, quo te protegat. In Maria est omnis armatura fortium, hoc est innumerabilium specimina virtutum; in ea est fides patriarcharum, spes prophetarum, fervor apostolorum, fortitudo martyrum, sapientia doctorum, iustitia confessorum, castimonia virginum; in ea denique omnium sanctorum virtus agglomerata reperitur. *Omnis armatura fortium*.

9 Clypeus unde dictus. Sed mysterio non caret, quod ex hac turri davidica non enses, non lanceae, non sagittae, non arcus, non alia arma quibus milites in bello uti solent, appensa cernantur, nisi clypei. Clypeus, ut Hesiopater notat, dicitur a κλέω, quod clepat et celet totum corpus; scutum enim bellicum olim tantae magnitudinis erat, ut totum hominem tegeret, et a telis omni ex parte defenderet. Talis clypeus est B. V. Maria; ipsa enim totum corpus Ecclesiae, immo totum mundum suo patrocinio protegit, ac defendit. Illa arma memorata, puta enses, lanceae, sagittae, arcus, sunt arma offensiva: talia non sunt in Virgine; ipsa enim neminem contristat, neminem laedit, sed omnes solatur, iuvat, protegit, ac defendit, proinde soli clypei qui sunt arma defensiva, pendent ex ea. Eam ob causam Eccli. 24, 19 platano comparatur: *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas*. Platani folia speciem scutorum referunt, atque ita tot quasi scutis platanus cingitur, quot foliis vestitur. Ad eundem modum Deipara tot clypeis munitur, quot signa protectionis suae in nos ostendit. Qui ad platani umbram confugit, sub innumeris veluti scutis protectus latet: sic qui ad Virginem in quavis adversitate confugit, ab omnium hostium periculis, percussionibus et ictibus liberatur.

Platano cur comparata B. V. Maria.

10 Respublicae sub tutela et patrocinio B. M. Virginis. Hinc christianorum pietas nedum templa, altaria, coenobia sub nomine Dei Genitricis Mariae erigere consuevit; verum etiam respublicas, atque ditiones integras huius sacratissimae Virginis patrocinio specialiter committere solet. Quod Alsatia tota, Ungaria et Belgium, nobiles provinciae testantur, quae simul atque fidem susceperunt, simul etiam Christi Matrem in singularem regionis patronam elegerunt, quarum exempla secuti posteri arces, urbes, portus, insulas titulo Deiparae Virginis ornarunt. Eiusmodi est arx munitissima in Prussia dicta Mariaeburgum, hoc est Mariae castrum; Germani enim arcem burgum appellant. Unde dicti Burgundi, quod in Burgis, id est locis munitis, puta turribus et arcibus ob frequentes Wandalorum, Gothorum, Alanorum irruptiones habitarent. Alia est in peruano agro, in insula sancti Dominici urbs *Sanctae Mariae pacis* dicta. Altera *Conceptionis Sanctae Mariae*. In insula Tercera, urbs nostrae *Dominae Adiutricis*. In nova Hispania urbs *Conceptionis Beatae Mariae*, altera *Purificationis*. Portus quoque plurimi in Indiis a Deiparae nomine appellantur. In nova Hispania extant portus dicti de conceptione, de nativitate, de purificatione Beatae Mariae Virginis. In Iaponia portus olim Vienximiae, nunc sanctae Mariae adiutricis dicitur. Lege Maffeium libro 3, epist. 5. Insulae etiam aliquae idem nomen praeseferunt. In Adriatico mari Sancta Maria Tremitana. In oceano britannico Sancta Maria Bovini. In mari peruano Sancta Maria Serrati, Guadalupae, Rotundae, et aliae. In nova Francia sub titulo Assumptionis, in Indis paulo infra aequinoctialem sub titulo Conceptionis Beatae Mariae Virginis insulae extant. De quibus scribit Maffeius libro 2 histor. indicae; quia nimirum Beata Virgo Maria est omnium regnorum, civitatum, arcium, portuum, insularum peculiare praesidium, propugnaculum, munimentum, ac omnium populorum refugium. Sed redeamus, unde digressi sumus.

Mariaeburgum arx in Prussia unde dicta.

Urbes sub titulo B. M. Virginis.

Portus sub nomine B. M. Virginis.

Insulae sub titulo B. M. Virginis.

Ex Maria mille clypei pendent, hoc est mille remedia contra quaevis pericula. Celebrabatur quondam apud Graecos Myrteli clypeus. Myrtelus fuit ingentis animi miles, post conflictum terrestrem navem ingressus, cum forte navis in medio maris fracta esset, clypeum quo in terra pugnare solebat, apprehendit, et eo innixus in totum portum delatus est; unde scutum suum celebratur apud Leonidem poetam qui de eo ita canit: 11 Myrteli clypeus B. V. Maria.

Dina pericula unia effugi Myrtelus armis,
Cum premererque solo, cum premererque salo,
Incolumen ex acie clypeus me procutit idem
Naufragium apprensus littus ad usque tulit.

Talis clypeus est nobis B. V. Maria; ipsa enim tum in terra, tum in mari, tum denique in omnibus periculis nos protegit, in cunctis necessitatibus nostris nobis subvenit, et ab omni adversitate custodit. Proinde ad eam confugiunt universi, Mariam inclamant; Mariae, mentibus, oculis ac palmis in coelum sublatis, se committunt; viator in itinere, mercator in nemore, negotiator in mari, miles in praelio, agricola in agro, piscator in flumine, captivus in ergastulo, aeger in lectulo, quivis angustiatus in quolibet vitae periculo. 12

Ad hanc igitur turrim altissimam, fortissimam, munitissimam omnes recurrant, eam in cunctis necessitatibus tum corporalibus, tum spiritualibus sedulo invocent. Ad eam confugiant virgines, quia ipsa vexillifera virginum est: confugiant nuptae, quia et ipsa Iosepho nupta fuit, et nuptis exemplar sobrie vivendi extitit. Confugiant viduae, quia etiam ipsa viduitatem sanctam coluit, et viduarum speculum fuit. Confugiant sacerdotes, quia sacerdotissa fuit, Filium suum immaculatum Agnum in ara crucis offerens. Confugiant religiosi, quia religiosam perfectionem ineffabili modo sectata est. Confugiant nobiles, et illustres principes ac reges, quia ipsa Regina est, utpote ex regia Davidis prosapia orta. Confugiant plebeii artifices, quia artifici fabro lignario in matrimonium data fuit. Confugiant demum ad eam omnes viventes, quia Mater est omnium viventium, et dives in omnes qui invocant illam. Et nos sublatis mentibus, oculis ac manibus, ad eam dicamus: *Sub tuum praesidium confugimus Sancta Dei Genitrix*, etc. O altissima turris, respice nos; o firmissima turris, recipe nos; o munitissima turris, protege nos; o inexpugnabilis veri nostri David turris, custodi nos, hostes reprime, quaevis adversa repelle, et perduc ad vitam aeternam. Amen. 13 Refugium omnium est B. V. Maria.

Digitized by Google

TURRIS EBURNEA

Postquam in turri, seu domo davidica, fidelis Ecclesiae chorus Beatam Virginem Mariam contemplatus est, pergit qualitates eius, puritatem, soliditatem, nobilitatem, pretiositatem mirari, et decantare sub metaphoca eboris. Ebur quippe pretiosa res est, ut infra dicetur.

Domus eburneae quomodo dicuntur.

Aedificia eburnea tum in sacris, tum in profanis litteris invenimus. 3 Regum 22, 39: *Domus eburnea, quam aedificavit Achab;* et psalmo 44, 9: *A domibus eburneis;* et Amos 3, 15: *Peribunt omnes domus eburneae.* Haec omnia dicuntur eburnea, non quod tota sint ex ebore; unde enim tantum ebur Achab, vel quivis alius habuisset? sed quod ebore sint incrustatae; haec enim vocantur domus eburneae, teste Plinio lib. 16, cap. 43. Quomodo domus Neronis dicebatur domus aurea, et porta Constantinopolis porta aurea, quod essent deauratae, vel auri laminis coopertae, ut Bellarminus psalmi 44 versum 10 exponens indicat. At B. V. Maria tota est eburnea, tota nitida, candida, solida, pretiosa. *Tota pulcra es, amica mea*, hoc est intus et extra. Age fusius id deducemus.

DISCURSUS CCCLIII

QUAM APTE B. VIRGO MARIA DICATUR *TURRIS EBURNEA*

1 Elephantis encomium.

I. Ebur est os elephantis dictum quasi a barro, sic enim elephantem vocabant veteres a barritu. Elephas autem est animal praestantissimum omnium animantium omni perfectionis genere. Superat terrestria omnia, omnes pisces, volucres omnes intelligentia. Unde prudentiae rex vocatur a Tullio lib. 1 de natura deorum. Munditia quoque eius magna est, mira namque velocitate immunda animantia fugit: tantaeque illi curae mundities est, ut recedente nocte et appropinquante die se circumspiciat totum, properetque ad lavacrum, si quas in se sordes deprehendit, ne in solis ortu appareat videntibus immundus. Auctor est Plinius lib. 2, paragr. *Pietas*, et paragr. *Delineator*. Non minor est eius temperantia. Ductus coram domino elephas, cum eius iussu plenum hordei modium sibi dari videret, qui dimidia modii parte assuetus erat victitare, divisit hordeum in duas partes, quarum altera sumpta, alteram reliquit. Plutarch. sympos. 12. Magnanimitas eius ac liberalitas ab Aeliano multis exemplis indicatur. Hinc in Antonini Pii nummo elephas promuscide in semicirculum sursum versus lunata conspicitur cum inscriptione: *Munificentia Augusti*. De mansuetudine eius Oppianus multas replet paginas. Fortitudine virium cuncta praestat terrigenis, turres cum armatis militibus supra dorsum suum sustinet. Ideo apud Aegyptios fortissimi hominis hieroglyphicum est elephas qui, ut testatur Pierius lib. 2, parag. 1, regiam item maiestatem tam corporis signis repraesentat, quam animi. Genua nunquam flectit; hoc regium est; nihil facit, nisi honore ductus, nisi honorificentissimis verbis allectus. Etsi ingentis magnitudinis sit, parvam tamen linguam habet, quam in ore abscondit, et raro exerit.

Mundities elephantis quanta. — Temperantia. — Munificentia. — Fortitudo.

2 Elephanti comparatur B. V. Maria.

Iuxta haec omnia formata est Virgo Maria. Haec summa sapientia praedita est, prudentia summa, aequitate suprema, atque iustitia. Haec superat omnes creaturas puritate, haec temperantia, haec magnificentia ac liberalitate, mansuetudine, robore, potentia, ut in epitheto *Speculum iustitiae*, fuse monstravimus. Haec nulli creaturae genua flectit, sed eam veluti magnam orbis Dominam, ac Reginam universi colunt. Reges, et principes de curribus auratis eam adoraturi desiliunt, nudum caput inclinant; iudicum potestas non modo fasces, et secures, sed capita etiam ipsa et colla ei submittit. Haec virtutum omnium mole maxima existens, linguam tam parvam habuit, tam pauca verba, cum inter mortales esset, protulit, ut ore carere videretur, ut in epitheto *Virgo prudentissima* diximus. Merito igitur *Turris eburnea* dicitur.

3 Ulterius, elephas cetera animantia excedit non solum magnitudine, et castimonia, seu munditie, sed etiam annositate; nam trecentis annis vivere dicitur. Ad eundem modum B. V. Maria excedit omnes sanctos nedum munditia, puritate, candore; sed etiam constantiore perseverantia, ut inferius mox probabitur.

4 Puritas B. V. Mariae.

II. Ebur est mundum, candidum, solidum, frigidum, ad varios recipiendos colores optissimum, pretiosum. Talis per omnia est Deipara Virgo Maria. Pura nedum a peccato, verum et ab omni terreno et carnali contagio, ut superius e multis capitibus ostendimus. Purissima, supra quam credi potest, extitit Virgo Deipara. Non defuit illi puritas angelorum, ut superius ostensum est: immo puritas angelorum impura videtur virgineae puritati comparata: immunda videtur mundities illa, quam ceterae omnes creaturae habere possunt, si cum munditia mariana conferatur. Ad ipsam illa Iobi verba flectere possumus 25, 5: *Stellae non sunt mundae in conspectu eius*. Quidni purissima esset B. Maria, cuius ubera Christus suxit, cuius lacte nutritus fuit? Nutrices mores suos vel bonos vel malos in pueros quos alunt, cum lacte transmittunt, ut docet Avicenna lib. 1, sen. 3, doct. cap. 2. Igitur consonum erat, ut quae nutrix Christi futura, eique lac exhibitura esset, mundissima fieret. B. Robertus Ordinis cisterciensis fundator, cum adhuc infans esset, ab eius mulieris uberibus se subducebat quae impura erat, ut in eius vita legitur apud Surium. Hoc idem de s. Catharina senensi eius acta testantur, quod nimirum cum infans esset, impudicarum mulierum ubera sugere renuit. De Moyse quoque Iosephus et Lyranus scribunt, eum in infantia malarum mulierum ubera respuisse. Haec isti praestiterunt ob puritatis amorem Deo instinctu quodam occulto eos id docente. Praestitere, et non praestitisset ipse qui eos docuit? Praestitit sane; nam e virgineis uberibus lac sumpsit, quae supra quam credi aut dici potest, mundissima fuerunt. Hic puritatem Virginis ex solo lacte colligimus. Superius in priore tomo in epitheto *Mater purissima* eandem puritatem ex multis aliis capitibus monstravimus; ibi vide, et Beatam Virginem recte dici eburneam ob puritatem, et munditiam aperte cognosces.

Nutrices mores suos in infantes cum lacte transfundunt. — B. Robertus impurae nutricis ubera sugere renuit. — S. Catharina senensis item. — Moyses item.

5 Fides candida est.

III. Ebur est candidum. Color candidus notat fidei antiquitatem, et canitiem. Unde a Virgilio vocatur *candida fides*. Hinc martyres Apoc. 7, 9 *amicti stolis albis* describuntur: et in hymno *Te Deum laudamus* Ecclesia canit: *Te martyrum candidatus laudat exercitus*. Hac de causa s. Antonius veniens Alexandriam, candidatum se sistit iudici, ut ab eo martyrii lauream adipisceretur, ut s. Athanasius refert in epist. ad solitariam vitam agentes. *Candente praecinctus veste procedentem iudicem suo provocabat aspectu flagrans cupiditate martyrii*. Ita sancti Gervasius et Protasius martyres albati apparuerunt sancto Ambrosio, cum ipse indicio s. Pauli eorum corpora quaesivit et invenit, ut ipse refert in epist. circulari quam de hac inventione scripsit ad episcopos Italiae. Deipara itaque dicitur eburnea, quia candida in fide Christi, prout superius in epitheto *Virgo fidelis* fuse monstravimus.

S. Antonius candidatum se sistit iudici, et quam ob causam.

6 Religiosi nonnulli cur alba vestimenta habeant.

Deinde dicitur eburnea, hoc est candida, in signum conscientiae purae, castae et candidae. Ad quem candorem Sapiens exhortans nos Eccle. 9, 8 ait: *Omni tempore vestimenta tua sint candida*. Hinc in multis monasteriis datur religioso vestis candida, moneturque, ut eam non inquinet, sed candidam conservet usque ad adventum Domini nostri Iesu Christi. Dicitur ergo B. Virgo eburnea, hoc est candida, quia semper fuit puritate nivea, moribus splendida, virtutibus nitida. Quam putas nitidum ebur illud fuit, quod oculis tanti Regis, tam divitis, tam potentis placuit, de quo ipse sibi sedem facere delegit, qui sedet super cherubim? Rex Salomon fecit sibi thronum de ebore grandem, ut

testatur sacra historia 3 Reg. 10; sed Christus verus Salomon fecit sibi thronum de ebore Mariam multo grandiorem. Quid enim Virgine grandius? *Attende seraphim*, ait s. Petrus Damianus, *et in illius superioris naturae supervola dignitatem, et videbis quidquid maius est, minus est Virgine, solumque Opificem opus istud supergredi.*

7 Soliditas B. Virginis. IV. Ebur est solidum, quia fit de dentibus et ossibus elephantis: et sicut aliqui volunt, tantae soliditatis, ut ignibus non faciliter concremetur. Beata Virgo Maria solida est, quia nullis umquam tentationibus casibusve obnoxia fuit. Certum est Beatam Virginem singulari Dei favore atque gratia adeo consolidatam fuisse, ut sua firmitate non solum homines sanctitate praeditos, sed etiam angelos omnes superaret. Aliqui insignes sancti solidi fuerunt, quia confirmati in gratia mortaliter peccare non potuerunt, a venialibus tamen peccatis haud immunes fuerunt. Solidi fuerunt s. Ioannes Baptista et Ieremias propheta in utero sanctificati: solidi apostoli in die Pentecostes gratia Spiritus sancti confirmati, ita ut numquam post sanctificationem mortaliter peccarent. Sed magis solida B. V. Maria, quae nedum mortali, verum etiam veniali peccato prorsus caruit, ut in superiore tomo, loco citato fuse probavimus. Angeli quoque sancti dum erant in via, ut theologi scholastici loquuntur, antequam per beatitudinem confirmarentur in bono, licet non peccaverant ex auxilio gratiae efficacis et dono perseverantiae a Deo illis collato; tamen non dicuntur confirmati ante beatitudinem, ut ex s. Thoma 1 part. quaest. 95, art. 1 ad 3 colligitur. At Virgo sacratissima in via existens tanto perseverantiae dono stabilita fuit, ut nunquam vel in minimo commoveretur a Deo. Hanc Virginis stabilitatem regius vates psal. 45, 6 verbis illis praedixit: *Deus in medio eius non commovebitur.* Vere Deus in medio eius commotus non est, nulla enim inordinata affectio, distractio, fragilitas cor Virginis a recto dimovit.

8 Tentari quomodo potuit B. V. Maria. Secundo solida fuit, quia nullis unquam tentationibus ab intrinsecu nedum expugnari, sed nec ullo modo impugnari potuit. Dixi ab intrinseco, quia ab extrinseco a daemone tentari potuit. Si enim Christus ipse hanc tentationem subiit, cur eamdem Matri eius attribuere nefas erit? Tentari ergo ab extrinseco a daemone potuit, sed a tentatione vinci non potuit singulari divina protectione munita.

9 Cervae romanorum imperatorum. Imperatores Romanorum ferunt, cervas sibi carissimas habuisse quas ne quispiam furto auferret, vel iaculo laedere auderet, colla earum monilibus cincta ornabant, hac inscriptione apposita: *Noli me tangere, quia Caesaris sum.* Eumdem in modum summus orbis imperator Christus Mariae cervae sibi carissimae cuius erat gratissimus hinnulus, providit, ne tartareus fur eam laqueo suarum tentationum capere, vel quovis modo laedere auderet; collum eius specialibus virtutum heroicarum donis, velut quibusdam pretiosis monilibus vinxit, hac epigrapha posita: *Noli me tangere, quia Mater Dei sum.* Hinc Cant. 1, 9 sponsus formam eius commendans ait: *Collum tuum sicut monilia.* Tantae igitur soliditatis haec turris eburnea fuit, ut eam hostis tartareus nec ab intra, nec ab extra laedere potuerit.

10 Tertio solida fuit, quia nunquam a statione sua deflexit. *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem*, Prov. 9, 1. Columnae istae indicant Mariae firmitatem. Ut enim columnae domum fulciunt, sic eximiae virtutes, singularisque Dei providentia Virginem, ne vel in tenuissimum peccatum laberetur, fulciebant. *Quae est ista quae ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Cant. 8, 5. Vides cui innitatur Virgo columna? *Innixa*, inquit, *super dilectum suum*, hoc est super Filium suum, super Deum suum. Huic innitebatur Virgo, eiusque donis, virtutibus et providentia sustentabatur.

11 Quarto solida est, quia Ecclesiam sua fide, suis precibus, et meritis quasi basis et columna fulcit et sustentat. Eius stabilitas satis innotuit, cum vacillantibus in fide discipulis, ipsa in fide stabilis semper permansit, et fugientibus discipulis nonquam a cruce recessit. *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius*, Ioan. 19.

12 Quinto solida est ob virtutes fortes et heroicas, puta patientiae, fortitudinis, mortificationis, mundi contemptus, quae in Virgine mirifice floruerunt, ut in epitheto *Speculum iustitiae* late deducebam.

13 V. Ebur frigidum est, proinde proprietates frigoris habet, quae sunt adunare, constringere, arcere et affligere. Talis est per omnia B. V. Maria in qua gratia Dei virtutes adunavit, castitas virginalis carnis concupiscentias constrinxit, temperantia voluptates superfluas coercuit, mortificatio carnem multipliciter afflixit.

Porro ebur recte castitatem adumbrat. Quemadmodum enim ebur diuturnitate temporis rubicundum efficitur: ita castitas diu servata martyrii ruborem imitatur, quoniam martyrium quoddam est sine sanguine. Quam ob causam nazaraei qui castos non parum exprimunt, Thren. 4, 7 appellantur *candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo.* Quem etiam locum de continentibus interpretatur Rabanus in comment. super Ieremiam. 14 Castitatem ebur adumbrat.

VI. Ebur ad recipiendos colores est aptissimum. Beata Virgo ex hoc quod est Mater Dei, ad recipiendos divinae gratiae colores, scilicet virtutes et dona, est aptissima. Aptitudo ad recipienda supernaturalia dona non attenditur ex potentia naturali, hoc est ex natura magis nobili et perfecta, sed ex potentia obedientiali quae ex divina gratia procedit, ut in ea fiat quidquid faciendum disposuerit Deus. Hinc s. Thomas 1 p. q. 12, art. 6 totam diversitatem videndi clarius Deum, vel minus clare, refert ad diversam facultatem intellectus, non quidem naturalem, sed gloriosam. Unde theologi eo loci colligunt angelum licet perspicacioris intellectus sit quam homo, non tamen clarius videre Deum, quam videre possit homo, si in caritate angelum excellit. Pari ratione gratia Dei non datur homini secundum capacitatem naturae, sed secundum quod ad dignius officium a Deo eligitur, ut ex s. Thoma 3 p. q. 27, art. 5 colligitur. Cum itaque B. V. Maria ad dignissimum prae ceteris creaturis, angelis et hominibus officium a Deo electa sit, ut nimirum esset Dei Mater, consequens est eam prae ceteris omnibus creaturis rationalibus, etiam angelis, maiorem habuisse aptitudinem ad recipiendas gratias divinas. 15 Unde est quod unus magis alius minus clare videt Deum.

VII. Ebur dens est elephantis, qui continuam cum dracone habet inimicitiam, ut Plinius testatur. Beata Virgo Maria vel ipso nomine daemones terret. Dum enim cogitant, eam ad insidias suas profligandas, atque imperium conterendum tanquam proprium medium atque instrumentum a Deo constitutam esse, fugiunt, se devictos, enervatos, prostratos fatentur, ut superius in epitheto *Virgo potens* uberius monstravimus. Ob eam causam thronus Salomonis eburneus B. Virginem praefigurans habebat duodecim leunculos, sex ex una parte, et ex alia parte sex super sex gradus, ut in lib. 3 Reg. 10, ut inter leones sibi incedendum persuadeat quicumque ad hunc veri Salomonis thronum irreverenter accedere tentaverit, a quibus momento temporis corripiendus, ac devorandus sit. Exemplis haereticorum id alibi corroboravimus, qui ob irreverentiam Beatae Dei Genitrici exhibitam a Deo prostrati sunt, conculcati sunt, contriti sunt, ac demum damnati misere perierunt. 16

VIII. Ebur inter ossa animalium non solum magnitudine et soliditate, sed etiam pretio excellit. B. V. Maria inter sanctos qui sunt veluti ossa corporis Ecclesiae, excellit nedum soliditate virtutum, magnitudine meritorum ac donorum; sed etiam pretio. Ipsa enim sola pluris valet, quam omnes angeli et homines, mundusque universus. Quare illi optime accommodatur id quod de muliere forti Prov. 31, 10 dicitur: *Procul et de ultimis finibus pretium eius*, hoc est non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra; sed de ultimis finibus, non terrae; nihil enim, quantumvis pretiosum, in terra nostra est quod pretium eius adaequet; nam pretium auri et argenti superat, ac cum pretio gemmarum certat, immo illud ipsum pretium vincit et transcendit: sed de coelo, nec de coelo proximo terris, sed de supremo, ac de ultimis finibus eius petendum est. Et illud quod Iob de Sapientia 28, 3 ait: *Nescit homo pretium eius*, B. Virgini recte adaptari potest. Tanta quippe est magnitudo Virginis, tanta dignitas, tanta sublimitas, ut nullius eloquentiae arte, nullo verborum apparatu satis digne explicari possit. Solius Dei est Virginis dignitatem cognoscere, dignisque laudibus efferre, ut Andreas cretensis orat. 1 de dormitione Mariae ait: *Dei tantum est Mariam laudare pro dignitate.* Ad quod flecti possunt ea verba, quae habet sapiens Eccli. 1, 8, 9: *Unus est altissimus Creator omnipotens... Ipse creavit illam in Spiritu sancto, et vidit, et dinumeravit, et mensus est.* Vides quanta sit dignitas, et quantum pretium huius Virginis, ut nullus alius praeter Deum illud aestimare, dinumerare, eiusque magnitudinem dimetiri possit. Hoc opus soli Deo reservatur qui Virginem condidit, et tantae gratiarum et donorum divitias in eam tam abunde effudit. 17

Iartet Ptolemaeus aegyptius in vita Marci Aurelii lib. 1, capite 40 suam turrim in pharo alexandrino octingenta auri talen- 18 Turres mi-

rabiles recensentur. tis constantem, ex lapide ut vitrum perlucido et candido factam, in excelsam altitudinem se attollentem. Extollant Ciziceni suas septem turres repercussu reciproco echo accipientes et reddentes. Laudent Sinenses suam turrim in urbe Fuchaeo super quadraginta columnis solidis et altissimis positam, de qua Plinius lib. 36, cap. 15. Mirentur et suam Indi Mienses aureis argenteisque laminis obtectam et fulgentem, aureisque et argenteis campanulis varium agitante vento sonum reddentem. Celebret Archelaus suam turrim quae a lumine oblita ignes Sillae respuit, de qua Aul. lib. 15, cap. 1. Praedicent Gratianopolitani suam, quae omnes araneas et omne venenatum excludens, nonnisi veneni exortia animalia fovet. Turris mariana eminet universis, adeo
Turris excellentissima Maria. ut hae illi comparatae umbrae et nihil esse videantur. Illae inanimae, haec animata: tempori illae cesserunt, haec perennis et incorrupta manet. Turris alexandrina lapide lucido, ac diaphano instructa, Maria ipso lumine amicta. *Mulier amicta sole.* Cizicenae turres vocem humanam reddunt, Maria divinam. Sinensis turris supra quadraginta columnas erecta: Maria super septem columnas est posita, quae longe celsiores, solidiores, pretiosioresque illis quadraginta fuerunt; significant enim plenitudinem gratiarum in Maria, septenarius enim est symbolum plenitudinis et universitatis. Indiana turris auro et argento tecta: Maria tota auro caritatis intus et extra exornata. Archelai turris ignem despuebat, sed tandem vetustate absumpta nuspiam perseverat: Maria neque tempore, neque igne alieno exesa, aut absumpta, casta et incontaminata in aeternum permanet. Gratianopolitana omne venenatum excludebat: Maria omne pestiferum, omne mortiferum nedum a se, verum a suis clientibus depellit. O turrim dignissimam! o turrim pretiosissimam! o turrim omnem aestimationem superantem!

Huius ergo turris eburneae, fratres carissimi, puritatem miremur, candorem colamus, soliditatem imitemur, frigiditatem amplectamur, pretium contemplemur, ut ipsius ope salutem aeternam consequamur. O turris altissima, turris praestantissima, propugnaculum fortissimum, munimentum solidissimum, quo nullum altius, nullum praestantius, nullum firmius, nullum solidius, nullum admirabilius, murum te Deo ac Iudici tremendo pro nobis oppone, in clientelam tuam nos suscipe, ut tuo interventu, ac patrocinio coelestis gloriae mereamur esse participes. Ita fiat Domina nostra, mater nostra, advocata nostra, mediatrix nostra. Per Filium quem genuisti, quem uberibus virgineis lactasti, quem in sinu tuo portasti, fovisti, aluisti, nutrivisti, precamur, ut oculos misericordiae tuae in nos convertas, et ex hac valle miseriae ad aeternam illam ac felicem patriam pervenire concede. Amen. 10

DOMUS AUREA

Non satis habens fidelis Ecclesiae chorus dignitatem, excellentiam, puritatem, soliditatem, pretium ac valorem Virginis mirari et celebrare in ebore, pergit eiusdem praestantiam in auro quod ebore pretiosius est, contemplari, et decantare. Superius in turri, seu domo davidica, hoc est a David exaedificata, eius magnitudinem, et nobilitatem depraedicavit: nunc in domo Salomonis, hoc est templo ierosolymitano a Salomone constructo, eandem extollit. Hoc est enim, si me opinio mea non fallit, quod canit: *Domus aurea.* Nullam enim domum in Scriptura invenio auream praeter eam, quam Salomon aedificavit. De hac enim 3 Reg. 6, 22 ita lego: *Nihil erat in templo quod non auro tegeretur.* Per domum itaque auream intelligo domum illam Dei, seu templum Salomonis in Dei honorem extructum, laminis aureis undique coopertum. Videamus igitur

DISCURSUS CCCLIV

QUOMODO B. V. MARIA SIT DOMUS ET TEMPLUM DEI

1 Domus quando Deus habere coepit. Iam inde a mundi exordio Deus infinitae maiestatis inter homines domum habere coepit. In lege naturae Iacob patriarcha domum ei aedificavit, cum lapidem erexit in titulum, fundensque oleum desuper appellavit locum illum *Bethel*, id est domum Dei, Gen. 28. In statu legis Moyses domum ei extruxit, cum tabernaculum foederis iussu Dei fecit, Exodi 40, 2. Quod tabernaculum templum quoddam portatile erat, et Dei domus ambulantis cum Hebraeis per desertum. Rursus Salomon templum illud
Domus in novo testamento quot Deus habeat. magnificum, totoque orbe celeberrimum ei aedificavit. In novo testamento Deus triplicem domum habet. Prima est corpus nostrum. 1 Cor. 6, 19: *An nescitis quoniam membra vestra templa sunt Spiritus sancti?* et ibid. 3, 16: *Templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis.* Templum enim dicitur quasi tectum amplum, ut vult Isidorus etymol. lib. 15, cap. 4. Unde recte per synecdochen potest appellari domus. Secunda sunt iustorum animae in quibus Deus per magnificam gratiam, magnifica et honorifica virtutum opera, magnifica Sacramenta, magnificam gloriam inhabitat. *Ponam*, inquit, *tabernaculum meum in medio vestri, et non abiiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus*, Levit. 26, 11. Inambulat autem Deus in anima iusti quasi in domo, cum ex memoria in intellectum, inde in voluntatem transit per actus fidei, spei et caritatis. Vel, cum gratia sua efficit, ut anima iusti per virtutes ambulet, de virtute in virtutem procedat, eiusque exempla sequatur. Tertia sunt templa manufacta de quibus ipse Salvator Luc. 19, 46 ait: *Domus mea domus orationis est.*

2 Inter has nobilissima domus est B. V. Maria, de qua Salomon Proverb. 9, 1, 2: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum et posuit mensam suam.* Solo haec verba ad litteram interpretari doctores de Salomone, qui tunc domum aedificavit, cum templum templique synagogam construxit, quae dicitur domus sapientiae, id est Dei. Hoc templum fulciebatur et ornabatur septem, id est multis columnis. In eo erat mensa, id est altare, in quo victimae Deo mactabantur cum libamine, id est mixtione et effusione vini; erat item mensa panum propositionis. Alii, ut Pineda lib. 3 de
Academia a Salomone aedificata. rebus Salomonis, cap. 28, et Ioannes Carthagena lib. 10, hom. 10 per domum accipiunt academiam quam sapientia, hoc est Salomon sapientissimus in monte Sion iuxta regiam, et iuxta templum, immo in atrio templi aedificavit, et sapientiae nomine appellari voluit. Unde etiam Romae academia et gymnasium, in quo docentur omnes facultates, appellatur *Sapientia.* In hac sapientia Salomon excidit columnas septem, id est septem gymnasia, et totidem artium liberalium suggesta, sive altas cathedras e marmore elaboratas, e quibus doctores docerent. Hanc Salomonis academiam fuisse matricem ceterarum tradit Pineda loco quo supra, additque ex illa prodiisse Pythagoram, Platonem, Socratem, Aristotelem, et alios multos gentium philosophos, quos sua dogmata a Salomone et Hebraeis hausisse docent Eusebius lib. 3 de praeparat. cap. 13, Clemens alexandrinus lib. 1 Stro-
Salomon academicus. matum, et alii. Quare in hac sua academia ipsummet Salomonem legisse illa tria millia parabolarum et quinque millia carminum, et disputasse super lignis a cedro quae est in Libano, usque ad hyssopum quae egreditur de pariete, et disseruisse de iumentis, volucribus, reptilibus et piscibus; et ad hanc academiam veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, et ab universis regibus terrae qui audiebant sapientiam eius, ut sacra Regum narrat historia 3 Reg. 4, 32, 33. Scribit fusius Cornelius a Lapide in commentario istius loci. Haec iuxta litteram.

Allegorice omnes doctores hanc sapientiam esse volunt Christum, qui utpote sapientia increata et incarnata, aedificavit sibi 3

*

Digitized by Google

domum, id est Ecclesiam, in quo excidit columnas septem, id est septem Sacramenta, quibus quasi columnis illa fulcitur. Vel septem dona Spiritus sancti, quibus ipse Ecclesiam suffulcit. Vel septem columnae omnes Ecclesiae doctores et praedicatores; hi enim velut columnae eam suffulciunt. Unde d. Paulus Galat. 2, 9 Petrum, Iacobum, et Ioannem appellat columnas Ecclesiae. Alii hanc domum intelligunt Christi humanitatem. Alii quamlibet animam fidelem, quorum sententias fuse refert Cornelius a Lapide in commentario huius loci.

4 Domus Dei est B. V. Maria. Sed mystice quamplurimi patres haec verba de Deipara Virgine explicant, uti s. Ildephonsus de assumpt. serm. 3, b. Bernardus serm. 9 in parvis, d. Petrus Damianus, s. Hieronymus in Isaiae cap. 3. Vere D. V. Maria domus est de qua sancta canit Ecclesia: *Domus pudici pectoris templum repente fit Dei.* Immo palatium sive aula regia, ex qua trabea carnis indutus aeterni Regis Filius in hunc mundum processit. Hinc Andreas cretensis orat. in salutationem angelicam Beatam Virginem vocat *consecretum Regis palatium, unicum illius qui nusquam capitur, habitaculum.* Gregorius nicomediensis orat. de oblat. *domum gloriosam.* Divus Ambrosius lib. de instit. virg. *aulam Regis aeterni.* Arnobius *aulam virgineam.* Et Ecclesia: *Deus qui virginalem aulam B. M. Virginis in qua habitares, eligere dignatus es*; et alibi: *Pudoris aula regia.* Divus Bonaventura in spec. cap. 8 de ea vult dici illud psal. 92, 5: *Domum tuam Domine decet sanctitudo*, et illud Genes. 28, 17 quod Iacob patriarcha dixit: *Non est hic aliud, nisi domus Dei.*

5 Quidni B. V. Maria domus Dei esset, quam sibi Dei Filius aedificavit, ut in ea specialiter inhabitaret? *Sapientia* igitur, id est Dei Filius, *aedificavit sibi*, id est in proprium suum usum, *domum* se dignam, scilicet uterum Virginis Deiparae in quo novem mensibus habitaret. Et ut haec domus esset divinum, ac Deo dignum habitaculum prae angelis, cherubinis, ac seraphinis, *excidit in ea columnas septem*, hoc est septem virtutes, tres theologicas, fidem, spem, et caritatem, et quatuor cardinales, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Vel septem columnas, septem dona Spiritus sancti, quae in Virgine in tanto ac tam intenso gradu collocata fuere, ut neque in angelis, neque in viris perfectissimis ullo unquam tempore tam intensa fuerunt. *Immolavit victimas*, vel ut LXX legunt: *Miscuit in cratere vinum suum*, et posuit mensam. Uterus Virginis fuit velut crater tornatilis, in quo vinum germinans virgines in Eucharistia nobis propinatum est in vitam aeternam. Fuit et mensa in qua panis ille coelestis igne Spiritus sancti coctus in cibum animarum nostrarum positus est. O domum gloriosam! o palatium magnificum! o aulam regiam!

6 Templum Dei in B. V. Maria. Ulterius B. V. Maria templum Dei est. Quidni esset? Si sancti viventes sunt templum Dei, ut Apostolus ait, Virgo Dei Mater castissima non esset templum Dei? Fuit sane, immo nobilissimum. Hinc illud s. Gregorii thaumaturgi serm. 3 de annuntiatione: *Ave animatum Dei templum. Ave coeli et terrae aequivalens, dignumque domicilium.* S. Iacobus in Liturg. uterum Virginis appellat *templum sanctificatum.* S. Epiphanius serm. de Deipara *templum impollutum.* S. Ambrosius epist. 82 *corporale Dei templum, in quo corporaliter inhabitavit plenitudo divinitatis.* D. Augustinus serm. de nativitate Domini *templum pudoris.* S. Cyrillus l. 6 contra Nestorium *templum indissolubile.* Chrysologus serm. 1 de assumpt. *Dei templum in quo pro salute hominum omnium Deus homo immolatur*; et ser. 3 *templum divinitatis*; ser. 6 *Domini templum, Spiritus sancti sacrarium*: ser. 9 *Tabernaculum gloriae.* Andreas cretensis in salutat. angel. *magnificum divinae gloriae templum.* S. Proclus orat. 1 in laudem Dei Genitricis exclamat: *O uterum! o templum! in quo Deus ipse factus est Sacerdos.* D. Damascenus de fide orthodoxa *sanctum et admirabile ac summo Deo dignum templum.* D. Anselmus *templum misericordiae.* Et Ecclesia catholica accommodans Virgini illud psalm. 47, canit: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*; et rursus in antiphona: *Magnum haereditatis mysterium: templum Dei factus uterus nesciens virum*; et in hymno: *Domus pudici pectoris templum repente fit Dei.*

7 Hoc ipsum innuebat rex vates, cum canebat: *Et in templo eius omnes dicent gloriam*, psal. 28, 9. Quodnam est Dei templum? nonne Mater eius, ut vidimus? Ergo in templo hoc quod suae Deus habitationi fabre fecit, omnes dicent gloriam. Gloria claritas est, fulgor, splendor, puritas, nobilitas, innocentia, castitas. Dicant ergo Mariae gloriam omnes, praedicent eius claritatem, fateantur fulgorem, splendorem agnoscant, conclament puritatem, nobilitatem concinant, innocentiam laudent, castitatem mirentur. Omnium labia, linguae, fauces, palata, sumpto suavissimo hoc laudis genere, dulcescant, plaudant, oblectentur, et dicant: Domus aurea, templum Domini animatum, ora pro nobis. O domum sacratissimam! o cellulam sanctam adeoque magnificam, ut Rex universi intus in illa sibi sedem elegerit; adeo religiosam, ut Sancta Sanctorum appellari possit; adeo elegantem, ut pulcritudinem omnium coelorum antecellat; adeo mundam, ut nunquam illic atomus, aut pulvisculus ullus tenuissimus peccati cuiuscumque inventus sit; adeo secretam, ut in ipsam nunquam quisquam praeter Deum intraverit; adeo ornatam, ut ipsi angeli eam noctu diuque admirentur dicentes: *Quae est ista!* adeo opulentam, ut totum orbem facile locupletaret, si virtutes eius distribuerentur. Ad hanc domum, fratres carissimi, alacres curramus, eius magnificentiam, sanctitatem, pulcritudinem admiremur, veneremur, praedicemus, ut in ea in quibusvis necessitatibus nostris recipiamur, protegamur, consolemur. Amen.

DISCURSUS CCCLV

QUOMODO B. V. MARIA FUERIT ADUMBRATA IN TEMPLO SALOMONIS

Inter omnes Deo vero consecratas domos (nam profana veterum fana nec nominare quidem sustineo) salomonicum illud templum extra omnem controversiam primas meretur, utpote Deo adeo gratum, quo nullum aliud maioribus, evidentioribusque in lege mosaica benedictionibus unquam magis auctum fuerit. Praeclarae huic domui B. V. Mariam assimilare desidero, ut excessum eius per collationem quoquo modo aperiam. Nihil enim impedit, quominus quaedam, etsi non adaequata, sibi inter se comparentur, ut illius quod excedit, dignitas magis appareat, sicut magnitudo gigantis iuxta nanum posita magis elucescit. 1 Templi salomonici encomia.

I. Domus illa habuit Salomonem aedificatorem, Salomonem inquam, qui interpretatur rex pacificus. Domus ista habuit Christum aeternam Dei sapientiam, artificem. *Sapientia aedificavit sibi domum.* Habuit Christum, Regem illum pacificum qui est, ut Isaias ait cap. 9, 6, *Princeps pacis.* Et d. Paulus Ephes. 2, 14: *Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum.* 2 Templo Salomonis comparatur B. V. Maria.

II. Ad aedificationem illius domus praeparavit David multa, magnifica, ac pretiosa donaria, ut 1 liber Paral. 29, 2 testatur. *Ego*, inquit David, *totis viribus meis praeparavi impensas domus Dei mei. Aurum ad vasa aurea, argentum ad argentea, aes ad aenea, ferrum ad ferrea, lignum ad lignea, et lapides onychinos, et quasi stibinos, et diversorum colorum, omnemque pretiosum lapidem, et marmor parium abundantissime.* Et in eodem libro, 22, 14: *Ecce ego*, inquit David, *in paupertate mea praeparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum; aeris vero et ferri non est pondus.* Quod si aurum et argentum ad calculum nostrae pecuniae revocare velimus, talentum hebraeum continet duodecim millia aureorum. Centum ergo millia talenta auri faciunt mille ducentos milliones aureorum, tantundem praecise in auro faciunt mille millia talenta argenti. Nam argenti ad aurum proportio decupla. Universim ergo reliquit David Salomoni pro fabrica templi bis mille et quadringentos milliones aureorum, quantum auri vix est in tota Europa. Ita hanc computationem faciebat Cornelius a Lapide, huius saeculi Scripturarum nobilis interpres, scribens in Exod. 38, 24. Rationem porro tam magnifici apparatus reddit ipse David 1 Paralip. 29, 1 dicens: *Opus namque grande est, neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo.* Ad praeparationem huius mysticae domus Deus multo plura et magis pretiosa praeparavit donaria. Ab instanti (1) animationis eius praeparavit immensas gratiae iustificantis gazas, ingentes heroicarum virtutum thesauros, pretiosissima Spiritus sancti dona, et privilegia singularia, quae tunc Virgini in tanto et tam intenso gradu contulit, ut neque in angelis, neque in perfectissimis quibusvis hominibus ulla unquam tempore in ea quantitate invenire liceat. Lege s. Thomam 3 p. q. 27, art. 7, et expositores illius articuli. 3 Sumptus David pro fabrica templi. Talentum quantum valet. David quam dives fuerit.

(1) Ad vitandum quemcumque errorem dic: ab instanti primo. *Editor.*

Digitized by Google

4 *Sumptus principum in fabrica templi salomonici.* Principes quoque familiarum, et proceres tribuum Israel, tribuni quoque, et centuriones, et principes possessionum regis. Dederuntque in opera domus Domini auri talenta quinque millia, et solidos decem millia; argenti talenta decem millia, et aeris talenta decem et octo millia; ferri quoque centum millia talentorum. 1 Paralip. 29, 6, 7. At longe maiora munera principes coelestis curiae, angelorum ordines dederunt in opus huius domus mysticae. Angeli praeparationem ac promptitudinem ad Dei obsequia, arcangeli sublimitatem, throni stabilitatem, principatus praesidentiam, potestates in demones coercitivam potentiam, virtutes miraculorum gloriam, cherubim scientiam, seraphim caritatem, quibus haec domus mirifice ornatur.

5 *Operarii templi salomonici quot.* III. Operariorum domus illius ingens fuit numerus, uti habetur 3 Regum 5, 15, 16: *Fuerunt Salomoni septuaginta millia eorum qui onera portabant, et octaginta millia latomorum in monte: absque praepositis qui praeerant singulis operibus in numero trium millium, et trecentorum praecipientium populo et his qui faciebant opus.* Vides ingentem operariorum numerum. Plures habuit operarios domus regia Virgo Maria. Ad eius namque constructionem, et ornamentum omnes sancti, quotquot ab exordio mundi extiterunt, quotquot hodie in Ecclesia sunt, aut erunt, suas operas contulerunt; singulos enim suas virtutes et coelestia dona sibi divinitus collata in ea collocarunt. Praeter angelorum ordines de quibus iam diximus, collocarunt in ea patriarchae spem, prophetae fidem, apostoli zelum, martyres fortitudinem, confessores iustitiam, doctores prudentiam, anachoretae abstinentiam, virgines castimoniam. Iam si sanctorum et electorum numerus tantus est, ut aliquot centenos milliones conficiat, ut ex probatis auctoribus Cornelius a Lapide super Apocal. c. 7, v. 7 deducit, (si domus novem angelorum ordines qui incomparabiliter superant numerum electorum hominum) sequitur longe plures operarios concurrisse ad construendam hanc domum auream Virginem Mariam, quam ad templum Salomonis.

6 *Modus construendi templi.* IV. In aedificatione domus illius nullus mallei vel alterius instrumenti sonus auditus est, divino eloquio attestante 3 Regum 6, 7. Theodoretus quaest. 21, in lib. 3 existimat, ipsum templum extructum ex lapidibus ita sponte sua natis, ut nullo opus esset ad eos compingendos ferro, nec strepitu; sed verius est, ligna alibi adaptata, saxaque quadrata, et concinnata Ierosolymam delata fuisse. *Fomes peccati nullus in Maria.* Non auditus est in Maria ullus mallei, aut securis, aut ferramenti ictus, quia nulla in ea asperitas peccati per poenitentiam dolanda, vel levigande erat, nec ullus ictus aut strepitus, quia nulla inter spiritum et carnem eius fuit rixa, de qua Apostolus Galat. 5, 17 loquitur: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus vero adversus carnem*; et Rom. 7, 23: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* Sicut primum mobile suo motu rapit post se omnes sphaeras coeli, et rota horologii maior omnes rotas minores; ita solutas Dei voluntatem Virginis, et voluntas Virginis omnes sensus et appetitus ad divinam voluntatem rapiebat: quod alibi nos fusius tractasse meminimus.

7 Hebraei lapidum sine strepitu dolationem vermiculo cuidam tribuunt, qui thamir appellatur. Huius vermiculi cruore lapides sunt perfusos, et sine strepitu fuisse sectos atque expolitos. Fabulosa quidem narratio, sed quae re vera altius et excellentius in Deiparam Mariam mystice convenit. Vermis noster Christus est qui psalm. 21, 7 ita se appellat: *Ego autem sum vermis et non homo.* Hic sanguine suo pretiosissimo Virginis mentem sic dolavit, perpolivit et exornavit, ut nullum unquam bellum, nullam rixam, nullum strepitum passionum sentiret.

8 *Locus templi salomonici.* V. Domus illa extructa fuit in monte Moria. 2 Paral. 3, 1: *Coepit Salomon aedificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuit David patri eius.* Domus mariana aedificata est in monte, hoc est virtutum ac meritorum sublimitate: ob quam causam d. Greg. super 1 cap. Reg. eam appellat *montem in vertice montium.* Andreas cretensis orat. in annunt. *montem umbrosum.* D. Damascenus orat. 1 de dorm. *montem pinguem.* D. Iren. lib. 3 contra haereses et alii appellant *montem de quo sine manibus abscissus est lapis*, id est Christus Dominus sine viri opera, de quo legitur Daniel. 2.

9 *Mons Moria dicitur B. V. Maria.* Porro mons Moria peculiariter typus est Virginis Deiparae. In Moria templum Salomonis extructum est: in Maria templum, hoc est humanitas Christi est exaedificata. Moria dicitur *terra visionis.* Quid visu est dignius inter creaturas, quam Maria Dei Mater? Moria dicitur *terra excelsa:* nihil excelsius Maria infra Deum. Moriam d. Hieronymus interpretatur *illuminantem et lucentem:* Maria sole amicta mortales illuminat, et ut stella maris lucet.

VI. Ad domum Salomonis, ut Rabbini tradunt, nullus muscis patebat aditus, etsi ingis continuaque carnis immolandae inibi laniena perageretur. At Mariam nulla unquam musca intravit. 10 *Musca impudicitiae symbolum.* Musca impudicitiae symbolum est; unde Aegyptii impudentiam indicantes pingebant muscam, quae licet crebro abacta, identidem tamen inverecunde redit. Ita Horus Apollo lib. 1, hierogl. 48. Huiusmodi musca Deiparam nunquam interturbavit; nullus enim concupiscentiae ardor, nulla mundi, nulla daemonis, nulla carnis distractio vel fragilitas, nullus demum motus inordinatus mentem eius commaculavit. Divus Bernardinus tom. 1, serm. 51, art. 3, cap. 2; *Sicut magnus ignis*, inquit, *effugat muscas, sic ab ardentissima Virginis mente, et inflammatissima caritate daemones effugabantur, et pellebantur*, intantum *quod solum in modico non erant ausi respicere mentem eius, nec de magno spatio illi appropinquare.*

11 *Mensura templi salomonici.* VII. Domus illa Salomonis erat ampla, longitudo eius sexaginta cubitorum, latitudo viginti cubitorum, altitudo triginta cubitorum, 3 Reg. 6, 2. Amplior domus Maria, maior coelo, latior terra, toto orbe spatiosior; nam Deum quem mundus non capit, ipsa virginali utero contulit. Divus Damascenus orat. 1 de nativitate Mariae: *Is*, inquit, *qui coelum et terram implet, cuius coelum thronus, et terra scabellum pedum est, ex ancillae ventre latissimam sibi domicilium fecit.* *Magnitudo B. V. Mariae.* Sanctus Petrus Damianus serm. de nativit. *Quid*, inquit, *grandius Virgine, quae magnitudinem summae divinitatis intra sui ventris clausit arcanum? Attende seraphim, et in illius superioris naturae supervola dignitatem, et videbis quidquid maius est, minus est Virgine, solumque Opificem opus istud supergredi.* Ante hos s. Iacobus apostolus idem sensit et expressit in Liturgia cum Virgine loquens: *Deus noster tuum ventrem latiorem ac ampliorem coelis ipsis reddidit.* Magnificentiam domus a se aedificatae ipse Salomon agnovit, cum post structuram suam completam Deum alloquens, 3 Reg. 8, 27 ait: *Si coelum et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec quam aedificavi?* At de Deipara Virgine hoc nequaquam dici potest. Ipsa enim latior coelo, capacior mundo; quia quem coeli coelorum capere non poterant, suo gremio contulit: quem totus non capit orbis, in sua se clausit viscera factus homo. *Immensitas Mariae.* Quis igitur Mariae immensitatem mensurare potest? *Altitudinem coeli, et latitudinem terrae et profundum abyssi quis dimensus est?* ait Eccli. 1, 2. Sed magis Mariae altitudinem, et profunditatem quis comprehendit? Coelum est Maria, terra est Maria, abyssus est Maria. Quis huius coeli altitudinem, quis huius terrae latitudinem, quis huius abyssi profunditatem, quis inquam Mariae immensitatem dimensus est, nisi ille solus qui ipsam non solum in gratia, et in gloria, sed etiam in misericordia tam altissimam, tam latissimam, tamque profundam operatus est? Hoc recolens s. Epiphanius serm. de laud. Deiparae, admirans et stupens exclamat: *O uterum impollutum habentem circulum coelorum, qui Deum incomprehensibilem, in te vero comprehensum portasti! O uterum coelo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti! O uterum qui coelum es septem circulis constans, et capacior illis existis! O uterum septem coelis sublimiorem, ac latiorem! O uterum qui es octavum coelum, septem firmamentis latiorem!*

12 *Divisio templi in partes.* VIII. Domus illa dividebatur in tres partes. In oraculum, quod Sancta Sanctorum dicitur, hebraice *Debir*; in domum alteram, quae Sanctum, hebraice *Hecal* appellabatur, id est palatium; et in atrium sive vestibulum, quemadmodum etiam templa nostra dividi solent in eam partem quam chorum appellant, et in eam quam corpus templi nominant; et vestibulum, in quo mendici sedere solent. *Sancta Sanctorum cur sic dicta.* Domus intima sive oraculum Sancta Sanctorum dicitur genere neutro, hoc est sanctissima domus, quemadmodum Canticum Canticorum, id est Canticum praestantissimum, Virgo virginum Virgo excellentissima nominatur. Domus Virginis nostrae in tres quoque partes dividitur. In partem animae superiorem in qua ratio dominatur, in inferiorem in qua appetitus sedem habet, et in speciem corporis externam similem atrio omnibus conspicuo.

In primis prima illa superiorque animae virginalis pars recte Sancta Sanctorum dicitur, quia sanctis omnibus, angelis, et hominibus sanctitate longe antecellit. Unde d. Anselmus in invocatione Virginis. *O tu*, inquit, *benedicta inter mulieres quae an-* 13

Digitized by Google

gelos vincis puritate, sanctos superas pietate. Item: *Sancta, et inter sanctos post Deum singulariter sancta.*

14 Propitiatorium quid.

In intima illa et sanctissima templi parte duo erant cherubini, in quibus sedere Deus dicebatur iuxta illud psalmi 97: *Qui sedes super cherubim.* Erat praeterea propitiatorium, quod nonnulli arcae tegmen; sed s. Thomas 2 2, q. 102, art. 4 tabulam auream a tegmine arcae diversam fuisse putat, quam duo cherubim ex utroque arcae latere collocati veluti thronum quendam supra arcam tenebant in quo Deus sederet, pedibus tegmini arcae veluti scabello impositis. Eadem fere, sed longe excellentiora in intima domo mariana. In superiore animi virginei parte duo cherubini erant, hoc est intellectus ac memoria Virginis in quibus perpetuam sibi sedem Deus fixit. Hi cherubini velocissimis alis praediti volabant: volabat Virginis memoria, volabat et intellectus. Scientia cognitioneque praestant cherubini: scientia cognitioneque eximia Virginis excellebat intellectus, ut in epitheto *Virgo prudentissima* latius probabam. In propitiatorium versos habebant vultus cherubini, ut legitur Exod. 25. In Deum propitiationis fontem memoria et intellectus Virginis versos habebant omnes actus. Quis horum duorum cherubinorum volatus, quis rerum divinarum cognitionem, quis rerum coelestium contemplationem, perpetuamque recordationem verbis complecti queat? Datae sunt mulieri illi quae erat amicta sole, Apoc. 12, duae alae aquilae magnae: datae sunt Virgini sole amictae aquilae magnae alae duae, quibus perpetua contemplatione volaret in Deum. Hae alae sunt vita contemplativa et activa, quibus Virgo superbenedicta volabat, ita ut nec actio contemplationem minueret, nec contemplatio actionem desereret.

15 Propitiatorium B. V. Maria.

Erat praeterea in Virgine propitiatorium, immo ipsa est propitiatorium, hoc est locus propitians, et placans Deum hominibus. Hinc sanctus Ephrem oratione de laud. Virginis eam vocat: *propitiatorium universae terrae.* Erat praeterea in intima illa et sanctissima templi parte arca foederis, quae quam optime adumbraverit B. Virginem, in sequenti epitheto dicetur.

16 In domo exteriore erat altare thymiamatis aureum, in quo suavissimi odoris thymiama mane et vespere adolebatur. Erant praeterea decem mensae aureae, in quibus panes propositionis proponebantur, et totidem candelabra aurea, quae lucernas plenas oleo sustentabant. De his lege sacrum textum, 3 Regum 7, 48, et 1 Paral, 4, 7. In domo Virginis haec tria erant. Altare thymiamatis fuit cor Virginis coelestibus desideriis inflammatum admirabilem semper odorem exhalans.

Castitas odorem exhalat.

Quidni exhalaret suavissimum odorem castissimum cor Virginis? Castitas ubique semper bene redolet. Iubentur sanctae virgines sorores Rufina et Secunda a praefecto tyranno tenebroso includi carcere, et fumum ex stercoribus fieri, quo infestarentur. Sed contra accidit; nam fumus ille accensus suavissimum efflavit odorem, quo sanctae virgines recrearentur. Petrus de Natalibus libro 6, capite 78. Pudicum pectus harum virginum gratissimum odorem in carcere efflavit, et Mariae pudicissimum cor suavem Dei naribus suffitum non emitterat? Emisit sane, ut in epitheto *Rosa mystica* plenius probavimus.

17 Mensa propositionis mens B. Virginis.

Mensa propositionis erat mens Virginis purissima ex lignis setim, virtutibus nimirum praeclarissimis constans; auro purissimo inaurata, caritate videlicet fervente, fulgida duplici gloria, essentiali quae in clara Dei visione consistit, et accidentali quae aureola dicitur, ornata. In hac mensa propositionis repositus est panis vivus nostris necessitatibus propositus, qui de coelo descendit. Super panes vero ponebatur divino iussu thus lucidissimum, quod Christi divinitatem in cuius honorem adoleri solet, significabat. Hoc cogitantes sancti patres Deiparam Virginem mensam appellarunt. S. Methodius in Hypapantem eam vocat *altare animatum panis vitae*, id est sanctissimae Eucharistiae. S. Epiphanius serm. de laudibus Virginis *fidei mensam intellectualem, quae panem vitae nobis suppeditavit.* Gregorius nicomediensis orat. de oblat. Virginis *mensam quae portat vitam, in qua panis vitae nostrae propositus ambrosia pavit eos, qui illius fuerunt participes.* S. Damascenus oratione 1 de dormitione Virginis *animatam mensam* appellat.

18 Decem candelabra aurea decem lucernis instructa sunt anima Virginis caritate flagrans, tribus virtutibus theologicis et septem donis Spiritus sancti radians, oleo divinae gratiae plena, quae non solum obsequium Deo exhiberet, sed etiam proximis exemplo praeluceret. Erat enim B. Virgo tota lucida, tota clara, ut nihil in se tenebrosum haberet, immo alios exemplo suo illuminaret. *Cuius vita inclyta cunctas illustrat ecclesias.* Hoc attendentes sancti patres B. Virginem his encomiis ornarunt. S. Anastasius nicaenus qu. 53 in Scripturam: *Quid est*, inquit, *candelabrum? Sancta Maria. Cur autem candelabrum? Quoniam materiae expertem lucem gestavit, Deum incarnatum. Cur autem totum aureum? Quoniam post partum mansit virgo.* S. Epiphanius *candelabrum templi aureum.* Divus Damascenus loco citato *candelabrum ex quo lumen illud sempiternum et inaccessum prodiit.* S. Ephrem de laudibus Virginis *lucernam clarissimam.* Andreas cretensis in oratione annuntiationis B. Mariae Virginis, *aureum candelabrum quod divinissimus Zacharias vidit septem lychnis ornatum*, nimirum illis Spiritus sancti donis clarum, et lucidum.

Candelabrum aureum B. V. Maria.

Tertia pars domus illius erat atrium, basilica, id est regis seu palatium, ut vocatur 2 Paral. 4, 9: *Fecit* Salomon *atrium sacerdotum, et basilicam grandem, et ostia in basilica, quae texit aere.* Domus Virginis nostrae atrium habebat, externam corporis speciem, in oculis, manibus, ore, vultu, amictu, incessu modestiam egregiam praeseferentem. Bona domus in vestibulo debet agnosci: sic haec sanctissima domus ex ipso amictu, incessu, sermone, aliisque actibus omnibus exterioribus agnoscebatur. 19

Modestia B. V. Mariae.

Nihil, inquit divus Ambrosius libro 2 de virgin. *erat torvum in oculis Virginis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.* Vide quae dixi de modestia Virginis superius in epitheto *Speculum iustitiae.*

In atrio illo fuit altare holocausti, in quo oves, boves et aliae victimae incendebantur. In atrio Virginis erat castissimum corpus, in quo per sui mortificationem seipsam astra Deo immolabat igne caritatis flagrantissimae semper succensa. Quod sacrificium inculcabat s. Paulus Rom. 12, 1: *Obsecro vos, fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* 20

Ignis sacer in templo Salomonis.

IX. In domo illa Salomonis super altare holocaustorum iugis perpetuusque ardebat ignis, is autem sacer erat a Deo emissus. Levit. 9, 24: *Egressus ignis a Domino devoravit holocaustum et adipes qui erant super altare.* Hunc ignem, Deo mandante, sacerdotes nunquam non subiecto ligna fovebant. *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiiciens ligna mane per singulos dies*, Levit. 6, 12. Item vers. 13: *Ignis iste est perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Hoc igne et non alio licebat incensum imponere Domino. Quare duo Aaronis filii Nadab et Abiu flammis correpti et incensi perierunt, quod non sacrum, sed alienum, id est profanum ignem thuribulis imposuissent, Levit. 10. In domo Virginis talis ignis iugiter ardebat; ignis iste fuit caritas Virginis. Sacer ignis a coelo delapsus, et a Deo egressus erat: caritas Virginis flamma fuit Dei; Dei enim solius est hanc flammam in pectus mittere iuxta illud Christi Luc. 12: *Ignem veni mittere in terram.* Ignis ille a coelo delapsus continuo ardebat: sic flamma caritatis e coelo in cor Virginis velut altare veniens in eo semper arsit. Mens namque eius ardore dilectionis continuo flagrabat; ut superius probavimus in epitheto *Vas insigne devotionis.* Ignis ille subiectis lignis mane per singulos dies a sacerdotibus perpetuo fovebatur: ignis caritatis in corde Virginis subiectis lignis, hoc est rerum divinarum contemplatione, bonis operibus, sancta lectione, necnon ligni crucis ac cruciatuum Christi assidua meditatione alebatur. Alienus ignis, hoc est mundi amor, et cupiditas carnis nunquam in thuribulum cordis virginalis impositus erat. 21

Caritas Virginis.

X. In domo illa Salomonis erant duo lavacra, unum ad ablutionem hostiarum destinatum, quod constabat ex decem luteribus sive conchis supra decem bases ac rotas, velut supra decem currus, quinque ad dexteram, quinque ad sinistram partem positis. Later autem vas dicitur amplum ad lavandum expositum. De hoc autem lavacro lege 2 Paralip. 4. Aliud ad ablutionem sacerdotum, quod mare aeneum vocabatur speculis undique convestitum, in quo sacerdotes templum ingressuri non solum faciem et manus, sed et pedes abluebant. De hoc mari sive labro aeneo lege Exod. 30, 18: *Et missa aqua lavabunt in ea*, id est labro aeneo, *Aaron et filii eius manus suas et pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur.* Unde colligunt doctores nudis pedibus sacerdotes ingredi solitos cum thymiama Domino in altari thymiamatis offerebant. Cae- 22

Lavacra in templo Salomonis.

Digitized by Google

tanus noster etiam vult, nudis pedibus ministrasse ob loci venerationem.

23 *Lavacrum mentium est B. V. Maria.* Haec duo lavacra in domo Virginis fuerunt. Primum ad abluendas hostias, hoc est corpora nostra, quas Paulus Rom. 12, 1 vocat *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*, erat Virginis mortificatio. Quis enim libidinem velut foetidum hircum non abluet, non mactabit, si Virginis castimoniam attenta mente revolvet? quis odia, iracundias veluti furentes tauros non abluet, non occidet, si Virginis humilitatem, mansuetudinem, patientiam contemplabitur? quis invidias veluti capras, aliaque vitia omnia non truncabit, non immolabit, si caritatem Virginis mirabitur? Pulchre Origenes: *Si superbiam corporis tui vincas et reseces, immolas Deo vitulum; si iracundiam, arietem; si libidinem, hircum; si vagos et lubricos cogitationum volatus, columbam et turturem.* Has ergo victimas abluit, et Deo immolat, quisquis exemplo Virginis haec vitia carnis obtruncat.

24 Mare aeneum sive labrum speculis convestitum in domo Virginis est virtutum ac meritorum copia, ob quam merito mare virtutum, et speculum sine macula Virgo appellari potest. Labrum aeneum ex speculis Moyses proposuit, in quo sacerdotes se lavarent, et inspicerent ingressuri in Sancta Sanctorum. Mariam posuit Deus variarum virtutum speculis conspicuam, in qua fideles se inspicerent, et quae in eis sunt foeditatis maculae, deprehenderent, abluerent, cogitationum vitia corrigerent, et quasi renitentes vultus velut ex reddita imagine componerent. Manus et faciem tunc lavant, cum exemplo Virginis bonis operibus solerter intendunt. Pedes lavant, cum affectus carnales et cogitationes pravas deponunt. Affectibus enim et cogitationibus ut pedibus movetur animus, iuxta illud d. Augustini: *Pes meus affectus meus.* Sic ergo abluti ad Sancta Sanctorum, hoc est patriam coelestem accedunt.

25 XI. Magna domus illius Salomonis fuit dignitas. Prophetiae donum in se habuisse ex eo colligitur; raro enim in Sancta Sanctorum summus sacerdos ingrediebatur, quin aliquis Deus illi revelaret oracula, quin futura et voluntatem suam per os summi sacerdotis manifestaret. Unde et ipse Caiphas sui pontificatus tempore vaticinatus est, uti ex evangelio colligitur. Diabolus Dei simia hanc veritatem per praedictiones suas coniecturales apud veteres gentiles aemulabatur. *Delphicus tripus quis.* Inde ortum habet tripus ille delphicus, unde falsa, ambigua, contortaque prodibant illis oracula, inde parnassia laurus, inde fons ille apollineus, inde tot superstitiosa auspicia quibus stolidi gentiles tantum auctoritatis tribuebant.

26 Maior certe excellentia domus marianae, quae nedum prophetiam in se habuit, cum futura in hymno suo praedixit: *Beatam me dicent omnes generationes;* verum etiam summum orbis Prophetam, scilicet Christum genuit. De hac reor domo Aggaeus propheta 2, 10 vaticinatus est, cum dixit: *Magna erit gloria domus istius novissimae, plusquam primae.* Haec enim verba nequaquam intelligi possunt de templo illo secundo materiali quod Zorobabel cum Iesu filio Iosedech summo sacerdote post captivitatem babylonicam construxit, cum istius secundi templi longe minor gloria fuerit, quam illius primi quod Salomon ante captivitatem babylonicam annis 426 fabricaverat, 3 Reg. 6, quod postea Chaldaei solo penitus aequaverunt. Nam quo ad aurum, opes, et cetera certum est gloriosius fuisse templum primum Salomonis secundo Zorobabelis, idque admittunt Iudaei. Immo asserunt ipsimet quinque res nobilissimas fuisse in templo primo quibus caruit secundum, scilicet arcam testamenti, *urim et thumim*, hoc est, doctrinam et veritatem aureis, et purpureis byssinisque contextam litteris, ignem coelestem, prophetiam, et Deum sedentem in propitiatorio, indeque oracula edentem (1).

27 De domo ergo mariana haec verba Aggaei prophetae apte intelliguntur, cuius gloria certe maior, quam illius primae domus a Salomone constructae. Prima domus, hoc est primum templum a Salomone constructum auro fulgebat; secunda domus Dei praesentia corporali radiabat. In prima fuit arca, cherubini, propitiatorium, figurae Messiae; in secunda fuit verus Messias. Ad primam Dominus in nebula descendit: *Nebula implevit domum Domini*, 3 Regum 8, 10. Ad secundam idem Dominus in claritate venit: *In sole posuit tabernaculum suum*, psalm. 18, 6. In primam Dominus gloriam sui adventus contulit, sed nihil ex ea in sua natura suscepit; in secundam non solum descendere dignatus est, verum etiam perfectam substantiam nostrae mortalitatis sibi univit. Prima domus a Chaldaeis fuit polluta, profanata, diruta; secunda nulli unquam violentiae hostis tartarei succubuit, nullis unquam inquinamentis carnis polluta est.

XII. De templo quod Salomon condidit, hoc oraculum Deus ipse edidit 2 Paral. 7, 15: *Oculi mei erunt aperti, et aures meae erectae ad orationem eius qui in loco isto oraverit. Elegi enim et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.* Vide quam magna fuerit templi illius dignitas. Stabat Deus attentus et paratus, ut ibi cunctorum orationes exaudiret. Sed numquid minora in animato Genitricis suae templo praestabit? Absit. Praestabit utique absque ulla comparatione maiora. Ibi oculos semper apertos, et aures erectas ad orationem eorum qui in illo loco oraverunt, habuit: hic non solum oculos apertos habet, sed etiam tam promptus et paratus est ad opem ferendam illis qui ad suae Matris templum confugiunt, ut non tantum oculos aperire videatur, sed etiam aures arrigere, ut eorum orationes audiat. De templo Salomonis Deus dixit: *Et permaneant oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus*, ut disceres, non perfunctorie, sicut solent plerique reges principesque viri, Deum suorum preces audire in templo; sed etiam ex corde, et ex animo, ita ut non nude audiat, sed etiam exaudiat. Quod potiore ratione ad B. V. Mariam transferendum est; quisquis enim eius opem implorat, praesentissimum Dei auxilium in cunctis necessitatibus suis sentit. O utinam omnes in hoc virgineum templum se recipiant, et salutem consequantur aeternam! Amen. 28

DISCURSUS CCCLVI

QUATENUS B. V. MARIA SIT ET DICATUR DOMUS AUREA

Auro gratiam designari docuerunt d. Athanasius, Euthymius, venerabilis Beda, Cassiodorus in psalm. 44, et d. Cyrillus de adorat. in spiritu. Et merito; est enim inter aurum et gratiam similitudo, cum aurum tribus polleat qualitatibus, totidemque gratiae species sint his qualitatibus affines. Prima auri qualitas pretium est, splendor secunda: ex qua oritur auri etymologia, qua aurum dicitur ab aura quae ipse splendor est, ut tradit etymologicus scriptor Isidorus lib. 15, c. 17, poeta item modulante Aeneid. lib. 6: 1 *Aurum gratiam designat.* *Auri qualitates et etymologia.*

Discolor inde auri per ramos aura refulsit.

Iuxta primam auri qualitatem est gratia gratis data, quae omne superat pretium quod creatura impendere possit. Hinc Simon magus qui gratiam emere attentabat, a Petro audivit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Act. 8, 20. Secunda auri species, id est splendor, gratiam gratum facientem designat, quae hominem impium ex peccatore iustum, ex immundo mundum, ex deformi pulcrum ac splendidum facit. Tertia proprietas auri ab aura desumpta prosperum divini status auxilium denotat, quod hominem ad bonum impellit, et in bonis operibus exercitatum mirifice Deo commendat.

His omnibus gratiae speciebus Deipara Virgo a Deo ornata exstitit: quare merito aurea appellatur. Aurum res est omnino defaecatissima, purissima, speciosissima, nitidissima, pretiosissima. Hinc tanta cum aviditate ab hominibus quaeritur, et in tanta aestimatione apud illas barbaras et hebetes gentes fuit, ut illud tanquam deum coluerint. Notum est illud enorme Israelitarum facinus quo conflato aureo vitulo dicebant: *Hi sunt dii tui Israel*, Exod. 32, 8. Ieroboam quoque, quo arctius decem tribus Israel sub suo teneret imperio, aureos deos excogitavit, dicebatque: *Nolite ultra ascendere in Ierusalem: ecce dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti*, 3 Reg. 12, 28. Similiter Nabuchodonosor avidus honoris Dei hac una arte usus est, 2 *Aurum quanti sit aestimationis apud homines.*

(1) Non est dubium quod domus haec, de qua Aggaeus vaticinatus est, significaverit B. Virginem; sed errat auctor, cum dicit, nequaquam intelligi posse de secundo templo Zorobabel, immo secundum litteram de illo sermo est ibi, ut passim interpretes sacrae Scripturae, et maior gloria domus illius novissimae non ex divitiis, sed ex eo quod Messias exspectatus illam visitasset, sumenda est, ut patet ex contextu, et ex communi interpretatione doctorum. Et ex eo refutant Iudaeos adhuc exspectantes Messiam, quod cum domus illa secunda iam tot saeculis sit destructa, Messias iam venit, qui eam visitando efficeret gloriosissimam. *Editor.*

Digitized by Google

ut faceret auream statuam. *Fecit*, inquit Daniel 3, 1, *rex Nabuchodonosor statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex,... Et praeco clamabat valenter:... Cadentes adorate statuam auream.* Tanti fuit apud homines aurum, tanti et modo apud eos est qui aureos nummos, aureos latares, auream massam, pulverem aureum, monilia aurea domi abscondita in capsa sive in theca studiose servant, abscondunt, et quasi pro Deo colunt. Verus est ille qui dixit: *Aurum omnes victa iam pietate colunt.* Ovidius lib. 2 de arte amandi:

Aurea nunc vere sunt saecula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.

3 Aurea B. V. Maria et quam ob rem. Optime dixit quisquis dixit: *Aurum aperit omnia, vel aeris portas.*

Sciens ergo Deus quanti prava hominum cupiditas aurum hoc terrestre faciat, B. V. Mariam fecit auream, auro spirituali virtutum ac exemplorum fulgentem, purissimam, splendidissimam, nitidissimam, pretiosissimam, gloriosissimam, quo ardentius ab hominibus coleretur. Quod non obscure significatur aurato illo vestimento quo amictam videbat regius vates, cum admirans eam canebat: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

4 Auro comparatur Deus. Non dubitat auro fuisse exornatam Virginem nostram illo tempore quo divinum Verbum in utero suo continuit. Deus namque aurum est, non terrenum sed spirituale, perfectissimum, defaecatissimum, pretiosissimum, gloriosissimum, immo ipsamet gloria, pretium infinitum, fulgentissimus nitor, species ipsa, puritas ipsa, in cuius conspectu naturale hoc aurum obscuritas est, faex, scoria, vilitas. Cum itaque hoc aurum Virgo Deipara in suis visceribus portavit, merito aurea dicitur.

5 Auri encomium. Aurum est pretiosissimum metallum, potentissimorum regum ac principum singulare ornamentum. Hinc coronae, diademata, sceptra, amicula, aliaque regalia insignia ex auro fieri, vel distingui solent. Palatia, tecta, interiores pariter recessus, et quidquid sive oblectationi, sive quieti, sive dignitati consecratum est, aurea caelatura nitet. Auro oblectatur Deus. Quidni etiam Deus Rex regum potentissimus auro oblectetur? Olim ab auro sibi cultum in terris exegit, Nomen suum divinum in lamina aurea inscribi voluit, arcam foederis intus et extra deauratam sibi fabricari iussit. Propitiatorium, mensas, candelabra, lucernas, altare thymiamatis, duos cherubim, aliaque vasa, hoc est acetabula, phialas, scyphos, cyathos, thuribula, insuper sphaerulas, calamos, lilia, coronas, annulos in tabernaculo suo quod Moysi fabricare praecepit, ex auro purissimo habere voluit. Lege Exod. cap. 27. Templum insuper aedificare Salomoni mandavit, quod auro totum niteret. Ex praescripto eius altaria, antistitum vestimenta et pleraque sacrum cultum spectantia auro circumquaque fulgebant. Ita legimus 3 Regum 6, 22: *Nihil erat in templo quod non auro tegeretur.* Aurea fuerunt prima Christi in terris vagientis munera. Aurum inquam fuit, quod reges longinqua emensi itinera Redemptori ut Deo suo eximia animi devotione obtulerunt. Quid mirum igitur, si etiam domum auream habeat?

6 Domus qua terrenus rex excipitur, pretiosis, aureisque aulaeis exornatur, odoribusque perfunditur. Qualibus igitur, et quam pretiosis aulaeis domus illa, in qua Rex non terrenus, sed coelestis, non dico transitive hospitaturus, sed etiam ex substantia sua carnem sumpturus erat, exornari, quibus virtutum odoribus perfundi debuit?

7 Thronum suum Salomon rex vestivit auro fulvo nimis, 3 Regum 10. Quam radiante igitur auro verum Salomonem aequum erat thronum suum, id est Matrem suam convestire?

8 Sinarum rex quam dives sit. Legimus apud gravissimos aetatis nostrae scriptores, Sinarum regem omnium facile potentissimum, cuius opes ac proventus annui maiores sunt, quam omnium regum Europae coniunctim, immo addi potest et Africae, ut testantur qui rationes vectigalium illius monarchae, quae per omnia sua regna ipse solus indicere atque exigere potest, inspexere, in regia pasquinensi quatuor atria longe splendidissima habere. Palatium regis Sinarum quam splendidum ac magnificum. Horum primum parietes habet, ac pavimentum laminis aureis, eleganti ferarum arborumque pictura insculptis convestitum; alterum purissimo elegantissimoque argento constratum; tertium ceteris quidem forma exteriore persimile, sed circum secus et in laquearibus auri encaustici crustis exornatum; quartum ceteris praecellit musivo elaboratum opere et ex materia pretiosissima, gemmas varias in parietibus ac pavimento, et veluti unam dumtaxat ubique gemmam conspicias. Regium hoc solium pretii insignis gemmis adeo collucet, ut sub noctem accensarum facum lumen aemuletur, neque candelis hic sit opus. Vide Iaric. tomo 2 thesaur. indic. Maffaeum lib. 5 hist. indic. Ioann. Gonzales lib. 3, cap. 1, part. 1. Si reges terreni, homunciones vilissimi tam splendidum, tam magnificum habent palatium, quale palatium, aut cubiculum habere debuit Rex regum, Dominus dominantium, Deus verus de Deo vero, lumen de lumine, in quo homo factus digne reciperetur, et in eo per novem menses quiesceret?

Domus Neronis aurea fuisse dicitur, non quod tota ex auro constaret, sed quod tota auro tecta fuit: at domus mariana tota ex auro purissimo. Aurum illud caritas est: quidni in ea totum caritate flagrabat? Caritas Mariae animam non modo confixit, sed etiam pertransivit, ut nullam in corde virginali particulam amore vacuam relinqueret; sed toto corde, tota anima, tota virtute Deum diligeret. Vide quae superius diximus in aliquot locis de caritate Virginis. 9 Neronis domus aurea.

Civitas sancta, coelestis Ierusalem tota aurea fuisse perhibetur, Apocal. 21, 18: *Ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo.* Reliqui sancti licet aurei fuerint, hoc est caritate fulgentes; aurum tamen eorum non erat perspicuum ut vitrum, quia peccatis ad minus venialibus opacum. At Virgo Deipara est aurum mundum simile vitro mundo. Aurum propter pretiositatem, soliditatem, fulgorem; vitrum propter innocentiam, puritatem et castitatem. 10

Ovidius poeta gentilis lib. 2 Metamorph. regiam solis fabulose describens eius decorem his verbis expressit: 11 Solis domus qualis.

Regia solis erat sublimibus alta columnis,
Claro micante auro, flammasque imitante pyropo.
Cuius ebur nitidum fastigia summa tenebat.

Haec vere in Virginem quadrant. Ipsa regia solis erat. *Civitas Regis magni.* Solis inquam illius de quo Malach. 4, 2 dicitur: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae.* Sublimibus alta columnis, de quibus ex Prov. 9, 1, paulo ante diximus: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Claro micans auro flammaque micante, hoc est caritate; de quo auro Apocal. 3, 18 dicitur: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias.* Caritas Virginis erat *aurum ignitum* quia ardens et fervens; *probatum*, quia ab hypocrisi et scoriis cupiditatis defaecata.

Quod olim Apostolus amore divino ebrius aiebat: *Vivo ego iam non ego, vivit vero in me Christus,* hoc potiore ratione Deipara Virgo usurpare poterat. Nunquam enim sic soli unitus fuit radius, fonti suo rivus, trunco suo ramus, ferrum candens igni, anima corpori, uti Filio suo coniuncta fuit per amorem haec ter benedicta Virgo. Erat ipse cordis illius cor, animaeque eius anima, quinimmo animae et cordis illius vita. 12 Unio Mariae cum Deo quanta.

Si pie olim de sancta Gertrude dictum est, Redemptorem, si in coelo aut in venerabili Eucharistia praesens non esset, illius in corde quaerendum, quid de Deipara dicere possumus aut debemus, quae perfecta quadam caritate sponsum ac Filium suum semper apud se retinuit? 13 S. Gertrudis amor erga Christum.

Cato senior dicebat, amantis animum in alieno corpore vivere. Nos dicimus Virginis vehementissime amantis animam in Filio non solum corpore, sed animo etiam ac divinitate semper vixisse, potiusque, ut cum d. Bernardo loquamur, ibi fuisse, ubi amabat, quam ubi animabat. 14

Haec Virginis caritatem eximiam sub eleganti metaphora psaltes regius adumbravit psal. 44, 14: *Omnis gloria eius filiae regis ab intus, in fimbriis aureis.* Fimbriae sunt extrema vestimenti pars iuxta terram, et dicuntur aureae, quia nulla pars vestis virginalis, hoc est virtutum ac meritorum fuit terrena, sed aurea. Nedum enim in magnis operibus, qualia sunt oratio, contemplatio, mortificatio, humilitas, etc. Deiparae Virginis caritas tanquam in vestitu deaurato fulgebat, sed etiam minora opera, quae corporis necessitati deserviunt, ut comedere, bibere, dormire, manibus laborare, aurea erant, hoc est caritate plena, et ab omni terrenarum rerum studio vacua. Vides igitur quam aurea fuerit domus ista Dei, et quam apte ei occinitur, *Domus aurea.* 15

Cedant igitur huic domui praeclarissima Romanorum aedificia, Neronis palatium, Diocletiani thermae, Antonini balneae, Severi septizonium, colisaeum Iulii, amphitheatrum pompeianum. 16 Aedificia splendida

Digitized by Google

et magnifica recensentur.

Cedant antiquorum mausolea, regales principum aulae, superba palatia musaico aut corinthio opere fabrefacta. Cedant urbes magnitudine, splendore, opibus toto orbe celebres, Ninive, Babylon, Thebae, Ecbatana, Susa, Memphis, Sparta, Ierusalem, Roma gentium orbis domina. Illa enim manus humana fecit, vetustas consumpsit, adeo ut vix eorum vestigia et nomen in libris supersit; hanc vero supremus omnium Artifex construxit, ornavit, perennavit, in eaque ornanda suae sapientiae, potentiae, atque bonitatis thesauros deprompsisse, atque effudisse quodammodo videtur. Quare in Deipara Virgine singulari ratione cognosci atque denominari potest Deus. Si enim *invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus, et divinitas*, ut Apostolus Rom. 1, 20 ait, quanto magis a Beata Virgine, in qua attributa divina clarius, perfectius ac splendidius relucent.

17 Quadrat quod psalmista psalm. 47, 4 de civitate Dei loquens prophetavit: *Deus in domibus eius cognoscetur*. In singulis enim potentiis, facultatibus, et partibus Virginis, quae erant veluti amplae domus huius magnae civitatis, mirifice cunctis innotescet propter praeclaras virtutes, et eximias animi dotes, privilegia, atque dona, quibus eam exornabit se monet. *Cum suscipiet eam*, hoc est cum eam in Matrem assumet, et ex ea carnem humanam suscipiet. Hoc animo volvens d. Chrysologus serm. 140 ait. *Quantus sit Deus, satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur.*

Quis igitur huius domus, immo palatii tam magnifici ornamenta explicare poterit? Orbis septem aedificia adeo praeclara extitere, ut septem orbis miracula sint appellata, videlicet Aegypti pyramides, turris pharia, babylonici muri, ephesinae Dianae templum, mausolei regis Cariae sepulcrum, solis colossus, Iovis olympici simulacrum. Sed hoc virginali palatio illud poetae usurpare possum: 18 Septem orbis miracula.

Unum pro cunctis fama loquatur opus.

Unum hoc opus, et palatium unum, hoc unum miraculum loquatur fama omnium saeculorum, totiusque aeternitatis. Unum hoc templum plusquam salomonicum laudibus aeternis celebrabitur, quod summum coeli Regem excepit. Amen. 19

FOEDERIS ARCA

Inter ea quae in tabernaculo a Moyse erecto, et in templo Salomonis ad Dei cultum pertinebant, principem dignitatis locum obtinebat foederis arca. Quam ob causam fidelis Ecclesiae chorus postquam Beatam Dei Genitricem celebravit in typo domus Salomonis, eam nunc celebrat in typo arcae foederis. Ordo ad praecedentia.

Duas valde celebres arcas iussu Domini fabricatas in Scripturis sacris invenimus. Unam quam aedificavit Noe ad evadendum universale diluvium: aliam quam fecit Moyses ad recondendum in ea veteris legis testamentum. Ambae Deiparentis typus. In arca Noe adumbratam fuisse Deiparam Virginem eleganter probat d. Bernardus serm. de B. M. Virgine tom. 2: *Arca Noe*, inquiens, *significavit arcam gratiae, excellentiam scilicet Mariae. Sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium, sic per istam peccati naufragium. Illam Noe, ut diluvium evaderet, fabricavit: istam Christus qui est pax nostra et requies, ut humanum genus redimeret, sibi praeparavit. Per illam octo animae tantum salvantur: per istam omnes ad aeternam vitam quae per octonarium numerum significata est, vocantur. Per illam paucorum facta est liberatio: per istam humani generis salvatio. Illa centum annorum fabricata est spatio: in ista omnium virtutum perfectio. Illa facta est de lignis levigatis: ista de virtutibus consummatis aedificata est. Illa superferebatur aquis diluvii: ista non sensit naufragia alicuius vitii.* Addo unum. In arca Noe non solum homines rationales, sed bruta etiam animantia servata sunt in diluvio universali: sub patrocinio Mariae non tantum iusti quasi rationales, verum etiam peccatores velut bruta animantia servantur a damnatione gehennae. Arcae Noe B. V. Maria comparatur et praefertur.

In arca mosaica adumbratam fuisse B. M. Virginem hoc epitheto fatemur, cum eam consalutamus et invocamus: *Foederis arca, ora pro nobis.* Id planius demonstrabimus; prius tamen causam investigare libet.

DISCURSUS CCCLVII

CUR MAGIS TYPO ARCAE FOEDERIS, QUAM ARCAE NOE DEIPARAM VIRGINEM EXORNAMUS ET INVOCAMUS

1 Arcae Noe cum arca foederis comparatio.

In litania hoc titulis quam gloriosis, epithetis illustrioribus honoramus Divam Deiparentem, cui supplicamus. Et quamvis arca Noe extiterit arx totius mundi; arca tamen foederis in multis arcam Noe excellit: ideo ad exprimendam Matris Dei dignitatem magis idonea videtur.

2 1. Arca Noe ex communibus lignis constructa erat, Genes. 6, 14; arca vero foederis ex lignis cedrinis et incomputribilibus compacta, Exod. 25, 10.

3 Arca foederis in multis praefertur arcae Noe.

2. Arca Noe intus forasque bitumine illita, Genes. 6, 14: arca foederis intus ac foris auro mundissimo ornata, Exod. 25, 11. Sicut ergo pretiosior est cedrus lignis communibus, et aurum bitumine: ita arca foederis nobilior est quam arca Noe.

4 3. In arca Noe non solum munda, sed etiam immunda animalia claudebantur, Gen. 7, 2. At vero arca foederis nihil nisi purissimas legis tabulas continebat, 1 Regum 8, 9. Quo igitur lex divina est sanctior, quam immunda animalia, eo arca foederis dignior quam arca Noe.

5 Adami ossa

4. Noe detulit secum in arca ossa Adami praesidium sibi in communi naufragio allatura, ut Barcephas syrus libro 1 de paradiso, cap. 14 scribit. At vero arca foederis non solum intra se, sed etiam prope se mortuorum ossa non patiebatur; nam apud Iudaeos immunditia erat tangere cadavera, vel ossa, vel sepulcra eorum, et qui ea tetigisset, immundus erat septem diebus, ut Num. 19, 16 habetur, et Ioan. 19, 41 de sepulcro Christi in agris, et locis separatis. in arca Noe.

6 Aethiopes cur nigri.

5. Arca Noe impuros homines habuit; licet enim omnes, tam homines quam animantia in arca Noe toto diluvii tempore castitatem servarent; unus tamen Cham minor filius Noe eam violavit, ex eoque congressu Aethiopes prognatos esse, qui corporis nigredine patris malitiam testarentur. Haec scribit rabbi Bechacans, cui consentit d. Chrysostomus homilia 28, et 29 in Genesim, ubi premens verba illa Genes. 9, 18: *Porro Cham ipse est pater Chanaan*, quaerit: Cur solus Cham in arca pater dicatur, et respondet: *Voluit Scriptura per hoc nobis illius intemperantiae impietatem insinuare, et quod neque calamitatis magnitudo illum coercere potuit, neque tanta in arca angustia irrefraenatam illius concupiscentiam sedavit.* Haec igitur in arca Noe gesta sunt. At arca foederis tam sancta erat, ut ad se immundos homines appropinquare minime pateretur. Unde Oza cum labantem ex plaustro arcam sustinere vellet, repentina morte percussus interiit, 2 Regum 6, 7, eo quod nocte praeterita cum uxore rem habuit, ut Hugo cardinalis cap. 11 in acta apostolorum, et alii plurimi tradunt. Tanta igitur arcae foederis sanctitas fuit,

ut omnem immunditiae labeculam prorsus excluderet. Proinde magis sub typo arcae foederis, quam arcae Noe Deipara honoratur et invocatur.

7 Arca Dei B. V. Maria. Nobile sane epithetum, ac titulus multo illustrior *Foederis arca*. Hoc speculantes sancti patres frequenter Deiparentem Virginem hoc titulo decorant. Sanctus Methodius orat. in hypapant. eam vocat *arcam animatam Legislatoris Dei*. Sanctus Ephrem orat. de Deipara *gloriae arcam spiritualem*. Divus Chrysostomus in Liturgia *sacrosanctam arcam*. Andreas cretensis orat. 2 de dormitione *novam arcam, in qua urna aurea, et virga Aaron quae germinavit, conservata fuit*. Et rursum *arcam supermundanam, cuius figura erat arca legalis*. Et rursum orat. de assumpt. ad Deipar. *Salve sis*, inquit, *nova gloriae arca, in qua Dei Spiritus delapsus quievit; arca, in qua novae sanctificatio gloriae*. Sanctus Ildephonsus serm. 1 de assumpt. *arcam novi testamenti, in qua verus Deus versatur non in figura, et in aenigmate, sed in veritate*. Divus Damascenus carmine de annunt. *vivam Dei arcam, quam profanorum manus non tangit*; et orat. 2 de dormit. *sacram et animatam arcam Dei viventis, quae suum in utero concepit Creatorem*. Hesychius presbyter ierosolymitanus homilia 2 de Deipara Beatae Virgini adaptat illa verba psal. 131, 8: *Surge, Domine, in requiem tuam: tu, et arca sanctificationis tuae*. Eadem verba psalmistae accommodant Deiparae Virgini s. Bonaventura in speculo, cap. 2, s. Bernardinus tom. 3, serm. 11, art. 1, cap. 3, s. Antoninus 4 part. tit. 15, cap. 2, et 14, parag. 4, b. Laurentius Iustinianus serm. de nativitate Virginis, et alii communiter. Ecclesia demum catholica hunc titulum approbans in hymno de Deipara sic canit: *Beata Mater munere, cuius supernus Artifex mundum pugillo continens ventris sub arca clausus est*.

8 Divus Ambrosius serm. 80 ad finem Virginem Deiparam Mariam nedum arcae foederis componit, verum etiam praeponit, sic fatus: *Arcam quid, nisi Sanctam Mariam dixerimus? Siquidem arca intrinsecus portabat testamenti tabulas: Maria autem ipsius testamenti gestabat haeredem. Illa intra semet legem, haec evangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat: haec Verbum. Verumtamen arca intus forisque auri nitore radiabat, sed et Sancta Maria intus forisque virginitatis splendore fulgebat. Illa terreno coronabatur auro: ista coelesti.* Ubi vides non solum contulisse Beatissimam Deiparam arcae, sed etiam praetulisse. Iam quae in Scripturis sacris de arca leguntur, Deiparae Virgini adamussim convenire videamus.

DISCURSUS CCCLVIII

QUAM APTE DICATUR B. VIRGO *FOEDERIS ARCA*

1 Arca quatuor nominibus appellatur. Arca veteris testamenti quatuor potissimum nominibus in divinis litteris appellatur. 1. *Arca foederis*, Numer. 10, 33, eo quod in ea tabulae legis, per quam Deus cum Iudaeis foedus percusserat, asservarentur, 3 Regum 8, 9, 2 Paral. 5, 10. Consequenter tabernaculum ab arca quam continebat, vocatum est tabernaculum foederis, Numer. 17, 4, Levit. 24, 3, idque metonymice. 2. *Arca testimonii, vel testamenti*, Exod. 25, 22, et 30, 26, quia continens tabulas decalogi continebat attestationem legis divinae, ea quae Deus testatum reliquit, quid velit ab hominibus fieri. 3. *Gloria Israel*, 1 Reg. 4, 21: *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei*. Gloria Israel dicitur, quia per eam Deus edebat oracula, miracula, tutelam ac protectionem quibus populum Israel reddebat celebrem, ac gloriosum apud omnes gentes. 4. *Arca Dei. Capta est arca Dei*, ibid.

Nunc venismus ad Sanctissimam Deiparam, non tantum legis, sed etiam legislatoris arcam.

2 Arcae foederis comparatur B. V. Maria. 1. Ipsa est vere foederis arca universis hominibus in signum foederis data. Ipsa est mater misericordiae, et veluti signum, seu praenuntia misericordiae per Christum Filium eius hominibus praestita. Ipsa est arca testimonii, et testamenti; per eam namque Deus testatus est amorem suum erga homines, et quid vellit ab hominibus sibi praestari, quem amorem pro tanta dilectione rependi in ipsa testatum reliquit. Ipsa est gloria populi christiani; per eam enim Deus genus humanum extulit, cum ex eius sanguine corpus nostrum formatum, et assumptum suae personae univit; cum mundum redemit; cum gratiam perditam restituit, et gloriam amissam donavit; cum eam veluti Reginam a dextris suis sedere fecit; cum advocatam nostram, matrem nostram fieri voluit. Quare merito illud ei congruit, quod ab universo populo est acclamatum, Iudith 15, 10: *Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri*. Quocirca Stephanus rex Hungarorum maximo sibi suoque regno ornamento duxit, cum Hungariam Virginis familiam appellari voluit. Religiosi quoque Ordines Deiparae patrocinio adeo gloriantur, ut suam erga eam observantiam ipso nomine, vel habitu, vel alia quapiam ratione testatam velint. De quo late disseruimus in epitheto *Virgo veneranda*. Est demum arca Dei, in qua Deus ipse novem mensibus habitare, et ex ea carnem nostram pro totius generis humani redemptione assumere dignatus est. Hungaria Virginis familia olim dicta.

II. Arca foederis in tabernaculo a Moyse erecta inter ea quae ad templum pertinebant, nimirum mensam propositionis, candelabrum, altare thymiamatis, altare holocausti, et cetera vasa principem dignitatis locum obtinebat. Erat enim collocata in medio inter Sancta Sanctorum, sicut lignum vitae in medio paradisi, et sicut sol in medio astrorum. Ita Virgo Beatissima in Ecclesia inter omnia huius mystici corporis cuius caput est Christus, membra excellit, adeo ut nulla creatura ei aequiparari possit. Divus Bernardus serm. 1 de assumpt. *Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in coelis regali solio, quo Mariam Mariae filius sublimavit*. Hinc luna sub pedibus eius ponitur, quia tota Ecclesia, et militans et triumphans per lunam significata Beatissimae Virginis pedibus subiicitur; totam enim ipsa Virgo gratiarum ac meritorum culmine supergreditur. Iustorum capitibus diademata, seu mediae lunae honoris gratia imponuntur: virgineis tamen pedibus luna subiicitur, quia sanctorum fastigium est Virginis fundamentum iuxta illud psal. 86, 1. *Fundamenta eius in montibus sanctis*. Et Isai. 2, 2: *Mons domus Domini in vertice montium*. Et Eccli. 24, 13: *In electis meis mitte radices*. Et v. 16: *Et radicavi in populo honorificato*. Ubi enim aliorum sanctorum capita collocantur, ibi Sanctissimae Virginis pedes inseruntur: cacumina meritorum, ac gloriae aliorum sanctorum radices sunt et fundamenta Deiparae Virginis, hoc est ubi aliorum sanctorum virtutes suam plenitudinem et verticem habent, ibi Sanctissimae Virginis pedes, hoc est initia meritorum exordiuntur. 3 Excellentia B. V. Mariae inter sanctos.

Arca illa foederis in medio stabat: Deipara Virgo in medio stat inter Deum et puras creaturas, hominem cum Deo ligans, connectens, uniens. Unde apte per collum significari solet, sicut enim collum in corpore naturali altius est ceteris membris, et solum caput supra se habet: ita B. V. Maria in corpore mystico Ecclesiae ceteris sanctis eminet, et solus Christus loco et dignitate eam superat. Collum membra cum capite unit, B. Virgo fideles Deo reconciliat. Hinc advocata nostra, mediatrix nostra dicitur. In medio stat, quia est velut canalis medius, per quem a fonte vivo, puta a Deo, fluunt ad nos aquae vivae et fluenta gratiarum. Ipsa est scala Iacob, per quam quasi medium ab extremo ad extremum, puta e terra in coelum ascendimus. 4 Collum cur dicta B. V. Maria.

III Arca foederis tam sancta erat, ut ad Deum proxima accederet. Hinc in Scripturis sacris frequenter arca illa Deus appellatur. Moyses arcam allocutus Num 10, 35, 36 dicebat: *Surge Domine: Revertere Domine*. In hebraeo est: *Surge Iehovah: Revertere Iehovah*. Exodi quoque 27, 21 dicitur de candelabro: *Usque mane luceat coram Domino*, id est coram arca. Ibid. 28, 30 de Aarone dicitur: *Ingredietur coram Domino*, id est coram arca. Et 30, 8 de summo sacerdote dicitur: *Uret thymiama sempiternum coram Domino*, id est coram arca. Iosue divisurus terram 18, 6 ait ad populum: *Huc venietis ad me, ut coram Domino Deo vestro mittam vobis hic sortem*, id est coram arca. *Omnes tribus Israel steterunt in conspectu Domini*, Iosue 24, 1, hoc est in conspectu arcae. David item psal. 131, 5 arcam Deum appellat: *Donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob*, id est arcae cui templum aedificandum curabat; et psal. 67, 8: *Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto*, de arca loquitur; cum enim arca praecederet, Deus praecessisse aperte dicitur. Ipsi etiam Philisthaei, ubi cognoverunt quod arca Domini venisset in castra, 1 Reg. 4, 7, timuerunt, dicentes: *Venit Deus in castra*. Tanta igitur sanctitate arca pollebat, ut ipso Dei nomine gauderet, ac Dominus passim diceretur. 5 Arca foederis Deus appellata.

Non minore sanctitate ipsa Deipara Virgo pollebat; tam enim proxime ad Deum accessit, ut non solum divinitatem redolere, sed quodammodo habere videretur. Magnus ille theologus Dionysius areopagita, cuius in hoc opere saepius meminimus, cum 6 Deo appellata B. V. Maria, et quomodo.

in conspectu Virginis adductus fuisset, parum abfuit, quin eam verum Deum credidisset, ut ipse in epistola quam ad d. Paulum scribit, ingenue fatetur. Sanctus Gregorius nazianzenus orat. de Christ. infan. et Petrus Damianus serm. 2 de nativ. B. Mariae Virginis eandem appellant *Deam*, intellige non per essentiam, sed per participationem. Guerricus abbas serm. 2 de assumptione Christum Dominum cum Beata Virgine iam moritura introducit ita loquentem: *Veni electa mea*, etc. *Communicasti mihi quod homo sum: communicabo tibi quod Deus sum.*

Philisthaei idolorum cultui dediti arcam Deum nuncuparunt. Collyridiani haeretici Virginem Deum appellaverunt, quos refert et damnat d. Epiphanius lib. 3 Panarii, haeresi 79. Verum sicut Philisthaei diverso modo ab Hebraeis arcam foederis Deum appellarunt: (putabant enim illam arcam esse Deum verum Hebraeorum, in illaque numen aliquod contineri, quod modo in illum locum transferretur; sed Hebraei neque arcam verum Deum esse credebant, neque arca verum Deum circumscribi, sed externos divinae praesentiae effectus in ea praecipue demonstrari) ita catholici diverso modo ab haereticis B. Virginem Deam appellant. Haeretici enim naturam divinam ei inesse putabant: catholici vero solum divinam naturam participare credunt, Deam non per naturam, sed per gratiam praedicant, quemadmodum et alios sanctos, qui in Scripturis dii appellantur, psalm. 81, 6: *Ego dixi: dii estis*. Et Exod. 7, 1 Dominus ad Moysen ait: *Ego constitui te deum Pharaonis*. Tametsi hanc divinitatem B. Virgo Maria excellentius aliis participavit.

7
Arca foederis nullam impuritatem circa se patiebatur.

IV. Arca illa foederis tantae sanctitatis erat, ut nullam impuritatem in se et circa se pateretur: unde propior ad eam accessus vulgaribus hominibus non patebat. Quod si quis alicuius sceleris conscius accedebat, impunitus non abibat; quod in multis patuit. Moyses superatis Madianitis captivas feminas sic distinxit, ut honestis quidem parceret, impuras autem iugularet, ut habes Num. 31, 17. At quo pacto has ab illis dignoscebat? Post varias coniecturas Abulensis et Cornelii a Lapide haec valde probabilis ratio est, quam Hebraei assignant, et approbat Mendoza in librum 1 Reg. cap. 4, annot. 11, sect. 1. Quod scilicet omnes feminae

Arca Dei feminas impuras ante se non patiebatur.

coram arca praesentabantur: et honestae quidem persistebant incolumes, impurae vero tanquam aliqua occulta vi perculsae corruebant ac si stare non posset coram arcae sanctitate illarum improbitas feminarum. Idem patuit, quando Iosue certus de furto ac sacrilegio quod in populo commissum fuerat, sublata regula aurea de anathemate ierichontino, et incertus de furti et sacrilegii auctore sortibus rem definivit, et criminis artificem deprehendit, Iosue 7, 14. Sed qualis fuerit haec sortitio in littera non exprimitur.

Arca Dei fures occultos prodebat.

Talmudici affirmant omnes Israelitas ante arcam transire iussos, et reliquis impune ac libere abeuntibus, solum criminis reum iniecta manu ab arca ita retentum, ut ne pedem quidem ulterius movere potuerit: ac si ante sanctitatem illius arcae clarissime radiantem occultari non posset illius ac sacrilegii turpitudo. Idcirco Deus imposuit summo sacerdoti sanctuarium ingressura, Levit. 16, 4. *Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit; accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti: haec enim sunt vestimenta sancta*. Cur hic nulla vestis serica, nulla lanea, sed omnes lineae arcam adituro sacerdoti

Linum munditiem significat.

tribuuntur? Linum munditiem et sanctimoniam significat. Primo, quia est mundissimum, et multo melius detergit sordes, quam lana, quia lavari potest. Secundo, quia lanea, et serica tingi, et fucari possunt; ut linum simplicitatis amans tincturam omnem et fucum respuit: est ergo symbolum animi simplicis et candidi, qui omnem fictionem respuit. Cum igitur pontifex arcam aditurus lineam vestem sumere iubetur, munditiès, simplicitas, candor, sanctimonia ei praecipitur, quasi tanta fuerit arcae illius sanctitas, ut nihil coram illa deberet apparere immundum. Unde et David accinctus ephod lineo saltabat totis viribus ante Dominum, 2 Reg. 6, 14. Ad haec arca illa tam pura, tam sancta erat, ut ob illius praesentiam castra Hebraeorum pura et sancta esse deberent, ita ut in se neminem impurum paterentur, ut multis potest constare argumentis. Nam qui lepra aut macula legali laborabant, a castris recedere iubebantur, Num. 5, 2. Item qui revertebantur de caede Madianitarum, manebantur septem diebus extra castra, donec a sanguine quem effuderant, a caede recenti expiarentur, Num. 31, 19, 24. Tandem qui ex gentibus iudaismum profitebantur, antequam profanos ritus dediscerent, et pristinae superstitionis contractas sordes penitus eluerent et abolerent, a castris exulabant, Iosue 6, 23. Haec omnia ob arcae quae in mediis castris colebatur, sanctitatem et puritatem fiebant, ut Andreas Masius super cap. 6 Iosue notavit. Unde antequam arca fieret, gentiles cum Hebraeis de Aegypto egressi promiscue in castris morabantur, Exod. 12, 38. At ubi arca fabricata est, mox gentiles, et quicumque immundi a castris Hebraeorum arceri coeperunt.

8
Puritas B. Virginis quanta.

Haec tam eximia arcae sanctitas et munditia puritatem B. V. Mariae egregie adumbrabat; ipsa enim in corpore et animo purissima, sanctissima et innocentissima fuit. *Uterus eius*, inquit Rupertus, *nulli carnali commercio accessibilis, nec mens ulli spirituali nequitiae fuit unquam penetrabilis*. Ubi nota illa verba, *accessibilis*, et *penetrabilis*, quae non modo peccandi actum, verum etiam potentiam peccandi excludunt. Nullus impurus ad eam unquam accessit, immo quotquot ad eam accedebant impuri, purificabantur, puri adhuc magis sanctificabantur, ut in epitheto *Mater castissima* probabam. Et hodie videmus ad domum lauretanam, Clarum-montem, Gildas, aliaque loca, in quibus prodigiosae Deiparentis imagines prostant, et religiose coluntur, impuris, hoc est sacrilegis, concubinariis, adulteris, homicidis, sicariis, aliisque vitiis scatentibus accessum non patere. Quod si quis alicuius immanis sceleris conscius ad Virginis icones miraculis clarescentes accedere praesumit, impunitus non abit. Novi

Gildensis imago B. V. Mariae impuros circa se non patitur.

ego sacerdotem quendam turpi vitio carnis infamem, ad alia altaria in nostra ecclesia gildensi, licet sacrilege forsan, impune tamen sacris operatum fuisse; ut ubi ad altare maius in quo sacrae Dei Genitricis iconcula prostat, accessit, mox tanquam aliqua occulta vi perculsus tremebat, corruebat, missam inchoatam deserere, et ab altari recedere cogebatur, ac si impuritatem eius Beata Virgo abhorreret. Unde quod de Deo cecinit David psal. 5, 6: *Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos*, hoc ipsum de B. M. Virgine dici potest, quae neminem apud se maligno seriam poenitentiam non agenti patrocinatur, nec locum concedit. Hinc d. Damascenus carmine de annuntiatione D. M. Virginis eam appellat *arcam Dei*, *quam profanorum manus non tangit*.

9
Arca foederis in quanta veneratione fuerit.

V. Arca illa foederis summe veneranda erat. Abulensis in c. 23 Exodi, quaest. 28 ait, solam arcam maioris reverentiae fuisse, quam totum tabernaculum. Unde David psalm. 131, 7: *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius*. Divus Hieronymus vertit: *Adorabimus scabellum pedum eius*, hoc est arcam, de qua 1 Paral. 28, 2: *In qua requiesceret arca foederis Domini, et scabellum pedum Dei nostri*; et psalm. 98, 5: *Adorate scabellum pedum eius*, hoc est arcam, qua Deus veluti scabello utebatur: *Quoniam sanctum est*. Sic enim sanctuarium in interiore parte tabernaculi constructum erat, ut arca esset quasi scabellum pedum Domini, et super arcam esset propitiatorium quasi sedes Domini, quae tenebatur a duobus cherubim. Dum igitur ait: *Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus scabellum pedum eius*, aperte maiorem reverentiam arcae quam totius tabernaculi indicat. Hinc etiam Salomon novum Deo templum construxit, novam tamen arcam non fabrefecit; quia tabernaculo aliud templum augustius esse poterat, arca vero foederis nulla sanctior inveniri potuit. Quo fortasse mysterio praecipitur Moysi, ut arcae coronam auream imponat. Exod. 25, 11: *Faciesque*, ait Deus, *supra coronam auream per circuitum*, ut ob hoc signo arca facile princeps ac regina omnium videretur. Hinc etiam sacerdotibus ac primariis hominibus arca multum eminebat. Sacerdotibus quidem, quia eorum humeris portabatur, Iosue 3, 6; primariis autem hominibus, quia hi sacerdotum pedibus suos humeros subiiciebant, ut patet ex iis, quae Deus in in libro Iosue 4, 3 ad eum dixit: *Elige duodecim viros, singulos per singulas tribus, et praecipe eis, ut tollant de medio Iordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides*. En ut lapides sacerdotum pedibus paulo ante subiecti paulo post humeris principum imponuntur. Principes enim fuisse non ambigo quos Deus non utcumque obvios, sed diligenter electos huic muneri destinavit. Unde fit, ut utrisque arca sua sanctitate praecellat, et cunctis sacerdotibus ac principibus venerabilior sit. Adde, tantam fuisse apud Hebraeos arcae illius reverentiam, ut nemini liceret sedere iuxta illam, sed omnes ante illam procumbebant, eamque cernui venerabantur, ut patet ex illo psalm. 98, 5: *Adorate scabellum pedum eius*, id est, prosternite vos ad scabellum pedum eius, puta arcam. Hebraeum enim *histachavu* pro quo nos habemus *adorate*, proprie significat prosternere, ut hic Bellarminus adnotavit. Haec fuit arcae illius veneratio.

Digitized by Google

10 At Deipara Virgo Maria magis est veneranda, cui imperatores, reges, principes, orbis monarchae de via decedunt, immo de curribus deauratis adoraturi desiliunt: cui pontificum dignitas, sacerdotum potestas nudum caput inclinat: cui iudicum auctoritas non fasces, secures solum, sed caput ipsum et colla submittit: cuius imi vestimenti fimbriae, soleae, sandalia omnibus regum sceptris, coronis, diadematibus potiora, nobiliora, pretiosiora sunt. Sed quam sit veneranda Virgo, fuse monstravimus in expositione epitheti *Virgo veneranda* et *Vas honorabile*. Inde pete, et praesentem locum dilata, illustra, exorna.

11 Arca foederis miraculis coruscabat.

VI. Arca illa foederis magnis miraculis coruscabat. Hinc arca fortitudinis dicebatur psal. 131, 8: *Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae*, in hebraeo habetur: *Tu et arca fortitudinis tuae*. Et hoc modo legitur 2 Paralip. 6, non solum in textu hebraico, sed etiam in graeco et latino. Arca autem fortitudinis Dei dicitur, quia per eam ostendit Deus fortitudinem suam; nam Iosue 3, cum arca intrasset Iordanem, portantibus eam sacerdotibus, continuo aquae Iordanis conversae sunt retrorsum. Item Iosue 6, cum arca septies civitatem Iericho circuisset, muri Iericho corruerunt. Item lib. 1 Regum 5, cum arca capta fuisset a Philisthaeis, et posita in templo idoli Dagon, mane sequenti inventus est Dagon iacens pronus in terra coram arca, et quocumque circumferretur arca a Philisthaeis, interficiebat innumeros homines, ut Philisthaei dicerent: *Non maneat arca Dei Israel apud nos: quia dura est manus eius super nos, et super Dagon Deum nostrum*. Denique Bethsamitae cum arcam Dei ad se delatam curiose inspexissent, occisi sunt quinquaginta millia ex ipsis, 1 Regum 6, et cum Oza tetigisset arcam Dei, continuo a Deo occisus est, 2 Reg. 6. Haec miranda contigerunt circa arcam foederis.

12 At longe mirabilior est arca Deipara Virgo Maria in quam Deus sapientiae, ac potentiae suae thesauros abunde effudit. Unde illa omnis idola evertit, haereses exterminavit, daemonis caput contrivit, et aerearum potestatum munitiones dissipavit, et usque in praesentem diem dissipat, ut in epitheto *Virgo potens* superius monstrabam. Aquae Iordanis per hanc arcam dividuntur, cum aquae tribulationum ab angustiatis et oppressis Deiparae patrocinio repelluntur, ita ut inoffenso pede divino fulti auxilio per eas transire valeamus. Victus et exanimatus Dagon, hoc est daemon, ante eam procumbit; Philisthaei hanc arcam fugiunt, quia diabolus eam pertimescit. Neque solum B. Virginem, sed etiam ipsius cultores sibi devotos diabolus timet. In cuius rei typum, postquam Iudith Holophernem eiusque exercitum profligavit, statim subditur Iudith 16, 30: *In omni autem spatio vitae eius non fuit qui perturbaret Israel, et post mortem eius annis multis*. Sicut igitur hostes visibiles, non solum eam viraginem a qua victi fuerant, sed etiam imbellem plebeculam, quae sub eius patrocinio tenebatur, formidabant: ita hostes tartarei non solum Beatam Virginem, sed quoscumque illa suo patrocinio defendit, pertimescunt. Beata Virgo aliquando s. Birgittae haec narravit, ut lib. 1 revelationum eius, c. 9 scribitur: *Nullus in vita hac est tam frigidus ab amore divino, quin si invocaverit nomen meum cum integro proposito poenitendi, statim ab ipso diabolus recedet*. Tot denique miracula per Deiparam Virginem Deus operatur, ut iustum volumen mihi conficiendum esset, si singula enumerare vellem, uti ante me fecerunt quotquot de rosario, ac miraculis D. M. Virginis libros exararunt. Et ego in hoc opere non pauca miracula ex occasione materiae quam tracto, congessi, praesertim cum de formulis precum, imaginibus, templis, festivis diebus, religiosorum Ordinibus, saecularium confraternitatibus in honorem B. M. Virginis institutis agebam.

Diabolus Mariae devotos quantum formidet.

13 Arca arx Israelitarum.

VII. Arca illa foederis fuit quaedam arx, sive turris fortitudinis, quae Israelitas tuebatur: unde in castris et alibi medium eorum locum obtinebat, ut ab omnibus misericordiam imploraturis aequaliter adiretur. Divus Athanasius libro de interpretatione psalm. ad Marcel. *Arca*, ait, *sufficiebat illis pro quavis acie in subsidium: arcae praesentia causa fuit triumphorum, absentia ruinarum*. Hinc cum contra Amalecitas et Chananaeos infeliciter dimicassent, multis plagis percussi ac trucidati statim huius calamitatis causam in arcae absentiam retorserunt, Numer. 14, 44. Sed quoties in praesentia arcae pugnaverunt, maxime in deserto, semper victores evaserunt. Arca circumeunte, labefactati muri Iericho ceciderunt, Iosue 6, 4. Saul, praesente arca Domini, de Philisthinis victoriam reportavit, 1 Reg. 14, 18. Ioab ad praesentiam arcae de Ammonitis victoriam tulit, cum eorum urbem Rabbath expugnavit, uti 2 Reg. 12, 26 insinuatur. Hinc Moyses cum elevaretur arca, dicebat: *Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te a facie tua*, Numer. 10, 35. Illa enim exurgente, dissipabantur inimici Dei, et fugiebant qui oderunt eum a facie eius.

Victoriae Israelitarum in praesentia arcae.

Beatissima Virgo Maria est nobis tanquam arx fortissima, et turris munitissima, ut superius monstravimus in epitheto *Turris davidica*, ad quam omnes confugiunt, quam omnes requirunt, quam omnes in quibusvis necessitatibus suis invocant. *Ad illam*, inquit d. Bernardus serm. 2 in Pentecosten, *sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium saeculorum respiciunt universi, et qui in coelo habitant, et qui in inferno, et qui nos praecesserunt, et qui sequentur, et nati natorum, et qui nascentur ab illis*. 14

VIII. Arca illa foederis apud Hebraeos aduci consueverat ad pugnas praesertim difficiliores auxilium praebitura. Ita D. Virgo Maria apud christianos, cum aliqua communis calamitas urget, in publicis supplicationibus invocatur, eius sacra icon devote in processionibus circumferri solet. Peracto feliciter bello illi victoria adscribitur, illa in triumpho portatur, ut multis exemplis imperatorum, regum, principum, ducum id monstrabam superius, cum de processionibus in honorem Virginis institutis agebam. Porro quam saepe ope Dei Genitricis christiani in bellis victores evaserunt, inferius monstrabo, cum epithetum *Auxilium christianorum* explanabo. 15

IX. Arca illa constructa erat ex lignis setim, Exod. 25, 10. 16
Ligna setim in Arabiae desertis enascuntur, et quidem pulcherrima sunt, fortissima, celsa, speciosa, imputribilia, levia, odorifera atque candida, teste divo Hieronymo in Isaiam, cap. 41, et in Ioel. c. 3. Ex talibus lignis constabat arca foederis mystica Maria. Ligna setim singulares, heroicas, atque eximias Deiparae virtutes significant. Virginis enim virtutes ad omnem hostium impetum sustinendum fortes: proceritate sua Deo proxima spirituali pulcritudine, ac decore ad sui dilectionem vel ipsum Deum qui concupivit speciem eius, allicientes: omni pondere peccatorum carentes: boni exempli odore fragrantes: contra omnem cariem atque putredinem vitiorum divinitus ita munitae, ut essent prorsus inamissibiles. Denique puritate sua atque candore omnibus conspicuae et illustres.

Ligna setim qualia.

Ligna setim B. Virginem adumbrant.

Quod si ligna setim ad corpus etiam Beatae Mariae referre velimus, illud in sua specie et sexu fuit maxime pulcrum, imputribile ac perfectum, siquidem nullam unquam corruptionem vidit; post mortem enim tertia die animae iterum unitum in coelum commigravit, ut superius ostensum est. Vide quae diximus in primo volumine de pulcritudine corporis B. M. Virginis disc. CXXXII, et CLXXVIII.

Deinde corpus Virginis imputribile fuit, quia nullos unquam vermes impuros cogitationum fovit, qui eius castitatem arrodere, vel quoquo modo labefactare possent. Nostra castitas in arcis servatur, id est corporibus, quae ut putribilia ligna vermes multos gignunt, id est appetitiones et cogitationes a quibus corroduntur, nisi celerrime perimantur. Sed Virginis castitas in arca servabatur, id est in corpore imputribili, quod nullos unquam vermes fomitis, sive concupiscentiae sensit, ut superius multoties docuimus. 17

Corpus B. Virginis quam purum et castum.

X. Arca foederis intus et foris deaurata erat, Exod. 25, 11. 18
Maria intus et foris auro caritatis exornata. Intus amore Dei, foris caritate proximi radiabat; vel intus et foris deaurata erat, quia interiore et exteriore cultu Deum venerabatur. Intus vitam contemplativam, foris vitam activam exercebat. Intus rerum divinarum ac coelestium meditationi attendebat, foris circa frequens Christi ministerium occupabatur, proximos bono vitae suae odore et exemplo aedificabat. Vel intus et foris deaurata erat, quia mira tum animae tum corporis pulcritudine praedita erat. In corpore modestia, morum ac gestus gravitate fulgebat. Nubem quae solem complectitur, deaurat ille, suisque radiis vestit: eundem in modum Sol iustitiae Virginem, quae eum suo utero complexa erat, gratiae suae splendore deauravit, totamque amicivit, illustravit, inflammavit. Hinc Sponsus ad eam Cant. 4, 1: *Quam pulcra es*, inquit, *amica mea, quam pulcra es!* Bis pulcram dixit: quia tum in anima tum in corpore pulcherrimam vidit.

B. V. Maria intus et foris deaurata.

XI. Arcae foederis inerat corona aurea, quae circumdabat illam, Exod. 25, 11. Arca mystica Maria auream coronam habet. 19

Digitized by Google

Aurea corona summum eius imperium ac regiam dignitatem denotat; regum quippe insigne est corona. Ipsa Dei Genitrix cum sit consequenter omnium sanctorum et angelorum regina, est ac totius orbis Domina, ut fusius dicemus inferius in epitheto *Regina angelorum*.

20 XII. Arca foederis annulos habebat quatuor aureos in angulis, vectesque duos de lignis setim auro convestitos, quibus ferebatur, Exodi 25. Annuli quatuor aurei cum vectibus duobus, et aurum quod eos tegit, septem sancti Spiritus dona significant, quibus anima Beatae Virginis ex impetu Spiritus sancti ad omnia virtutum opera promptissime movebatur. Sanctus Thomas doctor angelicus 1 2, quaest. 68, art. 1 inter virtutes et dona Spiritus sancti differentiam investigans, eamque inveniens ait virtutes esse habitus hominem perficientes ad hoc, ut imperium atque motionem rationis prompte sequatur. Dona vero esse habitus perficientes hominem ad hoc, ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione divina, sicut dicitur Isaiae 50, 5: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico*. B. V. Maria ad omnia virtutum opera tanto erat promptior, quanto Deo vicinior, utpote Dei Filia, Sponsa, Parens. Consequens ergo est, eam septem donis Spiritus sancti cumulatissime perfusam fuisse, quibus a Spiritu sancto promptissime movebatur.

Virtutes et dona Spiritus sancti quomodo differant.

21 XIII. Arca illa operiebatur propitiatorio, seu oraculo de auro mundissimo, ex quo Deus responsa dabat, ac populo propitius reddebatur. Exodi 25, 17: *Facies et propitiatorium de auro mundissimo*.

22 Hoc propitiatorium optime B. Virginem adumbrat. 1. Propitiatorium erat super arcam: Beata Virgo omnes sanctos gratia et gloria transcendit, ut in epitheto *Regina sanctorum omnium* patebit. 2. Propitiatorio iungebatur arca per cardines secundum illos, qui putant propitiatorium fuisse tegmen arcae: Beata Virgo gratia et gloria iungitur gratiae et gloriae aliorum sanctorum, quia tota a Christo veluti fonte emanat. 3. Propitiatorium totum erat ex auro: Beata Virgo Maria tota aurea, ut in epitheto *Domus aurea* monstratum est. 4. Propitiatorium erat thronus et sedes Dei: Beata Virgo Maria est thronus et sedes Dei, ut in epitheto *Sedes sapientiae* deductum est. 5. Propitiatorio secundum s. Thomam 1 2, qu. 102, art. 4 ad 6 erat tabula aurea super alas cherubim quasi ab ipsis cherubim portata: Beata Virgo Maria super omnes choros angelorum est exaltata, unde quasi in eorum humeris portatur. 6. Propitiatorium inde dicebatur, quod exinde populo Deus propitiaretur ad preces summi sacerdotis, ut s. Thomas loco iam citato docet: Beata Virgo Maria Deum contra hominum scelera iuste succensum suis precibus propitium reddere non cessat. Quare sancti patres eam passim appellant *propitiatorium universae terrae*, ut in epitheto *Domus aurea* latius monstravi.

Propitiatorio comparata B. V. Maria.

23 XIV. Arca foederis duos cherubim aureos ex utraque parte oraculi habebat, Exod. 25, 18. Duo cherubim qui, interprete d. Hieronymo in Ezechielis caput 10 plenitudinem scientiae sonant, intellectum et memoriam B. Virginis significant, quod paulo superius in expositione epitheti *Domus aurea* fusius explanavi.

24 XV. In arca illa veteris testamenti erat urna aurea habens manna, virga Aaron quae fronduerat, et tabulae testamenti, ut Apostolus testatur scribens ad Hebraeos 9, 4. In Maria veluti in urna aurea erat manna illud coeleste, quod fidelibus in cibum et potum exhibetur in Eucharistia, corpus inquam Christi, quod in utero Virginis novem mensibus continebatur.

25 Corpus Christi in Eucharistia manna est. 1. Nam sicut manna illud erat absque semine, absque aratione, aut alio humano opere ab angelis factum; ita Christi corpus ex sola Virgine absque virili semine, sola Spiritus sancti irroratione conceptum et natum est. 2. Manna de nocte invisibiliter descendebat de coelo, Num. 11, 9; Christus in nocte, hoc est in fidei statu se exhibet in Sacramento. 3. Manna circa Hebraeorum dumtaxat castra descendebat, qui erant tunc populus, et Ecclesia Dei; Christi Corpus nunc solum conficitur, conservatur, et sumitur in Ecclesia. 4. Manna soli expositum liquefiebat, et tamen ignem ferre poterat; coquebatur enim, et durum solidumque reddebatur; Eucharisticum manna amoris ignem, rationeque ab ea ac fide profectas facile sustinet: at curiositatis humanae importunitatem, quae ad solem hoc est evidentiam rationis naturaleque tantum lumen profundissimum atque abditissimum mysterium exigit, ferre non potest. 5 Sive parum sive multum mannae colligeretur, tantum quisque reperiebat apud se, quantum illi necessarium erat; in Eucharistia non minus integer accipitur Christus in parva, quam in magna specierum quantitate. *Memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur*. 6. In manna illo abscondebatur dulcedo; in Eucharistia sub specie panis absconditur Christus. 7. Manna Hebraeis omnem saporis varietatem dabat. Sap. 16, 20: *Panem de coelo praestitisti illis omne delectamentum in se habentem*; corpus Christi omnem dulcedinem spiritus sumenti confert. 8. In manna erat sapor carnis sine carne, et piscis sine pisce, et accidens sine sua substantia; in Eucharistia est sapor panis et vini sine pane et vino, et accidentia utriusque sine substantia ipsa. 9. Manna illud erat minutum; Christus parva hostia est circumscriptus. 10. Manna pilo tusum fuit; Christus pilo crucis ac mortis contusus est. 11. Manna illud omnes ad aequalem mensuram, nimirum gomor colligebant; Christum aequaliter omnes recipiunt, etsi species sive hostia maior sit aut minor. 12. Manna nonnisi relictis ollis aegyptiacis dabatur; Christus nonnisi iis qui carnis voluptatibus vale dixerunt, digne sumendus datur. 13. Manna non datur, nisi post transitum maris; Eucharistia non datur, nisi baptismo initiatis. 14. Manna infidelibus et avaris vertebatur in vermem; Eucharistia indigne sumentibus vertitur in mortem. 15. Manna sex diebus tantum in deserto colligebatur, sabbato vero minime; Christus in Eucharistia sex diebus tantum in deserto praesentis vitae sub velamine sumitur, in sabbato requiei aeternae omne velamen cessabit. Hoc manna S. V. Maria in suo utero velut urna aurea continuit. Quare Andreas cretensis serm. de dormit. eam salutat: *Salve urna aurea, quae cum fers, qui dulce manna reddit*. Sanctus Ephrem orat. de de laud. Virg. eam nominat *urnam pulcherrimam*, *quae verum manna gestat*. Divus Damascenus orat. 1 de dormit. Beatae Virginis *dulcem mannae urnam*.

Eucharistia mannae comparata.

Vel primo per manna intelligitur Deiparae misericordia dulcissima, qua materno affectu apud Filium homines defendit atque excusat: hinc Mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra dicitur. 26

Secundo in Maria erat virga Aaron quae fronduerat: virga frondens est Christus puer, florens est adolescens, fructificans est vir nos redimens. Rursus virga est Christus, fructus amygdalinus est Christi doctrina, exterius prima fronte amara, interius suavissimo scientiae ac sapientiae sensu pleno. Iterum virga est Christus, quae instar amygdali primo floruit, nam primus resurrexit. *Christus est primitiae resurgentium*. Christus ergo a mortuis resurgens est virga per potentiam, flos per fragrantiam, fructus per saporis dulcedinem, frondes per sedulam protectionem, qua suos ab aestu tentationum protegit, ac tuetur. Ita s. Bernardus homil. 2 super *Missus est*. Vel fructus, et frondes huius virgae sunt quatuor dotes corporis gloriosi, scilicet agilitas, claritas, subtilitas et impassibilitas. Ita s. Augustinus serm. 99 de tempore. 27

Tertio in Maria erant tabulae testamenti, quia in voluntate eius mandata Dei sic custodiebantur, et ne tenuissimum quidem unguem ab illis discederat. Voluntas Virginis arca erat voluntatis Dei, lex Dei, arca voluntatis Virginis, iuxta illud: *In lege Domini fuit voluntas eius*. De hoc alibi nos dixisse meminimus. 28

XVI Ante arcam illam velum ex hyacintho, purpura, cocco, byssoque pulcra varietate contextum appendebatur, ut Exodi ultimo legitur; arca enim, ut dicebam, ad Deum proxime accedebat. Unde sicut Deus propter infinitam excellentiam naturaliter videri nequit, iuxta illud 1 ad Timoth. 6, 16: *Qui lucem inhabitat inaccessibilem*; ita et arca in sanctuarium abdita a nemine videbatur propter eximiam eius sanctitatem. Et sicut seraphini qui illum trysagium hymnum, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, Domino canentes facies suas velabant, Isai. 6, 2, existimantes se indignos, qui supremam illam Dei maiestatem intuerentur: ita et Israelitae illud sanctitatis monumentum frequenter quidem praedicabant et implorabant, sed videre non audebant, ne morerentur. Haec enim poena huic temeritati imponebatur, Num. 4, 15. Hinc si quispiam arcam nudam non dum tangere, verum et aspicere ausus fuisset, morte moriebatur, ut videre est in Bethsamitis, e quibus septuaginta viri, de populo vero quinquaginta millia plebis divinitus percussi ceciderunt, 1 Reg. 6, 19, eo quod arcam Domini nudam, se suis involucris detectam aspexere. 29

Ad eum modum nobilior arca Deipara Virgo cooperta erat. Velum illius fuit matrimonium illud de quo s. Matthaeus 1, 18: *Cum* 30

Matrimo-

Digitized by Google

ruum B. Virginis tutelatur. *esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Hoc velo virginalis eius fulgor, Matris Dei dignitas, et incarnationis abditissimum mysterium contectum, honorque defensus erat. O quam mira varietate velum hoc ex coelesti hyacintho, regia purpura, candidaque bysso contextum est! Coeleste plane hoc matrimonium fuit ut hyacinthus quod coelorum Domino deservivit; regium ut purpura, quod totius orbis Reginam Iosepho inseparabili nexu obstrinxit; candidissimum ut byssus, in quo perpetuus candor virginitatis fuit.

31 Hebraeus B. V. Mariae iniurius divinitus punitus. Hoc velum quisquis discooperire, et lingua venenata arcam hanc mysticam temerare ausus est, mox temeritatis suae poenas dedit. Hebraeus quidam corpus Dei Genitricis dum manibus apostolorum ad sepulcrum efferretur, temerario diabolico impetu concitatus utraque manu lectum furiose in terram detrahens repente manibus privatus est. Ita d. Damascenus orat. 2 de dormit. Virginis, Simeon Metaphrast. orat. de ortu et dormitione Deiparae, Nicephorus lib. 2 hist. cap. 22.

32 Blasphemi in B. Virginem divinitus puniti. Nestorius qui Beatam Virginem Matrem Dei negabat, et hanc arcam Dei mysticam tanto honore spoliare volebat, impietatis poenas dedit; nam, lingua vermibus consumpta, miserrime interiit, et cum huius vitae miseriis ad graviora supplicia iusto Dei iudicio infligenda, eaque sempiterna migravit. Evagrius lib. 1, cap. 7.

33 Constantinus Copronymus in Deiparam blasphemus, qui eius invocationem edicto proposito prohibere impia temeritate ausus est, miserabiliter moritur clamans: *Igni sum inextinguibili traditus.* Theophanes, et alii historici anno 775.

Lutherus qui patrocinium Matris Dei impie negans audacter dicere non dubitavit, se non pluris aestimare preces B. Mariae, quam cuiuslibet de populo, propterea quod sumus omnes aeque sancti et iusti atque ipsa est Virgo Maria, morte turpissima et repentina sublatus est. Cochlaeus in vita Lutheri.

Calvinus negans penetrationem corporum, ita ut duo sint in eodem loco, Deo esse possibilem, ac consequenter negans Virginem manentem virginem peperisse, a vermibus consumptus abiit, cum daemones blasphemando invocasset. Bolsecus in vita Calvini. Tempus me deficeret, et iustum volumen conficere deberem, si omnes Deiparae hostes, eorumque plagas eis divinitus inflictas recensendo percurrerem. Nonnullos ex his recensui, cum de imaginibus B. Virginis superius tractavi.

XVII. Arca illa foederis non in sublimi aliquo throno, sed humi erat collocata, Deique scabellum appellata, ut superius diximus. Haec arcae humilitas Virginis humilitatem adumbrabat de qua nos superius in multis locis sparsim diximus. Nec mirum si tantis gratiis haec arca Dei mystica plena fuit; tantum enim gratiae capax est aliquis, quantum fuerit humilis. Non implet gratia superbos, sed humiles. 34

Hanc igitur arcam Dei semper in cordibus nostris per affectuosam devotionem portemus, ut contra hostium insidias praesidium, in tribulationibus auxilium, in morte solatium habeamus. Salomon Abiathar sacerdoti, qui fuerat socius tyrannidis Adoniae, et consequenter obnoxius criminis proditionis contra regem, dixit 3 Reg. 2, 26: *Equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini.* Idem nobis eveniet, si arcam hanc mysticam in cordibus nostris portabimus, exempla illius attente animo revolvendo, et devote imitando. 35

Ad introitum arcae Domini in domum Obededom benedixit ei Deus: multo magis benedicet his, qui arcam Dei multo nobiliorem in domum cordis sui introducent. O arca Dei vivi de lignis imputribilibus a summo rerum Artifice compacta, auro caritatis intus et extra contecta, quae contexisti illum, qui legem, dulce manna, et mel de petra ingrato populo dedit, respice nos, auxiliare nobis, suscipe nos nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

IANUA COELI

Salomon rex, sapientiae divinae infusae praeclarus antistes, in templo illo toto orbe famoso quod construxerat, fecit oraculum: et in ingressu oraculi ostiola de lignis olivarum, teste sacro eloquio, 3 Reg. 6. Ad eundem modum Christus verus Salomon in templo gloriae suae fecit ianuam de lignis olivarum, suam nimirum carissimam Genitricem Mariam. Ipse est ostium quo ingredimur in secreta cubicula coeli, iuxta quod ipse ait Ioan. 10, 9: *Ego sum ostium.* Maria est porta seu ianua per quam ingredimur ad interiora domus Dei, quod in praesenti epitheto decantamus. Quod quatenus verum sit, declarandum est.

DISCURSUS CCCLIX

QUAM APTE DEIPARA VIRGO MARIA DICATUR *IANUA COELI*

1 Non difficile mihi fuerit persuadere et ostendere B. M. Virginem esse ianuam coeli; manifestum namque est Deum hominem per eam ad homines venisse, consequenter per eam homines ad Deum venire. Per eam Deus ad homines venit. Ante Christi adventum nemo coelum ingredi potuit. Nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob, nec prophetae, nec alii iusti viri id consequi potuerunt. Abraham cum Lazaro apud inferos videtur, Luc. 16. Iacob dicit Genes. 37, 35: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Rex quoque sanctissimus Ezechias ait: *Vadam ad portas inferi*, Isai. 38, 10. De coelesti via ne verbum quidem faciunt morituri, non enim coelum cuius tunc temporis portas esse clausas noverant, sed inferas sibi sub terra sedes promittebant. Lex huiusmodi a Deo lata extat Num. 35, 32: *Exules et profugi ante mortem pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt.* Exul erat genus humanum a terra propria, puta a patria coelesti, et nullo modo ad illam reverti poterat, nisi prius Christus summus Pontifex moreretur. Hunc Pontificem nobis Maria dedit; per ipsam enim Deus in terras descendit ex ipsa carnem sumens, in ea mori, et nostram salutem operari dignatus est. In ea carne coelos penetravit, fores eius aperuit, fiduciamque introeundi nobis praestitit. Christus ergo ostium est per quod patet ingressus ad secreta coeli cubicula: Maria vero ianua per quam patet ingressus ad ipsam domum Dei. Hoc enim distat inter ostium, et ianuam, teste Calepino verbo *ianua*, quod ostium sit partium, aut cubiculorum, ianua vero primus ingressus ad interiora domus, a Iano dicta, quod huic Deo consecratum erat omne principium. Primus ingressus in coelum per Mariam fuit, per ipsam enim Filius Dei primo in mundum intravit, et trabea carnis indutus interiora coeli nobis reseravit. Hinc d. Augustinus in serm. 14 de nativ. Domini in persona Virginis ait: *Porta facta sum coeli, ianua facta sum Filio Dei.* Ostium et ianua in quo differunt.

Huc veniunt illae metaphorae, fenestra, scala, porta coeli, in quibus Beata Virgo saepius adumbratur. Sanctus Bonaventura in litaniis Beatam Virginem vocat *fenestram coeli crystallinam.* Et Ecclesia in hymno: *Intrent ut astra flebiles, coeli fenestra facta es.* Idem habet s. Fulgentius de laudibus Mariae, cum ait: *Facta est Maria fenestra coeli, quia per ipsam Deus verum fudit saeculis lumen.* Et mox eandem Virginem appellat scalam coelestem: *Facta est*, inquit, *Maria scala coelestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad coelos.* Eodem epitheto B. Virginem ornant s. Augustinus ser. 15 de tempore, ut s. Petrus Damianus homil. in nativ. B. Virg. *Hodie*, inquit, *nata est Regina mundi, fenestra coeli, ianua paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala coelestis, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit, et homo qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit.* Idem orat. 1 de nativitate B. M. Virginis asserit, Beatam Virginem praesignatam et praefiguratam fuisse in illa scala coeli 2 Fenestra coeli Maria.

Digitized by Google

quam vidit Iacob in somnis, per quam angeli ascendebant et descendebant, Genes. 18, 12. Ioannes etiam Geometra hymno primo Deiparam salutans ita cecinit:

Salve scala polum penetrans et sidera tangens,
Quaeque Deum nobis, nosque Deo reparas.

3 Scala coeli Maria. Fenestra quidem est B. V. Maria, quia per illam nos Deus aspicit, et lumen suum in nos effundit. Scala coeli, quia per ipsam ad nos Deus in terras descendit, at per ipsam homines ad eum ascendere merentur. Vel scala coeli est, quia est mediatrix inter Christum et Ecclesiam, per quam veluti per scalam preces nostras et vota ad Christum transmittimus, et per eam ad nos Dei dona descendunt. Angeli per eam ascendunt et descendunt; quia quos ipsa sua sancta intercessione iuvat, isti de terra ad coelum, illi vero de coelo ad terram veniunt, ut eos hinc assumant, eo perducant ac subliment.

4 S. Francisci visio. Porro quam facile ad coelum per virgineam hanc scalam ascendere quisque possit, optime declarat illud quod s. Francisco in visu ostensum est. Quadam die s. Franciscus vidit duas scalas a terra usque ad coelum protensas: unam rubeam cui Christus innixus erat, alteram albam in qua Deipara Virgo erat. Et cum admoniti b. Francisci fratres scalam rubeam ascendere conarentur, dum ire inciperent, retro multi cadebant, et ascendere non poterant; de qua re s. Franciscus flendo dolebat. Cui Christus dixit: Fac ut fratres tui ad Matrem meam currant, et ad scalam albam, atque per eam ascendant. Tunc b. Franciscus exclamare coepit: Currite fratres ad scalam albam, et ascendite per eam. Quod facientes fratres a Beata Virgine laeta facie suscipiebantur, et in coelum cum facilitate ascendebant. Refert Bernardinus de Bustis part. 9, serm. 2, ex chronico fratrum minorum.

5 Porta coeli Maria. Quamvis autem metaphora scalae satis apte Beatam Dei Genitricem adumbret, magis tamen apte per portam, seu ianuam eadem Virgo gloriosa significatur: unde frequenter a sanctis patribus hoc titulo decoratur. Sanctus Ephrem orat. de Deipara eam salutat: *Ave porta coelorum*. S. Methodius: *Tu es*, inquit, *porta, per quam Deus in carne exortus est*. Rupertus lib. 3 de divinis officiis: *Maxima*, inquit, *portarum coeli, quas Dominus, ut nobis hoc manna plueret, aperuit, Maria extitit*. Et Ecclesia: *Alma Redemptoris Mater, quae pervia coeli porta manes*, etc. Et iterum in hymno: *Felix coeli porta*; et alibi: *Tu Regis alti ianua*. Ideo hanc metaphoram fidelis Ecclesiae chorus magis elegit, qua Beatae Virginis misericordiam et benignitatem adumbrat, et decantat.

6 Et vero B. V. Maria est *Ianua coeli*, non solum ea ratione quam attulimus, quod videlicet per eam Deus ad homines venit; sed etiam quia omnibus misericordiam Dei implorantibus omni loco, et tempore est aperta. Iustitia olim in urbium portis administrabatur, prout constat ex Deut. 16, 18, Ruth 4, 1, Amos 5, 12, Iob. 5, 4, et 20, Proverb. 22, 23, psal. 68, 13, et psal. 126, v. ultimo, et passim alibi; tum ut monerentur omnes, tam qui ingrederentur civitatem quam qui egrederentur, nihil iis inique agendum; tum ut scirent urbem esse velut quoddam iustitiae asylum; tum ut liberius eo quasi ad locum patentem et publicum omnes causam suam acturi accederent. Hinc est quod Absalon in portis Ierusalem considens in partes suas pertrahebat eos, qui causas disceptatum veniebant, et in David patrem suum concitabat. Ita olim Deus in porta coelestis Ierusalem iustitiae suae solium habebat. Et in huius rei signum post peccatum protoparentum nostrorum ante paradisum voluptatis cherubim, et flammeum gladium atque versatilem collocavit. Gen. 3, 24, ut omnes intelligerent ad paradisum coelestem nemini patere aditum, nisi prius divinae iustitiae abunde fuerit satisfactum. Et ob id cherubim potius, quam thronis, virtutibus, aut principatibus custodia haec demandata erat, quia cherubim sunt vigilantissimi et perspicacissimi: unde a scientia vocantur cherubim, ideoque aptissimi vindices omnis scientiae, ac consequenter iustitiae Dei. At ubi pius ac benignus Redemptor per sacra sua vulnera coelum nobis aperuit, tribunal iustitiae suae in misericordiae porta, hoc est in Maria constituit, quae omnibus tum iustis, tum peccatoribus Christi misericordiam implorantibus omni tempore ac loco pateret. Hinc eam efferens s. Ephrem in serm. de eius laud. salutat: *Ave portarum paradisi coelestis reserramentum*.

In portis civitatis olim iudicia exerceri solita.

7 Quod si apostoli Apoc. 21 dicuntur duodecim portae Ierusalem, eo quod ceteros et meritis et exemplis introducunt in coelum: multo magis B. V. Maria ianua coeli dicenda est, quae ultra virtutum ac meritorum singularia exempla omnibus gentibus Mediatorem nobis protulit, per quem omnes gentes introductae sunt in coelum.

8 Ulterius, Beata Virgo est ianua coeli, quia per eam omnes sancti quasi per portam ad Deum accedant preces nostras oblaturi Deo.

9 Libellorum supplicum praepositi eos olim a supplicantibus in aulae vestibulo accipiebant, quos illo deinde aut ad regem aut ad consiliarios referebant. Referendarii nostri sunt sancti omnes, de quibus psaltes psalm. 31, 6. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*. Aulae coelestis vestibulum seu porta est clementissima coelorum Regina, per quam omnes sancti ad Deum accedunt, eique nostras preces per Virginem suppliciter offerunt. Filii Zebedaei primas cathedras postulare non ausi matrem submiserunt, quae pro illis postularet: *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo*, Matth. 20, 21. Ad eundem modum sancti in coelo, quod ipsi per se nobis impetrare non possunt, vel non audent, hoc per Beatam Virginem Matrem Dei offerunt. Quid enim Christus Matri propriae denegabit? si enim matri filiorum Zebedaei cognatae suae pro filiis postulanti tam liberalem se exhibuit, ut non voluntatis suae promptum affectum, sed defectum in filiis eius insinuaret: *Non est*, inquiens, *meum dare vobis*, scilicet ambientibus honores, quam putas liberalitatem erga germanam Matrem exercebit, modo aliquis defectus ex parte nostri non intercedat? Intercessionem Beatae Dei Genitricis digniorem ac praestantiorem esse, et per eam omnes alios sanctos supplicationes nostras Deo offerre probavimus superius, exponentes epithetum *Virgo potens*. Id adhuc vel unica ratione monstrare libet.

10 Primicerius quid. Georgius Venetus in harmonia sua cant. 2, tom. 3 Beatam Virginem redemptionis nostrae primiceriam appellat. Primicerii nomine olim intelligebatur principis regis notarius, cuius erat milites conscribere, officiorum tabellas ceratas consignare; antiqui enim in tabulis ceratis scribebant. Vocat ergo Venetus B. Virginem redemptionis primiceriam, quia sicut in libro vitae ipsa primo loco inscripta est, ita etiam omnes alios quotquot in eum librum relati sunt, ipsa rescribit. Hinc d. Bonaventura in psalterio mariano Virginem sic affatur: *Deduc me in portum salutis, ac per te inter iustos scribatur nomen meum*.

11 Nemo salvatur, nisi per Mariam. Insuper Maria dicitur *Ianua coeli*: quotquot enim coelum ingrediuntur, per Mariam secundum Christum ingrediuntur. Beata Virgo coelum dissidens a terra ob peccatum Adae ei per Christum reconciliavit; atque sicut ipsa Christum a coelo in terram sua puritate et humilitate devocavit; sic pariter ipsa prima verbo et exemplo viam omnibus hominibus in coelum patefecit. Quocirca Christus eam electis omnibus praefecit, voluitque ut nemo salvetur, coelumque conscendat, nisi ipsa consentiente, immo adiuvante et dirigente. Quod plurimi sancti patres perspicuis verbis docent. S. Germanus patriarcha constantinopolitanus serm. de zona B. M. Virginis: *Nullus est, qui salvus fiat, o Virgo Sanctissima, nisi per te. Nemo est cui donum concedatur, nisi per te, o castissima; cuius misereatur gratia, nisi per te, o honestissima!* Sanctus Antoninus 4 part. titul. 15, cap. 14, paragr. 7 dignam observatione d. Anselmi refert sententiam: *Ut impossibile est*, ait, *quod illi, a quibus Virgo Maria oculos misericordiae suae avertit, salventur: ita necessarium, quod hi ad quos convertit oculos suos pro eis advocans, iustificentur et glorificentur*. Cui subscribens s. Bernardus homilia super *Missus est* ait: *Sicut a te despectus et aversus, o Virgo, necesse est ut pereat: ita ad te conversus necesse est, ut salvetur*.

12 Ad sacerdotem Abiathar morte dignum dixit olim rex Salomon 3 Reg. 2, 26: *Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei*. Si propter arcam reo mortis donatur vita, quam potiore iure peccatoribus indignis propter Sanctissimam Virginem venia concedetur?

13 D. Catharinae senensis sententia. Diva Catharina senensis tractat. 4 dialog. cap. 139 ab ore ipsius Dei Patris haec verba se accepisse testatur: *Mariae Unigeniti Filii mei Genitrici gloriosae concessum est a bonitate mea propter incarnati Verbi reverentiam, quod quicumque iustus, vel peccator recurrit ad eam cum devota reverentia, nullo modo decipietur, vel devorabitur ab infernali daemone*. Hinc inter ce- Praedesti-

Digitized by Google

nationis signum est cultus B. M. Virginis.

tera, quae a sanctis patribus assignantur praedestinationis aeternae signa, hoc etiam numeratur, erga Beatam Virginem pietas atque devotio. Hoc certum est praedestinationis nostrae signum quo tanquam erecto vexillo, bene de nobis, rebusque nostris in aeternitate futuris sperare iubemur. Huius rei praeclarissimus testis est b. Alanus Sanctissimae Virgini valde familiaris, qui libro de psalterio Virginis, cap. 11 hoc sibi declaratum fuisse ab ipsa Deipara scribit: *Secretum iam pandam tibi divinae providentiae; scias et secure intelligas, quod et fidelitate aliis patefacies, quod videlicet signum probabile est, ac propinquum aeternae damnationis horrere, et attaediori, et negligere salutationem angelicam totius mundi reparativam: habentibus vero devotionem ad hanc signum est ordinationis et praedestinationis permagnum ad gloriam.*

14 Sunt qui existimant et Ozam sacrilegum, et filios Heli sceleratissimos ab aeterna damnatione ereptos, et aeternam salutem consecutos; illum quidem, quod dicatur mortuus iuxta arcam, 2 Reg. 6, 7, hos autem quod dicantur 1 Reg. 4, pro defendanda arca occubuisse. Si illa arca tantum gratiae et favoris suis cultoribus praestare potuit, quantum putas Deipara Virgo gratiam sibi devotis conferre poterit? Pereat necesse est, qui procul ab hac arca moritur: nullam damnationem perhorrescat, qui eam sibi praesentem habet. S. Ignatius martyr alicubi dixisse legitur: *Nunquam male peribit, qui Genitrici Virgini devotus, sedulusque extiterit. Impossibile est enim aliquem posse salvari peccatorem, nisi per tuum, o Virgo, auxilium et favorem.* Hoc confirmans s. Bonaventura in psalterio Virginis, ait: *Quem vis, o Virgo, salvus erit, et a quo avertis faciem tuam, ibit in interitum.* Et rursum: *Qui digne coluerit illam, iustificabitur: et qui neglexerit illam, morietur in peccatis suis.*

15 Ad ampliorem horum certitudinem adiiciam scriptionem, et sigillum Spiritus sancti, qui in persona Virginis Proverb. 8, 35 ita ait: *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Sicut ergo signum praedestinationis est cultus et devotio erga Deiparam, ita signum reprobationis et causa damnationis est irreverentia, et inobedientia erga eandem. Quocirca qui in hac vita B. Virginem impensius coluerunt, ab ipsa in agone suo visitati et consolati per eam ad coelestia regna introducti

Moribundi a B. V. Maria visitati, et consolati.

sunt. Ita legitur de s. Arnulpho, s. p. n. Dominico, s. Hyacintho Odrovasio, s. Antonio de Padua, s. Maria oegniacensi, s. Ludovina virgine aliisque plurimis, quibus ex hac vita migraturis B. Virgo adfuit, illis se conspicuam fecit, et ad regna coelestia secum duxit. Qui vero eandem Virginem inhonorarunt, et blasphemarunt, misere ex hac vita discesserunt, et ad damnationem aeternam migrarunt, ut patet in Nestorio, Constantino Copronymo, Iuliano apostata, Luthero, Calvino, et aliis haeresiarchis. Qui enim Deiparam colit, Christum Deum eius Filium colit; qui in illam peccat, in Christum peccat. Sicut enim Christus in Ecclesia, quasi in familia sua est tanquam Paterfamilias: sic in eadem B. Virgo ex dono et voluntate Christi est tanquam Materfamilias; unde ad summam familiam sibi devotos admittit, sibi vero infensos reiicit.

Ergo qui coelum tibi reserari vis, qui vitam immortalem amas, qui delicias, sed veras quaeris, qui coelum ingredi desideras, Mariam cole, Mariam venerare, Mariae vestigia sequere: ipsa est *Ianua coeli*, porta paradisi, per quam homines ad Deum perveniunt. 16

Ante hanc igitur ianuam, fratres carissimi, in continua devotione stemus, hanc assidue precibus pulsemus, ad istum divinae gratiae fontem curramus. *Quaeramus gratiam*, inquit d. Bernardus ser. de nat. B. M. Virginis, *et per Mariam quaeramus, quia quod quaerit, invenit, et frustrari non potest.* Ipsa enim est Mater salutis, Domina angelorum, Regina mundi, SS. Trinitati coniuncta, nimirum Filia Patris, Parens Filii, Sponsa Spiritus sancti. Ipsa est Virgo virginum, Sancta sanctorum, lumen caecorum, iustorum gloria, peccatorum venia, gratiae inventrix, mediatrix salutis, restauratrix saeculorum, reverenda angelis, desiderata gentibus, praecognita prophetis et patriarchis, electa ex omnibus, praelata omnibus. Propter hanc totus mundus factus est, et haec gratia Dei plena est, et per hanc homo redemptus est, Verbum Dei caro factum est, Deus humilis, et homo sublimis. O ianua coeli, porta paradisi, tu nobis aperi, ut per te gloriam illam coelestem, felicitatem perpetuam, omne bonum nostrum consequi mereamur. Quod nobis concedat dilectissimus Filius tuus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen. 17

Salutem aeternam ambiens ad Mariam recurrat.

STELLA MATUTINA

Draco ille serpens antiquus de sublimi coelorum domicilio decidens cauda sua illiciente tertiam partem stellarum, quae designatae erant, ut ante thronum omnipotentis Dei in perpetuas aeternitates lucerent, secum in terram traxit, et aeternae damnationi addixit, teste Ioanne Christi discipulo Apocal. 12, 3. Quamobrem implendis sedibus, quae vacaverant, novas coelestes mentes in momenta Deus format, velut sidera decora, quas divino lumine implet, et ad alta coelorum translatas in locum angelorum reponit, iuxta illud quod regius vates psalm. 109, 6 canebat: *Iudicabit in nationibus implebit ruinas.* Hinc in sacris litteris sancti coelorum sideribus adnumerati stellae appellantur. Sic de Simone Oniae filio, insigni doctore et pontifice, Eccli. 50, 6 dicitur: *Quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena in diebus suis.* Et de omnibus Ecclesiae doctoribus Daniel propheta 12, 3: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* Apostolus quoque 1 Cor. 15, 41 gloriam sanctorum stellarum fulgori comparat: *Stella enim a stella differt in claritate.* Inter has stellas vel maxime fulget gloriosissima Deipara Virgo Maria, cui in praesentiarum occinimus: *Stella matutina.* Quare videndum est primo

DISCURSUS CCCLX

QUA RATIONE B. V. MARIA DICATUR *STELLA*

1 Doctores Ecclesiae passim, immo et Ecclesia catholica B. M. Virginem frequenter hoc titulo decorant *Stella*. Et quidem merito B. V. Maria stella nominatur.

2 I. Stella totum suum lumen a sole participat: Maria a Christo qui est Sol iustitiae, totum suum lumen se habere testatur. Luc. 1, 49: *Quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen eius.* Quocirca Ecclesia multa quae in Scriptura de Christo primario dicuntur, secundario B. Virgini applicat, uti est illud Proverb. 8, 22: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Sed et Cantica Canticorum quae primario sunt epitalamium Christi et Ecclesiae, secundario epitalamio Dei et Beatae Virginis attribuuntur.

II. Stella in coelo semper manet, et nunquam in terram cadit: Beata Virgo semper vitam coelestem duxit, in coelo omnes suos affectus habuit, mente ac cogitatione in coelo versabatur, et nunquam ad carnalia, vel terrestria animum deflexit. Hinc Cant. 7, 5 sponsus caput eius commendans, aiebat: *Caput tuum ut Carmelus, et comae capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus*, ut insinuarat, quod quemadmodum Carmeli vertex ob nimiam sublimitatem nebulas non capit, sed semper puro aere gau-

Digitized by Google

det; ita Mariae animus nullo unquam terreno ac nebuloso affectu turbabatur, sed perpetua serenitate coelesti irradiabatur. Nullus animi refractarius motus rationi contrarius turbabat; sed immensus ordor caritatis, promptissima obedientia voluntatis venustabat. Et quemadmodum purpura regis vincta canalibus dies noctesque tincturam sanguinis, vel muricis bibit: sic cogitationes Mariae in profluvio purpureae caritatis Dei et proximi immersae iugiter tinctae erant.

4 III. Stella licet sit maior tota terra, tamen parva apparet ob distantiam et celsitudinem, et quo celsior est, eo minor videtur. Beata Virgo Maria licet esset maior nedum cunctis regibus, ac principibus terrae, verum etiam cunctis sanctis angelis et hominibus, nihilominus parva apparebat per humilitatem, et quo erat celsior, eo humilior; quod patuit ex eo, quod cum archangelus eam gratia plenam praedicabat, cum superventurum Spiritum sanctum promittebat, eum Matrem Domini Dominam mundi nominabat, tantis titulis elata non est, sed dixit: *Ecce ancilla Domini*, etc. Quod stupens d. Ambrosius lib. 2 in Lucam, ait: *Vide humilitatem, vide devotionem: ancillam se dicit Domini, quae Mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est.*

5 IV. Stella dicitur a stando, quia cui coelo lege Creatoris est adfixa, in eo semper stabiliter consistit: ita Maria tantae stabilitatis ac firmitatis fuit, ut a Dei voluntate ne latum quidem unguem deflexerit, quod superius multis in locis tetigimus, et probavimus.

6 V. Stellarum substantia incorruptibilis est, unde nec vetustate, nec putredine aut carie corrumpitur: ita Beata Virgo nullam unquam putredinem aut corruptionem sensit, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum permansit; nec minimum pulvisculum terrenae contagionis, aut delectationis carnis unquam persensit.

7 VI. Stellae positae sunt in signa, et tempora, et dies; in signa, videlicet prognostica pluviae, serenitatis, gelu, ventorum: vel in signa serendi, plantandi, metendi, navigandi, vindemiandi, etc. In tempora, hoc est ver, aestatem, hiemem, et autumnum. Item in tempora, videlicet sicca, calida, humida, procellosa, salubris, morbida. In dies et annos, ut videlicet sint indices dierum omnium naturalium, artificialium, festorum, criticorum, forensium, et nundinarum, annorum quoque lunarium, solarium, magnarum, criticorum. Ita Beata Virgo posita est in signum praesentis gratiae, futurae gloriae; in tempora acceptabilia, et dies salutis; in annos placabiles Domino.

8 VII. Stella lucem summa cum pulcritudine, nulla cum laesione ex se effundit: Beata Virgo lucem mundi Christum summo cum decore, nulla cum virginitatis iniuria ex castissimis visceribus protulit. Huc advocari possunt verba s. Petri Damiani serm. 1 de Epiph. *Sicut radius procedit a stella, stella integra permanente; sic Filius ex Virgine, virginitate inviolabili perdurante.* Et re vera, sicut stella radium profert absque sui diminutione: ita B. Virgo protulit Christum absque virginitatis iactura, immo potius cum incremento.

9 VIII. Stella magna cum laetitia lumen suum spargit ac cum iucunditate diffundit in omnes; sic enim Baruch 3, 34 de stellis ait: *Stellae dederunt lumen in custodiis suis, et laetatae sunt,... et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Ad eundem modum B. V. Maria magna cum laetitia mundo lumen aeternum effudit Iesum Christum Dominum nostrum, iuxta illud Isaiae 35, 1: *Florebit quasi lilium, germinans germinabit, et exultabit laetabunda et laudans.*

10 IX. Stellae in haec inferiora influunt, ea illuminant, generationi deserviunt, adeo ut, astris moveri desistentibus, generatio omnis desitura sit. Item omni operationi adeo opportuna sunt coeli sidera, ut sine lumine solis, vel lunae, vel siderum totus orbis terrarum fere nullus sit. Ita B. V. Maria in hunc mundum peccatorum tenebris obsitum influit, eumque illuminat, suo patrocinio fovet, conservat, ut si illa non esset, mundus iam pridem periret. *Tolle corpus hoc solare*, inquit d. Bernardus, *ubi dies? tolle Mariam hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, et densissimae tenebrae relinquuntur?*

11 X. Stella quoad figuram nobis rotunda apparet, quae secundum mathematicos figura perfecta, et capacissima est: ita B. V. Maria capacissima fuit, amplior coelis, latior terra, toto orbe spatiosior; nam quem coeli coelorum capere non poterant, suo gremio contulit.

12 XI. Stella orbis insigne ostrum radiat, micat, in sui admirationem allicit; ita B. V. Maria inter omnes sanctos qui, ut a principio diximus, stellae nominantur, virtutum ac miraculorum gloria radiat, micat, coruscat. *Cuius vita inclyta cunctas illustrat ecclesias.*

XII. Stella quoad situm est altissima, et a terra valde remota: ita B. V. Maria quoad dignitatem est altissima, utpote super omnes choros angelorum exaltata. Unde Eccli. 24, 7 ait: 13
Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. 14

XIII. Stella licet stare videatur, cursum tamen suum velocissimum, et regularissimum peragit: ita B. V. Maria in omnibus actibus suis constantissima tantum cursum, seu profectum in virtutibus ac meritis fecit, ut omnes sanctos angelos et homines in meritis superarit, ut superius fuse probavimus.

XIV. Stellae occulta quadam virtute terrae viscera penetrant, 15
et ibidem mira operantur, aurum, argentum, aliaque metalla pretiosa, et usibus hominum pernecessaria producunt: ita Maria suo patrocinio et meritis saepe in animis hominum occultis et nobis ignotis auxiliis mira operatur, ut libri eorum qui de miraculis B. M. Virginis scripserunt, testantur.

XV. Stellae iter facientes dirigunt, maxime in mari navigan- 16
tes: ita B. V. Maria in hac nostra peregrinatione nos dirigit, in hoc mari magno spatioso navigantes feliciter ad portum ducit, uti monstravimus cum in superiore tomo Mariam esse maris stellam ex proposito tractavimus d. XCI.

XVI. Lux stellarum est velocissima, in instanti enim spargit 17
et propagat se, suumque lumen diffundit per totum orbem: ita B. V. Maria est velocissima ad miserendum, nunquam in succurrendo cunctatur, sed etiam indigentibus subvenit aliquando etiam non interpellata. Unde quod in sensu litterali de divina iustitia, *Obviabit illi quasi mater honorificata*, de Beatissima Virgine in sensu allegorico dici potest. Illa quippe praeoccupat eos qui se desiderant, et obviat illis qui se inquirunt, ut patuit in Cana Galilaeae, ubi non rogata pro defectu vini sponte a Filio postulavit defectum insinuans: *Vinum non habent*, Ioan. 2. Maria igitur est stella, sed aliis stellis nobilior, clarior, eminentior. Alias stellas splendor solis obfuscat, Mariam non obfuscat, immo magis conspicuam, et clariorem reddit. Beato Ioanni in terra existenti apparuit mulier *amicta sole, et luna sub pedibus eius*, Apocal. 12. Vide quam magna, quam clara sit Maria, ut a Ioanne in terris agente in tanta distantia videri potuerit. Sol centum sexaginta vicibus magnitudine terram superans, ut astrologi loquuntur, tam exiguus nobis apparet, ut globus duorum vel trium palmorum esse videatur: et Beata Virgo in tanta distantia in iusta quantitate a Ioanne videri potuit; et quod magis mirandum est, quod splendor solis eam ambientis non obruit. Unde collige, quam magna, quam clara, quam splendida sit.

Magnitudo Mariae quanta.

XVII. Stellis nobilior est. Dicunt astrologi aliquas stellas 18
mortem portendere, alias vitales esse, quasdam erraticas, quae saepe errant, quasdam stabiles et fixas: Beata Virgo Maria mortem non portendit; sed vitam non modo significat, sed etiam affert, ab omni errore prorsus aliena est, ut superius toties probatum est.

O stella clarissima, a Sole iustitiae tota illustrata, universo terrarum orbi illustrando destinata, et maxime in solatium eorum qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ordinata, illustra nos, dirige nos, ut horrida et periculosa huius mundi saxa cavere, et te duce ad securum animarum nostrarum portum pervenire valeamus. Amen.

DISCURSUS CCCLXI

QUA RATIONE B. V. MARIA DICATUR *STELLA MATUTINA*

Tribus potissimum stellis B. V. Maria comparatur, matutinae, 1
vespertinae, et maris quae tramontana dicitur. Matutinae quae alio nomine lucifer, seu aurora dicitur, Cant. 6, 9: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens?* quia sicut aurora ducit solem, et expellit tenebras noctis: ita haec aurora mystica solem Christum et diem gratiae protulit effugando tenebras peccatorum. Ecclesia in responsorio: *Quia ex te ortus est Sol iustitiae Christus Deus noster.* Vespertinae quae hesperus dicitur, comparatur; haec enim secundum astrologos est temperata in qualitatibus suis, unde posita inter nos et solem illius temperat ardorem. Ad eundem modum B. V. Maria in omnibus suis qualitatibus, puta virtutibus, quod posita inter nos et solem Chri-

Stella matutina Maria.

Hesperus est B. Virgo Maria.

stum iuste contra nos iratum, illius temperat furorem, ne pro peccatis nostris condigne puniamur. Stellae tramontanae comparatur, *Ave maris stella*, quia quemadmodum in periculis maris constituti ad hanc sic denominatam stellam oculos dirigunt, ita ut per illam caute se regant, ne pereant: ita nos in hoc magno et spatioso mari huius mundi ad hanc maris stellam piissimam Matrem oculos nostros coniicimus, ne misere submergamur; unde d. Bernardus hom. super *Missus est*: *Ne avertas*, inquit, *oculos a fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis*. De stella matutina latius disseramus, et quam apte huic sideri B. Virgo comparetur, doceamus.

2 Stella matutina quot nominibus appellatur. Stella matutina. Haec stella cum antegreditur solem, lucifer dicitur; cum subsequitur, hesperus. Sic Maria simul erat lucifer et hesperus. Ut lucifer ante incarnationem Solem iustitiae Christum praecessit, ut hesperus ascensum in coelum subsecuta est in assumptione sua.

3 Ante nativitatem Christi status qualis. I. Stella matutina, ut hesperus, finis est praeteritae noctis: ut lucifer, initium diei sequentis. Sic B. V. Maria finis est noctis, et diei principium. Cuius noctis, et cuius diei? Ante ortum Mariae universum mundum peccatorum tenebrae, et nox infidelitatis adeo oppresserat, ut Solem iustitiae Christum Messiam promissum aspicere non valerent. Praemisit ergo Deus ante se luciferum sive stellam matutinam, ut cordium oculi, qui lippitudine iniquitatum oppressi magnum et verum lumen videre non poterant, ad lumen stellae prius assuescerent, ut paulatim peccatorum nubilo remoto, et infidelitatis humore digesto, adveniente Christo ab illo coelesti lumine laetificari possent potius, quam torqueri. Surgit itaque lucifer ante verum Solem exorientem: praeit *Stella matutina* gloriosa V. Maria. Ubi haec fulgentissima stella apparuit, mox errorum ac peccatorum caligo disparuit, mox vincula scelerum disrupta sunt, mox toto orbe terrarum cultus idolorum evanescere, mundus decorem suum nitoremque acquirere coepit. Hinc paulo ante Christi nativitatem oraculum delphicum aliaque siluerunt, teste Cicerone lib. 2 de divinatione, qui anno quadragesimo ante Christi nativitatem floruit, ut Arnobius lib. 3 contra gentes testatur. Et ex Paxi insula vox audita: *Magnus Pan mortuus est*, teste Eusebio lib. 5 de praeparat. c. 9. Nocte media qua Deipara Virgo Christum verum lumen mundo edidit, Hispanorum regna nubes lucidissima illustravit, adeo ut in meridiano sole versari homines se existimarent. Dies autem subsequens indidem tres soles aequali luce et orbe splendentes, et postea in unum coeuntes dedit. Ita Isidorus in chronicis, et s. Thomas 3 part. quaest. 36. art. 3 ad 3.

(Margin: Nativitatem Christi praecedentis signa.)

4 Huiusmodi autem portenta nihil aliud, quam Christum solem iustitiae recenter ex V. Maria natum significabant. Huius igitur noctis Maria *stella matutina* finis fuit, ut etiam s. doctor noster angelicus 4, dist. 30, qu. 2, art. 1 ad 1 adnotavit. Deipara igitur aurora appellatur, quoniam praeter alias rationes, quae a patribus referuntur, fuit confinium veteris et novae legis, sicut aurora est confinium diei et noctis.

5 Iustus homo diem facit his cum quibus vivit. Praeterea B. V. Maria fuit finis noctis, quia ortu suo toti mundo diem fecit. Iustus diem illis facit, cum quibus vivit, ut patet in Elia, de quo Christus Lucae 4, 25 ita loquitur: *Multae viduae erant in diebus Eliae in Israel*. Cur Eliae dicuntur dies, et non aliorum? Eratne sol Elias, qui diem faceret? Erat sane, quia diem faciebat illis, qui a peccatorum tenebris convertebantur ad Dominum, ut s. Ambrosius in Lucam hunc locum explanans notavit. Multo iustius id de B. Virgine dici debet, quae ortu suo mundo diem dedit, cum eius tenebras, uti diximus, illustravit. Richardus a s. Laurentio lib. 7 de laud. Virg. *Deus*, inquit, *lucem fecit, quando B. Virginem de tenebris lucere et splendescere fecit*. Diem esse B. V. Mariam noster sanctus doctor in commentario psalmi 18 premens illa verba, *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam*, dixit Mariam Virginem vocari diem, et Evam noctem. *Dies*, inquit, *id est Gabriel eructat verbum, diei, id est Virgini Beatae proponit verbum Salvatoris. Sed nox, id est diabolus indicat scientiam nocti, id est Evae*. Gen. 4: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum*. Maria ergo finis noctis fuit, cum ortu suo universum mundum illuminavit. S. Bernardus serm. 1 de assumpt. *Mariae*, inquit, *praesentia totus illustratur orbis*. S. Ephrem serm. de laud. Virg. eam vocat *lucernam clarissimam*. Et s. Petrus Damianus serm. 40 de Virgine loquens: *Haec est stella matutina in medio nebulae, quae in coeli cardine summo splendore coruscans orbem subditum splendidioribus radiis incolorat. Haec est aurora quam sequitur, immo de qua nascitur Sol iustitiae*. Et Leo imperator homil. 7 in annunt. B. M. Virginis eam salutat: *Salve, lucerna, ex qua splendor Patris elucescens mundum sune cognitionis nomine collustravit*. Fuit igitur Maria finis noctis.

(Margin: Dies cur dicitur B. V. Maria.)

6 Sex mundi aetates exponuntur. Et diei principium. Sex mundi aetates ait d. August. lib. 1 de Genesi contra Manich. c. 23, similitudinem habere illorum sex dierum quibus mundus conditus est. Prima aetas quae ab Adamo usque ad Noe protenditur, similis fuit primae diei. Sicut enim prima illa die facta est lux, factumque est vespere et mane: ita in illa prima aetate facta est lux originalis iustitiae et gratiae, habuitque vespere et mane. Mane fuit, quamdiu Adam peccavit; nox fuit, cum genus humanum se turpissimis vitiis inquinavit, diluvioque absorptum periit. Secunda aetas a diluvio usque ad Abraham similitudinem diei secundae gessit; sicut enim secunda die factum est firmamentum in medio aquarum, divisitque Deus aquas ab aquis: ita illa secunda aetate fecit Noe arcam velut firmamentum in medio aquarum, erat enim inter aquas inferiores in quibus natabat, et superiores quibus compluebatur. Tunc divisit Deus aquas ab aquis, id est populos a populis, (aquae enim populi sunt, Apoc. 17, 15,) divisit enim linguas, ex qua divisione divisio orta est populorum. Mane huius diei fuit tempus diluvio propinquum: vespera vero linguarum confusio. Tertia aetas ab Abrahamo usque ad Davidem diem refert. Tertia die Deus terram ab aquis segregavit, herbisque, floribus et arborum amoenitate exornavit; tertia aetate israeliticum populum haereditatem suam a ceteris nationibus seiunxit, legeque, caeremoniis et sacrificiis decoravit. Mane huius diei fuit Abrahae vocatio, vespera populi idololatria. Quarta aetas a Davide usque ad babylonicam captivitatem quartae diei habet imaginem. Sicut enim quarta die solem et astra Deus condidit: ita quarta aetate Davidem et Salomonem, veluti populi illius solem et lunam, ceterosque reges velut astra produxit. Mane huius diei fuit Davidis imperium, vespera sive nox babylonica captivitas. Quinta aetas a babylonica captivitate usque ad Messiam cum quinta die confertur. Quemadmodum enim quinta die volucres ex aquis evolarunt, in aquis pisces permanserunt: ita quinta aetate Israelitae ex aquis, id est populis gentium in Iudaeam ad colendum Deum veluti volucres, facultatem donante Cyro, evolarunt: gentes vero ut pisces in suis regionibus et idolorum cultu persliterunt. Mane huius diei erat relaxatio captivitatis, et restitutio libertatis, vespera amissio regni et sacerdotii. Sexta aetas a Messia Opt. Max. usque ad finem mundi similis est diei sextae. Quemadmodum enim sexta die primum Adamum Evamque primam Deus condidit: ita sexta mundi aetate secundum Adamum Christum, secundamque Evam Virginem Deiparam mundo exhibuit. Vespera huius diei est tempus Antichristi, et dies iudicii extremi; mane ipse Christus nascens ex Virgine, tunc enim sol ille splendidissimus primum mortalibus illuxit: lucifer vero Virgo Maria fuit, tunc enim mundo tenebris circumfuso Christi aetas sexta illucescere coepit, cum Virgo gloriosa per nativitatem mundo apparuit.

Pulcre Rupertus lib. penult. explanans illa verba Cant. *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol?* hoc argumentum prosequitur: *Quam pulcher ordo in ista tuae pulcritudinis, o Beatissima, praedicatione! Primum consurgens ut aurora, pulcra deinde ut luna, tandem electa ut sol. Quando nata es, o Virgo Beata, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora praenuntia diei sempiternae: quia sicut aurora quotidiana finis praeteritae noctis est, et initium diei sequentis, sic nativitas tua. Nativitas ex semine Abrahae clara ex stirpe David, ad quos cum iuramento Dei facta est promissio benedictionis, finis dolorum, et consolationis fuit initium: finis tristitiae, et laetitiae nobis extitit principium. Quando autem Spiritus sanctus in te supervenit, et filium virgo concepisti, virgo peperisti; tunc tu et ex tunc pulcra pulcritudine divina; pulcra, inquam, non quomodocumque, sed ut luna. Sicut enim luna lucet, et illuminat luce non sua, sed ex sole concepta: sic tu, o Beatissima, hoc ipsum quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex gratia divina, o gratia plena. Quando autem de hoc mundo assumpta, atque ad aethereum thalamum translata es, tunc tu ex tunc electa ut sol; electa, inquam, nobis, quia sicut ex te natum Dei Filium solem verum, solem aeternum adoramus et colimus ut Deum verum: sic et te honoramus atque veneramur.* 7

II. Stella matutina seu aurora solem praecedens eum secum ducit: ita B. V. Maria verum solem iustitiae produxit, qui *illu-* 8

Digitized by Google

minat omnem hominem venientem in hunc mundum. Unde B. Virgo lucis fons dici potest, sicut eam s. Gregorius thaumaturgus serm. in annunt. B. M. Virginis salutat. *Ave gratia plena, fons lucis, qui cunctos in ipsum credentes illuminat.* Et Methodius homil. de purif. Beatam Virginem ita alloquitur: *Te, Sanctissima Virgo, tanquam die clarissima mundo effulgente, iustitiaeque Solem illum producente, odiosus tenebrarum horror depulsus est, universusque terrarum orbis veritatis purissimae est luce perfusus.*

9 III. Stella matutina, seu lucifer solem adesse testatur: unde dracones, serpentes, lupos, tygrides, aliasque feras et immanes bestias ad antra ire compellit, nocturnas aves effugat, diurnas vero ad concinendum invitat. Beata Virgo Maria Solis iustitiae Christi non tantum praenuntia, sed et gestatrix fuit: bestias infernales, hoc est daemones fugavit: vanos gentilium errores veluti tenebrarum aves pepulit: Dei servos et ipsos angelos tanquam aves diei sublime volantes ad Dei laudes excitavit, atque invitavit multo melius, quam olim tres illi pueri e babylonicae fornacis incendio liberi creaturas omnes ad benedicendum Deum invitabant, dicentes: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, etc. Dan. 3, 57.

10 IV. Stella matutina latrones turbat, aegros confortat, cuncta decorat. Latrones enim videntes auroram sciunt diem esse propinquum, hinc turbantur timentes ne deprehendantur. In ortu quoque aurorae aegri alleviantur. Aurora enim solem quasi secum fert qui motu suo, suis radiis, sua luce et calore omnia excitat, roborat, vivificat, et perficit universa. Hinc ethnici solem patrem et principium generationis arbitrati sunt, eo quod motu suo vitam omnibus praestat. Aurora praeterea cuncta decorat: hinc aurora dicta est quod suo calore candido se splendido quasi serem aurat, vel aurora quasi aurea hora.

11 Haec omnia in Beatam Virginem aptime quadrant. Ipsa latrones, hoc est daemones fugavit. Postquam enim Sol iustitiae Christus ex ea natus est, mox daemonia cesserunt, Iupiter, Mars, Venus, Saturnus, ceterisque huiusmodi falsorum deorum monstra fugata sunt. Ad haec B. Virgo latrones turbat, hoc est daemones qui eius potentiam adeo timent, ut vel audito nomine Mariae aufugiant. Ipsa Virgo hoc de suo nomine affirmat; nam loquens s. Birgittae cui apparuit, ita habet: *Omnes daemones audito nomine meo aufugiunt.* Quod confirmat s. Bonaventura in speculo B. Virginis, cap. 3: *Non ita metuunt hostes visibiles quasi castrorum aciem copiosam, sicut aereae potestates Mariae vocabulum, patrocinium, et exemplum: cedunt et pereunt sicut cera a facie ignis.*

Daemonibus terribilis B. V. Maria.

12 Ipsa aegros, id est peccatores laetificat et confortat; genuit namque solem de quo Malachias 4, 2 prophetabat: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae, et sanitas in pennis eius.* Praeterea aegros confortat, quia sua intercessione concupiscentias, tentationes, malas cogitationes, omnesque infirmitates depellit et sanat, ut in epitheto sequenti latius dicetur.

13 Ipsa cuncta decorat; ubi enim post tot saeculorum tenebras roseum vultum suum mundo ostendit, aureumque terris effudit partum, mox Iudaeam et Ierusalem ornavit; una cum Virgine tantus virtutum, gratiarumque illustrissimus comitatus in Iudaeam est ingressus, ut ad eam, quasi ad pharum illustri facie coruscantem gentes in mari errorum, vitiorum et aerumnarum iactatae, et naufragae contenderunt, ut eius lumen, id est fidem et gratiam sequentes ad portum salutis pertingerent. Ita patuit in Magis, qui mox post Christi nativitatem cum muneribus Ierosolymam venerunt, ut Regi Iudaeorum noviter nato gratularentur. Felix Iudaea, si hanc auroram cognovisset: infelix, quia non cognovit. Ad haec Beata Virgo cuncta decorat; radiis enim suae benignitatis, humanitatis, amoris, clementiae, misericordiae, beneficentiae cuncta exhilarat. Quare a divo Chrysostomo sermone de Deipara vocatur *Ecclesiae nostrae decus*; et a divo Damasceno *eximium humani generis decus, et mulierum ornamentum.*

14 V. Stella matutina inter cuncta noctis obscurae astra fulget iucundius: quare et iubar dicitur, emittit enim a se iubar radiosi luminis. Beata Virgo Maria inter sanctos veteris testamenti eminet, et elucet sicuti aurora inter nocturna astra. Noctem illam obscuram legis veteris sanctissimi patriarchae, et prophetae cum suis virtutibus veluti astris irradiabant, et ignorantiam populi illius illustrabant. Sed illorum radii, apparente stella matutina Maria, quasi obscurati sunt; quia in comparatione Deiparae virtutes illorum parum radiabant. Quid enim in comparatione Mariae innocentia Abelis? quid iustitia Noe? quid obedientia Abrahae? quid patientia Iacobi? quid castitas Ioseph? quid mansuetudo Moysis? quid fortitudo Iosue? quid caritas Samuelis? quid humilitas David? quid zelus Eliae? quid abstinentia Danielis? quid eximia sanctitas Ioannis Baptistae? quid Simeonis simplicitas? quid devotio Annae? quid sanctitas Elisabeth? Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita etiam in comparatione Matris Dei nullus invenitur perfectus, quamvis eximiis virtutibus ornatus sit. Ita sensit divus Hieronymus serm. de assumptione Virginis, ubi enumeratis multis sanctissimis feminis veteris testamenti, subiunxit: *Taceo de Anna et Elisabeth, et ceteris mulieribus, quarum velut siderum igniculum clarum Mariae lumen abscondit.* Igitur B. V. Maria velut lucifer fuit.

VI. Stella matutina cum oritur, ros decidit, quo refrigerantur arva, et fecundatur terra: ita cum orta fuit Deipara V. Maria, ros decidit, hoc est Filius Dei in eius uterum descendit, qui apte rori comparatur. 15

Rori Christus comparatur.

1. Roris ortus latens et occultus est: generatio Christi arcana fuit; unde Isaias ait 53, 8: *Generationem eius quis enarrabit?*

2. Ros noctu oritur: Christus noctu natus est. *Cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de coelo a regalibus sedibus...in terram prosilivit*, Sap. 18, 14, 15.

3. Ros est aereae et coelestis naturae, unde sursum ascendit: quare si ovum vacuum rore impleas et baculo imponas, apteque accommodes, sole incalescente ascendit ad baculi culmen. Christus coelestis est naturae, aeque ac vitae, ut ex Apostolo 1 Cor. 15, 47: *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de coelo, coelestis.*

4. Ros condensatus fit manna suave ad cibum, et efficax ad medicinam: Christus in ventre Matris coagulatus et formatus factus est nobis manna suave in Eucharistia, qua non tantum vivimus, sed etiam a peccatis sanamur, et in vitam nutrimur aeternam.

5. Ros in concham apertam illapsus, cum vi coelesti praesertim fulminis afflatur et constringitur, fit unio, sive margarita, teste Plinio lib. 9, cap. 33, et aliis. Christi deitas in concham uteri virginalis illapsa ex eo corpus humanum sibi efformans, illudque vi divina per inoperantem Spiritum sanctum sibi uniens efformavit pulcherrimam margaritam et pretiosum unionem, Christum hominem et Deum.

6 Ros est melleus; adeoque mel non est aliud quam roris medulla, eiusque succus praedulcis et subtilis, qui ex herbis, et flosculis excipitur, atque ab apibus colligitur, ut Aristot. lib. 5 animalium, cap. 22 docet. Christus Iesus totus melleus est, nec aliud quam roris coeli medulla. S. Bernardus de Iesu ait: *Iesus est mel in ore, melos in aure, iubilus in corde.*

7. Ros suavem auram et halitum vitale aspirat animalibus, omnibusque viventibus, iisque mitigat aestum: Christus halitum vitae nobis afflat, eoque ardorem concupiscentiae temperat.

8. Ros pinguis est, pinguemque et quasi oleatum succum germinibus, seminibus et plantis instillat, easque impinguat, incrassat et fecundat: Christus rore gratiae irrorans mundo eum fecundavit, ut proferret virtutes, aeque ac sanctos in omni virtutis ac sanctitatis genere, puta illustres martyres, confessores, episcopos, religiosos, virgines, viduas, coniugatos, omnesque cuiuslibet status, conditionis, generis iustos. Hunc rorem sancti patres postulabant apud Isaiam 45, 8 clamantes et dicentes: *Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Psaltes quoque regius eadem metaphora usus est psal. 109, ubi nos legimus: *Ex utero ante luciferum genui te*, quod ex hebraeo verti potest, si verbum latinum verbo hebraeo reddas, *Ex utero aurorae tibi ros nativitatis tuae*, ut indicetur Christus ex purissimo sanguine in utero virginali conceptus, et ex eo genitus sicut ros quem aurora demittit. Ait ergo: *Ex utero aurorae*, hoc est Virginis, *tibi*, o Christe suppeditata est materia generationis tuae, videlicet sanguis purissimus veluti ros aurorae nitidissimus. Quemadmodum vero terrenus vapor vi coelesti in sublime fertur, fitque ros; sic purissimus Virginis sanguis a Spiritu sancto in sublimitatem admirabilem elatus admirabilis generationis ros et materia factus est.

VII. Stella matutina sive aurora solet homines ad opus surgere; tunc enim surgente aurora fortes operarii de somno surgere solent, et quasi sereno illucescente ad opus suum exire, ne far- 16

te veniens paterfamilias, inveniensque eos dormientes increpet. Unde psal. 103, 23 dicitur aurora exorta. *Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperum.* Iure ergo B. Virgo aurora dicitur, nam ex quo ipsa mundo illuxit, ad labores homines exemplo suo excitavit, a somno otioque avocavit. Ante ortum huius aurorae homines erant otio dediti, desidiae indormientes. At ubi haec aurora mystica exorta est excusso somno desidiae, bonis operibus incumbere, ad labores festinare, ad omne opus bonum se accingere, suaeque saluti consulere coeperunt exemplo Virginis allecti, et excitati.

17 VIII. Stella matutina appellatur Deipara Virgo Maria; sicut enim impossibile est de tenebris noctis venire ad lucem, nisi mediante stella matutina seu aurora, sic impossibile est de tenebris vitiorum venire ad lucem gratiae et virtutum, nisi mediante intercessione Mariae, ut in epitheto proxime praecedenti multis auctoritatibus et rationibus probavimus. Apte igitur gloriosa Dei Genitrix appellatur *Stella matutina.*

18 Hanc stellam omnes superiorum aetatum patres, patriarchae, prophetae, reges non tantum iudaei, verum et gentiles expectabant, hanc ardentibus votis expetebant. Hinc apud Isaiam 21, 11 ad Deum loquuntur: *Custos quid de nocte?* Quod perinde est ac si dicerent: O Deus qui custos es hominum, quid de nocte? hoc est quid de tanta tribulatione fiet? quamdiu in hac nocte ignorantiae peccatorum, et miseriarum versabimur? quando aderit mane, quo Sol iustitiae Christus oriatur? Quibus respondet Deus ibidem: *Venit mane et nox.* Hoc est, instat mane, et tamen nox est; non longe abest sol, cum iam adsit lucifer, nimirum B. V. Maria eius Mater.

19 Ipsum puto lucta illa Iacobi cum angelo indicabat. Luctabatur ille cum angelo precibusque et lacrimis benedictionem ab eo postulabat, ut periculum quod sibi imminebat ab Esau fratre contra se cum quadringentis armatis veniente ope angeli evaderet. Sic enim Oseas 12, 4: *Et invaluit*, inquit, *ad angelum, et confortatus est: flevit et rogavit eum.* Cui angelus: *Dimitte me, aurora est.* Ad eundem modum sancti patres precibus et lacrimis cum Deo luctabantur, ut Messiam promissum ab eo obtinerent. Quibus respondet Dominus: *Dimitte me, aurora est.* Hoc est cesset iam instantia vestri luctaminis, quia iam aurora apparet, iam lucifer oritur, hoc est Sanctissima Virgo, quae vobis verum solem pariet, qui vestras tenebras splendore sui numinis dissipabit. Quare Salomon in spiritu ortum huius aurorae conspicatus admirabundus dicebat: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens?* Cant. 6, 9.

20 Eandem nos expectantes devote salutemus. O pulcram auroram splendidissime renitentem ac fulgentem! o auroram non fabulosi Memnonis, sed Dei veri Genitricem! o auroram gratiis plenam! o auroram auream et nitidissimam! o auroram magni solis non solum praeeuntem, sed etiam matrem! o auroram aeternae caliginis exterminatricem, aeternae lucis inventricem! Felix ac beatus qui puris oculis hanc puram lucem spectare potest. Illustra, o Virgo, splendore tuo tenebras nostrae caecitatis, diem videre cupimus; mentes nostras de nocte, tuaque luce perfunde; dispelle, o eximium mundi lumen, atram caliginem errorum ac peccatorum fulgore tui luminis, ut tua sancta prece lucis perpetuae mereamur esse consortes. Amen.

SALUS INFIRMORUM

Ordo ad praecedentia. Auroram multum ad sanitatem valere diximus, Beatam Virginem auroram esse probavimus; proinde merito hoc epitheto mox eam condecoramus *Salus infirmorum.* Beata Virgo Maria valet contra universa infirmitatum genera, et est remedium illi simile, quod graeci *panchrestos* et latine dici potest morbis omnibus conducibile, vel omnibus affectibus utile, quomodo Cicero per iocum pecuniam vocat medicamentum panchrestum quod ad varios usus sit utilis. Tale medicamentum est Deipara Virgo Maria ad omnia utile. Rarum equidem ac singulare, quale in medicorum officinis non invenias, in quibus unum aliquod multis, immo omnibus morbis adferre remedium inauditum est, licet aequet aut vincat theriacam venetam, mithridaticum, herbam moly Homero decantatissimam. Hoc autem mirum non est, si benignitatem Deiparae attentius animo revolvas. *Nam haec*, ut inquit divus Bernardus sermone super *Signum magnum*, *omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine eius accipiant universi; captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam.*

Infirmitates humanae. Age infirmitates nostras breviter percurramus, assertionem hanc veritati valde consonam inveniemus. Infirmitates sunt miseriae nostrae, quas patimur in corpore et anima. Infirmitates corporis sunt mille aerumnae, quas in hoc saeculo perferimus, ut fames, sitis, nuditas, tot morborum genera, ut nec libris medicorum omnia comprehensa sint. Spirituales sunt obscuritas et ignorantia in intellectu, proclivitas ad malum in voluntate, metus et formidines in irascibili, prava concupiscentia in concupiscibili: nunc mundus, nunc caro, nunc daemon nos tentat: nunc scrupuli angunt, nunc suspiciones et terrores deprimunt, nunc cholera irritat, nunc calumniae, probra, irrisiones affligunt, nunc labores fatigant, nunc dolores, poenae exanimant, etc. *Multiplicatae sunt infirmitates eorum*, id est hominum. Contra haec infirmitatum genera B. V. Maria est optimum antidotum. Quare optime ei accinitur ab Ecclesia: *Salus infirmorum.* Quod quatenus verum sit, videndum est.

DISCURSUS CCCLXII

B. V. MARIA EST *SALUS INFIRMORUM* INFIRMITATIBUS CORPORALIBUS LABORANTIUM

1 Infirmitates corporales. Infirmitates corporales sunt, quae corpus humanum afficiunt, ut fames, sitis, aliaeque innumerae, quas et libri medicorum vix enumerare sufficiunt. In his omnibus persanandis et curandis Deipara Virgo est praesentissimum remedium.

2 Esurientes pascit B. V. Maria. 1. Deipara Virgo famem pellit, esurientes pascit. Est enim velut sancta illa vidua sareptana quae Eliam fame tabescentem pane subcinericio refecit, 3 Reg. 17. Illustre est, quod in vita s. Alberti carmelitae viri sanctitate, ac signorum gloria conspicui narratur. Cum urbs Messana in Sicilia a Roberto rege neapolitano arcta obsidione premeretur, et extrema commeatus inopia obsessi laborarent, proceres cum civibus sanctum virum adeunt obnixeque rogant, ut preces ad clementissimum Deum, eiusque Virginem Matrem in tanta orbis necessitate funderet; quod ubi fecisset, tres triremes onustae annonam importarunt, quae expositae nusquam visae sunt. Creditum est Virginis imperio angelorum ductu eas appulsas fuisse. Ex Surio. S. Albertus carmelita patrocinio B. Virginis annonam impetrat.

3 Affine est, quod eadem Virgo Deipara cum s. Catharina senensi ex farina quadam corrupta panes egregios in pauperum usus efficere voluerit. S. Antoninus in vita s. Catharinae senensis. Plura huiusmodi exempla superius retulimus, cum de gratiis et beneficiis a B. Virgine in Ordinem praedicatorum collatis trac-

tavimus. Quam multi hodie fame interirent, nisi epulis a B. Virgine occultis quibusdam modis procuratis sustentarentur.

4 Sitientes potat B.V. Maria. II. Sitim extinguit. Est enim Deipara Virgo decora illa Rebecca, quae servum Abrahae Eliezerum multa siti arescentem oblato liberaliter potu recreavit, dicens: *Bibe, Domine mi*, Gen. 24, 18. Est illa mystica Maria, quae Israelitis in deserto degentibus aquam per totos 40 annos meritis suis impetravit. Miraculo data fuit Hebraeis aqua in solitudine ex petra, Exodi 17, 6. Miraculo per 40 annos conservata. Tradunt enim Hebraei illum fontem e silice divinitus erumpentem toto tempore, quo Israelitae per desertum iter agebant, illos fuisse comitatum, sive ro vera ipsa rupes pariter cum illis ambularet, sive solus fluvius modo per acclivia montium violentus asscenderet, modo per declivia vallium pacatus decurreret, modo per aequata camporum compositus sequeretur, iuxta illud Apostoli 1 Cor. 10, 4: *Consequente eos petra*. At cuius meritis tantum miraculum obtinere potuerunt? Rabbi Salomon apud Lyranum Num. 20, 6, et rabbi Isaac apud Genebrardum psalm. 77, 19 meritis Mariae sororis Moysi id attribuunt. Postquam enim Maria mortua est, statim defectus aquae narratur. Num. 20, 1, 2: *Mortua est ibi Maria, et sepulta in eodem loco. Cumque indigeret aqua populus*, etc. Ubi tacite quodammodo innuitur illam aquam totos 40 annos meritis Mariae redundasse, siquidem Maria deficiente, statim additur et aquam defecisse. Si igitur Maria Moysis soror tantam gratiam populo iudaico praestare potuit, quid Deipara V. Maria generi humano non praestabit, ut ex ea immensa quaedam gratiarum flumina in Ecclesiam redundent, ex quibus universi bibant, non tantum 40 annis, sed quamdiu hoc saeculum in quo siti laboramus durabit? Praestabit sane. Haec enim multo nobilior, et Deo gratior est, quam illa. Illa fuit soror Moysis, haec soror Dei. Illa parvulum Moysen per matris eius nutritium a morte liberavit: haec autem parvulum Christum ab Herodis furore praeservavit. Illa prophetiae accepit spiritum in veteri lege; haec autem in nova veterum prophetarum finis existens, prophetissa generans magnum Prophetam fuit. Illa in veteri testamento terra ac mari clausum populum Hebraeorum virgo ad terram Chanaam praecessit: haec vero in novo virtutum suarum exemplo omnes ad coelorum regna properantes antecessit. Si igitur Maria illa antiqua potum copiosum populo Hebraeorum exhibuit, multo magis Maria nova populum christianum sitientem refocillabit; proinde a Scriptura sacra et sanctis patribus B. Virgo passim appellatur fons, puteus, aquaeductus, cisterna, etc. Cantic. 4, 15 dicitur *fons hortorum, puteus aquarum viventium*. S. Epiphanius orat. de Deipara eam salutat: *Ave gratia plena, qua sitientes perennis fontis dulcedine satias*. D. Chrysostomus: *Ave, quae es puteus semper viventis aquae*. D. Bernardus Divam Virgin. aquaeductum appellat, alludens ad illa verba Eccli. 24, 41: *Sicut aquaeductus exivi de paradiso*. S. Methodius orat. in Hypapantem B. Virginem ita alloquitur: *Tu bethlehemitica illa cisterna, quam veluti vitae refocillatricem David desideravit*. D. Bonaventura in litaniis B. Virginem nominat *deliciarum Dei dapiferam, et coelestis curiae pincernam*. Non est dubium quin multi siti extinguerentur, nisi illa misericordiae suae fontes copiosos atque uberes nobis aperiret. Primo equidem sitim spiritualem animorum nostrorum extinguendo, deinde sitim corporalem a nobis repellendo.

Mariae sororis Moysis cum B. Virgine parallelus.

5 Qui et quot infirmi per B. V. Mariam sanati. III. Ægrotos sanat. Quis enumerare sufficiat, quot Deipara Virgo morbos sanavit, quot salutaria antidota singulis morbis praescripsit, quot vulnera lethalia curavit, quot pestes avertit, quot febricitantes sanavit, quot paralyticos erexit, quot caecos illuminavit, quot delirantes ad sanam mentem reduxit, quot iam iam morituros ab ipso interitus limine retraxit, quot iam iam de vita sua desperantes singulari suae praesentiae solatio perfudit, et incolumes servavit? Ingens volumen conscribendum esset, si ea quae sparsim in probatis auctoribus in hoc genere miracula inveniuntur, colligere vellem. Sed ab hoc labore me liberarunt Ioannes Bonifacius, Iustus Lipsius, Caesarius, Ioannes Trithemius, Petrus Antonius Spinellus, Fridericus Fornerus, Ioan. a Carthagena, Abraham Bzovius, Valerianus lithuanides, et alii plurimi qui hoc argumentum satis fuse tractarunt. Nonnullos tamen insignioris notae ac vitae sanctimonia claros viros ac mulieres per Deiparam Virginem pristinae sanitati restitutos, quorum sanatio miraculosa a gravissimis auctoribus celebratur, referre libet.

6 Per Deiparam s. Adelbertus episcopus pragensis, qui Polonis et Hungaris evangelium praedicavit, extremum vitae periculum evasit. Infantulus ardentissima febre correptus, a parentibus B. Virgini oblatus his verbis: *Non nobis Domine, non nobis vivat puer iste. Sed clericus in Dei Matris honorem portet iugum tuum*, in ictu oculi sanatus est; et postmodum episcopali munere, vitae sanctitate, miro animarum zelo, corona demum martyrii se Dei Genitricis alumnum fuisse comprobavit. Surius in vita eius. S. Adelbertus.

Per Deiparam s. Petrus coelestinorum institutor, summo pontificatu deposito clarus oculi sanitatem recepit. Cum trimulus esset, ligno acuto in dextro oculo percussus et excaecatus, desperata a medicis eius curatione, a matre in ecclesiam B. Virgini dicatam delatus inter preces matris sanatus est. Petrus de Alinco cardinalis in eius vita, cap. 4. Apud Surium die 19 maii. 7 S. Petrus de Morono.

Per Deiparam Romani lue inguinaria saevissima infecti ad supplicationem populi, et preces sancti pontificis Gregorii in solemni processione imaginem Dei Genitricis deferentis ab atrocissima peste liberati sunt. Baronius ad annum 590. Eiusdem Dei Genitricis ope basiliscus spiritum pestilentem exhalans, in eadem urbe multos enecans miraculose fugatus est. 8 Romani.

Per Deiparam s. Ioannes Damascenus dexteram a principe Saracenorum ob defensionem sacrarum imaginum sibi amputatam, integram recipit. Ioannes patriarcha in vita d. Damasceni. 9 S. Ioannes Damascenus.

Per Deiparam s. Welfridus episcopus eboracensis sospitati restitutus est. Iam quasi mortuus sine cibo et potu, sine voce, auditu triduo iacuit, cum s. Michael archangelus assistens per orationes ut lacrimas discipulorum, et fratrum suorum, ac per intercessionem B. Dei Genitricis Mariae sibi vitam donari denuntiavit: et mox cunctis gaudentibus, et Deo gratias agentibus, convaluit. Venerabilis Beda lib. 5 hist. Anglorum. 10 S. Welfridus.

Per Deiparam s. Theodorus Siccota episcopus Anastasiopolis vitae asperitate, sanctitate ac miraculis clarissimus ab aegritudine curatus est. A sceleratis hominibus veneno tentatus, cum iam triduo mutus atque immobilis iacuisset, adeo ut rumor de morte eius iam increbresceret, post tertiam diem apparuit ei Dei Genitrix Virgo, quae sceleratis hominibus exitium comminata, et morbi causam aperiens, et insidiatores patefaciens a manu sua tria collecasia dedit. *Haec*, inquit, *comede, et nihil tibi erit mali*. Somno solutus vir sanctus sanatum se reperit, et Christo Salvatori, et immaculatae eius Matri Virgini gratias egit. Surius in vita eius die 22 aprilis. 11 S. Theodorus.

Per Deiparam s. Luduvina in morbo gravissimo acutissimisque doloribus solabatur. Solebat illi Mater misericordiae angelum delegare qui benevolo aspectu et coelesti decore eam recreabat, et cruciatuum acerbitatem levabat. Ille idem angelus Luduvinam ad Deiparam saepius adducebat, et deinde ea salutata ac permittente, in amoenissimum locum, ubi florum mira varietas ac coeli tanta temperies erat, ut neque ob aestu, neque ab algore sibi Luduvina metueret. Nonnunquam ab altari Virginis ad poenarum loca eam raptabat, ut ex iis disceret leviora pati; inde ad contuendos coelicolas elevabat, quorum tantum videbat numerum, tantam oculis inde voluptatem et oblectationem capiebat, ut a raptu ne minimam se quidem narrare posse partem fateretur. Inclamabat autem ex illo coetu quidam animans eam: Patere constanter Luduvina, et fortiter, si quae praeterea ferenda tolerandaque restant; nos enim per aquam et ignem transivimus, nunc autem in quiete vivimus. Ex eius vita apud Surium. 12 S. Luduvina.

Per Deiparam Hermannus ille Contractus, sic dictus quod omnibus corporis membris iam inde a iuventute captus esset, ex comite Weringesi nobilissimo d. Benedicti monachus factus a membrorum contractione curatus est. 13 Hermannus Contractus.

Per Deiparam s. Radbodus traiectensis episcopus spiritu prophetiae et vitae sanctitate illustris convaluit. Graviter decumbebat, ita ut vivendi spem omnem abiiceret. Beatissima Dei Genitrix semperque Virgo Maria, subsequentibus ipsam sanctis virginibus Thecla et Agneta, cum multa luce ei apparuit, his eum verbis affata: Ne timeas, Radbode, certus esto te intueri, cui crebro supplices offers preces. Non ego te dedignor mea consolari praesentia, qui in tuis ad Deum precibus mei semper memoriam usurpas. Noveris autem nihil ex hoc morbo imminere periculi, sed curatum te iri, nec tamen diu postea in carne victurum. Securus esto tui, vigilare, et operari ne cesses; sed perge ut coepisti. Dixit, et splendor repente disparuit, sed odor gratissimus diu permansit, et morbus omnis ablatus est. Surius in vita eius cap. 13, ad diem 29 novembris. 14 S. Radbodus.

Digitized by Google

15 S. Anselmus. Per Deiparam s. Anselmus cantuariensis archiepiscopus doctrina, et sanctitate clarissimus a repentino mortis periculo ereptus est. Nocte quadam corporis necessitate silentio surgens, lento pede exiit, et immemor foveae per tenebras in partem divertit, ac in profundum cecidit clamorosa voce cadendo dicens: *Sancta Maria*. Ad quem sonitum eius socii prae timore huius casus fere exanimati accurrentes sanctum vident in profundo, et sanum omnino ac incolumem educunt. Surius in vita eius die 21 aprilis.

16 S. Fulbertus. Per Deiparam Fulbertus carnotensis episcopus sanatus est, cui aegrotanti per visum Beata Virgo apparuit, sacraque sua ubera sugenda praebuit; et ons cum lacte sanitatem, insuper et spiritum prophetiae infudit. Baronius ad annum 1028.

17 Bernardus. Per Deiparam s. Bernardus abbas claraevallensis acris doloribus solutus est. Cum aliquando aegrotaret ad mortem, et magnis doloribus vehementius urgeretur, adfuit ei Beata Virgo duobus stipata ministris, beato scilicet Laurentio, et beato Benedicto, qui impositis ei manibus, loca doloris tactu piissimo lenientes omnem prorsus aegritudinem depulerunt. Guilhelmus abbas s. Theod. in vita eius.

18 S. Franciscus. Per Deiparam b. Franciscus Ordinis minorum fundator nonnullis sanitatem donavit. Ad Moricum coenobitam quemdam ex Ordine cruciferorum gravi ac diuturno morbo laborantem, missis ei panis micis cum oleo de lampade quae coram Virginis altari ardebat, commistis, quasi quodam electuario mosvit. Mox enim ut antidotum illud aeger homo gustavit, tantum mentis et corporis a Deo vigorem obtinuit, ut paulo post viri sancti Religionem ingressus in magna corporis austeritate perseveraverit. Idem s. Franciscus post obitum cum Christo regnans quamdam mulierem in partu laborantem per antiphonam *Salve Regina* liberavit. S. Bonaventura in eius vita.

19 S. Nicolaus tolentinas. Per Deiparam s. Nicolaus tolentinas sanitatem recepit. Cum enim aliquando gravi febre affictaretur, Beatissima Virgo se ei conspicuam ostendit ac blandis verbis admonuit, ut a religiosa femina recentem panem in nomine Filii sui Iesu Christi postularet: quod cum ipse fecisset et panem acceptum intinctum aqua degustasset, statim febris abscessit: quo etiam pane multis alius sanitatem obtinuit. Ex eius vita.

20 B. Reginaldus. Per Deiparam b. Reginaldus aurelianensis, decanus Ordinis nostri, postea professus, a gravi infirmitate et a medicis iam desperata surrexit. Rem gestam fusius narravimus superius ex s. Antonino et aliis.

21 S. Philippus Nerius. Per Deiparam s. Philippus Nerius iam pene moribundus a faucibus mortis ereptus est, cui B. Virgo se visendam exhibuit, et a gravi infirmitate eum liberavit. Antonius Gallonius in eius vita. Idem s. Philippus multis aliis per Deiparam Virginem corporis valetudinem restituit. Inter quos praecipuus est Caesar Baronius S. R. E. cardinalis, qui in ultimum vitae discrimen adductus, postea convalescens orationibus b. Philippi eam sanitatem acceptam retulit. Abraham Bzovius in vita Baronii.

22 S. Albertus carmelita. Ante b. Philippum s. Albertus carmelita per Beatae Mariae Virginis invocationem multis sanitatem restituit, ut Surius in vita eius die 7 augusti testatur (1).

23 Ab aliis sanitatum beneficiis per Deiparam Virginem obtentis in particulari commemorandis studio abstineo. Haec enim enumerare esset vastissimum oceanum cocleari in scrobem bipalmarem infundere. Abunde id testantur templa, altaria, imagines, tabellae depictae, votiva dona ex cera, argento, auro confecta in honorem Virginis in signum receptae sanitatis ab infinitis fere appensa. Testis est sacrosancta aedes lauretana, fons ille curationum, et miraculorum officina; testis Hallarum urbecula, ubi crebra fiunt miracula: testis Portiuncula, Ordinis minorum gloria; testis Hispania multis prodigiosis imaginibus B. Virginis de quibus superius diximus, decorata. Ad quas tanquam ad sanitatum officinas populi in morborum periculis confugiunt.

Polonia quas imagines B. M. Virginis miraculis coruscantes habeat. Sed quid extranea commemoro? In sola Polonia tam multae sunt huiusmodi sanitatum officinae, ut nedum me enumerantem, casque scribentem, verum etiam legentem fatigarent. Aliquas commemoro. Testis est apud Cestochoviam claromontana ecclesia imagine Deiparae Virginis a s. Luca depicta dotata, in insanabilibus morbis curandis, in expellendis ex obsessorum corporibus spiritibus malignis, in mortuis ad vitam revocandis, in cunctis denique miserorum ad Virginem confugientium necessitatibus sublevandis celeberrima. Testis villa Gidle, oppida Siepro, Skape, Lezaiskum, Sokal, aliaque propemodum infinita templa, sacella, altaria et imagines, maxime in Ordine praedicatorum in rosario, in quibus diversi ac innumerabiles cernuntur curati morbi ope Dei Genitricis Mariae, ut testatissima annalium, et scriptorum fidelissimorum fide satis constat. Cogitata me adnumerata dedisse, quae numerum superant, et obstupescite Virginem immensum pelagus curationum.

Praeclarum est illud quod Caesarius lib. 7, c. 15 hac de re, et de templis eiusdem Virginis quae aetate sua multis clarebant miraculis, scriptum reliquit. *Medicina*, inquit, *B. Mariae Virginis nihil est efficacius, nihil salubrius*. Quod et nos inferius latius commonstrabimus. Ad infirmitates spirituales veniamus.

DISCURSUS CCCLXIII

BEATA VIRGO MARIA EST *SALUS INFIRMORUM* IN INFIRMITATIBUS SPIRITUALIBUS LABORANTIUM

Per peccatum protoparentum sauciati sumus nedum in corpore, verum et in animo, in intellectu videlicet per obscuritatem et ignorantiam, in voluntate per proclivitatem ad bona caduca, in irascibili per varios metus et formidines, in concupiscibili per infirmitatem et concupiscentiam multiplicem, tentationes, etc. Beata Virgo Maria sua potenti virtute haec omnia sanat, ubi fuerit devotius et confidentius invocata. Age id probemus. 1

1. Ipsa intellectui lumen et scientiam infundit, ignorantes enim docet, rudibus scientiam donat. Ipsa enim est sapiens illa Debbora, quae Israelitas de suis singulis officiis erudiebat, Iudic. 44. Ipsa est prophetes illa Holda, quae divina rudi populo evulgabat, 4 Reg. 22, 14. Quare optime Cant. 4, 4 de ea dicitur: *Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis*, hebraice, *constituta ad disciplinas*, et Pagninus vertit: *aedificata ad docendum*. Unde B. Virgo Prov. 8, 33 clamitat: *Audite disciplinam, et estote sapientes*, quod iam superius declaravimus. Ex illa enim discimus et docemur. Ipsa gymnasium quoddam est, in quo doctores, atque magistri docentur et informantur. Certum est multos Deiparae beneficio in fide et scientia instructos, et in via salutis institutos fuisse. S. Gregorius thaumaturgus Virginis iussu a s. Ioanne evangelista altissima SS. Trinitatis mysteria edoctus est. Hermanus Contractus sacrarum litterarum scientiam, linguarumque latinae, graecae, arabicae peritiam a Deipara obtinuit. Rupertus tuitiensis abbas scientiarum eruditionem a B. Virgine accepit. B. Albertus magnus Ordinis nostri lumen Deiparae favore doctissimus evasit; quae nos superius ex probatis auctoribus deducebamus. Non commemorabo s. Thomae aquinatis splendidissimi Ecclesiae sideris doctrinam, quam simul cum illa salutatione angelica pocrulam in cunis deglutiverat, velut alter Ezechiel volumen. Ferunt qui viderunt p. Franciscum Suarez Societatis Iesu, illustrem sanctitate et doctrina virum, omnia sua dubia quae inter studendum occurrerent, solitum conferre cum B. Virgine, a qua cum resolutionem acceperat, saepe visus est genua flectere, eique gratias agere. Franciscus de la Croix in suo Hortulo mariano areola 3, cap. 2. Inde ex hoc fonte existimo Suarezium tantam scientiae ac subtilitatis copiam hausisse. Udo episcopus magdeburgensis scientiam a Deipara adeptus est; sed infelix, ac ingratus multis sceleribus se contaminans, eam amisit, et iudicio Dei in se provocato, miserabili morte extinctus est; cuius historiam plenius scribit Trithemius in chronico hisaugiensis monasterii, et Petrus Anton. Spinellus tractat. de exempl. ac mirac. B. Virginis num. 36. 2 Scientiam donat B. V. Maria.

II. Voluntati constantiam in bono confert. Salutaria enim hominibus praestat consilia, ut errores relinquant, peccatis renuntient, virtutibus insistant, mundum aspernentur, Deum amplectantur, denique totos se a terrenis abducant, transferant ad divina. Ipsa enim est mater illa Salomonis, quae filium in statu regem, aetate puerum, usu inexpertem, iuvenili licentia innumeris periculis proximum non cessabat ad frugem, ad pietatem, ad religionem informare. *Visio qua erudivit eum mater sua*, Prov. 31, 1. Hoc igitur munus est Deiparae, ignorantiae nostrae tenebras lumine sapientiae suae dissipare, ac dispellere; rebelles 3

(1) Hodie per aquam huius sancti (sic enim eam vocant) quam infirmis praebent fratres carmelitae cum apposita benedictione et ipsius reliquiis, aegri miraculose sanitatem adipiscuntur. Haec benedictio habetur in missali carmelitarum in benedictione aquae sancti Alberti. *Editor*.

voluntates quandoque suavi admonitione, quandoque dura increpatione ad Deum compellere: quod exemplis probat Petr. Anton. Spinellus cap. 20, n. 52, et 53.

4 III. Irascibili heroicam fortitudinem tribuit, ut homo iugum daemonis excutiat, eius illecebras et peccata viriliter superet, in quibusvis periculis, tribulationibus, angustiis erecto sit animo et celso, quosvis hostiles impetus eludat, generose et audacter eis occurrat, ut in epitheto *Virgo potens* plenius dicebam, et inferius in titulo *Auxilium christianorum* dicam.

5 IV. Concupiscibili honestatem et rectitudinem confert. Concupiscentiae ardores sopit, consuetudinum malarum vincula rumpit, facitque ut homo nihil, nisi rectum et honestum concupiscat, nullis carnalibus desideriis cedat, nullis voluptatibus acquiescat, ambitionem ac popularem gloriam vincat, non eum pecuniae amor a recto abducat, non vehementia passionum perturbet. Ipsa sua mansuetudine irae impetum cohibet, superbiae motum sua humilitate sedat, libidinis flammam sua castitate extinguit, avaritiae sitim sua liberalitate temperat, tatiae indecoris pruriginem sua puritate purgat. Ipsa tentationes, malas cogitationes, omnesque infirmitates depellit, et sanat, ut homo sibi redditus sanus et vegetus incipiat operari opera non tantum sancta, sed et heroica, quibus perfectionis christianae apicem et culmen conscendat. Hinc ei saepe occinimus: *Ave stella matutina, peccatorum medicina.* Illud etiam Eccli. 43, 25 ei optime accommodari potest: *In sermone eius siluit ventus, et in cogitatione sua placavit abyssum*; hoc est ipsa orante cessat ventus diabolicae tentationis: et quando de ea devote cogitamus, placat abyssum cordis humani, quod est profundum instar abyssi. Ieremiae 17, 9: *Pravum est cor omnium, et inscrutabile: quis cognoscet illud?* Quisquis devoto corde Mariam nominat, Virginem mitem, humilem, benignam, sobriam, castam, misericordem, omni denique honestate ac sanctitate conspicuam sibi ante oculos proponit; omnes malas concupiscentias, prava desideria, malas cogitationes a se prorsus expellit, reiicit, propulsat; et sanctas cogitationes, pia desideria et iusta opera apprehendit. Maria est velut serpens ille, quem Moyses exaltavit in deserto, quem quicumque aspiciebat, a venenifero morsu protinus sanabatur: ita quisquis oculos mentis in B. V. Mariam figit, ab omni prorsus inordinata concupiscentia liberatur. Fusius hoc argumentum tractabam in titulo *Mater castissima.*

6 Denique Deipara Virgo Maria quosvis quavis infirmitate animi detentos sanat, moerentes solatur, afflictos recreat, labentes confirmat, iacentes excitat, iratos mitigat, ut exempla in hoc opere occurrentia monstrant; et ita pulsis moeroribus, timoribus, scrupulis, tentationibus, doloribus, pacem, securitatem, robur, integritatem, gaudium mentibus nostris aspirat, ut videre est ad oculum in iis qui patrocinio B. Virginis impensius se commendant.

7 *Cornelii a Lapide testimonium.* Locupletissimus huius rei testis est Cornelius a Lapide huius saeculi commentator gravissimus, eruditus ac disertus. Hic cum ageret confessarium in aede B. Virginis, scribens in proverbia Salomonis cap. 8, haec diserte narrat: *Oculatus huius rei sum testis. Cum enim ante viginti annos agerem confessarium in aede Beatae Virginis Asperi-collis iuxta Lovanium, ac confessiones peregrinorum eo quotidie turmatim per centenos, immo millenos confluentium exciperem, multi suae virtutis consilia et vota per Beatam Virginem transigenda mecum communicarunt. Hic enim dictitabat se hanc peregrinationem suscepisse, ut Beatam Virginem consuleret de statu vitae capessendo. Ille, ut virginitatem ei offerret, et dicaret. Iste ut Religionem ingrederetur. Alius, ut remedium scrupulorum, aliarumque tentationum a B. Virgine posceret. Alius, ut e salebris amorum et peccatorum emergeret. Alius, ut opus aliquod heroicum conficeret. Alius, ut lites rixasque ope ductuque B. Virginis componeret, etc. Se eam religiose adire, suaque ei vota offerre affirmabant.* Haec ille.

8 Igitur quisquis infirmus es, ad hunc fontem curationum accurre et salutem invenies; si esuris, Deipara cibum dabit, si sitis, potum propinabit; si morbus te cruciat, illa sanabit; si ignorantia, vel malitia, vel passio aliqua te excoecat, illa illuminabit; si timores, si scrupuli, si anxietates te angunt, illa cordis latitudines et laetitiam tribuit; si cholera infestat, illa melle dulcedinis suae te dulcorabit; si paupertas premit, illa ditabit; si tribulationes vexant, illa iuvabit; si hostes invadunt, ipsa tuebitur; nam teste d. Bernardo, ut iam diximus, *ipsa omnibus misericordiae sinum aperit, ut ex eius plenitudine accipiant universi.*

9 O Maria dulce remedium, esto mihi in labore subsidium, in dolore medicina, in aestu refrigerium, in omni actione auxilium, in omni passione solatium. Rape ad te cor meum, amore Filii tui inebria me, ut nihil cogitem, nihil amem, nihil desiderem, nisi illum; illi soli serviam, et placeam; illi soli loquar, scribam, operer, et patiar quidlibet, ut eo in aeternum in coelo fruar. Amen.

DISCURSUS CCCLXIV

A QUO TEMPORE, ET UNDE B. V. MARIA HABEAT, QUOD SIT, ET DICATUR *SALUS INFIRMORUM*

Gratiam curationum B. M. Virginem etiam eo tempore quo inter mortales egit, habuisse sentiunt gravissimi doctores. Beatus Albertus magnus in Mariali, d. Antoninus p. 4, tit. 15, c. 19, et Rupertus lib. 3 in Cantica. Idque colligi potest ex divo Damasceno, qui orat. 2 de dormitione B. Mariae sepulcrum illius alloquens: *Ubi est,* inquit, *fons ille, ex quo vita orta est? ubi abyssus gratiae? ubi pelagus curationum?* Quo ultimo verbo insinuat B. V. Mariam ante mortem fuisse dolorum ac infirmitatum medicamentum. Quod intellige quantum ad potestatem; usum enim miraculorum s. Thomas 3 p. q. 27, art. 5 ad 3 B. Virgini denegabat. 1

Franciscus Suarez in Societate Iesu primi nominis theologus, scribens in 3 part. s. Thomae, 2 tomo, disput. 20, sect. 3 hoc statuit praenuntiatum: *Verisimile est B. Virginem multa miracula perpetrasse, dum in vivis esset post Christi resurrectionem et ascensionem vel praebuisse multis sanitatem.* Quamvis enim ad eam non pertineret publice concionari, vel persuadere fidem; tamen ad magnum Ecclesiae bonum et perfectionem pertinebat, quod agnosceretur et coleretur ut Dei Mater. Atque id totum in Christi manifestationem redundabat, et fidem in ipsum confirmabat. Si hoc referatur ad tempus post Christi ascensionem, non video cur non debeat praedicari etiam ad mentem divi Thomae. Potuit igitur iam tunc B. Virgo appellari, et fortasse ita a popularibus suis salutabatur, ac invocabatur *Salus infirmorum.* 2

I. Porro hanc gratiam sanitatum B. Virgo habuit, quia ipsa medicum genuit, ipsa medicinam generis humani ex se produxit Christum Salvatorem, qui de seipso ait Matthaei 9, 12: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Huc referri potest, quod Ecclesiasticus 38, 4 dixit: *Altissimus creavit de terra medicamenta.* Quaenam est terra haec, de qua Deus creavit medicinam? B. V. Maria, de qua psalmista: *Benedixisti Domine terram tuam*; et apud Isaiam sancti patres: *Aperiatur terra et germinet Salvatorem.* Medicina itaque toti generi humano prodiit ex carne Virginis Mariae. Unde non est mirum, quod ipsa dicatur *Salus infirmorum*, ex qua nimirum omnibus infirmis sanitas profluxit. Huc spectat celeberrimus ille Deiparae titulus, *Lignum vitae*, de quo Prov. 3, 18 dicitur: *Lignum vitae est his qui apprehenderint eam.* Quod licet multi doctores intelligant de Christo Domino, vel de sancta cruce, vel de sapientia; Virginis tamen amatores patronae suae id accommodant. Lignum vitae fuit in medio paradisi, et vim efficacissimam habuit, sive prorogandi vitam in perpetuum ei qui vel semel gustasset ex eo, ut existimavit s. Augustinus et s. Chrysostomus, sive ad resarciendas aetatis senisque iacturas, ut docuit doctor angelicus 1 p. q. 97, art. 4. Haud secus B. V. Maria posita est in medio Ecclesiae, habens facultatem non solum conservandi vitam eius qui ei suam incolumitatem commendat, verum etiam ad eandem perpetuandam. Vita cuiuslibet hominis et salus principaliter pendet a Christo qui dixit: *Ego sum via, veritas, et vita*; secundario tamen eadem vita et sanitas tribuitur B. Virgini, ex cuius utero vita mundi, et medicina prodiit, quae curandis omnibus tum corporis, tum animae infirmitatibus esset opportuna. Christus saepe solo contactu morbos curabat, ut sanctum evangelium narrat: *Virtus de illo exibat et sanabat omnes.* Hae sanationes quae a Christi carne prodibant, etiam in Virginem resiliunt, in qua, et ex qua compacta fuit caro illa ex qua salubris illa medicina in omnium levamen et remedium edita fuit. Bene itaque gloriosa Deipara *Salus infirmorum* dicitur, quae infirmo generi humano vitam et salutem edidit. Unde ipsa Virgo Deipara apud s. Ioannem Damascenum serm. de dormitione Virginis de se ita loquitur: *Ego quasi officina medicinae aegrotantibus, ego fons perennis curationum.* 3 *Lignum vitae est B. V. Maria.*

II. Dicitur *Salus infirmorum* ob excellentiam fidei. Miracula 4

Digitized by Google

Fidei miracula tribuuntur. solent attribui fidei. Matth. 17, 19: *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit.* Deipara autem in fide excelluit, ut superius in multis locis probavimus. Unde quantum antecelluit aliis sanctis in fide, tantum etiam excellit miraculosa hominum sanatione. Quare in morborum curatione plus una B. Virgo iuvare potest, quam possint omnes sancti. Flecte oculos in omnia saecula, omnium regionum templa, altaria, imagines, et miraculis refertissima reperies, quae virgineis precibus ac meritis in corporum medelam facta sunt. Id eleganter figura monstrare libet.

5 Parva illa puella quam latrunculi captivam duxerant de terra Israel in domum Naaman syri, dolens vicem heri sui lepra laborantis dixit: *Utinam fuisset dominus meus ad prophetam, qui est in Samaria, profecto curasset eum a lepra quam habet*, 4 Reg. 5, 3. Paruit ancillae Naaman, venit in Samariam ad Eliseum, et mox suae aegritudinis invenit medicinam. Mirum valde est, cur solus Naaman syrus, vir alienigena, impius, idololatra, a lepra mundatus sit, cum multi leprosi in Israel essent sub Eliseo propheta, et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman syrus, ut etiam ipse Christus Luc. 4, 27 testatur. Respondet Mendoza in lib. 1 Reg. c. 24, num. 11, sect. 2: Quia pro illo tantum puella illa israelitica aetate parva, sed fide magna spopondit, ac fidem suam interposuit fore ut sanaretur. Si igitur puellae illius israeliticae fides tam efficax fuit, ut domino suo sanitatem conferre potuerit, quantam putas efficaciam preces Deiparae Virginis apud Deum habebunt, ut ex quavis infirmitate convalescant, pro quibus illa preces fuderit, sponsionem fecerit, fidem suam obligaverit? Ipsa namque non ut ancilla pro hero, sed ut soror pro fratribus, immo ut mater pro filiis adoptivis filium naturalem deprecatur.

6 Mariae nomen medicinale. III. Dicitur *Salus infirmorum*, quia quidquid in ea est, medicina est. Vel ipsum nomen Mariae medicinale est; est namque oleum effusum, fluens ac penetrans suaviter, celeriter, efficaciter per omnia infirmorum membra. Oleum est nomen Mariae, quod ungit, mollit, fovet, roborat, consolidat, sanat. Audiamus Idiotam, sed sapientissimum cap. 5 de nomine Virginis ita loquentem: *Super omnia sanctorum nomina nomen Mariae lassos reficit, languidos sanat, illuminat caecos, penetrat duros, recreat fessos.* Suorum vita et respiratio Maria est, infirmorum salus, peccatorum medela. Richardus a s. Laurentio premens illa verba Ecclesiastes 7, 2: *Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa*, ea B. Virgini accommodat in hunc modum: *Mariae nomen dolori peccatorum medetur melius quam unguenta: nulla enim pestis est tam efficax, quae ad nomen Mariae non cedat continuo.*

Ipsum, ni fallor, Dominus ac Salvator noster insinuare voluit, cum resurgens a mortuis primum quod protulisse legitur nomen, Maria fuerit; Magdalenam namque, cui ante alios post resurrectionem suam apparuit, alloquens dixit: *Maria*, Ioann. 20, 16, ut nimirum insinuaret Mariae nomen adeo vitale esse, et cum vita illa immortali adeo cohaerere, ut primum de ore Salvatoris vitam iam immortalem agentis proferri dignum fuerit, ut ante me observavit Caesarius homil. de visitatione B. Mariae Virginis.

7 Fons apud Aeginenses salubris. IV. Dicitur et vere est Deipara Virgo *Salus infirmorum*, quia est fons perennis curationum. Apud Aegiaenses fons erat, in quem aegri respiciebant, ut in eo morbi valetudinisque suae exitum viderent, ut testatur Ludovicus Vives in lib. 7, s. Augustinus de civitate Dei cap. 35. Melius id et sine ulla superstitione in virgineo fonte reperias; nam quacumque infirmitate detentus ad B. Virginem pie respiciens non morbi tantum aut valetudinis exitum videbit, sed sanitatem etiam accipiet, aut certe in ferendo morbo patientiam et virtutem. Virginis templa, sive altaria adi, ibi sanitatis fontem invenies. Specta votivas tabellas ex cera, argento, auro ibidem appensas, statim fontis huius virtutem salubrem cognosces: et si devotius fontem illum inspexeris, efficacissimum remedium contra morbos tuos habebis.

8 Probatica piscina B. V. Maria. Erat Ierosolymis probatica piscina, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum expectantium aquae motum: angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate, ut narrat sanctus Ioann. 5, 2, 3, 4. B. V. Maria est ista probatica piscina, uti eam vocat Petrus Blesensis serm. 1 de adventu Domini, et Richardus lib. 9 de laudibus Virginis: *Maria*, inquit, *est piscina probatica, in quam angelus Domini, hoc est angelus magni consilii, ut eum vocat Isaias, tempore incarnationis descendit, et mota est aqua, quando ad novam salutationem turbata est Maria, et sanatus est unus, id est quotquot crediderunt Deum trinum et unum.* Ita Richardus. Certe salubriores sunt probaticae piscinae Mariae aquae, quam illius ierosolymitanae. In illa post motionem aquae sanabatur tantum unus. In virginea piscina non tantum unus sanatur, sed quotquot accurrunt, propemodum infiniti. Omnium quippe mortalium Virgo mater est, facta est quoque omnibus in medelam et salutem.

Igitur qui salutem quaerit, qui vitam, qui sanitatem habere cupit, ad Mariam currat, Mariam colat, Mariam invocet, in hanc probaticam piscinam se demittat, et a quacumque detinetur infirmitate, si id ei expediat, liberabitur. O Maria unicum molestiarum nostrarum levamen, omnium cordis dolorum medicamentum, tuos tibi devotos morbis obnoxios recrea, fove, adiuva, conforta, solare, sana. O Maria salus infirmorum, ora pro nobis. 9

DISCURSUS CCCLXV

CUR MARIA VOCETUR *SALUS*, CUM NEMO NISI A SANITATE CORPORI INHAERENTE SANUS DENOMINARI POSSIT

Vocula haec *Salus* quaestionem movet, et quaestio animum pulsat, cur videlicet B. Virgo Maria dicatur *Salus infirmorum*, cum nemo nisi a sanitate corpori, vel animo inhaerente sanus denominari simpliciter, at formaliter (ut scholae loquuntur) dici possit. Medicus salutem conferre potest, et interdum confert; non tamen ideo dicitur, aut dici potest salus infirmi. 1

Qui in negotio religionis catholicae delirant, probare volentes peccatorem non iustificari per iustitiam ac sanctitatem infusam, et animo inhaerentem, sed formalem causam in hominum iustificatione esse Christi Domini iustitiam, quae communicetur quodammodo, et apprehendatur per fidem, qua homines credunt sibi remissa esse peccata propter Christum, concedunt quidpiam posse ab extranea forma denominari et dici simpliciter tale: quemadmodum Christus 1 Cor. 1, 30 dicitur *Sapientia, iustitia, et redemptio nostra*; et Ieremiae 23, 6: *Et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustitia nostra*; sic enim vertunt ex hebraeo. Sed hoc, ut diximus, delirium est. Quis enim dicat aliquid esse formaliter tale, quod formam illam sibi inhaerentem non habet? Hanc stultitiam iam explosimus, cum superiora tomo hanc iustitiam quam Lutherani imputativam vocant, exsibilabamus. 2 Haereticorum de imputativa iustitia error refutatur.

Dicitur ergo B. V. Maria salus infirmorum, non quod illa sanitas, a qua Beatissima Virgo dicitur sana, uti a forma sibi inhaerente, dicatur salus infirmorum; sed quia ipsa confert infirmis sanitatem corporis et animae tum Christum verum medicum, veramque medicinam gignendo, tum salutem corporum et animarum impetrando. 3

Cum quempiam adeo perfectum in aliquo genere rerum significare volumus, ut nihil ei addi posse videatur, et reliquos omnes in eodem genere vincit et superat, non contenti nomine concreto, ut dialectici loquuntur, abstracto utimur, insinuantes eum tantae perfectionis esse, ut non formam rei participet, sed sit ipsa forma. v. g. Cum videmus aliquem valde sapientem, valde bonum, valde verecundum, valde hospitalem, etc. dicimus eum esse ipsam sapientiam, bonitatem, verecundiam, hospitalitatem, eo quod non tam virtutem habere, quam virtus ipsa esse videatur. Estque id usitatissimum in divinis litteris. Sanctus Ioannes in prima epistola 2, 2 de Christo ait: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, ac si dicere vellet: ipse est qui propitiatur peccatis nostris, ut psal. 102, 3 exprimitur: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis.* Rursus David psalm. 3, 4 in persona Christi ad Deum Patrem loquens: *Tu*, inquit, *Domine, susceptor meus es, gloria mea*, quod perinde est ac si diceret: Tu Domine es in quo ego glorior, et semper gloriabor, ut exprimitur Isaias 49, 3: *Quia in te gloriabor.* Ulterius idem psaltes canit: *Dominus illuminatio mea, et salus mea*, id est illuminator et Salvator meus. Paulus quoque apostolus eadem phrasi utitur 1 Cor. 1, 30: *Factus est*, inquiens, *nobis Christus sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio.* Non quod sapientia Christi, iustitia, sanctificatio sit ea, per quam nos intrinse- 4

Digitized by Google

ea dicimur sapientes, iusti, et sanctificati per imputationem, ut Lutherani somniant, sed quia Christus est causa efficiens nostrae sapientiae, iustitiae, sanctificationis. Sic etiam dicitur ps. 77, *Deus fortitudo nostra;* et psalm. 29, *Salus nostra;* et alibi, *sapientia nostra, redemptio nostra, pax nostra*, quia fortitudinem, patientiam, salutem in nobis operatur: sapientes nos fecit, redemit, ac Patri coelesti reconciliavit: *Pacificans quae in coelis ac in terris sunt.* Hoc eodem modo accinimus Deiparae Virgini Mariae: *Vita, dulcedo et spes nostra;* quia ipsa vitam nobis genuit, dulcedinem propinavit, spem nostram erexit, ut superius diximus in explicatione huius antiphonae *Salve Regina*.

5 I. Eodem modo hic accinimus ei: *Salus infirmorum*; quia ipsa perfectam sanitatem animae et corporis omnibus aegris ad se confugientibus confert. Quicquid salutis ac sanitatis hactenus ab ullo medicorum humana arte hominibus collatum est, quicquid ab aliquo sanctorum divinitus in subsidium vitae seu salutis alicui mortalium donatum est, Beatissima Virgo singulari quodam modo haec omnia suis clientibus contulit. Maria sola plures in quolibet genere morborum, sive animum spectes sive corpus, sanitati restituit, quam omnes medici olim et nunc celebratissimi restituerunt. Maria sola graviores infirmitates curavit, curandique modum ostendit, quam ab orbe condito universi doctores medici curaverunt. Id loquuntur infinitae propemodum tabellae, et votiva dona ad altaria, et imagines B. Virginis appensa in omnibus christiani orbis partibus.

6 *Scriptores de imaginibus B. M. Virginis.* II. Dicitur *Salus* per excellentiam ob infirmitates quaslibet in omni natione quae sub coelo est, feliciter curatas. Legatur ex Italis Horatius Tursellinus in historia lauretana; e Gallis Vincentius Bellucensis in speculo historiali; e Belgis Iustus Lipsius in Diva halleosi et sichemensi; e Germanis Ioannes Trithemius in opusc. de B. Virgine; Coppesteinus de rosario; Eucherius Sangius de B. Virgine vicerensi; e Polonis Martinus Cromerus, Abraham Bzovius de B. Virgine cestochoviensi; ex Hispanis Alphonsus Villegas de B. Virgine in monte Serrato, et Guadalupae, Garzias Loysa de toletana; ex Hungaris Bonfinius de B. Virgine apud Albam regiam; ex Lusitanis Osorius de B. Virgine ulissiponensi, et eborensi; ex Hibernia auctor vitae s. Laurentii; ex Saxonibus Albertus Crantzius de Deipara hildelheimensi; e Bavaris Aventinus annalium boicorum lib. 4. Hi omnes pene infinitos pristinae sanitati restitutos, innumeros pene vitae redditos per Beatam Virginem scriptis suis toti mundo produnt, ac manifestant. Horum multitudine ita obruor, ut in re testatissima ab eorum recensione consulto abstinere velim.

7 III. Dicitur *Salus* ob immortalitatis antidotum toti generi humano liberaliter propinatum. Christus ipse hominibus immortalitatem donavit, cum corpus et sanguinem suum eis in potum et cibum dedit. Unde ait: *Qui manducat me, ipse vivet propter me;* et iterum: *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet.* Huius immortalitatis etiam Virgo largitrix extitit, quae corpus et sanguinem Christi ex propria substantia ministravit. Virgini ergo post Christum totum genus humanum immortalitate donatum plurimum debet, quoniam ex eius utero haec medicina prodiit, quae nedum curandis animae morbis ac infirmitatibus corporis esset proficua, sed etiam immortalitatis conciliativa. Dicamus ergo B. Virginem esse salutem infirmorum ob immortalitatis antidotum toti orbi liberaliter propinatum.

IV. Dicitur *Salus infirmorum* in abstracto ob morbos arte humana immedicabiles facile persanatos. Nullius morbi, quamvis immedicabilis, est tanta malignitas, tanta contumacia, quem Deipara Virgo non depulerit, non sanaverit. Morbus immedicabilis est caecitas, cum a privatione ad habitum naturaliter non detur regressus; et tamen infinitos propemodum caecos B. V. Maria luce donavit, ut praefati auctores testantur. Morbus immedicabilis est pestilentia; et tamen huiusmodi innumeros Beata Virgo a mortifera illa contagione liberavit. Ex myriade exemplorum adducam unum memoria dignum, quod habet Frodoardus in chronicis. In pago, inquit, parisiacensi quadam lue, qua sensim exusta membra consumebantur, homines laborabant; plures in ecclesia Sanctae Dei Genitricis Mariae sanati sunt, adeo ut quotquot illo pervenire potuerint, asserantur ab hac peste salvati. 8 *Caecos luci restituit.* *Peste infectos sanat.*

In monte Pessulano in Gallia, ubi fons est artis medicae, tantas Beata Virgo in quadam sua ecclesia operatur sanitates, ut medici gratias invidentes pauperculis infirmantibus, et pro remedio sanitatum ad eos confluentibus dicere soleant: Ite ad ecclesiam B. Mariae, offerte ei candelam, et recipietis sanitatem. Id illi ironice dicunt, sed pauperes ab eis repulsi cum ad Beatam Virginem confugiunt, repente sanantur. Scribit Maximilianus Sandaeus oratione 1 circa finem ex Caesario. 9 *In monte Pessulano quantas gratias sanitatum B. Virgo conferat.*

Tantae quippe virtutis est Deipara Virgo, ut morbos quos medici nolunt, aut certe nesciunt, nec possunt sanare, ipsa mox sanet, si id expedire aegroto videt. Iure b. Albertus magnus Mariam appellavit *umbraculum infirmorum*; nam quando apud homines auxilium et refrigerium non inveniunt, apud eam solamen habent. Merito ergo B. V. Maria salus infirmorum per excellentiam dicitur; quia morborum omnium, etiam immedicabilium, et a medicis non cognitorum medicina est. 10

Valeat iam Aesculapius, valeat Hyppocrates, valeat Galenus, claudantur apothecae medicinales: Maria sit nobis medica omnem depellens languorem; ex qua enim Spiritus sancti virtute medicam hausit virtutem, nulla est tam profunda lateque deducta seu corporis seu animae plaga, quae Virginis ope non curetur. In ipsa praesens omnium aegritudinum remedium Deus posuit, qui operatus est salutem in medio terrae, id est Virginis. Ipsa est febricitantium restitutio, paralyticorum erectio, caecorum illuminatio, delirantium reductio; ipsa est aestuantium refrigeratio, laborantium refocillatio, desperantium fiducia; ipsa est tumentium repressio, hydropicorum exsiccatio. Quisquis igitur sanari cupit, Virginem colat, Virginem invocet, ad Mariam clamet: O Maria salus infirmorum, exultatio aegrotorum, quae totum hominem totumque mundum iam inde ab initio gravissime aegrotantem, et nimis putidum, et desperatum sanasti, quaeso, sana me afflictum, tribulatione pressum obumbra, laborantem solare, concupiscentiae aestu laborantem refrigera, persecutiones et calumnias patientem protege, variis morbis afflictum sana, ut per te refocillatus Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum laudare, eique servire merear in saecula saeculorum. Amen. 11

REFUGIUM PECCATORUM

Ordo ad praecedentia. **Maiores animae morbi sunt, quam corporis; et ideo postquam fidelis Ecclesiae chorus medicam virtutem ad quasvis infirmitates in communi in Beata Virgine agnovit, ac praedicavit, ei accinens: *Salus infirmorum;* nunc specialiter medicam vim ad animae morbos pellendos, scilicet peccata, in ea agnoscit, et decantat, accinens: *Refugium peccatorum;* peccata quippe sunt infirmitates animae. Unde David post lapsum in peccatum divinam misericordiam implorans psalm. 6, 2 canebat: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Huius itaque tituli occasione videndum est primo**

DISCURSUS CCCLXVI

UNDE EST, QUOD B. V. MARIA PECCATORIBUS NUMINEN ET REFUGIUM SE PRAEBEAT, CUM IPSA IN SANCTITATIS CULMINE POSITA SIT

1 Admiratio mentem subit, cur Deipara Virgo Sanctissima peccatores non abhorreat, sed recipiat, eosque foveat, protegat ac defendat, cum superius illud psal. 5 quod de Deo dicitur, *Non permanebunt iniusti ante oculos tuos*, ei accommodaverimus.

I. Sed admiratio cessat, si in ipsum Christum totius puritatis fontem oculos conicias, qui etiam peccatores non solum recipiebat, sed etiam cum eis manducabat, ut Matth. 9 legitur; erat quippe fons misericordiae. Unde sicut ad fontem omnes indifferenter currunt, ut aquam hauriant: ita ad Christum omnes 2

currebant, maxime vero peccatores propter quos de coelo in terram descenderat. Maria ergo quae hunc fontem misericordiae peperit, ab eius misericordia aliena esse non debuit. Sumpsit ex Mariae visceribus carnem Dei Filius, induit in Virgine hominem, substantiam nostram naturamque sibi in eius utero univit: hinc B. Virgo quae Deo substantiam carnis suae praebuit, eius misericordiae tam abunde consors facta est, ut sicut Deus *Pater misericordiarum*, ita Beata Virgo *Mater misericordiae* diceretur.

3 II. Spiritus sanctus cui tribuitur peccatorum conversio, Beatam Virginem obumbrans ei hanc mentem indidit, ut peccatoribus compateretur, eis ignosceret, eosque ad poenitentiam vocaret: insuper poenitentium *refrigerium* esset, et solamen.

4 Hinc cum Beata Virgo adhuc in mortali corpore nobiscum viveret, peccatores ad poenitentiam, peccatorum detestationem, sicut et Christus vocabat. Locupletissimus huius rei testis sit Auctor margaritae, qui ultim. moral. ita loquens: *Respicientes Christi et Virginis divinum vultum, non posito actuali obice, statim monebantur ad detestationem peccatorum, emendationem vitae, et maximam devotionem ex quodam coelesti fulgore ex eorum vultibus radiante.*

5 Latro in cruce ope B. Virginis ad Christum conversus.

Latronem quoque bonum ad Christum conversum fuisse ope B. Virginis refert s. Petrus Damianus in sermone quodam his verbis: *Bonum latronem resipuisse, quia Beatissima Virgo inter crucem Filii et crucem latronis posita Filium pro latrone deprecabatur.* Et paulo inferius: *Latro in cruce conversus est; sed cur non ante? cur non resipuit, cum Iesum in via sequebatur? cum crucem suam ferentem vidit, et comitabatur? Tunc convertitur, cum Maria iuxta crucem stabat; tunc ex latrone factus est martyr, cum pro eo Maria deprecabatur.* Hinc cognosce eum nullo modo perire posse, pro quo Virgo stat, et super quem protectionis suae umbram extendit. Lege Salmeronem tom. 10, tract. 40.

6 Misericordia Mariae erga peccatores.

Si itaque B. V. Maria adhuc inter mortales degens peccatoribus refugium, et maximen erat innocentiae, ac sanctitatis, virtutumque, nec non bonorum operum semina per oculos ad cor illis transmittebat, quanto magis nunc cum in gloria coelesti regnat, iisdem peccatoribus favebit, eisque innocentiae ac virtutum semina in corda immittet. Licet enim nunc plusquam regia dignitate fulgeat, in sublimi loco magna angelorum stipata caterva resideat; nihilominus non dedignatur nos aspicere, precibus nostris annuere, negotia nostra etiam minima apud Filium procurare. Humilitas quippe, quam tantopere in hac vita mortali coluit, humanitatis eam oblivisci non facit, nec sinit. Et sicut olim nec ipsa, nec Filius eius in cunis, cum cingeretur angelis, toto coelo concinente laetum illud *Gloria in excelsis Deo*, etc. pastorum rusticorum cantus non est aversata, nec vilia bovis asinique ministeria fastidivit: ita nunc in illa regia maiestate collocata preces nostras non despicit; sed materno affectu nos prosequitur, et in cunctis necessitatibus nostris benigne succurrit. Opportune loquentem ipsam B. V. Mariam ad b. Birgittam, prout lib. 7 revel. eius, cap. 25 legimus, audiamus: *Eadem humilitas est nunc in Filio meo in potentia deitatis suae, sicut tunc fuit, quando reclinabatur in praesepio iacens inter duo animalia.... Si etiam nunc sedens ad dexteram Patris audit omnes loquentes ad eum cum caritate, et respondet per infusiones sancti Spiritus...Similiter ego quae sum Mater eius, ita humilis sum nunc in corpore meo, quod est super omnia quae creata sunt, exaltatum, sicut tunc fui, quando Iosepho desponsata eram.* Et infra ad calcem capitis: *Sicut ergo humilis fui cognita soli Deo et Ioseph, sic etiam nunc sum humilis, sedens in sublimissimo throno, parata praesentare Deo omnium orationes.*

Humilitas Mariae in coelo regnantis.

7 Imbutus fuit antea hac ipsa persuasione s. Bonaventura qui in speculo Virg. cap. 8 ita scribit: *Magna fuit erga miseros misericordia Mariae adhuc exulantis in mundo, sed multo maior erga miseros est misericordia eius iam regnantis in coelo. Maiorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam.*

8 Par erat, ut quam amplioribus donis Filius suus cumulaverat in terris, amplioribus quoque honoribus decoraret in coelis. Si enim dum hic viveret, miserta est peccatoribus, et oravit pro eis, ut patet in Cana Galilaeae, nunc tanto amplius quanto verius cognoscit nostras miserias, orat pro nobis Filium, quia beata patria illa caritatem eius non immutavit, sed augmentavit. Neque enim quia impassibilis omnino, ideo et incompassibilis facta est; sed nunc potius sibi viscera misericordiae induit, cum ad fontem misericordiae exstat, secura quidem sibi, sed nostri solicita. Non enim cum infirmitatibus carnis simul se exuit visceribus pietatis, nec ideo sibi induit stolam gloriae, ut nostrae oblivisceretur miseriae. Non enim est terra oblivionis quam Maria inhabitat; non terra laboris, ut occupetur in ea; non denique terra, sed coelum est. Numquid coelestis habitatio animas quas admittit, indurat, aut memoria privat, aut pietate spoliat? Latitudo coeli corda dilatat, non arctat; exhilarat mentes, non alienat; affectus non contrahit, sed extendit. Hinc est quod nullo genus a beneficentia Mariae se abscondit; omnes de plenitudine eius accipiunt, ut toties dicebam. Divus Bernardus ait: *Sileat misericordiam tuam Virgo Beata, qui te invocatam in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.* Nullus ergo peccator desperet, nostra namque indignitas, nec Virginis sublimitas impedit, quominus ad eam securo confugiamus. Nunc iam fontes aperiamus et narremus, unde B. V. Maria habeat, quod tam misericors in peccatores sit, et unde ipsi peccatores fiduciam sumere debeant, quo fiducialiter et intrepide ad Virginem tam sanctam accedant. Non est quod peccata nostra ab eius benignitate nos deterreant.

III. Ipsa est mater nedum iustorum, verum etiam peccatorum. Hinc Cant. 4, 5 duo ubera habere dicitur quibus (interprete Richardo victorino) gemellos alit infantes, iustos scilicet et peccatores, his veniam, illis gratiam impetrando. Sara olim non modo filium in singulari, sed etiam filios in plurali, ut est in hebraeo, lactasse dicitur, Gen. 21, 7, quia, ut Hebraei interpretantur, non solum proprium filium Isaac, sed etiam alienos domum suam invitatos ad lactis ubertatem ostendendam indulgentissime lactabat. Ad eundem modum B. Virgo et iustos quos tanquam proprios filios cognoscit, et peccatores quos sibi adoptat, ut mater lactat, et suae misericordiae ubertatem, seu immensitatem omnibus manifestet. Tantus autem est huius divinae Matris non solum erga iustos, sed etiam erga peccatores affectus, ut nihil in humanis inveniam cui illum comparem. Si accumulem matrum omnium tenerrimum affectum erga parvulos, nutricum amorem erga infantulos, patrum pia viscera erga filios, animalium flagrantissimum amorem erga fetum, nihil dixero; infinitis enim pene partibus amor Mariae erga suos clientes omnia superat. 9

B. Virgo mater est nedum iustorum, verum et peccatorum.

Amor Mariae erga suos clientes.

Ad insinuandam hanc Mariae maternitatem quoad peccatores, postquam d. Ioannes pompam B. Virginis descripsit, inquiens: *Signum magnum apparuit in coelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim*, mox subiecit: *Et in utero habens clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat*, Apoc. 12, 1, 2. Quid est quod Beata Virgo pariens cruciatum sentit, quae sine dolore Filium Dei peperit? quid est quod clamat, et dolens parturit, quae inexplicabili gaudio perfusa mundo Salvatorem edidit? Intellige mysterium. Non de partu Christi loquitur, quem constat sine ullo dolore peperisse, sed de peccatorum parturitione, qui sua pervicacia saepius Matri pissimae dolorem adferunt. Peccator est alter *Benoni*, hoc est filius doloris, qui toties Matri suae Mariae doloris causa est, quoties Deum offendit. Hunc Maria parit, quando impius pietati, nocens innocentiae nascitur. Unde quod apostolus Paulus, hoc B. V. Maria dicere potest peccatoribus: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, Galat. 4, 19. Fiducialiter itaque peccatores ad Mariam recurrunt, quam Matrem suam benignam agnoscunt. 10

Maria est Eva secunda resarciens damna quae intulit prima Eva. Prima mater non corporis solum, sed et cordis animaeque languores in posteros peccando transfudit: B. V. Maria in totius humani generis medelam facta vulnera et morbos sanat, quae prima illa mater peccando invexit. 11

IV. Ipsa est patrona nostra, advocata nostra, mediatrix nostra. Scio discrimen agnoscere latinitatis magistros, praecipue Laurentium Vallam inter patronum et advocatum, quod scilicet advocatus sit qui reo ad defensionem adstat, etiamsi nihil dicat: patronus vero sit orator, qui reum dicendo defendit. Verum haec distinctio in Beatissima Virgine locum non habet; utrumque enim illa praestat, et ad defensionem nostram praesto est, et oratione sua nos multorum criminum reos defendit, et iram Dei placat. Quapropter Cant. 3, 6 virgulae fumi ex aromatibus assimilatur: *Quae est ista quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris?* Olim fumo aromatico sibi oblato Deus solitus erat placari; unde Gen. 8, 21 legimus: *Odoratus est Dominus odorem suavitatis, et ait: Nequaquam ultra male-* 12

Advocatus et patronus in quo differunt.

dicam terrae propter homines. Et Sapientiae 18, 21 scimus Aaronem per incensi odorem divinam iracundiam mitigasse. *Per incensum,* ait, *deprecationem allegans restitit irae.* Quia ergo B. Virgo in coelo orationis suae odorifero fumo iras Dei resistit, et nos Deo conciliat, ideo virgulae fumi ex variis aromatibus ascendenti comparatur, et merito patrona nostra dicitur, quia nos coram divina maiestate defendit, et Deo reconciliare studet.

13 Advocata nostra B. V. Maria.

Advocata nostra est, quia causam salutis nostrae apud Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum indesinenter agit. Quapropter sanctus Bernardus serm. 2 de Pentecoste eam appellat *negotium omnium saeculorum. Ad illam,* inquiens, *sicut ad negotium omnium saeculorum respiciunt universi:* quia videlicet omnium negotia apud Deum sedulo diligenterque pertractat. *Est,* inquit Idiota, *advocata nostra apud Filium, sicut Filius apud Patrem; immo apud Patrem et Filium procurat negotia, et petitiones nostras.* Explicat hoc d. Bernardus: *Mater,* inquiens, *stat ante Filium, Filius ante Patrem; Mater ostendit Filio pectus et ubera, Filius ostendit Patri latus et vulnera.* Proh! quam feliciter negotia nostra apud Deum finem suum consequuntur, quae tanta advocata in coelesti curia tractaverit. Unde d. Bernardus sermonem suum continuans ait: *Ibi nulla poterit esse repulsa, ubi sunt tot amoris insignia.* Ob eam causam Ecclesia catholica saepius ei inclamat: *Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte.*

14 Mediatrix nostra est B. V. Maria et quomodo.

Mediatrix est nostra, non quidem ad redimendum, quod unius Christi Domini munus est, ut ex nostro angelico doctore 3 part. quaest. 26, art. 1 discimus; sed eminentissima quadam ratione prae aliis sanctis ad intercedendum et impetrandum. Illa quippe est nedum mediatrix reconciliationis, sed etiam adiutrix redemptionis nostrae, ut superius in epitheto *Causa nostrae laetitiae* declaravi. Quod si spectemus alios sanctos, qui mediatores nostri apud Deum dicuntur, eo quod orationes nostras Deo afferunt, et pro nobis intercedunt, peculiari ratione B. V. Maria mediatrix nostra credenda est; ipsa nedum pro nobis Deum orat, sed etiam sanctos alios ad orandum pro nobis invitat, et excitat. Opportune loquentem d. Anselmum libro oration. Eccles. audiamus: *Te Domina tacente, nullus orabit: te autem orante, omnes iuvabunt, et orabunt.*

Ad orandum B. V. Maria alios incitat.

Id Deipara Virgo adhuc inter mortales degens non obscure indicavit, cum apostolos et alios Christi discipulos ad orandum verbo et exemplo invitabat. Sic enim scriptum habes Act. 1, 14: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Iesu.* Quae verba premens Bernardinus de Bustis sermone quarto ait: *Ipsa benedicta Dei Mater alios inducebat ad orandum, et ideo Actor. primo de apostolis dicitur, quod stabant in oratione cum Maria Matre Iesu.* Hoc ipsum colligere facile poteris a contrario. Tres discipuli a Christo ad hortum assumpti, et vigilare ac orare iussi, *vigilate et orate, ut non intretis in tentationem,* non vigilant, nec orant, sed dormiunt. *Invenit eos dormientes,* Matth. 26, 41. In coenaculo vero vigilant, et orant. *Erant perseverantes in oratione.* Quid est hoc, quod apostoli in horto non orant, sed dormiunt; in caenaculo vero perseverant in oratione? In promptu responsio est. Quia in horto Christus oraturus ab iis discesserat, Virgo etiam eius Mater ibi non aderat: in caenaculo autem licet Christus in coelum iam abierat, Mater tamen eius praesens aderat, quae omnes exemplo suo alliciebat, urgebat, animabat, et in oratione perseverantes reddebat. Si itaque in hac vita mortali Virgo Beata alios sanctos ad orationem invitabat et excitabat, quanto magis in illa patria coelesti id facit, ubi perfectiore caritate ardet.

15 Iure optimo Beata Virgo coelo quod primum mobile ab astrologis dicitur, comparatur; sicut enim illud suo motu inferiores orbes trahit, ita et Maria orans pro nobis secum alios sanctos trahit.

16 Sancti peculiares patroni in diversis necessitatibus invocati.

Hinc devoti peculiares sanctos habent, ad quos in particularibus suis necessitatibus confugere solent, ut in naufragio ad sanctum Nicolaum; in peste ad sanctos Sebastianum et Rochum; in febribus ad sanctum Petrum apostolum, et divum Hyacinthum; in dolore oculorum ad sanctam Othiliam; in dolore dentium ad sanctam Apolloniam, pro rerum perditarum recuperatione ad sanctum Antonium patavinum; in dolore gutturis ad sanctum Blasium; in incendio domorum, aut horreorum ad beatam Agatham et beatam Ioannam; pro aliis denique causis ad alios sanctos.

B. V. Maria universalis patrona.

Sed ad Mariam Virginem in quavis necessitate, in quibusvis periculis, in quacumque angustia, et tribulatione sive iusti, sive peccatores confugiunt. De hac Virgine Isaias vates 4, 5 prophetabat dicens: *Super omnem gloriam protectio et tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu, et in securitatem, et absconsionem a turbine et a pluvia,* id est iustorum erit custodia seu protectio, et peccatorum refugium, ad quam confugient ceu ad tabernaculum Dei. Ista erit in omnibus turbinibus, tempestatibus, pluviis, et adversitatibus refugium; si pestis, si bellum, si fames, si tribulatio aliqua veniet, omnes ad eam current, ipsa erit protectio eorum, ipsa refugium, ipsa unicum remedium, subsidium, et asylum, certum scutum in omni adversitate.

V. Ipsa civitas refugii. In veteri testamento legimus quadruplex refugium, arcam videlicet, montem, templum et civitates refugii. In arca tempore diluvii servatus est Noe cum octo animabus hominum, in monte servatus est Lot tempore incendii Sodomae et Gomorrhae, in templo servabantur Iudaei, qui eo confugiebant post aliquod commissum delictum. Sub Moyse in terra promissionis erant sex civitates refugii; ad has eos recipiebant, qui fortuitum aliquod, seu casuale homicidium commisissent. Ita et in novo testamento, ut ab ira Dei mortales serventur, quatuor sunt refugia. Arca Noe est humanitas Christi et passio ipsius ad quam quicumque recurrunt, a diluvio peccatorum salvantur. Montes sunt sancti, qui licet corpore degant in terra, mente tamen transcendunt sidera, iuxta illud d. Ambrosii libro 8 in Lucam, cap. 17: *Mons tuus Paulus est, mons Petrus, mons alii apostoli.* Ad hos montes quicumque fugit, in profundo vitiorum non mergitur. Templum est Ecclesia Dei, ad quam quicumque recurrit per baptismum, poenitentiam, aliaque sacramenta salvatur. Civitas refugii est Beata Virgo Maria ad quam confugientes peccatores nedum ab hominum saevitia, sed etiam a divinae iustitiae ira se subducunt. Apud s. Ioannem Damascenum serm. de dormit. Virgin. ipsa Deipara de se ita loquitur: *Ego civitas refugii ad me confugientibus.* Consentit Richardus libro 2, p. 3: *Peccator,* inquiens, *debet ad eam confugere, quia ipsa est civitas refugii.* 17 Civitas refugii B. V. Maria. Quatuor civitates refugii peccatorum.

De illis civitatibus refugii Oleaster noster in caput 35 Numer. ex monumentis Hebraeorum haec tradit. *Viae,* inquit, *quae ad eas ducebant, complanatae erant, ut nullum esset obstaculum quod homicidam in via impediret.* Ad eundem modum in via quae ad Virginem tanquam ad urbem refugii ducit, nullum offendiculum; nihil namque in Virgine austerum est, nihil terribile, tota suavis est, tota mellita, tota materna, nihil est, quod incedentem remoretur. Hic usurpare possum verba illa Sapientis Prov. 4, 11, quibus ad devotionem erga Virginem alios incitem: *Viam sapientiae monstrabo tibi, ducam te per semitas aequitatis: quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.* Vere Beata Virgo talis est, ad quam quicumque accedit, gressus illius non arctantur, quia omnibus sinum suum aperit; currens non habet offendiculum, quia mox invenit auxilium, solatium, praesidium, salutem. 18

Pergit Oleaster: *In bivio,* inquiens, *aut triviis stipes erat erectus, in quo scriptum erat, Miklat, ut fugientem dirigeret in eam viam, quae ad refugii ducebat civitatem.* Ad eundem modum currentibus ad Virginem occurrunt tot signa, tot miracula, tot tabellae, tot votiva dona in templis et altaribus apposita, quae liquido monstrant Beatam Virginem esse civitatem refugii, et ad eam viam ostendunt cuilibet afflicto, seu in quacumque necessitate posito. 19

Immo Deipara Virgo maiore privilegio donata est, quam omnes illae civitates refugii, quia ad illas tantum confugiebant, qui homicidio praeter intentionem perpetrato mortem evadere volebant, ut legitur Exodi 21, 25. At Virgo Beatissima per suae misericordiae immensitatem civitas est amplissima, quae omnes sceleribus quibusvis obstrictos ad se confugientes recipit, iisque veniam delictorum a Deo impetrat. Beata Birgitta libro 6 revelationum, capite 10 revelationem sibi a Virgine factam retulit ipsius verbis: *Ego sum Regina coeli, ego Mater misericordiae, iustorum gaudium, et adiutrix peccatorum ad Deum. Nulla etiam est purgatorii poena, quae propter me remissior non erit, et lenior ad ferendum, quam aliter esset. Nullus est adeo maledictus, qui quamdiu vivit, careat misericordia mea; quia propter me levius tentatur a daemonibus, quam aliter tentaretur. Nullus est ita alienatus a Deo, (nisi omnino fuerit maledictus) qui si me invocaverit non revertatur ad Deum, et habeat misericordiam.* 20

VI. Ipsa est murus et antemurale; murus ad se confugientibus, antemurale devote se invocantibus et strenue imitantibus. 21 Murus, et

Digitized by Google

Antemurale B. V. Maria. Protogenis tabula.

Erat quondam in rhodanis muris depicta a Protogene tabula tanto artificio, ut cum rex Demetrius urbem obsidens facile ea parte civitatem capere posset, qua tabula illa picta prostabat, ultro ab incursu et murorum vastatione abstinuit, maluitque victoria non potiri, quam picturam illam delere, cum nulla alia parte posset urbem expugnare, et capere. Plinius libro 35, cap. 10. B. V. Maria in urbe nostra nata, in populo scilicet generis humani, pro muro nostro a Deo nobis data est, quatenus medians inter nos et Deum sit nobis murus et antemurale, ut cum Deus ob scelera nostra nos impetere et delere voluerit, visa hac Virgine in muris nostris, vel potius illa ipsa muro, et antemurali, sistat, sedetur, mitescat, et nobis parcat, cum nulla alia parte nos invadere quodammodo non possit, quam ea in qua Mediatrix nostra Maria stet inter Deum et homines.

22 Mediatrix nostra B. V. Maria.

Stulta gentilitas quamvis plures deos falsos sibi perausserit; unam tamen Iunonem omnium illorum matrem asseverabat, cuius favorem et patrocinium erga mortales hoc modo exprimere curabat. Feminam aureo fune inter coelum et terram pendentem pingebant, ex cuius pedibus duo pondera pendebant, quorum unum altius, aliud profundius elevabatur. Pierius Valer. in hieroglyph. In hac Iunone falsorum deorum matre nostram Virginem unius veri Dei Matrem descriptam video. Sicut enim illa media inter coelum et terram pendebat, ita Virgo nostra inter Deum et homines mediat. Ex pedibus illius duo pondera pendebant, quorum unum altius, aliud inferius ferebatur: ex pedibus B. Virginis (per quos affectus intelligo iuxte illud tritum d. Augustini: *Pes meus affectus meus*) duo affectus seu amoris pondera procedunt. Primum eam ad amorem Dei sursum elevat, aliud eam ad homines, ut eis continuo benefaciat, inclinat; illud tamen altius elevatur, quia amor Dei in Virgine amorem proximi superat.

23 Virga Moysis B. V. Maria.

VII. Ipsa est virga Moysis, quae percussit petram, Numer. 20, 11, et fluxerunt aquae, ita ut biberet populus et iumenta. Dura erat petra, quam Moysis percussit virga, sed a virga tacta aquarum fluenta dedit: severus et durus erat in peccatores Dei Filius. Petra est quia de illo Apostolus 1 Corinth. 10, 4 ait: *Petra autem erat Christus*. Duritia huius petrae in rigore sive severitate iustitiae divinae apparet; *horrendum namque est incidere in manus Dei viventis*. Sed ubi hanc petram Beata Virgo tanquam virga pia oratione tetigerit, et pro peccatoribus oraverit, statim largissimas aquas gratiarum et indulgentiae effundit. Bis percussit petram Moyses, antequam aquam effunderet, quod aegre Deus tulit, et Moysen ac Aaron tanquam incredulos reprehendit: B. V. Maria vix semel spiritualem hanc petram suis precibus tangit, et mox coelestium donorum flumina emittit. Ex illis aquis, quas petra a virga tacta effudit, et populus et iumenta biberunt: ex aquis gratiarum quas B. Virgo suis precibus impetrat, iusti et peccatores per iumenta significati hauriunt. Biberunt ex illa aqua iumenta, et postquam biberunt, iumenta remanserunt: ex aqua quam Virgo suis precibus elicit, bibunt peccatores, qui apud psalmistam comparantur iumentis insipientibus, et similes illi dicuntur ps. 48, et postquam biberint, iumenta non manent; sed homines fiunt, quia iusti evadunt.

24 Atlas mundi B. V. Maria.

VIII. Ipsa est totius orbis atlas, hoc est sustentaculum, fundamentum et munimen, ipsa humani generis umbra et protectio. O quam pridem universum pene genus humanum vindex iustitia Dei assumpsisset, nisi Deipara se precesque suas interposuisset. Gravis est sententia divi Fulgentii libro 4 mytholog. *Coelum et terra iamdudum ruissent, si non Maria precibus sustentasset.* Hunc punctum superius nos tractasse uberius meminimus, cum *Causa nostrae laetitiae* exponeremus.

25 Mons refugii B. V. Maria.

IX. Ipsa est mons ad quem timidi cervi, hoc est peccatores refugium habent. Psal. 103, 18: *Montes excelsi cervis, petra refugium herinaceis.* B. Virgo Maria mons est de quo abscissus est lapis sine manibus, hoc est sine viri opera lapis ille de quo Apostolus: *Petra autem erat Christus.* Et hanc metaphoram nos alibi tractasse meminimus; idcirco nunc supersedemus ulterius properantes.

26 Arbor magna, alta, lata B. V. Maria.

X. Ipsa est arbor illa magna, alta, lata, sub qua habitant animalia, bestiae, et pascuntur sub ea. Vidit Nabuchodonosor arborem magnam et fortem in medio terrae, cuius proceritas coelum tangebat: aspectus illius erat usque ad terminos universae terrae: folia eius pulcherrima, et fructus eius nimius, et esca universorum erat in ea; subter ea habitabant animalia et bestiae, ut legitur Dan. 4. Haec arbor optime B. Virginem adumbrabat. Magna arbor est B. Virgo ex radice Iesse orta: fortis, quam nulla temporis iniuria, nulla solis aut aeris inclementia laedere potest: procera, altitudine meritorum usque ad coelos pertingens, et ipsos angelorum choros altitudine vincens. Latitudo eius usque ad terminos terrae; ramos enim beneficentiae suae in omnes extendit, beneficiis eius totus orbis terrarum plenus est, inferna penetravit, coelos superavit; per plenitudinem enim gratiae eius qui in inferno fuerunt, se laetantur liberatos, et qui supra mundum sunt, se gaudent restauratos. Folia eius, verba nimirum, sunt pulcherrima; nam ipsum Filium Dei tantopere oblectarunt, ut de excelso coelorum habitaculo in terram descenderet. Postquam enim B. Virgo verba illa: *Ecce ancilla Domini*, etc. protulit, mox in uterum suum celeri volatu Filium Dei descendere fecit. Fructus eius nimius, homo scilicet Deus. *Et benedictus fructus ventris tui.* Vere nimius, quia bonorum omnium fons indeficiens. Esuris? Ipse est panis vitae. Sitis? Ipse est puteus aquarum viventium, ipse vinum germinans virgines. Aeger es? Ipse est medicus, immo ipsa salus. Moreris? Ipse est vita et spes nostra. *Esca universorum in ea.* Nam ex praeclaro fructu ventris eius omnes fideles vescuntur, dum sacrosancta Eucharistia reficiuntur. Subtus eam habitant animalia et bestiae, hoc est peccatores universi, qui quot vitiis scatent, tot bestias referunt, ut praeclare Boetius libro 4, prosa 3 deducens: *Quem,* inquit, *transformatum vitiis vides, hominem existimare non potes, sed fuisse hominem adhuc ipsa humanae corporis relicta species ostentat. Avaritia fervet, similem lupo dixeris; ferox atque inquietus linguam litigiis exercet, cani comparabis; insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet, vulpeculis exaequatur; irae intemperans fremit, leonis animum gestare credatur; pavidus et fugax non metuenda formidat, cervo similis habeatur; segnis ac stupidus torpet, asinum vivit; levis atque inconstans studia permutat, nihil ab avibus differt; foedis immundisque libidinibus immergitur, sordidae suis voluptate detinetur: ita homo probitate deserta vertitur in belluam.* Hinc psalmista psalm. 48, 12: *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.* Haec itaque animalia, hae bestiae sub arbore mariana habitent; quia sub eius protectione in hoc mundo vivunt. Peccatores bestiae sunt.

27 B. Gertrudis visio.

Beata Gertrudis, Brabantiae ducum germen inclytum, simile, sed magis clarum visum habuisse legitur libro 4 revelationum eius, cap. 49. Videbantur b. Gertrudi quasi sub pallio intemeratae Virginis accurrere quaedam diversi generis bestiolae, per quas notabantur omnes peccatores ad B. Virginem specialem devotionem habentes; quas omnes Mater misericordiae benigne suscipiens, et quasi pallio suo protegens, delicata sua manu singulas contrectando, demulcendo, ipsis amicabiliter blandiebatur, quemadmodum quis blandiri solet catulo suo, per hoc manifeste insinuans, quam misericorditer suscipit omnes se invocantes, et quam materna pietate defendat, ac protegat homines adhuc peccatis deditos in se sperantes, donec eos Filio suo reconciliet veraciter poenitentes.

28 Voluntas B. Virginis quam propensa sit erga peccatores.

Quare peccatores magna cum fiducia ad B. Virginem confugere debent; siquidem non deest ei nec voluntas, nec potestas, hoc est vult, et potest nos defendere, et salvare. De propensissima in nos Virginis voluntate dicere non attinet, nam de ea nemini suboriri potest dubium. Ambigisne an mater voluntatem habeat patrocinandi filio? an velit nati advocationem suscipere? an velit pro prole sua intercedere? an cupiat fructum ventris sui incolumem vivere? an desideret a se genitum per se a periculis eximere et bonis omnibus abundare? Maria communis est mater, eaque benevolentissima, benevolentia omnes alias matres incomparabiliter superans. De potentia quoque B. V. Mariae nemo dubitet. Haec enim quanta sit, fuse monstravimus explicando epithetum *Virgo potens*.

29 Protectio quam peccatoribus praebet B. V. Maria, eam coronat.

XI. Nec obstat, quod B. V. Maria in sanctitatis culmine posita sit, nam succursus et auxilium quod peccatoribus praebet, sanctitatem eius, puritatem et dignitatem non deprimit, non minuit; sed quo promptius peccatoribus subvenit, eo magis sanctitas eius, puritas eius enitescit et clarescit. Immo protectio quam peccatoribus praebet, eam adeo sublimat, ut coronam capiti eius imponere videatur. Et ne id temere asserere valear, pondero verba illa, quibus sponsus eam alloquitur Cant. 4, 8: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Quid est hoc fratres carissimi? Maria in

Digitized by Google

Apocal. cernitur coronata stellis, et hic ei promittit Filius quod coronabitur de feris? *De cubilibus*, inquit, *leonum*, *de montibus pardorum*. Agnoscite mysterium. Peccatores ferarum formam habent, ut modo dixi ex Boetio, et probavi ex psal. 48. Sed hae ferae in stellas vertuntur, cum Virginis favore per poenitentiam ad Deum redeunt. Ex his stellis Dei Filius Matri suae coronam conficit, et qui antea de feris coronam promittebat, nunc de stellis eam coronat; vultque, ut ferae Virginem coronent, cuius patrocinio ac meritis in stellas versae sunt.

30 O Maria dulce refugium, orbis unicum ac singulare praesidium, nos tibi devotos Filio reconcilia, sub tutelam tuam recipe, sinum Matris misericordiae aperi. Nemo est qui liberetur a malis, nisi per te, o Virgo purissima. Quotquot peccatores salvati sunt, per te salvati, et in Paulos ex Saulis conversi: et nos per te salvemur mater dulcissima, domina carissima, regina clarissima, advocata benignissima, mediatrix fidelissima Virgo Maria. Amen.

DISCURSUS CCCLXVII

QUORUM PECCATORUM B. V. MARIA SIT REFUGIUM AC MUNIMEN, QUORUM NON, HOC EST QUIBUS PATROCINETUR, QUIBUS NON

1 Non quibusvis peccatoribus B. V. Maria est refugium ac munimen, non omnes recipit, non omnibus patrocinatur; sed iis dumtaxat, qui post peccatum commissum dolorem in animo concipiunt, per poenitentiam crimina sua delere contendunt, vitam emendant, Virginem secundum Deum colunt, eam devote venerantur, et strenue imitari student. Recte mulieri Abigail quae Davidem Nabali placavit, Beata Virgo comparatur. Nabal qui stultum significat, peccatorem exprimit, licet Davidis iram evaserit; tamen postea interfectus est. Idem peccator timeat, si Virginis patrocinio adiutus vitam non emendet, nec pravos mores corrigat: mortem enim eamque aeternam subibit, si peccando stultitiam non exuat.

2 I. Promittit B. V. Maria peccatoribus auxilium, favorem, patrocinium; sed quibus? Audi. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me.* Illos ergo ad se vocat, illis patrocinium dare promittit, qui eam secundum Deum concupiscunt, amant, colunt, pro modulo suo imitari conantur.

3 Id etiam B. V. Maria apud psalmistam psalm. 86, 4 expressisse videtur, cum ait: *Memor ero Rahab et Babylonis scientium me: Ecce alienigenae, et Tyrus, et populus Aethiopum, hi fuerunt illic.* Rahab meretrix carnales et lascivos significat; Babylonis nomine confusio, et scelerum sentina designatur; alienigenae, Tyrus et populus Aethiopum universos quosvis peccatores adumbrant. Ait ergo: *Memor ero Rahab, et Babylonis*, hoc est memor ero lascivorum, et coetus quorumvis improborum *scientium me*, hoc est qui me per fidem cognoscunt, per affectum diligunt, per devotionem venerantur; *Ecce alienigenae et Tyrus et populus Aethiopum*, hoc est ecce ad illam tanquam ad commune propitiatorium universae terrae confugient *alienigenae*, hoc est peccatores a salute alieni, de quibus psalm. 118, 155: *Longe a peccatoribus salus*; *et Tyrus*, hoc est Tyrii, mercatores iniqui et usurarii; *et populus Aethiopum*, hoc est carnalitatis fuligine denigrati; *hi fuerunt illic*, hoc est sub patrocinio Mariae; omnes enim capit longitudo, et latitudo eius. Originale hebraeum habet: *Iste natus est ibi*, nempe ideo ad eam confugient cuncti facinorosi et perditi homines, quia concepta et nata est in ea totius mundi salus.

4 Peccatores per Mariam ad Deum conversi. Dies me deficeret, si recensere vellem huiusmodi Rahabas, Babylonios, alienigenas, Tyros, et populum Aethiopum, qui Beatae Virginis Mariae patrocinium implorantes ab alto cupiditatum ac scelerum barathro erepti, et ab ipsis pene tartari faucibus ad vitae lumina restituti, et in tutissimo innocentiae sinu collocati sunt. Nihil est in christianorum historiis uberius, nihil in omnium luce et consuetudine vel certius vel frequentius, quam huiusmodi exempla, quorum copia, quia me obruit, aliqua saltem indicabo.

5 S. Maria aegyptiaca. Rahab fuit Maria aegyptiaca, quae decem et septem annos in magnis foedissimisque libidinis flagitiis vitam duxit, et plerisque etiam peccandi occasio fuit; sed per Deiparam ad poenitentiam revocata est.

6 Latro cum Christo crucifixus. Babylonius fuit latro ille cum Christo crucifixus, sed per Beatam Virginem quae iuxta crucem stans pro ipsius salute deprecabatur, ad Deum conversus est, ut superius ex probatis auctoribus ostensum est.

7 Theophilus. Alienigena fuit, hoc est a salute alienus, Theophilus qui, scripto chirographo, daemoni se tradiderat; sed per Deiparam Virginem misericordiam consecutus est, et a daemone chirographum recepit. Historiam superius retulimus ex s. Antonino, et aliis gravissimis auctoribus.

8 Carolus s. Birgittae filius. Tyrius fuit Carolus s. Birgittae filius, cui ex hac vita egredienti B. Virgo astitit, et ne desperaret serio monuit. Historiam plenius referemus.

9 Maronitae. B. Gryphonus solem ab occidente in orientem reflectit in festo assumptionis B. M. Virginis. Populus Aethiopum fuerunt Maronitae incolae orientis, ad quos cum venisset b. Gryphonus sive Gryphus Ordinis s. Francisci, cum verba sancti evangelii ludibrio exciperent quae ille proponebat, cum regulo seu gubernatore ausus est pacisci, dicens: Si solem qui nunc in occidente est, in orientem retorsero, credis in Christum ad instar Ecclesiae romanae? Ille conditionem accepit cum aliis plerisque multis. Mira res! Flexis ille genibus Deum precatur, ut intercessione Deiparae Reginae angelorum, cuius assumptionis festum eo die celebrabatur, misericorditer ageret, ostenderetque suam in miserum illum caecumque populum clementiam, ipsum illuminando et ad fidem traducendo; effecitque ut sol qui iam fuerat occasurus, haereticis videntibus, cursum in orientem reflecteret, iterumque ab oriente in occidentem suum cursum perageret, et ita per Deiparam gubernator et populus ille universus Ecclesiae matris iugo colla subiecit. Ea res quotannis recurrente tempore a populis illius montis Libani solemni pompa seu processione celebratur. Marcus Ulissiponensis tomo 3 hist. s. Francisci, lib. 7, c. 38.

Complura alia facinorosorum hominum exempla, qui Deiparae ope ad fidem et sanitatem redierunt, habes apud Petrum Antonium Spinellum in throno Deiparae capite 30, num. 24, 25, et tract. de mirac. sect. 4, num. 25, 26, et deinceps. 10

Iam quis enumerare sufficiat, quam multi hodie obfirmato animo, pravaque consuetudine in sceleribus detenti, in celeberrima illa lauretana aede in Italia, Cestochoviae, Gidlis, aliisque sacris locis tum in Polonia, tum alibi Divae Virgini dicatis ad Deum convertantur, et suorum peccatorum poenitentiam agant? quam multi in religiosissima et per universum orbem diffusa rosarii confraternitate aliisque sodalitatibus in honorem Beatae Virginis erectis a pravis moribus ad vitam sancte et pie instituendam adducuntur? quanti, quamque innumerabiles peccatores tum exemplo, tum doctrina religiosorum virorum a vitiis ad pietatem, a saeculi vanitate ad coelestium contemplationem convertuntur? Hanc autem conversionem non sine magna gratiarum actione secundum Deum Deiparae acceptam referunt quotquot ad meliorem frugem redeunt. Deipara namque Religiones promovet, fovet, tuetur: nonnullarum quoque progressum, vel etiam institutionem nominatim procurasse scribitur, ut carthusianorum, cisterciensium, dominicanorum, franciscanorum, carmelitarum, servitarum, montis Oliveti, Societatis Iesu, etc. ut superius multis ostendimus. 11

II. His igitur peccatoribus qui per poenitentiam ad Deum convertuntur, dolendo et confitendo peccata delent, B. Virginem devota venerantur et invocant, eamque strenue imitari student, B. Virgo favet, favet, tuetur: his patrocinatur, his refugium, munimen, refrigerium ac solatium praebet. 12

13 Quibus peccatoribus non patrocinatur B. V. Maria. Illis vero qui Dei longanimitate abutuntur, misericordiam eius contemnunt, iustitiam irritant, et thesaurizant sibi iram in die irae, non favet, non eis patrocinatur, non eis se refugium ac munimen praebet. Non est refugium blasphemis, periuris, sortilegis, magis, veneficis, maleficis, necromanticis, quamdiu obstinate in malo perseverant. Non est refugium hominibus seipsos amantibus, cupidis, elatis, superbis, parentibus non obedientibus, quamdiu improbitatem non exuunt. Non est refugium ingratis, scelestis, criminatoribus, incontinentibus, proditoribus, protervis, quamdiu ad meliorem mentem non redeunt. Non est refugium iniquis magistratibus, iniustis iudicibus, perversis consiliariis, quamdiu iniquitatem propriam non damnant. Non est refugium avaris divitibus, immisericordibus, epulonibus, fraudulentis mercatoribus, clericis impudicis, simoniacis, scortatoribus, multo minus lenonibus et adulteris, quamdiu pravae vitae mores non corrigunt. Non est refugium ebriosis, pauperum oppressoribus, helluonibus, aliorum castitati insidiantibus, adolescentum corruptoribus, quamdiu vitam in melius immutare negligunt. Non est refugium religiosis mundialibus, pomposis, inobe-

Digitized by Google

dientibus, proprietariis, rebellibus, factiosis, observantiarum suarum transgressoribus, et multo minus Ordinis sui desertoribus, quamdiu non resipiscunt, et seriam poenitentiam agere non proponunt. Hi omnes etiamsi sabbatis et vigiliis B. M. Virginis ieiunent, rosarium seu coronam aliquando recitent, apud Virginem gratiam non inveniunt, quamdiu peccato stultitiam et impietatem non exeunt. *Non enim est speciosa laus in ore peccatoris.*

14 Virgo Deipara pura est[1], et purorum amans; casta est, et castorum amans; humilis est, obediens, patiens, mansueta, et tales libenter videt, talibus favet, talibus patrocinatur, talibus refugium et munimen est.

15 Castitatem amet, qui B. Virginis patrocinium sentire cupit. Peccata odio habet B. V. Maria. Quocirca corporis et animi castitatem colamus, ut ipsius gratiam adipiscamur; siquidem illa lutum omne execratur, ac coenosas affectiones aversatur, ingluviem odit, foedissimae fornicationis vitiis infesta est: huius impuras et scelestas cogitationes, non secus ac viperarum fetus fugit, sermones foedos ac scurriles propellit, cantusque ac meretricia unguenta submovet: irae tumorem odio habet, inhumanitatem et invidiam, ac simultates non admittit, inanem gloriam vanis laboribus se frangentem reiicit: superbiae, fastui, animo hostili resistit: iniuriarum memoriam tanquam salutis hostem odio insectatur; vitium denique omne tanquam lethale venenum execrationi habet. E contrario ieiunio et parsimonia, psalmorumque cantibus gaudet: cum puritate et virginitate ac pudicitia pulcre illi convenit, sempiternamque cum illis pacem colit: pacem et animi lenitatem complectitur: caritatem, et misericordiam, atque humilitatem tanquam alumnas suas ulnis fovet suis. Atque ut rem breviter perstringam, quolibet vitio offenditur, qualibet autem virtute ut peculiari sua nota laetatur et exultat.

Accurramus itaque ad matrem tam benignam, patronam et advocatam nostram, ac mediatricem fidelissimam omnes, quotquot culpis premimur, afflictionibus deprimimur, peccati rei sumus, salutis incerti, et ab omnibus derelicti. In ea et per eam inveniunt rei veniam, afflicti consolationem, derelicti asylum, insipientes sapientiam, peccatores iustitiam, iusti perseverantiam. 16

Auctoris oratio ad B. Virginem. Alo ego eum Idiota illo pio ac sapientissimo, studio humilitatis sic se appellante: O benignissima Virgo Maria, ego perversus et iniquus peccator me tentatum sentio, et prostratum ab inimicis, quibus in multis peccatis consensum praebui, et cum opere complevi. Adiuva ergo clementissima V. Maria, perditae gratiae reparatrix, et da mihi poenitentiam de commissis, impetra veniam de praeteritis, tribue in praesentibus cautionem, praesta in futuris adversus omne malum fortissimam resistentiam. Amen.

CONSOLATRIX AFFLICTORUM

Ordo ad praecedentia. **Familiare est iustis adversitates non fugere, poenas non vitare, tribulationes non repudiare; sed a Deo coeleste solamen ac refrigerium petere. Id clare videmus in David Deiparae Virginis parente, qui psalmo 118, 76 ait: *Fiat misericordia tua, ut consoletur me.* Misericordiam petit, non ut ab adversis non prematur, ut in eum aerumnae non desaeviant, non ut a tribulationibus et pressuris liberetur, sed ut solamen ac refrigerium habeat; hoc est quod ait: *ut consoletur me.* Iustorum exempla fidelis Ecclesiae chorus commemoratis in superioribus epithetis aerumnis ac malis tum corporis, tum animae, in praesenti epitheto non morbos dimovere, non impugnantia declinare desiderat, sed solum consolationem a Beata Virgine, quae miserorum consolatio est et moerentium gaudium, petit, cum canit: *Consolatrix afflictorum, ora pro nobis.* Occasione horum verborum duo declaranda sunt. 1. Quibus modis B. V. Maria sit consolatrix afflictorum. 2. Quorumnam afflictorum praecipue consolatrix dicatur. Age ordiamur a primo.**

DISCURSUS CCCLXVIII

QUIBUS MODIS ET QUA RATIONE B. V. MARIA DICATUR *CONSOLATRIX AFFLICTORUM*

1 Consolator mundi Christus. Ipse Deus principali ratione dicitur noster consolator. *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis*, 1 Corinth. 1, 3. Unde cum patres antiqui in suis calamitatibus consolationem peterent: *Adiuva nos*, dicentes, *Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos*, psal. 78, 9, misit eis Christum consolatorem mundi, iubar coeleste, candorem lucis aeternae, solem iustitiae, qui totum orbem in tribulatione et angustia positum consolatus est, caligine infidelitatis et ignorantiae offusum illuminavit, sedentes in tenebris et umbra mortis eripuit, sanavit, iustificavit, beavit. Nulla certe verior ac iustior consolatio, quam in salute ac redemptione a peccatis. Rursum ex hoc mundo discedens Ecclesiam triumphantem suo in coelos ingressu magna laetitia implevit. Ecclesiae vero adhuc in terra militanti solatium quidem invisibile promisit, quod in die Pentecostes implevit, quando ipsum consolatorem eis misit: solatium vero visibile quod de corporali eius praesentia Ecclesia haberet, Matrem suam Virginem Mariam vice sui reliquit. Quod abunde Maria praestitit, postquam verum mundi gaudium corporalem praesentiam suam per ascensionem mundo subtraxit.

2 Visitantes B. Virginem adhuc in terra degentem. 1. Post ascensionem Christi Maria fuit adiutrix, consolatrix, consultrix, asylum, et velut arca quaedam afflictorum apostolorum, et aliorum omnium credentium. Penes eam inveniebant consilii, solatii auxiliique copiam. Divus Bernardus super illud, *Stabat iuxta crucem*, etc. ait: *Vere magnum hoc erat hominibus solatium, videre Matrem in terra, cuius Filius dominaretur in coelo.* Hinc nonnemo christianorum primitivorum eam videre cupiebat. S. Dionysius Areopagita iam baptizatus cum aliis plerisque eam visendi studio venit, qua conspecta tantum solatii in animo concepit, ut diceret: *Nisi iam per fidem divinitatem Christi cognovissem, eam pro Deo haberem ac venerarer*, ut superius toties iam id narravimus ex probatis auctoribus.

S. Ignatius martyr eius videndi desiderio accensus haec ad s. Ioannem evangelistam perscripsit: *Si licitum est mihi apud te, ad Ierosolymae partes volo ascendere, et videre sanctos qui ibi sunt; praecipue Mariam Matrem Iesu, quam dicunt universis admirandam, cunctis desiderabilem.* 3

Nicolaus Polonus decretorum doctor serm. 1 de assumptione B. Virginis, p. 1 narrat, fuisse quendam eremitam, qui audiens ab angelo maiore devotione ardescere eos qui Mariam intuerentur, anno post ascensionem Christi septimo in montem Sion, ubi illa habitabat, eius visendi studio venit; eaque conspecta tantum gaudii ex sola eius praesentia hausit, ut stare non potuerit, sed in terram corruerit ac dixerit: *Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Aliud regnum coelorum non optem, sed tantum, ut liceat mihi perpetuo hanc intueri.* 4

Angelum ad beatam Birgittam haec dixisse legimus in sermone angelico cap. 19: *Virgo Maria ante assumptionem ad bonorum confortationem, et errantium correctionem remanere permissa est.* Erat enim magistra apostolorum, confortatrix martyrum, doctrix confessorum, clarissimum speculum virginum, consolatrix viduarum, in coniugio viventium saluberrima genitrix, atque omnium in fide catholica perfectissima roboratrix. 5

II. Maria illo saeculo fuit confortatrix martyrum, quos ad tribulationes hilariter pro Christi nomine sufferendas animabat, pro ipsorum et omnium salute quam plurimis tribulationibus seipsam sponte exponebat, orationibus suis spiritum fortitudinis a Deo eis impetrabat. Scribit Hieronymus Gratianus lib. 4 vitae s. Ioseph de B. Virgine, quod eo tempore, cum Stephanus lapidaretur, ipsa pro eo preces fundebat. Illi qui loca sacra describunt, 6 Martyrum consolatrix B.V. Maria. Pro s. Stephano, cum

lapidabatur, B. Virgo orabat. maxime Brochardus, et alii, quorum superius meminimus, faciunt mentionem lapidis super quo tamdiu B. Virgo pro Stephano protomartyre genibus flexis orabat, quamdiu lapidatio ipsius durabat. Quare Deiparae Ecclesia debet, quod tantum protomartyrem Stephanum habeat, sicut et Stephano, quod tanto doctore Paulo apostolo gaudeat.

7 III. Cum adhuc Maria in hac vita mortali degeret, afflictis maxime condolebat, pressosque erigebat; quod s. Ignatius in epistola 1 diserte scribit: *Maria miseris et afflictis condolebat, conflictis nec segniter subveniebat.* Martyres illius temporis, et omnes illi qui tot adversa pro Christi nomine ab hostibus christiani nominis passi sunt, ad Mariam confugiebant: illa elevabat pressos, recreabat tribulatos, et precibus suis apud Deum patientiam eis impetrabat, quo adversa omnia aequo animo ferrent. Quare Idiota nomine, sed doctissimus re, in lib. contempl. B. Mariae cap. 7 Virginem sic alloquitur: *Adiuvas tribulatos dando eis patientiam.* Praeterea B. V. Maria illo tempore forti et aequo animo omnes adversitates tolerabat, in tribulationibus et afflictionibus hilarem semper voltum praeseferebat, nunquam moestitia mens eius obruebatur, semper laetam frontem porrigebat. De quo s. Ignatius martyr fere coaetaneus Virginis epist. 1 ita scribit: *Maria Mater Iesu in afflictionibus est hilaris, in penuriis et indigentiis non querula, iniuriantibus grata.* Hinc exemplo suo B. Virgo multos in adversitatibus moestitia pressos recreabat, sublevabat, solabatur: alioquin in tribulationibus deficerent, nisi eos Deus auxilio suo, et Maria patrocinio suo animassent.

8 Sola umbra Mariae afflictos solatur. Sed quid mirum si Maria praesens tribulatis in afflictione solatio erat, cum etiam nuda umbra ipsius afflictione pressis refrigerium erat? Veniat in mentem Iacob patriarcha a domo patris exul, insuper a fratre Esau ad necem quaesitus. Quis ei in illa afflictione solatio erat? quis mentem eius tristitia oppressam erigebat? Vidit scalam cui Deus innixus erat, per quam omnibus in coelum aditus parabatur. Haec scala Maria fuit. Rursus idem patriarcha in longa nocte luctu affligitur, sed ascendente aurora recreatur, et a Deo benedicitur. Haec ascendens aurora Maria est, de qua dicitur Cant. 6, 9: *Quasi aurora consurgens.* Tandem moriens tristatur, quod filios reliquerit in Aegypto; sed versus ad lectuli caput, et ad summitatem virgae quae erat in manu Ioseph filii sui, consolatur. Haec virga Maria est, in cuius summitate Christus Dominus ut flos erat. Hanc figuram nos superius dilucidasse meminimus. Si tantum nuda umbra seu figura Mariae afflictis consolationem dedit, quale praesentia ipsius solamen afferre non debebat? Attulit sane. Si itaque B. V. Maria tum in figura, tum in vita mortali afflictis solatium erat, quanto magis nunc in coelis regnans ipsis solatio erit? Non exuit pietatem coelesti gloria induta, ut paulo superius fusius ostendimus, sed etiam nunc afflictos sublevat, et eo magis sublevat, quo altior modo est. Hinc s. Bonaventura opusc. 26 Mariam vocat *tutissimum afflictorum omnium refugium*, et s. Ioannes Damascenus ser. de dormit. Virg. sic eam salutat: *Ave unicum molestiarum levamen: ave omnium dolorum cordium medicamentum.*

9 Multocula cur dicta B. V. Maria. IV. Recte Maria maxime in coelo regnans, consolatrix afflictorum dicitur, quia hominum miserias videt, videt angustias, vertit in omnem partem oculos. Hinc a s. Epiphanio orat. de eius laud. *multocula* dicitur, quia Argus quidam esse videtur multis oculis praedita. Unde suorum necessitates videt, et velociter opitulatura accurrit. Hinc Cant. 4, 5 de ea dicitur: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli.* Duo ubera Virginis affectum pietatis et misericordiae significant, de quibus lac subventionis a clientibus Mariae sugitur. Haec ubera hinnulis capreae comparantur; quia Maria indigentiam suorum velut capreae acute videt, et ubi viderit, velociter opitulatura accurrit ut hinnuli.

10 Opportune quoque B. V. Maria comparatur sanctis illis animalibus quae ante et retro, intus et foris, atque in circuitu plena erant oculis, quae Ezechiel propheta 1, 18, et s. Ioannes Apoc. 4, 8 se vidisse narrant. Plena est oculis B. Maria, immo tota oculus esse videtur: nam omnium labores, miserias, calamitates, indigentias, dolores, pericula, et mala quaeque videt. *Quis tam plenus oculis, quam Mater luminis?* inquit Guilielmus in cap. 3 Cant. Opportune dixi, quod B. Virgo comparatur iis quatuor animalibus, quia acute videt ut aquila, fortis est ut bos, humanitatem exhibet ut homo, vigil est ut leo, qui etiam cum dormit, oculos apertos habere dicitur; ita Virgo cuius verba sunt Cant. 5, 2: *Ego dormio, et cor meum vigilat.*

Plato philosophus cupiebat in coelum mutari, et tot oculos habere, quot in coelo sunt stellae, et eam quam amabat, assidue contemplaretur. Ab impuro amore hoc votum procedebat. A caritate Beata Virgo in coelum versa mille oculos habet, ut hominum mille calamitates videat, et opportune opem ferat. Hinc Geometra hymno secundo Virginem sic salutat: 11 Platonis votum.

Salve mille oculis pole praedite, sidera circum
Solem clara regens, innumeras caritas.

V. Consolatrix afflictorum dicitur, quia eis celeriter in afflictione succurrit auxilium non procrastinans, sed prompte et alacriter succurrens. Afflictus erat Ioannes in utero matris originali macula pressus: B. Virgo ubi in utero Dei Filium concepit, statim magna cum festinatione in montana abiit, ut s. Lucas 1, 39 narrat. 12 S. Ioannes Baptista in utero matris a B. Virgine solatium cepit.

13 Solet plerumque B. V. Maria soli comparari. *In sole posuit tabernaculum suum*, psal. 18, et alibi. Non solum quod radios suae clementiae indifferenter super bonos et malos spargit, et omnibus beneficia sua impertit uti sol; sed etiam quia velocissime in suorum auxilium advolat uti sol, qui velocissime movetur.

Hoc ipsum sub alia metaphora Cantic. 5, 14 insinuatur: *Manus eius tornatiles aureae, plenae hyacinthis.* Tornatiles dicuntur manus Mariae ob promptitudinem in operando et celeritatem in benefaciendo. Quod torno agitur, prompte et velociter movetur, adeo ut non videatur, quod taliter movetur. Ad eundem modum Maria tam promptior ceteris artibus in operando velocior promptiorque existit. 14

De Christo Domino Redemptore nostro Actor. 10, 38 dicitur: *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes*, quo vel ipso ambulantis habitu doceret, se in benefaciendo celerem ac promptum esse. Tantae celeritatis exemplum indidit Matri suae carissimae Christus, ut etiam ipsa in opitulatione et succursu miserorum et afflictorum esset prompta, velox, moras nectere nesciens, benefaciendi cupida. 15

VI. Ad extremum Consolatrix afflictorum dicitur, quia in quavis afflictione oppressis dulcem utilemque lacrimarum imbrem impetrat. Spiritus sanctus consolator dicitur, qui lacrimas ad peccatorum abstersionem nobis conciliat. De Spiritu sancto ait Apostolus ad Rom. 8, 26: *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Postulat inquam, ut doctores communiter exponunt, quia gemere nos facit. Ad eundem modum B. V. Maria consolatrix afflictorum dicitur, quia afflictos gemere facit, ut divinum auxilium ardentius implorent, citius obtineant, et consolati maneant. His igitur modis et hac ratione B. V. Maria consolatrix afflictorum vocatur. Sed unde id habeat, recensitis variis afflictionibus, in quibus illa plerumque solatium attulisse legitur hominibus, fusius enarrabitur. Huiusmodi autem sunt paupertas seu quivis defectus, labores, persecutiones, hostium oppressiones, captivitates, diversa morborum genera, mortis hora, dies iudicii, purgatorii flamma, et ad inferos damnatio. Age singulas percurramus, et in omnibus consolatricem fuisse Beatam Virginem demonstremus. 16

DISCURSUS CCCLXIX

B. V. MARIA EST CONSOLATRIX AFFLICTORUM PAUPERTATE ET QUOVIS DEFECTU LABORANTIUM

Paupertas magna afflictio. Pauper amicum habere non potest; nam, ut est in proverbio, *Pauperi ne parentes quidem amici.* Paupertas multorum malorum occasio; plerosque cogit in flagitium, impellit in crucem: hinc enim proditiones, hinc latrocinia, deceptiones, furta, lupanaria, virginum prostitutiones; frequenter enim et quasi communiter satanas inducit homines ad peccatum, cum videt eos laborare inopia: hinc et ad Christum tunc accessit, cum eum fame pressum videret. Paupertas est, quae omnia opprobria consulit, et iubet, ministra est scelerum et virtutum hostis. Unde quidam recte: 1 Paupertas magna afflictio.

Paupertas inimica bonis, scelerumque ministra
Labitur in vitium.

De hac Eccli. 27, 1 ait: *Propter inopiam multi deliquerunt.*

Digitized by Google

2 Rursus paupertas virtutem deprimit, et a prosecutione illius hominem retardat. Alciatus emblemate 121 depingit adolescentulum cui manu dextera ponderosus dependet lapis, sinistrae vero eius alae affixae sunt levissimae: utque hae alteram partem corporis elevant, sic onus alteram deprimit cum tali epigraphe:

Ingenio poteram supremas volitare per auras,
Me nisi paupertas invida deprimeret.

Alae sive pennae vigorem ingenii et acumen designant: durum vero saxum quod dextera manu deprimit, paupertatem significat, qua nihil est gravius, hinc communiter dicitur: *Durum telum necessitas.* Vult ergo dicere: Ingenio poteram summum honorem ex doctrinae fructu consequi, nisi me invida paupertas deprimeret. Multi namque ingenii felicitate celebres et clari esse possunt; sed quia sumptus necessarios non habent, ideo praevali non possunt. Bene dixit Iuvenalis satyra 3:

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Et Architas philosophus, *sapientem unicum habere incommodum, paupertatem.* Exclamat etiam Comicus in Adelphis, *Paupertatem esse onus miserum, et valde grave usque adeo, ut etiam nobilem ignobilem faciat.* In hac afflictione et angustia B. V. Maria multorum consolatrix extitit.

3 [Pauperum consolatrix Maria.] I. Exemplo suo; nam non tantum forti animo paupertatem tolerabat, sed etiam adeo hilari animo eamdem coluit, ut ab hoc maxime Magi illi orientales qui ad incunabula Christi venerant, eam Dei Matrem cognoscerent, quod in tanta paupertate laetabatur, ut auctor quidam non ignobilis in Matthaeum scribens docuit: *Prodebat se Christi Matrem, quae in tanta paupertate laetabatur.* De paupertate Mariae superius multa diximus, cum in expositione epitheti *Speculum iustitiae* virtutes illius commemorabamus. Hoc exemplo Mariae pauperes se erigunt, inopia pressi consolantur, indigentes solatium habent, inopes foventur.

4 [Paupertas primitivorum christianorum ab exemplo Mariae.] Primitivae Ecclesiae christiani in paupertate vivebant, possessionibus suis venditis, pretium earum ad pedes apostolorum ponebant. Unde eis tantus amor paupertatis? unde tantum studium inopiae? Christi et Mariae exemplum tantum amorem paupertatis cordibus eorum infundebat, quorum exemplum inopia pressos erigebat, indigentes fovebat, inopes recreabat. Hinc factum est, ut tanta laetitia in summa rerum egestate, in rerum omnium penuria sponte viverent.

5 II. Patrocinio, quod se prodidit vel maxime in Cana Galilaeae. Ivit ad nuptias Virgo, et deficiente vino dixit ad Iesum: *Vinum non habent.* Non legimus aliquem monuisse Virginem, ut pro sponsis illis pauperibus intercederet: ipsa sponte sua, utpote prompta et propensa ad benefaciendum, Filio supplicabat: sola pietas hoc officium ab ea extorsit. Nec leviter transeundum est, quod in convivio, dum ederet Virgo vini defectum, cognovit, et opem ferre voluit, ut nimirum cognoscas eius cibum, eiusque delicias esse inopiae nostrae succurrere.

6 [Vinum cur in Cana Galilaeae B. Virgo a Filio postulavit.] Nec istud mysterio caret, quod Christus piam Matrem a se vinum petere voluit. Cur vinum? Quia illud symbolum est laetitiae. Psalm. 103, 15: *Vinum laetificet cor hominis.* Hinc est illud commune dicterium a Plinio lib. 53 relatum: *Nulla adest hilaritas ei, qui aquam bibit.* Cui affine est, quod a Sapiente Prov. 31, 6 dicitur: *Date siceram moerentibus, et vinum his qui amaro sunt animo.* Cum igitur Dei Genitrix vinum a Filio postulavit, se futuram afflictorum et moerentium, maxime inopia laborantium consolatricem clare ostendit. Hinc igitur facile colligimus, quam prompte B. Virgo indigentibus subveniat, nam in hoc miraculo nemo illam in advocatam assumebat, nemo quidquam ab ea postulabat, solo pietatis affectu mota apud Filium intercedebat. Bene hinc arguit s. Bernardus: *Si hoc fecit non invitata, quid faciet invitata?*

7 Aderant etiam discipuli cum Christo in Cana Galilaeae. Sic enim d. Ioannes 2, 3 scribit: *Vocatus est autem et Iesus et discipuli eius ad nuptias.* Sed deficiente vino nullus eorum defectum vini vidit, nullus pro pauperibus intercessit, sola Virgo id advertit, sola apud Filium precibus intercessit, et non sibi vinum quaerebat, quae uti temperantiae amica libens aquam bibisset. Unde etiam non dixit: Vinum nobis deest, sed: *Vinum non habent*: quia dumtaxat honori, ac necessitati eorum qui convivas invitaverant, consulere volebat, ut se consolatricem pauperum et inopum proderet.

Aliunde hanc Virginis misericordiam erga paupertate pressos, et inopia laborantes expiscari possumus. Cum in deserto turbae Christum sequerentur, et prae fame se siti deficerent, ut narratur Matth. 15, 32, nullus erat in tanta multitudine, qui hanc inopiam videret, et Christo suggereret, ut populum illum, qui triduo iam cum Christo perseverabat, et quod manducaret non habebat, satiaret, ne deficeret in via. Aderant discipuli, sed tantum abest, ut turbae succurrerent, quin potius difficultate rei territi a misericordiae officio Christum avocare videbantur. Dicebant enim: *Unde nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?* Matth. 15, 33. Mira res! Inter tot millia hominum nemo turbarum inopiam videt, nemo Christo defectum suggerit, nemo intercedit; ipsi discipuli ad eas reficiendas cum non urgent, sed potius avocant. Quam aliter hic res se habuit, ac in nuptiis Canae Galilaeae. Unde isthuc? In Cana Galilaeae consolatrix pauperum aderat, cum turba in deserto non aderat. Ex quo colligimus quam oculatior sit omnibus sanctis B. V. Maria, quamque acutius videat inopias nostras, et promptius ac celerius succurrat nobis, quam ipsi etiam apostoli. 8

In hoc vel maxime commendatur caritas erga proximum, cum non tantum illam proximi inopiam videt, quae omnibus exposita est, sed etiam illam, quae latet; unde psalmista psalm. 40, 1: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem. Intelligit* inquit, non videt. Ille enim hac in parte vere beatus est, qui non solum ab externa specie pauperem cognoscit, non solum aures corporales precibus illius accommodat, sed intus mente pervadit, ut intus delitescentem eius paupertatem videat, et mentis oculis necessitates eius investiget. Talis est B. Virgo Maria: ipsa non solum apertas necessitates pauperum videt, sed etiam occultam eorum indigentiam explorat; intima pauperum oculus eius misericordiae pervadit, ut indigentiae latenti subveniat. 9

Quapropter quisquis inopia premitur, ad B. Virginem confugiat. Ipsa necessitates omnium perfecte intelligit, diligentissime intuetur, et opportune omnibus opem fert. Rem acu tetigit d. Bonaventura in psalterio, ubi ait: *Beata Maria intelligit super egenum et pauperem.* Unde quod psalmista monet psal. 54, 23: *Iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet*, id in Virginem flecti potest; nam et ipsi cura est de nobis: ipsa pastum subministrat famelicis, et potum sitientibus. Unde de illa dici potest sicut de Filio: *Iacta cogitatum tuum in Dominam, et ipsa te enutriet.* Ipsa enim esurientes replet bonis, et dat escam esurientibus, quod superius multis exemplis probavimus, maxime cum de gratiis et privilegiis B. M. Virginis in Ordinem praedicatorum collatis egimus. Ibi vide, non ulterius properamus. 10

DISCURSUS CCCLXX

BEATA VIRGO MARIA IN LABORIBUS, PERSECUTIONIBUS, HOSTIUM INCURSIONIBUS, CARCERIBUS, ET ALIIS QUIBUSVIS AERUMNIS ET MISERIIS *CONSOLATRIX AFFLICTORUM*

Labor quoque afflictio est in poenam peccati a Deo homini iniunctus. *In sudore vultus tui vesceris pane*, Gen. 3, 19. In hac afflictione B. Virgo Maria plerisque subvenit. Huius rei locupletissimus testis sit sanctissimus eius sponsus Ioseph, qui in suae artis operibus cum laboraret cum Virgine in connubio manens, sub eius patrocinio laborem non sentiebat. Multa et incommoda itineris sanctissimo fabro cum coniuge sua subeunda fuerunt, omnibus pene rebus destituta. In Bethlehem cum Virgine uxore sua praegnante, ut ibi profiteretur subiectionem Caesari, ivit. Rursus Herodis rabiem fugiens nocte intempesta cum Virgine et puero Iesu in Aegyptum secessit: ibi per septem annos manens multos labores et aerumnas pertulit. Iterum cum eadem Virgine desponsata sibi uxore ex Aegypto in Palaestinam rediit. Quae mala in itineribus istis sustinuerit, quot labores, quot pericula, quot incommoda passus fuerit, quisque conicere potest: nusquam tamen legimus a Deo postulantem, ut labores et incommoda ab eo auferret, aut minueret, aut certe levamen vel refrigerium concederet. Habebat enim comitem Virginem opportunum laborum suorum solamen, cuius consortio nec labores sentiebat, nec incommodis premebatur, nec periculis commovebatur, nec aliquid sibi deesse putabat; in Virginis consortio labores in requiem, pressurae in solamen, angustiae in refrigerium commutabantur. 1 [S. Ioseph sub patrocinio B. Virginis nullas molestias sentiebat.]

2 *Cisterciensium sudorem B. Virgo in vas colligit.*

Multa alia huiusmodi exempla adducere possem quibus labores in refrigerium et solatium commutatos fuisse probarem; sed ab his supersedeo, et solum illud quod cisterciensibus monachis speciali favore Deiparae Virginis concessum fuit, reticere non debeo. Metebant in campo fruges monachi cistercienses, et sudabant: senex quidam magnae sanctitatis B. Virginem vidit, quae sudorem e frontibus eorum abstergebat. Alius vero eamdem Virginem eorumdem monachorum sudorem in quodam vase colligentem aspexit. Haec antea fusius commemoravimus ex Vincentio Bellouacensi, et aliis. Nullus igitur otio torpeat, nullus desidiae indormiat, nullus segnitiei se dedat: laboret, et Virginem laborum suorum adiutricem sedulo invocet, quae pro pietate sua amat, favet, et recreat laborantes, ut merito dicatur consolatrix laborantium. Hinc illud b. Amidei homil. 4 de laudibus Virginis: *Laborantem sub umbra sua protegit*. Et b. Albertus magnus super *Missus est* eam nominat *quies laborantium, et solatium afflictorum*. Ulterius B. Virgo Maria est consolatrix afflictorum.

Laborantibus B. Virgo subvenit.

3 *B. V. Maria in persecutione moestos solatur.*

I. In persecutionibus. Dum in hac vita mortali B. Virgo degeret, primaevis illis christianis contra persecutorum aestum refrigerium erat tum verbo tum exemplo. Verbo quidem, asserens seipsam ante Filii sui mortem triginta tribus annis magnas persecutiones, aerumnas, et afflictiones perpessam fuisse, et ea omnia in patientia pertulisse. Exemplo; nam gaudio perfundebatur cum laedebatur, et grata erat iis qui sibi iniurias inferebant: quod disertis verbis narrat s. Ignatius epist. 1: *Maria Mater Iesu*, inquit, *in persecutionibus est hilaris, iniuriantibus grata.*

4 *Ioseph ab Arimathaea in carcerem detruditur ob sepultum Dominum.*

Hoc ipsum B. Virgo abunde praestitit Ioseph ab Arimathaea, a quo petiit, ut postposita omni timore peteret corpus Iesu a Pilato. Petiit, et acceptum aromatibus condivit, ac in suo monumento locavit: quamobrem Iudaeorum invidiam, et odium incurrit, adeo ut eum principes sacerdotum in carcerem detruderent. Ita scribit Gregorius turonensis libro 1 hist. Francorum, cap. 21, qui etiam addit eumdem Iosephum resurgente Domino, custodibus visione angelica territis, cum non inveniretur in tumulo Iesus, nocte parietibus carceris in quo Ioseph tenebatur, suspensis in sublimi, ab angelo eductum fuisse. Petrus de Natalibus lib. 4, cap. 2 narrat carcerem in quo Ioseph ab Arimathaea clausus erat, sigillis obsignatum fuisse: eum vero intactis sigillis, parietibus suspensis inde exisse. Fides sit penes auctores equidem graves. Credibile est Iosephum ab Arimathaea ab illo carcere precibus B. M. Virginis, qua suadente discrimini se obiecerat, liberatum fuisse.

5 *Procopius Sieniavius eques polonus ope D. Virginis a periculo vitae liberatur.*

Multa alia huiusmodi exempla commemorare possem, sed eorum copia me inopem facit; unum solum commemorabo quod Procopio Sieniavio in hostium incursionibus, et magna persecutione accidit. Anno Domini 1537 Turcarum imperator Valachiae provinciam regno Poloniae conterminam, et tunc in regis Poloniae tutelam ac patrocinium receptam invaserat. Ibi Procopius magni animi vir, eques polonus, manu Suevorum et Dacorum tumultuarie collecta, ut hostes a clientibus valachis, et a limitibus regni Poloniae submoveret, impetum fecit in Turcas. Cum multos in praelio prostravisset, ab innumerabilibus Turcis circumsessus, solus equo cui insiderat, lancea confosso, premebatur, et vix non opprimebatur. Tum oculos et animum ad coelum, et ad Deiparentem cuius imago claromontana ei in memoriam tunc obvenerat, attollens, illam periclitantium patronam inclamabat, ut succurreret, et vel hostes Dei ipsa prosterneret, vel saltem clientulum eriperet. Adfuit invocata, et pro aris et focis strenue depugnantem eripuit, vires roboravit, animos adiecit, ut barbaros superaret, et partem prosterneret, partem in fugam dissiparet. Bzovius in Monili Deiparae sacro concion. 9, ex lib. Polon. de imagine B. M. Virginis cestochoviensis Cracoviae impresso anno 1600.

6 *Nicolaus Warszacoski eques polonus ope D. Virginis e Tartarorum captivitate liberatur.*

Aliud non minus mirandum, quod iam pene memoria exciderat, et pro liberatione captivorum deservit, narrat idem Abraham loco iam citato. Nicolaus Warszacosky primos ordines militum ducebat sub magno et incomparabili heroe Ioanne Zamoyscio regni Poloniae cancellario, et copiarum exercitus invictissimo praefecto. Non longe ab oppido Bavorovis contra Tartaros ferro et igne omnia vastantes cum suorum phalange processerat. Ibi cum varia marte cum barbaris decertasset, tendem in potestatem Tartarorum venit. Primum ductus, catenis, manicis, et compedibus vinctus in carcerem detruditur, atque concluditur. Nulla erat spes evadendi, aut inde abeundi, nisi in sola Deipara, cuius imago apud Clarum-montem religiose colitur. Fit itaque illi supplex; adfuit illa. Mirum! Catenas, manicas, compedes, ceteraque instrumenta ferrea dissolvit, carceris firmissimis vectibus oppessulatum, et multiplicibus serris occlusum reseravit, Nicolaum supplicem eduxit, et usque ad templum claromontanum deduxit sanum, et incolumem, Deoque gratias et Virgini eius Matri persolventem.

Multus essem et iustum volumen conficere deberem, si recensere vellem, quoties illa in variis necessitatibus, periculis, adversitatibus, calamitatibus, afflictionibus, variisque morbis clientibus suis succurrere dignata est. Varios morbos per Deiparam sanatos fuisse satis dixi in epitheto *Salus infirmorum*. Nonnulla adhuc pro consolatione afflictorum referre libet. 7

8 *Martyres in cruciatibus B. Virgo iuvat.*

II. Maria tormentis cruciatos confortat, et solatur. Sancti Theodorus et Theophanes fratres, cum pro cultu sacrarum imaginum adversus Leonem armenum decertassent, a Theophilo iconomacho comprehensi, et verberibus acriter caesi nihil aliud dicebant, quam: *Domine miserere*, et: *Sancta Deipara veni ad nostrum auxilium*. Quo dicto saevas illas plagas constanter pertulerunt. Demum praeclarissimi Christi athletae post hos et alios cruciatus in exilium pulsi sunt, ubi s. Theodorus in carcere expiravit; Theophanes vero, pace demum Ecclesiae reddita, factus nicaenus episcopus quievit in Domino. Surius ex Metaphraste die 27 decembris.

9 *B. Andreae de Chio martyrium et constantia ope B. Virginis obtenta.*

Aliud proposito nostro serviens, et aeternae memoriae dignum exemplum refert idem Surius ad diem 29 maii de b. Andrea de Chio, natione graeco, martyre clarissimo. Hic Andreas Divae Deiparae impense addictus, cui etiam castitatem voverat, cum a Mahometanis Constantinopoli captus esset, ad abnegandam Christi fidem sollicitatus cum constantissime renueret, saevissimis tormentis novies, antequam capite plecteretur, excruciatus est anno Domini 1465, die 29 maii. Primo flagellis atque loris dirissime caesus, in principio flagellorum contremuisse dicitur, et manibus ad pectus contractis, ac digitis in pugnum compressis, magna voce exclamavit: *Virgo Maria adiuva me*. Inde pedibus altero ad alterum abductis, stetit rectus in iisdem vestigiis (mirabile dictu!) usque ad solis occasum. Secunda die ferreis ungulis tergora pridie flagellata dilacerantur; sed Christi miles idem fecit, et Virginem magna voce inclamavit. Tertia die ei membra a suis locis divelluntur. Quarta humeri per gladios denudantur. Quinta crines cum carnibus cum novaculis lente spoliantur. Sexta partes inter genua et clunes carnibus denudantur. Septima aures carnibus spoliantur. Octava femur cum vicinis partibus excoriatur. Nona totum corpus a capite usque ad pedes verberibus caeditur, et maxilla una uno ictu carne denudatur. Semel singulis quibusque congressibus magna voce invocata Virgine victor recessit. Tandem sequenti die, quae fuit 29 maii, vivus, et divinitus sanus effectus producitur, et cum in crucem Domini, et in Virginem Matrem suam constantiam acceptam referret, securi percutitur, et a christianis permittente Turcarum rege honorifice sepelitur. Cuius corpus integrum colore, talique vultus splendore, et habitu iacebat, ut non animam expirasse, sed dormire videretur; idque post aliquot menses ab eius martyrio elapsos. Georgius Trapezontius vidit, et hoc eius martyrium litteris consignavit.

Nedum martyres, et homines sanctos Deipara Virgo in afflictione solatur, sed etiam quosvis peccatores sua patrocinio exhilarat, tristitiae fluctus mitigat, et animos eorum serenat. Pergamus narrare. 10

III. Maria e fluctibus maris se invocantes liberat. Testis est mulier illa, quae cum in mare caderet, nomen Mariae inclamavit, et ad ima pelagi demersa ope Dei Genitricis incolumis evasit. Vincentius Belluacensis in specimine historiae lib. 7, cap. 88. 11

12 *Puer iudaei in fornacem ardentem iniectus ope B. Virginis incolumis evadit.*

IV. Maria e mediis flammis eripit. Testis est puerulus ille cuiusdam iudaei vitrarii filius, qui cum christianis pueris in basilica B. Mariae ad participationem gloriosi corporis et sanguinis Christi accessisset, a patre id indigne ferente odio christianae fidei in ardentem fornacem vitrariam proiectus, triduo ibi illaesus extitit: ac tandem inter ignes quasi super plumas mollissimas decumbens inventus est. Interrogatus qualе ei esset inter ignes umbraculum: Mulier, ait, illa, quae in basilica ubi panem accepi de mensa, in cathedra residens, parvulum gestans in sinu infantem me pallio suo, ne ignis voraret, operuit. Evagrius hist. lib. 4, cap. 35, et Nicephorus lib. 17, c. 25.

V. Maria peccatores convertit. Maria aegyptiaca quae suo tempore ut altera Magdalena vixit, ope Dei Genitricis ad Mariae 13

Digitized by Google

Magdalenae vitam et poenitentiam pervenit. Paulus diaconus in eius vita.

14 Pestilentiam abigit B.V.Maria.

VI. Maria pestes abigit. Expertae sunt id famosae civitates. Roma tempore divi Gregorii, Panormus in Sicilia, Anicium in Gallia, Retinetum et Utinum in Italia, aliaeque plurimae civitates in diversis orbis partibus, quae voto nuncupato Virgini lauretanae a peste grassante mirabiliter liberatae sunt. Spinellus ex Tursellino, de miraculis Deiparae, sect. 3.

15 A daemonis potestate liberat B.V. Maria.

VII. Maria a daemonis potestate liberat. Hoc superius satis fuse narravimus, dum titulum *Virgo potens* exponeremus; modo aliqua exempla toto orbi nota adducere libet. Theophilus qui Christum et Mariam abnegans, chyrographo dato, daemoni se devoverat, postmodum a Beata Virgine ereptus a daemonis potestate ad divinam gratiam rediit. Metaphrastes et alii superius citati.

16 Cyprianus ex mago ope B. Virginis christianus factus.

Cyprianus quem nonnulli illum gloriosum martyrem postmodum fuisse putant, primo a fide Christi alienus, ac rebus magicis omnino deditus, cum amore Iustinae virginis christianae exarsisset, et in illius expugnanda pudicitia laborans plurimum (ut amor carnalis, caecus et insanus est) etiam daemonem adiutorem sibi adscivisset, prace virginis appugnata opem Deiparae invocantis, e stulto amatore nedum christianus, verum et doctor suavissimus, africanae ecclesiae antistes, ac demum martyr beatissimus effectus est. Nazianzenus orat. in Cyprianum.

17 Andronicus senior imperator ope B. Virginis salutem obtinet.

VIII. Maria aegrotis sanitatem tum temporalem, tum aeternam procurat. Expertus est id Andronicus senior imperator. Hic cum sibi mortem instare animadvertisset, ac propter intempestam noctem neminem reperiens, qui sibi divina mysteria impertiretur pro salute animae suae, cum multis lacrimis et genuflexionibus Deo supplicavit: tandem Sacrae Dei Genitricis imaginem quam loco divinorum mysteriorum in sinu gestabat, in se inseruit, et mortuus ad coeli atria migravit. Gregorius in annalibus.

18 IX. Maria caecos illuminat. Testis est Leo imperator, quem Deipara Virgo edocuit, quomodo obvium sibi caecum illuminaret, et sitientem potaret; quod cum ille fecisset, caecus mox visum recepit. Nicephorus lib. 15 eccl. hist. c. 15.

19 X. Maria abscissa membra restaurat. Expertus est hoc Guilielmus a daemonibus vulneratus, et a Maria comitata duabus puellis miraculose sanatus. Expertus est et d. Ioannes Damascenus, cui pro sacrarum imaginum cultu laboranti ab Isauro iconomacho dexteram abscissam Virgo Deipara restituit. Ioannes patriarcha ierosolymitanus in vita d. Damasceni.

20 XI. Maria bellantes iuvat, hostes profligat, et sibi devotos a barbarorum servitute liberat. Multis hoc exemplis in epitheto immediate sequenti probabo.

Iure igitur B. V. Maria *Consolatrix afflictorum* dicitur, quae tam copiosam consolationum pluviam generi humano impetrat. Merito s. Ephrem oratione de laudibus Deiparae eam appellavit *fontem totius consolationis*; quia scilicet vix extra ipsam, aut ne vis quidem veram consolationem, veram laetitiam, verum gaudium reperire est. Nulla tam gravis tristitia, quae in Maria levamen non reperiat: nulla tam dura crux, tam gravis afflictio, tam amara aerumna, quae consolationem in Maria non habeat.

21 Consolationum perceptarum per Mariam argumenta.

De aliis multis consolationibus per Mariam obtentis fusius loquerer; si ipsi mortales silerent, ego referrem: nisi orphani Mariam suam matrem, pupilli protectricem, rei patronam, captivi liberatricem, errantes ducem, senes lumen et sustentaculum, afflicti consolatricem, infirmi medicinam, destituti praesidium, navigantes portum, naufragantes stellam maris, praeliantes scutum, victores coronam et triumphum, omnes denique Matrem misericordiae, spem et vitam suam agnoscerent et faterentur. Ego dixissem: Nisi augustissima templa, lauretanum in Italia, claromontanum, gidlense, sokalense, aliaque plura in Polonia, aliisque totius christiani orbis partibus sita clamarent: nisi singrapha diversa, tabellae variae, munera votiva et oblationes ad altaria et imagines appensae ultro praedicarent, quibus a suis periculis et calamitatibus a Deo per preces Virginis liberati, aut peculiaribus etiam beneficiis affecti, posteritati testatum facere voluerunt auxilium receptum, ego recenserem.

22 Consolatrix virgo veronensis unde dicta.

Veronae in Italia virgo quaedam magnae sanctitatis *consolatrix* dicta est; ab eventu hoc nomen consecuta, qui eventus talis erat. Veronenses diu pluvia caruerant, adeo ut diuturna siccitate multa incommoda urbi imminerent. Virgo haec coelitus monita est, pluviam casuram, si corpora sanctorum Firmi et Rustici in urbem deportarentur, quod ubi praestitum est, urbs voti compos facta virginem illam *consolatricem* appellavit. Scribit Petrus de Natalibus libro 7, cap. 8. Sed multo iustius hoc nomen V. Maria meretur, quae tantam divinarum gratiarum et consolationum inundantiam non uni civitati, sed toti generi humano precibus suis impetravit, ut narravimus, et quotidie impetrare non cessat, uti videmus, et experimur.

Res in aperto est, quamvis regionem, quodvis regnum habere suum specialem patronum apud Deum, et consolatorem, quem speciali devotione colit, ad quem in suis afflictionibus confugit, cui se et omnia sua commendat. Hispania patronum colit s. Iacobum apostolum, Gallia s. Dionysium, India Thomam apostolum, Germania s. Bonifacium, Neapolis s. Ianuarium et sanctum Thomam aquinatem, Venetia s. Marcum, Polonia sanctos Adelbertum, Stanislaum, Hyacinthum, Casimirum, Florianum. 23 Patroni diversi diversarum provinciarum.

At Mariam omnes omnium regnorum ac provinciarum christianarum populi, uti dominam, advocatam et consolatricem suam absque ullo discrimine agnoscunt, colunt, venerantur et invocant. Hanc uterque sexus, omnis conditio, quaelibet tribus, quaelibet familia, si bene sibi vult, patronam advocat: Hanc magni, parvi, nobiles, ignobiles, domini, servi, divites, pauperes, docti, indocti, pulcri, deformes, sani, aegri, iusti, peccatores, denique omnes absque differentia, in quavis necessitate, calamitate, aerumna, in quovis negotio absque ullo discrimine sibi in auxilium, refrigerium ac solamen invocant, quam etiam in omnibus casibus et adversitatibus patronam non minus clementem, quam potentem experiuntur. Idem et nos faciamus, si nostris angustiis et tribulationibus consolationem habere desideramus. Ulterius prosequamur. Patrona universalis B.V.Maria.

DISCURSUS CCCLXXI

BEATA VIRGO MARIA EST *CONSOLATRIX AFFLICTORUM* IN HORA MORTIS

Hora migrationis e vita mortalibus est omnium horribilissima. *Omnium enim terribilium terribilissima est mors*, ut ait Philosophus. Quinimmo et ipsa mortis memoria, ut sentiebat ille qui dicebat: *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantia sua.* Tunc enim homo gravissimis obruitur doloribus, cum anima a corpore divellitur. Tunc incredibilis eum invadit moeror ac taedium, cum brevi omnibus bonis, omnibus gaudiis, honoribus, amicitiis, immo et vita ipsa, qua homini nihil carius est, se exuendum et privandum videt. Tunc peccata omnia quae in vita sua unquam perpetravit, in mentem veniunt. Tunc vanitatem mundi agnoscet, quam antea non videbat, vel videre non curabat, aut negligebat. Tunc maxima cum anxietate animi, timore ac tremore cogitabit se brevi praesentandum ante illud aequissimi iudicis Christi tremendum tribunal, ubi omnium nedum dictorum, factorum, sed etiam cogitatorum severissima ratio exigetur. Tunc denique aeternas illas tenebras, vermem conscientiae, flammas aeternas prae oculis habere incipiet, quas an Dei beneficio evadet, nec se, nondum certo scit, quia nemo scit an amore vel odio dignus sit. Aderunt in funesta illa hora daemones, et omnem lapidem movebunt, ut morientem hominem seducant, et in desperationis barathrum trahant. In tot angustiis, in tanta afflictione quid consilii? quid auxilii? quid solatii? Secundum Deum B. V. Maria. 1 Mortis hora quam terribilis.

Protegit suos Maria semper, sed maxime hora mortis protectionis suae umbram in nos extendit, cum magis periclitamur, cum maiores tentationes nos urgent, cum daemones saeviores sunt nobis. Id adstruunt graves doctores. S. Vincentius Ferrerius sermone de assumpt. B. M. Virginis scribit, *Divam Virginem animas morientium suscipere.* Id ipsum d. Hieronymus ep. ad Eustochium adstruit: *Morientibus B. Virgo non tantum succurrit, sed etiam occurrit.* 2 Mortis hora B. Virgo suis adest.

Hoc munus pietate plenum Beata Virgo obit per angelos, qui eius nutui obsequuntur, et maxime per Michaelem archangelum coelestis militiae ducem cui inter alias datum est animas hominum ex hac vita decedentium suscipere', ut Ecclesia canit: *Sed signifer s. Michael repraesentet eas in lucem sanctam.* Hunc itaque in suscipiendis animabus clientum suorum B. V. Maria praecipuum administrum adhibet. Id ante me sensit et diserte docuit s. Bonaventura doctor Ecclesiae in spec. B. Virginis lect. 3 in haec verba: *Michael dux et princeps militiae coelestis* 3 S. Michael animas e corpore egredientes suscipit.

Digitized by Google

eum *omnibus spiritibus administratoriis tuis, Virgo, paret praeceptis in defendendis et suscipiendis de corpore animabus fidelium, specialiter tibi, Domina, die ac nocte se commendantium.* O quam prompti, quam celeres in nostrum auxilium angeli accurrunt! Urget illos quidem ad hoc munus caritas, qua flagrant: urget Dei voluntas, cui obtemperant; sed et Maria urget, cui gratissimum est quidquid nostri causa angeli praestant, praesertim mortis tempore.

4 Maxime vero in hora mortis B. Virgo Maria nobis succurrit, quia in hora mortis dilectissimi Filii sui ab eodem Mater nostra constituta est dicente in cruce: *Mulier, ecce filius tuus.* Ioannem ei monstravit, sed in Ioanne omnes homines tam peccatores quam iustos ei commendavit, et uti matri in filios adoptivos dedit. Id communiter docent doctores in superiore tomo a nobis citati. In illa ergo hora B. Virgo Maria specialiter matrem se nobis monstrat, in qua a Filio suo in eadem mortis hora constituta in matrem nobis data est. Accedit et ratio. Amicus amico non solet deesse, tunc maxime, quando videt eum in summa angustia, et periculo vitae constitutum. Et quomodo credere possumus Matrem nostram, Matrem gratiae nobis in hora mortis defuturam? Non deerit. Exempla multa id probant, quae nos superius abunde retulimus. Nunc unum solum addere libet de b. Paulo Ordinis cisterciensis converso, de quo Chrysostomus Henriquez in menologio cisterciensium 6 idus februarias ita scribit: B. Paulus conversus cum letali morbo correptus ultimum iam ageret spiritum, ridere suavissime coepit. Mirantibus qui adstabant: Cur, inquit, non ridere? cur non exultare? Ecce Domina nostra praesens est, et iam animam meam suscipiet: et inter loquendum spiritum exhalavit.

B. Paulus cisterciensis conversus hora mortis B. Virginem vidit.

Caesarius eiusdem Ordinis cisterciensis exemplorum nobilis scriptor libro 7 hist. memor. cap. 53 istius conversi Pauli hunc risum expendens, ita scribit: Videtur mihi in isto fratre impletus ille poetae versiculus:

Incipe parve puer risu cognoscere matrem.

Puer erat praedictus frater, licet non aetate, sed virtute, quia simplex et purus, humilis et mansuetus, in oculis suis parvus: idcirco haud dubium, quod B. Virgo morienti maternos exhibuerit gestus, quales exhibere solent matres cum infantibus suis se recreantes et solatium capientes.

5 Hinc Ecclesia B. V. Mariae quotidie supplicat his verbis: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.* Et iterum in hymno ad B. Virginem clamat: *Maria Mater gratiae, Mater misericordiae, Tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe.* Et in alio hymno vocat eam maris stellam: *Ave maris stella*, ut fluctuantes animas in hoc magno et spatioso mari, in quo sunt reptilia quorum non est numerus, et in illa maxima procella hora mortis constitutas ad portum salutis perducat, simulque orat: *Iter para tutum.* Hoc est sicut Moyses virgae percussu filiis Israel per mare rubrum iter totum aperuit, ut terram promissionis intrarent: ita tu o Beatissima Dei Genitrix, quae per virgam Moysis praefigurata es, tuis clientibus per mare huius saeculi iter para tutum, ut in terram illam promissionis coelestem ingressi *videntes Iesum semper collaetemur.* Communis itaque doctorum, immo et Ecclesiae catholicae sensus est, B. V. Mariam clientibus suis in hora mortis adesse, eisque opitulari, quo beneficio nullum maius gratiusve potest in hac vita praestari hominibus.

6 Hoc autem officium consolandi afflictos in hora mortis B. Virgo lubens adimplet; ex eo enim quod Christum genuit, omnium credentium in Christum mater effecta est, consequenter omnium protectio, omnium vita. Nascenti Christo affuit Maria, *pannis eum involvit et reclinavit in praesepio.* Morienti Christo affuit Maria. *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius*, Ioan. 19, 25. Unde sicut in Christo omnes nos peperit huic vitae, sic et in morte ipsius nos quodammodo parturivit aeternae vitae; cum enim bene morimur, Deo ad gloriam aeternam nascimur. Ut ergo bene moriamur, feliciter ad vitam aeternam nascamur B. V. Maria suo patrocinio efficit.

7 Non audebit tunc satanicus hostis ad hominem sub patrocinio Mariae constitutum accedere, multo minus saevitiam suam in eum exercere. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* aiebat Apostolus in divino auxilio fidens Rom. 8, 31. Hoc ego usurpare possum et Mariae accomodare: *Si Maria pro nobis, quis contra nos?*

Bene anonymus ille senex in apophthegmatis patrum libro 11 8
dixisse fertur: *Sicut nemo potest laedere eum qui ad latus imperatoris est: ita nec Satanas potest aliquid nobis nocere, si anima nostra inhaeserit Deo, et post Deum Virgini suae Matri.*

Sed quid ego Matrem cum Filio in praesenti negotio coniungo, et solatium seu auxilium, quod Deus afflictis hominibus praecipue in mortis hora impertit, Mariae attribuo? Non abs re. Mortuus est Christus, mortua est et Maria; uterque moriendo horrorem a morte pepulerunt, moestitiam ab ea abstulerunt, illoque terrore quo mortales deterrebat, mortem exuerunt. De Christo id dubitare nefas est: de B. Virgine id disertis verbis asserit s. Damascenus orat. de assumpt. Virg. ubi sic eam alloquitur: *Non te mors beatam reddidit, sed tu ipsa mortem exornasti, ut quae eius moestitiam sustuleris, ac mortem gaudium esse plenum feceris.* Quotquot igitur iusti in morte laetantur, quotquot ex hac vita laeti ac ridentes abeunt, quotquot in hora mortis gaudio perfunduntur, post Christum id B. Virgini debent. 9

Cum itaque B. V. Maria sit tam potens, tam clemens, tam 10
dulcis et suavis in hora mortis patrona, nos clientes eius supplices clamemus ad eam: O Mater nostra carissima, domina et patrona potentissima, in exitu nostro de hoc mundo benigne nobis occurre, beato vultu tuo nos consolari dignare. Daemonis aspectus non nos conturbet. Esto nobis scala ad regnum coelorum, et iter rectum ad paradisum Dei: sustine devotos ante tribunal Christi, eorumque causam suscipe, et pro tua pietate feliciter promove. Adiuva animas nostras in morte ab insidiis diaboli protegendo: solare eas post mortem suscipiendo: beatas fac eas in coelum deducendo. Amen.

DISCURSUS CCCLXXII

B. V. MARIA EST *CONSOLATRIX AFFLICTORUM* ANTE TREMENDUM CHRISTI TRIBUNAL POST MORTEM ADSTANTIUM

Quantus horror, quantus timor invadit, quae angustiis premat 1
reos, cum ante tremendum Christi tribunal comparent, vel exemplo iustorum discimus. Iustus vel Dei testimonio erat Iob, et tamen adhuc timens aiebat: *Putasne saltem ibi erit requies mihi?* Iob 17, 16. Iustus David utpote vir secundum cor Dei, et tamen ps. 118, v. 120 dicebat: *A iudiciis enim tuis timui.* Hoc cogitans s. Gregorius papa libro 13 moral. cap. ult. aiebat: *Perpendamus quanta debemus formidine venturum iudicem expavescere, quando et illi qui a iudice laudati sunt, adhuc de retributione iudicii in suis vocibus securi non sunt.* Arguta quidam ex antiquis patribus dixisse legitur: *Si possibile esset animas interire, id fieret in adventu iudicis.*

Iudicium divinum quam terribile.

In tot horroribus, terroribus, timoribus, in tanta angustia et 2
tribulatione quod refrigerium? quae spes? quod solatium? Beata Virgo Maria, quae verum consolatorem nobis exhibuit; quae nobis peperit Christum, qui moerentium consolator est. Nulla tam magna afflictio est, quae levamen in Virgine non inveniat, ut superius probavimus, cum varias calamitates, angustias, pressuras per Beatam Virginem sublevatas enumerabamus.

Isaias vates 4, 6 vaticinans de nube quae futura erat Iudaeis 3
per diem in umbraculum, ait: *Tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia.* Hoc tabernaculum iuxta mentem Richardi est gloriosa Virgo Maria, quae clientibus suis in die iudicii est in umbraculum ab aestu irae divinae, et ab aestu illo de quo 2 Petr. 3, 12: *Elementa ignis ardore solventur.*

Non sine causa B. V. Maria Eccli. 24, 19 platano se comparat, cum ait: *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis.* Etiam Themistocles se platano similem praedicabat, ad quam decurreret, quem imber infestabat, ut testatur Coelius rhodiginus et Plutar. in apophth. Platanus quilibet dici potest, cuius opere homines utuntur, et ad cuius protectionem tempore alicuius tribulationis confugiunt. Iustius Deipara Virgo Maria platanus dici potest, quae patulam se exhibet peccatoribus, omnes quantum in se est parata recipere sub sua protectione, et omnes refrigerare malo igne exustos; et nota quod ubi sunt folia lata, ibi est umbra magna, et magna est umbra protectionis eius. Nam protegit contra carnalem concupiscentiam, quia Virgo; contra ventum mundanae vanitatis, quia pauperrima; contra fervorem solis, quia Mater Solis iustitiae; contra eiusdem iustam iram, quia mater misericordiae, fons consolationis, quae verum 4

Platano cur B. Virgo comparata.

consolatorem eundem Christum Iudicem nobis protulit. Quare pallium protectionis suae supra nos expandit, ne a ferventi, eoque iustissima ira illius torreamur.

5 S. Medardi munificentia in pauperes. — Aquila illi supervolans eum alis suis a pluvia cooperuit.

De s. Medardo episcopo noviomensi proditum legimus, quod cum adhuc puer esset, et parentum indignationem incurrisset, quod nimis in pauperes liberalis esset, cum a benefaciendi studio avocari non posset; non solum enim vestem, quam ipsi mater haud parvo pretio confecerat, cuidam pauperi caeco ac nudo obviam facto dedit: sed etiam equum viatori donavit. Eius pietatem et innocentiam Deus hoc prodigio probavit. Expulsus a domo a parentibus, propter effusam imbrium vim latebras quaerens aquilam divinitus missam habere meruit, quae expansis super eum alis volitans tam congruenter puerum cooperuit, ut nullam pluviae iniuriam perciperet. Vidit id servus, qui eum ad mensam vocabat, et ingenti admiratione captus parentibus totique familiae rem totam indicavit. Currunt illi et suorum oculorum testimonio miraculum probant, pater et mater prae gaudio super filio illacrimantes eum Deo commendant, et de iniuria innocenti filio illata seipsos accusant. Zach. Lipell. die 8 iunii. Digna res quae ad elucidandam Virginis misericordiam trahatur. Etiam Virgo Beata protectionis suae alas supra clientes suos expandit, quo illos a iustitiae divinae aestu protegat, et maxime in tremendo Dei iudicio, in quo iustitia ipsius maxime fervet.

6 In valle Iosaphat cur sepulta B. V. Maria.

Non casu factum puto, quod B. Virgo in valle Iosaphat morabatur, et ibidem mortua sit et sepulta, ut ex b. Hieronymo multi alii doctores tradunt. In valle Iosaphat futurum esse iudicium extremum omnes doctores autumant; illic omnes advocabuntur, illic omnes iudicabuntur. Ut itaque rei aliquod solatium tunc haberent, Mater misericordiae, patrona et advocata peccatorum, consolatrix afflictorum ibi commorari, ibi mori ac sepeliri voluit.

7 Arca testamenti in extremo die iudicii resurget.

Arcam testamenti esse in extremo die resurrecturam in iustorum tegmen, aliquorum patrum sententia est, et inter alios ita scribit s. Epiph. l. de proph. vita in Ieremia: *In resurrectione primum arca resurget, et prodibit de saxo, inque Sina monte locabitur, et omnes sancti ad eam confluent, ut illic suscipient Dominum et fugient inimicum, qui perdere illos affectabat.* Arcam illam fuisse Virginis figuram nemo ignorat, et nos alio loco doctorum auctoritate confirmavimus; igitur si arca quae umbra Virginis, tantum prodesse credita est, quantum proderit ipsa Virgo?

8 Carolum filium b. Birgittae B. Virgo in iudicio divino defendit.

Ulterius quod Beata Virgo sit consolatrix afflictorum ante tremendum tribunal Filii sui, ipsamet b. Birgittae ostendit, quando quid in morte et iudicio Caroli filii eius factum fuisset per revelationem indicavit. B. Birgitta semel in visionem rapta visa est sibi in palatio quodam amplissimo esse, in quo erectus erat thronus maiestate plenus. Et ecce comparet Christus tanquam Imperator summus, longissimo angelorum ac beatorum agmine cinctus. Sedet pro tribunali tanquam iudex iudicaturus, et illi adstat Virgo benedicta in forma advocati, rei alicuius partes susceptura. Et ecce tibi coram Iudice sistitur anima Caroli, cui a dextris astitit angelus bonus, a sinistris malus. Multa ibi vidit s. Birgitta, sed haec omnium est summa. Diabolus duplicem accusationem instituit, unam contra B. Virginem, contra animam alteram. Accusatio contra B. Virginem duas partes habuit, in quarum utraque querebatur de iurisdictione sua a B. Virgine violata, et violentia sibi ab eadem illata. Primum enim cum Carolus, inquit diabolus, in extremis laboraret, et iam in agone esset, ego pro meo officio cum sociis accedere volui, ut illum tentarem, et ad partes meas traherem. Verum impedimento mihi fuit Mater tua, quae non solum non permisit ullum ex nobis ad lectum Caroli accedere, sed nec cubiculum ingredi, immo neque ad domum appropinquare. Violata sunt mea iura, illata est mihi iniuria. Ad te, iustissime Iudex, apud quem nulla est personarum acceptio, confugio, et contra Matrem tuam iustitiam imploro. Sed nondum iniuriarum finis, inquit idem diabolus; cum enim anima Caroli ex corpore exisset, meum erat illam accipere, meum eandem iudicio sistere; mihi munus hoc demandatum est, non alteri. At Mater tua, iustissime Iudex, messem ingrediens alienam, hanc animam ipsa suscepit, sub sua protectione habuit, iudicio praesentavit. Qua in re cum mihi facta sit iniuria, a te peto, Iudex iustissime, ut iubeas et satisfactionem mihi dari, animam ad meas manus tradi, et Matrem tuam ne in posterum mihi vim inferat inhiberi. Haec diabolus in B. Virginem. Tum ad animam conversus illam de duobus similiter accusavit, primum de peccatis in adolescentia commissis, deinde de criminibus in confirmata aetate perpetratis, et utroque nomine sibi animam adiudicari petiit. Tunc B. Virgo ad accusationem contra se institutam in hanc fere formam respondit, verum esse, ipsam nec permisisse, ut diaboli ad Carolum in extremis constitutum accederent, nec ut post mortem eius animam reperent. Id autem optimo iure a se factum ea ratione confirmavit, quod Carolus dum vixit, semper eandem Virginem veneratus fuit, eius cultum promovit, honorem defendit, nomen in ore et in corde semper habuit. Non decebat autem, inquiebat B. Virgo, in illo periculoso passu animam mihi devotam vel a me deseri, vel a diabolo molestari, ne dum ad suum Creatorem puris et sanctis cogitationibus discessum parabat, diabolicis suggestionibus vel retardetur, vel impediretur, vel certe illa ratione inquinaretur. Multo minus autem meam dignitatem decebat permittere, ut anima cui tantopere in vita mortali cordi fuerat honor meus, iam in hac immortali a me desereretur. Merito igitur illam in meam protectionem suscepi; nec ulli iniuriam feci, quia haec omnia iure meo praestare potui. Haec Beatissima Virgo. Ad alteram accusationem respondit angelus bonus, Carolum quidem tam in tenera, quam in adulta aetate nonnunquam lapsum esse; sed semper illi solamen fuisse, ut conscientiam suam diligenter examinaret, de peccatis admissis doleret, illaque cum primum dabatur occasio, sacramentali confessione expiaret, atque cum Deo in gratiam rediret. Ex quibus inferebat nullum titulum restare diabolo, cur animam illam reposceret, quae saluti aeternae destinata esset: quod idem ut supremi Iudicis sententia definiretur, postulabat. Tunc Iudex supremus Christus Dominus, partibus auditis, et rationibus hinc inde allatis, uti par erat, perpensis, sententiam suam pronuntiavit. Recede, inquit, a me tu inimice diabole, et ad me veni tu o anima benedicta. Hoc totum legitur in revel. s. Birgittae, quae in Concilio constantiensi examinatae atque approbatae fuerunt.

Ex his quilibet colligere potest, quam dulcis, quam suavis, quam fortis et potens sit patrona, consolatrix, et adiutrix miserorum, et maxime in tremendo Dei iudicio afflictorum B. V. Maria; et quam verum sit quod Richardus libro 12 de laudib. Virginis dixit: *Sicut pia mater abscondit filium suum sub pallio, quando pater vult eum verberare: sic Beata Virgo refugientes ad se Christi iustitiam formidantes.* 9

Haec igitur Virginem mundi solatium, captivorum redemptionem, orphanorum susceptionem, aegrotantium medicinam, oppressorum exultationem amemus, colamus, devote invocemus, strenue imitemur, ut per preces illius consolationem aeternam consequi mereamur. Amen. 10

DISCURSUS CCCLXXIII

B. V. MARIA EST *CONSOLATRIX AFFLICTORUM* IN PURGATORIO DETENTORUM

Quanta sit afflictio eorum qui in purgatorio igne cruciantur, gravissimi patres prodiderunt. S. Augustinus in ps. 37 ait: *Gravior erit ille ignis, quam quidquid homo potest pati in hac vita.* Et in libro de vero et falsa poenitentia, c. 18: *Hic autem ignis, etsi aeternus non sit; miro tamen modo gravis est; excedit enim omnem poenam, quam unquam aliquis passus est in hac vita.* Venerabilis Beda in illa verba psal. 37, *Domine, ne in ira tua corripias me*, docet, *illam correctionem esse graviorem, quam quid unquam passi sunt latrones, vel sancti martyres, vel quidquid gravius excogitare potest homo.* Idem diserte docent d. Caesarius arelat. hom. 8 ad populum, d. Anselmus super epist. 1 ad Corinth. cap. 3, s. Bernardus de obitu Humberti et alii plurimi. Consignat hoc totum angelicus doctor 4, dist. 21, q. 1, art. 1, quaestiunc. 3: *Poena purgatorii minima excedit maximam poenam huius vitae.* Idipsum probant multae visiones apud venerabilem Bedam, s. Birgittam, s. Antoninum, Dionysium carthusianum et alios plurimos. 1 Purgatorii ignis quanta acerbitas.

In his omnibus angustiis, tribulationibus, pressuris, cruciatibus magnum est animabus illis solamen ac refrigerium B. V. Maria. Quod probant multa sanctorum documenta, et experimenta eorum, qui ad illas flammas purgatorii condemnati, vel ipsi refrigerium senserunt, vel ab aliis obtentum certa fide enarrarunt, et testati sunt. 2

I. Sanctus Vincentius Ferrerius noster serm. 2 de nativ. ita scribit: *Maria bona existentibus in purgatorio, quia per eam animae ibi detentae habent suffragium.* 3 In purgatorio de-

tentorum consolatrix est B. V. Maria.

4 II. Sanctus Bernardinus senensis premens illa verba Eccli. 24, 8: *Et in fluctibus maris ambulavi*, ser. 2 de glorioso nomine Mariae, art. 2 ita ait: *B. Virgo in regno purgatorii dominium tenet, propterea inquit: Et in fluctibus maris ambulavi. Poena siquidem purgatorii dicitur fluctus, quia transitoria est; sed additur maris, quia nimirum est amara.* Ab his tormentis liberat B. Virgo maxime devotos suos.

5 III. Ipsemet Christus asserit Beatam Virginem refrigerium esse animabus illis quae purgatorii flammis cruciantur, apud s. Birgittam libro 4 revel. cap. 16 ita fatus ad Matrem suam: *Tu es Mater mea: tu Mater misericordiae: tu consolatio eorum qui sunt in purgatorio: tu laetitia eorum qui peregrinantur in mundo.*

6 IV. Ipsamet Deipara Virgo id diserte fatetur in revel. s. Birgittae, ut refert b. Dionysius carthusianus libro 3 de laudib. Virgin. cap. ult. *Qui in purgatorio sunt*, ait Virgo, *gaudent nomine meo audito, quemadmodum aeger iacens in lecto, cum audit verbum solatii.*

7 V. Blosius abbas piissimus in monili spirituali, cap. 13 intrepide affirmat, qualibet hora flammas illas purgatorii Mariae precibus mitigari, leviores lenioresque reddi. Dabo ipsius verba: *Audivit s. Birgitta ipsam Beatam Dei Genitricem Virginem dicentem: Ego sum Mater Dei, et Mater omnium qui sunt in purgatorio: quapropter omnes poenae quae debentur purgandis pro peccatis ipsorum, per preces meas qualibet hora aliquo modo mitigentur.*

8 In assumptione sua B. Virgo multas animas a purgatorio eduxit et ad coelum duxit.

VI. Bernardinus de Bustis, insignis Deiparae Virginis encomiastes, de Ordine minorum, in suo Mariali narrat B. M. Virginem morituram in coelumque ituram a Filio petiisse, ut omnes animas quae in purgatorio detinebantur, secum ad gloriam coelestem deducere posset: quod cum obtinuisse Ioannes Gerson cancellarius parisiensis super *Magnificat* tract. 4 diserte docet et asserit, in die assumptionis B. M. Virginis ingentem animarum multitudinem e poenis purgatorii ereptam esse, quae ovantem Virginem et ad Filii dexteram ascendentem comitata est. Huius autem rei rationem assignat; quia scilicet tunc Regina coronabatur, Regina inquam misericordiae, Domina gratiae, ad cuius coronationem captivis veniam dare par erat.

9 Et non tantum ea vice, qua Beata Virgo in coelum assumpta est, animarum liberationem e purgatorio obtinuit; sed quotiescumque haec eadem solemnitas assumptionis B. M. Virginis ab Ecclesia singulis annis celebratur, in gratiam Virginis eo die in coelum assumptae maximus animarum numerus a purgatoriis flammis liberatur. Quod non assererem, si huius rei testem omni exceptione maiorem non haberem, sanctum videlicet Petrum Damianum doctrina, sanctitate, et scriptorum auctoritate clarissimum. Hic lib. 3, epist. 52 istud hac de re testimonium perhibet. Religiosus plane presbyter Ioannes rem mihi retulit ante paucos annos Romae contigisse, quam narro. In assumptione scilicet Dei Genitricis Mariae cum nocturno tempore romanus populus iuxta morem orationibus et litaniis insisteret, et accensis luminibus diversarum regionum ecclesias perlustraret, mulier quaedam in basilica quae est ad honorem eiusdem Beatae Virginis, in Capitolio constituta, commatrem suam vidit, quae scilicet ab anno fere fuerat iam defuncta. Cumque per multitudinem confluentium ad eius attingere non potuisset alloquium, studuit eam in tali cuiusdam angiportus articulo praestolari, ut dubium non esset, quod egressa basilicam, ab ea declinare non posset. Hanc itaque transeuntem protinus inquisivit: Num defuncta es? Hoc illi vocabulum fuerat, dum adhuc viveret. Qua respondente: Ipsa sum, et quomodo, inquit, tibi nunc est? Ait: Usque hodie non levis me poena constrinxit, quia videlicet per lascivias petulantia illecebras cum coaetaneis me puellis in tenera adhuc aetate foedavi, et hoc ipsum, proh dolor! oblivioni quodammodo tradens sacerdoti quidem confessa fui; sed iudicium non accepi. Verum hodie Regina mundi pro nobis preces fudit, meque cum multis aliis de locis poenalibus liberavit; tantaque multitudo per interventionem eius hodie est de tormentis erepta, ut numerum totius romanae plebis excedat. Unde sacra eidem Dominae nostrae gloriosae dicata passim loca visitamus, actionesque illi gratiarum pro tantis misericordiae beneficiis sinceras exhibemus. Cumque super hoc commater illius ambigeret, nec fidem sermonibus facile adhiberet, subiunxit: Ut experiaris, pro certo verum esse quod loquor, scias te transacto hoc anno, in hac eadem festivitate procul dubio morituram. Quod si (quod fieri non potest) ulterius vixeris, me protulisse mendacium liquido comprobabis. Et his dictis ex oculis eius evanuit. Mox illa cilicium induit, et de obitu suo sollicita, quae audierat, vivere cautius coepit. Quid plura? Peracto fere anno, pridianis coepit aegrotare vigiliis, in ipso vero festivitatis die vitam, sicut ei demonstratum fuerat, terminavit. Ubi notandum, et non leviter expavescendum, quia de peracta culpa quam praefata mulier oblivioni tradiderat, usque ad interventum intemeratae Dei Genitricis supplicia perferebat. Hactenus ille.

10 In die nativitatis et resurrectionis Iesu Christi B. Virgo multas animas a purgatorio eripit.

Sed et praeter diem assumptionis suae B. V. Maria animabus in purgatorio detentis saepius opitulatur, easque de acerrimis illis cruciatibus liberat, maxime in illis diebus, in quibus Ecclesia solemnitates eius celebrat, et in die natalis Domini, quo ipsa Salvatorem mundi Dei Filium humana carne vestitum huic mundo edidit. His inquam diebus B. V. Maria animas illas miseras et afflictas invisere solet, et plures ex illis cruciatibus eripere et in coelum avehere dignatur. Quod his verbis narrat b. Dionysius carthusianus serm. 2 in assumptione Beatae Mariae: Duo socii erant, quorum unus circa festum omnium sanctorum defunctus est, alius vero continuis fletibus se affligens nihil pro defuncto oravit. Cui post festum nativitatis Christi defunctus apparuit dicens: Nihil mihi profecisti, improperans ei fletum. Ecce, inquit, B. V. Maria singulis annis in festo nativitatis Christi ad purgatorii loca descendit, et multas inde animas eripit, quoniam in nocte solemnitatis illius Christum Regem gloriae peperit. Cumque in proxima nativitatis Christi solemnitate descenderat et multas eriperet animas, sperabam quod precibus tuis fuisset me etiam eductura, sed non fecit. Verum quoniam proxima nocte dominicae resurrectionis solet descendere ad purgatorium pro eductione animarum, eo quod Christus nocte illa sanctos de limbo eduxit, rogo, ut cesses pro me cum lacrimis orare, ut me illa nocte dignetur eripere.

VII. Insuper tanta est B. M. Virginis in suos clientes clementia, ut nonnullis eorum precibus et meritis eius immunes prorsus ab illis acerrimis flammis recta in coelum evolarint. Thomas Cantipratanus noster in vita s. Lutgardis scribit: Ducissa Brabantiae Philippi regis Franciae filia gravi morbo correpta ad s. Lutgardem quam ex multo tempore iam diligebat, intra imperii sui terminos in monasterio degentem nuntios misit, eam orans, ut in suis precibus eam coram Domino commendatam haberet. Fecit id Lutgardis: sed, Deo ita volente, ducissa Sacramentis bene munita ex hac vita migravit. Post mortem s. Lutgardi apparens, ei narravit, se praeter spem ab omnibus purgatorii poenis a B. Virgine quam vivens mire dilexerat, esse liberatam. 11

VIII. Ad extremum quod Beata Virgo, exigente divina iustitia et iustissima eius voluntate, ex purgatricibus illis flammis statim non eripit; hoc tamen precibus, et meritis suis efficit, ut illae poenae animabus illis leviores, breviores, contractioresque reddantur: quod summa eius in illas animas pietas, ac propensio, summaque eius potestas, et auctoritas apud Filium efficit. Quare Ecclesia catholica cum pro defunctis orat, omnes animas fidelium, quae ex hoc saeculo transierunt, Beatae Mariae Virgini impensius commendat. *Intercedente*, inquit, *Beata Maria semper Virgine cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.* 12

Haud immerito B. V. Maria Cant. 6, 9 lunae comparatur: *Pulcra ut luna*. Luna, teste Albumazar ceterisque astrologis, si nocte omnino radiaret, vapores ascendentes de terra adeo condensarentur, ut animalia respirare non possent. Ad eundem modum, si Deipara Virgo vapores afflictionum adversitatumque nostrarum radiis suae benevolentiae non dissiparet, profecto respirare non possemus, cito suffocaremur, et periremus. Hinc Idiota vir doctissimus libro suarum contempl. de Virgine, c. 5 eam *spiraculum hominis* appellat; quia quemadmodum, intercluso anhelitu, homo nequaquam vivere potest: ita, sublato Virginis patrocinio, peccator spiritualiter vivere non valet. Id confirmat s. Anselmus orat. de laud. Virg. *Sicut, o Beatissima Virgo, omnis a te aversus, et a te despectus necesse est, ut intereat: ita omnis ad te conversus, et a te respectus impossibile est, ut pereat.* Sed de hoc superius latius egimus. 13

Lunae cur comparata B. V. Maria.

Cum itaque aliqua afflictione iactaris, aut moestitia premeris, ad Mariam recurre, Mariam invoca; veniant tibi in mentem incommoda, quae ipsa in hac vita passa est. Compatietur afflicta olim nunc afflictis, olim moesta moestis, olim pauper pauperibus; 14

verius quam Dido, quae 2 Aeneid. dixit:

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Recenseamus adhuc maiores miserias et afflictiones, et in illis consolatricem esse B. V. Mariam ostendamus.

DISCURSUS CCCLXXIV

B. V. MARIA EST *CONSOLATRIX AFFLICTORUM* IN INFERNO DAMNATORUM, ET QUO SENSU

1 Domina absolute dicitur B. V. Maria. Magna dico, sed vera dico, a protectione Mariae non esse seclusos in inferno damnatos.

I. Tam longe lateque clementia eius et potestas sese extendit, atque diffundit, ut etiam ad inferos, ubi damnati patiuntur, pertingat. Quidni? Maria est *Domina*, ut superiore tomo d. XC tam late deduximus, et absolute dicitur *Domina* absque aliqua limitatione, ut cognoscas eam ubique dominari, et in omnem locum dominii sui potestatem extendere, non in coelum dumtaxat, sed et in infernum. Hoc ante me dixit et docuit s. Bonaventura in speculo cap. 3: *Maria*, inquiens, *interpretatur Domina, quae re vera Domina est coelestium, terrestrium et inferorum: Domina in coelo, Domina in mundo, Domina in inferno.* Et s. Bernardinus senensis premens illa verba Eccli. 24, 8: *Et profundum abyssi penetravi*, ser. 3 de glorioso nomine Mariae, art. 2, c. 2 ait: *Beata Virgo dominatur in regno inferni, propterea inquit Ecclesiastici* 24: *Et profundum abyssi penetravi.* Nullus itaque locus ab eius imperio eximitur, dominii iura ubique exercet.

2 Occurris forte et rogas: Quomodo id fieri potest, ut Beata Virgo in inferno damnatis subveniat, cum ibi nulla redemptio sit, ut fides catholica docet? Accipe modum, sensum assertionis nostrae percipe.

3 In inferno damnatos B. V. Maria solatur, et quibus modis. B. M. Virgo ad infernum damnatos solatur, et eis subvenit, quia eos praeservat, ne in aeternam damnationem cadant. Quot infernalibus flammis addicti essent, nisi B. Virgo illos sub suum patrocinium assumpsisset? Hic accommodari possunt verba regis Salomonis, quae ad Abiathar qui fuerat socius tyrannidis Adoniae, dixit: *Equidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram David patre meo*, 3 Reg. 2, 26. Ita multi in inferno iam essent trusi, et aeterna morte damnati, nisi hanc mysticam arcam in corde suo, hoc est devoto mentis affectu portassent. Hanc meam cogitationem firmat auctoritate sua s. Germanus patriarcha constantinopolitanus in encomio zonae Virginis, ubi Virginem sic alloquitur: *Tu cum habeas maternum amorem apud Filium tuum, fiduciam, et potentiam, nos qui sumus condemnati, et non audemus intueri coeli altitudinem, tuis interpellationibus et intercessionibus Deo nos efficis familiares, das salutem, et ab aeterno liberas supplicio.* Exemplo id firmare libet.

4 Innocentius III papa ope B. Virginis inferni poenas evasit. Cum Innocentius papa III post celebratum Concilium lateranense ex hac vita migrasset, post mortem b. Lutgardi visibiliter apparuit. Illa videns virum ingenti flamma cinctum, quisnam esset percunctatur, respondit se Innocentium papam esse. Tunc illa cum gemitu: Quid est hoc, inquit, communem omnium nostrum patrem tam dire cruciari? Tres, ait, ob causas ita crucior, quae etiam aeternis suppliciis me iustissime addixissent, nisi per intercessionem piissimae Matris Dei, cui monasterium condidi, in extremis me poenituisset. Et aeternam quidem mortem evasi, sed poenis atrocissimis usque ad iudicii diem crucior. Quod autem ad te suffragia petiturus venire potui, mihi a suo Filio Mater misericordiae impetravit. Innocentius III ob quas causas post mortem punitus fuit. Thomas Cantipratanus in vita s. Lutgardis inserta lib. 2 apum, et apud Surium die 16 iunii, ubi Cantipratanus ait se tres illas causas, revelante s. Lutgarde, didicisse; sed pro tanti pontificis reverentia eas referre noluisse. Verumtamen Antonius Sabellicus, Raphael volaterranus, et alii qui de vitis pontificum scripserunt, duas referunt. Prima superfluae expensae in aedificia, et immodicus mundani honoris appetitus. In ceteris hic pontifex laudabilis fuit, et plurima ad Dei laudem et Ecclesiae utilitatem instituit. Voluit autem Deus id per s. Lutgardem palam fieri, quatenus alii cautiores sint, ea quae levia esse videntur, diligentius caveant, iudiciorum divinorum severitatem metuant, commissa per veram poenitentiam expient, implorato Beatissimae Virginis patrocinio, cuius favorem hac in parte plurimum valere videmus.

II. Damnatis solatio est, eosque a gehenna liberat; quia sua protectione et precibus a peccato, quod est via ad gehennam, eximit; quinimmo peccatum ipsa gehenna quaedam est, ac proinde qui in hanc gehennam cadit, inferni flammis tradendus est, nisi resipiscat et doleat se peccasse. Propterea Beata Virgo solet comparari terrae psalm. 84, 13: *Terra nostra dabit fructum suum.* Quemadmodum enim terra omnes suos incolas sustentat: ita B. Virgo peccatores sustentat, ne in infernum cadant. Id ante me sensit, et scripsit Richardus lib. 8 de laud. Virginis. *Maria*, inquit, *terra, quia nobis interponitur et abysso, qua subtracta sicut Core, Dathan et Abiron statim descenderunt in infernum viventes: sic subtracto nobis adiutorio Mariae, statim labimur in peccatum, et inde in infernum.* 5

III. Damnatis refrigerium est Beata Virgo Maria, nam aliquos aeternis flammis iam adiudicatos inde liberavit. Sed hoc cum grano salis intelligendum. Huiusmodi enim homines licet ad tempus in inferno puniti fuerint secundum praesentem iustitiam, absolute tamen ad aeternam salutem praedestinati erant per medium illud prodigiosum ex immensa Dei benignitate, et B. Virginis intercessione concessum. Sententia itaque finalis propter praevisas preces sanctorum dilata fuit, et solum indicata eis fuere supplicia parata, et ipsae suppliciorum causae, ut redditi vitae mores mutarent, et novis moribus coelum mererentur, immo et reliquos mortales superstites rerum transmundanarum facerent certiores. Hoc eruitur ex abysso sapientiae sancto Thoma aquinate de verit. q. 6, art. 6 ad 6. 6 Ex inferno damnatorum nonnullos B. Virgo liberavit, et quomodo.

Non sunt nova, et insudita quae dico. An non legimus quosdam ethnicos, vel alios peccatores, qui iam ad barathrum inferni praecipitati erant, a variis sanctis e mortuis resuscitatos, ut meliorem quam egerant, vitam instituerent, et priora errata, quae in iuvenili et lubrica aetate facile obrepserant, poenitentia expiarent, et aeternam gloriam consequerentur? 7 Ex inferno quinam precibus sanctorum liberati fuerunt.

Certe s. Thecla virgo et protomartyr gloriosa pro idololatra matre sua orans, eam a poenis inferni liberavit; quod serm. de mortuis adiuvandis s. Ioannes Damascenus refert. Et in Graecorum Euchologio, cap. 90 de mortuis sacerdotem sic orantem legimus: *Ut voluntate tua Theclam protomartyrem exaudisti pro idololatra matre sua orantem, nec ipsius preces contempsisti, etc. exaudi etiam nos te orantes.* 8

Beata Agnes filium praefecti, quem diabolus occiderat ob stuprum in virginem tentatum, precibus suis e mortuis revocavit, quem iam in infernum descendisse minime dubium est. Rem gestam scribit s. Ambrosius ser. 90. Et reliquiis b. Stephani puerulus sine baptismo mortuus iterum a mortuis resuscitatus legitur. Et s. Damascenus refert Traianum imperatorem iam damnatum a mortuis suscitatum fuisse, et poenitentiam egisse (1). 9

Adde et ex Scriptura sacra, filium viduae per Eliseum suscitatum, adolescentem iuxta Naim a Iesu Christo ad vitam revocatum, et Lazarum ab eodem Salvatore nostro resuscitatum. Isti forte in tali statu decesserunt, in quo merebantur in infernum detrudi; nam, ut inquit s. Hieronymus epist. 14 ad Nepotianum, *adolescentia multa corporis bella sustinet.* Maxime vero idem forte accidere poterat Lazaro, utpote nobili adolescenti, dissolutae illius Magdalenae fratri (2). Chronica fratrum minorum narrant, episcopum quemdam castellanum Petrum nomine ab inferno praeservatum fuisse. Si itaque multis sanctis id concessum fuit, gloriosae Dei Genitrici id denegandum non erit, ut ipsa quoque suis precibus aliquos damnatos liberet, maxime eos, qui nondum in gehennam aeternam adiudicati fuerunt, sed ad tempus; quia nimirum praeviderat Deus Virginis patrocinio et orationibus ab illis poenis eximendos. Exempla id probant. Rutilius Benzonus libro 2 de anno iubilaei, cap. 45 narrat de quadam muliere lingonensi, quae licet alias religiose viveret, in eo tamen defecerit, quod facinus quoddam in iuventute commissum non in specie, sed tantum in communi ac generaliter confessario aperuisset, ac proinde postquam ex hac vita discessit, a daemonibus ad flammas inferni rapiebatur. Illico Beata Virgo enixe Filium suum 10

(1) Advertendum quod hoc de Traiano vulgo ab eruditis reiicitur ut anilis fabula. *Editor.*

(2) At Magdalena tunc non discipula Christi erat flagrans amore: et quomodo Lazarus poterat esse irretitus vitiis, de quo dictum est Christo: *ecce quem amas, infirmatur?* Immo, quod maximum est, Christus eum vocavit amicum suum. *Lazarus amicus noster dormit*, Ioan. 11, 3, 11. *Editor.*

Digitized by Google

Iesum exoravit, ut a poenis inferni eam liberaret, eo quod dum viveret, quotidie coram eius imagine pie exorasset. Annuit Dei Filius. Mulier vitae restituta occultum diu peccatum integre confessa, iterum mortua Virginis precibus in coelum recepta est.

11 Simile exemplum narrat noster Ioannes Herold vulgo dictus Discipulus, de mirac. B. Virginis, exempl. 61, de quodam a diabolo decepto, qui in sacerdotis forma ei apparens, confessionemque eius audiens de quodam peccato gravi, quod ipse prae pudore diu confessus non fuerat, eum de remissione ipsius quidem assecuravit, verum etiam iniunxit ne illud unquam alicui confiteretur. Credidit homo deceptionis tartarei hostis verbis. In illo peccato mortuus flammis inferni adiudicatus est; sed statim adfuit B. V. Maria, quae daemones ita affata est: Quis hunc hominem dolose decepistis, idciren per tremendum diem iudicii vobis iniungo, ut animam eius ad corpus reducatis, quatenus peccatum illud quod sibi remissum esse putabat, vere confiteatur. Vitae itaque redditus, peccatum suum confessus salutem adeptus est. Multa alia in huius rei attestationem exempla invenies apud eundem Discipulum, Vincentium Belluacensem, Caesarium, et alios.

12 IV. Damnatis solatio est B. V. Maria, quia leviores poenas patiuntur ipsius merito. Theologorum communis sententia est damnatos ad gehennam aeternam mitiores poenas pati, quam illorum peccata mereantur, id est, ut theologi loquuntur, *citra condignum puniuntur*, quod non divinae tantum misericordiae tribuendum est, sed etiam Virginis pietati secundum Deum. Quod expresse sensit, et docuit Rutilius Bensonus episcopus lauretanus cap. 33. *Quantitas*, inquit, *poenae damnatorum ex Dei misericordia, et intercessione Beatae Mariae Virginis citra condignum taxatur*, integro tamen et illibato sigillo iustitiae: quia sic ingeniose scit Deus per intercessionem Matris suae facere misericordiam, ut non frangat iustitiam.

Damnati citra condignum puniuntur.

13 Nonnullorum proborum sententia est, in die assumptionis B. M. Virginis omnes damnatos remedium quoddam ac refrigerium sentire in gratiam Virginis hac die in coelum assumptae. Non auderem hoc asserere, nisi pro me stantem haberem s. Odilonem abbatem cluniacensem, qui serm. de assumpt. B. Mariae ita ait: *Dicam aliquid plus, si audeo, dicam fideli praesumptione, dicam pia temeritate. Totus mundus hodie condigna iubilatione laetatur, et gaudet, tartarus tantummodo ululat, fremit, et submurmurat; quoniam gaudium, et laetitia huius diei claustris infernalibus inclusis aliquod remedium et refrigerium praestat. Non audent, ut opinor, ministri tartarei hodie attingere suos captivos, quos recolunt redemptos illius sanguine, qui pro mundi salute est dignatus nasci de Virgine.* Adverte hunc sanctum patrem non asserere damnatos nullam poenam sustinere in festo assumptionis B. M. Virginis, sed tantum quod eo die daemones tangere illos non audent; quod certe non est modicum refrigerium, nec parva consolatio miseris illis afflictis, licet aliunde gravius torqueantur.

In die assumptionis B. M. Virginis omnes damnati in inferno refrigerium sentiunt. S. Odilonis rara sententia.

14 V. Damnatorum consolatrix est B. V. Maria; quia damnandis vitam celerius praecidi studet, ne diutius viventes, et peccata peccatis accumulantes, graviores poenas in inferno postea sustineant. Idipsum B. Virgo d. Birgittae revelare dignata est, ut legitur in revel. extravag. cap. 89. *Vellet diabolus, ut homo habens voluntatem peccandi quamdiu vixerit, diu viveret, ut post mortem magis doleret; et ideo gratia mea disrumpit laqueum quem videt, id est abbreviat vitam carnis miserae contra voluntatem diaboli, ne fiat dolor ex iudicio iustitiae ita horribilis, ut desiderat inimicus.*

VI. Ad extremum damnatorum consolatrix est B. V. Maria, quia corpora eorum a daemonum saevitia subducit. Multoties enim daemones peccatorum corpora simul in gehennam traherent, nisi Beata Virgo se opponeret, uti ipsa b. Birgittae loco citato narravit in haec verba: *Filiis qui non obtinent poenitentiam, abbreviabit gladius meus aliquam poenam corporalem ante mortem, ne diabolus plenam potestatem habeat super corpus, dum in mundo vixerit, sicut habet potestatem in inferno.* 15

Hinc collige quantae auctoritatis, quantaeque virtutis seu potentiae sit Beata Virgo Maria apud Deum, quae etiam damnatis Dei misericordia prorsus indignis, a Deo per omnem aeternitatem reiectis aliquod refrigerium, solatium, subsidium adferre potest. Sancta Genovefa tantae auctoritatis fuit apud Childericum Francorum regem, ut ad eius intercessionem quod ipsa volebat, fere cogi videbatur. Quapropter cum quadam vice de magna noxiorum manu supplicium sumere statuisset, accepissetque s. Genovefam pro illis oraturam advenire, portas arcis continuo claudi imperavit; at s. Genovefa, intellecto licet regis consilio, nihilominus contendit, et portas arcis occlusas videns unam earum ubi manu tetigit, statim reseravit, et ad regem veniens, prae rei miraculo cunctis stupentibus, impunitatem reis a rege impetravit. Bonfinius lib. 5, dec. 1. At Deus omnipotens, Rex coelorum Virgini Matri fores non claudit, sed sponte aperit; unde ipsa reis veniam quam precatur, semper obtinet. Non igitur mirum, si etiam damnatis refrigerium ac solatium quale quale, quoniam maiore indigni sunt, apud Deum conciliet. 16

S. Genovefae auctoritas apud Childericum regem.

Cum itaque sit tam potens, tamque benigna haec nostra advocata et domina, genibus flexis eam salutemus cum s. Euphemio geminantes: Ave periclitantium adiutrix, iucunda libertas, fons gratiae et consolationis. Ave peccatorum refugium atque diversorium. Ave laborantium propitiatorium. Ave spes omnium populorum adversis casibus afflictorum, dulce conversorum solamen atque praesidium. Ave virorum pariter atque mulierum regina et patrona. Ave nostra consolatrix, quae moerores sedasti, et oppressorum molestias lenivisti, cunctasque oppressiones sustulisti. Ave clavis regni coelestis. Ave portus tutissime in hac vita navigantium. Ave firma salus universorum christianorum ad te sincere et vere recurrentium. Ave nostra protectio insignis, et gloria. Aspira o dies dierum claritatem tuam super nos, inclina salutis tuae et refrigerii umbras a nobis: et licet contegant nos umbrae de cogitatione terrenorum, non nos contegant tenebrae in inferno damnatorum; sed semper aspiremus ad lumen illud aeternum felicitatis nostrae. Amen. 17

Salutatio B. Virginis elegans.

AUXILIUM CHRISTIANORUM

Deipara Virgo Maria omnium est auxilium, et non solum in fideles, sed etiam in infideles et paganos beneficentiae suae radios diffundit; legimus enim Turcas, Iudaeos, aliosque barbaros opem illius sensisse. Sensit Cocutus Turcarum Bassa, qui gravi occultoque pectoris apostemate pressus, et iam fere animam agens patrocinio lauretanae Virginis vitam obtinuit. Sensit Iudaeus qui ex perpetuis carceribus auxilio eiusdem Virginis liberatus est, et alii multi, ut annales lauretani testantur. Sole amicta dicitur Beata Virgo Apocalyps. 12. Sicut enim sol super bonos et malos indifferenter oritur: sic Beata Virgo non discutiens merita omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam praebet, quicumque eam sincero et devoto corde invocant. Christianis tamen praecipue favet, eos impensius diligit, eis citius subvenit, saepius auxiliatur. Hinc ei occinitur: *Auxilium christianorum*. Unde investigandum est

DISCURSUS CCCLXXV

CUR BEATA VIRGO CHRISTIANOS IMPENSIUS DILIGAT, AC IN EORUM AUXILIUM PROMPTIUS ACCURRAT

1 Auxilium in amore fundatur; quem enim diligo, cum oneri succumbentem conspicio, mox accurro, cum eo fero, ei compatiendo, illum adiuvando, roborando, sustentando, et quasi oneri cum eo succollando; sum pes claudo, oculus caeco, baculus seni. Cum igitur Beata Virgo auxilium christianorum dicitur, ipsam cordi habere christianos, eos videlicet diligere aperte insinuatur. Et merito.

2 Christianorum encomia. I. Cum christianos diligit, Christum Filium suum in eis se diligere ostendit. Ipsa est Mater Christi, consequenter mater omnium christianorum. Unde sicut Christum Filium suum naturalem diligit, ita et christianos diligit; quia unus idemque est habitus caritatis, quo diligitur Deus et proximus, teste s. Thoma doctore angelico 2 2, q. 25, art. 1. Beatam Virginem Mariam esse Matrem omnium christianorum superius fuse ostendimus.

3 II. Christiani sunt filii Dei, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, Ioan. 1, 13. Et rursum d. Paulus Roman. 8, 14: *Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*. Cum itaque christiani sint similes Christo unigenito Dei Filio, cui Pater ab aeterno dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, psalm. 2, 7, merito a Beata Virgine diliguntur, in quibus illa imaginem Filii sui impressam videt, de quibus Rom. 8, 29 dicitur: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*.

4 III. Christiani Christo concorporati sunt. 1 Cor. 12, 27: *Vos estis corpus Christi et membra de membro*. Et alibi idem Apostolus nos unum esse in Christo per baptismum, incorporari, et complantari Christo asserit. Hebr. 3, 14: *Participes Christi effecti sumus*. Et ipse Christus ad Paulum adhuc persecutorem Act. 9, 4: *Saule, Saule, quid me persequeris?* hoc est fideles meos, christianos meos, membra mea, corpus, cuius sum ego caput. Cum ergo christiani corpus Christi sint, non est mirum, quod B. V. Maria eos impensius diligat, eis faveat, ac opituletur, utpote membris Filii sui.

5 IV. Christiani peculium Dei sunt, sicut in lege veteri Israelitae fuerunt peculium Dei, id est haereditas Dei, et populus peculiaris a Deo electus ex omnibus. Exod. 19, 5: *Si audieritis vocem meam,.... eritis mihi in peculium*. Et Malachiae 3, 17: *Erunt mihi in peculium*. Ita et in lege nova Dei peculium sunt christiani et iusti, hic per gratiam, in coelo per gloriam. Hoc peculium vocatur ab Apostolo Coloss. 1, 12 sors sanctorum, regnum Christi, familia Dei. *Gratias*, inquit, *agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suae*. Et Ephes. 2, 19: *Iam non estis hospites et advenae; sed estis cives sanctorum, et domestici Dei*. Sicut ergo paterfamilias colit suum peculium, rex vel regina ornat suum cymelium; ita Deus christianos iustos in summo honore habet, eos gratia, virtutibus, donis, laetitia, opulentia, sapientia, felicitate et omni honore cumulat, et beat; consequenter B. V. Maria eosdem mire amat, et in quibusvis necessitatibus eis subvenit, utpote Dei peculio, immo filiis Christo adstrictis et incorporatis.

6 V. Christiani sancti sunt vocatione, baptismo, debito, et obligatione; quia in baptismo sunt sanctificati, ad sancta vivendum vocati, debentque in omni vita et conversatione esse sancti. Hinc Apostolus initio suarum epistolarum omnes christianos romanos, corinthios, ephesios vocat sanctos. Eodem sensu d. Petrus 1 epistol. 2, 9 christianos appellat gentem sanctam, id est sanctificatam, semel ab originali peccato per baptismum, et in dies ab actualibus per poenitentiam. Christiani sunt servi Christi Christo specialiter adstricti, quia specialiter eius cultui, obsequio, laudi in baptismo mancipati sunt. Quare de eis Deus Isaiae 41, 8 dicit: *Et tu Israel serve meus*. Vere servi Dei sumus, quos ipse e servitute peccati, et tyrannide diaboli redemit. Quidni igitur Deipara Virgo Maria christianos vel maxime diligat? quidni in auxilium eorum prompta non accurrat, quos videt sanctos et servos Dei? Propter virtutem eos quos nunquam vidimus, diligimus, ut ait Cicero libro de amicitia; quanto magis B. Virgo eos quos vocatione, baptismo, et obligatione sanctos videt, amat, et eorum necessitatibus sublevat.

7 VI. Christus Matrem suam Ecclesiae et fidelibus praefecit, ut eorum sit mater, regina, adiutrix, et patrona. Sicut ergo Christus a Patre eum Ecclesiae praefecit, summum prae aliis apostolis amorem exegit, inquiens: *Simon Ioannis diligis me plus his?* et accepta Petri responsa: *Domine tu scis quia amo te*, subiunxit: *Pasce oves meas*; sic pariter Deiparam praeficiens Ecclesiae, summum illi contulit amorem, ut omnes fideles eodem regeret et pasceret, quasi regina, et mater. Proinde B. V. Maria christianos, utpote Dei filios, Christi servos, eidemque adstrictos impensius diligit, maioribus favoribus, gratiis, privilegiis prosequitur, et in quibusvis tribulationibus, angustiis, pressuris et aerumnis adiuvat.

8 Adiuvat sane ad praecepta implenda, ad consilia exequenda, ad virtutum omnium exercitium, ad christianam perfectionem, ad tolerantiam et fortitudinem; adiuvat in quavis necessitate, in quavis angustia et tribulatione. Et qua ratione adiuvat? Omni ratione. Adiuvat palam, occulte, per se, per angelos, orata et non orata, verbo, virtute, exemplo, doctrina. Deficerem annumerando singulas consolationes, protectiones, auxilia, quae magis devoto mentis affectu venerari, quam balbutiente lingua exornari, et fragili calamo describi possunt. O Maria auxilium fidelium, gloria et corona iustorum, tui clientis votum suscipe, et plura in tui laudem hic dicere volentem, sed non valentem benigno vultu suscipe. Amen.

DISCURSUS CCCLXXVI

QUORUMNAM CHRISTIANORUM B. VIRGO AUXILIATRIX SIT

1 Non omnes qui christianos se appellant, christiani sunt: multi christiani, pauci christiani. Quam multi vocantur medici, qui curare non norunt? quam multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt? Eodem modo inveniuntur multi christiani, et in rebus non inveniuntur: quia hoc quod vocantur, non sunt.

2 Christia- Christiani vocantur a Christo, sicut platonici a platone, aristo-

Digitized by Google

nus quis dicendus. felici ab Aristotele dicti sunt. Cum ergo Christi nomen gerant, Christi mores et vitam in se exprimere debent. Hinc s. Gregorius nyssenus initio tractatus, *Quid sibi velit nomen christiani*, inquit: *Christianismus est vitae divinae imitatio.* Et Nysseni frater s. Basilius homil. 10 Hexameron: *Christianismus quid est? Assimilatio Dei, quatenus eam assequi potest humanae fragilitas naturae.* Sanctus Augustinus lib. de vita Christi, cap. 1: *Christianus est Christi imitator.* Et capite 6: *Christianus iustitiae, bonitatis, integritatis, patientiae, castitatis, prudentiae, humilitatis, humanitatis, innocentiae, pietatis est nomen.* Et post pauca: *Christianus est qui potest iusta voce dicere: Nemini hominum nocui, iuste vixi cum omnibus.* Et capite 14: *Christianus ille est, qui omnibus misericordiam facit: qui omnino non movetur iniuria: qui opprimi pauperem se praesente non patitur: qui miseris subvenit: qui indigentibus succurrit: qui cum moerentibus moeret: qui dolorem alterius sicut proprium sentit: qui ad fletum alieni provocatur: cuius domus communis est: cuius ianua nemini clauditur: cuius mensam pauper nullus ignorat,... qui Deo die noctuque deservit: qui eius praecepta indesinenter meditatur: qui pauper mundo efficitur, ut Deo locuples fiat: qui inter homines habetur inglorius, ut coram Deo et angelis eius gloriosus appareat: qui in corde suo nihil habere videtur simulatum, confictum: cuius simplex et immaculata est anima: cuius conscientia fidelis et pura est: cuius tota mens in Deo est: cuius omnis spes in Christo est: cui coelestia potius quam terrena desideria: qui humana spernit, ut possit habere divina.* Haec est idea veri christiani ex d. Augustino loco superius citato descripta. (*Idea veri christiani.*) Similem videbis apud s. Ambrosium serm. de ascensione Domini, et apud d. Irenaeum lib. contra haereses, cap. 57 sub finem.

3 Tales christianos Virgo Maria diligit, talibus auxilium praebet qui Christi nomen non vacuum gerere student, et mensuram nominis operibus nomine dignis implere satagunt. Tunc autem mensuram nominis christiani operibus nomine dignis implemus, cum sanctissimam Christi vitam imitamur, et virtutibus quibus illa fulget, velut pretiosis indumentis nos exornamus.

4 Dominus per Aggaeum 2, 24 ad Zorobabel loquens: *Ponam te*, inquit, *quasi signaculum.* Signaculum nostrum verus est Zorobabel Christus, cuius vitae imaginem pulcherrimam vitae nostrae ita debemus imprimere, ut non nomine solo, sed etiam vita a Christo christiani appellemur. Unde d. Chrysostomus orat. 5 contra Iudaeos in fine: *Propterea*, inquit, *christianus es, ideo hoc nomen accepisti, ut Christum imiteris, eiusque legibus operum exhibitione pareas.*

5 *Pone me ut signaculum super cor tuum*, ait Sponsus Cantic. 8, 6, *ut signaculum super brachium tuum.* Ponendus enim est Christus velut signaculum super cor, ut cordi nostro virtutes imprimat suas: portandus est super brachium dexterum, et super manus, ut tum brachio, tum manibus imprimat opera sua. Qui aliter vivit quam Christus, simia Christi est, non christianus; auxilium Virginis non meretur, quia fundamento auxilii, puta amore Virginis caret.

6 Arca illa veteris testamenti Hebraeorum eam secum in aciem educentium munimen erat ac fortitudo, ut superius probavimus, dummodo arcae baiuli a scelere immunes essent, aut in populo aliquod scelus, aut hypocrisis non haereret: hoc sufficiebat eis pro quavis acie in subsidium, ut inquit s. Athanasius libro de interprat. psalmor. ad Marcel. Ad Virginem haec transferenda sunt. Ipsa sola Dei Mater sufficiens est nobis post Deum pro quavis adversitate in subsidium, dummodo ille qui spiritualem hanc arcam in auxilium ducit, omni scelere, omni hypocrisi careat. Huius rationem in epitheto *Refugium peccatorum* fusiorem reddimus.

7 Quare aurea illa d. Bernardi admonitio homil. 2 super *Missus est* saepius animo recolenda. *Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si iactaris superbiae undis, si ambitionis, si detractionis, si aemulationis, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, vel carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam, Mariam invoca; non recedat ab ore, non recedat a corde.* Haec d. Bernardus. Sed valde ponderandum est, quod subdit: *Et ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum.*

8 Adiuva nos, Virgo, praesto sis nobis ad omnia. Te precamur, et obtestamur per nomen Domini nostri Iesu Christi Filii tui, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

DISCURSUS CCCLXXVII

B. V. MARIA EST *AUXILIUM CHRISTIANORUM* MAXIME CONTRA INFIDELES FIDEI CATHOLICAE HOSTES STRENUE PUGNANTIUM, ET UNDE ID HABEAT

Nullus tam strenuus miles, aut militiae dux inter christianos fuit, qui victoriam de hostibus, maxime infidelibus seu barbaris, christianae fidei hostibus reportatam Virgini non retulerit. De qua Cant. 4, 4 dicitur: *Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*: non solum quia protectionum genera Virgo habet, ut suis opituletur; sed etiam quia quotquot fortissimi imperatores, reges, copiarum duces ex barbaris hostibus victorias reportarunt, et triumphos egerunt, semper strenua illa facinora, felicesque exitus B. M. Virgini secundum Deum retulerunt. 1 *Duces belli per B. Virginem ex hostibus victoriam obtinent.*

Per Deiparam Virginem imperia, regna, urbes, dominia a barbaris occupata e manibus eorum rursus erepta, et suae libertati restituta sunt, fugatis, vel caesis ad internecionem tyrannis. Age id exemplis monstremus. 2

Deiparae Virginis auxilio Iustinianus imperator Italiam a Gothis occupatam, et gravissimo eorum iugo per sexaginta annos pressam recuperavit, et in libertatem adduxit per Narsetem praeclarissimum suarum copiarum ducem. Hic namque Virginis cliens et cultor eximius ope Virginis multas et crebras de Totila rege et Gothis obtinuit victorias. Solebat enim ei Beata Virgo apparere, et quando praelium ineundum esset, praecipere. Quare ipse in aciem non descendebat, nisi ab ea tempus opportunum cognovisset, uti referunt Procopius, Evagrius, Nicephorus, Paulus diaconus libro 2 de gestis Longobardorum capite 3, et ex iis Baronius ad annum Christi 553. 3 *Victoriae insignes B. Virginis ope obtentae enumerantur. Narsetis victoria de Gothis.*

Deiparae praesidio Heraclius imperator nobili victoria de Persis potitus est, eorumque opima spolia diripuit, et aurata Razatis ducis Persarum arma accepit, quod totum Dei Genitrici secundum Deum quam in auxilium totius belli adsciverat, imperator attribuit. Hist. Graec. anno Domini 626. 4 *Heraclii imperatoris victoria de Persis.*

Idem imperator anno superiore, duce Theodoro suo fratre, miraculosam de iisdem Persis retulit victoriam, Deo per intercessionem Beatae Virginis cui se commiserat, ei opitulante: nam bello commisso grandine mirae magnitudinis contra barbaros cecidit, eorumque plurimos peremit. Histor. Graecor. et apud Anton. de Balinghem die 12 decembris. 5

Deiparae beneficio constantinopolitana urbs sub eodem imperatore a Persis eam obsidentibus mirabiliter liberata est. Prima luce, orto iam sole, viderunt barbari civitatem obsidentes mulierem illustrem eunuchis comitatam porta Blachernarum exeuntem, (erat autem in Blachernis templum Deiparae magnificentissime constructum) quam cum Heraclii uxorem esse opinarentur, eamque ad suum maritum petendae pacis causa euntem putarent, transitum ei concesserunt. Ut vero fossae ambitum egressam, ad imperatorem ire viderunt, eam insecuti sunt, usque ad locum cui *veteris saxi* nomen est, ubi cum eam fere assecuti essent, ipsa repente cum suis ex oculis eorum evanuit. Ipsi vero tumultu concitato inter se, mutuo congressu usque ad vesperam horribilem stragem ediderunt. Itaque dux eorum obsidionem solvere coactus, utpote toto fere exercitu in mutua illa strage deleto, cum paucis domum rediit. Baronius in annalibus. Matronam illam illustrem Deiparam Virginem fuisse ab omnibus creditum est. 6 *Constantinopolis ope B. Virginis a Persis liberata.*

Per Deiparam Virginem eadem urbs constantinopolitana sub Leone secundo Isauro imperatore a Saracenis toto iam triennio obsessa vindicata est. Imaginem Deiparae quae religiose in Blachernis servabatur, circa moenia praetulerunt. Mirum dictu! Plurimi hostium fame, frigore, pestilentia obierunt. Multae naves eorum ab igniferis imperatoris navibus exustae: aliae vero procellosa tempestate demersae sunt. Baronius 717. Videns eorum princeps quod nihil ageret, petiit, ut saltem urbem ingrederetur, et eam cerneret, pollicitus inde post haec discedere. Quod cum ei concessum fuisset, et per portam Bosphori equo insidens eam intrare vellet, aliis suis sine molestia ingredientibus, solius principis equus intrare nolebat. Respiciens vero sursum vidit supra portam Dei Genitricis imaginem: tunc cognovit se tanta mala passum fuisse, quod eandem auxiliantem civibus blasphemasset; desistensque et recedens cum suis in Aegeo pelago una 7 *Constantinopolis iterum a Saracenis vindicata.*

cum navigiis ab ignifera procella consumpti sunt. Baronius ad annum Domini 718.

8 Pelagius Asturum princeps ope B. Virginis insignem victoriam reportat.

Deiparae opitulatione Pelagius Asturum princeps insignem victoriam de Mauris reportavit anno Domini 718. Cum enim tantam hostis potentiam sufferre non posset, cum paucis de gente Gothorum in speluncam se recepit suam suorumque salutem B. Virgini devote commendans. Saraceni dum portam speluncae vi effringere conantur, lapides, iacula, et sagittae ab eis emissae contra eos retorquentur. Pelagius Dei gratia roboratus Saracenos turbatos et retrocedentes insequitur; Oppam archiepiscopum hispalensem qui Maurorum nomine magnis pollicitationibus deditionem regi suaserat, cepit; Saracenorum viginti millia cum Aleman eorum duce interfecit; sexaginta vero millia qui remanserant, ex Ausene montis fastigio in subiecti fluminis aquas praecipitavit. Spelunca illa Deiparae memoriae dicata, eiusque nomine dicta est *Sancta Maria de Covadonga*. Baronius ex Luca tudensi.

9 Andreas dux de Saracenorum principe victoriam reportat ope B. Virginis.

Deiparae munere Andreas dux Basilii imperatoris constantinopolitani de Saracenorum principe insignem victoriam obtinuit. Cum enim barbarus litteras superbiae et maledictionis plenas ad Andream misisset: *Nunc videbo*, scribens, *an Mariae Filius eiusque Parens tibi proderit, cum contra te meo cum exercitu progrediar*, dux litteris illis convicii plenis ad imaginem Dei Genitricis appensis, haec locutus est: *Vide o Mater Dei, tuque Christe Dei, illiusque Fili, qualia exprobravit et superbe dixit contra tuum superstitem populum barbarus iste arrogans.* Postquam ea fatus est, cum hostibus congressus ingentem barbarorum multitudinem, eorum domino primo trucidato, fugat, et multa caede fudit. Curopalates Graecorum historicus ad annum 867.

10 Urbanus II Terram sanctam ope B. Virginis vindicat.

Deiparae patrocinio Urbanus secundus pontifex maximus Terram sanctam e manibus infidelium eripuit. Cum enim in Concilio claromontano anno Domini 1185 preces horarias in honorem B. Virginis singulis diebus sabbati recitandas universo clero indixisset, Ierosolymam duce Gothofredo magna omnium fidelium gratulatione recepit anno Domini 1199.

11 Alphonsus VIII ope B. Virginis ex Mauris victoriam reportat.

Deiparae ope Alphonsus VIII Castellae rex ex Mauris illustrem victoriam tulit. Cum enim crucem Domini praetulisset, et regium vexillum imagine B. Virginis puerum in ulnis gestantis insignitum barbaris monstrasset, ad eius conspectum fusi fugatique sunt barbari. In ea pugna ducenta Maurorum millia caesa sunt, ex christianis autem solum viginti quinque, aut triginta desiderati, teste ipso Alphonso rege in litteris ad Innocentium III datis. Hac victoria nullam unquam clariorem vidit Hispania; et ob id die 16 iulii memoriam illius sub titulo sanctae crucis annua celebritate recolit. Et ex eo tempore in Hispania religio e carnibus abstinendi diebus sabbati, (qui specialiter Deiparae dicati sunt) ac intestinis tantum, ac extremis animalium partibus vescendi suscepta fertur, auctore Valerio hispano. Vexillum vero illud, ubi expressa erat Dei Genitricis effigies, qua visa Mauri tam multi et tam bellicosi exterriti in fugam se coniecerunt, in toletana ecclesia servatur. Alvarus Gomez in suis fragmentis. Hanc historiam uberius narrat Mariana libro 11 de rebus Hispaniae, capite 24. In ea victoria praeter cetera id fuit mirabile, quod cum tot hostium millia iacerent in omnibus corporis partibus detruncata, etiam spoliata, in toto campo nec signum sanguinis potuit inveniri. Antonius de Balinghem die 16 iulii.

12 Alphonsus IX Saracenos auxilio B. Virginis fugat.

Deiparae favore Alphonsus IX Hispaniae rex Saracenos seu Mauros capitales B. Virginis hostes ingenti praelio vicit, in quo ducenta millia Maurorum cecidisse, et crucem e coelo apparuisse rumor est. Franciscus Taraph. apud Balinghem die 21 iulii in fine.

13 Iacobi I Aragoniae regis victoria de Saracenis praesidio B. V. Mariae.

Deipara adiuvante Iacobus I Aragoniae rex cognomento *Victor*, postquam tria nobilissima regna e Saracenorum manibus eripuisset, in Aragonia ad duo millia templa in Deiparae honorem aedificasset, sub eiusdem Virginis patrocinio in regno Valentiae pugna contra Saracenos commissa, insignem de iis tulit victoriam, invocantibus eius militibus gloriosae Sanctae Mariae nomen, eique confidentibus. In ea pugna decem millia Saracenorum interempta, quorum cadavera nulla apparebant sauciata fuisse, neque perfossa vulnere; ex nostris autem pauci desiderati. Paulus Barcinon, Gomezius Dianca apud Balinghem die 21 iulii.

14 Carnutenses favore B. Virginis hostes sternunt.

Deiparae protectione Carnutenses suam urbem ab impetu barbarorum liberarunt. Cum enim Rollo insignis pirata, collectis multarum perditorum hominum viribus, eos obsedisset, illi nec armis nec muris confisi B. Mariae supparum, id est camisiam, seu indusium, quod Carolus Calvus e Constantinopoli delatum ibi reposuerat, hastae in modum vexilli imponunt. Barbari in camisiam illam cum sagittas dirigere coepissent, mox oculis eorum obtenebratis, nec retrocedere, nec antecedere valebant. Quod videntes oppidani multa eorum caede se satiarunt anno Domini 878.

15 Carolus VII subsidio B. Virginis hostes fugat.

Deiparae subsidio Carolus VII Galliae rex in magnas angustias ab anglo rege redactus, intensissime Deum deprecans ac Virginis Sanctissimae opem singulariter implorans, multas victorias de anglis reportavit, aurelianam urbem ab obsidione eorum liberavit, et plurimas civitates in suam fidem suscepit. Antonius de Balinghem die 22 iulii.

16 Philippus Galliae rex.

Deipara subveniente Philippus Galliae rex cognomento *pulcher* ab exercitu hostili invasus, peneque solus a suis desertus B. Virgini se commendans miraculose vidit se statim a numeroso exercitu ad pugnam pro se parato et expedito circumdatum, hostiles vero copias absque ordine et confusione plenas, quas cum aggressus esset, ac triginta sex hominum millia ad internecionem delesset, multosque captivos duxisset, e suis mille tantum supra quingentos desideratis, tantam victoriam post Deum Sacrae Dei Genitrici acceptam retulit. Carnutum profectus in recognitionem tanti beneficii, templo Deiparae ibidem dicato, dominium baronae in perpetuum attribuit, armaque sua universa quibus in illo conflictu indutus fuerat, in eodem templo pro anathemate suspendit. Ex hist. Gallor. et Carnuten. Balinghem die 17 augusti.

17 Philippus Valesius.

Deipara opitulante Philippus Valesius Galliae rex nobilem victoriam ex hostibus reportavit. Cum suo exercitu ab hostibus repente cinctus esset, Deiparae Virgini se commendans illico tantum virium atque animi accepit, ut in ipso loco viginti circiter hostium millia prostraverit. Post victoriam eo ipso die Parisios victor ingressus ante omnia cathedrale templum B. Virgini sacrum adiit; ex equo desiliens, humi prostratus pro tanto beneficio gratias egit; equum et arma sua universa tam benignae patronae suae atque adiutrici obtulit. Ad huius rei monumentum usque in praesentem diem manet regis equo insidentis effigies ad columnam meridionalem appensa, qui et centum libras annuatim attribuit ad eius victoriae annualem memoriam recolendam. Ex historia gallica, et parthenia. Antonius de Balinghem die 23 augusti.

18 Ioannes Zemisca.

Deiparae suffragio Ioannes cognomento Zemisca imperator Graecorum Bulgaros, Russos, Scythas, et alios barbaros adversus constantinopolitanum imperium simul foedere iunctos, quorum numerus erat trecentorum triginta millium, iteratis praeliis superavit; Virgo enim Deipara s. Theodorum martyrem misit, qui equo albo insidens in prima acie pro imperatore acriter pugnavit, et hostium vires infringere visus est. Unde Zemisca in honorem s. Theodori templum aedificavit, et iconem Dei Genitricis Mariae in curru quadriiugo admodum decore positam triumphare fecit. Curopalates.

19 Ioannes Comnenus.

Deiparae suppetiis Ioannes Comnenus de Scythis nobilem victoriam tulit. Cum enim imaginem Dei Genitricis cum gemitu et miserabilibus gestibus imperator intuens, lacrimas bellicis sudoribus calidiores funderet, statim coelesti robore armatus scythicam aciem profligavit, castrisque hostium direptis, innumerabiles cepit. In cuius rei gestae memoriam imperator festum *pazzinacorum* instituit, et ad triumphi pompam currum argento interpunctum, et gemmis pretiosissimis ornatum parari iussit, in quo Dei Genitricis imaginem collocavit, cui victorias ut collegae imperii invictae acceptas referebat. Quatuor equi nive candidiores currum trahebant, habenas viri principes moderabantur, cognati imperatoris currum tenebant; ipse vero imperator crucem manu gestans pedes antecessit. Scribit Nicetas Choniates in suis annalibus.

20 Iprensis civitas ope B. Virginis ab obsidione liberatur.

Deiparae succursu iprensis civitas ab obsidione liberata est. Eam obsidebat Anglorum rex, atque tam valide oppugnabat, ut prae multitudine sagittarum nemo defensorum in summo aggere aut muro consistere posset. Cives Deiparae Virginis opem implorantes eam sibi visibiliter apparentem habere meruerunt, quae supplices consolata est, hostesque exterritos aufugere compulit. Factum anno Domini 1383. Celebrant quotannis iprenses memoriam liberationis suae magna festivitate dominica prima mensis augusti, uti narrat Maffaeus lib. 18 chron. mundi.

Digitized by Google

21 Simon comes Montis-fortis.

Deiparae interventu Simon comes Montis-fortis apud Tolosam ingentes copias albigensium haereticorum cum parva manu suorum profligavit. Non plures quam octingentos equites, et mille pedites in exercitu suo Simon Monfortius numerabat, cum quibus centum millia haereticorum vicit, et partim prostravit, partim fugavit. Quidam Albanus eques in eo praelio multis iam acceptis vulneribus hostili circumdatus agmine Sanctissimam Dei Genitricem Mariam centum quinquaginta lapides rosarii salutationes angelicas significantes in haereticos proiicientem, eosque prosternentem ac profligantem vidit. Bzovius in annal. ad annum Domini 1213, n. 9.

22 Vladislaus Poloniae rex.

Deipara subveniente Vladislaus Iagiela rex Poloniae maximam post hominum memoriam apud Grunevaldum pagum in Prussia de militibus teutonicis cruciferis obtinuit victoriam. Cum enim Poloni ante commissum praelium B. Virgini impensius se commendassent, patriumque paeana a d. Adelberto archiepiscopo ut martyre, suoque tutelari in honorem Dei Genitricis compositum, quod incipit *Bogarodzica*, cecinissent, tanto ardore in hostium cuneos irruerunt, ut eos fractis ordinibus, et turbatis agminibus ingenti strage hostes profligaverint. Caesa feruntur hostium ea die quinquaginta millia, in quibus ipse magister Ulricus, ac commendatores sexcenti interfecti sunt, capta ad quadraginta millia, signa vero militaris relata sunt unum et quinquaginta, quae nostra memoria ad sepulcrum d. Stanislai martyris appensa fuerunt. Hunc enim inclytum martyrem per omne tempus illius praelii conspectum fuisse in aere, pontificali habitu indutum, suos Polonos dimicantes confirmantem, hostibus vero terrorem incutientem a multis ab utroque exercitu relatum est. Hunc sanctum episcopum a B. V. Maria in auxilium Polonorum submissum fuisse credibile est; nam Poloni ante conflictum B. V. Mariae impensius sese commendaverant. Huius praelii seriem fuse descriptam habes apud Martinum Cromerum de rebus Polonorum lib. 16.

Polonicum poema Bogarodzica. — S. Stanislaus a B. Virgine in auxilium Poloniis missus, pro eis pugnat. — Cromerus.

23 Lusitani.

Sub Deiparae tutela Lusitani anno Domini 1546 insignem victoriam de Mamudio Cambaya rege in Indis reportarunt. Numerabat Cambayas sub signis viginti millia selectorum militum praeter Guzaratas et Indos, quorum maior erat numerus, omni armorum et telorum genere instructissimos. Diu Lusitanorum arcem acri obsidione septimum iam mensem cingebant, eamque aeneis tormentis, aliisque bellicis artibus omni contentione oppugnabant. Lusitani ducenti quinquaginta diu tantam belli molem sustinebant, quibus postea milites nonaginta, et tandem Ioannes Castrius Indiae praetor suppetias venere. Tum parva manu Lusitani armati in hostes irruptionem fecerunt, et victoriam non minus admirabilem quam gloriosam reportarunt. Quatuor millia hostium cum duce exercitus Rumecanae occisa sunt, sexcenti iique principaliores capti, qui tantam consternationis, tam turpis fugae, et cladis tam miserandae causam sciscitati affirmarunt, conserta iam pugna maiores aliquos balistas applicatum quater ignem coelo minime pluvio respuisse, et super aediculam arcis mulierem coelesti lumine radiantem apparuisse, cuius fulgor ita aspicientium oculos perstringebat, ut caeci propemodum neque in ordinem ire, neque in unum se conglobare possent, ac tanto superiores numero, tamen immutata repente rerum omnium specie, ut in denos Lusitanos pugnaturi singuli viderentur, inde consternationem ac fugam ortam. Maffaeus lib. 3 hist. indicae.

24 Lusitani iterum.

Deiparae auspicio christiani numero pauci confertissimos Angolanorum dissiparunt, straveruntque exercitus anno Dom. 1588. In Angolae regione ad oram Africae sitae lusitani milites in praesidiis erant fere ducenti, aethiopum christianorum decem millia sub signis habebant. Igitur magna vis hostium in eos de repente irruit; illi se ad ducem lusitanum recipiunt, derelictis sarcinis, quas hostes utpote gens praedae avidissima diripuerunt. In una ex sarcinis erat abdita Sacrosanctae Virginis effigies, quam lusitanus praetor secum semper in expeditione habebat, quam genuflexus quotidie, precatione adhibita, inspectante exercitu venerabatur. Haec salva et integra reperta est, obcaecatis ut videtur impiorum luminibus, ne illud viderent oculis, quod esset manibus attingere nefas. Haec deinde imago in castra solemni pompa reducta, religiosissime colitur. Deinde Angolae rex innumerabili militum multitudine stipatus per suos duces lusitanis bellum bis intulit, sed victus fugatusque est. Mirabile erat videre tantillam manum Lusitanorum fugare decies centena millia hostium. Huius victoriae auctrix fuit B. V. Maria quam praecipua quadam observantia venerantur christiani aethiopes. Quod et ipsi hostes ingenue fassi sunt. Cum enim quidam lusitanus quaesivisset a duce exercitus angolani, quid causae fuisset, cur illorum multitudo prope innumerabilis tam parvis copiolis cessisset? respondit: Haudquaquam Lusitanorum arma metuebamus, quos vel uno spiritu difflare potuissemus; sed femina admirabili specie, clarissima refulgens luce, seniorque eius comes flammeum vibrans gladium, qui conspiciebatur ante signa, suspensis medio aere vestigiis, magnam incutientes spectantibus formidinem, alienatos terrore animos in fugam dederunt. Franciscus Brentius ex litteris annuis Soc. Iesu anno Domini 1587.

25 Rhodii milites.

Deiparae subsidio rhodii milites de Turcis memorabilem victoriam obtinuerunt anno Domini 1480. Iam hostilis exercitus super Rhodiensium moenia signa sua collocarat, cum D. Virgo in aera Turcis apparuit cum scutu ac lancea, quam comitabatur d. Ioannes Baptista, ac multitudo militum cum splendentibus armis, qui omnes ad civitatem recuperandam properare videbantur. Quo viso ita exterriti sunt Turcae, ut se, licet iam pene victores, sine ordine in fugam dederint, seque mutuis vulneribus ad fugae locum parandum confecerint. Quos fugientes Rhodii insecuti sunt, plurimosque peremerunt. Iacobus Bossius in historia equitum rhodiensium.

26 Christianorum classis.

Deiparae auxilio sacris rosarii precibus implorato anno Domini 1571, die 7 octobris quae dominica fuit, ad Naupactum scholci sinus de Turcarum classe viribus et numero longo maiore a christianis principibus navali bello maxima post hominum memoriam victoria parta est: de qua fusiorem sermonem habuimus superius, cum de festivitate sanctissimi rosarii ageremus.

27 Maximilianus Bavariae dux ope Dei Genitricis haereticos ad Pragam profligat.

Deiparae auxilio Maximilianus Bavariae dux hac tempestate rebelles haereticos austrios, et bohemos domuit, ut in Caesaris Ferdinandi secundi potestatem redegit. Cum ad bellum proficisceretur, in vexillo aulico quod suum praecedebat dominum, Beatissimae Virginis imago eleganter depicta videbatur cum hac inscriptione: *Da mihi virtutem contra hostes tuos*. Vere dedit toto expeditionis tempore, praecipue ad urbem Pragam, ubi fugatis, caesis, debellatis hostibus, victoria aeternum memoranda anno Domini 616. Ieremias Drexelius Trismegisti christiani libro 2, cap. 4, parage. 4.

28 Duces belli ad devotionem erga B. Virginem invitantur.

Tot exempla auxilii mariani in christianos reges et principes, ac copiarum duces collata retulimus. Dignus res quae in exemplum omnium abeat, ne suis lacertis, suis viribus, suae prudentiae ac industriae principes victoriam tribuant; Deiparae Virgini post Deum ita fidere debent, ut felices bellorum eventus et victoriae gloriam in Deum et Virginem conferant.

29 Imaginem B. Virginis secum deferunt.

Summopere probanda est consuetudo illa, qua Dei Genitricis imaginem copiarum duces secum deferebant, cum ad bellum pergebant. Olim gentiles suorum deorum simulacra in praelio secum deferebant, ut colligimus ex Ezech. cap. 21. Fatui delirique a mutis imbellibusque diis opem auxiliumque poscebant. Sanctior est christianorum mos ac magis pia consuetudo, qui in praeliis Dei veri Matrem invocant, eiusque imaginem secum gestant.

30 Arthurus rex.

Fecit id inter alios Arthurus brito Angliae rex, qui in clypeo aureo Dei Genitricis imaginem depictam habebat, et eam semper, maxime in conflictu, tanquam suam advocatam in memoriam reducebat: cuius aspectu animum viresque recipiebat, fortiorque ac terribilior hostibus reddebatur.

31 Unde est quod B. Virgo in bello christianos iuvat.

Sed unde id habeat Deipara Virgo, quod bellatorum auxiliatrix sit, ac munimen, inquirendum est, et breviter expediendum.

Christus supremus bellator cum diabolo pugnaturus pro toto genere humano in D. Virginis utero se quodammodo ad pugnam exercuit. Ibi, ut s. Zeno serm. 4 de nativ. ait, *ubi castrametatus est*, ibi armaturam humanae carnis sibi adaptavit, sicut ipsum ex parte generis humani rogaverat psalmista dicens psalm. 34, 2: *Apprehende arma et scutum, et exurge in adiutorium mihi*. Inde armatus egrediens cum diabolo in carne humana congressus est, et percussit eum non in equo sedendo, sed in cruce pendendo; quia *ibi abscondita est fortitudo eius*, Habacuc 3, 5. Optime igitur omnes bellatores Mariam in auxilium advocant, quae supremum bellatorem Christum contra fortissimum hostem totius generis humani, de quo Iob 41, 24: *Non est super terram potestas quae aequiparetur ei*, tam provide armavit, ut eum vinceret, sterneret, nosque fortes et ad congrediendum cum eo aptos redderet.

32 Leonidis

Felices bellatores, qui sub protectione tantae Virginis praeliantur et vincunt. De Leonide Atheniensium duce Plutarchus in

Digitized by Google

Athenien- sium ducis apophtheg- ma. apophthegm. refert, quod cum ei quidam narraret tantam esse adventantium hostium multitudinem, ut propter sagittas eorum quas emitterent, sol videri non posset, festive respondisse. *Ergo cum ipsis iucunde in umbra pugnabimus.* Opportunior est quibusvis bellantibus umbra, non ab hostium telis, sed ad Dei Genitricis opem, quae omnium hostium sagittas vel solo nutu avertit.

33 *Auctoris votum.* O utinam, aut qui Virginem colunt, in duces copiarum eligerentur, aut qui duces eliguntur, se Virgini devoverent! Gauderemus non una aut altera victoria. Videremus iam mahometismum, haeresim, paganismum ruere; Ierusalem civitatem Dei electam, sanctam et gloriosam e Turcarum manibus ereptam; cerneremus Graeciam, Thraciam, Armeniam, Galatiam, Cappadociam, Epirum, Cyprum, Bithyniam, Pontum, Syriam, Palaestinam Ecclesiae quasi prima praedia et patrimonia; Aegyptum, Africam, Aethyopiam, totumque Orientem, et maxime conterminam nobis Hungariam christianis restitutam. Gauderemus de tot millibus, immo millionibus christianorum misere sub iugo turcico gementium ad nos redeuntium; ubique videremus pacem, concordiam, philadelphiam, hoc est fraternitatis amorem. Utinam hoc ante mortem mihi videre contingat! Fac me mei voti compotem, Iesu Christe Salvator mundi, qui vivis et regnas cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

REGINA ANGELORUM

Haec est tertia pars litaniae, in qua epitheta quae ad excellentiam Virginis pertinent, enumerantur et decantantur. Visis namque et explanatis tot, tantisque Deiparae Virginis fulgoribus ac epithetis, hoc unum restabat, ut ad inserendum pectoribus nostris erga Sanctissimam Matrem amorem, et reverentiam, eam Dominam ac Reginam probaremus. Reginae siquidem titulus honorificus est. Hinc Apostolus proxime et secundum Deum regem honorare iubet 1 Petr. 2, 17: *Deum timete: regem honorificate.* Quidquid autem honorificum, decorum ac gloriosum est, nec conditionem, vel sexum dedecet, hoc Beatae Virgini attribuendum est. Unde monstrandum est

DISCURSUS CCCLXXVIII

QUOD B. V. MARIA SIT *REGINA*

1 Christiana pietas B. M. Virginem Reginam esse credit, sentit, praedicat. Haereticorum turba adversatur; Mariam nec regiam prolem, nec fortunatam, sed puellam trivialem, obscuro loco natam, vilem, contemptam, et contemptibilem facit. *Celsus impugnatur.* Ita olim impudens Celsus aetate Origenis, ita infaustus Faustus manichaeus tempore s. Augustini asserebant, teste Origene libro 3 contra Celsum, et d. Augustino lib. 23 contra Faustum, cap. 9. *Lutherus, Calvinus, et Brentius B. Virginem Reginam negant.* Hoc venenum avide hauserant proxime elapsi saeculi haeretici, Lutherus in expositione cantici *Magnificat*, Brentius in evangelium visitationis Mariae, Calvinus in harmonia evangelii, qui Beatam Mariam Virginem non Reginam, sed personam ignobilem, ignotam, despectam, vilem, nullius coram mundo aestimationis, ac pretii virulento ore dixerunt, et pestilenti calamo scripserunt.

Nos dignitatis Deiparae vindices corde credimus, ore confitemur, ac clara voce decantamus eam Reginam. Et quidem omni iure; iure naturali, iure divino, iure humano.

2 *B. V. Maria Regina est omni iure. Abraham rex fuit.* I. Iure naturali. Dubium non est Virginem Sanctissimam a regibus processisse. Et a quibus? Audi historiographum divinum: *Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham*, Matth. 1, et deinceps. Certe Abraham rex fuit, quinimmo et primus regum conquisitor, et Isaac et Iacob, et usque ad David: illi re, si non verbo. Nam a Davide multi reges verbo simul et re extiterunt. Et reges quidem selecti ab ipso Deo in solium regale evecti. Abraham quidem de manu ipsius Dei regnum accepit. Nam quid sunt illa verba Genes. 12, 2: *Faciam te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus*, nisi regni traditio? Magnus sane rex, qua toga, qua armis dignissimus, cui a caede quatuor regum revertenti occurrit Melchisedech rex Salem, et sacerdos Dei altissimi, ut de victoria congratularetur, et suos cives ab hoste liberatos repeteret, ut Cornelius hunc locum explicat. De Davide aliisque qui sequuntur, notissimum est eos reges fuisse: a Davide autem B. M. Virginem originem traxisse non tantum s. Matthaeus, ut vidimus, verum etiam Isaias vates non obscure docet 11, 1: *Egredietur virgo de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Virga Iesse est gloriosissima Virgo Maria, de cuius radice, id est virgineo corpore per temporalem generationem, et germinationem ascendit flos ille odorifer Christus Iesus Dominus noster. Huic interpretationi fidem facit Ecclesia, cum canit: *Stirps Iesse virgam produxit, virgaque florem, et super hunc florem requiescet spiritus almus. Virgo Dei Genitrix virga est, flos Filius eius.* Ex quo colligimus Virginem Mariam ex generosa praeclarissimi patriarchae Iesse stirpe esse natam, consequenter de vetustissima prosapia sanctissimi regis David qui per successionem fuit Iesse filius, ac soboles. Rursus Ecclesia canit: *Nativitas gloriosae Virginis Mariae ex semine Abrahae, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe David.*

Oracula prophetae, et Ecclesiae catholicae firmant evangelium. 3
D. Matthaeus recensens eos de quorum stemmate Ioseph et Maria processerunt, in fine ita ait: *Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae.* Lucas vero: *Missus est angelus Gabriel a Deo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo David, et nomen Virginis Maria.* Certe si B. V. Maria Iosepho desponsata fuit, Iosephum autem constat ex progenie David fuisse, etiam angelo attestante: *Ioseph fili David*. Matth. 1, non poterit aperte constare Mariam ipsam esse natam ex semine David, adeoque ex stemmate regio, cum haud obscure liqueat unius fuisse generis Iosephum cum Maria? Sic quippe divina lege cautum fuit, ut de sua quisque tribu aut familia uxorem duceret, Num. 26. 6, 7.

Recte itaque et citra controversiam videmus Mariam Virginem fuisse ex tribu et regnatione David. Ipsum docent gravissimi patres. 4
D. Bernardus super *Signum magnum: Quid*, inquit, *sidereum emicat in generatione Mariae? Plane quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahae, quod generosa ex stirpe David.* Doctor angelicus 1 p. q. 31, art. 3 ad 2: *Credendum est*, ait, *quod Virgo etiam ex Salomone originem duxerit secundum aliquem modum per illos patres quos enumerat Matthaeus, praesertim cum Ambrosius dicat Christum de semine Iechoniae descendisse.*

Hinc exploditur stultissimus error cuiusdam Bombasti Paracelsi medici, magi, et haeretici, qui non est veritus mirum opinionis, seu potius erroris monstrum parere libro 2 philosophiae scribens, Mariam Deiparam Adae, Abrahae, David filiam fuisse tantum secundum divinam promissionem, non vero natura seu ex eorum semine. 5 *Bombasti Paracelsi error refutatur.*
Sic homo vecors D. Virginem ex hominum verorum genere relegat, quo nihil magis fatuum, stolidum, blasphemum potuit excogitari. Si dicat se illam hominem agnoscere, sed non ex Adamo, quaeram lubens: Cur igitur beatus Lucas c. 3 genealogiam Christi a Ioseph usque ad Adam ascendendo producit? cur divus Paulus Act. 17, 26 Adamum humani generis universi auctorem et parentem facit? *Fecit*, ait, *ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae.* Forsan stolidissimus homo crassissimum Avicennae errorem in libro de diluvio sustinet, hominem posse naturaliter terra generari, quod aperte est insanire, et intemperiis agi. Sed desino cum deliro homine contendere de re tam manifesta.

6 *Christus est Rex.* Quod si vera, ut verissima, ab omnibus populis et gentibus approbata est communis iurisprudentum conceptio, *ventrem sequitur partus*, scilicet qualis fuerit partus, talis et venter; si regius partus, regius et uterus; cuius familiae proles, huius et familiae parturiens. Omnes autem Scripturae divinae clamant Christum Virginis filium Regem fuisse, et ex semine David ortum et progeniem duxisse. Psal. 2, 6: *Ego autem constitutus sum rex;* Isai. 32, 1: *Ecce in iustitia regnabit rex;* Zachariae 9, 9: *Ecce rex tuus veniet tibi;* Matth. 2, 2: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum?* Ioan. 12, 13: *Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel;* Apoc. 19, 16: *Rex regum et Dominus dominantium.* Itaque si Christus est Rex, profecto et Mater eius Regina est; regis filia, sponsa et mater iure naturae regina est, quod ius gentium dicitur.

7 Christum legitimum successorem israelitici regni gravissimi patres docent. S. Bernardinus senensis tomo 3, sermone 1 de s. Ioseph, Burgensis addit. secun. in cap. 1 Matth. Armachanus lib. 4 de quaestione armena cap. 16, Bachonius in 4, q. 1. Idem tuetur et latissime probat Alphonsus Mendoza in relect. theolog. de universali Christi regno. Et sacra Scriptura id non obscure indicat, quae Christum filium Davidis praedicat. Lucae 1, 32: *Dabit ei Dominus Deus sedem David patris eius.* Caecus ierichuntinus Luc. 18, et mulier chananaea Matth. 15, 22: *Miserere mei, Domine, fili David.* Confirmarunt et Pharisaei Iudaeorum doctores in Scripturis versati, a Christo alienissimi. Matt. 22, 42 dum a Christo interrogarentur: *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: David.*

8 *Augustus Caesar cur describere iussit universum orbem nascente Domino.* Nedum regnum Iudaeorum, sed et alia regna mundi attribuere videtur Christo s. Thomas lib. 3 de regimine princip. c. 13, cum dicit, Augustum Caesarem a Christi nativitate Christi vices in terra egisse, et tanquam Christi substitutum, licet tanti mysterii ignarum, imperasse, ut totus orbis describeretur, non tam sibi, quam Christo nato serviturus; ac tandem divino magis quam humano consilio inductum vetuisse, ne quis eum deinceps Dominum appellaret; ac si (nesciens quid faceret) suo cederet dominatui, eumque in Christum Dominum cuius proprius erat, quodammodo transferret. Nec illud segniter transeundum quod idem Augustus Caesar 27 imperii sui anno Dei instinctu, licet arcani nescius, praeter morem in Syriam profectus est, ut provinciam lustraret, uti narrat Iosephus lib. 1 belli, c. 115, et 116. Porro illo anno concepta fuit B. V. Maria; haec enim profectio Augusti Caesaris in Syriam fuit quindecim annis ante partum et nativitatem Christi. Quare cum Christus natus sit anno Augusti 42, si retro quindecim annos Virginis computes, incides in annum Augusti 27 quo Beata Virgo concepta fuit; Christum enim peperit annos habens quatuordecim. Nata est itaque annos Augusti Caesaris 28, concepta vero anno 27; ille ergo anno Augustus Caesar Dei instinctu, licet mysteriis ignarus, in Syriam veniende Virgini iam conceptae honorem detulit, et dominatum ac imperium uti Reginae totius mundi quasi resignavit. Vide Cornelium in Prov. c. 8, vers. 25 in fine. Iure igitur naturali B. V. Maria est Regina mundi, quia genuit Regem et Dominum totius mundi. Hinc s. Matthaeus in suo stemmate quatuordecim reges, tot deinde duces et heroas, principes et sacerdotes, patriarchas et prophetas longa serie computabat.

9 II. Iure divino Regina est, quia Mater Dei Regis omnium est singulariter electa. A Christo hoc regnandi et imperandi ius participavit B. Virgo tanquam eius Mater; regis enim mater regina sit oportet, uti concludit s. Athanasius in sermone de Deipara. Confirmat Rupertus in Cantica c. 4: *Haec in coelis Regina sanctorum, et in terris Regina regnorum est: quandoquidem est Mater regis coronati, quem constituit Dominus super opera manuum suarum, ac proinde Regina constituta totum in iure possidet Filii regnum.* D. Damascenus lib. 4 de Fide, c. 15: *Vere*, inquit, *omnium rerum conditarum Domina effecta est, cum Creatoris Mater extitit.*

10 Christus iure divino est Rex et Monarcha totius universi, eodem iure B. Virgo Maria est Regina universi, utpote Deipara. Titulo ergo Deiparae hoc dominium possidet, et ad omnia bona Filii sui ius singulare habet. Quare quod Christus Matthaei 28, 18 aiebat: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra*, idem B. V. Maria dicere potest, ut s. Petrus Damianus serm. de nat. M. Virginis sentit: *Fecit*, inquit, *in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potestas in coelo et in terra.* Et d. Bonaventura in spec. c. 3: *Virgo*, inquit, *est re vera Domina coelestium, terrestrium et inferorum.* Ibidem verba illa Eccli. 24, *In Ierusalem potestas mea*, de B. M. Virgine explicat: *Quia in Ecclesia militante et triumphante potentissimi Creatoris potestatem habet.*

11 Magnus ille cancellarius parisiensis Ioannes Gerson aiebat, regnum Dei divisum esse in duas partes, cuius altera misericordia, altera iustitia est, ut cecinit regius vates psalm. 61, 12: *Duo haec audivi, quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia.* Dimidium huius regni, nimirum misericordiam Filius Matri contulit; iustitiam vero sibi reservavit, iuxta illud Ioann. 5, 22: *Pater non iudicat quemquam; sed omne iudicium dedit Filio.* Ideoque B. V. Maria dicitur Regina misericordiae.

12 Hoc regnum Deiparae tam amplum, tamque vastum est, ut in totum orbem terrarum protendatur, omnesque coelorum orbes complectatur, et saecula, sicut et Dei regnum, de quo psalmista psalm. 94, 4: *In manu*, inquit, *eius sunt omnes fines terrae;* et psalm. 144, 13: *Regnum tuum regnum omnium saeculorum.* Diserte id docet s. Bernardinus tom. 1, c. 61, art. 1, c. 6: *Tot*, inquiens, *creaturae serviunt gloriosae Virgini Mariae, quot serviunt Trinitati, omnes nempe creaturae, quemcumque gradum teneant in creatis, sive spirituales ut angeli, sive rationales ut homines, sive corporales ut coeli, et elementa, sive damnati, sive beati; quae omnia sunt imperio divino subiugata, gloriosae Virgini sunt subiecta.* Ille enim qui Dei Filius est, et Virgini benedictae Matri famulabatur in terris. Luc. 2: *Et erat subditus illis.* Cum enim filius naturaliter parentibus subiectus sit, fit ut quaecumque naturaliter habet filius, eadem quoque parentibus cedant, et obveniant. Christus autem naturaliter iure divino, puta ex vi unionis hypostaticae est Rex, habens dominium in omnia, consequenter et B. V. Mater eius naturaliter et de iure divino est Regina omnium. Tanta enim est dignitas et sublimitas esse Matrem Dei, ut possit dominium omnium, quae in Dei sunt potestate.

13 *Regnum quintuplici via acquiritur.* III. Iure humano Virgo Deipara est Regina. Iure humano regnum quintuplici via acquiri solet. Vel iure haereditario, vel labore bellico, vel emptione, vel donatione, vel electione. His omnibus modis B. Virgo Regina est universi. Primo, iure haereditario, fuit namque legitima haeres israelitici regni utpote ex progenie David orta, ut superius ostendimus. Praeterea Christus Dominus, non solum qua Deus, sed etiam qua homo est haeres universorum, ut Apostolus ait Hebr. 1, 2: *Quem constituit haeredem universorum:* ratione cuius haereditatis habuit, et habet absolutum et directum dominium, non tantum spirituale, sed et temporale super omnia regna mundi, ut docet s. Thomas lib. 1, de regim. princ. c. 22, Turrecremata lib. 2 summae de Ecclesia, c. 116, s. Antoninus, Navarrus, et alii quos citat et sequitur Suarez 3 p. q. 22, art. 4, disp. 48, sect. 2. Et nos id in superiore tomo late deduximus contra novos Arianos. Si itaque Christus iure haereditario habet absolutum et directum dominium super omnia creata, consequenter B. V. Maria utpote eius Mater eodem iure gaudet, ut iam deduximus.

14 Secundo, est Regina labore bellico. Christus verus bellator fuit, et victor, cum diabolum, mundum, peccatum, mortem, infernum devicit. Hinc ait ad discipulos: *Confidite, quia ego vici mundum.* Et d. Paulus Colos. 2, 15 de eo ait: *Expolians principatus, et potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* Huius laboris, et victoriae consors fuit, quae in nativitate, infantia, fuga, itineribus, laboribus et passione Christo Salvatori cooperata est: immo et arma ei subministravit, quibus ille indutus contra hostem humani generis in aciem processit, eumque stravit, debellavit, superavit, ut superius in expositione epitheti *Virgo potens* latius deducebam. Sicut igitur Christus dicitur Rex iure belli, ita B. V. Maria iure belli.

15 Tertio, Regina est emptione. Christus non solum ratione unionis hypostaticae cum Verbo Rex est, sed etiam ratione redemptionis, et infiniti meriti, quo meruit summam exaltationem nominis sui, *ut in nomine Iesu omne genuflectatur, coelestium, terrestrium et infernorum.* Philip. 2, 10. Ad redemptionem autem humani generis B. Virgo multis modis concurrit; sed ille praecipuus est, quod pretium redemptionis materialiter subministravit, ipsum Redemptorem genuit, lactavit, nutrivit.

16 Quarto, Regina est donatione. Christus ut homo in primo instanti conceptionis suae constitutus est Rex super omnes gentes iuxta id quod ipse apud psalmistam ait psal. 2, 6: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*, scilicet Deo Patre, *super Sion mon-*

Digitized by Google

tem sanctum eius, id est super Ecclesiam quae est civitas supra montem posita, Matt. 5. Hoc regnum nulli unquam creaturae Christus donavit. Licet enim, ut ait d. Ambrosius, de multis testamentum condiderit; nam discipulis pacem, Veronicae suam effigiem, inimicis indulgentiam, latroni paradisum, militibus vestes, Iesum matrem, matri Ioannem, Deo Patri animam, corpus Iosepho et Nicodemo legaverit; monarchiam tamen totius orbis quam, ut dixi, in instanti suae conceptionis adeptus est, nemini in testamento reliquit, non homini, non alicui creaturae: id enim sine praeiudicio Matris fieri non poterat. Etenim nullus alius in terris fuit, qui tanto dominio dignus esset, excepta sola B. Virgine quam quia Christus summe honoravit ut Matrem, ideo etiam hoc dominium ultro et liberaliter ei communicavit. Hoc est, quod b. Hyppolitus orat. de sanctif. ait: *Qui dixit: Honora patrem et matrem, ut decretum a se promulgatum observaret, omnem etiam gratiam Matri et honorem impertivit.*

Donativa Christi.

17 Quinto, Regina est electione. In electionibus regum praecipue attenduntur natalium splendor, scientia, sapientia, prudentia, pulcra corporis dispositio. Natalium splendor, ut decus regni, ac maiestas conservetur. Hinc Germani et Poloni qui regna electitia habent, plerumque principes potentissimos, clarissimique nominis, hi reges, illi imperatores eligunt. Sapientia, scientia, ac prudentia, ut regnum prudenter administretur. Quemadmodum enim caput plus aliis membris sapere oportet, ita regem populis quos accepit dirigendos. Unde olim nemo rex creabatur, nisi idem et sapiens esset. Plato enim libro 5 de republica tum beatas putabat respublicas fore, vel cum reges philosophari, vel cum philosophi regnare coepissent. Hinc David reges admonuit: *Et nunc reges, intelligite, erudimini qui iudicatis terram*, psal. 2, 10. Pulcritudo quoque corporis in regibus attenditur; species enim corporis bonae indolis indicium est, quod d. Ambrosius lib. 2 de virginibus approbans, ait: *Species corporis simulacrum est mentis, et figura probitatis*. Unde Deus in veteri lege pulcrioribus dignitates conferebat. Moysen populi israelitici ducem effecit, cuius pulcritudo tanta erat, ut filia Pharaonis eum adhuc infantem in filium suum adoptaret, Exod. 2. Saul quoque a Deo creatus rex erat iuvenis formosus, de quo sacra historia narrat 1 Reg. 9, 2: *Non erat vir de filiis Israel melior illo*. Alii transtulerunt: *Nullus formosior illo*. David etiam a Deo electus rex 1 Reg. 16 vocatur vir pulcher, et elegantior inter subditos. B. V. Maria his omnibus qualitatibus praedita erat. Si natalium splendorem quaeras, a regibus processit, ut iam monstratum est. Si sapientiam, scientiam, prudentiam requiras, sapientissima, ac prudentissima fuit, ut in epithete *Virgo prudentissima* late deductum est. Si pulcritudinem corporis attendas, hanc eximiam fuisse in Beata Virgine tomo superiore, discursu CXXXII luculenter ostendimus. Est igitur B. Virgo Maria Regina.

Regum qualitates.

Rex sit sapiens.

Pulcritudo corporis in regibus attenditur.

18 Propterea a sanctis patribus crebro titulo Reginae condecoratur. S. Ephrem. orat. de B. Virgine eam vocat *Dominam, Principem, atque Reginam praestantissimam, perquam benedictam, dominarum Dominam purissimam*. Et mox *Reginam, ac Dominam cunctis sublimiorem*. Et iterum *Reginam supernorum civium et Dominam angelorum*. S. Gregorius nazianzenus in tragoedia de Christo patiente sic eam affatur: *Regina Domina, generis humani bonum*. S. Antoninus 4 p. tit. 15, parag. 22 B. Virginem appellat Imperatricem et Monarcham mundi. Accinit Ecclesia, quae eam hisce nominibus salutat: *Ave Regina coelorum: Ave Domina angelorum*. Et rursus in hymno: *O gloriosa Domina*. Item: *Salve Regina, Mater misericordiae*. Omnes etiam gentes sua lingua eam vocant et invocant Dominam; id enim significat nomen Maria, ut tomo superiore disc. XC deduximus.

Regina a sanctis patribus B. Virgo dicta.

19 Valeant ergo haeretici impudentissimi, et malignissimi calumniatores, ac tergiversatores levissimi, qui perfricta fronte nulla suffulti, neque Scripturarum, neque rationum auctoritate garriunt, cavillanturque Mariam non esse ex regia stirpe natam, nec Reginam dicendam.

20 Sed repulsi eogganiunt, quod paupercula erat Maria, contempta, et contemptibilis, nullius coram mundo pretii. Sed hoc cavillum discursu citato superius extricavi, et tum Scripturis tum rationibus confutavi. Nunc addo pro maiore haereticorum confusione, et regiae dignitatis in Maria declaratione:

Haereticorum cavillus.

21 Christus licet humilem et pauperem matrem elegerit, tamen genere illustrissimam, nobilissimam, generosissimam, multo amplius quam sit modo quaecumque illustris femina in mundo. Nam ab antiquo, multis saeculis, longa progenie, a patriarchis, regibus et sacerdotibus, quae stirpes erant nobilissimae, B. Virgo originem traxit. Recole principia omnium historiarum, et vide si in aliqua historia inveniri potest tam antiqua, tam nobilis familia per tot saecula continuata. Quae genealogia Alexandri, vel Caesaris reperitur tam illustris per tot saecula? Recense in toto orbe quaenam domus, quae familia sit tot regibus et principibus nobilitate decorata, ac familia Ioseph et Mariae, uti habes in principio evangelii secundum Matthaeum.

Nec obstat, quod Ioseph et Maria regia stirpe nati pauperem vitam duxerint, et Ioseph fabrilem artem exercuerit. Haec namque est rerum humanarum vicissitudo, ut ex regibus fiant servi, et ex servis ad regiam dignitatem sublimati, ut Salomon ait Ecclesiastes 4, 14: *Quod de carcere catenisque interdum quis egreditur ad regnum: et alius natus in regno inopia consumatur*. Hoc beatissimo Iosepho et Sanctissimae Virgini accidit, in quibus splendor ille regalis obscurari, et divitiae regum diminutae fuisse videntur. Haec de regia dignitate B. M. Virginis soluta dicta sufficiant. Ulterius videndum est 22

DISCURSUS CCCLXXIX

QUATENUS B. V. MARIA SIT ET DICATUR *REGINA ANGELORUM*

I. Certum et exploratum est Christum esse Regem nedum hominum, verum etiam angelorum, cum sit caput omnium. Licet in controversia positum sit, an gratia et gloria fuerit collata angelis per Christi merita praevisa, de quo disceptant expositores d. Thomae 3 p. q. 8, art. 4. Ego, ut et antea discursu XLVIII, sentio, Christum meruisse angelis sanctis electionem, praedestinationem, vocationem, auxilia excitantia, adiuvantia, sufficientia, efficacia; amoc meritum, omne augmentum gratiae et gloriae; omnia denique dona gratiae quae hominibus meruit, proportione servata, exceptis iis quae ad remedium peccati spectent, quales sunt gratiae sacramentales. Huius meae sententiae auctorem habeo nostrum s. doctorem theologorum magistrum, qui in comment. super Isaia. c. 1 docet: *Plenitudo gratiae quae in Christo est, causa est omnium gratiarum quae sunt in omnibus intellectualibus creaturis*. Si itaque angeli a Christo recipiunt gratiam et gloriam, profecto eum agnoscunt suum Regem et caput; consequenter et B. Virginem Matrem eius agnoscunt Reginam; quidquid enim Christus gratiae ac sanctificationis Ecclesiae contulit, totum mediante Virgine operatus est. Hinc s. Bernardus tom. 2, serm. 11, art. 2, c. 1 B. Virginem nedum Reginam, verum etiam Matrem angelorum appellat. *Beata Virgo ab ipso Patre aeterno recepit fontalem fecunditatem ad generandos omnes electos, et etiam ipsos angelos in aliqua gratia, et gradu, et experientia divinorum*. S. Antoninus p. 4, tit. 15, c. 14, parag. 3 optima id firmat ratione. *Si angeli*, inquit, *recipiunt illuminationem, perfectionem, et beatificationem a Iesu per quem omnia restaurantur in coelo et in terra; ergo B. Virgo, cum sit Mater Iesu, causa est aliquo modo gloriae angelorum, ut apte dicatur mater eorum.* 1

1 Angelis collata fuit gratia ex meritis Christi.

Angelorum mater B.V. Maria.

II. Quia ipsa est Mater Dei, angeli vero servi Dei. Igitur 2
tanto melior est angelis effecta, quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Sicut enim Deus Pater nulli angelorum, sed ipsi Christo dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te;* ita sola Virgo inter omnes creaturas hoc verissime eidem Christo dicit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quis angelorum hoc dicere audet? Sufficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sint et vocati angeli, testante David psal. 103, 4: *Qui facis angelos tuos spiritus*. Maria vero Matrem se agnoscens, maiestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum Filium appellat; quod certe tantum antestat angelis, ut eorum Regina merito dicatur. Quod spectans d. Damascenus orat. 1 de dormit. Virginis ait: *Dei Matris et servorum Dei infinitum est discrimen*. Vere infinitum; nam philosophorum sensu, *finiti ad infinitum nulla est proportio*. Beata autem Virgo ex hoc quod est Mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, ut theologorum fons s. Thomas 1 p. q. 25, art. 6 ad 4 notavit.

III. Regina est angelorum, quia angelis in gratia superior. 3
Omnes omnium angelorum choros perlustremus, officia et virtu-

Digitized by Google

Angelorum novem chori. tes eorum expendamus, et inveniemus B. Virginem multis gradibus eos antecellere. Divus Dionysius areopagita libro de coelesti hierarchia, et d. Gregorius homil. 34 in evangelia novem choros angelorum enumerat, sanctos angelos, archangelos, principatus, virtutes, potestates, dominationes, thronos, cherubinos et seraphinos. Officia et excellentias singulorum expendamus, et Beatissimam Virginem multis gradibus eos antecellere videbimus.

4 Angelorum omnium officia. Angelorum officium est homines custodire ac tueri. At Beatissimae Virgini longe excellentior custodia demandata fuit, quae non hominis solum, sed Christi Domini Dei pariter et hominis Mater extitit: illum nedum custodivit, verum et concepit, peperit, aluit, in manibus portavit, vestivit, et in periculis tutata est, cum rabiem Herodis fugiens cum eo in Aegyptum secessit. Ad haec angeli singulorum hominum custodes sunt; at Beatissima Virgo universos et singulos custodit; omnium quippe est communis mater, et domina, proinde omnes veluti servos et filios sub sua cura habet et protegit. Amplius angeli hominibus divina nuntiant, a quo angelorum nomen acceperunt. Angelus enim idem est, quod nuntius. Sed hoc eminentiore, et excellentiore modo B. Virgini convenit; angeli enim nuntiant per verba creata, Maria vero per Verbum increatum.

5 Archangeli civitatibus praesunt, de quibus Isai. 62, 6: *Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes*, id est archangelos, ut interpretatur Glossa. At Virgo Sanctissima omnes ubique civitates, earumque ecclesias tuetur, atque defendit. *Non est qui se abscondat a calore eius.* Unde conditores regnorum, civitatum, arcium ipsius nomine regna, urbes, arces insigniunt, ut antea vidimus. Et nulla urbs est, quae tot magnificis templis, vel altaribus, vel imaginibus Deiparae erectis sub illius tutela et patrocinio se esse testetur.

6 Principatus provinciis praeficiuntur. Sed B. Virgo ipsi Regi regum mortali carne induta uti Mater praelata fuit. Luc. 2: *Et erat subditus illis.* Deinde Regina omnia, et ipsam universalem Ecclesiam suo praesidio complectitur et tutatur. Quare Apocal. 12 *luna*, hoc est Ecclesia, *sub pedibus*, id est sub patrocinio Virginis conspicitur, quod enim sub pedibus tenemus, nullatenus nobis insciis auferri permittimus.

7 Potestates daemones coercent; at Beata Virgo tartarei serpentis caput contrivit, nosque ab eo strenue defendit diabolis facta terribilis. Quare eius potestas cum sit regia, improportionabiliter superat omnem potestatem ministralem, qualis est in angelis.

8 Virtutes miracula supra naturam operantur; at B. Virgo tota miraculum est. Hinc a s. Ignatio martyre appellatur *sacratissimum monstrum et coeleste prodigium*; a s. Ephrem *praestantissimum orbis terrae miraculum*; a divo Damasceno *miraculorum abyssus et officina*. Sane omne miraculum excessit, cum creatura Creatorem, filia suum parentem genuit, et quem coeli coelorum capere non poterant, suo utero circumdedit, et qui totum mundum pascit, proprio lacte pavit. Accedit nullum esse orbis angulum quod miraculorum gloria a B. Virgine profecta non illustratur, ut antea fusius dicebamus.

9 Dominationes inferioribus sibi angelis praesident et imperant, eosque ad varia ministeria obeunda destinant. Unde Zacharias 2, 4 ait, quendam angelum praecepisse alteri: *Curre, loquere ad puerum istum.* Sed B. Virgo omnibus angelorum choris praesidet et imperat, ut Domina servis, Regina subditis.

10 Throni sunt in quibus Deus familiariter inhabitat, et sua iudicia per eos disponit, iuxta illud psal. 9, 5: *Sedisti super thronum qui iudicas iustitiam.* At B. Virgo prae omnibus angelis excellentior thronus Dei est, in ipsa enim Deus peculiari ratione inhabitavit, ut in expositione epitheti *Sedes sapientiae* fusius dicebam.

11 Cherubim scientia fulgent; at Beata Virgo scientissima est, quippe quae divinae sapientiae abyssum penetravit in utero gestans, et familiariter conversans cum eo, *in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei*.

12 Seraphim caritate ardent; sed Virgo Sanctissima maiore caritate aestuabat. Certum enim, et indubitatum est B. Virginem plus ceteris creaturis Deum dilexisse. Ceterae enim creaturae Deum ut Deum, Conditorem, et Parentem suum dilexerunt: Maria autem eum dilexit, ut mater filium. Igitur Beata Virgo merito Regina angelorum vocatur, quia angelorum ordines eam tanquam Reginam et Dominam venerantur, et mirantur. Mirantur

Angelis admiranda in ea omnes angeli tantam de singulis personis custodiam, archangeli tantam de omnibus locis diligentiam, principatus tantam de omnibus regnis providentiam, potestates tantam super daemones potentiam, virtutes tantam miraculorum efficaciam, dominationes tantam super angelos praeeminentiam, throni pacem et quietem in Deo tranquillam, cherubini tam profundam sapientiam, seraphini tam ardentem caritatem. est B. V. Maria.

IV. Regina est angelorum, quia angelis in gloria superior. *Positus est thronus matris regis, quae sedit ad dexteram eius*, ait sacer textus de Bethsabee matre Salomonis 3 Reg. 2, 19. Positus est thronus Mariae ad dexteram Christi coelorum Regis. Nam sicut benedictus Iesus sedet ad dexteram Patris, id est in potioribus bonis paternis, ut d. Thomas 3 p. q. 58, art. 3 explicat: ita Virgo gloriosa in potioribus bonis Filii sui Iesu iuxta ipsum in throno sublimata consedit. De quo alibi superius plura diximus. 13

V. Regina est angelorum, quia omnes angeli velut subditi et famuli ei serviunt, omni honore, omnibusque obsequiis eam prosequuntur, et reverentur, ita ut merito dicere possint illud 4 Reg. 10, 5: *Servi tui sumus, quaecumque iusseris faciemus.* Sed de istis obsequiis angelorum specialem discursum faciamus, et ex illis B. M. Virginem eorum Reginam esse probemus. 14

DISCURSUS CCCLXXX

EX OBSEQUIIS ANGELORUM B. M. VIRGINI PRAESTITIS EAM *REGINAM ANGELORUM* ESSE PROBATUR

Non solebant hactenus angeli nimio honore ac familiaritate homines dignari; partim quod excellentioris sunt naturae, utpote puri spiritus: *Qui facis angelos tuos spiritus*, psalm. 103, 4; partim quod ministri Dei familiares: *Millia millium ministrabant ei*, Dan. 7, 10; partim quod pollent maiore lumine gratiae, utpote consummatae: ideo non exigui favoris erat, cum cuipiam sui usum permitterent, seque adorari a quopiam homine paterentur. Nascitur in terris haec Beata Virgo, unicum coeli ornamentum, certissimum orbis terrae perfugium: et ecce de repente ipsi principes angelorum e coelo se huic puellulae inclinant, fascesque submittunt, in terram delabuntur, ipsius praesentiam ambiunt, eam reverentur, adorant, atque obsequia praestant. 1

2 Conceptio B. Virginis ab angelo nuntiata. I. Ortum B. Virginis parentibus eius Ioachim et Annae nuntiarunt. Cum enim Ioachimus in festo encaeniorum Ierosolymam adorandi causa venisset, velletque supplex munus offerre, ab Isachar sacerdote propter sterilitatis notam cum ignominia repulsus est. Qua repulsa moestissimus Ioachim non ferens prae pudore suorum civium conspectum, ad pastores pecorum suorum recessit, ibique assiduis precibus Deum pulsabat, ut a se ignominiam illam depelleret. Oranti Ioachimo angelus Domini cum immenso lumine adstitit, et preces eius a Deo exauditas esse renuntiavit, filiamque procreandam, quae Sarae et Rachelis prolem mysterii magnitudine superaret. Tali nuntio exhilaratus Ioachimus, domum cum gaudio repetens uxori suae Annae obviavit, cui etiam angelus apparuit, eandemque Virginis conceptionem nuntiavit. Baronius tomo 1 in apparatu.

3 Maria nomen ab angelis accepit. II. B. M. Virginem angeli mox natam primum eo nomine nuncupaverunt *Maria*, ut refert d. Hieronymus libro de nativitate Virginis. Anna uxor tua (angelus loquitur Ioachimo) pariet tibi filiam, et vocabis nomen eius Maria. Haec erit ab infantia sua Domino consecrata, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae. Idem alii sancti affirmant, quos superius vide in expositione epitheti *Sancta Maria*.

4 Gabriel B. Virginis custos. III. Beatae Mariae Virgini a nativitate sua archangelus Gabriel unus ex septem principibus qui Dei throno adstant, ad custodiam fuit deputatus, ut multi celebres patres docent. Sanctus Ildephonsus serm. 5 de assumpt. Eusebius emissenus homil. in vigil. nativ. Sophronius inter opera d. Hieronymi serm. de assumptione, Petrus Damianus sermone 1 de nativitate B. Mariae Virginis, d. Bernardus epist. 77. Quod autem Abulensis scribens in Matth. capite 18, q. 60 adstruit, Gabrielem a Christi conceptione usque ad eius mortem custodem Virginis fuisse, non probatur, cum reliqui patres absque ulla temporis exceptione simpliciter id affirment. Decebat enim Virgini gloriosae in terris degenti, quae Mater Dei erat futura, non quemlibet, sed unum ex illis septem supremis, et inter angelos praestantissimis ad custodiam deputari, sicut etiam Christus in cruce uni ex discipulis praecipuo eam commendavit.

Digitized by Google

5 *Angeli B. Virgini cibum ministrabant.*

IV. Trimolae Virgini in templo degenti angeli cibum ministrabant, ut d. Hieronymus loco citato adstruit. Immo totius vitae tempore angelos B. Virgini servivisse, et cibum ei ministrasse gravissimi patres affirmant. D. Hieronymus lib. de nat. Mariae, Andreas cretensis orat. 1 de dormit. Deiparae, Germanus de oblat. Virginis, Gregor. nicom. orat. de oblat. Virginis, Georgius Cedrem in compendio hist. d. Anselmus de excell. Virg. s. Bernardus homil. super *Missus est*, s. Bonaventura in medit. vitae Christi, c. 3, s. Bernardus tom. 2, conc. 51, c. 53, art. 3. Nec id mirum alicui videri debet, cum multis sanctis id officii ob angelis praestitum fuisse legamus. Eliae angelus cibum subministravit, 3 Reg. 19. Abbati Apollini sacris precibus adeo intento, ut centies interdiu, centies noctu flexis genibus oraret, angelus de more nutrimentum afferre solebat. Pallad. in lau. hist. c. 48. Abbatem Arnulphum coelesti alimento angelus quotidie sustentabat. Palladius loco cit. cap. 53. Quanto magis id Matri Dei, Reginae coeli, suae Dominae angeli praestare non debebant?

Cibum quibus angeli ministrarunt.

6 V. Incarnationem Christi B. Virgini nuntiarunt. De quo obsequio superius multa diximus disc. CCCXXXV.

7 VI. Perplexum Iosephum de divino conceptu pre parte Virginis instruxerunt. *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est,* Matth. 1, 20.

8 VII. Christi nutritio Iosephe cum infante et eius Virgine Matre fugam in Aegyptum susserunt. *Surge*, ait Angelus ad Iosephum, *et accipe puerum et Matrem eius, et fuge in Aegyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi*, Matth. 2, 13.

9 VIII. Extinctum Herodem, et funeratos hostes nuntiarunt, viamque in terram Israel monstrarunt. Angelus apparuit Ioseph dicens: *Surge et accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Israel; defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri*, Matth. 2, 20.

10 IX. Beatam Virginem ex hac vita migrantem ad coelos una cum Christo magno cum triumpho exceperunt. Quem triumphum nos superius multis prosecuti sumus.

11 X. Nunc in coelo regnantem omni honore, cultu, veneratione prosequuntur. Huius rei locupletissimi testes sunt septem illi spiritus, de quibus s. Ioan. Apoc. 4, 5: *De throno*, ait, *procedebant fulgura et voces et tonitrua, et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.* Per hunc thronum ante quem reverenter adstant coelestes illi spiritus, B. Virginem intellige, quam illi venerantur, uti sensit Amadaeus ex Ordine sancti Francisci, vir sanctitate, miraculis, et prophetia illustris, qui in suis revelationibus, cum in primo raptu coelestem curiam vidisset, audivit Gabrielem haec sibi dicentem: *Septem angeli sumus, qui Genitricem Dei nostri veneramur.* Ita chronicon s. Francisci lib. 6, c. 30. Horum autem septem spirituum sunt haec nomina, Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, Schealtiel, Iehudiel, Barachiel. Michael significat, *Quis ut Deus*, quia pro Deo pugnavit contra superbum Luciferum, Apocal. 12. Gabriel, *Fortitudo Dei*, quia fortia Dei gesta et bella annuntiavit Danieli, et B. M. Virgini. Raphael, *Medicina Dei*, quia Tobiae caecitatem curavit. Uriel, *Lumen Dei*, quia homines Dei cognitione illuminat et amore inflammat. Schealtiel, *Oratio Dei*, quia pro hominibus orat, illosque ad orandum excitat. Iehudiel, *Confessio seu laus Dei*, quia homines ad confessionem et laudem Dei exhortatur. Barachiel, *Benedictio Dei*, quia beneficia Dei nobis procurat, nosque ad Dei benedictionem et gratiarum actionem impellit. Nomina Michael, Gabriel, Raphael crebro in Scripturis inveniuntur. Urielis nomen diserte consignatum est lib. 4 Esdrae, c. 4, et 6. Quintum nomen Schealtiel exsculpunt nonnulli ex Genesi 16. Sextum Iehudiel colligunt ex c. 23 Exodi. Septimum ex Genesi 18. Sola tria nomina agnoscit et colit Ecclesia. Quatuor reliqua damnasse videtur Zacharias papa in concilio romano, quam damnationem recenset Serarius. Sed illa damnatio sobrie intelligenda est, solum enim magica, et conficta angelorum nomina, quae Adelbertus haereticus commentus est, et quibus auxilium daemonum invocavit, Zacharias papa damnavit. Ceterum nomina angelorum iam recensita divinitus revelata fuisse b. Amidaeo superius diximus.

Angelorum nomina, et significatio nominum ipsorum.

12 Horum septem angelorum celebris est memoria in Sicilia, Neapoli, Venetiis, Romae, aliisque Italiae et Germaniae locis. Ad eorum invocationem daemones ex obsessis fugatos fuisse narrat Cornelius a Lapide scribens in Apocal. c. 1, v. 4.

Hi ergo septem angelorum principes cum ceteris angelicis spiritibus Deiparae Virgini reverentiam atque obsequium exhibent. Hac de re Franciscus Mayron doctor illuminatus ser. de creat. animae B. Virginis ita ait: *Mater Domini dicitur habere septem angelos notabiles, qui assistunt eius throno*; et idem revelatum fuisse b. Amidaeo iam diximus. Id confirmant pervetustae imagines Panormi, Neapoli, Venetiis, Romae, Antuerpiae, Coloniae, in quibus visitur B. Virgo in throno sedens a septem angelis circumdata, ut lego apud Serarium, et Cornelium a Lapide locis citatis, et apud Antonium Spinellum in Throno Deiparae c. 26, n. 5. Quem modum depingendi veritati consonum esse ostenditur ex d. Damascene orat. 1. de dormit. Virg. ubi aperte tradit angelos Deiparae tanquam Dei throno adstare, dum ait: *Tu es solium illud regium, cui adstiterunt angeli Dominum et effectorem insidentem cernentes.* 13

Angeli B. Virgini serviunt.

Ceterum in universum angeli omnes, inter quos septem isti iam commemorati principem locum obtinent, Matrem Dei omni reverentia colere docent, ut tradunt complures ex patribus, quorum longam catenam contexuit Ant. Spinel. loco cit. Quibus consonat revelatio Gertrudi facta, quam lib. 4 revel. eius legimus. Videbat illa angelos coram Deipara stare, eosque qui se ad festum assumptionis paraverant, ad eam adducere, et ab insidiis malignorum spirituum defendere; et post recensitam illam visionem subiecit: Ad imperium Dei Genitricis multitudo angelorum undique confluendo defendit eos, qui gloriosam Virginem invocant. 14

Meministis, cum temporibus d. Gregorii Roma lue inguinaria et mortalitate saevissima laboraret. Hic pontifex in publica processione cum litaniis imaginem Dei Genitricis per urbem deferebat: quo facto angelus in mole Adriani stans (ubi etiam eius locus et imago visitur) avaginatum gladium, quo cives feriebat, visus est in vaginam recondere. Mox aer crassus, pestilens, et flammeus videbatur dissipari, purgari, et serenari. Rei gestae historiam superius narravimus ex Baronio ad annum 590. Et cur angelus ille ad aspectum iconis Virginis ensem cruentatum in vaginam recondidit? Maiestatem Dominae, ac Reginae suae revereri visus est, quae iam precibus suis Deum Romanis propitium reddiderat. Ex quo colligitur universam angelorum multitudinem D. Virgini velut Reginae suae humiliter obsequi, et reverenter famulari. 15

Hanc ergo Reginam et nos unice colamus, ad thronum eius humiliter accedamus, qua possumus virium contentione, cultus religione Mariam honoremus. O Regina super omnes angelorum choros elevata, custodi nos ut angeli; excelsa nobis annuntia ut archangeli; de omnibus nobis habeto providentiam ut principatus; daemonum vim reprime ut potestates; miranda in nobis operare ut virtutes; nobis praeesse velis ut dominationes; sedem Dei nos efficias ut throni; sapientia intellectum illumina ut cherubini; amore affectum inflamma ut seraphini, ut post huius vitae cursum ad illorum sedes admitti te interveniente mereamur. Amen. 16

Oratio ad B. Virginem.

DISCURSUS CCCLXXXI

EX CULTU AC VENERATIONE IMPERATORUM, REGUM, PRINCIPUM, DUCUM, ALIORUMQUE CLARISSIMORUM VIRORUM, AC MULIERUM D. V. MARIA OSTENDITUR REGINA CUNCTIS REGIBUS SUBLIMIOR

Certum et exploratum est, dominium et regnum Christi altioris fuisse ordinis, quam sit dominium omnium regum ac principum terrae. Quapropter Christus Apoc. 1 vocatur *Princeps regum terrae*. Unde theologi colligunt, Christum potuisse Augustum Caesarem de imperio, Herodem ceterosque reges de thronis suis, ut summus eorum Princeps, deponere, aliosque eis subrogare; sed noluit in hac vita hoc suo iure uti, quia venerat daturus exemplum humilitatis, paupertatis, et contemptus mundi, se sua passione redempturus orbem. Hinc Apocal. 19, 16 de eo dicitur: *Habet in femore suo*, id est humanitate, *scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium.* Unde in conspectu Christi Regis omnes reges, et principes huius mundi, quantumcumque videantur sublimes, gloriosi, potentes, felices in oculis hominum, sunt instar vermiculorum terrae, omnisque eorum gloria, potentia et felicitas instar fumi, et umbrae. Tale quoque est dominium ac regnum Deiparae Virginis, cum quaecumque naturaliter habet filius, eadem quoque cedant parentibus, ut superius diximus. Christus est Rex praestantissimus, potentissimus, amplissimus, invictissimus, gloriosissimus, nobilissimus, cunctis 1

Regnum Christi fuit nobilius quam omnium monarcharum mundi regna.

Digitized by Google

regibus ac principibus terrae sublimior: Maria quoque eius Mater est Regina praestantissima, potentissima, amplissima, invictissima, gloriosissima, nobilissima, cunctis regibus ac reginis sublimior. Quare ad Mariae venerabile nomen amplissima imperatorum, regum, principum, ducum, comitum, baronum dignitas reverenter nudum caput inclinat, in genua procumbit, eam veluti Reginam, Regis regum Sponsam, ac Parentem submisse adorat, et praecipuo devotionis ardore prosequitur.

2 Certe magnum est, imperatores, reges, principes, duces humi prosterni, genua flectere. Flectere enim genua imbecillitatis professio est et indigentiae, non flectere dignitatis et potentiae. Unde elephas Aegyptiis symbolum erat regiae potentiae, eo quod genua non flectat: reges adorantur, non autem a regibus et paribus, nisi forte victi fuerint. Regina Saba mirata licet Salomonem, non tamen ante illum procidit aut genua flexit. Cum itaque imperatores, reges, principes B. Virgini se inclinant, ante eam in genua procumbunt, capita sua et colla illi submittunt, eo ipso eam maximam et praestantissimam Reginam agnoscunt, et venerantur, suamque potestatem, auctoritatem, regimen ac principatum esse instar umbrae, fumi et somnii ostendunt. Age recenseamus pios, ac B. Virgini specialiter devotos imperatores, reges, principes, duces, aliosque clarissimos tam viros, quam mulieres. Horum enim exempla ad pietatem, cultum ac venerationem Deiparae Virginis multos possunt accendere. In hoc praeclaro agmine praecedant imperatores romani, uti potentia ceteris illustriores, et tempore inter christianos principes in dominatu priores.

Imperatores B. Virgini specialiter devoti.

IMPERATORES GRAECORUM

Primus religione christiana et pietate mariana inclytus in aciem prodeat

3 I. *Constantinus magnus.* Hic heros longe clarissimus, uti primus fidem catholicam, quam sui antecessores imperatores romani per trecentos annos miris modis vexarunt, et eradicare penitus conati sunt, suscepit: ita etiam pietatem erga Deiparam Virginem mirifice coluit. Donatis urbe Roma atque Italia universa, nec non omnibus occidentalis imperii provinciis s. Silvestro pontifici romano, ipse in orientem profectus est, ibique urbem quandam Romae parem quaerebat, in qua palatium sibi ipse conderet. Itaque Bizantium Thraciae oppidum dilatavit, et maximis amplissimisque moenibus circummunivit, et de suo nomine Constantinopolim appellavit, ac Romam secundam vocari voluit; neque enim aut magnitudine, aut pulcritudine, aut amplitudine veteri Romae cedebat. Hanc urbem Deiparenti Virgini singulariter dedicavit, peracto incruento sacrificio, votis ac precibus anno Domini 330. Nicephorus lib. 8, cap. 25.

Constantinus magnus quantopere B. V. Mariam coluit.

Constantinopolis initia

4 Haec urbs constantinopolitana, uti a principio Deiparae dicata, eiusque nomine civitas Virginis appellata, tot templis eidem sacris, tamque ferventi eius cultu celeberrima, eo titulo tam felix fuit, ut opes, fortitudo, decor, victoria, pax, rerum omnium affluentia in urbe Virginia cum Virgine domicilium fixisse viderentur. Haec civitas quamdiu Deiparae cultui fuit dedita, tamdiu inexpugnabilis extitit Dei Genitricis praesidio, quae eam saepe e Persis, Hunnis, Arabibus, aliisque barbaris miraculose defendit. Quamdiu Deiparam coluit, tamdiu romani pontificis Christi vicarii et totius Ecclesiae catholicae auctoritatem agnoscens viris doctis, et sanctis ita floruit, ut tot Concilia generalia in ea celebrata sint. At ubi impietas iconoclastarum, et furor schismaticorum avitum cultum Deiparae exterminavit, tota illa nominis et imperii gloria, et luna toties triumphatrix a vexillis bizantinis ad labara mahometica devicta, et triumphata transivit. Ab eo tempore quo haec civitas devotionem erga Virginem postposuit, Deiparae patrocinio indigna a communione sanctae Sedis apostolicae separata nullum Concilium, nullum virum sanctum miraculis clarum, paucissimos homines doctos habuit, ac tandem praedae hostili toties patuit, et finaliter a Turcis anno Domini 1452 capta est, quorum gravissimum iugum usque in praesentem diem perferre cogitur.

Constantinopolis pristina gloria.

Calamitates constantinopolitanae urbis et imperii.

5 Idem Constantinus imperator sacrae Dei Genitrici in eadem urbe basilicam admirabili opere erexit, in qua cum columnae prae magnitudine levari non possent, (unaquaeque enim earum habebat sexdecim pedum circuitum) Beatissima Virgo per visum ostendit artifici, quasnam machinas adhiberet, quomodo trocleas suspenderet, atque funes, iussitque ut tres pueros e schola ad tantum opus adhiberet. Quae omnia cum ille pervigilans perfecisset, tres illi pueri columnas quas multitudo virorum fortium prae magnitudine movere nequiverat, summa velocitate sublevarunt. Gregorius turonensis de gloria martyrum cap. 9.

Idem Constantinus Neapoli templum s. Restitutae virginis et martyris erexit, quod adiecit sacello S. Mariae dictae a *principio* quod s. Helena mater eius aedificarat, in quo s. Silvester papa praesente Constantino imperatore frequenter sacrificium missae offerebat ad maiorem illius sacelli venerationem. Petrus Stephanus de locis sacris neapolitanis. 6

Idem in urbe Media amplissima ad mare Caspium sita (quam nunc Camarim vocant) perhonorificum Deiparae templum condidit. Bzovius lib. 9 de signis Ecclesiae, c. 9. Tantam pietatem Constantini Deus abunde remuneravit; nam eius imperium tantis opibus, tanta benevolentia populorum, tot clarissimis victoriis ac triumphis nobilitavit, ut post eum secundus imperator tam felix vix fuisse legatur. 7

II. *Heraclius.* Hic gravi bello a Cosroa Persarum rege pressus, cum nullas pacis aequas ab eo conditiones impetrare posset, ad Dei opem ac Genitricis eius confugit, supplicationibus ac ieiuniis armatus, die Paschatis manu dextera imaginem Deiparae portans Constantinopoli egressus est, ac commisso semel, et iterum cum immani hoste praelio, optatum sibi totique imperio victoriam reportavit. Theophanes, et Cedrenus. 8

Heraclius B. Virgini devotus.

III. *Theodosius iunior.* Hic suae devotionis erga B. Mariam Virginem argumentum ostendit, cum synagoga Iudaeorum in templi formam redacta, pulcritudine et amplitudine exornata, Constantinopoli insignem Dei Matris ecclesiam construxit, in qua sacram Dei Genitricis zonam reposuit, et ex eo tempore ea Dei Matris aedes sacri tumuli nomen est consecuta. Huius imperatoris opera et auxilio sacrosancta Synodus ephesina a Coelestino summo pontifice indicta et congregata fuit. In qua Synodo damnatus fuit Nestorius Divae Dei Genitricis hostis capitalis, qui negabat eam debere vocari Deiparam. 9

Theodosius iunior B. Virgini devotus.

Idem Theodosius libros impii Nestorii sanctione edita damnavit eundemque in Oasim deportari mandavit. Evagrius lib. 1, s. 2, et Prosper in chronicis.

IV. *Marcianus imperator.* Hic affectum suum erga Deiparentem declaravit, cum adversus eutychianos Deiparae hostes sanctionem edidit, qua illos poenis omnibus subiecit, quae superiorum imperatorum legibus adversus alios haereticos constitutae fuerunt. 10

Marcianus imperator B. Virgini devotus.

Idem imperator amore erga Divam Virginem contra Eutychetem, aliosque haereticos Concilium generale chalcedonense a s. Leone pontifice expetiit. Hic enim Eutyches B. Virgini valde iniurius fuit, cum Christi carnem non de sacro Virginis corpore assumptam, sed de coelo deductam fuisse deblaterabat. Mentiebatur quoque impudenter, Christum non de sacro Virginis utero vere natum esse, sed eundem Virginis uterum tanquam solis radios penetrasse, ut constat ex sancto Vigilio episcopo tridentino, qui contra eundem Eutychetem scripsit.

Eutychetis errores.

V. *Leo imperator.* Hic suae devotionis erga B. Virginem specimen edidit, cum magnificam ecclesiam sub Dei Genitricis nomine erexit hac occasione quam narro. Cum adhuc iste Leo homo privatus esset, in hominem caecum tota via errantem incidit, eiusque miseratus eum manuduxit. Cumque iam itinere aliquanto confecto caecus ille siti plurimum cruciaretur, Leo silvam amoenam perlustrat, ut aquam inveniat. Semel et iterum aquam frustra quaerens, qua caecum potaret, vocem coelitus sonantem, et imperatorem futurum pronuntiantem audivit: Leo imperator, densum hunc lucum ingressus aquam turbidam hauri, sitim caeci refice, et limo eius oculos iunge. Leo voci parens oculos caeci linivit, eique Deiparae meritis cuius alloquio dignus fuit, visum reddidit. Eo loci postea imperator factus templum Divae Genitrici ad *fontem* dictum extruxit, in illoque tunicam Divae Deiparentis Ierosolymis repertam collocavit, quae innumerabilibus miraculis inclaruit, teste Nicephoro lib. 15, c. 15, et 25. 11

Leo imperator B. Virginis studiosus.

VI. *Iustinianus imperator.* Hic erga Deiparam mire fuit propensus. Anno circiter 530 Ierosolymis in eius honorem magnificentissimum extruxit templum, cuius quidem pulcritudo et gloria omnem superat facultatem. Idem ab eo factum in Samaria, Pragae, Constantinopoli, Antiochiae, apud Abasgos Caucaso monti altissimo confines, ac Carthagine, postquam singulari Dei beneficio Africa potitus esset. 12

Iustinianus imperator B. Virgini addictus.

Idem imperator haereticos, et eos maxime qui B. V. Mariam

Digitized by Google

blasphemabant, ut Nestorium et Eutychetem, de quibus paulo
Iustiniani lapsus. superius diximus, acerrime persecutus est. Et licet ipse dum nimium cupiebat esse theologus, incidisset in haeresim Aphtardocitarum, qui asserebant corpus Domini non fuisse obnoxium internecioni et affectionibus, quibus naturaliter homines subiecti sunt; in ea tamen obstinate non haesit, nam edictum suum pro hac haeresi non evulgavit, meliorem mentem ei inspirante divina clementia, interventu B. M. Virginis quam impense coluit. Ideo patres sextae Synodi eius memoriam honorifice habuerunt. Sanctus quoque Gregorius papa piae memoriae imperatorem appellavit. Romana etiam Synodus sub Agathone pontifice eundem prae omnibus aemulatorem verae et apostolicae fidei, qui quidem rectitudine fidei Ecclesiam exaltasset, praedicavit. Vide Baronium ad annum 565.

13 Andronicus senior B. Virgini impense addictus. VII. *Andronicus senior, imperator.* Hic multis argumentis devotionem suam erga B. M. Virginem declaravit. Gravi morbo correptus, quo se iam moriturum existimabat, sed Deiparae ope convaluit. Annam imperatricem ante iconem Deiparentis magno domestico commendavit, comprehensamque eius dexteram dexterae Imperatricis Mariae implicuit dicens: Tibi hanc et Romanos omnes trado, atque commendo.

Idem a medicis pene desperatus, ita ut eum futura nocte vivere desiturum pronuntiassent, petiit aquam de fonte Divae Virginis extra portam constantinopolitanam, quam cum potasset, suae fidei praemium retulit, nam miraculose convaluit.

Idem ab Andronico iuniore suo nepote invasus, cum noctu hostium adventantium tumultum sensisset, ut se omni humano auxilio destitutum vidisset, de lecto prosiliit, et coram imagine Deiparae a s. Luca, ut ferebatur, depicta humi prostratus cum lacrimis obtestatus est, ne se sicariorum ensibus obiiceret. Nec frustra; nam ingredientem nepotem valde humanum expertus est. Licet enim recenti victoria elatus esset, tamen cum primum in palatium ingressus est, caligine commotus primum Dei Genitricem salutavit in eius imagine, ante quam Andronicus eius avus genua posuerat.

Idem Andronicus cum ei nuntiatum esset Pincernam quendam, quem ipse in Turcam in Asiam se infundentem cum multo milite miserat, rebellare, et prope esse, ut a militibus imperator acclamaretur, vehementissime consternatus ad sacram Dei Genitricem confugit. Non multo post a legionibus imperatoris Pincerna victus, ligatus, imperatori praesentatus oculis orbatus est.

Denique idem Andronicus nocte intempesta subito morbo oppressus, cum neminem haberet qui ei divina mysteria adferret, omnibus circa palatium portis clausis, surrexit, et Deiparae imaginem quam in sinu gestabat, loco Eucharistiae in os inseruit, et ita vita functus est. Cantacuzenus, et Gregoras in annalibus.

14 Andronicus iunior imperator B. Virginis supplex. VIII. *Andronicus iunior, imperator.* Hic pace composita cum avo Andronico seniore, templum Deiparae Odegitriae dictum ingressus Deo pacis auctori, et Sanctissimae eius Matri amplissimas gratias egit.

Idem ad bellum processurus ante Deum Deique Matrem pro felici successu comprecabatur, et sacrificium laudis iisdem sacrificabat. Idem Cyzicum traiecit, ut Deiparae imaginem in templo apud Hirtacium asservatam veneraretur. Nicetas Choniates.

15 Basilius macedo imperator B. Virginis cultor. IX. *Basilius macedo, imperator.* Hic pietatis suae erga Deiparentem testimonium dedit, cum Deiparae aedem a Leone imperatore ad Fontem portae constantinopolitanae, quae *Aurea* dicitur, aedificatam renovavit. Sed et aliam cui *Sigma* nomen, ex fundamentis refecit, ac praeterea templum Deiparae sacrum, illudque pulcherrimum in foro constantinopolitano exaedificavit. Zonaras in annalibus.

16 Ioannes Comnenus imperator B. Virginis servus. X. *Ioannes Comnenus imperator.* Hic tantopere B. Virginem coluit, ut eius ope ingentes de Scythia Thraciam invadentibus, aliisque barbaris victorias obtinuerit. Unde in gratiarum actionem imaginem Deiparae Virginis currui triumphali impositam insigni pompa Constantinopolim reduxit. Hanc historiam fusius descriptam superius habes. Ex Niceta Choniate.

17 Ioannes Zemisca B. Virginem eximie coluit. XI. *Ioannes Zemisca imperator.* Hic Beatam Virginem eximia pietate colens, eius ope infinitos barbaros, Russos, Bulgaros, Scythas, Turcas, auxiliante s. Theodoro, quem Beata Virgo clienti suo in auxilium submisit, devicit. Unde imaginem Dei Genitricis in curru valde decore positam Constantinopoli triumphare fecit, ut superius meminimus ex Curopalate.

18 Emmanuel XII. *Emmanuel imperator.* Hic inter cetera devotionis suae erga Deiparam argumenta hoc primum dedit, quod in festis B. M. Virginis praesentationis, conceptionis, annuntiationis, purificationis, assumptionis ius dicere prohibuit, omnemque aditum ad tribunalia illis diebus occlusum esse voluit. Baronius ad annum 1066. Secundum quod post victoriam Deo gratias agens, Constantinopoli imaginem Dei Genitricis in curru splendidissime et magnificentissime adornato positam, quem quatuor equi nive candidiores trahebant, triumphare fecit. Nicetas lib. 4 annalium. imperator quam studiose B. Mariam coluit.

XIII. *Michael paleologus, imperator.* Cum urbem Constantinopolim amissam recuperasset, cum primum in eam rediit, coram imagine Beatae Mariae Virginis a s. Luca depicta solemnes gratias Deo et Matri eius egit, illamque imaginem in processione religiose praeferri voluit. Nicephorus et Gregoras. 19 Michael imperator B. Virgini addictus.

IMPERATORES LATINORUM

XIV. *Carolus magnus.* Hic primus occidentalis, primus et Francorum imperator a Leone III summo pontifice nominatus et coronatus ut in re bellica felicissimus, in gubernanda republica sapientissimus, ita in cultu Beatae Virginis religiosissimus fuit. Praeter novem cathedrales, seu episcopales ecclesias in Saxonia erectas multa quoque templa in Germania in honorem Deiparae extruxit: inter quae praecipuum est longe augustissimum templum Aquisgrani ab eo extructum in quo reliquiarum sacrarum ingentem thesaurum reposuit, inter quas etiam indusium D. Virginis ibidem collocavit. Huius templi decora descripsit Petrus Beeck canonicus aquisgranensis. Post multa alia pietatis in Deum ac Deiparam Virginem specimina edita pie mortuus et sepultus in ecclesia illa Deiparae aquisgranensis, ut ab ecclesiis Galliae, Belgii, atque Germaniae in numerum sanctorum est relatus. Eius tamen canonizationem a Paschali papa schismatico factam Ecclesia romana non probavit. Vide Baronium anno Christi 814. 20 Carolus magnus imperator B. Virginis addictus.

XV. *Ludovicus pius.* Hic Caroli magni filius a paterna religione minime discessit. Tam enim sedulus cultor Deiparae fuit, ut ne venatum quidem abiret, nisi sacram Matris Dei imaginem circumferret, et coram illa vel ad arborem in media solitudine suas funderet preces, quemadmodum Krantzius in Metropol. lib. 1, cap. 10 testatur. 21 Ludovicus Pius imperator B. Virginis cultor sedulus.

XVI. *Henricus II imperator.* Hic tantus Beatae M. Virginis cultor extitit, ut connubio sociatus cum Chunegunde perpetuam virginitatem singulari Deiparae ope servaret. Plurima Deo in eius honorem templa extruxit. Inter alia augustum illud Spirae quod regia magnificentia inchoavit, Conradus secundus imperator perfecit. In universum mille templa erexit. Ingrediens Romam primam noctem in basilica S. Mariae maioris semper excubare solebat. Quod dum facit, quadam nocte Christus pontificalibus indutus, missamque celebraturus sibi procedere visus est, quem sequebantur s. Laurentius loco diaconi, et s. Vincentius loco subdiaconi. Post hos Dei Genitrix cum multitudine virginum et angelorum, dehinc Ioannes Baptista cum patriarchis et prophetis; postea Petrus et Ioannes cum ceteris apostolis et evangelistis, s. Stephanus cum martyribus, s. Martinus cum confessoribus. Tunc angeli inceperunt introitum: *Suscepimus Deus misericordiam tuam*, etc. Et dum cantaretur: *Iustitia plena est dextera tua*, omnes Christum et B. Virginem imitantes extenderunt digitos in Henricum, tanquam hoc elogium ei optime congrueret. Finito evangelio librum angelus tum Christo, tum Deiparae, tum coelitibus omnibus ad osculandum obtulit. Demum B. Virgo illi angelo innuit, ut etiam librum Henrico ad osculandum porrigeret, dicens: *Praebe ei pacis osculum, cuius mihi virginitas placet.* Et cum prae nimio gaudio raptus nesciret plene intendere, angelus ipsum in nervo tangens dixit: Hoc tibi erit signum dilectionis Dei propter tuam castitatem et iustitiam: et exinde usque ad mortem claudicabat. Ex quo eventu vocatus est Henricus Claudus. Naucleros generat. 34. Ceterum quod de Roma dictum est, idem de aliis intellige; quamcumque enim urbem ingrederetur, primam quidem noctem precandi gratia in alia aede consumebat, quam B. V. Mariae sacram reperisset. Cuspinianus de vitis imperatorum. 22 Henricus II imperator B. Virginis cultor eximius.

Idem s. Henricus in honorem Virginis plurima erexit templa de quibus ac de eius castimonia Gothifredus viterbiensis in suo chronico sic cecinit:

Coniuge virginea virgo permansit et ille,
Catholicis dedit ecclesias numero quasi mille.

Digitized by Google

Idem Henricus Hungarorum apostolus haud temere dictus est, quod magnam praebuerit occasionem per sororem Gisellam Hungarorum regi desponsatam, ut Stephanus Hungariae rex abiecto cum universo regno idolorum cultu, sacro lavacro ablueretur, ac Deiparam incredibili studio coleret, sanctumque filium suum Emericum in hoc pio instituto haeredem reliquerit. De pietate s. Stephani Hungarorum regis erga Beatam Virginem inferius dicam.

23 Henricus VII imperator B. Virginis observantissimus.

XVII. *Henricus VII imperator*. Hic non minus religione quam armis praeclarissimus ex pietate erga Deiparam Virginem tantum in devotione profecit, ut quotidie communicaret, noctes coram Crucifixi imagine orans consumeret, ieiunus peccata defleret. Devotionem suam erga Beatam Dei Genitricem contestatus est, cum circa festum assumptionis eius omnia negotia forensia intermittebat, quo liberius coelestium contemplationi vacaret. Post festum itaque assumptionis B. M. Virginis ab omnibus negotiis liber coelestium contemplationi vacans anno Domini 1313 ad vitam feliciorem migravit. Cuspinianus.

24 Fridericus III B. Virgini addictus.

XVIII. *Fridericus III imperator*. Hic magna religione Deiparam Virginem colebat. Inter cetera vigiliam assumptionis eius in coelum abstinentia a vino et omni pene cibo honorabat. Cuspinianus in eius vita.

25 Ludovicus III bavarus B. Virginis cultor.

XIX. *Ludovicus III bavarus*. Qualis qualis demum ista fuerit, in eo certe laudem promeretur, quod Sanctissimam Deiparam valde coluerit, ac eius pulcram quae adhuc extat, imaginem ex Italia in Bavariam suis, ut ferunt, brachiis deportarit, ac deportatam in monasterio etalensi, quod in mediis silvis ad eiusdem B. Virginis in coelum assumptae laudem ipse construxit, posuerit, atque reliquerit. Canisius lib. 5 de B. M. Virgine.

26 Albertus II imperator B. Virgini devotus.

XX. *Albertus II imperator*. Hic tanto animi studio in B. Virginem ferebatur, ut sua maiestate non indignum putaret, publice cum clero in choro Deiparae laudes occinere. Antonius de Balinghem die 27 octobris.

27 Carolus V imperator B. Virginis perquam studiosus.

XXI. *Carolus V imperator*. Hic pietatis suae erga Deiparentem monumenta reliquit. Saepe sacram aedem B. Virginis hallensis pietatis causa visitare solitus, eam donis auxit. Statuam argenteam viri armati genibus nixi, manibus in coelum sublatis, supplici habitu dedit, dicavitque. Item scyphum grandem inauratum operis antiqui ibidem reliquit. Item chlamydem militarem villoso serico et auro intertextam, Insignibus imperii et gentis austriacae decoratam ibidem obtulit. Insuper pietatem suam erga Deiparam Virginem abunde declaravit, cum suam militiam, victorias et triumphos, quos saepius egit, ei consecrabat, et secundum Deum ei acceptos referebat. Iustus Lipsius in Deipara hallensi.

28 Ferdinandus II imperator devotione erga B. M. Virginem clarus.

XXII. *Ferdinandus II imperator*. Hic nostra tempestate Religionis catholicae propugnator acerrimus inter cetera toti orbi nota pietatis christianae insignia devotione erga B. Virginem clarus, hoc suae pietatis in eam praeclarum specimen dedit, cum in multis angustiis, quibus a toto fere orbe nedum haereticis, Turcis, Tartaris; verum etiam ipsis christianis premebatur, ad B. Virginem confugiebat. Quadam vice ab ingenti Bohemorum, Hungarorum, aliorumque haereticorum exercitu Viennae circumcinctus, se omni humano auxilio destitutum videns, cum a quodam viro religioso rogaretur, quamnam spem evadendi haberet, cum etiam ipsos cives, immo et suos domesticos ac cubicularios vitae suae insidiantes haberet, respondit: Ego potentissimam bellatricem, generalissimam meam habeo B. V. Mariam sub cuius patrocinio, etsi tot hostibus cinctus, securus maneo. Haec a viro illo religioso magni nominis concionatore ac theologo accepi, qui id ab ore ipsius imperatoris prolatum audivit. Nec frustra Ferdinandus spem suam in B. Virginem collocavit: nam ab eo tempore insignes victorias de quibusvis suis hostibus reportabat, et mille pericula quae ei tum haeretici, tum perversi catholici parabant, evadebat, quae fusius historici enarrabunt. At saltem unum mirandum, et insigne marianae protectionis ac praesidii in Ferdinandum Caesarem exemplum dabo.

Post illam memorabilem victoriam anno 1619, quam Ferdinandus imperator sub Praga, duce Maximiliano bavaro, de rebellibus boemis et hungaris reportavit, convenerunt duo milites, unus religione catholicus et gente nobilis, alter dux belli wirtembergicus, qui rebellium bohemorum castra sequebatur. Tunc catholicus: Quaeso, inquit, strenue domine, fas mihi sit quaerere, quomodo tandem fieri potuerit, ut omnis animus vester in pedes conciderit? an non vobis aeque ac catholicis copiosus exercitus? an non vobis locus multo aequior quam catholicis? an non penes vos maior equitatus robur? an non vos tormentorum bellicorum numero superiores? an non fessum catholicum agmen vos iam disposita per quietem acie excepistis? an non vobis urbs a tergo munimen? vicinum palatium *Stella* nomine propugnaculum? unde ergo catholicis victoria, at vobis fuga? Tunc Wirtembergicus: Nec nos nostras, nec hostium vires ignoravimus; quia utrinque numerus esset legionum scivimus, et ita equitatum equitatui, turmas turmis, legionem legioni opposuimus, prout licuit. Certe hic ducum nec industria potest accusari, nec prudentia. Arma nobis cum hoste paria fuere, locus opportunior. Sed cum iam in aciem prodiissemus, et pugnae folis initium dedissemus, ecce nobis ex adverso castra steterunt, gens incognita, et nunquam visa se opposuit; legio de qua nihil nobis unquam innotuit, se ostendit. Hic ea suorum animos invasit consternatio, ut nemo nisi fugam coeperit circumspicere. Nec est quod quis adeo nobis vitio vertat, ipsi equi quibus insidebamus, stabant, et tremebant. Mox partes nostrae labare, deinde multum declinare, ac tandem pavere, demum omnes apertissime fugere, et sane plures nostri in fuga caesi, quam in pugna. Et quae haec fuit invisa legio? quae acies illa incognita? quae nova castra, nisi angelorum? Certe nullus militum a formidanda illa et fulminatrice legione stipendium nec ab imperatore, nec a ducibus exegit. B. V. Maria clienti suo Ferdinando exercitum illum angelorum hostibus tam tremendum de coelo misit, quo suae fiduciae in Deum, et devotionis erga Deiparentem praemium reciperet. Historiam narrat Ioannes Bellus in Laurea austriaca, et post eum Ieremias Drexelius in Horologio, hora noctis quinta. Dabunt alii huius piissimi et invictissimi imperatoris (quem nobis superstitem Deus diutius conservet) fusius descripta praeclara gesta. Ego telam inceptam texere prosequor.

Angeli pro Ferdinando II pugnant.

REGES GALLORUM

29 Gallorum reges Sedi apostolicae plus aliis dilecti.

Dum illorum regia maiestas in vero Dei cultu et B. V. Mariae devotione, in amplificandis et defendendis Ecclesiae iuribus, in debita sanctae Sedi apostolicae observantia et obedientia pia ac devota consistit, in tanta Sedis apostolicae dilectione habetur, ut eam ceteris regibus christianis Sedes apostolica sibi magis probatam, ac aliis omnibus magis honorandam ostenderit, cum eam *christianissimam* appellare, ipsosque reges tanquam primogenitos Ecclesiae filios habere voluerit. Hoc itaque christianissimum regnum habuit reges piissimos, ac Deiparenti Mariae impensissime addictos. Post Carolum magnum et Ludovicum eius filium, reges simul Francorum et imperatores Romanorum, de quibus iam diximus, devotionem suam erga Deiparentem Mariam dilucide testatus est

30 Ludovicus Crassus B. Virgini devotus.

XXIII. *Ludovicus Crassus*. Hic ob iniurias a Theobaldo comite carnutensi, et nominatim quod illum ad singulare certamen provocare ausus esset, statuerat omnino urbem carnutensem ferro, flammaque delere. In ea urbe est templum antiquissimum Deiparae Virgini, antequam ipsa nasceretur, dicatum, quod magnam venerationem habet, in eoque religiose asservatur B. V. Mariae indusium. Huius ecclesiae clerus una cum episcopo regi ad delendam urbem cum exercitu venienti occurrit orans, et supplicans, ne illi ecclesiae noceret, cuius esset summus protector: neve iram suam in populum innocuum effunderet, dum de uno sibi iniurio ultionem sumere cupit. Perculit ea supplicatio regium pectus. Ne itaque ecclesia illa nobilis B. Virginis una cum civitate igne solveretur, comiti Flandriae totius exercitus sui duci praecepit, ut exercitum inde revocaret. Ita B. Virginis intuitu et amore illi civitati pepercit. Insuper capitulo eiusdem ecclesiae varia privilegia indulsit. Sugerus abbas s. Dionysii.

31 Robertus senior rex Deiparae cultor eximius.

XXIV. *Robertus senior*. Hic memoria pene exciderat, quem uti antiquiorem centum annis Ludovico Crasso post imperatores Romanorum et reges Francorum Carolum magnum, et Ludovicum filium eius ponere debuimus, Deiparae eximius cultor fuit. Inter multas ecclesias a se aedificatas, auro et argento venustatas sacram aedem Dominae nostrae de *Campis* prope Parisios extruxit, ac prioratu auxit. Idem inclytus rex, in honorem sacratissimi partus B. V. Mariae totam noctem nativitatis Domini nostri Iesu Christi ducebat insomnem. Helgardus floriacensis in vita eius.

Idem Robertus in honorem B. M. Virginis novum Ordinem triginta equitum e prima regni Galliarum nobilitate conflatum instituit, quem hoc titulo insignivit; *Ordo equitum Dominae no-*

*

strae de stella. Erat quippe huius verae stellae maris regnique sui ductricis, ac sideris cultor eximius. De hoc Ordine superius diximus, cum de Religionibus in honorem B. M. Virginis institutis egimus.

Idem piissimus rex Melodunum Galliae urbem obsidens, qui cum esset musices peritissimus, et in festo s. Annae cum clericis Dei ac Deiparae Virginis in ecclesia laudes decantaret, muri urbis quam obsederat, nulla ope humana funditus corruerunt. Franc. Plat. lib. antiq. urb. Galliae.

32 Philippus Augustus B. Virgini devotus.

XXV. *Philippus Augustus*. Hic Ludovici Crassi, quem casu primo posuimus, pater erga Deiparam Virginem devotionis suae argumentum dedit, cum templum Dominae nostrae *de Victoria* iuxta silvam erectum aedificavit ob victoriam contra Othonem IV imperatorem ope B. Virginis partam circa annum Domini 1215. Idem coenobium Dominae nostrae *Boni partus* in Galliis aedificavit. Idem augustissimum Deiparentis templum, quo ex miraculis Galliae potissimum est, Parisiis inchoavit, quod postea s. Ludovicus cuius mentio mox fiet, perfecit. Idem Philippus Iudaeos capitales Deiparae hostes toto regno Franciae excedere iussit.

Iudaei pelluntur ex Gallia.

Cum enim impiae genti solemne sit christianorum infantes furari, et in die Parasceves in Christi et christianorum ludibrium crucifigere, felle et aceto potare, tandem lancea confossos enecare, tantam Dei et religionis iniuriam piissimus rex ferre non valens, omnes Iudaeos auro, argento monilibusque pretiosis spoliatos regno abscedere iussit, debitaque omnia, quibus christiani iis obnoxii erant, rex remisit. Antonius de Balinghem die 24 februarii.

33 S. Ludovicus rex B. Virgini quam devotus.

XXVI. *Sanctus Ludovicus IX*. Hic aetate posterior, sed sanctitate, ac in Deiparam Virginem pietate prior inter Galliae reges velut sol inter astra refulsit. Hunc B. Virgo quasi parturivit, cum matri eius, ut eum pareret, dedit. Blanca s. Ludovici mater cum prole careret, s. p. n. Dominici orationibus se commendavit, ut prolem suscipere posset. Ille ut B. Virginis studiosissimus, et rosarii eius promotor ferventissimus erat, reginae suasit, ut erga rosarium B. Virginis affectum indueret. Cessit consilium, regina brevi prole regia aucta filium peperit, quem Ludovicum nominavit. Auctores vitae s. Dominici.

Idem s. Ludovicus satis luculenta devotionis suae erga B. Virginem testimonia dedit, nam cathedrale templum B. V. Mariae, cuius fundamenta sub Philippo Augusto iacta fuerunt, magnificentissime extruxit.

Idem Parisiis nobile Deiparae monumentum extruxit, regium nempe sacellum singulari artificio constructum, quod nobilissimis reliquiis locupletavit, inter quas est aliquid de lacte B. Virginis Mariae quod ab Balduino constantinopolitano imperatore transmissum fuit.

Idem Parisiis amplissimum monasterium sub Dei Genitricis Mariae titulo aedificavit, quod carthusianae familiae donavit.

Idem sanctissimus rex quolibet die sabbati in honorem B. M. Virginis in separato cubiculo pedes egenorum lavabat, tergebat, osculabatur, eisque cibum genibus flexis ministrabat.

Cum in Syriam expeditionem fecisset, ut Terram sanctam e manibus Saracenorum eriperet, pietatis suae erga Deiparam Virginem ibi in Palaestina hoc exemplum reliquit. Sacra illa loca perlustrans, ut ad Nazareth venit, aedemque Deiparae quae nunc Laureti in veneratione est, Incarnationis dominicae mysterio nobilitatam e longe conspexit, ex equo desiliit, in genua humi se proiecit, natalem illam Virginis domum ipsamque Virginem venerabundus salutavit. Inde ad templum progressus Deum ibi incarnatum, eiusque sacram Dei Genitricem religiosissime adoravit. Erat tunc vigilia annuntiationis B. M. Virginis quam piissimus rex ieiunio in pane et aqua cohonestavit, eoque die sacram rem divinam regio apparatu celebrari iussit. Sub sacrificium in ipsa augustissimae Deiparae cella sacrosanctam Eucharistiam de manu sacerdotis magna lacrimarum vi perfusus sumpsit. Clictoveus serm. de s. Ludovico. Vide etiam Tursellinum de aede lauretana.

34 Ludovicus XI Galliae rex B. Virgini quam addictus.

XXVII. *Ludovicus XI*. Hic exemplo homonymi sui s. Ludovici IX Galliarum regis B. Virgini impense addictus devotionem suam erga eam declaravit, cum per totum Galliae regnum meridiano tempore campanas ad Deiparam salutandam pulsare imperavit. Insuper comitatum bononiensem cum oppido B. M. Virgini consecravit. Graviter decumbens dixit se sperare, nonnisi die sabbati Virgini sacro moriturum: et ita eo ipso die qui fuit 30 augusti, ex hac vita migravit. Guaguinus lib. 3 de rebus Francorum.

Idem piissimus rex Carnuti in templo Deiparae sacrum annuum pro defunctis, et quotidianum pro vivis fundavit: et Virgini hallensi in Hannonia crucem inauratam magni pretii et operis figuris variegatam, et falconem magnum argenteum inauratum dedit. Antonius de Balinghem ex Iusto Lipsio die 30 augusti.

XXVIII. *Carolus V Galliae rex*. Hic devotionis suae erga B. V. Mariam documenta dedit, primo cum ecclesiae B. V. Mariae carnutensi eiusdem Virginis gratia privilegium dedit, ut omnes illius ecclesiae causae in ipso senatu parisiensi primo statim tractarentur. Secundo cum in eodem templo Virginis quotidianum sacrum ad altare Crucifixi fundavit. Item ibidem tres solemnes missas pro defunctis in singulos annos tanta cum liberalitate fundavit, ut licet eiusmodi missae etiam ab aliis regibus annuo censu stabilitae sint, per antonomasiam tamen hae missae regiae vocantur, quasi alius non esset, qui simile pietatis opus fundasset. Tertio cum feretrum quo continetur sacratissimum Deiparae indusium, quo induta erat dum Dei Filium concepit, quod Carolus Calvus imperator et Galliae rex ecclesiae carnutensi donavit, egregie ornavit. Feretro supereminet ovatus achates, auro crassisque baccis circumquaque distinctus, in quo divinum Numen, ad cuius dexteram fulmen, ad laevam lanceae quoddam genus caelatum est, iuxta vero pedem extat avis. Cetera huius feretri ornamenta vide apud Antonium de Balinghem die 17 septembris. 35 Carolus V Galliae rex B. Virgini perquam devotus.

XXIX. *Carolus VIII Galliae rex*. Hic observantiae suae, et amoris erga B. V. Mariam signum dedit, cum urbem quandam ex bello neapolitano rediens in Galliam vi cepisset, eamque diripuisset. In ea intuitus virginem formosissimam, amoreque illius captus eam violare volebat; sed virgo illa visa imagine Deiparae ex pariete pendente, regem oravit, ut per inviolatam Dei Matrem eam sponso relinqueret integram. Audita hac obsecratione rex, compressa libidine, mox vim lacrimarum profudit: eam virginem non solum intactam reliquit, sed etiam affinibus eius, et consanguineis pro dote puellae quingentos aureos numerare iussit. Idem rex animam agens divinam misericordiam, et Dei Genitricis opem ter imploravit. Bzovius apud Balinghem die 7 aprilis. 36 Carolus VIII rex B. Virginis observantissimus.

XXX. *Franciscus I Galliae rex*. Hic insigne amoris sui erga B. V. Mariam specimen dedit, cum imaginem quandam Deiparae, cui haereticus quidam Parisiis caput amputarat, loco publico in quadam platea sitam, supplicatione ab episcopo parisiensi indicta, ad templum s. Gervasii delatam ipse rex aliam in truncatae illius locum manibus suis subrogavit, spectante tota civitate, quae vocatur nostra Domina *de Tolerantia*. Hac pietatis suae erga Deiparam Virginem argumentum rex confirmavit, cum publice proclamari iussit, ut qui violatorem istarum sacrarum imaginum deferret, ei pro praemio mille aurei numerarentur; quod si mortis aut alicuius poenae reus esset, generalem omnium amnistiam et condonationem criminum consequeretur. Iacobus Breulius in antiquitatibus parisiensibus. 37 Franciscus I Galliae rex B. Virginis amantissimus.

XXXI. *Henricus III*. Hic studium suum erga B. Virginem declaravit, cum aedi B. Virginis carnutensi auri solidi tabulam, in qua Dei Matris imago ex electro cinericio posita est, dicavit. Insuper crucem auro lapidibusque gravem obtulit. Vas simul eiusdem omnino materiae, in cuius fastigio admirandae artis emicat horologium, manu propria largitus est. Ex Antonio de Balinghem. 38 Henricus III Galliae rex B. Virginis studiosus.

REGES HISPANIARUM

Hispania aliquot regna continet, quae superiore saeculo ob miram pietatem illustrissimae domus austriacae in manum unius principis cum aliis plurimis regnis et dominiis Deus dedit, ut principes discant exemplo regum Hispaniae Deum colere et timere, Ecclesiam Christi ab infidelibus tueri, sanctae Sedi apostolicae omnem reverentiam et obedientiam praestare. Ex catholicissimis igitur Hispaniarum regnis multi principes religiosissimi, et Deiparae Virgini addictissimi prodiere. Nonnullos commemorare libet. Sit igitur primus 39 Hispaniarum reges quam devoti.

XXXII. *Iacobus I Aragoniae rex, cognomento Victor*. Hic in omni vita sua Deiparae addictissimus fuit. Eum regina mater, dum utero contineret, tum Christo, tum B. Virgini tota mente commendabat. Gomesius lib. 1 vitae eius. 40 Iacobus I Aragoniae rex Deiparae addictissimus.

Idem piissimus rex, et B. Virginis cultor eximius, postquam e Saracenorum manibus tria nobilissima regna eripuit, bis mille Dei Matri templa felici, locuplete regiaque manu aedificavit, ac

Digitized by Google

ditavit. Hieronymus Blanca in Commeot. rer. aragoneus. ad sonum 1235.

Idem inclytos rex aliquoties captivos in praemiom suae devotionis erga B. Virginem ab ipsa Dei Genitrice liberatus fuit. A Simone Muofortio Carcassone in vinculis detentus nam liberatricem expertus est. Iterum a quodam Ferdinando carceri mancipatus cum regins, cum se per fenestram demittere vellet, e regine prudenter admonitus, ut almae Dei Genitrici Mariae, cui ipse se a puero devoverat, tunc totum committeret. Ita fecit, et ab illa custodis post pauculos dies honorifice liberatus fuit. Tertio captivus, in arce Muntionis detentus, B. Virgini enixius se commendans, ob ipsa visitari, et tandem e custodia eripi meruit. Blanca loco quo supra.

Idem Iacobus rex cum Mauris Deiparentis capitalissimis hostibus trigesies signa contulit felici semper praeliorum eventu. Unde in oratione defixo, ac lomine quasi medio die circumdato in ipso lumine apparuit Deipara Virgo, eiusque zelum in Mauris debellandis, et in christianis ex eorum manibus e servitute liberandis collaudavit, eumque monuit, ut Religionem sub titulo B. V. Mariae de mercede redemptionis captivorum institueret, cuius praecipuum munus esset pretium pro redimendis captivis solvere. Audivit haec Iacobus, et lacrimis a suavitate dulcedinis perfusus se id facturum promisit, quod et re ipsa perfecit. De quo Ordine nos superius verba fecimus, cum de Religionibus in honorem D. N. Virginis institutis egimus. Auctores, a quibus id sompsimus, ibi vide.

41 Alphonsi VI devotio erga B. Virginem.

XXXIII. *Alphonsus VI Castellae rex.* Hic inter cetera pietatis suae erga Deum eiusque Sanctissimam Genitricem insignia hoc praestitit, quod ecclesiam toletanam, quam B. V. Maria sua praesentia, suo sermone, vesteque mundissima b. Ildephonso ad celebrandum oblata illustraverat, e Maurorum manibus ereptam per Bernardum virum integerrimum, antistitem toletanum christianis caeremoniis consecrari curavit, exterminatis barbarorum spurcitiis, et impus ritibus, quibus ecclesiam illam tam nobilem per 360 annos conspurcaverant. Rem gestam ex probatis auctoribus superius fuse narrabamus, cum de festis in honorem D. M. Virginis institutis ageremus.

42 Alphonsus XI B. Virginis quantus cultor.

XXXIV. *Alphonsus XI Castellae rex.* Hic suae devotionis erga B. Virginem specimen dedit, cum ad Gaudalupam templum magnificentissimum tribus magnis fornicibus tectum, grata symmetria portium insigne in honorem Deiparae extruxit, in quo templo reposita est imago eiusdem Dei Genitricis multis prodigiis et miraculis coruscans. De qua diximus, cum de imaginibus B. M. Virginis tractavimus.

43 Ferdinandi V pietas erga B. Virginem.

XXXV. *Ferdinandus V Hispaniae rex, qui primus rex catholicus appellatus est.* In pietatis suae erga B. Virginem haec monumenta reliquit. Partem Baeticae quam Granatam vocant, e Mauris capitalibus Deiparae hostibus, 780 annis occupatam recepit, pulsisque Mauris, et mahometica superstitione exterminata multa templa Deo Opt. Max. condidit, et consecrari fecit. Maxime vero, cum Aloram Maurorum in regno granatensi civitatem expugnasset, fanum quod erat hostium, *Moschea* appellatum, in honorem atque nomen Divae Matris Dei dedicari imperavit. Antonius Nebrissen dec. 2, lib. 1, c. 6.

Idem varias insulas in oceano hispanicae coronae adiunxit, in iisque unam in honorem conceptionis B. V. Mariae nuncupavit. Nebrissen loco citato.

44 Idem Ferdinandus cum Isabella coniuge Granatae, Hispaniarum orbis celebris, templum mains domumque pontificalem sub titulo Dei Genitricis Mariae magnis sumptibus erexit, et viginti quatuor sacerdotibus, qui in ea quotidie rem divinam peragerent, mansiones construi fecit. Ecclesiam Dominae nostrae *de Pilari*, sive *de Columna* dictam, eo quod super eam b. Iacobo apostolo ipsa Virgo adhuc vivens apparuerit, sub sua protectione suscepit, idque diplomate regio contestatus est.

Idem postquam Malacham in regno Granatae a Mauris ereptam suae ditioni adiecisset, in honorem Dei, eiusque Sanctissimae Parentis sacellum extruxit, quod a *Victoria* denominari voluit.

Idem zelo fidei catholicae et amore Dei Genitricis Hebraeos universos irreconciliabiles cum B. V. Maria, tum Filii eius Domini nostri Iesu Christi hostes, quorum in Hispania infinitus

Iudaei ex Hispania pulsi.

prope numerus erat, finibus regni sui excedere iussit, et ut haereticos in quibus inveteratum est in eandem Sanctissimam Dei Genitricem odium, a suo regno penitus arceret, sanctum inquisitionis officium instituit. Marinaeus lib. 19 apud Antonium de Balinghem die 22 ianuarii.

45 Ioannes II rex B. Virgini impense addictus.

XXXVI. *Ioannes II Aragoniae rex.* Hic Virgini Matri impense addictus omnia eius festa, ac praecipue conceptionis summa cum veneratione colebat, illisque diebus ne ius diceretur, inhibuit. Quibus etiam festum s. Annae, utpote matris Dei Genitricis addidit. Ecclesiae S. Mariae a Columna patrocinium suscepit. Antonius de Balinghem.

46 Philippus II rex Hispaniarum quo affectu B. Virginem coluit.

XXXVII. *Philippus II Hispaniarum rex.* Hic affectus sui erga Deiparam Virginem non obscura indicia ostendit, cum templo Dei Genitricis dicto *Valenaneres* ad subministrandum oleum septem lampadibus, quas coram eiusdem Dei Genitricis miraculosa imagine ibidem prostante nocte dieque perpetuo ardere voluit, annuum censum assignavit. Antonius Lepez. Idem rex effecit, ut Paulus IV summus pontifex ecclesiam B. V. Mariae Antuerpiae in collegiatam cathedralem seu episcopalem erigeret.

Idem ad propagandum Iesu et Mariae nomen multos viros religiosos sua protectione munitos in novum orbem, maxime in mexicanam et peruanam provincias misit. Idem Mauros Deiparae infensos hostes in Baetica tumultuantes fortiter domuit.

Idem in ultima sua infirmitate B. V. Mariae impensius se commendans, imagines Christi crucifixi, et Sanctissimae Deiparae prae oculis semper habere voluit, coram quibus orationes ignitas fundebat, et frequenter cum lacrimis. Et quo devotio sua erga B. Virginem magis clarescerct, ducatorum viginti millia in tabulam altaris Deiparae apud Guadalupam assignavit, eiusque templo annui reditus mille ducatos reliquit. Ad Deiparam vero Montis-serrati decem millia ducatorum destinavit. Patrocinium quoque Deiparae Virginis *de Atocha* extra muros Matriti implorans fratribus Ordinis nostri, apud quos imago illa religiose colitur, largas eleemosynas dedit. Cervara Turianus de obitu Philippi II.

47 Philippus III Hispaniarum rex quam eximie B. Virginem coluit.

XXXVIII. *Philippus III Hispaniarum rex.* Hic inter praeclara pietatis suae insignia eximium amorem erga D. Virginem ostendit, cum anno 1592 cum patre suo Philippo II in vallem venuriam, ubi prodigiosa imago Beatae Virginis colitur, religionis ergo veniens, binas coronas ex auro purissimo obtulit, unam Virginis Matris, alteram Filii eius capiti imposuit. Antonius Lopez in chronica Ordinis s. Benedicti. Alterum devotionis suae erga Deiparentem documentum dedit, cum anno Domini 1610 Mauros Deiparae capitalissimos hostes, gentem perfidam, quae Mauros, Africanos, et Turcas in novam Hispaniae perniciem sollicitabat, ex universa Hispania expulit. Expulsorum capita ad novies centena millia dicuntur numerata. Vasconcellus.

Idem piissimus rex haereticae pravitatis serpentem Deiparae Virginis calcaneo insidiantem in Germania, ac Belgio summo zelo, sedulitate, maximisque sumptibus protrivit, cum Ferdinando II imperatori contra haereses strenue pugnanti magnam vim pecuniae subministravit, et numerosos exercitus in auxilium misit.

Idem pietatem suam in Deiparam prodidit, cum antiquam illam controversiam super conceptione B. V. Mariae inter viros religiosos ortam, et in toto christiano orbe cum tot rixis, contentionibus, scandalis fidelium divulgatam non solum in regnis Hispaniae, verum etiam in toto orbe christiano sopivit, impetrato edicto a Gregorio XV summo pontifice, in quo sub gravissimis poenis et censuris prohibitum est, ne quispiam tum publice, tum privatim assereret B. Virginem cum peccato originali fuisse conceptam, in publicis actibus asserentes aliam opinionem impugnarent, nec de ea aliquomodo agerent, seu tractarent.

Gratum tum D. Virgini tum toti Ecclesiae obsequium. Illae namque dicacitates, et blasphemiae in sanctos in primis Deo exosae, postea D. Virgini odibiles, demum toti Ecclesiae perniciosae et scandalosae fuerunt, quae studio ac opera huius regis piissimi submotae sunt.

REGES ANGLORUM

48 Anglia olim quantum Deo et Ecclesiae devota.

Anglia quamdiu romanorum pontificum maiestatem, auctoritatem, eminentemque et supremam in Ecclesia dignitatem agnovit, multos reges nedum clarissimos et famosissimos, sed etiam sanctissimos, et B. Virginis eximios cultores habuit, sub quibus regni illius gloria, decus, honor et potentia mirum in modum floruit. Sed hodie eheu! per haeresim cuncta immutata sunt in peius: nobilissima illa fama, et status regni a culmine suo clarita-

Digitized by Google

tis decidit. *Obscuratum est aurum, mutatus est color optimus: dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum eius.* Sed omissis lamentis, reges illius gentis sanctissimos, et B. Virgini addictissimos recenseamus.

49 *Arthurus Britanniae rex quo affectu ferebatur erga B. Virginem.* XXXIX. *Arthurus brito, Angliae rex.* Hic B. Virginem tam impense coluit, ut ad bellum non procederet, quin prius Deiparae Virgini secundum Deum se commendaret. Clypeum aureum prae se ferri faciebat, in quo Dei Genitricis imago depicta erat, ut eam semper tanquam suam advocatam in quovis belli periculo in memoriam reduceret, eiusque auxilium implorare posset. Ita refert Iacobus Philippus Bergomas in libro nono supplementi chronic. ad annum Christi 489. Idem refert Holcot noster lect. 39 in Sapientiam: additque, quod in praeliorum conflictu, summisque discriminibus Arthurus imaginem Virginis aspicere solebat, ut animum viresque ab illo conspectu reciperet, fortiorque ac terribilior hostibus victoriam consequeretur.

Hanc eius devotionem B. Virgo irremuneratam esse noluit. In obsidione Badonici montis Arthurus rex super imaginem Matris Dei quam suis armis insuerat fretus, nongentos hostium solus adorsus incredibili caede profligavit, ut scribit Wilhelmus malmesboriensis lib. 1 de gestis regum Angliae, cap. 1.

50 *S. Eduardus Angliae rex B. Virginis cultor eximius.* XL. *Sanctus Eduardus Angliae rex.* Hic pueritiae annos nondum egressus, et propter Danorum in Angliam irruptionem in Neustria ductus, Deiparam in patronam sibi assumpsit. Grandior effectus cum coniuge sua Beatae Virginis imitatione votum castitatis emisit, illibatamque pudicitiae florem usque ad mortem servavit. Ex eius vita.

51 *Guilielmus Angliae rex B. Virgini quam devotus.* XLI. *Guilielmus Angliae rex.* Hic cultum, ac venerationem Dei Matris contestatus est, cum inter cetera pie sancteque dicta in extremo agone illa verba protulit: *Dominae meae S. Dei Genitrici Mariae me commendo, ipsa sanctis suis precibus me reconciliet carissimo filio suo Domino nostro Iesu Christo.* Quibus dictis, religiosissime placideque expiravit. Malmesburiensis, et Baronius ad annum Domini 1087.

52 *Henricus Angliae rex B. Virginis fuit studiosus.* XLII. *Henricus Angliae rex.* Hic egregium sui amoris erga B. Virginem specimen dedit, cum Westmonasterii sacellum B. V. Mariae extruxit, primumque lapidem suis ipse manibus in fundamenta deiecit: postea sacellum illud magni pretii ornamentis ditavit. Balinghem die 22 novembris.

53 *Auctoris votum.* Utinam moderni Angliae reges hanc religionem, hanc pietatem erga Deum, eiusque Sanctissimam Matrem, quam antecessores eorum habuerunt, aliquando induant, iisdem sacramentis culpas suas expient, et quod caput rei est, maiestatem et auctoritatem romani pontificis agnoscant; quam fortiores in praeliis essent, quam in consequenda victoria feliciores cum magno regni sui emolumento, decore et fama. Imbellis namque est quaelibet fortitudo, quam religio vera et pietas non firmat, Dei ac Virginis cultus non armat, nec animat.

REGES POLONORUM

54 *Poloniae reges religionis catholicae quam tenaces.* Huius inclyti regni seu duces, aut principes, aut reges, ex quo se Christo adiunxerunt, ab annis sexcentis septuaginta quinque tanta pietate in Deum, eiusque Sacram Genitricem Mariam floruerunt, ut ex eorum numero, qui toti generi praefuerit, nemo haereticus extiterit, nemo religionem christianam semel susceptam abiecerit, nemo summi antistitis christianorum, romani pontificis obedientiae iugum; sed omnes in unanimi unius Religionis consensu persiterunt, omnes in vero Christi cultu constantes fuerunt, omnes in sinu matris Ecclesiae a tanto tempore placide quieverunt. Nulli alteri regno haec felicitas evenit. Scimus reges Persarum, Medorum, Mesopotamiorum, Aegyptiorum ab antiquis temporibus Mahometi spurcissimam sectam amplexos fuisse, et in ea usque in praesentem diem perseverare. Scimus Arabiam, Africam reges monothelitas, arianos, iconomachos habuisse. Nemo ignorat Graeciam, et finitima Graeciae regna imperatoribus ariana peste infectis paruisse. Ad occidentem et septentrionem veniamus. Italia Theodoricum, Ariovaldum, Rotharium, Rodoaldum, Aribertum reges arianos habuit. In Galliis Chilpericus sabellianus fuit; quamvis hic toti Galliae non praefuit, nec Galliarum regibus a multis adnumerari soleat. In Hispaniis a principio Wisigothi, et deinde Saraceni, seu Mauri fuerunt, et eas oras maximo cum christiani nominis dedecore, et detrimento diu tenuerunt. In imperio romano occidentali licet nullus haereticus fuerit, schismatici tamen habiti, et pro haereticis condemnati fuerunt Henricus III, Fridericus II, et Ludovicus Bavarus. Inter hungaricos reges Ladislaus Chunaus a Christi cultu defecit. Inter bohemicos Georgius Podebrachius Hussitarum sectae adhaesit. Anglicos, scoticos, danicos, sveticos reges videmus Calvini et Lutheri doctrinam sectari. Igitur omnium nationum reges quorum nobis eventa perspecta sunt, aliquando religionem Christi abiecerunt, aut summis pontificibus rebellarunt. Solis hoc Polonis et Gallis (si Gallorum regibus Chilpericum non adnumeremus) datum est, ut ex eorum regibus qui toti genti praefuerint, nemo haereticus extiterit. Ad haec etiam ex regibus Polonorum fuerunt, qui gloriosam Dei Genitricem Virginem Mariam impensius coluerunt, eiusque cultum ac venerationem non obscuris signis prodiderunt.

XLIII. *Vladislaus Iagellonius.* Hic religionem suam erga Deum, eiusque Genitricem abunde declaravit, cum sacris christianorum sese et cunctam Lithuaniam adiunxit. In curanda et a prodigiosis daemonum superstitionibus avertenda, ad verique Dei cultum convertenda gente sua agresti et barbara multum laboris, operae, sumptuumque impendit. Nec indecorum sibi duxit praepotens rex doctoris et apostoli munera fungi apud rudem, et vilem plebeculam, lithuanico sermone eos ritus christianorum edocens, cum nostri sacerdotes eius linguae penitus essent ignari. In Bohemis quoque Hussitarum haeresi infectis, ad sanitatem, priscamque religionem reducendis multum laboravit: eumque pertinaciores esse animadvertisset, regnum ab eis sibi sponte delatum constantissime recusavit. Cromerus in oratione funebri Sigismundi I regis Poloniae. 55 *Vladislai Iagellonii regis Poloniae religio.*

Erga Beatam quoque Dei Genitricem egregium sui amoris specimen dedit, cum fratres B. M. Virginis de monte Carmelo in regnum Poloniae induxit, eisque tres ecclesias, et monasteria regio ac magnifico sumptu exaedificavit. Primum Cracoviae in arenis extra moenis civitatis sub titulo visitationis B. M. Virginis, secundum Bidgostiae sub titulo eiusdem Virginis, tertium Posnaniae extra muros civitatis sub titulo Sacratissimi Corporis Christi magnificentissimo apparatu construxit, eamque ecclesiam clenodiis, apparamentis ac reditibus locupletavit. Hos fratres praecipue dilexit, quos titulo B. M. Virginis insignitos, ac eidem Virgini specialiter addictos vidit, in quorum dilectione affectum suum erga B. Virginem non obscure indicavit. 56 *Carmelitae in Polonia.*

XLIV. *Sigismundus* I. Hic Vladislai Iagellonii avi sui nedum regni successor, verum et pietatis aemulator inter cetera religionis suae argumenta hoc praecipuum dedit, quod Dei Genitricem impense coluit. Divae cuius imago apud Clarum-montem in magna veneratione habetur, devotissimus erat, apparamenta magni pretii, et imaginem Crucifixi una cum statuis B. Virginis et s. Ioannis evangelistae ex optimo argento conflatis illi ecclesiae donavit; fratresque sancti Pauli primi eremitae, cestochoviensis coenobii incolas, et illius sacrae iconis custodes adeo dilexit, ut cum germanis fratribus sancto Casimiro, Ioanne Alberto, Alexandro Friderico eorum societati sese coniungeret, quo Deiparae Virgini cum illis religiosis semper assisteret, eisque devotus famularetur. Ex monumentis coenobii cestochoviensis. 57 *Sigismundi I regis Poloniae religio.*

XLV. *Sigismundus Augustus* II. Hic, qualem qualem fuisse volgus iactet, certe Divae Deiparae devotissimus erat. Viginti, vel amplius dies ante natalem Christi (tempus hoc Adventum vocant) missa de B. V. Maria, cuius initium est: *Rorate coeli*, per totam Poloniam ante lucem magna cum solemnitate, et populi concursu quotidie canitur. Huic missae Sigismundus Augustus rex semper interesse voluit, eamque per suos cantores, quos in magno numero alebat, decantari curavit; nec audire satis habuit cantantes, nisi suam et ipse vocem ipsorum vocibus adiungeret. Multa alia devotionis suae argumenta enarrat Stanislaus Hosius S. R. E. cardinalis in oratione funebri Romae apud s. Laurentium in Damaso in exequiis Sigismundi Augusti habita, et per Stanislaum Rescium recitata anno Domini 1572. 58 *Sigismundi Augusti regis Poloniae devotio erga B. M. Virginem.*

XLVI. *Sigismundus* III. Hic non vulgaria suae devotionis erga Deiparam Virginem specimina dedit. Omnes vigilias B. Mariae Virginis siccis cibis, quod ξηροφαγίαν Graeci vocant, contentus ieiunabat. In ipsis festivitatibus eiusdem Virginis sacra exomologesi peracta, sacramento eucharistiae se reficiebat. Officium parvum B. V. Mariae quotidie persolvebat. Sacram iconem eiusdem gloriosae Dei Genitricis quae in Claromonte apud Cestochoviam magno populorum concursu religiosissime colitur, saepius invisebat. Ad primum aspectum sacrae illius aedis in qua imago Deiparae prostat, e rheda regia prosiliens, genibus pro- 59 *Sigismundi III regis Poloniae pietas ac devotio.*

Digitized by Google

volutus duobus milliaribus ante Reginam coeli supplex venerabatur cum magna comitatus regii admiratione, et omnium rarissimo exemplo. Dein approximans residuum itineris pedibus conficiebat. Ad iconem illam manibus divi Lucae depictam veniens multis argumentis christiano principe dignis devotionem suam erga Deiparentem declarabat, sacra confessione peccata sua expiabat, divinissimum Eucharistiae sacramentum sumebat, donaria offerebat. Inter alia statuam argenteam D. Virginis, duo candelabra, et duos angelos e purissimo argento confectos, aliaque clenodia pro ornamento illius sacelli reliquit. Ad aedem quoque lauretanam lampadem ex optimo argento affabre elaboratam Divae Virgini dono misit. Multa alia immensae pietatis in Deum, piae venerationis in sanctos hic piissimus princeps monumenta reliquit. D. Hyacintho confessori thecam argenteam deauratam pro conservanda ipsius calva, et divo Stanislao martyri episcopo cracoviensi loculum ex puro argento pro condendis eius sacris reliquiis regia munificentia, et magno sumptu fieri curavit.

60 Hungaria olim catholicae fidei aemula, nunc draconis filia, variis haeresibus polluta reges piissimos, et Beatae Mariae Virginis studiosissimos habuit, quamdiu a corpore et communione sanctae Ecclesiae seipsam non separavit. Illos reges piissimos cultui D. Virginis deditos recensere libet ad consolationem fidelium, et confusionem haereticorum prava studia sequentium. Prodeat igitur in aciem

61 S. Stephanus Hungariae rex erga B. Virginem quam devotus.

XLVII. *S. Stephanus Hungarorum rex.* Hic abrogato suis Pannoniis ethnicismo, regnum suum se seipsum per votum in Deiparae tutelam obtulit, ecclesiam in honorem Virginis in Alba-regia urbe magnificentissimam extruxit, et regia munificentia exornavit. Assumptionis B. M. Virginis festum celeberrimum esse, et diem Dominae appellari voluit. Ab ea tota Hungarorum gens *Familia Dominae* appellari coepta est: tantaque devotione erga Beatam Virginem flagrabat, ut nomen eius nonnisi cum submissa capitis inclinatione audiret, et proferret. Hic moriturus tale testamentum Virgini Mariae fecisse scribitur: Tibi, o B. Maria, peculium hoc commendo, tu curam illius gere, tu ab inimicis defende, ab incursibus satanae protege. Quod si placet tibi, Domina mundi, partem haereditatis tuae devastari, et novellam christianismi plantationem dissipari, ne quaeso sinas illud imputari diffidentiae meae, sed potius dispositioni voluntatis tuae. Vide Surium die 20 augusti in vita eius. In eadem pietate erga Beatam Virginem hic piissimus rex s. Emericum filium suum instruxit, et non solum regni, sed etiam devotionis suae haeredem reliquit, qui simili cultu B. Virginem veneratus est.

62 Ludovici Hungariae regis devotio erga B. Virginem. Hungariae prisca gloria et praesens ignominia.

XLVIII. *Ludovicus Hungariae rex.* Hic fuit Deiparae devotissimus, duasque illi aediculas regio sumptu extruxit, unam in Aquisgrano, alteram in Cellis, quas ingenti donativo locupletavit, et exornavit. Bonfinius in chronica Hungarorum. Hinc Hungariae regnum, quamdiu sub tutela Virginis mansit, florentissimum et fortunatissimum semper fuit, tantaque rerum abundantia affluebat, ut *aureum pomum* communiter vocaretur. At ubi ex cura et patrocinio Virginis se egessit, et in foedissimam haereseos cloacam se sponte deiecit; postquam imaginem Deiparae violavit, et cultum profanavit; ex quo illam ceteris mulieribus parem in sanctitate, et in potentia aequalem spiritu haeretico fecit, sub iugum mahometicum redactum est: sub quo gemens quot mala sustineat, et quae adhuc ei immineant, (si haeresi adhaereat, si ad Virginis sinum non revertatur) res ipsa loquitur. Scribere ista opus non est, cum totus sciat, et loquatur orbis.

REGES PORTUGALLIAE

63 Lusitanorum gloria.

Regnum Portugalliae seu Lusitaniae, ditione non amplissimum, tempore postremum; magna tamen rerum gestarum gloria est insigne. Lusitani enim homines incredibili virtute et felicitate omnes orbis terrarum partes obeuntes magnam sibi famam apud homines conciliarunt, cum atavorum nostrorum memoria innumerabiles insulas in novo orbe mortalium primi patefecerunt, iidemque occuparunt. Asiam sibi atque Indos stipendiarios fecerunt, veraeque religionis lumen in remotissimas nationes et gentes magno fidei catholicae incremento intulerunt. Gens avidissima laudis, eximieque fortis potissimum in barbaris expellendis egregie se gessit. Pietati dedita, sapientiae, studiis omnis elegantiae, atque humanitatis specimen cunctis mortalibus praebet. His qualitatibus praedita multos reges sanctissimos B. V. Mariae studiosissimos protulit. Ex quibus in hanc arenam descendit primus.

XLIX. *Alphonsus I Lusitaniae rex.* Hic prima ob infantia non vulgaria Dei ac Deiparae in se beneficia expertus, eam eximio cultu veneratus est. Infans oblisis cruribus foedeque distortis in lucem editus, ita ut pes alter alteri ad calces indiscrete cohaereret, de sua vita, aut certe ad res bellicas aptitudine omnibus spem ademerat. Paedagogus eius, Egas Monisius vocatus, Beatissimam Virginem multis precibus fatigabat, ut infanti sanitatem, regnoque universo laetitiam donaret. In somnis itaque monetur, ut infantem ad aedem Magnae Matris *ad Carquere* dictam deferat, eumque aris imponat. Quod cum fecisset Monisius, puerum in ara solutis pedibus gesticulantem reperit. Inde Alphonsus tantam erga Deum eiusque Virginem Matrem pietatem hausit, et tam alte eam medullis cordis impressit, ut sibi semper pro aris depugnandum esse existimaret. Tanta eius pietate commotus Alexander III summus pontifex titulum et diadema regium Alphonso concessit. Is autem grati animi ergo regnum illud S. R. Ecclesiae vectigale fecit, persoluturus in annos singulos loco census duas auri marcas. Vasconcellus et Baronius anno 1144, et 1180. 64 Alphonsus I Lusitaniae rex B. Virginis cliens.

L. *Ioannes Lusitaniae rex.* Hic in Sanctissimam Christi Matrem magna devotione ferebatur, cuius preces horarias singulis diebus percurrens, hoc pensum identidem aliis suadebat. In eius gloriam tria templa extruxit. Primum Bataliae, cui nomen a *Victoria*, aliud Ulissipone dictum a *Scala*, tertium Guimaraviï, cui est cognomentum *ab Oliva*. Hoc templum in quod mirifice afficiebatur, ipse rex ab Ulissipone his pedes adiit, ubi primum Castellanos ad Algibarotam profligavit; tantumque argenti ibidem reposuit, quantum cataphractum illius corpus ponderosum erat. Multa quoque in eo templo donaria reliquit ultra centies octuagies sestertium aestimata: ministris quoque templi illius magnos reditus annuales assignavit. Vasconcellus. 65 Ioannis I Lusitaniae regis studium erga B. Virginem.

LI. *Alphonsus V Lusitaniae rex.* Hic Deiparam impense colebat. Antequam Arzyllam in Africa oppugnaret, equum argenteum, cui argenteus itidem insideret rex omni armorum apparatu instructus, qualis tunc Alphonsus copias ducebat, Deiparae se oblaturum vovit, si urbem expugnaret. Annuit votis ipsius Deipara Virgo; ipse vero beneficii non ingratus in Virginis Sanctissimae templo, cui a *Spineto* nomen est, prope Eboram voti fidem exsolvit, equumque mira arte elaboratum, et insidentem regem ex optimo argento dicavit. Quod donum, dum Alphonsus superstes fuit, magna intuentium voluptate in templo est servatum. Illo vero vita functo, praefectos coenobii hieronymianorum qui ibi degunt, illam statuam adeo nobilem in pecuniam signari iussit ad sumptus pergulae a se subvectae, dolente maxime regina Elisabetha, cum rescivit; aiebat enim se multo plus argenti illi ecclesiae collaturam fuisse, ne illud regiae pietatis monumentum aboleretur. Vasconcellus. 66 Alphonsus V B. Virginem impense coluit.

LII. *Ioannes II Lusitaniae rex.* Hic mira fuit in superos omnes, sed praecipue in Beatissimam Virginem observantia, utpote quam per singulas dies horis, et id genus precibus aliis piissime demerebatur. Tandem post vitam sanctissime actam, saepissime invocatis Iesu et Mariae nominibus, in illis tandem verbis: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere mei*, feliciter expiravit anno 1495. Vasconcellus. 67 Ioannis II regis Lusitaniae in B. Virginem observantia.

LIII. *Emmanuel Lusitaniae rex.* Hic quo studio B. Virginem coluerit, monstravit, cum aedem Virginis Deiparae a Bethlehem dictae in ipso aditu portus ulyssiponensis magnifico ac regio sumptu extruxit post clarissimas victorias orientales, quas subacta Goa, Armusia, Malacha, Moluccis etc. reportavit. In eius templi structura hostilis praedae partem, quae ad se pertinebat, ducenta videlicet aureorum millia, quae ex una malachensi direptione recepit, liberaliter impendit. Eidem templo ex auri stipendio a regibus debitatis persoluto sumptuosam pyxidem ad conservandum Venerabile Sacramentum dedit. Ad templi custodiam monachos e hieronymiana familia accivit, quibus monasterium aedificavit, et varios reditus et praedia assignavit. Denique e regione coenobii propugnaculum s. Vincentii condidit, firmoque praesidio et tormentis bellicis ornavit, quo fluminis ostium ac B. Virginis templum ab hostibus undequaque tutaretur. Maffaeus, et Vasconcellus. 68 Emmanuelis Lusitaniae regis in B. Virginem studium.

LIV. *Henricus I Lusitaniae rex.* Hic affectum suum erga Beatam Virginem monstravit, cum maioribus solemniis nativitatis Domini, Paschae, Pentecostes, et assumptionis B. Virginis in viduas urbis eborensis, cuius archiepiscopus erat, largas pecunias effundebat. Idem academiam patrum Societatis Iesu Eborae 69 Henricus I Lusitaniae rex B. Virgini addictus.

Digitized by Google

erexit, nobileque collegium sub titulo purificatae Virginis extruxit; tantisque sumptibus auxit, ac ditavit, ut in eo quinquaginta theologi sustentantur. Vasconcellus apud Balinghem.

70 Sebastianus Lusitaniae rex B. Virgini devotus.

LV. *Sebastianus Lusitaniae rex.* Hic inter plurima devotionis suae argumenta hoc exhibuit, quod sacro non audito nunquam mensae accubuit; praecipue vero singulis sabbatis unum sacrum, ut ceteris diebus, audisse non contentus in honorem Deiparae Virginis, quam impense colebat, rei divinae bis aderat: unum sacrum audiebat, alteri vero ministrabat ob amorem Beatissimae Virginis, cuius iconem pectori appensam incredibili affectu auspiciebat, precibusque quotidie venerabatur. Hic in bello quod in Africa contra Mauros capitales Deiparentis hostes moverat, interfectus est. Multis cadaver eius vix agnitum, inter occisorum cumulos inventum est confossum, vulneribus plenum anno Domini 1578.

REGES RELIQUI B. M. VIRGINIS STUDIOSI

71 Alphonsus Castellae rex quam pius.

LVI. *Alphonsus Castellae rex.* De quo nihil iustius, nihil fortius, nihil sanctius vidit Hispania, ut inquit Mariana lib. 11. Hic plurima templa magnificentissima, ac monasteria locupletissima cisterciensi familiae extruxit, donavit, beneficiis auxit, eo quod haec sacra familia B. Virgini specialiter inservit, et se totam Dei Genitricis obsequio mancipat. Balinghem die 21 augusti.

72 Iacobus I Algeirae rex B. Virginis studiosus.

LVII. *Iacobus I rex Algeirae.* Hic studium suum erga B. Virginem declaravit, cum civitatem Maioricam, totamque illam insulam Saracenis et Mauris, qui praecipuos titulos Deiparae adimunt, eripuit, eosque suis sedibus repulit. Franciscus Taraf.

73 Pribislaus Daniae rex B. Virginis cliens.

LVIII. *Pribislaus rex Daniae.* Hic in clypeo imaginem Deiparentis Mariae sculptam contra hostes praeferebat, et semper feliciter vincebat. Bzovius anno 1290, n. 11.

74 Carolus cunctator neapolitanus rex quo amore B. V. Mariam prosecutus sit.

LIX. *Carolus cunctator, cognomento Claudus, Neapolitanorum rex.* Qui ob res praeclare gestas vivus adhuc Alexandri magni secundi nomen promeruit. Quo amore B. V. Mariam coluerit, non obscure monstravit, cum praeter 24 templa a se extructa monasterium quoque B. Virginis nazarethenae in Provincia sanctimonialibus Ordinis nostri aedificavit, in quo etiam humari voluit. Summontius lib. 3 histor. neapolit.

PRINCIPES, ARCHIDUCES, DUCES, COMITES ALIIQUE VIRI CLARISSIMI B. VIRGINIS STUDIOSI

75

Hic non saecula quibus floruerunt, non aetates quibus vixerunt hi praeclarissimi Reginae coeli famuli et devotissimi clientes, attenduntur, sed honor quem in Ecclesia catholica habuerunt, aut habent, pensatur. Sit igitur inter hos primus, utpote inter divos relatus

76 S. Casimirus Poloniae princeps quo studio B. Virginem coluit.

LX. *Sanctus Casimirus Casimiri III Poloniae regis filius.* Hic Beatam Virginem tam impense coluit, ut eius amore caste continenterque viveret, adeo ut graviter infirmatus, cum medici connubium suaderent, si sanus esse vellet, mortem potius oppetere, quam puritatem virgineam amittere maluit. Illo itaque morbi genere a quo aliter sanari non poterat, nisi se polluisset, extinctus est anno Domini 1484. Ab hoc sanctissimo et castissimo iuvene exemplum pudicitiae capiant multi mortales, qui corruptissimo hoc saeculo neque poenitendum, neque pudendum sibi esse ducunt in caeno libidinum volutari.

Idem sanctus, ac regius adolescens pietatem suam erga Deiparam Virginem declaravit, cum in honorem eius hymnum paulo longiorem, sed valde devotum, cuius initium est: *Omni die dic Mariae* etc. composuit, quem etiam quotidie flexis genibus recitare solebat, tantique eum faciebat, ut cum illo etiam sepeliri voluerit. Nam anno Domini 1604, quando sepulcrum eius renovatum est, hic hymnus supra pectus eius repertus est.

Hunc castissimum iuvenem inter sanctos retulit Leo X, et Paulus V concessit, ut ab omnibus in tota Ecclesia festum eius celebraretur sub duplici propter admiranda eius tum in vita et in morte, quam post mortem patrata miracula.

77 S. Guilielmus dux quo studio erga B. Virginem fuerit.

LXI. *S. Guilielmus.* Hic ex duce Aquitaniae eremita factus, quo studio erga B. V. Mariam fuisset, ipsa Virgo monstravit, cum Ierosolymis in horrida spelunca pernoctanti a daemonibus post varias tentationes verberibus graviter caeso, ac semivivo relicto, ei apparuit comitata duabus virginibus, suumque clientem, Christi Filii sui militem strenuum blandissimo sermone solata est. Virgines vero illae igne accenso corpus eius modico calefactum, confractaque a daemonibus universa eius membra pretioso quod secum attulerant, unguento unxerunt, ac pristinae incolumitati restituerunt. Surius in eius vita die 10 februarii.

LXII. *Raymundus princeps Aragoniae.* Hic pietatis suae erga B. Virginem luculenta testimonia dedit, cum Almeriam, Dertosam, Ilerdam, et Fragam civitates, et alia plura a Mauris Deiparae hostibus occupata loca recuperavit, regibus eorum occisis. Trecentas ecclesias aedificavit, et magnis reditibus dotavit, in quibus haud dubitare licet, multas fuisse sub nomine Deiparae Virginis Mariae. Balinghem die 6 augusti. 78 Raymundus princeps Aragoniae quam religiosus fuit.

LXIII. *Henricus Ioannis Lusitaniae regis filius.* Hic bellica virtute, et vitae sanctimonia illustris tantum Dei Genitricem coluit, ut eius amore inter regales delicias illibatum virginitatis florem usque ad ultimum vitae spiritum conservaret. Eius iussu Lusitani primo novum orbem explorare coeperunt, donec tandem sub Emmanuele rege anno Domini 1498 in eum pervenerunt, ubi tot validis classibus hostium, tot ferocissimorum barbarorum militum exercitibus profligatis, tubam evangelii per praedicatores tonare fecerunt. Huius expeditionis felices successus Lusitani B. Virgini adscribunt, cui Henricus princeps Ulyssipone ad fauces portus, unde naves in orientem solvunt, sacellum aedificavit, quod postea Emmanuel rex, ubi primum patefactae sunt Indiae, in miram amplitudinem extulit, ut superius meminimus, cum regis Emmanuelis mentionem fecimus. Indiarum igitur conversionem merito Lusitani in B. Virginem referunt; nam sicut per ipsam Christus de coelo in terram descendit, ita per illam Christi cognitio, ac cultus longe lateque ad plurimorum salutem in novo illo orbe disseminaretur. 79 Henricus Lusitaniae princeps ob amorem Deiparae virginitatem coluit.

LXIV. *Narses Iustiniani imperatoris dux militum inclytus.* Hic Deiparae Virginis cliens devotissimus et cultor admirandus sub auspiciis Virginis miras et crebras contra Totilam et Gothos in Italia obtinuit victorias. Solebat enim B. V. Maria ei apparere, et quando praelium ineundum esset praecipere; quare ipse in aciem non descendebat, nisi ab ea tempus opportunum cognovisset, ut referunt Procopius, Evagrius, et alii. 80 Narsis ducis affectus erga B. Virginem.

LXV. *Philippus Bonus Burgundiae et Brabantiae dux.* Hic B. Virgini addictissimus fuit, amorisque sui monumenta Hallis in Belgio ad imaginem eiusdem Virginis prodigiosam reliquit. Primo ipsius Virginis statuam grandiusculam in media ara positam auro puro vestivit, in pectore illius monilis vice uniones sex puros, grandes, in quorum medio pyropus, seu rubinus splendet, appendit, in capite coronam ex puro auro factam posuit. Deinde in eadem ara duodecim apostolos, et duos angelos candelabra praeferentes ex argento fabrefieri curavit, insuper lampadem auream dedit. Nec sine mercede hanc Divam coluit, quippe quae pariter illum extulit, et divulsas Belgii provincias paulatim conciliavit, et unius illius imperio subiecit. Iustus Lipsius in Diva hallensi. 81 Philippus Bonus B. Virgini addictissimus.

LXVI. *Philippus dux Burgundiae, comes Flandriae.* Hic amorem suum erga B. Virginem contestatus est, cum Ordinem equitum aurei velleris ad honorem Dei, Deiparae, et s. Andreae instituit. De quo Ordine nos superius egimus. 82 Philippus dux Burgundiae B. Virgini devotus.

LXVII. *Ladislaus Opiliae dux.* Hic inter cetera pietatis suae erga Deiparentem monumenta, et Polonis collata beneficia celeberrimam Virginis iconem, quae in praesentem diem apud Clarum-montem religiosissime colitur, reliquit. Coram hac imagine Belzae orans idem dux quas consolationes receperit, superius narravimus cum de hac imagine agebamus. 83 Ladislaus Opiliae dux imaginem cestochoviensem Polonis donat.

LXVIII. *Samborius Pomeraniae dux.* Hic dignum Reginae coeli obsequium praestitit, cum olivense monasterium uno ab urbe Gedano milliario cisterciensis familiae, quae se totam Dei Genitricis obsequio mancipat, et cui unanimiter, et uno humero ubique devotissime servit, condidit, magnisque beneficiis auxit. Templum insuper in honorem Deiparae Virginis ibidem magnifice extruxit, et locupletavit. Cromerus l. 7. 84 Samborius Pomeraniae dux olivense monasterium aedificat.

LXIX. *Henricus Barbatus dux Wratislaviae.* Hic simili modo affectum suum erga B. Virginem declaravit, cum trebnicense monasterium tertio a Wratislavia milliario maximis sumptibus exaedificavit, et puellis cisterciensis familiae, quae specialiter B. M. Virgini dedicata esse creditur, attribuit. Cromerus lib. 7 de rebus Poloniae. 85 Henricus Barbatus trebnicense monasterium extruit.

LXX. *Carolus audax, dux Burgundiae.* Hic devotionis suae erga B. Virginem specimen dedit, cum Aquisgranum supplicaturus ad memoriam B. M. Virginis se conferebat, ibique quoti- 86 Carolus Audax

Digitized by Google

quam devotus fuerit. die sacra faciebat, hymnos varios Deo Deiparaeque decantabat celebri ac iucunda admodum caeremonia. Meyerus haec scribit.

87 Ioannes austriacus B. Virgini se devovet. LXXI. *Ioannes austriacus Caroli V imperatoris filius.* Hic post memorandam illam in bello navali ope Dei Genitricis Mariae de Turcis reportatam victoriam an. 1571 voti exsolvendi causa, quod dimicaturus lauretanae Virgini voverat, si superatos partae de barbaris victoriae foret, Lauretum veniens humillimum Reginae coeli obsequium et debitum honorem exhibuit, cum eius sacram aedem procul conspiciens venerabundus caput aperuit, ac Deiparam salutavit. Non eum coeli neque imbris inclementia adigere potuit, ut semel apertum caput operiret: adeo se, caputque suum Beatae Virgini devoverat, cuius patrocinio se incolumem esse credebat. Postquam ad sacram aedem pervenit, noxis totius anteactae vitae per sacramentalem confessionem expiatis, B. Virgini ingentes gratias pro tam insigni victoria egit, pretiosaque votiva dona maximi pretii munifice obtulit. Comites insuper et voce, et exemplo ad parem pietatis laudem accendit. Horatius Tursellinus lib. 4, c. 24.

88 Franciscus Guisius dux B. Virginis cultor eximius. LXXII. *Franciscus dux Guisius.* Hic licet laicus coniugatus, et miles strenuus; Deiparae tamen Virginis tam eximius cultor fuit, ut cum civitatem mediomatrensem a potentissimo exercitu obsessam defenderet, quolibet die sub auroram de strato surgens tanta constantia et fiducia in Deum ac Deiparam Virginem rosarium seu tertiam eius partem recitabat, ut ob nullum strepitum, aut tumultum bellicum, nec ob ullam rerum gerendarum curam ab eo fruendo desisteret, quod a quodam Hispano eius captivo fide digno se accepisse refert Navarrus in miscellaneo.

89 Carolus archidux Austriae quanta pietate B. Virginem coluit. LXXIII. *Carolus archidux Austriae.* Hic tanta pietate Deiparentem coluit, ut etiam in itinere, quod ex Austria ad Deiparam cellensem acuta febri correptus conficiebat, de devotione non remitteret. Ibi namque constitutus, quamquam vomitionibus, pungentibusque dolorum aculeis multum affligeretur, nihilominus divinis interfuit officiis, et concionibus toto biduo, quo ibi haesit, dissuadentibus licet medicis et admirantibus. Balinghem die 1 iulii, n. 5.

90 Alexander Farnesius Parmae dux B. Virginis observantissimus. LXXIV. *Alexander Farnesius Parmae et Placentiae dux.* Hic Deiparae observantissimus fuit, ad B. M. Virginem hallensem saepe commeare solebat, et vix aliter in ullam expeditionem ire volebat, nisi precibus votisque ad aram eius rite pieque conceptis. Cum vero ad praefatam Virginem hallensem se conferebat, fere semper aut pedes totum iter conficere, aut certe in ipsa via ad primum sacrae aedis Virginis conspectum ex equo desilire et reliquum viae sic peragere solebat testandae venerationis gratia. Iustus Lipsius in Virg. hallensi.

91 Albertus austriacus Virgini ad stuporem addictus. LXXV. *Albertus austriacus Belgii princeps.* Hic Deiparenti Virgini ad stuporem addictus aedem eius hallensem saepius religiose invisebat, ubi lampadem argenteam pondere et opere insignem suspendit, vectigalque annuum assignavit, ut in illa lampade perpetuo ante sacram effigiem Virginis ignis luceret. Amplius in Aspricolo sichimensi Brabantiae eandem Virginem coluit, nam ei sacellum ad collocandam in eo miraculosam eius imaginem aedificavit, variaque ibi tum ad altaris ornamenta, tum ad sacrificandum vasa necessaria donavit. Quaecumque rara et pretiosa in iis quae ad se post mortem Rudolphi et Mathiae imperatorum eius fratrum pervenerant, ad cultum Deiparae, et ornamenta praefati sacelli contulit. Per multos annos quotannis ad praefatam Virginem sichimensem venerandam se conferebat, ibique singulis vicibus novem dies orando, peccata expiando, sacra Eucharistia sese reficiendo exegebat, et inde non recedebat, nisi donis variis Deiparae relictis. Antonius de Balinghem die 13 iulii.

92 Guilielmus Bavariae dux religiosus. LXXVI. *Guilielmus Bavariae dux.* Hic sui in Deiparam lauretanam affectus monumenta Lauretum partim misit, partim attulit. Inter dona missa erant equus generosissimus, laminaque argentea ebeno inclusa; candelabrum item argenteum pensile non magis pondere quam opere egregium. Cetera donaria cum eiusdem ducis admirabili pietate ac devotione in aede lauretana monstrata fusius enarrat Antonius de Balinghem die 7 februarii.

93 S. Elzearius comes B. Virgini devotus. LXXVII. *S. Elzearius comes.* Hic Divam Virginem in patronam sibi elegerat, et ante orationem, seu meditationem ab ea petebat, ut quae grata forent Filio suo, ea in corde et ore poneret, simulque salutationem angelicam recitabat. Qua dicta, numquam ei deerat (ut ipse confessario suo indicavit) nova rerum divinarum materia. Idem sanctissimus comes ad imitationem B. V. Mariae cum Delphina coniuge sua votum virginitatis emisit. Surius in eius vita die 27 septembris.

94 Simon Montfortius B. Virginis clypeus. LXXVIII. *Simon Monfortius comes.* Hic honoris Deiparentis Mariae, maxime contra haereticos Albigenses, propugnator acerrimus fuit, de cuius proeliis ac victoriis Deiparae ope obtentis fusius diximus superius, cum de rosario tractavimus.

95 Ludovicus comes erga B. Virginem quam devotus. LXXIX. *Ludovicus comes vindocinensis.* Hic affectus sui erga B. V. Mariam clarissimum argumentum dedit, cum in templo Deiparae carnutensis voti solvendi causa nudum se statit ante imaginem Deiparae, genuflexus cereum circiter triginta pondo manu gestans, Deiparae gratias agens, quod per eam a duro carcere novem aut decem mensium, a vitae periculo, a bonorum omnium et dominiorum iactura liberatus esset ipso die annuntiationis B. Mariae Virginis. Huius comitis religionem ac pietatem erga Beatam Virginem fusius prosequitur Antonius de Balinghem die 1 iunii.

96 Ulfo Nericiae princeps B. Virginis studiosissimus. LXXX. *Ulfo Nericiae princeps, s. Birgittae maritus.* Hic aemulatione uxoris suae Deiparae studiosissimus erat, ac post mortem uxori apparuit, ab eaque certas preces, aliaque nonnulla petiit. Inter cetera, ut anno integro curaret pro eius anima continenter celebrari missas de S. Maria. Ex revelationibus beatae Birgittae.

97 Carolus s. Birgittae filius B. Virginis cultor. LXXXI. *Carolus s. Birgittae filius.* Hic Deiparam Virginem unice dilexit, eique solitus erat de beneficiis, privilegiis ac bonis concessis a Deo vehementer gratulari, tamque ardens erat in B. Virginem eius studium, ut pro illius dignitate tuenda, et ne quid de suis donis minueretur, omnes cruciatus, si necesse esset, paratus erat subire. Quid autem si B. V. Maria pro tanto affectu praestiterit, superius narravimus in epitheto *Consolatrix afflictorum.*

IMPERATRICES, REGINAE, DUCISSAE, COMITISSAE, ALIAEQUE CLARISSIMAE FEMINAE BEATAE VIRGINI DEVOTAE

98 Femineus sexus in Virginis obsequio et cultu virili haud inferior, immo plerumque in pietate ac devotione eum superat. Videmus enim mulieres esse magis pias, magis bonis operibus addictas, magis religioni ac divino cultui deditas, quam viros; at speciali quodam privilegio Beata Virgo Maria mulierum dilectionem et affectum sibi vindicat, quem specialiter ab opprobrio vindicavit, et auctori suo restituit, ut superius probabam. Quare nonnullas clarissimas feminas recensere libet, quae singularis sui affectus erga B. Virginem mundi Reginam monumenta reliquerunt. Sit igitur prima

99 S. Helenae imperatricis studium erga B. Virginem. LXXXII. *S. Helena magni Constantini imperatoris mater.* Haec eximiam suam pietatem ac devotionem erga Dei Matrem declaravit, cum in Bethlehem, ubi B. Virgo Christum enixa est, magnificum templum extruxit: quod imperator Constantinus regiis ornamentis honoravit, et monumentis ex auro et argento, variisque aulaeis exornavit. Excitavit quoque mirificum aliud templum in Gethsemani praedio Genitrici Dei Mariae, atque in sacrarium ipso vivificum eius sepulcrum firmiter inclusit. Eusebius de vita Constantini libro 3, et Nicephorus libro 8, capite 30.

100 S. Pulcheriae Augustae affectus erga B. Virginem. LXXXIII. *S. Pulcheria Augusta Marciani imperatoris uxor.* Haec affectum suum erga B. Virginem protestata est. Primo, cum in eius honorem tria templa magnificentissima Constantinopoli erexit, unum in Blachernis, in quo B. Virginis Mariae urna cum veste collocata fuit, alterum in Chalcoprateo, seu foro fabrario, ubi zona Deiparae servabatur, tertium Odygon, id est Ducem viae dictum, in quo Dei Matris imago a s. Luca depicta colebatur. Secundo, cum Deiparae honorem contra impium Nestorium, qui Matris Dei titulum ei adimebat, pro viribus tutata est. Hinc s. Leo miris laudibus eam celebrat, vocatque haeresum expultricem, eique Nestorii et Eutychetis condemnationem in Concilio chalcedonensi factam acceptam refert. Tertio, cum ad eius imitationem in matrimonio cum Marciano imperatore illibatam virginitatem servavit. Sozomenus lib. 6, Nicephorus libro 14, c. 2.

101 S. Radegundis ieiunia. LXXXIV. *S. Radegundes regina Galliae.* Haec in honorem B. V. Mariae quotannis unam quadragesimam ieiunabat. Balinghem die 13 augusti.

102 S. Elisabethae Lusitaniae reginae pietas erga B. LXXXV. *S. Elisabetha Lusitaniae regina.* Haec in honorem Deiparae ante eius assumptionem in coelum quadraginta dies ieiunabat pane tantum et aqua contenta, quod idem in aliis pervigiliis festorum eius, nec non sabbatis ac feriis sextis usurpabat. Insuper singulis diebus praeter officium horarum canonicarum,

Digitized by Google

Virginem. praeter septem psalmos ac officium defunctorum, quae quotidie recitabat, parvum officium de D. M. Virgine addebat. Sub mortem in imaginem Sanctissimae Deiparae oculos defigens, eiusque auxilium implorans, eam praesentem habere meruit pridie quam moreretur. Perpiniauus orat. 5 in s. Elisabetham. Quam Urbanus VIII anno Domini 1625, die 25 maii in sanctarum mulierum numerum retulit.

103 S. Elisabeth Hungarae studium erga B. Virginem. LXXXVI. *S. Elisabetha Andreae regis Hungarorum filia.* Haec cultui Deiparae Virginis addictissima, cum adhuc puellula esset, pauperes conducebat ad recitandam orationem dominicam, et salutationem angelicam. Imminente morte mysterium virginei partus devote recolens: Haec est, inquit, hora immaculati partus, contemplemur aliquid de Iesu puero, quomodo nocte in frigida aura, in alieno hospitio natus sit ex Virgine Maria. Relata est in sanctorum numerum a Gregorio IX.

104 B. Ioannae affectus erga B. Virginem. LXXXVII. *B. Ioanna Ludovici regis Galliae filia, Caroli VIII soror.* Haec rebus divinis, ac cultui B. Virginis mirifice addicta in honorem eiusdem Ordinem annuntiationis B. Mariae Virginis instituit, de quo Ordine nos superius egimus, cum de Ordinibus in honorem B. Mariae institutis tractaremus.

105 S. Hedwigis studium erga B. Virginem. LXXXVIII. *S. Edwigis ducissa Poloniae.* Haec quo studio fuerit erga Deiparam Virginem, post mortem eius monstratum est. Cum anno Domini 1628 corpus eius elevaretur, consumptis carnibus et membrorum compage soluta, tres digiti sinistrae manus eius inventi sunt omnino integri et intra illos exigua imago B. Mariae Virginis, quam illa vivens crebro apud se ferre solita erat, et cum ea tumulata fuerat: eo quod moriens adeo eam digitis istis strinxerat, ut commode inde avelli non posset. Ex vita ipsius.

106 B. Chunegundis castitas. LXXXIX. *B. Chunegundes Boleslai Pudici ducis Poloniae uxor.* Haec amore Deiparae Virginis perpetuam cum marito castitatem servavit, eamque tantopere coluerunt, ut toto illo tempore, quo simul vixerunt, nec impudicis quidem oculis se invicem contuerentur. Ad tantam pietatem erga Deum et Deiparam Virginem hos principes inductos fuisse verbo et exemplo a. Hyacinthi Odrovazii Ordinis nostri Bzovius memerat anno Domini 1222, n. 16.

107 S. Bathildis amor erga B. Virginem. XC. *S. Bathildes regina Galliae.* Haec in testimonium sui amoris erga B. V. Mariam kalense monasterium ad Virginis honorem in agro parisiaco ad Matronam fluvium construxit. In quo monasterio postea Chilpericus II, et III, cui cognomen Fatuus, Galliae reges attonsi monachos egerunt. Arnoldus Vien. libro 4 Ligni vitae.

108 S. Birgittae devotio erga B. Virginem. XCI. *S. Birgitta Nericiae principissa.* Haec Deiparam Virginem impensissime coluit, et vicissim ab ea summopere dilecta et multis gratiis aucta est. Cum b. Birgitta attigisset septimum aetatis suae annum, vidit Deiparam Virginem in manu pretiosam coronam habentem, et sibi dicentem audivit: *Visne habere hanc coronam?* Et illa annuente, posuit illam super caput eius. Unde sensit quasi circulum coronae caput suum cingentis.

Eidem b. Birgittae in partu periclitanti, et iam a medicis desperatae Beatissima Virgo quasi serico albo induta apparuit, et singula iacentis membra tetigit. Quo facto, mox sine difficultate peperit, stupentibus qui aderant, universis. Ex eius vita.

Eidem b. Birgittae Beata Virgo saepius apparens totius vitae suae, nec non Filii sui Domini nostri Iesu Christi seriem enarravit, multaque alia mysteria, et salubria documenta ei tradidit, ut patet ex libro revelationum eius, in quo multa de conceptione, nativitate, vita, morte tum B. Virginis, tum Iesu Christi Salvatoris mysteria leguntur. Praeterea de vita praelatorum, deque statu eorum post mortem, de poenia damnatorum; insuper de regum atque principum vivendi forma, de qualitate consiliariorum et familiarium: de quibus omnibus b. Birgitta tum a Christo, tum a D. Virgine, tum ab angelis, aliisque sanctis per revelationem plene instructa fuit. Quas revelationes Mathias de Svecis s. Birgittae confessarius, prout ab ipsa audivit, conscripsit et in unum volumen redegit: quod Consalvus Durantus praeclarissimis commentariis illustravit. Has revelationes b. Birgittae nedum viri doctissimi, ut Ioannes Turrecremata, Ludovicus Alosius, Antonius Corduba, Petrus Canisius, Michael Medina, Nicolaus Sanderus, Alphonsus Mendoza, Martinus del Rio collaudarunt; sed etiam summi pontifices Bonifacius IX, Urbanus VI, Martinus V, immo et Concilia constantiense et basileense approbarunt, quorum censuras vide apud Consalvum Durantum fol. 1 comment. revel. b. Birgittae. Postremo in tanto amore apud Deiparam fuit s. Birgitta, ut ipsa Virgo eam nurum suam vocaret, quod scilicet Filii eius Domini nostri Iesu Christi sponsa esset. Ex eius vita.

Revelationum b. Birgittae auctoritas.

109 S. Catharinae b. Birgittae filiae devotio erga B. Virginem. XCII. *S. Catharina b. Birgittae filia.* Haec tanta erga Beatam Virginem ferebatur devotione, ut singulis diebus quatuor horas genuflexa B. Virginem salutando, aliasque pias preces peragendo consumeret, imbrem lacrimarum copiosum prae eximia devotione effundens. Surius in eius vita.

110 B. Salomeae vitae compendium. XCIII. *B. Salomaea haliciensis regina, Boleslai Pudici principis Poloniae soror.* Haec amore Deiparae Virginis post mortem Colomanni mariti sui integra manens in zavichostensi monasterio, deinde in scalensi sancte pieque vitam egit usque ad mortem. Natu iam grandior defuncta est, et funus Cracoviam ad d. Francisci templum illatum, ubi usque in praesentem diem corpus eius in veneratione habetur. Fertur enim multis diebus post mortem suavem odorem spirasse, et oleum sudasse, quo inuncti aegroti convaluerunt, et sanitatem receperunt. Bzovius anno Domini 1264, num. 13.

111 Margaritae austriacae pietas, et devotio erga B. Virginem. XCIV. *Margarita austriaca Hispaniarum regina, Philippi III coniux.* Haec quo affectu fuerit erga Deiparam Virginem luculenter monstravit, cum adhuc puella praeter officium Spiritus sancti, ac s. Crucis, septem psalmos, litanias, aliasque preces officium B. Mariae Virginis quotidie recitabat, addito super haec rosario. Cum ex Stiria in Hispaniam proficisceretur Philippo III nuptura, in toto itinere, ut primum cognovit alicubi esse B. Virginis imaginem miraculis illustrem, mox eo se conferebat preces et dona illi oblatura. Matrimonio iuncta, instante puerperio, novem sacra in honorem Deiparae quibus etiam intererat, celebrari curabat. A puerperio in aliquo templo Beatae Virgini dicato statim se sistebat, et fetum suum Deo, et Virgini offerebat gratias agens de beneficio collato. Die annuntiationis B. M. Virginis novem egenis feminis manibus suis cibum ministrabat in honorem novem festorum eiusdem Virginis: quod quidem in omni vita sua observavit. Antonius de Balinghem die 3 octobris.

112 Auctoris consilium de recensendis tot principibus viris et feminis B. M. Virgini devotis. Regum exempla multum movent ad pietatem. Fuerunt, et hodie sunt multi illustrissimi heroes, et heroinae clarissimae Reginae coeli, Virgini Mariae devote servientes, et sua obsequia humillima illi deferentes; sed ab illis recensendis supersedendum censeo, cum historico magis, quam concionatoris muneri ista deserviant. Hos tantum commemorare volui, quorum devotionem historici celebrarunt, et toti mundo manifestam fecerunt ad exemplum aliorum. Exempla enim regum, principum, ac magnatorum multum movent uti ad impietatem, ita ad pietatem. Quemadmodum enim primum mobile motu suo omnes sphaeras inferiores rapit, ita reges exemplo suo subditos trahunt. *Qualis rex, talis grex.* Optima est Velleii Paterculi sententia: *Princeps optime faciendo docet: cumque sit imperio maximus, exemplo sit maior.* Hoc est quod clamat Eccli. 10, 2: *Secundum iudicem populi, sic et ministri eius: et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum.* Ieroboam primus rex decem tribuum idololatra totum populum idololatrare fecit. Manasses, et ante eos Salomon, dum in urbe regia quo totus populus confluebat, idola erexissent, populum ad eadem colenda verbo et exemplo pellexerunt.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Videmus hoc saeculo in Anglia, Dania, Svecia, Transilvania, aliisque regnis causam schismatis et haereseos totius regni fuisse ipsos reges et principes a fide apostatantes, et haeresim profitentes. Ex adverso Italiam, Hispaniam, Gallias, Poloniam in vera fide persistere, quia semper principes habuerunt catholicos et orthodoxos. A rege ergo pendet regni fides vel infidelitas, pietas vel impietas, salus vel damnatio. Quocirca melior esse nequit oratio, quam illa qua oratur pro regibus et principibus tam saecularibus, quam ecclesiasticis, ut illos pios, prudentes et strenuos donet vel efficiat Deus. Hoc inculcabat Apostolus 1 ad Timot. 2, 1: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes.... pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.*

Hoc consilio ego tot imperatores, reges, principes Divae Virginis cultores eximios in praesenti discursu indicavi, quo exemplo illorum omnes alii Deum timere, colere, venerari, eiusque Sanctissimam Matrem in honorem habere, ei sua obsequia humiliter deferre discant. Si enim tot tantique viri, in tam sublimi dignitatis fastigio positi Beatam Dei Genitricem tam reverenter co-

Digitized by Google

fuerunt, tam devota illi servierunt, tam prompte obsequia sua illi detulerunt, quid nos facere oportet qui respectu illorum minimi et viles sumus? Est sane quod erubescamus, cum tantae pietatis ac devotionis insignia in viris, ac feminis principibus videmus, et nos ipsi in otio torpescimus, in devotione tepescimus, socordes et negligentes sumus.

Ergo tot, tantorumque virorum ac feminarum clarissimorum exemplo discamus Deum venerari in Matre, Matrem honorare in Filio. Et ut devotio nostra sit eis accepta, et reverentia grata, ipsorum puritatem ac munditiam omni virtute, mente et corpore illibate servemus, omni studio eorum humilitatem et mansuetudinem imitari conemur, quatenus per Filium, Genitrice interpellante pro nobis, vincamus mundum, diabolum superemus, renitamur tentationibus, adipiscamur coronam, atque in regnum introeamus aeternum. Amen.

REGINA PATRIARCHARUM

Beata Virgo Maria non solum angelicos spiritus dignitate praecedit, verum etiam sanctis omnibus, qui ab initio mundi creati sunt, honore praestat; quorum primi fuerunt patres prophetarum, et apostolorum. Proinde illorum omnium eadem Deipara Regina esse probatur.

Patriarcha quid significat.

Patriarchae vox principem familiae seu cognationis significat. Sic Tobias 6, 20 aunitur; et Act. c. 7, v. 8, 9 duodecim filii Iacob nominantur patriarchae, hoc est capita duodecim tribuum. Sic etiam in epist. ad Hebr. 7, 4 idem nomen Abrahae tribuitur. Ecclesia hoc loco per patriarchas onam ex ordinibus sanctorum intelligit, primos videlicet illos humani generis satores, satosque ab his et genitos, ut Adam, Abel, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, et alios quos sacra Geneseos historia recenset; vel quorum libri sequentes a Spiritu sancto dictati meminerunt. Horum omnium B. V. Maria Regina dicitur: qua omnium dona, omnium virtutes, omnium laudes, omnium praeclara gesta modo quodam excellentiore habuit. Quidquid de Adam, Abel, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Iacob dicitur praeclari vel legitur; quidquid in Moyse, Iosue, Gedeone, Davide, aliisque regibus, prophetis, patriarchis excellens est et laude dignum; quidquid gratiae, quidquid virtutis in eis reperitur; quidquid praeclare dictum; quidquid heroice gestum est ab illis, si quid in lege memorabile, si quid in templo Salomonis speciosum, si quid in sacrificiis Deo gratum: immo si quid inter coelestes spiritus est sanctum, gloriosum, illustre, id multo excellentiore ratione brevioreque compendio habemus in Maria. Omnium sanctimoniam, virtutes, praeclara gesta confer cum Maria, quantum ab amplissimo coelo exiguus terrae globus distat, tanto inter se distare intelligas. Age id dilucidemus.

Maria cur Regina patriarcharum dicta.

DISCURSUS CCCLXXXII

B. M. VIRGINEM OMNIUM ANTIQUORUM PATRUM GRATIAS, VIRTUTES, DONA, MERITA EXCELLENTIORE MODO HABUISSE MONSTRATUR, UBI QUAE MERITO *REGINAM PATRIARCHARUM* APPELLARI DEDUCITUR

1 Adam patriarcha primus.

1. Adam nedum patriarcharum, verum et totius generis humani sator, ordinis sanctorum patriarcharum auctor, et ipse sanctus, primus occurrit. Licet enim praevaricationis auctor extiterit, ipsius tamen salus omnibus catholicis certo asseritur, et validissime defenditur. Catholicis dico; tatiani enim haeretici negabant Adamum salutem esse consecutum, ut d. Epiphanius haeresi 46 refert. Sed Adami salutem diserte Scriptura sacra asserit Sapient. 10, 1: *Haec,* subaudi Sapientia, *illum qui primus formatus est a Deo pater* orbis terrarum, cum *solus esset creatus, custodivit, et eduxit illum a delicto* suo. Quare s. Epiphanius haeresi 46 Adamum sanctum appellat. Huius praeclaras dotes et munera B. V. Maria eminenter habuit, ut nedum eius filia, verum et Regina dicenda sit.

Adam salvatus est.

Adam est sanctus.

2 Adamo praefertur B. V. Maria in multis.

1. Adam primus tempore ad imaginem et similitudinem Dei conditus est, mundi princeps, pater, dominus ac magister totius generis humani factus. B. V. Maria prima, sed dignitate; nam non solum ad imaginem et similitudinem Dei creata, sed etiam in Matrem Dei ab aeterno praedestinata, nedum hominum Princeps, et Domina, sed et angelorum Regina effecta est.

3 Adami qualitates muline recensentur.

2. Adam de terra minime polluta formatus est; nondum enim pluerat Deus, et homo non erat operatus terram. B. V. Maria ex parentibus castissimis Ioachim et Anna prodiit: quos non libidinis morbus, non concupiscentiae ardor, non illecebrosus carnis stimulus, sed divina voluntas per angelum intimata ad progenerandam Virginem impulit, ut superius suo loco probavimus, cum de parentibus Mariae tractaremus. Propterea d. Damascenus orat. de nativ. Ioachim et Annam appellat *castissimum par turturum ratione praeditarum.*

4 3. Adam in gratia creatus est, ut doctor noster angelicus 1 p. q. 95, art. 1 probat. B. V. Maria gratia omnibusque virtutibus, velut margaritis circumsepta in lucem prodiit. Anna gratiam sonat, ut d. Damascenus lib. 4 de fide orthodoxa docet. B. Virgo est filia Annae: igitur est filia gratiae.

4. Adam in suo ortu sapientia et scientia plenus fuit, ut s. 5
Thomas 1 p. quaest. 93, art. 3 docet. B. V. Maria antequam in lucem ederetur, in utero matris existens iuxta multorum doctorum sententiam non tantum sapientia et scientia plena fuit, sed etiam altissimae contemplationis donum habuit. Ita d. Bernardinus tom. 2, ser. 51, c. 2 adstruit, cuius verba sunt: *Beata Virgo etiam dum erat in utero matris, habuit usum liberi arbitrii.* Et sermone 61, tom. 1, art. 3, c. 3 ait: *Tanta lumine illustrata fuit B. Virgo, cum etiam esset in ventre matris, quod non tantum plena fuit lumine rationis: sed etiam altissimae contemplationis.* Scio s. Thomam doctorem angelicum, quem ceu fidum ducem in omnibus sequor, 3 p. quaest. 27, art. 3 aliud sentire, et usum liberi arbitrii in ventre matris soli Christo concedere; sed hoc de permanentia usus liberi arbitrii debere intelligi ex Caietano et aliis alibi docuimus.

5. Adam in iustitia originali creatus est, per quam corpus subiiciebatur animae, potentiae inferiores rationi, et ratio Deo. 6
Beata Virgo Maria iustitiae originalis effectus potissimos, puta appetitum sensitivum rationi obtemperantissimum, mentem Deo subiectissimam in gradu perfectissimo habuit, ita ut ne in puncto quidem a Dei voluntate unquam resiliret, licet alios iustitiae originalis affectus, puta doloris, moestitiae, laboris, famis, sitis carentiam, impassibilitatem, immortalitatemque non habuerit; haec enim si habuisset, magnam partem meritorum amisisset.

Iustitiam originalem an habuerit B. V. Maria.

6. Adam post creationem in paradisum voluptatis deductus est, 7
Gen. 2. At B. Virgo Maria ipse paradisus voluptatis vivus, et animatus fuit, in qua Deus cunctarum germina gratiarum, cunctarum exemplaria virtutum, cunctarum odoramenta operationum produxit; qui lignum vitae, hominum voluptatem, ac delicias Christum nimirum nobis protulit; ex quo fluvius in quatuor evangelia divisus, et in omnem terram egressus orbis faciem irrigavit, et e suis sceleribus expiavit. Quare sancti patres Beatissimam Virginem paradisum passim vocant. Sanctus Iacobus apo-

*

Digitized by Google

stolus in Liturgia Virginem sic affatur: *Tu es templum sanctificatum, paradisus spiritualis*. S. Ephrem. orat. de Deipara: *Ave paradise deliciarum, totiusque amoenitatis et immortalitatis*. Andreas cretensis orat. de annunt. *Gaude sancta terra virginea, ex qua novus Adam formatur*. D. Chrysostomus orat. 1 in annunt. Deum Gabrielem ad Virginem mittentem, et haec ei loquentem introducit: *Vade ad paradisum meum ratione praeditum*. D. Damascenus orat. 2 de dormit. Virginis: *Hodie*, inquit, *Eden novi Adam paradisum suscepit animatum*. Ex hoc paradiso egressus est fluvius in quatuor evangelia divisus orbis faciem irrigans, Ruperto lib. 4 in Cantica attestante: *Per te Virgo initium accepit sanctum evangelium, ut per te universum mundum spiritualem irriget paradisum*.

8 7. Adae commissa fuit paradisi custodia et cultura, Genes. 2, 15. Posuit Deus hominem in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum. At B. Virgini commissa fuit Christi cura, quem illa concepit, peperit, brachiis fovit, lacte aluit, vestivit, et a quibusvis invasionibus et periculis in pueritia custodivit.

9 8. Adae benedixit Deus, ut cresceret, et multiplicaretur, et repleret terram, Gen. 1, 28. At Beatae Virgini magis benedixit, cui parere dedit, in quo benedicerentur omnes gentes, hoc est iustitiam, gratiam, salutem, et gloriam assequerentur, fierentque amici, et filii Dei, ac consequenter haereditatem regni Dei aliquando adituri. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*, etc. Matth. 25, 34.

10 9. *Immisit Deus soporem in Adam* vel, ut Graeci dicunt, *ecstasim*, Tostatus *raptum*, Oleaster *spasmum*. In quo sopore mens eius non tantum naturali modo soluta et libera erat a corporis et sensuum functionibus, sed et divinitus ita elevabatur, ut summum contemplationis Dei et angelorum gradum attingeret, non tamen divinam essentiam vidit, ut doctor angelicus 1 p. q. 94, art. 1 docet. At B. Virgo cum Deus ex utero eius Christum mundi Redemptorem educeret, in tantam ecstasim rapta est, tam sublimem contemplationis Dei gradum attigit, ut divinam essentiam clare et intuitive videret, ut d. Antoninus 3 p. tit. 15, c. 17, b. Albertus magnus ab eo relatus, Dionysius carthusianus super s. Dionysium de coelesti hierarchia c. 8 diserte docent. Licet id alii in incarnatione, alii in resurrectione Filii B. Virgini concessum fuisse putant.

B. Virgo in partu divinam essentiam vidit.

11 10. Adam in illo somno, vel potius ecstasi, Christi incarnationem, quatenus ordinabatur ad consummationem gloriae, non autem ad liberationem a peccato cognovit, ut s. Thom. 2 2, qu. 2, art. 7 docet. Dixi Adamum in illa ecstasi non cognovisse Christi incarnationem, quatenus illa ordinabatur ad liberationem a peccato, quia tunc peccati sui praescius non fuit, ut s. August. lib. 11 de Genesi ad litteram cap. 18 notavit. At B. V. Maria multo clarius divinae incarnationis mysterium cognovit, quod in ea perfectum est. Vidit enim et experta est se concepisse, et in utero portasse, quem Adam solum in cognitione habuit. D. Bernardi verbis hoc consigno, qui hom. 4 super *Missus est* ita ait: *Illi soli datum est nosse, cui datum est experiri*.

12 II. Abel conceptus et natus est ex Adamo et Eva parentibus, divinae legis praevaricatoribus. B. V. Maria nata est ex Ioachimo et Anna parentibus iustis, quod etymologia nominum ipsorum indicat. Ioachim enim praeparatio Domini, Anna vero gratia Dei interpretatur. De quibus superius multa diximus.

13 2. Abel in paterno luctu natus est, et toto orbe per Adami praevaricationem in deterius commoto, cui tamen luctui, et praevaricationi Abel sua nativitate nullum remedium attulit. At B. V. Maria nata est, cum toto orbe terrarum, atque adeo in populo Dei abundavit iniquitas, praevaricatio cuncta consumeret, peccatum nullum finem haberet, ubique luctus, ubique moeror esset, iusti omnes in luctu in terra manerent, et in inferis adventum Messiae expectarent, et illi luctui remedium attulit; nam sua nativitate mundum laetificavit, ut Ecclesia canit: *Nativitas tua Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo*.

Mundi miseria ante nativitatem B. M. Virginis.

14 3. Abel mitis erat et placidus, mente candidus, vultu verecundus, lingua sincerus, nihil in eo simulatum, nihil duplex; insignis in fratrem natu maiorem observantia, in patrem reverentia, in matrem amor, in Deum religio in eo enituit, ut ipsum nomen Abel significat, teste s. Ambrosio in libro quem de Abel et Cain conscripsit. At in B. V. Maria has omnes dotes plenius fuisse in epitheto *Speculum iustitiae*, et *Virgo fidelis* uberius monstravimus.

Abelis qualitates multae recensentur.

4. Abel vir sanctus et iustus, eo quippe nomine ipse Christus Dominus eum honoravit Matth. 23. At Deipara Virgo sanctissima et iustissima, ut in epitheto *Sancta Maria* probatum est. 15

5. Abel aut virgo fuit, aut quia nulla eius progenies in Scriptura memoratur. At Maria certissime virgo fuit, immo virginum dux et primiceria, quae virginitatis vexillum evexit, angelicae puritatis zelum hominibus carne constantibus, nec secundum carnem viventibus dedit. 16

6. Abel sacrificium gratum Deo obtulit, ob eamque causam a d. Augustino lib. 1 de mirab. sacrae Scripturae *sacerdos* appellatur. Obtulit autem primogenita pecorum suorum, et adipem eorum. At B. V. Maria sacrificium longe gratissimum Deo obtulit, cum Filium suum Iesum Christum Dominum nostrum quadragesimo post eius nativitatem die in templo ierosolymitano secundum legem Moysi virgineis manibus praesentavit: cuius sacrificii excellentiam fuse et erudite prosequitur Ioannes a Carthagena hom. 7 de purif. B. Virginis. 17

Enochi qualitates multae recensentur.

III. Enoch Adami nepos, Sethi filius aliquibus virtutibus B. Virgini praeluxit, sed eius perfectiones nullatenus adaequavit.

1. Enoch sancte et inculpate vixit: hinc a Scriptura illustre elogium probitatis habet Genes. 4, 26, quod videlicet *coepit invocare nomen Domini*. Non quod tunc profanata fuisset invocatio nominis Domini per idololatriam, nam in prima mundi aetate non fuisse idololatriam ob recentem creati mundi memoriam docet doctor angelicus 2 2, quaest. 94, art. 4 ad 2; sed quod coeperit coetus hominum instituere, et in Ecclesiam congregare ad publicas preces et conciones, et catecheses, ad publicum Dei cultum per sacrificia, aliosque ritus et caeremonias. Vel ut Thomas waldensis, et ex eo Bellarminus lib. 2 de monachis, c. 5 existimant, Enoch constituit peculiarem aliquem cultum, quam esset religio vulgi. At Beata Virgo Maria longe verius nomen Domini invocare coepit, cum sua nativitate, vita, exemplo, doctrina horridas errorum tenebras quae totum orbem cooperuerant, dissipavit, s. Cyrillo attestante, qui homilia 9 in Nestorium Virginem compellans, ait: *Per te omnis creatura idolorum errore detenta, conversa est ad cognitionem veritatis et fideles ad sanctum baptisma pervenerunt, atque in orbe terrarum constructae sunt ecclesiae*. Rursus Beata Virgo nomen Domini invocare coepit, quia peculiarem cultum virginitatis in Ecclesiam invexit. Inveniebantur ante eam virgines Elias, Eliseus, Ieremias, filii prophetarum, Moysis soror Maria nomine, adde et sibyllas apud ethnicos; nullus tamen voti religione virginitatem firmavit, illustravit, uti B. V. Maria: quod latius probatum dedimus superius in epitheto *Sancta Virgo virginum*. 18

2. Enoch tam sancte et pie vixit, quasi Deum semper praesentem prae oculis haberet, et revereretur, ideoque in omni opere cautissimus, modestissimus, religiosissimus semper incedebat, eratque Deo divinaeque voluntati per omnia consentiens, perinde ac homo, cum homini amico, vel domino suo ubique et per omnia consentit, se illi in omnibus se conformat. Et hoc est quod Scriptura ait Genes. 5, 22: *Ambulavit Enoch cum Deo*. Vel ut LXX vertunt: *Enoch placuit Deo*. Targum ierosolymitanum: *Servivit Enoch in veritate coram Domino*. Hinc aliqui putaverunt Enoch fuisse angelum incarnatum. At Beata Virgo tam pie tam sancte vixisse perhibetur, ut non solum divinitatem redolere, sed quodammodo habere videretur. Hinc illa haeresis Collyridianorum, qui B. Virginem deam faciebant, et tanquam deae collyridem sacrificabant, quam haeresim d. Epiphanius confutat haeres. 79. Hinc d. Dionysio areopagitae stupor tantus, ut diceret: *Testor Deum, si fides me aliud non docuisset, hanc Virginem ego Deum esse credidissem*. 19

3. Enoch placuit Deo, et tulit illum Dominus in paradisum terrestrem Eccli. 44, 16, ubi (vel in alio quopiam loco amoeno, si paradisus per diluvium dissipatus est) in mortali corpore vivus et vegetus per miraculum vivit una cum Elia. Videat Deum necne, in controversia est positum. At B. V. Maria sic placuit Deo, ut cum Dominus eam regali pompa, sublimi apparatu, et glorioso triompho de hac lacrimarum valle transferret non iam in paradisum terrestrem, sed in gloriam coelestem, et a dextris suis collocaret super omnes choros angelorum exaltatam, quod absque controversia creditur ab omnibus. 20

IV. Noe magnus patriarcha, et in Scripturis celeberrimus, vita sua ac moribus B. Virgini aliquo modo praeluxit.

1. Noe datus est mundo in salutem mortalium tempore omnium profligatissimo; at D. Virgo nata est tempore magis cor- 21

Noe qualitates.

Digitized by Google

rupto, quando cum reliquo terrarum orbe etiam in iudaica gente
21 pietas, iustitia, fides, legis mosaicae disciplina cum libertate conciderant. Hinc usque ad illud tempus Deus incarnationem Filii sui distulerat, cum iam morbus tantum invaluerat, ut iam mundus periisset, nisi Filius Dei subvenisset.

22 2. In ortu Noe Lamech prophetat: *Iste consolabitur nos ab operibus nostris.* At B. Virginem in quavis tribulatione et angustia, in quovis moerore et tristitia omnium afflictorum unicam consolatricem esse in epitheto *Consolatrix afflictorum* vidimus.

23 3. Noe vita ex multis prosperis adversisque fuit temperata. Etsi enim nonnullas aliquando degustavit consolationes, ut vulgus putat delicias; multum tamen adversae res eum afflixerunt. Ex amplitudine divitiarum, magnis latifundiis, ex vitae diuturnitate, quae fuit nongentorum quinquaginta annorum, ex turba filiorum quos usque ad undecimam generationem vidit, ex inventione vini, ex totius generis humani conservatione et restauratione magnam segetem laetitiae habere potuit. Verum aliunde, puta ex improbitate mortalium, tum ante, tum post diluvium *(omnis quippe caro corruperat viam suam)* ex tot tantisque aedificiorum ruinis, camporum calamitate, animantium pernicie, innocentium parvulorum strage, quae per diluvium contigerant, magnam tristitiam et afflictionem spiritus habuit. Non secus B. Virginis vita ex adversis et prosperis conflata fuit, ut in epitheto *Rosa mystica* dictum est.

24 4. Noe filios, licet multum a virtute patris abessent, a diluvio servatos fuisse merito patris ait divus Chrysostomus; solet enim Deus hoc dare iustis, ut in eorum gratiam etiam alii serventur. Multo magis in gratiam Mariae mundus salvatus est, adeo ut verum sit d. Fulgentii dictum lib. 4 mytol. *Coelum et terra iamdudum ruissent, si Maria precibus non sustentasset.*

V. Abraham licet vir maximus et inter heroes veteris testamenti longe clarissimus, suum tamen in praesentia Deiparae Virginis lumen amittere videtur.

25 Abrahae patriarchae encomia. 1. Praeluxit Abraham omnibus maioribus suis, eorumque gloriam et nomen e tenebris eruit; neque enim agnosceretur Thare, aut Nachor, aut Surug, aut Heber aliique patriarchae, nisi patres essent, avi, proavi, maiores Abrahami. Praeluxit magis B. Virgo omnibus patribus veteris testamenti, patriarchis, principibus, iudicibus, regibus, ducibus, summis pontificibus, populique rectoribus, quos in genealogia Christi s. Matthaeus initio evangelii sui enumerat: et pulcram illam ac pretiosam ex sanctis patriarchis, regibus ac ducibus texens coronam, velut fulgentissimam gemmam in fronte posuit Virginem Mariam, dicens: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Adeo enim sacram illam coronam B. V. Maria condecoravit, ut qui ob propriam vilitatem aeterno erant sepeliendi silentio, ob claritatem Virginis

In genealogia Salvatoris quot peccatores. in genealogia Salvatoris appareant conscripti. Inter regales Christi Domini progenitores inveniuntur fornicarii, et ex fornicatione, vel potius incestu nati, ut Phares et Zaram, Gen. 38; homicidae, ut Asa 2 Paral. 16, 10; idololatrae, ut Salomon, Roboam, Abisa, Iosaphat, Achaz, Manasses, Amon, Ioakim; sacrilegi, ut Ozias qui officium sacerdotale sibi usurpavit, 2 Paral. 26; ex feminis Thamar fornicatrix, Ruth idololatra, Bethsabee adultera. Qui omnes de se obscuri iacerent, sed propter B. M. Virginis claritudinem clarescunt, et omni veneratione digni habentur, eo quod talem filiam mundo ediderint. *Corona senum,* ait Sapiens, *filii filiorum,* Prov. 17, 6.

26 Abrahae patriarchae virtutes. Fides. Spes. 2. Abraham fuit pater credentium, habuit enim fidem admirabilem, quam in medio nationis pravae, quae caeco impetu ad idola ferebatur, perpetuo retinuit illibatam et integram; quare fidei suae praecones habuit Moysen, Genes. 15, 6, Isaiam 51, 2, d. Paulum Roman. 4, d. Iacobum 2, 21. Habuit spem inconcussam, cum plenus fiducia in Deum cum parva famulorum manu quatuor regibus bellum intulit, ut Deo auxiliante victor evasit, Genes. 14; cum vulva sterili et emortua, et effoeto sene filium benedictionis se accepturum credidit, speravit, obtinuit; cum prodigiosa quadam in Deum spe ex filio immensam filiorum multitudinem sperabat, quem propria manu iugularet. Tunc enim in spem contra spem credidit.

Amor in Deum. Habuit eximium in Deum amorem, cum parentes, amicos, cognatos deseruit, ut unius Dei amicitia frueretur; cum filium suum unigenitum, amabilissimum, aetate florentem, tot promissionum haeredem, tot votorum ac desideriorum fructum, Isaac gaudium cordis sui, animam coniugis suae tulit, lignis oneravit, in sacrificium ligavit, et brachium armatum gladio in necem filii extulit, ut mandato divino satisfaceret. Hoc nimirum fuit Deum super omnia diligere.

Habuit flagrantem in proximum caritatem, cum tam sollicite, tam ingeniose pro salute scelestissimarum civitatum Pentapoleos Deum precatus est, Genes. 18; cum in alienigenis a simulacrorum superstitione ad veri Dei cultum traducendis multum laboravit. Amor in proximum.

Habuit religiosissimam pietatem in Deum, cum ambulans coram eo in corde perfecto ubique altaria erigebat, ubique sacrificia ei offerebat; cum admissa circumcisione pudoris dolorisque plenissima, quasi stigmaticus Dei famulus incedebat, ut minora illa, religiosa tamen obsequia, puta solutionem decimarum, curam sepulturae praetermittam. Religio in Deum.

Habuit insignem patientiam, cum centum annorum peregrinationes sustinuit, huc atque illuc in casulis habitans vitam duxit; non illum fames, non orbitas, non sterilitas vicit; non sublata uxor, non pudoris illius, non capitis sui discrimen, non denique unici filii imperata caedes evertit. Patientia.

Habuit obedientiam omnibus retro saeculis inauditam, cum de terra sua, et de cognatione sua, et de domo patris sui exire iussus exiit nesciens quo iret, ut Apostolus ait Hebr. 11, 8; cum circumcisionis molestum et ignominiosum praeceptum acceptavit, et eodem die se, Ismaelem filium, et omnes viros domus tam vernaculos, quam emptitios circumcidit; cum Agar ancillam, et filium eius iussu Dei e domo cum pane et aqua eiecit; cum praeceptum, aut verius horribile tonitru de nece filii acceptavit, gladium paternum, quantum in se fuit, in amantissimi filii guttur immergere paratus. Obedientia.

Habuit fortitudinem heroicam; nam quatuor reges potentissimos cum modica famulorum armorumque insolente manu vicit. Fortitudo.

Habuit hospitalitatem officiosissimam, cum tribus angelis venientibus occurrit, et pene invitos ad se pertraxit. Hospitalitas.

Habuit humilitatem, sui ipsius contemptum, submissionem animi singularem, cum tot copiis, tanta fortuna, tantaque rerum abundantia affluens prae summa demissione animi dicebat: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.* Et rursus: *Si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum.* Et iterum: *Obsecro ne irascaris, Domine, si loquar adhuc semel.* Haec et alia plurima dona, ac praeclara gesta excellentiore quodam gradu in B. M. Virgine fuisse fuse in expositione epitheti *Speculum iustitiae* monstrabam, quae hic repetere minime expediens esse iudico. Humilitas.

VI. Isaac abrahamiticae benedictionis haeres unicus B. Virgini Mariae conferendus, sed minime praeferendus venit.

1. Isaac a Deo promissus, a parentibus diu multumque desideratus, ab omnibus expectatus. Virgo gloriosa magis; hanc enim divinitus praemonstratam patriarchae omnes praeviderunt atque adamarunt, prophetae totis voluminibus praenuntiarunt, apostoli praedicarunt, iusti omnes summis laudibus exornarunt, cunctae gentes desiderarunt, ut multis ostendi in epitheto *Virgo praedicanda.* 27 Isaac qualitates.

2. Isaac interpretatur *risus.* Beata Virgo Maria risus mundi extitit; sempiterni namque risus, et interminabilis gaudii causa fuit, cum maledictionem Evae in benedictionem, moerorem et aerumnam in laetitiam per suum partum commutavit. B. Birgitta in suis revelationibus in sermone angelico septimo et octavo habet, Adam et angelos de Virgine nascitura magnam concepisse laetitiam; similiter Abraham mirum in modum de hac filia ex suo semine nascitura, magis quam de Isaac exultasse; similiter Isaac, Iacob, et patriarchas. Sane quod Christus Ioan. 8, 56 dixit: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit et gavisus est,* d. Augustinus tract. 43 in Ioannem de die qua Christus de Virgine carnem suscepit, intelligit. David quoque, cui dictum est: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam,* de hoc exultasse d. Bernardus in serm. 6 vig. nativ. Domini docet. 28 Nativitas Mariae toti mundo causa est laetitiae.

3. Visitavit Dominus Saram, quae concepit et peperit Isaac, fidei pretium, parentum gaudium, domus splendorem, generis decus, posteritatis spem. Visitavit Dominus Annam, quae concepit et peperit puellam Mariam, facem fidelium, gaudium omnium beatorum, magnificum divinae gloriae templum, terrigenarum oblectamentum, parentum amorem, et progenitoris primi Adami laetitiam. Vide quae superius diximus de laetitia priscorum patrum et parentum Deiparae ex Maria in epitheto *Causa nostrae laetitiae.* 29

4. Praedicat d. Chrysostomus homilia 47 in Genesim Isaaci pueri externam elegantiam, internam pulcritudinem, amabilem 30

Digitized by Google

gratiam, aetatis florem. Magis praedicat Scriptura sacra et sancti patres Deiparae tum corporis, tum animae pulcritudinem, ut affatim nos monstravimus in epitheto *Mater amabilis*.

31 5. Isaacum singulari amore Abraham prosecutus est uti unigenitum, uti in senectute a Deo donatum, uti omni virtute ornatum, uti Deum ac parentes eximie colentem. Hinc Deus ad eum: *Tolle filium tuum quem diligis, Isaac*. Dilexit Deus B. M. Virginem uti unigeniti sui Matrem, ob aeterno ordinatam, inter omnes saeclas praeelectam, uti sanctitatis speculum, virtutum omnium promptuarium, Dei et hominum mediatricem. Porro quantus fuerit amor Dei erga Beatam Virginem copiose monstratum habes superius discursu CC, num. 7, et CCI per totum.

32 6. Singularis fuit Isaaci obedientia, cum patris imperio in locum holocausto destinatum lignis onustus, in manibus ignem et gladium quo iugulandus erat, portans processit. Ubi ventum est in montem, nihil moratus alligari se, et super altare et ligna imponi permisit. At longe maior fuit obedientia Mariae, cum in montem Calvariae sponte cum Filio processit, ibique mortem eius contemplando, in anima gladio doloris se transfigi permisit. Luculentius hoc argumentum tractabimus inferius in epitheto *Regina martyrum*.

VII. Iacob magni patriarchae Isaaci filius, Abrahami nepos, utriusque virtutum, promissionum ac benedictionum haeres cum Beata Virgine comparandus, sed minime exaequandus venit.

33 Iacob patriarchae qualitates. 1. Iacob nondum natus in utero materno luctatur cum Esau, et victoriam obtinet, ac principatum. B. V. Maria nondum nata in utero matris cum daemone luctam init, et victoriam obtinet, caput serpentis tartarei conterit, cum peccatum originale, quo diabolus non secus ac serpens, capite immisso, totus per alia peccata in animam illabitur, vicit. Principatum obtinet, nam supra eos, qui in utero sanctificati leguntur, qualis fuit Ieremias, s. Ioannes Baptista, et alii plurimi, quorum ex sententia aliorum superius discursu CXLI meminimus, copiosiorem gratiam divinam in utero accepit.

34 2. Iacob iura primogenitorum, ac benedictionem patris prae Esau fratre suo accepit. B. Virgo prae omnibus creaturis primas obtinuit. Eccli 24, 10: *In omni populo, et in omni gente primatum habui*. Sedulius: *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem*. Omnibus superis exercitibus gloriosior, omnium Dux, omnium Domina. Sed hoc argumentum superius sapius nos tractasse meminimus.

35 Paupertatis amans B. V. Maria. 3. Iacob filius et nepos opulenti patris, avique, quasi pauper, solus et nudus vivit, et hospitia carens in agro, sub dio pernoctat, terram pro lecto habet, et lapidem pro cervicali, Gen. 28. B. V. Maria clara regum progenies, parentum suorum locupletum unica haeres, paupertatis quam studiosissima, uti ipsa b. Birgittae vitam suam commemorans lib. 1 revel. c. 10 inter alia haec subiicit: *Omnia quae habere potui, dedi indigentibus, nihilque, nisi tenuem victum et vestitum mihi reservavi*. Vide epithetum *Speculum iustitiae*, ubi agimus de paupertate Mariae.

36 4. Angeli ascendunt et descendunt super Iacob qui in uno scalarum contemplatur divina mysteria, Gen. 28. At super B. Virginem angelos toties descendisse, eique velut Reginae reverenter famulatos esse abunde monstravimus in epitheto immediate praecedenti *Regina angelorum*.

37 5. Iacob genuit duodecim filios, totidemque Israelitarum patriarchas, et acquisivit labore suo familiam copiosissimam. B. V. Maria unicum solum Filium genuit, sed electum ex millibus, qui plusquam alii mille ei carus fuit, per quem multitudinem credentium filiorum adoptivorum sibi acquisivit. Hinc a christianis Mater appellatur: *Maria Mater gratiae*. Et iterum: *Monstra te esse Matrem*.

38 6. Iacob humilitate sua et muneribus iratum fratrem placat, sibique conciliat, et ad pronum sibi faciendum reddit. B. V. Maria sua inaestimabili humilitate et meritis Deum nobis iratum placavit, eundemque conciliari et propitium reddere suis precibus non cessat. Quare a d. Bernardo serm. 1 de assumpt. appellatur *propitiatorium universae terrae*.

39 7. Iacob quasi perditum, et quasi a bestiis laceratum filium deplorat, Genes. 37, 34. B. V. Maria psal. 21, 17 ait: *Circumdederunt me sicut canes*; et supra v. 13: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me*; non iam audiens ut Iacob, sed ipsismet oculis cernens rapi, lacerari, devorari, vehementissime doluit.

40 8. Iacob accepto nuntio de Ioseph, quem a fera pessima devoratum existimaret, quod scilicet viveret, et in omni terra Aegypti dominaretur, quasi de gravi somno evigilans, et incredibili gaudio perfusus, dixit: *Sufficit mihi, si adhuc filius meus vivit*, Genes. 45, 28. At maiore laetitia exultavit Deipara Virgo, cum unicum Filium, unice dilectum, quem atrocissime excruciatum inter duos latrones in crucis patibulo mori conspexerat, iam viventem, et gloria corporis insignem vidit, cui data erat omnis potestas in coelo et in terra: et ut in nomine eius omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum. Verisimile est eam tunc temporis tam ingenti gaudio perfusam fuisse, ut ad claram essentiae divinae visionem attingeret, ut significarunt doctores, quos paulo superius retuli. Merito B. V. Maria tunc dicere poterat illud ps. 93, 19: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam*. Gaudium B. M. Virginis in resurrectione Filii.

9. Iacob moriens adoravit fastigium virgae Ioseph filii sui dominantis in Aegypto, ut narrat Apostolus Hebr. 11, 21. Hac virga praefigurabatur B. Virgo, ut s. Hieronymus, s. Antoninus, s. Bonaventura exponunt. Huic ergo virgae Iacob patriarcha se inclinavit, hanc velut Reginam mundi in spiritu videns adoravit. Nosque, ut eadem instante morte faciamus, adorare docuit. 41

VIII. Ioseph sequitur qui hoc praeclarum patriarcharum agmen claudit. Ille, inquam, Ioseph, cuius verissimis et iustissimis laudibus Hebraei minime se pares credunt. Hic tamen talis ac tantus patriarcha B. Virgini libentissime cedit, nec servus Dominae, subditus Reginae se aequiparare audet. 42 Ioseph patriarchae laudes.

1. Nascitur Ioseph, et appellatur adauctus, Gen. 49, 22. *Filius accrescens Ioseph*, in signum aliquod egregiarum virtutum, quarum incrementa capturus erat in dies. At Deipara Virgo mox nata appellatur Maria propter plenissimam gratiarum, virtutum, donorum Spiritus sancti ubertatem et copiam. Congregationem aquarum vocavit Deus maria, locus etiam omnium gratiarum vocatur Maria. *Omnia flumina in mare intrant*; ita omnium gratiarum genera angelorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, et reliquorum sanctorum in Mariam influunt. De hoc in primo tomo uberius egimus. 43 Ioseph patriarchae qualitates et virtutes.

2. Israel diligebat Ioseph prae omnibus filiis, eo quod in senectute genuisset eum: et in signum amoris fecit ei tunicam polymitam, id est variegatam, seu varie contextam. Deus dilexit Virginem super omnes puras creaturas, quam in senectute, hoc est novissimis temporibus mundi senescentis genuit, id est produxit, nasci voluit. Tunicam polymitam ei fecit, quia variis gratiis, virtutibus, donis, meritis eam exornavit. 44

3. Ioseph tam admirandae fuit continentiae et castitatis, ut eam ab insana muliere strenue defenderit. At Virgo Beatissima magis admiranda, cuius castitatem et virginalem pudicitiam omnes omnium saeculorum patres praedicant, ut superius lata vidimus. 45 Prudentia.

4. Ioseph tantae fuit pietatis in Deum, ut nec venditio, nec ignominiosa servitus, nec aerumnosus carcer, nec facinorosorum hominum et idololatrarum convictus, nec octoginta annorum principatus eam nec tantillum labefactare posset. Nam post multos tam blandientis fortunae status sanctissime obiit. Sed haec pietas Ioseph prae pietate B. Virginis penitus evanescit, quam tot prospera, tot adversa nunquam vel minimo vitio commaculare potuerunt, ut superius in epitheto *Speculum iustitiae* satis diximus. 46 Pietas in Deum.

5. Ioseph tam eximiae caritatis fuit in fratres, ut exaltatus in Aegypto cum fratres suos quasi proditores carceri aut servituti addicere posset, ut par pari referret; nihil tamen huiusmodi eis nedum inferre, verum nec in minimo eos contristare cogitavit; sed blandissime ac benevolentissime eos in gratiam recepit, ac vehementer turbatos amica oratione consolatus est: *Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in Aegyptum. Nolite pavere*, etc. Gen. 45, 4. Verum friget eius caritas, si cum caritate B. Virginis comparetur. Ipsa super omnes choros angelorum exaltata et iam deificata nostrae humanitatis nequaquam obliviscitur: peccatores de se pessime meritos non fastidit, non reiicit, non damnat; sed omnibus se clementissimam praebet, omnes amplexatur, fovet, tuetur; et saepe quos iustitia Filii damnare potest, eius misericordia liberat, ut superius vidimus. 47 Caritas in fratres. Clementia B. Virginis.

6. Ioseph incredibilis fuit patientiae. Nam venditus a fratribus non induxit in animum per annos tredecim per litteras, aut per internuntios plagiarios fratres accusare apud dilectissimum parentem: non ab eo in aerumnis suis, exilio, infamia, carcere, servitute, capitisque discrimine auxilium implorare; sed cuncta 48 Patientia Ioseph.

Digitized by Google

Dei iudicia commisit. Quin etiam toto triennio ab uxore Putipharis ad scelus sollicitatus, eam apud herum suum non accusavit, contentus obiter unoque verbo innocentiam suam contestari.
Patientia B. Virginis. At in hac patientia Ioseph Beatae Virgini herbam porrigit. Quoties namque Deiparam iniuriis provocant et lacessunt qua gentiles, qua iudaei, qua haeretici? quantis blasphemiis pessumdant exleges christiani, qui ex eius beneficiis vivunt, et incolumes servantur? Quorum tamen protervìam, et audaciam Beata Virgo sereno vultu dissimulat, et tranquillo animo recondit: ac tandem Matrem misericordiae se praebet eo liberiorem in condonando, quo illi procaciores sunt in offendendo.

49 Humilitas Ioseph. 7. Ioseph fuit singularis humilitatis. Aegypti prorex factus, mundi salvator appellatus nihil in verbis superbum, in vultu saevum, in oculis minax, in incessu arrogans, in tota actione et gubernatione violentum ostendit; sed miram animi moderationem, ac demissionem prae se tulit. Ille qui in regio curru, in stola byssina, in torque aurea, in regis anulo signatorio, flectentibus undique genua populis, circumferebatur: ille qui in frequentissimo optimatum, ac dynastarum consessu audivit regem dicentem: *Ego sum Pharao, absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Aegypti*, Genes. 41, 44. Ille, inquam, tam clarus, tam potens, tam nobilis, minime verecundatus est fratrum, generisque sui humilitatem agnoscere, et coram ipso rege, suisque praedicare vitam pastoritiam, quam illi protestabantur. At maior humilitas enituit in Virgine, quae ab angelo visitata, salutata, gratia plena appellata, Spiritu sancto fecundata, in Matrem Dei assumpta, omnibus creaturis praelata dicere non erubuit: *Ecce ancilla Domini*. Quae verba superius ponderavimus, et in iis profundissimam humilitatem Virginis admirati sumus.

50 Prudentia Ioseph. 8. Ioseph in omnibus negotiis tam prudens fuit, ut nec externum genus, nec calamitas quidquam offecit, quominus ad summam dignitatem in Aegypto eveheretur. Admirabilis eius prudentia maxime enituit in consilio congregandi frumenta pro septennio. In suis in terra Gessen non solum optimae terrae loco collocandis, sed quantum fieri poterat, seorsum ab infidelibus turbis, simulque in iis a publicis belli pacisque muneribus, sub regiorum pastorum titulo eximendis. In probanda fratrum suorum in Beniaminum uterinum suum de capite periclitantem caritate, et persona sua diutius tegenda, et dissimulanda. In acquirenda tota Aegypto principi suo, cum omnium subditorum aere, pecoribus, agris, ipsaque libertate sine cuiusque querela, murmure, aut tumultu. In acquirenda subditorum omnium in principem benevolentia, cuius indulgentiae, ac liberalitati fortunas suas omnes, seipsos suamque libertatem debere se verissime faterentur.
Prudentia B. V. Mariae. At B. Virgo in his omnibus plerisque aliis longe prudentior fuit. Ipsa frumentum electum, panem vitae qui de coelo descendit, non solum in septennium, sed in omnem aetatem, nec uni tantum Aegypto, sed toti mundo nedum conservavit, sed etiam a castissimis suis visceribus protulit, quo totum genus humanum a fame aeterna liberavit. Ipsa sibi devotos in optimo terrae loco, hoc est virtutum viridario collocat, quos ex huius vitae miseriis suis precibus ad coelestem patriam transfert: ubi omnibus hic sua suffragia poscentibus fructum ventris ostendit. Ipsa nedum caritatem fidelium erga proximos probat, sed eandem accendit, auget, et quatenus opus est, exemplis promovet nulli suam personam tegens, sed omnibus sinum misericordiae aperiens. Ipsa principi suo Christo christianorum amorem, benevolentiamque conciliat; ad ipsam enim tanquam ad salutis portum recurrunt universi, et per illam gratiam inveniunt, qua condecorati in amore Dei firmantur. In multis aliis prudentissimam esse B. V. Mariam in epitheto *Virgo prudentissima* fusius ostendi.

9. Ioseph in dono prophetiae clarus, in enarrandis immissis divinitus somniis, in providendis, enuntiandisque futuris. Sed in his omnibus B. V. Maria eminet, ut in epitheto immediate sequenti palam fiet. 51

Omitto alios patriarchas Moysen, Iosue, Gedeonem, Barac, 52
Samsonem, Iephte, Samuelem, Davidem, aliosque reges, ac duces, quos s. Matthaeus genealogiam Christi describens refert.

Vere igitur Deipara Virgo est Regina patriarcharum, sive natalium splendorem spectes, sive gratuita Dei munera. Duplici namque regio fulget diademate; uno quod filia a parentibus haereditavit; altero quod Mater a Filio suscepit. Utrumque e pulcherrimis gemmis fabrefactum est. In priore quod illi natura fabrefecit, clarescunt patriarchae ut adamantes, reges ut pyropi, tota procerum series gemmea quadam venustate insignis splendescit. In posteriore, quod ei gratia conflavit, pro omnibus gemmis quae terra marique pretiosissimae nutriuntur, pulcherrima gemma ipse est pulcherrimus Iesus, quam s. Matthaeus quasi in fronte posuit, cum pulcram illam ac pretiosam ex sanctis patriarchis, regibus, ducibus texens coronam in fine addidit: *De qua natus est Iesus*. Quod enim potuit in hac corona clarius splendescere margaritum? immo quod astrum fulgentius coruscare? In eo nomine ineffabili quod olim summus sacerdos aureae coronae insculptum praeferebat: *Et*, inquit Siracides, *desideria oculorum ornata*, Eccli. 45, 14. Hoc est quicquid gratum et iucundum, quicquid pulcrum et elegans oculi aspicere cupiebant, totum id in eo nomine quodam modo expressum cernebatur. Quanto pulcrius Iesu et Mariae nomina in regio diademate, quo Beata Virgo coronata est, resplendent, in quod non modo hominum, sed etiam angelorum oculi prospicere desiderant. Tali itaque et tam pretiosa corona Regina orbis redimita inter omnes patriarchas et reges clarissime refulget. Unde merito ei ab Ecclesia occinitur: *Regina patriarcharum*, quae omnium virtutes, omnium dona, omnium laudes, omnium dignitates amplectitur, propter eum quem e suis visceribus protulit, brachiis fovit, sinu strinxit, vestivit, aluit. Cui sit laus et gloria per aeterna saecula. Amen.

REGINA PROPHETARUM

Humanae salutis Auctor volens nobis arcana mentis suae aperire, suamque sapientiam aeque ac vitam coelestem nos edocere, omni saeculo Ecclesiae suae prophetas misit, per quos nobis sensa sua manifestavit, obsignavit et confirmavit, ut nemo inter tot errorum et haeresum caligines, et labyrinthos de veritate, veraque Ecclesia dubitare posset.

Prophetae in lege naturae.

In lege naturae Ecclesia habuit prophetas. 1. Adamum qui connubium Christi cum Ecclesia praecognovit in illo sopore, vel potius ecstasi, de quo Genes. 2. 2. Abel, cuius sanguis et martyrium etiamnum clamat et prophetat, teste Apostolo Hebr. 11, 4: *Defunctus adhuc loquitur.* Prophetavit et postea Lamech, Genes. 4. 3. Enoch, de quo Iudas apostolus 14: *Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus*, etc. 4. Noe qui diluvium praedixit, et ideo arcam fabricavit, qua illud evasit. 5. Abraham, qui multas a Deo revelationes de Christo ex se nascituro, de stirpis suae multiplicatione, de possessione terrae chananaeae, de gentibus per Christum benedicendis accepit, Genes. 12, et sequentibus. Quem secuti sunt Isaac, Iacob, quorum prophetiae enarrantur Genes. 26, v. 4, 27, et 49 per totum. Circa illa tempora et vates et prophetae feruntur etiam inter gentiles, Iob, Eliphaz Themanites, Baldad Suhites, Sophar Naamathites, Eliu, Barachel Buzites, ut scribit liber Sadergoosom capite 21.

Prophetae in lege mosaica.

In lege mosaica prophetae fuerunt Moyses, Aaron, Iosue, David, Elias, Eliseus, et alii sexdecim, quorum prophetias in libris sacris consignatas habemus, nimirum quatuor maiores, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, et duodecim minores, Oseas, Ioel, Amus, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; et alii quamplurimi, quorum nomina et tempora quibus floruerunt, ex chronologia Hebraeorum recenset Sebastianus Barradas tom. 1 concord. evangel. libro 5, cap. 23.

Fuerunt insuper duo oracula, puta haec duo nomina, *Urim et Thummim*, scilicet *doctrina et veritas*, in rationali summi sacerdotis inscripta, ex quibus Deus de omnibus quae ventura erant, responsa dabat, Exod. 25, 22.

Prophetae novi testamenti.

In novo testamento prophetae fuerunt apostoli aliique viri apostolici, de quibus d. Paulus 1 Cor. 12, 28 ait: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores.* Et quidam etiam fuerunt apostoli simul et prophetae, ut d. Ioannes evangelista, qui mysteria plena in Apocalypsi reliquit; divus Paulus qui plurima de Antichristo, sicut et de novissimis mundi temporibus vaticinatus fuit; Agabus, qui captum iri d. Paulum praedixit; et alii postmodum quorum nomina Thomas Bzovius lib. de notis Ecclesiae, signo 19 enumerat. Nostro saeculo spiritu prophetiae claruerunt s. Carolus Borromaeus, s. Ludovicus Bertrandus, s. Ignatius, s. Xaverius, s. Philippus Nerius et alii quamplurimi.

Prophetides multae.

Hoc donum nedum viris, sed etiam feminis communicatum legimus. Sunt in Scripturis prophetides multae. Maria soror Moysis, Exod. 15; Debora uxor Lapidoc, Iudic. 4, 4; Anna Samuelis mater, 1 Reg. 2; Holda Iosiae regis tempore, 2 Reg. 22; Elisabeth Ioannis Baptistae mater, Luc. 1; Anna Phanuelis filia, Luc. 2; filiae Philippi quatuor, Act. 21, 9. Non defuerunt in Ecclesia Dei deinceps et aliae, ut s. Birgitta, s. Hildegardis, s. Catharina senensis, s. Gertrudis, s. Teresia, et aliae divinis imbutae et illuminatae splendoribus. His addo sibyllas quae merito virginitatis, ut ait s. Hieronymus lib. 1 contra Iovinianum, donum prophetiae adeptae de futuris, ac praesertim de Christo multa futura praedixerunt tanta cum praenotionis certitudine ac claritate, ut futura quasi praeterita, vel praesentia scribere videantur. Fuerunt illae decem, cumaea, cumana, persica, hellespontica, libyca, samia, delphica, phrygia, tiburtina, erythraea. Omnium vero tum virorum quam mulierum princeps est Beata Virgo Maria, cui occinimus: *Regina prophetarum.* Quare videndum est

Sibyllae quae et quot.

DISCURSUS CCCLXXXIII

QUAM APTE BEATA VIRGO DICATUR *REGINA PROPHETARUM*

1 Propheta quot modis accipitur in Scriptura.

Prophetae vocabulum late patet, et in Scripturis vario significat. 1. Propheta est homo sanctus, religiosus, divinis laudibus addictus, iugiter Dei laudes canens. Sic in libris regum vocantur filii prophetarum, qui psalmis et divinis laudibus vacabant, legis divinarumque rerum studio intenti erant. 1 Reg. 10, 5 ait Samuel ad Saul: *Obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes*, hoc est divinas laudes canentes, ut interpretantur Isidorus Clarius, Vatablus, Abulensis, Caietanus, et alii. Sic Saul inter prophetas psallentes correptus spiritu Dei dicitur prophetasse, idest cum psallentibus psalmos Deique laudes, quasi enthusiasmo actus, id est numine afflatus cecinisse, 1 Reg. 19, 24. Sic omnes cantores vocantur prophetae. 1 Paral. 25, 1: *David et magistratus segregaverunt in ministerium filios Asaph, et Heman, et Idithum, qui prophetarent in cytharis et psalteriis, et cymbalis*, hoc est Deum laudibus celebrarent adhibitis musicis instrumentis. Sic quatuor filiae virgines Philippi evangelistae dicuntur *prophetantes*, hoc est divinas laudes celebrantes, uti nunc faciunt moniales.

2. Propheta est doctor sive catechista, non quivis, sed qui instinctu Spiritus sancti docet, et exhortatur ad pietatem. Sic s. Paulus 1 Cor. 14, 3 doctores et hortatores vocat prophetas: *Qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, et exhortationem, et consolationem.* 2

3. Propheta est miraculorum patrator. Sic Eccli. 48, 14 dicitur Elisei corpus mortuum prophetasse, quia suo contactu mor- 3

Digitized by Google

tuum resuscitavit, ut in 4 Reg. 13, 21. Sic etiam propheta sumitur Lucae 7, 16, cum post resuscitationem adolescentis naimitani populus acclamat: *Propheta magnus surrexit in nobis.*

4 4. Genuine et proprie propheta dicitur is, qui ex Dei instinctu rem, antequam eveniat, praedicit. Hinc propheta dicitur, quasi procul videns, in quantum scilicet cognoscit, et loquitur ea quae sunt procul ab hominum sensibus. Derivatur autem vox non a latino *fari* et *prae*, sed a graeco *πρό*, id est ante, et *φημί*, id est dico, loquor, etc. Hinc propheta hebraice dicitur *Nabi*, quasi praefator, vel potius praefactor, a radice *Ba*, id est venit, ut notant doctores hebraei, tanquam *Nabi* sit is, qui id quod venturum est, praeloquitur.

5 His quatuor modis B. V. Maria prophetissa optime dici potest. Ipsa sanctissima, religiosissima, Dei laudibus in toto addicta, utpote in templo apud virgines Deo consecratas educata. Ipsa oculum apostolorum, et evangelistarum, ut in sequenti epitheto videbimus, doctrix et magistra fuit; sed etiam alios fideles de divinis instruebat mysteriis, in fide confirmabat. Ipsa miraculorum patratrix; nam in ea peractum est magnum illud miraculum et pietatis sacramentum, scilicet ut Virgo conciperet, et pareret Emmanuelem, id est Deum hominem. Ipsa futura praedixit, cum cecinit: *Beatam me dicent omnes generationes.* Et vaticinio res successit; nam Elisabeth primo incepit Luc. 1 dicere: *Beata quae credidisti.* Secuta est mulier illa evangelica, quae, nascente primum inter conciones Christi Ecclesia, e media populi turba exclamavit: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti,* Luc. 11, 27. Postmodum secutus est totus fidelium chorus per omnes generationes B. M. Virginem praedicans, ut vidimus in epitheto *Virgo praedicanda.*

B. V. Maria est prophetissa omnibus prophetis major.

6 Verum unde habeat, quod princeps prophetissa, sive Regina prophetarum dicatur, operosius inquirendum est. Rupertus abbas tuitiensis, vir doctrina et sanctitate conspicuus B. Virginem non solum prophetissam, sed etiam archiprophetissam appellat, et huius rei duas causas assignat. Primo, quod omnes prophetas docuit; secundo, quod de ipsa omnes prophetae praedicaverunt. His nonnullas alias causas adnectere libet.

7 Primo igitur B. V. Maria archiprophetissa, sive Regina prophetarum dicitur, quia prophetas docuit, direxit, perfecit. Ipsa namque est unicus scopus, in quem omnes prophetae collimabant. Certum namque est, Christum esse ultimam metam, et extremam lineam legis, Apostolo attestante Rom. 10, 4: *Finis legis Christus.* Ad Christum enim tota lex, et prophetae quasi ad finem, terminum et scopum suum refertur, tendit, ducit, vocat. Hinc Tertullianus libro adversus Iudaeos, cap. 8 Christum Dominum appellat *signaculum omnium prophetarum.* Consequenter igitur Beata Virgo erit scopus omnium prophetarum. Relativa enim simul sunt natura et cognitione, ut philosophi docent.

Archiprophetissa B. V. Maria.

8 Secundo, quia genuit summum orbis Prophetam Christum, de quo Moyses Deut. 18, 15: *Prophetam de gente tua,... suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Abulensis negabat in Christo fuisse proprie dictum donum prophetiae, quia ad hoc ipse putat requiri obscuritatem cognitionis quae in Christo non fuit: ideoque Christum tantum dici prophetam secundum aestimationem, et appellationem vulgi. Verumtamen Christum verum prophetam fuisse, in quantum viator fuit, doctor noster angelicus 4 p. q. 7, art. 8 probat, ubi expositores eius obscuritatem non esse de ratione prophetiae multis ostendunt. Christus ergo, quia summus Princeps prophetarum fuit, Beata quoque V. Maria Princeps prophetissa, seu Regina prophetarum merito appellatur.

9 Tertio, quia de ipsa omnes prophetae praedicaverunt. Percurre, si libet, prophetias ipsorum, et videbis eos B. Virginem certatim praedicasse. Quid enim apud Moysen rubus ardens incombustus? quid foederis arca? quid virga Aaronis? quid tabernaculum foederis designat, nisi Mariam? quid apud Davidem regina a dextris? vellus pluvio perfusum? civitas Dei? domus Dei? quid apud Salomonem lectulus eiusdem? virgula fumi ex aromatibus? quid hortus conclusus, fons signatus, fons hortorum, puteus aquarum viventium? quid aurora consurgens, castrorum acies ordinata? quid sapientiae domus? quid apud Isaiam virgo concipiens et pariens? quid liber grandis, prophetissa, virga de radice Iesse, nubes levis, liber obsignatus, terra germinans Salvatorem significat, nisi Mariam? quid femina circumdans virum, apud Ierem. cap. 31? quid porta clausa apud Ezech. cap. 44? quid mons de quo abscissus est lapis sine manibus apud Daniel. cap. 2? quid mons Domini apud Michaeam c. 4? quid mons Pharan, sive umbrosus iuxta LXX, apud Habac. cap. 3? quid domus novissima apud Aggaeum cap. 2? quid candelabrum aureum apud Zachariam cap. 4 adumbrat, nisi Mariam? Vere *Regina prophetarum* illis procul ostensa a Deo, illorum scopus, regimen. Propterea s. Ephrem serm. de laud. Virg. eam vocat *decus prophetarum.* S. Hieron. in c. 6 Mich. *vaticinium prophetarum.* Sergius hagiopolita orat. de natal. Virg. *praeconium prophetarum.* Andreas cretensis orat. 2 de dormit. Virg. *summum divinorum oraculorum, de qua resonarunt omnes spiritus interpretantes.* Idem orat. de assumpt. *prophetarum et patriarcharum omnium ornamentum, et investigabilium Dei oraculorum praeconium verissimum.* S. Bonaventura in hymno *veritatem prophetarum.*

Prophetiae de B. V. Maria.

Quarto, quia tanto melior prophetis effecta, quanto differentius prae illis et nomen et dignitatem haereditavit. Age gradus prophetiae videamus, et quam alte super prophetas B. Virgo conscenderit, cognoscamus. 10

DISCURSUS CCCLXXXIV

QUAM EXCELLENS FUERIT PROPHETISSA B. V. MARIA DEMONSTRATUR PER COMPARATIONEM AD ALIOS PROPHETAS

Sol in medio doctorum, s. Thomas aquinas, agens de gradibus prophetiae 2 2, quaest. 174, art. 3 ita docet: Infimus gradus prophetiae est, cum aliquis ex interiore instinctu movetur ad aliqua exterius facienda, sicut de Samsone dicitur Iudic. 15, quod irruit spiritus in eum, cum vincula sua dissolvit. Hoc modo multi eremitae praesagierunt et etiamnum praesagiunt, et praesentiunt futura. At B. V. Maria cum interiore instinctu expressas quoque revelationes habuit, et quotidie ab angelis visitata fuit in infantia sua, dum in templo commoraretur, ut refert d. Bonaventura lib. medit. Gregorius nicomedien. hom. de oblat. Virg. in templo, Cedrenus in compend. hist. Andreas cretensis ser. de assumpt. qui vocant B. Virginem fontem divinarum revelationum, qui exhauriri non possit. 1

Secundus prophetiae gradus est, cum aliquis ex interiore lumine illustratur ad cognoscendum aliqua, quae tamen non excedunt limites naturalis cognitionis, sicut dicitur de Salomone 3 Reg. 4, 32, quod locutus est parabolas, et v. 33: *Disputavit super lignis a cedro quae est in Libano, usque ad hyssopum quae egreditur de pariete: et disseruit de iumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus.* Et hoc totum fuit ex divina inspiratione, nam praemittitur v. 29: *Dedit Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis.* Verum B. Virgo divinitus illustrata nedum rerum naturalium cognitionem perfectissimam habuit, sed etiam abstrusa fidei arcana limpidissime cognovit, ut fusius demonstratum est tomo superiore. 2

Tertius prophetiae gradus est, cum prophetantes diserte concipiunt, et enuntiant; sed ignorant se prophetare, quomodo prophetavit asina Balaam, et Caiphas pontifex, cum Christi mortem et nostram redemptionem praedixit, quam tamen non cognovit, Ioan. 15, 51. Immo nec sancti prophetae omnia intellexerunt, quae in spiritu viderunt, enuntiarunt, descripserunt. Daniel cap. 7 vidit visionem quatuor bestiarum, sed eam non intellexit, unde vers. 16 ab angelo petiit eius explicationem, et accepit. Idem ei contigit in visione arietis et hirci, nam quaerens eius intelligentiam vers. 15 eam accepit a Gabriele v. 17. Idem accidit ei c. 10, ubi ieiunans et orans v. 2, visionis explicationem accepit ab angelo v. 11, et 19. Hinc c. 12, 8 diserte ait Daniel: *Et ego audivi, et non intellexi, et dixi: Domine mi, quid erit post haec?* Zacharias quoque c. 4 vidit candelabrum aureum cum septem lucernis et duas olivas; nec tamen intellexit quid haec significarent, unde dixit angelo v. 4: *Quid sunt haec, domine mi?* Et ab eo audivit: *Isti sunt quatuor venti.* Prophetas non intellexisse sua oracula docet s. Ambrosius lib. 1 de Abraham, c. 8. S. Augustinus lib. 7 de civit. Dei, cap. 33: *Prophetae, ait, quaedam intelligebant, quaedam non intelligebant. Sicut enim rex sua quaedam secretariis revelat, quaedam sibi servat, quae nulli prophetae patefecit: sic et Christus parabolarum quarumdam, et aliarum rerum secreta sibi servavit, quae nec apostolis, nec ulli alteri reseravit.* At Virgo Beatissima cuncta redemptionis nostrae mysteria exacte cognovit, non solum simplici intelligentia, sed ipso effectu, ipso experimento didicit. Vidit namque et experta 3

Prophetae sancti non omnia intellexerunt quae in spiritu viderunt.

Digitized by Google

est, se concepisse non opere humano, et se peperisse parvulum cum virginitatis honore. Non enim quod carne concepit, mente ignorare potuit. Hinc d. Bernardus hom. 4 super *Missus est*: *Soli datum est nosse, cui datum est experiri*. Unde Maria interpretatur illuminatrix, ut tomo superiore d. XCIV declaravimus.

4 Prophetarum variae cognitiones et visiones.

4 Quartus est, quod alii solo visu prophetias exciperent, ita ut uni tantum fieret apparitio, alteri vero revelaretur eius significatio. Sic Pharao vidit imagines spicarum, et vaccarum, Genes. 41, 1. Nabuchodonosor arborem proceram, quarum significatio aliis, scilicet Iosepho et Danieli fuit revelata. At Beatae Virgini, cui fiebat visio vel apparitio, fuit quoque revelata eius significatio. De visione b. Laurentius Iustinianus alicubi sic censebat: *Nec angelica tantum, verum etiam Filii visione ac colloquio exultavit; illi enim coelestis visio debebatur, cui incomparabilis inerat gratiae plenitudo.* De intelligentia b. Anselmus hom. sup. evang. Luc. c. 10 in hunc modum argumentatus est: *Christus, ut dicit Apostolus, est Dei virtus et Dei sapientia, et in eo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei; at Christus est in Maria; igitur omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei sunt in Maria.*

5 B. M. Virginis meditatio assidua fuit tam in somno quam in vigilia.

5 Quintus est, quod alii vigilando visiones habebant, alii solo externo audito verba Dei dicentis audiebant, uti Samuel: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus*, 1 Reg. 3, 10. Alii per imaginationem solum visa quaedam portendentia futura videbant, et vocem visionem explicantem audiebant, sicut Ieremias vidit ollam succensam, et mox audivit quid illa portenderet, nempe incendium, et excidium Ierosolymae, et aliarum gentium per Nabuchodonosorem. Alii solum res naturales, ut eventa et successus bellorum, regum, monarchiarum in visionibus cognoverunt, vel in vocibus audierunt. At B. Virgo omnes hos prophetiae gradus altius ascendit tum dormiendo. *Licet enim in ventre matris dormiret, somnus tamen, qui abyssat, et saepe in nobis liberi arbitrii actum eum minime impedivit, quin anima eius tunc libero ac meritorio actu tenderet in Deum.* Ita ait s. Bernardinus tom. 2, ser. 51, art. 1, c. 2. Hoc tamen intellexerim ego de B. Virgine post adeptum iam rationis usum. In ventre autem existenti Virgini usum rationis denegat s. Thomas 3 p. q. 27, art. 3, illudque privilegium soli Christo tribuit. Habuit quoque B. Virgo omnes prophetiae gradus vigilando. Ipsa enim quae Deum concepit, peperit, aluit, iugiter eius lateri adhaesit, super alios actuum eius insigniora opera conspexit, ac nedum per imaginationem, sed etiam per intuitivam cognitionem regni Dei mysteria specialius agnovit, secretius audivit, citius percepit, propensius retinuit, et apostolis aliisque discipulis locupletius edisseruit, diligentius retulit, melius et fidelius tradidit.

Rursus, non tantum mysteria vidit et verba audivit, sed et personam, loquentem et res demonstrantem prae oculis habuit; personam, inquam, non hominis, uti Ieremias et Onias apparuerunt Iudae Machabaeo, 2 Mach. 15, non angeli, quomodo vidit Ioannes passim in Apocalypsi, sed personam ipsius Dei. *Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*, Hebr. 1, 1. Ioannes Baptista plusquam propheta a Christo appellatur Matth. 11, eo quod Messiam, quem alii prophetae futurum praenuntiabant, ipse praedicavit, vidit, baptizavit, digito monstravit. Quanto magis B. Virgo plusquam prophetissa, quae eum quem prophetae praenuntiarunt, sola meruit concipere, in utero gestare, partum profusum alere, fovere, in praesepio reclinare, vestire, amplecti, ei longo tempore cohabitare; melliflua quoque eius verba audire, non solum in parabolis turbis loquentem, sed et discipulis seorsum, et sibi specialiter regni Dei mysteria revelantem percipere; eius itinera, labores, miracula videre; in cruce pendentem, expirantem, resurgentem, in coelos ascendentem aspicere. O femina super feminas benedicta, omnium mulierum sanctissima, prophetissarum princeps, prophetarum Regina, quae cum Deo tale commercium habuisti. Fac, o Virgo Sancta, ut Filium tuum quem in hac vita redemptionis nostrae mysteria operantem vidisti, regnum Dei praedicantem audisti, iam in coelis regnantem conspicias, nos quoque videre, eique perpetuo conregnare effice. Amen. 6

REGINA APOSTOLORUM

Apostolus quid significet.

Apostolus graeca vox (omissa illa metaphorica significatione qua iurisperiti utuntur, qua dare et petere apostolos aiunt, pro dare et petere litteras dimissorias) nuntium sive missum significat, non tanquam tabellarium, sed sicut legatum a Deo ter Optimo Maximo missum. Sunt autem huius generis duplices. Alii siquidem ad vetus testamentum pertinent, ut Moyses et prophetae, quos Tertullianus libro 4 contra Marcionem apostolos nominat, alii ad novum. Et hi vel e coelo in hasce terras missi sunt, cuiusmodi unicus est Dominus noster Iesus Christus, quem d. Paulus Hebr. 3, 1 *Apostolum* vocat. Vel e terra in terram. Et hi, vel a Christo hic in terris versante ad hoc munus praecipue delecti, cuiusmodi fuerunt duodecim discipuli de quibus Lucae 6, et alii septuaginta duo de quibus Lucae 10. Vel ab eodem iam in coelis regnante ad apostolatum vocati, cuiusmodi est d. Paulus, qui post Christi ascensionem in coelum ad praedicandum evangelium missus est. Vel ab eius vicario pontifice romano ad hoc munus destinati, cuiusmodi sunt illi, qui primi evangelium aliquam in regionem intulerunt, vel restituerunt. Unde s. Bonifacius dicitur apostolus Germanorum, s. Dionysius areopagita Gallorum, s. Severinus Noricorum, s. Martialis Aquitanorum, s. Augustinus monachus Anglorum, s. Adelbertus Polonorum et Pruthenorum, sanctus rex Stephanus Hungarorum, s. Xaverius Iaponum. Hoc loco apostoli nomen de sacro illo duodenario collegio, quod Christus lateri suo adlegit, intelligitur. Hi apostoli dicuntur, sive legati, ut iam legati summi pontificis vocantur nuntii vel legati a latere. Hi enim sancti apostoli a Christo non solum nuntiandi, id est evangelii praedicandi auctoritatem acceperunt, sed etiam baptizandi, peccata remittendi, fundandi ubique ecclesias, et presbyteros instituendi, rituum sacrorum et sacramentorum mandandi, prohibendi, puniendi quosvis fideles, scribendi libros canonicos, totumque ordinem Ecclesiae disponendi plenam obtinuerunt potestatem. Horum aliorumque omnium Beatissima Virgo Regina dicitur. Sed videndum est

Apostoli quotuplices sunt.

Apostoli diversarum nationum.

DISCURSUS CCCLXXXV

QUATENUS B. V. MARIA SIT ET DICATUR *REGINA APOSTOLORUM*

1 Apostolos ad constituendum novae fidei fundamentum, erigendumque Ecclesiae statum Christus ex toto genere humano elegit, ut in omnem terram exiret sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum, his Sanctissimam Virginem Matrem suam veluti Reginam constituit, quam dignitate, munere eis excellere voluit. Est itaque B. V. Maria Regina apostolorum, quia eos dignitate ac munere superat, et excellit.

1. Dignitate. Magna sane est apostolorum dignitas, qui prae- 2

Digitized by Google

Apostolorum dignitas.

cones Christi, athletae Dei, organa Spiritus sancti, religionis praesides, Ecclesiae principes, sanctitatis antistites fuerunt. At longe maior dignitas B. M. Virginis, utpote Matris Christi, Dei Optimi Maximi, quo titulo nihil dignius, nihil maius, nihil excellentius nedum dici, verum nec excogitari potest, ut statim dixi in expositione epitheti *Sancta Dei Genitrix*.

3 Apostoli Dei ministri.

2. Munere. Apostolatus ministerium est. Hinc unus ex apostolis 1 Cor. 4, 1 ait: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi;* et 2 Cor. 3, 6: *Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti;* et Act. 1, 25 apostolatus iungitur cum diaconio: *Accipere locum ministerii huius, et apostolatus.* Nec immerito, apostoli enim serviebant Deo et Christo in promulgatione et propagatione legis evangelicae. Hinc Isaiae 18, 2 apostoli dicuntur angeli: *Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam;* angelus autem est nomen officii et ministerii. Rursus Isai. 24, 16 *alae Dei* dicuntur: *A finibus terrae laudes audivimus.* In hebraeo est, *ab alis terrae.* Alae istae sunt prophetae et apostoli, qui ex utroque testamento exeuntes, et toto mundo volitantes Christum per mundum detulerunt, et legem eius evulgarunt. At B. V. Maria non ministra, sed Domina, non ancilla, sed Mater Regis regum, unigeniti Filii Domini nostri. Domina inquam, quia Domini Filia, Sponsa, Parens. Hinc *Maria* syriace, latine interpretatur *Domina* apud d. Athanasium in evangelio de Deipara. Apostoli Dei ministri, quia verbum eius per totum orbem gentibus disseminarunt: Maria Mater eius, quae ipsum tali generi humano protulit.

4 Ulterius B. Virgo Maria dicitur Regina apostolorum, quibus praesedit illos dirigens, consolans, confirmans, docens tum verbo, tum exemplo.

Dirigens. Apostoli post gloriosam Christi Domini nostri in coelos ascensionem erant velut novellae plantae nondum satis in sua rectitudine firmatae: opus igitur illis fuit directore, auxiliario, consiliario, qui melior esse non potuit quam Beatissima Virgo. Ipsa enim vera imago, et verum simulacrum Christi fuit, quam aspicientes apostoli viderentur quasi adhuc conspicere Christum praesentem in terris, et cum hominibus conversantem.

5 Consolatrix apostolorum B. V. Maria.

Consolans. Ingenti tristitia Ecclesiam militantem illo suo recessu Christus affecerat, quare necesse erat ad temperandum luctum apostolorum eis solatium relinquere. Nullum vero melius et commodius esse potuit, quam Virgo Sacratissima in qua velut viva imagine effigiata fuit tota virtus, humilitas, benignitas, caritas, modestia, patientia, etc. Filii. Igitur obses quodammodo pro Christo data fuit Maria apostolis. Solent qui ab amicis et caris discedunt, aut prolem, aut imaginem suam eis loco sui relinquere, ut si praesentem amicum non possint, umbram saltem illius intueri valeant. Ita Christus ex hoc mundo discedens illustrem sui vultus imaginem, et morum suorum sanctissimorum vivum simulacrum dedit, cum clarissimam Matrem suam apostolis in solatium reliquit. Quoties illa apostolos potenti sua prece ex periculis eripuit? quoties consilia et solutiones dubiorum eis ex alto impetravit? quoties moerentibus et afflictis solatio, et praesidio fuit? Credibile est, ait Busquerus sermone 81 de filio prodigo, sanctum Petrum post abnegationem Magistri exeuntem de domo pontificis ivisse ad Beatam Virginem, dixisse peccatum suum, quaesivisse consilium, consolationes, preces. Verisimile est, additum ipsi ab ea animum, erectam spem misericordiae, procuratam suis intercessionibus, forte alioquin non minus perituro quam Iudas.

S. Iacobo apostolo B. V. apparet.

Ribadeneira in vita s. Iacobi apostoli scribit: Cum sanctus apostolus in Hispania novem tantum animas ad Christum convertisset, et ob eam causam multum doleret, Caesaraugustae apparuit ei B. Virgo columnae insistens (quae adhuc vivebat sed in oriente) eumque solata est; Ecclesiam sibi eo in loco aedificari mandavit, eamque Hispaniae partem sibi devotissimam futuram praedixit.

6 Procul dubio B. Virgo Maria fuit apostolis quasi secundus et visibilis Paracletus, doctrix eorum, ipsorum bibliotheca, solatium, mediatrix ac refugium. Luna ipsis erat in media afflictionum nocte, stella maris ipsis erat in tempestate, arca foederis in medio exercitu qua erigebantur ad omnem pugnam. Sanctus Ignatius episcopus ad s. Ioannem evangelistam in Asia constitutum haec scripsit: *Quidam illic nobis referunt, Mariam Matrem Iesu omnium gratiarum abundantiam habere. Hinc illam esse in tribulationibus et persecutionibus hilarem, in penuriis et indigentia minime querulam, et iniuriantibus gratias agentem; denique molestatis laetatur, miseris et afflictis conflicto.* Haec ille. Nec mirum; ipsa enim in matrem, et patronam toti Ecclesiae data fuit, cum Christus e cruce dixerat Ioanni: *Ecce Mater tua,* et Matri: *Ecce filius tuus.* Tunc enim Ioannes typum gerebat christianorum, Maria vero Ecclesiae, quae est Mater nostra, ut superius abunde diximus. Optime ergo B. Virgo Maria officio matris functa est, cum apostolis, aliisque miseris fidelibus consilio et solatio fuit. Nullus ab ea tristis, nullus desertus, aut consilii, vel auxilii expers discessit.

Confirmans. Multa passuri erant apostoli pro Christi nomine post eius in coelos ascensionem: nusquam tuti erant a calumniis, iniuriis, irrisionibus, persecutionibus, flagellis, exilio, et ipsa morte. Capitale tunc erat esse christianum, ut nunc haereticum in Hispania, vel ubivis gentium patriae proditorem. Unde anno primo ab ascensione Domini facta est a Iudaeis persecutio magna in Ecclesia, in qua Stephanus lapidatus est, de qua Act. 7. Eodem die interfectum Nicanorem cum Stephano, aliosque bis mille christianos, tradit Dorotheus in synopsi, cui consonat quod divus Paulus Act. 26, 10 de seipso narrans: *Multos,* ait, *sanctorum ego in carceribus inclusi, a principibus sacerdotum potestate accepta: et cum occiderentur, detuli sententiam.* Multi censent hoc tempore sanctam Magdalenam cum sorore sua Martha, Marcella pedissequa, et fratre Lazaro, Maximino, et Iosepho ab Arimathaea a Iudaeis in christianos saevientibus navi sine velis et remis impositos Deo duce Massiliam Galliae urbem non sine miraculo appulisse, ibique Christi fidem propalasse. Ita ex actis sanctae Magdalenae ex Silvestro in Rosa aurea, et Petro de Natalibus refert Baronius t. 1, ad annum Domini 35. In tanta igitur Ecclesiae persecutione opus fuit fidelibus consilio, solatio, consilio magno. Maria igitur fuit eorum adiutrix, consolatrix et consultrix optima. Penes eam inveniebant consilii, solatii, auxilii copiam; ipsa enim efficaciter apud Deum pro eis intercedebat, ipsa suo exemplo eos animabat, iuvabat, confortabat. Vide quae superius diximus hac de re in epitheto *Causa nostrae laetitiae.* — 7 Persecutio primaevorum christianorum.

Nemini dubium esse potest, quin Pharisaei et Scribae pro suo plusquam vatiniano in eius filium odio, nondum morte eius exsaturati varie Mariam Virginem infamarent, varia opprobria, improperia dicerent, forsan seductoris, pseudoprophetae, furciferi, nebulonis, et cruciarii matrem eam appellantes. Certe Hieronymus e iudaeo factus christianus libro 2 adversus Thalmudistas scribit, Iudaeos Genitricem Salvatoris alii pollutam, alii publicam meretricem appellasse, apostolos vero, et Christi martyres lenones cognominasse. Haec omnia Virgo Sacratissima patientissime tulit; et sicut olim iuxta crucem invictissima stetit, ita nunc in ipsis suis crucibus velut marpesia cautes infracta stetit. Insuper fortitudinis ac patientiae exemplo apostolos, aliosque fideles ad patientiam excitabat. Ut olim foederis arca in castra producta Israelitarum animos miro confirmabat: sic haec viva Dei arca in medio Ecclesiae militantis relicta, miro tyrones Christi ad fortia, ad tolerantiam durorum, ad patientiam adversorum animabat. Quod olim Phocion dux atheniensis ab ingrata patria ad mortem damnatus Tudipum in eadem damnatione socium habens, sed animo fractum, aiebat: *Non tibi satis est cum Phocione mori?* ut scribit Aelianus lib. 12 variae hist. cap. 49, hoc tunc Maria ob ingratis Scribis et Pharisaeis conviciis lacessita vacillantibus forte apostolis, aut in fide novitiis dicere poterat: Non vobis satis est, non pulcrum vobis ducitis cum Domino, Deique vestri mori et pati? — 8 Iudaeorum blasphemiae in B. Virginem. — Fortitudo B. V. Mariae.

Docens tum verbo tum exemplo. Licet enim apostoli per revelationem Spiritus sancti omnem veritatem, et omnia mysteria edocti fuerunt; nihilominus plenius, perfectius, credibilius, eminentius, ac manifestius a B. Virgine eadem didicerunt, eodem spiritu Dei ita volente, et disponente, utpote ab ea quae non solum simplici intelligentia, seu scientia, sed etiam ipso effectu, ipso experimento mysteria Domini nostri Iesu Christi cognovit. Vulgo dicitur: *Experientia rerum magistra;* omnis enim nostra scientia ex pluribus experientiis collecta est, et ab experientia perficitur. Sciebat Deus quod Abraham timebat Deum, etiam antequam filium immolaret, et tamen post tentationem eius dixit: *Nunc cognovi, quod timeas Deum,* hoc est nunc re ipsa expertus sum et planissime cognovi, quod timeas Deum: loquitur enim Deus more hominum, qui cuius rei periculum fecerunt, id se perfecte cognovisse putant. Similiter sciebat Iob Deum non parcere delinquenti, priusquam incideret in illas calamitates; attamen id tunc dixit, cum expertus est: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti,* Iob. 9, 28 Rursus — Experientia rerum magistra.

B. V. Maria apostolorum magistra.

non ignorabat Petrus Deum non esse acceptorem personarum, nec ei deerat experimentum in seipso et condiscipulis, quos singulari beneficio ad apostolatum elegerat: tunc tamen id se in veritate comperisse dixit, cum Cornelium e gentilismo ad Christi fidem vocatum cognovit. *In veritate*, ait, *comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, et operatur iustitiam, acceptus est illi*, Actor. 10, 34. Ad eundem modum licet apostoli per Spiritum sanctum omnem fidem et omnem scientiam didicerint, et omnia redemptionis nostrae mysteria noverint; plenius tamen a B. V. Maria de eisdem informari poterant, quae ipsa experta fuerat, viderat, audiverat, et nonnulla cum Christo operata est. De modo concipiendi, gestandi, pariendi, vivendi ab incunabulis, tota infantia, pueritia, adolescentia Christi, ac denique morte et resurrectione quis plenius dicere, quis verius testari potuit? *Pluris est unus oculatus testis, quam auriti decem*, habet commune proverbium. Horum omnium B. Virgo oculatus testis erat; idcirco plenius, clarius, veracius de eis disserere poterat.

10 B. V. Maria s. Ioannis evangelistae magistra.

Credibile est Ioannem Christi discipulum tanquam custodem Virginis perpetuum, et filium adoptivum, cum ea in monte Sion longo tempore cohabitantem, plura sublimioraque de Christi divinitate mysteria ab eadem didicisse. Hinc prae ceteris evangelistis altius evangelium suum exorsus est, cum intonuit: *In principio erat Verbum*. In hac mente fuit d. Ambrosius, cum libro de instit. virg. c. 7 inquit: *Mirum non est prae ceteris Ioannem locutum fuisse divina mysteria, cui praesto erat aula coelestium sacramentorum*.

11 S. Lucae magistra.

Similiter s. Lucam evangelium suum, maxime quoad ea quae de s. Ioannis Baptistae conceptione et nativitate, de Gabrielis annuntiatione, de Christi incarnatione, et mysteriis ibi peractis, de cantico illo *Magnificat* ab eadem Virgine pronuntiato, de eiusdem partu, de Christi circumcisione, de eiusdem in templo praesentatione, de fuga in Ægyptum, de eius duodenni in templo in medio doctorum inventione, de eiusdem descensu in Nazareth, ubi erat subditus Matri et Ioseph, et aliis quae usque ad baptismum Ioannis scripsit, a Beatissima Dei Genitrice accepisse multorum constans opinio est. Ipsum probare videtur familiaritas, quam d. Lucas cum B. Virgine habere convincitur, ex eo quod tam accurate Virginem non semel, sed saepius depinxit, ut in discursu de imaginibus B. M. Virginis fusius monstrabam. Cum enim Virginem cum Filio infante pingit, probabile est eum multa de circumstantiis Filii infantis a B. Virgine rogasse; praecipue vero quae cap. 1, et 2 scripsit, ore ipsius Virginis eum accepisse credibile est. Quoniam non tantum materialia, sed etiam formalia verba canticorum Mariae, Zachariae, et Simeonis promit, quae, ut ego cum aliis opinor, a B. Virgine audivit. Hinc eum nonnulli Virginis notarium dicunt, teste Canisio lib. 5 Marialis, cap. 1. Quapropter s. Lucas initio sui evangelii ait: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerant sermonis*.

S. Lucae familiaritas cum B. Virgine.

12 B. V. Maria evangelistarum magistra.

Generatim omnes evangelistas a Deipara Virgine multa habuisse quae in evangelio nobis tradiderunt, Eusebius emissenus in evangelio de festo assumptionis notat: *Ab ipsa*, dicens, *haec apostoli audierunt, et ipsa dictante scripserunt, nobisque legenda mandaverunt*. Quis igitur evangeliis non credat? quis eis contradicere praesumat, quae aut Matris aut Filii auctoritate muniuntur? Pro hac opinione stat divus Hieronymus, sive ut alii volunt, Sophronius serm. de assumptione Beatae Mariae Virginis, s. Ildephonsus serm. 5 de assumpt. s. Bernardus serm. 4 super *Missus est*. Dionysius carthusianus idem luculenter docet 4, dist. 16, quaest. 2, ubi addit, felicissimum illud collegium centum viginti virginum eius obsequio atque regimini deputatum ab ea edoctum fuisse. Ex quo aliqui probabiliter colligunt, ea quae s. Marcus evangelista in Ægypto ad monachorum institutionem tradidit, de quibus Cassianus libro 2 de instit. renunc. cap. 5, ex Virginis magisterio, vel immediate, vel mediantibus apostolis accepisse. Quare d. Ignatius in epistola ad s. Ioannem evangelistam eam vocat *nostrae religionis et poenitentiae Magistram*, s. Augustinus serm. 6 de Temp. *Sponsam Christi et gentium Magistram*, et s. Birgitta in suis revelationibus in serm. angelico, cap. 19: *Virgo Maria*, ait, *erat magistra apostolorum, confortatrix martyrum, doctrix confessorum, speculum virginum, consolatrix viduarum, in coniugio viventium saluberrima monitrix, atque omnium in fide catholica perfectissima roboratrix*.

B. V. Maria christianorum primaevorum magistra.

13 Mulieres quos in fide instruxerint.

Insusurrabit aliquis illud 1 Timoth. 2, 12: *Mulieri docere non permitto*. Respondeo, id in ecclesia, in coetu publico, e suggestu; privatim tamen mulieribus docere haud vetitum. Sic Priscilla privatim domi maritum suum Apollinem in Christi fide instruxit, Act. 18. Sic Caecilia Valerianum sponsum suum fidem Christi docuit. Sic Natalis Adrianum, s. Monica Patricium, s. Martha Marium, Theodolinga Agilulphum Longobardorum regem, Clotildis Clodovaeum, Flavia Domitilla Flavium Clementem. Verissimum namque est s. Chrysostomi hom. 60 in Ioannem effatum: *Nihil potentius est muliere bona ad instruendum, et informandum virum quaecunque voluerit; neque tam leniter amicos, neque magistros, neque principes patietur, ut coniugem admonentem atque consulentem*, etc. Idem, immo plus sentiendum est de superbenedicta Virgine Deipara Maria.

14 Post Christi ascensionem quot annis B. Virgo manserit superstes, et quid egerit illo tempore.

Non minus exemplo quam verbo Deipara Virgo apostolis praeluxit. Egregia sane morum documenta eis Christus dederat; sed quantillo tempore? Triennio paulo amplius. At B. Virgo pluribus annis superstes in terra mansit, nempe, vel annis novem, ut Hyppolitus thebanus presbyter putat; vel duodecim, ut Vincentius; vel quatuordecim, ut Eusebius in chronico; vel quindecim, ut communis fert opinio. Non autem alio fine diutius in terra superstes fuit, nisi ut eius vitam moresque optimos apostoli, ceterique fideles intuerentur, et in se exprimerent. Nihil illa benignius, aut miseris succurrere paratius; nihil patientius, aut fortius; nihil humilius, nihil gravius, nihil religiosius. Quot illa suo exemplo a vitiis ad virtutem adduxit? quot miseris sua intercessione succurrit? quot ignorantes docuit? quot errantes in viam rectam reduxit, quis digne enarrare sufficiat? Non immerito sanctus Ambrosius libro 2 de virginibus eam appellavit *formam disciplinae, normam virtutum, totius figuram probitatis*.

15 Ad Salomonem olim sapientissimum inter ceteros qui ad eum videndum et audiendum confluebant, Sabaeorum regina e remotissimis regionibus venit, multaque donaria ex auro, gemmisque pretiosis ei obtulit, 3 Reg. 10. Idem cum Maria Domina nostra factum est, ut in superiore tomo vidimus, et exemplo s. Dionysii areopagitae, illius aevi Salomonis, aliisque probavimus. Diva namque Virgo plus quam Salomon fuit, et plura eaque graviora mysteria hominibus reseravit.

16 Voluit autem Deus Matrem suam apostolis primisque fidelibus in exemplum dare, tum ut vitam suam, moresque eius in ea velut imagine viva contemplarentur; tum ut doceret viros, non praestare quod femina. Beata igitur Virgo Maria sexu fragilis ad normam evangelii vitam agens docuit evangelio non impossibilia praecipi, sed perfecta. Sed ut res manifestior fiat, probandum est B. Mariam Virginem Reginam apostolorum fuisse ex cultu, veneratione, studiis et obsequiis, quae ei sancti apostoli uti Reginae suae detulerunt. Quare videndum est

DISCURSUS CCCLXXXVI

QUIBUS STUDIIS, OBSEQUIIS, ET QUA VENERATIONE SANCTI APOSTOLI COLUERINT, ET REGINAM SUAM B. M. VIRGINEM ESSE PROTESTATI FUERINT

1 Honor et obsequia a sanctis apostolis B. Virgini delata non obscurum testimonium perhibent, eam Reginam apostolorum esse; regibus namque praecipue honor defertur iuxta monitum Petri apostoli 1 epist. cap. 2: *Regem honorificate*. Ab apostolis igitur primis Ecclesiae patribus B. Virgini honor delatus eam Reginam esse apostolorum luculenter ostendit. Inter apostolos devotionem suam erga B. Virginem testatus est

2 S. Petri apostoli studium erga B. Virginem.

1. *S. Petrus apostolorum princeps*. Hic cum adhuc in Syria moraretur in antaradensi civitate, quae nunc Tortosa dicitur, Deiparenti Virgini sacellum erexit ex aere a christianis collato. Id tradunt graves auctores, Iacobus de Vitriaco cardinalis in sua historia orientali, Adrianus Iunius in sua nomenclatura, Thomas waldensis cap. 81, Raphael volaterranus lib. 2 geograph. ubi addit, in eodem sacello b. Petrum primo sacrificasse.

Idem apostolorum princeps, ceteris apostolis cooperantibus, virginalem domum seu cubiculum, in quo Deipara genita et educata est, in quo Verbum caro factum est, quod nunc Loreti religiosissime colitur, in templum consecravit, et in templi formam redegit. Annales flumenses apud Angelicam.

Idem s. Petrus in sacrificio missae primus commemorationem Virginis introduxit, ut constat ex liturgia latina, seu romana,

Digitized by Google

quam beati Petri esse tradit Leo III pontifex maximus in epistola ad Michaelem, et post illum s. Thomas 3 p. q. 78, art. 2 ad 5.

3 S. Pauli apostoli studium erga B. Virginem.

2. *S. Paulus apostolus et doctor gentium.* Hic in suis epistolis Beatissimam Virginem honorifico nominat, cum ad Galat. 4, 4 scribit: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Quibus verbis ex mente s. Cyrilli ierosolymitani episcopi adstruit eius virginitatem; non enim dicit ex viro et muliere, sed ex muliere dumtaxat, hoc est ex Virgine, ut superius exposuimus, cum locum istum ponderavimus. Significat ergo Apostolus Christum sine patris semine conceptum, et formatum ex sola matris substantia, et purissimo sanguine. Indicat etiam Christum corpus non sumpsisse e coelo, quod transeundo per B. V. Mariam tanquam per canalem in terram detulerit, ut olim impie dogmatizabant Valentiniani, et modo Anabaptistae. Satis ergo digne sanctus Paulus B. Dei Genitricem honoravit, cum eius virginitatis et maternitatis assertor extitit.

4 S. Iacobi maioris devotio erga B. Virginem.

3. *S. Iacobus maior.* Hic Beatam Virginem honoravit, cum ei adhuc in terris degenti Caesaraugustae in Hispania templum erexit, quod narrant Antonius Beuterus in chronic. hisp. cap. 23, Ioannes de Pineda in monarch. eccles. lib. 10, c. 2, parag. 4, Vasaeus in chronico hispano, Hieronymus Blanca in commentariis rerum Aragoniae ad annum Domini 1118, Sigonius in hist. italica, Bzovius libro 2 de signis. Ribadeneira in vita s. Iacobi

B. Virgo s. Iacobo apostolo apparet.

ram gestam narrat. Cum sanctus apostolus in Hispania novem tantum incolas ad Christum convertisset, et ob eam causam multum doleret, seque orationi daret, Caesaraugustae apparuit ei B. Virgo columnae insistens (quae adhuc vivebat sed in oriente) choro angelorum suavissime canentium stipata, dicensque: Hoc in loco aedificabis ecclesiam, eamque meo nomine insignies, quia haec Hispaniae pars erit mihi devotissima, et ex nunc eam in meam protectionem accipio. Paruit Apostolus, et aedificavit sacellum, quod etiamnum *Sanctae Mariae in columna* nuncupatur. Atque inde per novem hosce eius discipulos secuta est totius Hispaniae conversio, illeque religionis flos, decor et robur iure reges Hispaniae catholici cognominentur.

5 Liturgia b. Iacobi apostoli.

4. *S. Iacobus minor.* Hic quo studio B. V. Mariam coluerit, liquet ex sacra illius liturgia, in qua Sanctissimae Matris honorificentissime meminit, eiusque laudes mirum in modum praedicat. Post multam Deiparae invocationem his eam verbis salutat: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, quia Salvatorem peperisti animarum nostrarum.* Et post preces aliquas ita B. Mariae opem inclamat: *Commemorantes sanctissimam, immaculatam, gloriosissimam Dominam nostram Matrem Dei, et semper Virginem Mariam.* Et iterum inferius: *Commemorationem agamus sanctissimae, immaculatae, gloriosissimae, benedictae Dominae nostrae Matris Dei, et semper Virginis Mariae.* Postea chorus ita respondet: *Dignum est ut te vere beatam dicamus, Deiparam semper beatam, et omnibus modis irreprehensam, et Matrem Dei nostri honorabiliorem quam cherubim, et gloriosiorem quam seraphim, quae sine corruptione Deum Verbum peperisti, te vere Deiparam magnificamus.* Vide quam praeclare, quam eximie apostolus iste B. Virginem laudaverit.

6 S. Ioannis evangelistae affectus erga B. Virginem.

5. *S. Ioannes evangelista.* Hic qua devotione B. V. Mariam coluerit, facile conici potest ex eo quod filius eius adoptivus fuit, quem illa in filium suscepit, et ipse vicissim illam in matrem, Ioann. 19, 26, 27; quam et secum Ephesum duxit ab ascensione Christi, cum facta est apostolorum divisio, ut testantur patres Concilii ephesini. Quam et inde Ierosolymam paulo post reduxit, neque enim diu Ephesi in Asia commoratus est. Idem ab ea multa didicit, ut et ceteri evangelistae, de Christi mysteriis et actibus; immo plus ceteris didicit. Unde non mirum, ait Ambrosius lib. de instit. virg. c. 9, *prae ceteris locutum mysteria divina, cui praesto erat aula caelestium sacramentorum.* Idem frequenter cum B. Virgine mortalibus apparuit, ut in hoc opere saepius meminimus. Non piget adhuc vel unum exemplum proferre.

B. Ioannem ingens ingessit cupido videndi Virginem, postquam in coelos esset invecta. Igitur ab se abreptus spectavit cum Filio Matrem, et audivit eamque de illius tormentis in cruce toleratis, atque de ingenti sua erga illum commiseratione disserentem. Filio deinde supplicavit, ut coeleste quoddam munus, idque non vulgare, omnibus impertiret, qui pie harum rerum meminisset. Filius mox haec quatuor dona spopondit; primum erat, ut quisquis B. Virginem per eius dolores precaretur, is ante obitum de peccatis dolorem verum impetraret. Alterum fore, ut ipsius, maxime instante morte, praesidia muniretur. Deinde se eius cordi supplicia sua inscripturum, et ideo mercedem magnam aliquando praestiturum. Denique se Matri ius omne dare, et facultatem pro tali quidlibet impetrandi. Pomer. libro 3 de B. M. Virgine p. 4, num. 4.

7 S. Andreas quam eximie coluerit B. Virginem.

6. *S. Andreas apostolus.* Hic quam eximie B. M. Virginem coluerit, luculenter ostendit, cum morti iam proximus dignam illam de Virgine protulit sententiam: *Sicut primus Adamus formatus fuit ex terra, antequam esset maledicta: ita secundus formatus est ex terra virginea nunquam maledicta.* Quam deinde sententiam non pauci, neque ignobiles doctores usurparunt ac celebrarunt, eaque puritatem Beatae Mariae Virginis comprobarunt.

8 S. Matthaei apostoli et evangelistae affectus erga B. Virginem.

7. *S. Matthaeus apostolus et evangelista.* Hic quam impense B. M. Virginem dilexerit et coluerit, luculenter monstravit, cum dignitatem eius brevibus, sed praegnantibus verbis initio sui evangelii descripsit, dicens: *De qua natus est Iesus qui vocatur Christus.* Omnis eius privilegia collegit, et omnes praerogativas complexus est, cum dixit, ex ea natum fuisse Iesum.

B. Thomas a Villanova haec verba ponderans aiebat: *Sufficit ad eius plenam historiam, quod scriptum est, qua de illa natus est Iesus; quid amplius, quid ultra requiris in Virgine? Sufficit tibi quod Mater Dei est.* Haec est virgineae laudis summa. Unde cum de ea audis quod Dei Mater sit, debes inde reliqua colligere sicut ex ungue leonem.

9 Sancti Simon et Iudas apostoli B. Virgini addicti.

8. *Sancti Simon et Iudas apostoli.* Hi erant nepotes Deiparae ex parte Iosephi, et filii Mariae et Alphaei; unde non poterant non magno animi studio ferri in Virginem, licet amoris, et observantiae eorum in Scriptura nulla argumenta extent.

10 Apostoli quantum honoraverint B. M. Virginem.

Summa est, omnes sanctos apostolos Beatissimam Virginem velut Reginam, ac Magistram suam impense veneratos fuisse. In symbolo honorificentissime eam commemorant. *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine,* quae est Deiparae laus praestantissima, ut iam attigimus, et superius abunde docuimus. Deinde in praedicatione cultum eius mirifice promoverunt. Quod omnes sancti per omnes aetates ab initio nascentis Ecclesiae Deiparae Virgini addicti fuerint, apostolorum studio adscribi debet; hi enim laudes, pietatem et cultum eius per universum orbem propagarunt, et certatim sunt prosecuti.

11 Evangelistae quantum honoraverint B. M. Virginem.

Sancti quoque evangelistae dum Christi divinitatem adstruunt, nonne Matrem eius Dei Genitricem declarant? cum humanitatem eius extollunt, nonne ex purissimo Virginis sanguine acceptam affirmant? cum Christum a pastoribus, a magis, ab angelis adoratum tradunt, nonne hoc totum in honorem Matris eius derivant? cum Christum miraculis, doctrina, exemplis mundum illustrasse, passione sua, ac pretioso sanguine de satanae potestate eruisse, a mortuis victorem resurrexisse, omnem potestatem in coelo et in terra accepisse, in coelos ascendisse, ad dexteram Patris consedisse, et Spiritum sanctum apostolis misisse, et id genus alia innumera vel miracula, vel beneficia, vel facta egregia divinitus edidisse scribunt, nonne haec omnia ad eximiam Matris gloriam cedunt? Conducit valde ad commendationem et gloriam parentum praestantia filiorum; tunc enim parentes sibi magnam gloriam acquirunt, cum eos genuere filios qui virtute, et dignitate praecellentes sunt. Hinc monebat Sapiens Proverb. 29, 17: *Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animae tuae.* LXX vertunt, *et dabit ornatum animae tuae.* Totum igitur quod de Christo apostoli et evangelistae dixerunt, in honorem, ac dignitatem, nec non ornatum Matris eius redundasse credendum est.

Postremo sancti apostoli B. V. Mariae honorem detulerunt, cum omnes, excepto Thoma et Iacobo, ab Herode iam occiso sub mortem eius ad eam divina potentia ex diversis regionibus congregati confluxerunt, et tanquam Reginae suae iusta persolverunt. De quo honore nos superius plura diximus, cum felicem mortem Deiparae Virginis contemplati sumus. 12

Exemplo apostolorum omnes fideles, sed praecipue apostolorum successores, summi pontifices, aliique Ecclesiae praesules B. V. Mariam impense coluerunt, submisse venerati sunt, suaque obsequia devote ei detulerunt. Age nomina eorum notemus, et devotionem praedicemus.

—

DISCURSUS CCCLXXXVII

QUO STUDIO QUIBUSVE OBSEQUIIS SUMMI ECCLESIAE PRAESULES ROMANI PONTIFICES BEATAM DEI GENITRICEM COLUERINT AC VENERATI SINT

1 Pontifices romani quo studio B. Dei Genitricem coluerint.

Romani pontifices, Christi vicarii, Petri successores, merito apostolis connumerantur, qui apostolici pontifices ab omnibus appellantur, et sedes eorum apostolica, manus quoque eorum apostolatus dicitur. D. Bernardus lib. 3 de consideratione ad Eugenium papam illa verba d. Pauli, *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos*, intelligit de pontificia auctoritate. Sicut ergo apostolis succedunt in munere, sic etiam plurimi eorum successerunt iisdem in pietate erga B. M. Virginem. Horum nomina recensere placet; haec enim res, ut opinor, magno erit argumento rudioribus praesertim, qui facile dolis haereticorum deluduntur, irretiuntur, a vera religione, et a cultu ac devotione erga Deiparam Virginem avertuntur, ut exemplo tantorum praesulum B. V. Mariam secundum Deum impensius ament, studiosius colant, propensius ei serviant, et ferventius sub ecclesiae romanae obedientia et disciplina se se contineant. Primus igitur in medium prodeat post d. Petrum aliosque eius successores

2 S. Callisti papae studium erga B. Virginem.

1. S. Callistus I, qui studii sui erga Deiparam Virginem non obscurum testimonium dedit, cum ecclesiam S. Mariae trans Tyberim aedificavit, eamque immaculato eius partui dicavit. Locus hic trans Tyberim is est, unde paulo ante Christi ortum Augusti tempore fons olei miraculose scaturivit. De quo miraculo nos tomo superiore plura dixisse meminimus. Vide Baronium tom. 2 ad annum 224.

3 S. Hilarii papae devotio in B. Virginem.

2. S. Hilarius I pontifex, qui devotionis suae erga Deiparam Virginem luculentum testimonium dedit, cum in basilica constantiniana, vel ad Sanctam Mariam recondidit scyphum aureum, ansatum, pensantem libras octo; scyphos per titulos viginti quinque pensantes libras decem; hamas argenteas viginti quinque pensantes libras decem; calices ministeriales quinquaginta pensantes singulos libras duas. Idem pontifex conscripsit tres epistolas de fide catholica, quibus tria Concilia nicaenum, ephesinum, et chalcedonense confirmavit, in quibus Eutychen, Nestorium, Dioscorum, eorumque asseclas Deiparae Virginis infensissimos hostes condemnavit, honoremque eius, ac eximium titulum *Theotocos* egregie defendit. Ex vitis summorum pontificum.

4 S. Innocentii papae devotio in B. Virginem.

3. S. Innocentius, huius nominis primus, qui devotionem suam erga Deiparam Virginem prodidit, cum constituit, ut sabbato ieiunium servaretur, eo quod tali die Christus in sepulcro iacuisset, et quod eius discipuli ieiunassent, et maxime Deipara (quo etiam respexisse pontificem verisimile est) omnium discipulorum magistra, apostolorumque vice Christi caput, et quae in luctu mortis Christi principem locum tenebat. Ex vitis summorum pontificum apud Platinam.

5 S. Coelestini papae affectus erga B. Virginem.

4. S. Coelestinus invictus dignitatis Matris Dei defensor fuit contra Nestorium, qui etiam non Dei, sed hominis tantum Matrem mentiebatur: qui a Concilio ephesino cui per legatos praeerat Coelestinus, damnatus est. Ex vitis summorum pontificum.

6 S. Leonis papae amor erga B. Virginem.

5. S. Leo magnus, qui amoris sui erga Deiparam Virginem monumentum reliquit, cum eius honorem a Nestorianis et Eutychianis in infensissimis eius adversariis egregie propugnavit, et totum se ad propagandum Dei et Matris eius cultum, et fidem orthodoxam dilatandam et firmandam contulit. Quare Concilium chalcedonense indixit, ubi sexcentis triginta coactis episcopis Nestorius, Eutyches, et Dioscorus haeretici damnati sunt: haeretici vero in perpetuum condemnati. Antonius de Balinghem die 11 aprilis.

7 S. Gregorii papae pietas erga B. Virginem.

6. S. Gregorius magnus, qui tanti B. V. Mariam habuit, ut eam montem in vertice montium, alludens ad verba Isaiae cap. 2, appellaret lib. 1 in lib. 1 Reg. cap. 1. Idem suis concionibus templum S. Mariae maioris, ut vocant *ad praesepe*, decoravit, atque supplicationes publicas illic habere iussit, in quibus ob barbarorum incursiones, et ad pestis saevitiam arcendam litaniae decantarentur. Mitto reliqua quae idem in Deiparae honorem constituerit, se in Ecclesia decantanda reliquerit, quantique sacras Mariae imagines amicis religionis ergo donatas fecerit, ac etiam publice circumferri probaverit.

Idem d. Gregorius imaginem Deiparae a d. Luca depictam ad Leandrum hispalensem episcopum misit, quae hodie Guadalupae in Hispania in toto orbe nominatissimo templo colitur, estque variis miraculis, quae sacrae aedis ambitu continentur, celeberrima. Illa ipsa imago est, de qua superius fusiorem sermonem habuimus, cum de guadalupensi imagine in Hispania historiam texuimus.

7. Ioannes VII pontifex. Hic Romae ecclesiam S. Mariae Novae restituit et exornavit, in cuius summo altari imago eiusdem Deiparae a s. Luca picta colitur, quae, cum templum hoc Honorio III pontifice conflagrasset, nihil ex incendio est passa. Idem pontifex in d. Petri basilica sepultus est ad altare Deiparae Virginis, cuius et statuam in medio variarum imaginum in oratorio a se in eodem templo estructo (quas brevitatis causa omitto) opere tessellato collocarat gravi vultu decoram, armillis et coronis ornatam, expansis manibus, graeco ritu, habitu coloris castanei, staturae palmorum quindecim. Ad eius dexteram stabat erectus idem Ioannes VII vestitus planeta, et ornatus pallio, habens in capite quadratum diadema, et oblatum manibus offerens Deiparae ipsum oratorium cum hac inscriptione: 8 Ioannis VII papae studium erga B. Virginem.

Ioannes indignus episcopus fecit,
Beatae Dei Genitricis servus.

8. Urbanus II. Hic laudatissimus pontifex atque eximius B. Virginis cultor in Apulia ecclesiam in eius honorem dicavit, et privilegiis munivit: eoque auctore horariae illae preces, quae vulgo B. M. Virginis officium vocari consuevere, non tantum a clericis, sed etiam a laicis pro auxilio contra Saracenos obtinendo recitari coeperunt, contra quos trecenta christianorum millia, accepta prius ab eo benedictione, arma sumpserunt, Asiam invaserunt, captisque oppidis, devastarunt. Auctores vitae eius. 9 Urbanus II papa B. Virginis cultor eximius. Officium B. V. Mariae.

9. Innocentius II, qui affectum suum erga Virginem declaravit, primo cum Ordinem canonicorum regularium s. Augustini in antiquissima canonica S. Mariae *de Rheno* prope Bononiam reformavit atque firmavit. Secundo, cum monasterium undenstorfense in Bavaria Ordinis d. Augustini canonicorum in honorem B. M. Virginis aedificatum confirmavit. Ex eius vita. 10 Ordo canonicorum regularium s. Augustini reformatus.

10. Coelestinus III, qui ex propensiore studio quo tenebatur erga cultum venerandae, et miraculis clarae Dei Matris, quae fuerat Gallae Placidae, illam in ecclesia S. Mariae *in porticu* collocavit, et iuxta illam hospitalem domum infirmorum aedificavit, et reditibus locupletavit. De hac imagine superius egimus. 11 Coelestini III papae studium erga B. Virginem.

11. Gregorius IV, qui devotionis suae in B. M. Virginem exemplum dedit, cum armis Friderici imperatoris exagitatus decrevit, ut hymnus *Salve Regina* certis divinae rei horis adderetur, et ut laudes B. V. Mariae speciali oratione in matutinis celebrarentur, et salutatio eiusdem tum mane, tum vespere, data signo campanae, ab omnibus genu flexo repeteretur. Balinghem die 23 augusti, n. 2. 12 Gregorius IX antiphonam *Salve Regina* post horas recitari constituit.

12. Honorius IV, qui amorem suum erga Virginem declaravit, cum fratres B. M. Virginis de monte Carmelo monitu ipsius Deiparae sibi in visione apparentis defendit, et benigne fovit, de quo nos superius fusiorem sermonem habuimus, cum de carmelitanis tractaremus. 13 Honorius IV carmelitarum Ordinem fovit.

13. Urbanus V laudatissimus pontifex, qui V. Mariae obsequium detulit, cum apud Mimatenses Divae Virginis episcopalem aedem augustissimam sumptibus suis instauravit, vasaque ex auro et argento purissimo, auratas vestes et omnis generis instrumenta ecclesiastica donavit; quae eadem praestitit ecclesiae sancti Privati ibidem. Collegium canonicorum in vico cui *Quaesaco* nomen est, ad Tarnem auriferum instituit, dicavitque Divae Deiparenti. In monte Pessulano de novo fundavit, construxit, et dotavit basilicam Dei Genitricis. Quolibet sabbato toto anno, ut feria 4, et 6, aqua et pane vitam tolerabat. Roma in Galliam profectus secum tulit capillum B. V. Mariae. Inter plurimas a Dei Genitrice revelationes factas s. Birgittae una est de Urbano. Antequam Urbanus V moreretur, s. Birgitta Romae tunc existens intellexit pontificem velle, Roma deserta, Avenionem omnino redire. Itaque in visione audivit B. V. Mariam sibi dicentem: Papa vult relinquere sedem romanam, et Avenionem reverti. Sed si fecerit, statim morietur, rationem sui discessus Deo redditurus. Eam revelationem curavit per pontificis confessarium ei renuntiari, ille tamen, fatis et cardinalibus urgentibus, Avenionem reversus defunctus est anno Domini 1320. Gobellinus ex libro revelationum. 14 Urbani V papae pietas erga B. Virginem.

14. Gregorius XI, qui insigne amoris erga Deiparam reliquit, cum Ordinem olivetanorum, qui totus est B. Virginis, vocaturque 15 Gregorius

XI Ordinem olivetanorum confirmat.

congregatis S. Mariae Montis-oliveti, confirmavit. De quo Ordine et eius auctore nos superius sermonem habuimus.

16 Bonifacii VIII papae corpus multis annos incorruptum.

15. Bonifacius VIII, qui non levia in Deiparam affectus argumenta demonstravit, cum imaginem Deiparae vermiculato opere ad d. Petri basilicam collocavit. Cum anno Domini 1606, a morte ipsius trecentis et duobus annis, sepulcrum eius aperiretur, repertum est corpus eius integrum et incorruptum, in quo nonnisi extremum nasi desiderabatur, et in fimbriis albae in qua sepultus iacebat, visebantur auro et serico acu pictae historiae annuntiationis, visitationis, nativitatis, inventionis Christi a Matre in medio doctorum, devotionis eius erga B. Virginem non levis documenta. Antonius de Balinghem die 11 octobris, num. 3.

17

16. Benedictus XI, qui affectus sui erga B. V. Mariam copiam reliquit, cum Ordinem servorum B. M. Virginis approbavit. De quo Ordine nos superius diximus.

18 S. Petrus Coelestinus papa B. Virgini carus.

17. S. Petrus Coelestinus, qui cum totius orbis admiratione, et rarissimo humilitatis exemplo summo pontificatu sponte se abdicavit. Quanto fuerit studio erga B. Virginem ipsa declaravit, cum ei adhuc puero cum s. Ioanne evangelista saepe se visendam exhibuit ei dulciter canens, librumque e manibus, quem lectitabat, tollens. Praeterea cum triennis tantum esset, ligno acuto in dextro oculo percussus et excaecatus, a Deipara Virgine visum recepit. Petrus de Aliaco cardinalis in eius vita.

19

18. Urbanus VI. Hic observantiae suae erga B. V. Mariam documentum dedit, cum natali die Virginis aedem lauretanam visitantibus cumulatissimam delictorum indulgentiam impertivit. Tursellinus de aede lauretana.

20 Ioannis XXII papae studium erga B. Virginem.

19. Ioannes XXII, qui, ut ter quotidie campanae a mane ad vesperum pulsarentur, ut quisque ter salutationem angelicam recitaret, instituit. Idem Avenione capellam Dei Genitricis titulo *de miraculis* aedificavit, et perpetuos ibidem capellanos fundavit hac occasione. Duobus Avenione (ubi tum degebat pontifex) pro crimine pessime commisso, uno sene, et altero iuvene, igni adiudicatis, atque ad columnam ligatis, igneque accenso, iunior ad invocationem Deiparae, seniore exusto, illaesus exiit. Polidorus l. 6 de inventor. c. 12, et Richardus cluniacensis in Ioanne XXII.

21 Martini V papae devotio erga B. Virginem.

20. Martinus V, qui multa devotionis suae erga Virginem specimina edidit. Primo visitantibus aedem Deiparae lauretanam indulgentias impertiit. Secundo solemnes nundinas ad laudem et gloriam lauretanae Virginis Recanate instituit, ratus fore, ut ob locorum propinquitatem recanatensis emporii celebritas augeret lauretanae domus devotionem. Tertio Mediolani cathedralem ecclesiam, quae eleganti forma, admirabili arte, immensa magnitudine excellit, in honorem Deiparae Virginis, cum e constantiensi Concilio rediret, consecravit. Quarto Romam proficiscens, quo tempore Florentiae haesit, iconem prodigiosam Deiparae in templo servitarum frequenter visitavit, ad altare frequenter sacra fecit, et locum illum sinaeis sericis auro intextis, et sacra supellectili, aliisque ornamentis summo pontifice dignis exornavit. Cum Florentinos ob nonnullas causas aliquando interdicto subiecisset, unum illud altare in quo imago B. Virginis prostat, reservavit, ad quod tunc omnes Florentini tanquam ad unicum animae solatium recurrerent. Quinto antequam Romam concederet, basilicam S. Mariae novam metropolitanam a se confectam, nec non templum S. Mariae *Novellae* consecravit. Ex eius vita apud Platinam, Ciaconum, Archangelum Gianum in annalibus servitarum, et apud Antonium de Balinghem die 20 februarii.

22

21. Callistus III, qui lauretanam aedem adversus Turcarum incursiones communivit, atque Lauretum aggeribus cinxit.

23 Paulus II B. Virgini lauretanae devotus.

22. Paulus II, qui quanta devotione teneretur erga Virginem adhuc cardinalis existens declaravit. Pestilentia ictus in sacrum Deiparae lauretanae sacellum se deferri iussit. Ubi dum ardenter pro salute precaretur, fama est ab eo in quiete Deiparam visam, eamque vitae incolumitatem promisisse, quin et ipsum summum pontificem propediem futurum. Quod utrumque probavit eventus. Itaque pontifex factus haud immemor beneficiorum, lauretanum templum, vetere disturbato, moliri instituit, ac pene ad fastigium perduxit. Varias illi loco indulgentias impertivit, ac lauretanam aedem eiusque ministros, ceterasque res ad eam pertinentes ab episcopi recanatensis iurisdictione exemit, atque in suam Sedisque apostolicae tutelam recepit. Sacerdotibus lauretanis facultatem dedit absolvendi peregrinos a casibus reservatis. Tursellinus in historia lauretana lib. 2, c. 1.

23. Xystus IV, qui satis luculentum suae pietatis erga V. Mariam testimonium dedit, cum sacrum rosarii institutum per beatissimum patriarcham nostrum Dominicum adinventum, sed vel hominum negligentia, vel daemonis arte iam pene extinctum, et rursum per fratres Ordinis praedicatorum restitutum innovavit, approbavit, confirmavit et indulgentiis decoravit, ut patet ex eius bullis duabus apud Valerianum lithuanidem. 24 Xysti IV papae pietas erga B. Virginem.

Idem Xystus IV observantiae suae erga B. V. Mariam exemplum dedit, cum festivitatem conceptionis B. V. Mariae in ecclesiam romanam introduxit, et eam celebrantibus, missam et officium devote audientibus indulgentias impertivit. Quo facto, tantam devotionem erga conceptionem immaculatam B. M. Virginis in animis hominum ingeneravit, ut nunc etiam rudes, etiam pueri balbutientes, et vix christianorum rudimentorum periti in publicis sermonibus, et privatis conventibus B. V. Mariam ab omni originalis maculae labe in sua conceptione immunem extitisse profiteantur, oppositamque sententiam audire non sustineant. Hac de re plura diximus superius, cum de festo conceptionis B. M. Virginis ageremus. Festivitatis conceptionis immaculatae B. Virginis in romana ecclesia auctor Xystus IV papa.

24. Alexander VI, qui licet ab haereticis, et nonnullis catholicis nimium credulis in variis accusetur; pium tamen fuisse vel hoc solum indicat, quod Sanctissimum Sacramentum Eucharistiae globo aureo inclusum perpetuo ad collum appensum gestabat; sive providens Dominum exemplo Davidis coram se semper omnium actionum inspectorem et iudicem; sive praesidium et amuletum ad omnia, quibus cingebatur, pericula; sive denique (quod priscis christianis in more erat) viaticum praesentaneum ad itinera aeternitatis. Antonius Caracciolus in vita Pauli IV. Eiusdem pontificis pietatem auxit praecipuus cultus Deiparae Virginis qui vel maxime tunc enituit, cum in imminentibus periculis a Carolo Gallorum rege ad humanam prudentiam et divinum perfugium recursum etiam ad Deiparam Virginem adiecit, votisque conceptis statuam suam in templo Deiparae annuntiatae Florentiae ante eius imaginem suspendi iussit. Haec statua summo artificio ad vivum elaborata, Florentiam allata, solemni pompa, praecinentibus tubis excepta est, et conspicuo in loco exposita ad haec usque tempora visitur, monumentum perenne spei quam pontifex gravissimis in periculis in Sacratissima Virgine reposuerat. Gianus in chronico apud Balinghem. 25 Eucharistia in globo aureo inclusa ab Alexandro VI papa perpetuo ad collum gestatur. Alexandri VI papae pietas erga B. Virginem.

25. Iulius II, qui luculentus Beatae Virginis amator lauretanam eius aedem in suam tutelam recepit, eamque pontificum sacellum appellavit. Sacra ibi officia solemni ritu, similiter ut Romae in sacello pontificis, peragi iubens. Lauretani templi ministris indulsit ut pontificii familiares et convictores essent. Annonam et alia venalia Lauretum deferentes ab omni portorio, ac vectigali liberos esse voluit. Idem pontifex, B. M. Virgine lauretana invocata, a bombardae ictu protectus eam variis donis coluit. Alia Iulii II in Deiparam grati animi monumenta vide in historia lauretana lib. 2, cap. 12, et 14. 26 Iulius II Virgini lauretanae devotus.

26. Leo X, qui quam addictus fuerit cultui B. Virginis contestatus est, cum omnia superiorum pontificum beneficia, hoc est indulgentias, immunitates lauretanae aedi concessas, edito diplomata ratificavit, atque alia concessit. Lauretanam ecclesiam collegiatam esse voluit, ubi duodecim canonicos, totidemque sacerdotes assiduos, quos mansionarios vocant, constituit. Omnes indulgentias stationum romanarum sacrae aedi lauretanae Virginis concessit. Votum adeundi sacram illam aedem indispensabile, ac quinque illa alia, quae vulgo in iubilaeis excipi solent, esse voluit. Eandem aedem egregiis ornamentis donisque decoravit. Sacellum illud cunctis venerabile extrinsecus marmore candido pretioso vestivit; Lauretum insuper moenibus cinxit. Vide historiam lauretanam Tursellini lib. 2, c. 17. 27 Leonis X studium erga B. Virginem.

Eiusdem pontificis pietas erga B. Virginem reluxit, cum anno Domini 1518 Urbe undique Turcarum metu perculsa, ad impetrandam contra eos christianorum principum concordiam miraculosam Deiparae imaginem ex Sancta Maria *in porticu* allatam in solemni supplicatione deferri iussit, quam ipse cum cardinalibus nudis pedibus prosecutus est. Ex eius vita.

Idem pontifex affectum suum erga gloriosam Virginem declaravit, cum rosarii archiconfraternitatem, ritum sive modum orandi huiusmodi, nec non omnes et singulas indulgentias, tam per Xystum et Innocentium suos praedecessores, quam per Alexandrum episcopum foroliviensem legatum seu nuntium apostolicum, aliosque Ordinarios concessas approbavit, confirmavit, innovavit aliasque indulgentias, praerogativas, privilegia concessit, et in

Digitized by Google

festivitatibus indulgentiam ad instar iubilaei largitus est in bulla quae incipit: *Pastoris aeterni* edita anno 1520.

28 Clementis VII papae devotio erga rosarium B. Virginis.

27. Clemens VII, qui in suo diplomate, quod incipit: *Etsi temporalium*, singularem suam erga B. V. Mariam devotionem manifestavit, cum salubre ac fructuosum sanctissimi rosarii institutum confirmavit, indulgentiis et privilegiis auxit; illamque sacram precandi formulam ad honorem Virginis, quam nonnulli in multitudine ac negotiorum varietate impediti semel in die recitare non poterant, et ob eius devotione retrahebantur, et in amore tepescebant, ad spatium integrae hebdomadae ampliavit, et dilatavit: et quod in una die et una vice fortasse confratres recitare tenebantur, pro diu dies, pro vice vices assignavit, et nihilominus illud idem consequerentur, ac si ritum antiquum integraliter servarent. Hoc autem se eo fine fecisse in praedicta bulla aperuit, ut fideles ad aperiendas coelorum semitas, et ferventius famulandum Deo, ac eius Genitrici induceret.

Idem pontifex quo fideles magis ac magis ad cultum B. Virginis accenderet, rosarii confratribus ubicumque existentibus concessit, ut visitando quinque altaria cuiuscumque ecclesiae, vel unum aut duo, quinquies si quinque defuerint, easdem indulgentias integraliter consequerentur, ac si omnes almae Urbis stationes peregrinando circumirent. Quam gratiam etiam antea concesserat suus praedecessor Leo X.

Idem pontifex sacrae aedi lauretanae beneficia a suis praedecessoribus concessa amore Virginis firmavit, novaque adiecit. Insuper, ut nobile illud a Leone X sacelli lauretani ornamentum inchoatum absolveretur, curavit. Tursellinus cap. 25, et 26.

29 Pauli III affectus erga B. Virginem.

28. Paulus III, qui quo affectu Virginem coluerit non obscure monstravit, cum lauretanam aedem beneficiis, decretisque decoravit, ac praediis locupletavit. Collegium insuper duodecim puerorum instituit, quos quotidie statis horis V. Mariae laudes canere perpetuo voluit. Plurima alia in eamdem aedem sacram eius beneficia vide in historia lauretana lib. 3, cap. 4, 6, 7, 10.

Idem pontifex se optime affectum fuisse B. V. Mariae monstravit, cum confraternitatis sacratissimi rosarii B. M. Virginis omnes indulgentias et privilegia a Xysto IV, Leone X, et Clemente VII praedecessoribus suis concessa approbavit, confirmavit, roboravit.

30 Iulii III pupor affectus ad rosarium B. Virginis.

29. Iulius III, qui sincerae devotionis affectum erga V. Mariam contestatus est, cum omnia et singula privilegia, immunitates, facultates, concessiones, indulta, ac indulgentias archiconfraternitati rosarii per suos antecessores Xystum IV, Leonem X, Clementem VII, et Paulum III concessas et factas approbavit, confirmavit, innovavit, roboravit, et inviolabiliter observari decrevit.

31 Pii IV devotio erga B. Virginem.

30. Pius IV, qui volens Christi fideles ad confraternitatem rosarii in honorem B. Virginis erectam animare, in festivitatibus eiusdem gloriosae Virginis purificationis, visitationis, assumptionis nativitatis, praesentationis, et conceptionis plenariam indulgentiam concessit, quicumque in praefatis festivitatibus capellam rosarii Romae in ecclesia S. Mariae super Minervam constitutam a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatum huiusmodi visitaverint, vel processionem associaverint, ut patet ex eius bulla quae incipit: *Dum praeclara meritorum*.

Idem pontifex affectum suum erga B. Virginem declaravit, cum Laureti superiorem domus pontificiae porticum magna ex parte construxit; vetus xenodochium novo adiecto aedificio amplius et commodius fecit; lauretanum oppidum Recanatensibus ademptum sui iuris esse voluit. Vide alia in sacram aedem eiusdem benefacta apud Tursellinum lib. 4, cap. 1.

Idem pontifex gratum Virgini obsequium detulit, cum b. Gonsalvum Ordinis nostri Virginis cultorem eximium de cuius sanctitate nos plura superius diximus, Lusitanis sub officio duplici celebrare concessit. Idem declaravit, cum anno Domini 1561 confraternitatem et hospitale B. Mariae *pietatis* de Urbe ad pauperes advenas hospitandum, et ad egenos dementes caritative suscipiendos et curandos nuper institutam anno 1548, sedente Paulo III, iterato erexit, et confirmavit, variaque ei privilegia dedit.

Idem cupiens ut gloriosae Virginis Mariae cultus et devotio cresceret, confratribus rosarii concessit, ut figuras rosarii, seu rosarios imprimi antea a quibusvis consuetos et solitos, nullus alius bibliopola, impressor, vel quaevis alia persona imprimere, aut vendere audeat sine facultate prioris, et camerarii, ac officialium dictae societatis Romae in ecclesia B. Mariae super Minervam erectae sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda. Patet ex bulla, quae incipit: *Cum sicut accepimus*.

32 Marcellus II papa B. Virgini carus.

31. Marcellus II, qui quo fuerit studio erga Virginem ipsa monstravit, cum adhuc cardinali rem divinam in aede sacra lauretana facienti se conspicuam fecit, et eum futurum summum pontificem fore eidem ipsa denuntiavit. Porro quo affectu eam coleret, quamque eius cultum propagare optaret, patet ex iis quae animo designarat, si vita superstes fuisset. At intra vicesimum secundum diem vix inito pontificatu, vita excessit. Tursellinus historiae lauretanae lib. 3, c. 16.

31 Pius V rosarii B. Virginis promotor ac dentissimus.

32. Pius V eximius B. Virginis cultor, qui cupiens Dei ac eiusdem B. M. Virginis eius Matris laudem et gloriam ubique crescere archiconfraternitatem rosarii multis ac variis privilegiis, indulgentiis, peccatorum remissionibus ornavit, quo fideles ad suscipiendum tam pium institutum promptiores et alacriores redderet. Insuper voluit, ut nullus possit capellam sanctissimi rosarii in quovis ecclesia sive loco erigere, vel confraternitatem plantari absque licentia magistri generalis Ordinis praedicatorum. Hanc pietatem Deipara Virgo irremuneratam esse noluit; nam ad preces Pii V nepoti suo cardinali Alexandrino graviter infirmanti, et morti iam proximo sanitatem restituit. Ex historia lauretana. Insuper eidem pontifici ad aedem lauretanam vota facienti pro navali bello turcico eadem B. Virgo multum profuit; illa namque insignis victoria de Turcis anno Domini 1571 ad Echinadas insulas reportata precibus Pii pontificis ex auxilio Dei Genitricis communiter tribuitur, ut superius fusius narravimus.

31 Gregorius XIII B. Virgini quam impense addictus.

33. Gregorius XIII, qui ea propensa in B. Virginem voluntate multa in eius honorem dixit, fecit, ordinavit, quibus ad divinum, et B. Virginis cultum fideles magis ac magis excitaret. In primis ad laudem Dei et Domini nostri Iesu Christi eiusque gloriosissimae Virginis Matris primam dominicam cuiuslibet mensis in honorem Deiparae Virginis specialiter dicavit, cum archiconfraternitatis confratribus illis diebus largas indulgentias concessit. Secundo qualibet prima dominica mensis octobris festum solemne sub nuncupatione rosarii sub duplici maiori officio ad instar aliarum festivitatum B. V. Mariae instituit, illudque per universi orbis partes, in iis videlicet ecclesiis, in quibus altare vel capella rosarii fuerit, ab omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus ob illius memorandae et procul dubio coelitus concessae de Turcis navalis victoriae memoriam conservandam, quam victoriam per pias ad Deum preces ac per intercessionem B. M. Virginis obtentam fuisse credebat, celebrari ac sanctificari, eoque die officium de B. Virgine novem lectionum more ecclesiastico persolvi ac recitari voluit, et induxit. Tertio confraternitatem rosarii gloriosissimae Virginis Matris in pluribus locis promovit, auxit, et multis indulgentiis, privilegiis, praerogativis ornavit; necnon omnes et singulas indulgentias concessas alicui, vel aliquibus eiusdem rosarii confratribus specialiter, et generaliter, et in futurum concedendas omnibus aliis confraternitatibus eiusdem rosarii, ubicumque illae sint, communicavit. Quarto ut fidelium devotio et cultus Dei ac Matris eius, sublatis scandalis et impedimentis quibuslibet, ferventius augeretur et cresceret, rosarium Beatae Virginis Mariae, utpote a divo Dominico Ordinis praedicatorum fundatore, eius Ordini peculiarem ipsius haereditatem adiudicavit, illudque in omnibus civitatibus, oppidis ac locis in quibus aliqua domus eiusdem Ordinis reperiretur, in iisdem dumtaxat constitui, plantari, ac erigi voluit, ut habetur in bulla quae incipit: *Dudum siquidem*.

Ulterius affectum suum erga B. Virginem declaravit, cum sacram eius aedem lauretanam indulgentiis auxit, poenitentiariorum auctoritatem amplificavit, vias quae Lauretum tendunt, antea asperas et angustas, quo expeditius peregrini locum illum sacrum invisere valeant, ita latas fecit, ut ubi antea vix pediti expeditius patebat aditus, nunc quadrigae inter se occurrentes sine periculo transmeare possunt. Idque totum regio plane sumptu et magnificentia confecit. Insuper rosam auream, quam romani pontifices qualibet dominica *Laetare* consecrare, et regibus christianis plerumque mittere solent, Gregorius pontifex lauretanae Virgini, utpote coeli ac terrae Reginae misit. Aureis circiter mille haec rosa aestimari solet.

Idem pontifex Laureti Dalmatarum collegium constituit, in quo trecentos adolescentes litteris bonisque moribus instrui iussit, genti illyricae adiumento, et aedi lauretanae ornamento futuros.

Idem pontifex ex propensione voluntatis in Beatam Virginem

Digitized by Google

in templo s. Petri ad vincula altare Sanctissimae Virginis privilegio liberandi animas a purgatorio ditavit. De eius pietate erga B. Virginem haec et alia vide apud Antonium de Balinghem die 10 aprilis.

35 Xysti V papae pietas erga B. Virginem. 34. Xystus V quam impense B. Dei Genitricem coluerit, contestatus est in bulla quam in favorem archiconfraternitatis sacratissimi rosarii edidit, quae incipit : *Dum ineffabilia meritorum*. In qua omnia et singula privilegia, indulgentias et quaecumque aliis indulta singulis confraternitatibus dicti rosarii ubicumque terrarum canonice institutis per praedecessores suos concessa approbavit et confirmavit ; eiusdemque sanctissimi rosarii confraternitatem in quibusvis civitatibus, oppidis, terris, et locis per fratres Ordinis praedicatorum de superiorum et ordinariorum licentia ad Dei et eiusdem Virginis laudem et gloriam erigere et instituere apostolica auctoritate concessit cum omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis et gratiis quibusvis a summis pontificibus quomodolibet concessis, ac concedendis. De eius pietate ac devotione erga B. V. Mariam lege calendarium Antonii de Balinghem die 24 aprilis.

Idem pontifex B. V. Mariam ab infantia sibi in advocatam delegisse fertur: ideoque eius ecclesias, maxime autem basilicam Romae ad praesepe Domini dictam S. Mariae maioris summa veneratione coluit: in eaque capellam praesepia Domini, dum cardinalis erat, construere coepit. Ad papatum provectus perfecit, exornavit, ac magnificentissimam effecit, privilegiis ornavit, ibidemque ad dexteram sepulcrum Pio V olim benefactori suo, sibi vero a sinistris extruxit, in eumque locum corpus Pii V transtulit.

Idem pontifex ob amorem Virginis Lauretum civitatis iure donatum episcopali sede decoravit. Fertur enim B. M. Virginem Xysto V apparuisse, eumque monuisse, ut ecclesiae lauretanae suo episcopo viduatae de successore provideret. Id se audivisse ex ore eiusdem pontificis narrat Rutilius episcopus lauretanus in expositione psal. 86, c. 40.

Idem pontifex lauretani templi valvas ex aero mirabili opere et summa arte caelatas 40 millibus aureorum magnifice fieri curavit.

36 Clementis VIII pont. max. pietas erga B. Virginem. 35. Clemens VIII affectum suum erga B. V. Mariam Reginam coelorum gloriosam abunde declaravit, cum archiconfraternitatem sanctissimi rosarii magnis indulgentiarum muneribus decoravit.

Ulterius cum anno Domini 1599 solemnes supplicationes ad Sanctam Mariam maiorem propter insolitam Tyberis inundationem Romae indixit, editaque bulla, omnes ut ad Deum et Sanctissimam Deiparam ac principem apostolorum confugerent, hortatus est.

Rursus devotionis suae erga B. Virginem Mariam luculentum testimonium dedit, cum b. Hyacinthum polonum, et s. Raymundum de Pennafort Ordinis praedicatorum Beatae Virginis eximios cultores honoravit, et sanctorum catalogo adscripsit.

Insuper devotionem suam erga eandem B. Virginem prodidit, cum fratribus discalceatis B. M. Virginis de monte Carmelo domum in Urbe apud ecclesiam Beatae Mariae *de scala* dictam erexit, eundemque Ordinem fovit, promovit, Sedi apostolicae immediate subiecit, ac variis privilegiis elargitus est. Item cum Congregationem clericorum regularium Lucae in Italia ab episcopo loci erectam sub invocatione Deiparae Virginis approbavit, et de novo instituit, variisque privilegiis auxit, et ecclesiam B. Mariae *de porticu* in Urbe ei concessit. Monachos insuper B. Mariae Virginis fuliensis cistarciensis Ordinis privilegiis ornavit.

Non obscure quoque suum erga B. Virginem affectum ostendit, cum in Urbe domum, in cuius parte una pie educarentur virgines pauperes, in alia honestae viduae, in tertia vero impudicae mulieres poenitentiam agere volentes dotavit. Quam domum ex propenso erga Deiparam studio monasterium B. M. Virginis refugii appellari voluit, variisque ei privilegia largitus est. Item cum confraternitatem B. Mariae de suffragio pro animabus in purgatorio existantibus Romae erectam pro utriusque sexus fidelibus approbavit anno 1594, et 1603. Ex calendario Antonii de Balinghem die 3 martii, num. 3.

37 Pauli V studium erga B. Virginem. 36. Paulus V eximius Deiparae Virginis cultor, pro ea qua erga magnam Dei Matrem pietate pollebat, sacellum amplissimum Romae apud S. Mariam maiorem a fundamentis erexit. Extrinsecus tyburtino lapide, intrinsecus numidico, chio, phrygio, alabastrita mellei coloris maculoso instravit, in quo vetustissimam Deiparae Virginis effigiem beati Lucae manu depictam reposuit. Insuper aram maximam cum loculamento pro ea effigie quatuor columnis altissimis ex iaspide, topatio, rubino, smaragdo, chrysolitho, onyce, amethysto, caeruleo persico, et aliis incomparabilibus gemmis ornatam Reginae angelorum in coelos assumptae, cuius imaginem auro, monilibus, torquibus aureis, gemmis variegatis, unionibus et lapidibus pretiosissimis operuit, consecravit. Addidit praeterea sacello supellectilem auream et argenteam, auctam crucem pretii duorum millium centum et quinquaginta aureorum, duodecim apostolorum statuas pretio sex millium aureorum, candelabra sex aureorum trium millium, atque alia plurima, quae videre licet in tomo 17 annalium Bzovii ad calcem.

Idem pontifex clarissimum suae pietatis erga B. V. Mariam testimonium perhibuit, cum pro ornatu praedictae imaginis Sanctissimae Virginis aliquot pretiosissima monilia, et torques aureos gemmis variegatos contulit: et ipsam imaginem solemni ritu, sacro cardinalium collegio, et universo clero romano ante imaginem longo ordine praecedentibus, in sacellum intulit, collata in eam rem plenaria indulgentia iis, qui post confessionem et communionem processioni interfuissent. Super haec aliam quoque supellectilem innumerabilem, et pretii inaestimabilem ad altarium, sacerdotum et ministrorum altaris usum et ornatum eidem sacello Deiparae contulit. Cantores qui quolibet sabbato litanias concinerent, conduxit, ministros reliquos assignavit, et proventus annuos locupletes singulis in perpetuum cum necessariis omnibus ad usum sacelli addixit, edito etiam de ea re diplomate.

Neque his contentus columnam mirae altitudinis in templi Pacis ruinis inventam ante ecclesiam S. Mariae maioris collocari iussit, supra quam imposuit aeneam inauratam Deiparae Virginis imaginem, additis indulgentiis in eorum gratiam, qui coram imagine genuflexi orassent.

Praeterea in pontificio palatio eidem Virgini Mariae amplissimum sacellum longitudine 180, latitudine 60 palmorum nullis aequandum laudibus, aula regia adiuncta, amplificavit, inauravit, et lapidibus pretiosis, picturis, sculpturis, opere plastico, columnis inaestimabilibus, aulaeis ornavit. Qui vitam huius pontificis compendio scriptam legere velit, consulat supranominatum Bzovium, qui addit, eum iam moriturum, cum unus sacerdotum recitaret collectam de Deipara: *Defende quaesumus Domine Deo ta Maria semper Virgine*, etc. ad finem clara voce respondisse. *Amen*.

Idem pontifex suae devotionis erga B. M. Virginem specimen edidit, cum omnes indulgentias a Clemente VIII praedecessore suo revocatas archiconfraternitati sanctissimi rosarii restituit, certasque alias novas indulgentias concessit, et indulsit, quo populum fidelem ad Dei eiusque Genitricis cultum ac venerationem invitaret.

37. Gregorius XV gratum B. M. Virgini obsequium praestitit, cum antiquam illam controversiam de conceptione ipsius, de qua superius meminimus, sopivit. Magis enim garrulitates illae Deum, ac Matrem eius gloriosam offendebant, quam opinio conceptioni immaculatae contraria, ut superius in tomo priore monstravimus. 38 Gregorii XV papae pietas ac prudentia.

38. Urbanus VIII inter alia plurima devotionis suae erga Deiparam Virginem Mariam argumenta militiam christianam conceptionis Deiparae Virginis erexit, et instituit anno Domini 1624, aliasque Congregationes, seu Ordines religiosos sub titulo Dei Genitricis erectos multis favoribus prosecutus est, variaque privilegia, indulta, immunitates, praerogativas, gratias eis concessit. Non minus devotum erga B. V. Mariam se praestitit, cum antiquam illam controversiam de stigmatibus s. Catharinae senensis, B. Virginis devotae clientis, et famulae terminavit, eamque cum stigmatibus depingi, et imprimi posse licentiam dedit. Huius pontificia purpuram nunc universus veneratur orbis christianus; proinde invenies alios meliores encomiastes, qui eius pietatem ac devotionem fusius enarrabunt. Ego supersedeo, quia non munus historici, sed concionatoris ago. 39 Urbani VIII papae devotio erga B. Virginem.

DISCURSUS CCCLXXXVIII

QUIBUS OBSEQUIIS SEU OFFICIIS VENERATI SUNT GLORIOSAM DEI GENITRICEM UTI ORBIS REGINAM EPISCOPI, ALIIQUE PRAESULES CATHOLICI

Episcopos apostolis adnumerare placuit, quos ratione ordinis sacri apostolis succedere notum est ex d. Augustino in psal. 44 1 Episcopi

Digitized by Google

sunt apostolorum successores. exponente illa verba vers. 17: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Patres*, inquit ille, *missi sunt apostoli, pro apostolis filii nati sunt, constituti sunt episcopi.* Hinc etiam Concilium florentinum in instructione Armenorum, et Concilium tridentinum sess. 23, cap. 4 episcopos in locum apostolorum successisse docent. Iungat eos ergo erga B. V. Mariam devotio, quos iungit muneris episcopalis ordo. Post apostolos primus occurrit B. Virginis cultor et admirator egregius

2 S. Dionysii areopagitae de gravitate B. Virginis testimonium. 1. S. Dionysius areopagita primus atheniensium episcopus, vir apostolicus et apostolorum discipulus. Hic in epist. ad Paulum praeceptorem suum (quam etiam viri gravissimi suscipiunt) quid ipse coram intuitus miratusque sit, ita commemorat. *Perspexi*, inquit, *atque propriis oculis intuitus sum Deiformem, atque super omnes coelicos spiritus Sanctissimam Matrem Christi Iesu Domini nostri.* Et iterum: *Doctus fui ad Deiformem praesentiam altissimae Virginis, et tantus me tamque immensus divinus splendor circumfulsit exterius, et plenius irradiavit interius; tanta etiam in me omnium odoramentorum superabundavit fragrantia, ut nec corpus infelix, nec spiritus posset totius, ac tam aeternae felicitatis insignia sustinere.* Et post pauca: *Testor qui aderat in Virgine, Deum, si tua divina concepta non me docuissent, hanc ego verum Deum esse credidissem: quoniam nulla videri maior esse posset gloria beatorum, quam felicitas illa*, etc.

3 S. Ignatii martyris litterae ad B. Virginem. 2. S. Ignatius martyr, antiochenus episcopus. Hic quantus fuerit amator B. Virginis vel ipsae litterae ultro citroque datae indicant. Litteras B. M. Virginis ad Ignatium superius dedimus, litterae d. Ignatii ad B. V. Mariam hae sunt ex Xysto senensi in 2 lib. suae biblioth. verbo *Maria*.

Christiferae Mariae suus Ignatius

Me neophytum, Ioannisque tui discipulum confortare, et consolari debueras. De Iesu enim tuo percepi innumera dictu, et stupefactus sum ex auditu. A te autem quae semper ei fuisti familiaris, et coniuncta, et secretorum eius conscia, desidero animo fieri certior de auditis. Scripsi tibi etiam alias et rogavi. Valeas et neophyti qui mecum sunt, ex te, et per te, et in te confortentur. Amen.

4 3. S. Irenaeus lugdunensis episcopus. Hic quo amore prosecutus fuerit B. V. Mariam contestatus est, cum Valentinum, et Apellem haereticos, Deiparae virginitatis acerrimos hostes acerrime insectatus est, et virginitatem eius multis confirmavit, ut in hoc opere pluribus in locis videre est.

5 S. Gregorio thaumaturgo fidei regulam B. Virgo tradit. 4. S. Gregorius episcopus neocaesariensis, dictus thaumaturgus. Hic qualis quantusve Divae Deiparentis cultor fuerit, fidei regula quam ipsi Virgini Beatissimae per s. Ioannem evangelistam tradidit, indicat. Cum enim cogitaret, qua ratione Christi fidem in patria amplificaret, per quietem vidit B. V. Mariam immenso luminis circumdatam, a s. Ioanne evangelista comitatam, sibi formam fidei tradentem. Quod ipse mox litteris consignavit, ac plebem suam docuit. Hanc fidei regulam nos superius de verbo ad verbum ex Baronio ad annum 233 transcriptam disc. CCLXVII, n. 44 inseruimus.

6 5. S. Dionysius episcopus alexandrinus. Hic amorem suum erga B. Virginem satis declaravit, cum honorem eius adversus samosatenum haereticum, qui Verbum Dei in Virgine quidem fuisse, et ex illa apparuisse, non tamen ab illa genitum et procreatum impie dogmatizabat, egregie tutatus est.

7 6. S. Methodius episcopus Tyri. Hic quam ardens fuerit Virginis amator, praeclara illa epitheta, quibus eam ornavit, testantur, quae nos superius retulimus, cum laudes eius quas in B. Virginem protulit, in epitheto *Virgo praedicanda* recensuimus.

8 S. Gregorii devotio erga B. Virginem. 7. S. Gregorius nazianzenus episcopus. Quam hic in Deiparae laudes fuerit propensus inter cetera colligi potest ex his versibus:

Salva puella gratiosa Mater,
Virgo omnium castissima et pulcherrima,
Exercitibus praestantior coelestibus,
Regina mundi, gaudium mortalibus,
Semper benignam exhibe te quaeso hominibus,
Mihique sis salus ubique maxima.

Idem multo ante Synodum ephesinam impietatem, quam postmodum contra B. M. Virginem evomuit Nestorius, egregie confutavit in epist. ad Clenodium, ubi inter cetera haec habet: *Si quis S. Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est.* Lege epistolam 1 ad Clenodium.

8. S. Basilius magnus episcopus caesariensis. Quid praestiterit in Deiparae honorem, scripta eius indicant, et maxime liturgia, in qua multa encomia gloriosae Virginis habentur, ut ibi videre est. Idem sanctus episcopus amoris sui erga Beatam Virginem praemium retulit, cum in Cappadocia in Deiparae aede ante eiusdem iconem orans mortem Iuliano apostatae per Virginem impetravit. Historiam fusius descriptam habes in vita beati Basilii. 9 S. Basilii pietas erga B. Virginem.

9. S. Athanasius alexandrinus episcopus, Arii mastyx, reliquorum haereticorum acerrimus propugnator, Divae Virginis encomiastes egregius, ut patet ex dictis eius, quae in hoc opere incidenter retulimus. 10

10. S. Martinus episcopus turonensis. Hic ob egregiam suam Deiparam pietatem dignus fuit visitari ab ea comitantibus sanctis Thecla et Agnete: idque non semel, sed frequenter, prout ipse narrabat. Sulpitius cap. 4 vitae ipsius. 11 S. Martinus B. Virgini quam carus.

11. S. Nicolaus episcopus Myrae. Hic studium suum erga B. Virginem luculenter ostendit, cum omni sabbato praeter aridum panem, et fontanae hydriam in honorem Virginis Mariae in obsonium nihil admittebat. In praemium tantae pietatis erga Virginem hoc solatium ab ipsa in hac vita accepit. Nocte quadam iuxta se vidit Salvatoris nostri maiestatem adstare, librumque evangeliorum auro gemmisque distinctum sibi porrigere. Ab alio latere Sanctam Dei Genitricem aspexit, quae ei homophorium pontificale (pallium nimirum quo archiepiscopi uti solent) super humeros posuit. Hoc fuit futuri pontificatus certum praesagium; nam brevi, defuncto Ioanne Myrae antistite, Nicolaus eiusdem urbis episcopus creatur. Baronius in notis ad martyrologium. 12 S. Nicolai studium erga B. Virginem.

Factus episcopus s. Nicolaus, cum iam senex in Concilio niceno pontificalibus, hoc est mitra et pallio privatus esset, eo quod audiens quendam arianum divinitatem Filii Dei, ac consequenter honorem Beatae Virginis blasphemiis lacerantem, zelo fidei motus in praesentia patrum ei colaphum impegerit, propter quod, ut plurimum, maxime a Graecis, sine mitra depingitur. Factum s. Nicolai licet patres Concilii improbarent, et punirent, Deo tamen et Beatae Virgini placuit: cum enim s. Nicolaus missam de Beata Virgine cui erat devotus, celebraret, et privationem mitrae et pallii defleret, ecce cunctis videntibus duo angeli adstiterunt, quorum unus mitram, alius pallium illi divinitus restituerunt. Haec Petrus de Natalibus. Idem Studita monachus in sermonibus, quos de sanctis graeco idiomate scripsit, refert; nisi quod id accidisse non in missa Virginis, sed nocte subsequenti, postquam pontificalibus privatus erat, ab ipsaque Virgine sibi apparente ea restituta fuisse asserit. Sane in imagine s. Nicolai id significatur, in qua ad eius dexteram Christus evangeliorum codicem, ad sinistram vero Dei Genitrix pallium eidem porrigere cernuntur cum his versibus: S. Nicolao mitram et pallium B. Virgo restituit.

Ob colapham haeretico impactum decora alta thyarae
Dempta tibi a patribus Virgo Maria refert.

12. S. Cyrillus alexandrinus episcopus, invictus dignitatis Dei Matris propugnator, quem et Coelestinus pontifex dignum censuit, cui in Concilio ephesino, ubi Dei Matris honor sancitus est, partes suas demandaret. De hoc superius aliqua diximus, cum de Ordine carmelitarum egimus. 13 S. Cyrillus B. Virginis propugnator.

13. S. Epiphanius episcopus Salaminae in Cypro. Hic validissime contra Antidicomarianitas haeresi 48 Mariae virginitatem omnimodam propugnavit, eamque post natum Salvatorem de Iosepho filios non procreasse, ut praefati haeretici blaterabant, multis ostendit. Insuper gloriosam Dei Genitricem variis encomiis, epithetis, ac laudum titulis ornavit, ut in hoc opere passim videre est. 14 S. Epiphanius B. Virginis encomiastes.

14. S. Ambrosius episcopus mediolanensis quantus fuerit Deiparae encomiastes, ex multis eius locis quae in hoc opere nostro citavimus, quilibet facile colligere potest. 15

15. S. Ioannes Chrysostomus constantinopolitanus episcopus. Hic quam impense coluerit gloriosam Dei Genitricem vel maxime colligitur ex eius liturgia, in qua nova splendidaque encomia in D. V. Mariam congerit. *Memoriam*, inquit, *agentes sanctissimae, incontaminatae, super omnes benedictae, gloriosae Domi-* 16 S. Chrysostomus B. Virginis studiosissimus.

Digitized by Google

nae nostrae Deiparae, et semper Virginis Mariae; et inferius: *Praecipue pro sanctissima, immaculata, super omnes benedicta Domina nostra Deipara;* et statim: *Vere dignum et iustum est glorificare te Deiparam semper beatissimam, penitus incontaminatam Matrem Dei nostri, honoratiorem cherubim, et gloriosiorem incomparabiliter seraphim.*

17 S. Augustinus B. Virgini devotus.
16. S. Augustinus episcopus hipponensis. Hic quanto animi ardore Dei Genitricem prosecutus fuerit, ex variis eius doctrinae locis aperte monstratur. At ex his maxime, in quibus Sanctae Dei Genitrici supplicat, quae reticere quasi piaculum videretur. Do itaque aliqua huiusmodi loca ex serm. 35 de sanctis, et 2 de assumpt. eiusque affero verba: *Sancta Maria succurre miseris,* etc. quae ab eo mutuata est Ecclesia: Tum pergit; *Sit tibi compassio super afflictis, sit pius affectus super coelorum peregrinis: et cum te iactantem semper aspicis, fletus nostros quaesumus ipsa ad Deum admittas, eumque ut proprium filium pro nobis interpella. Nos enim adhuc in terra hac affligimur, persequimur, iniuriis lacessimur, opprobriis afficimur, esurimus et sitimus. Tu vero in coelestibus regnis praelata es cunctis virginum choris. Tu Agnum quocumque perrexerit, sequeris. Tibi thronus regius ab angelis collocatur. Tu aula aeterni Regis, teque ipse Rex regum et Matrem veram, et decoram Sponsam prae omnibus dilectam amoris amplexu sibi associat. Has ergo tantas felicitates possidens, convertere ad nostrarum miseriarum salutem. Inter haec igitur fratres tota mentis affectu Beatissimae Virginis nos intercessionibus committamus, omnes eius patrocinia omni nisu imploremus, ut dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in coelis; neque enim dubium, quae meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus liberatis impendere suffragium.*

Neque istud ex sermone 7 de annuntiat. qui est 18 de sanctis, minus exhibet tanti doctoris in Deiparam studium. *Quas tibi,* inquit, *laudes, o Beata Maria, o femina super feminas benedicta, fragilitas humani generis persolvat, quae sola tua commercia quaecumque perdita recuperandi aditum reperisti? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis: sit per te excusabile, quod per te ingerimus. Accipe quod referimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus, quia tu es spes unica peccatorum, et in te, Beatissima, nostrorum est expectatio praemiorum. Assiste ergo parata votis poscentium, et repende omnibus optatum effectum, sint tibi studia assidue orare pro populo Dei, quae meruisti benedicta Redemptorem ferre mundi.* Quae eo libentius attuli, quod eadem et nos orando usurpare possimus, et imitatione clarissimi doctoris iisdem verbis Sanctissimam Dei Matrem compellare.

Idem se mente medium collocabat inter Christi vulnera et Sanctissimae Deiparae ubera, aiebatque: *Hinc pascor a vulnere, hinc lactor ab ubere, positus in medio, quo me vertam nescio.* Multa alia non minus docta, quam pietatis plena, eiusdem sancti doctoris B. Virginis encomia sparsim in hoc opere nostro invenies, ex quibus summam eius devotionem erga Beatam Virginem facile colliges.

18 S. Ildephonsus B. Virginis cultor eximius.
17. S. Ildephonsus episcopus toletanus. Hic Deiparentis cultor ardentissimus, acutissime ac devotissime multa in laudem eius pronuntiavit et scripsit. Praecipue autem Dei Genitricis virginitatem contra Helvidianos tutatus est, peculiari edito de virginitate Mariae commentario. Ob eam rem singulari miraculo ac beneficio a Sacra Deipara veste, qua in sacrificiis uteretur, ornari meruit. Historiam superius in aliquot locis fusius narravimus.

Circa illa tempora paulo ante, vel post floruerunt plurimi sanctissimi ac doctissimi praesules Deiparae Virginis ardentissimi cultores, ut Proclus cyzicenus, Theodotus ancyranus, Maximus taurinensis, Basilius seleuciensis, Eligius noviomensis, qui tum scriptis tum devotis obsequiis suam pietatem erga B. V. Mariam luculenter contestati sunt. Reliquos recenseamus.

19 S. Gerardus B. Virgini devotus.
18. S. Gerardus canadiensis episcopus et martyr in Hungaria, Beatae Virgini summe devotus. Is factus episcopus ad honorem Dei Genitricis aram erexit, ante quam thuribulum argenteum collocavit, duosque provectae aetatis homines adhibuit, qui iugiter vigilarent ne ulla unquam hora thymiama ibi deesset. Singulis quoque sabbatis cum novem lectionibus, ut in festo assumptionis Beatae Mariae Virginis, officium explebat. Tam devotus erga Beatam Virginem erat, ut si quis reus ab ipso veniam peteret per nomen Matris Christi, mox audito nomine Matris misericordiae, lacrimis perfundebatur. Ipso auctore ab Hungaris non pronuntiatur nomen Matris Dei, sed Dominam eam vocant. Si sit autem pronuntiatum ab aliquo nomen Virginis Mariae, statim flexis genibus, ac demissis in terram capitibus sese inclinabant. Surius in eius vita.

19. S. Anno episcopus coloniensis. Hic ex speciali devotione erga B. Virginem sub eius nomine instituerat fraternitatem, ut Sigebertus lib. 1, c. 29 scribit. Idem monasterium celeberrimum quod dicitur *ad gradus*, in honorem eiusdem Sanctissimae Genitricis Dei Mariae erexit. 20 S. Anno B. Virginis cultor

20. S. Edmundus cantuariensis episcopus. Hic perpetuus Virginis cultor adhuc adolescens coram eius imagine castitatis votum nuncupavit, eamque sibi in sponsam delegit, atque annulum in quo inscripta erat salutatio angelica, digito eius infixit, quo ex tempore in cunctis necessitatibus suis praesentissimam ab ea expertus est opem. In prato quodam Oxoniae cum se a sodalibus subduxisset, ne conscientiae puritatem nugis puerilibus, vel otiosis sermonibus contaminaret, pueri Iesu visione et colloquio dignus habitus est, ex quo tempore in meditanda eius passione diu noctuque versabatur. Quotidie devote ac reverenter in honorem Deiparae, ac s. Ioannis evangelistae precationem, cuius initium est: *O intemerata*, recitabat. Adhuc laicus, cum artes liberales profiteretur, sacellum in Deiparae honorem construi curavit. Theologiae operam dans B. M. Virginis imaginem eburneam semper coram se habebat, in cuius circuitu nostrae redemptionis mysteria depicta erant. Sacerdotio initiatus quotidie cum horis canonicis horas Spiritus sancti et Deiparae persolvebat, quibus officium defunctorum adiungebat. Annulo suo cum quo (ut solent pontifices) est sepultus, angelica salutatio inscripta erat. Ex eius vita apud Surium die 23 iulii. 21 S. Edmundus B. Virginis quantus cultor.

21. S. Petrus Damianus Deiparae studiosissimus. Hic Gregorio summo pontifice per totam Italiam preces horarias B. M. Virginis restituit, auctorque fuit, ut summus pontifex eas ab omnibus qui sacris initiati essent, recitandas decerneret. Multa idem pie ac docte de laudibus B. Mariae scripsit a quo nos mutuata huic operi nostro inseruimus. Plura de eius pietate erga B. Virginem legere poteris apud Bolandum die 22 februarii. 22 S. Petrus Damianus B. Virginis servus.

22. S. Fulbertus carnutensis episcopus. Hic Virginis cultor insignis; in eius enim laudem librum conscripsit, basilicamque construxit. Ab ea autem singulari dono remuneratus fuit; nam ipsi aegrotanti per visum Beata Virgo apparens sacra sua ubera sugenda aperuit. Baronius ad annum 1128. 23 S. Fulbertus B. Virginis cultor insignis.

23. S. Thomas cantuariensis episcopus. Hic erga B. Dei Genitricem Mariam maxime devotus multis beneficiis ab ea fuit affectus. Dum adhuc puer esset, pyxidem perelegantem in qua casula purpurei coloris inclusa erat, a S. Virgine dono accepit, qua casula praenuntiabatur fore illum sacerdotem. Eadem Deipara dum Thomas exularet ob defensam ecclesiasticam libertatem contra regem Angliae, pretiosissimum ei oleum detulit, quo Angliae reges ungerentur. Eundem s. Thomam Deipara Virgo in resarciendo suo cilicio iuvare dignata est. Quod qualiter fuit, et qualiter innotuit, superius narrabam. 24 S. Thomas cantuariensis B. Virgini devotus.

Eadem d. Thomae, dum viveret, familiaris fuit, diebus singulis septies angelica salutatione iterata B. Virginem colere in honorem septem gaudiorum, quibus cum Filio in terris fuit delibuta. Quas salutationes nos superius in hoc opere nostro inseruimus, cum de formulis precum in honorem Beatae Virginis ageremus in epitheto *Rosa mystica*.

Idem s. Thomas cum gladiis impiorum appeteretur, moriens tum seipsum tum ecclesiam suam flexis genibus Deo ac M. Virgini commendabat.

24. S. Anselmus cantuariensis archiepiscopus. Hic suae devotionis erga B. V. Mariam argumentum reliquit, librum nempe pium et doctum quem de excellentia B. V. Mariae conscripsit. Cum semel in profundam cisternam noctu improviso cecidisset, in ipso casu opem Deiparae inclamans, illaesus evasit. Ex eius vita apud Edmerum anglum. 25 S. Anselmus B. Virginis cultor.

25. S. Hugo lincolniensis episcopus. Hic Lincolniae basilicam Deiparae erexit, erectamque dicavit. In praemium tanti operis a gravissima carnis tentatione, et cui similem nunquam expertus erat, appetitus, tandem post multas preces a B. V. Maria liberatus fuit. Rodgerus in annalibus. 26 S. Hugo B. Virginis amator.

*

Digitized by Google

27 *S. Carolus Borromaeus quam impense B. Virgini addictus.* 26. S. Carolus Borromaeus cardinalis et archiepiscopus mediolanensis. Hic quam impense fuerit Virgini addictus, in multis ostendit. Eam sibi in patronam singularem assumpserat, eiusque perfugio in rebus adversis fidenter utebatur. B. Virginis officium et coronam quotidie genibus flexis recitabat, quam devotionem ne in ipso quidem itinere omittebat. Omnes vigilias B. Mariae in pane et aqua ieiunabat, et quoties pulsabatur ad *Ave Maria*, mox (etiamsi lutulenta esset via) genua flectebat: de equo etiam desiliebat, ut genu flexo salutationem angelicam recitaret. In ecclesia cathedrali mediolanensi archiconfraternitatem sacratissimi rosarii fundavit, illique gratias omnes, favores, indulgentias a summis pontificibus huic sodalitati Romae existenti super Minervam concessas impetravit. Quolibet primo dominico die supplicationem haberi voluit, adhibita Virginis imagine. Statuit, ut ad Mariae nomen sacerdos celebrans, et clericus ministrans caput inclinarent ad exemplum populi. Insuper, ut supra ecclesiarum parochialium fores Deiparae effigies prostaret ordinavit. Idem sanctus praesul populum hortabatur, ut praecipuis Deiparae festis communicaret. Omnia collegia, sodalitia, confraternitates, et loca pia quae ipse condiderat, sub B. Virginis patrocinio praesidioque constituebat; iubebatque, ut singuli sodales et confratres ad studium erga B. Virginem declarandum eius rosarium et officium recitarent. Neque omittendum, quod s. Carolus itinera longa ac difficilia peregrinando suscepit, ut B. Virgini dicata templa suis ipse pedibus inviseret.

Et ut magis, ac magis suum affectum erga B. Virginem declararet, instituit, ut omnes, etiam milites, Deiparae Virginis imaginem semper secum haberent, eiusque officium recitarent. Haec Antonius de Balinghem die 4 novembris ex Ioanne Petro Guilland lib. 8, c. 2.

Fuerunt et alii, ac in praesentem diem sunt fere innumeri pontifices, archiepiscopi, episcopi, ceterique praesules et ecclesiarum praelati Deiparae Virginis seduli laudatores, et cultores eximii, qui variis operibus religiosissimum suum in Mariam studium declararunt, et declarare non cessant. Quos si vellem enumerare, nullus mihi esset ad finem properanti terminus dicendi, et scribendi. Hos commemorare placuit, quatenus eorum vestigiis insistentes gloriosam Dei Genitricem amemus, praedicemus, laudemus, ei serviamus, eiusque cultum promoveamus. 28

Breviter est et efficax per exempla. Quocirca hic et alibi multos cuiusvis ordinis, sexus, conditionis, et dignitatis homines adduximus, qui Deiparae Virgini ad stuporem addicti aliis ad similem devotionem, cultum ac pietatem viam straverunt, eisque quid sectari deberent, in seipsis velut in speculo commonstrarunt.

Faxit Deus, ut omnes christiani huic Virgini se devoveant atque consecrent, huic Reginae serviant, hanc stellam maris in procelloso huius mundi mari aspiciant, hanc patronam ac tutelarem venerentur, et invocent. O beatum illum qui eam invocat, qui illi supplicat, qui ei servit, qui se eius benevolentiae sedulo commendat. Hic procul dubio apud eam et Filium gratiam inveniet, ac tandem gloriae beatorum consors efficietur. Amen. *Auctoris votum.*

REGINA MARTYRUM

Quemadmodum ob insignem puritatem et sanctimoniam B. V. Maria dicta est Regina angelorum, maxime ob profundam divinorum mysteriorum cognitionem Regina patriarcharum, ac prophetarum, nec non apostolorum: sic ob eximiam fortitudinem animique constantiam, ob acutissimum doloris gladium, quem in passione Filii pertulit, Regina martyrum appellatur, quo nomine sancti patres eam passim vocant. S. Ephrem in orat. de Deipara *decus martyrum*, s. Bernardus in serm. super *Signum magnum*, Sophronius in sermone de assumpt. s. Ildephonsus serm. de assumpt. eam plusquam martyrem fuisse praedicant. Idem et nos innuimus, cum ei occinimus: *Regina martyrum*. Quod explicandum est, et primo videndum

DISCURSUS CCCLXXXIX

AN ET QUATENUS B. V. MARIA FUERIT MARTYR PRAECIPUE IN MORTE FILII

1 Duos valde diversos erga Deiparam Virginem affectus hic invenio. Unum eorum qui Beatam Virginem in morte Filii minime doluisse, sed potius alacrem et laetam extitisse aiunt; tum quia divinae voluntati tota conformis erat, quam in redemptione humani generis per Filii sui mortem adimpleri videbat; tum quia Christum post mortem cito resurrecturum firmissime sperabat, qua spe nixa omni prorsus dolore ac maestitia carebat. Si enim (aiunt) mater Machabaeorum septem filios suos uno die pereuntes conspiciens, propter spem quam in Deum habebat, eorum cruciatus bono animo ferebat, et singulos eorum ad mortem generose obeundam hortabatur, ut 2 Machab. c. 7 narratur; si *Matrum fortitudo in morte filiorum.* Melonis Marcelli consulis filia virum suum defunctum intuens adeo viriliter se gessit, ut de eius morte minime doleret, sed divinae voluntati se conformans laetanter mortem mariti sui suscepit, ut Hieronymus ad Paulinam refert, quanto putas maiore cum gaudio Beata Virgo mortem Filii sui tulit, quae prae ceteris matribus divinae voluntati magis conformis erat? Demum illud celebre d. Ambrosii dictum super illud *Stabat Mater Iesu iuxta crucem*, etc. *Stantem*, inquit, *lego, flentem non lego*, eis suffragari videtur; nec non illud quod Christus mulieribus eum ad mortem euntem plorantibus occinuit: *Filiae Ierusalem nolite flere super me*, etc. Certe si mulieres nulla consanguinitate sibi coniunctas flere super se prohibuit, multo magis Matrem sibi dilectissimam dolorum cruciatibus affligi non permisit.

2 Haereticorum, ut iam ingenue fatear, haec commenta sunt. Rident hodie novi evangelicastri hanc sacram, piam ac devotam religionem, qua dolores Mariae in passione Filii contemplamur. *Haeretici taxantur.*

Bullingerus haereticus monachos acriter mordet, quod pectora devotae plebis commemoratione ploratus et lamentationis Mariae ad largissimas lacrimas provocant. Nec hoc miraculi loco habendum, cum hi filii nequam, filii scelerati omnia quae hactenus in Ecclesia habita sunt sacrosancta, sugillent. Quid quod etiam subsannant eos, qui Christi passionem lacrimis et planctu prosequuntur? Religio apud illos est in rosa degere, hoc est vitam agere epicuream: Christi crucis velle consortem fieri papisticum commentum.

Alii in alio extremo versantur. Dicunt enim Beatam Virginem tantum de morte Filii doluisse, ut prae nimio dolore ac moestitia iuxta crucem vitam exhalaret, uti Canisius lib. 4 de Deipara, nec non Maldonatus in caput 2 Lucae memorant. In his duobus erroribus eliminandis tota haec nostra consumetur oratio. Primo quidem Beatam Virginem Mariam vere martyrem fuisse commonstrabimus. Secundo eam prae nimio dolore aut tristitia haud mortuam fuisse, dum iuxta crucem staret, ostendemus. Stadium ingrediamur. 3

Dolores ac moestitiam Virginis varii variis nominibus appellarunt. Ambrosius angustias Dominae nostrae, alii planctum Mariae, alii lamentationem Virginis, alii compassionem Deiparae, alii transfixionem. Ego autem dolores et moestitiam Mariae martyrium appellare non dubito, nec primus, nec solus. Duces sequor sanctos patres Hieronymum serm. de assumpt. Anselmum de excellentia Virginis, Ildephonsum serm. 2 de assumpt. Bernardum serm. qui incipit: *Signum magnum*, et scholasticos theologos, Richardum de mediis Villis 3, dist. 33, art. 4, Bernardinum de Bustis part. 70, serm. 1 de compassione, Canisium lib. 4 de Deip. c. 8; qui omnes Beatae Virginis dolorem mar- 4 *Dolores Mariae vario appellati.* *Martyrium Mariae.*

Digitized by Google

tyrium vocant, immo plusquam martyrem eam appellant. S. Thomas 2 2, q. 124, art. 4 ad 1 negat; sed intelligitur eo modo quo falso quidam aiunt B. Virginem finivisse vitam in martyrio violento.

5 Illustre eius martyrium a prophetante Simeone evidenter insinuatum fuit, cum loquens de Filio diceret: *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.*

6 Gladius in Scripturis sacris multiplex. Multiplicem gladium in Scripturis sacris invenio. 1. Est gladius materialis sive ferreus, de quo Matthaei 26, 52: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* 2. Est gladius incredulitatis, sive dubiae fidei, quo percussi apostoli, relicto Domino, omnes pariter fugerunt. 3. Est gladius verbi Dei, de quo Apostolus Hebr. 4, 12: *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* 4. Est gladius persecutionis et tribulationis quo Ioseph confossus erat, de quo psalm. 104, 18: *Humiliaverunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius.* 5. Est gladius linguae, de quo psal 56, 5: *Filii hominum dentes eorum arma et sagittae: et lingua eorum gladius acutus.* 6. Est gladius passionis Christi, de quo ipse psal. 21, 21: *Erue a framea, Deus, animam meam.* 7. Est gladius amoris, de quo sponsus Cant. 4, 9: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa.* 8. Est gladius compassionis, de quo Iob. 16, 15: *Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.* 9. Est gladius iudicii divini, quem visus est habere ille, ex cuius ore procedebat gladius bis acutus, Apoc. 19.

7 Maria gladio ferreo non fuit occisa. Gladius ferreus nunquam gloriosam Virginem transfixit. Nulla enim docet historia B. Virginem ex hac vita gladii occisione migrasse. Praeterea vaticinium Simeonis non dixit, quod gladius pertransiturus erat corpus Virginis, sed animam, quo non obscure indicavit, eam fore non corporis morte, sed animi dolore afficiendam. Anima vero corporali gladio transfigi non potest.

8 Fidei constantia in Virgine quanta. Nec item gladius infidelitatis animam B. Virginis pertransivit, ita nimirum ut videns Filium, quem absque semine generatum sciebat, quem innumera signa edidisse videbat, crucifigi et mori, infidelitatis gladio, et ambiguitatis mucrone percussa cogitationibus suis in diversa laceraretur, uti putabant Origenes hom. 17 in Luc. et quidam alii ex antiquis, quos superius in tomo primo citavimus. Omnis enim Ecclesia docet semperque docuit, Deiparam nunquam excidisse a fide, nunquam vel saevo veniali affectam fuisse; in cuius signum maioris hebdomadae nocturnis unus cereus inextinctus servatur, designans in uno solius Virginis pectore fidem Ecclesiae per id temporis vivam, constantem, ardentem, excellentem constitisse, ut primo tomo disc. XCIII, n. 2, 3 probavimus et declaravimus. Praeterea sapientissima et constantissima Virgo Filii sui passionem, passionisque modum, nec non alia illius mysteria ad salutem omnium spectantia abunde intellexit, et distincte praecognovit magis quam David, Isaias, Daniel, aut aliquis prophetarum. Proinde absurdissimum est dicere eam animo vacillasse, mente haesitasse, ingenio titubasse. Quare Coppensteinius noster in biblioth. concionatorum, dominica infra oct. nat. Domini, disc. 19, p. 1 putat assertionem Origenis mere haereticam; sed propter reverentiam non tam Origenis, quam aliorum sanctorum patrum a tam severa censura abstinendum censeo, sed cum doctore angelico pie illorum intentionem interpretandam esse autumo. Eos nimirum locutos fuisse de dubitatione non infidelitatis, sed admirationis, et discussionis, qua quis de veritate aliqua omnino certissimus miratur, et per modum dubitationis stupet, seu discutit, qualiter res ita se possit habere. Ita s. Thomas 3 p. q. 27, art. 4 ad 2. Quod d. Basilius epist. ad Optimum optime declarat: *B. Virgo*, inquiens, *assistens cruci, et aspiciens singula, post testimonium Gabrielis, post ineffabilem divinae conceptionis notitiam, post ingentem miraculorum ostensionem animo fluctuabat, ex una parte videns eius abiecta, et ex alia parte considerans eius mirifica.* Hic tamen gladius in anima Virginis non mansit, sed pertransivit quasi fumus et umbra. Ipsum Origenes homil. 1 luculenter adstruit his verbis: *Cur non putamus eandem Virginem apostolis saepe lapsis, et a Christo non semel merito reprehensis laudabiliorem purioremque fuisse, ut non solum a dicto scandalo, sed etiam ab omni peccato maneret immunis?*

Coppensteinii censura severa in Origenem.

Dubitatio qualis in Virgine.

9 Nec item gladius severitatis divini iudicii animam Virginis pertransivit, ut d. Hilarius verba Simeonis intelligi voluit. Nam cum B. Virgo nunquam peccaret, consequens est severum illud iudicium divinum nihil severitatis ei allaturum, cum in corpore et anima gloriosa in eo comparebit. Sextuplex itaque gladius animam B. Virginis pertransivit.

1. Gladius amoris. D. Bernardus: *Est*, inquit, *sagitta electa amor Christi, quae cor Virginis pertransiit, quia nullam particulam in corpore virginali vacuam reliquit.* 10 Qualis gladius animam B. Virginis pertransivit.

2. Gladius verbi Dei animam Virginis pertransivit. Ipsa enim cognitio qua Virgo Deipara Filii sui opprobria, pressuras, mortem denique penetrabat, non poterat instar gladii ancipitis cor et animam Virginis acriter non transverberare, d. Ambrosio attestante, qui in caput 2 Luc. ait: *Istum gladium cor et anima Virginis profunde immersum habuit, quia Dei mysteria ceteris profundius penetravit, et verba Dei de Christi passione, et ceteris operibus semper in corde medullitus portavit, iuxta illud: Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.* O quam acris et acutus fuit ille gladius, quem Christus in cruce pendens ex ore suo exemit, dicens: *Mulier, ecce filius tuus. O qualis commutatio!* inquit d. Bernardus, *Ioannes pro Iesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedaei pro Filio Dei, purus homo pro vero Deo.* Duplex hic gladius viscera Virginis confodit. Primo, quia vivus; vivebat enim adhuc Christus, cum illa verba protulit. Secundo, quia tam efficax, ut animam ipsius penetraret; gladius enim corporalis non penetrat, nisi corpus. 11

3. Gladius angustiae, angoris, tribulationis animam B. Virginis pertransivit, ut d. Augustinus epist. 19 explicat in haec verba: *Tribulationem igitur gladii nomine significatam esse credibile est, qua materna anima vulnerata est doloris affectu.* Quo animi angore excruciabatur Beatissima Virgo, cum ab Herode lupo crudelissimo mitissimus agnus, Filius suus devorandus quaerebatur? cum intempesta nocte, insalutatis amicis, ac rebus male compositis, ad impios et barbaros Aegyptios ingentes itineris molestias devorans aufugit, ut a furore Herodis dilectissimum Filium liberaret? qua putas moerore affecta erat, cum duodennem Filium suum unigenitum, pretiosum suum thesaurum perdidit? Sed has et multas alias Virginis angustias et angores recensuimus superius disc. XCII per totum. 12 Angores B. M. Virginis.

4. Gladius linguae gravissimo dolore virginea viscera confossa fuisse quis dubitat, cum audivit Filium suum vocari voracem, vini potatorem, daemoniacum, populi seductorem, samaritanum, sabbati transgressorem, legis violatorem? 13

5. Gladius passionis Christi animam Virginis pertransivit; idem enim crucis gladius qui Christum in carne occidit, Matrem etiam in corde et affectu vulneravit, et transfixit. Hoc est quod Simeon ait: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, hoc est animam tuam, quae est ipsius Christi, non solum creationis et redemptionis iure, sed etiam amoris titulo crucis gladius pertransibit. Vel aliter: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, hoc est gladius ipsius Christi ad animam tuam pertransibit. Sumpsit, ut opinor, Simeon metaphoram a gladiatore, qui tam fortiter gladio aut hasta quempiam transfigit, ut in alteram partem gladius egressus aliquem proxime adstantem si non occidat, saltem graviter vulnerat. Ita prorsus Mariae evenit; cum fera mors praeacuto spiculo suo Christum transfodisset, simul etiam Matrem sibi carne et affectu proximam confodit. Hoc est quod d. Bernardus de lament. Virg. ait: *Vulnera Christi patientis erant vulnera Matris dolentis.* Quod autem addit Simeon *pertransibit*, ingentem Virginis dolorem significat, ut qui non futurus esset superficialis, ut ita loquar, sed ad intima penetraturus; unde d. Hieronymus in serm. de assumpt. vel, ut alii volunt, Sophronius dixit: *Constat quia Mariam tam doluit, ut totam animam pertransiret, ac possideret vis doloris.* Atque hanc puto rationem propter quam licet tot instrumentorum genera ad cruciandum corpus Christi confluxissent, nempe flagella, spinae, clavi, mallei, crux, fel, acetum, lancea; gladii tamen ictus nunquam in viventem in eum irruit: hanc inquam arbitror esse rationem, quod Christus passionis suae Matrem voluit consortem habere, et cum ea passionis instrumenta dividere; clavos, crucem, spineam coronam sibi reservans gladium Matri praebuit. 14 Gladio cur Christus ictus non est.

6. Gladius compassionis animam Virginis pertransiit. Euthymius in caput 2 Lucae gladium nominavit dolorem acutissimum qui penetravit cor Matris Dei, dum Filius cruci affixus erat. De hoc enim cruciatu Simeon vaticinatus est. O quam durum, ac molestum Virgini Matri fuit, parentem se ad mortem filium videre, et sibi valedicere; frendentes lupos in agnum illum immaniter grassari; in summa agonia sanguineum sudorem copiose in 15 Dolores Virginis in Christi passione.

Digitized by Google

horto effundere; a Iuda per proditionem tradi; ab immanissimis hostibus comprehendi; ligatum ante varios iudices produci; a Petro ter negari, et a reliquis discipulis deseri; gravissimis flagellis exulcerari; acutissimis spineae coronae cuspidibus tempora eius terebrari; ad mortis supplicium inique adiudicari; Barabbae homicidae et sceleratissimo homini postponi; lignum gravissimum suis humeris baiulare; crucis tormentum subire; morte turpissima interire, et dirae lanceae mucrone latus eius perforari! Quamquam autem multae tribulationes animam B. Virginis transfoderint, illa tamen compassio specialiter animam eius vulneravit, quae Domino in cruce moriente materna viscera transfixit. Unde venerabilis Beda Virgini Matri canit: *Cuius pium pertransivit ensis dolor spiritum, Natum tua de corpore Deum mori dum cerneres.* Hi itaque sunt gladii, qui animam B. V. Mariae pertransierunt, eamque martyrem, immo plusquam martyrem effecerunt.

16 Martyr quis. Nec mihi obstrepet quispiam B. Virginem letalia vulnera, et actualem mortem non pertulisse, et ob id martyrem nequaquam dici posse. Martyr enim ille dici potest, qui pro fidei confessione tormentum aliquod sostinuit, etiamsi tormento illo non occubuit. Certe s. Ioannem evangelistam tanquam verum martyrem Ecclesia catholica colit, qui solum Domitiani iussu in dolium ferventis olei missus, mortis agonem obiit, re ipsa tamen mortem non gustavit, quia miraculose ex oleo illaesus, pulcrior ac vegetior egressus est. Extat Romae martyrii eius locus sacello insignitus, in cuius pariete ipse in dolio olei bullientis depingitur cum hac inscriptione: *Christi apostolus, et evangelista, propheta, et martyr e dolio ferventis olei vegetior exivit.* At B. Virgo ingens tormentum pro confessione fidei Filii sui D. N. Iesu Christi sustinuit, non quidem a ferro carnificis, sed ab acerbo dolore cordis.

S. Ioannes evangelista verus martyr.

17 Haeretici labuntur. Quare sileant haeretici, obmutescant miseri, obturent ora canes, qui Virgini Sanctissimae commiserationem, et acerbissimum dolorem ob mortem dilectissimi Filii sui impudenter adimunt, et eam stoicam, stupidam, quovis saxo duriorem faciunt. Etenim si mors Christi durissima saxa scidit, terram commovit, sepulcra aperuit, solem obscuravit, densissima terrarum caligine totam terram operuit, putandumne tenerrimum, ac piissimum cor Mariae Matris eius tam insensibile fuisse, ut inanimatis creaturis minime cederet, immo eas sua duritia superaret? Absit hoc a cordibus fidelium. Et vero, ut Iuvenalis ait:

Maria in morte Filii acriter doluit.

Mollissima corda
Humano generi dare sua natura fatetur,
Cum lacrimas dedit haec nostri pars optima sensus.

Quare nonnisi ineptissime protervus quis inficiari poterit Virginem Sanctissimam suavissimae ac delicatissimae complexionis minime concussam fuisse, at copiosum imbrem lacrimarum non effudisse, cum unigenitum Filium suum tam turpi, ignominiosa, et acerba morte sibi sublatum cerneret.

18 Praeterea si commiseratione, quam natura matribus indidit in filios, prorsus caruisset, ad iudicandum se non esse veram eius matrem ansam dedisset. Si enim sapientissimo Salomoni efficacissimo argumento fuit feminam illam veram matrem non esse, quae libenter patiebatur infantem dividi, sed illam potius quae naturali ac materno affectu commota maluit filio privari, quam eum cernere trucidari, et dividi, 4 Reg. 2, quod putas argumentum esset Beatissimam Virginem veram Christi Matrem non fuisse, si eum aspiciens Filium suum unigenitum tam dire caesum, in ligno suspensum, conclavatum, denudatum, materno affectu minime commota fuisset? Negat insana haeresis, si non verbis, certe ipsa re, B. Virginem aut Christi Matrem non fuisse, aut non hominem, sed feram, aut stipitem vel saxum fuisse. Sed iam argutias eorum diluimus.

DISCURSUS CCCXC

RATIONES HAERETICORUM QUIBUS PROBANT B. M. VIRGINEM IN MORTE FILII SUI NON DOLUISSE, AC CONSEQUENTER MARTYREM NON FUISSE DILUUNTUR

1 Scripturas crepant Scripturarum depravatores; quare audiendi non sunt, licet testimonia sacra proferant. Gellius lib. 18, c. 3 narrat, apud Lacedaemonios cum de summa reipublicae ageretur, virum quemdam disertum et doctum, sed improbum et impurum optimam sententiam dixisse, quae cum placeret omnibus, et iuxta eam decretum faciendum videretur; tamen ferre non poterant, ut optimum consilium turpitudine auctoris foedaretur. Electus est itaque vir quidam gravissimus qui omnium consensu eandem sententiam diceret, et, nulla prioris habita mentione, huius sententia in decretum referretur. Ad eundem modum haeretici licet prava sua dogmata Scripturis fulciant, nequaquam tamen audiendi sunt, quia omnia miscent, ut ex malis bona inficiant, et per bona mala sua abscondant: quae etiam causa est, cur Christus et apostoli prohiberent daemones vera dicere; ne videlicet per ea fidem sibi acquirerent, et postea falsa etiam illis crederentur. Lucas 4, 41 ait, quod Dominus non sinebat daemones dicere: Tu es Christus Filius Dei; et Act. 16, 17 d. Paulus prohibuit diabolo dicere: *Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis.* Sic et nos haereticos audire non debemus, cum sacra testimonia in fulcimentum sui erroris adhibent; hoc enim faciunt, ut per bona mala abscondant, incautos decipiant, ut eis credant postea, cum falsa praedicant. Videamus igitur haec sacra testimonia, quibus errorem suum fulciunt.

Haeretici Scripturas allegantes audiendi non sunt.

Primo opponunt Apostolum in ep. ad Thess. 4, 12 dicentem: 2
Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent, et Augustinum haec verba interpretantem hoc modo: *Necesse est, ut tristes simus, quando nos moriendo deserunt quos amamus: quia etsi novimus eos non in aeternum relinquere nos mansuros, sed aliquantulum praecedere secuturos; tamen mors ipsa quam natura refugit, cum occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis affectum. Ideo nos admonuit Apostolus ut non contristemur, sed non sicut ceteri, qui spem non habent. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur. Inde infirmitas afficit, hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio.* Haec ille. Sed sciebat, aiunt, Beata Maria per mortem Filii sui divinam voluntatem impleri, et salutem generis humani perfici; quare merito gaudere, non dolere debebat.

Prima obiectio.

Huic obiectioni satisfit in hunc modum: Beatam Mariam Virginem in morte Filii sui simul gaudentem, et dolore vehementi excruciatam fuisse non abnuo; gaudentem propter summam cum divina voluntate conformitatem, summo dolore affectam ob dilectissimi Filii passionem; gaudentem de fructu passionis, moestam ex acerbitate doloris. Sicut enim Christus patiens simul gaudebat, et dolebat; gaudebat in parte superiore de paternae voluntatis adimpletione et de humani generis redemptione; dolebat in parte inferiore puta sensitiva de propriae carnis afflictione: ita Virgo Deipara de passione Filii dolebat, et de eiusdem futura gloria ac humani generis redemptione gaudebat. 3

Solvitur.

Opinor Beatissimam Virginem passionis tempore perinde se habuisse, ac deam illam quam *Agoniae* veteres ethnici appellabant, teste Macrobio libro 4 saturnaliorum. Haec enim licet in signum doloris ac tristitiae, ore clauso, vultu moesto, labiis sigillatis fingeretur; nihilominus tamen intra ambitum templi deae gaudii morabatur. Non aliter Maria. Licet de Filii passione summo dolore afficiebatur, zelo tamen redemptionis humanae, et studio conformitatis voluntatis suae cum divina in morte Filii sibi complacebat. Non esse autem contra rationem duo contraria simul esse in diversis subiectis et circa diversa obiecta docti norunt; immo ipsa experientia docet, quod aeger cui medicina propinatur, spe conceptae sanitatis vas in quo medicina continetur, una manu avide arripit; at ubi eam olfactus praesentit, altera manu respuit, donec tandem valetudinis desiderium litem dirimat, potionemque licet amaram sumendam persuadeat. Non secus Beatae Virgini accidit. Propter summam cum divina voluntate conformitatem, et redemptionis humanae zelum mortem Filii laetanter excepit; sed propter eius turpissimam mortem, ac indignissimam passionem summo dolore affecta erat. Unde moestitia et laetitia erant velut duo contrarii fluctus maris, qui sibi invicem occurrentes cor Virginis concutiebant, et quanto firmius sperabat brevi Filium resurrecturum, tanto impensius vacabat moerori, ardentius desiderans dolore passionis et mortis eius participatione non fraudari. 4

Secundo adducunt in exemplum matrem Machabaeorum ex divino eloquio, et Melaniam matronam nobilem ex d. Hieronymo gaudentes, illam de filiorum cruciatu, istam de mariti morte. Sed valde dispar ratio est; illae enim matres de morte sibi ca- 5

Secunda obiectio.

Solvitur.

Digitized by Google

rorum non dolebant, quia ad vacandum Deo magis, quam ad curam suorum expeditiores erant. Unde Paulus 1 Cor 7 ait, mulierem nuptam esse divisam. Quod in Beate Virgine locum non habebat, quia amando Filium suum, Deum ipsum amabat: et quanto maiorem solicitudinem habebat placendi Filio, tanto maiorem habuit placendi Deo; cum idem esset et Filius suus et Filius Dei: quare ex Filii consortio nulla erat distractionis occasio, sed potius strictioris unionis cum Deo.

6 Tertia obiectio. Sanitis Aegyptiorum regis captivitas.

Tertio obiciunt illud d. Ambrosii effatum: *Stantem lego.* Sed nihil efficiunt. Haec enim verba maximum Beatae Virginis dolorem arguunt. Quod exemplo illustro. Sanites Aegyptiorum rex a Cambyse rege Persarum victus, cum in potestatem eius cum liberis et amicis venisset, hoc modo ab eo afflictus est. Primo eius filiam cum reliquis famulabus urnas portantibus ob oculos posuit, quo spectaculo Aegyptii valde commoti lacrimas effuderunt: pater vero nullum indicium doloris prodidit. Id observans Cambyses alio immaniore spectaculo animum eius excruciari iussit. Filium eius sordida, squalida et abiecta veste indutum, ferreum annulum cum aliis mancipiis in collo gestantem in conspectu patris frequentius apparere voluit. Aegyptii e dolore et lacrimis se temperare non poterant: pater vero nullum, sicut et antea, interni moeroris indicium exhibuit. Accidit paulo post carissimum eius amicum qui una cum eo in bello captus fuerat, illac transire, Sanites lacrimas continere non potuit. Rogatus a rege cur filiorum miserias non ploraret, amici vero infortunium tam amaro planctu prosequeretur, respondit: Prior dolor internus tam ingens erat, ut cor meum obstupesceret, et lacrimas sisteret: secundus vero quia levior, fontes lacrimarum aperuit. Et vere vulgo dicitur: *Dolor levis lacrimas movet, ingens vero obstupefacit.* Ad eundem modum illustris Regina coeli videns Regem regum, unigenitum Filium suum instar fatui alba veste indutum, et tanquam ridiculum regem purpura circumdatum, inter vilissima mancipia, nimirum inter latrones suspensum, stans duntaxat et non flens legitur. *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* Tantum quippe ad horrendum illud spectaculum obstupuit, tantumque admirata est tanto dolore interno occupata, ut lacrimas penitus sisteret, et absorberet.

7 Quarta obiectio.

Nec illud Christi verbum ad mulieres: *Filiae Ierusalem nolite flere* etc. pietatem christianorum infirmat. Illae enim mulieres ob ignorantiam flere prohibentur, eo videlicet, quod Christum velut hominem vulgarem non sponte, sed coacte pati existimarent, et mysterium dominicae passionis ac resurrectionis ignorarent. Fletum ergo ex falsa existimatione profectum Dominus prohibet, sed fletum ex pietate et affectu gratanter accipit. Unde eos qui sibi non condolent, per psalmistam arguit psalm. 68, 21: *Improperium expectavit cor meum et miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolatur, et non inveni.*

Nemo igitur Beatissimae Virgini molestus sit; ipsa enim licet in pace vitam finierit, nihilominus martyr effecta est, cum de passione Filii sui dolores acerbos tulit. Si enim Samuel de morte impii Saul, et David de infelici exitu rebellis filii Absalom gravi dolore commoti sunt, ut David diceret 2 Reg. 18, 33: *Fili mi Absalom, Absalom fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te?* si Christus videns Ierusalem, ruinam illius flevit, Luc. 19, quanto magis dignum non erat, ut piissima Mater super morte non impii Saul, non super nece rebellis Absalom, sed super sanctissimi Regis regum, Domini dominantium morte, et obedientissimi Filii sui nece ploraret? Huius doloris et ploratus participes nos faciat Christus Dominus noster, qui cum Patre vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per aeterna saecula. Amen.

DISCURSUS CCCXCI

B. V. MARIA *REGINA MARTYRUM*, QUIA IN PASSIONE CONIUNCTISSIMA FUIT CHRISTO REGI MARTYRUM

1 Reginae dignitas et praestantia tota e regia dignitate et praestantia fluit, unde etiam eodem titulo, quo rex ipse, gaudet; quod totum ab intima coniunctione cum rege procedit iuxta illud: *Erunt duo in carne una.* Sane Beatissima Virgo Christo Regi nedum carne, verum et affectu, ac meritis coniunctissima erat. Unde quod Christo qua homo est, attribuitur, idem eidem optime attribui potest, et debet.

2 Christum esse Regem martyrum quis nesciat? et B. Virginem Reginam martyrum quis neget? Ab his duobus tanquam parentibus in cruce omne martyrium sumpsit exordium. Et a Christo quidem, id quod in sanguine est; a Virgine, quod doloris in corde. Christi sanguis semen fuit martyrum qui in carne passi sunt: lacrimae Mariae semen martyrum fuere qui in corde dolebant. Igitur B. V. Maria optime Regina martyrum dicitur.

Vere ingens fuit Sanctissimae Virginis cum Domino Iesu unio 3
et sympathia, utpote quae eret ipsius simul pater et mater, (si ita dicere fas est) et Christus mere os de ossibus suis, et caro de carne eius, et sanguis de sanguine eius. Unde ambo adeo conformes et invicem uniti erant, ut bonum vel malum unius ad alium sese transfunderet, et esset bonum vel malum alterius. Atque ut solis deliquio luna statim obscuratur, utpote quae nonnisi de illius splendore mutuato resplendet: ita se res in his geminis habebat, ut quod uni accidebat, hoc alteri evenisse videbatur; atque ut uno oculo lacrimante alter statim in lacrimas prorumpit, ita Christo patiente, statim in Mariam passio eius transibat; maior enim sympathia inter Christum et Mariam, quam inter solem et lunam, oculum et oculum intercedebat: quia sibi invicem in omnibus actionibus ita conformes et coniuncti erant, perinde ac si una eademque anima utriusque corpus animasset. Proinde licet carnifices non intenderent Matrem propter Christum affligere, tamen re ipsa persequendo Christum ipsam persequebantur; passio enim Christi instrumentum fuit passionis et martyrii Mariae. Unde sicut sancti martyres cum instrumentis martyrii sui depingi solent, puta Petrus cum cruce, Paulus cum ense, Laurentius cum craticula, Sebastianus cum sagittis, Stephanus cum lapidibus: ita B. Virgo depingitur cum Christo passo. Is enim praecipuus fuit sui martyrii gladius, qui sacratissimam eius animam letaliter convulnerabat. D. Bernardus serm. de pass. ita ait: *Quod in carne Christi agebant clavi et lancea, hoc in Virginis mente naturalis affectus erga Filium.*

Christus cruci affixus erat velut fons dolorum et afflictionum: 4
Beata autem Virgo velut rivus copiosis illis aquis tribulationum redundans. Christus erat velut sigillum incisa habens instrumenta clavorum, et lanceae, velut insignia quinque vulnerum stigmata: Beata autem Virgo erat velut cera ad figuram illam recipiendam aptissima, et cum sacro illo sigillo nedum corpore, verum et amore esset coniunctissima, fieri non poterat, ut imago illa exacte non exprimeretur. Quare Christus sponsus ad eam Cant. 8, 6: *Pone me*, ait, *sicut signaculum super cor tuum.* Cristus enim crucifixus velut signaculum fuit, qui dolores suos velut regia insignia cordi carissimae Sponsae, et Matris suae impressit.

Christum tribus clavis crucifixum, et uno tantum clavo pedes terebratos fuisse asserunt patres gravissimi, et historici insignes, d. Gregorius nazianzenus de Christo patiente, d. Anselmus dialog. de pass. Christi, d. Bonaventura in medit. vitae Christi, d. Ambrosius de obitu Theodosii, Rufinus lib. 2, c. 8, Nicephorus l. 8, c. 2, et Zonaras cap. 3 annalium. Usus quoque communis Ecclesiae, quae Christi crucifixi imagines cum tribus tantum clavis depingit, idipsum confirmat. Ad eundem modum Beatissima Virgo tribus clavis a Christo confixa erat. Unus fuit viva et vehemens omnium eorum apprehensio, quae Filius patiebatur; alter intimus, ac ineffabilis amor, quo Filium prosequebatur; tertius materna eius compassio, quod talis Filius, scilicet Deus et homo tanta sustineret, ac pateretur. 5 Christus quot clavis fuerit cruci affixus. Clavi quibus fuit cruci Christi affixa Maria.

Perspicuum fuit speculum Maria Christi passionem, mortemque perfectissime repraesentans; unde quidquid in Filio fiebat, hoc totum Mater velut speculum exhibebat, ut b. Laurentius Iustinianus lib. de triumphali Christi agone praeclare docebat: *Cor*, inquiens, *Mariae clarissimum fuit speculum passionis Christi, et perfecta mortis eius imago.* Quemadmodum enim vulneratus intuens se ad speculum, necesse est, ut vulnera sua speculum recipiat, et repraesentet: ita B. Virgo cum esset speculum tersissimum, et clarissimum, omnes Filii sui dolores, ictus et omnia vulnera in seipsa excipiebat, et perfectissime exprimebat. Orante Filio in horto, et ipsa orabat. Illo voluntatem suam in voluntatem Patris resignante, et ipsa resignabat. Illo in genua se sinciente, et in terram procidente, ipsa se prosternebat. Illo sanguineum sudorem emittente, illa sanguineas lacrimas fundebat. Illo contristato, et ipsa angebatur. Illo metu mortis consternato, ipsa morte illius perterrebatur. Illo in agonia constituto, ipsa ingemiscebat. Illo ab angelo confortato, et 6 Maria speculum passionis Christi. Maria simul cum Christo patiebatur.

Digitized by Google

ipsa confortabatur. Ille apostolos dormientes excitante, ipsa sensus suos languore oppressos excitabat. Illo de Iuda proditore dolente, et ipsa dolebat. Illo comprehenso et vincto, illa vinculis amoris stringebatur. Illo spinis coronato, flagellato, consputo, colaphizato, crucifixo, aceto potato, lancea perforato, sepulto, ipsa in corde spinis dolorum coronabatur, flagellabatur, conspuebatur, colaphizabatur, crucifigebatur, amaritudine potabatur, in anima sauciabatur, sepeliebatur. Id ipsa Deipara Virgo d. Birgittae lib. 2 revel. c. 21 revelavit in hunc modum: *Vere dicere possum quod sepulto Filio meo, quasi duo corpora in uno sepulcro fuere.* Et quid mirum? Si d. Paulus ob eximium amorem erga Christum dicere non dubitavit: *Vivo ego, iam non ego; vivit vero in me Christus*, Gal. 2, 20, quanto magis Virgo haec usurpare non poterat, quae magis intime per amorem Christo coniuncta erat? Vivo ego iam non ego; patior ego, iam non ego; morior ego, iam non ego: vivit vere, patitur, moritur in me Christus. Quare d. Bernardus de lament. Virg. optime dixit: *Vulnera Christi morientis erant vulnera Matris dolentis.*

7 Altare duplex.

D. Ioannes Chrysostomus in hoc mysterio sacratissimae passionis Domini nostri contemplatur duplex altare. Unum in quo Christi corpus in cruce per passionem offerebatur; alterum in quo anima Matris per compassionem transfigebatur. Cum enim amor ex d. Thoma 1 p. q. 20, art. 2 vim habeat, ut amans videatur esse in amato: consequens est B. Virginem in Filium transformatam eundem dolorem passam fuisse in mente, quem Filius patiebatur in corpore. Id b. Birgittae ipsa Deipara Virgo revelare dignata est his verbis: *Propterea cum nasceretur ex me Filius meus, sensi ego, quod quasi dimidium cor meum nasceretur, et exiret ex me: et cum ipse pateretur, sensi quod quasi cor meum patiebatur: sic ergo cum flagellaretur et puniretur Filius meus, quasi cor meum flagellabatur et puniebatur. Ego ei fui propinquior in passione, nec separabar ab eo, et stabam vicinior cruci eius, et sicut gravius pungit quod vicinius est cordi, sic dolor eius gravior prae ceteris erat mihi.* Lege revelationes b. Birgittae lib. 1, c. 6.

8 Maria cum Christo patiebatur.

Guerricus abbas premens illa verba s. Ioannis 19, 25, *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius*, ait: *Plane iuxta crucem Iesu stabat, cuius mentem dolor crucis simul crucifigebat.* Omnia quae Christus patiebatur in corpore, Maria patiebatur in animo; mactabat se Filius in cruce, offerebat se B. Virgo in eadem cruce; Christus carnem, Maria immolabat animam; et quia utriusque una voluntas erat, unum etiam sacrificium offerebant, Christus in sanguine carnis, Maria in sanguine cordis. Optabat quidem Maria ad sanguinem animae et carnis sanguinem suum adolere, et elevatis in cruce manibus, una cum Filio sacrificium illud vespertinum celebrare, et cum Domino Iesu corporali morte redemptionis nostrae mysterium consummare. Sed hoc solius summi Sacerdotis privilegium erat, ne forte quis calumniaretur Christum ad pretium illud persolvendum minus sufficientem fuisse. Christo itaque patiente in carne, Maria patiebatur in mente. Suscepit Deus votum Matris suae, et quae unius voluntatis erat cum Filio, unum idemque sacrificium Deo Patri obtulit cum eo.

9 Abraham mactaturus filium se mactavit in filio, eo quod corpus suum immolabat in eo, s. Petro Chrysologo attestante sermone 108: *Quid aliud Abraham, quam corpus suum immolabat in filio?* ita ut idem esset sacerdos et victima, pontifex et sacrificium. Perfectius id praestitit Virgo, quae non in solo voto, sed re ipsa carnem suam immolavit in Filio, et tanto gratius sacrificium Beatae Virginis Deo fuit, quo a maiore dilectione processit.

10 Quidquid Christus extra patiebatur, intus patiebatur Mater, ita ut dolores Filii essent dolores Matris, et Christi vulnera suscepta in corpore Mariam vulnerarent in corde. Qui chordarum harmoniam temperent, ut inquit d. Gregorius initio moralium, tanta arte hanc dispensant, ut plerumque cum una tangitur, et sonum reddit, illa quae eodem conatu temperata est, aliis impercussa tremit. Christus et Maria erant veluti duae chordae citharae unius. Hinc B. Virgo ad Christum in sepulcro conditum: *Exurge*, ait, *gloria mea, exurge psalterium, et cithara.* Cui Christus: *Exurgam diluculo.* Si igitur inter chordas tanta consonantia, sive, ut Graeci loquuntur, sympathia est, ut una percussa, altera tremat, quanto maior inter Christum et Mariam sympathia intercessit, quae et nedum in naturalibus, verum et in gratuitis donis coniunctissima fuit. Cum ergo Christus pateretur, Mariae viscera torquebantur. Pulcre Augustinus de Vich. in Sab. c. 4: *Crux et clavi Filii fuerunt etiam Matris. Quid enim? Erant duae mysticae citharae, quarum una sonante, resonat altera, nulla etiam pulsante; Christo crucifixo, crucifigitur et Mater.*

Apostolus 1 Corinth. 12, 26 ait: *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Atque ut est in proverbio; *Quando caput languet, cetera membra dolent.* Beatissima Virgo praecipuum erat corporis Christi mystici, scilicet Ecclesiae membrum; erat enim veluti collum reliquis membris capiti coniunctissimum: igitur prae ceteris capiti suo Christo compatiebatur. 11

Idipsum insinuasse videtur Christus Cant. 8, 6 sponsam alloquens: *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Signaculum Christi Virgo Deipara erat, quae eum in vita et moribus repraesentabat. Sicut ergo figurae et characteres sigilli in ceram transfunduntur: ita Christi vulnera atque cruciatus in cor Mariae imprimebantur. Nec vulnerum plagam recipiebat Christi corpus, quarum echo per compassionem non corresponderet in corde Matris. 12

Id confirmat revelatio s. Birgittae facta, quae habetur lib. 6, cap. 30, ubi s. Agnes narravit, quasi tot ictus gladii Virginem sustinuisse per compassionem, quot in Filio suo vulnera et plagas praevidebat, et videbat. Adde lanceam illam qua Christi pectus transfixum est, maiorem in corde Virginis, quam in latere Salvatoris dolorem causasse. Christus enim iam tunc mortuus erat, nec dolorem sentire poterat: Mater autem viva fuit, cum lancea illa militis cor eius per compassionem transfixit. Divisit Christus, ait Lanspergius, cum Matre sua huius vulneris iniuriam, ut ipse quidem persecutionem, et vulnus exciperet, sed tamen dolorem non sentiret: Mater vero huius vulneris in se poenam et dolorem reciperet. 13

Lancea Christi plus afflixit Mariam, quam Christum.

Plus est: dolores Christi et Mariae mutuo se augebant; Christus enim, dulcissima sua Matre cruciatus suos summo cum moerore spectante, gravius patiebatur: Maria quoque Filium sibi compatientem conspicata vehementius dolebat. Quemadmodum duo specula sibi e regione opposita plerasque imagines, easque reflexus mutui in se mutuo recipiunt: ita Christus et Maria cruciatus sibi invicem communicabant. Matris dolore Christus corripiebatur: Christi dolore Mater afficiebatur. Christus dolebat dolorem suum doleri a Matre: Mater dolebat dolorem suum doleri a Filio. Illustrissimus est b. Laurentii Iustiniani libro de triumph. agone, cap. 14 hac in parte discursus. *Gemebat*, ait, *Filius quod Mater in tam horrendo esset spectaculo, et ad cor Virginis loquebatur dicens: Ut quid venisti columba mea, formosa mea? Dolor tuus meum auget, cruciatus tuus transfigit me. Heu heu quo properas, quo venis Mater? ad fontem lacrimarum, et locum miseriarum reperis? Recede Mater, abi, propera, nec enim veniens medelam languori meo ferre poteris, immo dolorem meum augebis. Interne cruciabor magis, cum te mei amore cruciari videro: cruciatu meo cruciaberis Mater, et ego tuo.* 14

Idipsum clarissimis verbis contestata est B. V. Maria apud s. Birgittam libro 1 revelationum, cap. 6: *Cum respexisset Filius meus ad me de cruce, et ego ad eum, tunc de oculis meis, quasi de venis lacrimae exibant; et cum ipse me cerneret dolore confectam, in tantum amaricabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnerum suorum quasi sopitus erat prae dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico: quod dolor eius erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum; ideo filia mea cogita qualis eram in morte Filii mei, et non erit tibi grave relinquere mundum.* 15

Summus est. B. V. Maria coniunctissima fuit Christo in passione, non tantum quia utriusque erat unum altare, puta crux, in qua ambo immolabantur, in qua Christus Patri se offerebat victimam corpore, Maria vero spiritu; sed etiam quia Maria in Filii sui pectore velut in altari se Deo mactabat: Christus vero in Matris brachiis et gremio velut in cruce confixum se Patri in sacrificium offerebat. Paradoxa videntur quae dico, tamen verissima. Maria in Filii sui pectore se immolabat. Legimus in gestis sanctorum apud Eusebium libro 9 historiae, capite 5 de s. Luciano presbytero antiocheno, qui cum martyrio ad mortem destinatus sacram Eucharistiam ardenter desideraret, et suspensis discipulis quomodo altare illuc inferrent, ait: *Altare erit nobis hoc pectus meum.* Altare itaque non habentes in quo sacrificium Deo sacerdos offerre posset in carcere, ex vivi hominis corpore vivum altare construxerunt, et super pectus sancti Luciani victimam Deo sacrarunt. Sic et Maria in Filii sui corpore velut in altari sui sacrificium Deo fecit, cum cor suum una cum Filio 16

Maria in Filii sui pectore se immolabat.

Super s. Luciani pectus missa offertur.

Digitized by Google

crucifixo Deo gratam victimam obtulit. Hoc ante me cogitabat, et non obscure docebat Arnoldus carnutensis in tractatu de septem verbis Domini, ubi de Virginis sacrificio loquens, ait: *Ipsa seipsam mactans in altari ligna et flammas congerebat. Altare erat in corpore Filii.*

17 Sed et Christus in Matris brachiis et gremio velut in cruce crucifigebatur; cum enim infans decussatis in crucem brachiis pectori Matris adhaerebat, crucem in qua postea passurus erat, cogitabat, uti revelatum fuit s. Birgittae in haec verba: *Manibus eum gestans videbatur illi, quod crucis brachiis esset confixus.* Sed multo acerbius in Matre crucifigebatur, cum ex compassione plus de Matre quam de se in cruce pendens dolebat, ut ipsa B. Virgo s. Birgittae revelavit in haec verba: *Filius meus videns me et amicos suos, oculis in coelum directis, clamabat ad Patrem: Pater quare dereliquisti me? Quam vocem ego nunquam, donec ad coelum veni, oblivisci potui, quam plus ex compassione mea, quam passione sua permotus protulit.* Ex his itaque constat multo gravius fuisse Christo Matrem ingenti sui causa dolore sauciatam videre, quam tot tormentis in cruce cruciari.

18 Huiusmodi reflexum omnium actionum, passionum ac dolorum non obscure insinuavit Virgo Deipara Cant. 2, 26, cum ait: *Dilectus meus mihi et ego illi.* Hoc est ego dedi ei carnem et sanguinem meum, ipse vicissim dedit mihi attributa sua, et ut essem gratia plena. Pater in coelis dedit illi divinam essentiam, ego Mater in terris carnis substantiam. Ego eum gestavi in utero, Pater in corde. Ego ex virginali utero eum genui in tempore, Pater ex cordis utero ante luciferum eum genuit in aeternitate. Ego ex sanguine meo ei dedi vitam, Pater dedit ei omnia. Ego dedi ei sanguinem meum, ille vicissim dedit ei nomen super omne nomen. *Dilectus meus mihi et ego illi.* Ego ei dedi humana, ille mihi divina. Hoc nimirum amore ita inter se intime erant uniti, ac si essent in unum redacti. Hinc dicere poterat: Ego et Filius unum sumus carne, sicuti Pater et Filius sunt unum divinitate. Fieri igitur non potuit, quin Virgo de Filii sui passione vehementissime doleret; nam nihil potuit pati Christus, quod non pateretur et Mater per omnia tanto Filio concors, unius voluntatis cum illo, et eiusdem animi.

Quare non incongrue Beata Virgo Cantic. 2 *lilium inter spinas* vocatur: quia quaecumque spinae Filium, eaedem Matrem confixerunt et lacerarunt vulneribus condolentiae et compassionis, ut advertit Rupertus in Cantica. Merito igitur B. M. Virgo vocatur *Regina martyrum*, quia in passione coniunctissima fuit Christo Regi martyrum. Sed alia ratio huius epitheti assignanda est.

DISCURSUS CCCXCII

BEATA VIRGO MARIA DICITUR *REGINA MARTYRUM*, QUIA FUIT PLUSQUAM MARTYR, ET PASSA EST PLUSQUAM OMNES MARTYRES

1
B. Virgo eximia martyr.

Voluit Deus ut omnium sanctorum virtutes et merita haberet Mater sua, immo ut universam sanctorum pulcritudinem non solum haberet, sed etiam excederet: unde etiam martyrum dona et merita non solum habuit, sed etiam excessit. Martyr fuit in Christi passione, ut vidimus, quia gladius doloris qui pertransivit animam eius in unigeniti passione, pro amarissimo martyrio ei computatur. Quare non solum martyr, sed etiam eximia martyr; et sicuti ob eximiam virginitatem dicitur Virgo virginum: sic ob immensos dolores quos passa est, merito appellatur *Regina martyrum*. In omnibus siquidem singularis Maria extitit, etiam in passione. Crediderim ego cruciatus huius Sanctissimae Matris tempore passionis Filii tantos fuisse, ut ceterorum martyrum poenae deliciae fuerint, si Virginis doloribus conferantur.

Mariae cruciatus maiores, quam aliorum martyrum.

2 Alii sancti etsi pro Christo passi sunt in carne; tamen in anima, quia immortalis est, pati non poterant. Beata Dei Genitrix quia in ea parte passa est, quae impassibilis habetur; ideo, quia spiritualiter et atrocius passa est, gladio passionis Christi transfossa plusquam martyr fuit.

3 Maria plus ceteris creaturis Christum filium suum dilexit, plus etiam ceteris in eius passione doluit: amor quippe doloris mensura est; quem enim magis diligimus, de eius malo gravius dolemus. Ex quo sequitur, quod sicut Maria Filium suum magis quam seipsam amabat, magis etiam in Filii tormentis torquebatur, quam si ipsamet pateretur. Id ante me cogitabat sanctus Amideus hom. 5 de B. Virgine: *Maria*, inquiens, *vicit sexum, vicit hominem, et passa est ultra humanitatem; torquebatur enim magis, quam si torqueretur in se; quia supra se incomparabiliter diligebat id unde dolebat.*

Christi dolores in cruce similes fuerunt doloribus parturientis, ut ait David psalm. 47, 7: *Ibi dolores ut parturientis*: ita etiam dolores Virginis fuerunt iuxta crucem ut parturientis, ipsa Deipara Virgine b. Birgittae id revelante lib. 2 revel. in haec verba: *Qualem autem tristitiam haberem tunc temporis, non est qui valeat dicere; eram enim sicut mulier parturiens, cuius omnia membra post partum tremula sunt.* Unde sancti patres eadem metaphora utentes dicere consueverunt, Beatissimam Virginem dolores quos in partu Filii effugit, eosdem in Filii passione pertulisse. Ita Cyprianus serm. de nativit. d. Athanasius in descriptione Mariae et Ioseph, d. Damascenus de fide orthodoxa libro 4, cap. 15, Anselmus lib. 4, cap. 15. Et Ecclesia in quadam prosa: *Nunc exsolvit cum usura gemitus, quos paritura natura continuit. Tempus nacta nunc natura, nunc reposcit sua iura, nunc dolores acuit.* Maior autem noius Virginis fuit dolor in Filii passione, quam omnium matrum cum genuerunt; nam in aliis matribus sobolis amor minuit dolores partus, in Maria vero amor ipse Filii saevior eius carnifex extitit. Nam quo magis Filium diligebat, eo magis morte illius excruciabatur. Maria ergo plusquam martyr fuit, quae omnium parturientium dolores suo dolore superavit. 4

Maria dolores quos in partu non habuit, in Filii morte sensit.

In Filii morte B. V. Maria sanguinem suum non fudit, effundere tamen parata erat; corporis martyrium non pertulit, sed cordis, quod gravius fuit quam corporis, sicut dolor animae dolores corporis superat. 5

Levia fuerunt martyrum tormenta, si Virginis passioni componantur, quod graviter docuit d. Anselmus de excellentia Virginis cap. 5, ita fatus: *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus martyrum, leve fuit, aut potius nihil comparatione tuae passionis, quae nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima.* Divus Bernardus in sermone super *Signum magnum*: *Tua*, inquit, *animam pertransiit vis doloris, ut plusquam martyrem non immerito praedicemus, in qua nimirum corporeae sensum passionis excesserit compassionis affectus.* Idem de lament. Virginis eam alloquens, ait: *Nunc solvis Virgo cum usura, quod in partu non habuisti a natura. Dolorem pariendo Filium non sensisti, quem millies replicatum Filio moriente passa fuisti.* 6

Maria plus passa est quam ceteri martyres.

Hoc est, quod Simeon a Spiritu sancto edoctus prophetabat: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quod si gladius passionis Christi usque ad animam eius pervenit, certe plusquam martyr fuit, ut s. Ildephonsus sermone 2 de assumptione Virginis argumentatur. Quod ipse Christus confirmat, cum in revelationibus s. Birgittae lib. 1, cap. 25 ad matrem suam ita loquitur: *Testimonium perhibeo tibi; quod tu in passione mea plus fuisti quam martyr.* 7

S. Antoninus doctrina et sanctitate celeberrimus, archiepiscopus florentinus 4 p. tit. 15, cap. 24, paragr. 1 id eleganti ratiocinatione deducit: *Dationi*, inquit, *animae debetur aureola martyrii; ergo dationi pretiosissimae animae et dilectissimae debetur pretiosissima aureola martyrii: sed Beatissima Virgo dedit pretiosissimam et dilectissimam animam, id est vitam Filii. Ipsa enim in infinitum plus dilexit animam, idest vitam Filii, quam b. Petrus animam, id est vitam sui ipsius; fuit enim pretiosissima vita Filii, cum pretium fuerit totius mundi. Ergo et habet pretiosissimam aureolam martyrii.* Haec s. Antoninus. Infera ego: ergo est Regina martyrum. Sed ut hoc martyrium Mariae magis splendescat, et omnibus magis notum fiat, disseramus uberius. 8

DISCURSUS CCCXCIII

DE MAGNITUDINE DOLORIS B. M. VIRGINIS IN PASSIONE FILII

Dolorem Sanctissimae Deiparae in passione Filii vehementissimum fuisse multa ostendunt. 1. Delicata suavissimae, ac benedictae huius Matris complexio, quae vehementem hunc dolorem eo sensibiliorem reddebat, quo Virgo Mater adhuc aetate tenerrima, et in templo ad omnem mansuetudinem semper educata erat, et nunquam forte ad illum usque diem suis oculis videbat aliquem flagellis caedi, vel in crucem tolli, quod primum in Filio exerceri vidit. Et ideo tanquam res insolita, compassione di- 1

Dolor Mariae in passione Filii quantus.

Digitized by Google

gna, et in Filio conspecta, maiore commiseratione ac compassione pissimum eius animum cruciabat.

2 S. Franciscus quam misericors.

2 Divus Franciscus, seraphim ille incarnatus, natura tam misericors et tener erat, ut nedum in homines, quibus propria vestimenta donabat, verum et in bestias pietatis suae argumenta daret oviculas iam iam iugulandas redimens. Lepusculum quendam captum, ac sibi dono datum libertate donavit, ac libere quo vellet abire permisit; praemonitum tamen blandiuscule, ne se iterum capi permitteret, immo fugere nolentem a fratribus ad loca solitudinis tutiora perferri iussit. Divus Bonaventura in eius vita cap. 8, parag. 5, et 7. Quanto magis tenerior Mater misericordiae non fuit? Puto quod ne vilissimum quidam animalculum ipsa aut occidi, aut pati sine maxima animi commiseratione potuisset. Si igitur dolores huius ad miserationem eam concitassent, quonam putatis affectam fuisse dolore, cum videret Filium suum carissimum tam diris modis excarnificari?

Quis posset lacrimis tantos aequare dolores?

3 2. Vehementioris huius doloris in Deipara argumentum fuit locus plagae, ipsum scilicet cor, quod et vitae centrum est, et omnium sensuum fons. Vulnera quippe eo sunt acutiora, et dolorem maiorem afferentia, quo in locis sunt delicatioribus. Erat-ne in mundo compassibili corde benignae, ac benedictae Matris nostrae quid tenerius? Nihil existimo. Quis igitur explicare poterit, quantus fuerit ille dolor Mariae, quem illa perpessa est in corde? Nemo credo. *Tantus fuit dolor Virginis*, inquit s. Bernardinus, *ut si in omnes creaturas, quae pati possunt, divideretur, omnes subito interirent.* Sed mirum quomodo tantum dolorem B. Virgo Maria sustinere potuit. Scilicet, quae suo gremio immensam Dei maiestatem claudere potuit, immensam quoque illius doloris magnitudinem infracto animo in pectore sustinuit, vires praebente Deo, quem utero suo conclusum habuit.

4 De filiorum morte dolor quam magnus.

4 3. Extrema doloris eius causa, eaque praecipua fuit amor erga Filium. Huiusmodi enim amor vehementissimus ac ferventissimus esse solet, quod multis argumentis ostendo. Iob sanctissimus, et laborum tolerantia insignis, audito primo nuntio de iactura boum, et aliorum pecorum quae Sabaei abduxerant; audito etiam secundo de Chaldaeis, qui camelos omnes vi abstulerant, nullum doloris indicium foras dedit. At ubi de nece filiorum tertium nuntium accepit, *tunc*, ut sacer textus Iob. 1, 20, *surrexit Iob, et scidit vestimenta sua, et tonso capite corruens in terram adoravit*, dolorem de nece filiorum alios quosvis dolores longe superare demonstrans.

5 Sanctus Iacob patriarcha per totum ferme vitae suae tempus pressuris, afflictionibus, persecutionibus agitatus, nullibi tamen planxisse legitur. Verum de filii sui Ioseph morte certior factus eum multo tempore luxit. *Scissis*, inquit Scriptura sacra, *vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum longo tempore*, Gen. 37, 34, tantoque eius desiderio flagrabat, ut in infernum descendere vellet: *Descendam*, dicens, *ad filium meum lugens in infernum*. Et quod olim de Orpheo poetae luxerunt, eum nimirum citharam suam lugubri concentu pulsantem in infernum descendisse, ut caram suam sponsam reperiret, hoc prae amoris magnitudine Iacob vere desiderabat.

6 Illud quoque amoris parentum erga filios non leve argumentum est, quod in Exodo legitur. Cum Deus variis plagis Pharaonem totamque Aegyptum afflixisset, adhuc induratum erat cor regis; at ubi primogenitum filium suum morte sublatum vidit, mox mentem mutavit, et filios Israel ex Aegypto libere abire permisit.

7 Absalom in coniuratione illa, qua mortem patri machinatus est, statuam quamlam erexit cum hac inscriptione: *Non habeo filium*, 2 Reg. 18. Solus amor filii potuisset eum ab hac rebellione contra patrem avocare, ne forsan filius eius grave aliquod nocumentum postea a rege pateretur; sed quoniam filium non habebat, nihil pertimescebat, etiam propriam vitam mortis periculo exponebat. Vide quomodo Absalom filii incommoda vitae propriae praeponebat.

8 David quamvis non ignoraret inobedientiam Absalom, immo et odium quo adversus eum filius suus animo conceperat, et eum a regno deturbaret; tamen cum audivit eum in bello extinctum, in illa dulcissima verba non aliunde, quam ab amore paterno profecta prorupit 2 Reg. 18, 33: *Fili mi Absalom, Absalom fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te?* Ecce vim paterni amoris; vitam propriam cum morte filii, tametsi rebellis commutare desiderat.

9 Matrum amor erga prolem suam exaggeratur.

Porro quamvis fervens sit amor patrum erga filios, matrum tamen tenerior et ferventior esse solet. Hinc David, ut indicaret ferventissimum amorem suum erga Ionatham, quem in bello interiisse audivit, aiebat: *Doleo super te, frater mi Ionatha decorus nimis, et amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam*, 2 Regum 1, 26. Agrippinae matris Neronis tantus amor erga filium impium erat, ut cum genethliaci ei dicerent, filium imperii culmen ascensurum, adeo tamen ingratum se matri exhibiturum, ut eam foret occisurus, responderit: *Occidat, modo imperet.* Immo et inter bruta tantum amorem matrum erga filios legimus, ut mortem oppetere non dubitent, quo filios a mortis periculo liberent. Aquila certe, ut filios ab aucupe liberet, periculo iaculorum se exponit. Pellicanus similiter, ut filiorum vulneribus medeatur, rostro proprium pectus percutiens, sanguinem elicit: immo et in ardentem ignem se conicit, seque torreri potius in rapida flamma sustinet, quam ut suos fetus, se superstite, sibi abripi patiatur. Si ergo maternus amor adeo ardens esse solet; quam putas ardentior fuit in Maria, quae pater simul et mater Filii sui erat, cui ad corporis formationem sine ulla opera virili sanguinem suum suppeditavit! Unde dupliciter eum diligebat, et amore paterno fortiter, et amore materno tenere, ac suaviter: atque inde maximam compassionem, at summum dolorem ex eius amissione habuit.

Agrippinae amor erga Neronem.

10 Compassio, ut docet s. Thomas 2 2, q. 30, ex amore proficiscitur, qua aliquis amicum tanquam seipsum reputans, eiusdem miseriam apprehendit, de eaque dolet tanquam de sua. Unde Aristoteles lib. 9 ethic. cap. 3 inter amicabilia ponit condoleri de malo amici, sicut et proprio. Et Apostolus omnis pietatis magister fideles ad amorem hortans Rom. 12, 15 ait: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Quare quo maior et perfectior amor fuerit, eo gravior dolor et miseriis eius, quem amamus, erit. Recte divus Augustinus libro de civitate Dei, cap. 10 aiebat: *Amor meus quantus est in possidendo, tantus dolor est in amittendo.* Certum est autem B. V. Mariam Christum Filium suum summo ac eximio quodam amore prosecutam, consequenter illius miseriis et cruciatibus maxime compassam fuisse. Grave fuit Petro apostolorum principi Christum unice diligenti eundem suam passionem discipulis generatim praedicentem audire: unde non sine abhorrentis animi commotione dixit: *Absit hoc a te, Domine, non erit tibi hoc;* quanto gravius, quantoque acerbius B. Virgini fuit Filii sui passionem spectare, singula eius cruciatuum momenta expendere? Credo Deiparam Virginem tantos dolores nullo pacto sustinere potuisse, nisi eam Spiritus s. confortasset. Id me docuit d. Anselmus de excell. Virginis c. 5, eam sic compellans: *Pia Domina, non crediderim te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam omitteres, sustinere, nisi ipse Spiritus vitae, Spiritus consolationis, Spiritus s. dulcissimi Filii tui pro quo moriente torquebaris, te intus doceret, non esse mortem eum absumentem, sed magis triumphum eius omnia subiicientem, quod in ipsa fieri coram moribundo videbas.*

11 Amor Mariae erga Filium quantus.

11 Porro quod ad amorem Sanctissimae Virginis spectat, multis nominibus summa caritate Filium suum prosequebatur. 1. Quia suus Pater, Pastor, Magister, Dominus erat. 2. Quod Deus, qui in infinitum diligibilis est. 3. Quia Filius talis, qualis nunquam extitit, nec quo ad corpus, nec quo ad animam. 4. Quia unigenitus quem sola sine viri consortio genuerat, proinde dolor illius multiplex erat, et secundum multitudinem amoris multiplicabatur vis doloris. Amittebat Patrem, Pastorem, Magistrum, Dominum: igitur dolor illius quadruplex erat. Erat Mater Dei qui in infinitum diligibilis est: erat ergo dolor eius infinitus, si modo cadere in creaturam infinitum quid posset. Amittebat Filium, cui similis nullus unquam extitit. Hinc illius amissio tantum ac talem dolorem involvebat, cui nullum unquam similem invenies, etiamsi omnes annales veteres evolvas. Unde dicere poterat: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.* Amittebat Filium unigenitum: hinc dolor eius unicus et eximius erat.

12 Mors unigeniti parentibus maximum solet afferre dolorem. Unde Ieremias 6, 26 exhortans Iudaeos ad poenitentiam ait: *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum*, id est vehementissimum, qui solet fieri mortuo unigenito. Et Zacharias 12, 10 dolorem de Christi morte praenuntians ait: *Plangent eum planctu*

Digitized by Google

quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, sicut doleri solet in morte primogeniti. Cum ergo Sanctissima Mater unigenitum suum tam crudeli, tamque ignominiosa morte affectum cerneret, fieri non potuit, quin summo dolore angeretur.

13 Si triduanam duodennis absentiam absque dolore ferre non potuit, ut diceret ad eum: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te*, quem putas dolorem habuit, cum eum indigne tractari, ac per mortem a se auferri vidit? cum Pilatum suas abluentem manus cerneret, quomodo ipsa suum vultum lacrimis irrigabat? cum sanguinem eius a Iudaeis sitiri audivit, quomodo totus sanguis in eius corpore non obriguit?

14 4. Dolorem eius auxit innocentia, ac dignitas infinita Filii. S. Thomas 3 p. quaest. 46, artic. 6 ad 5: *Ex innocentia*, inquit, *patientis augetur dolor in ea, in quantum apprehendit nocumentum illatum et magis indebitum. Unde etiam et alii magis sunt reprehensibiles, si non compatiuntur, secundum illud Isaiae 57: Iustus autem perit, et non est qui recogitet in corde suo.* Haec d. Thomas. Optime sciebat Virgo ceteroqui prudentissima Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum peccatorum vindicem esse, nullo peccato infectum; sed neque infici potuisse, non contracto, non perpetrato, non a Patre Deo, non ab opifice Spiritu sancto, non a se Matre Virgine, nec qua Deus, nec qua homo, nec nascendo, nec vivendo ullo peccato. Sciebat quoque nemini poenam deberi, nisi ob culpam. Unde tanto magis dolebat, quanto perfectius haec omnia illi perspecta erant. Cum quempiam ob scelera sua dignas poenas luere videmus, nonnihil doloris in nobis mitigari sentimus; at cum quempiam non sua, sed pro aliena culpa tormenta perferre cernimus, duplicatum dolorem in corde toleramus. Hoc bonus ille latro in se expertus aiebat: *Nos quidem digne facta recipimus, hic autem nihil mali gessit.* Ita Beatissima Virgo cum Filium suum absque ulla sua culpa, sed pro nostra dumtaxat tam indigna pati cerneret, acerbissimum dolorem in corde suo sensit.

15 Agnoscebat insuper dignitatem Filii infinitam, eiusque in humanum genus, et in nos ipsos a quibus indignum in modum tractabatur, amorem eximium et beneficia praeclarissima. Insuper intime penetrabat gravissimam Dei offensam, quam perpetrabant ii qui per summam impietatem Christo necem inferebant; quod ei commiserationem vehementer auxit, et dolorem maximum attulit. Quo enim maior fuerit cognitio, et amor erga eum cui condolemus atque compatimur, et praeterea tormentorum atrocitas quam in eo cernimus, eo maior augetur dolor, qui ex amissione, vel laesione personae, quam diligimus, et ex compassione erga eandem proficiscitur. Bene s. Augustinus lib. 21 de Civit. Dei, c. 27: *Ex earum*, inquit, *personarum amissione, quae nobis aliqua necessitudine sunt coniunctae, tantum necesse est urat dolor, quantum haeserat amor.*

16 5. Augebat dolorem ipsius praesentia. Potentia propinqua melius percipit obiectum quam remota, ut ait Aristot. lib. 2 de anima. Beata Virgo Maria propinquissima fuit Christo in passione, immo coniunctissima, ut vidimus paulo superius.

17 Crediderim, fratres, Matrem hanc piissimam, quae in omnibus sese imagini Filii sui conformabat, in cunctis eum doloribus et cruciatibus imitari conatam esse, et illum Ierosolymam ad passionem abeuntem si non corpore, saltem animo secutam. Mihi siquidem persuadeo, ipsam cum pedum apostolicorum ablutio illi nuntiaretur, Filii humilitatem summopere obstupuisse, et sacrosanctum Filii sui corpus iam cibum factum ex angelorum manibus suscepisse. Quidni? cum postea sancti utriusque sexus hanc praerogativam acceperint, ut Maria Magdalena, Maria aegyptiaca, Onuphrius, Franciscus, Gertrudis, Agnes de monte Politiano, Catharina senensis, et genuensis, et noster polonus b. Stanislaus Kostka aliique plurimi.

18 Credibile quoque est eam toto passionis tempore Filio adstitisse, in atrium Annae et Caiphae, et in praetorium Pilati accurrisse, ibique irrisiones, subsannationes, probra Filii spectasse; eum captum, accusatum ut malefactorem, condemnatum, saepius conclamatum: *Crucifige, crucifige* audivisse; vidisse insuper illusiones, flagella, alapas, purpurae amictum, coronae impositionem, contumeliosam traductionem; id enim gravissimus auctor Simon Metaphrastes orat. de vita et dormit. Deiparae clare asseruit.

19 Quid, quod s. evangelista Ioannes narrat eam cruci adstitisse: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius? Verisimile est*, ait Euthymius, *hanc Dei Matrem propinquius cruci adstitisse, quam ceteras mulieres: fortassis etiam crucem circuisse, cum propter naturae aculeos in eodem loco semper consistere non posset.*

Per prosopopeiam ob oculos tibi constitue Matrem et Filium, eamque tibi finge considerantem, videntem, audientem, sentientem omnia quae pertulit Filius. Considerabat Mater Filium, Diva Deum, ancilla Dominum, creatura Creatorem, Redemptorem tam diu desideratissimum, amans amantissimum, insontissimum, ducem, doctorem, miraculorum patratorem a talibus taliter tractari. Videbat patientissimum, et pati plura cupidum, silentem ut agnum, consputum, contusum, cruentatum, flagris laceratum, coronatum, sub cruce corruentem, crucifixum, perfossum, nudum, sitientem, emorientem, sepulcro clausum. Videbat speciosum forma prae filiis hominum in passione obscuratum, in cruce deformatum, in morte pallidum, *et non erat ei species neque decor*; quia flagellis, livore et vulneribus fuit deformatus. Videbat sanctissimum ac innocentissimum inter latrones quasi furciferum et latronem suspensum, quasi indignum virorum coetu, indignum vita, indignum qui terram pedibus tangeret et calcaret, ideoque pendulum haerere inter coelum et terram. Cogita, si potes, quantum tunc dolorem habuit moestissima Mater.

Verisimile est data sibi facultate ad Filium accessisse, et impressas ei plagas deosculasse, et sanguine cum lacrimis permixto oculos ac genas suas purpurasse. Simon Metaphrastes loco superius citato, ex sententia quorumdam virorum piorum dicit, Deiparam sanguinem et aquam ex Christi latere exeuntem reverenter, et diligenter hausisse. Ipsum Nicephorus libro primo hist. cap. 39 adstruit, additque vasculo illa excepisse. Hoc ipsum affirmat s. Gregorius nazianzenus in tragoedia, ubi Deiparam Virginem inducit haec ad Christum loquentem: *Per hos sanctos pedes quos osculor, materno amore te nunc miseratur mei.* 20 B. Virgo sanguinem Christi sub cruce collegit.

Neque enim Christi crux adeo praealta fuisse videtur, quin ad eius pedes exosculandos piissima Mater pertingere potuerit. Opinio enim est, ait s. Bonaventura in medit. vitae Christi, c. 77, crucem Domini quindecim pedes habuisse in altum. Cui subscribit Iacobus Gretserus lib. 7 de s. cruce, cap. 7, et ratio suffragatur. Cum enim Christus sibi crucem baiulaverit, non videtur maioris fuisse longitudinis, quam statura hominis proceri, et in hac cruce extensi (cuius crucis in altum erectae pars infima foramini, quod adhuc in Calvariae loco visitur, erat infixa) pedes facile osculari quis poterat. Crux Christi quam alta.

Vehementem hic dolorem Mater moestissima sentire debuit. 21
Si enim multitudo mulierum sequentium Christum, cum ad Calvariae montem duceretur, etiamsi nihil cognatione ad Christum attinerent, plangebant et lamentabantur eum, quasi (ut ipsis videbatur) magna commiseratione dignum, utpote spinea corona redimitum, et flagellis ac aliis percussionibus male acceptum, quanto putas planxit eum ipsa Virgo Deipara, quae tanta cognatione ei coniuncta erat, quanta maior vix intelligi potest?

6. Magnitudinem doloris Beatae Dei Genitricis arguit tormentorum Christi atrocitas, et cruciatuum multitudo. Videbat 22
Sanctissima Mater quam magna, quam acerba, quam ignominiosa in singulis corporis membris, in omnibus horis, ab omni genere hominum, conditione, aetate, sexu Filius suus et noster Salvator pateretur. Sciebat uti prudentissima haec tormenta excedere mensuram delictorum nostrorum. Cum enim posset Christus una stilla sanguinis pro hominibus cumulatissime satisfacere; nihilominus tam rigorosam satisfactionem elegit, ut copiosa redemptio esset, impleretur quod David Spiritu sancto inspirante dixit: *Et copiosa apud eum redemptio.* Agnoscebat insuper tenerrimam Filii sui complexionem, utpote ex virgineo sanguine Spiritu s. cooperante concepta. Dicit autem Philosophus lib. 2 de anima: *Qua complexio est nobilior, mensque dexterior, ea caro solet esse mollior et tenerior, et qua caro est mollior, eo sensus tactus in ea est vivacior; hinc urtica faciem urit, calcaneum non item; nobilis inde moritur, unde rusticus vix aegrotat: isto enim illa tenerior est.* Consequens igitur esset, acerbiorem fuisse dolorem Christi, quam cuiusque alterius martyris, maxime quod passus sit in membris maxime sensibilibus, scilicet in capite, temporibus, ac fronte per spinarum aculeos; in manibus, et pedibus in quibus magna nervorum copia viget, per clavorum transfixionem. Complexio Christi tenera. Complexio quo tenerior, eo passibilior caro.

Ponderabat insuper carissima Mater Filium dilectum ab omnibus derelictum. Dereliquerant eum nedum discipuli, qui ab eo fugerunt; sed etiam Deus Pater, qui ei opem et auxilium sub- 23

trahebat. Hinc ad eum de cruce clamabat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

24 Agnoscebat etiam causas dolorem augentes, utpote quod Rex regum, Dominus dominantium mortem tam violentam sustinebat quod in flore iuventutis, quod a beneficiatis, quod acerbissimam, quod vilissimam, puta in medio latronum. Quod contemplans mellifluus Bernardus super Cantica cum admiratione in haec verba prorumpit: *O humilem et sublimem, o altissimum et novissimum, o opprobrium hominum et gloriam angelorum! nemo sublimior, nemo despectior.* Esto vilis quantum potes, nunquam Christo vilior eris. Ipse siquidem Rex regum, et Dominus dominantium fuit vilissimo pretio venalis expositus, a vilissimo

Opprobria Christi quanta. populo vilissima passus, vilissimo loco crucifixus, supplicio traditus, inter latrones positus, modo vilissimo tractatus. Etenim tanquam malefactor bonus Dominus capitur, tanquam furiosus mansuetus vinculis adstringitur, tanquam pestifer Salvator accusatur, tanquam homicida vita hominum morte damnatur, tanquam leprosus et immundus mundator criminum extra moenia eiicitur, tanquam latro crucifigitur, tanquam flagitiosissimus, confutandus ab omnibus, et intuendus nudatur, et tanquam vermis vilis, immo vilissimus, summus Deus conspuitur, et conculcatur.

25 Ponderabat praeterea B. Virgo, quam multi convenerant ex variis nationibus in Ierusalem propter solemnitatem paschalem, qui ad patriam suam reversi turpissimam Filii sui mortem, et ingentia scelera de quibus eum Iudaei falso accusabant, divulgaturi erant.

26 Considerabat insuper omnes tam nobiles, quam ignobiles, gentiles ac iudaeos, mares et feminas, ecclesiasticos et saeculares adversus Filium suum conspirasse, imperatorem romanum qui per suum praesidem Pilatum eum morti adiudicavit, regem Herodem qui illum illusit ac sprevit, principes sacerdotum et pharisaeos, qui mortem illi machinabantur, et populum adversus eum concitabant, ut clamaret: *Tolle, tolle, crucifige eum*. Considerabat latronem qui ex cruce illi improperabat, militum cohortem, qui illum comprehenderunt, flagellisque et spinea corona torserunt; ministros qui eum alapis percusserunt; Iudam qui eum tradidit; Petrum qui eum abnegavit; apostolos qui relicto eo fugerunt. Expendebat item, quod ab illis quos beneficiis affecerat,

Beneficia a Christo Iudaeis collata. tam atrocem et ignominiosam mortem Filius suus pateretur. Patres eorum e dura servitute Ægypti liberavit, in quorum gratiam gravioribus plagis Ægyptum percussit eisque mare rubrum, ut per illud sicco vestigio transirent, aperuit, et Pharaonem cum exercitu suo in eo demersit; quibus etiam manna de coelo per 40 annos dedit; quibus aquam de petra eduxit; quos ab hostibus, Seon nimirum rege Amorrhaeorum, et Og rege Basan tutatus est; quibus terram fluentem lac et mel donavit, et triginta reges et plurimas nationes illis contrarias interfecit; quibus in monte Sinai legem dedit; quos de dura servitute Babylonis, et de gravi oppressione Antiochi eripuit. De quorum genere ipse carnem sumpserat, quorum frater erat, quorum civitates, oppida, pagos obambulabat regnum Dei praedicans, caecos illuminans, obsessos a daemone liberans, leprosos mundans, claudos erigens, aegrotos sanans, surdis auditum, mutis loquelam, mortuis vitam restituens. Quibus insuper praecepta Dei declarabat, consilia dabat, errores confutabat, vitia increpabat, viam salutis verbo et exemplo monstrabat. Ab his, inquam, tam indigna pati a sanctissima Matre visus est.

27 Perpendebat rursus Beata Virgo quod quanto dignior est persona quae offenditur, et vilipenditur, tanto contemptor eius graviorem, et atrociorem poenam promeretur. Cum ergo Christus dignissimus esset, utpote Filius Dei naturalis, summus Rex, summus Sacerdos, maxime poenae obnoxii videbantur, qui eum tam indigne, tam ignominiose tractabant; quod Virgo probe sciens, utpote generis humani amantissima, vehementer dolebat.

28 Demum considerabat Beata Virgo peccata hominum praeterita, praesentia, et futura quibus divinam maiestatem offendebant; eorumque deformitatem perfectius, ac intimius, quam quivis mortalium penetrabat. Hinc vehementissime dolebat; quo enim quisque magis Deum diligit, eo magis de eius offensa tristatur; nemo autem tantum Deum dilexit et coluit, ac Beatissima Virgo.

29 7. Acerbiorem reddidit Mariae dolorem, quod dilectissimo Filio suo in illo extremo vitae discrimine nullum levamen, nullum solatium dare poterat. Solent enim piae matres pro magno solatio habere, si laborantibus filiis, vel in aliquo periculo constitutis aliquid levaminis et auxilii impertierint: e contrario graviter cruciari, cum eis in nullo prorsus prodesse possunt. Ita huic Matri Sanctissimae accidit. Vidit unicum et naturalem Filium suum, quem tam caste conceperat, tanto cum gaudio pepererat, tam dulciter educarat; vidit, inquam, eum nudum, et operire non poterat; vidit alligatum, nec solvere valebat; vidit vulneratum, et vulnera ligare nequibat; vidit sanguinem in faciem pluere, et abstergere potis non erat; vidit iniuriis affectum, et defendere non dabatur; vidit diffamatum, et pro eo respondere non licebat; vidit caput eius inclinatum, et sustentare non potuit; vidit flentem et prae tristitia consolari nequivit; audivit eum dicentem: *Sitio*, et aquam ministrare non valuit. O cruciatum, o dolorem! *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus!*

Hunc dolorem Mariae saepius cogitemus, et cordibus nostris altius imprimamus. Qui Virginem amat, Virgini dolenti condoleat; hoc enim veri amoris argumentum est, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus; condoleat et Filio: nullusque deinceps tam impius sit, qui dolorem Christi et Mariae peccatis sceleribusque augeat; nemo tam saevus, tamque crudelis existat, qui peccata peccatis accumulando in Filium Matremque eius nova spicula intorqueat. Quisquis enim peccat, rursus Christum crucifigit, Apostolo attestante Heb. 6, 6: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes*; crucifigit et Matrem; crux enim et clavi Filii fuerunt etiam Matris. Virgo tunc in Filio torquebatur, et modo torquetur, cum Filius peccatis offenditur. Dolentem ergo Virginem cogitemus, et dolenda non committamus, ut gaudii sempiterni consortes esse mereamur. Amen. 30 Dolores Mariae recogitandi.

DISCURSUS CCCXCIV

DOLOR ET MOESTITIA B. V. MARIAE PER COMPARATIONEM AD ALIORUM DOLORES ET MOESTITIAS DECLARATUR, ET MONSTRATUR

Sicut qui irretortis rectisque oculis solem intueri nequeunt, velaminis alicuius tenuioris umbram sibi sponte inducunt, ut hoc pacto fulgoris eius vehementiam et nimiae claritatis iubar illidant, et oculos ad illud facilius intuendum disponant: ita cum excessivum illum Sanctissimae Dei Genitricis dolorem verbis exprimere nequeamus, aliquot figuris veteris testamenti illum quoquo modo adumbrare conabimur. 1

I. Adam et Eva amissum paradisum vehementer dolebant. Christus purarum mentium paradisus est, attestante d. Bernardo ser. 1 in die natalis Domini: *Paradisum*, inquiens, *habemus multo meliorem, et longe delectabiliorem, quam primi parentes habuerunt: et paradisus noster Christus est.* Et rursus serm. 66 de brev. *Paradisus, ait, quem perdidimus, restitutus est nobis Christus Salvator.* Hunc ergo paradisum per mortem amissum B. Virgo tanto acrius doluit, quanto illustrior, praestantior illo paradiso terrestri fuit. 2 Paradisus mysticus Christus.

II. Sara si intellexisset dilectum suum Isaac, unicum animae solatium et cordis risum, a marito suo Abrahamo in sacrificium immolandum, quamnam animi amaritudinem sensisset, quos ululatus edidisset? Verum Abraham cognoscens quantus matris esse solet in morte unigeniti dolor, propositum animi sui Sarae uxori celavit; sed nocte media, cum illa profunde dormiret, Dei mandata executurus e lecto surrexit, filium assumpsit: cui etiam secretum cordis non aperuit, ne terroribus mortis eum perturbaret. Sara igitur Isaac filium immolandum nescivit, ligna super humeros eius posita non vidit, cervicem mucroni patris subiicientem non aspexit. Sed quid de Maria Virgine dicemus, quae Filium unigenitum comprehensum, ligatum, excarnificatum ante oculos suos habuit? lignum super quo in monte Calvariae immolandus erat, in suis humeris portantem conspexit? non aliquem in eius locum arietem subrogari, sed ipsummet agnum innocentissimum in ara crucis mactari vidit? Non tunc in secreto aliquo conclavi versabatur, nec ad dormiendum membra sua composuerat, sed in publico loco supplicii erat, vigilabat, singulos dolores et cruciatus Filii sui intuebatur. O compassionem! o dolorem! 3

Respicite stolidas illas, et imprudentes matres quae saepe suos filios malunt daemoniis immolare, quam Deo, vanitates saeculi, et pompas mundi potius sectantes, quam statum aliquem ecclesiasticum vel religiosum assumentes videre. Quas illae interdum ineptias non committunt, quae non vesaniae stultitiaeque argu- 4 Matres filios a sancto proposito avertentes taxantur.

Digitized by Google

menta non edunt, quo eos a tam generosis propositis avertant? Suas evellent comas, pectus tunsionibus onerabunt, in singultus, querimonias, improperia os laxabunt, et per ea quae filii suxerunt ubera, eos adiurabunt, quo eos retro aspicere, et aratrum ad quod manum miserunt, deserere faciant. Si naturalis amor tam potens est, ut carnem et sanguinem spiritui praedominari faciat, et divino famulatui vanas terrae delicias praeponat, quid B. Virginem sensisse existimabimus, quae Filium ea tormenta subire vidit, cum quibus omnes, quae cogitatione fingi possunt, austeritates ne comparari quidem merentur? *Pro peccatis suae gentis vidit Iesum in tormentis, et flagellis subditum.* Ex stolidarum matrum furoribus iudicata, qui fuerint prudentis et amantis Matris Redemptoris nostri dolores.

5 III. Agar Abrahae ancilla e domo herili pulsa in desertum concessit: quo loco dum fame et inopia tacta premeretur, ut filium iam prae fame deficere videret, ne morientem magno animi sui dolore videre cogeretur, ab eo se divellens dixit: *Non videbo morientem puerum*, Gen. 21, 16. Mater Dei Maria in suo dolore ne moestitia tale privilegium non habuit; continuo namque spectaculo mortales Filii sui languores videre coacta est: stabat enim iuxta crucem, ut s. Evangelista narrat; et Ecclesia canit: *Vidit suum dulcem Natum moriendo desolatum, dum emisit spiritum.*

6 IV. Abrahae dolor vehemens fuit, cum dilectissimum filium suum propriis manibus iugulare a Deo iussus est. Gen. 22, 2: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis; atque ibi offeres eum in holocaustum.* Longe tamen inferior fuit mariano dolore; quia Abraham licet in montem cum filio ascenderet, ut illum gladio confoderet, id tamen executioni mandare prohibitus est, secumque tulit filium suum vivum; Maria vero in montem Calvariae cum Filio ascendens cum eo vivo non rediit; sed ibidem in ara crucis immolatum, et in sepulcro conditum reliquit.

7 V. Iacob vel duodecim filiorum pater, de unius tamen filii Ioseph morte, nuntio accepta et tunica eius cruore intincta conspecta, tantum doluit, ut scissis vestibus cilicio se indueret lugens filium suum multo tempore, Gen. 37. Quid Maria, cum unigenitum Filium suum mortuum non audivit, sed ipsa vidit? Iacob solam filii vestem cruentam aspexit, Maria vero corpus Filii sui undique excarnificatum, et totum sanguine madidum prae oculis habuit. Iacob supererant filii undecim: Mariae vero nullus supererat, quia ille unigenitus erat. Iacob postea figmentum agnovit quod ei de filii morte nuntiatum erat: Maria vero certissime sciebat et ad oculum videbat Filium suum inmaniter occisum et vere mortuum.

8 VI. Heli statim ac audivit quod arca Dei esset capta, continuo e sella cecidit, et fractis cervicibus mortuus est; sed Mariae dolor hunc longe post se reliquit. Arca quae in tantum dolorem Heli concitavit, umbra fuit et figura Christi humanitatis: si igitur umbrae amissio tam acerbum Heli attulit dolorem, quam putes acerbiorem ipsius rei amissio B. Virgini attulit? et maxime, quod veram illam arcam, Christi humanitatem, nedum ab hostibus captam, verum et flagellis caesam, spinis confixam, ferreis cuspidibus perforatam vidit? In hoc tamen B. Virgo Heli dissimilis, quod ille accepto nuntio de arca mox in terram corruit; at B. Virgo cum ingenti animi fortitudine cruci adhaerens, *stabat iuxta crucem Iesu.*

9 VII. David audita nece Absalom, quamvis scelestissimi filii sui, et pessime de se meriti, prae dolore operuit caput suum, et voce magna clamavit: *Fili mi Absalom, Absalom fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te?* 2 Reg. 18, 33. O quam longe plures gravioresque in B. Virgine moeroris fuerunt occasiones! David solum necem filii sui audivit, sed tribus lanceis confossum non vidit. Maria autem Iesum tribus clavis transfixum, et lancea ictus eius graviter perfossum vidit. Absalom patri suo rebellis et inobediens erat, proinde morte sua patrem tantum contristare non potuit, quantum si pacificus et obediens, semper carus, semper dilectus. Quem ergo moerorem Sanctissima Mater tunc habuit, cum illum denudatum, opprobriis saturatum, flagellatum, coronatum, in cruce distentum aspexit?

10 VIII. Vera mater pro filio apud Salomonem disceptans, cum audivit a iudice: *Dividite infantem vivum in duas partes, et date dimidiam partem uni, et dimidiam partem alteri;* tantum viscera eius super filio suo commota sunt, ut eo carere maluerit, quam suos ante oculos eum dispartiri medium cernere, 3 Reg. 3. At nec hic dolor sacratissimae Virgini aequiparari potest. Illa quippe mulier ex iudicis decreto vivum filium recepit: Deipara vero Filium suum ante oculos in cruce clavis configi, omnes artus et nervos eius crudeliter distrahi vidit. Ipsa Virgo, ut Mater vidit Filium suum flagellari, vidit trahi per urbem, illusum, deformatum condemnari, baiulare crucem, crucifigi, mori, sepeliri. Quid non saucia Mater indoluisset? Sancta Paula, teste s. Hieronymo ep. 27, loca passi Christi acerbo absque luctu conspicere nequibat. S. Bernardus fatetur se feriis sextis cruciatus Domini considerantem non posse non animo discruciari. Quis dolor stigmatum s. Francisco? quis s. Catharinae senensi? quis s. p. Dominico ac b. Alano de Rupe sensus erat, quibus datum eundem sentire dolorem? At Beatae Virgini maior, quo illa fuit Filio coniunctior. Itaque tot tantosque dolores apte pictura Ecclesiae exprimit, cum fixis septenis in pectore B. Mariae gladiis eam nobis ob oculos ponit.

Passionis Christi contemplatores praecipui.

IX. Mulier Sunamitidis acerbum dolorem pertulit, cum gravi morbo laborantem filium ex aestuantis caloris fervore super genua sibi positum morientem conspexit, 4 Reg. 4. Unde Eliseus ad Giezi eam a suis pedibus amovere volentem dixit v. 27: *Dimitte illam, anima enim eius in amaritudine est.* Ceterum quis non videat longe minus matrem excruciari morte filii naturali, quam violenta? Cum ergo filius Sunamitidis morte naturali interierit, Filius vero Mariae morte violenta, eaque turpissima, non potuit Mariae dolor non amarior et acerbior esse. 11

X. Regina Esther vehementer contristata erat, cum populum hebraeum universum decreto regis, quod impius Aman fraudulenter obtinuerat, excisum iri audivit. *Cum deposuisset*, inquit sacer textus c. 14, v. 2, *vestes regias, fletibus et luctui apta indumenta suscepit, et pro unguentis variis cinere et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit ieiuniis, omniaque loca in quibus antea laetari consueverat, crinium laceratione complevit.* At dolor B. M. Virginis huic haud comparari potest. Tristitia Esther mox versa fuit in laetitiam, et luctus in gaudium, cum ad preces eius rex Assuerus mortis sententiam mutavit, et pessimum machinatorem Aman suspendi fecit. At Beatissima Virgo sententiam mortis adversus Christum Filium suum a Pilato latam mutari non vidit, preces illius haud exauditae sunt, quibus precabatur, ne tantum facinus Iudaei committerent. Quare dolor illius dolorem Esther longo intervallo superavit. 12

XI. Susannae angustiae acerbae fuerunt, cum a lascivis illis senibus ad scelus solicitaretur; unde aiebat Dan. 13, 22: *Angustiae sunt mihi undique; si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras.* At B. Virginis angustiae multo acerbiores erant. Susannam angebat timor amissionis honoris, vel vitae; B. V. Mariam angebat dolor amissionis honoris et vitae dilectissimi Filii sui, quem ipsa ardentius amabat, quam Susanna honorem et propriam vitam. Unde necesse est moerorem eius Susannae moerore incomparabiliter graviorem fuisse, sicut incomparabiliter maior amor quo B. Virgo Christi honorem et vitam propriam prosequebatur, quam Susanna honorem et propriam vitam diligebat. 13

XII. Mulierum plangentium casum Adonidis gravis fuit dolor, de qua Ezechielis 8, 14 legitur: *Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* Adonis erat filius Cinarae, Veneris amasius: cum iuvenis esset pulcher, dente apri occisum Venus planxit velut mortuum. Quare feminae et viri libidinosi hoc planctu Venerem colebant, eamque sibi propitiam reddebant. Hebraice Adonis dicitur *Tammus*, id est iunius, quia in iunio dicitur occisus. Hinc eodem mense anniversariam ei celebrabant solemnitatem, in qua quasi mortuus plangebatur, et mox quasi reviviscens canebatur et laudabatur. Vide commentaria Cornelii a Lapide super Ezech. At dolor harum mulierum cum dolore B. M. Virginis haud comparandus est; tum quod Adonis ex visceribus illarum non prodierat, Iesus autem ex purissimo sanguine Mariae conceptus et natus erat; tum etiam quod Adonis falsus et commentitius deus erat: Mariae vero Filius verus Deus erat, quare longe maiorem ad excitandum cor Virginis ad moerorem vim habebat. 14

Adonis quis.

XIII. Tobiae iunioris mater filii absentiam, non adeo tamen diuturnam sustinere non valens nimis contristabatur, quotidie exiliens circumspiciebat, et circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem. *Flebat igitur mater eius irremediabilibus lacrimis, atque dicebat: Heu! heu me! fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostrae,...?* 15

Digitized by Google

Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis, Tob. 10, 4, 5. At Tobiae matris dolor cum dolore Deiparae nullatenus comparandus est. Illa enim filium absentem, haec mortuum plorabat. Tobias domum rediit: at Christus in cruce remansit. Tobiam vidit mater incolumem, sanum, et salvum: Deipara Filium despectum, et infirmum, Filium, inquam, quem Spiritu sancto cooperante de coelo susceperat, quem sine viri consortio genuerat: Filium talem qui simul Pater et Filius, Pastor, Amicus et Sponsus erat. Quare dolebat vehementer eius tormenta aspiciens. Dolebat ut mater, quae filium: dolebat ut filia, quae patrem: dolebat ut sponsa, quae sponsum amittebat.

16 Atque huic multiplici dolori accessit quod disparem filium, Ioannem pro Christo recipiebat, servum pro Domino, discipulum pro Magistro, filium Zebedaei pro Filio Dei, purum hominem pro vero Deo, cum audivit: *Mulier ecce filius tuus*. Quasi audiret: Mulier ecce filius tuus; sed non qualis ego, quia non conceptus de Spiritu sancto sicut ego, non miraculose natus ex Virgine sicut ego, non coaeternus et consubstantialis Patri sicut ego, non naturalis filius tuus sicut ego. Ecce igitur filius tuus adoptivus, tuus custos, tutor et patronus.

17 Mari amaro dolor Mariae comparatur.

Quare optime doctores verba illa quae Ieremias propheta afflictionem populi israelitici deplorans usurpabat, B. Virgini accommodant: *Magna est velut mare contritio tua*, Thren. 2, 13. Elegans sane metaphora. 1. Sicut enim nullo aquarum copia cum mari comparari potest: ita nullus dolor cum dolore Mariae. 2. Omnia flumina in mare influunt, illud tamen non augent, quia sunt instar guttae: ita omnes aliorum dolores ad dolorem Mariae sunt sicut gutta ad mare. 3. Sicut mare tam vastum est, ut contineri vel includi non possit: ita dolor Mariae tam magnus est, ut a nullo enarrari valeat. 4. Nulla in mari gutta est, quae amara non sit: sic nullus in Mariae corde locus fuit qui doloribus repletus non esset. 5. Mare est congregatio aquarum: dolor Mariae est congregatio omnium dolorum. Alii quippe contristantur de iactura divitiarum, alii de morte parentum, alii de morte filiorum, alii de absentia amicorum, alii de nece principum, alii propter honorem amissum, alii tandem propter similes causas. Beata autem Virgo omnes istas doloris causas simul habebat. Nam amittendo Christum amittebat parentem, filium, amicum, sponsum, principem, magistrum, Dominum, divitias, honorem et alia bona pariter cum illo.

18 Dicite, quaeso, si Deus unico vase (quod omnipotentiam eius non transcendit) integrum mare concluderet, et illud alicui propinaret, et ille totum exhauriret, nonne ille ingentem amaritudinem ebiberet? Non secus Deiparae Mariae contigit, in cuius corde omnium dolorum amaritudines Deus posuit. Quare LXX praesentem locum transferunt: *Magnificatum est poculum contritionis tuae*, quo dabatur intelligi B. Virginem magnum et amarum passionis Christi mare uno poculo, et una calice ebibisse.

19 Bene velut mare contritio sive dolor Mariae dicitur; nam aliorum martyrum dolores fluvii sunt, aut fontes: dolor autem B. Virginis est velut vastissimum mare. Et quid mirum? Aquae fontium et fluviorum dulces sunt, maris vero amarae: sic aliorum martyrum dolores in comparatione doloris et amaritudinis Mariae plus sacchari ac mellis, quam amaritudinis habere censentur.

20 Utinam hos tantae Matris dolores semper mente versemus, et ita versemus ut retineamus, et a sceleribus abstineamus, quae tam magnos et Filio et Matri pepererunt dolores. Cogitemus in cruce Christum pendentem, et Mariam Matrem eius moestissimam sub cruce stantem. Hoc erit nobis contra omnia vitia remedium praesentissimum, et medicamentum. Utinam, Virgo, dolor ille tuus sic quotidie inhaereat visceribus meis, sicut inhaesit tunc tuis. Amen.

DISCURSUS CCCXCV

BEATA VIRGO MARIA EX EO QUOD PASSIONIS NOBILITATE, DIUTURNITATE, FORTITUDINE, INVICTAQUE CONSTANTIA ALIOS MARTYRES SUPERAVIT, *REGINA MARTYRUM* MONSTRATUR

1 Nobilissimum in unoquoque genere rex et princeps est aliorum illius generis, uti sol inter sidera, leo inter animantia, aquila inter aves, delphinus inter pisces, homo inter infimas creaturas; Beatae Dei Genitricis dolor ac passio nobilissima est, idcirco ei occinitur: *Regina martyrum*.

2 I. Nobilitas passionis eius monstratur ex multis. 1. Alii martyres passi sunt in propria carne, quae interdum fuit illis occasio et illecebra peccati. Verum namque est de unoquoque nostrum quod Apostolus ad Gal. 5, 17 ait: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*. At Beatissima Virgo passa est in anima sua innocentissima, sanctissima, spiritui obedientissima: passa est in vita Filii sibi dilectissima, et pretiosissima, utpote quae totius mundi pretium fuit.

2. Dolor sanctorum in martyriis causabatur a natura propter separationem animae a corpore: dolor autem B. Virginis a natura et a gratia. Quanta est unio, tantus et amor est; et e contra matris et filii unio est naturae. At praeter hanc etiam unio gratiae inter Christum et Mariam intercedebat. Ea maxima igitur gratia maxima erat amborum unio, ex unione amor, ex amore par dolor. Maximus est amor seraphinorum in Deum, at solum ex gratia: Deiparae amor in Christum erat ex gratia maiore quam seraphica, et insuper quoque ex natura, et quidem tam delicata et pura, non foecalenta et impura. Ex tanto amore Deipara aestuavit dolore pari. Utrumque quis aestimabit? 3

3. Aliorum dolores erant particulares, B. Virginis fuit dolor universalis: patiebatur quippe in Salvatore nostro Iesu. In corpore Iesu a planta pedis usque ad verticem capitis non erat sanitas, ita in corde Mariae quod per compassionem cruciabatur, non erat sanitas. Tantae tristitiarum et angustiarum aquae in animam eius intraverant, ut si Deus semper cum ea non fuisset, ab iisdem forsitan absorpta fuisset, et aquas illas intolerabiles transire non potuisset. 4

4. In martyribus caritas, qua erga Deum flagrabant, aliqua ex parte dolorem leniebat; ideo s. Agatha laetissime et gloranter ad carcerem ibat. Ita sancti fratres Marcus et Marcellinus ad stipitem alligati pedibus clavis confixis laeti canebant: *Numquam tam iucunde epulati sumus, quam haec libenter Iesu Christi causa perferimus*. Ita s. Tiburtius candentes prunas a Fabiano iudice pedibus premere iussus dicebat: *Prunae mihi flores videntur*. Ita s. Theodorus cum suspensus torqueretur, tanta se perfusum alacritate dicebat, ut aegre tulerit ex illo extrahi cruciatu, eo quod pulcherrimus iuvenis aqua purissima laverit ei loca plagarum, et linteo tergeret mundissimo. Sexcenta alia huiusmodi martyrum exempla habes apud Petrum Natalem, Surium, Lipomanum, Baronium, et alios qui gesta sanctorum scripserunt. At contra caritatis magnitudo in Virgine dolorem non leniebat, sed eadem proportione augebat. Sicut enim dulce pro eo quem diligis, aspera ac dura pati, quod sanctis martyribus cum pro Deo patiebantur, accidit: ita valde grave et peracerbum aspicere eum quem summe diligis, indigna patientem; quod Beatissimae Virgini evenit. 5 Martyres in cruciatibus hilares.

II. Diuturnitas vera passionis Beatae Mariae Virginis probatur. Aliorum martyrum cruciatus eorum morte terminantur; at Virginis Sanctissimae dolor a Christi nativitate usque ad eius mortem, quamdiu ipsa in hoc mundo vixit, (vixit autem ad minus quindecim annis) in eius corde perpetuo haerebat. Praevidebat prophetica, immo plusquam prophetica mente Virgo Beatissima Filii sui mortem, eamque prae oculis habebat, illum sinu suo fovebat, ulnis gestabat, uberibus lactabat. Unde ab illa hora qua illum genuit, statim cognovit se illius Matrem esse, qui pati, crucifigi et mori pro peccatoribus debebat, adeo ut singulis horis ac momentis Christi Filii sui mortem intueretur. Vere longum martyrium, quod per triginta tres annos, et eo amplius duravit, non enim illo dumtaxat tempore passa est quo Christus comprehensus, vulneratus, crucifixus est; sed ab ipso momento, quo Dei Mater effecta est, eum ab improbis comprehendi, male tractari, scilicet illudi, spinis coronari, flagellari, crucifigi, felle et aceto potari, lancea vulnerari, mori et sepeliri praevidit, et ex tunc gladius doloris animam eius pertransivit. Audiatur hic Rupertus doctissimus abbas l. 2 in Cant. in persona Virginis ita docens: *Nolite solam attendere horam, vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab impiis comprehensum male tractari, illudi, spinis coronari, flagellari, crucifigi, felle et aceto potari, lanceari, mori, et sepeliri; nam tunc quidem gladius animam meam pertransivit, sed antequam sic pertransiret, longum per me transitum fecit; prophetissa namque eram, et ex quo Mater eius facta sum, sciri eum isto passurum. Cum igitur talem Filium in sinu meo foverem, ulnis gestarem, uberibus lactarem, et talem eius futuram mortem prae oculis haberem, qualem, quantam, quamque prolixam me putatis materni doloris pertulisse passionem?* 6

Digitized by Google

7 Ruperti abbatis doctrinam confirmat d. Bernardus serm. 40 in Cant. et s. Birgitta in sermone angel. c. 16, et 17, cuius verba ipsissima hic inserere placuit: *Melius quam propheta praescivit sui Filii passionem; ideo cum lactans cogitabat quod felle et aceto esset potandus in cruce; quando eum manibus gestabat, videbatur illi quod crucis brachiis esset confixus; quando dormiebat, cogitabat mortuum ex cruce depositum; quando osculabatur, Iudae osculum cogitabat; quando fasciis involvebat, funes cogitabat, quibus ligandus ab impiis carnificibus; quando manu ducebat, ducendum ad tribunalia, ut impiis iudicibus sisteretur.*

8 Animadversio necessaria ex d. Thoma. Sic in omnibus fere actionibus Filii sui passionem, crucem mortemque animo Maria versabat. Frivolum tamen est determinare quot vicibus quolibet die naturali, sexies, an septies, an vero octies pia Virgo Filii sui cruciatus cum dolore vehementi recolebat. Hoc enim uti incertum solidae theologiae doctor s. Thomas aquinas opusc. 12, qu. 5 expresse prohibet, et arguit; id tamen quod scribo tantorum doctorum auctoritate suffultus non video cur praedicari non debeat. Ipsum etiam longe ante docuit d. Ambrosius super illud, *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit. Istum, ait, gladium cor et anima Virginis profunda immersum habuit, quia Dei mysteria ceteris profundius penetravit, et verba Dei de Christi passione, ac ceteris operibus semper in corde medullitus portavit*, iuxta illud: *Maria autem conservabat omnia verba haec conferens in corde suo.*

9 Quidni Maria passionem Christi longe ante praevidisset? Prophetae Christi passionem spiritu praeviderunt, unde de ea tam multa etiam in particulari vaticinati sunt, ut videre est apud Davidem psal. 21, et apud Isai. c. 53, et alios prophetas: et prophetarum Regina horum futurorum praescia esse non debuit? Absit.

10 Quare merito verba illa Cant. 1, 12 ei accommodantur: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Fasciculus myrrhae erat Christus Matri suae ob passionis amaritudinem; sed cur inter ubera Matris commoratur? numquid non oblectatus erat, cum poteretur et crucifigeretur? quomodo ab uberibus pendere potuit, qui pendebat in cruce utrumque verum? Cum enim Christus uberibus lactabatur, in oculis Matris quasi in cruce pendebat, nam inter ubera Matri monstrabat quali esset morte moriturus: unde Christus puer cum Matris ubera angebat, eiusdem Matris mentem futura passione premebat et cruciabat. Equidem B. Virginem Filium ulnis gestantem crucis formam prae se tulisse, et crucem Christi fuisse indicat etiam s. Epiphanius de laud. Virg. cum ait: *Appellabo te thronum, caelum simul et crucem.* Et cur B. Virginem crucem Christi appellat? Quia cum manibus eum puerum gestabat; videbatur ei quod crucis brachiis confixus esset.

B. Virgo crux est Christi.

11 Iure capilli Virginis gregibus caprarum comparantur Cant. 4, 1: *Capilli tui sicut greges caprarum quae ascenderunt de monte Galaad.* Capilli sunt cogitatus Virginis, greges caprarum significant martyrium; sic enim Apostolus Hebr. 11, 3 de martyribus ait: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Capilli igitur, hoc est cogitatus Virginis assimilantur gregibus caprarum, quia ipsa in Filii sui passione, immo et longe ante, ut diximus, passa est tormenta omnium martyrum.

12 Rursus comae Virginis Cant. 7, 5 comparantur purpurae regis: *Comae capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.* Numquid coloribus tingebat capillos suos Deipara Virgo? Minime. Cur igitur purpureum colorem referre eius comae dicuntur? Comae Virginis, ut dixi, cogitationes eius significant: comas igitur capitis sui velut purpuram regis intinctas habuit; quia vulnera Christi assidue mente volvebat: rubebat Christi caro sanguine passionis, rubebant maternae cogitationes sanguine compassionis. Recte igitur comae capitis eius fuerunt sicut purpura regis, quia cogitationes eius tinctae fuerant in sanguine dominicae passionis. Ita hunc locum explanabat Guilielmus Ilialgrinus.

13 Aureolam martyrii B. Virgo habuit. Diuturni fuerunt Mariae dolores, quia passionem Filii, antequam esset, antea cogitavit; diuturni fuerunt, quia cogitavit; diuturni fuerunt, quia cogitavit etiam, postquam praeterivit. Post mortem enim et ascensionem Filii in coelum semper memoria retinebat, et assidua meditatione revolvebat, quae Christus pro salute humani generis pertulit, uti ipsa s. Birgittae libro 6 revel. cap. 6 narravit in haec verba: *Omni tempore, quo post ascensionem Filii mei vixi, visitavi loca in quibus ipse passus est, et mirabilia sua ostendit: sic quoque passio sua in corde meo fixa erat, quod sive comedebam, sive laborabam, quasi recens erat in memoria mea.* Hinc collige quot in uno martyrio B. V. Maria subierit martyria, quot cruciatus, quot tormenta; superavit igitur omnes martyres Virgo, et leve fuit quidquid passi sunt martyres omnes, si Mariae cruciatibus comparetur. Vere igitur *Regina martyrum* dicitur, quae tam nobile ac tam diuturnum martyrium pertulit. Et licet actu mortem non pertulit, illo tamen eximio caritatis actu, quo ingenti animi dolore Filii passionem ac mortem est prosecuta, nedum essentiale, illudque praeclarissimum et inenarrabile praemium, verum et accidentale, quod theologi aureolam vocant, prae ceteris martyribus consecuta est, ut aiunt s. Antoninus 4 p. tit. 15, c. 21, parag. 7, et c. 36, parag. 1, Salmeron t. 1, tract. 51; immo et d. Bernardus in serm. super *Signum magnum* hunc eius dolorem martyrium mentis vocat.

Quod si de s. Martino Ecclesia canit: *O animo sanctissimo, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit;* quanto verius id de Sanctissima Dei Genitrice dici non poterit? 14

S. Iacobus apostolus in epist. 1, 13 omnibus huius vitae aerumnas constanter perferentibus coronam promittit: *Beatus*, inquiens, *vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.* Quam potiore iure Deipara Virgo hanc coronam vitae beatae, gloriosae, et aeternae promeruit, quae millies graviora tormenta in anima passa est, quam martyres in corpore pertulerunt? 15

Qui olim in agone olympiaco vincebant, coronabantur corona myrthea, aurea, hederacea: ita qui apud Deum gloriose vincunt, coronantur corona aurea beatitudinis essentialis, cum aureola sit accidentalis, quae dicitur *corona de lapide pretioso* psal. 20, 4, *corona exultationis*, Eccli. 1, 11, *corona gratulationis*, ibidem 6, 32, *regnum decoris*, Sap. 5, 17, *corona gloriae*, Isai. 28, 5, *diadema regni*, ibid. 62, 3. Multo pretiosiore corona B. Virgo Maria ornata est, de qua fusius agam inferius in epitheto *Regina sanctorum omnium.* 16 Corona sanctorum qualis.

Quocirca Ecclesia martyrum dies natales in quibus pro Christo mortem fortiter oppetierunt, anniversaria tantum celebritate recolit: Deiparae autem non tantum anniversarium, sed singulis hebdomadis sabbati diem perpetua religione consecrandum decrevit. Idque ob excellens meritum martyrium, quod illo die pertulit, cum Filii praesentia destituta, memoria recolens, quae pridie ab impiis perpessus fuerat, tantum doluit, ut plusquam martyr fieret, uti iam ostensum est. Quare Uvignerius noster in suis institutionibus cap. 14, parag. 3, vers. 2 concludit, Beatissimam Virginem excellentius praemium adeptam esse, quam sit aureola martyrii. Et merito. Sicut enim regina in curia regis non aequalibus praerogativis gaudet, nec eodem ornatu amicta cernitur, quo ceteri famuli regis: ita mater Regis, Regina martyrum non aequali praemio et corona splendescat, qua illi in gloria fulgent. 17 Sabbatum cur B. Virgini dicatum.

III. Fortitudo et invicta constantia B. V. Mariae super alios martyres monstratur. In duobus generibus animi fortitudo spectatur. Primo; ut ea quae corpori adversa sunt, amore Dei despiciantur. Secundo, ut ea quae summa sunt, magno animo aggrediantur, ut d. Ambrosius lib. 1 offic. notavit. An non Virgo sub cruce dolores omnes despexit, et seipsam una cum Filio coelesti Patri immolavit? an non una cum ipso redemptionis nostrae opus operata est? quis eam vidit in adversis deiectam? quis in doloribus fractam? quis in prosperis immoderate gaudentem? Celebratur ab omnibus Symphorosa tiburtina, quae septem filios ante faciem suam videns martyrio affici, eorum tormenta constanti et imperterrito animo, oculis minime madentibus aspexit. Scribit in eius vita Petrus de Natalibus capite 111. Praedicatur et alia Melitonis mater, quae filium inter atrocissima tormenta expirantem cernens, his verbis allocuta est: *Fili, sustine paulisper: ecce Christus ad ianuam stat sustinens te.* S. Basilius orat. in quadraginta martyres. Laudatur mater s. Symphoriani, quae videns filium ad martyrium rapi, his eum verbis animavit: *Nate, nate, memento aeternae vitae, coelum suspice, et ibi regnantem intuere; tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius.* Ex eius vita. Commendatur constantia Mauritii imperatoris, qui a Phoca imperatore quinque filios crudelissime trucidari videns, nec lacrimulam effundens, nec de barbarie militiae, quam suis aluerat stipendiis, conquerens, nihil aliud praeter hoc verbum elevatis in coelum oculis promebat: *Iustus es Domine, et rectum*

18 Fortitudo in quibus monstratur. Fortitudo B. Virginis.

Fortitudo quarumdam mulierum matrum.

Mauritii imperatoris constantia.

Digitized by Google

iudicium tuum. At B. Virginis maior virtus enituit; quae unicum Filium, non qualemcumque, sed Deum et hominem pro totius mundi peccatis in cruce suspensum videns tanta animi fortitudine dolorem illum vehementissimum pertulit, ut nihil dignitati personae suae indecorum, aut rationi dissonum, nihil quod non summam animi moderationem, atque constantiam prae se ferret, egerit. Unde neque sensuum defectum, neque perturbationem, quem spasmum vocant, unquam passa est, ut paulo inferius probatum dabimus.

19 Salomon in Proverbiis c. 31 solicite quaerebat magnanimam aliquam et invictam heroinam, quia femineus sexus natura sua imbecillis et pusillanimis est: *Mulierem*, inquiens, *fortem quis inveniet?* Haec mulier vere magnanima et fortis fuit, quae Filium unicum summe dilectum, innocentem coram se ligari, flagellari, in cruce suspendi, mactari, et carnem de carne sua ab iniquis ita dissecari videns nullo adversitatum, anxietatum, atque dolorum turbine commota est, nullo impatientiae motu agitata. *Stabat*, inquit s. evangelista, *iuxta crucem Iesu Mater eius.*

20 Mater Christi Maria fuit, sed materna viscera tunc exuisse visa est, cum Filium suum tam indigne tractatum videns abstinuit a querimoniis, a lacrimis, ab eiulatu et planctu; non muliebri impatientia lamenta fudit, non pectus percussit, non crines avulsit; nihil denique egit quod muliebrem mollitiem proderet, nihil quod Christi passionem impediret.

21 Quis admirabilem hanc Virginis fortitudinem pro dignitate declarabit? quis tantae fortitudinis intuitu non obstupescet? Probavit eventus illustres viros, alioquin ingenti animi robore praeditos, ut Caesares, Pompeios, Hectores, Achilles, quandoque adversa fortuna turbatos. Non sic Virgo. Inter satellitum crudeles manus, inter peditum et equitum turmas imperterrita stetit; non eam muliebris sexus, non virgineus pudor domi retinuit; non militum cohors exterruit; non doloris acerbitas exanimavit; non Filii in cruce pendentis horrendum spectaculum turbavit; non denique illatae tot Filio contumeliae a crucis patibulo exterruerunt, aut fugarunt. *Stetit iuxta crucem Iesu.* O insignem Virginis fortitudinem! o magnanimitatem plusquam heroicam!

Ad te ergo, o nobilissima martyrum, o constantissima mulierum, o invictissima heroinarum, Domina mea dulcissima, supplices extendo manus petens, ut dolor ille, quem tunc passa es, sic nunc visceribus meis inhaereat, sicut tuis inhaesit. Infunde mihi obsecro vel minimam guttam lacrimarum, quas ipsa habuisti, dum sub cruce stares, ut et ego tibi ac Filio tuo possim condolere, et una tecum beatissima illius praesentia perfrui. Amen.

DISCURSUS CCCXCVI

FORTITUDO AC INVICTA CONSTANTIA B. V. MARIAE FUSIUS MONSTRATUR ET DECLARATUR EX ILLIS VERBIS: *STABAT IUXTA CRUCEM IESU MATER EIUS*

1 *Timantis pictoris ingenium.* Celebris et omnium ore decantatissimus pictor Timantes depicturus sacrificium Iphigeniae Agamemnonis regis filiae, videns sibi facultatem et ingenium deesse, qua ingentem Agamemnonis patris tristitiam penicillo exprimeret, atro velamine lugubrem vultum eius cooperuit, quo indicavit ad tantum dolorem exprimendum se imparem esse, eo quod dolor patris de nece filiae tantus erat, ut penicillo nullatenus delineari posset. Ad eundem modum sacri evangelistae videntes nulla verba sibi suppetere, quibus mariani doloris acerbitatem pro dignitate exprimerent, eum consulto praeterierunt, et quasi velamine silentii operuerunt. Solus Ioannes laconice quidem, sed nervose eum attigit, cum scripsit: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius*, contemplandi nobis campum, et meritorum occasionem relinquens. Age, verbum hoc *stabat* devota mente premamus, et cum doctoribus altius contemplemur.

2 I. *Stabat*, quia instar Filii cruci affixa erat, cum Christo crucifixa eum repraesentabat. Christus in cruce non sedebat, sed erectus stabat: Maria Filio crucifixo assimilari cupiens non sedebat, sed erecta stabat, ut posset dicere melius quam Paulus: *Christo confixa sum cruci.* Hoc mente volvens d. Bonaventura in stimulo amoris, cap. 4 Virginem interpellans, ait: *O Domina mea, ubi stas? numquid iuxta crucem? Immo in cruce cum Filio cruciaris; ibi enim crucifixa es secum. Hoc solum restat, quod ipse in corpore, tu vero in corde es passa, nec non singula vulnera per corpus eius dispersa in tuo corde generaliter sunt unita, quia nempe tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit. Tu Domina in tuo corde es lanceata, tu spinis coronata, tu illusa et exprobrata, tu contumeliis et maledictis affecta, tu etiam felle et aceto potata.*

II. *Stabat* in conspectu totius orbis terrarum, et in medio illo terrae, in quo Dominus spectaculum omnibus factum patiens salutem operabatur. *Stabat* et ipsa spectaculum omnibus facta inter medios gladios, lanceasque militum crucifigentium, iras, iniuriasque Iudaeorum. *Stabat*, et novum hactenus inauditum miraculum admirabatur. Et quodnam illud? Quod scilicet Deus pateretur, omnis gloriae, felicitatis, beatitudinis, et vitae fons et auctor. *Stabat*, vehementer defixa stupebat, atque admirabatur, et consilii divini artes, et sapientiae adinventiones animo volvebat, quibus nimirum factum, ut id fieri posset, ut Deus verus in carne mortali pateretur. 3

III. *Stabat*, et plagas, opprobria, vulnera Filii in se recipiebat. Adstabat martyri commartyr, vulnerato convulnerata, crucifixo concrucifixa, eodem doloris gladio transverberata; cum livente livescebat, cum pallente pallebat, cum saucio sauciabatur, cum lacrimante lacrimabatur, cum silente obmutescebat, morienti commoriebatur. Adstabat cruci, ut adstare solet mater aegrotanti filio, cum sanguis ab eo elicitur. 4

IV. *Stabat*, aspiciens piissimis suis oculis hiantia Filii vulnera. *Stabat* recta magna cum animi fortitudine, et admirabili invictaque constantia. Mundus turbabatur, tota terra tremebat, sol obscurabatur, et cor Matris integrum remanebat. O cor inter omnia hominum corda fortissimum et generosissimum! o cor quovis adamante fulgidius ac solidius, quod nec Agni quidem immaculati sanguis frangere potuit! o cor ferreum igne sancti amoris candens! o cor coralinum caritate rubricans, et prae constantia lapidescens, salsi maris tribulationum aquis innatans! Huc adeste carissimi, et videte visionem hanc magnam, rubum inquam ardentem, non tamen ab igne angustiarum consumptum. 5 *Cor B. Virginis in passione Filii*

V. *Stabat* piissima Mater, quia nulla ratione, neque animo, neque corpore a Filio suo in tot atrocissimis tormentis, atque opprobriis posito distrahi et avelli potuit. Doluit equidem ob Filii passionem, non tamen prae animi imbecillitate defecit: fortis et firma extitit, virile pectus sub femineo sexu induit, femineum nescivit animum: premi dolore potuit, non potuit opprimi ac vinci. Quare Cant. 7, 7 ei dicitur: *Statura tua assimilata est palmae*, quae nullo onere opprimi dicitur, sed quo magis gravatur, eo magis erigitur. 6

VI. *Stabat*, quia Iudaeos Filii sui hostes infensissimos non metuebat, parata etiam cum eo mori, si manus persecutoris non deesset. Huius mentis fuere aliqui ex sacris doctoribus, quos citavimus superius. Maria quaedam, de qua Caelius lib. 13, cap. 24 meminit, infantem filium cum fame premeretur occidit: et ne periret ipsa, filium perire voluit. Contra Maria Mater Dei voluisset ipsa mori pro Filio, ne ipse moreretur. Sanctus Anselmus tantam conformitatem voluntatis virgineae cum divina voluntate in Deipara agnoscit, ut si nullus fuisset repertus, qui Filium crucifigeret, ad hoc ut sequeretur salus hominum, et adimpleretur voluntas Dei secundum rationem, si oportuisset, ipsa posuisset in crucem. *Neque enim*, ait, *credendum est minoris fuisse perfectionis et obedientiae ad Deum, quam Abraham qui proprium filium obtulit in sacrificium propriis manibus occidendum et comburendum.* 7 *Voluntatis Mariae conformitas cum Deo quanta.*

VII. *Stabat*, quia crucem et ignominiam Christi non erubescebat; immo, si opus fuisset, Christum ad subeundam illam mortem adhortata fuisset. Plures matres filios suos morti obiecisse legimus. Mater septem martyrum Machabaeorum septem filios unius diei tempore morte crudeli peremptos siccis oculis aspexit: immo patria voce adhortata est ad retinendam in tormentis constantiam, 2 Machab. 7. S. Felicitas septem filios identidem ad martyrii tolerantiam et mortis contemptum excitabat, ut in vita ipsius legitur. Idem Maria in Filii morte fecisset, si opus fuisset. 8 *Matres quae filios suos martyrio obtulerunt.*

VIII. *Stabat*, divinae voluntati se conformans, de Filii passione vehementissime dolens, de fructu passionis gaudens. Considerabat prudentissima Virgo ex Christi cruce et passione maximam Deo gloriam, ipsi Christo corporis sui glorificationem, et nominis sui exaltationem, hominibus gravi daemonis servitute oppressis libertatem et salutem secuturam: ob id omni creatura mortem Filii sui lugente, ipsa licet moestissima, gaudens Filium suum pro mundi salute immolare voluit. 9

Digitized by Google

10 Pilati uxor passionem Christi impedire voluit, cum ad maritum pro tribunali sedentem misit dicens: *Nihil tibi et iusto illi*, Matth. 27, 19. Sed id satanae opere fecit; intelligens enim diabolus per Christi mortem se spolia amissurum, volebat per mulierem salutem generis humani praepedire, cui per mulierem mortem induxerat. Non ita Deipara B. Virgo a spiritu Dei docebatur; proinde per omnia voluntatem suam divinae conformabat; non tentabat Filium a morte surripere: pati illum voluit, se cum illo pati, ut genus humanum salutem et vitam aeternam inveniret.

11 IX. *Stabat*, ut inquit d. Anselmus, ut deret pudicitiam virginalem, non se inclinabat in tanta amaritudine, non ira correpta crines sibi evellebat, non crucifixoribus maledicebat, de Pharisaeis non detrectabat, non murmurabat, non vindictam hostium a Deo petebat, sed stabat disciplinata, verecunda Virgo patientissima, lacrimis plena, et doloribus immersa. Non enim Virginis dolor fuit sicut dolor Solonis atheniensis, alias viri consummatissimi, cui cum aliquando inci causa diceretur filium suum vitam cum morte commutasse, proiectus in terram ambabus manibus barbam ut capillos repuit, vestes conscidit, ad coelum proclamabat, ut aliis rebus tanto legislatoru indignis cordis dolorem plurimis adstantibus demonstrabat, ut Sabellicus l. 3 scribit. Maria autem Sacratissima summum dolorum suum summa cum fortitudine in corde suo coniunxit; quod quidem ego miraculum crucis appellare soleo.

12 X. *Stabat* taciturna in toto passionis cursu, nunquam dixit se Christi Matrem esse. Poterat de Isaiae oraculo clamare: Ecce virgo concepi, et peperi filium, et vocatur nomen eius Admirabilis, Deus, Fortis. Poterat cum Christus ad mortem quaereretur, cum ad mortem iam damnaretur, antequam cruci affigeretur, divinitatem eius praedicare dicens: Parcite Filio meo, quia Deus verus est, Messias mundo promissus, Salvator mundi; sed tacuit, Filii sui dignitatem suppressit, mundi totius redemptionem dolori suo praetulit, immo dolorem suum et seipsam in redemptionem generis humani una cum Christo Deo Patri obtulit. Sciebat enim iam tunc gratia plena, quia si Filium suum huius saeculi principes agnovissent, nunquam pro salute nostra crucifixissent, ut d. Ambrosius serm. de purif. B. Virginis adnotavit, ut sic salus generis humani impedita fuisset.

13 XI. *Stabat* fidissima Christi amica animo et viribus fortis et intrepida, ipsis etiam apostolis fortior; nam non ut ceteri discipuli, relicto Filio, fugiebat; non ut Petrus negabat; sed in medio impiorum, et immanissimorum hostium stabat, tanto sancto dilectionis igne succensa, ut neque Iudaeorum furore, neque militum saevitia, neque comprimentium turba, neque doloris acerbitate a statione sua dimoveri posset. Elephas viso sanguine non timet mori, sed magis acuitur in praelium, sicut legitur 1 Machab. 6. Ita B. Virgo, viso sanguine Filii effuso in cruce, mori cum ipso non timuit, sed magis optavit: etsi animam pro ipso non posuit, tamen exposuit: et quod potuit, fecit.

14 XII. Sexu imbecillis, sed animo virilis, et constans *Stabat iuxta crucem Iesu*; non corpore, non animo concidit, nec vinci tot dolorum agmine potuit; tam graves dolores Virgo sustinuit, non tamen defecit, sed instar solidissimae rupis in medio mari constitutae variis dolorum fluctibus undique concusso stabat.

15 XIII. *Stabat* et crudeli illo spectaculo aderat; Iudaeorum contumaciam mirabatur, caecitatem deplorabat, eo quod tantum passionis sacramentum sibi verterent in contemptum, medicamentum in detrimentum.

16 XIV. *Stabat*, et cum Filius pro crucifixoribus orabat, audiebat, et ipsius clementiam mirabatur: Iudaeorum feritatem paretamque damnationem peracerbe indolebat, et pro eis in hunc, vel similem modum orabat: Recordare, Fili, quod carnem ex eis acceperis, in qua, et per quam operatus es salutem in medio terrae: utique decet bonis spiritualibus tuis eos participare, quorum carnem non exhorruisti. Debebant primi esse ad salutem, pro eo quod salus ex ipsis; sed quia pius es, sufficiat, quaeso, pro funesta illa electione Barabbae, quod primogenita sua perdiderunt, ut fiant vel novissimi. Sic orat, sic exorat. Guilielmus Hailgrinus comment. in Cantica.

17 XV. *Stabat* admirans ut obstupescens, quomodo speciosus forma prae filiis hominum adeo deformatus esset. *Nolite mirari*, inquit, *quod fusca sim, quia decoloravit me sol*. Aperta igitur ad solem facie stabat, quam sic aspectu ipso decoloratam reliquit.

Maria sub cruce stans pro Iudaeis orat.

XVI. *Stabat* et considerabat, quomodo qui multos aegros sanabat, ipse tam infirmus videbatur, tot plagis, colaphis, flagellis, clavis, lancea dilaniatus apparebat; quomodo qui coelum nubibus contegit, denudabatur; qui omnes fontes, et aquas creat, sitiebat; qui innocentissimus est, in medio scelestorum appendebatur; qui mortuis vitam dabat, super lignum crucis moriebatur.

XVII. *Stabat*, quoniam fides et spes intellectum, amor autem 18
affectum ipsius sustentabat. *Stabat* ergo fide firma, spe plenissima. Et quid, et quibus Virgo sperabat? Sane et Filio, et sibi, et Ecclesiae, et iustis, et peccatoribus sperabat omnia bona. Filio quidem gloriam corporis, sibi consolationem, Ecclesiae amplitudinem, iustis gratiam, peccatoribus veniam. *Stabat* ergo Maria potius in fide et spe, quam in pedibus suis subsistens.

XVIII. *Stabat* mente et cogitatione sua complectens ineffabiles 19
illos amoris ignes, quibus Filius ardebat: siquidem tot opprobriis, atque iniuriis non exasperabatur, immo potius quantum in tormentis suis humana malitia adinvenit, libentissime illis condonabat. *Stabat* et animo volvebat, qualiter piissimus Dominus malefactorum suorum malitiam excusabat, et pro illis Patrem orabat: *Pater, dimitte illis*. *Stabat* in animo versans inexplicabilem illam bonitatem Dei, qui pro servis proprio Filio suo non pepercit, sed illum tam immani morte tradidit. Summam quoque eius iustitiam contemplabatur. *Stabat* et animo perlustrabat divinam illam liberalitatem, qua sanguinem suum profundebat pro ingratissimis peccatoribus. Sanctus Ephrem B. V. Mariam Filium ita alloquentem inducit: Fili dulcissime, magnanimeque Deus, pene me vita deficit, dum te in hoc ligno confixum intueor, plagis refertum, tormentis defatigatum, tanquam malefactorem reputatum, ut siti deficientem. Quomodo, o Fili dulcissime, tot alapas, iniurias, spineam coronam, immania verbera, totque laborum procellam atque diluvium sustinere potuisti? quomodo, o carissime sponse, nudus es in cruce pendens, qui terram arboribus, floribus, et plantis vestis? quomodo sitim pateris, qui fons perennis es, quique mare, flumina et rivulos creasti? quomodo, cum innocens sis, inter homines infamiae labe conspersos mortem oppetis? in quo, o animae dulcedo, Hebraeos offendisti, qui tam immaniter se tecum gerunt, cum mortuos illorum ad vitam revocaveris, infirmis medicinam adhibueris, caecis visum restitueris, peccatoribus peccata condonaveris?

Mariae verba ad Christum in cruce pendentem.

XIX. *Stabat* et universo mundo vivum quoddam constantiae 20
exemplar relinquebat, quandoquidem nec tribulatio, nec angustia, nec periculum, nec persecutio, nec gladius, nec mors, nec vita, nec alia creatura illam separare posset a caritate Christi, cui mente penitus cohaerebat. Tam fortis, tam firma sub cruce stetit, ut aliquid supra hominem esse videretur. Hinc Christus Virginem tunc non suo nomine Mariam vocavit, sed mulierem illam appellavit occurrens futurae haeresi, quae in tantis angustiis tam inconcussam Virginis mentem considerans eam pro Deo colebat. Hic fuit error Collyridianorum, quem s. Epiphanius refert, et confutat lib. 3, tom. 1, haeresi 79. Fovere hunc errorem poterat tam magna in tam magnis angustiis Deiparae fortitudo; huic errori Christus occurrit, cum Matrem suam mulierem vocans, ob sexus imbecillitatem Deum eam non esse ostendit.

XX. *Stabat* iuxta crucem, id est cruci arctissime adhaerens, 21
coelestis illius vexilli quasi strenua signifera eximiam animi sui fortitudinem manifeste ostentans. Rebecca geminos in utero portans, cum iam inde ab utero inter se digladiarentur, et illo conflictu viscera matris collidèrent, eique incredibiles dolores adferrent, huiusmodi concertationem ut duellum non ferens oppressa aiebat: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Gen. 25, 22. Non sic Beatissima Virgo, cum dolores quos in partu effugit, iuxta crucem haberet, cum inquam virum dolorum pareret, nullas querimonias, nullas voces amaras, nulla verba aspera proferebat; sed quieta, patiens, modesta stabat. O animum generosum! o cor plusquam virile!

Quis unquam tam virili animo praeditus fuit ut Iacob, qui contra angelum in arenam descendere ausus est, et tamen orbatus 22
filio tantum anima consternatus est, ut scissis vestibus longo tempore filium lugeret, et quasi vitae pertaesus diceret: *Descendam ad filium meum lugens in infernum?* Gen. 37, 35. David quis strenuior, quis fortior, ut ille qui ursos leonesque discerperet, gigantemque Goliath nullis protectus armis, sed sola funda et baculo armatus prosterneret, et tamen morte unius rebellis filii ita commotus est, ut vestem scinderet, et in magnos eiulatus prorumperet, ut paulo superius retulimus? Petro quis animosior, qui dicebat ad Christum: *Paratus sum tecum in mor-*

tem et in carcerem ire; et tamen adversa fortuna stante, cum aliis discipulis fugit, et demum Magistrum suum ter negavit? At Beatissima Virgo tanta animi virtute et fortitudine excelluit, ut quamvis dolorem de morte Filii vehementissimum sentiret, nihil tamen personae suae indecorum, aut rationi dissonum egit, non femineos eiulatus edidit, non sensuum defectum, neque perturbationem, quem spasmum vocant, unquam passa est; quod sequens discursus declarabit.

DISCURSUS CCCXCVII

AN B. V. MARIA IN PASSIONE FILII PASSA FUERIT SPASMUM, SEU SENSUUM ALIENATIONEM ET USUM

1 Ad declarandam fortitudinem eximiam, et invictam B. M. Virginis constantiam in passione Filii operae pretium est videre et operosius inquirere, an tunc B. V. Maria prae nimio dolore mentis et sensuum alienationem passa fuerit, ita ut quasi semianimis, aut tanquam mortua in terram caderet.

2 Spasmum passam fuisse B. V. Mariam qui asseruerunt. I. Multorum ac gravissimorum doctorum sententia fuisse videtur, B. M. Virginem tempore passionis Christi prae acerbitate doloris spasmum incurrisse, et angustiarum multitudine absorptam semimortuam remansisse. Ita d. Bernardus in opusc. de lament. B. M. Virginis, s. Bonaventura in lib. medit. vitae Christi c. 17, et 19, s. Anselmus dialogo de pass. Dom. b. Laurentius Iustinianus lib. de triumph. agone, Dionysius carthusianus in c. 9 Ioan. Lanspergius lib. elucidat. pass. Christi, Landulphus de vita Christi, p. 2, c. 64, et 7, Christophorus Vercellinus lib. medit. Quibus suffragari videtur revelatio s. Birgittae ab ipsa B. Virgine facta quae habetur lib. 6 revel. cap. c. 57 in haec verba: *Quando vidi,* ait B. V. Maria, *Filium meum ligari, et flagellari, et in ligno suspendi, corrui quasi exanimis.* Rationes quoque opitulari videntur.

3 Ecclesia B. M. Virginis de spasmo. 1. Quod Christus Dominus baiulans crucem prae nimia debilitate, ob acerba flagella suscepta in terram cecidit, corruisse etiam Virginem illi obviam factam communis fidelium traditio est; qui etiam eo in loco ecclesiam construxerunt sub nomine S. Mariae *de spasmo,* ut Terrae sanctae scriptores, et peregrini inde venientes testantur. Nonnulli quoque in ecclesia festum spasmi B. M. Virginis celebrant cum octava a dominica passionis usque ad dominicam palmarum.

4 2. Excellens dolor secundum Avicennam tract. de spasmo spasmum causat, ut saepe videmus. Cum ergo dolor Virginis fuerit vehementissimus, facile potuit spasmum in ea causare.

5 3. In ecclesiis passim videre est imaginem in quibus B. Virgo exanimis et semimortua, vel inter brachia d. Ioannis et Magdalenae, aliarumque sanctarum mulierum depingitur sub cruce Christi; quod nequaquam Ecclesia permitteret, si id veritati consonum non esset.

6 II. Alii pro dignitate B. M. Virginis stantes spasmum quidem passam fuisse concedunt; sed non illum, qui ex vehementia tristitiae, vel doloris nervos contrahit, et homini rationis et sensuum usum tollit, sed eum dumtaxat, qui absque nervorum contractione, et sensuum alienatione tam dire et crudeliter vexat, et vires corporis adeo debilitat, ut homo vix se sustentare posset, quin in terram corruat, ut Danieli accidit, cum angelum vidit, 10, 8: *Emarcui,* inquiens, nec *habui quidquam virium.* In hac sententia fuerunt Malonius de Christi Domini stigmatibus c. 17, et Sebastiastes revel. s. Birgittae. Sic enim s. Birgitta ab ipsa Deipara Virgine per revelationem accepit, quod lib. 1, cap. 10 revel. eius refertur in haec verba: *Ad primum igitur ictum,* ait B. Virgo, *ego quae adstabam propinquius, cecidi quasi mortua, et resumpto spiritu vidi corpus eius verberatum.* Et infra B. Virgo dixisse legitur: *Cum primus clavus infigeretur ei, ego ad primum ictum conturbata cecidi quasi mortua, oculis obscuratis, manibus trementibus, pedibus nutantibus, et non respexi prae amaritudine, nisi quam ex toto affixus erat. Surgens vero vidi Filium meum miserabiliter pendentem.* Quibus verbis clarissime spasmum se passam fuisse in passione Filii ipsa Beatissima Mater adstruit, non illum qui rationem turbat, et sensuum usum adimit, sed qui corpus dumtaxat debilitat, et in terram cadere facit. Et per hanc glossam praenominatorum patrum et aliorum pussimorum auctorum mens de spasmo B. V. Mariae optime interpretari possit.

7 III. Sed, ut video, hoc saeculo communis theologorum sensus est, Beatissimam Virginem ob passionem et mortem Filii sui nullum spasmum sustinuisse, nedum illum qui alienationem mentis et sensuum usum affert, sed nec illum qui corpus adeo debilitat, ut hominem cadere compellat. Ita post cardinalem Caietanum qui opusculum ea de re scripsit, docent praeclarissimi theologi Bartholomaeus Medina 3 p. d. Thomae q. 27, art. 4, Suarez 3 p. tom. 2, disp. 4, sect. 2, Toletus in caput 19 Ioannis, Iansenius in concordia evangelica, et contrariam opinionem temerariam, scandalosam, utpote dignitati Matri Dei infestam, vocant. (Spasmum nullum passam fuisse B. Virginem qui asseruerunt.)

Hanc ego modernorum sententiam libenter amplector, et Beatissimam Virginem nullum prorsus spasmum in passione Filii sui sustinuisse constanter assevero motus his rationibus. (Auctoris sententia.)

Prima. Spasmus, etiam ille qui solum debilitatem corporis inducit, nervos contrahit. Cur enim homo in terram caderet, si nervos contractos, convulsos, rigescentes non haberet? In Beatissima autem Virgine nulla fuit nervorum contractio: aperte enim s. Ioannes dicit: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* Si stabat, certe non cadebat. 8

Forsan occurres: Equidem iuxta crucem stetit, sed cum Filium crucem baiulantem, et in terram labentem vidit, et ipsa pariter corruit. Sed hoc voluntarie dicitur; si enim dum Filius eius in cruce moriens, et in cruce affixus maiores dolores patiebatur, in terram non corruit, multo minus quando eum cruce oneratum, et labentem conspexit. Praeterea carius erat Deo ut B. Virgo secundum rationalem partem ei compateretur, quam quod a rationis sede abducta, et sensuum usu privata in terram collaberetur. Non ab ea rationis et sensuum usum aufero, sed, salvo utriusque officio, solum prae tristitiae magnitudine in terram collapsam affirmo; sed et hoc dignitati Matris Dei derogat, quod ex multis ostendi potest. 9

1. Beatissima Virgo gratia plena erat, Luc 1. Igitur omnes corporales defectus, qui plenitudini gratiae obstant, ab ea relegandi sunt. Hic autem defectus, puta ecstasis, syncopa, sive deliquium plenitudini gratiae derogat. Ad plenitudinem enim gratiae pertinet, ut tota pars sensitiva dominio rationis subdatur; stante autem pleno rationis dominio super partem sensitivam, corpus ad nutum eius obtemperat: non est autem credibile rationem B. M. Virginis iudicasse tunc in terram corruere, cum hoc imperfectorum sit et debilium vehementes tristitias et animi dolores sustinere non valentium. Iam autem superius ex patribus ostendimus, B. M. Virginem adeo constantem et fortem fuisse, et divinae voluntati adeo conformem, ut si oportuisset, ad implendam voluntatem divinam ipsa Filium suum in cruce posuisset, atque pro nostra salute obtulisset. 10 (B. Virgo in terra non corpore cur Christum in cruce pendentem vidit.)

2. B. Virgo commendatur a doctoribus commendatur ab egregia complexione, et corporis temperie, quod videlicet nunquam in morbum inciderit, ut videre est apud Caietanum et Suarez locis citatis, et Galatinum lib. 7, c. 10, quod et nos superius disc. CXXXII et CLXXVII fusius probatum dedimus. In hoc ergo similis Filio suo fuit, quia nullo unquam morbo laborasse creditur. 11

3. Multis sanctis matribus tanta gratia divinitus collata fuit, ut mortem filiorum suorum forti et constanti animo perferrent, uti mater filiorum Machabaeorum, mater s. Symphoriani, s. Felicitas, de quibus superius diximus. Quid igitur Maria tam debilis et imbecillis erat, ut a dolore et moestitia victa in terram corrueret? ubi illud vulgatum in omnibus scholis d. Bernardi effatum: *Quod paucis fuit concessum, non creditur Mariae fuisse denegatum?* 12

Stet igitur firma sententia Virginem Deiparam tametsi acerbissimo dolore in passione Filii plenam; nunquam tamen spasmum sustinuisse, non solum illum qui mentem abripit, sensuumque usum tollit; sed nec illum, qui adeo corpus debilitat, ut salvo usu rationis et sensuum, in terram collabi compellat. Unde in Hispaniis concionatores oppositum praedicantes iussu sanctae inquisitionis palinodiam cantare coguntur, teste Bartholomaeo Medina loco praecitato. 13

IV. Sancti patres qui in contrariam abiisse videntur sententiam, non veritatem historicam narrant, sed per quamdam hyperbolem, sive exaggerationem devotas contemplationes tradunt, quibus se et alios ad maiorem compassionem, et affectum erga Christum et Mariam excitant humano more loquentes, ut ex his quae communiter hominibus afflictis accidunt, populus Christianus magnitudinem moestitiae Sanctissimae Dei Matris colligat, facilius percipiat, devotius contempletur, et magis compatiatur. 14 (Sancti patres contrariam sententes interpretantur.)

Digitized by Google

Et hoc etiam modo ravelstianes b. Birgittae factae intelligendae sunt. Loquitur enim B. V. Maria humano more, et ex his quae communiter moestissimis matribus in morte filiorum accidunt, moerorem suum beatae Birgittae enarrat.

15 Rationes in contrarium solvuntur. Rationes quoque quae in contrarium pugnare visae sunt, veritati nihil officiunt. Illud enim templum spasmo B. M. Virginis consecratum stuporem quendam, et admirationem B. M. Virginis quam ex maximo dolore habuit, fidelibus in memoriam revocat. Videns namque moestissima Mater dilectum Filium suum tam indigne tractari, ex visione illius horrendi spectaculi prae admiratione obstupuit, quem stuporem, et admirationem vulgus aliter exprimere non valens, maximum illum dolorem Virginis spasmum appellavit, et ad eius memoriam templum construxit.

16 Porro illud negare non ausim, Christum Dominum eo in loco, ubi ecclesia fabricata est, in terram corruisse; sed collapsus ille non ex aliquo mentis deliquio, quod pati solent, quia a iudicibus ad tormenta dantur; verum tum ex nimio pondere crucis, tum ex copiosa sanguinis effusione tam in horto, quam ad columnam flagellatione provenit: unde collapsus ille Christi spasmus nullatenus vocari potest.

17 Quod autem ex Avicenna adducitur, ingentem dolorem spasmum adferre, verum est de hominibus imperfectis, in quibus sensus rationi praedominatur, et ab eius imperio exorbitat, cuius tanta petulantia est, ut eum ratio coercere non valeat. Quod in B. M. Virgine non fuit, ut superius in multis locis ostensum est. Nec etiam semper verum est, ingentem dolorem spasmum adferre; certum namque est, Christum Dominum acerbissimos dolores pertulisse, et tamen nunquam spasmum passum fuisse.

18 Festum spasmi B. Virginis quod fundamentum habeat. Ecclesiae quoque nonnullae, quae festum spasmi B. M. Virginis celebrant, acerbissimum illum dolorem B. M. Virginis, communi vocabulo a plebe usurpato, spasmum appellant.

19 Imagines spasmum B. Virginis repraesentantes reprobatae. Multo minus imperitia pictorum hanc veritatem labefactare valet. Hi enim saepe absurda, et in fide nutantia in picturis, vel sculpturis suis oculis hominum proponunt, ut in multis vidimus, cum superius de imaginibus B. M. Virginis tractantes, quaenam in iis essent corrigenda docebamus. Ioannes a Carthagena huius saeculi scriptor nobilissimus, et B. M. Virginis encomiastes eximius lib. 12, homil. 8 in fine narrat huiusmodi picturas, quae gloriosam Dei Genitricem sub Christi cruce languidam, exanimem, et semimortuam, vel inter brachia d. Ioannis et Magdalenae positam, et in terram corruentem oculis hominum exhibent, Romae mandato reverendissimi patris magistri sacri palatii apostolici expunctas, seu depositas fuisse, utpote derogantes magnanimitati et fortitudini Deiparae Virginis Mariae, et cum sacro evangelio aperte pugnantes, quod de Beata Virgine narrat: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius. Stabat*, non languebat, non exanimis a ratione et sensu alienata in terram corruebat, sed *stabat*. Huius fortitudinis ac constantiae participes nos efficiat Iesus Christus Dominus noster interventu dignissimae Matris suae. Amen.

DISCURSUS CCCXCVIII

DE MARTYRIO B. V. MARIAE IN DEPOSITIONE CHRISTI DE CRUCE

1 Depositio Christi de cruce quomodo facta. Post dira tormenta, post opprobria, post totius corporis dilaniationem, post tam copiosam sanguinis effusionem spiritum tandem immaculatum Christus Mariae Filius emisit, de ligno deponitur, ac virgineo sinu, ut plerique pie meditantur, excipitur. Quod qualiter factum fuerit, ipsa B. Virgo d. Birgittae in haec verba enarravit: *Nicodemus et Ioseph, qui Filium meum deponebant de cruce, tres applicabant scalas: una protendebatur ad pedes, secunda subtus ascellas, et ad brachia, tertia ad medietatem corporis. Primus ascendit, et tenebat eum per medium, secundus ascendens per aliam scalam excussit primo unum clavum de uno brachio, deinde applicata scala, excussit clavum alterius manus: qui quidem clavi longe ultra stipitem crucis protendebantur. Descendente igitur illo qui sustentabat, et excusso clavo de pedibus, unus eorum tenuit corpus per caput, alius per pedes: ego vero quae Mater eram, tenui per medium.* Haec ibi. Et post pauca B. V. Maria ita loquitur: *Depositum de cruce recepi in genu meo quasi leprosum, et cum linteo extersi vulnera, et membra eius, et clausi oculos eius, et os eius quae in morte fuerant aperta.* Quis enarrare sufficiat, quantos cruciatus et dolores, et quantum martyrium tunc Mater Sanctissima habuit, cum corpus mortuum dilecti Filii suo in gremio excepit?

Depositus de cruce Redemptor non eam vacuam deseruit, sed [2]
cor animamque Mariae in ea affixit, cum ex brachiis crucis ad brachia Matris translatus est. Cogita, et devota cordis attentione revolve huius Matris moestissimae martyrium. Quem dolorem, quem cruciatum illa tunc sustinuit, cum dilectum Filium suum tam dire percussum, tam turpi et opprobriosa morte occisum, gremio exceptum contemplabatur!

Mira certe fortitudinis, ac pietatis opus narrat Scriptura sa- [3]
cra 2 Reg. 27 de Respha, quae cadavera crucifixorum filiorum custodivit abigens per diem aves, et bestias per noctem. At longe maior fortitudo et pietas Deiparae Virginis, quae propriis manibus ad depositionem Filii sui de cruce inservivit, eumque depositum in gremio excepit, amoris indicia erga caram sobolem exhibuit, membra illius amplexa est, partim quidem ulnis stringens, partim suis lacrimis plagas emundans, pellem carnemque pendentem propriis locis restituens, spineum diadema capiti impressum, ac carni infixum suis manibus extraxit, ut pie credi potest, non sine sanguine e suis manibus fluente.

Narrat Plintarchus in apophtegmatibus moestitiam matris re- [4 Matris Achis lamentatio.]
gis Achis, qui propter iustitiam a suis subditis occisus, eo videlicet, quod effraenatos mores illorum compesceret, et perditam rempublicam ad meliorem frugem revocare tentasset, ad matrem delatus erat, quae in gremio illum recipiens summo dolore affecta aiebat: Heu me, fili mi, nimia tua bonitas, nimia mansuetudo, et humanitas te simul et nos perdidit. Haec et similia potiore iure B. V. Maria dicere poterat, cum brachiis dilectum Filium suum domus Dei zelatorem excepit: Heu me, Fili mi, cur tot plagas, alapas, irrisiones, iniurias, spineam coronam, crucem sustinuisti? cur, carissime sponse, nudus in cruce pependisti qui terram arboribus, floribus, et plantis vestis? cur sitim passus es qui fons perennis es, qui mare, qui flumina et rivulos creasti? cur innocentissimus inter homines infames vitam finivisti? in quo, o animae dulcedo, Hebraeos offendisti, qui tam immaniter se tecum gesserunt? Non ob aliam causam tam crudeliter et horrende tractatus es, nisi quia vitia Iudaeorum increpasti, et incompositos hominum mores componere satagebas. Bonitas tua, clementia tua, amor tuus erga genus humanum huc te deduxerunt. Ecce tibi ab omni saeculo praefinitum mysterium, desiderium quo ab initio tenebaris, iam impletum est.

Sanctus Germanus in suo theoricae fragmento narrat, B. V. [5 B. V. Maria Christum de cruce depositum in ulnis tenens, et singula membra contemplans.]
Mariam depositum de cruce Filium plusquam mille vicibus osculatum fuisse, et lacrimis suis universa eius vulnera rigasse, et plorando acerrime super singula membra eius, eaque ad ubera sua comprimendo, haec vel similia dixisse. Contemplans caput undique laceratum aiebat: O sacrosanctum et venerabile caput, superis et inferis tremendum et adorandum, totius mundi fama dignissimum, locupletissimum divinae sapientiae aerarium, quam sancium, quam cruentatum es; non erat certe corona spinea tibi imponenda, sed diadema aureum omni lapide pretioso ornatum. Conversa ad oculos: O oculi castissimi, modestissimi, lucidissimi, quam tenebrati estis, qui tenebras peccatorum collustrastis, et corda rigentia inflammastis et emollistis. Deinde ad genas et faciem: O facies omni digna imperio, o roseae genae, quam deturpatae estis, quae angelos et homines exhilarastis. O suavissimum ac mellifluum os carissimi sponsi mei quam amarum factum es, quod coelestis doctrinae nectar continuisti, illudque mundo universo propinasti. Hinc ad aures: O aures delicatissimae, quantis contumeliis et opprobriis oppletae, atque obturatae estis, quae dulci melodia civium coelestium iugiter vos recreastis. Postea ad manus: O venerabiles manus quae coelum et terram fabricastis, quae solo contactu leprosos mundastis, infirmos curastis, caecos illuminastis, panes miraculose multiplicastis, quam diro clavis perterebratae estis. O mitissimum pectus, ex quo divinae misericordiae fontes copiosissimi promanarunt, quam conturbatum es. O Æthna ardentissima, vivas caritatis flammas semper emittans, quam extincta es. O latus gloriosissimum, o petra solidissima non mosaica virga percussa, sed mucrone dirae lanceae aperta, quam contrita es. O adorandi pedes, qui per vicos, pagos, castella, et oppida ambulastis, tot terrarum spatia pro salute hominum peragrastis, quam dire ab iisdem, quorum salutem quaesivistis, clavis confixi, et cruentati estis.

Digitized by Google

6 Inspicit vulnera Mater, osculatur, lacrimis rigat, dolet simul et gaudet; dolet ob acerbam Christi Filii sui passionem; gaudet quia in illis vulneribus cernit gloriosam victoriam, humani generis salutem, et singularem in omnes mortales amorem.

7 Feminarum Lacedaemoniarum amor erga patriam.

Lacedaemoniorum matronae, ut narrat Ælianus cap. 12 variarum historiarum, cum audissent suos filios in pugna cecidisse, cum festinatione ad eos ibant, et vulnera eorum inspiciebant; si plura ex adverso facta fuissent, cum gaudio in avita monumenta eos inferebant; sin vero aversa erant, et fugientes indicabant, pudore suffusae, et lacrimis clandestina fuga discedebant, mortuosque filios relinquebant, et ut plebeio sepulcro humarentur, curabant. Tanta in femineo pectore gloriae cupiditas et amor patriae flagrabat, ut etiam muliebrem mentem in virilem converteret. Maior certe fortitudo in B. Virgine resplenduit; quae Filium suum strenue in acie pugnantem cernens, ubi mortuum vidit, vulnera inspexit, latus, manus, pedes perforatos cernens, non aversa parte haec vulnera a Christo excepta fuisse sciens, non fugientem; sed fortiter pugnantem indicantes colligens, cum eum honore in sepulcro condidit, licet lacrimis oborta, sed certe pudore minime suffusa a monumento recessit.

8 De lacenis matronis Plutarchus in apophthegmatibus ita scribit: *Una ex eis cum audisset, quod filius suus fortiter in praelio pugnans occubuisset, inquit: Nimirum meus erat.* Altera e contra cum audivisset, quod filius suus ob timiditatem praelium detrectans salvus evasisset: *Ergo*, inquit, *non erat meus.* B. V. Maria dilectum Filium suum in acie fortiter pugnantem videns, et postea vulneratum et mortuum intuens, secure dicere poterat: Nimirum meus erat, qui tam gloriose occubuit.

9 Tandem post flagella, post opprobria, post mortem Christus conditus sepulcro, Virginis quoque Sanctissimae mens quodammodo sepelitur angusto moeroris tumulo, ut quae morienti Filio commoriebatur, etiam sepulta consepeliretur, et tandem eum resurgente spiritus eius revivisceret. Hoc antea cogitavit s. Amidaeus homil. 6 de laud. B. V. Mariae: *Tacebat*, inquiens, *illa velut in quodam arctissimo moeroris tumulo, donec Dominus iacuit in sepulcro. Illo namque resurgente, revixit spiritus eius, et quasi de gravi somno evigilans, Solem iustitiae, et radios resurgentis in luce matutina respexit.*

10 Hoc martyrium Mariae, fratres dilectissimi, saepius devota mente recolamus, dolores ac cruciatus Deiparae et Matris nostrae altius cordibus nostris imprimamus, illosque quantum possumus celebremus. Haec enim veri filii nota est, matri afflictae condolere, et compati: ex materni enim doloris consideratione ad filii dolorum contemplationem itur. Unde haec sancta cogitatio Beatae Virgini quam gratissima est. Inde complures imagines in Ecclesia videntur, in quibus Deiparam in specie moerentis septem gladii in pectore illius fixi ambiunt, et vulgo septem dolores Virginis appellantur, quo significatur animam eius gladio doloris iuxta vaticinium Simeonis septies transfixam fuisse. Inde inter mysteria rosarii in honorem Christi eiusque Genitricis instituti secunda quinquagena angelicarum salutationum mysteria passionis Christi continet, ubi dolores immensi Beatissimae Virginis pia meditatione recensentur. Inde religiosissimus Ordo servitarum, qui hoc praeclare titulo gloriatur, quod se Beatae Dei Genitricis servitio mancipatum gaudet, atras vestes quas Deipara per visionem primis eius Ordinis institutoribus per quintem praemonstravit, in huius virginei moeroris honorem induendas elegit; quamvis nonnullae aliae religiosorum familiae, ut sunt carmelitani, olivetani, et aliae candidis vestibus in honorem puritatis eiusdem Virginis utantur.

Dolores Mariae recolendi.

Servitae cur nigro habitu utuntur.

11 Auctor Pomerii lib. 3 de B. M. Virgine, part. 4, art. 4 narrat B. M. Virgini concessum fuisse a Christo Domino, ut dolores eius maternos animo revolventi potuisset libere quemcumque favorem impertiri ad salutem animae illius spectantem, et praecipue, ut ante mortem veram de peccatis suis poenitentiam ageret.

Quare sancti patres Bernardus de lament. Virg. Anselmus de compassione Virginis, s. Bonaventura et alii multi Deiparae Mariae commiserantis maternum affectum, et doloris acerbitatem sedulo perpenderunt, et nobis eius ingem memoriam, et devotam meditationem commendarunt.

12 Vos igitur animae piae, et in primis vos fratres et sorores, qui sodalitio rosarii virginei nomina dedistis, per insigne studium, quo erga hanc Sanctissimam Matrem fertimini, obtestor, ut eius doloribus compatiamini, et tam sancto amori reciproce respondeatis, et dicatis: *Sancta Mater istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo valide.*

13 Dominus Deus corda obdurata nostra sanguine pretiosissimo Unigeniti Filii sui, et lacrimis gloriosissimae Virginis, eiusque verae Matris irrigare, et ad lugendum aptos nos reddere dignetur. *Beati qui lugent.* Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii et gaudii. Gratae Christo lacrimae Mariae, gratum Filio obsequium maternum; gratum ergo illi esse debet, quod simili fit exemplo. Igitur Mariae condoleamus, Mariae Christi Matri compatiamur. Trahant corda nostra illuc dulcissima Christi et Mariae corda, ut gratiae et gloriae praemia consequamur. Amen.

Digitized by Google

REGINA CONFESSORUM

Confessores qui.

Confessores dicuntur, qui vitam laudabiliter sancteque in Domino morte naturali terminarunt, quorum licet persecutio sanguinem non fuderit, propter insignem tamen eorum vitae sanctimoniam animus martyrii non defuit. Quare iure merito martyres proxime sequuntur; propter assiduas enim preces, ieiunia, vigilias, cilicia, disciplinas, humicubationes, et interdum monasterii claustra, quibus ad totum vitae tempus sponte se incluserunt, aliasque corporis castigationes ad carnem edomandam ultro susceptas, per quas se victimas vivas Deo omnipotenti mactarunt, martyres dici et esse possunt. Quare de inclyto Christi confessore Martino Ecclesia canit: *O anima sanctissima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit.*

B. V. Maria cur Regina confessorum.

Horum Deipara Virgo Maria Regina dicitur, quia eis in humilitate, paupertate, obedientia, castitate, patientia, oratione, mortificatione, ceterisque virtutibus velut dux anteivit. Cuius illi exempla secuti, in humilitate magni, in paupertate divites, in obedientia reges, in corpore angeli, in persecutionibus fortes, in oratione sublimes, in mortificatione vitam coelestem agentes, omni virtutum splendore corusci toti mundo celebres evaserunt.

Ceterum si illorum numerus, qui tot annorum saeculis in tot tamque diversis christiani orbis regionibus, sive in eremo, sive in coenobiis, sive privatis domibus in pace Ecclesiae vitam sancte et religiose finierunt, subducendus esset, res sane foret humano studio (ut ita dicam) impossibilis. Quamplurimi in historiis recensentur, et praesertim in vitis patrum d. Hieronymi studio conscriptis, in vitis sanctorum, quas Laurentius Surius tomis sex collegit, in variis religiosorum chronicis, menologiis, fasciculis, historiis; eos, ne opus hoc nimium crescat, praeterimus. Ex multis tamen qui adduci possunt, praecipuos adferemus, maxime ex religiosis et monachis, qui peculiari devotione Deiparae Virgini addicti eam uti Reginam suam studiosius coluerunt. Age ordiamur.

DISCURSUS CCCXCIX

VARIORUM ORDINUM REGULARIUM CONFESSORES, MONACHI AC RELIGIOSI RECENSENTUR, QUI DEIPARAM VIRGINEM VELUT REGINAM SUAM AC PRAESIDEM SPECIALI DEVOTIONE COLUERUNT, ET AB EA VICISSIM PECULIARIBUS FAVORIBUS ET GRATIIS ORNATI FUERUNT

1 Religiosi praecipui B. Virginis cultores, et imitatores.

Regulares praecipue Deiparam Virginem velut Reginam et Praesidem colunt ac venerantur, cui peculiari quadam ratione se devovent, cum annulo votorum, praesertim castitatis, ipsi desponduntur, cum sanctissimae eius vitae magis se conformant; nam obedientia, paupertate, castitate, solitudine, contemplatione obedientem, pauperem, castissimam, solitariam, devotissimam Virginem aemulantur: exemplo Virginis nulla est eis liberorum nutriendorum cura, nulla de nundinis, de negotiis saecularibus, de mundi vanitatibus eos torquet cogitatio. Unde non mirum, si Deipara Virgo eos singularibus beneficiis donisque cumulat, cum similitudo amorem conciliare soleat, et in Virgine quaedam religionis eluceat forma.

Religiosi veste a B. Virgine donati.

Hinc legimus plerosque Ordines sub Virginis veste divinitus visos fuisse; nonnullos vestes ac regulam a Beata Virgine accepisse. Sic servitae habitum quo indui deberent, et regulam quam servaturi essent, a B. Virgine assignatam acceperunt. Sic carmelitae, cistercienses, praemonstratenses, praedicatores, olivetani a Beata Virgine habitum se accepisse gloriantur, ut ex eorum historiis colligimus, et superius nonnulla ex his retulimus, et paulo inferius relaturi sumus plura. Horum igitur devotionem erga B. V. Mariam fusius monstrare animus est ad cumulum tum solatii, cum utilitatis nedum ipsis religiosis, verum etiam saecularibus, quatenus exemplo illorum hanc Virginem omni laude dignissimam impensius ament, studiosius colant, impensius venerentur, ferventius ei serviant in salutem animarum suarum. Age ordiamur ab antiquioribus.

EX CANONICIS REGULARIBUS

2 Canonici regulares B. Virgini specialiter addicti recensentur.

Canonici regulares Ordinis sancti Augustini ab apostolis primum (ut narrant historiae) traxerunt originem, sed postmodum a b. Augustino regulariter ordinati fuerunt, cum quibus ipse factus presbyter a Valerio episcopo secundum regulam a sanctis apostolis constitutam aliquamdiu vixit. Qui cum post aliqua temporum spatia varias a laudabilibus viris habuissent reformationes, secundum illas variis sortiti sunt nomina.

Canonicorum regularium instituta varia.

Unde ex illis aliqui dicuntur lateranenses, alii Sancti Salvatoris, alii scopetini a locis in quibus habitare coeperunt. Ex his multi fuerunt Beatae Virginis Mariae studiosissimi, quos omnes nos scire haud possumus, et si omnes recensere vellemus, res non unius paginae esset, sed integri voluminis. Nonnullos dabimus.

3 Thomas de Kempis erga B. Virginem quam devotus.

1. *Thomas de Kempis.* Hic quam pius, quam devotus fuerit, testatur libellus de imitatione Christi ab eo conscriptus, qui quot periodos, tot sententias pias continet, ab omnibus piis ac devotis in omnibus tritus et valde laudatus. Inter cetera pietatis suae argumenta hoc praecipuum dedit, quod Deiparam Virginem mox a pueritia impense coluit. Dum puer esset, certas preces quotidie Deiparae recitabat, nam valde eam diligebat. Verum pro naturae et aetatis fragilitate sensim modo unum, modo duos, tres, quatuor dies neglexit. Tandem omnia huiusmodi exercitia dimisit.

Thomae de Kempis B. Virgo apparet.

Quod dum ab eo fieret, visus est illi noctu quasi stare cum suis condiscipulis audiens ex ore magistri sui verbum Dei; vidit etiam tum Dei Genitricem e nubibus in locum descendentem, quae circumiens fratres, qui audientibus verbum Dei loquebantur, quos nunc hunc, nunc istum amicissime complexa, gratias videbatur iis refundere, quod tam piis admonitionibus id agere conarentur, ne pretium sanguinis Filii sui in illis adolescentibus periret. Haec videns sperabat fore, ut etiam Deipara illum amplexaretur, utpote ei addictum, eiusque perstudiosum; at contra accidit; nam Virgo ad eum. *Frustra*, inquit, *amplexum amoris petis, hostis acerbe, qui solitam precum pensionem mei oblitus non persolvis. Ubi solitae orationes? quomodo te refrixit ardor caritatis tuae in me? et audes audaci fronte amplexum petere, qui magis ergas meruisti?* Et indignabunda vultum avertens: *Abi*, inquit, *a me.* Atque sic iustis increpationibus relinquens eum Deipara coelo se reddidit. Ceterum adolescens evigilans agnoscit culpam, proponit deinceps praeteritam compensare negligentiam. Et ne Virginis frustraretur amplexibus, statas suas ad eam preces resumpsit, quas et usque ad vitae exitum constanter recitavit. Ex eius vita.

4 B. Ioannes Rusbrollius Deiparae cultor.

2. *B. Ioannes Rusbrollius.* Hic in praemium suae devotionis erga B. Virginem Christi ac eiusdem Virginis, nec non aliorum sanctorum praesentia frui meruit. Fertur ad eum dixisse Christus: *Tu es filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*: et amplexus eum sit Matri, et choris adstantibus: *Ecce puer meus electus.* Balinghem ad diem 2 decembris ex Auctario ad Molan.

5 B. Stanis-

3. *B. Stanislaus casimiriensis.* Hic B. Virgini impense addictus fuit, et in praemium suae devotionis ipsam Beatam Virginem

laus casimariensis Deiparae addictus. cum Christo, et s. Stanislao martyre episcopo cracoviensi sibi apparentem aspicere dignus fuit, ab eaque haec verba audire meruit: *Gaude fili Stanislae de insigni ista tua devotione qua me, et s. Stanislaum prosequeris. Viriliter age, tu etenim mox cum sanctis meis merces copiosa expectat in coelo.*

Ex hac vita migraturo iterum Christus cum Matre sua, sanctisque tutelaribus Poloniae apparuit, blande eum compellans: *Surge, festina, fili mi Stanislae, hodie mecum eris in paradiso.* Bzovius ex Christophoro Lemenio ad annum Domini 1489.

EX ORDINE BENEDICTINORUM

6 B. Benedictus Ordo quos Ordines produxit. 1. *S. Benedictus.* Hic in occidente omnium fere religiosorum Ordinum auctor erga B. V. Mariam magno amore flagrabat. Ex Ordine ab ipso fundato multi alii religiosi Ordines sub particulari B. V. Mariae patrocinio prodierunt. Ex quibus sunt cluniacenses, cistercienses, carthusiani, guilielmitae, olivetani, vallisumbrosani, coelestini, camaldulenses, in quibus mira pietas ac devotio erga Deiparam Virginem mirifice enituit, ut historiae eorum testantur. Benedictini B. Virgini specialiter addicti enumerantur. Nonnullos ex hoc sacro Ordine insignes episcopos, ut d. Gregorium papam, d. Ildephonsum archiepiscopum toletanum, aliosque D. Virgini ad stuporem addictos superius memoravimus. Aliosque etiam abates sanctos eiusdem sacri Ordinis B. Virginis studiosos referamus.

7 S. Odonis argumenta pietatis erga B. Virginem. 2. *S. Odo abbas cluniacensis primus reformator Ordinis sancti Benedicti.* Hic tanta devotione Beatam Virginem coluit, ut eam semper vocaret Matrem misericordiae hac occasione, quam narro. Hunc Odonem parens a Deo per Sanctissimae Virginis partum ipsa nocte nativitatis eiusdem B. Virginis orans exoravit. Cuidam eius monacho moribundo B. Virgo Maria apparuit ab eo quaerens num se nosset, cumque ille negaret, *Ego sum*, inquit, *misericordiae Mater.* Qua visione s. Odoni indicata, deinceps eam semper Matrem misericordiae vocavit.

Idem sanctus pietatis suae erga Deiparam Virginem luculentum testimonium dedit, cum eius cultum in breviario sui Ordinis mirum in modum auxit, propagavit, in quo haec leguntur: *Statutum est, ut ab octava purificationis Beatae Mariae Virginis usque ad feriam quartam Cinerum, et ab octava Paschae usque ad Rogationes, et ab octava Pentecostes usque ad Adventum, nisi festum 12, vel trium lectionum, seu evangelium proprium, vel octava occurrerint, celebretur in sabbato festum 12 lectionum de intemerata, et perpetua Virgine Maria, singulari spe nostra post Dominum Iesum, quatenus eius meritis et intercessionibus ab omnibus mereamur adversis liberari, et gaudia supernae Ierusalem adipisci.* Haec ibi.

Eius etiam Ordinis peculiaris est oratio illa quam singulis sabbatis in Virginis honorem fundunt religiosi, cuius initium est: *Missus est Gabriel angelus.* Dalingheim die 18 novembris.

Idem Ordo ex peculiari devotione erga Beatam Virginem recolit peculiare festum manicae B. V. Mariae, cuius superius meminimus.

8 S. Odilonis devotio erga B. Virginem. 3. *S. Odilo abbas cluniacensis.* Is tanta erga Dei Genitricem devotione flagrabat, ut constitutus in choro psallentium, cum ad illum locum venisset cantici sanctorum Ambrosii et Augustini: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum*, in terram se prosterneret, sicque per corpus ostenderet quibus desiderii coelestis aestibus in mente aestuaret. Ex eius vita.

9 B. Rupertus abbas scientiam infusam accepit per B. Virginem. 4. *B. Rupertus abbas.* Hic in praemium suae pietatis erga B. Virginem scientiam infusam divinitus accepit. Cum idiota esset, Deiparam continenter orabat, ut sibi a Filio sapientiae fonte donum sapientiae impetraret. Apparens ei Regina coeli: *En tibi*, inquit, *omnium Scripturarum arcana patebunt, ita ut neminem hoc tempore habeas tibi similem. Tantum otio ne torpescas, et gratiam tibi datam ne negligas.* Alia etiam secretiora ei dixit Deipara, quae tamen ipse exprimere non audebat. Ergo ab eo tempore totum se orationi, lectioni, contemplationi, sacris litteris exponendis dedit, et tam doctos, tamque pios libros edidit, ut omnibus in admiratione sit. Trithemius abbas.

EX ORDINE CISTERCIENSIUM

10 Cisterciensis Ordo B. Virgini quam addictus. Ordo cisterciensis, generosae radicis benedictinae ramus maxime illustris, est primus omnium Ordinum in honorem Mariae Virginis dicatus. Primus inquam in partibus occidentalibus: nam in oriente carmelitarum Religio Deiparenti etiam specialiter dedicata longe ante se habuisse originem gloriatur. Multos hic Ordo cisterciensis a B. Virgine favores accepit. Nam ultra spirituales revelationes, intimasque consolationes Beata Virgo saepius fulgidissimo coeli civium stipata comitatu eos visitabat, atque visibiliter consolabatur, et docebat, adiuvabat, dirigebat, in laboribus confortabat, ut iam superius ex eorum historiis recensuimus. Ob hoc et ipsa sacri huius Ordinis patrona, domina, solatrix, protectrix, et advocata nominatur. Cistercienses quoque vicissim magno studio et veneratione B. Virginem semper prosecuti sunt, et usque in praesentem diem prosequuntur, prout superius narrabamus. Unde haec sacra Religio quamplurimos B. V. Mariae eximios cultores, tam viros, quam feminas produxit.

1. *B. Robertus.* Hic fuit Ordinis cisterciensis institutor, de cuius pietate erga D. Virginem superius iam diximus. Favores quoque quibus eum Beata Virgo prosecuta fuerit, ibidem recensuimus. 11 B. Robertus B. Virgini devotus.

2. *S. Bernardus abbas claraevallensis.* Hic praecipuus Divae Parentis cultor extitit, proinde ab ipsamet Virgine multis gratiis et favoribus auctus fuit. Primo ex eius sacratissimis uberibus lac suxisse perhibetur, unde tantam dulcedinem cum pietate suxisse creditur, quantam in omnibus a se editis libris, sed maxime in sermonibus, quos de B. Virgine habuit, reliquit. Secundo aegrotanti B. V. Maria duobus stipata ministris, sanctis videlicet Laurentio et Benedicto, adfuit, qui imponentes ei manus, et loca doloris attacta piissimo lenientes omnem protinus aegritudinem depulerunt. Siccatus est enim illico flegmatis rivus, et dolor omnis abscessit. Willelmus abbas in eius vita. Tertio, cum Afflegemii in Brabantia in coenobio s. Benedicti imaginem Deiparae pertransiens Virginem salutarat: *Salve Maria*, ipsa intelligibili, clara et amica voce eum resalutavit, dicens: *Salve Bernarde.* Multa alia de pietate erga B. V. Mariam huius sanctissimi viri superius diximus. 12 S. Bernardus B. Virginis cultor praecipuus lac ex uberibus eius sugit. Aegrotanti B. Virgo apparet. Salutatione resalutat.

Tantam hic vir beatissimus erga Deiparam Virginem gerebat pietatem, ut nedum sibi, verum et aliis tam vehementius inculcaret. In sermone de aquaeductu haec ait: *Filioli haec peccatorum scala, haec maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae.* Alios ad hanc pietatem exhortans, homilia 2 super *Missus est* ita fatur: *In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca: non recedat ab ore, non recedat a corde; et ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum.* Et sermone citato de aquaeductu in nativitate Virginis: *Totis medullis cordium, totis praecordiorum affectibus et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos voluit habere per Mariam.* Et in fine eiusdem sermonis: *Quidquid illud est quod offerre paras, Mariae commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiae gratia redeat, quo influxit.* Cogita quanto amore erga B. Virginem pectus illud ardebat, quod tam flammantia verba per os protulit, et scripto mandavit. 13

Ex hac pietate erga B. Virginem s. Bernardus in doctrina, vitae sanctimonia, miraculis, ac fama tam clarus evasit, ut merito usque in praesentem diem eum omnes suspiciant, venerentur ac laudent.

Non possum non stomachari contra quosdam male feriatos, qui s. Bernardum occasione illius quaestionis de immaculata conceptione B. V. Mariae indigne tractarunt, et usque in praesentem diem lacerare non cessant, et antiquas illas nugas, immo verius blasphemias splendide typis evulgant. *Bernardus*, aiunt, *dicitur illam opinionem retractasse saltem mortuus, unde dicitur, quod apparuit cuidam monacho post mortem cum macula in pectore, propter illa quae dixerat de conceptione Virginis gloriosae.* O inscitiam cum impietate coniunctam! Scilicet sanctus ad visionem Dei admissus macula coinquinatus appareret, cum de illa coelesti civitate dicatur Isai. 35, 8: *Erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus.* Et Sap. 7, 25: *Nihil inquinatum in eam incurrit.* Et Apoc. 14, 5 de sanctis dicitur: *Sine macula sunt ante thronum Dei.* Et rursus 21, 27: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Non immerito Christophorus Waldarfer ratisbonensis stultam hanc excogitationem haeresim appellavit. Viderunt hoc viri sensati conceptionis immaculatae Beatae Virginis acerrimi propugnatores, ut Canisius, Bellarminus, Suarez, aliique Societatis Iesu theologi consummatissimi; ideo, missis his anilibus fabulis, mentem d. Bernardi 14 Apologia pro d. Bernardo. Societatis Iesu theologi laudantur.

Digitized by Google

aliter interpretati sunt. Qualis qualis fuerit mens d. Bernardi, certum est fuisse piam, devotam, maculae nesciam. Ego credo s. Bernardum plus B. Virginem dilexisse, et vel sola illa una illius epistolae ad canonicos lugdunenses scriptione plus apud Deum meruisse, quam omnes isti blaterones suis loquacitatibus, et zelo non secundum scientiam. Valeant nugatores. Haec dixerim pro b. Bernardo qui mihi semper in corde fuit, utpote morum magister egregius, et B. Virgini ad stuporem addictus. Non pro opinione pugno, sed pro sancti honore.

15 B. Thomas cantuariensis monachus cisterciensis fuit.

3. *S. Thomas cantuariensis episcopus.* Hunc monachum cisterciensem fuisse produnt viri gravissimi apud Chrysostomum Henriquez in menologio cisterciensium die 29 decembris, et institutum illud Pontiniaco amplexum fuisse, quando fuit exul extra Angliam ab Henrico II Anglorum rege ex cathedra episcopali ejectus, et proscriptus ob defensionem libertatis ecclesiasticae. Scribit et ipse Baronius ad annum 1162, Antonius de Yepes, Aubertus Myraeus apud Henriquez.

Devotio s. Thomae cantuariensis erga B. Virginem.

Fuerat is dum viveret adhuc a pueritia B. Virgini ad stuporem addictus. Familiare ei fuit diebus singulis septies iterata salutatione angelica Beatam Virginem colere, in honorem septem gaudiorum quae habuit cum Filio in terris, nimirum in annuntiatione, visitatione, Christi nativitate, trium regum adoratione, inventione Filii in templo, laetissima resurrectione, in coelos ascensione. Quod dum facit, Virgo Mater se illi visendam exhibuit, his eum verbis compellans: *Gratum est mihi Thoma obsequium tuum. Sed quid tantum meministi eorum gaudiorum, quibus afficiebar in terris? Recolo etiam ea gaudia in posterum, quibus nunc fruor in coelis.* Mire exultans d. Thomas: *Et quaenam sunt ista gaudia, o Domina mea suavissima?* Tunc Virgo: *Septem sunt, quae tu septena salutatione honorabis.*

Gaudia septem B. Virginis in coelo.

1. Gaudeo quia secundum SS. Trinitatem supra rem omnem pure creatam primos honores obtineo.

2. Quia intemeratae virginitatis aureola omnes angelorum et sanctorum ordines longe antecello.

3. Quia ingens lumen gloriae meae adinstar solis curiam coeli illustrat universam.

4. Quia omnes coeli indigenae me ut Deiparam venerantur ac colunt.

5. Quia a Filio nacta sum facultatem quidlibet impetrandi.

6. Quia olim in terris mihi famulantibus collata fuit gratia, meisque clientibus iam in coelo ingens gloria a Filio praeparata est.

7. Quia gloria mea novis fulget incrementis ad diem usque extremum, et inde perennabit in omnem aeternitatem. Haec beatus Thomas ex ore B. Virginis excepta sedulo adimplere curavit, et gaudia in rythmos redacta saepius recoluit, et frequentius usurpavit, qui in ceteris ecclesiis loco sequentiarum decantantur. Sunt autem isti: *Gaude flore virginali*, etc. Hos superius insertos habes in hoc opere nostro, ubi de formulis precum in honorem B. Virginis agitur.

Tantum affectum erga se B. Virgo Maria irremuneratum esse noluit. Cum s. Thomas adhuc puer esset, a Beata Virgine sibi apparente pyxidem in qua inclusa erat casula purpurei coloris, dono accepit, qua praenuntiabatur fore illum sacerdotem.

16 Oleum a B. Virgine datum.

Idem s. Thomas cum ob defensam libertatem Ecclesiae contra regem Angliae exularet, Deiparam Virginem sibi conspicuam habuit, quae ei pretiosissimum oleum detulit quo Angliae reges ungerentur.

S. Thomas cantuariensis in resarciendo cilicio a B. Virgine iuvatur.

Eundem s. Thomam Dei Mater ei apparens in resarciendo suo cilicio iuvit, ut narrat Ioannes Herold noster, vulgo dictus discipulus, lib. exempl. Deiparae.

Fuit quidam sacerdos idiota nullam sciens missam, nisi de B. V. Maria: et cum illam quotidie celebraret, apud s. Thomam episcopum accusatus a divinis suspensus fuit. Quare cum affligeretur, et B. Virginem invocaret, apparens ei Regina coeli: *Vade*, inquit, *ad episcopum, et ut tibi officium sacerdotale restituat, nomine meo dicito.* Tunc ille: *Domina mea, ego sum pauper et vilis, unde mihi accessus ad eum patebit.* Et illa: *Vade, ego tibi viam praeparabo.* Rursus ille: *O Domina, verbis meis non credet. Dices ei*, inquit, *eum te misisse, quae tali hora, tali loco, dum cilicium tuum resarcires, illud tibi ex una parte tenebat adiuvans te, et statim credet tibi.* Fecit sacerdos, et ea narravit. Quo audito, s. Thomas stupens et pavens dixit: Restituo tibi officium tuum, tantum missam de B. M. Virgine celebras, et pro me semper ad Dominum ores. Haec ille.

17

4. *B. Albericus secundus abbas cisterciensis.* Hic cum b. Roberto et Stephano sacrum hunc Ordinem inchoavit, et Deiparenti Mariae adeo addictus fuit, ut Ordinem cisterciensem sub Deiparae Virginis titulo et patrocinio constitueret, a qua etiam vicissim albam cucullam pius pater accepit; unde nigro habitu cluniacensium relicto, albis vestibus de cetero cistercienses uti coeperunt. Immo constitutiones, quas ipse primo condidit, a B. Virgine accepisse fertur. Eidem aliquando pia peccatorum protectrix apparens dixit: *Ego Ordinem istum usque in finem saeculi protegam, et defendam.* Ex menologio cisterciensium septimo calendas februarii.

Cisterciensium candidus habitus unde. Cisterciensium constitutiones a B. Virgine.

Proinde cistercienses die 5 augusti recolunt festum descensionis B. M. Virginis in Cistercium; eo namque die B. Virgo monachis cisterciensibus matutinas horas devote canentibus apparuit, et suis manibus candidissimam cucullam proferens, eam, stupentis illis, Alberici capiti imposuit, et eodem instante monachorum in choro psallentium cucullae colorem mutarunt, ut qui antea habitu nigro utebantur, modo candidum gestant. Henriquez in menologio cisterciensium die 5 augusti.

18 B. Stephano cisterciensi cingulum a B. Virgine datum.

5. *B. Stephanus tertius abbas cisterciensis.* Hic Beatissimae Virgini tam impense addictus fuit, ut etiam in praesenti vita praemium suae devotionis visibiliter a B. Virgine obtinere meruerit. Ei namque oranti B. Virgo apparens, cingulum laneum quo scapulare stringeret, pro munere dedit. Henriquez loco quo supra.

19 B. Henrici Cisterciensis devotio erga B. Virginem.

6. *B. Henricus cisterciensis monachus.* Huic Beata Virgo copiosa multitudine cisterciensium constipata, alba cuculla vestita, ac more iudaico velata apparuit. Quam porro utilis ei fuerit apparitio ista, ipsemet explicat apud Caesarium lib. 7 exempl. c. 36 his verbis: *Quando primo conversus sum, ita graves erant mihi solemnes vigiliae, ut quotiescumque me oportebat ire ad matutinas, timore ac taedio illarum tam corpore quam corde tabescerem. Nocte quadam defectum passus, cum stare non possem, a priore de choro sum eductus, et in sede infirmorum positus, converso ad custodiam mihi deputato. Mox in extasi factus contemplatus sum Dominam clarissimam, quam diversi ordinis personae praecedebant per viam, quae erat inter me et chorum incedentem. Habebat in capite coronam diversorum colorum, et erat more iudaico velata. Cum mihi propinquasset, quasi ex necessitate me tangens veste percussit, et ecce subito confortatus: ita omnis praedicata tentatio conquievit, ut ab illa hora deliciae mihi sint ire ad matutinas. Spero quod Domina nostra fuerit, quae pusillanimes confortat, ne tentationibus succumbant.* Haec ille.

20 Cisterciensibus B. Virgo coronam auream donat.

7. *B. Eustachius abbas hemmenrodensis Beatissimae Virginis studiosus.* Huius devotionem ipsa Deipara probavit hac mirabili visione, quam narrat Caesarius libro septimo, cap. 21. Cum b. Eustachius et monachi heisterbacenses, quorum visitator erat, vigiliis matutinis interessent, et hymnum *Te Deum laudamus* devotissime canerent, visa est in magna gloria Beatissima Virgo quae mirae pulcritudinis coronam per catenam auream super conventum demisit, in cuius summitate pretiosissima, ac lucida gemma apparebat, in qua scriptum erat: *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.* Ex nomine vero *Maria*, radii splendidissimi circumquaque diffundebant, et nomina tum Eustachii, tum ceterorum monachorum in choro existentium, quae per circuitum coronae scripta erant, illuminabant: et postmodum ipsa angelorum Regina clara voce dixit: *Sicut ego hodie sum in gloria mea, ita isti omnes mecum erunt in aeternum.* Menologium cisterciense die 16 maii.

21

8. *B. Petrus abbas Claraevallis cognomento Monoculus.* Hic B. Virginis studiosissimus, cuius etiam alloquiis dignus fuit, cum aliquando Spirae in templo toto cordis affectu negligentiarum in ipso itinere commissarum veniam precaretur, Beatissimam Virginem contemplatus est, quae more in Ordine cisterciensi consueto oravit super eum in hunc modum: *Omnipotens sempiterne Deus, miserere huic famulo tuo, et quid ei in via subripuit, visus, aut auditus malae rei, aut otiosi sermonis, totus ineffabili pietate propitiatus indulge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Menologium cisterciense die 18 maii.

22 B. Theobaldi devotio erga B. Virginem.

9. *B. Theobaldus.* Hic fuit filius Baronis de Marly insignis in saeculo miles; et licet torneamentis fuerit deditus, Beatissimam tamen Virginem summopere coluit. Cum aliquando exiret ad hastiludia cum sodalibus aeque nobilibus, audivit signum quod ante celebrationem sacri fieri solet, relictisque aliis, templum ingressus, interfuit sacro magna devotione, eoque ardentius, quo magis Beatam Dei Genitricem diligebat, in cuius honorem solem-

niter celebrabatur. Rediens autem ex ecclesia alios omnes sibi occurrentes vidit, et de reportata victoria praemioque obtento in ludis et exercitiis militaribus congratulantes: Superasti, inquiunt, omnes alios illos in ludo, unde redimus, et praemium adeptus es. Visus enim illis fuerat generoso equo insidens hoc re vera facere. Quibus ille auditis rediit in templum gratias Deo eiusque Matri immensas acturus, et ex illa hora saeculi vanitates, et mundi pompam sprevit, habitumque Religionis cisterciensis adsumere cogitavit. Quo in vallibus Sernay suscepto, eamdem purissimam Virginem maiore affectu prosecutus est. In omnibus libris nomen Mariae rubris characteribus notabat, et quoties illud pronuntiare contingebat, repetebat haec verba: *Suavissimum et sanctissimum nomen Mariae nomen est venerabile, nomen benedictum, nomen ineffabile, nomen cunctis amabile.* Aliquando ab aliis correctus est ob ardentem in Deiparae affectum, quasi sic videretur negare Deo omnimodam cordis sui possessionem nimio amore Genitricis eius raptus. Quibus ipse modeste respondit: *Sciatis me non diligere Virginem Mariam, nisi ut Matrem Domini mei Iesu Christi, et nisi talis esset, me non aliter dilecturum eam, quam alias virgines sanctas. Hoc ergo de causa post Deum sanctissimam illam Dominam colo et diligo, quam ego super choros angelorum exaltatam scio, et omnibus aliis electis superiorem.* Venerabile Sacramentum magna submissione cordis et affectu venerabatur, et quoties ante ipsum transibat, dicere consueverat: *Benedictus sit Christus Iesus Unigenitus Patris, qui per nativitatem suam ineffabili gloria gloriosissimam Matrem suam Mariam Dominam nostram decoravit.* Menologium cisterciense die 8 iulii.

23 B. Hostradi Ordinis cisterciensis devotio erga B. Virginem.

10. *B. Hostradus abbas.* Hic quantae pietatis fuerit erga Beatam Virginem, visio ostendit. Die quadam cum in refectorio cum ceteris fratribus ad mensam sederet, Beatissimam Dei Genitricem puerum Iesum gestantem refectorium intrare conspexit. Quae ad ipsum accedens laetoque vultu aspiciens ei Filium suum contemplandum exhibebat. Cuius pulcritudine delectatus vir pius, incredibilique laetitia repletus partem cibi quo vescebatur, obtulit puero mira simplicitate dicens: Comede, comede, pulcherrime infans. Cui subridens Iesus respondit: Non ego tuis cibis indigeo, sed potius ego te ad meas epulas invito, et post tres dies sedebis super mensam meam in regno meo, ut satieris cum apparuerit gloria mea. His dictis visio evanuit, et ipse sacris se Sacramentis munitus die tertio inter manus monachorum suorum suavissime expiravit. Ex menologio cisterciensi.

24 B. Arnulphus ad Ordinem cisterciensem a B. Virgine commendatus.

11. *B. Arnulphus abbas villariensis.* Hic a Beata Virgine ad Ordinem cisterciensem commendatus fuit. Cum enim iuvenis in saeculo saecularibus curis valedicere cogitaret, ipsa Beata Virgo beato Guilielmo hostiam pacificam in templo offerenti apparens dixit: *Venient ad te homines quidam te pro receptione pueri cuiusdam rogantes, sine mora recipe illum, quia vas electionis est mihi.* Quibus dictis evanuit, et statim finito sacro obtulerunt ei aliqui cives Arnulphum adolescentem habitum Ordinis cisterciensis postulantem. Quem b. Guilielmus libentissime recepit, et in filium adoptavit, tanquam a Matre Domini sibi specialiter commendatum. Menologium cisterciense die 12 aprilis.

25 B. Godefrido Ordinis cisterciensis Christus et B. Virgo apparet.

12. *B. Godefridus sacrista villariensis.* Hic innumeris miraculis et prophetiae dono illustris, crebrisque, ac coelestibus consolationibus saepius recreatus, cuius etiam pedes insolito divinae pietatis favore ipse Rex angelorum lavare dignatus est, ei apparens in ea forma, qua imminente passionis hora accinctus linteo discipulorum pedes lavit. Hic Beatae Virgini valde devotus iucunda eius praesentia non semel perfrui meruit; sed maxime in annuntiatione B. M. Virginis, cum gloriosa angelorum Regina fratres nocturnas vigilias solemniter decantantes circumeuntem, et confortantem vidit. Quam de choro exeuntem subsecutus, hoc a pia Iesu Matre amicabile responsum accepit: Revertere ad fratres tuos, nec sequaris amplius me, quia cito es tuto me sequeris, recepturus tui laboris praemium. Menologium cisterciense die 3 octobris.

26 B. Raynerus Ordinis cisterciensis B. Virgini carus.

13. *B. Raynerus monachus.* Hic ab ipsa pueritia Beatae Virginis devotus, unde etiam ab ipsa summis honoribus afficiebatur, cum puer scholas Parisiis frequentaret, et casu in aquas caderet et iam pene submergeretur, Beata Virgo ei apparens, et inter brachia amplexum extraxit, et a morte liberavit. Monachus factus vidit Dominum Deum nostrum eiusque Genitricem ita Filio suo dicentem: *Mi Fili dilecte, monachum istum, diligentissimum famulum nostrum, timentem Deum, qui suo servitio et lacrimis peroptime lavit atque purgavit peccata sua: ideoque rogo ut post hanc temporalem vitam possit sine aliqua poena purgatorii hoc venire, et possidere vitam aeternam.* Tunc respondit illi dilectus Filius suus, et dixit: *Beata Mater, atque purissima Virgo, quoniam non me decet tibi aliquid denegare, quidquid petieris, volo.* Menologium cisterciense die 30 octobris.

14. *B. Thomas monachus.* Hic sanctitatis titulo illustris, et Beatissimae Virginis ferventissimus cultor, quam non modo videre, sed et suavissime canentem audire singulari dilectionis privilegio meruit. Rem gestam narrat Caesarius lib. 7, c. 22. Cum aliquantum temporis in Ordine cisterciensium peregisset, aestu cordis incredibili coepit anxiari, aliquam sibi specialem visitationem a Matre misericordiae cupiens impertiri. Et post pauca, repente e lecto prosiliit et pomarium quoddam dormitorio contiguum ingressus, in quo aliquantulum resedit, oculis cordis et corporis sursum erectis. Tum ecce virgo pulcherrima ingreditur his eum verbis alloquens: Numquid non desideratis audire cantum meum? Quo respondente: Desidero, tam dulciter modulata est, ut vix aures humanae sufferre possent. Melodia autem illa terminata, inclinavit se virgo, et abiit. Et post pusillum, vidit aliam virginem ingredientem instar prioris nimio fulgore micantem, quae etiam dulce melos cecinit, et recessit. Quas intellexit fuisse beatas Catharinam, et Agnetem. Et post parvum intervallum ecce gloriosissima Mater misericordiae Maria per semetipsam visitare dignata est devotum sibi famulum, quae etiam omnes sibi in veritate servientes neque hic, neque in futuro sua gratia destituet. Venit ergo circumvallata agminibus angelorum, omnem tetrae noctis horrorem vultus claritate, ac splendore lampadarum fugans, propiusque accedens blanda voce eum compellare coepit: O frater carissime, si placuerit, qualitercumque recompensabo devotissimum famulatum tuum dulci melodia. Beata itaque Virgine melos praecinente, frater ille quasi in ecstasi factus in faciem corruit, et omnis illa visio disparuit. Menologium cisterciense die 21 decembris. 27

B. Thomae cisterciensi B. Virgo canit dulciter.

15. *B. Adam monachus de Luca.* Hic in ipsa infantia cum necdum verba pronuntiare perfecte valeret, salutationem angelicam didicit, et eam balbutiendo, incredibili tamen affectu saepissime repetebat. Cumque in eo pia affectio erga Deiparam in dies augeretur, ab eadem Regina angelorum visitari, et familiarissimo perfrui colloquio meruit. Cum nocte quadam ante templum quoddam D. Virginem salutasset, illico fores divinitus reseratae sunt. Quod autem in templo, postquam ingressus fuit, viderit, sic ipse narrat: Tanta erat in ecclesia claritas, ut fulgori meridiano assimilaretur: quam cum stupidus intrassem, vidi ante maius altare septem matronas pulcherrimas residentes. Una in medio prae ceteris clarior erat, quae me vocans, cum propius accessissem, post alia verba ait: Nosti quae sim? Cui cum ego dicerem: Non Domina, respondit: Ego sum Mater Christi, et Domina huius oratorii: quia mei memoriam solitus es habere, ego tibi curam adhibeo, etc. et subiecit: Ad me accede Adam. Quod et feci, et flectendo coram ea genua manum super caput meum ponens ait: Ab hac hora usque ad diem mortis tuae non dolebis capite, etc. Menologium cisterciense die 22 decembris. 28

B. Adamo cisterciensi B. Virgo capitis dolorem sanat.

29 B. Hermanno cisterciensi ultimum spiritum agenti B. Virgo apparet.

16 *D. Hermanus conversus.* Hic spiritu prophetico clarus, et rigidissimae vitae, ac caritatis operibus mire deditus; cui B. Virgo frequenter apparuit, quam ille tanquam abbatissam Ordinis valde dilexit. Unde ultimum iam spiritum agenti B. Virgo adfuit, eiusque animam ad aeternae felicitatis gloriam deduxit. Menologium cisterciense die 3 aprilis.

30 B. Ladislai cisterciensis ab ore prodit arbor in cuius foliis inscriptum Ave Maria.

17. *B. Ladislaus conversus.* Hic Deiparam Virginem mire fervore coluit. Ex eius iam defuncti corpore arbor prodire visa est, in cuius foliis dulcissimum Mariae nomen aperte inscriptum apparebat, luculentum fratris erga Beatam Virginem devotionis argumentum, qui dum viveret, die noctuque, dummodo vigilaret, salutationem angelicam vel recitabat, vel ruminabat. De eo superius diximus ex Caesario hom. in dom. 9 post Pentecosten.

31 B Arnulphi cisterciensis devotio erga B. Virginem.

18. *D. Arnulphus Ordinis cisterciensis.* Hic initio statim conversionis exemplo s. Thomae episcopi cantuariensis coepit B. V. Mariam devotius colere, et septem illa gaudia quibus Virgo Beatissima cum adhuc viveret perfusa fuit, quotidie sedula meditatione studuit revolvere. Volens autem Deipara Virgo devotionem famuli sui magis augere, ei se visendam exhibuit: Cur, inquiens, tantum meditaris ea gaudia, quibus in mundo feliciter affecta sum? Recole etiam ea, quibus modo in coelo fruor. Qualia au-

Digitized by Google

tem ea sint, paulo superius in s. Thoma cantuariensi diximus. His dictis valefaciens ei Virgo ab oculis eius evanuit.

32 B. Arnulpho cisterciensi honores a B. Virgine praestiti.

Multis hic vir sanctus favoribus a Beata Virgine auctus fuit. Ipsa Virgo frequenter ei apparuit, et ita familiarem se illi exhibuit, ut quoties aliquid negotii haberet, toties Beata Virgo illud ad Filium suum deferret, donec voti sui compos fieret.

Cum aliquando cuperet choris sanctorum interesse, idque ardentius a Deo postularet, Christus ipse cum omnibus sanctorum choris, patriarchis, prophetis, apostolis, martyribus, confessoribus, virginibus, angelis ei apparuit, dixitque ad eum: Sufficiuntne tibi ista? Ille negante, gloriosissimam Genitricem suam super omnes exaltatam inenarrabili decore, et gloria ornatam ei ostendit.

Alias nocte quadam cum solus oraret ante Deiparam Virginem, haec ei se conspicuam dedit, et Filium quem ulnis gestabat, amplexandum obtulit; cumque magnitudinem gaudii, quo perfusus erat, ferre nequiret, Virginem rogavit, ut Filium suum reciperet, et impetravit. Tantam autem dulcedinis suavitatem tunc percepit, ut postmodum fere per quadraginta dies, quoties ederet, aut biberet, sui fere oblivisceretur, et omnis cibi et potus sapor ei insipidus videretur. Ant. de Balinghem die 30 iunii.

33 Lilium in cuius foliis litteris aureis inscriptum erat: *Ave Maria*, ex ore b. Ioannis cisterciensis prodiit.

19. *B. Ioannes canverus.* Hic insolitae pietatis et angelicae conversationis vir, ex cuius ore, postquam fatis cessit, candidissimum lilium aureis characteribus prima angelicae salutationis verba exprimentibus decoratum prodire visum est. Fertur de eo, quod cum esset latini sermonis omnino ignarus, tantum haec duo vocabula, nimirum *Ave Maria* memoriae mandasse, et ea singulis diei horis, atque momentis, ad quoslibet gressus, sive cum divinis interesset laudibus, sive cum aliquid quidpiam ageret, sive a manuum labore quiesceret, recitando percussisse. Unde eodem anno, quo fatali morte consumptus est, ex eius ore, corpore iam tumulato, lilium litteris aureis *Ave Maria* sparsim decoratum prodiit. Menologium cisterciensium die 21 decembris.

Felix cisterciensis familia, quae tales ac tantos Dei ac Genitricis eius eximios cultores habere meruit.

34 Martyres quadraginta Ordinis cisterciensis post mortem vesperas de B. Virgine canunt.

Sed piaculum videretur reticere quadraginta illos Ordinis cisterciensis martyres, qui simul cum suo abbate pro fide Christi feliciter occubuerunt. Nam cum haeretici in eorum monasterium armata manu irruerent, ipsi ante Venerabile Sacramentum hostem expectantes, intrepidi eorum se gladiis obiecerunt, seque invicem ad mortem pro Christi amore tolerandam invitantes capitis obtruncatione vitam finierunt. Sed eadem die miraculoso reassumptis capitibus, (erat is dies 14 augusti vigilia assumptionis B. V. Mariae) vesperas in honorem Deiparae Virginis in choro suaviter concinerunt. Quo facto devotos se servos B. V. Mariae fuisse luculentissime monstrarunt. Menologium cisterciense die 14 augusti. Haec de Ordine cisterciensium.

EX ORDINE CARTHUSIANORUM

35 S. Bruno et carthusianorum Ordo B. Virginis cultores unde.

1. *S. Bruno huius Ordinis fundator.* Hic Beatae Virginis fidissimus famulus fuit, unde universus Ordo a se fundatus Sanctissimam Dei Genitricem in patronam sibi elegit hac occasione. Cum ob quorundam malignorum pravas suggestiones, qui vitam illam austeram, atque in horrendo illo Carthusiae deserto vituperabant tanquam sui homicidium, admodum essent perplexi, num id vitae genus prosequi deberent, deque ea re inter se colloquerentur, adfuit eis venerabilis senex, (putatur fuisse s. Petrus) qui eis suggessit, si ab ea perplexitate se liberos esse vellent, quotidie horas B. V. Mariae recitarent, quibus dictis ab eorum oculis evanuit. Auctores vitae eius.

36 S. Dionysii carthusiani devotio erga B. Virginem.

2. *S. Dionysius carthusianus.* Hic multis argumentis devotionem suam erga B. Virginem contestatus est. Quatuor libros de laudibus Virginis edidit, in quibus omnes ad eius devotionem cohortatur. Idem Cantica Canticorum de eadem pie interpretatus est. Denique in omnibus suis lucubrationibus suae in eam pietatis vestigia reliquit. Plures alii ex hoc sacro Ordine D. Virginis cultores ferventissimi legi possunt in chronicis carthusianorum, quae modo ad manum non habentur: sed etiamsi essent, opus hoc immensum cresceret, si omnes et singulos enumerare vellem.

EX ORDINE PRAEMONSTRATENSIUM

37 S. Norbertus B. Virginis studiosus.

1. *S. Norbertus episcopus magdeburgensis.* Hic Ordinis huius auctor inclytus Beatissimae Virginis fuit cliens devotus, sub cuius etiam auspiciis, et praemonstratione candidi quem gerunt, habitus ab angelo facta, Ordinem istum fundavit sub regula s. Augustini anno Domini 1116. Ex eius vita.

38 B. Fridericus praemonstratensis B. Virginis cultor eximius.

2. *B. Fridericus.* Hic primus abbas et fundator horti Beatae Mariae in villa Hallum a pueritia ob castimoniae puritatem praecipue honorabat Deiparam Virginem. Sacerdos factus et parochus in Hallum adhuc amplius eam coluit, unde et mos ibi inolevit eius imitatione, etiam per sabbata quadragesimae missam de ea cantare. Precibus ad B. M. Virginem fusis, vitae reddidit puerum, qui sine baptismo obierat. Sibrardus abbas apud Balinghem die 7 martii.

39 B. Hermanni praemonstratensis studium erga B. Virginem.

3. *B. Hermannus.* Hic tam propensae voluntatis in Deiparam fuit, tamque coelestis amoris aestu ferebatur, ut nihil aliud cogitare, nihil aliud loqui, quam Deum Eiusque Matrem in deliciis haberet: immo eo tandem excrevit eius amor, ut Beatae Virgini Mariae in sponsum se tradiderit, a qua desponsatione Ioseph deinceps vocatus fuit. Quod qualiter factum sit, paucis narrabo.

B. Hermannus B. Virgini desponsatus Ioseph appellatur.

Nocte media dum orat, videt Deiparam inter duos angelos mediam in templum ingredi, audit alterum angelum socio dicentem: Cuinam desponsabimus hanc virginem? Huic respondit ille: Iuveni hic praesenti. Tum alter: Veniat inquit, et accessit ille pudore suffusus. Postquam autem ad Deiparam pervenit, ita ad illum angelus: Oportet tibi hanc illustrissimam puellam desponderi. Ille territus indignitatem suam coepit allegare; cumque reluctando moras necteret, dexteram eius manum angelus apprehendens, manui Sacratissimae Virginis copulavit, cum his verbis: Hanc ego virginem tibi trado sponsam, sicut fuit olim desponsata Ioseph, ut nomen sponsi pariter cum sponsa accipias, et deinceps voceris Ioseph.

B. Hermannus Filium Mariae in manibus portat.

Quod nomen alia etiam visione ei firmatum est. Respiciens ad summam aram vidit Deiparam Filium gestantem, ad quam ille: Da mihi dulcissima Filium. Illa nonnihil cunctata, dedit tandem, dicens ei: Porta Filium meum, sicut olim in Ægyptum a Ioseph portatus est, et sicut idem onus, ita et similem obtineas honorem.

40 Pomum ab eo B. Virgo recipit.

Puer septennis existens, ludentibus eius sociis, Coloniae solitus erat in quoddam monasterium B. V. Mariae ante eius imaginem puerum Iesum in sinu gerentem orare, et modo cum imagine Matris, modo cum Filii tanquam cum vivis loqui, et panem aut fructum aliquem nunc Matri nunc Filiolo praebere. Quod cum faceret aliquando cum magna instantia, Dei Genitrix ipsa manu visa est pomum ab eo accipere.

41 B. Hermannus cum puero Iesu ludit.

Alias in eodem monasterio vidit iuxta pulpitum B. V. Mariam cum s. Ioanne, et coram Matre puerum Iesum cum Ioanne quasi puerilibus lusibus se exercitantem. Quae dum magno gaudio intueretur, ita ad eum Deipara: Ascende ad nos Hermanne. Ad quam ille. Quomodo ascendam, cum chorus sit clausus, et scalam per quam ascendam, non habeam? Cui illa: Tenta et manum porrigens te iuvabo. Paruit puer, et illa manum extendit, ascenditque ad eos. Ibi cum puero Iesu lusit, spectante Matre. Sub vesperum eodem iuvante descendit similem consolationem ibidem saepius accepturus.

42 B. Hermanno pecuniam pro calceis B. Virgo donat.

Cum defectu calceorum (erant enim parentes eius pauperes) summa hyeme nudis ambularet pedibus, Deipara misit illum ad lapidem sub quo pretium ad emendos calceos inveniret. Invenit et emit, cum monitione, et quoties alicuius rei egeret, ad eundem lapidem se conferret inventurum pecuniam. Istud nec diu latuit alios pueros, at dio quaerentes nihil tale invenerunt.

Cum semel tristaretur, quod propter curam refectorii, et servitium in eo fratribus exhibendum (erat enim Ordinis praemonstratensis) non posset ita orationi vacare, Mater gratiae eum solata est: Scias, inquiens, nihil perinde ex debito tibi faciendum incumbere, quam ut ex caritate servias fratribus tuis.

43 B. Hermannus Mariae nomen honorat.

Postea fit sacrista, in quo officio plenius se contemplationi dat et orationi. Praecipuo etiam erga Deiparam ferebatur affectu, quam etiam novorum verborum gaudiis sua gaudiis ipsi referentibus, et angelica salutatione crebro repetita salutabat, addendo singulis gaudiis et salutationibus genuflexiones singulas. Ad nomen Mariae in collecta, symbolo, praefatione, salutatione angelica, etc. se in terram prosternebat, et quoad poterat sine scandalo terrae sic prostratus adhaerebat. Rogatus cur id faceret, respondit: Tanta omnium florum, et aromatum copia tunc in nares meas incredibili cum suavitate influit, ut semper illic haerere vellem, si liceret. Saepius in aliqua monasterii loca orans a Beata Virgine vocabatur, ad eamque se conferebat. Ibi pariter

Digitized by Google

assidebant. Ille B. Matri de eius statu sciscitanti respondebat, et ab ea vicissim quidquid vellet, inquirebat.

Eadem loquens de illo cuidam admodum religiosae sorori vocabat eum suum capellanum.

44 B. Hermannum B. Virgo in lecto componit. Cum post sanguinis e vena missionem parum caute se in lectulo collocasset, apparuit Deipara: Caveas, inquiens, fili, parum caute in brachium, cuius vena incisa est, incubuisti; deinde brachium divinis suis manibus apprehendens, docuit quomodo sine periculo se in lecto componeret.

45 B. Hermannus rosam B. Virginem appellat. Cum ob custodiendam Ecclesiam, ne fures inde pretiosa quaeque auferrent, (grassabantur enim tunc sacrilegi templorum effractores) nonnihil ramisisset de solito precum penso quod Deiparae persolvebat, occurrit ei forma vetulae rugosae. Ille videns, nec agnoscens expavit, et exclamans ait: Quid est hoc? At illa: ego sum custos huius monasterii. Cognoscens ille vocem, cuius faciem non noverat: Tune es, inquit, o rosa? Sic enim ex nimia familiaritate suppresso nomine eam solitus erat appellare. Illa respondente se esse, subiunxit se talem apparere oculis eius, qualem ipse in animo suo sibi finxerat. Iam enim (ait) tibi vetula sum. Ubi illa repraesentatio gaudiorum meorum? ubi illae salutationes angelicae? ubi cetera pietatis officia, quibus et ego tibi, et tu mihi gratus reddebaris? Nolo ut praetextu custodiae monasterii intermittas servitium meum, quia ego melius illud custodiam. Quare rediit ad solita exercitia, et ad gaudia Deiparae recensenda, quibus, ut ipsa eidem revelavit, valde delectatur. Ex vita eius.

Deipara eum hortata est, ut de se Cantica Canticorum explanaret, hac visione. Vidit illam ferentem manibus elegantem et amplam scutellam in cuius fundo parum erat olei. Arridens autem illi, eum sic blandissime affata est: Exiguum hoc oleum tibi exhauriendum relictum est. Quod mox exponens ait: Cum Cantici Canticorum liber variorum expositionibus pene sit exhaustus, hoc parum, quod instar huiusce olei superest, tu ad mei commendationem exhaurire debebis. Itaque ea fretus id suscepit, ac in locum solitarium secessit. Vivens et mortuus miraculis claruit.

EX ORDINE PRAEDICATORUM

46 Dominicanorum studium erga B. Virginem. Quanto studio, quanta pietate, amore, atque observantia hic sacer Ordo Deiparam Virginem semper coluerit, et usque in praesentem diem colere non desinit, abunde diximus superius discurso CCXXXVI, et sequenti, ubi favores, gratias, privilegia ac beneficia a B. M. Virgine in Ordinem praedicatorum collata fuse enumeravimus

47 1. *S. p. n. Dominicus.* Hic quam propensae voluntatis fuerit erga gloriosam Dei Genitricem Mariam, quo studio eam coluerit, quam ferventer cultum eius in populo promoverit cum tota inclyta familia praedicatorum, abunde diximus superius discursu CCXXXVII. Post s. patrem Dominicum in suo Ordine proxime sequitur.

48 S. Hyacinthi ieiunia in honorem B. Virginis. 2. *S. Hyacinthus Odrovazius polonus.* Hic a Clemente VIII anno Domini 1594 in sanctorum album conscriptus, qui sicuti vivendi rationem, ita et pietatem erga Beatam Virginem a s. p. Dominico velut e purissimo fonte hauserat; hinc semper eam ferventissime coluit. Praeter ferias sextas, et vigilias omnes sanctorum apostolorum etiam vigilias omnes D. V. Mariae solo pane et aqua contentus ieiunabat.

S. Hyacinthus Borysthenem cum signo B. Virginis siccis vestigiis traiicit. Cum Tartari Russiam et Wolhiniam popularentur, ipsa Kioviae agebat, cumque ingressus esset in templum, ut sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum tolleret, ne barbaris ludibrio esset, imago Beatae Virginis ad eum locuta est: *Cur me, inquiens, Hyacinthe solam relinquis? cur ludibrio barbarorum exponis? cur me una cum Filio meo non effers?* His auditis Hyacinthus sacerdotali pompa indutus altera manu Sacram Hostiam, altera vero praegrandem ex alabastro D. M. Virginis imaginem apprehendit, nullamque inveniens navim, Borysthenis aquis se commisit, ac sicco vestigio ingentis iconis pondere onustus profundissimum et rapidissimum illud flumen traiecit. Piam illam sarcinam imaginis Deiparae Cracoviam portasse, et in templo sui Ordinis SS. Trinitatis dicto eam deposuisse traditio est.

S. Hyacinthum B. Virgo alloquens filium suum appellat. Idem sanctissimus vir tam ardenti affectu D. Virginem coluit, ut ab ea in Filium adoptari meruerit. Cum enim die festo assumptionis eiusdem ante eius sacram iconem Cracoviae in ecclesia SS. Trinitatis ferventissime, ut solebat, oraret, et prae contemplationis vehementia in lacrymis liquesceret, vidit in momento coelestem lucem super aram diffundi, inque medio illius angelorum agminibus circumdatam eorum Reginam descendere, seque alloqui in hunc modum: *Gaude fili Hyacinthe, quia orationes tuae gratae sunt Filio meo, et ideo quidquid ab eo per me petieris, impetrabis.* Bzovius ad annum Domini 1257.

Ab eius morte visa est magna virginum multitudo, in cuius medio eminebat una aliqua prae ceteris reginae habitu, (Regina coeli Virgo Deipara fuisse creditur) quae sanctum Hyacinthum in aeterna illa domicilia deducebat suaviter concinens: *Ibo ad montem myrrhae, et ad collem Libani cum Hyacintho.* Severinus Lumbol. In eius vita.

3. *B. Hermannus.* Hic d. Hyacinthi socius una cum ipso Romae in coenobio s. Sabinae in manibus s. p. Dominici vitam regularem professus est, cuius pietatem in Virginem statim post s. Hyacinthum hic subiicere visum est. Beatissimae Virginis Mariae vita semper eius obversabatur aspectibus; cuius viscera coelis capaciora demiratus, illis quod novem mensium spatio Deum immensum baiulassent, tantam beatitudinem gratulabatur; cordi, quod supra humanum et angelicum captum excellentissimis mysteriis fidem praestitisset; uberibus, quae omnia pascentem pavissent; manibus, quae amictum lumine fasciis cinxissent; brachiis, quae gestassent; ori, quod balbutienti pusioni osculo impressisset, et ad singulorum pudicissimae Virginis membrorum verecundam contemplationem salutationem angelicam pangebat. Ab imagine autem externa pulcherrimae Virginis ad longe venustiorem mentis eius ideam transferebatur, et incredibilem fidem, demissam humilitatem, ardentissimum amoris incendium, puritatem supra angelicam, moderationem animi, iustitiae robur, aliarumque intus manentium virtutum fulgentissimos colores demirabatur. Insuper sanctitatis eius lumina nusquam in alia creatura visa venerabatur, et ad singula ista virtutum ornamenta salutationem angelicam geminabat adiiciens: *Iesu suavissime, dignare me meam et tuam Matrem super omnes speciosam ore laudare, corde admirari, et imitatione subsequi.* Bzovius ad annum 1245. 49 B. Hermanni Ordinis praedicatorum formula devotionis erga B. Virginem.

Tantam autem in Beatissimam coelorum Reginam eius ardentior devotio recrevit, ut ipsa quoque se ei visendam una die sabbatorum praebuerit; illique minus eloquenti, et intelligenti linguam balbutientem ad praedicationem dissolverit, et tantam intelligentiam Scripturarum ei contulerit, ut scientia divinitus infusa theologos, eloquentia vero pene paulina oratores innumeros post se reliquerit, latino, alemanno, bohemo et aliis sermonibus promptissimus in dicendo, felicissimus in capiendis ad meliorem frugem hominibus erat. In consiliis efficacia, claritate et facilitate tanta, ut innumerabiles pene prava iam obiecta, iam tentata abiicere coegerit. Christo plurimis progenitis, sancto fine decessit. Moriente et ad coelos migrante, crux aureis radiis perlucida super ecclesiam sole lucente apparuit, insigneque testimonium dedit sanctitatis illius, et crucis Christi ab eo praedicatae et in corpore delatae. Bzovius ad annum Domini 1245. 50 B. Hermannus scientiam infusam a B. Virgine accepit, et praedicator eximius efficitur.

4. *S. Raymundus de Pennafort.* Hic antequam togam Ordinis praedicatorum suscepisset, erga Deiparam Virginem singulari pietatis affectu ducebatur, ingentem apud omnes auctoritatem et sanctitatis opinionem sibi concilians. Adhuc saecularis et canonicus barcinonensis Deiparam Virginem singulari pietatis affectu venerabatur, eiusque cultum semper pro viribus auxit. Nam cum festum annuntiationis eius in ea ecclesia minus celebre haberetur, ipsa ab episcopo, et a capitulo impetravit, ut ritu duplici perpetuo coleretur, et ex praepositurae suae reditibus (erat enim etiam praepositus) censum annuum attribuit canonicis in distributiones erogandum, qui eo die sacris officiis interessent. 51

Idem anno quadragesimo octavo vitae s. Dominici institutum amplexus, qua erat in Dei Matrem Mariam pietate, (in cuius clientelam se antea contulerat) nullum firmius ad daemonis vires conterendas, quam eiusdem praesidium inveniri posse certum habens, eius patrocinium assidue invocabat. 52

Eidem apparuit Deipara, ut et Iacobo Aragoniae regi, ac Petro Nolasco, cuius confessiones sacras s. Raymundus audiebat, eosque serio monuit, ut in suum honorem instituerent Ordinem religiosorum, quibus cura incumberet captivos e tyrannide Turcarum liberandi. De hoc superius diximus cum de Religionibus in honorem D. V. Mariae institutis tractaremus.

5. *S. Thomas de Aquino.* Hic sidum Ordinis praedicatorum, verum et Ecclesiae universae sidus fulgentissimum, qui eximia non minus sanctitate quam doctrina praefulsit, iam inde in ipsis 53 S. Thomas de Aquino

Digitized by Google

devotio erga D. Virginem. incunabulis praeclarum futurae erga Virginem pietatis ac devotionis specimen exhibuit. Infantulus a nutrice in balneo abluendus chartulam a terra sponte sua sustulit, eamque pressa manu arcte retinuit, nutrice eam a manu extrahere conanti lacrimis acriter restitit. Eo iam loco mater chartulam ex manibus evulsit, in qua scripta erat salutatio angelica. Infans chartam ploratu instanter repetens, eam redditam mox deglutivit. Portendebat ingluvies illa se futurum helluonem pietatis, religionis, devotionis erga Deiparam Virginem: quod eventus ostendit. Nam grandior factus impensissime Virginem gloriosam coluit, hancque pietatem libris a se editis patefecit, potissime in 3 parte summae theologicae, et in opusc. 8, quod est de salutatione angelica, quo et illius supra ceteros sanctos praestantiam singularem, et apud Filium quidvis impetrandi efficacitatem eximiam, et eius incomparabilem dignitatem contra varios haereticorum errores constantissime propugnat. Et nedum scriptis, verum et vita Sanctissimam Dei Matrem eximie coluit, cum Virginis virginum exemplo virginitatis florem perpetuum, illibatumque servavit. Beatissimam Virginem lumine amictam ei non semel visam, mentem illius illustrasse ex historia vitae eius certum est.

54 6. *S. Vincentius Ferrerius.* Hic quam eximio cultu Deiparam Virginem honoraret superius diximus, cum de favoribus a Beata Virgine Ordini praedicatorum collatis ageremus discursu citato.

55 S. Antoninus Ordinis praedicatorum B. Virgini devotus. 7. *S. Antoninus archiepiscopus florentinus.* Hic in laudem huius Virginis locupletissimos sermones scripsit, et in huius honorem virginitatem perpetuo coluit. Cum ageret animam, defecta iam voce, illud crebro et suaviter iterabat: *Sancta et immaculata virginitas quibus te laudibus efferam, nescio.* Incertum est, inquit auctor vitae illius, an ad Deiparam Virginem conversus, quae se luctantem cum morte visitasset, an exhilaratus quod inviolatum ad illum usque diem corpus Virgo ab omni obscenitatis putredine servasset. Ex eius vita apud Surium.

56 8. *S. Petrus martyr.* Hic quam propensae fuerit voluntatis in B. Virginem et quibus muneribus ab ea auctus, disc. supracitato narravimus.

57 9. *S. Ludovicus Bertrandus.* Hic quam impense coluerit Beatam Dei Genitricem discursu supradicto ostensum est.

58 10. *S. Reginaldus aurelianensis.* Hic quanto studio D. Virginem coluerit, ipsa ostendit, cum eum in gravi infirmitate divis Catharina, et Caecilia virginibus comitata visitavit, oculos, nares, labia, manus ac pedes oleo sacro inunxit, et pristinae sanitati restituit; insuper et habitum quo in posterum fratres praedicatores uterentur demonstravit. Historiam in discursu memorato superius retulimus ex chronico Ordinis.

59 11. *B. Albertus magnus.* Hic quam eximius Deiparae cultor fuerit, quid de ea scripserit, quantum cultum eius promoverit, quos favores et gratias ab eo receperit, satis diximus discursu iam saepius indicato.

60 12. *B. Iordanus.* Hic Deiparae ferventissimus amator fuit; unde eam sibi conspicuam habere meruit in festo purificationis B. V. Mariae, dum matutinae preces sub ista invitatorio: *Ecce venit Dominator Dominus*, etc. inchoaretur. Vidit Parisiis Sanctissimam Dei Genitricem cum Filiolo suo procedentem ad maiorem aram supra quod paratus thronus erat, in quo resedit cum Filio, fratres ad aram pro more conversos dulciter intuens. Cum vero ad *Gloria Patri*, etc. fratres inclinarent sese, ipsa Filii dextera apprehensa, eos cum toto choro signabat. Ex chronico Ordinis.

Dominicanos B. Virgo benedicit.

61 B. Henricum Ordinis praedicatorum animis afflictum B. Virgo recreat. 13 *B. Henricus Suso.* Hic Deiparae Virginis studiosissimus in gallicinio potissimum eam consalutabat, ac laudes ei pangebat. Ideo meruit, ut ei frequenter angeli apparuerint suaviter concinentes:

Stella Maria maris hodie processit ad ortum.

Cum his ille aliquando concinebat ab eis coelesti lumine perfusus, et de arcanis secretioribus instructus. Kalendas maii et praecipue ianuarii, quibus solent dediti saeculo tum xeniis, tum cantilenis, tum festo apparatu genio indulgere, ille concentus suaves Iesu et Mariae personabat, et ab utroque charismata potiora flagitabat. Idem tantopere inedia, siti, perpetuis vigiliis corpus macerabat, ut neque cibum, neque potum capere aliquando potuerit, nisi B. V. Maria coelesti liquore illum recreasset. Inter afflictiones animi (quas quidem gravissimas perpessus est) non semel a Deipara visibiliter apparente confortatus est. Daemonem sibi insidias tendentem, et sagittam acutam ad eum occidendum intorquere in eum parantem solo lumine B. M. Virgo fugavit. Ex ipsius vita apud Balinghem die 25 ianuarii.

14. *B. Reginaldus Aggellus.* Hic tanto affectu Deiparam Ordinis sui patronam colebat, ut intra diem, vel noctem unam millies in genua procideret, et orationem dominicam addita salutatione angelica recitaret. Ex actis eius apud Balinghem die 5 februarii. 62

15. *B. Venturinus bergomas.* Hic tam fervens fuit Divae Parentis amator, ut coram eius icone orans, elevatus a terra visus sit, auditusque cum ea colloqui. Diebus sabbati ad maximam coronam auditorum de laudibus Deiparae, quam impense diligebat, ferventissime concionabatur. In suis concionibus quinquaginta millia auditorum habuisse legitur; epistolis, quas fere per totum orbem scribebat, (qui enim illum ob distantiam videre non poterant, se felices putabant, si aliquod ab eo epistolium extorquerent) in fronte solebat praeponere: *Iesus amor meus*, vel *Ave maris stella*, vel *In nomine Patris*, etc. in calce vero insignia passionis Christi, columnam, crucem, lanceam, clavos adpingebat. Quas litteras aegroti multi legentes, vel tangentes sanabantur. De illo plura diximus discursu iam saepius memorato. Ex Flaminio, Leandro et aliis. 63 B. Venturini epistolas scribendi modus.

16. *B. Iacobus Salomonius.* Hic adhuc saecularis, et in aetate tenera quotidie Deiparam colebat recitatione sui officii. Ad gratiarum actionem cibo sumpto addebat *Salve Regina*. In gravissimo cancri dolore, qui eius pectus infecerat, hoc unicum loquebatur: *Laudetur Iesus Christus. Maria mater gratiae, mater misericordiae.* Leander de viris illustribus Ordinis praedicatorum. 64 B. Iacobi Salomonii patientia in morbo.

17. *B. Tocleemsnoth indus.* Huic sub ultimam vitae periodum visendos se praebuere Christus Dominus, Deipara, plurimique coelites, qui et conclave in quo iacebat, suavissimo afflaverant odore. Eius festum celebratur in India die 18 augusti. Ex libro de viris illustribus Ordinis praedicatorum. 65

18. *B. Dominicus lusitanus.* Hic quantae fuit devotionis erga B. Virginem exitus vitae monstravit. Divam namque Virginem Filiolum ulnis complexam in ultima vitae periodo aspexit, et carne solutus apparuit cuidam constanter asserens se Deo vivere. Michael Pius in eius vita. 66

19. *B. Ægidius Poncellanus genere lusitanus.* Hic ut a daemone nigromantiam disceret, cum eo pactum sanguine proprio syngrapha exarata firmarat; sed factus religiosus plurimis lacrimis id a Deipara impetravit, ut ei sua syngrapha redderetur ab ipso daemone visibiliter apparente. Ita in Religione profecit, ut in nomine Iesu audiendo statim in exstases raptus coelestes delicias percipiebat. Miraculis plurimis et vivens et a morte claruit. Cingulo ferreo quo ad carnem admoto utebatur, adhuc hodie miracula fiunt. Ex historia Ordinis. 67

20. *B. Bernardus lusitanus.* Hic cum aedituus esset, duos pueros habebat, qui serviendis sacris quotidie ecclesiam praedicatorum frequentabant. Eos b. Bernardus, sacra finito, fidei rudimenta et bonarum litterarum docebat, et eos in sacello in quo erat sculptilis imago Deiparae Iesum puerum gestantis, relinquebat, interim ut discerent. Cum autem coram dicta imagine frequentius ientaculum sumerent, puerili quadam simplicitate puerulum Iesum invitarunt, ut secum comedere dignaretur. Mirum dictu! Imago pueri visa e gremio Matris descendere, assidere et reverti ad gremium Deiparae. Cum autem multo tempore id fecisset puerulus Iesus, unus ex iis pueris simplicitate puerili coepit apud b. Bernardum queri, quod ipsi quotidie symbolum suum conferrent, puero Iesu nihil unquam subministrante, cum interim ientaculi partem semper vellet habere. Intellexit Bernardus quid esset, puerisque praecepit, ut de more venienti Iesu dicerent: O clare puer, ecce iamdiu tecum ientacula nostra divisimus, cur etiam nos, et nostrum magistrum fratrem Bernardum in domum tuam ac refectionem non invitas? Respondit Iesus, se ambos, et fratrem Bernardum invitare, atque ad festum ascensionis Domini omnes praestolari. Antoninus lusitanus in chronico praedicatorum. 68 Puer Iesus cum pueris ientaculum sumit.

21. *B. Mauritius hungarus.* Hic speciali favore B. Dei Genitricis Mariae in lucem editus est. Cum enim mater eius quae quatuor menses praegnans diuturna febri vexaretur, adeo ut de valetudine desperaret, accedente postea tempore partus, in somnis vidit quamdam in veste candidissima, formaque praecellenti matro- 69

*

eam, quae blandiore sermone metum illi omnem mortis ademit, fore praenuntians, ut filium pareret sanctitate magis, quam genere illustrem; memor tantum esset, hora partus instante, signo crucis pectus munire, ac dicere: *Succurrat tibi Virgo felix Christi Mater, ex cuius utero unigenitus aeterni Patris Filius prodiit.* Addidit, ut angelicam salutationem saepius proferret. Sanctissime vixit hic beatus miraculis in vita et a morte clarus. Id porro de eo traditur admirandum. Cum ei Isauriensis pontifex iusta persolveret, et Christi corpus elevaret a populo adorandum, omnibus cernentibus, sanctum illud cadaver oculos inspectandae Hostiae gratia aperuit, quod idem fecit, dum episcopus consecratum calicem elevaret, tum demum oculos clausit. Maxima reverentia SS. Eucharistiam semper veneratus fuerat, et ut ante eam perpetuo lucerna luceret, oleum ostiatim emendicabat. Michael Pius.

Puerperis exemplum.

70 **22.** *B. Raynerus.* Hic cum in fide dubius esset, et an iudaeus, an gentilis fieri deberet, ambigeret, nec fratrum suorum monitis cederet, et noctu fugam meditaretur, iamque esset in limine portae, obvisvit ei B. V. Maria: Fluctuanti, inquiens, et veritatem in fide Filii mei te dubitas invenisse. Noveris carissime gentiles variis teneri erroribus, Iudaeos excaecatos versari in legis antiquae umbria. Te decet illustrari lumine Christi. His dictis disparuit, et Raynerum reliquit in fide constantem. Obiit sanctitatis laude illustris. Arnoldus ad Molanum.

B. Raynerum B. Virgo ab errore revocat.

71 **23.** *B. Alanus de Rupe.* Huius vita plena est beneficiis in eum a Deipara collatis, ac vicissim obsequiis illi repensis. Ipse potissimum a Deo Deiparaque electus fuit, ut rosarii usum qui neglectus iacebat, iterum induceret. Quare se ei conspicuam fecit, de neglecto cultu rosarii admonuit, quem ut promoveret, rursumque sacra illius sodalitia congregaret, imperavit. Et ut in eo munere exequendo instructior esset, annulum ei ex sanctissimi capitis sui crinibus miro opere contextum dedit. Illa cum praesente Christo sanctisque compluribus sponsum sibi adscivit, sponsalitiasque arrhas dedit, annulum et rosarium suum quod eius collo iniecit. Eidem res coelestes attente contemplanti Deipara de lacte suo virgineo in os infudit. Tot autem Deiparae benefactis ipse vicissim egregie respondit, cultum eius ac rosarii usum propagando, sodalitia eius congregando, eaque omnia praestando quae ei grata fore putabat; semper in ore salutationem habebat angelicam ambulando, sedendo, loquendo, praedicando: et quotics aliquid pronuntiare, aut dictare volebat, priusquam inchoaret, genibus flexis salutationis angelicae suffragio praeeunte, auxilium requirebat. Plura de hoc beatissimo viro superius in hoc opere sparsim diximus ex chronico Ordinis nostri.

B. Alano B. Virgo annulum donat, et sponsum sibi adsciscit.

Lactat uberibus suis.

72 **24.** *Franciscus Retzanus.* Hic teste Ioanne Nidero, tam fuit Deiparae studiosus, ut neminem eo studiosiorem viderit, nunquam dulce nomen Mariae eius feriebat aures, quin statim salutationem angelicam recitaret. Quod idem ei solemne erat transeunti coram eius icone. Quicquid stipendiorum a duce Austriae tanquam doctor, et rector Universitatis viennensis recipiebat, id omne impendebat reparationi tum monasteriorum, tum templorum Deiparae dicatorum. Quovis die sabbati, licet aliud thema haberet lectionis ordinariae propositum, nihilominus tamen mediam fere eius partem texebat commemoratione laudum B. Dei Genitricis, idque non sine magna lacrimarum vi. Adeo eam tenere amabat.

Francisci Retzani Ordinis praedicatorum affectus erga B. Virginem.

Duodecim continuis annis quibus librum Salomonis ad plebem explicaverat semper repetitis illis verbis: *Primi et purissimi fructus eius*, totus in laudibus Deiparae explicandis fuerat. Tria volumina ingentia super *Salve Regina* in laudem eius composuit. Inter studendum quoties a libro ad librum, vel e cella ad bibliothecam transibat, eandem Reginam coeli angelicis verbis salutabat. Octoginta quatuor annos natus, cum in commemoratione rerum B. V. Mariae assidue colliquesceret, die nativitatis eius inter solemnia suae devotionis marianae laetus expiravit, concinens canticum *Salve Regina*. Michael Pius de viris illustribus Ordinis praedicatorum.

73 **25.** *B. Iacobus de Bevagna.* Huic Christus cum Deipara, et sanctis Dominico ac Gregorio apparuit octo diebus ante obitum, ei significans, ut se in die assumptionis Genitricis suae praepararet ad vitam feliciorem. Quo eodem die et iterum iisdem comitatus se videndum exhibuit. Leander de viris illustribus Ordinis praedicatorum.

74 **26.** *Andreas Noorth.* Hic sedulo B. V. Mariam rogabat cum lacrimis, ut illum non pateretur mori, nisi in festo eiusdem. Igitur ingenti correptus aegritudine asseruit fratribus, se in festo assumptionis eiusdem moriturum. Quod et factum est. Hyacinthus Choquetius.

27. *B. Elsa indus.* Hic cum ad regem Abyssinorum proficisceretur, ab eo vocatus ad convincendum haereticum, qui male sentiebat de Beata Virgine negans ei honorem Matris Dei, visus est in oratione quam fundebat, ad prosperum itineris exitum consequendum elevatus cum equo a terra aliquot cubitis. Itaque haereticum convicit; sed cum ille nihilominus in errore persisteret, regis iussu quatuor leonibus famelicis traditus est, qui in momento eum devorarunt. Sed cum id aegerrime ferrent nonnulli, qui in eodem errore versabantur, petierunt a rege, ut beatus Elsa etiam ipse traderetur leonibus, ac tum demum omnibus palam futurum quid de ea re tenendum sit. Videns igitur rex rem ad seditionem tendere, rogavit beatum virum, ut ad eam sedandam, veritatisque confirmationem pateretur se leonibus etiam obiici. Quod ille non gravate concessit, et postquam se crucis signo munivisset, in mediam leonum turbam se coniecit, qui suae feritatis obliti ei manus et pedes linxere. Quo viso portento, rex et proceres immortales Deo Deiparaeque egere gratias. Obiit hic sanctus vir die 15 augusti, sed sequenti die in nonnullis ecclesiis festum eius celebratur. Leander de viris illustribus Ordinis praedicatorum. 75

B. Elsa Ordinis praedicatorum leonibus obiectus ab eis intactus manet.

28. *Ioannes de Turrecremata cardinalis.* Hic ex affectu pio quem erga Deiparam gerebat, Romae templum Sanctae Mariae super Minervam testudine ornavit, primumque coenobii impluvium, quod claustrum vocant, a fundamentis erexit, nec non bibliothecam ingentem undique conquisitis libris condidit: et quod praecipuum fuit, adductis ex congregatione Lombardiae religiosissimis patribus, ad exactum vitae rigorem dominicanos revocavit. Romanis virginibus in matrimonium collocandis vivens innumeras pecunias erogavit, et census perpetuos ad idem attribuit. Et ut res maiore cura ageretur, confraternitatem instituit sub titulo annuntiatae Virginis in eodem Sanctissimae Deiparae ad Minervam templo, dotandis et elocandis in die annuntiationis puellis, quam et legibus et amplissimis censibus locupletavit. Sacellum eidem B. Virgini et sodalitium ornavit, dicavit, dotavit. Illudque institutum tam fecit pontifici ac cardinalibus commendatum, ut illi perpetuum deinde Romae morem invexerint, singulis annis die annuntiationis solemnissimo cultu ad basilicam S. Mariae dictam descendendi. Ubi sacro ab uno cardinali celebrato ipse summus pontifex puellis dotem sacculis inclusam distribuit, ducentisque virginibus pauperibus, quae viris se matrimonio volunt iungere, scuta octoginta donat, centum vero iis quae Deo sese desponsare volunt. Alphon. Cias. in eius vita. 76

Ioannis de Turrecremata cardinalis pietas.

Confraternitas annuntiationis B. M. Virginis.

29. *B. Silvester de Marradi.* Huic utroque parente orbato, ac e pago suo Florentiam tendenti, ut conditione aliqua vitae inventa sibi prospiceret, occurrit Deipara, quae postquam ei varia vitae bene gerendae documenta dedisset, eum Florentiam usque prope divi Dominici monasterium deduxit, et mox disparuit. Admissus est itaque in monasterium, ac litteris, philosophicis disciplinis se theologicis eruditus evasit in magnum concionatorem, sanctusque omnium opinione habitus est. 77

B. Silvester Marradi a B. Virgine ad Ordinem praedicatorum deducitur.

Accidit ut adolescentem quendam in sacro poenitentiae tribunali gravius carperet ob quoddam crimen, unde miser ad pedes eius instar mortui corruit. Quo casu turbatus b. Silvester enixe Deum, eiusque Parentem precatur, ut sibi in isto discrimine adsint. Vix finierat, cum statim adfuere; nam angelus ab iis visibiliter submissus, qui coelesti quodam liquore in os adolescentis infuso eum vitae reddidit. Quare confessionem suam prosecutus est, ac tempore procedente sanctissimam vitam duxit. Porro idem angelus Silvestro etiam sacrum istud manna libandum tradidit. Balinghem die 4 octobris.

30. *B. Alexander Capocchius.* Huic Regina coelorum cum patre s. Dominico apparuit, ad quam sub mortem devotam orationem fudit, postquam sibi rem voluit ad eiusdem honorem: *Ave Regina coelorum, ave Domina angelorum*, extremum diem clausit anno Domini 1581. Balinghem die 8 octobris. 78

31. *B. Iacobus alemannus.* Hic diurnas suas meditationes de Christi passione claudere solebat isto praeconio: *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine, succurre mihi hodie cum Patre et sancto Spiritu in sempiterna saecula. Amen.* Et ad Deiparam quam praecipuo cultu venerabatur, conversus aiebat: *Ave Regina coelorum*, etc. Postea ad omnes aras accedebat, ibique a B. Virgine incipiens orabat. Ex chronico Ordinis praedicatorum Balinghem die 11 octobris. 79

B. Iacobi Alemanni pietas erga B. Virginem.

Digitized by Google

80 B. Henrico de Calstris B. Virgo saepius se visendam exhibet.

32. *B. Henricus de Calstris*. Hic cum studii vel orationis causa lumen haberet, illud extinctum est, et statim circumfulsit eum lux magna, e qua quasi muliebris vox prodire videbatur. Qui stupefactus ait: Deus meus, quae est haec vox quam audio? Ego sum, inquit, Maria Mater Christi. Cui ille: O Domina ostende mihi faciem tuam gratiosam. Quae respondit: Adhuc puer es, cresce et videbis me.

Aliquando ob dolorem cordis factus est velut mortuus, statimque permulti ei adfuere daemones clamantes: Noster es, et nobiscum ibis; et tamen eum non tangebant. Post altercationes plurimas apparuit lux magna, et mox daemones aufugere, audivitque B. V. Mariam dicentem: Ego sum, ne timeas. Ad quam ille: O Mater misericordiae, quare hoc Filius tuus permisit? At illa: Per haec quae passus es, purgatum est quidquid in te erat criminosum. Et scias quando te homines non oppugnabunt, daemones te oppugnare non cessabunt. At cito finis erit, sustine patienter.

Alias ei apparuit, eique contulit gratiam intelligendi in sacra Scriptura quidquid ad salutem pertineret. Nunc ergo, dicens, vade, et lege missam. Porro tu confiteri decrevisti, quod fratri cuidam pro tuo bono dure respondisti; scias quod in hoc nunc peccasti; confitere autem quod tamen peccatum non reputes, quod nimis diu stetisti in porta fabulando, et post tepide confessus dixisti missam cum modico fervore.

Alias cum duo fratres praedicatores essent in villa quae dicitur *Bonna*, accidit, ut unus eorum aegrotaret; tunc B. V. Maria dixit fratri Henrico: Vade ad illum fratrem, quia moriturus est, audi eius confessionem; ipse enim oblitus est aliqua peccata, et sunt haec.... Ego autem adero illi in morte, et salvabitur. Qui statim perrexit ad eum, et reduxit ei ad mentem illa peccata, et ille ait: Verum est, sed ego oblitus eram. Frater autem absolvit eum, nec ei dixit, unde hoc secretum haberet.

Cuidam interroganti num absque purgatorio transiret ad gloriam (graviter enim aegrotabat) respondit: B. Virgo in exitu animam meam suscipiet, et plusquam trecentas animas mecum de purgatorio abducam. Hyacinthus Choquetius de sanctis belg. Ordinis praedicatorum.

81 B. Romaei Ordinis praedicatorum pietas erga B. Virginem.

33. *B. Romaeus*. Hic quotidie millies salutationem angelicam recitabat, ad quod chordulam mille nodis distinctam habebat. In familiaribus colloquiis nullius alterius fere mentionem faciebat, quam Mariae. Magni erat zeli in Dei cultu propagando; in concionibus quas frequentissimas habebat, semper aliquid de incarnationis mysterio, ac de Sanctissima Dei Genitrice inserebat. In omnibus adversis nullius opem tam ferventer, quam Reginae caelorum implorabat. Vicesimo quarto ab eius obitu anno, propter crebra ad eius tumbam miracula, refossum eius sepulcrum, in quo corpus eius incorruptum repertum est, et ante altare D. M. Virginis reconditum fuit cum hac inscriptione:

Hae sunt in fossa fratris venerabilis ossa
Dicti Romaei, qui fuit arca Dei.
Pie Iesum, atque piam dilexit valde Mariam.

Ex chronico Ordinis lib. 2, cap. 65.

82 B. Conradino a Brixia castitatis donum confert B. V. Maria.

34. *B. Conradinus a Brixia*. Huic se visendam duabus stipata virginibus praebuit Deipara, postquam ipse se ad carnalis ignem tentationis extinguendum ita immaniter flagellis cecidisset, ut sanguinis rivi per cubiculum fluerent, ad quem illa in haec fere verba: Iam pridem agnovi, fili dilectissime, quo adversus me sis animo, et quanta cum diligentia illibatum servare niteris virginitatis florem. Noveris ergo te nihil a Filio meo postulaturum, quod non sis impetraturus. Quod ut vere tibi a me dictum constet, en tibi confero donum castitatis, cuius desiderio tantopere semper arsisti. Et haec dicens ei renes pretioso ungit oleo cum his verbis: Hac unctione corroborentur renes tui, ne deinceps ullum ranuia aculeum persentiscas. Porro quod haec fuerit eximia praerogativa, eaque paucissimis concessa, locus in quo visio illa contigit, magnam etiamnum habet venerationem. Ex chronico Ordinis praedicatorum.

83

35. *B. Philippus martyr indus*. Hic integram quadragesimam in honorem Deiparae ita ieiunabat, et ante festum assumptionis eiusdem, ut dominicis dumtaxat diebus cibum caperet. De viris illustribus Ordinis praedicatorum.

84 Consalvus

36. *B. Consalvus*. Hic a Deipara Virgine ad Ordinem praedicatorum vocatus his verbis: Eum Ordinem ingredere, qui Dei laudes a salutatione angelica inchoat, et in ea finit, (Ordinem s. Dominici insinuans) Religionem ingressus Deiparam uti patronam et promotricem suam mira affectu coluit. Unde moribundus eam angelis stipatam, et se ad coelos invitantem videre, et audire meruit. Plura de eo superius diximus ex chronico Ordinis nostri. ad Ordinem praedicatorum a B. Virgine vocatur.

37. *B. Tancredus*. Hic in saeculo inter palatinos Friderici imperatoris non postremo loco habitus cum B. Virginem rogasset, ut sibi viam salutis ostendere dignaretur, secundum somnum ipsam Divam sibi apparentem videre et audire meruit: *Ad meam familiam cito accede*. Expergefactus nesciens quaenam haec familia Virginis sit, iterum Reginam coeli praecabatur. Itaque obdormiscenti duo viri habitu dominicano in somnis apparuere, quorum senior: *Desideras a Deipara in viam salutis dirigi? Ad nostros itaque declina et saluti tuae consulueris*. Ex chronico Ordinis praedicatorum. 85 Dominicani familia Mariae.

38. *B. Samuel indus*. Hic cum aegro sacrum viaticum Corporis Christi impertitus esset, accidit ut prae stomachi infirmitate Hostiam evomuerit, quam ipse omni horrore postposito (cum ieiunus esset) magno animo sumpsit. Quod quidem ita gratum accidit Domino nostro, ut postera nocte audierit Christum ita angelum suum compellantem: Vade, et dic servo meo Samueli, factum illum esse Genitrici meae similem, cum sibi ea ratione intimam fecerit carnem meam. Ballinghem ex chronico de viris illustribus Ordinis praedicatorum. 86 Eucharistiae veneratio Deo grata.

39. *B. Thaelavaretus indus*. Huic in ecstasi ad sacrum Calvariae montem translato apparuit Sanctissima Deipara, cui etiam tradidit argenti vas pretiosum suavissimo liquore plenum. Alias item in ecstasi ad sacrum Domini sepulcrum translato, in ipso eius sacri loci osculo, visendam se ei exhibuit eadem Virgo, tradito ei vase aureo coeleste quoddam manna continente. Mirum quod refero! Dum de priore vase argenteo biberet, repente infusa est ei cognitio utriusque testamenti, et omnium quae aliis ad eorum salutem tradenda sunt. At cum ad posterius vas, aureum nempe, labia admoveret, incredibilem percepit suavitatem, ac eodem momento omnium eorum scientiam est consecutus, quae ad vitam futuram spectant, viditque beatos in gloria, eorumque locum, et ordinem pro ratione cuiusque meritorum. Ex historia de viris illustribus Ordinis praedicatorum. 87 B. Thaelavareto scientiam infusam B. Virgo impetrat.

40. *B. Petrus Carultus*. Hic Deiparae Virgini valde addictus ab ea multis favoribus augeri meruit. Aliquando mula quae bonum senem ferebat, spectro a daemone obiecto territa, hominem ephippio excussit, et per multum viae spatium pede in stapede haerentem suspensumque traxit, ac prope elisit. Apparuit ei B. V. Maria, et manibus caput raptati sustentans, ac reliquum corpus a collisione defendens illaesum servavit. Alias a maligno daemone habitu doctoris theologi ei apparente, et subtilem quaestionem de Sanctissima Trinitate ei proponente de fide catholica tentatus, a praesenti periculo damnationis aeternae ope Dei Genitricis liberatus fuit. Hoc superius fusius narravimus. Ex chron. Ord. nostri. 88 B. Petrus Carultus B. Virgini quam carus.

41. *Petrus Bosnes*. Hic tum litterarum peritia, tum sanctitate clarus, et in primis Divae Deiparenti valde addictus S. Teresiam a principio ad maximum perfectionis gradum instruxit, illique suasit, ut discalceatorum carmelitarum recollectionem, opus insigne, intrepide aggrederetur. Unde beata virgo Teresia refert in praemium tanti consilii Reginam coelorum vidisse candido vestimento illum induisse, et eius animam recta absque repurgante igne in coelum evolasse. Dominicus Gravina in Voce turturis. 89 S. Teresia ad maximum perfectionis gradum studio unius dominicani promota.

Multos alios Deiparae Virginis eximios cultores fovit, et usque in praesentem diem fovet alma Religio dominicana, quos omnes recensere non valeo; res enim non aliquot paginarum esset, sed integri ac iusti voluminis. Chronica Ordinis nostri lege, et superius nostrum discursum CCXXXVII, ibi plures videbis.

EX ORDINE MINORUM

Hic quoque praeclarissimus Ordo multos confessores habuit, qui Deiparam Virginem uti Reginam suam in magna veneratione habuerunt, eamque speciali cultu secundum Deum coluerunt. Franciscani B. Virgini specialiter addicti enumerantur.

1. *S. Franciscus*. Hic illustrissimi huius Ordinis fundator Matrem Domini nostri indicibili complectebatur amore, eo quod Dominum maiestatis nobis fratrem effecerit, et per eam simus misericordiam adepti. In ipsa post Christum praecipue fidens eam 90 S. Franci-

sui devotio erga B. Virginem. Oviculas b. Francisco devotionem docta.

sui ac suorum advocatam constituit, et ad honorem eius a festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli usque ad festum assumptionis devotissime ieiunabat. Habuit hic sanctus oviculam quam monere solitus erat, ut laudibus divinis intenderet. Itaque dum fratres in templo canerent, et ipsa in templum ingressa flectebat genua, balatus emittens ante altare Deiparae matris Agni, ac si eam salutare gestiret. Insuper cum elevaretur Sanctissimum Corpus in sacro, flexis curvabatur poplitibus, tanquam si reverens de irreverentia indevotos argueret, Christique devotos ad reverentiam excitaret.

Idem a Deipara una cum sancto Dominico Christo Domino oblatus est ad revocandas animas ad Creatorem destinatus, ut diximus, cum pietatem s. p. n. Dominici erga Deiparam Virginem enarrabamus.

91 *Favores B. Virginis s. Francisco collati.*

Ob tantam pietatem erga Beatam Virginem multis gratiis et muneribus a Deo auctus fuit; per intercessionem B. Virginis a nonnullis desperatas infirmitates abegit, ut in eius vita s. Bonaventura memorat.

Eius devotio erga B. Virginem effecit, ut in ecclesia S. Mariae *de portiuncula* olim deserta ipsa Virgo sedem figeret, et illam indulgentiam plenariam in toto orbe famosam a dilectissimo Filio suo impetraret.

Portiuncula in quanta devotione apud b. Franciscum. Cor s. Francisci ubi sepultum.

Eius amor in B. M. Virginem effecit, ut aedem illam S. Mariae *de portiuncula* prae ceteris aliis plus diligeret: eumque locum in morte fratribus unice commendaret, tandemque morti proximus ad eam ecclesiam deferri, ibique cor suum sepeliri voluit. Marcus olissiponensis in annal. Ord. d. Francisci lib. 2, c. 72 haec scribit: D. Franciscus adhuc in vivis positus semper optabat corpus suum vilissimo urbis Assisii loco sepeliri, excepto corde suo, quod esse in templo Dominae nostrae angelorum percupierat, sicut vivens illic per affectum illud affixum habuerat. Et est communis opinio cor eius in sacello ano S. Mariae angelorum requiescere; nonnulli vero credunt illud cor angelicis manibus ibi fuisse delatum, ubi cum magna veneratione in hunc usque diem asservatur. Ex chron. Ordin. minorum.

92 *S. Antonii patavini devotio erga B. Virginem.*

2. *S. Antonius patavinus.* Hic vir sanctimoniae vitae, et miraculorum gloria conspicuus Beatissimae Virgini quam addictus fuerit, hora extrema vitae suae declaravit, dum facta confessione hymnum Virginis, cuius initium est: *O gloriosa Domina*, canere coepit; cuius hymni virtutem alias expertus erat. Cum enim satanas fructus concionum eius invidens nocte quadam in quadragesima sancti viri guttur magna vi compressisset, ut eum suffocaret, ipse Deiparae nomen invocans, et signans se cruce, simul hymnum hunc recitans nequissimum spiritum effugavit. Surius in eius vita die 13 iunii.

93 *S. Bonaventurae devotio erga B. Virginem. Eius scripta de B. M. Virgine.*

3. *S. Bonaventura.* Hic eximia tum scientia, tum in Deiparam pietate illustris fuit; summamque eius erga B. Virginem observantiam, et amorem declarant lucidissima scripta, quae de B. Virgine edidit. Praeterea quae de ipsa in praeclarissimis suis commentariis in Magistrum sententiarum scripsit, pleraque alia opuscula, praesertim speculum B. M. Virginis composuit, in quibus sanctissimae Virginis praeconia non minus pie, quam erudite est prosecutus. Per multos item rythmos omni dulcedine ac suavitate plenos in honorem B. Virginis edidit. Psalterium quoque davidicum ad eius honorem applicavit, et accommodavit.

Eo auctore primo in capitulo generali totius Ordinis franciscani, cuius ipse minister generalis erat, constitutum fuit, ut a festo nativitatis usque ad octavam Epiphaniae in officio divino caneretur ille versus *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine.* Quem postea aliae ecclesiae usurpare coeperunt.

Idem piissimus Dei Genitricis cultor instituit, ut post completorium, signo campanae audito, omnes Ordinis sui fratres angelica salutatione B. Virginem salutarent, quod creditum sit eam cum illa ab angelo salutatam fuisse. Quem pium orandi ritum universa Ecclesia avide arripuit, et observat usque in praesentem diem. Vide Surium in eius vita die 14 iulii.

Quam impense hic lucidissimus doctor Deiparentem amaverit et coluerit, clare testatur eius epistola, quam vocat 25 Memorabilium, ubi quaedam ad pie vivendum tradens sic loquitur: *Ut gloriosam Reginam, Domini nostri Matrem benedictam in summo habeas honore, et ut in cunctis tuis necessitatibus, tanquam ad refugium tutissimum te convertas, illam in tuam assumens advocatam, devotissime ac secure tuam ei causam committes, quia Mater est misericordiae. Quotidie stude ei specialem reverentiam exhibere, et ut tua devotio sit ei grata, eius puritatem mente et animo in te servando, toto conatu nitere, humilitate et mansuetudine eius vestigia imitare.*

94 *Apologia pro s. Bonaventura.*

Cogita quo amore hic sanctus erga B. Virginem ardebat, qui ei tot obsequia detulit, tot et tanta in ipsius honorem scripta edidit, tam honorifice de ea locutus est; et cognosce, quam stulte, quam temerarie, quam impie nonnulli nugatores tantum doctorem taxare ausi sunt, quasi ille minus sincere Virginem coluerit, cum opinionem conceptionis immaculatae contrariam in 3 sententiarum defenderit. Narrabo ad confusionem nugigerulorum, et honorem servi Dei, eiusque gloriosae Genitricis Mariae. Non opinionem defendo, sed blasphemiam taxo.

Dormisecurae liber. Fabula blasphema in S. Bonaventuram.

Volat per mundum liber, qui appellatur *Dormisecurae* in quo haec nugae impressae leguntur. Parisiis quidam frater Ordinis minorum Virgini Deiparae apprime studiosus, et benevolus, nocte profunda precibus, ac orationi vacabat. Tum inter orandum super altare B. Virginis mussitantis muscae dissonum bombum audire incipit. Stupefactus, adhibita adiuratione, per Deum percunctatur, ut quisnam esset sibi ediceret. Tunc ille: Ego, inquit, sum Bonaventura. Frater vero: O eximie, et sapientissime magister, edissere si iuvat, quid bombus iste a me toties exauditus portendit? Cui Bonaventura: Quia doctrinam illam quae tradit B. Virginem in originali conceptam sustinui et serio defendi, ea propter super hoc B. Virginis altari purgatorii angores sustinere, ac tolerare cogor: et inde paulo post ubi huius delicti poenas luero, ad coelum evectus evolabo. O commenta temeraria, stulta, flammis infernalibus digna! Certe illo tempore usque ad annum 1622 eam sententiam publice docere, et tradere nullum delictum erat. Cur ergo sancto isti doctori poena purgatorii per istos stupidos infligitur, qui ob suam doctrinam nullam unquam poenam meruit? Immo et hodie si quis assereret eos qui opinionem conceptioni immaculatae contrariam tenent, peccare, ipse peccaret, utpote temerarius et excommunicatus per bullas Xysti IV, Pii V, Pauli V, Gregorii XV, cum iste articulus a Sede apostolica nondum fuerit definitus. Invitus ista memoro, sed iustum dolorem compescere non valeo cernens tantos sanctos, tamque eximios Dei Parentis cultores indigne tractari et lacerari. Scilicet, non poterant aliter amorem suum erga B. Virginem testatum facere, nisi fidelissimis eius servis, et ferventissimis cultoribus s. Bernardo, s. Thomae, s. Bonaventurae, et aliis bellum intulissent; sed valeant isti tam importuni zelatores. *Taxatur.*

95 *S. Bernardini devotio erga B. Virginem.*

4. *S. Bernardinus senensis.* Hic divini verbi praeco celeberrimus pietatis erga Sanctissimum Nomen Iesu apud populum excitandae studiosissimus, B. Virgini ultra quam dici potest addictissimus nondum ex ephoebis excesserat, cum imaginem Virginis supra civitatis senensis portam, quam *Camollian* appellant, elegantissime depictam visitabat, ac flexis nudis genibus preces Virgini offerebat, in ea spes suas collocabat, eam amicam suam vocabat. Qua appellatione, quemadmodum diu consobrinam suam sanctissimam feminam (cum ei diceret se pulcherrimam habere amicam, quam nisi quotidie inviseret, dormire nequiret) tenuerit suspensam, et quomodo ipsa timeret ne aliquid mali subesset. Ex vita apud Surium die 20 maii.

Ob amorem tantae Virginis integerrime pudicitia floruit; nunquam verbo vel signo aliud quam purissimam honestatem praetulit; improbos quosdam nefarium quid ab eo desiderantes acriter repressit; feminarum colloquia vitabat.

Post susceptum vero religiosae conversationis habitum, totum se in laudem Deiparentis dedit. Coronam B. V. Mariae quotidie mira cum animi pietate recitabat. De eadem Virgine devotissime, libenter ac ferventer conciones ad populum habebat. Eaque de causa magis a Deipara est cumulatus beneficiis.

Cum corona Deiparentis in usum plurimorum venisset, s. Bernardino quotidie eam ob devotionem Virginis peroranti ipsa B. Virgo apparens dixit: Bernardine, devote mi famule, multum mihi complacui in tua devotione. Ecce quia me hac corona quotidie honorasti, impetravi a Filio meo tibi gratiam praedicandi et miracula faciendi: et tandem scias te in coelo mecum sine fine laetaturum, eorum gaudiorum quae quotidie recolis, participem futurum. Et sic ab illo tempore s. Bernardinus coepit miraculis clarescere, et magnis gratiis abundare. Pelbartus in Stellario lib. 2, p. 2, a. 3.

Cum Aquilae in Italia concionaretur, et verba illa ex Apoc. 12: *Signum magnum apparuit in coelo*, in honorem Virginis explicaret, visa est super caput eius stella splendidissima, quae

Digitized by Google

suos radios in faciem eius vibrabat. Quod universus populus stupore plenus aspiciebat.

Senis in patria sua cum concionaretur in die nativitatis B. M. Virginis, haec pro concione dixit: Ego frater Bernardinus semper fui devotus B. Virgini. In die enim nativitatis eius natus sum, eodem primitias celebravi, eodem die cupio ex hac vita exire. Sed Deo aliter disponente, die 20 maii ex hac vita migravit. Auctor vitae eius haec narrabat et scribebat, adiciens: Affirmare possum nunquam me quemquam audivisse de Beatissima hac Virgine devotius, libentius, ferventius concionantem ac Bernardinum.

Quidquid gratiae et charismatum hic sanctus a Deo habuit, id totum per devotam gaudiorum B. V. Mariae recordationem, in quorum honorem quotidie coronam recitabat, se impetrasse testatus est, ut habetur in eius vita.

96 Alexander alumnus ob amorem B. Virginis fit franciscanus.

5. *Alexander de Ales.* Hic doctor irrefragabilis, a nonullis *fons vitae* appellatus, tanto in Deiparam ferebatur affectu, ut constituerit nulli unquam se quidquam negaturum, quod nomine Deiparae peteretur. Quod cum intellexisset quidam franciscanus, videns eum doctorem celeberrimum, cui nullus par in academia parisiensi, ad eum accessit, et per Mariam, inquit ad eum, obsecro te, ut nobis accedas. Is missum a Deo credidit hominem et illico eum sequitur, fitque sancti Francisci alumnus. S. Antoninus 3 p. tit. 24, cap. 8.

97 S. Didacus B. Virgini devotus.

6. *S. Didacus.* Hic unus extitit ex praeclaris Deiparae amantibus, cuius in pervigiliis sabbatisque omnibus panis et aquae ieiunium toleravit, et lampadis oleo, quae in Virginis ara lucebat, quoscumque unxisset, sanabat aegros. Hispali in mulierem incidit, cuius filius in furnum se absconderat, qui a pistore imprudenter accensus non potuit non filio esse funestus. Didacus matri miserae misertus ei mandat, ut mox ad primarium templum sese conferat, suasque suppliciter preces Deiparae ante quamdam eius imaginem, cui *antiquae* cognomen erat, offerat, sitque eam filio suo fore propitiam. Paret illa, et paulo post filium ex furno educit illaesum. Inde imagini isti opera Didaci praecipuus honor est habitus, ubi et plurima Deus Virginis interventu postea patravit miracula. Moreus in chronicis 3 p. l. 5.

98 B. Petrus minorita B. Virgini devotus.

7. *B. Petrus minorita.* Hic cum ob obedientiam compulsus esset consanguineam suam annosam convenire, ut vis in conspectum eius venisset, nihil aliud ei dixit, quam: Regina virginum non me patitur amplius tecum esse, et statim se ab oculis eius proripuit. In quadam supplicatione pro peste avertenda ipse Deiparae imaginem praetulit, et quibus praedixit, vel non aegrotaturos, vel non morituros, verum praedixit. Marcus ulissiponensis in historia franciscana.

99 Ioannes de S. Maria minorita B. Virgini devotus.

8. *Ioannes de Sancta Maria oblatus.* Hic a teneris annis erga B. Virginem admodum propenso fuit animo, eamque frequentius in ea aetate solitus erat salutare salutatione angelica. Quoties aegrum aliquem visitabat, id erat ei solemne, ut super eum orationem dominicam et ave Maria pronuntiaret non sine frequenti miraculosa aegrorum curatione. Quidquid a Deo peteret, id meritis Deiparae obtinere nitebatur, eamque adhibebat apud eum mediatricem, coramque eius imagine ea animi teneritudine et affectu orabat, atque puerulus ab uberibus matris pendens, qui matri adblandiens nihil non ab ea impetrat; quod si blanditiis nihil assequitur, ad lacrimas se vertit, et ita voti fit compos. Claruit spiritu prophetiae in vita, et in morte miraculis illustris. Antonius de Balingham ex chronico minorum die 2 februarii.

100 S. Felicis capuccini devotio erga B. Virginem.

9. *S. Felix capuccinus.* Hic B. Virginis cultor egregius cum mendicaret victum fratribus, perpetuo rosarium manu tenebat. Vigiliis festorum Virginis aqua et pane ieiunabat. Ieiunabat autem B. M. Virginis quadragesimam imitatione sancti Francisci ab octava apostolorum Petri et Pauli usque ad festum assumptionis. Eius festa magno animi ausu et devotione celebrabat, et in eorum honorem spirituales cantiones componebat. Dici nequit quanta honore prosequeretur virgineum eius partum, et quanta animi praeparatione ad eum celebrandum se disponeret, et ad idem saeculares induceret.

Solitus erat in choro erigere Christo praesepe, vile quidem, at pietatem spirans. Neque aberat B. Virgo et s. Ioseph, bos, asinus, pastores, angeli, oves. Ipse coram eo genibus nixus, et orans totus resolvebatur in lacrimas. Frequenter dum rosarium recitaret, cogebatur illud interrumpere ob amoris vehementis, quo in Virginem ferebatur, excessum. Quodam die, dum meditaretur immensum amorem, quo Deus homo factus habitarat in hominibus, tanto arsit amoris incendio, ut amplius ferre non valens ad princeps altare accurrerit, et a Virgine dari Filium suum postularit ad mitigandum mentis ardorem se desiderium quo vehementius flagrabat. Nec frustra; apparuit enim B. Virgo, eique tradidit puerum Iesum. Quo obtento quantam vim solatiorum coelestium senserit, difficile est enarrare. Illud constat prae amoris dulcedine uberrime flevisse. Sub finem vitae ei Deipara apparuit eum ad coelestem gloriam invitans. Ex ipsius vita apud Balinghem die 18 maii.

10. *B. Dominicus a Leonissa.* Huic morituro Deipara apparuit, et a caterva daemonum eripuit. Vivens et mortuus miraculis claruit. Marcus ulissiponensis in chronico s. Francisci. 101

102 B. Petrum B. Virgo de beatitudine sua certiorem facit.

11. *S. Petrus ab Alcantara.* Huic sub mortem apparuere Beata Virgo Maria et d. Ioannes evangelista, erga quos studiosissimus erat, a quibus de beatitudine sua proxima certior factus ex ingenti animi gaudio coepit canere: *Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Balinghem ex chronico minorum die 18 octobris.

103 B. Iacobus picenus B. Virginis studiosissimus.

12. *B. Iacobus Picenus.* Huic ferventissimo Virginis cultori cum ob varios labores, maxime concionum, fracta esset vena, ut iam totos novem annos sanguinis stillicidium passus esset cum febri phthisia, in sacra aede lauretana ubi se contulerat, sacram hostiam litanti, et sanitatem corporis deprecanti statim a consecratione Virgo apparuit, et ut aliquid aliud per illam a Filio postularet monuit. Iamque fluxum sanguinis stagnatum et febrem depulsam esse scivit. Aliquot annis tentationibus gravissimis agitatus, cum sibi casum metueret, Divae lauretanae templum petiit, ubi Corpore et Sanguine Christi consecrato, virginem Primicariam summo affectu, ut eas tentationes repelleret, interpellavit. Nec frustra; apparuit enim ei B. V. Maria, et brevi se ab ea molestia liberandum edixit.

Hunc cum nefarius quidam Matelicas in Piceno, quod se ab eo notatum inter concionandum existimaret, (dixerat enim vir sanctus summa animi contentione in libidinem praeposteram) statuisset occidere, contulit se extra pomarium civitatis ad quamdam Dei Matris ecclesiolam, qua Iacobus die sequenti erat transiturus. Ibi imago Deiparentis depicta quasi viveret, vultu ad iram efformato, nefarium hominem aspiciens, horribilibus verbis ita eum terruit, ut in terram corruerit, tamdiuper prostratus iaceret, donec Iacobus praeteriret, vicini accurrerent, aliqui in proximum xenodochium deferrent, ubi postquam tribus mensibus latuisset, sanus ad Iacobum perrexit, veniam ab eo petiit, et deinceps caste vixit. Idem Iacobus invocato Iesu et Mariae nomine daemones pellebat. Aliquando cum Romae de Verbo incarnato in cubiculo cardinalis savonensis dissereret, imago Deiparae caput inclinavit, quasi quae ille dixisset, approbaret. Tandem in invocatione nominis Iesu et Mariae spiritum Deo reddidit in vita et a morte miraculis clarus. Marcus ulissiponensis lib. 6, p 3 hist. minorum.

104 B. Salvator ab Horta per Ave Maria surdos et mutos sanat.

13. *B. Salvator ab Horta.* Hic surdos et mutos curabat, praecipiendo iis, ut recitarent *Ave Maria*, solvebaturque vinculum linguae, et eam salutationem proferebant. Frequentes ei sermones cum Christo crucifixo, (qui et vicissim ei loquebatur) cum B. Virgine, et d. Paulo, quos impense amabat. Puellam quamdam quartana laborantem, imposito super caput eius rosario suo, et recitata salutatione angelica, perfecte curavit. Ex chr. sancti Francisci.

14. *F. Moricus laicus.* Hic licet sancte vixisset, tamen sub finem vitae videbatur sibi damnatus, immo se damnatum clamabat; quo clamore exciti convenere fratres, cohortantes eum ut respiraret consideratione misericordiae Dei, et meritorum passionis Christi, et Deiparae Mariae Virginis, sicque tranquillior factus est. Paulo post inclamat nomen Iesu. Quod audientes religiosi, qui cum eo remanserant, petierunt ab eo cur ita exclamasset, et post clamorem conticuisset. Ad quae ille: Cum, inquit, clamarem, videbar mihi esse coram divino tribunali, et quamquam non essem mihi ullius peccati conscius, tamen quia ibi omnia tam exacte discutiuntur, videbar mihi damnandus. Quae dum fierent, apparuit mihi Beata Virgo Maria monens me, ut in satisfactionem delictorum centies pronuntiarem nomen Iesu, hoc modo me salvandum, idque erat quod modo canebam. Ex chron. minorum t. 4, lib. 10. 105

Moribundus B. Virgo solatur.

15. *B. Gabriel anconitanus.* Hunc frequentissime visitavit Deipara, cuius erat perstudiosus. Nullum huic exercitium, nulla occupatio sapiebat magis, quam meditari, loqui, praedicare san- 106

ctitatem Reginae angelorum, cuius etiam meritis et precibus plura exoravit a Deo. Miraculis claruit vivus et mortuus. Ex chronico minorum lib. 4, c. 22.

107 Petri Nicolai affectus erga B. Virginem. 16. *F. Petrus Nicolaus.* Hic singulari amore B. M. Virginem complectebatur, eius imagines magno numero pingebat, quibus, ut et alia antepictis, subiiciebat hanc precatiunculam:

Ave filia Dei Patris,
Ave Mater Dei Filii,
Ave sponsa Spiritus sancti,
Ave templum totius Trinitatis.

Novitios cohortabatur ad cultum Virginis, negans eum posse tristem exitum habere in Religione, qui ei addictus esset. Ferunt iconem B. Virginis bis ei locutam. Fertur etiam eandem Deiparam ei dedisse complexandum et osculandum Filium suum. Eadem multis stipata angelis visa est stare super concionantis caput maximo micans lumine. Plurimis fulsit miraculis, et pro impetranda eius canonizatione scripsit ad Xystum V Philippus II Hispaniarum rex. Ex chr. Ordinis t. 4, lib. 8.

108 Angelus de Paz B. Virginis cultor singularis. 17. *P. Angelus de Paz.* Hic singulariter Deiparam colebat, aiebatque per eam fluere omnia Dei dona, sicut per collum cibi omnes qui in stomachum deferuntur. Cum ei Xystus V iussisset, ut scriberet commentarium in quatuor evangelistas, apparuit ei B. M. Virgo cohortans eum, ut ei commentationi initium daret. Chronica Ordinis t. 4, lib. 10.

109 F. Paschalis minoritae affectus erga B. Virginem. 18. *F. Paschalis.* Hic singulari affectu complectebatur B. M. Virginem, eiusque rosarium semper manibus tenebat; si manus erant occupatae, illud appendebat ad collum. Itaque nolebat ullo unquam tempore carere hoc sui affectus in Deiparam pignore, et moriens tandem cum eo mortuus est. Quoties nomen eius audiebat, ad terram usque sese demittebat, et ita suo exemplo alios invitabat ad idem. Valde afficiebatur erga eius immaculatam conceptionem, eoque festo incedebat per monasterium totus igneus, et quasi extra se positus. Singulare ei gaudium erat, si habitaret in conventu dicato memoriae B. M. Virginis, summa eius erat voluptas loqui de rosario, eius indulgentiis, etc. Ex chronico minorum Balinghem die 17 maii.

110 19. *F. Gregorius albanensis.* Hic cum in vehementi pluvia careret pallio quo se tegeret, coronam Beatae Virginis Mariae recitans pervenit ad monasterium plane siccus. Ex chron. Ordinis lib. 8.

111 A daemone caesum B. Virgo sanat. 20. *F. Petrus Briete.* Hic cum coram altare B. V. Mariae preces funderet, tribus consequenter noctibus immaniter a daemone est caesus, quem cum semianimem reliquisset, apparuit ei Deipara eiusque vulnera sanavit, magnoque gaudio eum perfudit, quod tam generose hostem vicisset. Ad eundem solandum venit eadem Deipara angelicis stipata choris, cum iam animam ageret. Chr. Ordinis t. 3, lib. 6.

112 21. *F. Ioannes Becanus.* Hic ex franciscano cantuariensis archiepiscopus omnes et exemplo et doctrina ad cultum B. Virginis provocabat, et ut quadraginta dies ante eius assumptionem ieiunarent; nam id ieiunium vehementer commendabat. Ex ms. vstic. Balinghem die 15 augusti.

113 22. *Iacobus Blasaeus episcopus audomarensis.* Hic in honorem Virginis instituit hortum, id est congregationem quandam puellarum, et magna ex parte dotavit, annuo ei assignato proventu circiter bis mille quadringentorum florenorum. Hic plus quinquaginta puellae pauperes aluntur gratis, et docentur, primum quidem quae ad fidem et Dei cultum spectant, tum varia ministeria puellis apta, coquere cibos, suere, nere, et cetera. Sed et ad externas puellas sese profert huius loci magistrarum industria, quae docent legere, scribere, aliaque illi sexui propria exercitia, idque bis in die et gratis. Earum numerus est circiter 150. Dominicis porro diebus accedunt ancillae, aliaeque quibus feriatis minus vacat, quae praeter capita fidei christianae docentur etiam legere et characteres formare. Ut autem aliqua in hunc Virginis hortum admittatur, oportet sit vere pauper, egeat instructione et doctrina, legitimis natalibus orta, et ex dioecesi audomarensi. Balinghem die 21 martii.

Plures alios Deiparentis cultores vide in chronicis minorum noviter editis.

EX ORDINE AUGUSTINIANORUM

114 Augustiniani Ordinis initia. Hic praeclarus Ordo ab ipsomet haereticorum malleo d. Augustino doctore post suam conversionem fundatus fuit anno Domini 394, et post africanas ruinas a Wandalis factas a quodam sanctissimo Guilielmo Aquitaniae duce, facto huius Ordinis eremita, in Gallia fuit reparatus anno Domini 1157. Unde fratres guilielmitae multo tempore fuerunt vocati.

Postmodum per quendam Ioannem Bonum in tota Italia, ac praecipue in Lombardia fuit reformatus, et ab Alexandro IV summo pontifice, sub uno nomine eodemque habitu ac s. Augustini, ac eremitano instituto et regula coadunatus, sicut huc usque iam perseverat. Multos hic Ordo habuit insignes Divae Deiparentis cultores, qui possunt legi in chronicis ipsius Ordinis. Insigniores dabo. Augustiniani B. Virginis cultores praecipui recensentur.

1. *S. Nicolaus tolentinas.* Hic singulariter Virginem coluit. 115 S. Nicolaus tolentinas B. Virgini devotus.
In eius enim honorem (praeter ieiunium feriae 4, et 6) sabbato in pane et aqua ieiunabat, ac in praemium tantae devotionis moriturus vidit Iesum Christum Matri suae et s. Augustino innitentem, eique dicentem: Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui. Surius in eius vita die 10 septembris.

2. *S. Herthinodus gothus.* Hic cum a Deo petiisset videre ad quam gloriam Deipara hodie in coelum esset evecta, id ei oranti ostensum est, atque sic acerbitatem doloris quem ante hauserat ex visione Christi in eo plane statu, quo fuerat in cruce suffixus, temperavit. Iosephus Pamph. in chron. Ord. eremitarum. 116

3. *Alexander Oliva cardinalis.* Hic ab ipsa pueritia a Beata Virgine in servum ac clientem fuit electus. Trimulus cum in fontem cecidisset, et exanimis inde eductus esset, mater eius ad Virginem, eius templum ingressa se convertit, nec frustra eius opem implorat; nam repente visus est moveri ac matrem appellare. Quare attoniti qui aderant, puerum triennem ad templum deducunt, offeruntque altari. Hic sacrarium ingressus, forte dalmaticam vidit vestem, in cuius limbo imago erat Virginis auro intertexta. Conversus ad matrem puer, dalmaticamque complexus, et imaginem digito ostendens: Mater, inquit, o mater, haec mihi manum porrexit in fonte, nec aliquanto spatio potuit adduci, ut inde discederet. Sacellum in fonte Virginis aedificatum est in miraculi monumentum. Eum quintum agentem annum Ordini d. Augustini (cuius templum insignitum erat nomine B. M. Virginis) tradiderunt dedicantes illi a qua servatus erat. Idem templo Deiparae in Saxo-ferrato civitate sua, cui se dicaverat, aedes fructuarias emit. Romae aureos nummos circiter ducentos, ac calices argenteos, libros missales, vestes sacras, paramenta altarium, tectoria parietum largitus est. Qualibet hebdomada templa S. Mariae maioris et populi frequentabat. Aeger et mente captus, nihilominus semper Beatam Virginem Mariam habuit in ore, illam sibi noctu, et interdiu adstare dictitans. Interrogatus num mori timeret: Quomodo, inquit, ego timeam qui ad nuptias eo? Idque saepe repetere auditus est, ire se ad nuptias. Ex chron. Ord. eremitarum Balinghem die 1 augusti. 117

4. *S. Thomas a Villanova archiepiscopus valentinus.* Hic cum valde affligeretur ob munus episcopale, timeretque, ut aiebat, ne excluderetur a numero beatorum, quia fuisset de numero praelatorum, coram effigie Christi prostratus coepit lugere sortem suam. Cum autem preces suas continuaret, (erat ia dies sacer B. V. Mariae purificatae) audivit hanc vocem ab ipsa statua profectam: Æquo animo esto, in die nativitatis Matris meae venies ad me. Ceterum os Crucifixi loquentis, quod ante clausum fuerat, deinceps apertum mansit, et ita visitur hodie dentibus tam perfecte apparentibus, ut optimi sculptores negent ullo artificio simile quid fieri posse. 118

Hunc in beatorum numerum retulit Paulus V anno Domini 1618, facta potestate eum celebrandi syneremitis augustinianis hoc die, idque dumtaxat per regna Castellae, Aragoniae, Valentiae et Cataloniae. Gregorius vero XV id permisit omnibus eiusdem Ordinis, ubi versentur, etiam in India. Funeratus est Valentiae in monasterio s. Augustini, quod appellant *Virginis opitulatricis*. Eius funus octo millia et quingenti pauperes patris sui mortem lugentes prosecuti sunt; erat enim pauperum amantissimus, unde et eleemosynarii cognomen accepit. Nicolaus Baxius in eius vita.

EX ORDINE CARMELITARUM

Hic celeberrimus Ordo ab initio sui instituti Deiparam Virginem, sub cuius titulo militat, semper impense coluit, et multos alumnos egregios Virginis cultores produxit. Nonnullos magis celebres dabo. 119

120 1. *S. Albertus carmelitani Ordinis decus.* Hic Deiparae ope in lucem editus, eius favore Ordinem illi peculiariter consecratum ingressus, ac precibus, ieiuniis, aliisque pietatis operibus impense addictus ad magnam pervenit sanctitatem. In miraculis quae edebat, ad Christi nomen Sanctissimae Virginis merita pie invocare solebat. Morti proximus cum B. V. Maria dulciter colloquebatur, et bis salutatione angelica cum aliis precibus recitata, sublatis in coelum oculis, animam Deo ac eius Genitrici commendans, eorumque opem implorans illis verbis: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, obdormivit in Domino.

121 2. *S. Andreas episcopus fesulanus.* Hic ope Deiparentis ex sterilibus parentibus natus, eidem Virgini impense addictus Ordinem ei dicatum istravit. In qua magnis religiosae humilitatis, obedientiae, mortificationis, silentii, orationis, aliarumque virtutum meritis coruscans B. Virgini tam carus extitit, ut sacerdotii sui primitias Deo offerens a Beatissima Virgine angelorum coetu stipata sibi apparente audire meruerit: *Servus meus es tu, quia ego elegi te, et in te gloriabor.* Surius in vita eius die 6 ianuarii.

122 3. *S. Angelus martyr.* Huius parentibus recens ex iudaica perfidia ad Christi fidem Deiparentis ope ac revelatione conversis ab eadem Deipara in praemium conversionis promittitur gemella proles mascula, praedicitque alterum nomine Ioannem fore patriarcham Ierosolymorum, alterum Angelum nomine martyrii laurea donandum. Quod et contigit; nam Panormi in Sicilia a Berengario comite, qui ab eo de incestu reprehendebatur, occisus est. Ex ms. vatican. Balinghem die 5 maii.

123 4. *B. Simon Stok.* Hic Deiparae Virgini singulariter fuit addictus ac miraculorum operationis prodigiosus, et ab eadem Deipara donatus scapulari, tanquam tessera amoris sui in totum Ordinem. De quo plura diximus superius, cum de confraternitate scapularis B. M. Virginis de monte Carmelo ageremus.

124 5. *F. Franciscus a Iesu.* Hic tanto amore erga B. Virginem ardebat, ut aliquot diebus ante Christi nativitatem adhuc saecularis pauperibus convivium parare soleret, quo eos excipiebat ipso die nativitatis Domini, dummodo per syngrapham constaret eos illo festo peccata confessione expiasse. Et quia valde fidebat Infantulo, qui nasciturus erat, providentiae, illum simplicitate quadam illi non ingrata sic compellabat: Domine mi, nobis instruendum est convivium militibus tuis, (sic enim egenos vocabat) sed te fidemque tuam, et tua promissa, cum aliud nihil habeam pro expensis necessariis, oppignorabo, omniaque nomine tuo fient; quare tibi de solutione expensarum cogitandum, mihi tantum incumbit pendere quae a te subministrabuntur. Interim sese insuper commendabat liberalitati piorum, quae, corda permovente Virginis Filio, tanta erat, ut nonnunquam mille supra ducentos pauperes laute exciperet. Eos omnes hortabatur ad laudandum Deiparae Natum, cuius munificentia iis de cibo provisum erat. Ex ipsius vita Balinghem die 22 decembris.

EX ORDINE SERVITARUM

125 Servitae suo nomini responderunt: et sicut ab initio servi B. V. Mariae appellati sunt, ita deinceps servos eiusdem Virginis se praestiterunt, et multos in hoc officio insignes confessores habuerunt, qui Deiparam Virginem velut Reginam confessorum eximio cultu venerati sunt.

1. *S. Philippus Benitius.* Hic ad Ordinem servorum B. V. Mariae ab ipsa vocatus fuit. Cum enim ecclesiam servorum Florentiae, quae Divae annuntiatae dicitur, ex devotione frequentius visitaret, qua die ea verba ex actis Apostolorum: *Philippe accede, et adiunge te ad currum istum*, legebantur, raptus in ecstasim currum aureum, quem ovis et leo trahebant, et in eo Sanctissimam Dei Matrem comitantibus angelis insidentem, nigraque sibi vestimenta porrigentem (quae sunt Ordinis istius) vidit: sequenti nocte ab eadem Dei Matre servos suos adire iubetur, quod fecit, et in Ordinem est admissus. Arcti cum fratres fame conficerentur, postquam ipse ante imaginem Sanctissimae Virginis orasset, ecce duos cophinos candidissimorum panum plenos ad ianuam delatos divinitus reperit. Tanta porro erat opinio sanctitatis eius et fama miraculorum, ut mortuo Clemente IV, nonnulli b. Philippum elegerint in pontificem; qua re cognita fugit, et apud montem Toniatum delituit. F. Archangelus Ianius florentinus in eius vita.

126 2. *B. Franciscus senensis.* Huius mater, antequam illum ederet, videre sibi visa est per nocturnam quietem se lilium parere, ex cuius radice plura oriebantur, et ex iis contextam coronam Deiparae Virginis capiti imponere. Sacro baptismate ablutus infans praeter naturam exultare, oculosque cum ingenti gaudio ad Deiparae imaginem convertere coepit: pueritiam ingressus, quingentis vicibus per diem Beatam Virginem salutabat. Cum multi ad eum iam religiosum illecti fama sanctitatis confluerent, quibusdam illam mulierum frequentiam sinistre interpretantibus, ipsa Sanctissimam Dei Matrem, ut isti malo occurreret, precatus, repente obsurduit, scilicet ne quempiam ad se accedentem audiret; interim magno cum fructu concionabatur. Statim ab obitu eius, ex ore ipsius lilium prodiit. Ex Chron. servitarum.

127 3. *B. Ioachim senensis.* Hic a prima aetate Deiparentem praecipue coluit. Annos tredecim natus ab eadem in somnis admonitus est, ut dictum Ordinem ingrederetur. Dum sacro in die assumptionis ministraret, statim comitiali morbo oppressus corruit; cereus tamen quem ad elevationem Eucharistiae manu tenebat, suspensus in aere divinitus mansit, cunctis stupentibus. Paulus V, cognita eius sanctitate, probatisque miraculis, concessit anno 1609, ut in toto Ordine servorum de eo officium unius confessoris non pontificis celebrari possit. Ex chronic. servitarum.

EX ORDINE MINIMORUM

Haec quoque sacra familia Deiparam Virginem uti Reginam confessorum omnium semper venerata est, multosque sui instituti viros ac mulieres huius Reginae praecipuos cultores dedit.

128 1. *S. Franciscus de Paula.* Hic annos tredecim natus curavit se a parentibus duci Assisium ad visitandum templum Dominae nostrae *de portiuncula*, ubi eam in vitae suae patronam assumpsit. Religionem suam voluit appellari Religionem Iesu et Mariae, et ita vocatur Ordo minimorum a plurimis auctoribus, Volaterrano, Genebrardo, Choppino, et aliis. Idem licet Virginis amantissimus noluit admittere eius iconem ex puro auro, lapillis pretiosissimis collucentem, (pretium erat septemdecim millium aureorum) ei a rege Ludovico XI oblatam, a quo et multis precibus tribus vicibus sollicitatus est, ut eam caperet, quam semper recusavit, dicens sibi satis esse papyraceam, quam apud se haberet, quae aeque ac aurea Dei Genitricem repraesentaret, quod ei satis erat. Verus hic cultor Virginis erat, qui non solum devotione, sed etiam studio paupertatis pauperrimam Virginem coluit. Ex chron. Ord. minimorum.

129 2. *B. Simon de Gorcia.* Hic cum lacte materno pietatem erga Deiparentem hausisse visus est, nam tres dumtaxat annos natus, quando vix verba proferre possunt pueri, quocumque iret, solitus erat voce demissa loqui, et intra dentes nescio quid murmurare. Quod dum a nonnullis attentius observaretur, deprehensum est ab iis eum recitare salutationem angelicam, additis ad eandem nonnullis orationibus iaculatoriis. Paululum grandior factus rosarium in dies singulos recitabat eandem devotionem enixe aliis commendans. Quod quidem efficacius ab eo factum, cum ad virilem aetatem pervenisset; nam eo persuadente non pauci erga B. Virginem magnum affectum prodiderunt; solitusque erat optare se in aetate virili eo esse in Virginem animo, et sensu pietatis, quo fuerat puer.

Dum correctoris officio fungeretur, (ita vocant suos superiores in provincia Aragoniae) singulis monasterii cellis hanc ad Deiparam orationem inscripsit, quae eadem et visitur in aede B. V. Mariae lauretanae aureis exarata characteribus in tabella appensa prope ianuam sacrarii eiusdem aedis.

Ave filia Dei Patris,
Ave Mater Dei Filii,
Ave sponsa Spiritus sancti,
Ave templum totius Trinitatis.

Pater noster, Ave Maria. Ipsemet hanc orationem docebat, quotquot poterat, eamque frequenter ipse usurpabat, qua et videbatur claudere omnes suas preces. Nihil illi frequentius in ore etiam dormienti. Idem ex floribus Deiparae coronas texebat, eique offerebat, addita solemni sibi salutatione *Ave filia Dei Patris*, etc. De illo affirmavit confessarius, nunquam illum in omni vita sua letaliter deliquisse. Tandem in precibus ad Deum et Deiparam, in amplexu Christi crucifixi, flagellum suum ac rosarium manu tenens sancte in Domino quievit. A morte cor-

pus eius gratissimum misit odorem, concurrentibus universis ad eius venerationem, aliis capillos, aliis vestes eius detrahentibus, quas loco reliquiarum asservarent. Ex chron. Ord. minimorum.

130 3. *P. Franciscus Binans.* Hic a teneris annis Deiparam sibi elegerat in patronam, cuius et opem in variis eventibus expertus est singularem. Eius ope servatus est, ne ex Anglia discedens agnosceretur ab exploratoribus, quos regina Elisabetha ad singulos portus collocarat. Eodem in itinere, eadem suffragante, e naufragio liberatus est, mari vehementer intumescente ac ventis pene navim demergentibus, nomen Mariae (ut et nomen Iesu) scalpello sibi sculpserat in corde, non sine acutissimo cruciatu, quem tamen perferebat libenter prae desiderio circumferendi etiam in corpore signum eius rei, quam maxime adamabat. Nunquam, nisi capite detecto Mariae nomen proferebat, addita bene profunda reverentia. Quod et ob eo servatum est in quadam conferentia cum quodam Ministro in Gallia, in qua de honore Deiparae agebatur. In hac minister ob aestum dierum canicularium caput continuo apertum habens cum a p. Francisco audiret nomen Mariae, quasi in contemptum Virginis caput tegebat. Ea enim est haereticorum in Dei Parentem observantia, ut quoquo modo possint, eam inhonorent. Chron. Ord. minimorum.

131 4. *F. Iacobus Barbutus.* E cuius ore tria lilia visa prodire quibus erant inscripta pulcherrimo charactere sanctissima nomina Iesu et Mariae. Hist. Ord. minimorum.

132 5. *P. Gaspar Bons.* Hic Deiparae Virginis studiosissimus ex casu equi graviter saucius, sed gravius ab hoste suo, a quo bipenni fortiter percussus in capite, de vita desperabat, ope Deiparae intra paucos dies convaluit praeter chirurgorum expectationem. Atque dum mereret saeculo, et militarem vitam sequeretur, quo tempore quotidie solitus erat recitare officium Deiparae eiusque percurrere rosarium, licet in castris versaretur, tantum aberat, (quod militibus familiare est) ut sine causa iuraret, quin potius frequentia ei in ore erant ista tria nomina Iesus, Maria, Ioseph, quibus in proferendis immortuus erat, et quorum pronuntiatione singularem quendam gustum ac spiritus dulcedinem percipiebat. Nullam Deiparae imaginem insalutatam praeteribat. Supra omnes autem venerabatur eam quae Valentiae est, et vocatur Domina nostra *derelictorum.* De qua illud mirabile fertur, quod occasione sancti istius viri hic paucis comprehensum non arbitror fore lectori iniucundum. Cum aliquis submergitur, vel cum aliquis circa civitatem trucidatur, audiuntur in armario quo clauditur illa imago, certi ictus. Eadem miraculose prodit locum homicidii, quo loco sit cadaver. Anno Domini 1600 die 28 iunii cum quidam ob homicidium duceretur ad patibulum, in itinere prostravit se in genua coram sacello, in quo eadem imago asservatur, enixe rogans Virginem, ne se extrema illa hora desereret. Mirum! Vix verba finierat, cum ab ea licet concluso armario responsum redditur quinque ictibus, qui ab universo populo auditi sunt. Et cum iterum genu flecteret gratias Deiparae acturus pro signis exauditionis datis, iterato auditi sunt quinque ictus ut prius. Hic beatus vir multis miraculis a morte claruit. Eius corpus anno 1609, die 20 septembris maxima solemnitate elevatum est, et in sacello ei dicato collocatum. Ex chronico Ord. minimorum.

133 6. *F. Sanctus panormitanus.* Hic adolescentiam vix ingressus in honorem Deiparae sabbata ieiunabat. Puerulus quotidie genibus nixus coram Deiparae imagine eius litanias recitabat: quibus postmodum etiam de nomine Iesu adiiciebat, ad quas domesticos omnes invitabat. In omni vita sua Deiparae Virgini addictissimus erat. Sub mortem orationem suam ad eam convertit, ei gratias agens pro variis, quibus ea interveniente a Deo cumulatus fuerat, beneficiis, eique spiritum suum mox exiturum commendans usitata illa Ecclesiae prece: *Maria Mater gratiae, Mater misericordiae, tu nos ab hoste protege et hora mortis suscipe.* Obiit 18 natus annos, de quo dicere licet, quod *consummatus in brevi explevit tempora multa.* Ex chronicis Ord. minimorum Balinghem die 21 iulii.

134 7. *F. Stephanus Iustitius.* Hic Ordinis minimorum oblatus, ut vocant, cum post diuturnum oculorum dolorem omnino eorum usum perdidisset, advertit se variis impatientis animi motibus agitari. Quibus ut obviam iret, Deiparam in singularem advocatam elegit, variis ei devotionis obsequiis exhibitis. Cum excederet abstinentia a victu etiam naturae necessario, ei semel ad mensam accumbenti apparuit Deipara: Cur, inquiens ad eum, singularis es in hac mortificatione et abstinentia a cibis? Cumque responderet se id facere ad subiiciendam spiritui carnem, et ut peccata sua expiaret, denique ad Deo placendum, dixit Deipara: Desine in posterum singularis esse. Satius est ta conformem reteris vitam ducere. Alias e templo egredienti occurrit Deipara, eiusque genis osculum impressit. Prophetiae dono, aliisque claruit: scientiam habuit infusam miraculis clarus. Ex hist. Ord. minimorum Balinghem die 27 septembris.

EX SOCIETATE IESU

Societas Iesu, sicuti nomine Filii V. Mariae insigniri gaudet, ita quoque Sanctissimam Matrem eius peculiari devotione ac pietate veneratur et colit. Multos haec magna Societas, licet ipsa studio humilitatis se minimam appellet, viros doctissimos, sanctissimos, ac B. V. Mariae studiosissimos protulit, et in dies proferre non desinit.

1. *S. Ignatius magnae huius Societatis fundator inclytus, atque parens.* Hic augustissimam coeli Reginam indicibili complectebatur amore. A prima sua conversione Deiparam sibi in patronam delegit. Cum in paterna domo de mutandae vitae ratione deliberasset, noctu, ut solebat, e strato surgens ad imaginem Virginis ferventes per eam preces Christo obtulit, quibus se mundo valedicturum spopondit: quo tempore domus terrae motu contremuit, et cubiculum a fundamentis est concussum, argumento vel preces eius per Virginem oblatas exauditas, vel exterminatum Virginis ope daemonem furoris sui reliquisse vestigia. 135

Novam vitam inchoaturus ad Deiparam Montis serrati peregrinationem suscepit: qua in itinere Deiparae castitatem vovit. Totam noctem annuntiationis B. V. Mariae Manresae in templo Deiparae in oratione consumpsit, ad cuius aram coram eius imagine modo stans, modo in genua procumbens, ex intimis animi visceribus se Virgini commendans, ac superioris aetatis vitia deflens, totum se toto pectore uni Deo, cui in posterum militaret, devovens sub Virginis protectione novam vitam atque militiam auspicatus est.

Postea confessione generali totius anteactae vitae diligenter peracta in Deiparae Virginis templo quod est in Monte-serrato omni fordae libidinis licentia sibi adempta perpetuo castitatis voto se obstrinxit, nominatimque hoc votum Deiparae virginum Reginae, in cuius patrocinio spes suas defixerat, nuncupavit: ex quo tempore omni sensu libidinis caruit. Maffaeus in eius vita, lib. 1, cap. 3. et lib. 3, cap. 8.

Parisiis in Sanctissimae Matris aede quae *Mons martyrum* dicitur, ipso die assumptionis B. M. Virginis eius ope invocata cum sociis votum paupertatis emisit, et Ierosolymam proficiscendi ad proximos in spiritu iuvandos.

Sacerdotio initiatus, antequam primum sacrum faceret, anno integro ad tantum sacrificium se praeparavit, Deiparam obnixe orans, ut eum in numero servorum Filii sui adscribere curaret.

Non minus devotionem eius erga B. Virginem commendat, quod in formula votorum Societatis interseri voluit haec verba: *Coram Sacratissima Virgine Maria.* Quo filios suos edocere voluit, ut sicut vota, ita omnia sua dicta, facta, cogitata B. V. Mariae commendarent. Quo factum est, ut tota Societas Iesu B. Virgini semper esset addictissima.

In votis quoque simplicibus Societatis ex praescripto s. Ignatii Deipara nominatim exprimitur. In exercitiis etiam spiritualibus idem pater filiis suis praescribit, ut tertium colloquium fiat ad Deiparam, quo eos magis excitet ad fiduciam in ipsam.

Ulterius devotionem eius erga Deiparam non obscure indicant ieiunia, et peculiaris devotio diebus sabbati observata.

In omnibus suis deliberationibus B. Virginem tanquam mediatricem apud SS. Trinitatem invocabat, et per eam suas deliberationes Deo offerebat.

In praemium tantae pietatis innumeris beneficiis ac favoribus a B. Virgine fuit cumulatus. Quadam nocte eum ferventius oraret, ipsa Deipara parvulum Iesum in ulnis gestans manifesta luce Ignatio se visendam exhibuit, tantaque laetitia cor ipsius perfudit, ut ex tunc a cunctis voluptatibus carnis abhorrere coeperit; nam ex animo eius Deipara Virgo tunc omnium obscenitatum imagines abstersit.

Manresae in templo fratrum nostrorum in gradibus stans, et horas B. V. Mariae recitans, favore Virginis insignem SS. Trinitatis cognitionem accipere meruit. Plura de eo vide apud An-

Digitized by Google

tonium da Balinghem die 31 iulii. Vide quae superius diximus de eodem sancto disc. CCXL., n. 17. 18.

136 2. *S. Franciscus Xaverius Ioponiorum apostolus innumerabilium miroculorum patrator.* Hic multis erga B. M. Virginem amorem suum et observantiam declaravit. Primus ea sociis in Iaponiam Christi et Mariae nomen et cultum invexit.

Prope Parisios in monte martyrum in B. V. Mariae templo ipso die assumptionis vota nuncupavit cum s. Ignatio et sociis, bonis omnibus renuntiandi, studiis absolutis, Ierosolymamque proficiscendi ob salutem animarum.

In tradendis fidei articulis et decalogi praeceptis hanc fere rationem servabat, ut primo Dei opem invocaret recitata oratione dominica, deinde cum reliquis caneret: Sancta Maria Mater Iesu Christi, impetra nobis a Filio tuo, ut primum eius praeceptum servemus sedulo. Inde salutationem angelicam addebat, eademque ratio in aliis novem praeceptis servabatur. Catechismi autem tradendi finis erat *Salve Regina*, qua omnes B. V. Mariae opem implorabant.

Cum Meliapore in Indis noctu ante eius aram oraret, et a daemonibus acriter verberaretur, Deiparam sui certaminis spectatricem implorabat iis verbis identidem repetitis: *Domina opitulare, Domina mihi non opitulaberis?* In dubiis Deum consulebat ea adhibita deprecatrice. Obsessum a daemone adolescentem, qui linguae usum amiserat, et periculoso morbo laborabat peracto Virginis sacro, excusso daemone, integrae sospitati restituit.

In praemium tantae pietatis ope Virginis, quam impensius colebat, multa pericula praecipue in Iaponia superavit, aliosque eiusdem Genitricis interventu a multis periculis vitae liberavit, ut eius acta testantur.

In suprema aegritudine biduo moribundus voces illas frequenter iterabat: *Iesu fili David miserere mei: Sancta Mater Dei, memento mei.* Lege vitam eius ab Horatio Tursellino conscriptam.

137 3. *B. Consalvus martyrii palma inclytus.* Hic quanto studio Deiparam Virginem prosecutus sit, illud argumento est quod ubi se occasio dabat, libens gaudensque de ea sermonem faciebat.

Quoties imaginem eius intuebatur, demissis modeste oculis, et magna capitis et totius corporis inflexione, flexis etiam nonnunquam genibus, D. Virginem venerabatur.

Cum in horto collegii goani precarios globulos deambulando percurreret, quoties angelicam salutationem inchoabat, toties ante sacram Virginis effigiem, quae in ambulacro eiusdem collegii venerationis ergo exposita erat, genua flectens ante coeli Reginam et Dominam, nocturno praesertim tempore qua minus observari posset, procumbebat.

In India et alibi, si quos barbaros ad Christi fidem convertisset, continuo singulos Deiparae rosariis donabat.

In praemium tantae pietatis erga B. M. Virginem a multis periculis ipsa et eius socii liberati fuerunt, maxime in illa navigatione in Monomotapam Africae regionem suscepta, de qua fuse scribit Godinus in eius vita.

138 4. *B. Stanislaus Kostka polonus.* Hic incredibili erga Deiparam amore atque observantia ferebatur. Puer tredecim annorum Viennam ad seminarium patrum Societatis Iesu studiorum causa missus, in scholis agens semper in manibus rosarium habebat; tempus quod ei a studiis supererat, totum in devotione consumebat. Ægrotanti eum ab angelica manu singulari Dei beneficio, adstante s. Barbara virgine et martyre, quam peculiari affectu colebat, Sacrosancta Eucharistia praebita esset, non ita multo post apparuit ei B. Virgo parvulum Filium in sinu gestans, consolans clientem suum et recreans: at quo uberiore eum suavitate perfunderet, puerum Iesum in lectulo collocavit. Inde aegro non animi solum mirifica allata consolatio est, sed etiam reddita corporis valetudo, et cumulavit coeli Regina beneficium. In digressu enim nominatim eum admonuit, ut in societatem Iesu ingrederetur, in quam multis difficultatibus et laboribus superatis, constantia admirabilis, Romae quo eam ob causam pedes, quamvis tenellus et delicatus, a Vienna per Dillingam se contulit, milliaribus in eo itinere mille et ducentis confectis, demum admissus est. Ibi vero cum reliquis novitiis vivere coepisset, erga Virginem Beatam ita studium pietatemque auxit, atque animum Filii prorsus induit, ut suam matrem appellare eam in omni sermone consueverit, idque tanto cum sensu, adeoque simplici ingenuitate, ut audientibus partem suae suavitatis aspergeret. Cum frequentissime de ea loqueretur, nova semper, et magnificentissima quaedam quibus eam appellaret, excogitabat nomina, et gradus in quibus collocaret, altissimos: apparebatque grave illi esse, quod adaequare sui iudicii praestantiam nequiret verbis, nec celsius quiddam, ubi illam reponeret, inveniret. Ad salutationem angelicam, sacrum rosarium, precesque alias cum psalmis in laudem Virginis consuetas suavissime afficiebatur: cumque, quam liceret, creberrime in iis exequendis occuparetur, observabant patres, id quoque eum praestare cum quadam venustate oris, et gratia plane extraordinaria, ut ei ab plena gratiae Regina, cuius inserviebat laudibus, praeter morem indita videretur.

In praemium tantae pietatis in pervigilio assumptionis B. M. Virginis sacrae Crucifixi imaginis plagas magna cum devotione exosculatus, Virginisque Matris imaginem complexus, altera manu rosarium cum piacularibus granis, altera sacrum cereum sustinens, inter sanctissima Iesu et Mariae ingeminata nomina animam Deo reddidit, et Virginem Deiparam in illa ultima periodo vitae conspicuam habuit. Franciscus Saccus in eius vita.

5. *S. Aloysius Gonzaga.* Hic Virginis beneficio in lucem editus miro devotionis affectu eam semper coluit. Cum de ea loquebatur seu cogitabat, immo vel eius nomen audiebat, spirituali quodam devotionis sensu totus commovebatur, et colliquescebat. Vix decem annos natus virginitatem Deo in honorem Virginis vovit, cuius ope ac praesidio non solum virginitatem perpetuo integram servavit, verum etiam nullis carnis stimulis unquam commotus, nullis turpium rerum imaginibus perturbatus fuit, quemadmodum testati sunt, qui eius confessiones audierunt. 139

Speciali favore a Diva Virgine sibi alloquente Societatem Iesu ingressus brevi tempore multa sanctitatis specimina dedit. Singulis etiam diebus sabbati in honorem Virginis ieiunavit. Demum consummatus in brevi explevit tempora multa. Pluribus enim meritis atque virtutibus ornatus anno aetatis suae vicesimo quarto Romae anno Domini 1591, die 21 iunii sanctissime obiit, quem multis miraculis Deus clarum reddere dignatus est. Virgilius Ceparius in eius vita.

6. *S. Franciscus Borgia.* Hic ab Urbano VIII in catalogum beatorum relatus, et B. M. Virginis servitio impense addictus fuit, cupiebatque, ut omnes eam in patronam sibi adsciscerent: ominabaturque aliquid sinistri eventurum iis, qui patrocinio ipsius se non commendassent. 140

Deiparae imagines ad exemplar eius, quae a s. Luca depicta Romae in S. Maria maiore servatur, plurimas depingi curavit, quas viris principibus, et primariis permultis, ac collegiis Societatis Iesu distribuit, quibus multis in locis amorem ac pietatem in Virginem mirifice auxit. Haec omnia testatur Ribadeneyra in vita ipsius lib. 4, cap. 4.

7. *P. Martinus Gutierez.* Hic singulari affectu B. Virginem semper colebat, a qua et insignibus affectus erat beneficiis, et plurimis revelationibus illustratus. Inter ceteras gravissimi auctores referunt, vidisse illum aliquando Deiparam sub veste sua in magnam latitudinem expansa Societatem Iesu universam continentem, illosque alumnos tanquam filios sub amplissimo sui pallii tegmine circumplectentem, eosque materno affectu foventem. Quam visionem litteris mandavit p. Hieronymus Platus lib. 1 de bono status religiosi, c. 34. 141

8. *P. Baltasar Alvarez.* Hic ab ipso tyrocinio singulari devotione Deiparae Virgini fuit addictus, cuius officium, aliasque preces in ipsius honorem editas crebro magna cum attentione, et spirituali consolatione recitabat. Imaginem B. Virginis in signum magni affectus tanquam scutum contra quasvis tentationes continuo gestabat. Festa Sanctissimae Virginis singulariter colebat, et ferventi oratione se ad ea praeparabat. Et non tantum ipse id faciebat; sed ut ceteri idem facerent, laborabat. Auctor fuit patri Suarez, nobili suae Societatis theologo, ut quaestionem illam de excessu gratiae, qua B. Virgo ornata fuit super omnes angelos et homines collective sumptos fusius tractaret: quod et re ipsa praestitit. Vide eum tom. 2, in 3 p. d. Thomae, disp. 18, sect. 9. 142

In praemium tanti affectus singulares visitationes et favores a Beata Virgine percepit. Lauretum cum iret, a Deipara Virgine singularia dona accepit: inter cetera ab ea edoctus fuit in iis quae ad eius salutem et perfectionem plurimum faciebant. Inter haec specialiter devotionem erga s. Ioseph sponsum suum B. Virgo ei commendavit. Balinghem ex eius vita die 25 iulii.

9. *P. Petrus Canisius.* Quanto hic esset, et quam incenso af- 143

Digitized by Google

fectu erga Deiparam Virginem luculenter ostendit Mariale ipsius, insigne opus, in quo dulci, erudito ac eleganti stylo de B. V. Maria scribit, eiusque honorem contra haereticos strenue tuetur.

144 10. *P. Franciscus Toletus cardinalis.* Hic Deiparae studiosissimus multa suae pietatis erga eam argumenta dedit. Ieiunio quadraginta dierum festum assumptionis eius praeveniebat. Templum Sanctae Mariae a *palmis* via Appia Romae, quod prae vetustate ruinam minari videbatur, pro sua in Beatam Virginem pietate reficere coeperat, sed morte praeventus perficere non potuit. Sanctos Lucam et Ioannem evangelistas praecipuo cultu venerabatur, quorum etiam evangelia doctissimis commentariis illustravit; eo quod ille notarius Virginis, iste vero patronus et custos eiusdem fuerit. Bona omnia, excepta una bibliotheca, basilicae S. Mariae maioris legavit. Aegrotus modo Deum, modo Dei Matrem in auxilium invocans hanc vitam cum meliore commutavit. Michael Vasques Praef. in fol. super Lucam.

145 11. *P. Franciscus Costerus.* Hic multa eaque praeclara studii sui in Beatam Virginem monumenta reliquit, meditationes de vita et laudibus B. Virginis, commentationes in antiphonam *Salve Regina*, in hymnum *Ave Maris stella*, insuper libellum sodalitatis B. M. Virginis, quam sodalitatem in rhenana et in belgicis provinciis instituit. Nihil illi gratius accidebat, quam sermo de B. V. Mariae laudibus et miraculis, amabatque tenere quotquot eius amatores reperisset.

In honorem B. M. Virginis illibatum castitatis florem perpetuo servasse dicitur. Nullam imaginem Deiparae Virginis praeteribat, coram qua salutationem angelicam non recitaret.

Magistratui antuerpiensi auctor fuit, ut deturbato immani colosso e domo senatoria, Dei Matris effigiem polycleta manu collocaret. Ex hac pietate in B. Virginem in maximis, ac continuis scribendi, concionandi, provinciam regendi, omni ope proximos iuvandi indefessus mansit usque ad octogesimum octavum aetatis suae annum. Antonius de Balinghem die 6 decembris.

146 12. *P. Gaspar Garzeus.* Hic ardentissime Deiparam Virginem affectu prosequens, adolescentem quemdam ad extrema tendentem, sacro de D. M. Virgine facto, incolumitati restituit, et lumen alteri oculo, qui iam pene excavatus putruerat, reddidit. Idem nequidquam frementibus Saracenis crucem bene magnam in vertice cuiusdam eorum mesquitae (ita vocant suas sacras aedes) fixit, contra quem ne mutire quidem ausi sunt, immo eam aedem Gaspari reliquere, qui expiatam Virgini Mariae victrici a *monte* cognominatae dedicavit, et pium hominem poenitentiam agentem ibi collocavit.

Plures alios huius instituti viros piissimos, ac doctissimos, D. Virginis cultores eximios, ut Iacobum Laynes, Alphonsum Salmeronem, Antonium Madridium, Ioannem a Campis, Ignatium Martinez, Thomam Saculium, Petrum Anascum, Petrum Scargo, Thomam Sanchez, Franciscum Mariam, Bernardinum Realinum, Ioannem Beremanum, Robertum Bellarminum, Franciscum Suares, Iacobum Rhem, Martinum del Rio, Hieronymum Caravallu, Alphonsum Rodriguez, Iacobum Lendesma, Franciscum Turrianum, Oliverium, Edmundum Campianum, Ioannem Nungez, Emmanuelem Fernandes, Claudium Aquavivam, Sebastianum Barradum, Petrum Antonium Spinelli, aliosque innumeros reperies in historiis Societatis Iesu, ut in multis locis sparsim in calendario B. Virginis a p. Antonio de Balinghem nuper edito. Mihi non vacat, tot tantosque in praesenti opere recensere, ne videar extra chorum saltare, pro discursibus praedicabilibus chronica seu historias scribere. Sufficiat haec breviter attigisse.

EX CONGREGATIONE ORATORII

Congregatio Oratorii divinae gloriae propagandae, atque omnium saluti procurandae apprime dedita, religione quoque ac pietate erga Beatissimam Dei Matrem enituit. Huius clarissimae Congregationis fundator et prudentissimus rector fuit

147 1. *S. Philippus Nerius florentinus.* Hic erga Deiparam Virginem eximia fuit pietate, ac in multis rebus egregium erga Virginem studium ac devotionem abunde declaravit.

Congregationi Oratorii a se institutae singulare praesidium et praecipuum aliquod insigne quaerens, huius B. Virginis nomen et imaginem radiis undequaque coruscantem, Filiumque in sinu foventis inscripsit, eandemque postea imaginem in sigillo qua in obsignandis litteris patres Oratorii uterentur, usurpandam censuit, ut Ordo ille clarissimus eius nomine ac patrocinio glorietur.

Ulterius studium suum erga Beatam Virginem declaravit, cum Romae templum sui Ordinis in honorem Deiparae extruxit, in qua omnia eiusdem templi sacella ipsi Deiparae dicata esse voluit, si unum excipias in quo ipsius sanctum corpus requiescit.

Amplius in Deiparae honorem precatiunculas aliquas iaculatorias ad opem eius implorandam recitare iubebat, cuiusmodi est illa quam ipse frequenter usurpabat: *Virgo Maria Dei Genitrix Iesum ora pro me.* Et illa: *Virgo et Mater da mihi, ut semper tui sim memor*; et alias ad varios animi affectus pios excitandos, quorum exempla ad calcem vitae eiusdem italico sermone editae habentur; ex quibus corollas aliquas crebro in Deiparae honorem a suis recitari volebat in hunc modum, ut ad numerum globulorum coronae B. Virginis loco orationis dominicae et salutationis angelicae, quae recitari solent, aliqua ex his precatiunculis identidem repetenda substitueretur.

In praemium tantae pietatis in Virginem multis a Deo interventu eiusdem Virginis auctus est donis. In suo cubiculo (quod post eius obitum in oratorium, ubi sacra fiunt, merito est conversum) a Domino et a B. Virgine saepius meruit visitari; sed peculiariter anno 1594, cum desperata a medicis eius salute, pene moribundus Beatissimam Virginem ad se in lectulo iacentem venire conspexit, atque integram sanitatem recepit. Ipse vero toto corpore nullo fultus adminiculo ad unius circiter cubiti altitudinem sublimis mirandum in modum attollebatur, et Virgini clara voce uberrimis intermixta lacrimis dicebat, audientibus qui aderant, ipsumque ita a cubili sublatum videntibus (inter quos aderat Antonius Gallonius qui haec litteris mandavit): *O carissima mihi Virgo, tu ad me venisti, ut me his doloribus liberares? et quis ego sum qui tua praesentia sim dignus?* et similia verba humilitatis et familiaritatis plenissima.

Alias anno 1572, cum lignum cui tectum aediculae superponebatur, in qua sacra a patribus Oratorii fiebant, altera ex parte totum extra murum, fulciente nemine, staret, vidit nocte Deiparam suis illud manibus sustentantem, ex quo praesentissimam eius opem in tanto discrimine intellexit; statimque a fabris tectum illud, ne sponte corruens aliquem opprimeret, demoliendum curavit. Cum aliquid a Deo enixius consequi vellet, Virginem deprecatricem adhibebat, qua in genere anno 1572, cum Caesar Baronius eiusdem Oratorii sacerdos, vir non minus vitae sanctimonia, quam eruditione clarissimus, qui postea in S. R. E. cardinalium numerum est cooptatus, ei periculosa febri ita laboraret, ut de eo iam conclamatum esset, b. Philippus ad orandum pro eius valetudine se dat, cuius orationis series ipsi Baronio, qui eo tempore somno correptus erat, obiecta est. Videbatur sibi arridere eundem b. Philippum prope Christum stantem et ad Christi dexteram B. Virginem candenti amictu, et beatum virum obnixe Dominum rogantem in haec verba: Caesarem restitue pristinae valetudini; id quod magna fiducia variis identidem repetebat, nec tamen quidquam impetrabat. Quare ad B. Virginem conversus cum ea suppliciter agebat, ut quod ex se consequi non poterat, per eam omnino assequeretur. Cumque Virgo impense orarel Filium, tandem exoravit. Somno deinde aeger expergefactus brevi omni penitus morbo liberatur. Anno 1576 cum quidam assiduis capitis doloribus et febribus vehementer affectus esset, manibus suis capiti eius impositis, in has prorupit voces: Peccata fuge, Sanctissimam Dei Matrem magno pietatis affectu venerare; et confestim melius habere coepit, brevique incolumitati est redditus. Post eius obitum rogatus a nonnullis, ut a Virgine aliquid exoraret, illico fructum precum eius sunt experti. Cum enim quaedam mulier anno 1579 mense octobri fetum mortuum effudisset, obstetricis multis remediis frustra adhibitis, B. Virgini pro puero votum fecit; sed cum non exaudiretur, oravit b. Philippum, ut Beatissimam Virginem ipse rogaret, ut puerum a mortuis excitaret, quo sacro baptismo ablui posset, et aliquot beati viri capillis admotis extemplo baptismatis unda abluitur.

Cuidam puellae gravissime aegrotanti Deipara cum b. Philippo, ad quem puella cum parentibus confugerat, per quietem visa ei dixit, se b. Philippi intercessione morbum depulsuram, atque ita brevi convaluit. Antonius Gallonius in vita b. Philippi.

2. *Caesar Baronius S. R. E. cardinalis.* Hic ex ipsomet matris 148
utero futurae erga Dei Matrem pietatis non obscura dedit signa. Appropinquante eius matre ad Deiparae templum, ipse pariter quasi semet ultro Virgini offerre vellet, inusitato quodam motu

Digitized by Google

extra materna viscera commotus est, ac veluti eum prae gaudio prosilire sensit mater. Unde simul ac illum in lucem edidit, eundem B. Virginis patrocinio obtulit et commendavit, ac meruit, ut cum exacto biennio infantulus de vita periclitaretur, ipsa eidem ad ecclesiam B. Virginis deducto, post triduanas preces, pene mortuo, in cunabilis iacenti sanitatem derepente impetrarit, voce hac ad eam ex improviso delapsa: *Bona sis anima, filius tuus nequaquam morietur.*

Eandem ipse Virginem adultus coluit observantia plane singulari, ac eius se obsequiis totum deditum et consecratum fuisse in ipsis annalibus frequentissime ostendit, et in schedulis, libris, tabulis, imaginibus huiusmodi arbitraria nota quam hic ad marginem vides sexcenties designavit: *Caesar servus Mariae;* et sive recta, sive decusso ordine legas hos characteres, eundem sensum referre videbis.

C | M — S — M | C

Eiusdem Dei Genitricis imaginem depictam assidue in pectore gerebat, ac sub mortem ablatam sibi magna cum animi pietate osculatus est. Tandem die B. V. Mariae sacro, scilicet sabbato, placidissime quievit in Domino anno Domini 1607. Abraham Bzovius in eius vita ad epitomen annalium eiusdem in principio posita.

Habent igitur Religiosi specula quae inspiciunt; habent et hi qui in saeculo vivunt, exemplaria, quae sibi ob oculos proponant. Horum exemplo sacram Deiparentem, Reginam omnium, Dominam universorum propensius ament, ferventius colant, studiosius ei serviant. Exempla tot confessorum, quasi tot sanctitatis, pietatisque ideas sibi ad imitandum assumant; eos nedum in devotione, verum etiam in caritate, humilitate, benignitate, mansuetudine, patientia, ceterisque virtutibus imitari studeant. Verus namque Virginis cultor est non ille, qui solum Mariae nomen saepius nominat, imagines eius gestat et osculatur, templa in eius honorem dicata visitat, laudes et cantica ipsius libenter audit, rosarium, coronam, vel officium recitat, globulos precarios gestat; sed etiam, immo magis verus cultor est, qui Mariae effulgentem fidem, eximiam spem, insignem Dei amorem, raram obedientiam, admirabilem castimoniam, demissam humilitatem, aliasque virtutes aemulari studet, et moribus ac vita sua vitam et mores Mariae in se exprimit. Faxit Deus, ut eam omnes hoc modo diligamus, colamus, veneremur, ei serviamus, ut ipsius gloriae eius interventu participes reddamur. Amen. 140 Cultor verus B. Virginis quis.

REGINA VIRGINUM

Sequuntur virgines, pretiosa Christi monilia, ecclesiastici germinis flos, illustrior portio gregis Christi, decus, atque ornamentum gratiae spiritualis, ut s. Ignatius et s. Cyprianus loquuntur. Harum B. V. Maria Regina dicitur; sed quam congrue, quam apte, videamus.

DISCURSUS CCCC

QUAM CONGRUE QUAM APTE BEATA VIRGO MARIA DICATUR *REGINA VIRGINUM*

1 Nomine regio dignamur eos qui praesunt aliis, et non aequantur eis in auctoritate, dignitate, potentia, opibus, aliisque donis fortunae. Beata Virgo Maria in virginali castitate ac integritate omnibus praeit, nedum hominibus, verum et angelis. Merito igitur Regina omnium virginum dicitur.

2 I. Sanctissima Trinitas prima est virgo. Pater siquidem est ingenitus: Filius a solo Patre sine Matre, sine commistione, sine corruptione ab aeterno genitus: Spiritus sanctus non genitus, sed spiratus.

Sicut enim ventus auram et spiritum spirat non generat, ita Pater cum Filio spirat Spiritum sanctum, non generat. Quocirca recte canit sanctus Gregorius nazianzenus in carmine de virginitate:

Prima Trias virgo est, siquidem Patre natus anarcho
Filius est, nec enim ortum Parens traxit ab ullo.

3 Christus item primus virginitatis dux et magister, qui non modo ex Patre citra congressum ab aeterno est genitus, sed etiam carnem ex Virgine sine virili congressu in tempore assumpsit. Hi omnes sunt virginum Reges: igitur et Beata Virgo Maria est Regina virginum, utpote SS. Trinitatis sponsa, Christi Mater verissima.

4 Est Regina virginum, angelorum videlicet et hominum. Virginitas namque nedum angelis, verum et hominibus communis est, ipsa Veritate attestante Matth. 22, 30: *In resurrectione neque nubent neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in coelo.* Immo virginitas hominum est quoddam exemplar puritatis angelorum. Athanasius in apologia ad Constantinum: *Christus,* inquit, *Dei Filius homo propter nos factus, profligata morte, inter cetera dona sua largitus est nobis in virginitate exemplar angelicae sanctitatis.*

5 II. Deipara autem virginitatis puritate non homines tantum, verum etiam omnes angelos superat. Angelos quidem; nam angeli virginitatem habent solum in spiritu, B. V. Maria in corpore et in spiritu. Secundo virginitas angelis est naturalis, unde nec meritoria: B. Mariae virginitas nedum est naturalis, verum et gratuita, consequenter et meritoria. Tertio angelis virginitas est quasi necessaria, et sine pugna: B. Mariae virginitas est voluntaria et cum victoria.

III. Homines quoque virginitate longe superat; in hominibus siquidem virginitas est cum pugna fomitis, et cum possibilitate cadendi in peccatum: (si demas sanctificatos in utero, et alios speciali privilegio donatos) in B. Virgine virginitas fuit sine pugna fomitis, et sine periculo cadendi in peccatum; immo et sine possibilitate cadendi nedum in mortale, verum et in veniale, quod superius fuse probavimus. Quare quo prae ceteris virginitatem perfectius servavit, eo excellentiorem prae ceteris coronam virginitatis adepta est, ita ut merito dicatur Regina virginum. 6

Pathmaeus vates, Ioannes evangelista, Apocal. 14, 1, 3, 4 Agnum supra montem Sion cum multis asseclis sibi similibus consistentem se vidisse narrans: *Vidi,* ait, *et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, et nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.... Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores, et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit.*

Agnus iste Christus est tum propter innocentiam, tum propter mansuetudinem. Quid enim agno innocentius? quid mitius? et Christo quid innocentius, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius?* 1 Petr. 2, 22; quid mitius? *Descendet sicut pluvia in ore illius,* psalm. 71, 6; et Isai. 42, 4: *Non erit tristis, neque turbulentus.* Nam *cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur* ait d. Petrus apostolus 1 epist. 2, 23. 7

Stat *supra montem Sion*, hoc est supra Ecclesiam cuius est caput, de qua psaltes psalm. 83, 8: *Videbitur Deus deorum in Sion.*

Asseclae eius supra montem stant, hoc est virgines supra castitatem virginalem, quae omnem mundanae fabricae aeque ac virtutis communis altitudinem longe superat. Hinc d. Gregorius nazianzenus loco citato ait, virginitatem tantum praestare coniugio, quantum animus carni, coelum terrae, Deus homini praestat et antecellit. Vel supra montem stant, quia qui virgo esse vult, quasi supra montem altissimum conniti et conscendere debet, ac coelitum, et angelorum vitam aemulari: debet alterum sexum fugere in cellas, claustra, et in montes secedere. 8

Digitized by Google

9 Hi asseclae in magno numero sunt, nimirum centum quadraginta quatuor millia: ubi numerum definitum pro indefinito poni putat Blasius Virgas. Innumerabilis namque hominum utriusque sexus multitudo ab initio nascentis Ecclesiae per tot annorum saecula in omnibus christiani orbis partibus extitit, qui vel in saeculari vita, vel in religioso habitu propter Christum Dominum virginitatem nuptiis praetulerunt; quod ex sanctis patribus et probatis auctoribus accurate et copiose probat Antonius Spinellus tractatu de utriusque sexus sacris virginibus, sect. 1.

10 Hi omnes habent nomen *Agni, et nomen Patris eius scriptum in frontibus suis:* quia Christo et Patri familiares sunt, in eiusque aula et familia quasi primi, et principes. Hinc nomen Dei et titulum eius in fronte praeferunt, cuius puritatem et integritatem pro modulo suo in carne repraesentant.

11 Cantant quasi canticum novum Deum laudantes ob tam novum, tam rarum et insigne donum castitatis. Virginitas quippe est virtus nova et propria novi testamenti, maxime voto firmata, in veteri testamento fere incognita, ut abunde probavimus superius discursu CIX.

Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia: quia alii sancti avidi sunt huius cantici, neque se laurea virginitatis, sed ad illud aspirare non possunt; virginitas enim semel amissa reparari nequit.

12 *Empti sunt de terra:* hoc est prae ceteris hominibus qui sunt in terra, pretio sanguinis Christi hanc corporis et animae puritatem obtinuerunt. Christus enim pro virginibus, quasi gemmis pretiosissimis coemendis, peculiari modo oravit, laboravit, et pretium sanguinis sui Deo Patri obtulit, destinavit et applicavit. Hinc a d. Athanasio libro de virginitate vocatur virginitas *opulentia indeficiens, corona immarcescibilis, templum Dei, domicilium Spiritus sancti, margarita speciosa.* Unde eo loci versu sequenti virgines dicuntur *empti ex hominibus primitiae Deo et Agno.* Sicut enim primi fructus sua novitate sapidissimi et gratissimi sunt, ita et virginitas Deo. Et sicut olim populus Israel prae omnibus gentibus fuit electus, et dilectus a Deo eique oblatus quasi primitiae, ut esset populus primus et sanctus: ita ex omnibus christianis virgines quasi primitiae nobilissimae Deo acceptissimae secernuntur et afferuntur.

13 *Hi*, inquit, *cum mulieribus non sunt coinquinati:* quia propter Christum, superatis propriae carnis tentationibus, coelibem vitam duxerunt, et virginali castimonia fulserunt.

Sequuntur Agnum quocumque ierit, quia Agni sponsae sunt iuxta illud 2 Cor. 11, 2 *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Unde sicut sponsa sponsum, ita virgines comitantur Christum; Christus enim amat virgines, iisque oblectatur uti sponsis.

14 Hunc Agnum, virginum ducem ac Regem proxime sequitur B. V. Maria, utpote Mater eius dulcissima: illam sequuntur virgines aliae iuxta id quod psalmista psal. 44, 15 praedixit: *Adducentur regi virgines post eam.* Vere post eam; nam ipsa principatum sibi vindicat: ipsa Magistra, aliae discipulae: ipsa Domina, aliae ancillae: ipsa Princeps et Regina, aliae servae: ipsa Mater, aliae filiae.

15 Quare sancti patres ad exprimendum hunc Deiparae inter virgines primatum variis epithetis, et quidem appositissimis usi sunt. Sanctus Iacobus in liturgia eam appellat *gloriam virginum.* Sanctus Ambrosius de instit. virgin. cap. 6 *magistram virginitatis*, et lib. 2 *imaginem virginitatis, et speculum castitatis.* Sanctus Epiphanius haeresi 78 *principem virginitatis.* Sanctus Cyrillus alexandrinus homilia 6 contra Nestor. *virginitatis coronam.* Divus Damascenus oratione 1 de nativitate *virginitatis thesaurum.* Sanctus Ildephonsus sermone 1 de assumptione *fastigium omnium virginum*, et ser. 4 *caput virginum*, et ser. 3 *exemplar perfectae virginitatis.* Divus Chrysologus serm. 143 *regiam totius castitatis.* Sanctus Ephrem *coronam virginum sanctarumque omnium.* Idiota cap. 6 contempl. Mariae *virginitatis primipilam.* S. Anselmus de excellentia virg. cap. ult. *matrem virginitatis.* Sanctus Bernardus in serm. super *Signum magnum*, *virginitatis primicerium.* B. Albertus magnus super *Missus est*, cap. 82 *virginum matrem.* S. Bonaventura *florem et decus virginale*, et iterum *virginem signiferum.* Ipsa namque signum virginitatis extulit, et intemeratae virginitatis primo Christo vexillum levavit, et omnes ad cultum virginitatis suo exemplo excitavit, et invitavit, nec non suo patrocinio, meritis ac precibus ad eandem servandam adiuvit. Exemplis res manifestior fiet.

DISCURSUS CCCCI

EXEMPLAR UTRIUSQUE SEXUS VIRGINUM, QUAE STUDIO IMITANDAE DEIPARAE INCONTAMINATUM VIRGINITATIS FLOREM CUSTODIERUNT

1 Sicut in *multitudine populi dignitas regis*, teste rege sapientissimo Prov. 14, 28: ita Reginae virginum dignitas in multitudine sequacium virginum. Infinita propemodum utriusque sexus coelibum virginum multitudo in Christi Ecclesia fuit, quae exemplo Deiparae Virginis spretis carnis illecebris vitam castissimam, sanctissimam, innocentissimamque duxit. Inter viros primus nedum tempore, verum etiam dignitate principem locum tenet

2 1. *S. Ioseph.* Hic sponsus Deiparae Virginis castissimus, utpote tantae Virginis custos integerrimus, de cuius castitate virginali superius multa diximus discursu CXVI, sanctissimus et innocentissimus, nullius mortalis noxae conscius; immo (si vera est sententia Ioannis Gerson in sermone de nativitate B. Mariae Virginis, quem in Concilio constantiensi habuit, et Eckii in sermone de s. Ioseph) in utero matris fuit sanctificatus. Verum haec sententia assertive praedicari non debet, ob reverentiam sancti Thomae, qui 3 p. q. 27, art. 6 id non esse asserendum docet.

3 2. *S. Ioannes Baptista.* Hic cognatus Deiparae in utero matris sanctificatus, a gloriosa Deipara Virgine adhuc in utero matris existens visitatus, in eius domo (ut nonnulli sapientes credunt) virginitate donatus, puritate virginali adeo floruit, ut angelus a Malachia cap. 3 vocetur.

4 3. *Duodenus apostolorum numerus.* Hunc (si Petrum demas, et loco illius Paulum substitues) virginali pudicitia claruisse, auctoritate Tertulliani facile persuaderi potest, qui in libro de monogamia, cap. 8 sic habet: *Petrum solum invenio maritum per socrum: ceteros autem cum maritos non invenio, aut spadones, intelligam necesse est continentes.* In eamdem sententiam s. Hieronymus lib. 1 contra Iovinian. c. 1 ait: *Cum de uno Petro scriptum sit, quod uxorem habuerit, et de ceteris non sit manifeste relatum, intelligere debemus sine uxoribus fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significet.*

5 Thomam apostolum seipsum regni coelestis gratia sponte castrasse, perpetuamque continentiam servasse a s. Epiphanio didicimus, immo ipse se apud Abdiam testatur: *Tu Domine, annuntiasti me tuum esse, propter quod uxorem non accepi, ut tibi totus vacarem, ne templi tui gratiam vel coniugalis usus copula minueret, vel consuetudo deciperet.*

6 *D. Paulus coelebs fuit.* De divi Pauli virginitate nonnulli addubitarunt, depravata quadam d. Ignatii epistola ad Philippenses, et Clementis alexandrini auctoritate, qui levi quadam coniectura motus d. Paulum coniugatum fuisse asseruit. Porro multi illustres patres d. Paulum omnis coniugii expertem coelibem semper mansisse docuerunt. D. Augustinus lib. de viduitate, c. 4, d. Hieronymus lib. adver. Iovinian. s. Epiphanius haeresi 30, Tertullianus de monogamia cap. 3, et 8, s. Ambrosius in epist. primam ad Corint. c. 7, Theodoretus in caput 4 ad Philippenses, d. Chrysostomus lib. de virginitate. Rem plenius et clarius dilucidant cardinalis Baronius ad annum 57, cardinalis Bellarminus 2 controv. generali, lib. 1, c. 20, Serarius opusc. de s. Paulo p. 1, parag. 19; et sequentibus.

7 4. *S. Lucas evangelista.* Hunc sine uxore ad annos 74 vitam produxisse, et virginitatis florem illibatum exemplo Deiparae Virginis perpetuo conservasse s. Hieronymus de viris illustribus prodidit. Et sane decebat eum virginitate nitere. Cum enim ad conscribendum evangelium a Deo esset praeordinatus, et a Deipara Virgine purissima de mysteriis Salvatoris nostri explicandis, conveniens erat, ut ea puritate niteret, quae tantae Virginis discipulum decebat. Quin etiam Deiparae effigiem Christum in sinu foventis pictoriae arte ad fidelium consolationem exprimere dignus fuit. Quae omnia familiarem cum Deipara purorum amantissima conversationem arguunt.

Hos veluti tribunos, praefectos ac magistros sub vexillo Deiparae Virginis militantes secutae sunt innumerabilis virginum utriusque sexus multitudo, quorum nomina recensere humanum excedit ingenium et eloquium. Generatim referam, quae de tanto agmine patres omni exceptione maiores testati sunt.

Et primo quidem loco recensendae videntur virgines illae, quae post adventum Spiritus sancti in die Pentecostes sub institutio-

Digitized by Google

ne Deiparae Ierosolymis vixisse feruntur, quorum meminit Dionysius carthusianus 1, dist. 16, q. 2. Cum enim de sapientia et scientia Deiparae ageret, quae complures, dum inter mortales versaretur, erudivit, haec subiicit: *Quotidie quoque seu tempore opportuno edocuit felicissimum illud collegium centum vigiati virginum eius obsequio atque regimini deputatarum.* Sic ille. In harum numero merito collocanda venit.

8 5. *S. Martha.* Haec virgo Christi Domini hospita, quae cum sorore Maria Magdalena et fratre Lazaro aliisque honestissimis viris atque feminis in navim absque remis et velis imposita, Deo navim gubernante, Marsiliam appulit, ubi summa cum laude pietatis et prudentiae vixit, et miraculi copia migravit ad Dominum, cuius corpus apud Tarasconam in magna veneratione habetur.

Deinde quatuor virgines filiae s. Philippi, qui unus fuit ex septem primis diaconis, quae ut habetur Actor. 21, omnes prophetantes erant. Has virginalis pudicitiae merito donum prophetiae assecutae d. Hieron. epist. 8, et lib. 1 contr. Iovin. ostruit.

9 6. *S. Iphigenia.* Haec auctore s. Matthaeo evangelista in Æthiopia virginitatem professa in monasterio plurimarum virginum mater extitit, quin etiam quod magis admiratione est dignum, cum persecutionis aestus ferveret, huiusmodi virginum collegia extitisse probatissimi auctores probant: verbi gratia: s. Basilissa virgo coniux s. Iuliani martyris virgines plurimas congregavit; et s. Ripsimis virgo et martyr in monasterio sub praefecta Gaiana degebat; et s. Febronia virgo pariter, et martyr Sybapoli in monasterio sub praefecta Brienna.

10 Virginum multitudo quanta in Ecclesia primaeva.

Hos secuta est ingens virginum caterva tempore s. Ignatii martyris, qui apostolis quasi coaevus fuit. Iam collegium virginum et continentium viduarum erat Philippis, quod epist. 5 ad Philippen. scribens sanctus Ignatius salutat: *Salutate congregationem virginum, legionem viduarum.* Baronius tomo 1 annal. ad annum Christi 52 huiusmodi virginum collegia, seu congregationes dicit fuisse eo modo, quo apud nos monasteria. Idem quoque s. Ignatius indicat eas votum virginitatis nuncupasse; nam epist. 9 ad Antiochenses ait: *Virgines agnoscant cui seipsas consecrarunt.*

11 S. Iustinus philosophus et martyr, qui pertentatis philosophorum sectis, divinitus fidem christianam amplexus est anno Domini 130, in apologia quam scripsit pro christianis ad Antoninum Pium imperatorem anno 47, audacter pronuntiat, apud nullam gentem ita coli castitatem ut apud christianos. Et haec adiicit: *Permulti profecto sexus utriusque et sexaginta, et septuaginta nati annos, qui a pueris disciplinam Christi sunt sectati, incorrupti et coelibes perduraruni: et glorior me per omne genus hominum nostrorum tales commonstrare posse.*

12 Athenagoras atheniensis, philosophus christianus, in apologia quam Aurelio magno, Antonino, et Aurelio Commodo armeniacis imperatoribus pro christianis obtulit anno Domini 179, de pudicitia christianorum agens: *Reperire est*, inquit, *apud nos permultos et viros et mulieres, qui in coelibatu consenescant spe illa adducti, quod in tali vitae genere conversari prolixius cum Deo possint.*

13 Divus Cyprianus primitivae Ecclesiae doctor praeclarissimus, qui martyrio coronatus est anno 26, lib. de habitu virginis: *Iam*, inquit, *refertus est orbis, impletus est mundus eorum qui capere continentiam possunt more viventes spadonum, castrati ad regnum Dei.*

14 Divus Athanasius catholicae religionis adversus Arianos propugnator acerrimus, qui floruit anno 325, de virginibus sui saeculi lib. de humanitate Verbi haec scribit: *Pueri nondum maturi legem disciplinae, virginitatem quae supra legem est, profitentur.*

15 Sanctus Ambrosius ecclesiae mediolanensis antistes illustrissimus, qui floruit anno 374, multitudinem virginum sui saeculi lib. 3 de virg. describens: *Discite*, inquit, *quantas alexandrina, totiusque orientis et africana ecclesia quotannis sacrare consueverunt. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic homines consecrantur.* Idem s. Ambrosius ad Valentinianum imperatorem adversus Symmachum scribens lib. 2, epist. 12 indicat, imperii opes neutiquam sufficere potuisse ad virgines christianas Deo sacras nutriendas, si ese publico sumptu alendae fuissent, sicut olim vestales apud Romanos propter immensum earum in universis ecclesiis numerum.

16 S. Ioannem cognomento Chrysostomum qui anno 386 florere coepit, de multitudine virginum sui aevi hom. 13 in caput 8 ep. ad Romanos dicentem audiamus: *Non apud nos solum, sed et apud Scythas, apud Thraces, apud Indos, apud Persas, reliquosque quamplurimos barbaros et virginum chori, et martyrum populi, et monachorum sodalitates: qui omnes iam plures iis esse coeperunt, quam qui uxores habent.*

S. Augustinus Ecclesiae catholicae lumen praeclarum, ex manichaeo christianus factus anno 388 agmen virginum sui temporis stupens, libro 1 de moribus Ecclesiae c. 31: *Quis nescit*, inquit, *summae continentiae hominum christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi maxime ex Ægypto?* Et mox: *Quis non miretur et praedicet, qui contemptis atque desertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati simul aetatem agunt viventes in orationibus et aliis vitae religiosae exercitationibus?* 17

De tam ingenti virginum apud catholicos numero ipsius Fausti manichaei extat confessio apud d. Augustinum lib. 30 contra Faust. Faustus haereticus catholicos episcopos, cum quibus illi sermo erat, his verbis sugillabat: *Certatim*, inquit, *semper ad hanc virginitatem mulierco incitatio per professionem suasionibus vestris, ut pene iam maior in ecclesiis omnibus virginum apud vos quam mulierum numerositas habeatur.* Sic Faustus haeret apud d. Augustinum, quod s. Augustinus minime inficiatur, licet eius ineptias egregie respondeat. 18

Idem lib. 8 confess. c. 11 in lucta illa spiritus et carnis excitata in seipso initio conversionis agmina virginum in Ecclesia catholica sibi ob oculos ponebat, secum ipse sic expostulans: *Ubi tot pueri et tot puellae? ubi iuventus multa, et omnis aetas, et graves viduae, et virgines anus, et omnis ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fecunda mater filiorum de marito te, Domine*, etc. Et c. 10: *Ecce hi omnes vixerunt pudice, atque pro regno Dei castraverunt, et tu non poteris? Deus illis concessit, et tibi negabit?* Haec et similia illum vehementer permoverunt, ut ex manichaeo factus catholicus ad tantum sanctitatis et doctrinae culmen pervenerit. 19

Idem s. Augustinus lib. de sancta virginitate c. 36 Christum his verbis affatur: *Respice agmina virginum puerorum, puellarumque sanctorum in ecclesia tua: eruditum est hoc genus.*

Theodoretus, qui anno Domini 423 floruit, in historia Theophili sect. 30 narrat: *Non solum in nostra regione*, (hoc est Cypro ubi erat episcopus) *sed etiam per totum orientem in universa Syria, Palaestina, Cilicia, Mesopotamia, Asia, Ponto et tota Europa sunt multae et virorum et mulierum pietatis palaestrae. In Ægypto autem dicunt plusquam quinque millia virorum habere monasteria qui operatur, et interim Dominum laudant hymnisque celebrant.* 20

S. Hieronymus in vita s. Hilarionis de eodem refert, cum interdum cellulas lustraret, aliquando duo, aliquando tria millia monachorum in eis extitisse. Idem d. Hieronymus de multitudine monachorum ad sacra Ierosolymae loca accedentium epist. 7 ait: *De India, Perside, Æthiopia monachorum quotidie turmas suscipimus.* Et epist. 3: *Indus, Persa, Gothus, Ægyptius philosophatur*, hoc est religiosae perfectioni vacat, quam philosophiae nomine appellat. 21

Cassianus lib. 4, cap. 1 in uno coenobio Tegenoensiatarum in Thebaide sub uno abbate plusquam quinque millia fratrum fuisse asserit, tantaque in obedientia, quanta non potest apud nos unus uni obedire pro modico tempore.

Palladius in historia lausiaca de religiosis tum coenobitis, tum eremitis in Ægypto, quos ipse visitavit, plurimos refert c. 6. *In monte Nitriae*, ait, *habitant ad quinque millia virorum, in intima vero solitudine viri perfecti plusquam sexcenti*; et cap. 35 narrat, monasteria sub regula s. Pachomii septem millia monachorum virorum habuisse. Primum vero et magnum in quo s. Pachomius degit, mille quadringentos continere, et cap. 36 ait, quod Trans fluvium est monasterium mulierum circiter quadringentarum. Et cap. 44 narrat, se vidisse Ammonem in Thebaide patrem trium millium monachorum. Capite 48 in Thebaide in finibus Hermopolis, ubi Deipara Virgo cum Christo mansit exulans, in Ægypto vidisse se scribit in solitudine Apollinem qui erat pater monachorum circiter quingentorum, et tantae perfectionis, ut possent omnes fere signa facere. Cap. 65 vidisse se refert monasterium magni Isidori mille monachorum tantae sanctitatis, ut omnes signa facere possent, et cum mors immineret, eius diem praedicebant, et absque morbo decedebant. Cap. 70 in partibus 23

Digitized by Google

Arsenoitae narrat fuisse Serapionem patrem monasteriorum, in quibus decem millia monachorum numerabantur; quod confirmat Sozomenus lib. 6, c. 28, et 31. *In Antinoi, ait, civitate Thebaidis circa civitatem circiter bis mille sunt in monasteriis.* Cap. 150 idem Palladius narrat: *In Thebaide quae est per Syenem, viros esse valde admirabiles, et multitudinem monachorum infinitam, quorum tanta est sanctitas, ut mortuos in hodiernum usque diem suscitent, super aquas ambulent, et quae Christus olim per apostolos, haec per eos nunc efficit.* Tam fecunda sanctorum erat tunc Ægyptus; sed modo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii, etc.

Et hoc est quod s. Chrysostomus homil. 8 in Matth. aiebat: *Si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso prorsus omnem illam videbit eremum digniorem, et innumerabiles angelorum coetus in corporibus fulgere mortalibus, et populos martyrum, et choros virginum.*

23 Ex Ægypto in externas nationes, quasi inundatione facta, sanctorum examina se effuderunt. Sanctus Damascenus in historia de Barlaam et Iosaphat c. 1 de Indis scribit: *Inde cum coepissent in Ægypto monasteria exaedificari, et monachorum, qui angelorum instar vigebant, ingentia agmina cumulari: ipsos quoque ad eiusdem vitae institutum excitatos, adeo ut complures ipsorum, relictis omnibus, in solitudines concederent, atque in mortali corpore, eorum qui corporis expertes sunt, vitae rationem susciperent.*

24 Inde in occidente infinita propemodum monachorum agmina Eusebius vercellensis omnium primus ex orientis partibus in occidentem monachorum institutum in Ecclesiam introduxit anno Domini 328. Postea s. Athanasius alexandrinus illud in urbem Romam primus invexit anno 340. Postea in Africam omnium primo s. Augustino religiosum institutum tam virorum quam mulierum est translatum anno 391, quod in hodiernum usque diem per multos Ordines canonicorum regularium, eremitarum et aliorum propagatum mirifice Ecclesiam Dei exornat.

25 S. Benedictus anno Domini 520 in occidente religiosam disciplinam iam pene collapsam restituit, et mirum in modum auxit. Eum secuti quamplurimi Religiones diversas in occidente vel instituerunt, vel instaurarunt. Sanctus Odo cluniacenses, s. Romualdus camaldulenses, s. Bruno carthusienses, s. Ioannes Gualbertus Vallis-umbrosae monachos, b. Robertus cistercienses, s. Guilielmus vercellensis eremitas montis Virginis, s. Norbertus praemonstratenses.

Ordinum fundatores. Ad horum normam alii viri praeclarissimi et sanctissimi Ordines tum mendicantium, tum non mendicantium post annum millesimum ducentesimum vel instituerunt, vel repararunt, vel propagarunt. S. Dominicus Ordinem praedicatorum, s. Franciscus Ordinem minorum, s. Albertus Ordinem carmelitarum, Guilielmus dux Ordinem eremitarum s. Augustini, s. Raymundus Ordinem B. Mariae de mercede redemptionis captivorum, b. Philippus Benitius Ordinem servorum B. M. Virginis, s. Franciscus de Paula Ordinem minimorum, s. Petrus de Morono sive Coelestinus Ordinem coelestinorum, s. Ioannes Columbanus Ordinem iesuatorum, Bernardus de Tholomaeis Ordinem olivetanorum.

26 Post hos quamplurimi Ordines clericorum regularium ab anno Domini 1500 in Ecclesia germinarunt. Theatini auctore Petro Caraffa episcopo theatino, postea summo pontifice Paulo IV dicto; iesuitae auctore s. Ignatio Loyola; somaschi auctore Hieronymo Aemiliano patricio veneto; clerici regulares s. Pauli, Barnabitae dicti, auctore Bartholomaeo Ferraria eiusque sociis; clerici Congregationis oratorii romani auctore s. Philippo Nerio florentino; clerici minores auctore Augustino Adorno patricio genuensi, et alii, quorum nomina et cognomina videre poteris in collectanea bullarum summorum pontificum noviter edita ab Augustino Barbosa. Vide etiam Paulum Morigiam lib. de originibus Religionum.

27 Hic igitur exercitus Christi, et admirabilis regius grex, sanctus, castus, innocens, Dei amore flagrans, virginitate niveus vexillum virginitatis a Deipara Virgine erectum sequitur, et exemplo Deiparae voto castitatis se obstringit, ac virginitatem, vel saltem coelibatum exemplo Reginae virginum colit, et strenue tuetur.

Pro virginitate varia certamina. Horum alii pro castitatis integritate tuenda martyrium obierunt. Alii graviter et interdum ad mortem usque tentati in pugna strenue decertarunt. Alii acerbissimo aliquo cruciatu voluptatis sensum extinxerunt. Alii petulantiam lascivorum castitatis thesaurum invadere conantium acriter, et mira quadam arte deluserunt, et propulsarunt. Alii potius mori, quam illicito concubitu maculari maluerunt. Alii studio tuendae castitatis mortis periculo se exposuerunt, et ultro sibi mortem consciverunt. Alii pro tuenda castitate seipsos truncarunt et deformarunt. Alii virginalem pudicitiam Christi praesidio, et Matris eius Sanctissimae interventu in claustris et alibi sartam tectamque conservarunt. Alii contracto iam matrimonio studio conservandae virginitatis ad Religionem se contulerunt. Alii tum viri tam feminae in matrimonio viventes corporis integritatem custodierunt. Alii tum viri tum feminae suscepta prole pari inter se voluntate continentiam coluerunt. Aliae viduae ad secundas nuptias nulla ratione adduci potuerunt. Eorum nomina et praeclara gesta sub brevitate transcurrere libet.

DISCURSUS CCCCII

NOMINA EORUM QUI STUDIO IMITANDAE VIRGINITATIS DEIPARAE PRO CASTITATE MARTYRIUM OBIERUNT

1. Beata Virgo Maria Regina et soror virginum, ex quo prolem nobilissimam Christum Dei Filium genuit, tantum in pectoribus hominum erga virginitatem et castitatem amoris ignem accendit, ut pro ea tuenda et conservanda quamplurimi nedum labores et difficultates, verum etiam saevissima tormenta subire non dubitarunt, quorum primicerius est 1

1. *S. Ioannes Baptista.* Hic Domini praecursor virginitatis puritate adeo floruit, ut angelus a Malachia c. 3 vocetur. A pueritia cibo ex locustis et melle silvestri, vestitu autem ex pilis camelorum utebatur, asperrimam vitam ab omni hominum consuetudine seiunctam in desertis traduxit usque ad diem, ut ait s. Lucas, ostensionis suae ad Israel. Ob defensionem castitatis, increpationem scilicet incestus Herodis, martyrio laureatus est, ut narratur Matth. 14. 2

2. *S. Matthaeus apostolus et evangelista.* Hic quod Iphigeniam Aethiopum regis filiam Deo per votum castitatis virginalis consecratam in sancto proposito confirmaret, ac regi Hirtaco eam ambigenti publice obsisteret, dicens fas non esse virginem quae Christo dicata est, nubere, ad altare sacrificans occisus seipsum una cum Agno immaculato Deo in sacrificium obtulit. D. Hieronymus de script. eccles. Merito a s. Hypolito lib. de 12 apost. *victima et sacrificium virginitatis* nuncupatur. 3

3. *S. Ioannes evangelista.* Hic virgo virginitatis aeque atque fidei in Asia praeco, ut patet Apocal. 2, 20, et 14, 17, qui proinde a spurco Domitiano in ferventis olei dolium iniectus martyrii laudem miraculo cumulavit, dum ex eo illaesus et vegetior egressus est. Divus Hieron. lib. contra Iovinianum. 4

4. *S. Paulus apostolus.* Hic et ipse virgo, ut iam monstrabam, qui cum pellices Neronis ad fidem converteret, et ab eius pellicatu averteret, furorem tyranni in se provocavit, cuius iussu gladio percussus virginitatis et martyrii lauream adeptus est. S. Chrysostomus lib. 1 adv. vitup. vitae monasticae. 5

5. *S. Clemens pontifex.* Hic Flaviam Domitillam Domitiani imperatoris neptem Aureliano desponsatam, dato ei velo, virginem Deo consecravit; quo facto christianos omnes furori Domitiani obiecit, et ipse pro tam pretiosa virginitatis gemma in mare demersus martyrium consummavit. Dio in Domitiano apud Baronium. 6

6. *S. Caius pontifex.* Hic affinis Diocletiano imperatori, qui quod Susannam neptem a Diocletiano desponsam Maximiano imperii consorti in virginitatis proposito confirmaret, eamque ad martyrium pro ea obeundum animaret, una cum ipsa a Maximiano caesus virginitatis lauream martyrii purpura exornavit. Ex breviario rom. et vita eius apud Surium. 7

Hos secuta est magna caterva puellarum, quae Deiparam secutae virginali castimonia claruerunt, et pro virginitate conservanda regum, principum, aliorumque optimatum connubia, opes, divitias, honores respuerunt, multos labores subierunt, multas difficultates superarunt, saevissimos cruciatus expertae sunt, et mortem ipsam subire non detrectarunt. Ex multis nonnullas commemorare libet. 8

7. *S. Thecla.* Haec illustri genere Iconii orta, s. Pauli discipula, amore virginitatis Thamiridem sponsum, virum urbis primarium ac generosum, egregia forma, divitiis ornatum reliquit, 9

Digitized by Google

Quare sponsi furore ad bestias damnata earum naturam virginitatis veneratione mutavit; eius enim pedes bestia lingebat, suamque praedam adorabat sacrum virginis corpus violare non audens. D. Ambrosius lib. 2 de virginibus.

10 8. *S. Felicula.* Haec virgo s. Petronillae apostoli Petri filiae socia cum Flacco nubere nollet, eo quod Christo sacrata esset, post tenebricosam custodiam, et famis inediam tamdiu in equuleo torta est, donec emitteret spiritum. Martyrologium rom. die 13 iunii.

11 9. *S. Valeria virgo lemovicensis.* Haec a s. Martiale uno ex Christi discipulis ad fidem conversa cum Deo virginitatem suam vovisset, et Stephani ducis Aquitaniae nuptias recusasset, ipsius iussu est decollata, cuius animam in coelum ab angelis deferri vidit eius percussor, de qua Petrus de Natalibus in catal. libro 6, cap. 29.

12 10. *S. Potamioena.* Haec virgo elegantissima forma cum infinitas prope pugnas pro corporis pudicitia contra insanos amatorum suorum impetus constanter sustinuisset, post horrenda pro fide Christi tormenta perpessa ad ultimum una cum Marcella matre ignibus consumpta est. Eusebius lib. 9, cap. 4.

13 11. *S. Pitomena alexandrina.* Haec romani civis serva cum frustra ab eo sollicitaretur ad nefas, accusata ab eo quod christiana esset, ferventi pice immersa vitam amittere, quam pudicitiam violare maluit. Palladius in hist. lausiaca cap. 2.

14 12. *S. Agatha.* Haec virgo a Quintiano Siciliae praetore eius amore capto nullis tormentis, nec mamillarum abscissione de constantia christianae fidei, et servandae virginitatis removeri potuit, cuius illa vox legitur: *Propter fidem castitatis iussa sum suspendi in equuleo, adiuva me Domine Deus meus in tortura mamillarum mearum.* Breviarium rom. die 5 februarii.

15 13. *S. Anatolia.* Haec virgo cum Tito Aurelio, cui erat desponsata, virginitatis amore nubere recusaret, ex Urbe pulsa, et ad praedium sponsi ducta, fame et inedia afflicta, demum gladio transverberata est. Surius die 9 iulii.

16 14. *S. Victoria.* Haec virgo opera s. Anatoliae ad virginitatem servandam inducta, Eugenio pagano desponsata, cum nec nubere, nec sacrificare vellet, post famis macerationem, post multa miracula facta, post multas virgines Domino aggregatas, et diligenter institutas, rogatu sui sponsi gladio in corde percussa est: cuius carnifex inter sex dies a vermibus consumptus misere obiit. Petrus de Natalibus lib. 2, c. 83.

17 15. *Sanctae Rufina et Secunda sorores.* Hae virgines romanae reiecto connubio Armentarii et Verini, quibus a parentibus desponsatae fuerant, quod Iesu Christo virginitatem vovissent, cum nec promissis, nec terrore a proposito abducerentur, post multa tormenta capite plectuntur. Martyrologium rom. die 10 iulii.

18 16. *S. Basilla* Haec virgo ex regio genere cum Pompeium illustrissimum sponsum haberet, illumque in matrimonium recipere recusaret, dicens, Regem regum se habere sponsum, ab eodem accusata quod esset christiana, gladio transverberata est. Martyrologium rom. die 17 maii.

19 17. *S. Margarita.* Haec virgo antiochena, cum Olibrio praefecto eam vehementer desideranti matrimonio copulari nollet, nec diis immolare, post varia tormenta, truncato capite, victorem per tot coronas spiritum Deo reddidit. Brev. romanum die 20 iulii.

20 18. *S. Dula.* Haec cum ancilla esset cuiusdam militis, nec eius libidini ulla ratione consentire vellet, pro castitate occisa martyrii coronam promeruit. Martyrologium rom. die 25 martii.

Multas alias huiusmodi virgines ex martyrologio romano aliisque probatis auctoribus commemorare possem, nisi me ab hoc labore Petrus Antonius Spinellus dudum eliberasset. Hic enim in peculiari tractatu de utriusque sexus virginibus undique collegit sanctas virgines, tam quae pro tuenda castitate mortem oppetere non dubitarunt, tam quae in pace Ecclesiae virginitatem absque sanguinis effusione Deo obtulerunt. Vide eum sect. 3, 4, 5, 6, 7 late discurrentem.

DISCURSUS CCCCIII

NOMINA ET GESTA EORUM QUI GRAVITER ET INTERDUM USQUE AD MORTEM TENTATI ET IMPUGNATI AMORE CASTITATIS VIRGINALIS STRENUE DECERTARUNT

1 Ubi primum B. V. Maria virginitatis signifera, et in hac puritatis militia primipila, et legionum dux vexillum candidum virginitatis extulit, et intemeratae integritatis pium Christo signum levavit, mox ad albicantia eius castra utriusque sexus virgines convolarunt, et pro virginitate mira passi strenue decertarunt, ad uno exposcentes voto, ut sub Deiparae Virginis militarent signis, eiusdemque candida gestarent insignia: candoreque virgineo et purpureo martyrii decore adornatae in atria coelestia progressae sunt, secuturae Agnum quocumque ierit, et cantaturae canticum ante thronum Dei, quod nemo alius cantare potest. Ex his primus in aciem prodeat

1. *S. Nicetas nicomediensis.* Hic martyr post atrocissima pro 2
Christi fide exhausta tormenta a tyranno in amoenissimos hortos abduci iussus inter candentia lilia, et rubentes rosas, super extructum plumis lectum positus, at nec se inde excutere posset bombycinis funibus ligatus, ut quem vincula et tormenta a Christi fide et amore retrahere non poterant, foeda carnis voluptas, et illecebra avelleret. Ergo speciosa meretrix venit, iuvenem castum et sanctum amplecti incipit. Miles Christi quid ageret, quo se verteret nesciebat. Quem tormenta non vicerant, superaret voluptas? Tandem coelitus inspiratus praecisam morsu linguam in osculantis se faciem exspuit, ac sic libidinis sensum supervenientis doloris magnitudine superavit. Petrus de Natalibus lib. 8, c. 70.

Simile quid fecisse narratur martyr ille in persecutione Decii, cuius meminit Baronius ad annum 253. Sub persecutione quoque Diocletiani Ascetam quemdam simili agone decertasse scribit Nicephorus lib. 7, cap. 13.

2. *S. Pelagius hispanus.* Hic adolescentulus 14 annorum ab 3
Abdarameno Saracenorum rege de turpitudine identidem appellatus, procaci regi pugnos in faciem impegit, cuius iussu ferreis forcipibus laniatus, membratimque dissectus, in Boetim fluvium proiectus ad virginitatis coronam palmam martyrii adiunxit. Martyrologium rom. die 26 iunii.

Ita duo illi fratres Sebastianus, et alius innominatus ex Ordine minorum stipem ostiatim petentes, a mulieribus turpi amore flagrantibus ad scelus solicitati, cum consentire renuerent, ab eis praefocati sunt. Chron. s. Francisci 3 p. lib. 1, cap. 56.

Hinc discant puritatis amatores et cultores pro castitate strenue pugnandum esse. Propterea Deipara Virgo vexillum virginitatis defert, ut sciant omnes eius cultores, et virginitatis sectatores se non ad delicias, non ad otium, sed ad pugnas, ad bellum vocari. Qui sub virginitatis vexillo a B. Virgine erecto militare intendit, voluptates carnis, otium, ac desidiam fugere debet; haec enim cum puritate cohaerere non possunt, duris asperisque sepibus sepienda est virginitas, inter arma viget, inter pugnas floret.

Quapropter antiqui virginitatem armatam depingebant, quia 4
virginitas otium ac desidiam fugit, inter hostes pugnas et certamina parat. Quocirca sponsus admirans sponsam suam virginem Cantic. 6, 9 ait: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Pondera ultima verba, *terribilis ut castrorum acies.* Quid imbelli, et imbecilli virgini cum castris? quid puellae cum pugnis et armis? Ut discas virginitatem debere esse armatam, quasi semper in castris, semper in acie permaneat, nunquam inermem, sed semper in castris oportere incedere intelligas, prout gentilitas variis licet delusa erroribus fingebat.

Auro et cedro digna est d. Augustini lib. de agone christiano sententia: *Inter omnia christianorum certamina duriora sunt praelia castitatis, ubi continua pugna, et rara victoria.* Subscribit et confirmat idipsum d. Bonaventura in quodam suo opusculo, ubi ait: *Episcopus sum, in Christo loquor: crede mihi, quia non mentior; vidi cedros Libani, id est magna contemplatione viros magnos, praelatos Ecclesiae sub hac specie corruisse: vidi, de quorum casu non magis praesumebam, quam de Hieronymo et Ambrosio.*

Quisquis igitur sub signis Virginis militat, hoc est castitatem 5
virginalem colit, attendat quod Christus ait Luc. 12, 35: *Sint lumbi vestri praecincti.* Olim miles succinctus esse iubebatur, et discinctus pro inerti et ignavo habebatur, ut Cornelius Tacitus lib. 11 indicat. Eodem modo miles christianus castitatis baltheo, quod est insigne militiae christianae, cinctus sit exemplo praenominatorum sanctorum, strenue pro castitate pugnet, si strenuus miles sub vexillo Deiparae Virginis esse cupit, uti fuerunt, qui tam strenue pro castitate pugnaverunt quos recensuimus. Sequuntur alii.

Digitized by Google

DISCURSUS CCCCIV

NOMINA EORUM QUI AMORE CASTITATIS VIRGINALIS SAEVISSIMO ALIQUO CRUCIATU SUSCEPTO ILLECEBRAS CARNIS A SE PROPULSARUNT

1 Virginitas suas acies habet, sua agmina, sua castra; mentem igitur et corpus obdurare, asperis assuescere debet qui in hanc militiam adscribi cupit. In aciem vocat Beatissima Virgo quae, ut iam diximus, vexillum extollit. Transfuga censeri debet qui pugnam detrectat, qui aspera fugit. Expungi ab hac militia meretur, qui sibi violentiam non infert. Sciverunt hoc illi, quibus virginitas cordi fuit: quare saevissimos cruciatus sponte suscipiebant, ut voluptates carnis extinguerent.

2 1. *Apelles presbyter.* Hic in solitudine cum ad usum monachorum quaedam fabrilia opera (faber enim ferrarius antea fuit) conficeret, diabolus ei se visendum exhibuit in forma mulieris, ut ad lasciviam provocaret; at ille ferrea lamina ex igne rapta, totum vultum sibi combussit: et ab eo tempore ferrum ignitum manu semper tenebat, nec laedebatur. Palladius in hist. lausiaca c. 55. Vide quomodo etiam ignis imperium virginitatis agnoscat, ut in cultores eius saevire non audeat, uti etiam olim fecit, cum trium puerorum sub Nabuchodonosor in fornacem ardentem iniectorum corpora vel leviter adurere ausus non est.

3 2 Secundus prodeat in hanc arenam solitarius quidam in inferioribus partibus Aegypti sanctitate insignis. Ad quem cum quaedam meretricula a nonnullis insolentibus subornata missa fuisset, advesperascente iam die velut errabunda ad cellam eius venit, et ne quid a feris ea nocte pateretur, lacrimis se in hospitium viri Dei admitti impetravit: quo facto satanas vehementer eum ad flagitium tentare coepit. At ille accensa lucerna secum tacitus dicebat: Experiar num ignem inferni, quem fornicarii merentur, sustinere possem. Digitum ergo ad ignem admovit, quem cum incendisset, nullo sensu corripiebatur propter nimiam concupiscentiae carnalis flammam; sicque reliquos omnes suos digitos ad matutinum usque tempus incendit. Quod cernens infelix muliercula prae horrore obriguit, ac tandem mortua est. Eam extinctam ab iis, a quibus missa erat, mane repertam vir sanctus fusis precibus vitae restituit, quae mox ad Deum conversa vitam deinceps castam duxit.

4 3. *S. Franciscus.* Hic Ordinis minorum fundator ab impudicis feminis noctu ad turpitudinem solicitatus, pavimentum candentibus prunis ex proximo igne constravit, in eoque decumbens ad idem stratum mulierculam invitavit, quo facto procacem mulierem ad poenitentiam convertit. Chronica minorum cap. 61. Ipsum fecisse narratur in Aegypto, quo se ad Sultanum convertendum contulerat. Nocte quadam a muliere saracena lasciva ad impudicitiam provocatus in ignem qui proxime ardebat, se proiecit, eamque ad stratum illud evocavit, quae tanto viso miraculo, fidem Christi cum baptismate suscepit, et velut altera Samaritana complures Saracenos ad Christum adduxit. Lib. 2 chronicorum sancti Francisci c. 57.

Alio quoque tempore cum idem s. pater gravem carnis tentationem a daemone excitatam sentiret, deposita veste, chorda se verberavit, et nudum corpus suum in magnam nivem immersit, compactisque ex nive septem massis, ac si essent uxor, et filii, et famuli, tentatorem fugavit.

Alio tempore in foveam glacie plenam seipsum mersit, ut domesticum hostem perfecte subigeret, et candidum vestimentum pudoris a voluptatis incendio praeservaret, tolerabilius esse arbitrans magnum sufferre frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis sentire in mente. Divus Bonaventura in vita s. Francisci cap. 5.

5 4. *S. Benedictus.* Hic monasticae disciplinae in occidente fundator ac propagator eximius, cum die quadam a satana specie cuiusdam mulieris, quam aliquando viderat, obiecta vehementius tentaretur, ut etiam eremum deserere cogitaret, divina gratia adiutus exuta tunica nudum corpus in spinarum aculeos coniecit; ibique diu volutatus, toto corpore vulneratus exiit, extincto eo, quod illicite ardebat intus.

6 5. *S. Bernardus claraevallensis abbas.* Hic adhuc in saeculo degens curiosius aliquando in mulierem oculos defixit: postea apud se erubescens in stagnum gelidarum aquarum collo tenus insiliens, tamdiu permansit, donec pene exsanguis affectus carnalis concupiscentiae calor Dei beneficio refrixit. Ex eius vita.

6. *B. Dominicus.* Hic Ordinis nostri non fundator, sed alumnus, insignis concionator, cum vitia carnis pro concione acrius 7
reprehenderet, a lascivis eius paterna monita respuentibus per dolum aggressus est. Meretricem malis artibus, conscio rege Castellae, ad eum miserunt, quae eum ad flagitium solicitaret, et an vere castus esset probaret. Probavit lupa, et constantiam sancti viri admirans obstupuit, cum eum in prunarum ardentium lecto decumbentem aspexit, seque ad talem lectum, se tali opera dignum invitantem audivit. Milites regis qui hoc factum spectarunt, beatum virum sine ulla corporis aut vestis adustione in prunis ardentibus iacentem videntes, mulierem petulcam imperante rege concremassent, nisi sancti viri preces eam periculo exemissent. Scribit Thomas Cantipratanus lib. 2 Apum, cap. 30, numer. 45.

Vide quam potens sit imperium castitatis et pudicitiae virginalis, ut etiam ignem qui omnia domare potest, coerceat, et virtutem eius reprimat. Vere tali imperio dignus est, qui castitati famulatur, qui pudicitiam colit, qui virginitatem amat, qui luxuriae ignem in se extinguit.

Virginum itaque Reginam spectemus, vestigia Mariae sectemur, castitatis cultu coronam eius virgineam veneremur. Subiicietur ignis imperio castitatis. Curemus, ut ignem luxuriae in nobis extinguamus, ut tandem aeternum illud incendium gehennae non sentiamus interventu dignissimae Matris et Virginis. Amen.

DISCURSUS CCCCV

NOMINA EORUM QUI PETULANTIAM MULIERCULARUM CASTITATIS THESAURUM INVADERE CONANTIUM AMORE VIRGINITATIS ACRITER AC MIRA ARTE PROPULSARUNT

Pretiosa res est virginitas; quare miris artibus et summo conatu pro ea depugnarunt qui eam amarunt. Exemplo sit

1. *S. Ludovicus Catalaunorum episcopus.* Hic corpore venu- 1
stus et pudicus a quadam Galliae regina opportuno loco ad flagitium invitatus, eam torvo oculo aspiciens reiecit, cuius oculus post quadrigentos et eo amplius annos in cadavere caligari non potuit; quem quasi crystallum lucidissimum in elevatione eius cadaveris vidit Ioannes de Firmitate abbas canonicorum regularium a quo haec Thomas Cantipratanus noster se accepisse narravit, et litteris consignavit in lib. 2 Apum, c. 30, parag. 33.

2. *S. Bernardus.* Hic adolescens propter egregiam formam 2
corporis a variis mulieribus vehementer solicitatus semper fortissime restitit. Semel cum sociis apud quandam matronam eum hospitari contigit, cum illam nocte ad se adventare praesentiret, clamare coepit: *Latrones, latrones*, quibus vocibus improbam mulierem secundo et tertio ad se venire conantem abegit. Surius in eius vita.

3. *S. Edmundus cantuariensis episcopus.* Hic cum adolescens 3
a puella quadam hospitae suae filia ad turpitudinem nutibus primum, deinde apertis verbis saepius provocaretur, pertaesus importunitatem eius, tempus quo ad se veniat praefigit, eamque ingressam et superioribus vestibus exutam loris egregie flagellavit: quo facto puella omni illa tentatione in posterum caruit. Surius in eius vita.

4. *S. Thomas aquinas.* Hic Ecclesiae lumen, Ordinis praedi- 4
catorum gloria, adolescens a matre et fratribus ex Ordine raptus, et in arcem castri s. Ioannis perductus, ut sanctum propositum mutaret, cum mulier ad labefactandam eius pudicitiam intromissa fuisset, impuris eius illecebris se nonnihil commoveri sentiens, Christo eiusque Genitrici se commendans, erepta ex igne titione scortum impudicum fugavit. S. Antoninus 3 p. histor. tit. 23, cap. 7.

5. *S. Vincentius Ferrerius.* Hic praedicator admirabilis ex il- 5
lustri Ordine praedicatorum a muliere quadam illicito eius amore capta ad confessionis eius audientiam evocatus, cum ab ea ad scelus solicitaretur, omnem libidinem exsecratus, mulieris procaciam acriter obiurgans protinus discessit. Sed cum illa contra virum Dei quasi illam violenter opprimere voluisset, clamare vellet, a daemone correpta gravissime vexari coepit, qui adiuratus respondebat, se minime egressurum, nisi vir ille adveniret, qui in medio ignis positus non aestuavit. Adveniente igitur s. Vincentio, daemon ululatum teterrimum emittens discessit. Surius in eius vita.

Digitized by Google

6 6. *S. Christophorus martyr.* Hic oris sui fulgore divinitus micante Nicetam et Aquilinam sorores ad eum voluptatibus deliniendum immissas, et procaciter eum ad turpitudinem urgentes ad Christum convertit; quae postmodum multis tormentis pro Christo superatis palmam martyrii capitis obtruncatione promeruerunt. Surius in eius vita tomo 4.

7 7. *S. Bernardinus senensis.* Hic integerrimae pudicitiae custos diligentissimus cum ex more ostiatim panem mendicaret, femina quaedam illicito eius amore ardens eum quasi intus panem datura evocat, quo ingresso ostium clausit, eique nefariam suam voluntatem explicavit, adiiciens nisi consentiret, se vociferaturam, vim sibi ab eo intentatam. Ille se Deo commendans, iubet eam vestibus nudari, correptoque flagello, quod apud se habebat eam egregie cecidit, donec omnis illa tentatio evanesceret. Ex vita eius.

8 8. *Ioannes bononensis.* Hic quondam episcopus, postea Ordinis praedicatorum magister generalis, cum Fridericum imperatorem impudicitiae argueret, a quadam eiusdem imperatoris concubina eleganti forma ad lapsum secreto loco est provocatus, imperatore a quo missa fuerat, clam rei exitum cum suis expectante. At vir beatus manu tam valide eius maxillam percussit, ut facie tenus in terram eliceret: quo facto imperator maxima eum postmodum reverentia est prosecutus. Haec Thomas Cantipratanus, qui eodem tempore vixit, lib. 2 Apum, c. 30, paragr. 33.

9 Horum exemplo discamus in mulieres curiose non aspicere, inutilibus colloquiis, aut munusculis ultro citroque missis nos eis familiares nunquam exhibere. Multo minus cum eis eiusdem domus cohabitatione uti.

Quod spectat ad oculorum custodiam, ad eam nos graviter hortatur Sapiens Eccli. 9, 8 his verbis: *Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt.* Et Iob. 31, 1: *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Noverat enim vir sanctus, quod postea Ieremias propheta docebat Thren. 3, 51: *Oculus meus depraedatus est animam meam.* Et d. Gregorius alicubi: *Non est tutum videre, quod non est tutum concupiscere.*

Mulierum vero familiaritates, et colloquia quam sint noxia, et periculis plena, docent exempla Davidis, Samsonis, Salomonis, qui per mulieres decepti sunt. Quocirca quivis de seipso dicere debet, quod olim d. Hieronymus de seipso dicebat epist. 2, et 22: *Nec sanctior sum Davide, nec Samsone fortior, nec Salomone sapientior, qui tamen omnes per mulieres decepti sunt.* Felix qui sub vexillo D. Virginis militat, qui pudicitiam colit, castitatis amator est, carnem cohibet, a carnalibus deliciis corpus fraenat; talis pericula cavet, ab insidiis tutus manet, coronam triumphi meretur, quoniam in castitatis pugna victor extitit.

DISCURSUS CCCCVI

NOMINA EORUM QUI AMORE VIRGINITATIS MORI MALUERUNT, QUAM ILLICITO CONCUBITU MORBO SUO MEDERI

Virginitas tam pretiosus thesaurus est, ut pro ea retinenda et conservanda nedum substantiam perdere, verum et vitam ipsam amittere nonnulli adolescentes clarissimi non dubitarent. Ex his in exemplum est primus

1 1. *S. Casimirus.* Hic Casimiri tertii Poloniae regis filius ad mortem infirmatus medicis *connubium* suadentibus, ac per hoc sanitatem promittentibus non acquievit; sed maluit mori, quam continentiae virginalis aliquam iacturam pati. Cromerus lib. 29 de gestis Polonorum. Unde apposite Casimirus dictus est, quod per anagramma idem est quod *sum ue iris*, in quem scilicet irradians Sol iustitiae Christus suam et castitatis fulgorem afflavit. Vel Casimirus idem est quod *cadis mirus* quia pro castitate occumbis. Quare Ioannicius polonus de eo sic cecinit:

Sponte cadis; sed amore cadis, Casimire, pudoris,
Mirus te Christo mirificante cadis.

Hunc Casimirum anno Domini 489 vita functum in beatorum numerum retulit Leo X summus pontifex. Eius corpus virgineum honorificentissime sepultum, in theca argentea conditum Wilnae in Lithuania requiescit. Memoria illius recolitur in Ecclesia die 4 martii.

2. *Iacobus Rossa.* Hic Lusitaniae regis nepos electus archiepiscopus olyssiponensis, et S. R. E. diaconus cardinalis, letali morbo oppressus, cui ex medicorum sententia cum mulieris concubitus remedium afferre potuisset, maluit intrepidus mortem oppetere, quam illicito coitu corpus et animam foedare. Alph. Ciac. in vit. sum. pontificum. 2

Regii erant hi duo adolescentes, nedum quia regio sanguine orti, sed etiam quia castitatis cultores eximii; castitatis, inquam, quae ad regni solium evehit eos qui eam colunt. Carceri destinabatur Ioseph, sed tandem ad regnum sublimatus erat imperio illius qui ei dixit Gen. 41, 40: *Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Cuiusnam virtutis suffragio ad tantam dignitatem evectus est, qui antea mancipium erat? Pugnavit, vicit, illaesus ab impudicis dominae blanditiis abiit, et ideo ad regnum evectus est diademate redimitus propter castitatem. Audiatur s. Zeno serm. de pudicitia s. Ioseph loquens: *Rex iure secundus factus est regni, qui insignis rex erat iam ante pudoris.* 3

Meretur regni solium, meretur coronari quisquis castitatem colit; e contrario non meretur coronam, qui libidinis mancipium factus manus libidini dedit. Eam ob causam Edgaro ob incestus crimen poenae loco a sacerdote impositum erat, ut a gestando diademate per septem annos abstineret, uti refert Baptista Fulgosius lib. 4. Nempe regio diademate indignus est, qui luxuriae mancipium se facit. Regium titulum et imperium meretur, qui castitatem, qui puritatem amat, et impudicitiae bellum indicit. Haec obiter dicta sunt occasione adolescentium regiorum s. Casimiri et Iacobi Rossae; ad propositum redeamus. 4

3. *Michael Verinus poeta hispanus.* Hic decem et octo annos natus maluit ex hac vita migrare, quam illecebra carnalis cupiditatis coinquinari. Angelus Politianus apud Genebrar. lib. 4 chronographiae. 5

4. *Robertus cardinalis, patria politianus.* Hic a Iulio III, cuius erat ex sorore pronepos, dignitate cardinalitia ornatus, adolescens fuit eximiae probitatis, et magnae spei. Is nondum sacris initiatus, cum simili morbo quo ii, de quibus iam diximus, teneretur; maluit tamen, quemadmodum refert Thomas Bzovius de signis Ecclesiae lib. 11, cap. 6, carnis integritatem cum vitae iactura retinere; quin etiam corpus suum verberibus, cilicio et abstinentia affligebat, ut petulantiam carnis coerceret. Alph. Ciac. in vitis pontificum. 6

DISCURSUS CCCCVII

NOMINA EORUM QUI STUDIO TUENDAE CASTITATIS MORTIS PERICULO SE OBIECERUNT, ET MORTEM SIBIMETIPSIS CONSCISCERE NON DUBITARUNT

Etsi ex propria voluntate proprioque consilio nemini liceat periculo vitae se exponere, et multo minus necem sibi inferre ex quacumque causa, ut erudite probat doctor angelicus 2 2, q. 64, art. 5; nihilominus cum quis a spiritu Dei agitur, vel videt aliquid per se bonum et honestum, nonnisi morte sua obtinere posse, tunc nedum licite, verum et meritorie id facere potest. Sic Samson communi illi ruinae Philisthinorum seipsum exponens, sibique necem consciscens, Iud. 16, 30, nedum non peccavit, verum etiam apud Deum multum meruit. Quare s. Paulus Hebr. 11, eum in albo sanctorum ponit. Bachiarius vero vetustus auctor epist. ad Ianuarium eundem martyrem appellat. Et merito; Samson enim suam mortem ad Dei honorem et gloriam, iustamque populi sui ultionem ad defensionem retulit. Testatusque est Israelitarum Deum verum esse Deum: Dagonem vero quem Philisthaei colebant, falsum. Insuper sua morte ostendit Israeliticam gentem Deo devotam iniuriis divexandam non esse, nec exprimendum in Dei servos, etiam captos, quidquid libitum fuerit crudelitatis. 1

Exemplo Samsonis, sed non eodem spiritu multi alii ultro sibi mortem consciverunt propter bonum et honestum. Sic Eleazarus elephantem interfecit, a quo videbat se opprimendum, sicut et oppressus est, ut populum suum liberaret, et sibi nomen acquireret aeternum, 1 Machab. 6, 44. Sic Razias unus ex senioribus Iudaeorum gladio se peremit, eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, et contra natales suos indignis iniuriis agi, 2 Mach. 14, 41, et 46. Sic nonnulli milites nostri in sacra contra Turcas aut haereticos militia religionis zelo ac- 2

*

censi in gravissima sese discrimina nonnunquam dant, et intereunt, vel a deiectis turribus oppressi, vel a suffossis cuniculis obruti, vel hostilibus iaculis telisque aliis percussi ac lacerati. Nonnulli praelio navali cum Turcis aut haereticis fortissime dimicantes, cum iam vident navim in potestatem hostium venturam, communi consensu ignem pulveri iniiciunt, et se mari committunt, non tamen peccant. Non enim directe, primario, et per se suam mortem intendunt, sed bonum, honestum ac reipublicae utile sua morte comparare volunt, ne videlicet hostes patriae navi cum publico damno potiantur, vel quod maius est, religioni insultent. Non tamen omnes huiusmodi milites bonos ac religiosos martyrii titulo afficere ausim: multo minus omnes quos in praeliis Mars perculerit. Lege Nicolaum Serarium super c. 10 Iosue, quaest. 32.

3 Idem prorsus dicendum de sanctis virginibus, quae pro tuenda virginitate mortis periculo se abiecerunt, vel eam sponte sibi consciverunt: eas videlicet speciali quodam instinctu divino afflatas fuisse, ne pretiosus earum virginitatis thesaurus in manus hostium veniret. Si enim grassante incendio, si non suppetit alia ratio tam horrendae mortis evadendae, naturae instinctu licitum est a sublimi per fenestram se emittere, etiam cum certo vitae periculo: multo magis imminente amittendae virginitatis certissimo periculo licitum erit, (maxime si spiritus Dei movet) mortem sibi consciscere; non enim tunc mors eligitur, sed virginitatis honor. Itaque sanctae virgines per latentem internumque Spiritus sancti iussum qui latenter in earum animos datus est, pro fide Christi ac castitate mortem sibi consciverunt. Ita s. Appollonia virgo alexandrina comprehensa ut combureretur, cum paulisper quasi deliberans quid agendum esset, ex manibus satellitum elapsa alacris in igneam sibi paratum maiore spiritus flamma intus accensa se iniecit. Unde brevi, consumpto corpore, purissimus spiritus in coelum ad sempiternam martyrii coronam evolavit. Breviarium die 9 februarii. Sed eas quae pro tuenda castitate periculo mortis se obiecerunt, recensere libet.

4 1. *S. Iaquelina soror nobilissimi comitis Apuliae.* Haec cum a fratre ad nuptias cogeretur, sub virili habitu fugam arripuit, cumque fratrem eam insequentem evadere non posset, signo crucis se muniens ex alta rupe in mare se deiecit, quam frater eiulatu magno monasterium ei construere pollicitus frustra revocare est conatus; divina enim virtute per mare ac si per arida ambulans ad desertas Graeciae silvas pervenit. Plura de ea lege apud Thomam Cantipratanum l. 2 Apum, parag. 32.

5 2. *S. Pelagia virgo antiochena.* Haec cum se domi inclusam a praedonibus fidei et pudoris circumsideri videret, omni praesidio vacua, sed Deo plena ad tecti fastigium fugiens, in terram praecipitem se dedit, at confestim spiritum exhalavit; sicque carnificum manus, ac petulantium hominum libidinem elusit, quam sancti patres Chrysostomus et Ambrosius miris laudibus celebrarunt.

Eodem mortis genere pudicitiam suam illaesam conservarunt duae inclytae genere, venustae corpore, cuiusdam sanctae mulieris antiochenae filiae, quae a satellitibus comprehensae, cum paululum a manibus eorum praetextu naturalis necessitatis emissae fuissent, de repente ad fluminis ripam profectae in profluentem gurgitem se praecipitarunt. Eusebius lib. 8 hist. eccl. c. 24.

6 3. *S. Sophronia matrona romana.* Haec a Maxentio imperatore appetita cubiculum ingressa, mucrone sibi ipsi mortem conscivit, per nuntios significans tyranno: *Tales*, inquit, *magis placeant christianae feminae tyranno.* Eusebius lib. 3 hist. c. 17.

7 4. *S. Euphrasia antiochena.* Haec a milite amasio deprehensa, cum non posset evadere, dixit se docturam eum artem, qua in bellis laedi non posset, si sibi parceret, utque eius experimentum in se sumeret. Collum ergo suum innuxit, quod feriens ille statim amputavit: ita dolo pio castitatem sua morte redemit. Cedrenus et Nicephorus c. 10.

8 5. *S. Digna.* Haec ab Attila barbaro in Aquileia ad stuprum rapta, quasi secreti cupida in tabulatum fluvio Natisoni imminens conscendit. Inde ad Hunnum sequentem conversa: *Sequere me*, inquit, *si vis me potiri:* ac mox se in flumen praecipitavit. Olaus in vita Attilae, et alii.

8 Virgines ac matronae leodienses cum in devastatione suae civitatis ad sacras aedes confugere non possent, potius mori volentes, quam castitatis iacturam facere, nonnullae in flumen se praecipitarunt, nonnullae etiam in cloacas insilierunt, foetore extingui malentes, quam perdere virginitatem. Iacobus de Vitriaco cardinalis in prologo vitae b. Mariae de Oegnies.

Cum ergo non audacia, temeritate, stoliditate virgines et ma- 10
tronae iam dictae pro castitate se ultro mortis periculo exposuerunt, et aliquae mortem sibi consciverunt, merito laudandae veniunt. Certe Apolloniam, Pelagiam, Euphrasiam Ecclesia catholica ut martyres publice colit ac veneratur; credit namque non hominibus deceptas, sed divinitus iussas; non errantes, sed obedientes pro castitate mortem sibi intulisse, ut etiam de Samsone in simili casu d. Aug. lib. 1 de civ. Dei aiebat.

Sed forsan obiicies, salutem Samsonis in ambiguo versari. Liber enim quintus cap. 6 revelationum s. Mechtildis refert: *Velle Deum hominibus ignotum esse, quid misericordia sua cum Samsonis, Salomonis, Origenis et Traiani animabus fecerit.* Respondeo s. Mechtildis revelationes pseudonymas esse, atque commentitias, ut ostendit Baronius tomo 8 ad annum 604.

DISCURSUS CCCCVIII

NOMINA EORUM QUI OB AMOREM VIRGINITATIS SEIPSOS DEFORMARUNT, VEL SE DEFORMARI A DEO PETIERUNT

Ex quo vexillum virginitatis Deipara Virgo Maria extulit, om- 1
nibus facta virginitatis exemplar, eos qui capere possunt ad eius observationem vocans et invitans, tantum amorem huius virtutis in cordibus multorum accendit, ut pro tuenda pudicitia virginali multae seipsas deformarent, vel se deformari a Deo petierint. Eiusmodi fuit

1. *S. Elba.* Haec collinghamensis coenobii abbatissa, irruen- 2
tibus in Angliam Danis, metuens sibi et suis virginibus iacturam pudoris, salubri admonitione praemissa, ipsa sibi novacula acuta nasum cum labio superiore ad dentes usque praecidens horrendum sui spectaculum cunctis praebuit. Exemplum matris secutae aliae virgines, singulae ad eundem modum se deformarunt. Barbari monasterium ingressi, ut virgines ludibrio haberent, viso tam immani spectaculo, ne unam quidem sanctimonialium contigerunt: ceterum igne iniecto, eas omnes una cum monasterio exusserunt. Sicque virgines illae cum laurea virginitatis ad martyrii palmam pervenerunt. Baronius ad annum 870. Hoc ipsum moniales coenobii, quod inter Ierusalem et Bethlehem situm est, fecisse leguntur, cum Terra sancta a Saracenis arepta fuisset. Soldanus audiens ibi degere virgines forma praestantes earum pudicitiam temerare volebat. Igitur cum iam prae foribus esset tyrannus, abbatissa divinitus edocta omnibus, ut suum exemplum sequantur consuluit, et primitus sibi nasum praecidit, idem et reliquae sponte effecerunt: quo audito Soldanus earum prudentiam et fidei constantiam admirans vehementer probavit. Ex itinerario Ditmari, et ex speculo exempl. dist. 9, num 24.

Insignis quoque fuit sanctimonialis illa a quodam principe, in 3
cuius ditione monasterium erat, ardenter concupita; adeo ut precibus muneribusque eam ad se allicere non valens, tandem monasterium igne se crematurum minaretur; quod audiens pudica puella et intelligens principem propter oculorum venustatem eam deperire, ambos sibi oculos evulsit, atque in disco principi praesentandos dedit, illis verbis: *Habeto oculos quos desiderasti, modo meos cordis oculos intactos atque illaesos relinquas.* Ex Iacobo de Vitriaco cardinali, et ex speculo exemplor. dist. 9, num. 23.

2. *S. Euphemia.* Haec nobilis virgo a patre contra suam vo- 4
luntatem cuidam comiti desponsata, cappellam ingressa, opem Deiparae invocans nasum sibi praecidit et labia, quo ab horrendis sceleribus eius, quantum in erat se deformando, ut a coniugio libera maneret. Quare ab irato patre cuidam rustico in ancillam tradita, magnis laboribus et plagis ab eo afflicta, septennio in his expleto, die dominicae nativitatis, familia ad mensam considente, ipsa ad stabulum laudes Deo redditura se contulit, ubi Deipara angelorum et virginum multitudine stipata, immensa fulgore circumfusa eam ad constantiam hortata, nasum et labia ei restituit. Re cognita pater eius in loco stabuli monasterium virginum construxit in quo Euphemia Deo serviens brevi in Domino quievit. Spec. exempl. dist. 9, n. 22.

3. *S. Andragesina.* Haec virgo nobilissima in Gallia cum An- 5
sberto paris nobilitatis viro coniugio colligata virginitatem servavit; verum monasticae vitae desiderio ardens Dominum oravit,

Digitized by Google

ut deformis efficeretur. Quare eius facies immundissima lepra occupatur, nec ulla medicorum medicina curari potuit, donec sacro velamine in monasterio suscepto pristinae pulcritudini et valetudini esset restituta. Ansbertus vero primum monachus, deinde rothomagensis episcopus sanctitate clarus decessit. Surius in vita sancti Ansberti tom. 2.

6 4. *S. Birgitta*. Haec virgo in Scotia facie decora cum multis modis ad coniugium solicitaretur, Dominum rogavit, ut turpem ipsam efficeret, sicque ab eius coniugio omnes absterrerentur. Mes exaudita est, et oculus eius crepuit; quare permissa virginitatem Christo consecrare, cum velum accepisset, lignum altaris ab ea tactum viruit, eiusque oculus sanitati restitutus est. Sigebertus anno 510.

7 5. *S. Phara*. Haec virgo in Gallia claris parentibus orta cum a patre Agerico nuptui tradenda esset, continui fletus moerore ea de causa confecte visum amisit, quem b. Eustasius abbas lusoviensis divinitus ei restituit. Sigebertus anno 610.

8 6. *B. Margarita*. Haec virgo Hungariae regibus orta in Ordine praedicatorum Deo sacrata, B. Virgini impense addicta, a duce Poloniae, rege Bohemiae, et Carolo rege Siciliae in coniugium expetita constanter renuit. Cumque ei diceretur summum pontificem in voto virginitatis, quod nuncupaverat, dispensaturum, respondit: *Nares sibi potius et labia praecisuram, et oculos eruturam, quam in cuiusvis coniugium consensuram.* Abraham Bzovius ad annum 1270.

DISCURSUS CCCCIX

NOMINA EORUM QUI CONTRACTO IAM MATRIMONIO, SED NONDUM CONSUMMATO, STUDIO SERVANDAE VIRGINITATIS A CONIUGALI THORO ABSTINUERUNT, VEL RELIGIONEM INGRESSI SUNT

1 Etsi coniuges post consummatum matrimonium sine mutuo consensu, et eius qui in ingressum alterius consensit continentiae voto, a se invicem separari, Religionem ingredi, et in ea profiteri non valeant; ante consummatum tamen matrimonium invito quamvis, et contradicente altero coniuge, id eis integrum est, ob excellentiam religiosi status, in quo Christus mortali coniugi praefertur, ut docet s. Thomas cum aliis theologis 4, dist. 27, quaest. 1. Hinc Ecclesia coniugatis post matrimonium ratum bimestre tempus concedit ad deliberandum de Religionis ingressu. Cap. ex publico de conversione coniugatorum. Huiusmodi quamplurimi fuere.

2 1. *S. Thecla*. Hanc ante matrimonii consummationem s. Paulum a nuptiis revocasse testantur s. Epiphanius haeresi 78, et s. Ambrosius lib. 2 de virginitate.

3 2. *S. Alexius*. Hic Romanorum nobilissimus prima nocte nuptiarum intactam sponsam relinquens, suscepta illustrium orbis terrae ecclesiarum peregrinatione, Romam post 17 annos incognitus in summa paupertate et humilitate vivens migravit in coelum, Innocentio primo pontifice. Surius die 17 iulii.

3. *S. Margarita*. Haec virgo aegyptiaca nuptui a parentibus tradita, prima nocte cum sponsus propter laborem in choreis ea die susceptum profundo somno teneretur, ipsa tonsis crinibus, sub viri habitu se Pelagium appellans, et clanculum in monasterium virorum aufugiens, ab eisque admissa, sanctissimam ac religiosissimam vitam duxit. Petrus de Natal. lib. 9, c. 27.

5 4. *S. Abraham*. Hic probatissimus eremita, celebratis nuptiis, luce divinae gratiae in corde collustratus, e civitate egressus eremum petiit, opibus omnibus quae sibi post parentum mortem obvenerant, in pauperes et orphanos distributis. In vita solitaria 50 annis expletis, plenus virtutum migravit ad Dominum anno 522. Surius tome 2.

6 5. *S. Macarius romanus*. Hic a parente vel invitus ad matrimonium pertractus, nuptiis celebratis, thalamo adornato, cum omnes iocis ac saltationibus vacarent, furtim egressus, duce angelo Raphaele, in specie viri venerabilis iter suscepit, et ad solitudinem quae viginti milliaribus a paradiso terrestri distat, ab eo deductus est. Gratianus c. 27, quaest. 2. Fusius haec historia narratur in vitis sanctorum patrum.

7 6. *S. Desiderius*. Hic ex nobilissimo beneventanorum principum sanguine originem ducens, parentibus unicus, a patre posteritatis cupido puellae aeque nobili desponsatus, patre ex hac vita subtracto, puellam intactam relinquens monachus efficitur; deinde abbas cassinensis, postmodum summus pontifex Victor III dictus. Leo ostiensis in chron. cassinen. lib. 1, c. 1, et sequ.

7. *S. Leobardus*. Hic teste Gregorio turonensi foedera nuptialia cum honesta filia inita rupit, et invitis parentibus monachus factus est. Plures alios huiusmodi pudicitiae cultores, et Divae Virginis veros imitatores invenies apud Petrum Antonium Spinellum tractatu speciali de virginibus num. 77, et deinceps. 8

DISCURSUS CCCCX

NOMINA VIRORUM QUI IN MATRIMONIO VIVENTES VIRGINITATIS FLOREM ILLIBATUM CONSERVARUNT

Hic arcem tenet beatissimus Ioseph Sanctissimae Genitricis 1 Dei Mariae sponsus, qui non permisto corporis sexu, sed custodite mentis affectu, ut d. Augustinus ait, virginitatis florem immarcescibilem in coniugio servavit. Beatam Dei Genitricem Mariam semper Virginem fuisse tota Ecclesia credit. Sanctum Ioseph mundissimum in virginitate fuisse superius discursu CXVI abunde probatum est.

1. *Sancti Chrisantus et Daria*. Hi non tantum in coniugio vir- 2 ginitatem servarunt, verum etiam spirituali prole fecundi, Romae innumerabilem hominum multitudinem tam virorum, quam mulierum castitatem colentium Christo aggregarunt. Quorum celebris memoria in Ecclesia fit die 25 octobris.

2. *S. Iulianus antiochenus*. Hic natalium splendore illustris, 3 nuptiis cum Balissa virgine celebratis, prima nocte Balissae rosarum ac liliorum fragrantiam hiemali tempore admiranti odorem hunc virginalis pudicitiae esse affirmavit; quare ad castitatis votum illam facile perduxit; quos mirifice in proposito confirmarunt Christus ac eius Genitrix Maria sanctorum coetibus stipati ab eis visi; quorum etiam capitibus coronas aureas imposuere. Vide Lippomanum tomo 7 ex Metaphraste plura de illis narrante.

3. *S. Henricus II*. Hic imperator Deiparae studiosissimus cum 4 sancta Chunegunde uxore sua perpetuam virginitatem coluit. Non eos ab hoc proposito prolis suscipiendae desiderium, cui fasces imperii relinquerent, removit, quin etiam virginitatem aliis bonis operibus adeo cumularunt, ut utriusque memoria celebris in martyrologio habeatur; sancti quidem Henrici die 14 iulii, sanctae vero Chunegundis die 2 martii, de quorum virginitate et pietate in templis construendis Gotifredus viterbiensis in suo chronico ita cecinit:

Coniuge virginea virgo permansit et ille,
Catholicas dedit ecclesias numero quasi mille.

4. *S. Emericus*. Hic sancti Stephani Hungarorum regis filius 5 coelitus monitus, ut virginitatem illibatam Deo consecraret, cum parentis precibus regno consulere volentis sponsam regia stirpe ortam duxisset; carnis tamen integritatem sancte custodivit ad mortem usque, quae in annum 1032 incidit. Eius natalis dies 4 novembris in martyrologio recensetur.

5. *S. Pelagius*. Hic adolescens uxorem duxit: prima autem 6 nuptiarum die in ipso nuptiali thalamo sponsae castitatem persuasit, eamque loco sororis habuit. Cumque postea plurimis virtutibus ornatus in episcopum laodicensem assumptus esset, a Valente imperatore ariano in Arabiam propter fidem catholicam est relegatus, tandem in Domino quievit. Theodoretus libro 4 histor. cap. 11.

6. *S. Eduardus Angliae rex*. Hic vitae sanctimonia clarissi- 7 mus, cuius simplicitatem Deus fovisse dicitur, ut nimirum timeri posset, qui nesciret irasci, virginalem castimoniam servare decrevit. Procerum tamen rogatu, qui de eius successione erant solliciti, ut suum consilium tegeret, Ægidam coniugem duxit, cui ut una perpetuam virginitatem coleret, persuasit. Eius memoria recolitur die 5 ianuarii.

7. *Alphonsus II Castellae rex*. Hic uxorem Bertam nunquam 8 attigit, et ob id castus vocatus est. Volterranus lib. 2, et Mariana lib. 7 de rebus Hispaniae.

8. *S. Elzearius Ariani comes*. Hic cum Delphinam virginem 9 nobilissimam sibi desponsasset, Dei tamen beneficio incorruptum cum coniuge et illibatum virginitatis florem conservavit, ac miraculis clarus ex hac vita decessit. Eius vitam vide apud Surium.

Digitized by Google

10 9. *Baleslaus Pudicus Poloniae rex.* Hic cum uxore Chunegunde perpetuam virginitatem voto firmatam servavit, unde *Pudici* nomen accepit. Clemens Ioanic. poeta polonicus sic de eo cecinit:

Coniuge consenuit cum virgine virgo maritus.

Traditio est, eam vitae perfectionem ambos istos coniuges hausisse ob exemplo et sanctitate d. Hyacinthi Odrovazii Ordinis praedicatorum, qui per id temporis Poloniam miraculis illustrabat. Bzovius ad annum 1239.

11 Fuerunt et alii plurimi eiusmodi viri coniuges, in quorum matrimonio virginitatis castimonia mirifice enituit, ut Amon aegyptius, s. Amator, s. Arnulphus, s. Vandregisillus, Ansbertus, et alii quidam innominati, quos recenset Petrus Antonius Spinellus tract. de virgin. num. 73.

12 Fuerunt etiam quamplurimae matronae nobilissimae, quae nuptui traditae, ut corporis integritatem custodirent, viris continentiam persuaserunt. Talis fuit s. Caecilia uxor Valeriani, Silvania uxor Rufini praefecti, Magna virgo, Olympias virgo, Pulcheria Augusta Marciani imperatoris coniux virgo, Maxima Martiniani uxor virgo, s. Catharina, Birgittae filia, Eghardi uxor virgo, de quibus latius disserit Spinellus tract. memorato, n. 79.

13 Fuerunt et coniuges, qui in legitimo matrimonio aliqua prole suscepta qualiquali imitandae puritatis Deiparae Virginis studio pari inter se voluntate continentiam coluerunt. Eiusmodi fuit s. Hilarius Pictavorum episcopus, s. Paulinus, postea episcopus nolanus, Theodorus Manlius, Aiax, postea episcopus botolianus, Ino occidentalium Saxonum rex, Rachis Longobardorum rex, Vincentius confessor, Petrus Urseolus dux Venetorum, s. Ioannes Columbanus nobilis senensis, postea fundator Ordinis iesuatorum, Everardus s. Edmundi archiepiscopi parens, abbas Theom. Hos memorat Spinellus tractatu iam dicto num. 83.

14 Et matronae devotissimae, ut Melania romana, Monegundis, Radegundis regina Galliae, Salaberga, Amelberga, Wilfrudis Anglorum regina, s. Maria oegniacensis, quae nuptui a parentibus tradita, suscepta aliqua prole, ab officio maritali studio continentiae abstinuerunt, et ieiuniis, precibus, aliisque pietatis operibus strenue vacarunt, ut Deiparae Virgini qualiquali modo se conformarent. Harum praeclara gesta invenies a probatis auctoribus Surio, Gregorio turonensi, Iacobo de Vitriaco et aliis conscripta. Vide etiam plures huiusmodi sanctas feminas apud Hieronymum Platum de bono status religiosi lib. 2, cap. 26, et 27.

15 Fuerunt et viduae quae, ut puritatis Virginis Deiparae quoquo modo aemulatrices essent, ad secundas nuptias nulla ratione adduci potuerunt. Sed quoniam huiusmodi fere infinitae sunt, nonnullas solum sanctitate clariores commemorare libet. Talis fuit s. Natalia, s. Marcella romana, s. Euphrasia, s. Theodota, s. Galla, s. Elisabeth, s. Rictrudis, s. Edwigis, quarum praeclara gesta compendiose collegit Petrus Antonius Spinellus in fine saepius memorati tractatus de virginibus. Eum proluerit legere qui horum omnium gesta avet nosse. Nos ne acta ogera videantur, supersedemus; nam ad finem properamus.

DISCURSUS CCCCXI

NOMINA VIRGINUM QUAE MARIAE EXEMPLUM SECUTAE IN RELIGIONIBUS VIRGINITATEM SUAM PER VOTO DEO OBTULERUNT, ET DIVIS GRATIIS AC FAVORIBUS, NECNON COELESTIBUS REVELATIONIBUS A B. VIRGINE DIGNATAE FUERUNT

1 Prima omnium feminarum Maria virginitatem suam Deo per votum obtulit, ut saepius diximus. Idcirco a d. Damasceno oratione 1 de natura Deiparae *virginitatis planta* dicta est. *Tu*, inquit, *virginitatis veracissima planta; per te enim virginitatis pulcritudo latissime sese diffundit.* Ob eam etiam causam virginitas Mariae amygdalo comparari solet. Sicut enim amygdalus prima inter alias arbores floret; sic et B. Virgo prima virginitatis votum emisit, prima floruit, prima signum virginitatis extulit, idcirco virginitatis signifera dicitur.

2 Ubi ergo Maria signum virginitatis extulit, statim quamplurimi tum viri tum feminae sub hoc vexillo Christo sua militare coeperunt. Sed hoc donum virginitatis in feminas uberius derivatum est, quia nimirum a femina incipit, ut divus Hieronymus epistola 22 advertit: *Ditius virginitatis donum fluxit in feminas, quia coepit a femina.* Aegidius in sermone de Deipara narrat supra mille feminas extitisse, antequam Maria egrederetur a sanctuario, quae suam virginitatem servare decreverunt. Tantum potuit unius Virginis exemplum!

Posterioribus saeculis non mille tantum, sed myriades millium, immo millionum fuerunt, quae sub Mariae vexillo steterunt, et sub eius ductu in virginitatis castris Christo militaverunt. Eas tantum commemorare libet, quae in claustris sub aliqua regula ab Ecclesia approbata sancte vixerunt, et admirabiles visiones, coelestes revelationes, magnas spirituales consolationes divinitus habere meruerunt. Harum enim exemplis citius ad amorem Dei, eiusque Matris cultum ac venerationem plures accendere possunt. Age ordiamur ab antiquiore Ordine sancti Benedicti. 3

EX ORDINE S. BENEDICTI

In hoc Ordine multiplicata est sancta virginitas, et sicut stellae coeli in immensum excrevit, et implevit domum Domini. Antiquitus fundabantur coenobia, aedificabantur monasteria, replebantur claustra, confluebant virgines, matronae nobiles, et potentes in saeculo, quae, relictis hereditatibus terrenis et immensis possessionibus, praeeligebant abiectae esse in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Illustris prosapiae virgines oblata matrimonia contemnentes, relictis ingenuis parentibus, et blandimentis ac saeculi deliciis, proiectis ornamentis et vestibus pretiosis, Christo sponso virginum iungebantur, ut sub vexillo a sacra eius Genitrice erecto commodius militarent; apud Deum namque etiam sexus femineus militat. Nonnullas ex his virginibus magis celebres, magisque sanctitate conspicuas, maioribus coelestibus revelationibus a B. Virgine dignatas dabo. Sit igitur prima 4

1. *S. Gertrudis.* Haec virgo sanctissima, cuius admirabiles et plenas coelestium deliciarum visiones plerumque in hoc opere memoravimus, quinquennis in monasterium virginum heldefense Ordinis s. Benedicti, cuius postea facta est abbatissa, adducta fuit, ibique omnium virtutum splendore mirifice refulsit; sed praecipue Deiparae Virginis cultum cordi habuit, a qua eximia familiaritatis ac benevolentiae signa habuit, quae recensere libet. 5

In festo purificationis Deiparae Virginis dum in officio matutino caneretur versus octavi responsorii: *Ora pro nobis etc.* Deipara Virgo se ei visendam praebuit, viditque eam Gertrudis coram Filio suo genua flectentem, seseque illi offerentem in mediatricem et advocatam monialium, proque illis singillatim preces fundentem. Ad haec Filium vidit magna cum reverentia Matrem suam e terra sublevantem, eamque prope thronum gloriae suae collocantem cum potestate praecipiendi quicquid vellet. Itaque choro spirituum beatorum, quos *potestates* sacrae litterae vocant, mandat, ut illico monasterium circumdent, quo protegatur a variis insidiis, quas ei parabat inimicus humani generis. Quod quidem ab iis praestitum, qui mox scuta scutis coniungentes universum monasterium cinxerunt. Ex libro 9 insinuat. div. pietat. cap. 9.

Eodem die, sed non anno, cum iaceret aegra b. Gertrudis, atque tristis admodum, quod a solitis animi solatiis carere videret, apparuit ei Sanctissima Deipara: Quemadmodum, inquiens, non meministi te maiores unquam in morbo ullo perpessam dolores quam sint praesentes, ita tibi persuadeas velim nullo te unquam tempore a Filio meo tot cumulatam donis, quam te deinceps cumulabit, cum infirmitas ista animum tuum praeparavit, atque confirmarit ad digne ea suscipienda. Ibidem lib. 2, cap. 7.

In festo annuntiationis M. B. Virginis b. Gertrudis lecto affixa ob infirmitatem, dolensque quod integram Deiparae coronam pro more recitare nequiret, statuit haec tantum verba: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum* pronuntiare expendendo cum affectu mysteria et virtutes Virginis. Quod dum facit, statim ei apparuit B. Virgo amicta pallio viridi, in quo praeter alios flores resplendebant rosae constantes sex foliis, quorum tria quasi aurea diversis gemmis ornata, alia tria indicibili colorum varietate pulcherrime distincta erant. Intellexit autem tribus primis aureis folia tria priora angelicae salutationis capita, quae perpenderat, repraesentari. Alia vero tria a sponso inexplicabili colorum varietate adeo ornata, ad remunerandum affectum, quo dulcissimam Matrem suam salutasset. Lib. 4 insinuat. cap. 49.

In vigilia assumptionis B. M. Virginis ipsa Virgo ei se videndam praebuit; vidit itaque oculis mentis simul cum Filio sedentem in loco honoratissimo capituli, expectantemque adventum religiosarum, quas simul cum Filio summis cum benevolentiae signis excepit.

Alias eodem die vidit B. Virginem in horto amoenissimo, summo cum artificio culto, ac floribus omnis generis consito. Eodem die cum verba illa quae in collecta istius diei leguntur: *Deus qui virginalem aulam* etc. audiret, et in verba illa: *Ut sua nos defensione munitos iucundos facias suae interesse festivitati*, diligentius intenderet, vidit Sanctissimam Deiparam expandentem pallium suum quasi ad suscipiendum omnes confugientes ad se in speciale patrocinium. Tunc sancti angeli adducebant coram ea illos qui se speciali devotione ad id festum celebrandum praeparaverant, qui reverenter sedentes coram tanta Matre sanctorum angelorum ministerio undique fulciebantur, et ab insidiis daemonum protegebantur.

Eadem b. Gertrudis vidit Deiparam tempore sacri gloriosam, et omni virtutum splendore fulgentem, ad cuius pedes sese abiecit humiliter postulans, ut se praepararet ad digne sumendam Eucharistiam. Quod et praestitit, in cuius signum immisit in collum d. Gertrudis torquem pretiosum et splendidum, septem distinctum radiis, in quorum singulis emicabat lapis pretiosus, quo significabantur praecipuae virtutes, quibus ipsa Gertrudis Deo placebat, quas singillatim prosequitur loco citato.

Eodem die, sed non anno, Dei Mater se exhibet visendam pallio circumamictam viridi, variis distincto floribus aureis, instar trifolii. Per quos aiebat indicari voces, quibus sociae eius religiosae ei supplicaverant, quibusque ut floribus ipsa V. Maria ornabatur. In his autem floribus alii aliis virebant magis, prout orationes sororum minus aut magis erant purae ac devotae intentionis.

In festo assumptionis Deiparae eadem s. Gertrudis vidit Sacram Dei Genitricem summa cum benevolentiae et honoris significatione a Filio excipi. Lib. 4 insinuat. de piet. cap. 49. Alias eiusdem virginis admirabiles visiones superius in hoc opere passim sparsas videbis.

6 2. *S. Mechtildis*. Haec b. Gertrudis socia in eodem monasterio Religionem s. Benedicti professa, in devotione erga Beatam Virginem Gertrudi haud inferior. Hanc Deipara Virgo docuit recitare ter salutationem angelicam hoc modo, promisitque si illam servaret, se hora mortis adfuturam: Recitata prima *Ave Maria*, subiicies hanc orationculam: O Domina mea Sancta Maria, sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit, ita mihi quaeso adsis in hora mortis expellendo a me omnem contrariam potestatem. Secundae salutationi subdes: O Domina mea Sancta Maria, sicut Filius Dei tanta te cognitione et claritate dignatus est, ut totum coelum illumines; ita in hora mortis animam meam cognitione fidei sic illustres, et corrobores, ut nullo errore, aut ignorantia pervertatur. Post tertiam salutationem dices: O Domina mea Sancta Maria, sicut Spiritus sanctus suum amorem plene tibi infudit, ita tu in morte dulcedinem amoris divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur suavissima.

7 Cum b. Mechtildis cogitaret quodnam Virgini gratissimum obsequium offerret, vidit illam gestantem in pectore aureis exaratam litteris angelicam salutationem, audivitque ab ea verba ista: Supra hanc salutationem nunquam homo pervenit, nec aliquis me dulcius salutare poterit, quam is qui salutat in illa reverentia, qua Deus Pater me per hoc verbum *Ave* salutavit, confirmans me omnipotentia sua, ut essem libera ab omni vae culpae. Filius quoque sua sapientia sic me perlustravit, ut sim clarum sidus, quo coelum et terra illustrantur, quod insinuatur per hoc nomen *Maria*, quod significat maris stella. Spiritus quoque sanctus gratia sua me replevit, quod innuitur in hoc verbo *gratia plena*. Porro in hoc verbo *Dominus tecum* admoneor inaestimabilis unionis et operationis quam tota Trinitas in me effecit, cum carnis meae substantiam divinae naturae in persona Filii univit. Porro quid dulcedinis in illa hora senserim, nemo unquam experiri potuit. Per *benedicta tu in mulieribus*, omnis creatura mirando agnoscit et contestatur me benedictam et exaltatam super omnia. Per *benedictus fructus ventris tui*, benedicitur et extollitur excellentissimus et perutilis fructus ventris mei Iesus Christus, qui omnem creaturam vivificavit, sanctificavit, in aeternum benedixit. Ex ipsius vita.

Quodam tempore eadem s. Mechtildis cum legeret evangelium illud, *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius*, etc. et perveniret ad illa verba, ubi Christus Ioannem Matri suae commendat, *Mulier ecce filius tuus*, venit in mentem Christum orare, ut eam etiam Matri suae commendare dignaretur. Oranti Christus apparuit, eamque in manus Matris suae tradens dixit: *Mater mea, ego hanc tibi commendo ut plagas meas. Iterum eam tibi commendo tanquam mei pretium, meminisseque te velim quanti illam feci, cum eius amore captus pro eius salute mortem crucis obierim. Denique eam commendo tanquam cordis mei delicias et amores, cum non ignores delicias meas esse cum filiis hominum.* Tum ad Christum s. Mechtildis: *Nonne idem, o bone Domine, praestare velles quibuscumque, qui id exoptant?* Annuit Christus: *Neque enim*, inquiens, *acceptio personarum est apud me.* Antonius de Balinghem die 26 februarii ex libro 5 vitae eius.

EX ORDINE CISTERCIENSIUM

Cisterciensis Ordo qui D. Virginem Religionis suae matrem, patronam et advocatam specialem agnoscit, cui uno humero servit, quam honorat ut matrem, timet ut Dominam, sequitur ut stellam, multas virgines Deo sacratas in suo Ordine habuit. Nonnullas magis celebres commemorare placet. Sit prima

1. *S. Lutgardis*. Haec ex Ordine benedictino ad cisterciensem reformationem migravit. Placuit hoc ipsius consilium Deiparenti Mariae. Oranti namque apparuit congratulans ei, quod monasterium et Ordinem sibi specialiter addictum complexa esset. 8

Sub hoc sacro instituto admirandis virtutibus effulsit, et Christi complexu multisque aliis revelationibus nobilitata fuit. Per quinque continuos annos, quotidie fere ab ipsa Dei gloriosissima Matre, vel ab angelis, vel ab aliis coeli civibus visitari meruit. Henriquez in menologio cisterciensi die 16 iunii.

2. *B. Eulalia*. Haec Deiparentem singulari affectu colebat se ei sollicitis precibus commendans, singulis diebus pia angeli salutatione frequenter compellabat, cuius grata praesentia frui meruit. Vigilanti Beata Dei Genitrix apparuit dicens: Dormis Eulalia? dormis filia? Cui illa: Non dormio, inquit, Domina mea carissima, sed a te quaero, cur ad me peccatricem et indignam dignata es venire mundi Regina? Et Domina: Ne timeas Matrem piam filia carissima, cui quotidie quamplurima exhibes servitia. Quando me salutas angelica salutatione, noli, si vis mihi placere, et magis tibi proficere, amodo illam salutationem tam cito proferre. Scias me tunc gaudium magnum percipere, maxime cum dicis: *Dominus tecum;* nam tunc videtur mihi, quasi intra me praesentem habere Filium meum, sicut cum de me dignatus est nasci Deus et homo. Et sicut tunc fuit mihi gaudium ineffabile: ita et nunc, cum dicitur mihi: *Dominus tecum*. Hac visione b. Eulalia exhilarata pro tam pia consolatione, et admonitione gratias egit, et B. Virgo cum claritate magna ad coelestia regna rediit. Menologium cisterciense die 11 maii. 9

3. *B. Ida de Lewis*. Haec inter alia pietatis suae erga Deiparam Virginem praemia puerum Iesum a B. Virgine sibi amicissime oblatum non semel videre, amplecti, inter ulnas fovere, ac deosculari meruit. Aliquando in nocte dominicae nativitatis aegrotanti Regina angelorum apparuit puerum gestans in ulnis totius pulcritudinis lumine radiantem, dixitque ei: *Ecce dilectus Filius meus in hac hora natus fuit: quo carius donum non habens, hunc tibi et conventui hodierna die conferam.* 10

Eidem virgini accidit, cum in quadam solemnitate B. M. Virginis matutinis officiis interesset, decus coeli, Regina virginum, et angelorum laetitia ei vigilanti apparuit, gerens in ulnis puerum excellenter pulcherrimum, quem b. Idae praesentavit: ipsa gaudens et hilaris dulciter eum excepit. Contigit tunc eam cantare debere secundum Ordinem suum versum psalmi, et quid faceret ignorabat. Cogitansque secum haesitavit, dicens intra se: Si tenuero puerum inter brachia mea, versumque sic cantavero, statutum Ordinis non servabo, quia cucullae manicas extensas Ordo iubet habere. Cumque tempus cantandi iam instaret, dixit puero: Cogitate de vobis Domine, quia satisfacere debeo Ordinis mei praecepta. Cumque versum incepisset, collo eius puer adhaerens illam secum firmiter vinciens brachiorum vinculis praedulcibus se illi colligavit. Ipsa vero versum quem inchoaverat, melius solito percantavit. Postea residens secundum Ordinem, et reponens supra gremium suum puerum venerabilem consola-

Digitized by Google

tiones quamplurimas ab ipso recepit. Monologium cisterciense die 29 octobris.

11 4. *B. Ida de Nivella*. Haec inter alia benevolentiae signa puerum Iesum amplecti et deosculari meruit, quod sic in eius vita narratur. Regina misericordiae Virgo Maria gestans in ulnis suis benedictum fructum ventris sui Christum ei repente assistens apparuit. Quae cum deflecteret in eam illos suos misericordes oculos, sua dulci benignitate Filium suum ei porrexit, et ait: Accipe eum, et collocans in gremio tuo, desideratis amplexibus et osculis diem festum age cum eo. Quem illa suscipiens, et eum insatiabili desiderio strictum in ulnis suis amplexans, osculari non cessabat. Frequenter etiam eundem Christum post consecrationem tanquam puerum pulcherrimum in sacrificio missae contemplabatur. Cumque timeret, ne forte minoris apud Deum esset meriti, quandoquidem ei haec frequens et mirabilis visio tanti Sacramenti praebuisset experimentum, vidit eundem puerum Iesum venientem ad se, qui ei amplexum et osculum praebens dixit: Quia speciem humanitatis meae sub forma panis tibi, o dulcis amica mea, visibilem ostendo, non hoc facio quasi de fidei tuae credulitate ambigam, sed ut tibi notum faciam quanto amore, quantave solicitudine zelotes tui sim. Menologium cisterciense die 11 decembris.

EX ORDINE CAMALDULENSIUM

12 1. *B. Paula florentina*. Haec ab infantia se totam Deiparae eiusque Filio sacravit, neque ab imagine Divae Virginis puerum Iesum lactantis oculos fere unquam avertit totos dies noctesque contemplationi intenta. Unde Deipara cum puero Iesu ei apparuit, et oculo puerili lactis rorem degustavit, a quo illa ebria facta, cum in amorem coelestium exarsisset, audivit Deiparam Virginem iubentem, ut iret ad coenobium proximum nominatum sanctorum angelorum, ibique inveniret Silvestrum camaldulensem, qui ei viam salutis ostenderet. Augustinus Iessulinus in eius vita.

EX ORDINE PRAEDICATORUM

13 Orda praedicatorum inter Religiones ceteras gloriosae Dei Genitrici singularitate devotionis adscriptus, virtutum ac doctrinae rutilans, et sanctitatis odore fragrans, fortis Ecclesiae Dei columna, in mystico Christi corpore membrum nobilissimum fere innumerabiles, et sanctimonia illustres, nedum viros, sed etiam feminas produxit, atque sub signis virginitatis Deiparae Virginis strenue militarunt, quae ab ipsa Deipara singularibus gratiis, favoribus, admirandis visionibus, coelestibus consolationibus dignatae fuerunt. Ex tanto numero nonnullas virgines magis celebres et sanctitate illustres producere libet. Prodeat prima nedum antiquitate, verum et sanctitate praestans

14 1. *B. Agnes de monte Politiano*. De huius mira pietate, ac devotione erga B. Virginem superius scripsimus d. CCXXXVII, num. 185.

15 2. *S. Catharina senensis*. Haec virgo eximia omnium virtutum gloria et sanctitate toto orbe celebris, admirandis favoribus, frequentibus visitationibus, ac eximia familiaritate a Christo et Deipara Virgine saepius est honorata. E plurimis in eam amoris argumentis a Christo et Deipara ei collatis primum est, quando ipse Christus coram Matre sua, et aliquot sanctis, mirabili modo dato illi annulo, eam sibi in sponsam accepit. Alias ex parva, eaque putida farina plurimos eosque optimos panes faciens, sacram Dei Genitricem multis sanctis et angelis comitatam conspicuam habuit, quae sacratissimis suis manibus cum ipsa panes pinsit. Inde factum, ut illi panes augerentur, et tam grati essent saporis, ut stuperent, qui eos gustarent.

Ab ipsa infantia haec virgo singulari pietate Deiparam coluit. Annos dumtaxat quinque nata Divae Virgini crebro salutationem angelicam afferebat, et divinitus edocta per gradus paternae domus ascendendo et descendendo ad singulos flexis genibus eandem salutationem pronuntiabat, per quos gradus ut plurimum angelorum ministerio ferebatur, ita ut pedibus eos non tangeret. Septimum iam agens annum Deiparae Virgini suam consecravit virginitatem.

In praemium tantae devotionis angelorum Regina de coelo ad eam lapsa post suavissima colloquia, post oscula vereque maternos amplexus sacratissimis suis illam uberibus aliquando admovit: et ut virgineo lacte non solum labia prolueret, concessit; verum etiam ut ipsum misericordiae sinum coelestis nectaris delicias ebria, veluti exhauriret, ingenti munere donavit. Id memorat Ioannes Gavaston opere de sanctis tertiariis Ord. praedicatorum lib. 2, cap. 4 in fine.

Semel ob levem aliquam culpam eam dignata est Deipara increpare. Res ita contigit. Dum semel divinae visioni intenta eam socia sui confessarii Raymundi narraret, sub ipsa narratione transeunte eius germano fratre, oculos paulisper convertit, ut videret quis esset, celerrime se referens ad coelestem visionem; quare ob tantillam a divinis distractionem durissime a Sancta Dei Genitrice, et a d. Paulo est reprehensa, ita ut mox in acerbissimum fletum prorumpens nihil ultra locuta fuerit, dixeritque postea tam acrem fuisse reprehensionem, ut potius eligeret coram universo mundo ignominiosissime pudefieri, quam iterum ita reprehendi.

Huic virgini Deus Pater revelavit dicens: Matri unigeniti Filii mei Mariae Virgini datum est a bonitate mea, ut propter incarnati Verbi reverentiam quicumque etiam peccator ad eam debita cum veneratione recurrit, nullo modo rapiatur a daemone. Haec est enim a me electa, parata et posita tanquam esca dulcissima ad capiendos homines, ac potissimum peccatores. Ex ipsius vita apud Surium.

3. *B. Margarita regis Hungariae filia*. Haec vix quartum aetatis annum attigerat, cum Deiparae officium recitaret, quod ex solo religiosarum cantu in choro didicerat: proinde ab ipso fere lacte eam coluit. Nullam eius imaginem praeteribat, ante quam se non prosterneret, et salutatione angelica compellaret. Nomen Iesu et Mariae in eius ore aeternabat. Quod si solemnes Virginis feriae celebrarentur, illa eandem salutationem proximis octo diebus millies recitabat, ac in ipsa recitatione simul se humi prosternebat. Ei res parens monasterium in quadam insula Danubii aedificavit, quod nuncupavit monasterium B. V. Mariae. Pro festis Deiparae solo pane et aqua contenta ab omni alio cibo potuque sese continebat. Lubentissimis auribus excipiebat voces concionatorum, potissimum ubi de Genitrice sermonem habebant, quam in advocatam singularem sibi delegerat, eamque nonnisi altero nominum horum appellabat, scilicet Matris Dei, et spei suae beatissimae. Audito insuper eius nomine, aut ab ipsamet prolato, profunde corpus demittebat honoris ergo. Tanto eius erga Deiparam affectui respondit etiam ipsa vicissim eam honorando. Nam visa sub mortis tempus ad eam venire stipata magno coetu sanctorum angelorum, eiusque capiti coronam imponere. Visa etiam scala a terra ad coelum usque pertingens, per quam Deiparam revertentem sancta Margarita sequebatur sereno et laeto vultu, quod se diademate gloriae cinctam videret. 16

De ea narratur quod cum antequam solemni sese castitatis voto obligaret, in uxorem expetita esset a regibus Bohemiae, Poloniae, et Siciliae, illisque responderit, prius se naso detruncare, et luminibus privare, totoque vultu deformare malle, quam Christo desponsam virginitatem violare. Garinus in compendio vitae eius.

4. *B. Margarita a Castro*. Haec devotionis suae erga B. M. Virginem hoc speciale argumentum dedit quotidie recolens haec tria mysteria. Primo, quomodo Deipara virgineo suo utero Iesum Christum contineret. Secundo, quomodo ex ea natus. Tertio, quomodo utrique servierit Ioseph sponsus, maxime in itinere Aegypti. Haec tria mysteria erant ei pabulum quotidianum, eaque nocte ac die animo pervolutabat: summa ea erant argumenta sermonum eius, neque alia de re loquebatur. Et quod omnem excedit admirationem, a morte ipsius in corde inventi sunt tres lapilli pretiosi, qui tria mysteria exhiberent. In primo sculpta erat effigies speciosissimae virginis cinctae diademate aureo. In secundo pueri recens nati in medio duorum animalium. In tertio senis aurea clamyde induti, ad cuius pedes in genua strata erat virgo Ordinis d. Dominici. Neque vero ignorabat haec virgo se tantum thesaurum in visceribus continere. Vivens enim solita erat dicere amicis: O si sciretis quantus in corde meo lateat thesaurus! Porro lapides illi etiamnum servantur in templo dominicanorum. Balinghem die 13 aprilis. 17

5. *B. Margarita iprensis*. Haec cum tribus diebus et noctibus peccata sua deflesset, (licet innocentiam semper baptismi retinuisset) videre meruit Sanctissimam Deiparam, eiusque alloquio recreari et manus eius ad pectus suum admotione sanari his additis verbis: *Sana te in anima et corpore, et scito tibi a Filio meo dimissa esse peccata*. Eandem Virginem et Christum ante 18

Digitized by Google

obitum suum vidit. Hoc fuit sub anno 1237. Thomas Cantipratanus.

19 6. *B. Stephana soncinas*. Huic postquam virginitatem vovisset, apparuit Christus Deipara comitatus, qui eam sibi dato annulo sponsavit, cuius tanta erat species, ut nihil neque diutius neque speciosius cerni posset. Eadem cum ad sacratissimam Dei Matris sedem, quae Laureti visitur, sese contulisset, in ea plurima ei divinitus ostensa sunt. A morte plurimis claruit miraculis. In ceteris rosario Deiparae eius sacro corpori admoto puerulus aeger repente convaluit. Ex libro de viris illustribus Ordinis praedicatorum.

20 7. *B. Margarita sabauda, marchionissa Montisferrati*. Haec cum podagra gravissime torqueretur, atque Deum rogaret, et saltem ei acutissimos illos dolores aliquantulum minueret, apparuit illi B. V. Maria, indicavitque Filii sui voluntatem esse, ut eos cruciatus aequo animo ad usque vitae terminum toleraret. Itaque deinceps summa patientia dolores illos pertulit, neque unquam de iis audita queri. Cumque ab ea quaereretur quemadmodum sese haberet: Optime, inquiebat, quandoquidem in me Dei voluntas perficitur.

Cum neptis eius (quae postea regi Cypri nupsit) a medicis desperata iaceret, ad Christum eiusque Parentem precando se convertit pro neptis sanitate. Nec frustra; nam ipsa eadem nocte qua illa moritura putabatur, apparuit b. Margaritae, indicavitque exauditas eius preces a Filio, neptemque sanitati restituendam. Ex chronicis Ordinis praedicatorum.

21 8. *B. Ioanna de Orvieto*. Haec quodam die assumptionis Deiparae, cum audiret legi historiam festi, et apud se reputaret, quemadmodum ea ad tantam evecta esset gloriam, in ecstasim rapta est, corpusque eius a terra sursum sublatum diutius ita permansit, donec sensim in locum suum restitutum est.

Accidit, ut cum ceteris sororibus Christi corpus sumere non posset, unde multum dolenti apparuit Deipara ulnis Filium suum complexa, qui in haec verba ad illam: Ioanna, licet me hodie non receperis in Venerabili Eucharistia, nihilominus me semper habes intus in animo per gratiam et amorem eximium quo me prosequeris. Calendarium Beatae Virginis die 23 iulii.

22 9. *B. Lucia narniensis*. Haec cum quinque dumtaxat annos nata ad templum proficisceretur, ac fixis oculis certam Deiparae iconem intueretur, ipsa ad eam: Vis, inquit, tibi tradam Filiolum meum? Illa annuente, vere illum ex sinu matris acceptum domum tulit, mirantibus universis quos offendebat, tam tenerae aetatis puellam tam speciosum gestare infantem, verentibusque ne ei e sinu in terram laberetur. Verum ipse se sustinebat, qui pugillo mundi orbem continet. Domum ubi attigit, supra lectum illum collocat, qui totos tres dies cum ea permansit. Quo toto tempore vere imago illa caruit Christi Domini effigie. Exacto porro triduo Christus invisibili quadam ratione Matri suae se reddidit. Eamdem septennem Christus Dominus sibi despondit coram B. V. Maria, aliisque sanctis. Ex eius vita Balinghem die 15 novembris.

23 10. *B. Benevenuta*. Haec die annuntiationis (cui mysterio singulariter addicta erat) ter mille salutationes angelicas recitabat iis addens in honorem festi ieiunia, vigilias et orationes. Eadem cum tantum septennis esset, quotidie Deiparae mille *Ave Maria* offerebat, quem numerum sabbato duplicabat. Neque extra rem est quod sequitur. Quodam die in templo vidit puerum admirabili specie, a quo petiit sciretne salutationem angelicam. Quo annuente, vicissim eum rogat, an eam ipsamet teneret, postulatque eam semel recitet: paret ille. At cum ad ea verba, *benedictus fructus ventris tui* esset perventum; *Ego*, inquit puer, *sum fructus ille benedictus*, quo dicto disparuit. Ex libro de mulieribus illustribus Ordinis praedicatorum.

Eadem b. Benevenuta, instante festo nativitatis Deiparae, se ad id celebrandum praeparabat vigiliis, ieiuniis et precibus, contendens a Deo impetrare, ut dignaretur sibi ostendere Deiparam inter brachia s. Annae, et quemadmodum ab ea lactaretur et educaretur. Neque frustra fusae preces; nam nocte ipsa nativitatis angeli Gabriel et Raphael id ei indicarunt, simulque docuerunt quemadmodum tantum donum erat recipiendum. Quibus digressis statim comparuit b. Anna Deiparam brachiis complectens, quae brachiola sua ad nostram virginem extendens, praeseferebat velle se eius complexibus stringi. Tum ipsa (prout docta fuerat ab angelis) sese in terram demittit prae humilitate, et paulatim vultum erigens sanctissimam puellam de manu b. Annae accipit, et incredibili animi voluptate unam horam integram retinet. Qua exacta, petenti matri eam restituit. Ex eodem lib. de mulieribus illustribus Ordinis praedicatorum.

11. *B. Osanna*. Hanc et legere et scribere dum adhuc puella esset docuere Christus eiusque Parens sanctissima. Cum decimum octavum annum attigisset, Christus Dominus cum Sacratissima Deipara ac regio prophete ei apparuit, eamque sibi desponsavit annulo in eius digitum indito. 24

Nocte nativitatis Christi rapta fuit semel ad clare perspicienda quaecumque eo tempore contigerunt. Vidit itaque et audivit angelicum concentum; vidit Christum, Matremque eum sinu foventem, unde incredibilem hausit voluptatem.

Die purificationis, postquam sacram Eucharistiam sumpsisset, fuit spiritu rapta Ierosolymam in templum Salomonis. Ibi clare ei datum est videre Virginem Christum Dominum ulnis complectentem, eumque s. Simeoni offerentem, quem iterum ab eo receptum offerebat virgini Osannae, eamque blandis oculis ac serena fronte invitabat ad eum complexandum. At ipsa genibus nixa persistebat Dei misericordiam pro se, et universo mundo implorare. Tandem Deipara eam coegit illum brachiis complecti, sinuque fovere: quod summa cum reverentia ab ea factum est, additis precibus, quibus certa quaedam ab eo flagitabat. Tandem eum restituit Sanctissimae eius Genitrici. Franciscus ferrariensis in eius vita.

12. *B. Catharina Racconisia*. Huic quinquenni die Pentecostes apparuit Deipara candida veste amicta, in cuius fronte instar solis radii emicabat lapis pretiosus instar pyropi, eamque desponsavit Christo Domino, qui similiter apparuit forma quinquennis pueri; eius desponsationis hic fuit ritus. Deipara annulum e digito suo eductum tradidit Filio, quo inserto in novae sponsae digitum annularem, Deiparaque utrinsque manum tenente: *Ego*, inquit Christus, *te mihi sponsam assumo in fide, spe et caritate*. 25

Eadem grandior nata Deo, ac Divae Virgini conceptis verbis virginitatis suae florem dicavit. Quod utrique longe gratissimum accidisse, morte imminente didicit a s. Catharina senensi quae ei apparuit. Ex eius vita apud Antonium de Balinghem die 4 septembris.

13. *B. Columba reatensis*. Haec circiter quinquennis, Deiparam in singularem advocatam electa, frequentius per diem eam salutatione angelica in genua procidens venerabatur. Huic daemon rosarium nonnunquam frangebat, globulosque huc illuc dissipabat, ut eam ab eius recitatione Deiparaeque honore impediret. Ipsa nativitatis nocte ei se praebuit visendum Christus Dominus in praesepi cum Matre Virgine ac sancto Iosepho, audivitque eodem ipso tempore coelestem angelorum symphoniam concinentium: *Gloria in excelsis*. Ex calendario mariano Antonii de Balinghem die 20 maii. 26

14. *B. Clara*. Haec filia regis indi Deo se suamque virginitatem in Ordine d. Dominici sacravit, maxime ad id inducta exemplo Deiparae Virginis. Quotidie a sexaginta angelis in coelum deferebatur, eamque ibi Christus cum Sanctissima Matre sua veste summi pretii gemmisque distincta induebant. Quod quidem visum est a nonnullis eius miraculi testibus. Nonnunquam dum sacratissima Hostia tempore sacrificii elevaretur, vidit Christum ea plane figura, qua ipsum peperit Deipara in spelunca bethlehemitica. Antonius de Balinghem die 3 iulii. 27

15. *B. Maria Razzia*. Haec erat addictissima Deiparae Virgini. Quotidie cum lacrymis rosarium recitabat. In cunctis rebus, et adversis ad eam recurrebat, nec frustra; nam quidlibet ab ea impetrabat: tamque erant ei grata eius obsequia, ut frequentius dignata sit eam visitare et solari. 28

Eidem oranti apparuit Christus stipatus sanctis, qui ei facto signo crucis benedixit. Eum inde secuta est coelorum Regina splendidissimis ornata vestibus, insignique corona caput redimita, quae postquam eam benigno vultu esset intuita, eo modo, quo ante Christus, etiam ipsa ei benedixit.

Rursus alio tempore Deipara se ei visendam praebuit multis comitata beatis, brachiis Christum Iesum complectens. Ibi existenti praeparata a beatis magni pretii sedes in qua consedit. Unde tam ipsa quam Christus aliquoties illi benedixerunt. Eadem hora paulo ante ei apparuerat s. Hyacinthus eiusdem familiae, cuius nomen cum ignoraret, eique ignotus esset, ac propterea ex eo frequentius quaesisset quod ei nomen, a Deipara audivit illum esse Hyacinthum, cuius opem saepius experta esset.

Iterum anno Domini 1591 eidem Deipara apparuit, eiusque capiti speciosissimum imposuit diadema, eamque reginam proclamavit. Insuper eam Regi regum, Christo Domino despondit, anulumque addidit summi pretii pro arrha sponsalitiorum.

Iterum in festo Sanctissimi Corporis Christi eidem Deipara se fecit conspicuam cum divis Catharina et Caecilia. Cumque subvereretur Maria ne daemon suis praestigiis ei vellet illudere: Vade, inquit, Satana, renuntio tibi, nec quicquam volo tecum habere commune, si quid hic tuum est, discede miser. Quae dum diceret, signabat se signo crucis prout solita erat facere. At Deipara ei omnem metum abstersit. Vide, inquiebat, Natum hunc meum: quam speciosus est! Ad quae illa: Non mereor, o Domina, frui tam grato obiecto. Tum Deipara eadem repetit verba, additque: Quas mecum cernis virgines, eae sunt Catharina et Caecilia, a quibus noveris te multum diligi. Ad quae verba tota in lacrimas soluta est, et quas potuit, maximas egit gratias pro tam eximiis beneficiis.

Dum se ei visendam praebet Regina coeli post acutissimos ab ea dolores perpessos, et postquam s. Vincentius Ferrerius ei etiam apparuisset, eamque solatus esset, tunc enim circa finem eius colloquii comparuit Deipara. Illam cohortata est, ut aequo animo pateretur pro amore Filii sui, magnoque eam sua praesentia ac sermonibus perfudit gaudio. Ioannes Petrus caesaraugustanus in eius vita.

29 16. *B. Caecilia.* Haec paucis ante obitum diebus in coelum rapta Deiparam vidit, aliosque sanctos magno numero quos quotidie invocabat, ita ut cum ad sese rediret: Ubi, inquit, sponsus meus Iesus Christus? et ubi eius Genitrix Sanctissima Deipara? A morte manus eius odorem quendam rosarum instar emittebant; quod iis perpetuo rosarium Deiparae tractasset. Ex chronico Ordinis nostri.

30 17. *B. Eustochia.* Haec cum ex gravi et diuturno morbo decumberet, vehemens eam cepit desiderium videndi puerum Iesum recens natum. Itaque postquam toto triduo ferventibus precibus uberrimisque fusis lacrimis id postulasset, in ecstasim rapta in casulam quandam deducta est, ubi vidit B. V. Mariam Natum suum, qui in foeno iacebat, adorantem. Nec beneficio isto contenta, ipsam virginum Virginem amplexata est, brachiisque Christum tamdiu complexa est, dum sacris eius genis mille amoris oscula imprimeret. Tanta autem aiebat se tum dulcedinis suavitate perfusa fuisse, ut nisi a tam dulci somno excitata fuisset, procul dubio vita functa esset, tantaque erat coelestium gaudiorum copia, ut animus corpori nexus eam tolerare non potuisset. Cumque ex ea sciscitarentur nonnulli qualis esset, et qua specie orisque habitu Sanctissima Deipara: Tam erat, inquit, speciosa, ut nemo id verbis exprimere valeat. Apparebat autem circiter quatuordecim annorum. Ex chronico Ordinis nostri Balinghem die 25 ianuarii.

EX ORDINE MINORUM

31 Ordo minorum, velut hortus amoenissimus in Ecclesia Dei, multas sacras virgines Deo ac eius Sacrae Genitrici Mariae admodum devotas velut candidissima lilia et odoriferas rosas produxit, quae odore suae pietatis ac devotionis multos oblectant, et ad cultum Dei Genitricis Mariae attrahunt. Ex his nedum antiquitate, verum et sanctitate prima est

32 1. *S. Clara.* Huic sub mortem apparuit Deipara stipata magno virginum numero in stolis candidis et aureis coronis redimitarum. At omnes ornatu superabat Deipara imperiali diademate caput cincta pretiosis gemmis coruscante; tantus porro ex eius vultu prodibat fulgor, ut noctem in diem verteret. Tum ad aegrae lectum accedens, eam summa amoris significatione ulnis complectitur. Quo facto virgines comites d. Claram eiusque pauperem lectulum pretiosissimo pallio contegunt. Auctores vitae eius.

33 2. *B. Coleta.* Huic aliquando lingua in guttur medium depressa fuit, ut nec loqui nec respirare posset, cui occurrens Deipara eam amplexata et osculata est. Inde lingua rediit in locum suum, moxque ex oculis eius sese subduxit.

Haec a Deo et a B. M. Virgine designata est ad Ordinis reformationem, et ad peccatorum conversionem. Quod cum ipsa facere detrectaret ob suam insufficientiam, Deus eam triduo loquendi facultate privavit, et rursus triduo oculorum usu, donec Dei eiusque Matris Beatae Virginis consentiret voluntati. Quod ubi fecit, et loqui et cernere potuit. Fuisse autem illam ad ista designatam patet ex ista visione. Vidit enim in visu b. Franciscum ipsum exhibentem Christo coram Sanctissima eius Matre, rogareque, ut ipsam sibi donaret reformatricem Ordinis sui, et ut eius opera converterentur peccatores. Porro Christus libenter annuit fratri Francisco.

Orante illa ferventissime Sanctissimam Deiparam pro peccatoribus, ut pro illis apud Filium interveniret, oblatus ei fuit discus plenus particulis carnis tanquam infantis in frusta concisi, dictumque est illi: Quo pacto ego deprecabor Filium meum pro his, qui quot etiam in minores eum discindunt particulas, quam sint hae quas cernis?

3. *S. Rosa.* Huic, cum morti esset propinqua, apparuit B. V. Maria, quae eam est hortata, ut habitum d. Francisci induta Deo in domo paterna serviret. Ex qua visione statim sanata Dei Matri paruit. Cum iterum eam Diva Virgo alloqueretur, Christi crucifixi speciem non sine ingenti compassione vidit. Miraculis in vita et morte claruit. Balinghem die 4 septembris ex eius vita. 34

4. *B. Elena.* Huic totos quindecim menses febre et pleuritide laboranti, et hymnos in summis doloribus decantanti apparuit B. V. Maria. Patavii quiescit eius corpus, quod sese magno cum strepitu movet, quando civitati aliqua clades imminet, verbi gratia, pestis, aut belli aut alicuius similis mali. Tossunanus in historia s. Francisci. 35

5. *B. Catharina bononiensis.* Huius nativitatem nocte, quae felicem partum praecessit, ipsa Dei Mater patri eius Patavae existenti monstravit, eamque futuram mundi lucem praedixit. Eadem nocte quae natalem Christi praecedit, oranti in templo Deipara apparuit infantem Iesum in ulnis gestans, quae et ei Filium suum amplectendum dissuaviandumque tradidit. Aliquando gravi aegritudine afflicta vidit principem orbis Iesum in suo throno sedentem, ac Deiparam cum sanctis Laurentio ac Vincentio una cum innumeris angelis, et quendam in conspectu principis fidibus verba illa canentem: *Et gloria eius in te videbitur.* Vidit etiam Iesum dextera sua apprehendentem ipsam ac dicentem ei: Audi filia diligenter concentum, et percipe quid est, *Et gloria eius in te videbitur.* Multis claruit miraculis, corpusque eius a morte suavi odore et sudore e vultu manante fragravit. Idem adhuc integrum Bononiae visitur et tractabile, ita ut sanctimoniales illud vestiant, in cathedra collocent, mollitie ac flexibilitate membrorum tanta, ut non mortua, sed quasi dormiens videatur. Antonius Flaminius in eius vita. 36

6. *B. Ioanna a cruce tertiaria.* Hanc B. V. Maria a Filio petiit antequam nasceretur, ut monasterium quoddam suum dictum *Sancta Maria a cruce* in Hispania reformaret: petiit et impetravit. Itaque nascitur ipsa anno 1481, quae postmodum facta abbatissa ad optimum statum reduxit monasterium. Quadam vice tres integros dies abstinuit ab uberibus matris, ita ut mater eam censeret mortuam; quare eam vota addita certi doni B. V. Mariae commendat, et mox puellula ad se redit. Cum esset quatuor dumtaxat annos nata, rapta fuit in ecstasim, in qua in locum quendam ducta fuit longe pulcherrimum, ubi varias conspexit matronas, quarum vultus et vestes instar solis radios emittebant. At inter eas eminebat una, quam ipsa loci illius reginam arbitrabatur. Vidit insuper ibidem infinitam vim puerorum, qui eam ambientes petebant quid ibi ageret, dicentes: Quid nobiscum adoras Reginam istam quae est Dei Mater, eique salutem impertiris? At ignoro, inquiebat Ioanna, quid mihi praestandum, ut rite eam salutem: aliud non teneo, quam salutationem angelicam. Itaque in genua procidens eam recitat. Tum angelus eius custos multa secreta ei aperit. Cum (habitu adolescentis sumpto ne agnosceretur) e parentum domo fugeret ad monasterium, de quo paulo ante, ut in eo vitam religiosam iniret, obvium habuit adolescentem qui eam in coniugem expetebat, et solicite ubinam lateret, quaerebat. At Deiparae ope non fuit ab eo agnita. Itaque postquam ei gratias egisset, eadem Beata Virgo ei apparuit et animum addidit: Vide, inquiens, ut pro te orem Filium meum. Bono esto animo; te enim elegi, ut monasterii mei ruinas repares. Quo tandem cum pervenisset et templum ingressa, virilem habitum, suo ordinario sumpto, quem secum deferebat, exuisset, coram imagine B. V. Mariae preces fudit, quae imago dicitur ei locuta, et ei gratulata quod incolumis ad monasterium pervenisset. Postmodum in omni vita frequenter visitata fuit a B. V. Maria, quam et impense colebat, multaque ab ea didicit secreta. Ad festa eius celebranda se diligenter parabat, et ad suas quamvis

Digitized by Google

ansteras poenitentias, et ordinarin ieiunia alia tunc addabat. Quae eansa arat eur ia festis Deiparae Deus ei illustria quaedam revelabot de Matre sua. Siagulariter afficiebatur erga festum immaculatae conceptionis, qua etiam festo frequentina rapta fuit in ecstasim, eoque tempora nihil aliud promebat, quam laudes et encomia B. V. Mariae. Antonius de Balinghem die 3 maii.

EX ORDINE CARMELITARUM

38 Iajee diversaa Ordinum varietatea quibua decorata est sponsa Christi Ecclesia, hie Ordo specialiter titulo B. V. Mariae gaudet, eni etiam impensius serviens maltas Deo dicatas virgines sub vexilla Deiparae militantes dedit. Praecipuae sunt.

39 1. *S. Teresia Ordinis carmelitarum reformatrix eximia*. Haec duodennis, mortua matre, coram Deiparae imagine eam abnixo precata est, ut se in filiam admittere dignaretur; quare ex eo tampore in suis necessitatibus eius patrocinium est esperta. Decimo aetatis anno in coenobium sanctimonialium Sanctissimae Virginis Mariae de monte Carmela, patre contrario, et aon sine magua carnis contradictiane ingressa est. Plura de devatione huius virginis arga Deiparam sparsim diximus in hoc opere.

40 De ea id non reticendum, quod narratur ad probandum quanta in Deum amoris aestuaret incendia. Semel angelus ei apparuit aurea apicala ad summitatem ignito viscera saucians, et laniata revellens, quo vulnere iacredibili diviai amoris incendio exarsit. Unde at amoria flamma mortua putatur, ut ipsa post obitum revelasse scribitur. Ex eius vita Balinghem die 5 octobris.

2. *B. Maria dicta ab Iacarnatiane*. Haec ex coniugata sanctimonialis fuit (laica ut vocant, seu conversa) in Ordine B. M. Virginis de monte Carmelo seu reformationis sanctae Teresiae. Mater eius in partu quo eam enisa est, Deiparae vovit, si ia felix esset, septennio tata ia eius honorem fetum quem ederet, candidum babitum gestaturum. Itaque voti compos facta est. Ipsa vero Maria filios suos numera sex a primis annis educavit ia tultu et pietata erga Dei Matrem, ac tempore sacrificii eos eurabat recitare eiusdem officium usque ad vesperas, quae ab iis cum completorio a prandio legebantur. Postquam religiosum Ordinem esset ingressa, frequenter ab ipsa Dei Genitrice visitabatur. Quinto ante felicem eius transitum die Christus eum Deipara apparuit ei ad pedes lecti, quod ipsum indicavit praecedi suae Aguetis diceas, ut in eam partem oculos coaiiceret. Verum non eadem utrique erat acies oculorum, quare nihil vidit.

Eadem dum aegrotaret, curavit ad pedem suae lecticae auspendi imaginem Sanctae Mariaa maioris, cuius intuitu uberrime coepit ex sensu pietatis flere, visaque est adstantibus sanctimonialibus facies eius tota ignea et lumine plena, quo etiam tempore mira loquebatur de laudibus ae gloria Deiparaa. Rogabat insuper, ut nullam sororum pateretur huius eiusdem imaginis conspectu carere in articulo mortis, na eiusdem Virginis coelestibus solatiis destitueretur. Andreas de Valentia in eius vita.

EX ORDINE AUGUSTINIANORUM

Fulgens sicut stella matatina in medio nebulaa sacer augustinianorum Ordo in Ecclesia multos Dei famulos ac Genitricis eius servos, maltasque Deo sacratas virginea sub signis Reginaa virginum militantes habuit. Ex multibus sit una 41

1. *B. Clara de monte Falcone*. Haec quatuor annos nata ita pietati se dedit, ut orationem dominicam, salutationam angelicam, multasque alias preces flexis genibus, manibus complicatis, vultuque ad Deum verso, tanta animi devotiane recitarot, ut omnibus admirationi esset. Cum morbo premeretur, angelus ei apparuit, ad quem ipsa: Angela Dei nuntia Sanctissimaa Virgini, ut me in coelestes sedes recipiat. Sub mortis tempus vidit coelom apertom et Beatam Virginem cam summo oum gaudia expectaatem. Haec est, cuius cor divisum rapraesentabat expressa mysteria dominicae passiona ita exacte, ut ea exsculpta viderentur. In eius quoque felle tres globali rotundi solidi colore cineris laventi, imagine, colora et pondere pares, non modo si separatim quilibet accipiatur, sed etiam (quod humanas vires superat) si unus cum binis, aut uaus uni, aut omnes simul appanantur, aequale pondus reperitur. Isidorus Moscovius in eius vita. 42

EX ORDINE SERVORUM

Praeclara baec Religio a Diva Virgina electa, ab eadem regula et habitu donata suum semper ia eam magnum habuit affectum, multosqua eius cultares eximios babuit. Ex virginibus Dea dicatis duas magis celebres proponam. 43

1. *B. Elisabetha Picivarda*. Haec Deiparea ita addicta erat, ut nibil ab ea non impetrarit. Tam in oratione extitit ei familiaris, ut saepe saepius cum illa audita sit miscere sermones. Mantuani omnes qui calamitate aliqua premebantur, ad eam velut ad asylum confugiebant, ac Dei Matris referendariam vocabant, quod ei petenti nibil negaret. Sub mortem Iesu et Mariaa conspectu recreata est. Ex chronico Ordinis Balinghem die 29 februarii. 44

2. *B. Iuliana Falconeria*. Haec ab ipsis incunabulis Dei Genitricis cultui addicta quolibet sabbato pane et aqua ieiunabat. In Divae Mariae annuntiatae templo condita est, multisque est illustria miraculis. De ea non silendum, eam ia dominicae passionis meditatione exarsisse, ut Crucifixi imaginem carni suae iuxta cor impressam haberet, ut constat ex relationa eorum qui corpus defunctae curaverunt. Ex chronico Ordinis. 45

REGINA SANCTORUM OMNIUM

Admirandus ille omnium regnorum Pastor et Rector regem Israel talem virum quaesivit, qui statura corporis omnibus superemineret, reliquosque excederet, et invenit Saulem qui ab humero et sursum eminebat super omnem populum, ut sacra historia 1 Reg. 9 testatur. Ad eundem modum electurus Reginam angelorum et hominum, talem creaturam quaesivit, quae gratiarum amplitudine, meritorum magnitudine omnes transcenderet, at invenit sacram unigeniti Filii sui Genitricem Mariam, quam tot muneribus cumulavit, tot donis amplificavit, tot gratiis auxit, ad tantam demum gloriam evexit, ut omnes sanctos magnitudine gratiae et gloriae excedat incomparabilitee. Cui nos claudentes tot illustres titulos in hac litania ei datos occinimus: *Regina sanctorum omnium*. Unde videndum est

DISCURSUS CCCCXII

QUAM OPTIMO IURE B. V. MARIA DICATUR
REGINA SANCTORUM OMNIUM

1 Certe Christus in Ecclesia est sicut rex in regia sua celeberrima senatorum, ac officialium magnatumque caterva stipatus; hi principes, illi ducea, isti legati, alii senatores, alii secretarii, alii milites, alii custodes, demum famuli ac famulae palatii regii. Principes sunt apostoli: *Constitues eos principes super omnem terram*. Duces sunt episcopi, de quorum uno Act. 14. 11 dicitur: *Ipse erat dux verbi*. Legati sunt praedicatores, 2 Corint. 5, 20: *Pro Christo legatione fungimur*. Cansiliarii sunt doctores, quorum consilio post Spiritum sanctum regitur Ecclesia. Secretarii sunt prophetae, ps. 50, 8: *Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi*. Milites, et custodes sunt martyres, qui ob defensionem fidei et amorem Christi sanguinem et vitam tradiderunt. Famuli angeli, Hebr. 1, 14: *Omnes sunt administratorii spiritus*. Famulae palatii regii est virginum chorus. *Sequuntur Agnum quocumque ierit*. Isti omnes sunt servi ac subditi Re-

Digitized by Google

gis pariter et Reginae. Haec autem Regina non est alia, nisi B. V. Maria, utpote Patris coelestis filia carissima, Filii Mater dignissima, Spiritus sancti sponsa speciosissima, cui pariter subdita sunt universa; immo et ipse Rex quodammodo, de quo Luc. 2 narratur: *Et erat subditus illis.*

2 Regina alios principes, duces, marchiones, comites, magnates, aliosque proceres regni excedit dignitate, quia regis coniux. Excedit auctoritate, quia regni consors. Opibus, quia thesauri regii ac possessionum domina. Loco, quia in throno regio sedet, et ceteri adstant. Splendore, quia diademate ac purpura regia fulget. Honore, quia omnes eam reverentur, et prae aliis est cumulata. Hoc totum Deipara Virgo Maria prae omnibus sanctis excellenter habet.

3 I. Praecellit omnes dignitate. Nam gratia et gloria omnes omnino sanctos homines et angelos, etiam cherubinos et seraphinos longe superat, ita ut nulla creatura cum illa comparari possit. Hinc d. Epiphanius in oratione de laudibus Virginis eam compellans ait: *Sola Deo excepto, cunctis superior existis.* Et d. Gregorius in lib. 1 Reg. c. 2: *Mons fuit Beatissima Virgo, quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae sublimitate transcendit.* Adstipulatur b. Petrus Damianus serm. de assumptione Virginis: *In illa, inquit, inaccessibili luce B. Virgo Maria utrorumque spirituum, id est hominum et angelorum, hebetat dignitatem, ut in comparatione eius nec debeant apparere.* Et merito. Est namque B. Virgo Mater Dei, quae dignitas est incomparabilis, incomprehensibilis, et immensa: ac, ut s. doctor noster 1 p. q. 25, art. 6 ad 4 ait, *habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus.* De quo nos superius plura diximus.

4 Praeterea B. Virgo dignior esse convincitur omnibus sanctis tam angelis, quam hominibus, quia ipsa in coelo est velut materfamilias: ceteri vero sancti sunt filii, servi, et ancillae summi Patrisfamilias Christi. Unde sicut in domo bene ordinata materfamilias est dignior omnibus qui in domo sunt, etiam collective sumptis: ita B. V. Maria in coelo est dignior omnibus coelicolis simul et collective sumptis. De hoc superius plura nos dixisse meminimus.

5 II. Auctoritate. Quia data est ei omnis potestas in coelo et in terra, ita ut quod Christus Matth. 28, 18 dixit: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra*, suo modo etiam B. Virgini accommodari possit, uti accommodat s. Petrus Damianus ser. 1 de nativitate Virginis his verbis: *Data est tibi omnis potestas in coelo et in terra, quid tibi negabitur? Nihil tibi impossibile*, etc. Et Richardus lib. 4 de laudibus Virginis probat: *Cum eadem sit potestas et communis matris et filii, quae ab omnipotente Filio omnipotens est effecta.* Modum aves scire? Attende.

6 Partitus est Christus regnum Patris sui, regnum, inquam, cuius viae sunt duae, misericordia nimirum et veritas seu iustitia. Sibi veritatem reservavit, Matri vero suae misericordiam concessit. Ille per iustitiam, Mater vero per misericordiam. Ipse constitutus est iudex vivorum et mortuorum, Mater vero advocata omnium peccatorum, et quibusvis calamitatibus oppressorum.

7 Et licet potestatem habeat in coelo et in terra, excellenter tamen potens est in coelo. Hinc Eccli. 24, 15 ait: *In Ierusalem potestas mea.* Potestas, inquam, imperandi virtutibus angelicis et animabus sanctis, et faciendi ad beneplacitum suum, ut quos velit, introducendi in regnum coelorum; omnes enim coeli incolae angeli et homines ei se subiciunt, eiusque se subditos, immo servos profitentur, per quam felicitatem illam aeternam se adeptos esse sponte agnoscunt. Nullus enim in coelo est, nullus erit, quem summae illi gloriae B. Virgo non parturierit. Hinc a b. Alberto magno *Mater sanctorum etiam angelorum* appellatur, sic enim scribens super *Missus est*, ait: *Omnium sanctorum quos per spiritualem gratiam mediante Virgine regeneravit Deus, dicitur Mater ipsa Virgo: immo etiam angelorum dicitur Mater, quia ipsa mediante eorum restaurata est ruina.* Nullus itaque est in coelo qui sanctitatem adeptus sit, vel in sanctitate perseveravit sine B. Virgine. Unde ipsa ait: *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Bene detentio sanctorum dicitur, quia non solum in plenitudine sanctorum detinetur, sed etiam in plenitudine sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuatur. Detinet virtutes eorum ne fugiant, detinet merita ne pereant, detinet daemones ne noceant, detinet Filium ne peccatores percutiat. Quare pulcre b. Andreas augustinianus eam compellat *sanctorum coronam*, quia per ipsam sancti coronas suas percipere meruerunt.

Gravi ponderatione dignum est, quod antequam B. Virgo in coelum evecta esset, coelum desertum appellabatur, Luc. 15, 4: *Nonne dimittit nonaginta novem oves in deserto?* Per desertum beatus Gregorius, et alii coelum intelligunt: quod desertum dicitur, quia unica generis humani ove carebat, sed praecipue quia Beata Virgine carebat, quae sua praesentia potuit desertum in paradisum vertere. Hinc non facile reperies post Virginis in coelos ascensum deserti nomine coelum vocatum, ut antea pene advertit ingeniosus auctor Aloysius Novarinus in umbra virginea excursu 55. 8

III. Opibus B. V. Maria omnes superat. Opibus, inquam, non quales cosmopolitae et mundani admirantur, et congregant; sed opibus, quae dona Dei, gratiam nimirum, virtutes ac merita significant; haec enim verae sunt et solidae divitiae, d. Gregorio hom. 15 in evangelia attestante: *Solae divitiae verae sunt, quae nos divites virtutibus faciunt.* Huiusmodi divitiis B. Virgo Maria plena fuit, nam sua gratia, suisque virtutibus ac meritis omnium angelorum et hominum gratiam ac merita non tantum seorsim sumpta, sed etiam adunata, et in unum cumulum collecta superavit, ita ut si in una bilance ponerentur ista omnia, in altera vero solius Virginis, haec illi praeponderaret. Quapropter Prov. 31, 29 de B. Virgine dicitur: *Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Per filias istas intelliguntur angeli et animae sanctae, quae divitias congregaverunt, scilicet virtutes, angeli puritatem, patriarchae fidem, prophetae spem, apostoli caritatem seu coelum, martyres fortitudinem, confessores patientiam, doctores sapientiam, religiosi humilitatem, paupertatem et obedientiam, anachoretae austeritatem, virgines continentiam, coniuges fidem coniugalem. Hos omnes supergressa est Beata Virgo Maria, ut superius satis superque monstratum est. 9

IV. Loco. Philosophicum illud axioma verissimum est: *Locus debet esse proportionatus locato.* Unde sapiens architectus res omnes in suis locis sibi convenientibus secundum earum dignitatem collocat. Quod et Deus ipse, qui omnia in sapientia fecit, observavit. Sic maiores orbes coeli supra minores collocavit, dignioribus quoque angelis superiora loca assignavit. Ad eundem modum Matri suae amantissimae in gloria coelesti supremum locum dedit. Sanctus Iuvenalis episcopus ierosolymitanus in epistola ad Marcianum refert, angelos compluribus diebus post assumptionem in coelum Deiparae super sepulcrum eius cantantes auditos fuisse: *Exaltata est Sancta Dei Genitrix super choros angelorum ad coelestia regna.* 10

Hinc colligunt theologi, B. V. Mariam super omnes angelorum choros evectam esse, adeo ut per se chorum separatum ab aliis sanctis angelis faciat. Id diserte docuit Ioannes Gerson tract. 4 super *Magnificat*: *Virgo sola*, inquiens, *constituit hierarchiam secundam sub Deo trino et uno, Hierarcha primo et summo, apud quem Hierarcham humanitas Filii sola sublimata sedet a dextris virtutis Dei.* Idem docent sanctus Bernardinus tom. 3, ser. 3 de gloria nominis Mariae, art. 2, cap. 1, Gabriel Biel ser. 25 de assumptione. Ipsum docet, et nervosis rationibus probat s. Antoninus 4 p. tit. 15, parag. 15 in hunc modum: *Plus*, inquit, *distat Virgo a seraphim in dignitate et gloria, quam seraphim a cherubim; sed seraphim per excellentiam dignitatis ordinem habet superiorem ad cherubim; ergo Virgo erit super hierarchiam angelorum. Item plus improportionabiliter dominus differt a servo, quam servus a servo; sed omnes angeli sunt administratorii spiritus, id est servi, et tamen inter eos diversi ordines sunt: sed B. Virgo est Domina angelorum: ergo et improportionabiliter est supra seraphim, et supra omnem hierarchiam angelorum exaltata.* Haec s. Antoninus. 11

V. Splendore. Sancti qui cum Deo regnant, splendidi sunt, Christo attestante Matth. 13, 43: *Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Hos omnes B. V. Maria splendore superat. Propterea in Canticis dicitur: *Electa ut sol.* Quia sicut sol solus orbem illuminat, sic B. Virgo sola solidiore lumine et angelos et homines illustrat. 12

Hinc illud s. Anselmi lib. de excellentia Virginis cap. 8: *Omnia quae in coelo sunt, per glorificationem B. Virginis inaestimabiliter decorantur.* Ipsa namque est regni coelestis decor, ornamentum et gloria. Hinc, ut paulo superius diximus, antequam Deipara evecta esset in coelum, coelum dicebatur desertum. Cantic. 3, 6: *Quae est ista quae ascendit per desertum?* Per desertum Maria in coelum ascendebat, cum omnes angelorum choros

Digitized by Google

transcendebat. Et angelorum chori cur desertum dicuntur? Quia gloria eorum si virgineae comparetur, adeo exigua est, ut nulla videatur. Coelum ipsum cum solis coelestibus spiritibus consideratum, et sine Mariae praesentia deserti speciem refert: Maria sua gloria, sua venustate, suo splendore coelum ipsum paradisum facit. Tam splendida est, ut sua claritate omnes beatorum ordines illuminet: et ita illuminat, ut etiam eorum lumen hebetet, obfuscet, et obumbret. Non auderem id asserere, nisi gravissimus doctor s. Petrus Damianus sermone de assumptione id mihi suggereret, qui ita ait: *Virga Iesse veri praevia luminis in illa inaccessibili luce perlucens*, sic utrorumque spirituum (scilicet sanctarum animarum et angelorum) *hebetat dignitatem*, ut *in comparatione Virginis nec possint nec debeant apparere.*

13 Obumbrat B. Virgo sua sanctitate et splendore omnium sanctorum et angelorum splendorem et sanctitatem, ita ut non appareant, si Virginis gloriae splendorique conferantur.

In Christi passione sol et luna obscurati sunt, ac si tanta patientia Christi luce obumbrarentur: ad Virginis etiam praesentiam ac lumen aliorum sanctorum fulgor obscuratur. Hinc sanctus Bonaventura in psalterio minore sic B. Mariam Virginem salutat:

Ave tota dealbata
Virgo, cui comparata
Luna nigra reputatur.
Sol cum stellis obscuratur.

14 Regina terrestris prae ceteris principibus, et dynastis praecipue fulget corona, purpura et sceptro. Ad eundem modum Regina coelestis prae ceteris sanctis omnibus fulget corona, purpura, sceptro.

15 Corona eius aliorum sanctorum coronis incomparabiliter fulgentior est. Ceteros sanctos Deus coronat diademate de lapide pretioso, iuxta illud psal. 20, 4: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso*. At B. V. Mariam coronat stellis. Apoc. 12, 1: *Et in capite eius corona stellarum duodecim*. Stella eius corona dicitur, quia est cuiusdam superioris ordinis: duodecim stellis constat, quia est omnimode perfecta. In duodenario quippe numero omnis perfectio est. Rursus, quemadmodum stella multo pretiosior, ac fulgentior est quovis lapide pretioso (stellae enim suo influxu aurum et lapides pretiosos generant) ita multo excellentior est corona Virginis ceterorum sanctorum coronis. Amplius ceteri sancti aureas coronas in capitibus gestant. *Corona aurea super mitram eius*, scilicet Aaron, Eccli. 45, 14. At B. Virgo tota fulget vestita auro. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato*, ps. 44, 10.

16 Purpura Beatissimae Virginis, hoc est gloria longe pretiosior est purpuris aliorum sanctorum. Illi siquidem vestiti sunt gloria in anima, B. Virgo autem in corpore et anima vestita est gloria, eaque incomparabili, ut saepius monuimus.

A divo Ioanne visa est amicta sole. Apocal. 12, 1: *Signum magnum*, inquit, *apparuit in coelo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius*. Haec mulier sensu multorum patrum est Virgo Beatissima. Dicitur amicta sole, id est Christo Filio suo, qui est Sol iustitiae. Filii gloria amicta dicitur; quia in gloria suppar ei quodammodo videtur, quod ex verbis Salvatoris colligitur Matt. 10, 40: *Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet*: id est hanc quam ipse propheta accepturus est, quia talis apud Deum reputatur ac si prophetae fungeretur officio. D. Gregorius homilia 20 in evangelia hoc pulcro exemplo declarat: *Proprium*, inquit, *fructum ulmus non habet, tamen portare fructum cum vite solet: sic et saeculares viri, quamvis spiritualium virtutum dona non habeant; dum tamen sanctos viros donis spiritualibus plenos sua largitate sustentant, quid aliud quam vitem cum fructibus portant? Certe cum Deipara ventris sui hospitia per novem menses Christum suscepit, quasi ulmus infructifera fructum vitae portavit, cuius aureis frondibus hic convestita fuit, et in patria coelesti eius gloriae particeps effecta eadem convestita cernitur.*

17 Sceptrum Deiparae regiam eius potentiam significat. Unde sicut regis potentia incomparabiliter maior est potentia omnium principum, ducum et magnatum regni: ita splendor gloriae in Beata Virgine incomparabiliter maior est splendore aliorum sanctorum.

18 VI. Honore. Quantum honoraverit Deus B. V. Mariam in terris, satis monstravimus in epitheto, *Virgo veneranda*. Quantum eam honoraverit in transitu ex hoc mundo una cum tota curia coelesti fuse narravimus, cum in contemplatione mysterii assumptionis eius in coelum moraremur.

Nunc vero quantum eam honoret in coelis, nullus, etiamsi ad ad miraculum eloquens esset, non homo, non angelus, enarrare valet: solus ille qui tantum honorem ei detulit, magnitudinem eius intelligit, et capit. Ego existimo, nec ipsam Virginem honorem illum quo a Filio ornata est, edisserere posse. Hunc tamen qualiquali modo adumbremus. 19

Qui Christo ministraverit, gloriam ac honorem a Patre consecuturum Christus testatur Ioan. 12, 26: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*. Ergo qui maiore caritate et humilitate Christo servivit, magis a Patre honorificabitur. Certum autem est, neminem promptius, alacrius, humilius, ferventius, sedulius Christo in hac vita ministrasse ipsa gloriosissima Virgine Matre: igitur etiam certum est, Patrem aeternum nullam puram creaturam tantum honorasse, nec ad tantam gloriae celsitudinem evexisse, ac gloriosam Christi Matrem. Hinc Guerricus abbas serm. 2 de assumpt. Christum cum Maria iam iam moritura loquentem ita introduxit: *Veni electa mea, et ponam in te thronum meum. Nullus plus mihi ministravit in humilitate mea, nulli abundantius ministrare volo in gloria mea. Communicasti mihi quod homo sum, communicabo tibi quod Deus sum.* 20

Et alius bonus auctor ex neotericis, Fornarius nempe, Christum B. M. Virginem iam iam ex hac valle miseriae egressuram compellantem ita inducit: *Veni electa mea: surge, propera, amica mea, sponsa mea, iam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit: flores virtutum tuarum apparuerunt in terra nostra in coelesti hac regione, cum placuerunt supramodum Sacrosanctae Trinitati. Tota enim pulcra es amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano candidissimae conversationis: veni, veni, coronaberis. Tu me vestisti substantia carnis tuae, ecce ego te vestio gloria maiestatis meae. Tu me iustitiae Solem operuisti nube splendida humanitatis; nunc te a me ipso aperieris luce perpetuae aeternitatis. Tu me coronasti diademate humanae naturae; et ego te corono diademate perpetuo fruendae deitatis, et impono capiti tuo coronam duodecim stellarum ineffabilibus tuis privilegiis correspondentium. Materno tu me fovisti in gremio; ego te nunc colloco in regali solio. Tu me saepius in sinu tuo dormientem gestasti; nunc tu in aeterna requie sub umbra illius, quem in terris posita toto corde desiderasti, requiesce. Beatis hisce brachiis tuis me saepius infantulum strinxisti; nunc dextera mea in omne aevum te amplexatur, quam iugiter te dirigentem tenuisti. Posside thronum regni mei a me vero Salomone Filio tuo tibi ab aeterno paratum. Partior tecum regnum Patris mei: regnum, inquam, cuius sunt misericordia, et veritas, sive iustitia. Mihi veritas, tibi misericordia, ut ego regnem per iustitiam, tu imperes per misericordiam: et sicut ego sum constitutus iudex vivorum et mortuorum, tu esto misericors, adiutrix, benigna liberatrix omnium calamitatibus oppressorum. Specie tua, praecelsa gratia tua, et pulcritudine ineffabilis gloriae tuae intende ad miseros mortales tibi subiectos „prospere eorum vota suscipiendo, eis benigne acquiescendo; procede homines peccatores ad Deum suum dirigendo, atque ad aeternae salutis assecutionem disponendo, procede, et regna post me in coelo, et in terra. Sicut enim mihi data est omnis potestas a Patre meo, ita eadem potestate te exornatam constituo coeli et terrae, hominum et angelorum Imperatricem, et Reginam.* 21

Hinc colligere licet quanto maiore supra humanum captum iucunditate haec omnia non solum a Christo, sed et a tota SS. Trinitate fuerint exhibita et impensa. Honoravit eam Pater coelestis ut filiam carissimam, honoravit Filius ut matrem dignissimam, honoravit Spiritus sanctus ut sponsam speciosissimam. Ab omnibus tribus personis divinis omnis possibilis honor ei decernitur, exhibetur, impenditur. 22

Quis vero intellectus capere, quae lingua exprimere sufficiat, quanta reverentiae signa, et honoris argumenta ei exhibita fuerunt, et usque nunc exhibentur a tota curia coelesti? De ipsius gloria angeli gaudent, archangeli iubilant, throni exultant, dominationes psallunt, potestates citharizant, cherubim et seraphim hymnizant videntes Reginam suam super omnes choros suos exaltatam, universae creaturae praelatam, perenni iure omnibus dominaturam. 23

Contempletur animo qui potest, quantam reverentiam ei exhi- 24

beant antiqui patres. et gloriosus apostolorum chorus. Hi sunt viginti quatuor seniores circum amicti vestimentis albis, coronas aureas in capitibus habentes, quos Ioannes in Apocal. 4 se vidisse narrat. Viginti quatuor sunt, nimirum ex veteri testamento patriarchae duodecim, Abel, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, Samuel, David, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel: ex novo apostoli duodecim, modo pro sancto Ioanne adhuc vivente d. Paulum substituunt, uti substituerunt venerabilis Beda, Richardus, Rupertus, Viegas, Pererius. Seniores sunt ob antiquitatem, gravitatem, sapientiam, prudentiam, et virtutem, ex quibus omnibus sunt venerabiles. Vestiti albis, id est innocentia, laetitia et gloria. Habent coronas in capite, tum quia reges sunt, tum quia victoriis illustres generose certando, et vincendo regnum Christi obtinuerunt. Hi ante thronum Dei, id est ante Mariam, ut in epitheto *Sedes sapientiae* monstrabam, coronas suas a Deo per Virginem se accepisse recognoscunt. Unde omnem dignitatem quasi a se abdicant, atque Deo quasi vero earum Domino, ac eius Sanctissimae Genitrici resignant, referunt et offerunt.

25 Contempletur animo qui potest, quos dignitatis et honoris apparatus reliqua coelestis curia Domini sui Matri exhibeat, et impendat. Ego certe id exprimere non valeo. Hinc etiam Ecclesia B. Virginem colit hyperdulia, quae proxime accedit ad latriam, qua colitur Deus. Iunge iam simul omnes honores, qui singulis angelis et hominibus sanctis debentur ac deferuntur, omnes erunt duliae, nec unquam pertingent, quantumcumque crescant, ad hyperduliam B. Virgini debitam, quia haec est alterius ordinis. Quare honor Beatae Virginis incomparabiliter transcendit honores aliorum sanctorum, sicut et eius dignitas de qua iam antea diximus.

26 VII. Gloria transcendit B. Virgo beatitudines aliorum sanctorum. Consummata gloria sanctorum est illa ineffabilis visio essentiae divinae, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis* unquam *ascendit, quam praeparavit Deus diligentibus se*, 1 Cor. 2, 9. Si tanta et quae explicari nequeunt, omnibus se diligentibus Deus in coelo paravit, quae censendus est praeparasse Matri, quae eum genuit, et prae omnibus dilexit, quem concepit, quem peperit? Audiendus hic s. Thomas archiepiscopus valentinus, qui concione 2 de assumpt. Virginis eam sic compellat: *Quid de tuis deliciis dicam, o Maria? Si oculus non vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se, quod praeparavit gignenti se, et procul dubio prae omnibus diligenti, quis loquatur?* Nemo sane. Fatetur hoc s. Petrus Damianus ser. 45, cum ait: *Gloria quae eam de hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem.* Quo dat intelligi, gloriam B. Virginis esse immensam, principio et fine carentem.

27 Nonnulli graves patres asserere non formidant gloriam B. Virginis cum gloria Christi non tam communem esse, quam eandem. Audiatur unus ex illis. Arnoldus carnutensis, qui tract. de laud. Virginis ita loquitur de Maria: *Est illa constituta super omnem creaturam, et quicumque Iesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat et acclinis; nec a dominatione, vel potentia filii mater potest esse seiuncta. Una est Mariae et Christi caro, unus spiritus, una caritas; et ex quo dictum est ei: Dominus tecum, inseparabiliter perseveravit promissum et donum, et Filii gloriam cum Matre non tam communem iudico, quam eandem.*

28 De gloria Virginis super alios sanctos vide latius disserentem Patrem Antonium Spinellum c. 6, n. 7, et sequentibus, quae nos data opera praetermittimus, nam ea omnia superius in diversis locis nos tradidisse meminimus.

29 Pro coronide tam illustrium titulorum, quos hactenus dilucidavimus, Deo gratias agentes, tantae Reginae coelorum, ac terrarum Dominae profundam reverentiam faciamus, iustum ac debitum cultum reddamus, merita qualia qualia offeramus, cum s. Ephrem ei pangamus eam salutantes: Ave pax, gaudium, consolatio, et salus mundi. Ave humani generis laetitia. Ave patrum praeconium, et decus prophetarum. Ave pulcritudo martyrum, et corona sanctorum omnium. Ave gloria et salus in solitudine degentium. Ave pulcra hymnigraphorum omnium oratio. Ave terrarum omnium oblectamentum. Ave progenitoris illius Adae resurrectio. Ave sanctorum omnium consolatio. O admiranda et omni honore dignissima Regina, accipe quales quales laudes, licet dignitate tua impares, ex sincero tamen corde proficiscentes. Adiuva me, conforta me, et gloriae tuae participem effice. Amen.

ORA PRO NOBIS

Hanc supplicationem B. Virgini toties porrigimus, quoties eam in his litaniis aliquo insigni titulo decoramus; quatenus a nobis honorata, nobis velit esse propitia, preces nostras exaudiat, in necessitatibus subveniat, in illo coelesti regno Filio assidens ei nos commendet, Deum pro nobis oret. Supplicantes igitur Mariae saepius conclamamus: *Ora pro nobis*. Supplicatio haec uti nobis est usitata, ita haereticis valde est odiosa. Operae pretium igitur est eam declarare, haereticorum impietatem confutare, fidelium devotionem, ac pietatem commendare. Age ordiamur.

DISCURSUS CCCCXIII

RECTE NOS SUPPLICARE NEDUM DEO, VERUM ET SANCTIS OMNIBUS, ET MAXIME SACRAE DEI GENITRICI MARIAE

1 Ecclesiae mastiges, semen nequam, filii scelerati (haereticos voco) superstitionis et idololatriae nos accusant, cum B. Virginis et aliorum sanctorum preces, ac intercessionem nos implorare audiunt. Sed nos haec surda aure pertransimus, et tanto validius, multoque ferventius B. Dei Genitrici, et sanctis omnibus acclamamus, dicentes: *Sancta Maria, ora pro nobis*; et: *Omnes sancti, et sanctae Dei, intercedite pro nobis*. Expressam namque Dei voluntatem in Scripturis sacris habemus.

In sexcentis locis Scripturae sacrae inculcatur nobis sanctorum invocatio, ut nimirum succurrant necessitatibus eorum, qui ipsorum poscunt suffragia.

2 Deus apparens Abimelech regi post raptam Saram uxorem Abrahae mandavit ei, ut reconciliaretur Abrahae, reddita sibi uxore sua intacta. *Et orabit*, inquit, *pro te, et vives*, Gen. 20, 7. En quam clare inculcat Deus sanctorum preces, easque pro aliis orare vult; nam Abrahamo orante, reduxit flagellum a rege, regina, omnique eius domo.

Iob. 42, 8 mandavit Deus amicis Iob, ut eum acciperent intercessorem, quem diversimodo inter disputandum offenderant. *Iob*, inquit, *servus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.*

In lib. 1 Regum, c. 7 omnis populus vadit ad Samuelem rogans, ne cesset orare pro illis, ut ex manibus hostium liberentur. *Non cesses*, inquiunt, *pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manibus Philisthinorum.*

Pharao post singulas plagas rogat Moysen, ut pro se oret Dominum, ut amoveat flagella, promittens libertatem populo: *Orate*, inquiens, *Dominum, ut auferat ranas a me, et a populo meo: et dimittam populum, ut sacrificet Domino*, Exod. 8, 8. Eandem supplicationem idem Pharao repetit ibidem 9, 28, ut desinant tonitrua Dei et grando; et c. 10, 17, ut auferatur locusta ab eo.

Saul videns se a Deo reprobatum ob inobedientiam, et regno privandum, rogat prophetam Samuelem: *Nunc porta, quaeso, peccatum meum, et revertere mecum, ut adorem Dominum*, 1 Reg. 15, 25.

Seniores Bethuliae prae angustia deditionem civitatis quinto die meditantes rogant Iudith, ut pro eis supplicet Domino: *Ora*, inquientes, *pro nobis, quoniam mulier sancta es, et timens Deum*, Iudith 8, 29.

Iudaei qui post captivitatem Babylonis relicti erant in Iudaea, ad Ieremiam dicunt: *Cadat in conspectu tuo oratio nostra: et ora*

Digitized by Google

pro nobis ad Dominum Deum tuum, et pro universis reliquiis istis, Ier. 42, 2.

Apostoli orant pro Chananaea petente filii curationem: *Dimitte eam, quia clamat post nos*, Matt. 15, 23. Divus Paulus toties ac tam instanter exigit preces christianorum, ut in eius epistolis videre est. Liquet igitur, christianos recte invocare sanctos, ut pro eis orent.

3 Haeretici convicti latebras quaerunt, evadere volunt. Verum est, inquiunt, vivos sanctos posse invocari, ut orent pro nobis, sed mortuos non item. Sed quam misera sit haec evasio videamus.

Nonne Iacob vicinus morti benedictionem dans filio suo Ioseph, et filiis eius dicit: *Invocetur super vos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac*, qui erant mortui? Gen. 48, 16.

Moyses per patriarchas postulat: *Quiescat ira tua et esto placabilis super malitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac et Israel servorum tuorum*. Exod. 32, 12.

Azarias cum sociis in fornace babylonica per eosdem patres precatur: *Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum*, Dan. 3, 35.

Salomon per merita patris sui David rogat: *Memento Domine David et omnis mansuetudinis eius*, psal. 131, 1, et infra v. 10: *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui*, et David iam mortuus fuerat.

Baruch 3, 4, Iudaei Dominum orant: *Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel*. Observa verba *orationem mortuorum*. Ergo etiam mortui orant.

Iudas Machabaeus vidit Oniam pontificem passis manibus pro populo supplicantem. Proximus huic alius senio et maiestate venerandus assistebat, quem Onias velut digito designans: *Hic est*, inquit, *qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Ieremias propheta Domini*, 2 Mach. 15, 14. Ieremias autem iam pridem mortuus fuerat.

Apud Ieremiam prophetam 15, 1: *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*. Quibus verbis aperte insinuat Dominus, illos viros in limbo patrum adhuc constitutos pro viventibus solitos fuisse orare.

Praeterea, cum Redemptor noster pro omnium salute penderet in cruce et circa horam nonam voce magna clamasset: *Heli, Heli, lamma sabactani*, quidam ibi stantes et audientes dixerunt: *Eliam vocat iste*. Colligitur ergo tunc temporis aliquomodo usitatam fuisse sanctorum invocationem.

Apocalypsis cap. 5 describuntur quadraginta seniores in coelo coram throno Dei procidentes, habentes phialas aureas plenas odoramentorum quae sunt orationes sanctorum.

S. Petrus apostolus brevi moriturus fideles confirmans, ait: *Dabo operam et frequenter habere vos*, scilicet in mente et in memoria mea, *post obitum meum*, 2 Petr. 1, 15.

Quin et ipse purpuratus epulo post mortem ignibus inferni traditus pro fratribus orat, ne et ipsi veniant in locum illum tormentorum, Luc. 16, 27.

Angeli quoque nonne leguntur pro Iudaeis orare? Lege Zachariam 1, 12, Danielem 8, 13, ubi videbis angelos expresse pro Iudaeis orare. Si itaque sancti et angeli orant pro nobis, et propterea invocantur a nobis, cur non Deipara Virgo Maria? An Regina coelorum, Domina angelorum, angelis celsior, cunctis coelitibus superior hac in parte inferior erit?

4 Quare ecclesiae omnes, nedum romana mater et magistra omnium, verum et aethiopica, orientalis sive graeca, ierosolymitana, ambrosiana Deiparam Mariam in suis liturgiis venerantur et invocant.

5 Ecclesia ierosolymitana in liturgia vetustissima quae s. Iacobum apostolum fratrem Domini habet auctorem, sic orat et invocat: *Commemorationem agamus sanctissimae, immaculatae, gloriosissimae, benedictae Dominae nostrae Matris Dei, et semper Virginis Mariae, ac omnium sanctorum, ut precibus atque intercessionibus eorum omnes misericordiam consequamur*.

6 Ecclesia orientalis in hunc modum: *Matrem tuam, Christe, quae te in carne sine semine peperit, quae et virgo vere etiam post partum mansit incorrupta, tibi adducimus in intercessionem, Domine misericordissime, lapsuum veniam largire cunctis qui inclamant*.

7 Ecclesia aethiopica in liturgia etiam pervetusta, quam canonem universalem vocant, Virginem interpellat in hunc modum: *Laetare Domina quia salutem sanctam deprecamur: o Virgo in omni tempore Mater Dei et Christi, offer sursum et in altum orationem nostram apud dilectum Filium tuum, ut remittantur peccata nostra. Laetare Domina, quia peperisti nobis lumen verum, Iesum Christum Dominum nostrum. Ora pro nobis apud eum, ut misereatur animae nostrae. Ora pro nobis in conspectu throni Filii tui Iesu Christi. Laetare immaculata vere Regina, laetare gloria nostrorum parentum, quia peperisti nobis Emmanuelem*.

Ecclesia ambrosiana mediolanensis vetustissima, quae quadraginta novem archiepiscopos suos in catalogo sanctorum numerat, in vigiliis assumptionis B. M. Virginis in missa sic orat: *Et in huius diei festivitate gaudere, qua Sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium suum Dominum nostrum de se genuit incarnatum: cuius intercessione, quaesumus, ut mortem evadere possimus animarum*. 8

Demum sancti patres B. M. Virgini passim supplicant, eiusque suffragia poscunt, ut videre est eorum ferventissimas preces et orationes ad B. M. Virginem in hoc opere nostro superius in epitheto *Virgo veneranda*, et *Virgo praedicanda*. Vide etiam, si vacat et libet, Nicolaum Serarium de litaniis c. 2, ubi numerosam seriem antiquissimorum patrum Beatam Mariam Virginem invocantium invenies supra ea verba: *Sancta Maria, ora pro nobis*. 9

Quod igitur Deus approbat, Scriptura monstrat, angeli suo exemplo docent, viri sancti devote usurpant, superstitiosum, et idololatricum appellare summae temeritatis, impudentiae atque impietatis est.

Facessant ergo et abeant millies execrandi Mariae hostes, Ecclesiae desertores, christianae religionis proditores, pietatis erga Deum et Matrem eius eversores, superbiae doctores, veritatis corruptores. Abeant non ad extremos Garamantes et Indos, sed ad extremam oram inferni relegandi, nisi resipiscant. Non est opus nobis, nodum in scirpo quaerere, et in re trita apud omnes christianos manifesta plures probationes operose conquirere: restat solum imposturas et cavillationes haereticorum refutare. 10

DISCURSUS CCCCXIV

CAVILLATIONES ET IMPOSTURAE HAERETICORUM QUIBUS INVOCATIONEM DEIPARAE ET ALIORUM SANCTORUM IMPUGNARE SOLENT, REFUTANTUR

Cum, teste Aristotele libro 7 ethicorum, non satis sit verum probasse, nisi etiam causam falsam assignaveris, illudque refutaveris: idcirco operae pretium est adversariorum falsitatem arguere, et eorum non tam argumenta, quam deliramenta improbare. Non enim necessarium iudico, ut me eorum refutatione multum defatigem. Nam praeter pueriles ineptias nihil aliud adferunt, nisi mendacia, figmenta, impietates, et imposturas. Videamus. 1

I. Superstitio et idololatria est, ait Calvinus et sui asseclae, invocare Virginem. Sed quare? Eo quod, aiunt, Virgo apud nos in locum Christi successit, ab illa una omnia postulamus, Mariae tantam potentiam quantam Christo adscribimus, immo maiorem; quia potestatem Christo imperandi, et nescio quod imperium exercendi in ea agnoscimus. 2 Calvini prima impostura.

Hanc imposturam et impudentem calumniam Ecclesia catholica hac litania quam prae manibus habemus, aperte reiicit, confutat, condemnat, ostenditque, quid Deo, quid vero Sanctae Virgini tribuendum sit: dum aliter Deum unum in substantia, trinum in personis, qui est Creator omnium, et aliter Mariam invocat. Ab initio sic Deum allocuti sumus: *Pater de coelis Deus, Fili Redemptor mundi Deus, Spiritus sancte Deus, miserere nobis*. Ad Virginem autem ubi ventum est, non misericordiam, non remissionem peccatorum, non beatitudinem sempiternam, sed intercessionem tantum postulamus: *Sancta Maria, ora pro nobis. Sancta Dei Genitrix. Sancta Virgo virginum, ora pro nobis*, etc. Quotus quisque catholicorum est, obsecro, qui remissionem peccatorum, mundi creationem, redemptionem, iustificationem et salvationem hominum, opera Dei propria, Mariae attribuat, vel ab illa petat, vel expectet? Quod si aliquando misericordiam, remissionem peccatorum, et alia munera Deo datori congruentia a B. Virgine postulamus, ut cum in illa antiphona, 3

Digitized by Google

Alma Redemptoris Mater in fine canimus: *peccatorum miserere*, et in hymno: *Solve vincla reis, profer lumen caecis*: et rursus: *Nos culpis solutos, mites fac et castos*, haec omnia intelligenda sunt, ut a Sacratissima Virgine expectantur, non quidem ut illa tanquam primaria largitrix conferat, sed ut eadem nobis a Deo praestari suis precibus impetret. Clarum igitur ac perspicuum cuique est, Ecclesiam universalem a Christo ad Mariam nunquam defecisse, nec omnia ab una sola Maria postulare. Non enim ab una, sed per unam exaudiri supplicamus. Quis enim vel stupidus aliquando dixit: *Sancta Maria sanctificetur nomen tuum?* quis unquam oravit: *Sancta Maria adveniat regnum tuum?* quis petiit aliquando: *Sancta Dei Genitrix, fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra?* quis unquam supplicavit: *Sancta Virgo virginum, panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, vel *dimitte nobis debita nostra*, vel *libera nos a malo?* Supplicamus: Succurre, adiuva, refove, refrigera, refocilla, et aliquando peccata solve, sed intercedendo pro nobis. Sic nimirum edocti a Scriptura, ab angelis, ab Ecclesia, et sanctis patribus.

4 Quod autem ait, Mariae tantam potentiam, quantam Christo adscribimus, etc. falsum est. Christum enim Deum confitemur, Mariam creaturam dignissimam dicimus: proinde totam quantam Mariae potentiam a Christo fluere non ambigimus. Imperium quoddam super Christum, qua homo est, in Maria agnoscimus; imperium, inquam, non rigorosum, sed maternum, uti etiam in Christo subiectionem quamdam ad Mariam Matrem suam. Subiectionem, inquam, non servilem, sed filialem, de qua ipse Deus: *Honora patrem tuum et matrem tuam*, quae in Christo non est coactiva sed dignativa; dignatur enim Matri suae clarissimae in omnibus morem gerere, uti etiam dignatus est ei subditus esse, Luc. 2: *Et erat subditus illis*. Aliam imposturam iam refutare libet.

5 II. Superstitio est, inquit Lutherus, per Mariam placare Christum, quasi is non esset propitiator, sed tantum horrendus index et ultor. Millies stultam et ineptam probationem negamus. Quid enim impedit Christum esse propitiatorem et mediatorem inter Deum et homines, si B. Virgo eum placat? numquid Christus desinit esse propitiator apud Patrem, et mediator inter Deum et homines, cum ei alii sancti supplicant? Alia sane mediatio Christi est, alia Virginis et sanctorum. Mediatio Christi est redemptionis et iustitiae, mediatio Virginis et sanctorum est intercessionis et gratiae: quae cum inter se valde diversa sint, neum alliud non impedit.

6 III. Tertia impostura sive cavillus, quem impius ille Ecclesiae desertor Erasmus Rotherodamus adinvenit, haec est. Finxit homo mendacissimus epistolam quamdam, quasi a Maria Virgine scriptam, at Glauco Plutoni missam in haec verba: *Quod Lutherum secutus strenue suades, supervacaneum esse invocare divos, a me quidem cum isto homine bonam magnamque inivisse gratiam scito. Nam antehac tantum non enecabar improbis mortalium explorationibus. Ab uno postulantur omnia, quasi Filius meus semper infans esset, quia talis fingitur, pingiturque in sinu meo*, etc. *Datum in lapidea domo*. Deinde subscriptio: *Beata Virgo, meo manu scripsi*. O mendacia! o blasphemias horribiles! Reginam angelorum et sanctorum omnium, Matrem Dei dignissimam cum Glauco Plutone, daemone illo, qui Lutheri praeceptor fuit, commercium habere! Virginem illam, quae serpenti huic caput contrivit, cum quo perpetuas inimicitias habet, litteras dare! Virginem sanctam coelestibus gaudiis perfruentem cum spiritu nequam familiaritatem quamdam, et amicitiam contrahere! O blasphemum os, non cautere adustione, ut faciebat blasphemis rex ille piissimus Ludovicus, sed ultimo exterminio puniendum! Dic fallacissime, non doctor, sed seductor, undenam hae litterae datae? per quem angelorum ad vos delatae? *De lapidea*, inquiunt, *domo*. Ergone Sancta Virgo post gloriosum laborum suorum terminum in lapidea domo praemium recipit? ergo lapidea domus est sedes sublimior cunctis cherubinis et seraphinis, in qua collocata creditur Deipara Virgo ad dexteram Filii? Claudat ora sua perfidia, ne Matrem Domini aliquo non audeat maculare convicio. Obmutescat impius, non exerat linguam, quem velut aspis venenosa in probra Mariae exacuit.

Erasmi epistola mendax.

Nos Mariae servuli et humiles clientuli nostras preces ei offeramus, eam laudemus, praedicemus, colamus, ad dexteram Filii in supremo regni solio collocatam invocemus.

7 IV. Quarta impostura sive cavillus. Superstitio est, aiunt, invocare illam, quae nescit quid nobiscum agatur, quae non vult nos adiuvare, quae etiamsi vellet, non potest. Videtis hic novos Vigilantios, Armenos, Anabaptistas, B. V. Mariae animam nescio in quibus umbris latitantem, et a deifico conspectu separatam asserentes. Sed fusius temeritatem hanc refutare libet, et ostendere eam esse stultam, impiam, et flammis tartareis dignam. Age discurramus.

DISCURSUS CCCCXV

BEATAM VIRGINEM MARIAM IN COELIS REGNANTEM NOSTRAS NECESSITATES BENE VIDERE AC NOSSE, NOBISQUE OPITULARI VELLE AC POSSE CONTRA HAERETICOS IAM NOMINATOS OSTENDITUR

Eum qui patrocinium alicuius suscipit, tria debere habere ex communi patrum doctrina discimus, nimirum scientiam, voluntatem et facultatem. Scientiam, ut sciat quid suo clienti desit; voluntatem, ut erga suum clientem prompto animo sit, et bonum affectum gerat; facultatem, ut ei patrocinari possit. Haec tria Beatissimam Virginem habere in promovendis causis nostris coram Deo perspicuum est. 1

I. Scit quid nobis desit. Quidni? Angeli cognoscunt et vident etiam abditissima pectoris nostri arcana; gaudent enim de poenitentia quae secreto fit et invisibiliter in animo peccatoris, iuxta illud Luc. 15, 10: *Gaudium erit angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente*. Et Regina angelorum non cognoscet, non videbit? Angeli non modo sciunt, quid in hoc saeculo degentes precentur, verum etiam preces eorum Deo offerunt, ut Tobiae Raphael testatus est cap. 12. Quid de Regina angelorum? quid de illa, quae non modo similis angelis, ut alii sancti, de quibus Scriptura dicit: *Erunt omnes sicut angeli Dei*; sed angelos puritate et beatitudinis gradu praecessit, censendum? 2

Christus sanctis tropaea de satana devicto ferentibus, et praecepta sua custodientibus regnum promittit. Apocal. 2, 26: *Qui vicerit et custodierit usque ad finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea*, Iam B. Virgo prae aliis gloriosius de satana triumphavit, diligentius Dei mandata custodivit: regali itaque maiestate ac potestate donata est, et Regina totius universi effecta. An igitur nesciat quid nobiscum agatur? Ridiculus rex est qui statum regni nescit, et fatuus legislator qui politicam administrationem ignorat: quod de Virgine Deipara cogitare summa impietas est. 3

Quidni B. V. Maria nostras necessitates et miserias cognoscat, si prophetae potuerunt videre absentia, intelligere non existentia, praevidere futura? Eliseus propheta longissime distans quod rex Syriae in conclavi concluderet, videbat, ac famuli sui Giezi avaritiam, ac simoniam percallebat. S. Petrus in excelso illo transfigurationis Christi collegio in cacumine montis Thabor Moysen et Eliam longe ante defunctos agnovit. Idem rursus Ananiae et Saphirae de pretio agri fraudulentiam, licet secretam, perspexit. Cur idem nunc corpore exutus, et perspicacioribus oculis lumine divino illustratus Ecclesiae militantis vota non cognoscat? 4

Ioannes patmaeus vates, in illam insulam a Domitiano relegatus, vocem de coelo audivit, et multa quae in coelo gerebantur, in terra positus vidit, prout ipse in toto libro suae Apocalypsis prodit. Cur ergo nunc in coelo regnans clariore quam prophetico lumine perfusus ea quae hic aguntur, non videat, cum tantum coelum a terra, quantum terra a coelo distet?

Isaias ceterique prophetae tot centenis annis Christum praeviderunt, vitam, mortemque eius exactissime descripserunt. Moyses duobus fere millibus annorum post creationem seriem creationis coeli et terrae, colloquia Dei cum Adamo et Eva, dialogum serpentis et Evae, opera Abelis et Cain, Enos, Noe, Abraham refert, et adeo particulatim, adeo certe, ac si omnium oculatus et auritus testis esset, ac omnibus ipse interfuisset. 5

Si itaque prophetae hoc gravi corpore circumdati, hac veste mortalitatis circumamicti haec optime videbant, quomodo Prophetissa prophetarum, Magistra magistrorum, scilicet apostolorum, distincta et occulta non videbit? 6

Abrahamus non tantum quae circa se erant, intellexit; sed etiam quae circa divitem in inferno, ut ex capite 16 Lucae colligitur: quidni sancti, et maxime Beatissima Virgo, quae prae ceteris claro intuitu Deum conspicit, ea quae hic aguntur, non intelligat? 7

Dives ille epulo luxurians, vorans, deses, ventricola, flam- 8

Digitized by Google

mis stygiis adiudicatus quid circa fratres suos quos reliquerat in hoc mundo, ageretur non ignorabat: Beata Virgo, quae in summo coeli throno collocata est, ignorabit ea quae hic circa nos aguntur? Absit.

9 Sed modum quaeris quo in tanta distantia res, vota, precesque nostras Virgo Maria aliique sancti agnoscant? Semel accipe et intellige, B. M. Virginem aliosque sanctos videre omnia in verbo velut in causa, sive speculo voluntario. Constituamus aliquod speculum ita magnum et lucidum, et ad tantam eminentiam elevatum, quod omnia illa quaecumque sunt, vel erant, vel erunt, repraesentet. Quod in eo resplendeat, quot sunt substantiae intellectuales, sive illae quae sunt a corporibus separatae, sive illae quae sunt corpori terreno alligatae. Quod in eo refulgeat, quid unaquaeque illarum agat, quid cogitat, quo se vertat, quo abundet, quid patiatur, quid necesse habeat, quid optet, quid habere velit. Quod ille desiderat remissionem peccatorum, ille liberationem a captivitate, ille effugium a naufragio, ille perfectionem vitae spiritualis. Quod illum paupertas premit, istum angustia spiritus conturbat; ille infirmitate continua laborat, hic animam afflat. Ponamus inquam, quod omnia sive bona, sive mala, sive perfectiones, sive defectus rerum, illud lucidissimum speculum oculis praesentet: oculus autem sit adeo perspicax, ut omnia illa contueri queat. An non sciet, quid huic, vel illi necessum sit? quanam ille re et alter indigeat? quidnam desideret? quid cupiat? Deus est speculum limpidissimum. *Candor lucis aeternae et speculum sine macula*, Sap. 7, 26, omnia in semetipso per suam praesentiam repraesentans. Beata autem Virgo supra omnia creata propius ad Deum accessit, et longe perfectiore lumine gloriae, quod perfectiorem visionem gloriae efficit, quam seraphim, perfusa est. Iam non in aenigmate, sed facie ad faciem videt: iam cognoscit Deum sicuti et cognita est. Quid igitur non videt in Deo? quidnam ignorare potest eorum quae sunt infra ipsam? quid latere eam potest eorum quae circa nos aguntur? quid oremus, quo indigeamus? quid non videt, qui videntem omnia videt?

10 II. Vult nos iuvare in omnibus necessitatibus nostris. Ardet caritate, quae *nunquam excidit*, ut Apostolus 1 Corinth. 13, 18 docet, *sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur*: caritas autem nunquam excidet, nunquam cessabit. Deipara igitur in coelo caritate flagrat: diligit unicum Filium suum, diligit et nos, utpote Mater misericordiae, Mater viventium. Si enim in huius peregrinationis tempore, miseris compassa est, ut in nuptiis illis Canae Galilaeae, ubi pro pauperibus sponsis supplicavit: *Vinum non habent*: quanto magis nunc in coelestis patriae domo, in illo perpetuae felicitatis regno Filio assidens pro nobis supplicabit: *Vinum non habent*. Ille non habet vinum contritionis lacrimarum quo peccata abluat. Ille vinum devotionis, quo cor aridum perfundat. Ille vinum sanitatis, quo vires reficiat. Ille vinum consolationis, quo animam in angustiis positam laetificet. Non exuit cum infirmitate carnis visceribus pietatis. In coelo nunc Virgo regnat: assumpsit hinc corpus et animam, assumpsit et misericordiam: quod hic feliciter coepit, illic feliciter perficit: immo maiora misericordiae viscera induit, cum ante fontem misericordiae existit. Non est illa terra oblivionis quam inhabitat. Terra illa viventium, immo non terra, sed coelum, habitatores suos non indurat, non memoria privat, aut pietate spoliat; sed magis corda dilatat, et affectus extendit. Ascendit Virgo in coelum, sed dona et munera influit hominibus: sicut coelum licet longe a terra distet, suos tamen influxus in terram mittit. De Christo scriptum est: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*, Eph. 4, 8. Ascendit itaque Christus in coelum corpore, sed quotidie ad nos descendit affectu ac pietate. Idem de Virgine eius Matre cogita, quae vera est, et unica Filii imitatrix: ascendit et ipsa in coelum, dabit quoque dona hominibus.

11 Affectum Virginis erga nos, maxime autem erga suos clientes, probant beneficia innumera mortalibus collata. Perlustrare universum christianum orbem: nulla est natio, nulla provincia, nullum regnum, nullus principatus, in quo non sit Ecclesia Deiparae Virginis miraculosis beneficiis illustris, ut satis probabam, cum imagines eius in diversis partibus orbis recensebam, et innumera beneficia ibidem mortalibus collata recolebam.

12 III. Potest, quia eius potentia tanta est, quantam ostendimus superius in epitheto, *Virgo potens*, ubi vide; ea enim repetere piget, et non decet. Superest, ut ea quae contra scientiam, bonam voluntatem, et potentiam B. V. Mariae haeretici nobis obiiciunt, diluamus.

DISCURSUS CCCCXVI

QUID OBIICIANT HAERETICI CONTRA SCIENTIAM, POTENTIAM, AC BONUM AFFECTUM BEATAE VIRGINIS ERGA NOS, REFERTUR ET CONFUTATUR

1 Huius blasphemi et execrandi dogmatis, quod videlicet B. V. Maria et cetari sancti iam in coelo regnantes nesciunt quid nobiscum agatur, quod nolunt nos adiuvare, et etiamsi velint, non possunt, auctor fuit haeresiarcha ille antiquus Vigilantius. Hunc impietatis magistrum secutus est Lutherus, Calvinus, et ceteri eorum asseclae, maxime vero Erasmus hunc pestilentem errorem naeniis quibusdam et ineptiis puerilibus auxit, et dilatavit, quas in praesentiarum referre et refutare libet.

2 Erasmus igitur in colloquio de naufragio cultum et invocationem B. Virginis his ineptiis arguit. Nautae vicini naufragio canunt Virgini suum *Salve Regina* appellantes eam stellam maris, portum salutis. *Quid illi*, inquit, *cum mari, quae nunquam opinor navigarit?* Quibus verbis B. Virgini ignorantiam impingit.

Et in alio colloquio de peregrinatione religionis ergo introducit B. Virginem queritantem, quod videlicet tam variis et impertinentibus negotiis a mortalibus solicitetur, quasi Maria sic loquatur: *Itane ego sola et mulier et virgo dabo operam navigantibus, belligerantibus, negotiantibus, ludentibus aleam, nubentibus, parturientibus, satrapis, regibus, agricolis? Atqui quod dixi, minimum est prae his quae patior.* Quibus verbis insinuat Virginem nobis opitulari nolle, et etiamsi velit, non posse; nolle quidem propter fastidium, non posse propter negotiorum multitudinem.

3 At haec omnia nihil aliud sunt, nisi magnus gravisque verborum inanium fumus, ac praestigiatorum inane ludibrium, quod oculis simplicium Erasmus et alii haeretici officiunt.

4 I. Si enim sancti subvenire non possunt mortalibus, nisi in negotiis quae ipsi hic in terris percalluerint, et tractarint, nulli modo essent sancti, qui novos nostros morbos, quales ipsorum tempore nunquam fuerunt, intelligerent. Praeterea in paucis tantum necessitatibus pauci sancti nobis essent invocandi. Invocandi essent in infirmitate solum sancti Cosmas et Damianus, aut si quis alius medicinam in hac vita exercuit, aut alius qui similibus, quibus nos, morbis subiacuit. In negotiis forensibus nemo invocandus esset praeter s. Ivonem, aut si quis alius est in coelo, qui in hac vita iurisprudentiae operam dedit. Et sic de aliis. Sed quis nedum pius, verum et cordatus hoc asserat? Videmus enim, et quasi manibus palpamus, multos sanctos, qui nunquam medicinam exercuerunt, precibus suis varios morbos depellere, ut s. Hyacinthum, s. Antonium et alios; videmus eos qui nunquam nautae fuerunt, periclitantibus in mare adesse, ut s. Nicolaus; videmus eos qui nunquam arma tractarunt, sibi devotos iuvare in praeliis, ut temporibus Alphonsi regis s. Iacobus apostolus in bello hispanico contra Saracenos et barbaros Hispaniam iuvit in equo candido sedens ab his conspectus; videmus eos qui in carcere nunquam fuerunt, catenas relaxare, qui Bartolum, Baldum viderunt miserorum causas coram iudicibus tutari. Id vere praecipue videre est in B. V. Maria, ad quam omnis status, omnis sexus, omnis aetas in quibusvis tribulationibus, et angustiis recurrit. Sacerdotes illi supplicant in casula, reges in purpura, divites in pompa, pauperes in centone, captivi in carcere, infirmi in lecto, et alii omnes in quibusvis suis necessitatibus; et tamen illa devote invocata omnibus adest, omnibus subvenit, omnibus beneficia sua impertit, prout late probavimus superius explicando epitheta, *Salus infirmorum*, *Refugium peccatorum*, *Consolatrix afflictorum*, *Auxilium christianorum*. Stultum itaque et impium est affigere ignorantiam aut inexperientiam rerum huius vitae B. V. Mariae, aliisque sanctis; his enim non obstantibus secure possumus sperare omnis generis auxilio ab ipsis. Illa enim ignorantia, aut inexperientia rerum quam in hac vita habuerunt, in illo statu beato in omniscientiam transiit. *Quid est enim quod non vident, qui videntem omnia vident?* Et licet in hac vita non omnes omnia callebant, non enim omnes erant medici sicut s. Lucas, sancti Cosmas et Damianus: non omnes praedicatores sicut d. Paulus, s. Dominicus, s. Vincentius: non omnes milites ut s. Georgius, s. Mau-

ritius, s. Sebastianus, s. Martinus; modo tamen cum beati sunt, omnia perfecte norunt. In illo enim magno speculo de quo paulo superius diximus, in illo magno Dei codice omnia vident, omnia legunt, Deum habent doctorem in omniscibili, ita quod modo minimus sanctus in coelo melius novit omnes virtutes herbarum, quam aut Plinius, aut Dioscorides, aut Mathiolus, melius callet medicinam quam Hipocrates, Galenus, ut ceteri omnes medici. Una minima mulierenla melius callet omnes artes belli, quam Alexander magnus, Iulius Caesar, et quivis alius insignis bellator. Dicitur enim Apoc. 2, 26: *Qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo.* Nulla ergo ignorantia, aut inexperientia rerum huius vitae sanctis obiici potest, quoniam omnia generis auxilia nobis suppeditent.

5 Praeterea cum sanctos invocamus, non rogamus, ut naturali via et arte nobis subveniant; non enim miles v. g. invocat Deiparam Virginem in bello, ut arcum, vel gladium, vel sclopetum sumat ad defensionem ipsius, et ad laesionem alterius, sed ut apud Deum intercedat, qui etiam sine armis novit conterere bella et hostes. Similiter quando invoco s. Hyacinthum in morbo, vel in alio periculo gravi, non cupio ut ille descendat, pharmaca mihi propinet, venam aperire faciat, et alia quae ars humana suppeditat; sed ut Deum roget, qui sine medicinis vitam homini conferre potest. Quando invoco s. Nicolaum in naufragio, non rogo ut veniat, clavum teneat; sed ut Deum roget, quatenus illam tempestatem sedare velit, cui ad nutum venti et mare obediunt.

6 Invocamus autem peculiariter quosdam sanctos in certis necessitatibus nostris, non quod credamus alios sanctos eas ignorare; sed quia isti dum viverent, easdem ipsi perpessi sunt, vel in illa virtute, quam impetrare cupimus, excelluerunt. Sic in tentationibus libidinis invocamus sanctas virgines, quatenus illae sua intercessione nos iuvent, quae pro castitate usque ad mortem decertarunt. Sic a sanctis martyribus petimus robur fidei, qui pro constantia in fide mira tormenta perpessi sunt. Sic omnes quibus dolent dentes, ad s. Apolloniam confugiunt, cui pro Christo excussi sunt dentes. Sic peste infecti ad s. Rochum, vel s. Sebastianum quorum insignis caritas in sanandis iis qui peste laborarunt in hac vita, enituit. Sic classiarii ad s. Nicolaum, qui tempestatem in mari aliss miraculose sedavit. Sic studiosi alii ad s. Hieronymum, alii ad s. Catharinam martyrem, alii ad s. Thomam aquinatem, qui in vita mira sapientia fulserunt. Sic milites alii s. Georgium, alii d. Wenceslaum, alii s. Mauritium in bellis invocant. Hispani ad s. Iacobum confugiunt, quorum auxilia in similibus necessitatibus iam experti sunt.

Ad B. M. Virginem, ut iam dixi, omnis status, omnis aetas, omnis sexus confugit, quia eius auxilium in quavis tribulatione, angustia, necessitate toties experti sunt, ut in dies experiuntur, cum innumera consolationum beneficia per eam a Deo recipiant.

7 II. Quod vero renisum voluntatis obiiciunt, quasi B. V. Maria tot tamque variis negotiis a nobis obruta de nobis conqueratur, nobis minus bene velit, et ob id subvenire recuset, nimis frivolum et futile est. Quis enim credat, B. V. Mariam aliosque sanctos nostris precibus fatigari, vexari, molestari, turbari, aut in illa beata contemplatione divinae essentiae distrahi? Grata illis est et iucunda cura, quam habent de nobis: proinde eos non turbat, non vexat, non inquietat, sed oblectat. Deus omnia creavit, et usque modo omnibus providet, omnia gubernat. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, et hac cura non affligitur, de tanta mole negotiorum non conqueritur. Angeli ultro citroque commeantes in circuitu nostro nobis serviunt, nos custodiunt die ac nocte, et nihil queritantur. Sol decurrit ab ortu in occasum, et e converso: luna quoque suos gyros continuo facit; et tamen non fatigantur, huiusmodi labores eos non molestant sed recreant. Posuerat Deus Adamum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum, et tamen ille labor, illa custodia eum non molestabat, sed recreabat; et si ibi longiore tempore mansisset, nulla querimonia ab eo audita fuisset. Ad eundem modum B. Virgo et reliqui sancti patrocinio quod nobis praestant, non solum non turbantur, sed etiam miro modo oblectantur; hoc enim est gaudium illorum accidentale supra essentiale, adeo ut, si regium istud caritatis exercitium ipsis non permitteretur, putarent se ideo minus felices, gaudium suum obfuscari, si verbulum pro amicis suis loqui prohiberetur.

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.

Sunt angeli quibus integra incumbunt regna, ut angelus regni Persarum, de quo legitur Daniel. 13. imo quibus maior pars mundi, ut s. Michaeli tota incumbit Ecclesia, et tamen de hac administratione, et cura non queritantur. *Non sunt difficiles labores amanti, in eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur* inquit d. Augustinus de viduitate. Cur ergo et B. Virgo ceterique sancti inquietabuntur, vel turbabuntur patrocinio suorum, et conquerentur de tam variis precibus eorum, cum sint in coelo sicuti angeli Dei? 8

Ulterius, si pro tot gentibus in tam variis negotiis intercedere turbat quietem B. V. Mariae aliorumque sanctorum, multo magis Christus ipse turbaretur, quam ullus alius; quia ille omnium tam in generali, quam in particulari mediator est, omnes ad eum clamant, in quibusvis necessitatibus ad eum recurrunt. Cur ergo haeretici adeo sunt pii in B. V. Mariam, et in reliquos sanctos, ut tantopere caveant ipsorum molestiam, et erga Christum Redemptorem nostrum hanc pietatem non demonstrant? Sed valeant cum sua fucata et insani pietate; haec enim pietas impietas est, stulta peranasio, pestilens error, horrenda blasphemia. 9

III. Impotentiam quoque B. Virgini et caeteris divis stulto adscribunt, quasi illi tot negotiis intricati nobis subvenire non possint. Credimus ex mortalibus nonnullos fuisse, qui diversi argumenti epistolas seu disputationes quatuor amanuensibus simul dictabant: id de Iulio Caesare historiae produnt, id de Origene, et s. Thoma aquinate annales ecclesiastici testantur. Et non credimus sanctos in coelo cum Christo regnantes esse adeo ingeniosos, adeo expeditos, ut plures necessitates nostras videre simul, et nobis subvenire possint? Haec pro crassioribus ingeniis dicta sint: doctioribus aliter nodus iste solvitur, et exemplo illustratur. 10

Sicut crystallinum speculum uno hora plures facies repraesentat, quam mille expeditissimi pictores depingere possint: sic una divina essentia simul et semel plures voluntates, conceptus, desideria beatis repraesentat, quam possent exprimere omnes mortales. In claro speculo simul videmus repraesentari oculos, nares, aures, os, centum capillorum millia; una mappa mundi simul ostendit omnia regna, provincias, urbes, maria, flumina: sic divina essentia simul repraesentat beatis mille supplicationes diversas, mille diversa negotia. 11

Vides igitur, quam rationabiliter, quam pie intercessionem B. V. Mariae aliorumque sanctorum Ecclesia imploret. Utamur ergo illa, saepius clamemus ad eos, saepius eorum suffragia imploremus, ut apud Salvatorem nostrum Christum Iesum pro nobis intercedant, ut dignetur nos aliquando deducere ad gloriam aeternam. Amen.

Digitized by Google

AGNUS DEI

Post tot supplicationes B. Virgini porrectas credimus, ipsius interventu aditum nobis praeparatum ad thronum maiestatis divinae. Quocirca Dominum ac Redemptorem nostrum mox compellamus, eique supplicantes dicimus; ***Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine; exaudi nos Domine; miserere nobis.*** **Hic videndum est**

DISCURSUS CCCCXVII

CUR DOMINUS AC REDEMPTOR NOSTER *AGNUS DEI* DICATUR

1 Diversis olim et valde horribilibus nominibus Deus seipsum nuncupabat. Oseo 13, leonem, pardum, ursum se appellat, cum ait: *Ego ero eis quasi leaena, sicut pardus in via Assyriorum. Occurram eis quasi ursa raptis catulis,... et consumam eos quasi leo.* Iam in nova lege passim agnus appellatur. D. Ioannes in Apoc. vigesies septies eum agnum appellavit, ut ex concordantiis Bibliorum cuilibet patere potest, secutus, ut opinor, s. Ioannem Baptistam, qui Christum indicans, identidem agnum vocabat. Ioan. 1, 29: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et b. Andream qui discipulus fuit Ioannis Baptistae et evangelistae frater, qui et ipse eandem vocem agni usurpavit, cum Aegeae proconsuli cogenti eum ad sacrificandum idolis respondit: *Ego omnipotenti Deo, qui unus et verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari: cuius carnem postea quam omnis populus manducaverit, agnus qui sacrificatus est, integer perseverat ac vivus.* Et Petrum apostolum, qui 1 epist. 1. 19 incitans christianos ad vitam puram et sanctam, ait: *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis,... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati.*

2 I. Nec sane immerito Christus in nova lege appellatur agnus. Olim enim peccata auferebat ut leo horribiles velut rugitus edens, fulgura emittans, terram concutiens, coelum rotans, et alia id genus prodigia operans, ut patuit in diluvio, in quo cunctos homines aquis obruit, illis exceptis, quos divinitus arca servavit. Et in legis promulgatione, ubi tonitrua, caligo, procella, ignis, fulgura, mons Sinai ardens et fumans videbantur, tubae sonus horribilis audiebatur. At postquam Christus peccata abstulit, non ut leonem, sed ut agnum se ipsum exhibuit: homines non occidit, immo eis vitam attulit, eorumque peccata expiavit. Novam legem promulgando non audita sunt tonitrua, non visa fulgura, caligo, procella, non fumabat mons Sion, non ardebat igne horrendo ut Sinai: sed *factus est de coelo sonus tanquam spiritus vehementis, apparuerunique dispertitae linguae tanquam ignis.* Omnesque apostoli divino spiritu summa cum animi dulcedine Dei magnalia loquebantur. Nemo ibi timebat, nemo territus aiebat: *Non loquatur nobis Dominus,* aut: *Devorabit nos hic ignis maximus,* ut olim Exod. 20, et Deut. 5. Id in typo Eliae monstratum est 3 Reg. 19. Vidit is primo horribilem ventum post terribilem terrae motum, post terrae motum ignem tremendum, post ignem in sibilo aurae tenuis Dominum venientem, qui cum Elia locutus est: ita etiam post legem Moysis horribili in igne datam, non igne, ut in monte Sinai, non nubibus, non tonitribus septus, sed in sibilo aurae uti mansuetissimus agnus venit, et idcirco in nova lege agnus vocatur.

3 II. Agnus vocatur Christus propter prophetias. Sic enim patriarchae et prophetae eum olim appellare consueverant. Isaiae 16, 1: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae de petra deserti.* et c. 53 passionem Christi describens vers. 7 ait: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Et Ieremias in typo Christi 11, 19: *Ego,* ait, *quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.*

III. Agni nomine afficitur Christus propter legem. Nam in lege paschalis agnus typus Christi erat. Agnus ille debebat esse absque macula, masculus et anniculus, ut patet Exod. 12, 5. Absque macula, inquam, non coloris, sed deformitatis, puta integer et perfectus, non claudus, non caecus, non mancus, non mutilus; ex hoc enim quod de victima qualibet dicitur Levit. 22, 21: *Omnis macula non erit in ea: si caecum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem: non offeretis ea Domino,* etc. Masculus offerri debebat, quia hic est praestantior, quam femella: praestantiora autem sunt Deo offerenda. Anniculus, puta talis, ut non excedat annum aetatis etiamsi annum non compleverit, poterat enim post octavum a nativitate diem immolari. Quae omnia optime Christo conveniunt.

Ipse fuit absque macula, id est innocens, purus, carens omni macula tam interna, quam externa: tam morum, quam mentis: tam actionum quam cogitationum: purus quaquaversum, in sapientia et virtute: integer et perfectus, sine ullo erroris defectu, aut peccati labe et macula: inculpatus, irreprehensus, omni reprehensione maior.

Masculus, quia nihil habuit feminei, id est molle, fusum, et instabile. Quare psal. 2 dicitur recturus gentes in virga ferrea.

Anniculus, quia undequaque perfectus nedum propter divinitatem, qua nihil est perfectius; sed etiam propter humanitatem, qua nihil est pulcrius, ornatius, vegetius, acceptius.

Agnus ille paschalis offerebatur ab Israelitis in egressu ex captivitate Pharaonis, et non ante Israelitae liberati sunt e servitute aegyptiaca, quam agnus immolatus fuerit. Ita Christus in cruce oblatus est in egressu humani generis a captivitate diaboli, et non ante ex illa tyrannide liberati sumus, quam innocentissimus agnus Mariae Filius Deo Patri in ara crucis se offerret.

Agnus ille quotidie immolabatur, et nullo die eius oblatio intermittebatur, etiamsi illo die festum aliquod, ut neomenia, sabbatum, pascha, et cetera incideret, quo pro ratione festi aliae victimae immolandae erant, ut patet Num. 28, 9. Agnus noster Christus quotidie immolatur in Ecclesia christiana in Eucharistia, et iugiter offertur usque ad Antichristi tempora, qui hoc sacrificium auferet, saltem ne publice fiat in regnis sibi subditis, ut patet Dan. 11, 31.

Cum agno illo offerebatur simila et vinum: cum Agno nostro simila et vinum offertur, qui sub speciebus panis et vini in altari immolatur et sumitur. Simila illa mixta erat oleo: Eucharistia nostra oleo mixta est, quia ex suavissima caritate et misericordia, cuius oleum symbolum est, a Christo instituta est. Olei et vini par erat mensura, quia tanta est Christi misericordia, quanta virtus sanguinis eius pro nobis effusi.

Agnus ille bis offerebatur, tam mane quam vespere, uti iusserat Deus Exod. 29, 39. Agnus noster Christus mane et vespere immolatus est. Mane, hoc est ab ipsa mundi origine. Primo in sacrificio Abelis, qui obtulit primogenita ovium, id est agnos Domino. Secundo in sacrificio Abrahae, qui pro Isaac arietem substituit et immolavit, Gen. 22, 13. Hoc autem sacrificium Christi passionem optime adumbrabat; nam quemadmodum pro Isaac aries subrogatus est, ita pro Christi divinitate, quae pati non poterat, subrogata, hoc est, passioni exposita est humanitas, in qua Christus patiens seipsum immolavit. Tertio in agno paschali qui, ut iam diximus, erat expressa figura Christi Salvatoris. Hinc Apost. 1 Cor. 5, 7 ait: *Pascha nostrum immolatus est Christus;* hoc est, Christus pro nobis phase immolatus nos redemit, ut quicumque eius sanguine et passione in Baptismo et Sacramentis tinguntur, tuti sint et immunes a devastante angelo, id est diabolo et peccato. Sicut olim in Aegypto angelus Hebraeorum postes sanguine agni illitos videns, nullum primogenitum percussit, et in vicinas Aegyptiorum domos sanguine agni non notatas saevit, in iisque omnia primogenita percussit: ita nunc diabolus, quos sanguine Agni immaculati in Baptismo et aliis Sacramentis tinctos videt, pertransit, et in infideles, ac impios, qui sanguine Agni Christi tincti non sunt, saevit, eosque morte aeterna occidit. Quarto in

Digitized by Google

iugi seu quotidiano sacrificio, de quo iam diximus. Quinta in aliis ovibus et agnis qui ex lege omni festo immolandi erant. Vespera Christus immolatus est, cum in ara crucis seipsum pro nobis Deo Patri obtulit, et usque ad finem saeculi immolatur tanquam in sacrificium pro filiis novi testamenti. Vel aliter: Christus mane et vespere oblatus est; mane in incarnatione, vespere in morte. In puncto incarnationis seipsum obtulit, cum prompta voluntate se, suaque omnia, hoc est suos labores, aerumnas, mortem pro nostris peccatis, nostraque salute Deo Patri exhibuit, de quo sacrificio Apost. ad Hebr. 10, 5: *Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio*; hoc est corpus meum, sanguinem, et vitam tibi, o Pater aeterne, in sacrificium pro peccatis generis humani prompta voluntate offero. Et *in hac voluntate* Christi *sanctificati sumus*, ait idem Apostolus v. 10. In morte seipsum obtulit, cum voluntatem illam, ac obedientiam, quam per totam vitam continuavit, in cruce consummavit, et perfecit.

5 IV. Agnus dicitur Christus ob agni nomen, ac proprietates, quas in seipso exprimit.

1. Agnus dicitur ab agnoscendo, ut Isidorus lib. etymol. docet; tum quod matrem suam inter mille oves amnino similes, sola eius voce audita, facile dignoscit; tum quod lupum, quem antea nunquam noverat, cum primum videt, execratur et ab eo fugit: quae duo mirifice Christo conveniunt. Ille enim Verbum est et Sapientia Patris. *Vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt*, ait Apost. Rom. 4, 17; quia tam clare et distincte videt ea quae non sunt, sed longe post futura sunt, sicut videt et cognoscit ea, quae actu sunt. Hinc Eccli. 23, 29 dicitur: *Domino Deo nostro antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic et post perfectum respicit omnia.* Recte igitur Christus agnus dicitur, quia omnia antequam sint, agnoscit et videt. Ante omnia Matrem suam B. V. Mariam nedum praesentem, sed etiam antequam esset, eam elegit, et praedestinavit ad maternitatem, quasi ecto esset, et quasi esset ab aeterno. Hinc illa Prov. 8, 22: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, id est omnium actionum suarum, *antequam quidquam faceret a principio.* Idem agnus divinus cum primam vocem Matris suae audivit, *Ecce ancilla Domini* etc., mox de coelis descendens celeri cursu in virginei uteri thalamum accurrit, lupum antequam videret, agnovit; quia, antequam nasceretur, mundum, carnem, mortem, peccatum, daemonem velut immanissimos lupos domuit, a grege suo abegit, prostravit et vicit. Audi Isaiam 8, 4: *Antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariae.* Vere Christus antequam sciret vocare Patrem suum et Matrem suam fortitudinem Damasci abstulit, et spolia Samariae diripuit; quia antequam nasceretur, infidelitatem, peccatum, daemonem fugavit per gratiam et fidem sui; omnes enim sanctos, quotquot fuerunt tum in lege naturae, quam mosaica, per merita sua praevisa, et a Deo acceptata diabolum vincere fecit, dando eis gratiam, et auxilia ad id opportuna. Apposite autem regnum Damasci et Samariae regnum peccati et diaboli designat. Primo, quia Damascus idem significat, quod sanguinis saccus, ex quod magna ibi fuit vini fertilitas et copia. Hinc Bacchum isthic in sacro habitasse ferunt, vel potius fingunt: tale autem est regnum diaboli, quia sanguinarius est et homicida ab initio. Secundo, quia regna haec erant hostilia regno Iudae et Davidis, sive populo et templo Dei. Tertio, quia colebant idola, et consequenter diabolum; unde recte regnum peccati et diaboli designant.

6 2. Agni omnia sunt utilia. Caro et sanguis eius nos cibant, lana et pellis vestiunt, cornua et ungues, imma et vilia eius excrementa medicinalia sunt, ut Barthol. Angel. de propriet. rerum lib. 18, c. 2, et 16 scribit. Omnia haec et singula Christo Agno divino conveniunt. Quidquid in eo est, totum proficuum et salubre invenies. Caro eius est noster cibus, sanguis eius est noster potus, oculi eius corda peccatorum emolliunt, manus aegrotos sanant, saliva caecos illuminat, vox mortuos suscitat, daemones pellit, maris tempestates sedat. Quid plura? Flatus eius Spiritum sanctum praebet. *Insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum*, Ioann. 20, 22. Ac tandem solius fimbriae eius vestimenti contactus fluxum sanguinis compescit.

7 3. Agnus est animal mundum et simplex. Hinc Festus Pompeius: *Agnus*, inquit, *dicitur a graeco ἁγνός, quod significat castum, eo quod agnus sit hostia pura, et immolationi apta.* Et s. Cyprianus tract. de livore: *Christus*, inquit, *plebem suam agnos vocat, ut agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur.* Ad eundem modum Christus purus, innocens, castus in mundum venit; nulla enim illum peccati vel tenuissima labes attigit. *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*, ait Apostolus Hebr. 7, 26. Et vere decebat, ut talis esset Christus; nec enim poterat de nocentia triumphum portare, nisi innocentia; nec poterat pro nocentissimis divinae iustitiae satisfacere, nisi innocentissimus. Ad haec Christus habebat duas naturas, divinam videlicet, et humanam; divina natura impeccantiam sibi suo iure vindicabat, humana vero, quia divinae personae copulata erat, eandem impeccantiam habere debebat. Erat enim in divina supposito, velut in altissima arce collocata, quo nullum peccatum pertingere poterat, iuxta illud psalm. 90, 9: *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum*; et psal. 18, 6: *In sole posuit tabernaculum suum.* Bene in sole, quia sicut in solem nullae tenebrae incurrere possunt, ita in Christum nullum peccatum incidere poterat. Quare Cant. 5 dicitur *electus ex millibus*, quia in totius generis humani massa nemo sine peccato reperitur: ipse vero non solum peccator non fuit, sed etiam peccatores redemit.

Simon de Cassia premens illa verba psal. 44: *Speciosus forma prae filiis hominum: Pulcrior*, inquit, *Christus humano genere, quia peccatum non habuit*, etc. Non habuit peccatum ullum Virgo Deipara; sed propter Filii merita non habuit; at Christus a seipso habuit impeccantiam, non a meritis alienis.

Illud magis observatione dignum censui, quod Euthymius super c. 3 Matthaei ex multorum sententia refert, nempe s. Ioannem Baptistam unumquemque baptizatorum in aquam ad collum usque immersum detinuisse, quousque peccata sua confessus esset, et post confessionem ascendebat de aqua baptizatus. At Christum Dominum in aqua minime detinuisse, sed asperum, vel, ut Caietanus noster vult, submersum mox extulisse: quod etiam s. Matth. indicat c. 3, cum ait: *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua.* Quo innuere voluit eius innocentiam, cum enim peccatum non haberet, non erat quod detineretur, donec peccatum confessus esset.

Et vero innocens, mundus, ac sine peccato esse debebat, qui ad expianda mundi scelera venerat. Ab immundo enim quid mundabitur? Neque immunda manus potest quemquam abluere, neque immunda hostia, hoc est peccatis inquinatus homo, homines poterat expiare. Victima igitur opus fuit pura, ut peccatum nullum posset admittere. Ea vero fuit Christus in ipsa crucis ara, in qua absque crimine ullo fuit immolatus: unde Cant. 5 *candidus et rubicundus* dicitur. Candidus propter summam innocentiam, rubicundus propter sanguinis effusionem.

4. Agnus animal mansuetissimum est. Multa animalia dentibus, cornibus, unguibus, pedum pernicitate valent; alia calliditate et solertia, alia veneno, alia tandem armata sunt aculeo. Agnus vero inermis incedit, non ferocit ut taurus, non mordet ut canis, non calcibus petit ut equus, non callide fugit ut vulpes, non veneno inficit ut serpens, non demum aculeo pungit ut scorpio, vel apis; sed totus mitis est et mansuetissimus. Ad eundem modum Agnus Dei Christus Dominus, ut ait s. Petrus 1 epist. 2, 23, *Cum malediceretur, non maledicebat*, hoc est cum vocaretur potator vini, Samaritanus, a diabolo obsessus, seditiosus, insanus, hostis Caesaris, subversor gentis, *non maledicebat*, hoc est non reddebat talionem, sed altissimum servabat silentium. Hoc est quod Isaias 42, 2 de eo praedixit: *Non clamabit, neque accipiet personam, nec exaudietur vox eius foris.* Hoc est, non erit clamosus, nec contentiosus, sed in mansuetudine, sinceritate, ac rectitudine ius cuique dicet. Matth. 12, 19 eodem verba citantur hunc in modum: *Non clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.* Pergit propheta Isaias v. 3: *Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet.* Calamus quassatus erat populus israeliticus, dignus qui propter scelera confringeretur; sed quia adhuc integritatis speciem retinebat, idcirco Christus noluit eos confringere, sed potius colligere et reficere. Linum fumigans erat plebs illa fumo peccatorum suorum Deo molestissima. Hanc Christus non extinxit, quia cum posset cum palestate irae suae percellere, non percullit, sed patientiae longanimitate toleravit, uti et modo cum impiis facit, quos ad poenitentiam expectat. Verum in passione eius agnina, immo divina mansuetudo, patientia silentium emituit, cum, iuxta vaticinium Isaiae 53, 7, *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram*

tondente se obmutuit, et non aperuit os suum; cum illa acri tonsione non lana et vestis, sed pellis, caro, sanguis, et vita flagellis, clavis, et plagis illi detondebantur, et abradebantur; non gemuit, non questus est, non obstrepuit, non restitit: sed mitissima patientia tacitus omnia sustinebat.

9 Praeterea Agnus noster tanta mansuetudine praeditus fuit, ut nedum in seipso mitis existeret, verum et alios leonina feritate, et lupina rapacitate imbutos in agnos mansuetissimos converteret. An non saevissimus leo fuit Matthaeus, et Zachaeus aliena bona rapientes? an non rapax lupus Saulus Ecclesiam Dei persequens; et tamen hos leones et lupos ferocitatem et voracitatem deponere fecit, et in agnos mansuetissimos transmutavit? Hoc est quod ante Isaias praedicebat 11, 6: *Habitabit lupus cum agno*. Vere tempore Christi lupi cum agnis habitant; nam per Christi gratiam homines olim superbi, fortes, potentes, rapaces, noxii cum humilibus et simplicibus christianis in unitatem fidei et Ecclesiae conspirant. Sanctus Paulus ob minas et caedes in christianos lupo comparatus habitat cum agno, id est sanctis Petro, Ioanne, aliisque apostolis. Et hodie quotquot peccatores velut lupi rapaces ad poenitentiam conversi resipiscunt, ex lupis agni mansuetissimi fiunt.

10 Quare olim singulis cathecumenis sacri baptismatis fonte iam ablutis singulae imagines ex massa cerea candida confectas dabantur, in quibus species agni expressa cernebatur, ut Optatus Milevitanus libro 3 contra Donatistas scribit. Quo significabatur, quod catechumeni illi virtute Agni immaculati Christi Domini sacramentali aquae lotione mundati, sanctitatis candore, et agnina mansuetudine decorati ex sacro fonte prodibant; et monebantur Agnum Christum eiusque innocentiam in baptismo acceptam iugiter prae oculis habere et conservare. Unde canit Ecclesia: *Isti sunt agni novelli qui venerunt ad fontes, et repleti sunt claritate*.

11 Ob hoc vetus fuit mos Christum depingendi in agni specie, quem praecursor ostendit, uti docet sexta synodus habita in Trullo can. 82. Quem usum latina et romana ecclesia semper retinuit, licet Graeci ob calumnias iconoclastarum aliquando vetuerunt Christum alia specie pingi, quam humana. Romae et in aliis ecclesiis Latinorum, in antiquis coemeteriis et sepulcris videre est Christum musivo opere pictum, et sculptum quasi agnum. Theodorus Studita epistola quadam apud Baronium tomo 9 recitat haec d. Chrysostomi verba: *Ego ex cera fusam amo agni picturam pietatis ergo factam*. Rationem dat idem Theodorus: *Quoniam*, inquit, *refert Agnum indicatum a Ioanne, atque verum Agnum a lege significatum, qui tollit peccata mundi*. Et constat Constantinum magnum in baptisterio lateranensi Romae ad pedes imaginis argenteae Salvatoris adiunxisse agni imaginem cum hac inscriptione: *Ecce Agnus Dei*. Et Ecclesia temporibus Tertulliani, ut ipse testatur libro de pudicitia cap. 7, et 10, in ipsis calicibus depingere solebat ovem humeris pastoris incubantem. Quare s. Franciscus vel ad aspectum, nomenve agni aut ovis, totus colliquescebat, et lacrimas tenere non poterat; et cum poterat, prece vel pretio eos qui ad macellum ducebantur, ut mactarentur, redimebat mente revolvens Christum qui ad occisionem ductus est sicut agnus.

Hinc quoque manavit usus in ecclesia romana e Gelasio papa circa annum Domini 500 inchoatus, ut ex cera sacra agnorum imagines conficiantur, et populo dominica in Albis post missam et communionem distribuantur. Quae antiquitas in Ecclesia romana servata, nunquam postea intermissa hactenus perseverat. Hinc factum est, ut in omnibus ecclesiis Latinorum ante communionem *Agnus Dei*, etc. cantetur. 12

Graviter igitur hallucinatus est Heracleon, ut Origenes tomo 9 in Ioannem refert; eo quod colligebat Christum non habuisse corpus perfectum, quia in grege agnus imperfectum quoddam est; nam huius appellationis alias rationes gravissimas attulimus. 13

V. Iam videamus cur Christus dicatur Agnus Dei. Primo dicitur Agnus Dei, quia est Filius Dei unigenitus ac dilectissimus, qui pro nobis factus est puer et infans Patris. Pueros enim agnos vocamus, prout optime notavit Clemens alexandrinus lib. 1 Paedag. cap. 5. Cum Scriptura pueros et infantes agnos vocat, Deum, qui est Verbum, qui pro nobis homo factus est, qui nobis in omnibus assimilari volebat, vocavit Agnum Dei, Filium Dei, infantem Patris. Ut ergo significetur hominem hunc esse Filium Dei, non Patrem, non Spiritum sanctum, idcirco dicitur Agnus Dei. 14

Porro quod s. Clemens Filium Dei infantem Patris appellat, de Christo, qua homo est, id intelligi debet; Christus enim qua Deus, aequalis Patri, atque coaevus est.

Secundo dicitur Agnus Dei, quia a Deo, hoc est Dei iussu et voluntate pro hominum redemptione est immolatus. Sicut sacrificium vocatur Abrahae, quod Abraham obtulit Deo; sic et Christus Agnus Dei, eo quod Deus Pater propter caritatem suam erga nos illum dedecit ad mortem. Ita Theophilactus, Euthymius et Maldonatus.

Tertio, quia Dei fuit victima ipsemet Deo oblatus et immolatus. Ioan. 17, 19 ipse ait: *Pro eis ego sanctifico meipsum*: quem locum de Christi immolatione in cruce interpretatur d. Chrysostomus hom. 2 in Ioannem. 15

Quarto dicitur Agnus Dei, id est divinus, propter divinitatem quae in ipso est. Cui nos tanquam vero Deo laudem, gloriam, benedictionem ac gratiarum actionem reddamus in saecula sempiterna. Amen. 16

QUI TOLLIS PECCATA MUNDI

DISCURSUS CCCCXVIII

QUA RATIONE AGNUS DEI CHRISTUS DICATUR TOLLERE PECCATA MUNDI

1 Pro eo quod nos legimus in latino *Qui tollit*, in graeco est *αἴρων*, quae vox ambigua est: significat enim portare aut auferre. In prima significatione accipit eam Theophylactus, et est sensus: Agnus Dei Christus tollit peccata mundi, quia est victima, cui impositum est onus omnium peccatorum nostrorum portandorum, pro iis sufficienter satisfaciendi, iuxta id quod d. Petrus de eo 1 ep. 2, 24 ait: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, id est satisfecit pro eis pendendo in ligno crucis. In secunda significatione Agnus Dei Christus peccata mundi tollit, quia ea aufert, abolet, et radicitus evellit. Unde non canimus: Agnus Dei qui remittis, aut qui tegis, vel non imputas peccata, ut Calvinistae et Lutherani fingunt, sed *qui tollis*, id est aufers, deles peccata mundi. Tollit enim Agnus iste peccata, non eo modo, quo chirurgus vulnera. Iste enim licet vulnera sanet, cicatrices tamen delere non novit. Agnus Dei tollit peccata mundi, et eorum cicatrices, hoc est reliquias, ita ut nullum eorum remaneat vestigium. Clamat hoc David, clamat Magdalena, clamant illi divi omnes quibus medicus noster Christus medicinam adhibuit salutarem, qui et vulnera et cicatrices abstulit, hoc est delevit, abolevit, ita ut nullum illarum remaneat vestigium. Quaenam in animo Davidis peccatorum sunt cicatrices? quaenam sunt in animo Magdalenae et reliquorum sanctorum criminum vestigia? Admirabilis sane est pulcritudo, sanctimonia, decor, seu nitor animae: peccati autem labes prorsus nulla. Licet enim in iustificatis plerumque remaneat reatus, sive obligatio ad poenam, necnon pristini vitiosi habitus; sic tamen per Christi gratiam exhibita satisfactione illi delentur: isti vero iteratis virtutum actibus ita abolentur, ut nullum eorum remaneat vestigium.

Hoc Isaias vates aptissima metaphora 44, 22 explicuit: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua*. Quemadmodum enim, vehementissimo vento flante, toto aethere nubes dispelluntur, ita ut earum ne tenue quidem relinquatur vestigium: ita cum, divina operante misericordia, toto animo peccata fugantur, fitque pro illis divinae iustitiae satis, nulla illorum remanet macula, nullusque reatus. Facessant igitur Lutherani et Calvinistae, qui dicunt Agnum Dei tollere peccata, non ea delendo, sed tegendo et abscondendo, ut sint et non videantur, et amplius

non imputentur. Iam videamus quonam modo Agnus Dei Christus tollat peccata mundi.

Tollit Christus peccata mundi, qua Deus, et qua homo. Qua Deus, efficienter: qua homo, multipliciter.

3 1. Efficienter per humanitatem, quae est instrumentum divinitati coniunctum. Ex eo enim quod humanitas Christi secundum quam Christus passionem sustinuit, est instrumentum divinitatis, omnes eius passiones et actiones operantur in virtute divina ad expellendum peccatum. Sanctus Thomas 3 part. quaest. 49, art. 1.

4 2. Meritorie per gratiam quae data est ipsi, non solum ut singulari personae, sed in quantum est caput Ecclesiae. Unde Christus per suam passionem non solum sibi gloriam corporis, ascensionem, venerationem, sed etiam omnibus membris suis meruit remissionem peccatorum, et aeternam salutem, de quo merito nos abunde diximus superius discursu XXXVIII.

5 3. Satisfactorie, in quantum sufficienter, immo superabundanter satisfecit Deo pro peccatis nedum nostris, verum etiam totius mundi, ut divus Ioannes ait 1 epist. 2, 2. De hac Christi satisfactione fusius disseruimus superius disc. XXXIX, et XLII per totum.

6 4. Per modum sacrificii, in quantum passionem suam sustinendo seipsum obtulit in sacrificium, reconcilians nos Deo iuxta id quod Apostolus ad Ephesios 5, 2 ait: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Huius sacrificii summe propitiatorii repraesentatio, commemoratio, et applicatio est missa, quae continuo peragitur in Ecclesia catholica pro vivis et pro defunctis. De hoc sacrificio nos plura dixisse meminimus superius discursu XLVI.

7 5. Per modum redemptionis, in quantum a servitute peccati, a reatu poenae aeternae, quo secundum Dei institiam obligati eramus, Christus nos redemit, non pecuniam dando, sed quod maximum est, seipsum pro nobis offerendo, iuxta id quod 1 Pet. 1, 18 dicitur. *Non corruptibilibus auro et argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.*

8 6. Tollit Agnus Dei Christus peccata ministerialiter per sacerdotes, et instrumentaliter per Sacramenta ac virtutes theologicas. Per Sacramenta quidem, quae vim habent ex passione Christi, et sunt quasi quidam canales, per quos fluit ad nos efficacia passionis Christi: unde recte theologi docent Sacramenta esse causas gratiae instrumentales, physicas, et efficaces. De Baptismo dicitur Marci 16, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* et ad Titum 3, 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* De Eucharistia Ioan. 6, 52: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* De Poenitentia Actor. 3, 19: *Poenitemini et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* De extrema Unctione s. Iacobus scribit in epist. 5, 15. *Si in peccatis sit, remittentur ei.* De virtutibus theologicis, puta fide, spe, et caritate, idem asseritur. De fide legimus Rom. 3, 25: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius;* et ad Rom. 10, 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris;* et Act. 13, 39: *In hoc omnis qui credit, iustificatur.* Sed haec fides non debet esse sola et informis, sed formata, id est cum caritate coniuncta, ut Apostolus ait ad Galatas 5, 6: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium; sed fides quae per caritatem operatur.* De spe scribit d. Paulus Rom. 8, 24: *Spe enim salvi facti sumus.* De caritate legimus Luc. 7, 47: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Per haec itaque instrumenta Christus peccata nostra tollit. Licet enim passio eius per se ad omnia peccata abolenda sufficiat, nemini tamen prodest, nisi per haec instrumenta singulis applicetur. Quemadmodum enim medicina morbos tollit propter innatam vim; nulli tamen prodesse potest, si applicata non fuerit. Ad eundem modum Christi passio licet sufficientissima pro salute totius generis humani; nulli tamen prodest, nisi per fidem, Sacramenta, ceteraque instrumenta divinitus instituta singulis applicetur. Hinc est quod multi ex hominibus sunt in mundo impii, multi detruduntur ad inferos, pauci qui salvantur, quia nimirum meritum passionis Christi eiusque efficaciam per fidem, bona opera et Sacramenta sibi non applicant.

9 Ultimo tandem Agnus Dei Christus peccata mundi tollit, cum in sua humanitate quotidie Deo Patri nos miseros repraesentat, et causam nostram tuetur interpellando pro nobis. Sic enim scriptum est ad Hebr. 9, 24: *Iesus introivit.... in coelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis;* et d. Ioannes 1 ep. 2, 1, et 2 ait: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Advocatum agit Christus apud Patrem pro nobis, quia pro nobis interpellat, se et suas plagas vulnerumque cicatrices, ac consequenter sua merita allegando, eaque divino conspectui repraesentando. Idcirco enim resurgendo has cicatrices retinuit, et in coelum intulit, ut eas iugiter Deo Patri quasi pontifex et mediator noster repraesentet. Huc facit quod Isaias 53, 4 prophetabat: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Ubi Chaldaeus vertit: *Deprecabitur pro peccatis nostris, et delicta nostra propter eum dimittentur.*

Hinc etiam sanctorum viventium ac mortuorum suffragia poscimus, ut meritum Christi nobis applicetur, eo quod et ipsi hac interpellatione sola suffulti suis precibus Patrem nobis propitium reddunt. Hinc indulgentias Ecclesiae nobis dari petimus, quas ex thesauro meritorum Christi, et sanctorum percipimus, de quo superius abunde dixi discursu XXXVIII.

DISCURSUS CCCCXIX

QUAE PECCATA MUNDI, CUIUS MUNDI, ET QUOMODO TOLLAT AGNUS DEI CHRISTUS

Certum est, Christum obtulisse sacrificium crucis sufficientissimum ad delenda omnia peccata originalia et actualia, mortalia, venialia, praeterita, praesentia et futura; et hoc in sempiternum, id est pro omni tempore, pro omni aetate, et generatione omnium hominum, ut iam non egeamus alio Christo, qui morte sua nos redimat, vel ut idem Christus pro nobis, vel pro aliis saepius moriatur. Hoc fuse docet d. Paulus ad Hebr. 10, 10, ubi ait: *Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel;* et paulo post v. 14 de Christo ait: *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* 1

Tollit igitur Agnus Dei non certum peccatum, aut huius vel illius hominis, huius aut illius regionis; non Israelitarum tantum, non Iudaeorum solum, sed totius mundi. Pro toto enim mundo, proque omnibus hominibus oblatus est. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris,* ait d. Ioannes 1 ep. 2, 2, *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Nullum mundi peccatum ablatum est, quod per Agni sanguinem non sit ablatum. Adami, Evae, patriarcharum omnium, eorumque qui vel in lege naturali, vel scripta, vel in lege gratiae vixerunt, peccata quaecumque ablata sunt, per sanguinem Christi ablata sunt, et quaecumque in extremum usque diem auferentur, per sanguinem eius auferentur. Qua de causa Apocalypsis 13, 8 Christus dicitur *Agnus occisus ab origine mundi.* Quotquot enim homines ab Adamo et prima origine mundi fuerunt, omnes per Christum redempti sunt: hanc autem redemptionem et eius efficaciam participarunt per fidem et fidei Sacramentum, secundum illud Apostoli Roman. 3, 25: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Hinc graviter erravit Andreas Musculus lutheranus, qui docuit Christum pro iis non esse mortuum, qui ante eius adventum mortem oppetierunt. Quamvis enim ad Iudaeos Christus missus fuerit, tamen non propter solos Iudaeos missus est, sed propter mundum universum. In occidentem, orientem, septentrionem, austrumque eius redemptio pertingit: quas mundi quatuor plagas quatuor crucis partes adumbrant, in qua immaculatus Agnus immolatus est. Est redemptio Agni clementissima, est universalis, est aeterna. Clementissima, quia Agni; universalis, quia totius mundi; aeterna, quia totius temporis. Omnes populos, omnes urbes, regiones, provincias, omnes homines complectitur. Et licet non omnibus prosit quoad efficaciam, omnibus tamen est exposita quoad sufficientiam: quam qui non accipit, sua culpa non accipit, quia potentissimum medicamentum sibi non adhibet. 2

Canimus autem, sicut et in evangelio legimus, non qui tolles, aut tulisti, sed *qui tollis peccata mundi*, ut praesenti tempore vim connaturalem qua pollebat Agnus ad tollenda peccata, magis ac magis exprimamus. Tempus enim praesens omne tempus, omnem locum, omneque subiectum designare solet. Unde ad exprimendam naturam ignis non utimur verbo praeterito, aut futuro, sed praesenti: non dicimus ignis calefecit, aut calefaciet, sed calefacit, ut significemus eum natura sua omni tempore, om- 3

Digitized by Google

m loca, omnemque sibi subiectam moteriam (nisi quid obstet) calefacere. Ita et Christus omni loco, omni tempore peccata tollit, si adfuerit poenitentia ad munus suum praestandum, omni tempore paratissimus est; sive mane, sive summo diluculo, sive meridie, sive vespere, sive nocte intempesta accedas, patent fores, miti te fronte excipiet.

4 Calvinistarum error. Hinc colligo quam absurdus sit error Calvinistarum, qui dicunt, immo verius blasphemant, Christum non pro omnibus in universum hominibus mortuum esse, sed solum pro iis qui credunt et praedestinati sunt, et vocem mundi ad certum, et particularem hominum coetum, credentium videlicet et electorum seu praedestinatorum restringunt.

5 Nos vocem *mundi* ad nullum certum, et particularem hominum coetum restringimus, sed hac voce universitatem generis humani designari credimus et tuemur, ita ut horum verborum sensus sit: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, id est omnium hominum qui sunt, qui fuerunt, et erunt, tam credentium quam non credentium, tam praedestinatorum quam non praedestinatorum, seu reproborum omnium quoad sufficientiam, praedestinatorum vero solum quoad efficaciam. Errorem Calvinistarum fuse refert et confutat Ioan. Paulus Windeck sacrae theologiae doctor, ecclesiae collegiatae in oppido Murebdorff canonicus, in libello ad hoc specialiter conscripto.

6 *Peccata mundi*. In graeco, immo et in bibliis correctis Ioannis cap. 1 in numero singulari legitur *peccatum mundi*, propter quod Theophylactus, et glossa ordinaria peccatum originale interpretatur.

7 Confessionis augustanae mendacium. Hac occasione praeterire non possum illustre mendacium confessionis augustanae, quo catholicis doctoribus hanc opinionem affingit, quasi ipsi Christi merita restringerent, et eum pro solo peccato originali satisfecisse, pro actualibus autem missam instituisse docerent. Specialiter autem hac calumnia onerant sanctissimum doctorem nostrum Thomam aquinatem. Sed ab hac calumnia certatim se vindicant scholasticorum commentaria, quae in tertium librum sententiarum scripserunt. Vide ibidem dist. 19, q. 1 s. Thomam quaest. 3, s. Bonaventuram quaest. 1, Scotum quaest. 1, Durandum quaest. 4, Richardum et alios omnes, qui magno et praecipuo quodam consensu docent, Christum etiam pro actualibus omnium hominum peccatis Deo pro nobis satisfecisse, ita ut nullo alio novo pretio opus sit.

Quam vero sit non modo malitiosa calumnia, sed insignis quoque impudentia obiicere s. Thomam, quasi ipse docuerit Christum solum pro peccato originali satisfecisse, perspicuum est ex parte 1, quaest. 1, art. 4, ubi clarissime docet in haec verba: *Certum est Christum venisse in hunc mundum non solum ad delendum illud peccatum, quod traductum est originaliter in posteros; sed etiam ad deletionem omnium peccatorum, quae postmodum superaddita sunt*. Idem docet ibidem quaest. 49, art. 1 ad 4. Quae loca si lector inspexerit, me non vanum esse testem comperiet. 8

Adducunt illi verba s. Thomae ex opusc. de Sacramento altaris c. 1, ubi ait: *Corpus Domini semel oblatum in cruce pro debito originali iugiter offerri pro quotidianis delictis in altari*. Sed hinc nullum patrocinium sui erroris, nec fulcimentum calumniae habent; nam sanctus doctor non dicit pro solo debito originali corpus Christi oblatum esse in cruce, sed etiam pro omnibus actualibus, ut ex locis iam citatis patet. 9

Quod vero in graeco et in bibliis correctis in singulari dicitur *peccatum mundi*, non intelligitur solum peccatum originale, sed et actualia omnia intelliguntur; frequenter enim in Scripturis per metolepsim et enallagem numerus singularis pro plurali ponitur, ut Exodi 8, 14: *Et venit musca gravissima in domos Pharaonis*: et c. 10, v. 4: *Ecce ego inducam locustam in fines tuos*. Haec verba nemo de una musca vel locusta, sed de muscarum locustarumque multis millibus interpretatur. Similiter cum s. Ioannes Baptista dicit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, non de uno aliquo peccato, sed de infinitis peccatorum myriadibus intelligendum est. 10

Quod autem Theophylactus, et glossa ordinaria per peccatum interpretantur peccatum originale, intelligendum est, non de solo originali; sed principaliter de originali, consequenter de omnibus aliis, quae ex originali tanquam ex radice prodeunt, ut colligitur ex s. Thoma 3 p. q. 1, art. 4. 11

Quapropter cum Christus Agnus Dei omnia peccata nostra, et supplicia pro eis nobis debita in seipso receperit, sustulerit, deleverit, extinxerit; vicissim partes nostrae erunt, ut in hunc Agnum Dei Christum oculos nostros, mentemque defigamus, ab illo ad salutem nostram procurandam consilii et auxilii copiam petamus, et hoc memorabile beneficium grato animo recolamus in perpetuum. Amen. 12

PARCE NOBIS DOMINE

Mansuetudo, clementia, benevolentia, misericordia sunt virtutes, quae pari semper gradu incedunt, et in materia conveniunt; omnes enim circa moderationem irae versantur, et appetitum vindictae moderantur. Habent tamen distinctas, ut schola loquitur, rationes formales, quibus inter se distinguuntur.

Mansuetudo est, quae improbitatibus cedit, malo non resistit, vincit in bono malum. D. Hieronymus super Matth. c. 5: *Mansuetus*, inquit, *seu mitis est, qui nec irritat, nec nocet, nec nocere cogitat: et qui nec ira, nec furore afficitur*. Est igitur mansuetus idem quod mitis, simplex, humilis, quietus, mentem tranquillam gerens ad omnes. Clementia est respectu poenarum, et significat lenitatem animi in poena exigenda. Benevolentia est bonus affectus seu voluntatis promptitudo ad faciendum ea, quae aliquis ab aliquo poscit. Misericordia est sensus alienae miseriae ex hoc, quod aliquis in ea contristatur putans eam quasi ad se pertinere.

Postquam ergo mansuetudinem Christi sub metaphora Agni recoluimus, mox ad implorandam eius clementiam descendimus, canentes: *Parce nobis Domine*, quasi dicere vellemus: Scimus, Domine, te mansuetum esse, iniuriasque aequanimiter tolerare: proinde clementiam tuam imploramus orantes, ut reatus nostros remittas, condones veniam, et impunitatem des. In sequentibus benevolentiam petimus, dicentes: *Exaudi nos Domine*. Tandem misericordiam, cum dicimus: *Miserere nobis*. Age clementiam Dei attentius consideremus, et inquiramus

DISCURSUS CCCCXX

QUAM LENIS, MITIS AC CLEMENS SIT AGNUS DEI, CHRISTUS DOMINUS NOSTER

1 Fatemur Deum in infinitum magis clementem ac misericordem esse, quam quisque nostrum imaginari possit; credere tamen oportet eum esse aequaliter iustum ac pium, clementem, et misericordem, cum omnes virtutes Dei aequaliter infinitae sint, utpote eidem essentiae divinae omnimodo identificatae: et axioma scholae theologorum habet: *Infinitum propter suam infinitatem identificat sibi quodcumque compossibile*. Sed quoniam divina oracula saepius extollunt divinam clementiam, et misericordiam super omnia opera eius: idcirco nos audacter clemen-

Digitized by Google

tiam eius imploramus, scientes quod scriptum est 2 Paral. 30, 6: *Pius et clemens est Dominus Deus vester*; ut Ionae 4, 2: *Scio quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multae miserationis, et ignoscens super malitia*; et ps. 144, 9: *Suavis Dominus universis, et miserationes eius super omnia opera eius.* Et Iacobi 2, 13: *Superexaltat autem misericordia iudicium.* Hinc investigamus quanta sit clementia, lenitas, bonitas, misericordia Agni nostri Iesu Christi: quod cognoscere non valemus, nisi per effectus, et ex effectibus eum magis clementem, ac misericordem, quam iustum agnoscimus et confitemur.

2 I. Agnus Dei Christus magis clemens, ac misericors est, quam iustus; non quod unum attributum sit maius altero, ut dictum est, sed quia saepius exercet actus clementiae ac misericordiae, quam iustitiae. Facit iustitiam, sed rarius; exercet misericordiam, sed saepius. Misericordiam suam extendit in mille generationes; rigorem autem iustitiae suae solum in tertiam et quartam generationem.

3 Nihil est molestius Deo, quam facturam suam perdere, et eos quos redemit, damnare: ob id dum vindictam vult sumere; tarde, melancholice, invite, aegre ad eam procedit. Quando protoparentis nostri inobedientiam punire debuit, non citato cursu, sed lente deambulat: *deambulat*, inquit sacer textus Gen. 3, 8, *in paradiso*, et venit. Quando? summo mane? Non, sed post meridiem, inclinata iam die, non in fervore diei, ut ferventior esset, sed *ad auram*: id est vox eius videbatur procedere a vento leni, qui est inter austrum et occidentem. Perdendum erat genus humanum diluvio; *omnis enim caro corruperat viam suam*, Gen. 6, 12. At bone Deus quantae intercessere morae! Vindicanda erat iniquitas Sodomae; numquid statim ad arma conclamat? Non, tardo pede pergit. Antequam fulminat, ipse vult descendere et videre iniquitatem: non ut instruatur, (qui enim discat, qui omnia novit?) sed ut Sodomitas moneret se agere ut iudicem temperatum, cui nihil molestius, quam procedere ad tormenta: *Quique dolet, quoties cogitur esse ferox.* Hinc apud Isaiam suspirat, gemit, dicens 1, 24: *Heu vindicabor de inimicis meis.*

4 Videns Ierosolymae futuram cladem flevit. Luc. 19, 41: *Videns civitatem flevit super illam.* Frementibus discipulis, et vindictam petentibus in Samaritanos, eo quod ab eis non erant excepti humaniter: *Domine*, inquiunt, *vis dicimus, ut ignis descendat de coelo, et consumat illos?* respondit: *Nescitis cuius spiritus estis*, Luc. 9, 54, 55. Haec omnia arguunt, Dominum ac Redemptorem nostrum valde clementem esse.

5 Macrobius lib. 6 saturnaliorum, c. 8 aiebat: *Dii laneos pedes habent*; quo innuere volebat tarditatem eorum ad vindictam. Plutarchus in problemat. scribit, Tyriis morem fuisse, ut deorum statuis vincula iniicerent, ut denotarent eos ad vindictam esse pigerrimos, et ad ultionem procedere, velut ille qui pedicis pedes ligatos habet. Optime haec quadrant in Agnum Dei Salvatorem nostrum, Iesum Christum, qui velut laneos pedes, aut vinculis ligatos habere videtur, quando ad vindictam procedit, ut vidimus.

6 II. Agnum Dei Christum magis clementem, ac misericordem esse, quam iustum inde colligimus, quia effectus quos misericordiae eius in nobis producit, non praerequirunt aliquid in nobis, sed sufficit Dei beneplacitum. Hinc theologi docent, *primam gratiam non cadere sub merita.* E contra autem effectus divinae iustitiae ex parte nostra semper supponit aliquod demeritum; *neque enim Deus prius est vindex, quam homo peccator*, ut alicubi docuit s. Augustinus. Exemplis id probare libet. Quid fecerat Paulus, aut quod eius meritum erat, ut tantae gratiis a Deo praeveniretur? Quin potius ex adverso multa erant ipsius peccata et demerita. Adversus Deum pugnabat christianos persequens, et directe se divinae gratiae opponebat, et tamen cum eo Christus clementissime processit: a se valde alienatum statim non punivit, sed vocavit, invitavit, convertit, et ex rapido lupo agnum ovilis sui mansuetissimum fecit, et ex persecutore Ecclesiae suae defensorem constituit.

Id ipsum in nobis experimur. Quidnam quaeso meruimus, ut 7
nos bearet? Nihil prorsus, cum nondum eramus. Quid meruimus, ut nos redimeret? Nihil; immo *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius*, ut ait Apostolus Rom. 5, 10.

Perge. An panem quem comedimus, meremur? *Peccator*, in- 8
quit d. Augustinus, *indignus est pane quem comedit*: immo et micis quae cadunt de mensa bonorum virorum, et tamen clementissimus, ac misericordissimus Deus *solem suum facit oriri super bonos et malos*, ut utrisque panem quotidianum largiatur: immo plerumque malis abundantius panem tribuit, addens carnem et vinum, iuxta illud Iob. 12, 6: *Abundant tabernacula praedonum.*

III. Clementissimus est, quia peccatores etiam nolentes, et 9
reluctantes saepius ad se convertit. Quod in d. Paulo clarissime patuit, quem tunc convertit, quando in summo ardore persecutionis erat furens et insaniens, ac christianos persequens. Unde Ecclesia in quadam collecta Deum orat: *Nostras etiam rebelles ad te compelle voluntates.*

IV. Clementissimus est, quia etiam cum rigidissimam iusti- 10
tiam exercet, misericordiae non obliviscitur: v. g. in inferno, ubi severissime damnatos punit, semper tamen aliqua misericordia utitur. Hinc theologorum est regula, eaque verissima, quod scilicet Deus punit damnatos citra condignum, sicut et praemiat beatos ultra condignum.

In nobismetipsis hoc idem discimus, et aperte videmus. Nonne 11
corpora impiorum hominum ad omnes voluptates et nequitias individui animarum comites, et coadiutores fuerunt, et tamen nondum animabus in poenis et suppliciis associantur; sed aeque ac beatorum corpora in suis sepulcris pacifice conquiescunt? nonne ea post mortem mox Deus in nihilum redigere posset? Posset plane, et tamen non facit; sed pro sua divina clementia ea in esse conservat, totaliter non destruit, in voracibus illis flammis immortalia conservabit.

V. Clementissimus est, quia in omnibus misericordia sua nos 12
praevenit; quidquid enim nedum facimus, aut meremur, verum etiam quidquid boni cogitamus, ipse nos praevenit, et facit, ut faciamus, et cogitemus, ut Apostolus ait: *Non sumus sufficientes aliquid a nobis cogitare quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*, 2 Cor. 3, 5; et psalmista ps. 58, 11: *Deus meus misericordia eius praeveniet me.*

Immo iustitia divina non haberet cui mercedem redderet, nisi primum Deus gratia sua nos praevenisset. Neque enim ad Dei notitiam venire, nec in militiam Christi adscribi, nec ad pugnandum idonei esse, nec strategemata daemonis vincere poteramus, nisi ille gratia sua nos praevenisset, adiuvisset, et usque in finem nobiscum perseverasset.

VI. Tandem clementissimus est, quia peccatoribus inimicis 13
suis remedia varia reliquit, quibus eos ad se convertat, ut sacramenta, et maxime poenitentiam velut quoddam asylum constituit, voluitque, ut rigorem iustitiae non sentirent. Multa alia clementiae, bonitatis ac misericordiae argumenta superius dedimus discursu XX, et XXVII per totum.

Digitized by Google

EXAUDI NOS DOMINE

Postquam Agni nostri clementiam imploravimus, eius benevolentiam nobis captamus, ut nimirum preces nostras exaudiat, et id quod petimus misericorditer indulgeat, dicentes: *Christe audi nos, Christe exaudi nos*, ut alibi explanavimus, nunc iterum idem fere repetimus, cum canimus: *Exaudi nos Domine.* Exaudit nos benignissimus ac clementissimus Agnus, cum misericorditer indulget, et clementer largitur. Sed quam variis modis nos exaudiat, explanare operae pretium fuerit.

DISCURSUS CCCCXXI

QUIBUSNAM MODIS AGNUS DEI CHRISTUS PRECES INVOCANTIUM SE EXAUDIAT

Implexam nonnihil, sed perutilem movimus quaestionem, quam nunc enodare, et enucleare oportet, ut orantium animos spe, et gaudio erigamus, instruamusque de modo expectandi suarum precum exauditionem.

1 I. Certissimum est, omnes qui aliquid decens, et prout decet, petunt a Deo, exaudiri ab ipso, sed variis modis. Quosdam enim licet non exaudiat ad voluntatem; exaudit tamen ad salutem. Quosdam exaudit ad voluntatem spiritus, licet non ad inferiorem carnis. Quosdam exaudit non eo modo quo ipsi postulant, sed alio utiliore, quem et ipsi eligerent, si nossent. Quosdam exaudit, sed non pro tempore, quo ipsi volunt, sed pro alio tempore magis opportuno, quod et ipsi eligerent, si scirent. Latius in hunc campum excurramus, et hos exauditionis modos penitus inspiciamus, clariusque tum rationibus, tum auctoritatibus, tum exemplis elucidemus.

2 Certissimum esse dixi, omnem qui aliquid decens, et prout decet petit, a Deo exaudiri. Quisquis enim postulat ab eo ea dona, quae necessaria sunt ad salutem animae, et vitam aeternam consequendam, cuiusmodi sunt gratia, caritas, virtutes, dona Spiritus sancti, et auxilia necessaria ad implenda praecepta, et vincendas tentationes et huiusmodi, si ea petat, ut oportet, semper exauditur. Cuncta enim haec sunt iuxta voluntatem Dei, qui non laetatur in perditionibus nostris, sed omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Et hoc est quod d. Ioan. 1 ep. 5, 14: *Haec est fiducia quam habemus ad Deum; quia quodcumque petierimus: secundum voluntatem eius, audit nos.* Multo ante propheta regius ps. 144, 18: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate.* Illi autem in veritate eum invocant, qui voluntati eius se in omnibus conformant, et qui ei placere desiderant. Qui autem iuxta voluntatem suam eum invocant, non exaudiuntur, quia id eis non expedit. Exemplo filiorum Zebedaei res clarior fiet. Petebant illi a Christo per matrem, ut unus eorum sederet ad dexteram, alius ad sinistram in regno Christi, ut narratur Matth. 20, 21, Christus Dominus respondit eis: *Nescitis quid petatis*, increpans ignorantiam, et petitionem respuens. Ac si apertius dicat: Non decet exaudire vos iuxta vestram voluntatem, quia id quod vultis, non expedit vobis: existimatis a me petere panem, ovum, et piscem: at vere non petitis nisi lapidem, serpentem et scorpionem. Nam primatus iste temporalis ex ambitione expetitus non erit vobis panis et nutrimentum, nec spes vitae et libertatis; sed lapis offensionis et petra scandali, scorpio et serpens qui vos mordeat, et plurium peccatorum veneno inficiat, torqueat, et necet: non ergo expedit, ut exaudiam vos ad voluntatem, quia non erit ad utilitatem, sed in perniciem. Et hoc secundum intellectum eorum qui putant apostolos primatum petiisse in regno Christi, quod terrenum et temporale esse existimabant. Secundum vero opinionem eorum, qui apostolos primatum petiisse in regno Christi spirituali et aeterno existimabant, hic sensus est: *Nescitis quid petatis*, hoc est inordinate, et intempestive petitis, nec titulo quo decet; vultis enim ex familiaritate, vel consanguinitate, vel ex solo arbitrio largientis regnum coeleste adipisci, quod non nisi pro labore et merito datur. Observat autem cardinalis Caietanus Christum non dixisse, nescitis quid petatis, sed *nescitis quid petatis*, id est quid modo petere debeatis. Ac si dicat: Nescitis quid sit dextera et sinistra regni mei, et gloriae meae quam petitis, nec quomodo petenda sit. Non est modo tempus sedendi ad dexteram et sinistram, sed pugnandi per arma iustitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam: non est concedenda merces ante laborem, nec corona gloriae ante pugnam et victoriam, nec regnum meum possidendum est solum favore, et intercessione, sed labore et merito: quare non exaudio vos eo titulo quo petitis, quia id quod decet, non petitis; et quod petitis, vobis dare non expedit.

II. Quosdam exaudit, licet non ad voluntatem, exaudit tamen ad salutem; quia licet non accipiunt, quod volunt et expresse petunt; accipiunt tamen id, quod eis magis prodest in ordine ad finem vitae aeternae, quod summe volunt, et obtinere desiderant. Quod exemplo d. Pauli constat, qui cum Dominum interrogasset, ut stimulus carnis auferretur ab eo, audivit: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur*, 2 Cor. 12, 9. Hoc est exauditus es ad salutem, non ad tuam voluntatem; magis enim tibi prodest haec infirmitas carnis, quam virtus, quam postulas. Infelices sunt peccatores ac reprobi, qui ea quae sibi sunt noxia, petentes exaudiuntur a Deo, prout volunt; sed iusto Dei iudicio in ipsorum damnum. Quocirca misericordiam suam ostendit Deus, cum noxia quae petimus negat; iram vero cum ea tribuit. Medicus amans mei noxia vina pernegat, licet centies postulem. Postulantibus gladios ad sui iugulationem denegare misericordia est, concedere est stulta crudelitas. Pusio a matre cultellum aut pugionem poscit, quem oculis aut pectori suo infigat; negat pia mater filii sui amans; concedit stulta et crudelis. Phaethon currum solis vel unico die regendum poscens, licet aegerrime, impetravit; sed sibimet exitium attulit; nam a Iove fulminatus in Pado interiit. Ovidius lib. 2 Metamorph. ruinam ipsius describens, et deflens: 3

Viveret coelum Phaethon si viveret et quos
Optavit stulte, tangere nollet equos.

De Mida quoque rege narrant fabulam, (sed doctae illae, et valde morales) quod cum aliquando Apollinem, sed ignotum, hospitio excepisset, isque abiens hospitii quasi pretium redditurus, optionem hospiti suo dedisset quidlibet optandi, avarus homo ita oravit:

Effice quidquid
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum

Dictum, factum. Mox Myda omnia contactu suo in aurum vertit, etiam esculenta, et poculenta, adeo ut sic fame moriturus contraria petere cogeretur. Idem accidit iis qui voluntatem suam impleri a Deo obnixe petunt. Exempla ex sacris Scripturis id abunde docent.

Israelitae nauseantes manna coeleste, carnes petierunt, et obtinuerunt, sed magno suo malo; nam *Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos*, psalm. 77, 30. Rursus poposcerunt regem cum haberent Samuelem, qui iudicabat eos: *Constitue*, aiunt, *nobis regem, ut iudicet nos sicut et universae habent nationes*, 1 Reg. 8, 5. Obtinuerunt, sed quam eis gravis futurus erat iste rex, ipse Dominus praedixit: *Clamabitis in die illa a facie regis vestri quem elegistis vobis, et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem*, ibid. v. 18. Id est clamabitis ab iniuriis quibus vos rex vester afficiet, omnia sibi licere arbitratus; sed ego vos non exaudiam, prop-

Digitized by Google

ter importunitatem et protervIam vestram, qua me offendistis in petendo rege.

Daemones sic saepe exaudiuntur, ut cum petierunt tentare sanctum Iob, vel ingredi in porcos: potuisset quidem Christus id negare, sed concessit et exaudivit ad eorum voluntatem et damnationem, et ad nostram eruditionem. Pulcre d. Gregorius 15 moral. c. 12 ait: *Maioris iracundiae est, cum hoc tribuitur, quod male desideratur, atque inde repentina ultio sequitur: quia hoc quoque obtinuit, quod Deo irascente concupivit.*

Quocirca cum necessaria huius vitae a Deo petimus, omnem voluntatem nostram in Dei voluntatem coniiciamus, ut ipse nos iis viis regat et ducat, quae peccati non habent scandalum. Hoc debet esse perpetuum nostrum votum: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.* Sanctus quidam in more habuisse fertur alphabetum recitare per ordinem ante Deum, dicendo: *Domine iunge litteras, et o tu peta quod tibi magis placet, et mihi magis expedit.* Beatus Macarius dicebat hunc rectum orandi modum: *Deus meus quomodo vis, et sicut tibi placet, ita fiat.* Confirmat hoc totum ipse Christus Salvator noster, qui ita orare docuit: *Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra.*

4 III. Quosdam exaudit ad voluntatem spiritus, hoc est, partem animae superiorem, licet non ad inferiorem sensus vel carnis. Voluntas enim superior regulatur rationibus, desideriis, et affectibus aeternis, inter quos primum locum obtinet Dei beneplacitum. Voluntas vero inferior ducitur rebus corporalibus naturae hominis consentaneis. Deus igitur semper facit timentium se voluntatem quoad partem superiorem, hoc est voluntatem spiritus; quia illa semper est divinae voluntati conformis, et prae omnibus vult ac petit, ut semper voluntas Dei fiat: non autem quoad voluntatem inferiorem; quia illa non attendit quid Deus velit, sed quid naturae consentaneum sibi videtur. Unde cum sancti iuxta hanc voluntatem petunt, non exaudiuntur, quia voluntas inferior, puta voluntas carnis, inordinate multa appetit. Ceterum secundum voluntatem superiorem exaudiuntur, quia tunc vere volunt, ut fiat quod Deus velit, non quod eorum sensus concupiscit.

Patuit id in Christo, qui in passione sua orabat: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.* Ex appetitu inferiore, parte sensibili, haec petitio procedebat, secundum quam mortem illam acerbissimam formidabat; non ex voluntate superiore, secundum quam iuxta voluntatem Dei pro salute nostra mori desiderabat: idcirco exauditus non est, quia id vere maluit, ut fieret quod Deus voluit, non quod natura abhorruit: unde orans addidit: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, Matth. 26, 39, et: *Non mea voluntas, sed tua fiat*, et Luc. 22, 42. Unde eius nomine dicit David propter hanc inferiorem voluntatem: *Deus meus clamabo per diem et non exaudies, et nocte et non ad insipientiam mihi*, psal. 21, 2. Hoc est: Clamabo ad te Deus per diem, id est circa horam nonam: *Deus Deus meus, quare me dereliquisti*, et non exaudies, sed sines crucifigi et ignominiose mori: et etiam nocte clamabo: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*, et non exaudies. Ceterum quod exauditus non sum, non reputabitur ad insipientiam mihi, sed ad sapientiam: quia tu ita decrevisti, et ego ita volo, ut nimirum per mortem meam generi humano salus obveniat, et per crucem meam mundus redimatur.

Similiter d. Paulus ter Dominum rogans, ut tolleret afflictionem eius quam patiebatur in carne, exauditus non est, quia haec precatio procedebat ex appetitu inferiore, quo appetebat quod naturae consentaneum erat, non quod Deus volebat. Exauditus tamen est secundum voluntatem superiorem, qua magis aptabat in gratia Dei abundare, quam ab illa molestia liberari. Unde audito divino responso: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*, laetus aiebat: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.*

5 IV. Quosdam exaudit, non eo modo quo ipsi postulant, sed alio utiliore, quem et ipsi eligerent, si divinae voluntatis arcana nossent. Exemplum habemus in sororibus Lazari, Martha videlicet et Magdalena. Petebant illae a Christo, licet verbis clare non exprimerent: *Ecce quem amas, infirmatur*: ut scilicet Lazarum ab illa, qua laborabat aegritudine liberaret, et fratrem vivum ac sanum eis in solatium daret. At Christus negavit primum et concessit secundum; nam Lazarum ab infirmitate, quamvis posset, non sanavit, sed mori permisit; cum tamen postea a mortuis resuscitavit, iam vivum et sanum sororibus in solatium dedit: unde illis maior laetitia, copiosior gratia, et Christo cumulatior gloria accessit.

Idem videre est in Tobia caeco. Orabat ille cum lacrimis, ac pertaesus caecitatis dixit: *Praecipe Domine, in pace recipi spiritum meum; expedit enim mihi mori magis quam vivere*, Tob. 3, 6. Et exauditus est, licet non in eo quod postulabat, sed in alio quod ipse magis vellet, si nosset. Deus enim non permisit eum tunc mori, quod ille petebat; sed angelum de coelis misit, qui miro quodam modo visum ei restituit, et ab illa afflictione, quae eum molestabat, liberavit.

V. Quosdam exaudit, sed non pro tempore quo ipsi volunt, sed pro alio magis opportuno, quod illis utilius erit, et quod ipsi eligerent, si scirent. Multa enim in hoc tempore sunt nociva quae pro alio erunt proficua. Hinc Ovidius:

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Medicus novit tempus aptum minuendo cruori, adhibendo vulneri cauterio, quanto melius scit Deus tempus benefaciendi et concedendi nobis id quod petimus? Non ergo Deus negat nobis id quod petimus, sed solum differt in aliud tempus, ut ad recipienda eius dona ea magis dispositi simus. Ex ipsa enim dilatione desideria nostra crescunt, et vota dulcius obtinentur, obtenta diligentius custodiuntur, et firmius retinentur. Unusquisque enim quod magno labore invenit, eo diligentius custodit. Propter quod David vocat Deum adiutorem in opportunitatibus, in tribulatione, psal. 9, 10; quia non eripit a tribulatione mox ut petitur, sed cum est tempus opportunum, cum scilicet videt ea nobis esse in salutem, et non in damnationem.

Adde, quod in ipsa dilatione oratio iusti statim exauditur ex parte, quia statim largitur illi Deus aliquod donum melius, puta incrementum desiderii, fidei, et spei, quae per illam repulsam magis corroboratur et crescit. Id videre est in Chananaea. Petebat illa: *Miserere mei, Domine fili David, filia mea male a daemonio vexatur*, Matth. 15, 22. Dominus non respondit ei verbum, et cum apostoli pro illa intercederent, respondit: *Non sum missus, nisi ad oves quae perierunt, domus Israel.* Et rursus cum illa adorans eum, instaret: *Domine adiuva me*, respondit: *Non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus.* Ulterius cum pergeret: *Etiam Domine; nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum*, audivit: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Profecto Dominus semper exaudiebat eam: nam cum videbatur eam repellere, increpare, eique improperare, infundebat ei fortitudinem et constantiam, specialeque auxilium conferebat, quo adepta est talem fidem quam Dominus maxime commendavit: *O mulier magna est fides tua.* Ecce plene exaudita est ad salutem, et ad voluntatem, nam non tantum filiae, sed etiam sibi meliorem salutem invenit, *Vade in pace*: licet non pro tempore quo ipsa voluit, sed pro alio magis opportuno, quod etiam ipsa elegisset, si arcana divinae mentis scivisset.

Vidistis quot modis exaudiat Agnus Dei Christus orationes iustorum. Quae est ergo querela illa dicentium: *Ecce clamabo vim patiens et non audiet; vociferabo, et non est qui iudicet?* Iob. 19, 7. Audit Agnus Dei diligentes se, exaudit invocantes se, qui aliquid decens et prout decet ab eo petunt; non parvipendit supplicationes nostras, sed priusquam egressae sint ab ore nostro, ipse scribi eas iubet in libro suo, et unum e duobus indubitanter concedit, quoniam aut dat quod petimus, aut magis quam petimus, aut quod nobis noverit esse utilius.

Non cessemus ergo clamare: *Agnus Dei*, etc. *exaudi nos Domine;* quia supplicatio nostra, si digne fiat, nunquam suo fructu carebit, qui etsi non apparet modo, apparebit in tempore suo. Amen.

MISERERE NOBIS

Haec verba superius in priore tomo satis pressimus, et de misericordia Dei erga nos pro modulo nostro disseruimus, ea nunc repetere nolo, volumen hoc claudo et obsigno.

EPILOGUS

Emenso igitur exigua ingenii mei cymba vastissimo laudum B. Virginis oceano, opportunam stationem iam nacta, contrahens vela oratio conquiescat; ita tamen, ut non otiosa consistat, sed his quorum auspicio a porto solvit, et ad portum feliciter pervenit, debitas gratias agat.

Tibi igitur Iesu Christe Rex Optime Maxime, cuius infinita sapientia universa condita sunt, et admirabili providentia gubernantur, cuius inaestimabili bonitate restaurata sunt, Tibi, inquam, maximas, quantas capere potest pectus meum, gratias refero. Quot huius scriptionis meae sunt apices, tot tibi gratiarum actiones reddo: quot syllabae, tot laudes refero pro animi corporisque viribus ad hanc diem praeter spem, praeter merita mihi collatis. Et supplex oro si vera sunt quae scripsi, tu summa Veritas approba, et grato animo suscipe, quia de Sancta Virgine Matre tua, nisi quod verum, pium, et iustum est, sentire et scribere potui. Si ergo dixi, et scripsi ut debui, approba te Christe, et tui: si vero aliud, aut aliter quam debui, ignosce tu Christe, et tui.

Tibi quoque magna Parens, Dei Genitrix, Virgo incomparabilis, Mater piissima, Domina benignissima, hoc quodcumque est opellae meae ex animo offero, et ingentes gratias ago, quod tuo favore, tuo patrocinio, tua ope et intercessione huc pervenire potui, quod felix, faustum, fortunatumque sit, omnium bonorum largitori Christo Filio tuo acceptum, Religioni nostrae atque reipublicae christianae proficuum.

Tibi igitur, Virgo sacra, Virgo regia, Virgo augustissima, hoc meum, immo potius tuum opus do, dico, consigno, consecro. Tuum namque est, tuo namque favore, patrocinio, ac suggesto elaboratum, et perfectum est. Tu me ad hoc opus incitasti, direxisti, iuvisti, instruxisti, et effecisti, ut tarda et impolita mens, et manus mea fieret calamus scribae velociter scribentis. Tuo favore tempora inquieta, tristia, aerumnosa, metu atque periculis plena devoravi. Tu per lubrica gradienti, in summo vitae discrimine toties constituto opem tulisti. Tibi igitur hoc opus tot nominibus debitum, iterum ac tertio offero, immo refero, non mihi, sed Tibi, et Deo Domino nostro illud tribuo, licet liber nomen meum de more praeferat. *Non mihi Domine, non mihi, sed nomini tuo da gloriam.*

Obsecro, Virgo sancta, Virgo regia, sis mihi arca tutissima, in qua recondantur has quales quales lucubratiunculae meae, ac tua custodia muniantur, ne fur obrepens, appetitus videlicet humanae laudis appropiet, vel tinea et aerugo, spes videlicet aliquae fallaces eam exedant, sed totum id quidquid est, ad laudem et gloriam Dei cedat.

Effice quaeso Beatissima Virgo, ut opella haec qualis qualis benedicto Filio tuo Iesu Christo, Salvatori nostro, ac toti Sanctissimae Trinitati placeat. Ab ea te impetra, ut quicumque eam lecturi sunt, ad eius cultum et laudem perennem accendantur; Tibi quoque communi omnium nostrum Parenti devoti existant, Te impensius colant, Tibi serviant; Tibi omnibus votis, et studiis, omnibusque corporis et animae viribus placere satagant.

Me quoque indignum clientem tuum ex alto aspice, apud dilectum Filium tuum maiorem in dies sapientiam, lumen, et gratiam impetra: et si qui forte huic aetati meae quadraginta septem annorum, et valetudini iam aegritudine fractae dies supersunt, il ad laudem et gloriam dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi ut cedant, effice. O delicium animae meae tuo patrocinio me fovere non desine: memento mei nunc et in hora mortis meae. Amen.

Hic finio, et gloriam do Deo uni trinoque, laudem Deiparae Virgini Mariae, honorem sanctissimo parenti meo Dominico, debitam reverentiam sanctae universali Ecclesiae catholicae romanae, quam solam fidei magistram agnosco; proinde eius censurae haec mea scripta subiicio. Et si quid in eis sensui ipsius adversum incaute irrepserit, uti erroneum damno, et reiicio.

FINIS

Digitized by Google

Digitized by Google

EDITORIS NEAPOLITANI

DISCURSUS

DE NOVISSIMO POST DOGMATIS DEFINITIONEM

SUPERADDITO IN LITANIIS TITULO

SINE LABE ORIGINALI CONCEPTA

Digitized by Google

REGINA SINE LABE ORIGINALI CONCEPTA

Quid editori propositum sit in explicatione huius tituli.

En heic novissimus post singulas in litaniis Beatissimae Virginis Mariae laudes et invocationes titulus ille occurrit nunc tandem expresse a fidelibus, praemisso quoque superiorum voto, adhibitus, quem ipso in limine huiusce iam absolutae editionis *praetermissum omnino* ab auctore diximus, et *nobis propositum*, ut in calce totius operis quid sibi velit, quid nobis valeat, et cetera huiusmodi, maiori qua posset auctoris imitatione illum expendamus.

Praetermissus autem titulus iste dicitur ab auctore, tum quia nondum ceteris praeconiis expresse adiunctus sibi extraneus efficiebatur, nec peculiari discursu pertractandus; tum quia e schola Thomistarum, ut ibidem significatur, licet gloriosissimae Virginis conceptio saepius atque passim in ipsa operis praefatione ab ipso invocata innotescat, satis tamen ab aperta *immaculatae* istius conceptionis confessione, cum adhuc Ecclesiae definitio desideraretur, alienus innotuit. Ceterum vero innumera sunt suo more, quae, capta occasione disserendi de titulo *Mater purissima*, de controversia inter doctores, num sine labe atque immaculata prorsus omnino dicenda sit Deipara in sua conceptione, an subiecta saltem in primo instanti huic maculae, ipse colligit et ad trutinam revocat; et ita quidem ut ex discussis utrinque doctorum opinionibus, necnon ex interpretatione data silentio ab Ecclesia circa controversiam huc usque servato satis ille innotescat pro negativa potius quam pro affirmativa parte stetisse.

Heic ergo, cum nobis in explicatione huius tituli opus sit eadem pertractationis methodo et ratione uti, cuius ipse in reliquis discutiendis laudibus typum gessit, nonnulla passim exhibeantur necesse est, quae ceteris eo loco ab auctore collectis efficiantur incongrua aut etiam contraria; ea tamen tantum abest ut censuram aliquam seu reprobationem quod ad reliquas illius sententias, eruditiones, scripta ullo modo arguant; quin immo hoc unum erga eruditum atque piissimum scriptorem desiderare sinunt, ut nempe opus suum non ante, sed post dogmatis de immaculata Virginis conceptione promulgationem eidem absolvere atque typis mandare contigerit.

DISCURSUS I

QUID SIBI VELIT SINE LABE ORIGINALI CONCEPTA FUISSE

1 Ecclesiae doctrina de originalis culpae transfusione.

Nil profecto tristius atque perniciosum magis humano generi accidere poterat, quam originale peccatum, quod scilicet divina revelatio, apertissimum sacrarum Scripturarum testimonium, atque patrum omnium saeculorum traditio nos fide tenendum docuit et confiteri de primorum parentum totius humanae generationis praevaricatione atque lapsu. Ex hoc enim factum est, ut nedum ipsi ab omni Dei amicitia et benedictione illico decidere meruere; sed et in causa fuere ut ad unum omnes quotquot usque ad consummationem saeculi nascituri erant ex ipsis, praevaricationi, aerumnis, maledictioni in semine ipso subiecti evaderent; nec ullus omnino salvus fieret homo, qui ex humano semine conceptus, a primo instanti suae conceptionis et existentiae habitu praevaricator, maledictus, culpae, quae idcirco *originalis* dicta est, in ipso matris utero subditus non prodiret. Dicimus porro de humano semine conceptus: id enim est, quod Christum ab omni originali labe prorsus immunem significat; siquidem, licet humanam carnem ex carne Virginis Mariae sibi arripiens verus homo prodierit, sicut in persona atque simul coniuncta in unitate personae Verbi natura verus erat Deus; quia tamen conceptus non de humano consortio, sed virtute Spiritus s. in utero Virginis singulari mysterio descendentis, ab omni debito atque humanae praevaricationis labe efficiebatur alienus. Dicimus, in ipso materno utero fieri hominem praevaricatorem: id quod sufficere videtur ad hoc, ut Ioannem non sine *originali labe* conceptum dicamus, qui tamen in ipso materno utero sanctificatus traditur, cum scilicet Elisabeth mater eius audiens salutationem Mariae quae iam de Spiritu sancto conceptum Dominum gestabat, *exultavit infans in utero eius*, Luc. 1, 41. Dicimus tandem *habitu* sive generatione fieri hominem praevaricatorem et maledictum: culpa siquidem originalis, licet actualis dici nequeat, cum nullo personali actu ab homine vix concepta absolvatur; non idcirco desinit esse veri nominis peccatum singulis progenitis obveniens, ita ut divina gratia destituti, ignorantiae, concupiscentiae, aliisque calamitatibus subditi in vita, digni post mortem efficiantur Dei privatione et poena aeterna, prout passim doctores probant. Vide Perronium praelect. theol. tract. de Deo Creat. par. III, cap. 4.

Quibus ita praemissis de originalis culpae origine, transfusione ac debito, facile quisque videt, ipsam B. V. Mariam, attenta illius conceptionis origine iuxta naturales humanae generationis leges eidem obveniente, absolute debuisse originale peccatum subire, cum nullus omnino, ut diximus, post Adam praevaricatorem esse amplius posset non in *iniquitatibus conceptus*, non in *peccatis* ex utero matris suae, psalm. 50; nisi tamen prorsus singulare privilegium pro ea abstinuisse dicendum sit, quo scilicet ipse Deus, qui *solus potest facere mundum de immundo conceptum semine*, Iob. 14, 4, omnipotentia sua atque providentia, non sine intuitu meritorum Christi Salvatoris in proximo ut carnem sumeret, et seipsum in hominum redemptionem atque sanctificationem offerret, Virginem illam ad munus divinae maternitatis praedestinatam in actu ipso suae conceptionis gratia et benedictione praeveniret ad id, ut expers atque immunis ab omni reatu, a quacumque communi macula, cui nasci deberet subiecta, efficeretur. 2

Eiusmodi porro est privilegium, quod singulare prorsus atque mirabile titulus iste propositus exhibet; quodque a primis usque Ecclesiae saeculis fidelium animis insculptum ceteris omnibus Beatae Virginis laudibus adeo congruum innotuit, ut, nulla adhuc accedente Ecclesiae definitione, adhuc vigente circa illud controversia inter doctores, frequentissime tamen apud scriptores, non secus ac in ore omnium, quotquot ad illam efflagitare consuevere, nomen *immaculatae*, auspicium *conceptionis absque peccato*, piissimae Virgini adscriptum occurrat. Quoadusque tamen a primo prorsus suae conceptionis instanti Deipara Virgo immunis omnino ab originali peccato minime dicatur, titulus iste *immaculatae*, *sine labe conceptae*, ceteraque non pauca praeconia e sacris litteris ab ecclesiasticis scriptoribus eidem tradita, proprio et absoluto sensu accipi nequeunt: neque enim proprie et absolute *immaculata*, sicuti nec *tota pulcra*, una Deo *dilecta*, in qua *non sit macula*, eadem ipsa exhibetur, quae semel subdita peccato extitit; semel, in uno ut al brevi temporis instanti minus pulcra, non dilecta, simul cum suo genere in suis parentibus maledicta. Quoadusque igitur dogmatica circa id Ecclesiae definitio defuit, ea pia quidem devotione immaculatam dicere, tanto nomine Virginem efflagitare fideles consuevere; de significatione tamen praeconii pressius requisiti, id unum confitebantur omnes, *certe a peccato ereptam* dicendam esse; noluisse Deum praedestinatam hanc Virginem maculatam sibi eligere; debuisse ab omni 3

Digitized by Google

captivitate daemonis illam quam citissime liberare: verum *praeventa* ne Dei beneficio, an tantum erepta? una ne simul et ad vitam et ad gratiam Dei beneficio evecta, an postquam extiterit liberata? nil omnino tenebris obducta, an statim ut in tenebris viserit illustrata? tandem, iuxta receptam paullatim dicendi formulam apud scholasticos, in *primo* suae conceptionis *instanti* sanctificatione aucta et gratia, an in *altero* statim Dei ausilio redempta? Haec erant circa quae, quamvis vetustissima consisteret pro veritate traditio, ubique fidelium devotio atque pietas perseveraret, eamque Ecclesia mediis omnibus per orbem probaret atque foveret; nonnulli tamen silentio consistere opinati sunt; alii quaestionem habere inficiabantur; alii doctoribus atque scholasticis relinquendum esse affirmabant; alii non absoluta unquam definitione decernendum asserebant; omnes Ecclesiae iudicio relinquebant non sine varia illius silentii interpretatione, quod tamen cum constanti adhuc atque in dies utrobique aucta erga Virginem pietate perseverabat. Quid ergo habet definitio *immaculatae Virginis conceptionis*? quid circa eiusmodi conceptionem fidei dogma adicere? Desideratum fuit atque supremum circa id Ecclesiae iudicium obtinere, quod nempe Beatissima Virgo Maria a primo quoque suae conceptionis instanti absque ulla omnino labe originalis culpae extitit: quod absolute et proprio sensu dicenda sit immaculata, immunis ab omni quacumque labe; ab omni quacumque inimici invasione, Dei gratia praeveniente, erepta: quod singula sint ei congrua in sacris litteris contenta praeconia omnis cuiuscumque prorsus maculae ex-
4 clusiva; etc.

Ceterum vero, fuit ne semper erga Virginem satis probata fides, quod nempe a primo penitus suae conceptionis instanti immaculata extiterit? occurrunt ne satis probata iusta theologos testimonia, ex quibus privilegium illud sub explicata significatione congruere omnino Virgini fatendum sit? obstat ne certitudini huiusce fidei unius aut alterius doctoris sententia, sive dicendi formula, si qui alio sensu illud nomen interpretari aggressus sit? probat ne quid pro ambiguitate quaestionis silentium Ecclesiae, sive hucusque dilata dogmatis definitio circa B. Virginis conceptionem a prima quoque instanti immaculatam? Haec omnia singillatim ac breviter in sequentibus enucleanda proponimus: quibus coronidis loco et illud levi calamo pertingendum esse videtur, quam congrue acciderit in litaniis lauretanis ultima adiecta invocatio ad Virginem Deiparam, *Regina sine labe originali concepta*.

DISCURSUS II

A PRIMIS USQUE ECCLESIAE SAECULIS IMMACULATA EXTITIT IN VENERATIONE FIDELIUM DEIPARA VIRGO EO SENSU QUIDEM UT NULLA OMNINO A *PRIMO SUAE CONCEPTIONIS INSTANTI* FUERIT IN EA LABES ORIGINIS, QUAE ILLAM INFICERET

Et quod ad notam quidem, seu vocem *immaculatae*, a primis quoque Ecclesiae saeculis pro Virgine adhibitam, et apud fideles (quoties de illius conceptione, ortu, nativitate sermo erat) omnino vulgarem, id facile concedunt omnes; atque ex testimonio primum colligunt d. Andreae apostoli, qui fidei suae capita coram Egaea proconsule enarrans, his verbis incarnationem Filii Dei profitebatur: *Propterea quod ex* immaculata *terra creatus fuerat primus homo, necesse erat, ut ex* immaculata Virgine *nasceretur perfectus homo, quo Filius Dei, qui ante condiderat hominem, vitam aeternam, quam perdiderant homines, repararet.* In rel. presby. Achais. Eamdem porro vocem tum pro filio tum pro matre, nulla interposita distinctione, vulgarem in sua homilia 1 significat Origenes, qui saeculo ineunte tertio prodit, quique Virginem ibi appellat *dignam Deo, sanctam atque* immaculatam *simul cum sancto et* immaculato: *thesaurum coelestem, divinitatis divitiam, sanctitate plenissimam, perfecte iustam: quae nunquam omnino serpentis violam insidiis, nec unquam venenosa illius afflatu maculata extitit.* Ex quibus vix delibatis veterum testimoniis illud in primis notandum occurrit, notam *immaculatae* ibi pro Virgine absolute usurpari; sub eadem significatione eidem attribui, qua filio suo tribuitur; eodem sensu, quo originali totius rerum creationi competit; omnimodam *innocentia* exemptionem, immunitatem a macula, non unam ab ea, postquam suscepta fuerit, redemptionem atque medelam; quae omnia, quantum cum apposita

Admirabi- vae scaten- tiae pro immacula- ta B. Vir- ginis con- ceptione antiquitas et perseve- rantia apud fideles.

subinde distinctione primi et posterioris instantis in immaculata B. Virginis conceptione conveniant, quisque per se videt.

Praeterea ex testimonio Flavii, quem ipse memorat d. Hieronymus in lib. de scriptoribus ecclesiasticis, doctrinam de immaculata Virginis conceptione Hispaniam suscepisse discimus ab apostolo Iacobo simul cum praedicatione evangelii: *A Iacobi praedicatione celebratur in Hispania festum immaculatae et illibatae conceptionis Dei Genitricis Mariae.* Quod vero attinet ad patres posterioris aetatis, qui eiusmodi notam atque praeconium *immaculatae* pro Virgine adhibent, apposite singulorum testimonia annumerat pius atque eruditus nostrae dioecesis sacerdos Iosephus Tipaldi in novissimo opusculo post dogmatis definitionem edito, quo veritatem immaculatae conceptionis Deiparae Virginis rationi congruam, catholicam, dogmaticam, selectis omnino dissertationibus probatam exhibuit (1). Hic igitur ex saeculo II Iustinum martyrem, Irenaeum contra haereses, et Tertullianum seligit, qui anthitesim instituunt inter Mariam et Evam, quarum unam tradunt in omnibus altera nobiliorem, et ab ipsa origine prae illa semper venerandam: id quod consistere non posset, si semel peccato subditam Virginem dicamus, cum ea adverso Eva occurrat nobis ab omni culpa in ortu suo immunis. Rursus ex III saeculo praeter testimonium Origenis superius traditum s. Cypriani verba refert, quibus B. Virginem vas electionis communibus participasse iniuriis negat; naturae humanae communicasse in sua origine affirmat, non tamen culpae: item verba s. Dionysii alexandrini, qui eamdem Virginem *unicam atque solam filiam vitae* appellat, adeoque prorsus immunem in ortu suo a peccati morte agnoscit. Non secus tandem ex posterioribus saeculis perspicua enumerat aliorum patrum testimonia, quae doctrinam immaculatae conceptionis nedum perseverantem atque catholicam per singulas aetates fuisse probant, sed eo sensu acceptam, quo novissime post Ecclesiae definitionem tenenda est. Sic pro IV saeculo testimonium affert d. Ambrosii, qui serm. 22 super psal. 118 Virginem appellat *per gratiam ab omni integram labe peccati*: s. Hieronymi, qui super psal. 77 *in tenebris, sed semper in luce* eam fuisse dicit. Pro saeculo V testimonium exhibet s. Cyrilli alexandrini qui in evang. Ioann. lib. 6 ait: *Omnes homines, excepto illo, qui de Beata Virgine natus est, et sacratissima etiam Virgine, ex qua Deus homo prodiit in mundum, exempta, cum peccato originali nascimur*; et alibi: *Quis unquam audivit, architectum, qui sibi domum aedificavit, eius occupationem et possessionem suo inimico cessisse?* Conc. ephes. num. 6. Pro saeculo VI auctoritatem exhibet d. Fulgentii, qui prorsus oppositum in creatione Mariae obtinuisse affirmat, quam quod accidit in Eva; *in primi namque hominis coniuge nequitia diaboli seductam depravavit mentem, in secundi autem hominis matre gratia Dei et mentem integram servavit, et carnem*, serm. de duplici natura Christi. Pro saeculo VII tum perspicua verba memorat s. Ildephonsi in disp. de Virgine Maria, *constat eam ab originali peccato fuisse immunem*; tum s. Andreae cretensis, qui in or. de nativ. B. Virginis *sublimiorem* praedicat Virginem *omni peccato et sorde, mundam et immaculatissimam.* Item pro saeculo VIII eamdem doctrinam tradidisse probat s. Ioannem Damascenum, cum in orat. de nativ. B. M. Virginis inquit: *Quoniam futurum erat ut Dei Genitrix ac Virgo ex Anna oriretur, natura gratiae fetum antevertere minime ausa est; verum tantisper expectavit dum gratia fructum suum produxisset*; et in orat. 2 de nativ. B. M. Virginis, ubi animam Virginis, quam ipsius Dei paradisum appellat, nullo unquam aditu serpentis impeditum fuisse docet: *Ad hunc paradisum serpens aditum non habuit.* Rursus pro sequenti saeculo IX perspicuum colligit testimonium ex evulgato hac aetate gravissimae auctoritatis sermone, in quo Virgo *candidata* dicitur *multis meritorum virtutibus, dealbata nive candidior Spiritus sancti muneribus; et ideo immaculata, quia in nullo corrupta.* Pro saeculo autem X qua fide immaculata conceptio innotuerit, ea aperta probat illius professione, quam enixe exhibet sequens hymnus Ioannis Geometrae, cuius celebre fuit nomen in constantinopolitana ecclesia: 2

Gaude concretum sublimis corpus Olympi,
Et sibi nostri crimine, Virgo, carens.
Gaude, quae Christi corpus mortale dedisti,
Gaude primaevi libera labe patris.

(1) La verità del concepimento immacolato di Maria SS. Ragionamenti del sacerdote Giuseppe Tipaldi. Stabilimento del Bonte 1855.

Digitized by Google

3 Mittimus demum cetera quae sequuntur pro saeculis posterioribus d. Anselmi, s. Petri Damiani, aliorumque testimonia, ex quibus penitus universalis ac theologica evasit sententia pro immaculata Virginis conceptione, ita ut auctor ipse noster Miechoviensis fateatur, exinde *ubique invaluisse praedicationem* (sunt eius verba in tit. *Mater purissima* disc. CXLII, num. 15) *immaculatae conceptionis B. Mariae, et ex tunc universum christianum orbem nihil aliud praedicasse, quam conceptionem immaculatam; hanc religiosos Ordines, si sacram praedicatorum familiam excipias, hanc academias illustres strenue docere, praedicare, tueri; easque academias nullatenus sustinere, ut opposita alia praedicetur*. Quae quidem pauca nostri auctoris verba prima fronte sufficerent ad id, ut si qua passim in quaestione de immaculata Virginis conceptione ibidem pro negativa sententia praemissa occurrunt, ea ad quorumdam potius ex sua familia defensionem dicta, quam ad robur et probationem oppositae opinionis arbitremur. At quoniam aliquanto prolixius eiusmodi opinio ibi proposita occurrit, necnon ampliori adhibita dicendi forma; idcirco absque peculiari iudicio praetermittenda non est; praecipua saltem brevi manu discutienda videntur, quae pro illius defensione obiiciuntur.

Et primum quidem, quamvis utramque controversiae partem circa B. Virginis conceptionem ibi auctor propugnatores habuisse asserat, pro negativa parte tamen nimis confidenter stetisse affirmat pios, catholicos, atque eruditos doctores; et, ut illius verbis utamur, *amplissimum* pro hac parte prodire *eruditissimorum virorum senatum*; ex quo amplissimo senatu his quoque verbis sequentes nominat, *d. Anselmum Cantuariae archiepiscopum, Rupertum tuitiensem, Bernardum claraevallensem abbates, s. Thomam doctorem angelicum, s. Bonaventuram dictum seraphicum, et alios innumerabiles, qui suo saeculo opinionem conceptioni immaculatae contrariam tenuerunt*. Ibid. parag. 2. Ceterum vero, quibus speciatim verbis hi omnes loquuti sint; quaenam sint illorum testimonia; quaenam in singulari doctrina adhibeantur voces; quo loco, qua occasione suam sententiam praedicaverint: id totum contra suum scribendi morem heic praetermittit auctor; eique sufficit tot nominatorum sensus satis aperte revelasse ex adiecto demum testimonio s. Bonaventurae, cum sit: *Nullus invenitur dixisse de iis, quos audivimus auribus nostris, Virginem Mariam a peccato originali fuisse immunem*. Ibid. Quid valeant tamen haec verba ad id, ut nullus ex praesignatis dicatur, Virginis immunitatem ab omni labe reipsa praedicasse, etiamsi fortasse ab auribus scriptoris longe loquutus sit, quisque per se intelligit; adhuc namque e contrario investigandum auctor reliquit, quinam reipse, post tot saeculorum superius enarratos patres, post ipsam immo datam ab eo enarrationem, sint ceteri pii scriptores contra Virginis immunitatem; quaenam fuerint illorum omnium effata, tum qui nominantur, tum qui subintelliguntur; quibus argumentis et disserendi zelo contrariam opinionem fideles docuerint.

4 At enim: quidquid de reliquis dicendum sit ibi traditis, unus extat pro singulis, unius certe sufficit appositum ibi nomen angelici doctoris s. Thomae, cuius profecto in scholis quaenam sit auctoritas, eruditio, veritatis studium, nemo ignorat: cuius item quantum praestare valeat opinio, nemo facile inficias ibit: cuius demum opposita de conceptione sententia non sine validis ubique rationibus tradita, nonnisi traditionis, scripturarum, theologiae omnis munimine aucta, solo edocentis nomine innotescere poterit. Cui et aliud non inferioris subsellii nomen addendum est, nomen videlicet d. Bernardi, qui strenuus privilegiorum omnium B. V. Mariae propugnator, nequit pro negativa parte in controversia de immunitate Virginis a culpa originis nobis occurrere, quin gravem de ea dubitandi rationem relinquat. Sic igitur, hi duo certe pro negativa sententia in controversia exhibentur; et unum eorum nomen ad sententiae probationem auctori sufficere videtur; immo et ad id ut nullus relinquatur locus definitioni Ecclesiae pro sententia affirmativa: quandoquidem (sunt eruditi scriptoris verba ante dogmatis definitionem) *Quos hic sancta Sedes apostolica reiiceret? quorum opinionem reprobaret? quibus errorem tribueret? quos damnaret?* etc.

5 Atqui: putas ne, posthaec, quibus verbis opposita isthaec angelici praestantissimi doctoris sententia nobis exponatur? putas ne quibus verbis eximius Miechoviensis contrariam magistri opinionem enarrat, negantem propositionem obiiciat? Audi: *Accedit quod d. Thomas, angelicus ille ac supremus doctor in ea creditur fuisse sententia, quae B. Virginem in originali peccato conceptam asserit*. Creditur? et qua quaeso fide? qua capta occasione suae professionis, aut instituta discussione circa eiusdem doctoris sensus atque propositiones?

6 Duabus certe in caussis pauca nobis angelici doctoris verba circa Virginis conceptionem occurrunt. Primum quidem q. 27, art. 2, cum nempe sanctificationem B. Virginis ante ortum susceperit propugnandam, quo loco Deiparam absolute sanctam, gratia plenam ante suam nativitatem docet, hoc uno sibi proposito in suis argumentis limite, ut scilicet superior innotescat sanctificatio Christi, de qua proxime in praecedenti articulo disseruerat. Hanc ob caussam sunt illa verba doctoris, quae locum dubitandi exhibent de sua opinione: *Si nunquam anima B. Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est omnium Salvator*. Id tamen sufficere addit ad singularitatem sanctificationis et dignitati Christi, ut in appendice exponitur, quod nempe Christus non indiguit salvari, cum originale peccatum neque actu neque potentia contraxerit, et conceptus sit de Spiritu sancto; Beata Virgo autem, non actu quidem, sed *in potentia debitrice* contraxit, a quo debito redempta est, cum immunis a culpa originali extitit. An non satis haec ipsa a peculiari proposito propugnandi sententiam contra Virginis immunitatem aliena innotescunt? Adde quod alibi in lib. sententiar. veluti ad maiorem sui conceptus explicationem, haec absolute circa B. Virginis puritatem nos intelligere sinit: *Puritas intenditur per recessum a contrario; et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; et talis fuit puritas B. Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit; fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum*, lib. 1 sent. dist. 44, q. 1, ad 3. Haec, et similia ex totius citati articuli contextu, maxime si post praemissas in praecedenti notiones percurrantur, contrarium probant, quam quod angelicus doctor affirmativam pro immaculata Virginis conceptione sententiam directe aut ex proposito inficiatus sit: eam immo interius propugnatam, futurae tantum et ex tunc in votis Ecclesiae definitioni commendasse satis apparet.

7 Quod ad alterum praecitatum doctorem d. Bernardum, id in caussa nonnullis est, ut illum arbitrentur pro negativa sententia circa immaculatam Virginis conceptionem stetisse, quia nempe aliquando epistolam ad canonicos lugdunenses miserit, ut refert Benedictus XIV, eosque reprobaverit ob novam institutam festivitatem de immaculata Virginis conceptione. Id tamen ex ipsius epistolae contextu colligitur non idcirco fuisse quod ipsum obiectum celebritatis respuerit; sed quia pro eiusmodi festivitate legitime celebranda et promulganda, *consulenda erat prius*, sunt eius verba, *apostolicae Sedis auctoritas, et non ita praecipitanter atque inconsulta paucorum sequenda simplicitas imperitorum*. Quid porro commune habet privata doctoris sententia circa veritatem immaculatae conceptionis cum institutione novi ritus et exterioris celebritatis nunquam absque peculiari romanae Sedis indulto et auctoritate promulganda?

8 Quamobrem nec ullus reipsa nobis ex professo pro negativa sententia circa fidem de immaculata Virginis conceptione occurrit, qui aperte, expressis verbis, directe illam susceperit, aut propugnatam tradiderit.

9 Ceterum ante ipsam quoque definiti dogmatis aetatem, contra veritatem, auctoritatem, soliditatem propositionis affirmativae, post tot tantosque illius propugnatores, quid opinio praestare potuerit, nedum unius vel alterius doctoris, sed singulorum forte, quos auctor enumerat, sicut et totius, quam auctor dicit, religiosae praedicatorum familiae professio opposita, (1) unusquisque intelligit: maxime cum tot propugnatorum testimonia innumeris sacrarum litterarum oraculis atque figuris superstruantur, quae de integra Virginis immunitate ab iniqui serpentis insidia, a cuiusque vel unius instantis culpae macula, ab inimici vel brevissimi momenti servitute et malitia, nos unius quoque legitimae ratiocinationis regula ductos dubitare non sinunt. Neque enim hypothesis isthaec, qua Beata Virgo, altera futura mulier inimico promissa, semel in minimo quoque instante peccato sub-

(1) De hac quoque religiosae familiae professione notandum, quod citatus auctor Tipaldi refert, non omnes pro negativa sententia insonuisse, sed eorum fere nonaginta duos numerari pro ea; reliquos vero in maiori numero fuisse pro sententia opposita. *Ragionamenti* etc. cap. 11, par. 5.

dita dici vellet, satis amplius eidem congrua esse sineret verba illa ab ipso Deo iam a principio in seductorem prolata, et iuxta vulgatam sacrarum litterarum versionem ab Ecclesia in tridentina Synodo probatam heic accepta Gen. 3, 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem... ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Non satis congrua videri possent et alia, quae pro Virgine ex Canticis 4, 7 a piis doctoribus adhibentur: *tota pulcra es amica mea, et macula non est in te.* Rursus non satis congrua et illa quibus a supremo numine definitur: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus*, ibid. v. 12. Non satis congrua demum et reliqua tum ex veteri testamento, tum ex novo passim ab auctoribus usurpata, quoties in laudibus B. Virginis pertractandis occurrunt.

10 Sed de silentio nunc agendum, quod auctor noster pro hucusque dilata dogmatis definitione, peculiari adhibita illius interpretatione, Ecclesiae tribuit; atque pro negativae opinionis argumento circa immaculatam Virginis conceptionem usurpare videtur.

DISCURSUS III

SILENTIUM ECCLESIAE, SIVE POTIUS DILATA HUCUSQUE DOGMATIS DEFINITIO PRO IMMACULATA VIRGINIS CONCEPTIONE NIL PROBAT PRO VETUSTATE AC MERITO NEGATIVAE SENTENTIAE, QUOADUSQUE DAMNATA NON EXTITIT

1 Quam congrua acciderit hucusque dilata dogmatis definitio pro immaculata B. V. conceptione.

Et quidem ea ipsa, quam supra diximus, tum patrum omnium saeculorum copia, qui pro immaculata Virginis conceptione innituntur, tum fidelium cuiuscumque conditionis, qui eidem singulari privilegio adhaerere consueverunt, quosque Ecclesia fovere potius, quam repugnantiis aut contradictionibus respuere consuevit, facile quisque colligat, nullum veri nominis silentium circa professionem perfectae et absolutae immunitatis B. Mariae Virginis ab originali peccato usque ad solemnem ipsius dogmatis definitionem in Ecclesia obtinuisse. Si quod silentium autem circa initam aliquando controversiam inter scholasticos, variisque ab ipsis propugnatas distinctiones circa primum et alterum conceptionis momentum romana Sedes fidei magistra et morum, ceterique passim ecclesiastici superiores insinuare comperiuntur, id animorum potius aemulationes intendit, easque in disquisitionibus contentiones atque lites; periculum quoque latius propagandae opinionis negativae: cum altera e contrario affirmativa sensu pietatis, vetustate professionis, rationum munimine praestaret; quaeque Deiparae Virginis dignitati ac laudibus magis congrua vigeret. Id porro auctor ipse noster suo loco concedit ex parte. Primo namque fatetur argumentum dilatae hucusque dogmatis definitionis, seu, ut vocat, impositi ab Ecclesia silentii, fuisse *submotionem rixarum, iurgiorum, dissensionum atque scandalorum, quae*, tunc temporis, *ex occasione assertionis affirmativae oriebantur*: fatetur, citatos ab eo pontifices silentium in suis constitutionibus controversiis et disputationi imponere, *quoadusque non accederet desiderata sanctae Sedis definitio*; facta de cetero peculiari permissione illis, *qui immaculatam prorsus almae Virginis conceptionem tuentur, ut opinionem suam in publicis actibus asserant: ita tamen ut aliam opinionem oppositam non damnent, nec impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent*; sive, ut habet Sixtus IV in sua constitutione, ne affirment, *haereticum esse aut peccatum mortale credere vel tenere B. Virginem iam sua conceptione praeservatam fuisse vel non fuisse.* Item fatetur, Gregorium XV post praecedentem suam constitutionem anni 1622, quae incipit: *Sanctissimus*, et qua expresse prohibuit in actibus publicis asserere B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali; alteram *Eximii atque singulares* eiusdem anni addidisse, qua illud unum sanctissimus pontifex concedit, *ut de cetero in quibuscumque privatis eorum colloquiis, seu conferentiis, inter se dumtaxat, et non inter alios, aut cum aliis de materia eiusdem conceptionis B. M. Virginis disserere, et tractare, absque ullo poenarum in dictis decretis contentarum incursu, libere et licite possint, et valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium licentiam concedimus et impartimur.* Non satis tamen eiusdem silentii, ut vocat, probanda est interpretatio, cum auctor eo consilio impositum fuisse asserit, quandoquidem exinde *specialis quaedam reverentia et devotio erga B. Virginem nascitur*: quasi superaddita in posterum privilegii definitio diminutam aut sublatam eiusmodi reverentiam arguat. Non satis congrua ratio ex sacris litteris adducta pro illo silentio, cum nempe idipsum insinuare autumet sacra verba in Cantic. 4, 1: *Quam pulcra es... oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet*: quasi particula illa *absque* vim excludendi habeat, nec potius uti concessam tradat omnem interiorem spiritus pulcritudinem quam in sua sponsa coelestis vates admiratur; non potius suppositas esse dicat intimas dotes, munera et occulta privilegia sola revelatione et intellectus exercitio passim intelligenda.

Sed ut per se quisque facilius colligat, id quod expresse auctor sibi hoc loco proponit, *quo nempe consilio silentium utrique parti indictum sit*: num reipsa silentium in affirmativam sententiam indictum sit, nec potius ad impediendam oppositae opinionis promulgationem, dogmatis veritatem ac pietatem sibi alioquin ea tunc proponendo, atque prudenter in posterum aperte definiendam constituendo; iuvat heic novissimas conferre Pii IX litteras apostolicas occasione definiti dogmatis pro immaculata Virginis conceptione promulgatas. Originalem namque eiusmodi augustae Virginis innocentiam, ut prae ceteris docet sanctissimus pontifex, quem Deus diu semperque sospitet, *cum admirabili eiusdem sanctitate, praecelsaque Dei Matris dignitate omnino cohaerentem catholica Ecclesia, quae a sancto semper edocta Spiritu columna est ac firmamentum veritatis, tanquam doctrinam possidens divinitus acceptam, et coelestis revelationis deposito comprehensam multiplici continenter ratione, splendidisque factis magis in dies explicare, proponere, ac fovere nunquam destitit. Hanc enim doctrinam ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et Sacrorum Antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirifice propagatam ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum eiusdem Virginis conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit* (1). 2

Non quod ergo meritum aut fundamentum aliquod in opposita sententia hucusque Ecclesia perspiceret: non quod sacrarum litterarum, patrum omnium, ac satis aperta rationis testimonia pro sententia affirmativa utrimque deberent: non quod peculiarem Virgini pietatem a fidelibus obtinere voluerit, eorum arbitrio relinquendo causam, num dicerent secus ab omni penitus originali culpa immunem eiusmodi creaturam tot mysteriis atque singulari electione auctam; solemnem atque absolutam protraxit definitionem dogmatis, quod alioquin prae ipsa nonnullorum ambage satis aperte a reliquis propugnatum innotuit; quod vis ab uno in scholis pro argumento discussionis propositum, non sine fervente studio, eruditionis copia, propugnatorum zelo custodiendum a ceteris suscipiebatur. 3

Si qua ratio autem, post occultam atque supremam divinae providentiae ordinationem, primo intuitu, duce tantum ratione atque historia adduci vellet, cur tamdiu desiderata dogmatis definitio, ad hanc usque aetatem dilata, nunc tandem proposita et evulgata constitit; haec nobis videtur, prout appendicis loco fateri propositum fuit: quia nempe apprime congruum novissimis hisce temporibus occurrere visum est, ut nova celebritate tituli consueta adhiberi posset a fidelibus peculiari illius patrocinio indigentibus, sanctissimae Virginis invocatio: ut solemni expressoque ritu ceteris adderetur praecelsae Genitricis nomen iam antea fidelium animis insculptum, et privatim adhuc in eorum precibus et invocationibus ubique adhibitum: ut nova incideret pro Beatissima Matre heic celebranda gloria, Ecclesiae filii sui adhuc inter hostes et agmina militanti apprime utilis; quaeque penitus opportuna exurgeret ad augendam fidem, pietatem, fiduciam erga singularem Virginem: uno verbo, ut patrona isthaec, iam apud fideles tot praeconiis distincta, atque in litaniis ubique invocari consueta, novissime nunc ac singulari hoc titulo, superiorum quoque auctoritate ac desiderio, invocanda occurreret, *sine labe originali concepta*: qui titulus quidem, ultimo loco ratione ordinis post reliquas praecedentes invocationes constituendus, non abs re proximo etiam praecedenti adiuncto sociaretur, *Reginae*. Quamvis enim satis congrua filiorum labiis nova fuisset erga Virginem invocationis formula, *Mater sine labe originali concepta*: penitus namque alia ab illa matre, ex cuius inobedientia factum est, ut 4

(1) Mittimus, brevitatis causa, quae sequuntur; quaeque omnia et singula esse possent ad huius tituli dignitatem, necnon rationum copiam quibus fulciri possit, penitus confirmandam.

in iniquitatibus, proh dolor! *concepti sumus*, psal. 50, 7, quaeque nova benedicta mulier *fundat nos in pace*, *mutans Evae nomen*. Offic. parv. B. M. Virginis ad vesp. Quamvis inclyta satis in laudem ipsius fuisset formula, *Virgo sine labe originali concepta*: eiusmodi videlicet *singularis Virgo*, de qua absolute fateri contingat, *omnem fuisse gloriam ab intus*, psal. 44, 15; virgines reliquas *adducendas fore Regi* omnes *post eam*, ib v. 16. Quamvis postremo satis una praestaret in nova invocatione perspicui nominis expressio, adeoque adhibita formula, *Sancta Maria sine labe originali concepta*: neque enim fieri potest, ut ex illius praerogativae adiuncto non magis *sanctum et admirabile*, *post Filii sui Iesu*, ad Philip 2, 9, nomen illud exurgat. Nihilominus tamen prae ceteris congrua, gloriosa, sublimis ad confirmandam filiorum spem atque pietatem erga Deiparam sic expressa invocatio occurrit: *Regina sine labe originali concepta*. Vere namque *Regina*, nedum sanctorum omnium et angelorum, quae sine labe prorsus inter homines concepta est: a primo quoque suae conceptionis instante sancta, purissima, dilecta Deo innotuit; quaeque muneribus omnibus ab origine aucta inimici insidias superare meruit, *iniqui serpentis conterere caput*, Gen. 3, 15: *diffusam prae se ferre gratiam in labiis suis*; exinde vero *ungi oleo prae consortibus suis*, psal. cit. divinum mundo Redemptorem afferre, *reginam a dextris assistere Filio*, et eo usque *post ipsum Regem intendere*, *prospere procedere atque regnare*, ita ut merito vultum illius deprecari studeant *omnes divites plebis*: ad eam scilicet properare cum fiducia satagant, quotquot divitias benedictionum, gratiarum atque salutis, quoadusque subditos esse in hac vita contingat, ad aeternam postremo obtinendam gloriam efflagitant. Atque eiusmodi sunt divitiae, quibus *meipsum* ex plebe augeri, benignissima Virgine intercedente, indulgeat, quaeso, Deus. Amen.

IOSEPHUS PELELLA
Editor neapolitanus

Digitized by Google

DE IMMACULATO B. V. MARIAE CONCEPTU

AN DOGMATICO DECRETO DEFINIRI POSSIT

DISQUISITIO THEOLOGICA

IOANNIS PERRONE E SOCIETATE IESU

IN COLL. ROM. THEOLOGIAE PROFESSORIS

Digitized by Google

PROEMIUM

Non deerunt profecto qui in ipso haerentes operis titulo existiment me consilio sin minus inutili at parum certe opportuno animum ad scribendum appulisse. Hanc enim spartam scriptores bene multi, iique eruditionis fama praestantes sibi ornandam suscepere, adeo ut in eorum commentationibus non multa desiderentur quin eae numeris absolutae omnibus habeantur: deinde in eam aetatem incidimus, in qua piaculum videretur vel dubitando affirmare, originalem, quam dicimus, noxam ad Sanctissimam Dei Matrem eamdemque integerrimam Virginem vel punctum temporis adhaesisse. Qua in re tanta catholicos inter viget consensio, ut nemo fere hoc decus eximium Virgini non deferat libentissime, non omni qua potest opera praediret, non omni obsequiorum genere testetur. Quamobrem illum abundare otio non immerito diceres, qui sibi hoc Virginis decus asserendum et vindicandum proponeret. Quid enim hoc rei esset nisi actum agere, et ligna, ut fert adagium, in silvam conferre? At enimvero alio plane mea haec pertinet disquisitio. Quorsum autem? En nimirum ut argumenta afferam atque expendam, quae ferendae dogmaticae de immaculato Virginis conceptu sententiae vel officere videntur vel suffragari.

Hanc sane dogmaticam sententiam tum saeculis antectis, tum hac ipsa aetate expetierunt sane multi; quos inter cl. cardinalis Lambruschinius in egregia, quam de immaculato B. M. Virginis conceptu non ita pridem vulgavit, dissertatione. Neque pauciores forte numero ii censendi sunt, qui illud ipsum veluti consectarium deduxerint. At vero qui collatis sententiae utriusque rationum momentis ad dogmaticam definitionem deveniri posse comprobaverint, fuere hactenus, quod ego sciam, sane pauci. Quamquam, ut manus huic operi admoverem non una haec me ratio incitavit, sed tempus ipsum quod videtur huic agitandae controversiae accommodatum quam quod maxime. Quandoquidem plurimorum animos novus quidam ardor incessit Deiparam hoc titulo in sacra ipsa liturgia salutandi, sive illum ex apostolicae Sedis indulto, ut vocant, profectum putemus, sive ex miro quodam studio atque amore quo titulum eiusmodi Christifideles prosequuntur, sive ex novis operibus hac ipsa de re perscriptis et vulgatis enatum. Neque vero ea meo insidet animo confidentia, ut nova et ore alio indicta me prolaturum esse pollicear, vel eo usque mihi ipse blandior aut placere cupio, ut mihi facile persuadeam meo fieri opere posse, ut quod fere ab omnibus expetitur decretum aut citius, aut maturius feratur. Sentio enim quanta sit cum virium mearum tenuitas, tum rei gravitas et difficultas. In eam tamen spem venio futurum esse, ut ipsa tractationis ratio quam mihi sectandam proposui, et studium quo quidquid ad praesentem attinet controversiam versavi diligentissime, et accurata quae a nobis est instituta collatio, aliquid huic disquisitioni lucis affundat.

Quam sane ad controversiam animo ita comparatus accedo, ut mihi propositum sit unice veritati servire, et critica, ut aiunt, lance pensare quae piae sententiae adversari vel adstipulari videntur, donec omnibus diligenter expensis tandem illud rite colligam quod vero est existimandum similius. Quoniam autem non de ipsa rei natura, de immaculati nimirum conceptus veritate, mihi directe saltem agendum est, bene multa vel divina eloquia vel patrum effata silentio praeteribo, multasque adeo theologicas, ut nuncupant, rationes, quae hactenus afferri consueverunt. Haec enim ad propositum mihi finem nihil conducunt, quandoquidem immaculati conceptus unice congruentiam demonstrant, mihi vero non alia possunt usui esse seu biblica seu traditionis ecclesiasticae monumenta, quam quae ad dogma stabiliendum vim habent. Siquidem cum agitur de dogmate, agitur de facto; factum autem idoneis tantum testibus, minime vero coniecturis solisve ratiocinationibus est comprobandum.

Illud unum superesse iam videtur, ut de ratione ac via, quam mihi ineundam constitui, pauca dicam. Universae itaque commentationis meae duas faciam partes, quarum in una, quae tota erit *historico critica*, primum compendio accuratam controversiae narrationem complectar; dein vero ad varias veluti facies in quas pro variis aetatibus mutata est, delineandas progrediar: demum argumenta proponam quibus pia sententia vel oppugnata est vel defensa. Haec autem quoad eius fieri poterit ita proferam, uti ab auctoribus quaeque suis prolata sunt, atque uti in ipsa orationis serie iacent, quo fiet ut lectores facili negotio germanam scriptorum mentem assequi possint, atque illud etiam intelligant, nihil a nobis silentio praeteriri aut dissimulari quod causae officere posse videatur. Tandem quae in medium adduxero, ad trutinam revocabo, atque inde ad conclusionem deveniam. Quod ad alteram attinet partem *theologico-criticam*, iis in antecessum constitutis, quae ad ferendam dogmaticam definitionem requiruntur atque sufficiunt, sedulo investigabo utrum quae pro immaculato Virginis conceptu proferuntur, adeo firmis veluti fundamentis nitantur, ut inter fidei dogmata pontificio decreto illa constitui possit. Id autem quo planius fiat atque liquidius, in subsidium advocabo dogmatum historiam, et exemplis non paucis in medium allatis ac diligenter expensis, prono veluti alveo tandem conclusio fluet, quam legentium iudicio remittam. Quod sane iudicium praevertere me nec decet nec iuvat. Illud equidem non diffiteor, nihil mihi gratius, nihil iucundius futurum, quam ut quae mihi disputata verissime videntur, ea etiam sapientibus viris probare possim. Ceterum laboris mei eo vel nomine numquam me poenitebit, quod id spectaverim unice, ut Sanctissimae Dei Matri cuius immortalia in me beneficia extiterunt, aliquod grati et obsequentis animi officium persolverem.

Digitized by Google

PARS I

HISTORICO-CRITICA

Controversiae status.

Postulat recte instituta methodus, ut priusquam historia cuiuscumque controversiae tradatur, in quo eadem consistat nitide ac paucis explanetur. Haec igitur de qua sermo in eo tota posita est, ut disquiratur, utrum constet B. Virginem in *passiva* quam vocant conceptione sua (1), seu quando eius anima ad informandum corpus condita a Deo est, contraxerit necne, ut ceteri omnes Adae posteri, originalem labem. Vel etiam, si magis arriserit, cum peccati primordialis ratio ex communi theologorum placito, praeeuntibus Anselmo et Aquinate, in gratiae sanctificantis seu originalis iustitiae privatione sita sit (2), quaeritur utrum constet conditam fuisse B. Virginis animam gratia sanctificante instructam an contra. Dixi utrum *constet*, minime vero an *fieri potuerit* vel *debuerit*; siquidem ad propositum mihi finem, ut sum praefatus, spectat *factum*, non *ius*. Licet autem factum in materia de qua agitur, a iure pendeat, hoc ut ab aliis satis expensum assumo, cum de eo nonnisi indirecte mihi agendum sit, quando in fundamenta inquiram quae edicendo dogmatico decreto sunt paria. Quibus explanatis, sic progredior.

Est de facto non de iure.

CAPUT I

DE CONTROVERSIAE ORIGINE

Quaestionis statu ita definito, vulgo eruditi huiusce controversiae originem a s. Bernardo claraevallensi abbate arcessunt, perinde ac si ipse non satis constare de immaculato Virginis conceptu senserit, adeo ut ea de causa festum in eiusdem Deiparae honorem ad hoc recolendum privilegium institui ex eius mente nequiverit.

S. Bernardus celebrationem festi conceptionis impetit.

Iam enim alicubi eiusmodi festum celebrabatur; canonici proinde lugdunensis ecclesiae voluere et ipsi pro sua in Dei Parentem pietate idem festum adsciscere atque adoptare. Quod cum aegre ferret s. Bernardus, eo quod absonum ipsi videretur canonicos illustris adeo ecclesiae privato consilio, ac sine praevia Ecclesiae romanae consultatione et consensu, cultum hunc sub dubio adhuc titulo exhibere B. Virgini, epistola satis vehementi eos obiurgavit velut novitatis inconsultae molitores. Sic enim eos alloquitur s. doctor: *Miramur satis, quod visum fuerit quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiae nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio* (3). Quae deinceps per partes evolvit, concluditque: *Si sic videbatur, consulenda erat prius apostolicae Sedis auctoritas, et non ita praecipitanter atque inconsulto paucorum sequenda simplicitas imperitorum.* Ex quibus novimus nedum probatum b. Bernardo festum immaculatae conceptionis non fuisse, sed neque privilegii ipsius sententiam, quam sufficienti ratione traditionisque antiquo praesidio destitutam putavit. Id enimvero totius epistolae allegatae series evincit.

Quapropter ea stetit d. Bernardo mens, non satis, ut benigni simus, constare in antiqua traditione privilegium eiusmodi B. Virgini a Deo concessum fuisse. Singularem sanctae conceptionis, adeoque et immunitatis a quavis labe praerogativam uni Christo vindicat, quippe qui de Spiritu sancto conceptus est. Ceteris vero sanctis omnibus, ipsique Deiparae illud davidicum applicat, dictumque de ea quoque esse affirmat: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Quamvis ultro det nonnullos sanctos, multo vero magis B. Virginem ante ortum sanctitate fuisse exornatam (4), seu in ipso utero ab originali labe detersam. Quanquam nec desint auctores gravissimi qui censeant, claraevallensem abbatem non de *passiva* sed de *activa* Virginis conceptione fuisse locutum; quod idoneo loco expendemus. S. Bernardi mens.

Hanc epistolam vere dixeris agitatae deinceps de immaculato Virginis Mariae conceptu controversiae originem primam. Siquidem exinde coepere doctores in varias scindi sententias, dum alii eidem adstipulari epistolae, alii vero eam impugnare visi sunt (5). Huius pugnae diversis temporibus ac diversis in locis varius fuit exitus, prout ex insequentibus patefiet.

(1) « Conceptio, inquit Benedictus XIV, dupliciter accipi potest: vel enim est *activa*, in qua sancti B. Virginis parentes *opere maritali invicem convenientes praestiterunt ea, quae maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem, et dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam*; vel est *passiva*, cum rationalis anima cum corpore copulatur. *Ipsa animae infusio et unio cum corpore debite organizato vulgo nominatur conceptio passiva, quae scilicet fit illo ipso instanti, quo rationalis anima corpori omnibus membris ac suis organis constanti unitur*; et cum aliis theologis ait Frassen in Scoto, Academ. tom. 8, edit. Rom. 1720 ». (*De festis* lib. 2, c. 15, n. 1, edit. Rom. 1751, tom. X).

(2) Accuratissime de peccati originalis natura disseruit doctus p. Bern. Maria de Rubeis Ord. praed. in op. inscripto *De peccato originali*, vol. un. in 4, Venet. 1757. Postquam cap. 58 patrum tridentinorum doctrinam de hoc argumento exposuerit, concludit § 5: « Originalis iustitiae dona fuerunt Adae collata a Deo, velut primo omnium posterorum parenti, seu capiti totius naturae humanae, quae in eo continebatur, ea atque per generationem propaganda fuerat. Quod ergo magnum peccatum peccavit ille, non ipsum laesit solum, sed ipsam etiam naturam humanam in ipso contentam, et eoque propagandam. Scilicet in accepta rectitudine si persistisset Adam, cum rectitudine et iustitia, ac sanctitate nati fuissent qui ex eo, tanquam primo stirpis principio propagarentur posteri: ab ipso similiter conceptionis, aut infusionis in ipso instanti accepta a Deo *mentis rectitudine* per gratiam sanctificantem, cum *perfecta* simul rationem inter et appetitum sensibilem *concordia* et corporis *immortalitate*. Peccavit primus homo; sicque peccato praedicta sublimia dona amisit omnia et sibi, et naturae in ipso contentae, et ex illo propagandae; diciturque *peccatum suum* in posteros omnes propagasse. Adae peccatum duplex est, *actuale* et *habituale*. Illud consistit in *actione fugitiva*, pertinetque ad *personam*. Posterius istud est in *privatione gratiae sanctificantis*, ac subiectionis erga Deum, si pars eius praecipua, ac velut *forma* consideretur; itemque in deordinatione facultatum et virium, et partium hominis, si de *materiali* quodam peccati subiecto agatur ». Deinde c. 59 doctrinam hanc adstruit ex s. Thoma, et s. Anselmo. Nos brevitatis gratia unum aut alterum ex utroque doctore testimonium afferemus. Itaque Angelicus quaest. IV *de malo* clarissima haec verba habet: *Peccatum originale in hoc homine vel illo nihil aliud est quam concupiscentia cum carentia originalis iustitiae. Ita tamen quod carentia originalis iustitiae quasi est formale in originali peccato, concupiscentia est quasi materiale*. Ergo ex s. Doctore formalis ratio peccati originalis in sola iustitiae originalis carentia, seu privatione consistit. Et in Summa 1 2, q. 82, a. 3 in corp. *Sic ergo*, inquit, *privatio originalis iustitiae, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali*. S. vero Anselmus in lib. *De concepta Virgin. et originali peccato* et ipse constituit naturam peccati, quatenus originale est, in *carentia* seu *privatione iustitiae* per Adae lapsum amissa; sic enim scribit cap. 23 al. 21: « Est *peccatum a natura* et est *peccatum a persona*. Itaque quod est a persona, potest dici *personale*; quod autem a natura, *naturale*; quod dicitur *originale*. Et sicut persona transit ad naturam, ita naturale ad personam ». Deinde haec explanatis subdit: « Similiter fit in *infantibus* e converso. Nempe quod in illis non est iustitia, quam debent habere, non hoc fecit illorum *voluntas personalis*, sicut in Adam; sed *egestas naturalis*, quam ipsa natura accepit ab Adam. In Adam namque, extra quem de illa (natura) nihil erat, est *nudata iustitia*, quam habebat... Sic spoliavit persona naturam bono iustitiae in Adam, et natura egens facta omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate *peccatrices* et *iniustas* fecit ». Et c. 27: *Hoc peccatum quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus, nisi ipsam quam supra posui, factam per inobedientiam Adae iustitiae debitae nuditatem*.

(3) Epist. 174, edit. Montfaucon n. 1.

(4) Ibid. n. 6, 7.

(5) Nonnulli eo progressi sunt, ut veluti commentitiam sive suppositam hanc s. Bernardi epistolam haberent, quos inter recensentur Petrus Ghela in *Inform. pro immacul. concept.* c. 14, § 2 et 3, atque Aegydius lusitanus *De concept.* Verum candide fatetur Theophilus Raynaudus in *Diptycis marianis*, tom. VII, opp. edit. Lugdun. p. 48, prae ceteris epistolam hanc ut genuinam s. Doctoris fetum esse agnoscendam, scribens: *Non tamen omnes d. Bernardi epistolas ei abiudicare placent, hanc, quae omnium maxime Bernardum sapit, alteri tribuere tanquam germanum fetum plane prohibemur*. Nonnulli insuper messo quod excogitarunt visum, in quo quidam monachus cisterciensis visus sibi fuerit videre s. Bernardum iam mortuum, qui ob hanc epistolam macula notatum praeseferebat pectus. Quo non abripit hominum mentes disputationis aestus!

CAPUT II

DE CONTROVERSIAE PROGRESSU POST S. BERNARDI OBITUM USQUE AD IOANNEM SCOTUM

S. Bernardus impugnatur.

Vix post editam a s. Bernardo commemoratam epistolam auctor sermonis inscripti *De conceptione* (1) eam impugnavit, atque praecipua fundamenta quibus permotus fuerat s. doctor ad illam edendam, evertere connisus est, cum ipse adhuc in vivis ageret. Post eiusdem vero obitum recruduit contentio inter Nicolaum monachum s. Albani anglum, quondam s. claraevallensis abbatis discipulum ex Ordine cisterciensi, postea Ordinis s. Benedicti, atque Petrum Cellensem cisterciensis Ordinis abbatem, deinde episcopum carnotensem in Galliis. Etenim Nicolaus utpote anglus festum de immaculata conceptione non ita pridem in regione sua institutum acriter propugnavit adversus s. Bernardi epistolam; Petrus vero cellensis magistri sui honori consulens sese Nicolao opposuit, donec post diutinum certamen iunctis demum dexteris quoad immaculatam Virginis conceptionem, eo deducta est controversia, ut in una festi celebratione versaretur, quam Petrus citra Ecclesiae romanae auctoritatem institui haud posse contendebat. His enim verbis scripsit ad Nicolaum: *Virginem laudas, et ego laudo. Praedicas sanctam, et ego. Extollis super choros angelorum, et ego. Dicis immunem ab omni peccato, et ego .. Versa et reversa in quolibet statu venerationis et glorificationis, tecum vado, tecum sentio. Si vero extra communis manetae formam vis fabricare aliam, quam non approbaverit sedes Petri, cuius est approbare vel improbare ordinem universalis Ecclesiae, pedem sisto et terminos constitutos non transgredior* (2).

Nicolaus monachus s. Albani.

Petrus cellensis cisterciensis.

Controversia de festo.

Continuata controversia.

Haec eadem pugna per saeculum XII solidum duravit, dum alii cum s. Bernardo festum in honorem B. Virginis sine labe conceptae improbarent, alii vero pro eiusdem institutione magnis animis feliciori successu instarent. Inter eos porro qui obsistebant, praecipue inclaruerunt Mauritius Soliae Petri Lombardi seu Magistri sententiarum in cathedra theologica successor, deinde vero episcopus et ipse parisiensis, qui festi huius celebrationem Lutetiae interdixit argumentis, ut verisimile est, s. Bernardi permotus (3); ac Photo abbas monasterii Ordinis benedictinorum premiensis in Germania. Alii contra eidem favebant, ac longe lateque in Hispania, Flandria, aliisque regionibus eam instituerunt (4).

Non omnes festi impugnatores fuerunt adversarii immaculatae conceptionis.

Hoc tamen inter utrosque intercedit discrimen, quod qui propugnabant festi institutionem, ad unum omnes innitebantur privilegii huius veritati; qui vero festi institutioni adversabantur, non omnes privilegium a Virgine abiudicarent. Nam plures ex his sese opposuerunt vel quod nondum privilegii veritatem, silente praesertim apostolica Sede, satis ratam arbitrarentur; vel quod censerent de illa prima conceptione Virginis agi, quae ex maritali parentum congressu oriens non sine concupiscentia perficitur, et in qua aliquid originalis labis inesse autumarent (5).

Festi obiectum.

Exploratum tamen est festi obiectum illud momentum esse quo anima corpus informavit ad personam constituendam humanam, cum anima sola subiectum sit sive peccati sive sanctitatis. Quo priori sensu exponi solent textus illi, qui in Gratiani decreto contrarii festo exhibentur, nec non glossae iisdem adiectae (6). Cum autem non omnes glossae ad eiusmodi intelligentiam trahi facile possint, ab insequentibus decreti adnotatoribus sublatae seu expunctae sunt, aut etiam reiectae (7).

Quaestio agitata de ipso immaculatae conceptus privilegio.

Quinam primi impugnatores fuerint privilegii.

Res ita se habuit toto saeculo XII, in quo luctatio perseveravit inter adversarios et fautores institutionis festi de immaculata Virginis conceptione. Postea vero controversia agitari coepit inter doctores saeculi XIII, et XIV circa immunitatem ipsam ab originali noxa, quam alii oppugnabant in B. Virgine, alii vero propugnabant. Ceteris porro omissis, inter oppugnatores praecipuo recensentur Magister sententiarum (8), Alexander halensis ac s. Thomas praesertim in *Summa* (9), ac ipse s. Bonaventura (10), quod utrum admitti debeat, deinceps expendemus. Inter propugnatores adnumerari solent Honorius augustodunensis (11), Guillelmus parvus (12), Richardus anglus (13), Innocentius IV (14), Carolus a Spiritu sancto, s. Petrus Paschasius aliique non pauci (15). Negari haud potest, aetate illa, ob auctoritatem praecipue s. Bernardi et Magistri sententiarum, praevaluisse inter scholasticos sententiam B. Virgini eiusmodi privilegium negantem, ita ut illam adoptaverit suamque fecerit schola sorbonica omnium celeberrima (16); donec in arenam descendit perinsignis Ioannes Duns Scotus, qui primum Oxonii, deinde vero Lutetiae strenue ac feliciter adeo affirmantem propugnavit sententiam, ut ea exinde in scholis catholicis pedetentim invaluerit, ac festum immaculatae conceptionis longe lateque in Ecclesia fuerit propagatum.

Propugnatores eiusdem privilegii.

CAPUT III

CONTROVERSIAE STATUS A SCOTO USQUE AD CONCILIUM TRIDENTINUM

Incertum quo sensu impugnaretur immaculata conceptio.

Hactenus Scholastici vix verum disceptationis huius punctum attigerant. Illorum plerumque locutiones aut ambiguae atque incertae erant, aut procul dubio non ita perspicuae, ut ex illis liqueret utrum de prima Virginis conceptione, quam *activam* dicunt, incompletam, et inchoatam, an vero de altera completa et perfecta, qua anima fetui coniungitur, eumque informat, disserue-

(1) Ab aliis hic tractatus Richardo a s. Victore, ab aliis vero Petro Comestori tribuitur apud Th. Strozzi, *Controversia della concezione della B. V. Maria*, par. 1, lib. 3, c. 15, Palermo 1700.

(2) Petrus Cellensis epistolar. lib. 9, ep. 10 in *Bibliotheca max. patrum*, Lugduni 1677, tom. XXXIII, p. 906, col. 1.

(3) Cf. Guilelm. Autissiodorens. *Summae* lib. 3, c. 3.

(4) Cf. Strozzi, op. cit. lib. 3, c. 16.

(5) Nempe ratione poenalitatis, ut vocant, nec defuere scholastici, quorum effata postea expendemus, qui visi sunt existimare concupiscentiam ipsam, qua generatio perficitur, esse peccatum, aliis plane repugnantibus. Atque hinc multiplex causa intelligitur vel omissae vel interruptae per illam aetatem huius festi celebrationis, quamvis positive maculata non censeretur Virginis conceptio. Alii enim arbitrabantur celebrari primam et inchoatam conceptionem, seu quam diximus *activam*, quae cum cultus capax non sit, ideo ab eo festo abhorrebant; alii autem quod autumarent ipsam concupiscentiam qua fit generatio, esse malam, multo magis ab ea solemnitate alieni erant. Contra vero alii, qui negabant concupiscentiam esse peccatum, etiam in ipsa sententia quod prima et inchoata conceptio celebraretur, eam festi institutionem probabant ex pluribus capitibus, et ex eo praecipue, quod conceptio esset *Mater Dei*. Haec omnia constant ex iis quae habet Caesarius ab Heisterbach monachus cisterciensis illius aetatis scriptor in *Sermonibus festivitatum omnium B. M. Virginis in Biblioth. pp. cruciferorum*, Coloniae lib. 9, n. 24, serm. 1. Apud Strozzi, op. cit. lib. 3, c. 17.

(6) Quinque capita in decreto Gratiani recensentur adversus immaculatam conceptionem; primum est in cap. *Pronuntiandum*, ac ita se habet: *Pronuntiandum est laicis, ut sciant tempora feriandi per annum* etc. In *Decreto* dist. 3, *de consecrat.* cap. 1. In quod hanc glossa apposita habet: *De festo conceptionis nihil dicitur, quia celebrandum non est, sicut in multis regionibus fit, et maxime in Anglia, quia in peccatis concepta fuit, sicut reliqui sancti, excepta unica persona Christi.* Glos. Hug. Alterum est caput *Firmissime* Dist. 4. *De consecrat.* c. 3, cum apposita glossa. Tertium est *Per baptismum*. Quartum est *Placuit*. Quintum denique est *Quisquis*, quae brevitatis ergo solum indicati. Cf. Strozzi, op. cit. lib. 3, c. 10. Notum enim est decretum Gratiani minime authenticum esse, seu ex se auctoritatem non facere, neque unquam a romanis pontificibus fuisse probatum.

(7) In quinque editionibus *Decreti* quae prodierunt Basileae, Lugduni ac Lutetiae ab anno 1500 ad annum 1510, notae marginales adiectae sunt ad illas glossas corrigendas; ac in parisiensi quae data est anno 1522 legitur: *Virgo Maria fuit sine peccato originali concepta, quidquid dicat glossa, et sentientes cum glossa sunt haeretici. Textus est in Extravagante Sixti IV, quae incipit: GRAVE NIMIS.*

(8) Lib. 3, dist. 3.

(9) Alexander de Halen, *Summa theologica*, p. III, q. 9, memb. 2, art. 1, 2, 3, 4 et 5. S. Thomas 3 p. q. 27, art. 2 et in *Compendio*, quod est *Opusculum* eius secundum, c. 24; quae sunt duo postrema s. doctoris opera, atque imperfecta ab eo relicta sunt.

(10) In 3 lib. *Sent.* dist. 3, art. 1, opp. edit. Rom. 1590, tom. 5, p. 33 seqq.

(11) In Op. *Sigillum Beatae Mariae ubi exponuntur Cantica Cantic.* in *Biblioth. maxima patrum*, Lugd. 1677, tom. 20 in cap. 1 *Cant.* p. 1219. Illius tamen verba nimis generalia sunt.

(12) Apud Strozzi, op. cit. p. 1, lib. 4, c. 18.

(13) Apud Marracci in *Bibliotheca Mariana* fol. 326.

(14) Apud Marracci in *Catalogo* ad annum 1251.

(15) Apud Strozzi, loc. cit.

(16) Cf. Gener. *Theol. dogmatico-scholastica*, Romae 1767, tom. 1, *Prodr.* 1, c. 1, § 57, controv. 3.

rint (1). Quo factum est, ut sententiae utriusque patroni ad se illos traherent, aut certo pro suo quisque placito exponerent. Omnium facile primus, qui analytica ratione controversiam in suas distinxerit partes, accurateque exposuerit, s. Bonaventura merito existimatur. Verum et ipse, ut innuimus, in adversam sententiam propendere visus est, vel saltem quandoque piae favere sententiae, quandoque vero ab eadem recedere (2).

S. Bonaventura.

Disputatio Scoti.

Cum haec agerentur, in medium prodiit, ut diximus, Scotus acerrimi ingenii vir, qui in illa scholae sorbonicae parisiensis celebritate, publica quam habuit, uti fertur, ut disceptatione strenue adeo piam sententiam adversus parisienses doctores propugnavit, ut ex illo tempore per gradus veluti quosdam scholarum fere omnium suffragio comprobata fuerit, communisque plane evaserit (3). Quod vero voce Scotus adstruxerat ac vindicaverat, si uti vera haec disputatio parisiensis admittitur, scriptis etiam deinde praestitit, in commentariis videlicet suis in Magistrum sententiarum (4). Iam vero tum in publico congressu, tum in commentariis novam veluti basim controversiae huic substruxit, atque argumenta ipsa adversariorum magna ex parte in rem suam convertit, quaeque e Scriptura ac patribus obiiciebantur, admirabili prorsus ratione dissolvit. Haec idoneo loco discutiemus. Interim animadvertimus eo Scotum successu piam sententiam propugnasse, ut eam iamiam collabentem instauraverit, eamque victricem reddiderit. Siquidem nova luce effulsit, communiorque est facta.

Fructus illius disputationis.

Etenim ipse insequentibus doctoribus arma praecipua suppeditavit ad asserendum B. Virgini singulare hoc privilegium, vindicandumque; immo vero effecit ut deinceps festum sub hoc immaculatae conceptionis nomine iamdiu alicubi institutum in omnes catholicas regiones propagaretur. Sane celebrari exinde coepit eiusmodi solemnitas in oratorio Ecclesiae romanae coram patrum Cardinalium collegio, opera Nicolai III, seu ut alii autumant, Clementis V (5). Quod exemplum sibi imitandum brevi aliae ecclesiae proposuerunt, praecipue vero regulares religiosorum familiae, benedictinorum, cisterciensium ac coelestinorum, nec non carmelitarum, trinitariorum, redemptionis captivorum a mercede nuncupatorum, augustinensium atque ita porro. Franciscalium Ordo hac in parte prae aliis emicuit, qui iam a saeculo XIII ineunte festum istud in omnibus cuiusvis coenobii ecclesiis singulari pietatis sensu ac solemnitate celebrare consuevit, prout constitutum etiam fuerat in generali pisano conventu, quem *capitulum* vocant, cum s. Bonaventura universi Ordinis seraphici generalem ageret ministrum (6).

Controversia recrudui.

Verum hac ipsa ferme aetate contigit ut maiori animorum contentione in scholis controversia de immaculato B. Virginis concepta sive pro affirmante, sive pro negante sententia agitaretur. Praevalebat siquidem in dies magis pia sententia negans B. Virginem originalem contraxisse labem, atque latius propagabatur; adeo ut illam adoptaverit, suamque effecerit sorbonica Facultas, quae antea eidem adversabatur. Franciscales qui minoritae nuncupantur, scholae scotisticae addicti eam sibi peculiari ratione vindicandam sumpserunt. Contra vero qui parti affirmanti B. Virginem in conceptu fuisse originali noxa maculatam pugnaciter adhaeserunt, quorum plerique ad praedicatorum Ordinem spectabant, haud minori studio pro suscepta causa decertabant. Atque hinc duplex veluti acies in campum prodivit, quae ad haec ferme tempora inter se dimicare non destitit.

Diversus pugnae exitus.

Diversus porro fuit pugnae exitus. Quandoquidem pia sententia brevi universas pene academias catholicas pervasit, communis effecta est, nec pauci ex adversariorum castris ad propugnatores virginei privilegii transierunt (7); ipsam fidelis populi multitudinem qua latissime patet penetravit; ac festum de conceptione ubique gentium institutum, et ab Ecclesia catholica universa confirmatum est atque sancitum. Verum hic ipse favor studium incitavit adversae partis, quae nulli pepercit industriae, ut sententiae negantis propagationi obsisteret. Exinde publicae ac privatae concertationes, libri magno numero pro utroque placito conscripti, atque in ipsis ad populum e suggestu concionibus non raro animi oratorum incalescebant. Interdum notis ac censuris alternis doctrinae contrariae vicissim inurebantur, ut fit cum dissidia fervent, ac pro veritate pars quaelibet decertare arbitratur (8).

(1) Iam id contigit circa germanam s. Bernardi sententiam, quam veteres scholastici de *activa* generatione dictam ab eo esse fatentur seu interpretantur, ut suo loco videbimus. Idem dicito de ipsis senioribus scholasticis incipiens ab illorum magistro Petro Lombardo. 1. Siquidem veteres illi doctores longe aliter eas dictiones intelligebant *concipi sanctum*, vel *concipi sine labe originali*, ac intelligunt assertores piae sententiae pro gratuita quam aliquis a labe originali per gratiam Christi sortiatur praeservatione. Namque apud veteres, atque apud ipsum Aquinatem in sanctitate conceptionis nulla fit mentio gratiae Christi, sed spectantur primordia naturae, per quae aliquis ex vi et modo ipsius conceptionis, *independenter* a meritis et gratia Christi, concipiatur sanctus, scilicet aut cum iustitia originali, aut cum gratia eiusmodi conditioni congruenter unita; ita ut apud eos concipi sine labe originali nihil aliud fuerit, quam ex vi originis habere sanctitatem, vel donum aliquod naturae superadditum, atque huius originario stipiti transfundendum in posteros datum. 2. Item tenent peccatum originale magis pertinere ad naturam, quam ad animam; at primo inficere carnem, postea animam per ipsius unionem cum infecta carne seminaliter concepta. 3. Docent peccatum originale corpus inficere ex eo quod in semine certae ad iustitiam originalem in prolem transfundendam requisitae dispositiones desint, quae statui innocentiae inerant; animam vero ex eo, quia fit infecti corporis forma. 4. Loquuntur de peccato originali, quatenus *per se* et *principaliter* inficit naturam, quod per ordinariam generationem una cum natura transmittatur; atque ab ordinaria generatione, non per Christi gratiam, sed per solam veneris naturae in parentibus cruciatum separabile; per *accidens* vero et *consequenter* de eodem loquuntur ut derivato in animam et personam, per solam gratiae infusionem curabili. 5. Negant peccato originali de quo disserunt, opponi directe gratiam. 6. Loquuntur de peccato originali, a quo immunitas potuerit haberi, non per gratiam, sed aliis omnino modis quos ipsi recensent. 7. Verba faciunt de peccato originali, cuius contagium per gratiam quae nunc datur, totaliter auferri non potest, nisi per extraordinariam gratiam defectus contagionis naturae tollatur a parentibus. 8. Agunt demum de peccato originali, a quo nec ipsum Verbum incarnatum, si ordinario modo conceptum fuisset, potuisset esse liberum. Contra vero qui sententiam piam propugnant, nihil horum admittunt, nec tali sensu eam adstruunt: sed tenent, ex sola Christi gratia praeoccupatam fuisse B. M. Virginis animam in momento eius creationis et coniunctionis cum corpore, quo factum est ut immunis servaretur ab illa macula quam aliquo natura contraxisset. Atque hac ratione componunt ea quae in speciem contraria videntur tum in s. Thoma, tum in aliis doctoribus, cum interdum B. Virginem immunem fuisse asserunt sive ab originali sive ab actuali culpa, interdum vero eam originali culpae obnoxiam fuisse immunem gratia et meritis Redemptoris, obnoxiam autem vi generationis carnalis, et debiti, nisi praeventa fuisset. Cf. egregium opusc. p. Nicolai Cachovo, *Angelici doctoris s. Thomae aquinatis de Beatissimae Virginis Deiparae immaculata conceptione sententia*; quod primum prodiit Posnaniae 1651, tertia vero editio adornata est Patavii 1720, ac iure *pulcherrimum opusculum* dicitur. Neque ab his abludit celebris thomista Ioannes a s. Thoma, vir apprime doctus, qui in suo *Cursu theologico* Lugduni 1663, tom. I, in tract. *De approbat. et auctoritate doctrinae s. Thomae* Disp. I, art. 2 eadem ferme de mente s. Thomae scripsit.

(2) De s. Bonaventura haec scribit Benedictus Plazza in op. *Causa immaculatae conceptionis*, Panormi 1747, Act. 6, art. 1, test. 4: « Hic unus est inter quatuor primores scholasticos de quo fateri cogimur, contrariae sententiae propugnatorem fuisse in lib. 3, *Sent.* dist. 3, art. 1, *quaestione* II, s. Bonaventura clarius prae ceteris tangens punctum praesentis controversiae, inquiens, *Utrum anima Beatae Virginis sanctificata fuerit ante originalis peccati contractionem?*... Ipsi vero sententiae neganti adhaeret ». Cum tamen s. doctor ad negantem sententiam adhaerendam argumenta afferat quae ex poenalitatibus huius vitae ducuntur, quas B. Virgo passa est, e contagione carnis contracta vi naturalis generationis, ex generalibus effatis Scripturae et ss. patrum, et ex dignitate Christi Redemptoris, nihil vetat quominus sententia s. Bonaventurae ad scholasticorum primorum paulo ante exposita referatur. Ceterum seraphicus doctor in posterioribus scriptis suis piae omnino sententiae adstipulatus est. En eius verba ex serm. 2 de B. V. Maria, tom. 3, eius opp. edit. Rom. 1596, p. 389, col. 2: *Domina nostra fuit plena gratia praeveniente in sua sanctificatione*, GRATIA SCILICET PRAESERVATIVA CONTRA FOEDITATEM ORIGINALIS CULPAE, *quam contraxisset ex corruptione naturae; nisi speciali gratia praeventa, praeservataque fuisset. Solus enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, et ipsa Mater eius Virgo. Credendum est enim, quod novo sanctificationis genere, in eius conceptionis primordio Spiritus sanctus eam a peccato originali (non quod infuit, sed quod infuisset) redemit, atque singulari gratia praeservavit*. Haec si conferas cum antea dictis de diverso sensu scholasticorum, et patronorum piae sententiae, patebit quam bene simul congruant. Praeterea, ut videbimus, s. Bonaventura auctor fuit Ordini suo, ut festum celebraret immaculatae Virginis conceptionis.

(3) De hac celebri disputatione postea loquemur agentes adversus Launoium.

(4) In 3 *Sent.* dist. 3, q. 1. Opp. edit. Lugd. 1639 tom. VII, par. I, p. 91, seqq.

(5) Cf. Strozzi, op. cit. par. I, lib. 4, c. 21. Io. Bacho et Franc. Martorell referunt Avenione contigisse in ecclesia fratrum Ordinis carmelitarum.

(6) Cf. Waddingum, *Annales minorum* ad ann. Christi 1263. Urbani IV 2, n. 15, edit. Lugd. 1628, tom. II, p. 262. Et in edit. Rom. 1732, tom. IV, p. 218 legitur quod in his comitiis pisanis quibus praefuit s. Bonaventura: *fuerunt item est ut novae hae festivitates admitterentur in Ordine, videlicet* CONCEPTIONIS *B. V. Mariae, Visitationis*, etc.

(7) Ex his praeter plures alios vel ex ipsis doctoribus facultatis parisiensis, quae antea, ut innuimus, contrariam doctrinam sectabatur praecipue ob auctoritatem Magistri sententiarum, non pauci fuerunt ex ipso praedicatorum Ordine, qui deinde piam sententiam tuiti sunt. Horum catalogum plures texuerunt. Verum de his postea disseremus.

(8) Cf. Io. Ludov. Scholenbero, *Orbis universi votorum pro definitione piae et verae sententiae de immac. concept. Deiparae*, Campoduni 1650, lib. 3, c. 2, § 1, seqq.

Theses Ioannis a Montesono.

Quo in numero celebres recensentur theses quas sibi propugnandas in sorbonica academia suscepit Ioannes a Montesono e praedicatorum Ordine ad gradum doctoratus obtinendum. Harum numero quatuor fuerunt, quibus, uno excepto Christo, omnes se singulos ex Ada progenitos originaria labe infectos fuisse adstruebat, adversantemque sententiam, quae ex illorum censu B. Virginem excipit, ut Scripturis sacris fideique aperte contrariam traducebat (1). Parisienses doctores, qui non ita pridem animum suum admodum proclivem erga B. Virginis privilegium patefecerant (licet vero non constet, ut nonnulli autumant, decretum eos tulisse, quo caverent ne quis e suis alumnis quidquam quavis ratione decertans propugnaret, quod immunitatis privilegio adversaretur), aegre omnino nec sine indignatione tulerunt eiusmodi theses a Ioanne propositas (2). Immo vero theses singulas singulis censuris notarunt. Facultas theologica universa hanc censuram probavit, ac deinde temporis progressu iurisiurandi religione obstringendos edixit, quotquot ad academiae gradus aspirarent, ut pro viribus piam de immunitate sententiam tuerentur (3). Cum interim Ioannes a Montesono ex hac sententia ad antipapam Clementem VII Avenione sedentem appellasset, hic sententiam a Facultate latam confirmavit, nec felicius Ioanni negotium cessit apud Urbanum VI Romae degentem.

Controversiae instauratio.

Recrudiut ex hoc conflictu controversia inter patrocinatores Ioannis et fautores Scoti: qua de causa factum est, ut qui vindicias susceperint Ioannis a Montesono, molestias non paucas tolerareat (4). Atque hunc in modum alternae velitationes et querelae inter utramque partem usque ad celebratum basileense Concilium anno 1431 sunt protractae. In hoc consessu causa discutienda de immaculato Virginis conceptu proposita est. Theologi utrimque quaestionem versarunt. Adversus immunitatem strenue depugnavit celebris p. Ioannes a Montenigro ex praedicatorum Ordine, pro immunitate vero haud minori cum ingenii et eruditionis laude arma sumpsit doctus Ioannes segoviensis, catholici regis ad Concilium orator (5). Concilii patres, ut maturius ad agitatae controversiae definitionem progrederentur, p. Ioanni a Turrecremata viro doctissimo in mandatis dederunt, ut testimonia ex antiquis auctoribus in unum colligeret, quae viderentur adversanti favere sententiae. Quod ipse magna sedulitate praestitit in varias classes distinguens auctoritates a se congestas in opere, cui titulum fecit: *De veritate conceptionis* (6). Scriptum istud ob diversos tumultus in Concilio excitatos numquam Synodo oblatum fuit. Cum per biennium eoque amplius res discussa esset, demum basileenses patres, praeside Cardinale arelatensi, et urgente Ioanne a Segovia anno 1439, sess. XXXVI decretum tulerunt cuius duplex fuit obiectum. Videlicet definitum est prius est doctrinam de immaculata conceptu *piam* esse, et ab omnibus catholicis tenendam, tum cultui ecclesiastico fideique catholicae esse consonam, indictumque est silentium adversae partis fautoribus (7). Deinde vero confirmatum est festum sub conceptionis nomine hactenus celebratum, atque in posterum sub eodem titulo ab omnibus ecclesiis celebrandum (8).

Basileae in Concilio basileensi. P. Ioannes a Montenigro. P. Ioannes segoviensis.

Decretum Concilii basileensis.

At quaestioni extinguendae impar prorsus fuit basileense decretum utpote editum a Synodo ἀκεφάλῳ atque schismatica post discessum legatorum legitimi pontificis Eugenii IV, a quo Synodus fuit repudiata. Exinde novae excitatae turbae, quas recensere non vacat, donec Sixtus IV ad compescendos tumultus, qui in Italia pariter exoriebantur anno 1476, aut 1477 (9) constitutionem edidit, qua plures indulgentias in perpetuum iis concessit qui officium canonicum recitarent, aut missae de immaculato conceptione interessent, ut suo loco referemus.

Novae excitatae turbae. Constitutio Sixti IV.

Cum vero nova orta dissidia fuissent inter utriusque contrarii placiti adstipulatores circa eiusdem constitutionis intelligentiam, novam idem pontifex constitutionem vulgavit anno 1482, qua improbat expositiones a fautoribus adversae partis, praecipue vero a Bandello excogitatas (10); damnat praeterea, atque excommunicatione latae sententiae eos mulctat, qui alterutri placito haeresis notam affingerent. Anno denique insequenti, nempe 1483, tertiam constitutionem adiecit, qua omnia in praecedenti bulla contenta confirmat, praeposteras reprobat interpretationes omnes, excommunicationique omnes illos subiecit, qui suis in

Altera eiusdem pontificis constitutio.

Tertia constitutio Sixti IV.

(1) Propositiones quidem a Montesono propositae atque censura notatae fuerunt numero quatuordecim; sed quatuor tantum sunt, quae ad rem nostram referuntur; nempe X. *Non omnem hominem praeter Christum contraxisse ab Adam peccatum originale est expresse contra fidem.* XI. *B. M. Virginem et Dei Genitricem non contraxisse peccatum originale est expresse contra fidem.* XII. *Tantum contra Scripturam sacram est unum hominem esse exemptum a peccato originali, praeter Christum, sicut si decem homines ponerentur exempti.* XIII. *Magis est contra Scripturam sacram, Beatam Virginem non esse conceptam in peccato originali, quam asserere illam fuisse simul beatam et viatricem ab instanti suae conceptionis, vel sanctificationis, vel fuisse notionem hypostatice.* Quae quidem omnes et singulae theses variis censuris a sacra Facultate notatae sunt. Cf. Natalem Alex. *Hist. eccles.* saec. XIII et XIV, c. 3, art. 23. Cf. praeterea tres hac de re *tractatus Card. Petri de Alliaco* adversus Ioannem a Montesono in appendice ad tom. I, opp. Io. Gerson ex edit. Ellies Dupin, p. 693, seq. et p. 697-702.

(2) Id non obscure eruitur ex commentis Ioannis Bachone, qui ea ferme aetate florebat (nam ex Bellarmino *De scriptoribus ecclesiasticis* floruit sub Clemente VI, et obiisse dicitur anno 1346, vel ex Trithemio anno 1350), quique in 4 sentent. dist. 2, quaest. 4, art. 3 scripsit: *A multis annis disputatum est inter theologos in Universitatibus parisiensi, et oxoniensi, et ubique determinatum, quod sanctum est conceptionem Beatae Mariae celebrare, habito respectu ad eius sanctificationem: et in dictis Universitatibus celebratur per statuta.* Opp. edit. Venet. 1526, tom. II, fol. 97, col. 2. Falsum itaque est, quod refert Strozzi lib. 5, op. cit. c. 5, tom. I, p. 504, scripsisse Bachonem, tunc tempora Universitatem parisiensem tulisse decretum quo caveret ne eius alumni ex cathedra docentes, aut adstruerent in conclusionibus quidpiam quod adversaretur immaculatae conceptioni. Ast non semel hunc auctorem parum criticum in sua historia expertus sum. Imo ex Petro de Alliaco, qui tractatum scripsit contra Ioannem de Montesono ad tuendam censuram Facultatis parisiensis anno 1387, quo Ioannis theses damnatae sunt, longe probabilius constat, adhuc liberum fuisse in illa academia pro utraque sententia decertare.

(3) Neque iuramento hoc coepit Universitas parisiensis candidatos suos adstringere post Concilium basileense, ut ex eiusdem formula exhibita a Nat. Alexandro loc. cit. c. 5, art. 1, § 8 luculenter patet.

(4) « Nam magister et procurator Ordinis nostri (praedicatorum), scribit Natalis Alex. loc. cit. c. 3, art. 23, Ioannis de Montesono causam imprudenter susceperant, et auctoritate sua effecerunt ne fratres nostri censurae sacrae Facultatis subscriberent, falso arbitrati s. Thomae doctrinam academiae et episcopi parisiensis iudicio petitam. Propterea docendi concionandique munere gradibusque theologicis prorsus nostris interdictum est: et quamvis postmodum omnes aut plurimi ad conditiones a sacra Facultate sibi impositas exequendas praesto fuerint, viros academicos flectere non potuerunt, et annos ultra viginti quinque ab academia manserunt exclusi ».

(5) Docti huius theologi supersunt typis edita *Allegationes et Avisamenta pro immaculata conceptione Beatissimae Virginis pro informatione patrum Concilii basileensis*, opera et studio Petri de Alva collecta, vol. in fol. Bruxellis 1664.

(6) Hoc opus demum prodiit Romae per Antonium Bladum an. 1547.

(7) Eiusmodi sunt verba Concilii apud Harduinum *Acta Concil.* tom. VIII, col. 1266. *Nos diligenter inspectis auctoritatibus et rationibus, quae iam a pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinae coram hac sancta Synodo allegatae sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis, et matura consideratione pensatis, doctrinam illam disserentem gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam praeveniente et operante divini Numinis gratia singulari numquam actualiter subiacuisse originali peccato; sed immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa, sanctamque et immaculatam, tanquam piam et consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi et sacrae Scripturae, ab omnibus catholicis approbandam fore, tenendam, et amplectendam definimus et declaramus, nullique de cetero licitum esse in contrarium praedicare seu docere.* Ubi sedulo animadvertendum est, Concilium basileense minime aperte et expresse ut fidei dogma definivisse immaculatam Virginis conceptionem, sed solum declarasse, illam sententiam quae stat pro immaculato conceptu *piam esse, consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi, et sacrae Scripturae.*

(8) Prosequitur enim Concilium ibid. *Renovantes praeterea institutionem de celebranda sancta eius conceptione, quae tam per romanam, quam per alias ecclesias sexto idus decembris antiqua et laudabili consuetudine celebratur; statuimus et ordinamus eamdem celebritatem praefata die in omnibus ecclesiis, monasteriis et conventibus christianae religionis, sub nomine conceptionis festivis laudibus colendam esse.*

(9) Nempe cum data fuerit prima haec constitutio a Sixto IV die 27 februarii, hinc fit, ut in supputatione ecclesiastica quae olim penes rom. pontifices in usu erat, quaeque annos incipiebant a dominica incarnatione seu die 25 martii, spectet ad annum 1476; in supputatione vero civili, ad annum 1477, cum huius initium sumeretur a die 1 ianuarii. Haec autem constitutio incipit: *Cum praecelsa.*

(10) Siquidem Bandellus typis bononiensibus opusculum ediderat cui titulum fecit: *Tractatus de singulari puritate et praerogativa conceptionis Christi*, in cuius priori parte nominat, sententiam de praeservatione Beatae Virginis ab originali peccato esse *contra fidem, erroneam, haereticam, impiam*, item *peccare et haereticos esse* appellandos, qui eam defendunt vel affirmant: in posteriori autem parte ad sanctionem II desumptam ex indulgentia a Sixto IV concessa recitantibus conceptionis officium respondet, festivitatem et indulgentiam istam intelligendam esse de sola conceptione spirituali, seu de sanctificatione, quae tempore naturalem conceptionem subsecuta sit. Id contigit anno 1481. Cf. Piazza op. cit. act. 5, ar. 2. Incipit porro haec Sixti constitutio. *Grave nimis.*

concionibus, aut alia ratione contrarium quidpiam asserere ausi fuerint (1). Nostri haud est instituti cetera singillatim persequi, sive quae ab eodem Sixto IV, sive quae ab Iulio II pro virgineo privilegio acta sunt, aut peculiares institutiones atque controversias denuo exortas inter viros doctissimos illius aetatis referre, cum parum conferat ad rem nostram diutius in his immorari.

CAPUT IV

CONTROVERSIAE STATUS A TRIDENTINA SYNODO AD NOSTRA USQUE TEMPORA

Interdum accidit, ut semel ac contentio aliqua suborta est, qui alterutrum disputantium sententiam amplexi sunt, eam prosequantur studio partium potius, quam veritatis amore permoti. Idipsum plane contigisse videtur in controversia quam prae manibus habemus. Grave profecto vulnus e Sixti IV constitutionibus inflictum videbatur sententiae, quae privilegio adversatur, atque ex solemnitatis de B. Virginis conceptu in Ecclesiam prope universam propagatione. Nihilo tamen secius nunquam defuere, qui aut editis libris, aut pro concione, aut in disputationibus publicis piam sententiam impugnarent.

Concilium tridentinum.

Cum celebraretur tridentina Synodus, immaculati virginei conceptus fautores nacti occasionem sunt ex materia, quae versabatur in sessione V de peccato originali adversus novatores, hortandi eiusdem concilii patres, ut dogmatico decreto domesticam hanc controversiam dirimerent. In quo primas partes habuit card. Pacecco hispanus; quamvis porro plerique patres eidem faverent, reluctantibus nihilominus adversae sententiae patronis, res infecta mansit. Convenit tamen inter patres, ut clausula decreto de peccato originali apponeretur, qua profiteretur Concilium, se haud voluisse decreto suo de peccato originali quidquam detractum sententiae de immunitate B. M. Virginis, cum eam in illo comprehendere noluerit; quod reipsa factum. Siquidem editis canonibus de originali peccato sessione V, anno 1546, die 17 iunii haec verba adiecta sunt: *Declarat tamen haec ipsa s. Synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti papae IV sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat*. Ex quibus verbis colligunt parthenici 1. haud comprehendi B. Virginem in propositionibus universalibus in quibus sermo est de propagatione originalis noxae in omnes homines; 2. observandas esse Sixti IV constitutiones; 3. easdem immo innovari. Adnotant praeterea Dei Genitricem *immaculatae* titulo cohonestari, proneque animum plerosque e tridentinis patribus in piam sententiam prae se tulisse. Quod postremum quidem tum acta, tum eiusdem Concilii historia confirmant (2).

Declaratio Concilii tridentini.

Neque sic sopita contentio.

Cum vero nihil expresse Concilium definierit, neque turbae neque contentiones finem habuere. Iterum libri, lucubrationesque omnigenae ex utraque parte magno numero prodierunt; atque iterum e suggestu ipso et in publicis concertationibus es interdum proferebantur, quae in scandalum atque animarum offensionem non minimam cederent (3). Hoc ad eiusmodi animorum impetus compescendos s. Pius V non solum in constitutione adversus Baium telo confixit propositionem LXXIII: *Nemo praeter Christum est absque peccato originali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis* (4); sed praeterea alia edita constitutione, qua decreta hactenus hac de re tum a praecessoribus suis tum a tridentina Synodo lata in suo vigore ac robore perseverare declarat, facultatem defendendi alterutram in disputationibus sententiam concedit, servatis tamen quae a Sixto IV in suis constitutionibus, quas innovat, sunt praescripta: vetat insuper quominus quispiam aut in publicis concionibus aut in libris vernacula lingua vulgatis hanc quaestionem pertractet sub gravibus poenis illico subeundis aut infligendis (5). Demum Breviario ac Missali romano reformato officium inseruit de Virginis conceptione, missamque legendam die 8 decembris, idque ex praecepto quod antea nondum constitutum fuerat: uniformitatis porro servandae gratia voluit, ut tum officium tum missa de nativitate B. Virginis pro conceptionis festo adoptaretur, voce *Nativitatis* in voce *Conceptionis* immutata, sicuti iamdiu ob illustri Herluino propositum fuerat (6). Atque hac ratione huius mysterii cultus in perpetuum atque in Ecclesia universa constitutus est et amplificatus. Dedit tamen idem summus pontifex toti franciscalium Ordini, ut recitare pergeret officium editum a Nogarolio, atque a Sixto IV probatum (7).

Propositio Baii a s. Pio V proscripta.

Officium conceptionis.

Neque ita turbis adhuc sedatis, adfuit Paulus V, qui anno 1616 die 9 mensis iulii acrius in nova a se promulgata constitutione invehitur in eiusmodi dissidia, atque in scandala exinde manantia, gravioribusque interminatis poenis observationem urget eorum omnium, quae ab antecessoribus suis sancita fuerant (8). Verum cum Paulus V utrique contendentium parti integrum reliquerit proprium sectari et adstruere placitum, nihil hac sua constitutione profecit. Hinc agente Philippo III Hispaniarum rege, decretum editum est a sacra inquisitionis Congregatione, illudque a romano pontifice probatum, quo severe prohibebatur quominus in posterum sub comminatis statutisque poenis quispiam auderet affirmare in concionibus, lectionibus, disputationibus aliisque actis publicis, B. Virginem in peccato fuisse conceptam; dein integrabantur eodem decreto et confirmabantur constitutiones anteriorum romanorum pontificum, quin tamen alteri sententiae quidpiam derogatum esset (9). Magno quidem plausu in Hispania decretum illud exceptum est; nihilominus exitus ipse illud fini obtinendo impar fuisse declaravit.

Scandala a Paulo V repressa.

Decretum sacrae inquisitionis.

Quamvis porro Hispaniarum reges per oratores suos iteratis saepe legationibus animum expugnare nequiverint tum Pauli V,

Silentium adversae

(1) Haec celebris est constitutio, quae corpori iuris inserta est, quaeque incipit pariter: *Grave nimis* edita pridie nonas, seu die 4 sept. 1483.

(2) Cf. Pallavicini, *Istoria del Concilio di Trento*, lib. 7, cap. 7, ubi refert huius controversiae discussionem in praevia congregatione generali, quae habita est die 8 iunii circa decretum de peccato originali. Semel porro iterumque scribit, plerosque patres tridentinos stetisse pro pia sententia; immo enixatum esse card. Paceccum patres duas tertias partes numero excedentes in caetu superiore in haec verba consensisse: *Quam (B. Virginem) pie creditur absque peccato originali fuisse conceptam*. Post diversas disceptationes eo demum, addit ipse, res devenit, ut quamvis plerique conceptam sine labe Virginem existimarent, plerique tamen satius duxerint, nihil oppositae sententiae detrahendum. Quare decreti verba ex Asturiensis dictis comprobata sunt, aegerrime id ferente Pacecco. Ad haec Ambrosius Catharinus, qui Concilio tunc temporis interfuerat, in epistola nuncupatoria quam operi praemisit inscripto: *Disputatio pro veritate immaculatae conceptionis Beatissimae Virginis et eius celebranda a cunctis fidelibus festivitate ad sanctam Synodum Tridentinam*, vol. fol. Romae 1551, ita loquitur: « Cum ab hinc fere sexennium istic Tridenti ageret sancta Synodus ad id potissimum congregata ut haereses et zizania, quae in agrum Domini irrepserant, tollerentur, et eo iam perventum esset ut de originali peccato tractaretur, plerique ex patribus admonebant optimum esse, atque opportunum, apud illa decreta eam sententiam de immaculata Beatae Virginis conceptione, quae dudum a cunctis prorsus ecclesiis solemni ritu celebratur in caelum, ita probari ac statui, ut iam ulterius non liceret cuiquam ea de re secus vel asserere vel opinari. Id quibusdam licet admodum paucis tunc non placuit, nec (ut verum fatear) mihi quidem ipsi; non quod rem ipsam non vehementer optarem utpote sanctam et christianae fraternitati congruentem, quae in primis eundem in dogmatibus sensum, eandemque in cultu Dei observantiam poscit: sed quod consultius per conditionem temporum videbatur prius adversus haereses manifestas intendere, tum illa aggredi, quae inter catholicos controversa, digna viderentur decisione ».

(3) Haec recenset s. Pius V in constitut. data ann. 1570, die 30 novemb. quae incipit: *Super speculam*, quamque habes in Bullario Rom. Caroli Cocquelines tom. IV, par. 3, p. 138, seqq.

(4) In constitut. data ann. 1567, die 1 octob. et reperitur in *Act. Concil*. Harduini tom. X, col. 1200, seqq. una cum bulla Gregorii XIII.

(5) In const. cit. *Super speculam*.

(6) Si tamen uti genuina admittitur epistola edita sub nomine s. Anselmi cantuariensis *De conceptione B. Virginis*, in qua visio Elsino facta perhibetur. Aat longe probabilius haec epistola seu sermo s. Anselmo non tribuitur. De hoc suo loco.

(7) Id constat ex antiquis libris ritualibus eiusdem Ordinis hunc titulum praeseferentibus: *Officia propria Sanctorum Ordinis minorum, quae ss. D. N. Pius V pontifex maximus tam pro fratribus quam monialibus eiusdem Ordinis viva voce concessit*. Inter haec autem officia habetur officium conceptionis proprium a Sixto IV probatum. Et usu adhuc illud retinent. Refert praeterea Gavantus in suo *Thesauro Sac. Rit.* edit. Rom. 1728, tom. II, par. I, sect. 6, cap. 9, s. Pium V eiusdem maioris uniformitatis gratia mutasse officium proprium Visitationis Beatae Virginis. Hinc cum plura circumferrentur aetate s. Pii V officia conceptionis, tum videlicet Leon. Nogarolii, tum Bernardini de Bustis, Francisci item Quignonii, necnon Roberti Gagnini, his omnibus sublatis, Ecclesiae universae recitandum iniussit officium quod adhuc obtinet.

(8) Constit. haec incipit: *Regis pacifici*. Prostat autem in Bullario Rom. Caroli Cocquelines tom. V, par. 4, ord. 262, p. 200 seqq.

(9) Hoc decretum reperies in Bullario Romano Laertii Cherubini tom. III, ord. 105, p. 262.

partim Gregorio XV indictum.

tum Gregorii XV, ut solemni decreto quaestionem de immaculata Virginis conceptione definirent, obtinuerunt tamen a Gregorio, ut silentium adversae parti omnino indiceretur (1). Siquidem Gregorius XV qui proxime Paulo V successerat, anno 1622 die 24 maii per decretum sacrae Congregationis inquisitionis gravibus sub poenis prohibuit, ne quis posthac sive in publicis actis, sive in privatis scriptis aut colloquiis affirmaret, B. Virginem in peccato fuisse conceptam; expunxitque e sacra liturgia vocem *sanctificationis*, qua antehac nonnulli pro *conceptionis* voce sive in missa sive in horis canonicis utebantur (2). Quo de causa in universo fermo orbe catholico publicae laetitiae signa edita sunt. Cautum enim hoc decreto est, ne in posterum ulla ratione sententia contraria in publico versaretur.

Expuncta sanctificationis vox e sacra liturgia.

Nova de epitheto immaculatae contentio.

Ast nova orta contentio est circa *immaculatae* epitheton, utrum scilicet Virgini adscribendum foret, an vero conceptioni. Non enim defuerunt, qui primum adseverarent, atque hoc sensu decreta interpretarentur hactenus data a romanis pontificibus in hac controversia, festumque ipsum, quod ubique terrarum in honorem conceptionis celebrabatur, intelligendum vellent. Exinde varii excitati tumultus, neque exiguae natae querelae (3). Quocirca Alexander VII Hispaniarum regis ac praesulum precibus impulsus, ut dubitationem quamlibet e fidelium mentibus de vero Ecclesiae sensu depelleret, omnemque litem componeret, praeter alia, quae in eum finem praestitit, celebrem suae constitutionem promulgavit anno 1661 die 8 decembris eidem Virginis conceptioni sacra, quam vere sigillum dixeris, quo superiora decreta omnia obsignavit.

Constitutio Alexandri VII.

In ea quippe non modo constitutiones praecessorum suorum innovavit, confirmavitque, verum etiam eorundem mentem declaravit, sensumque explicuit tridentini decreti atque ecclesiae romanae circa verum obiectum institutionis festi, divini officii, largitionis indulgentiarum, tituli religiosorum Ordinum et sodalitatum, quae in honorem immaculatae Virginis conceptionis fuerant institutae. Ait enim *se velle praedecessorum suorum exempla fovere, nec non tueri pietatem et devotionem hanc colendi ac celebrandi Beatissimam Virginem, praeveniente scilicet Spiritus sancti gratia a peccato originali praeservatam* (4), commendatur praeterea in ea *pietas sentientium eius* (B. Virginis) *animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio intuitu meritorum Iesu Christi praeservatam* (5); eoque titulo eandem effert, quod iam *fere omnes catholici eam amplectantur*; crebro demum commemorat *immaculatam conceptionem* Dei Genitricis, severioresque interminatur poenas iis omnibus qui quavis ratione aut viva voce, aut scriptis, quae iure ipso prohibita decernuntur, adversus *piam* de immaculato Virginis conceptu sententiam insurgerent et obloquerentur. Exinde disceptatio atque oppugnatio quaelibet mysterii penitus cessavit quoad hoc, plenamque et tranquillam in Ecclesia catholica universa possessionem doctrina de immaculata conceptione adepta est. Nec quisquam vere catholicorum vel hiscere deinceps est ausus, si irreligiosos nonnullos scriptores neotericos excipias, inter quos principem sibi locum vindicat Launoius (6), atque extremis hisce fere annis Georgius Hermesius (7).

Sublata disceptatio.

Gregorius XVI indulsit episcopis petentibus additamentum in liturgia.

Interim Gregorius XVI eiusdem piae sententiae promotorem eximium se praebuit, dum decreto sacrae rituum Congregationis episcopis omnibus petentibus concessit, ut in festo conceptionis adiceretur Missae praefationi: *Et te in conceptione immaculata* (8); nec non ut in litaniis lauretanis ad cetera Virginis encomia accedere et illa salutatio posset: *Regina sine labe originali concepta*; quod reipsa Romae fit, sicut iamdiu ab universo Ordine seraphico fieri consueverat. Cumque in Galliis festum conceptionis ex praecepti obligatione non celebretur, plurimorum episcoporum illius regni precibus idem summus pontifex annuit, ut dominica secunda Adventus singulis annis missa de conceptione una cum adiecta voce *immaculata* in praefatione cani aut legi posset; concessa praeterea indulgentia plenaria fidelibus omnibus rite comparatis, qui ad ecclesiam festi celebrandi causa se conferrent (9).

Promovet cultum in Galliis.

Demum haud exiguae laetitiae praestitit argumentum libellus supplex quem anno 1843 die 10 decembris nomine totius venerabilis praedicatorum Ordinis magister generalis sanctissimo pontifici obtulit: *Ut de apostolica benignitate concedere universo suo Ordini praedicatorum dignaretur indultum, deinceps, iuxto proprium ritum, festum conceptionis Deiparae celebrandi cum octava solemni, prout celebrantur festa Annuntiationis, Assumptionis ac sacratissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis, necnon ut praefationi missae conceptionis B. M. Virginis adderetur verbum* immaculata, *uti ex apostolica concessione fieri assolet penes Ordines sancti Francisci. Quibus precibus a Sanctitate Sua peramanter exceptis, de speciali gratia benigne annuit iuxta petita* (10).

Atque hic fuit exitus quem hactenus habuit controversia isthaec, quae a tenuibus exorta principiis, longa saeculorum serie post tot contentiones et disceptationes ita progressa est, ut pia sententia magis ac magis in annos invaluerit, donec sola in catholica Ecclesia sit dominata, atque universali unoque pene consensu excepta fuerit ac propugnata.

CAPUT V

TESTIMONIA BIBLICA QUAE PIAE SENTENTIAE DE IMMACULATA B. VIRGINIS CONCEPTIONE ADVERSARI VIDENTUR

Cum propositum mihi sit in huiusce historica lucubrationis parte ea sincero animo in medium afferre, quae aut faventia aut adversantia piae de immaculato Virginis conceptu sententiae, alia ab aliis contrarii placiti patronis produci consuevere, a biblicis testimoniis initium faciendum duco.

Duplex biblic. testimon. classis contra Virginis privilegium.

Porro quae ab oppugnatoribus piae sententiae e Scripturis documenta afferri solent, bifariam distinguuntur, tum scilicet in ea, quibus peccati originalis propagatio adfirmatur in omnes prorsus Adae posteros, tum in ea, queis redemptionis necessitas quoad omnes pariter et singulos per Christi merita asseritur.

Iam vero notissima sunt omniumque ore trita utriusque classis divina eloquia. Ac primo quidem originalis noxae in omnes prorsus Adae filios propagationem evincunt verba Iob 14, 4: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Seu iuxta alexandrinam versionem: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cuius est unius diei vita super terram.* Quae cum de utraque conceptione sive inchoata sive perfecta intelligi possint, patet neminem penitus a macula originaria excludi, prout et de se David fatetur ps. 50, 7: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Profecto apostolus tum positive tum negative omnes in ea conditione comprehendit Adae posteros, sive cum Rom. 3, 23 scribit: *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei*; et clarius adhuc ibid. 5, 12: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Generatim

(1) Cf. Opus inscriptum ΠΡΕΣΒΕΙΑ sive *Legatio Philippi III et IV catholicorum Hispaniae regum ad ss. dominos nostros Paulum V et Gregorium XV pro definienda controversia immaculatae conceptionis B. Virginis Mariae, per Antonium a Trejo episc. carthag.* Auctore Luca Waddingo, Lovanii 1624, vol. fol. In sect. III exhibetur tractatus XII seu *oratio XI de scandalis exortis ex hac controversia*, p. 375, seqq.

(2) Exhibetur hoc decretum in Bullario Rom. Laertii Cherubini tom. III, ord. 29, p. 314 seqq.

(3) De nova hac controversia fuse scribit in cit. *Historia controversiae de immaculata conceptione* Thom. Strozzi par. 2, cap. 2, p. 524 seqq. Necnon p. Vincentius Fassari in *Trutina theologica pro immaculata conceptione*, Lugduni 1666, disp. 9, dis. 3, § 12 et 13, p. 70 seqq., et Theoph. Raynaudi in *Pietate Lugdunensi* edit. cit. tom. VIII, p. 304 seqq. qui tom. VII ediderat dissertationem *De retinendo titulo immaculatae conceptionis*, p. 309 seqq.

(4) Incipit haec constitutio: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, ac reperitur in Bullario Romano Caroli Cocquelines, tom. VI, par. 5, ord. 366, § 11, p. 182 seqq. Huius constitutionis inferius praecipuos tractus describemus.

(5) Ibid. § 1.

(6) In tractatu quem inscripsit: *Praescriptiones de conceptu B. M. Virginis*, Opp. edit. Colon. Allobrog. 1731, tom. I, par. 1.

(7) Cf. si lubet nostrum *Sunto analitico della Dissertazione polemica* di S. E. R. il sig. card. Lambruschini *sull'immacolato concepimento di Maria*: *Annali delle scienze religiose*, vol. XVI, fasc. 48, Rom. 1843.

(8) Cf. Appendic.

(9) Cf. Appendic.

(10) Cf. Appendic.

Digitized by Google

vera pronuntiat Ephes. 2, 3: *Eramus natura filii irae, sicut et ceteri.*

Utrumque autem idem Apostolus complectitur, videlicet peccati contagium necessitatemque redemptionis cum Rom. 5, 18 scribit: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae: sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem, iusti constituentur multi.* Item 1 Cor. 15, 22: *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur;* ac demum 2 Cor. 5, 14, 15: *Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus.*

B. Virgo excipi nequit.

Cum igitur haec testimonia universalia sint, neque ullam admittant exceptionem, iure meritoque infertur, his B. quoque Virginem involvi; secus enim nutare videretur utrumque dogma, tum de universali originalis culpae in omnes propagatione, tum de universali omnium et singulorum redemptione. Ab his vera catholica fides abhorret. Nulla autem ratio apparet, quare B. Virgo eximi a labis primigeniae contagione possit, quin tamen excipi eadem ratione queant alii Christi progenitores, ut ratiocinabatur s. Bernardus in epistola sua ad canonicos lugdunenses; adeoque aditu semel alicui exceptioni patefacto, tum plures ac plures ab illa contrahenda sordis peccati lege immunes haberi possent. Ut legitima de B. Virgine exemptio constitueretur, necesse omnino foret aliquem biblicum textum certum minimeque dubium, in quo haec exprimeretur, proferre. Atqui hic quidem non suppetit. Sequitur proinde communi generalique lege Deiparam comprehendi.

CAPUT VI

SANCTORUM PATRUM ATQUE SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM TESTIMONIA QUAE VIDENTUR IMMACULATAE VIRGINIS CONCEPTIONI ADVERSARI

Auctores, qui patrum testimonia collegerunt adversus immaculatam conceptionem.

Innumera prope sanctorum veterum, scriptorumque ecclesiasticorum testimonia, cum quaestio maxime ferveret, prolata in medium sunt, quae sententiae adversari omnino viderentur. In hisce colligendis Bandellus enituit (1), deinde vero cardinalis de Turrecremata (2) necnon cardinalis Caietanus (3) et Melchior Canus (4). Verum, hisce critica lance sedulo expensis, compertum est plura ab horum censu esse expungenda, aut quia praeter rem atque inconsulto sunt congesta, aut quia ex apocryphis derivata fontibus, aut quia denique fictitiis etiam auctoribus ad numerum augendum fucumque faciendum adscripta (5).

Exiguus illorum numerus.

Hic igitur catalogus ad pauca nomina coarctatus est, ac ea fere sunt, quae deinceps Petavius (6) commemorat, atque recenset Launoius (7), atque iterum Antonius Lampridius (8), qui ea ordine chronologico digessit a saeculo III ad saeculum usque XII, in quo data est a s. Bernardo epistola ad canonicos lugdunenses. Hic porro auctor testimonia ferme triginta pro maculato seu vitiata primigenia labe Virginis conceptu allegavit.

Quinque patrum classes.

Verum et huic numero aliquid adhuc est detrahendum, si auctoritates ad illas dumtaxat coarctare velimus, quae de maculato B. Virginis conceptu presse loquuntur. Siquidem illae commode cum p. Benedicto Plazza in quinque classes distribui possunt. Prima classis ea complectitur testimonia, quibus solus Deus aut solus Christus absque ullo peccato asseritur, nulla prorsus maculae originalis facta mentione. Altera iis continetur, quae universum humanum genus culpa originali infectum affirmant, quin B. Virginem specialim nominent. Tertia illis constat quibus patres, si *unum Christum* excipias, homines cunctos primigenia labe inquinatos docent. Quarta classis eas habet auctoritates, quibus adstruitur B. Virginis carnem *carnem esse peccati*. Quinta denique ea est, in qua disertis verbis patres asserunt B. Virginem *sanctificatam, mundatam, purgatamque* fuisse.

Tres priores classes rem non attingunt.

Ceteris itaque missis, utpote quae directe minus hanc controversiam attingunt, ea tantummodo persequemur testimonia, quae e postremis duabus classibus exhibentur, quippe quae rem plane conficere videntur.

Duae classes posteriores.

S. Augustinus.

In his magnus eminet s. Augustinus, qui libro 2 *De peccat. meritis et remiss.* c. 24, n. 38. *Solus ergo ille*, scribit, *etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum habuit unquam, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati. Quod enim carnis inde suscepit, id profecto aut suscipiendum mundavit, aut suscipiendo mundavit.*

Non minus clare id ipsum constituit hipponensis antistes lib. 10 *de Gen. ad litt.* cap. 20, n. 35 dicens: *Secundum rationem quippe illam seminalem ibi* (in lumbis Abrahae) *fuit Levi, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem, secundum quam rationem non ibi erat Christi caro, quamvis secundum ipsam ibi fuerit Mariae caro. Quapropter nec Levi, nec Christus in lumbis Abrahae secundum animam: secundum carnem vero et Levi, et*

(1) Bandellus a Castronovo Ord. praedic. magister generalis XXXVII ann. 1470, in tract. ***De singulari puritate et praerogativa conceptionis Christi*** aliisque opusculis, acerbissime invectus est in immaculati conceptus sententiam ut absurdam, impiam, haereticam, diabolicam, utpote sacris litteris, conciliis, patribus, scholasticis, rationi tandem prorsus adversam. Haec opera mature impugnata ac refutata sunt a Roberto Gaguino Trinitarii Ord. ministro generali, qui floruit an. 1480; a Carolo Fernando monacho benedictino an. 1480; a Nic. l'Hermanier parisiensi theologo, aliisque non paucis. Deinde a Sixto IV indirecte saltem improbata, quatenus opera adserentia haereticam esse opinionem de immaculata Virginis conceptione damnavit. Tandem novo Iulii II diplomate in hispanis dioecesibus toletana, carthaginensi et cuebensi proscripta fuere, ac flammis tradita, ut refert Christoph. Vega in ***Theol. Mariana*** tom. I, palaestra 3, certamine 9, num. 342. Cf. Gener op. et loc. cit. Porro in tractatu ***De puritate*** recensuit Bandellus 210 patrum et doctorum testimonia contra immaculatam Virginis conceptionem; eadem fere excerpsit p. Petrus a Vincentia, cui opposuit p. Petrus Possius librum, cui titulus: ***Vincentia victa***. pleraque testimonia sine critica prorsus collecta sunt.

(2) Card. de Turrecremata in op. cit. ***De veritate concept.*** de quo opere eiusque editione haec scribit Ambrosius Catharinus in op. cit. ***Disputatio pro veritate immaculatae conceptionis***, Romae 1551 in epist. nuncupatoria ad card. Marcellum Cervinum postea rom. pontificem sub nomine Marcelli II, et ad sanctam Synodum tridentinam: « Haec igitur (de immacul. concept.) in Synodo cum tractarentur, ecce novus liber, imo vetus a situ et carie iam semesus eripitur, qui non multo post typis excusus in lucem prodiit. Libri eius argumentum erat contra immaculatam B. Virginis conceptionem, cuius auctor inscribitur cardinalis de Turrecremata, cum nondum tamen esset cardinalis, sed adhuc frater sub Ordine praedicatorum constitutus. Editionis autem eius libri promotor frater Bartholomaeus Spina eiusdem Ordinis, et sacri palatii Magister, et nescio qui eius discipulus. Ille enim Spina eodem discipulo teste, qui epistolam praefatoriam ad eum librum adscripsit, zelo fidei totus incensus magno labore librum ab erroribus expurgari et publicari curavit: quem extrema aegritudine praeventus vix perficere valuit, quia totus liber ille ita vitio scriptoris erat corruptus, ut alicubi minus intelligibilis videretur. Horum igitur, hoc est, Spinae et discipuli, summa diligentia, et solerti opera tandem est candori pristino restitutus, quin etiam tot insuper (eodem discipulo teste) adiecta et mutata, ut iam queat homo vel mediocri prudentia praeditus olfacere eum librum non tam esse Turrecrematae, quam Spinae. Licet enim vir ille doctus et pius, et de christiana republica optime meritus suo in tempore licitum esse putaverit ut talia scriberet, quando nondum in perspicuo positus erat Ecclesiae sensus: nemini tamen dubium esse debet, quin si praesenti nostra aetate viveret, et videret quo pars in Ecclesia faveat spiritus veritatis, id iam minime auderet. Nec ea in publicum venire pateretur, quae ipse ne minus tum anteriore tempore elucubrasset ». Hactenus Catharinus. Quod quidem opus confundi nequit cum altero eiusdem tituli vulgato ab eodem Catharino Senis an. 1532 in 8, in tres libros digesto, ac religiosis Ordinis sui inscripto.

(3) Opusc. II cit. ***De conceptione B. Virginis.***

(4) ***De Locis*** lib. VII, c. 1, concl. 4.

(5) Neque id mirum videri poterit tum ob certaminis aestum, tum ob criticae severioris defectum quo illa aetate laborabant. Hinc etiam factum est, ut non semel ab ipsis piae sententiae adsertoribus, immo passim apocrypha testimonia proferrentur. Hadc suo discutiemus loco.

(6) ***De incarnat.*** lib. 14, c. 2.

(7) Op. cit. ***Praescriptiones de conceptu B. M. V.***

(8) ***De superstitione vitanda.*** Hic auctor, quamvis directe immaculatum Virginis conceptum sibi impugnandum minime sumpserit, sed solum votum iurandi usque ad sanguinem immaculatam B. Virginis conceptionem; indirecte tamen quotquot corrogare potuit auctorum testimonia piae sententiae contraria collegit. Ea omnia singillatim expendit p. Benedictus Plazza in celebri opere: ***Causa immaculatae conceptionis*** vol. in 4, Panormi 1747, ex quo haec ipsa referimus, et cuius labore utimur. De quo auctore hoc tulit iudicium p. Zaccaria in not. ad cit. caput Petavii edit. Venet. 1757: « Quo nemo hactenus uberiore ac solidiore eruditione pro pia sententia decertavit... quamvis illud a praeclarissimo auctore optassem, ut a defendendo s. Iacobi limitgia, paucissimisque aliis id genus dubiae fidei monumentis adserendis abstinuisset. Nam etsi sunt hodieque, qui ad ipsum sentiunt, quemadmodum ***liturgici*** codicis editor Ioseph Aloisius Assemanus: tamen neque ad propugnandam hanc causam necessaria istaec erant, et propter paucos, qui contra magnam, formidandamque criticorum nationem vindicentur, huiusmodi libros, commentarios lectissima ceteroquin eruditione refertos apud acutos quosdam, aut alterius partis studiosos homines in contemptionem cadit ». Atque id quidem optime.

Christus: sed Levi secundum concupiscentiam carnalem, Christus autem secundum solam substantiam corporalem. Cum enim sit in semine et visibilis corpulentia, et invisibilis ratio, utrumque occurrit in Abraham, vel etiam ex ipso Adam usque ad corpus Mariae: quia et ipsum eo modo conceptum et exortum est: Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit, ratio vero conceptionis eius non a semine virili, sed longe aliter ac desuper venit.

Item lib. 10 *de Genes. ad litt.* cap. 18, n. 32, ubi nominatim de Virgine scribit: *Et quid incoinquinatius illo utero Virginis, cuius caro etiamsi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit.... Proinde corpus Christi, quamvis ex carne feminae assumptum est, quae de illa carnis peccati propagine concepta fuerat; tamen quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati.*

Ex quibus testibus illud cuilibet, qui studio partium abreptus non sit, patebit a sancto doctore plane doceri solum Christum ab universali peccati contagione excipiendum esse; Beatam autem Virginem, utpote vulgari parentis utriusque propagatam satu, communem maculam contraxisse, eiusque carnem de peccato esse atque carnem peccati, quam Christus suscipiendam mundavit, aut mundavit suscipiendo.

Eusebius emissenus. Augustino adhaeserunt qui eum secuti sunt. Specimen habes apud Eusebium vulgo emissenum nuncupatum, quem alii Eucherium, Hilarium alii arelatensem, alii alium esse suspicantur. Hic igitur in orat. 2 *de nativitate*, inquit: *Initiator omnium rerum in te initiatur, et profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit; ac de te sumpsit, quod etiam pro te solvat. A peccati enim veteris nexu (per se) non est immunis nec ipsa Genitrix Redemptoris; solus ille, licet ex debito renascentur, lege tamen veteris debiti non tenetur:* ubi Petavius animadvertit, illud *per se* haud reperiri in veteribus codicibus; sed adiectum fuisse a pio aliquo immaculati conceptus fautore suspicatur (1).

S. Fulgentius. Nec non s. Fulgentius in lib. *de incarnat.* c. 6 scribit: *Haec est gratia, qua factum est, ut Deus qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non est, homo conciperetur, atque nasceretur in similitudine carnis peccati, de carne peccati. Caro quippe Mariae, quae in iniquitatibus humana fuerat solemnitate concepta, caro fuit utique peccati, quae Filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati.* Qui deinde ideo carnem Virginis dici declarat *carnem peccati*, quod habeat in se peccatum, adiciens: *Si enim caro peccati non mendaciter dicitur, habet in se caro ipsa peccatum. Si vero peccatum non habet, falsum portat carnis peccati vocabulum. Sed eam de qua loquimur, carnem peccati verax discipulus veritatis Paulus appellat. Restat igitur, ut sicut vere caro est, cum caro dicitur, ita vere in se peccatum habeat, cum caro peccati ore apostolico nuncupatur* (2).

Ferrandus diaconus. Neque ab ea recessit doctrina discipulus eius Ferrandus diaconus haec scribens: *In carne Christi natura est nostrae carnis, sed non reperitur culpa naturae. Sic caro Christi carni Mariae et similis, et dissimilis: similis, quia inde traxit originem; dissimilis, quia non inde contraxit vitiatae originis contagionem: similis, quoniam licet voluntarias tamen veras sensit infirmitates; dissimilis, quoniam nullas penitus neque per voluntatem, neque per ignorantiam commisit iniquitates: similis, quia passibilis, et mortalis; dissimilis, quia incoinquinabilis, et vivificatrix etiam mortuorum* (3).

S. Hildelphonsus. S. Hildelphonsus toletanus pietate in Beatam Virginem admodum clarus in libro *de perpetua virginitate B. Mariae* eam in utero sanctificatam et ab omni purgatam originis labe diserte profitetur his verbis: *At vero B. Maria licet ipsa de carne peccati sit nata, et procreata, ipsaque quamvis caro peccati fuerit, non tunc iam ex praeveniente Spiritus sancti gratia ab angelo prae omnibus mulieribus benedicta vocatur. Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Alioqui si non eodem Spiritu sanctificata est, et emundata, quomodo eius caro non caca peccati fuit? et si caca eius de massa praevaricationis venit, quomodo Christus Verbum caca sine peccato fuit qui de carne peccati carnem assumpsit; nisi quia Verbum quod caro factum est, eam primum obumbravit, in quam Spiritus sanctus supervenit, et virtus Altissimi totam eam possedit? Propterea vere caro eius iam non caro peccati fuit, in qua Deus se totum infundit, et Verbum, quod caro factum est, sine peccato ad nos venit* (4).

S. Petrus Damiani. Probaturus vero s. Petrus Damiani in opusc. 6, cap. 19, simoniacos licet corruptissimos haud inquinare sacramenta quae administrant, hoc utitur argumento: *Quandoquidem et ipse Dei mediator et hominum de peccatoribus originem duxit, et de fermentata massa sinceritatis azymum concepit absque ulla vetustatis infectione suscepit. Immo, ut expressius dicam, ex ipsa carne Virginis, quae de peccato concepta est, caro sine peccato prodiit, quae ultea etiam carnis peccata deleverit.* Quibus verbis sanctus doctor comparat Christi carnem desumptam ex maculata Virginis carne cum Sacramentis ab impuris simoniacis administratis, quae ita non inquinantur, ut caro Christi ab infecta Virginis carne non fuit viliata.

Rupertus abbas. Hunc in sensum doctus ille piusque Rupertus abbas libro 1 *Comment. in Cantica* scribere haud dubitavit: *Et tu quidem veraciter dicere poteras: Ecce in iniquitatibus concepta sum: et in peccatis concepit me mater mea. Cum enim esses de massa quae in Adam corrupta est, haereditaria peccati originalis labe non carebas; sed ante faciem huius amoris peccatum nec illud, nec aliud stare potuit: ante faciem huius ignis stipula omnis interiit; ut totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis novem mensibus habitaret; tota omnino munda materia, de qua sancta Dei Sapientia domum aeternam sibimet aedificaret.*

S. Anselmus cantuariensis. Demum s. Anselmus, qui prae ceteris immaculati virginei conceptus assertor vulgo perhibetur, in op. *Cur Deus homo*, lib. 2, cap. 16, sic Bosonem loquentem inducit: *Qualiter de massa peccatrice, idest, humano genere quod totum infectum erat peccato, quasi azymum de fermentato Deus assumpsit. Nam licet ipsa hominis eiusdem conceptio sit munda, et absque carnalis delectationis peccato; Virgo tamen ipsa, unde assumptus est, est in iniquitatibus concepta, et in peccatis concepit eam mater eius, et cum originali peccato nata est, quoniam et ipsa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt.* Cui respondens Anselmus, fatetur, *Christum absque peccato esse de massa peccatrice licet assumptum.* Idem praeterea s. doctor in libro *de excellentia Beatae Virginis Mariae* c. 3, tradit B. Virginem ab omnibus prorsus peccati reliquiis expiatam et immaculatam effectam sum suam praebuit assensum angelo nuntianti incarnationis mysterium. *Cum igitur*, ait ipse, *in his, quae tantopere Deo placent, Sancta Virgo Maria tam excellenter illi placuit, ut nequaquam crederet quis illam aliqua ratione excellentius placere potuisse; nimirum tremens fide, ab omni, si quid adhuc in illa originalis, sive actualis peccati supererat, ita mundatum cor illius, ut vere super eam Spiritus Dei, scilicet super humilem, et quietum et trementem verba sua, totus requiesceret.*

Hugo victorinus. Sic etiam, qui eodem quo s. Bernardus saeculo floruit, Hugo Victorinus, et ex eo magister sentent. *Sane*, inquit, *dici potest, et credi oportet, iuxta sanctorum attestationis convenientiam, ipsam prius peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro: sed Spiritus sancti operatione ita mundatam, ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Verbo: poena tantum non necessitate, sed voluntate assumentis remanente. Mariam quoque totam Spiritus sanctus in eam praeveniens a peccato prorsus purgavit, et a fomite peccati etiam liberavit, vel fomitem ipsum penitus evacuando (ut quibusdam placet), vel vie debilitando, et extenuando, ut ei postmodum peccati occasio nullatenus existeret* (5).

S. Bernardus. Nil porro mirum si s. Bernardus, qui agmen praecedentium patrum et doctorum claudit, traditionis vestigiis insistens scripserit in sermone 2 *de assumpt.* (6), eamdem Virginem ob originali

(1) Loc. cit. n. 5.
(2) Cap. 15, n. 29.
(3) Apud. Petav. loc. cit.
(4) Ibid. Advertendum tamen est auctorem libri *De perpetua virginitate B. Mariae et de eius parturitione* non esse s. Hildelphonsum, ut postea dicemus, sed s. Paschasium Radbertum; in bibliotheca tamen maxima patrum lugdunensi tom. XII, p. 565, nomine s. Hildelphonsi exhibetur. Neque permisceri hic liber debet cum alio eo inscripto *De virginitate sanctae et gloriosae Genitricis Dei Mariae ordine synonimorum*, qui revera s. Hildelphonsi est, et prostat in eadem bibliotheca p. 549.
(5) Ibid.
(6) Edit. Maur. col. 1005, n. 8.

noxa purgatam fuisse illis verbis: *Quod si originalem a parentibus maculam traxit; sed minus a Ieremia, sanctificatam in utero, aut non magis a Ioanne Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas christiana: nec enim festis laudibus nascens honoraretur, si non sancta nasceretur. Postremo cum omnimodis constet, ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam etc.* Et alibi idem docet (1).

Consona igitur istorum omnium vox est, Beatam Virginem carnem peccati una cum peccato ipso in suo conceptu sortitam fuisse, a qua tamen labe Redemptoris gratia mundata prorsus citius seriusve fuerit, purificata ac sanctificata. Quae quidem cum sententia de omnimoda ab eodem peccato immunitate nullo pacto posse cohaerescere videntur.

CAPUT VII

QUAE EX ANTIQUAE ECCLESIAE SENSU ADVERSUS IMMACULATUM VIRGINIS CONCEPTUM VIDENTUR FERI POSSE

Magnum pondus sensum Ecclesiae catholicae in controversiis utrimque agitatis habere nemo unquam catholicorum in dubium revocavit. Porro ea in antiquis liturgiis offenduntur, quae communem Ecclesiae persuasionem de maculato V. Mariae conceptu patefaciunt.

Officia contraria immaculatae conceptioni.

Siquidem in quadam lectione officii de nativitate Virginis quod pristinis temporibus passim recitari solebat, haec legebantur: *Beatam Virginem omnimodis constat ab originali contagio fuisse mundatam* (2). Pariter in breviario ecclesiae gerundensis officium reperitur *De festo sanctificationis conceptionis B. Virginis*, in cuius oratione dicebatur: *Sanctificationem conceptionis Mariae in alvo suae matris a te factam commemoramus*, atque in una ex lectionibus: *Hanc domum non solum Dominus aedificavit, cum eam in alvo matris suae Annae octogesima die ab eius facta carnali conceptione, sibi animam infudit, immo etiam plenius eam ibidem sanctificavit* (3). In officio demum quod in Germania obtinuit in festo s. Elisabeth haec verba occurrunt: *Beata Virgo Maria licet plena gratia, tamen cum fomite nata fuit, quem tamen virtus Altissimi in ipso tempore conceptionis Christi extinxit* (4).

Festum sanctificationis in ecclesia s. Mariae maioris.

Sed neque silentio est praetereundum, in Ecclesia romana, teste Alvaro Pelagio sylvensi in Lusitania episcopo, morem iamdiu obtinuisse, ut festum celebraretur *sanctificationis* apud sanctam Mariam maiorem. Sic enim ipse conceptionis festum improbans scribit: *Romana ecclesia festum conceptionis non agit, etsi toleret, quod alicubi fiat maxime in Anglia, non tamen approbat... Hoc ratione illud festum debet referri ad sanctificationem Virginis, non ad conceptionem: et ita dicit oratio, quae dicitur in hoc festo Romae in s. Maria maiori:* DEUS QUI SANCTIFICATIONEM VIRGINIS etc. *Sicut vidi et audivi, cum ibi de ista sanctificatione praedicarem in isto festo sanctificationis quod fit in decembri ante festum natalis quindecim dies* (5). Quod monumentum praecipue urget Launoius, ut illud Sixti IV constitutionibus opponat (6). Siquidem Pelagius hic hispanus floruit anno 1325, obiit vero circa annum 1340.

Concilia.

Ad haec ipsa referri possunt Conciliorum et romanorum pontificum testimonia. Verum ex Conciliis nullum penitus est, quod expresse de hoc peculiari agat argumento; neque in illis reperiuntur nisi generales sententiae, quibus in omnes praeter quam in Christum primigeniae maculae propagatio adseveratur adversus Pelagianos (7). Ex romanis vero pontificibus, qui ante exortam hanc floruerint controversiam, unius reperi Leonis magni testimonium quod huc referri queat.

Romani pontifices.

Etenim in sermone 2 *de nativitate Domini* haec habet s. Leo: *Superbia hostis antiqui non immerito sibi in omnes homines ius tyrannicum vindicabat..... Non itaque iuste amitteret originalem debiti generis* (vel ut alii legunt *humani generis*) *servitutem, nisi de eo, quod subegerat, vinceretur. Quod ut fieret, sine virili semine conceptus est Christus ex Virgine. Et cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, haec inde purgationem traxit, unde concepit. Quo enim paterni seminis transfusio non pervenit, peccati se illic origo non miscuit. Inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, substantiam ministravit. Assumpta est de Matre Domini natura, non culpa* (8). Quibus verbis originalis noxae immunitas in solo Christo praedicatur, atque immunitas Matris a peccato conceptioni Christi adiudicatur.

Atque haec satis sint monumenta ex antiquitate arcessita, quibus oppugnatores immaculati Virginis conceptus inniti solebant (9). Quae enim tum a posterioribus pontificibus, tum a scholasticis peti consueverant, cum epocham praetergrediantur, in qua exorta est controversia, ea missa facimus, quippe quae minus tuta, quem nobis praestituimus, opportuna.

Interim nihil eorum dissimulavimus, ut patet, quae piae sententiae quoquomodo contraria esse apparent, quaeque impedimento esse videntur, quominus decerni possit, ut ea tamquam credenda ex fide proponatur. Eadem animi ingenuitate ea exponemus, quae ab iis afferre adsolent, qui piae communique sententiae patrocinantur, ut lector ob oculos habeat veluti in tabula synoptica utriusque placiti fundamenta.

CAPUT VIII

ARGUMENTA THEOLOGICA AD IMPUGNANDAM IMMACULATAM B. VIRGINIS CONCEPTIONEM AFFERRI SOLITA

Argumenta theologica.

Tametsi ad scopum, quem nobis initio proposuimus, inquirendi scilicet in fundamenta, quibus superstrui possit dogmatica de immaculata Beatae Virginis conceptu definitio, minus conferunt argumenta, quae mere theologica vocantur, nihilominus cum utraque pars litigantium ea afferre consueverit, minime illa duximus praetereunda. Atque ut finem eorum faciamus, quae exponenda ex adversa parte suscepimus, reliquum est, ut nonnulla etiam ex his, quae praecipua saltem adduci solent, carptim prosequamur.

Primum desumptum ab universali vitii originalis propagatione.

Ac primo quidem contra piam sententiam doctrina urgetur dogmatica de originalis labis derivatione in omnes ac singulos ex Adamo carnalis generationis opera progenitos, quam prorsus eludi affirmant, si quis vel unam Virginem excipiat, quae communi ratione, commixtione videlicet sexuum concepta est. Neque vero illud obesse quis putet, quod futura Dei Mater fuerit designata; siquidem hac ipsa de causa proximi etiam eiusdem progenitores a culpa servandi fuissent immunes, et ii qui prope eos antecedunt, atque ita porro, uti s. Bernardus argumentabatur; quo quidem pacto dogma de peccati in omnes propagatione eluderetur.

(1) Ep. 174.
(2) Apud. Turrecrematam op. cit. part. 6, c. 14, fol. 106, p. 2.
(3) Ibid.
(4) Ibid.
(5) In lib. 1 *De planctu Ecclesiae*, c. 58 apud eumdem Turrecrematam op. cit. part. 6, c. 35. Acerrimus hic fuit B. Virginis conceptionis immaculatae impugnator: atque Waddingo teste in lib. *De scriptoribus Ord. min.* (erat quippe minorita) in verbo, *Alvarus Pelagius*, edit. Rom. 1650, p. 15, tol. 2, coram Ioanne XXII sermonem habuit, quo dilationem visionis beatificae post futuram corporum resurrectionem propugnavit.
(6) Praescript. 9.
(7) Opponi enim solet epistola synodica s. Dionysii alexandrini ad Paulum samosatenum ann. 260. Sed in hac epistola nil aliud dicitur, quam quod *solus Christus, sicut et Pater Christi et Spiritus sanctus fuerit peccati expers*, subaudi *natura sua*; nihilque commune hic textus habet cum causa nostra. In Concil. milevitano II an. 416 celebrato statuitur, parvulos esse omnes baptizandos, sed neque id causam hanc impetit. In epistola synodica s. Cyrilli alexandrini ex Synodo alexandrina ad Nestorium an. 431 dicitur: *Peccatis aegrotasse naturam humanam, omnesque praeter Christum peccasse et egere gloria Dei*; id vero probaret unum, quippe evinceret etiam B. Virginem actuali se peccato commaculasse. In Conc. provinciali forojuliensi an. 796 decernitur, solum Christum natum hominem esse sine peccato; sed heic sermo est *de nativitate*, propterea plus aequo probaret. Demum in Conc. florentino, seu in instructione Eugenii IV, pro Iacobitis anno 1441 in qua dicitur: *Firmiter credit* (sancta romana Ecclesia), *profitetur et docet, neminem unquam ex viro, feminaque conceptum a diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per meritum Mediatoris Dei et hominum, Iesu Christi Domini nostri, qui sine peccato conceptus, natus et mortuus, humani generis hostem, peccata nostra delendo sua morte prostravit: et regni coelestis introitum, quem primus homo, peccato proprio, cum omni successione perdiderat, reseravit.* Atqui per sola Christi merita homines liberatos a peccato originis fatentur omnes; ac si ab eodem peccato Beata est Virgo praeservata, ita ut illud reapse non contraxerit, id solis Christi meritis nemo est qui non acceptum referat.
(8) Cap. 3, edit. Ballerin. col. 79.
(9) Cetera, si quae supersunt, commodius afferemus, cum videlicet adversus Launoium res nobis erit.

Cum igitur nullum huiusmodi exceptionis vestigium in Scripturis occurrat, nos eam temere affirmare non possumus.

Secundum ex poenalitatibus.

Insuper cum B. Virgo *poenalitatibus*, quas vocant, ex originali labe profluentibus obnoxia fuerit, iure infertur eam peccato etiam obnoxiam in sua conceptione fuisse.

Tertium ex redemptione.

His accedit quod et ipsa a Christo Domino fuerit redempta. Porro id verae redemptionis ratio postulat, ut quis ob actuali captivitate soluto pretio in libertatem vindicetur: secus enim improprie neque presse ille diceretur redemptus, qui nunquam captivitati mancipatus fuisset.

Quartum ex ratione conceptionis.

Sed neque illud praetereundum, quod uno ore veteres docuere, ideo nempe unum Christum Iesum ex omnibus hominibus culpam non contraxisse, quod absque sexuum permixtione, adeoque sine libidinis aestu fuerit procreatus. Hinc ratum penes omnes principium stetit necessario peccatum in eos diffundi, qui per eiusmodi inordinatam concupiscentiam fuerint geniti: cum vero B. Virgo hac ratione fuerit concepta, consequens proinde est ex unanimi veterum consensu et ipsam primigenia ab ortu suo labe commaculatam fuisse. Eapropter non semel, verum saepius a patribus caro Mariae *caro peccati* est appellata; quod absurde quidem de ea carne diceretur, quam Deus peccati puram, omnisque labis expertem voluisset. Quae doctrina cum constans ac firma penes veteres sit, iure meritoque concludunt piae sententiae impugnatores, Augustinum, si adversariorum placitum quoad Virginis immunitatem ab originali noxa spectasset, dicturum illis fuisse: *Mira sunt quae dicitis; nova sunt quae dicitis; falsa sunt quae dicitis. Mira stupemus, nova caveamus, falsa convincimus* (1).

CAPUT IX

BIBLICA TESTIMONIA QUAE AB IMMACULATI CONCEPTUS PATRONIS ADDUCI SOLENT

Quae favent conceptioni immaculatae.

Hactenus quae oppugnatoribus immaculatae conceptionis Beatae Virginis urgere contra piam sententiam mos fuit, fideliter exposuimus; iam quae eidem favere videntur, prout ab illius fautoribus afferri solent, pari fide in medium producamus oportet, ut deinceps omnibus aequa lance expensis, quid in hac controversia sit vero censendum similius, facile aperiamus.

E sacris litteris.

Atque ut a sacris ordiamur Bibliis, plura sunt, quae in virginei privilegii commendationem ab ipsis congeruntur. Praecipuum tamen ac vere unicum, quod in rem nostram profertur testimonium, illud dixeris, quod legimus Genes. 3, 14, 15: *Et ait Dominus Deus ad serpentem...: Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Quod oraculum vulgo πρωτευαγγέλιον merito nuncupatur; siquidem pollicitationem exhibet futuri Redemptoris, cuius virtute peccatum a daemone sub serpentis larva latente in mundum inductum e medio erat tollendum, hincque solvenda tandem captivitas, qua ob idem peccatum genus universum constringebatur humanum. Cum igitur heic minitantibus verbis denuntietur serpenti futurum aliquando, ut mulier caput eius sit contritura, hoc ipso eiusdem mulieris victoria in daemonem praenuntiatur, seu in peccatum, quod eius suasu patratum fuerat, atque in mundum propagari debuerat. Porro haud perfecta censeri mulieris victoria posset, si et ipsa aliquando peccato fuisset obnoxia, eo videlicet temporis puncto, quo primum fuit concepta.

Neque obstat diversa lectio textus originalis.

Neque vero latet immaculatae conceptionis assertores in hebraica veritate pronomen *ipsa* accipitio esse significationis, et seque ad *semen* referri posse, quod in hebraico idiomate inter masculina audit. Etenim הוא concordare videtur cum זרע *semen*, prout confirmatur ex verbo ישופך *conteret tibi*, quod generis pariter est masculini, adeoque tota sententia ad mulieris filium, seu ad Christum Virginis Filium contrahenda est, qui reipsa in mundum venit, ut opera diaboli dissolveret. Verum recte animadvertunt 1. lectionem Vulgatae esse antiquissimam, firmisque tum auctoritatibus, tum patrum testimoniis ac rationibus intimis inniti (2); 2. si absque punctis legatur hebraicum pronomen הוא illud utrique favere lectioni; 3. haud insolens esse ut κατὰ σύλληψιν verbum masculini generis cum feminino coniungatur (3); 4. demum perinde esse sive legatur *ipsa* sive *ipse* sive *ipsum*. Nam cum mulier non virtute propria, sed filii meritis contritura sit serpentis seu daemonis caput, si legatur *ipsa*, subaudiendum erit per *ipsum*, nempe semen aut filium; sin autem *ipse* vel *ipsum*, sententia ea erit, ut filius aut semen mulieris una cum muliere caput serpentis seu daemonis sit contriturus. Ceterum analogia favere magis mulieri, quam semini videtur, aut si lubet, utrique simul, ita ut mulier cum semine, scilicet filio suo sit de daemone ac peccato latura triumphum (4).

(1) Haec fere sunt, quae in Concil. basileensi ad impugnandam piam sententiam in medium protulit p. Ioannes a Montenigro Ord. praed., quaeque recenset p. Thomas Strozzi S. I. in op. cit. par. II, c. 4. Cum vel invitus debuerim inter piae sententiae adversarios recensere nonnullos ex praeclarissimo praedicatorum Ordine, quem ego semper et magni feci, et sincero observantiae sensu, immo et grati animi studio prosecutus sum, nolo heic omittere decreta, quibus identidem eiusdem sacri Ordinis primores quorumdam e suis coercuerunt ingenia, ne debitos fines in proprio tuendo placito praetergrederentur. Omisso decreto edito in capitulo provinciali dato in Baetica, praesidente Alberto Las Casas Vicario generali, quod decretum habetur in chronica an. 1524 impressa; necnon altero edito anno 1602 sub gravissimo p. Generali Hier. Xaverio, postea S. R. E. card. an. 1653 novum datum decretum est in capitulo beneventano, quod ita se habet: « Tandem praecipimus in virtute Spiritus sancti, et sanctae obedientiae, et sub praecepto formali omnibus et singulis nostrae provinciae patribus, ac fratribus, ne verbo, aut scripto circa materiam conceptionis Beatissimae Virginis Mariae apud personas extra Ordinem constitutas aliquid proferant, quod vel levissime earum pietatem, ac devotionem erga Sanctissimam Virginem impedire possit, aut turbare; sed ad magnum decreta summorum pontificum de silentio servando, etiam a non prohibitis circa nostrae sententiae probabilitatem penitus abstineant, ne ea inordinata, aut minus prudenti locutione sumatur occasio turbationis, et scandali; sed potius ex religioso silentio, ex verborum et actionum modestia reverentia religionis, fidelium aedificatio et devotio consequatur. Quod si quis huius praecepti violator exstiterit, poenae gravioris culpae, etiam quoad poenas privatas et infamiae subiaceat; et simul poena plectatur quicumque huius legis fractionem cognoverit, et statim non renuntiaverit r. p. nostro Provinciali ». « Ut vero religio adiuvet et sustentet ex sua parte devotionem, et pietatem fidelium in tanto mysterio, praecipitur omnibus praelatis, ut in nostris conventibus, ubi communitates, congregationes, confraternitates festum facere voluerint, illis sint auxilio, et assistant cum omni promptitudine (admonendo prius de hoc Provincialem), et serviant cum apparamentis, supellectili sacra, et cum diligentia in omnibus, quae ad praedicta festa fuerint necessaria ». « Et cathedra sit libera pro concionatoribus Religionum, quos cupiant, ut concionentur illi qui ea elegant dicta iuramenta: et in hac conformitate unum sit, quod intra paucos dies instituetur iuramentum a civitate placentina in nostro conventu sancti Vincentii, et concionabitur quidam eorum illius sanctae ecclesiae ». « Ut assistant invitati nostri religiosi, et communitates concionibus et festis huius mysterii et processionibus, et aliis actionibus publicis, et in omnibus occasionibus laudetur, glorificetur, et sustentetur praedicta devotio ». « Et praeter alias instantias, quas haec provincia saepius fecit Romae, et facit cum nostro Generali, ut sollicitet *definitionem huius puncti* scribantur litterae ea nunc summo pontifici in nomine huius capituli et provinciae Hispaniae (quae in litteris et auctoritate primum obtinet locum in tota Religione) rogando cum omni submissione, et efficacia, ut dignetur *definire hoc punctum*, quidnam agendum nobis sit, ut omni ex parte cessent turbationes, quae oriuntur ex diversis opinionibus ». Apud Ioann. Ludov. Schönleben, op. cit. *Orbis universi votorum pro definitione piae et verae sententiae de immaculata conceptione*, Clagenfurti 1659, p. 0 seq.

(2) Sane lectionem Vulgatae, in qua legitur *ipsa*, tenuere sanctus Ambrosius, lib. *De fuga saeculi*, cap. 7, num. 43; s. Augustinus, lib. 2 *De Genes. cont. Manich.* c. 18, licet non expresse; aperte autem lib. 11 *De Genes. ad litt.* c. 36, et alibi passim; s. Gregorius M. lib. I *Moral.* cap. 36, n. 53, praeter Claudium Marium Victor., Alcimum Avitum, Eucherium, Rupertum, Bedam, Rabanum, s. Bernardum, Strabonem, Liranum etc. apud Bellarminum, *De Verbo Dei*, lib. 2, c. 12. Attamen s. Hieronymus legit *ipse*, et hanc lectionem adseruit in *Quaest. hebraicis* super Genesim. Verum de hoc argumento cf. Bonfrerium *Comment. in Genes.* ad hunc locum, et Cornelium a Lapide de eo abunde disserentes. Qui quidem auctores ipsi ut confirment versionem alexandrinam quondam habuisse αὐτὴ *ipsa*, urgent auctoritatem s. Ioannis Chrysost. *Hom.* 17 *in Genes.* Verum tum in editione Montfauconii, tum in editione Frontonis Ducaei reperitur αὐτὸς *ipse*. Plures etiam antiquiores patres latini legerunt *ipse*, prout nonnulli etiam codices antiqui Vulgatae retinent *ipse*. Observat autem Montfauconius in notis ad Hexapla Origenis ad c. Genes. 3, v. 15, lectionem αὐτὴ, *ipsa*, reperiri in mss. quibusdam, et hanc videri lectionem fuisse veteris cuiusdam interpretis, cuius nomen tacetur, quemque sequitur Vulgatus. At haec mera coniectura est eruditi editoris Maurini. Ceterum in editione versionis LXX Sixti V iussu accuratissime adornata an. 1587 legitur αὐτὸς *ipse*.

(3) Lege ss. cit. auct. qui non pauca exempla adducunt ex hebraeo textu ad hoc illustrandum.

(4) Ut enim scribit Cornelius a Lapide in hunc locum: « Cum Deus hic opponat, quasi antagonistas, mulierem cum suo semine, consequenter vult dicere, mulierem cum suo semine contrituram caput serpentis: sicut e contrario serpens tam mulieris quam seminis eius calcaneo insidiatur ». De Christo, ac propterea de eius Matre hoc oraculum ex veteribus exposuerunt, obscure quidem Tertullianus lib. 2 advers. *Marcion.* c. 10, edit. Rigalt. 1664, p. 387; clarius vero s. Irenaeus, *Contra haeres.* lib. 3, c. 23, n. 5, 6, 7, nec non lib. 4, c. 40, n. 3, ac lib. 5, cap. 28, edit. Massueti; et Cyprianus lib. 2 *Testimon.* p. 2-9, apertissime demum s. Epiphanius *Adv. haeres.* lib. 3, *haeresi* 78, edit. Petav. tom. 2, p. 1050, seq. Cuius verba,

Testimonia minus idonea.

Quae insuper biblica loca e veteri praesertim testamento afferri pro pia sententia sunt solita, mystico tantum in sensu rem praesentem attingunt, eaque vim totam suam unice habent vel ex doctorum expositione, vel ex usu Ecclesiae; quae scilicet haud paucos Bibliorum textus accommodare Beatae Virgini assolet, qui in sensu litterali ac proprio de divina Sapientia seu Verbo sunt dicti. Multo vero minus urgeri possunt, quae ex typis ac figuris argumenta sumuntur. Licet enim viro catholico ea minime sint despicatui habenda, scopo tamen, quem nobis proposuimus, inquirendi nimirum in dogmaticae definitionis fundamenta, minus accommoda videntur. Quapropter haec omnia missa facimus (1).

Si qua vero sunt quae ex novo foedere proferri solent, ex angelica praesertim salutatione deprompta Luc. 1, 28 seqq., quia haec pariter e patrum explanatione vim hauriunt suam, atque per se nihil supra coniecturas suppeditant, quae plus minusve ad immaculatum Virginis conceptum adserendum sunt probabiles, nos idcirco ab iis etiam afferendis supersedemus. Commodior siquidem postea illis ulterius urgendis dabitur locus.

CAPUT X

PATRES QUI AD AUGUSTINUM USQUE PRO PIA SENTENTIA DECERTARE VIDENTUR

Apud patres veteres non est quaerenda expressa formola.

Frustra apud sanctos veteres testimonia requires, in quibus ipsi conceptis verbis asserant, Beatam Virginem aut originalem labem non contraxisse, aut eius conceptum immaculatum fuisse. Nondum enim per eam aetatem hac ratione status controversiae, si qua fuerit, proponebatur; neque ita diserte eiusmodi formulae tunc temporis receptae erant, prout in pluribus aliis articulis usuvenit, qui postea ad certam praefinitamque formulam exacti sunt atque normati. Nec sane id postulant, aut reperiri contendunt piae sententiae adstipulatores. Quamobrem satis erit si res ipsa ab antiquis tradatur, atque huius sententiae semina, aut germina, ut ita loquar, in illorum operibus inveniantur, quae deinceps magis semper ac magis fuerint explicata. Porro haec sunt, quae assertores immaculatae conceptionis magna sedulitate undique conquisita in medium protulerunt.

Dum vero nos haec ex illis describemus testimonia, eamdem legem sancte servabimus, quam in afferendis pro adversa parte testimoniis custodivimus. Ceteris igitur praetermissis, quae non ita presse rem attingunt, ea persequemur quae huc maxime spectant. Ex quo cum alia commoda tum id potissimum consequetur, ut brevitati consulamus (2).

Auctor epistolae de passione s. Andreae.

Ac primo insignis est locus qui ex epistola presbyterorum Achaiae profertur, quique ex versione Caroli Christophori Woog protestantis hominis ita se habet: *Et propterea, quod ex immaculata terra creatus fuerat primus homo; necesse erat, ut ex* IMMACULATA *Virgine nasceretur perfectus homo, quo Filius Dei, qui antea condiderat hominem, vitam aeternam, quam perdiderant homines per Adamum, repararet* (3). Quibus verbis antithesis instituitur Adam inter et Christum, ita ut ad eum modum, quo Ada ex immaculata terra compactus est, ita et Christus ex immaculata Virgine conceptus sit atque ortus. Porro eatenus terra ex qua plasmatum Adae corpus est, immaculata dicitur, quatenus, uti plures exponunt (4), nondum fuerat ob Adae culpam obnoxia maledictioni, neque ulla filiorum eius iniquitatibus foedata: quapropter ut perfecta consistat antithesis, ideo immaculata dicitur B. Virgo, quia nullum sive originarium sive propria actione admissum peccatum illam unquam contaminavit.

Utrum genuina sit censenda illa epistola.

Haec epistola presbyterorum ac diaconorum Achaiae a nonnullis criticis uti adscriptitia seu supposititia habetur (5): alii vero eiusdem γνησιότητα pro viribus tuentur, quos inter auctor protestans Woog, qui primus graecum illius textum vulgavit, et Gallandius novissime in sua bibliotheca (6). Verum quidquid censendum de hoc sit, nemo inficias iverit spectari eiusmodi epistolam posse ac debere uti monumentum vetustissimum, quod ad priora pertineat Ecclesiae saecula (7), quodque proinde maxima ad faciendam fidem auctoritate polleat.

S. Dionysius alexandrinus.

Nec minus praeclare a communi contagione originalis vitii B. Virginem liberat magnus ille alexandrinus antistes Dionysius, cum eam *unam et solam filiam vitae* nuncupat dicens: *Multae reperientur matres: una autem et sola Virgo filia vitae genuit Verbum vivens et per se subsistens increatum et creatorem* (8). Ubi animadvertenda etiam sedulo est antithesis inter *Virginem filiam vitae et Verbum vivens* ab illa in carne genitum, quam Dionysius instituit; tum pariter cum eam vocat *tabernaculum macelum non manufactum*, eamque *servatam incorruptam, et a pedibus usque ad caput benedictam*. Sic enim ait: *Non in servo inhabitavit* (Christus), *sed in sancto suo tabernaculo non manufacto*,

quae propius ad Beatam Virginem referuntur, placet heic describere; sunt autem haec: *Quoniam vero cum adhuc virgo in hortis Eva degeret, per contumaciam apud Deum offenderat, ideo gratiae propria ab Virgine manavit obedientia, postquam circumfusa corpore Verbi, sempiternaeque vitae de caelo est nuntiatus adventus. Nam illic ita serpentem Deus alloquitur:* INIMICITIAS PONAM INTER TE ET INTER ILLAM, INTER SEMEN TUUM ET SEMEN ILLIUS. *Atqui nusquam eiusmodi semen mulieris inveniri potest. Unde non aliter quam per admonitionem ac similitudinem ad Beam hostiles illae inimicitiae referuntur, quas cum huius stirpe serpens ille, et qui in serpente inerat invidia flagrans diabolus exercet. Plene quidem, ac perfecte accommodari ad illam universa nequeunt; sed in sanctissima, eximia, ac singulari stirpe, quae ab sola Virgine Maria, sine ullius viri consuetudine, propagata est, reipsa, ac penitus impletur. Hic enim illius filius ad extinguendam serpentis, ac tortuosi colubri, fugacisque vim, ac potentiam, qui se totum orbem terrarum dominatu suo comprehendisse iactabat, ad hunc infimum descendit.* Quod si patres alii oraculum istud de B. Virgine interpretati non sunt, uti mirum, quum neque de Christo illud exposuerint, adeo ut si allegatos patres excipias, nemo sit qui Genesecon locum 3, 15, de Christo exponat; etenim vel de eo tacent, vel aliter intelligunt: ut patebit illos perlustrantibus. Sane ex veteribus hunc textum, nec semper quidem integrum, praeter commemoratos soli referunt Lucifer calaritanus *Biblioth. max. patrum*, edit. Lugdun. 1677, tom. IV, p. 182; s. Ambrosius lib. *De fuga saec.* c. 7, opp. edit. Maur. tom. I, col. 421; s. Hieronymus *Quaest. hebraic.* opp. edit. Maur. tom. II, p. 510, necnon Comm. *in Isaiae* c. 58, tom. III, p. 434, et *in Ezech.* cap. 47, ib. p. 1055; anonymus auctor *Operis imperfecti in Matth.* hom. 45 inter opp. s. Io. Chrysost. edit. Maur. tom. VI, p. 182; s. Aug. lib. II de Gen. contra manich. opp. edit. Maur. tom. I, col. 665, item *De locutione*, lib. I, tom. III, col. 326; s. Gregorius M. lib. I in *Iob* cap. 36, opp. edit. Maur. tom. I, p. 30. Porro hi nusquam locum hunc de Christo interpretantur. Attamen nullum ex catholicis reperies, qui sententiam in serpentem, seu potius in daemonem a Deo latam non accipiat de futuro promisso Messia seu Christo daemonis debellatore, adeoque et de eiusdem Messiae Sanctissima Parente oraculum non interpretetur pro ea parte, quae eam respicit.

(1) Cf. haec singillatim testimonia, necnon eiusmodi typos et figuras apud Strozzi op. cit., qui toto libro primo historiae suae illa expendit, necnon apud Plazzam operis cit. act. 1, art. 2, una cum antiquiorum expositionibus.

(2) Doctus Petavius, *De incarnat.* lib. XIV, cap. 2, § 9, scriptores illos castigat, qui in citandis auctoribus pro pia sententia nec fidem adhibent nec delectum, ut ipse loquitur, qui omnium maxime necessarius est; quos vero ex antiquitate idoneos auctores attexunt, eorum dicta falsis interpretationibus, ab eorumque mente alienis detorquent. Non est necesse de singulis hoc loco dicere. Satis erit universe de unico capite illorum errores lectores admonere, quod lucubrationum istiusmodi magnam partem occupavit. Etenim si quid apud veteres, graecos praesertim, inveniunt, quod Beatam Virginem ἄχραντον, ἄφθαρτον, ἀμίαντον, id est *illibatam, incorruptam, impollutam* et id genus alia sonare videtur, in hoc avide tamquam secundo Mercurio sibi oblatum involant, et ad rem suam accommodant; sed non est consequens. Siquidem illi etiam, quibus placuit originalis contactam labe fuisse Virginem, partim in utero ipso antequam nasceretur, partim sub ipsum Dei-Genitricis conceptum, tanto gratiae sanctitatisque copia superinfusam esse putant, ut omnis originalis morbi reliquiae, cum ipso, qui dicitur, fomite concupiscentiae, sanatae, vel in perpetuum compressae fuerint. Quam ob causam immaculata et impolluta dici mereretur, licet originali labe fuisset adspersa; nam et immaculati et innocentes appellantur in Scriptura, qui praecepta iustitia et sanctitate praediti sunt, cum ab originis vitio non fuerint excepti. Quod postremum nonnullis exemplis ostendit e Scriptura desumptis. Nos hoc monitum libenter admittimus; quamvis non ita generatim accipiendum, sed intra quosdam fines illud coercendum putemus.

(3) In *Bibliotheca patrum* Andreae Gallandii, tom. I, p. 57, c. 5.

(4) Ita inter ceteros s. Ambrosius *Enarr. super cap. 2 Genes. de Paradiso ad Sabinum*, opp. edit. Paris. 1614, tom. 1, col. 423, apud Plazzam op. cit. act. 2, ar. 3, n. 180. Andreas cretensis *orat. I in nativit. s. Mariae* in *Biblioth. patr.* Lugd. 1677, tom. X, p. 620, col. 1.

(5) Consule Gallandium tom. 1 *Prolegom.* cap. IV, § 5, ubi refert etiam argumenta virorum eruditorum quibus haec epistola suspecta est. Id ipsum deinde praestitit cl. Morcellius in suo Μηνολογίῳ τῶν εὐαγγελίων ἑορταστικῶν sive in *Kalendario Ecclesiae Constantinop.* Romae 1788, vol. I ad diem 30 novembr. ubi p. 250, not. 23 et illud sollerter admonet: « Ἀμώμου παρθένου non plus hic esse putabat Vuougius, quam ἀδιαλάκτου παρθένου sive virum non expertam. At ipsa vox παρθένου tantumdem valet. Ipsa autem terrae virginis comparatio Sanctam Virginem Mariam nobis eximet ab ipsa origine maculatam; quippe terra illa ex qua primus homo effectus, talis etiam tum erat, qualem paulo ante Deus esse iusserat; neque Adamo dictum fuerat: *Maledicta terra in opere tuo* (Genes. c. 3, v. 17) ».

(6) Ibid. § 1 et 6.

(7) Siquidem ab antiquis temporibus, Ecclesiae catholicae sententia, in divinis officiis publice usurpabantur eiusmodi acta. Gallandius loc. cit. § 9, existimat an. Christi LXX scripta ea fuisse.

(8) Epist. s. Dionysii adversus Paulum samosatenum episc. Antiochiae, opp. edit. De Magistris, Romae 1796, p. 212, seq.

quod est Deipara Maria. Illic enim in ipsa Rex noster, Rex gloriae factus est Pontifex et manet in perpetuum (1); et iterum loquens de Apostolis una in coenacula sedentibus die Pentecostes: *Erat enim*, inquit, *cum eis etiam domus illa Dei magna, manifestus mons Dei Deipara Maria* (2); denique Paulum samosatenum perstringens concludit: *Et qui nunc novissimis diebus propter nos venit, non in figura ignis, sed conceptus in ventre Virginis Mariae superveniente Spiritu sancto in eam: et Matrem incorruptam, a pedibus usque ad caput benedictam servavit, sicut ipse solus novit modum conceptus et ortus sui. Haec est quam Isaac praevidens, dicebat Iacob:* DET TIBI DOMINUS BENEDICTIONEM COELI DESUPER, ET BENEDICTIONEM TERRAE HABENTIS OMNIA. *Qui enim e coelo descendit Unigenitus Deus Verbum, genitum est in utero, et genitam ex paradiso virginali habente omnia* (3). Sed neque veretur Dionysius dicere Mariam *tabernaculum Spiritu s. firmatum*, ab eoque *protectum semper*, scribens: *Neque alius in tabernaculum eius verum introivit, nec exivit, nisi solus Dominus:* ET SIGNATA EST PORTA *tabernaculi integra et incorrupta et inviolata: manu enim Dei clausa est, et digito eius signata est. Neque summus noster Sacerdos manu hominis est ordinatus, neque tabernaculum eius ab hominibus fabricatum, sed Spiritu sancto firmatum est, et virtute Altissimi protegitur illud semper laudatissimum Dei tabernaculum Maria Deipara et Virgo* (4). Quae quidem in Dionysio eo plus habent ponderis, quod ipse in humano genere cunctisque hominibus quantumvis iustis, uti scite observat eruditus editor illius operum De Magistris, peccatum originis agnoverit (5). Quod si nihilominus Beatam Virginem *tabernaculum* vocat *ab hominibus non fabricatum, sed Spiritu sancto firmatum, protectumque semper tabernaculum Dei*, procul dubio illam ab omni semper labe immunem prorsus praedicat.

Comparatio apud veteres recepta Evam inter et Mariam.

Celebris inter veteres extitit comparatio, quam ipsi crebro instituere praeoptabant Evam inter ac Mariam. Quemadmodum enim, aiebant, Eva serpenti credens origo fuit peccati, mortis, totiusque perditionis, ita et B. Virgo fidem angelo adiungens, Verbum in utero suo indutum carne concepit, effectaque est nostrae salutis origo, ac proinde abolitionis peccati principium.

S. Iustinus martyr.

Hanc expoliunt urgentque comparationem s. Iustinus M. (6), s. Irenaeus (7), Tertullianus (8), Iulius Firmicus (9), s. Cyrillus hierosolymitanus (10), s. Epiphanius (11). Quoniam vero princeps inter omnes eam usurpandi atque explicatius proponendi fuit Iustinus, satis heic erit eius verba describere quocum ceteri consentiunt. Loquens igitur sanctus martyr de Verbo a Patre genito dicit, ipsum *ex Virgine hominem esse factum, ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet. Eva enim cum virgo esset et incorrupta, sermone serpentis concepto inobedientiam et mortem peperit. Maria autem Virgo, cum fidem et gaudium percepisset nuntianti Gabrieli laetum nuntium, nempe Spiritum Domini in eam superventurum, et virtutem Altissimi ei obumbraturam..... respondit: Fiat mihi secundum verbum tuum.* Comparationis vis ad rem nostram quod attinet in eo sita est, quod sicut Eva incorrupta adhuc et inviolata, divinaque ornata gratia causa fuit et origo humani generis exitii; ita et B. Virgo intemerata, atque a peccato quovis prorsus immunis causa facta est et origo salutis nostrae, fide atque obedientia sua concipiens in utero Christum redemptionis ac salutis auctorem. Talis autem non extitisset, si et ipsa aliquando peccato fuisset deturpata.

S. Hippolytus martyr.

Huc pariter referuntur quae apud Hippolytum portuensem episcopum et martyrem leguntur: *Dominus peccati expers erat... et ex lignis putrefactioni non obnoxiis secundum hominem, hoc est ex Virgine et Spiritu sancto* (12). Licet enim haec proprie referantur ad natalem Christi conceptum sine virili congressu peractum, cum tamen Virgo in qua conceptus est Christus Spiritus sancti virtute, *lignum incorruptibile* vocetur non secus ac ipse Spiritus sanctus, ideo haud incongrue a s. Hippolyto immunem eam ab originali vitio existimatam fuisse infertur.

Origenes.

Verum planius atque apertius Origenes, seu potius antiquus auctor homiliarum quae eius nomine circumferuntur, B. Virginem immaculatam praedicat his verbis: *Huius itaque Unigeniti Dei dicitur haec mater Virgo Maria, digna Dei immaculata sancti immaculati, una unius.* Ubi eam confert cum *immaculato Dei Filio*, et per comparationem ad illum vocat *immaculatam*. Sequitur deinde alloquens b. Ioseph: *Accipe ergo eam sicut commendatum coelestem thesaurum, deitatis divitias sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam*; postea concludit: *Audite quod virgo in utero accipiet: non ex desiderio partum concipiens, quae neque persuasione serpentis decepta est, neque eius afflatibus venenosis infecta* (13). Haec postrema verba vix non dixeris formulam atque expressam de immunitate Beatae Virginis ab originali macula enunciationem. Praeclaram denique idem auctor instituit antithesim Patrem inter aeternum Matremque terrenam inquiens: *Non indiget* (Christus) *patre super terram. Incorruptibilem enim habet patrem in excelsis. Non indiget matre in coelis, immaculatam et castam habet matrem in terra, hanc multum B. Virginem Mariam* (14).

S. Ephrem.

At quae de B. Virgine diserto sermone habet s. Ephrem syrus omnem superant opinionem. Etenim eam omnibus praeconiis extollit oratione vere melliflua. Nonnulla subiiciam quae propius ad rem nostram spectant. In oratione ad sanctissimam Dei Genitricem: *Immaculata*, inquit, *et intemerata, incorrupta et prorsus pudica, atque ab omni sorde ac labe peccati alienissima Virgo, Dei Sponsa et Domina nostra.... inviolata, integra, planeque pura ac casta Virgo Dei Genitrix etc. Sanctior seraphim et incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosior* (15). Placet praeterea sibi fervens hic B. Virginis laudator eam identidem vocando *immaculatam, immaculatissimam, purissimam, novum maxime ac divinam largitionem, omnino immaculatam, Dei divinam sedem, Dominam* SEMPER BENEDICTAM, *Evae pretium redemptionis, fontem gratiae, sancti Spiritus fontem signatum, templum divinissimum, sedem Dei, puram, quae draconis nequissimi caput contrivit, quae semper fuit tum corpore tum anima integra et immaculata* (16), *tabernaculum sanctum quod spi-*

(1) Ibid. in responsione ad quaest. VII Pauli samosateni, p. 261.
(2) Ibid. in resp. ad quaest. X, p. 271.
(3) Ibid. p. 277, seq.
(4) Ibid. p. 240.
(5) Vide eius praefat. *De vita et scriptis s. Dionysii alexandr.* p. CXXXIII, n. XL, qui praeterea adversus nonnullos hypercriticos γνησιότητα *insignis epistolae*, ut eam vocat s. Hieronymus, a Dionysio datae contra Paulum samosatenum egregie tuetur p. XV et seqq. § X seqq. Siquidem hanc epistolam ex recentioribus criticis a s. martyre abdicarunt Valesius, Harduinus Montfauconius, Dupinius, Caveus, Le Quien, Ceillier et Ponthius. Dionysio vero illam tribuendam mordicus vindicarunt Tillemontius, Fabricius, Natalis Alex., Bullus et noster De Magistris. Pagius autem medium veluti inivit viam scribens ad an. 264, n. III de hac ipsa epistola: « Etsi Dionysio falso tribuatur, non tamen inde sequitur non fuisse scriptam ab aliquo ex episcopis, qui synodis adversus Paulum celebratis interfuerunt. Innumeris autem exemplis constat, indubitatae antiquitatis epistolas scriptorum errore falsos titulos praeferre ».
(6) In *Dial. cum Tryphone* num. 100, p. 195-196, edit. Maran. Paris. 1742.
(7) *Contra haeres.* lib. 3, c. 22, n. 4, edit. Massueti.
(8) *De Carne Christi* c. 17, edit. Rigaltii.
(9) *De errore profanorum religion.* c. 28 in *Bibl. patr.* Gallandii, tom. IV, p. 34, seq.
(10) *Catech.* 12, n. 29, ed. Touttei.
(11) *Haeres.* 78, num 18, edit. Petavii.
(12) In *Orat. in illud*, DOMINUS PASCIT ME. In *Biblioth. patr.* Galland. tom. II, p. 496, fragm. VI. Invenit integrum contextum adducere ex quo nonnemo adhuc non nisi praecisus mutuabitur. *Porro autem*, scribit, *arca ex lignis quae putrescere non poterant, erat ipse Salvator. Per hanc enim putredinis et corruptionis expers eius tabernaculum significabatur, quod nullam peccati putredinem genuit... Dominus autem peccati expers erat, et ex lignis putrefactioni non obnoxiis secundum hominem, hoc est ex Virgine et ex Spiritu sancto, intus et foris tamquam purissimo Verbi Dei auro circumtectus.*
(13) Origenis Adamantii Opp. par. II, edit. Parisiens. 1572, hom. I inter *homilias in diversos*, p. 274-275.
(14) Ibid. hom. III p. 280, col. 2. De his homiliis cf. Bellarminum, *De script. ecclesiast.* cum diss. *histor.* Philippi Labbei, Venet. 1728 Operum tom. VII. *de Origene*, an. 220, p. 44 seq.
(15) In *oratione ad Sanctissimam Dei Genitricem*, Opp. edit. Rom. 1598, interprete Gherardo Vossio, tom. III, p. 240; nec non *De Sanctissimae Dei Genitricis Virginis laudibus*; ibid. p. 207.
(16) In orat. cit. opp. ed. Rom. 1746 ex vers. Assemani tom. III, p. 545 seqq.

ritualis Beseleel aedificavit (1). Quae quidem aliaque id genus permulta apertissime ostendunt quid de B. Virgine Ephrem senserit. Haec enim cum maculata eiusdem origine nulla componi modo possunt.

S. Ambrosius. Ita et s. Ambrosius de se in Adam peccatore loquens: *Suscipe me*, inquit, *in carne quae in Adam lapsa est; suscipe me, non ex Sara, sed ex Maria: ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati* (2). Quibus verbis extremo loco positis utpote generalibus, neque ad actuales noxas coarctatis, integritas a quavis labe luculenter significatur.

Antiquus auctor. Afferri et illud e s. Ioanne Chrysostomo solitum fuit, quod in *sermone de nativitate Domini* idem scripsisse perhibetur: *Quemadmodum artifex, inventa materia utilissima, vas pulcherrimum fabricatur; ita Christus invento Virginis sancto corpore et anima, templum sibi construxit animatum* (3). Verum cum hic sermo dubiae saltem sit auctoritatis, eatenus rei nostrae probandae par est, quatenus ad veterem scriptorem spectat. Alia item non pauca patrum testimonia, quae tamen ab assertoribus piae sententiae passim adduci solent, omisimus, sive quod rem praesentem proprie non attingant, sive quod spuria aut dubia saltem habeantur (4). Quapropter heic primum patrum agmen claudimus.

CAPUT XI

PATRES ET SCRIPTORES ECCLESIASTICI RECENSENTUR QUI AB AUGUSTINO AD BERNARDUM USQUE IMMACULATO B. VIRGINIS CONCEPTUI FAVERE VISI SUNT

Pro exortae pelagianae haereseos occasione doctrina de originalis peccati in omnes homines propagatione clariorem lucem adepta est, instante potissimum s. Augustino, qui illam haeresim plane contrivit. Exinde factum ut posteriores aetate patres ac ecclesiastici scriptores vehementiori stilo dogma catholicum adstruerent ac vindicarent. Hac de causa alteram hanc seriem a priori distinctam volui, ut ex his etiam sententias afferrem, quae fautrices piae causae videntur.

S. Augustinus. Ab ipso Augustino ordior. Hic igitur in libro *de nat. et gratia* de B. Virgine disserens haec habet: *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: inde* (5) *enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum* (6). Licet vero heic sanctus doctor, uti ex orationis serie constat, de peccatis actualibus loquatur, nihilominus cum propositio generalis seu universalis sit, atque ex disputationis natura pateat, peccata haec actualia, prout ab humana infirmitate profluunt, cum originali noxa, ex qua eiusmodi infirmitas enascitur, arcto nexu esse coniuncta; rite infertur nullam ab eo, etiam quoad originalem labem, voluisse haberi de Maria quaestionem: adeoque, ut consequens est, a propositionibus generalibus s. Augustini, quibus in omnes peccatum Adae derivatum adseritur, ex eiusdem sententia Mariam Virginem semper esse excipiendam. Sane cum Iulianus Augustino obiecisset: *Tu ipsam Mariam diabolo nascendi conditione transcribis*; respondit hipponensis praesul: *Non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi; sed ideo quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi* (7). Videlicet ideo negat se Mariam diabolo transcripsisse *conditione nascendi*, quia haec ipsa nascendi conditio, nempe conceptio carnalis atque *activa*, ut loquuntur, gratia renascendi soluta est. Etenim cum Iulianus Augustino crimini vertisset, quod ob dogma de peccati originalis propagatione ipse transcripserit B. Virginem diabolo, haud profecto ab hac se criminatione sanctus doctor purgasset, qui id apertis antehac verbis inficias iverat, nisi in ipso conceptionis actu Mariam gratia praeoccupatam per adducta verba significasset, ut per se liquet. Atque haec de Augustino satis (8).

S. Maximus taurinensis. S. Maximus taurinensis antistes homil. 5 *ante natale Domini* haec praeclara habet: *Idoneum plane Maria Christo habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro* GRATIA ORIGINALI (9).

Theodotus ancyranus. Iis praeterea B. Virginem praeconiis exornant Theodotus ancyranus episcopus, et Proclus constantinopolitanus antistes, ut ab omni prorsus labe ac peccati cuiuslibet inquinatione eam liberent. Etenim Theodotus in *orat. in Sanctam Dei Genitricem* non dubitat eam *Virginem innocentem* expresse praedicare, *sine macula, omni culpa vacantem, intemeratam, sanctam anima et corpore, sicut lilium inter medias spinas germinans: non doctam Evae mala, quam nobis Creatore dignam donavit divina providentia* (10). S. Proclus. Sanctus vero Proclus in oratione VI in eamdem *Sanctam Dei Genitricem* de s. Iosepho loquens: *Non meminerat*, inquit, *potuisse eam* (Mariam) *effici Dei templum, quae ex munda erat formata luto* (11). Atque oratione I: *Haudquaquam architecta dedecori est*, ait, *ut eam incolat domum quam ipsemet extruxerit, neque lutum figulum inficit, cum ille vasculum, quod finxerat, refingit: ita nec quidquam Deum purissimum polluit, quod ex virginali utero prodiit. Quam enim citra omnem sui labem formaverat, ex ea nulla contracta mora processit* (12). Et iterum ita Christum B. Virginem alloquentem inducit: *Nulla iniuria increatam maiestatem sum affectarus, ut in habitacula, quod a me creatum fuit, habitaverim* (13). Quod si Deus ipse B. Virginem uti domum in qua habitaret, extruxerit, profecto mundam

(1) *Orat. ad Deiparam*, ibid. p. 529.

(2) *Serm.* XXII in ps. 118, n. 30, edit. Maur. tom. I, col. 1253. Heic editores Maurini adnotant in edit. Paris. adducta verba legi cum particula negante: *non in carne, quae in Adam lapsa est*; sed alias omnes editiones et cunctos mss. codices respuere negationem. Et optime quidem, subdunt editores: neque aliud hic significatur, nisi quod Christi caro eiusdem naturae fuerit atque Adae caro, unde per generationis successionem propagata est; licet eiusdem peccato nequaquam maculata. Sane editio romana, quae prodiit an. 1580 in sex vol. distributa, et secundum quam adornata est editio parisiensis an. 1614, omittit particulam negantem. Attamen hi qui Maurini editores in nota ad n. 21 sermonis VI in hunc psalm. 118 col. 1039 scribunt: « Nequaquam vero inficiatur (s. doctor) Beatae Virginis immunitatem ab omni peccato; quippe quam non obscure adstruat in ultimum huius ipsius psalmi versiculum illis verbis: *suscipe me non in carne, quae in Adam lapsa est* etc. ». Plura alia ex eodem s. Ambrosio testimonia afferri pro eadem sententia possent, quae tamen brevitatis gratia praetermitto.

(3) Opp. edit. Frontonis Ducaei, Lutetiae Paris. 1624, tom. VI, p. 496, qui adnotat initium istius orationis s. Io. Chrysostomi citatum fuisse in Conc. ephesino. Cf. eiusd. Adnotat. p. 1012. Lege praeterea monitum praemissum a D. Montfauconio huic homiliae, Opp. vol. VI, p. 391.

(4) Quae valeri possunt magno numero sunt apud Catharinum in *disputatione pro veritate immaculatae conceptionis B. Virginis*, Senis 1532; tum apud Theoph. Raynaudum sive in *Diptycis Marianis*, Opp. edit. Lugdun. 1665, tom. VII, p. 140 seq. sive in op. *Pietas Lugdunensis erga B. V. immaculate conceptam* tom. VIII, p. 265 seqq. Apud Roccium in *Thesauro*, lib. III, art. 1, apud Salazarium *De concept.* c. 42, aliosque passim, praesertim vero apud Plazzam in op. saepius cit. *Caus. immac. concept.* act. II, art. 3, et act. VI, art. 2.

(5) In duobus mss. vaticanis commemoratis ab edit. Maur. legitur *unde*; antiquiores scriptores a saec. XI ad XIV constanter legerunt *inde*, quos inter s. Thomas, 3 p. q. 27, art. 4. Huic lectioni videtur magis congruere orationis series, nec opponuntur codices; auctoritas praeterea quatuor saeculorum eidem plane favent.

(6) Cap. 36, n. 42.

(7) *Oper. imperfecti contra Iulianum* lib. 4, c. 122.

(8) Heic afferri solet ex Cyrillo alex. in Io. lib. 6, c. 15, testimonium pro immaculato Virginis conceptu luculentissimum, edit. Paris. 1573, col. 821, quod ita se habet: *Et bene non solum caecus, sed etiam caecus a nativitate dicitur: quia omnes homines* (*excepto illo, qui de Virgine natus est, et sacratissima etiam Virgine, ex qua Deus homo prodiit in mundum, exempta*) *cum peccato originali nascimur*. Verum supposititium eiusmodi est testimonium, desumptum ex Iodoco Clichtoveo neoportuensi: qui de suo ingenio supplevit libros quatuor, qui tunc temporis desiderabantur in commentariis s. Cyrilli in Ioannem, nempe quintum, sextum, septimum et octavum, Augustinum in plerisque secutus, ut animadversum est a Richardo Simonio tom. III *hist. crit.* novi Testamenti, p. 529 et 574. Sed quoniam, uti scribit I. Albertus Fabricius in *Biblioth. graeca*, Hamburgi 1804, vol. IX, p. 460, Clichtovei supplementum a Cyrilli ipsius opere ex titulis librorum quidem, sed non ex distinctione typorum vel aliis notis in singulis paginis appositis discerni satis potuit, factum est ut multi incauti pro cyrillianis Clichtovei verba laudarent. Ceterum in Io. Auberti editione 1638, qua primus Cyrilli opera graece edidit, suppleti sunt ex Holsteniano codice libri integri quintus et sextus; septimi vero et octavi copiosa et longa fragmenta exhibentur cum versione Nicolai Borbonii ex catenis in Ioannem.

(9) Opp. edit. Rom. 1784 p. 18.

(10) In *Biblioth. pp.* Gallandii, tom. IX, p. 473, n. 11, 12. Haud pauca in eumdem sensum ibidem legere est, ubi inter alia haec scribit de B. Virgine: *Quae needum nata auctori Deo consecrata est*... *tota pulcra ut propensa voluntas, totaque suavis ut cella unguentaria.*

(11) Ibid. p. 647, n. 8.

(12) Ibid. p. 613, n. 3.

(13) Ibid. p. 642, n. 14.

extruxit. Is demum de eadem Beata Virgine scribit: *Ipsa novae creaturae coelestis globus, in quo sol iustitiae nunquam occidens omnem ab anima omnium peccatorum noctem fugavit* (1); vocat *secundi Adami paradisum* dicens: *Latebat eum ex virginali rursus paradiso intemeratis Domini manibus plasmari secundum Adam* (2), aliaque eiusmodi de ea effert, quae omnimodam prorsus in B. Virgine asserunt a quavis culpa immunitatem.

Sedulius. Neque ab hisce sensis abluisit Sedulius cum de B. Virgine cecinit:

Et velut e spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil, quod laedat, habens, matremque obscurat honore;
Sic, Evae de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquae facinus nova Virgo piaret;
Ut, quoniam natura prior viliata iacebat
Sub ditione necis, Christo nascente renasci
Posset homo, et veteris maculam deponere carnis (3).

Quibus non inelegantibus carminibus Sedulius aperte asseverat, B. Virginem eum in modum quo mollis rosa ex acutis spinis intacta exurgit, puram intactamque e temerata Evae stirpe prodiisse, atque ita Christi munere naturam vitiatam piasse.

Anonymus auctor tractatus contra quinque haereses. Luculenter praeterea anonymus auctor libri cui titulus: *Contra quinque haereses*, ad V saeculum spectans, idipsum tradit, dum Christum ita loquentem inducit: *Ego matrem, de qua nascerer, feci: Ego viam meo itineri praeparavi atque mundavi. Haec quam despicis, manichaee, mea mater est, sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea nascerer* (4). Quod si Christus manu sua, idest praecipua cura Matrem suam condidit, profecto eam peccati sorde haud inquinari est passus. Huc pariter revocatur anonymus alter auctor

Auctor comment. in psalmos sub Hieronymi nomine. commentarii in psalmos, quod olim Hieronymi nomine circumferebatur. Hic igitur verba illa explanans psalmi 77, 14, *Et deduxit eos in nube diei*, haec habet: *Ecce Dominus venit in Aegyptum in nube levi. Nubem levem aut proprie Salvatoris corpus debemus accipere, quia leve fuit, et nullo peccato praegravatum est: aut certe nubem levem debemus sanctam Mariam accipere... pulcre dixit DIEI: nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce* (5).

s. Fulgentius. Solent huc adduci s. Fulgentii verba e *sermone de duplici nativitate Christi* desumpta, quibus antithesis instituitur Evam inter et Mariam: *In primi hominis coniuge nequitia diaboli seductam depravavit mentem, in secundi autem hominis matre gratia Dei et mentem integram servavit et carnem* (6). Attamen loqui potius s. doctor videtur de fide Mariae collata, ut angelo crederet incarnationis mysterium nuntianti, ac de immunitate a carnis illecebris.

Hoc igitur praetermisso, s. Paschasius Ratbertus in lib. *de perpetua virginitate Sanctae Mariae et de eius parturitione* negat carnem Mariae fuisse *carnem peccati*: siquidem, ut ipse loquitur, *constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solum maledictio matris Evae soluta est, verum etiam et benedictio omnibus condonatur* (7). Et paulo post ita pergit: *Sed eximiae pietatis honorem vobis et decus virtutis Beatissimae Virginis pudicitiam praedicare incorruptam et incontaminatam*, ET AB OMNI CONTAGIONE PRIMAE ORIGINIS CONFITERI ALIENAM (8). S. Paschasius Ratbertus.

Haec eadem sensa s. Germanus patriarcha constantinopolitanus in serm. *de nativit. Virginis* expromit inquiens: *Salve non manufactum tabernaculum, atque a Deo conditum in quod semel in consummatione saeculi solus Deus ac summus Pontifex introivit* (9). Quibus in verbis una semper doctrina dominatur, Deum videlicet peculiari ratione B. Virginem condidisse, in qua sedem se condignam sibi praepararet. S. Germanus.

Cum porro s. Ioannes damascenus reddere rationem vellet, quare B. Virgo ex matre antehac sterili oriretur, ita in *hom. I in nativit. Mariae Virginis* loquitur: *Ceterum alia quoque altior diviniorque ratio a me afferri potest. Natura enim gratiae cedit, statque tremula, pergere non sustinens. Quoniam itaque futurum erat, ut Dei Genitrix Virgo ex Anna nasceretur, natura gratiae germen antevertere non ausa est: sed mansit fructus expers, dum gratia fructum ederet* (10). Nempe ex Damasceni mente tamdiu Anna sterilitate laboravit, quamdiu concepit peperitque B. Virginem, quae Dei Genitrix futura erat, ac proinde ortu vel ab ipso gratia cumulata. Quocirca B. Maria ab eodem sancto in *hom. II de dormitione B. Mariae Virginis* vocatur *Virgo immaculata, quae nihil terrenarum affectionum admisit* (11). Verum luculentissime hunc sensum expressit, cum ibidem de B. Virgine scripsit: *Ad hunc enim paradisum serpenti aditus non patuit, cuius falsae divinitatis cupiditate flagrantes iumentis sumus comparati. Ipse enim Unigenitus Dei Filius, cum Deus esset, eiusdemque ac Pater substantiae*, EX HAC VIRGINE AC PURA TERRA SEIPSUM *in hominem formavit* (12). S. Ioannes damascenus.

Praeteritis vero brevitatis gratia s. Iosepho, qui hymnographus nuncupatur, Georgio metropolita nicomediensi, s. Petro chorepiscopo, aliisve nonnullis a saeculo IX, quorum testimonia profert expenditque p. Benedictus Plazza (13), in quibus B. Virgo *ab omni macula et labe immunis* audit, dicitur que *ab omni labe et macula pura; omni labe et macula et sorde carens; ab omni sacro munda; undique immaculata, summe immaculata*; Scriptores saeculi IX.

(1) *Orat. VI. Laudatio s. Dei Genitr. Mariae* in *Biblioth. patr.* Gallandii, p. 640, n. 17.
(2) Ibid. p. 637, n. 9.
(3) *Carm. Paschal.* lib. 2, vers. 29, seqq. in *Biblioth.* Galland. tom. IX, p. 543.
(4) In appendice op. s. Augustini ed. Maur. tom. VIII, col. 6. De hoc auctore consule *admonitionem* editorum maurinorum, ex qua patet Erasmum censuisse *Tractatum adversus quinque haereses* esse hominis quidem eruditi, arguti atque facundi non tamen Augustini, *nisi forte*, ait, *iuvenis scripsit*: Augustino eum adiudicasse Lovanienses et Bellarminum aliosque ductos auctoritate Bedae. Nihilominus tractatum hunc post s. Augustini obitum sub Vandalorum dominatione scriptum fuisse editores maurini ostendunt.
(5) In Append. ad tom. VII opp. s. Hieronymi edit. Vallars. col. 201. Censet Vallarsius huius commentarii in psalterium auctorem esse s. Columbanum, primum luxoviensem in Burgundia, deinde bobiensem in Italia abbatem. Lege eius *admonitionem* praemissam huic commentario, p. XXII.
(6) N. 6, edit. Paris. 1684, p. 554. Sic porro se habet integer contextus post verba illa: *integrum servavit et carnem*; prosequitur s. Fulgentius: *Menti contulit firmissimam fidem, carni abstulit omnino libidinem*; et n. 7 clarius adhuc mentem aperit suam dicens. *Attendite fratres medicinalis gratiae lineas divina nobis benignitate monstratas. Tunc ad Evam angelus malus accessit, ut per eam homo, quem Deus fecerat, a Deo separaretur: nunc autem ad Mariam bonus angelus venit, ut in ea humanae naturae Deus Unigenitus uniretur* etc.
(7) In *Biblioth. maxima patrum* Lugd. 1677, tom. XII, p. 566, col. 1 et 2. Hic tamen animadvertendum, s. Ratbertum videri locutum esse *de sanctificatione in utero*, deque eius nativitate quae immunis exstitit a peccato. Verum si attente considerentur eius verba, quisque facile intelliget, eum loqui de nativitate in utero, deque sanctificatione ab ipso ortu seu conceptu, cum primum tempore eiusdem Virginis fetus anima informatus est. Etenim sensum hunc postulant eius verba, quae ita se habent in contextu: *At vero B. Maria, licet ipsa de carne peccati sit nata et procreata, ipsaque quamvis caro peccati fuerit; non tunc tam ex praeveniente Spiritus sancti gratia, ab Angelo prae omnibus mulieribus benedicta vocatur... Alioquin si non eodem Spiritu sanctificata est, et emundata, quomodo non eius caro, non caro peccati fuit? et si caro eius de massa praevaricationis venit, quomodo Christus Verbum caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumpsit?* Et paulo post: *Unde et Ieremiae dies, atque Iob maledicta pronuntiatur; dies inquam nativitatis eorum, tamen dies quando inchoata est felix Mariae nativitas, benedicta pronunciatur, et colitur religione sulis. Quod si in peccato esset, iure maledicta diceretur et gemebunda potius quam benedicta* etc. Scilicet eodem sensu hic *nativitatis* vox usurpatur, quo adhibita est ab angelo apud Evangelistam, cum dixit: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*: ac ideo sancta exstitit ex Ratberto Mariae nativitas, quia sancta exstitit eius conceptio. Hic liber passim vel a Petavio ipso allegari solet sub nomine s. Hildephonsi archiepiscopi toletani; at certum est, ut ostendit Mabillonius tom. II, Sanct. Benedictinor. sec. 2, p. 510 seqq., non esse eiusdem fetum, sed omnino Ratberto tribuendum. Adi etiam Luc. Acherium in praef. ad tom. XI, et XII sui *Spicilegii*, p. 7. Nonnulli verba quae difficultatem facessere videntur, non incongrue de peccati debito exponunt.
(8) Ibid. p. 567.
(9) In *Biblioth. patrum graeco-latina*, Paris. 1624, tom. II, p. 457.
(10) N. 2 ex vers. Le-Quien. opp. tom. II, p. 842.
(11) Ibid. n. 2, p. 869.
(12) Ibid. p. 869, ubi notandus est error typographi, dum omissa est in latina versione particula negans: *serpenti aditus non patuit*, prout habetur in graeco textu Ἐς τοῦτον γὰρ ὁ ὄφις οὐκ ἔσχε παρείσδυσιν. Hinc in vers. ex edit. Paris. 1577, fol. 390 ita leguntur allegata verba latine reddita: *Etenim ad hunc paradisum serpens aditum non habuit, ubi falsae divinitatis cupiditate flagrantes iumentis comparati sumus*.
(13) In op. cit. *Causa immacul. concept.* act. 2, art. 2, *testimonium* XLI, seqq.

Digitized by Google

ex Anna et Ioachim prorsus immaculata, aliisque eiusmodi titulis praeconiisque cumulata est; his inquam praeteritis, nonnulla adiiciam testimonia ex insequentibus auctoribus eruta.

Sophronius seu notus auctor saeculi IX.

Quoniam vero citari solent Sophronii aut etiam Hieronymi nomine verba aucturis *serm. de assumptione*, qui saeculo IX floruisse perhibetur (1), huc eius iuverit referre sententiam, quae ita se habet: *Erat enim candidata multis meritorum virtutibus et dealbata, nive candidior Spiritus sancti muneribus.... et ideo immaculata, qui in nulla corrupta* (2). Et iterum: *Etsi in sanctis patribus gratia fuisse creditur: non tamen eatenus plena. In Mariam vero totius gratiae, quae in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter. Et ideo inquit:* BENEDICTA TU IN MULIERIBUS, *id est, plus benedicta, quam omnes mulieres. Ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariae* (3).

S. Petrus Damiani.

His adiiciendus est s. Petrus Damiani, qui conceptis verbis insigne hoc privilegium asseruit Mariae in *serm. de assumpt.* dicens: *Caro Virginis ex Adam assumpta maculas Adae non admisit* (4). Alia eiusdem s. doctoris, quae huc adducuntur, testimonia missa facio (5).

S. Anselmus cantuariensis.

Ad haec s. Anselmus cantuariensis in lib. *de conceptu virginali*, c. 18, affirmate pronuntiat: *Decebat ut illius hominis* (Christi) *conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum quem de corde suo aequalem sibi genitum tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis filius: et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem eligebat; et de qua Spiritus sanctus volebat, et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur Illud de quo ipse procedebat* (6). Tanta autem puritas alia esse nequit, quam ea qua Virgo ab ipsa labe originali immunis est servata, prout haec eadem Anselmi verba expendens angelicus doctor rite conclusit scribens: *Puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquod creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: et talis fuit puritas B. Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit. Fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum* (7). Nec obest quod Anselmus ibidem addat: *Qualiter autem Virgo eadem per fidem ante ipsam conceptionem mundata sit, dixi*, nempe in lib. 2 *Cur Deus homo*, cap. 16 et 17; quibus verbis indicat B. Virginem vi futurae Christi redemptionis puritatem illam obtinuisse.

S. Bruno.

Sic etiam s. Bruno carthusianorum parens eidem B. Virgini his verbis hanc praerogativam vindicat: *Dominus de coelo in terram aspexit, dum de regalibus sedibus in uterum Virginis venit. Haec est enim incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea peccati contagione libera, per quam vitae viam agnovimus, et promissam veritatem accepimus* (8).

Atque haec praecipua sunt testimonia, quae assertores piae sententiae ex patribus atque ecclesiasticis scriptoribus afferre solent, quibus evincant sententiam hanc in veteri traditione viguisse. Plura tamen consulto praetermisimus, ut etiam paulo ante monuimus, vel quod non plane admodum id, cuius gratia referuntur, praestare visa nobis fuerint, vel quod ex operibus adscita sint, quae in praesentia criticorum iudicio inter adscriptitia aut saltem dubia recensentur. Sistimus vero in s. Bernardo, quis, uti praefati sumus, eius aetate, ipsoque agente, controversia in utramque partem, ut usuvenit, exagitari coepit, aliis in aliam doctoribus sententiam abeuntibus.

CAPUT XII

QUAE E SACRIS LITURGIIS PRO IMMACULATA B. VIRGINIS CONCEPTIONE ADDUCUNTUR

Hac capitis enunciatione complectimur tum quae in liturgiis continentur, tum quae ad festorum spectant celebrationem.

Liturgiarum auctoritas.

Nemo porro est qui nesciat, amplissimam liturgiarum esse auctoritatem, quippe quae testimonium exhibeant non unius alteriusve doctoris, sed integrae plane alicuius ecclesiae, eoque pluris esse faciendam, quo et ecclesia illustrior est, et liturgia antiquitate praestantior. Iam vero post liturgiam romanam, quae s. Petri nomine inscribitur, eminet liturgia *Iacobi* nuncupata,

Liturgia Iacobi.

omnium orientalium antiquissima (9). Ex hac proinde qui piam sententiam propugnant, argumenta capiunt. Quandoquidem B. Virgo in ea titulis *immaculatae atque intemeratae* condecoratur: *Commemorantes sanctissimam, immaculatam, gloriosissimam Dominam nostram Matrem Dei et semper Virginem Mariam* (10); *Commemorationem agamus sanctissimae, immaculatae, gloriosissimae, benedictae Dominae nostrae Matris Dei et semper Virginis Mariae* (11); item *praecipuae, sanctissimae, immaculatae* (12). In ritu pariter ordinationis chorepiscopi, qui apud Syros maronitas obtinet, quemque ex vetusto codice vulgavit Morinus, legitur: *Omnes pro eo oremus sanctam et laudatam et immaculatam Dominam nostram, beatam omni tempore Mariam Genitricem Dei commemorantes* (13). Sic etiam in liturgia s. Basilii alexandrina legitur: *Praecipue vero sanctissimae, gloriosissimae, immaculatae, benedictionibus cumulatae, Dominae nostrae Deiparae et semper virginis Mariae* (14); nec non in liturgia s. Marci: *In primis sanctissimae intemeratae* etc. (15); atque ita passim multa leguntur, quae omnimodam B. Virginis a quavis labe immunitatem perspicue commendant.

Institutio festi in saeculo V.

Huc accedit quod festum conceptionis B. Virginis ab aetate remotissima penes Graecos et Orientales obtinuerit. In saeculo enim Ecclesiae quinto iam vestigia occurrunt instituti huius festi: siquidem in *Typico* s. Sabae, qui claruit anno 484 (16), seu in *Ordine recitandi officium per totum annum* die IX decembris signatur *Conceptio s. Annae matris Deiparae* (17): in septimo item saeculo mentio fit eiusdem festi apud s. Andream cretensem, qui anno 636 floruit. Is in canonibus et triodiis ad diem nonam decembris sic enunciat conceptionis festum: *Die nona decembris conceptio sanctae ac Dei aviae Annae.* Et ode 1: *Tuam*, scribit, *hodie, religiosa Anna, celebramus conceptionem, quod absoluta sterilitatis vinculis, Eam utero conceperis, quae*

(1) Vide sis admonit. Vallarsii, opp. s. Hieronymi, tom. XI, col. 92, seq. ubi ostendit neque Sophronium seniorem Hieronymi amicum, qui psalterium, pluraque alia s. doctoris opuscula graece vertit, neque recentiorem alium, qui circa medium octavum saeculum librum *De viris illustribus* graece est interpretatus, sed anonymum esse scriptorem saeculi IX.

(2) Col. 100 cit. edit. Obiter hic moneo duplicem in hoc volumine XI Vallarsii haberi paginarum numerationem: allegatio nostra spectat ad secundam.

(3) Col. 96.

(4) Opp. s. Petri Dam. edit. Rom. 1606, tom. II, p. 113.

(5) Ex. gr. in eius serm. *De Annunt. Beatiss. Virg. Mariae* ibid. p. 28, ubi sic scribit: *Cum fecerit Deus omnia opera sua valde bona, hoc melius fecit, conservans sibi in ea* (Maria) *reclinatorium aureorum, in qua sola se post tumultus angelorum et hominum reclinaret, et requiem inveniret.* Et paulo post loquens de B. Virgine subdit: *Germinat igitur virga Iesse de tortuosa radice generis humani; et de patriarcharum arbore in altitudinem et rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem, foliorum tenebras nescit, infructuosa quaeque non habet.*

(6) Edit. Maur. p. 105.

(7) In I lib. Sentent. dist. 44, q. I, art. 3, fol. 137, col. I, Edit. Rom. 1570, tom. VI.

(8) *Comment. in ps.* 101, opp. edit. 1523, p. 109, col. 2. Floruit autem s. Bruno an. 1089.

(9) De hac liturgia cf. card. Bona, *De rebus liturgicis*, lib. I, cap. 8, § 3 cum adnotat. Roberti Sala, edit. Taurin. 1747, tom. I, p. 128 seqq.: necnon Euseb. Renaudotium *Liturgiar. Orientalium Collectio*, Paris. 1716, tom. II, *Dissert. de Syriacis Melchitarum et Iacobitarum liturgiis*, p. 29, seqq.

(10) In *Biblioth. maxima patrum* Lugdun. tom. II, par. I, p. 3, col. 1.

(11) Ibid. p. 4, col. 1.

(12) Ibid. p. 6, col. 2. Eadem occurrunt in *Biblioth. patrum graeco-latina*, Paris 1624, tom. II, p. 5, 6, 16, 22.

(13) *De sacris ordinat.* p. 313, collat. p. 346.

(14) Apud Renaudot. op. cit. tom. I, p. 72.

(15) Ibid. p. 150.

(16) De quo lege Caveum in *Histor. litteraria scriptor. ecclesiast.* Oxonii 1740, tom. I, p. 457, ad an. 484, ubi et ipse meminit huius *Typici* seu *Ordinis recitandi officium per totum annum* capita 50 continentis ab illo conscripti.

(17) Vide sis apud Cuperum in *Act. sanct. Bolland.* tom. VI, Iul. edit. Antwerp. p. 243, ubi sic refert ex *Typico* s. Sabae ad diem IX decembris Ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας Ἄννης, μητρὸς τῆς Θεοτόκου, *conceptio s. Annae matris Deiparae.*

Eum potuit capere qui nuspiam capi possit (1). Nempe uterque loquitur de conceptione *passiva* B. Virginis, seu de Virginis Mariae conceptu, cuius quidem festum eodem die eodemque sub titulo celebrare Graeci consueverunt. Cum vero ambo nullum de festo uti iam pridem recepto, pronum est inferre longe ante eam aetatem in ecclesia orientali illud invaluisse.

Saeculis insequentibus continuata festi celebratio.

Hoc idem videtur festum de quo egit s. Ioannes damascenus, qui anno 731 scribebat sub titulo concionis *De nativitate B. Virginis;* siquidem in ea conceptionem eiusdem Virginis his verbis celebrat: *O lumbos Ioachim beatissimos, ex quibus mundissimum semen factum est! O praeclarum Annae vulvam, in qua tacitis incrementis ex ea auctus atque formatus fuit fetus sanctissimus! O uterum in quo animatum coelum, coelorum latitudine latius conceptum fuit!* (2).

Apud Graecos quadam cum solemnitate celebratum.

Quod autem hoc festum insequenti saeculo quadam cum solemnitate penes Graecos celebrare mos fuerit, id evidentissime ac necessario crebrae orationes comprobant, quas patres ad populum habuerunt. Sic Georgius archiepiscopus nicomediensis, quem an. 880 ut minimum floruisse constat (3), tres orationes habuit, quarum primam inscripsit: *In arcanam conceptione Sanctae Deiparae;* alteram vero: *In conceptionem s. Annae parentis Sanctissimae Deiparae;* tertiam denique: *In conceptionem et nativitatem Sanctissimae Dominae nostrae* (4). In secunda porro oratione prae ceteris ista leguntur: *Cum itaque hodierna festivitas illustrioribus omnibus solemnitatibus, miraculorum in ipsa consummatorum ratione, praecat; iisque ceu fundamentum quoddam, ac crepida supposita, quidquid in illis sacramentorum dispensatum est, pro fundamenti ratione in se colligat; par omnino est, ut tanquam principia et causae universorum bonorum, venerationem ei adhibeamus, impensiorique eam gaudia celebremus* (5).

Per idem saeculum imperator Leo VI cognomento *sapiens* ac *philosophus*, inter ceteras, quas edidit orationes, et eam conscripsit, *De conceptione B. Mariae* (6). S. Petrus siculus Argorum episcopus, et ipse eodem hoc tempore scripsit *orationem in conceptionem sanctae Annae, quando concepit Sanctam Dei Genitricem* (7). Cumque in ecclesia graeca haec solemnitas universalis exstiterit, in Menologio, quod iussu Basilii iunioris ante an. 984 conscriptum est, legitur notata *V idus decembris conceptio s. Annae matris Genitricis Dei* (8).

Festi celebratio in occidente. In Hispania et in Anglia.

Hac ferme aetate in occidentali ecclesia festum de conceptione B. Virginis institui coeptum est. Eiusdem primordia iuxta Mabillonium saeculo X in Hispania fuerunt (9); deinde vero in Anglia. Etsi enim darctor, uti contendit Gerberonius (10), subdititiam eam esse epistolam, quae s. Anselmi cantuariensis nomine vulgata est *De conceptione B. Mariae*, in qua refertur visio ab Helsino abbate monasterii ramesiensis habita; tamen cum de ea revelatione, ac propterea de festi institutione iam s. Bernardus uti de re compertissima loquatur in memorata epistola ad canonicos lugdunenses an. 1130 (11), nec non Matthaeus Paris in vitis sanctorum abbatum monasterii s. Albani qui scripsit an. 1243 (12) (ut de insequentibus scriptoribus sileamus, qui miro consensu de eadem revelatione, eodemque disserunt festo), rite inferimus s. Anselmi aetate in Anglia solemnitatem de B. Virginis conceptione celebrari consuevisse (13). Exinde pedetentim in Gallias, aliasque regiones, ut suo loco scripsimus, penetravit, omnesque occidentis ecclesias pervasit, donec a romanis pontificibus decreto sancitum est atque probatum.

(1) *Biblioth. maxima patr.* tom. X, p. 663, col. 1, ex vers. Combefisii. Ex his patet non hoc coepisse festum saec. XII, aut paulo ante in ecclesia orientali, sed septem integris saeculis ante imperatorem Emmanuelem Comnenum, qui suum auspicatus est imperium an. 1143, obiit vero an. 1180. Is quidem imperator in Novella apud Theodorum Balsamonem in *Observation. ad Nomocanonem Photii* festa recensens, quae a populo essent observanda, ait: *Nonus dies decembris; quia tunc Genitricis Dei nostri conceptio celebratur.* Verum, uti admonet Benedictus XIV, *De festis*, lib. 2, c. 15, n. 17, horum verborum non est sensus, ut hanc ille festivitatem tum institueret, sed ut vetus et multo antea instituta, quemadmodum ceterae ex praecepto festivitates, a populo coleretur. Cf. etiam Fidel. Mazzula in op. *De Beata Virgine disputationes*, Augustae Taurin. 1845, part. III, disp. IV, *De actibus cultus B. M. Virginis* cap. 7, art. 1. *De festo conceptionis.* Et vero Leo Allatius in *Prolegomenis* seu in opere *De libris apocryphis* quod primum vulgavit Le-Quien vol. 1. opp. s. Ioan. damasceni, § LXVIII, ostendit saltem 150 annos ante imperatorem Leonem nempe an. a Christi nativ. 740 festum conceptionis B. Virginis in s. Annae utero a multis iam celebratum fuisse. In cuius assertionis probationem refert testimonium ex oratione de hoc argumento recitata per aetatem illam a celebri Ioanne Euboeae episcopo. Cf. loc. cit. p. XLII.

(2) Opp. edit. Le-Quien, tom. II, p. 850, n. 2. Certe Anton. Possevinus in appendice ad tom. III *Apparatus sacri*, Venet. 1606, referens codices mss. graecos bibliothecae card. Sirleti in Urbe, p. 22, inter ceteros incipientes manuscriptos recensuit: *Andreae archiepiscopi cretensis sermo in generationem Deiparae Virginis Mariae. Damasceni sermo in idem festum*, ex quo patet *sermonem de nativitate* s. Io. damasceni prout typis vulgatus est, antiquitus inscriptum fuisse in *generationem, seu conceptionem Deiparae.*

(3) Legesis Casimirum Oudinum in *Commentario de scriptoribus Ecclesiae antiquis*, Lips. 1722, tom. II, col. 332, ad ann. 880. Hic prius fuit magnae ecclesiae constantinopolitanae chartophylax, dein evectus ad sedem metropolitanam nicomediensem, floruit ann. 880, fuitque Photio familiaris qui in epistolis compellavit. Catalogum homiliarum eius exhibet Oudinus, easque distinguit ab homiliis Georgii Pisidae qui floruit an. 640, cui scilicet Combefisius illas immerito tribuerat. Verum ex nobis non probatur ratio quam affert Oudinus, ut hasce homilias a Georgio Pisidae abiudicet, quod nempe eiusmodi festum, ut nonnulla alia, nonnisi saeculo IX fuerit in honorem B. Virginis institutum; hoc enim ex adductis monumentis falsum esse liquet.

(4) Extant cit. tom. XII *Biblioth. maximae patrum*, Lugdun. a p. 607 ad 702.

(5) Ibid. p. 695, col. 2.

(6) Extat hic sermo in graeco mss. cod. bibliothecae sfortianae n. 65, uti testatur card. Baronius in notis ad Martyrol. romanum die 8 decembris, nec non Gerardus Vossius in notis ad orationem s. Ephrem *ad B. V. Mariam.* Floruit porro hic Leo VI, iuxta Oudinum opp. cit. tom. II, col. 391, an. 890.

(7) Integram huius s. Petri orationem vulgavit Benedictus Plazza ad calcem operis sui *Causa immaculatae conceptionis*, p. 635.

(8) Sex posteriores menses huius Menologii ad fidem codicis membranacei Vaticani, quos Petrus Arcadius latine verterat, omnium primus in sua *Italia sacra* Ferdinandus Ughellius vulgavit edit. Venet. 1722, tom. X, p. 343, seqq. cuius lege praefationem eidem Menologio allectam. His porro sex mensibus Bollandiani tom. VI, part. I, *Act. sanct. Iunii* ed. cit. ad calcem p. 1 seqq., adiecerunt graece mensem unum ex ms. codice basilianorum monasterii Cryptae Ferratae.

(9) Sane Godescalcus episcop. Aquitaniae rediens Anicium ex Hispania secum detulit vitam s. Hildephonsi scriptam a Iuliano s. Hildephonsi in toletana sede successore, qua in vita haec leguntur: *Unde etiam festum conceptionis s. Mariae, quo scilicet ipsa concepta est, celebrari constituit* (Hildephonsus), *et eius constitutione per totam Hispaniam solemniter colitur VI idus decembris.* Apud Mabillonium sec. II, *Act. sanct. Ord. s. Benedicti*, p. 522, ad quae biographi verba in margine hanc notam Mabillonius apposuit: *Festum conceptionis s. Anselmo auctori tribuitur in concil. londinensi an. 1328 celebrato, apud Spelman. tom. 2, quod forte ex de Anglia intelligendum.* Qui deinde ut admonet. 139, in epist. CLXXIV s. Bernardi ad canonic. lugdun. p. LXI, tom. 1 opp. eiusd. s. Bernardi addidit nullam eius festi mentionem fieri in libello Sixtiani episcopi toletani de vita Hildephonsi, concluditque: *Sed tamen conceptus saec. X. quo libellus praedictus sub nomine Iuliani de gestis Hildephonsi ex Hispania in urbem Anicium est allatus, apud Hispanos celebrata sit, in dubium vix revocari potest.* Attamen eruditus Faustinus Arevalo in op. *Hymnodia hispanica*, vol. in 4.° Romae 1786, p. 225 seqq. in nota, haud contemnendis argumentis suspicatur sive a cit. biographo s. Hildephonsi, sive ab aliquo interpolatore codicis permutatum fuisse festum *Annunciationis in conceptione Domini* re ipsa institutum ab s. archiepiscopo toletano, quodque nunc *Expectationis partus* nomine insignitur, cum festo *conceptionis ipsius B. Virginis.* Eum adi sis.

(10) Gabriel Gerberonius editor opp. s. Anselmi in censura operum eiusdem s. archiepiscopi quam praemittit, undecim profert argumenta quibus abiudicet hanc epistolam, seu sermonem *De conceptione B. Virginis* a s. Anselmo, quae tamen videri possunt. Levia nonnullis argumenta eiusmodi visa sunt. In hac porro epistola refertur visio per quam s. Elsinus abbas cum in imminenti naufragio versaretur, instus est ad periculum evadendum, festum instituere conceptionis B. Virginis die 8 decembris cum recitatione officii nativitatis eiusdem Virginis, immutata tantummodo voce *nativitatis* in alteram *conceptionis*, prout a s. Pio V deinde constitutum est.

(11) *Sed proferunt*, inquit, *scriptum supernae (ut aiunt) revelationis*, ep. CLXXIV, n. 6.

(12) Consule sis opera Matthaei Paris, monachi albanensis, Londini 1642, in *Vitis viginti trium abbatum s. Albani*, p. 62, ad calcem *Historiae maioris*, n. 50, ubi refert Gaufridum, qui XVI abbas fuit sub Enrico I, nempe an. 1119, statuisse *festivitatem ascensionis Domini... et conceptionem B. Virginis.* Porro s. Anselmus, referente Eadmero eius biographo, obiit an. 1109; cum vero hic agatur de institutione festi iam recepti, uti cetera, quorum ibi fit mentio, in eo monasterio, clare infertur illam iam sub s. Anselmo sumpsisse initium [illegible] fuisse exordium.

(13) Inter ceteros s. Bonaventura loquens de conceptionis festo in 3 lib. Sent. dist. 3, par. 1, art. 1, quaest. 1: *Ut quidam dicunt*, inquit, *haec solemnitas celebrari non coepit humana inventione, sed divina revelatione: quod si verum est, sine dubio bonum est solemnizare in eius conceptione: sed quia hoc authenticum non est* (id est ab Ecclesia non probatum), *non compellimur credere: quia etiam contra fidem rectam non est, non compellimur negare.* Opp. edit. Rom. 1596, tom. V, p. 31, col. 1.

Huius vero cultus obiectum esse animationis momentum, quod proinde uti sanctum celebratum est, postea ostendemus.

CAPUT XIII

DE ECCLESIAE SENSU CIRCA IMMACULATUM B. M. VIRGINIS CONCEPTUM

Quamvis ea, quae ex liturgiis atque ex festi conceptionis marianae celebratione in superiori capite protulimus, satis aperte patefaciant quid Ecclesia antiquitus de hoc senserit argumento, operae tamen pretium esse censuimus appositam de ipso Ecclesiae sensu tractationem adiicere.

Unde colligatur Ecclesiae sensus circa immaculatum conceptum. Ex duplici autem fonte eum colligi posse arbitramur tum scilicet ex pastorum, tum ex fidelium sese gerendi ratione.

Ex Ecclesiae pastoribus. Ac primo quidem ad pastores quod spectat, horum sententiam circa immaculatum Virginis conceptum facile colligere est ex iisdem liturgiis, quae ab Ecclesiae pastoribus ad usum uniuscuiusque dioeceseos sunt concinnatae, nec non ex publicis, quas de hoc mysterio ad populos sibi commissos, concionibus habuere. Hi enim in ecclesia graeca, seu potius orientali universa, certatim hoc B. Virginis privilegium praeconiis efferre connisi sunt. Idem existimes velim de festi celebratione, quae primum uno consensu in orientali ecclesia ipsorum opera instituta est, deinde vero in ecclesia occidentali, licet temporis tractu propagata fuerit, ac demum ubique recepta.

Cum vero nemo epocham praefinire possit, qua festum hoc primo institutum sit, quia auctores qui de eo loquuntur, nullatenus ab se illud institutum affirmant, sed de eo tanquam iam recepto disserunt, iure merito infertur fore ab immemorabili, ut aiunt, praesertim in ecclesia graeca et orientali ipsius celebrationem involuisse.

Ex fidelibus. Ex pastorum porro doctrina fideles eam animo imbiberunt erga hoc mysterium venerationem, ac studium, ut numquam in eorum cordibus, in quibus altissimas radices fixerat, vel minimum defervuerit, immo in dies magis ac magis incrementa ceperit.

Eius antiquitas. Haud obscura huius fidelium sensus circa immaculatam Virginis conceptionem vestigia in antiquitate remotissima occurrunt. Enimvero nisi alte haec persuasio fidelium mentibus insculpta fuisset, Iulianus pelagianus numquam s. Augustinum arguisset, quod ipse doctrinam defendens de universali in omnes homines peccati propagatione infensior esset Mariae, quam Iovinianus. *Ille*, inquiebat enim Iulianus, *virginitatem Mariae partus conditione dissolvit. Tu ipsam Mariam diabolo nascendi conditione transcribis*; videlicet, cum te auctore et magistro in omnes originis labes propagetur, adeoque diaboli mancipia omnes efficias, ipsa quoque Virgo eadem conditione tenebitur, a quo christianae aures prorsus abhorreant. Nisi enim haec mens fuisset Iuliano, numquam hic novator id s. doctori obiecisset. Iam vero, uti vidimus, Augustinus ut eam a se propulsaret calumniam, quam ipsi impingebat Iulianus, negat id consequens esse; quia etsi id ferret Mariae conditio, utpote communi ratione genitae, adeoque debitum et ipsa labem hanc contrahendi praeseferret; praeoccupata tamen speciali gratia numquam in diaboli servitutem incidit. Talis enim est vis responsionis s. Augustini: *Non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi, sed ideo quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi*; perinde ac si diceret: falsum est quod ut certum tibi assumis; siquidem B. Virgo in conceptione ipsa per gratiam Salvatoris ab hoc debito soluta est, atque ideo numquam in diaboli cessit potestatem. Quod autem heic ab Augustino agatur de conceptione, patet: etenim nonnisi in conceptionis actu contrahitur originale peccatum. Quaevis alia huius textus expositio a nonnullis excogitata violenta est, et ab Augustini mente prorsus aliena (1).

Hic ipse fidelium sensus circa omnimodam B. Virginis a quovis peccato immunitatem ex alia Pelagii obiectione apud s. Augustinum elucet. Etenim ille haeresiarcha, ut evinceret posse hominem esse absque peccato, exemplum urgebat B. Virginis Mariae his verbis: *Ipsam Domini et Salvatoris nostri Matrem sine peccato confiteri necesse esse pietati.* Tantum vero abest ut Augustinus id reiiciat, ut illud probet magis atque confirmet dicens: *Quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere et parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum* (2).

Qua ratione se prodiderit. Se demum prodidit latens in populo fideli pius hic sensus erga singulare B. Virginis privilegium, quum controversia in utramque partem agitaretur. Universalis siquidem protinus et constans ita effectus est, ut numquam deficere aut languescere potuerit; immo quo plures ex adversa parte ad eum restinguendum fierent conatus, eo in maiorem iugiter claritudinem prodierit. Dicet fortasse quispiam populum agi potius quam agere, iisque adhaerescere sententiis, quibus imbutus a pastoribus aut institutoribus fuerit: quod si his addatur illa, quae fere suapte natura insita christiano populo est erga B. Virginem pietas ac propensio, optime intelligi, quare fideles piae sententiae mordicus adhaeserint. Esto: detur id modo. Quid inde? Nempe sequitur, Ecclesiae quoque pastores communem hanc tenuisse sententiam, ac parem animi dispositionem et propensionem in eis extitisse: adeoque alterum ab altero communitur.

CAPUT XIV

ARGUMENTA THEOLOGICA, QUAE A PIAE SENTENTIAE PROPUGNATORIBUS PROFERUNTUR

Vis argumenti congruentiae. Iter sibi sternunt immaculati conceptus patroni ad id quod intendunt, vim ostendendo argumentorum, quae congruentiae seu decentiae vocitantur. Id vero efficiunt in medium proferentes principium ab Augustino praestitutum: *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem* (3); scilicet Deum semper agere quidquid est aptius, et rectae rationis dictamini convenientius apparet.

Hoc praeiacto fundamento, ipsi urgent rationes congruentiae quas bifariam dispescunt, in *positivas* scilicet ac *negativas*. Positivas a decentia petunt, negativas autem ab indecentia; utrasque vero multiplici ex capite deducunt: nos horum argumenta singillatim breviterque attingemus.

Prima ratio ex decentia. Prima itaque decentiae ratio positiva, quae et potior est, et fundamenti instar assumitur, divinae matris est dignitas atque officium. Sane huic rationi institerunt antiqui Ecclesiae patres, ut vidimus, qui exinde unanimi consensione inferunt, summam B. Virginis excellentiam et sanctitatem; adeo ut eidem vel ipsi spiritus coelestes cedant. Satis erit oculus in allata patrum testimonia coniicere, ut id clarissime appareat. Cum enim divino huic muneri obeundo ab aeternitate ipsa B. Virgo fuerit a Deo electa ac praedestinata, iure deducunt debuisse iis ornari naturae ac gratiae dotibus, quibus creaturas omnes antecelleret. Talis porro non esset, nisi fuisset immunis, non ab iis modo quae propria actione patrantur, verum et ab ipsa culpa primigenia, quae universam hominum infecit naturam. Siquidem fini media sunt accommodanda. Deus igitur qui sapientissimus est ac summe potens a communi eam lege servare debuit. Patres praeterea hac ipsa de causa uno ore affirmant, Deum peculiari ratione B. Virginem veluti aedem suam in qua corporaliter habitaret, sibi extruxisse, effecisse, fabricatum esse. Non est autem putandum, eum voluisse ut opus tam eximium ob ipsa sua molitione infectum sordidumque esset, daemonisque foret habitaculum vel minimo licet temporis momento (4).

Ex multiplici relatione B. Virginis cum singulis Trinitatis personis. Id ipsum colligunt a variis relationibus quas B. Virgo ob divinam *maternitatem* suam ad singulas Sanctissimae Triadis personas nacta est. Ac primum ex ea quae Mariam inter et Christum seu Verbum carnem factum intercedit. Cum enim Verbum per incarnationem futurum esset verus ac naturalis Mariae filius, sane decebat ut Matris honori et amori prospiceret; minime vero huic amori atque honori consuluisset, si eam maculari originali vitio passus esset, cum potuisset singularis redemptionis ope immunem eam ab eiusmodi macula integramque servare.

(1) Adi, si lubet, Piazzam, op. cit. act. 3, art. 3, § 1, n. 378, seqq.
(2) Lib. *De nat. et gratia*, c. 36, n. 42, col. 141.
(3) *De libero arbitrio*, lib. 3, c. 5, n. 13.
(4) Confer Segnerium, *Manna dell'anima*, ad diem VIII decembris ubi hoc argumentum pulcherrime evolvit, nec non Bossueti *Sermons I, II et III sur la conception de la Sainte Vierge*, in quibus pariter eloquentissime rationes congruentiae, quibus adstruitur immaculata Virginis conceptio, in suo lumine ponit; quae vero eidem adversari videntur, dissolvit. Opp. Bossueti edit. Versailles 1836, tom. XV.

Digitized by Google

Cum Dei Filio.

Hanc ipsam decentiae rationem urgent etiam ex parte ipsius Filii prout ipsam sibi matrem delegit. Et sane quidem: Christus est, qui sibi Mariam in matrem adscivit. Quod si parentum decus ex communi sensu in filios redundat, multo id magis verum esset, si filiis datum foret parentes sibimet eligere. Illi enim nunquam patrem aut matrem sibi praeoptarent qui infamiae nota aliquando iusti fuissent: id enim in ipsorum dedecus vergeret. Cum igitur in Christi potestate fuerit sanctissimam ac immaculatam sibi parentem eligere, dubitandum ne est utrum maculatam potius an immaculatam, etsi ad punctum temporis, sibi adsciscere maluerit? Haec deinde auctoritatibus seu opportunis testimoniis patrum communiunt, atque confirmant (1).

Cum Patre et Spiritu sancto.

His adiiciunt relationes quas cum Patre et Spiritu sancto Beatissima Virgo ob suum Matris Dei munus peculiari ratione adepta est. Ac primo, quod ea de causa filia *primogenita* aeterni Patris passim a patribus nuncupetur, qui eidem accommodant illa Ecclesiastici verba, quae de divina sapientia dicta sunt: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*; videlicet quoad praedestinationem et gratiam, qua idonea facta fuit ut eumdem Filium in carne gigneret, qui ab aeterno in natura divina a Patre gignitur. Quapropter Sanctissima Virgo ea cuiusquemodi sanctitate dotata esse debuit, quae aliquatenus cum Dei ipsius comparari sanctitate posset, quaeque proinde in perpetua a cuiusvis culpae reatu immunitate consisteret.

Ex eius desponsatione cum Spiritu sancto.

Neque minoris est roboris illud congruentiae argumentum quod e relatione desumitur, quae hac ipsa de causa inter Beatissimam Virginem intercedit ac Spiritum sanctum, cuius illa sponsa est nuncupata. Etenim Spiritus sanctus functus est vice viri cum eius uterum fecundavit, iuxta illud quod legitur Luc. 1, 35: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (2). Licet vero spirituale eiusmodi connubium consummatum veluti fuerit in incarnationis mysterio, inchoatum tamen est in ipsius Virginis conditione, uti animadvertit Gersonius scribens: *Beatam Virginem respice primo modo dum ab instanti suae creationis initiatum est matrimonium cum aeterno sponso Deo per arrham fidei, spei, caritatis et ceterarum virtutum* (3). Cum igitur divinus Spiritus B. Virginem peculiarem sibi sponsam olim futuram per gratiam praedestinaverit, eamque velut in spiritualis connubii pignus seu in arrham sponsalitiam omnibus virtutibus in ipso creationis momento ditaverit, profecto iure meritoque infertur eius animam a peccati contaminatione liberam valuisse.

Ex connubio Verbi cum B. Virgine.

A qua quidem ratione vix et illa discrepat, quae ducitur ex connubio, quod Christus in Virginis utero cum humana natura coniunxit, dum eam sibi in unitate personae copulavit iuxta illud s. Thomae: *Congruum fuit Beatae Virgini annuntiari quod esset Christum conceptura, ut ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam; et ideo per annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanae naturae* (4). Iamvero sponsam maxime decet puram, quoad fieri potest, atque immaculatam esse, praesertim vero ingenuam, quaeque alteri nunquam adhaeserit, idque eo magis quo sanctior, atque excellentioris conditionis est sponsus. Tali autem dici haudquaquam potuisset Maria, si aliquando, tametsi ad temporis punctum, peccato fuisset infecta ac satanae veluti mancipium propter culpam addicta. At enim tum Christus, tum Spiritus sanctus, qui vel in ipso eius ortu aut conceptione eam sibi desponderunt, substantialis sunt sanctitas: decebat igitur eos intaminatam sibi B. Virginem servare, nec pati unquam ut ipsa tali afficeretur contumelia.

Ex eo quod facta sit Mater omnium viventium.

Ex divino eiusmodi mysticoque connubio factum est, ut B. Virgo veluti omnium viventium mater habita fuerit, teste s. Epiphanio, qui ita scribit: *Haec est* (Beata Mater Dei) *quam adumbravit Eva, quae viventium mater quodam aenigmatis involucro nuncupatur, siquidem Eva tum viventium est appellata mater.... Ea vero tamen a Maria Virgine vita est in mundum introducta, ut et viventem pariat, et viventium Maria sit mater. Quocirca viventium mater adumbrata similitudine Maria dicitur* (5); adeo ut illa, quae secundum carnem protoparentum ceterorumque patriarcharum filia erat, omnium parens secundum spiritum effecta fuerit. Quare cum Christus primarius vitae huius auctor non propter culpam morti fuerit obnoxius, consequens est, B. Virginem quae per participationem hunc titulum cum Christo habuit communem, debuisse eo privilegio ab hac morte immunem servari. Idque eo magis dicendum quo in *principio*, ut scholae loqui solent, *principiati* virtus reperiatur necesse est. Cum igitur protoplasti in ortu suo culpa vacaverint, ornatique gratia statim fuerint, debuit et hac decorari B. Virgo, qua mediante ex patrum sente primi progenitores eiusmodi gratiam sunt consecuti. Quo sensu B. Virginem ita s. Bernardus compellabat: *O feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem parentum reparatricem, posterorum vivificatricem!* (6). Accedit quod a communi hominum sensu abhorrere censeatur, ut quidquam, quod alteri causa esse debet, depereat. Hinc absonum fuisset, ut Eva, quae data uxor Adae fuerat ad humani generis propagationem, ante ipsam generationem moreretur. Si igitur B. Virgo, ut ex memoratis patet, viventium omnium secundum spiritum extitit mater, haud profecto debuit in ea vita spiritus deficere, seu nunquam ipsa debuit gratia carere.

Ex divina eius maternitate.

His demum alia subnectunt argumenta piae sententiae assertores ex multimodis titulis, qui e divinae Matris munere dimanant, deprompta, quibusque reipsa B. Virginem Ecclesia condecorat. Quandoquidem Ecclesia Mariam totius universitatis, proindeque angelorum, atque hominum omnium reginam appellat. Hi autem tituli inanes ac nugatorii profecto non sunt, sed solido veritatis fundamento innituntur. Quod si B. Virgo angelorum regina est, ac super choros angelorum evecta, congruum videtur omnino, ipsam nulla ratione debuisse aliquando illa gratia carere, qua angelorum agmina, ac protoparentes a suae conditionis exordio ornati et aucti a Deo sunt iuxta celebre augustinianum illud effatum: *Erat Deus in eis condens naturam et largiens gratiam*. Alioquin serva rebellium angelorum B. Virgo extitisset, quod nefas videtur de angelorum cogitare regina, qui nunquam gratia sunt destituti, nec propterea servi aliquando aut mancipia peccati fuere. Item non conveniebat, Mariam in gratiae ordine esse protoparentibus inferiorem, quorum regina per gratiam erat futura; fuisset autem sane inferior, nisi Deus ipsam quoque in gratis, sicuti et illos, condidisset.

Atque haec sunt praecipua argumenta theologica, quibus catholici doctores singulare hoc privilegium immaculati Deiparae conceptus vindicare consueverunt, quaeque nos in compendium retulimus, ipsi vero fuse exponunt varieque exornant (7). Dixi *praecipua*; alia enim quamplura et illi praeter recensita adducunt,

(1) Quae recoli possunt apud Strozzi, op. cit. lib. 1, cap. 3. Nos heic contenti erimus speciminis gratia unius alteriusve patris verba proferre, quae huc referuntur. S. Ambrosius ep. 83 data ad Sisinnium, n. 2 scribit: *Genitales filios esse degeneres, ad naturam refertur: adscitos vel adoptione vel copula dedecores esse nostro errori adscribitur*. Opp. edit Maur. tom. II, col. 1103. Sic etiam s. Bernardus homil. 2 super *Missus est*, n. 1: *Factor hominum, inquit, ut homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, immo condere Matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram*. Opp. ed. Maur. tom 1, col. 743. Item Theodotus ancyranus in homil. 1 de nativ. Domini quam habuit in Concilio ephesino, ait: *Quoniam natus est in carne Verbum Dei custodit virginitatem, seipsum Verbum ostendens*. Apud Harduinum act. conc. tom. 1, col. 1643. Nota cuius sunt s. Leonis verba ex serm. 1 de nativ. *Domini* cap. 1: *Virgo regia davidicae stirpis eligitur, quae sacro gravidanda fetu divinam humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore*. Opp. edit. Ballerin. tom. I, col. 64.

(2) Rupertus abbas sic exponit fecunditatem a Spiritu sancto tributam B. Virgini: *Ille* (Spiritus s.) *uterum virgineum coelitus irroravit, non de sua substantia, sed de naturali humore ipsius incorruptae carnis. In quo mira et magna distantia est ab omni conceptu universae carnis, quia eum sementinam sacri corporis, non vir extrinsecus accedens, sed Spiritus sanctus intus operans, excitavit*. Comment. in Matth. cap. 1. Opp. edit. Coloniae Agripp. 1577, tom. II, p. 11, 12.

(3) Tract. super MAGNIFICAT Alphab. 73, Litt. G, apud Strozzi, tom. I, lib. 2, cap. 7. Quem tamen textum in opp. Io. Gersonii edit. Ellies Du-Pin minime inveni.

(4) 3. p. q. 30, art. 1.

(5) *Advers. haeres.* lib. III, *haeres.* 78, n. 18, edit. Petav. tom. II, p. 1050.

(6) Homil. 2 super *Missus est*, n. 3, ed. cit. vol. I, col. 744. Antithesin porro hic instituerat s. doctor Evam inter et Mariam dicens praeter cetera: *Curre mater ad filiam, ipsa matris opprobrium auferat: ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce vir cecidit per feminam; iam non erigitur nisi per feminam*.

(7) Adiri possunt inter ceteros Franciscus Guerra in op. *Maiestas gratiarum et virtutum omnium Deiparae Virginis*, Hispali 1659, duob. vol. in fol. Vincentius Fassari in op. *Immaculata Deiparae conceptio theologicae commissa trutinae*, vol. unic. fol. Lugduni 1666, Ferdinandus Quiri-

quae plus minusve ad rem conficiendam valent. Haec tamen nos praetermisimus tum quod ad ea, quae iam adduximus, facile revocari possunt, tum quod eiusmodi argumenta peremptoria non sunt, neque fundendae dogmatis definitioni, de quo nos potissimum inquirimus, per se paria, cum convenientiae et probabilitatis fines non excedant. Idem de argumentis negativis esto iudicium, quae ex indecentia promuntur, quaeque inversa licet ratione in positivis includuntur. Quare ea persequi supervacaneum puto.

CAPUT XV

EORUM QUAE UTRIMQUE ALLATA SUNT *EPICRISIS*

Argumentorum collatio.

Historici veluti partes hucusque egimus ea enarrantes, quae in controversia de immaculato B. Virginis conceptu ab utraque contendentium parte pro temporum successu atque occasione prolata sunt. Haec iam ad trutinam revocantes et invicem conferentes critica lance expendamus oportet, ut ex hac collatione atque Ἐπικρίσει quid tandem colligere liceat, dignoscamus. Ut autem confusioni occurramus, quae sequeretur necesse foret, si haec permixte tractaremus, nos heic totidem paragraphis proposita argumenta pro unoquoque placito, sive a Bibliis, sive a patribus, sive ex Ecclesiae sensu aliisque traditionis fontibus desumpta, sigillatim discutiemus.

§ I. *Argumenta biblica pro utraque sententia expenduntur*

Nulla pro utraque sententia decretoria Bibliorum testimonia.

Fatendum prius ingenue est, nullum prorsus biblicorum testimoniorum suppetere, quod controversiam pro alterutra sententia plane definiat.

Etenim quae ab impugnatoribus urgebantur e sacris litteris testimonia, ea sunt quibus evincitur originalis labis in omnes propagatio, nemine prorsus excepto, nec non quae redemptionis necessitatem probant, qua omnes omnino ac singuli, qui ex Adam progeniti sunt, indigent. Porro vi sua tota biblicos hosce textus in praesenti de qua agimus quaestione destitui, constat non solum ex constitutionibus pontificiis, verum etiam ex decreto tridentino; idque oppugnatores ipsi fateantur necesse est. Siquidem romani pontifices iteratis decretis contrariam sententiam piam vocant, permittuntque ut a catholicis theologis in scholis doceatur propugneturque, atque a divini verbi praeconibus publice e suggestu Christi fidelibus proponatur. Concilium vero tridentinum in decreto de peccato originali protestatum est, seu edictum voluit: *Non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem* (1). Neque his contenta apostolica Sedes stetit, sed praeterea ut coleretur Virginis conceptio, Ecclesiam universam ad eius festum celebrandum obligatione praecepti obstrinxit. Quae quidem agendi ratio patefacit, obiecta Scripturarum eloquia peculiariter et proprie B. Virginem non tangere: alioquin nullo pacto ut *pia* aut propugnari aut praedicari posset haec sententia, sed omnino ut falsa, ut impia, nequo ferenda, quippe quae Bibliorum auctoritati contraria habenda esset. Itaque hac ratione demitur vis tota obiectis biblicis testimoniis, quibus in omnes, uno excepto Christo, culpae originalis propagatio adstruitur: nihilque in illis obstat quominus B. Virgo singulari Dei munere in ipso conceptus, seu, ut aiunt, animationis momento incolumis per gratiae sanctificantis largitionem servata ab illa dicatur (2).

Vis adimitur textibus biblicis pro contraria sententia. Ex Concilio tridentino et pontificiis constitutionibus.

Excluduntur quae e necessitate

Cum vero eiusmodi gratia, qua B. Virgo immunis a primigenia labe servata esset, ad intuitum Christi meritorum ipsi a Deo fuisset collata, sponte sua sequitur, B. Virginem eguisse redemptionis pretio, ac reapse sanguine Christi, nobiliori scilicet redemptionis genere, redemptam fuisse. Nerunt enim omnes quempiam duplici redimi ratione posse; nimirum aut si solvatur pretium, quo a captivitate cui est mancipatus liberetur, aut idem ipsum si solvatur pretium antequam captivitati mancipetur, cui ceteroquin, nisi solveretur pretium, certo subiiceretur. Hac autem altera ratione, ut Dei Matrem decebat, redempta a Christo B. Virgo esset. Proinde argumenta omnia, quae assertores maculatae conceptionis e sacris litteris promunt ad evincendam maculae contractionem ex necessitate redemptionis, hac velut ad scopulum alliduntur.

redemptionis promuntur. Duplex redemptionis ratio.

Coronidis gratia et illud adiicimus ex obiectis textibus id unum evinci, quod piae sententiae adstipulatores haud quidem inficiantur, Beatam nempe Virginem per se obnoxiam originali culpae extitisse, eiusque debiti contrahendi obligatione obstrictam ex naturali per Adam generatione fuisse, cuius vi eam incurrisset, nisi ab illa praesenti Dei praesidio fuisset liberata. Atque ita perbelle omnia, quae e Scripturis uti contraria proferri solent, cum pia sententia componuntur (3).

B. Virgo ex se obnoxia peccato originali.

Verum neque ulla e Bibliis argumenta suppetunt decretoria, quibus certo ac definite eiusmodi privilegium in Beata Virgine evincitur. Etenim praetermissis iis textibus qui *mystice*, ut aiunt, sunt intelligendi ac tralatitio dumtaxat sensu ab Ecclesia Deiparae accommodantur (hi enim dogmaticae probationi theologo viro exhibendae non sunt pares, ac solummodo Ecclesiae sensum manifestant), ille superest Geneseos locus 3, 15 expendendus. Nimis autem obscurus hic textus videtur, ac licet etiam detur sustinendam esse lectionem Vulgatae quae habet: *Ipsa conteret caput tuum*, tamen cum id, ut paulo ante animadvertimus, non esset per se praestitura mulier, sed per filium suum, seu per Christi merita, eo demum recidit quaestio, videlicet quousque tandem, qua mensura, quove modo caput serpentis B. Virgo esset contritura, seu diaboli opera dissolutura per absolutam quam de daemone ac peccato reportasset, victoriam. Iamvero sive hanc victoriam per liberationem sive per immunitatem retulisset, illud verum utroque versum mansisset, B. Virginem caput illud contrivisse (4).

Nulla testimonia biblica decretoria ad adstruendum Virginis privilegium.

Fatendum tamen est aliquod exinde argumentum erui, imo et fundamentum satis solidum ad immaculatam B. Virginis conceptionem adserendum.

Satis firmum argumentum eruitur ex Genesi 3, 15. Ostenditur.

Etenim adductis verbis aliquid Deus prorsus singulare, quodque matris promissi liberatoris proprium esset, atque ceteris non commune significatum voluit; alioquin nulla apparet ratio iuxta exegesim catholicam, quare peculiarem de hac iniecerit muliere mentionem, ex qua semen promissum erat oriturum. Iamvero in hoc, quo de agimus, nihil aliud singulare omnino atque huiusce matris proprium, quam immunitatem a quovis peccato contingere animo possumus. Nam quod ad liberationem ab originali labe post fetus animationem spectat, ea certe communis sanctissimo praecursori fuisset, qui repletus est Spiritu sancto ab utero matris suae; atque etiam, prout fert sententia satis recepta, Ieremiae, aliisque forte nonnullis. At absoluta exemptio speciale ac proprium solius Virginis privilegium foret.

Praeterea animus hypothesi de sola liberatione plene non acquiescit; haec enim in iustis omnibus, licet diverso gradu, diversaque ratione locum habet atque habuit: at heic de victoria plena agitur ac singulari; quae quamvis primario loco promisso Salvatori adscribatur, nihilominus secundario saltem B. eius Matri, mulieri κατ' ἐξοχήν nuncupatae, tribuitur, ac proinde, quod natura Filio, Matri per participationem competit.

Confirmatur.

Quocirca nominibus rite perpensis biblicis oraculis, quae pro unaquaque afferuntur sententia, patet, testimonia, quae pro priori sententia stare videntur, congruam, imo additam et necessariam

Conclusio.

nes de Salazar in op. *Pro immaculata Deiparae Virginis conceptione defensio*, Compluti 1618, vol. in fol. Io. Ant. Velasquez, *De Maria immaculate concepta*, vol. in fol. Lugd. 1653 etc. Sed prae aliis accurate rationes theologicas expendit Suarez in 3 p. s. Thomae tom. II, quaest. 29, art. 2, disp. 3, sect. 5. Opp. edit. Lugd. 1614, p. 22, seqq.

(1) Refert card. Pallavicini, ut vidimus, in *Hist. Conc. Trid.* lib. 7, cap. 7, plerosque e tridentinis patribus stetisse pro pia sententia *de immaculato conceptu*; plures praeterea optasse ut definiretur, aut saltem adiiceretur in decreto: *Quamvis pie credatur ipsam sine originali labe fuisse conceptam*. Quum tamen neutrum, aliis obsistentibus, fieri potuerit, ea saltem verba apposita sunt quae haud obscure Concilii propensionem in ad indicarent, quandoquidem Virgo vocatur *immaculata*.

(2) Cf. Suarez loc. cit. qui generalibus in sententiis, quibus et B. Virgo comprehendi videtur, accommodat perbelle verba Ulpiani in lege *Princeps de legibus* dicentis: *Princeps legibus subditus non est: Augusta vero licet sit subdita, princeps tamen eadem privilegia illi concedit, quae ipse habet*.

(3) Quod praeclare ostendit Bossuetus in cit. serm. I *De concept.*, atque idoneis exemplis e Scriptura depromptis illustrat.

(4) Notum est passim, interpretes, in sensu, quem vocant, *extensivo*, iustis omnibus aptare oraculum Geneseos 3, 15: quando et ipsi per Dei gratiam victoriam de diabolo insidiatore retulere, adeoque caput eius contriverunt. Hinc de Eva ipsa, per poenitentiam scilicet, id praestitisse dici potest. Cf. Corn. a Lapide et Bonfrerium in hunc locum.

ea memoratis expositionem admittere; contra vero non ita facile eamdem aptare illi posse textui, qui a posterioris sententiae propugnatoribus in medium affertur. Ex qua tandem illud deducimus, causam de immaculata B. Virginis conceptione hoc primo sub aspectu consideratam in tutiori loco esse collocatam.

§. II. *Patrum atque scriptorum ecclesiasticorum testimonia, quae alterutri placita favere videntur, conferuntur simul atque expenduntur*

Expenduntur testimonia patrum pro adversa sententia.

Mihi diu ac sedulo expendenti ea patrum testimonia atque effata, quae praesens spectant argumentum, quaeque maiori qua licuit fide paulo ante ita descripsi, uti ob alterutrius sententiae patronis offerri singillatim consuevere, animus aliquatenus, ut verum fatear, anceps haesit. Siquidem qui Augustino duce adversus pelagianam haeresim primigeniae labis in omnes Adae posteros propagationem propugnarunt, ne Beatam quidem Virginem a communi hominum conditione exceptam fuisse videntur asserere, cum et illa communi ratione fuerit procreata. Quorum porro mens ex eo magis clarет quod Christi carnem ideo immunem a contagione originali affirment, quia sine concubitu, at extraordinaria plane ratione concepta fuerit. Accedit quod eidem Sanctissimae Dei Genitrici accommodent, immo et eidem quasi pronuntianda tribuant illa Davidis verba: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea;* atque exinde inferant, iure carnem Mariae vocari *carnem peccati*, quatenus vere peccatum contraxerit, prout veram carnem habuit, ut ex Fulgentio patet. Idcirco addunt Mariae carnem *mundatam*, *purificatam*, *sanctificatam* fuisse priusquam Verbum ex ea carnem susciperet; idque adveniente in eam Spiritu sancto factum.

Eliduntur illorum vis.

Quae quidem omnia spernenda non sunt, praesertim cum nonnullos vel magni nominis theologos impulerint, ut in contrariam sententiam concederent. Attamen nec illud praetereundum silentio est, negari haud posse plerosque patres omnimodam in Beata Virgine sanctitatem eamque perpetuam aperte agnovisse et praedicasse. Omissis enim, quae ex Origene allata sunt, testimoniis, utpote saltem suspectis (1), certum est vetustiores Augustino patres et ecclesiasticos scriptores docuisse, B. Virginem fuisse *terram immaculatam*, ex qua efformatum est Christi corpus, prout *terra immaculata* extitit illa, ex qua plasmatus est primus homo, ut vetustissimus auctor epistolae nomine presbyterorum et diaconorum Achaiae vulgatae scripsit. Similiter in comperto est, B. Virginem cum Eva ita ab illis esse comparatam, ut quemadmodum Eva adhuc incorrupta ac prorsus innocens, seu divina gratia fulgens ab angelo tenebrarum seducta fuerit, illi assensum praestando, sic et B. Virgo incorrupta prorsus et nullo adhuc culpa aut labe infecta angelo lucis assensum praebuerit. Potior autem fuisset Evae quam Mariae conditio, si maculatus huius conceptus extitisset, quamvis ab originis vitio iam contracto postmodum fuisset mundata. Porro isthaec comparatio apud patres fuit communis. Praeterea iidem tradunt ipsummet Verbum divinum sibi veluti in templum B. Virginis corpus atque animam, seu totam Mariae personam ita aedificasse, uti Beseleel tabernaculum construxerat, quemadmodum sanctus Ephrem ac vetus auctor nomine s. Ioannis Chrysostomi affirmant, immo et ex lignis corruptioni non obnoxiis, sicut ait sanctus Hippolythus martyr, adeo ut Beata haec Virgo, testante sancto Ambrosio, fuerit *per gratiam ab omni integra labe peccati.*

Patres qui favent B. Virgini post s. Augustinum.

Sed neque post Augustinum exortamque pelagianam haeresim in patribus atque ecclesiasticis scriptoribus isthaec sublimis de omnimodo B. Virginis sanctitate opinio elanguit aut loco cessit. Quin immo magis in dies ac magis ex eo tempore increbuit. Etenim non solum et ipsi avitae traditionis filum producunt spectantes B. Virginem uti a Christo seu potius a Verbo ipso tanquam in templum, aut tabernaculum sibi extructum, vel tamquam in domum in qua habitaret sibi aedificatam, immo uti eam a qua corpus assumeret; verum praeterea hanc ipsam similitudinem exornant et amplificant, ut s. Maximus taurinensis, s. Proclus, anonymus auctor tractatus contra quinque haereses, ac s. Germanus episcopus apprime faciunt. Insuper eamdem B. Virginem vocant expresse *innocentem*, *sine macula*, *omni culpa vacantem*, aliisque eiusmodi titulis decorant, quae quamlibet labem penitus excludunt. Neque his contenti, *servatam* eam asserunt *integram gratia Dei;* negant carnem Mariae dici posse *carnem peccati;* ac probationem adiciunt, quia nimirum *constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse*, ut loquitur s. Paschasius Rathertus. Eam demum tali puritate nitere decuisse asseverant, *qua maior sub Deo intelligi nequeat*, uti s. Anselmus ait; quod quidem effatum angelicus doctor *de immunitate a peccato originali et actuali* interpretatus est.

Plerique patres favent B. Virgini.

Quae cum ita se habeant, pronum est inferre, patrum doctorumque catholicorum non unam esse sententiam quoad hoc privilegium a Deo B. Virgini communicatum. Plerique tamen, iique vetustiores immaculato B. Virginis conceptui favent, atque ita favent, ut eorum dicta nullam aliam probabilem interpretationem contrariam patiantur. Si vero de recentioribus sermo est, conceptis verbis B. Virginem originis labe omnino eximunt, eamque prorsus immaculatam ac immaculatissimam praedicant.

At concedi ne debet patres omnes, qui huic privilegio adversari videntur, illud reipsa Virgini denegasse? Rationum momenta proferam, quae contrarium cuivis cuilibet et cordato homini facile non suadebunt modo, sed persuadebunt.

Et sane praetermissis illorum patrum, qui ad priores quatuor classes recensitas spectant, testimoniis (quippe quae minus presse rem nostram attingunt, quaeque commode ea ratione exponi possunt, qua biblica testimonia intelligenda esse ostendimus), patres, scriptoresque ecclesiastici, qui ad quintam classem, atque ab adversa parte in medium ducuntur, sunt s. Augustinus, sanctus Fulgentius, Eusebius vulgo emissenus, Ferrandus diaconus, s. Ildelphonsus, s. Petrus Damiani, Rupertus, s. Anselmus cantuariensis, Hugo victorinus, ac s. Bernardus: decem videlicet a saeculo V ad XII.

Patres, qui adversari videntur, dicta sua emolliunt. S. Augustinus congrue exponi potest.

Porro ex horum numero ii *primo* subducendi sunt, qui dictis suis vim detrahunt omnem, aut maxima saltem ex parte aliis in locis extenuant, ubi qua fuerint mente accuratius exponunt. In quorum censu magnus Augustinus principem obtinet locum. Enimvero eum antea audivimus profitentem se nolle *propter honorem Domini, cum de peccato agitur, habere de Sancta Virgine Maria quaestionem, quia scimus quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum.* Quibus verbis duplicem s. doctor rationem adducit, quare declaret nolle se habere quaestionem de B. Virgine, cum de peccato agitur; videlicet propter honorem Domini, et propter uberioris gratiae collationem. Porro utraque ratio non minus ab actuali peccato, quam ab originali immunitatem requirit. Idque eo confidentius affirmandum, quod ipso Augustino magistro, peccatorum praesertim leviorum, de quibus heic disputat, scatebra et fons a primaeva, quae in nos transfusa est culpa, veluti effectus a causa sit repetenda. Inde dem enim illo in nos debilitatio infirmitasque profluxit, qua fit ut leves culpas omnes declinare nequeamus. Cum igitur B. Virgo talem gratiam e s. doctoris sententia sit consecuta, qua omnia peccata, et quidem *omni ex parte* vicerat, sponte consequitur illum existimasse huius divinae gratiae munere B. Virginem peccatum ipsum originale vicisse; quod fieri nequit, nisi per acceptam ab eadem noxa immunitatem. Hoc vero clarius adhuc ex altero constat loco, in quo hipponensis praesul cum Iuliano disputans aperte inficiatur se transcripsisse diabolo Mariam conditione nascendi, tempore eum ea concepta est; quia ipsa conditio sublata est ex eadem B. Virgine gratia renascendi, utpote ab merita Salvatoris gratia praeoccupata. Nam nisi hunc sensum haec Augustini verba praeseferrent, minime ipse propulsasset Iuliani ex-

Imo et debet.

(1) Origenis testimonia quae a piae sententiae assertoribus proferuntur, quaeque nos suo dedimus loco, desumpta sunt ex hom. 1 *ex decem homiliis in diversos locos Novi Testam. in cap. 1. Matth.* CUM ESSET DESPONSATA; nec non ex homil. 3 in cap. 2 *Matth.* ANGELUS DOMINI APPARUIT IN SOMNIS IOSEPH: adducuntur vero a p. Piazza op. cit. act. II, art. 3, tom. VII, p. 186 ex Origenis operib. edit. Paris. ann. 1605, par. 2. Nec quidem vera allegata loca in cit. editione reperiuntur; adnotat autem Piazza duas hasce homilias non esse ex illis, quas ab Origene abiudicant Bellarminus, et Labbé, atque Raynaudus, tom. XI, *Erotemate* 10. *De libris suppositiis.* Attamen exploratum est, illas haud Origenis esse. *Cf.* Huetium in *Origenianis*, lib. 3 in appendice § 5, p. 275: ubi praemittit, has homilias fuisse a Merlino, quod hic ipse fatetur, e variis locis simul collectas, et eo dispositas ordine, quo secum internexae colligataeque cernuntur. Deinde ostendit argumentis tum intrinsecis, eas spurias esse, et ab ignotis scriptoribus latinis confectas. *Cf.* etiam D. Gherardi *Patrologiam*, p. 130 et seq. nec non Io. Albertum Fabricium in *Bibliotheca graeca*, ed. Hamburgi 1801, cum supplementis Haumanni, vol. VII, lib. 5, c. 1, § 20, p. 233, n. 18.

Digitized by Google

postulationem, quod doctrina sua de originalis labis in omnes propagatione, qua Adae posteri diabolo transcribuntur, eamdem Dei Genitricem diabolo transcripserit, si et in eam adamiticus reatus derivatus fuisset. Neque enim, ut negetur B. Virginem diabolo transcriptam fuisse, illud est satis, quod postea, sive citius sive serius, ab illa labe fuerit liberata, sicuti et nobis haud quidem sufficit eiusmodi peccati ablutio per regenerationis lavacrum facta, ne dicamur diabolo transcripti *gratia renascendi*; imo nec sancto ipsi praecursori, quamvis repletus deinceps fuerit Spiritu sancto ex utero matris suae, id fuit satis.

Quomodo componantur quae in speciem contraria scripsit s. Augustinus.

Ut igitur secum ipse consentiat s. doctor, sagaciter dispiciendum, an textibus qui negotium aliquod facessere videntur, ea subsit sententia, quae cum reliquis testimoniis facile componi possit. Iam vero nil vetat, quominus prima ex allatis Augustini sententiis commode intelligatur de liberatione per exemptionem a culpa, cum dicat s. doctor aut *suscipiendam mundavit*; quod etiam ex iis colligitur quae ibidem subdit: *Ideo Virginem Matrem, non lege carnis peccati, hoc est non concupiscentiae carnalis motu concipientem, sed pia fide sanctum germen in se fieri promerentem, cum eligeret creavit, de qua crearetur elegit*; adeo nempe puram sanctamque creavit, ut digna esset, quae Dei Mater eligeretur: nisi et illud dicere velimus, quod s. doctor in obiectis verbis de humana natura, quam de B. Virgine potius locutus sit (1). Quod vero ad alterum Augustini textum attinet, planus est eius sensus. Innuit enim Christum secundum carnem ex Abrahamo per eius filios naturali ratione prognatos usque ad B. Virginem descendisse, ex qua nulla viri opera intercedente genitus est: in quo quidem nil est quod piae sententiae refragetur.

Qua sensu patres vocaverint carnem Mariae carnem peccati.

Subducendi praeterea ex eo numero nos cum Augustino ii sunt patres, qui docuerunt carnem Virginis *carnem esse peccati*. Hac enim phrasi nihil aliud patres, de quibus agimus, significatum voluere, quam B. Virginis carnem communi ratione progenitam fuisse: porro caro non constituit humanam personam, neque subiectum potest esse *formalis* quod vocant peccati, cum caro in se ac per se unice spectata neque iustitiae neque iniustitiae sit capax, uti argumentatur s. Anselmus (2). Quapropter B. Virginis caro vere dici potuit caro peccati, licet eius anima speciali privilegio intacta a peccati sorde fuerit servata; uti et nostra vere peccati caro dicitur, quamvis per regenerationis lavacrum peccati macula in ea prorsus fuerit detersa. Quum vero huiusmodi beneficium patres B. Virgini non denegent, patet nullum exinde adversus piam sententiam argumentum posse deduci. Qua ratio-

Explanantur patrum verba.

ne praeter s. Augustini verba et illa quoque s. Fulgentii, s. Petri Damiani, Ruperti abbatis, et s. Anselmi commode explicantur, a quibus peccatum improprie vocatur concupiscentia, qua B. Virginis caro procreata est, quaeque a s. Augustino recte *filia materque peccati* dicitur (3). Hoc item sensu davidica verba accipienda sunt, quae patres a B. Virgine veluti prolata exhibent: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea*; siquidem et haec de concupiscentia, ac proinde de peccati debito intelligi facile possunt. Quo quidem peccato ratione generationis etiam Virgo perfusa fuisset, nisi eius anima singulari Dei beneficio, cum primum corpusculo adhaesit, anteoccupata gratia fuisset. Quinimo ex eo quod Virginis anima in sanctitate sit condita (ex quo factum ut haec ipsa sanctitas cum eius carne suo quodam proprio modo fuerit communicata) illarum dictionum vim melius assequimur, quibus patres interdum asseruerunt Virginem emaculatam, emundatam, purgatamque fuisse, seu totum eius *suppositum* mundum sanctumque effectum (4).

Ne vero quis autumet eiusmodi explanationem a nobis pro lubito confingi, addimus, nonnulla ex allegatis patrum testimoniis illam necessaria exposcere, nisi velimus ex iis alios contra alios committere. Exemplo sit s. Paschasius Ratbertus, cuius verba sub s. Ildelphonsi nomine pro contraria sententia afferuntur; quibus is affirmat Mariae carnem *carnem esse peccati*, quam a Spiritu sancto *sanctificatam* et *emundatam* dicit. Si enim de *formalis*, uti vocant, peccati in eam propagatione accipienda forent, quanam componi ratione possent cum aliis eiusdem s. archiepiscopi seu potius Ratberti effatis, quibus asseritur *constare eam* (B. Virginem) *ab omni originali peccato immunem fuisse, et ab omni contagione peccati originis alienam*, qua de causa inficiatur carnem Mariae vere fuisse *carnem peccati*? Fatendum igitur est nonnisi ratione generationis per concupiscentiam peractae, minime vero ob labis originalis contagium Virginis carnem in priori textu *carnem peccati* appellatam fuisse.

Quid plura? nonne patres interdum vel ipsam Christi carnem vocavere *carnem peccati* ratione propagationis, quam a progenitoribus peccatoribus est sortitus? Exemplo locupletissimo sint s. Hilarius pictaviensis, et s. Proclus. S. Hilarius quidem dum libro 1 *de Trinit.* n. 13, de Christo scripserit: *CARNEM PECCATI recepit, ut assumptione carnis nostrae delicta donaret, dum eius fit particeps assumptione non crimine* (5). S. vero Proclus constantinopolitanus oratione 6, n. 14, vocat corpus Christi *corpus peccati*; sic enim Christum B. Virginem alloquentem inducit: *Nisi in PECCATI constitutus sim CORPORE, eoque tanquam mortuus in novo recliner monumento* etc. (6). Quinimo s. Gregorius nazianzenus orat. 51, n. 18 asserere non dubitavit, a Verbo assumptam esse *carnem damnatam* (7). Nemo tamen, qui vecors plane non sit, affirmabit ob eiusmodi locutiones hosce patres existimasse, Christum peccatum contraxisse originale; sic nemo prudens ob easdem locutiones dixerit allegatos patres censuisse, B. Virginem vere originalem labem incurrisse.

Patres interdum vocarunt Christi carnem carnem peccati.

Idem de s. Anselmo sentias velim, qui in libro *Cur Deus homo* non e proprio sensu, sed ex Bosonis interloquentis ore citata verba protulit. Siquidem cum in libro *de conceptu Virginis* propriam aperit sententiam, iis verbis effert B. Virginis puritatem, quae originalem maculam vel ipso doctore angelico interprete omnino excludunt (8).

Ex iis patrum ecclesiasticorumque scriptorum effatis, quae pro utraque contendentium parte diligenter excussimus atque contulimus, pronum est colligere: 1. Sententiam, quae virgineo privilegio favet, alteri sententiae temporis antecessione praescribere; haud pauci enim ex quatuor prioribus saeculis patres, ut vidi-

(1) Apposite Vasquez de Christo scribit tom. II, in 3 p. s. Thomae disp. 117, cap. 11, n. 122, ed. Ingolst. 1612, p. 42: « Quod tamen inquit (Augustinus), *aut suscipiendam mundavit aut suscipiendo mundavit*, non est intelligendum, quod ipse sanctitate sua abstulerit in carne illa singulari, quam suscepit, maculam aliquam, quae praecessisset, aut impedierit, ne peccatum et maculam contraheret. Nam cum conceptus esset non opera viri, sed de Spiritu sancto, peccatum originis non contraheret: hoc enim solum contrahere possunt descendentes ex Adamo opera viri et feminae. Intelligi igitur debet de carne in universum, nempe de tota natura humana, quam emundavit ab omni peccato Christus, assumendo partem quamdam illius naturae ». Qua posita interpretatione Augustini, sententia isthaec nullo modo proprie referretur ad Mariam, seu ad eius carnem. Sane nisi hoc modo intelligeretur Augustinus aut de praeservatione, sequeretur ex eius mente B. Virginem mundatam tantum a peccato fuisse vel in actu ipso Christi incarnationis, vel paulo ante: quod profecto adversarii non admittunt. Cf. ibid. alios huiusmodi s. Augustini ceterorumque patrum textus accurate expositos et explanatos.

(2) In lib. *De conceptu virginali et peccato orig.* c. 3, edit. cit. p. 99, cuius verba haec sunt: *Quoniam iniustitia non potest esse, nisi ubi iustitia debet esse; originale peccatum quod est iniustitia, non est in natura rationali. Rationalis autem natura non est nisi Deus, et angelus, et anima hominis, per quam homo dicitur rationalis, et sine qua non est homo*: ac s. Thomas 1. 2, q. 83, art. 1, clarius adhuc id ipsum exponit scribens. *Sicut in subiecto peccatum originale nullo modo potest esse in carne sed solum in anima... Si igitur cum anima possit esse subiectum culpae, quidquid provenit de corruptione primi peccati ad animam, habet rationem culpae: quod autem pervenit ad carnem, non habet rationem culpae, sed poenae. Sic igitur anima est subiectum peccati originalis, non autem caro.*

(3) In lib. 1 *De nupt. et concup.* c. 24, n. 27, scribit. *Ex hac concupiscentia carnis, tanquam filia peccati, et quando illi ad turpia consentitur, etiam peccatorum matrem, quaecumque nascitur proles, originali est obligata peccato, nisi in illo renascatur, quem sine ista concupiscentia Virgo concepit: propterea quando nasci est in carne dignatus, sine peccato solus est natus.*

(4) Cf. Vasquez, loc. cit. c. 11 et 12.

(5) Opp. edit. Constant. tom. II. col. 11, quem in locum cf. notam eruditi editoris. Cf. pariter eiusdem editoris praefat. § 1, n. 50 et 51, p. XVII; ubi inter cetera in rem nostram profert similem phrasim ex Tertulliano lib. 1. *De carne Christi*, n. 16, scribente: *Defendimus autem non CARNEM PECCATI evacuatam esse in Christo, sed peccatum carnis: non materiam sed naturam, non substantiam sed culpam*.

(6) In *Biblioth.* Gallandii, tom. IX, p. 642.

(7) Opp. s. Gregor. nazianz. edit. Paris. 1630, tom. I, p. 742, quem in locum cf. *Commentar.* Eliae cretensis, ibid. tom. II, col. 1200.

(8) Sane vel ipsi Centuriatores magdeburgenses, centuria XI, cap. 10, *De episcopis et doctoribus Ecclesiae*, agentes de doctoribus britannis, naevis illis quibus doctrina s. Anselmi cantuariensis ipsis videtur aspersa et hunc accensent, quod senserit *omnes in peccatis mortuos, dempta solummodo Matre Dei. Undecima centuria ecclesiasticae historiae*, Basileae 1567, col. 615, lin. 6.

mus, pro ea sunt; dum contra nonnisi ab Augustino numerari primum possint, qui eidem adversari videntur. 2. Neque etiam post Augustinum ipsum seriem interruptam fuisse patrum atque doctorum, qui piae causae suffragarentur, sed potius auctam numero, dictorumque pondere et gravitate magis communitam. 3. Quae praeclaro Virginis decori de immaculato conceptu maxime videntur obesse, perfacili expositione eaque opportunissima intelligi et explicari posse; imo ex iis pleraque ita prorsus, uti supra memoravimus, intelligenda esse atque explicanda, ne secum ipsi pugnare dicantur: contra vero nullo ratione in oppositam sententiam detorqueri aut distrahi posse illorum patrum oracula, quae ad pium adstruendum placitum adducuntur. 4. Nullum plane e patribus disertis verbis asserere, *B. Virginem fuisse sine labe originali conceptam* eaque inquinatam: secus autem se rem habere quoad patrum textus, qui in privilegii favorem afferri solent. Etenim in illis reperimus, B. Virginem idoneum Christo habitaculum in se praebuisse *pro gratia originali*, ut ait s. Maximus; item eam *ab omni originali peccato immunem fuisse*, ut s. Paschasius Ratbertus asserit, qui id pro certo ratoque habet, cum adhibet voculam illam *constat*; nec minus asseveranter id ipsum declarat, dum adicit oportere nos *B. Virginem ab omni contagione primae originis confiteri alienam*: nec non ad eamdem Dei Matrem *serpentis aditum* non patuisse, uti s. Ioannes damascenus loquitur; ne phrases bene multas aequipollentes recenseam, quae apud eosdem ceterosque patres passim occurrunt, ut cuique illorum textus oculis perlustranti facile patebit. Hi vero, omissis etiam qui ex operibus dubiis peti possent, supra viginti numerantur.

Nemo ex patribus expresse dixit B. Virginem fuisse in peccato conceptam.

Contrarium vero patres aliqui expresse dixerunt.

Atque hi quidem omnes aetate Bernardi anteriores sunt, seu ad ea tempora spectant quibus nondum controversia haec agitari coeperat. Sed quid de ipsius claraevallensis abbatis mente sentiendum est, qui patrum agmen claudit? Equidem ipsum praeterire potuissem, utpote cum a quo disceptatio haec originem duxit, cum nobis propositum fuerit antiquitatis monumenta expendere huc pertinentia, quae exorsum quaestionis antecedunt. Verumtamen nonnulla de eius sententia delibabimus. Ac 1. in confesso est s. Bernardum suam ad canonicos lugdunenses dedisse epistolam; ut eos redargueret, quod inconsulta Sede apostolica novam festivitatem de Virginis conceptione adoptaverint; 2. exinde ipsum B. Virginis ortum sanctum fuisse deducere, quod solemnitas nativitatis in Ecclesia universa celebraretur; 3. impetivisse conceptionis cultum eo quod careret obiecto. Siquidem ex ipsius mente Virgo sancta esse non potuit priusquam conciperetur, quum nequiverit *ante sancta esse quam esse*: sed nec in ipso conceptionis momento id potuit: *quomodo namque*, ipse pergit, *aut sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit, aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? Nisi forte quis dicat de Spiritu sancto eam, et non de viro conceptam fuisse; sed id hactenus* inauditum etc. Nempe ideo claraevallensis abbas sanctam Virginis conceptionem inficiatur, quia maritali complexu genita est. Minime vero perinde *peccatum* appellat libidinem utpote peccati causam, quasi censuerit libidinem in coniugali actu *formale*, ut vocant, peccatum esse. Quod vel auspicari in tanto viro nefas esset. Quae cum ita sint, patet s. doctorem de prima Virginis conceptione quam *activam* dicunt, non autem de conceptione *passiva*, sed de animationis momento, de quo nos agimus, esse locutum.

Quid sentiendum de mente s. Bernardi.

Videtur locutus de conceptione Virginis activa.

Reipsa hoc sensu auctores s. Bernardo suppares *conceptionis* vocabulum usurpasse ostendit Mabillonius (1); qui proinde sancti Bernardi effata de conceptione *activa*, seu de seminis excisione ad fetum gignendum et efformandum exposuere. Ita Alensis, Albertus magnus, s. Thomas, s. Bonaventura, quorum testimonia idem clarus vir profert. Nobis heic satis sit verba s. Bonaventurae describere qui in 3 dist. 3, q. 1 ad 4 scribit: *Non huic obviant dicta Bernardi. Potius enim intendit excludere errorem, ne quis credat Virginem sanctificatam in conceptione* (activa scilicet, praecedente animae infusionem de qua loquitur) *quam ergo Virginem devotionem nostram minuere*. Ac obiecto sibi hoc Bernardi contextu: *Nec in ipso conceptu* (sanctificari poterat) *propter peccatum quod inerat*, ita difficultatem solvit: *Constat quod illud non est dictum propter peccatum quod esset in parentibus, quia potuissent ipsum concipere sine peccato: ergo dicit propter causam peccati quae erat in carne. Ergo videtur, quod sanctificatio* (Virginis) *non fuerit ante infusionem animae*.

Ita antiquiores s. Bernardi mentem intellexerunt.

Cum igitur tum ex ipsis s. Bernardi verbis institutaque ab eo argumentatione, tum ex communi veterum, quam eorumdem verborum exhibuerunt explanatione, luculenter constet eum de conceptione tantum *activa* animationem praecedente sermonem fecisse, legitime colligitur, s. doctorem piae sententiae infensum non fuisse. Imo cum ipse ex celebritate festi de natali B. Virginis die, quae iam in Ecclesia ubique vigebat, intulerit sanctam eam extitisse ante nativitatem; iure meritoque concludimus ipsum sanctam pariter conceptionem propugnaturum fuisse, si idem festum a Christi fidelibus ubique celebrari, ut nunc fit, cognovisset. Idque eo liberius affirmo, quod s. doctor epistolae suae finem his verbis fecerit: *Quae autem dixi, absque praeiudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanae praesertim ecclesiae auctoritati atque examini totum hoc sicut et cetera, quae eiusmodi sunt, universa reservo: ipsius si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare*.

Confirmantur quae de mente s. Bernardi dicta sunt.

Sententiam suam apostolicae Sedis auctoritati subiecit.

Perperam vero clarissimus Mabillonius (quamvis profiteatur neque antiquis velle se refragari neque recentioribus, qui verba s. Bernardi secus explanant) duo oggerit ex quibus colligit s. Bernardum nullatenus pro pia stetisse sententia. Unum, quod Beatae Virginis in utero exclusam sanctificationem aequiparet sanctificationi qua et Hieremias et s. Ioannes Baptista in parentum utero sanctificati sunt, si tamen sanctitatis gradum excipias. Hos porro labe originis fuisse infectos exploratissimum est. Alterum, quod aperte concedere videatur in serm. 2 *in assumptionem*, B. Virginem a parentibus *originalem maculam traxisse*. Perperam, inquam, haec a Mabillonio oggeruntur. Illa enim aequiparatio ad unam sanctificationem personarum in utero inclusarum, de qua disserit, refertur, non autem sive ad modum, sive ad tempus (2) illius sanctificationis indigitandum protenditur. Secus enim inde sequeretur, B. Virginem solummodo post sex menses aut paulo ante nativitatem fuisse sanctificatam, quod nemo dixerit. In serm. autem 2 *de assumptione* s. Bernardus haudquaquam absolute, sed *hypothetice*, ut aiunt, loquitur dicens: *Absit enim, ut proprie quidquam inquinamenti domus haec* (B. Virgo) *aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quaereretur. Quod si originalem a parentibus maculam traxit; sed minus a Hieremia sanctificatam in utero aut non magis a Ioanne Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas christiana* (3). Perinde ac si diceret: etiamsi darem B. Virginem a parentibus originalem maculam traxisse, ab ea nihilominus mundata ac sanctificata est, prout Hieremias ac Ioannes ab eadem mundati ac sanctificati fuere. Quin potius ex eiusmodi loquendi ratione videtur constare luculentius, s. doctorem in celebri illa ad lugdunenses canonicos epistola de sola *activa* conceptione sermonem habuisse: alioquin in hoc sermone minime quidem fore per dubitationem B. Virginem

Mabillonii difficultates refutantur.

(1) In nota 141, in epist. LXXIV s. Bernardi, col. LXII, ubi scribit: « Qualis fuerit s. Bernardi mens in hac epistola, non una et eadem est doctorum antiquorum, ac neotericorum sententia. Huius diversitatis causa profluxit ex diversa acceptione vocis *conceptionis*, quam aliter neoterici, aliter auctores Bernardo suppares usurparunt. Nam isti quidem conceptionis nomine significabant conceptionem *activam*, seu confluxum seminis ad formandum embrionem. Unde Alensis, p. 1, q. 1, art. 2. *Conceptio*, inquit, *dicit commixtionem quae est in principiis seminalibus viri et mulieris* etc. Neoterici vero conceptionem sumunt pro conceptione *passiva*, id est pro instanti illo, quo anima corpori iam efformato infunditur. Superiorem conceptionis rationem clarius exprimit Alensis quaestionis iam citatae 2, art. 1, in quo distincte quaerit 1. *An B. Virgo fuerit sanctificata in conceptione*, 2. *An post conceptionem ante animae infusionem* etc. Quam significationem complectens s. Thomas in Mag. dist. 3, q. 1, art. 1, c. *Ad hoc dicendum*, inquit, *quod B. Virgo non ante conceptionem, nec in conceptione ante animae infusionem sanctificata sit*. Ex quo quidem interpretatione contigit, ut quamvis isti doctores, immo et Albertus M. et s. Bonaventura in ea fuerint sententia, B. Virginem in instanti infusionis animae fuisse peccato originali obnoxiam (quod tamen alii inficiantur); nusquam tamen s. Bernardi in hac parte [illegible] in suae sententiae patrocinium, ut multi [illegible]; sed tantum eo usi sunt ad praesidium et argumentum illius partis, quae eidem B. Virgini sanctificationem negat ante animae infusionem. Ita enim inter ceteros expresse docet Albertus M. in 3, dist. 3, art. 4, c. *Dicimus*, inquit, *quod B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem, et qui dicunt oppositum, est haeresis condemnata a b. Bernardo in epistola ad lugdunenses, et a magistris omnibus parisiensibus* ». Deinde addit etiam textum s. Bonaventurae, quem et nos retulimus. Ex quo discimus allucinatum fuisse Vasquezium dum tom. II in 3 p. q. 27, disp. 117, cap. 8, de conceptione *passiva* exponit verba s. Bernardi.

(2) In epist. cit. n. 3 et 4, ubi agit de festo praesertim nativitatis s. Io. Baptistae, eo quod in utero prius sanctificatus fuerit.

(3) Serm. cit. n. 8

a parentibus maculam originalem traxisse diceret, sed uti ratum id habuisset, prout ita affirmate in epistola constituerat. Verum de s. Bernardi mente satis.

§ III. *Quid de germano Ecclesiae sensu circa B. Virginis conceptionem sentiendum videatur, disquiritur*

Indicia sensus Ecclesiae erga aliquam doctrinam.

In catholicae Ecclesiae sensum quoad aliquam sententiam inquirere perinde quidem est atque investigare, in quam illa partem animum suum proclivem magis patefecerit. Huius vero propensionis indicia, ac manifestationes sunt publica eius acta, liturgiae, festa, orationes, pastorum ac fidelium in unum veluti conspiratio.

Ad eruendum igitur germanum veteris Ecclesiae sensum circa maculatum vel immaculatum Beatae Virginis conceptum, illud unum restat ut expendamus quae alterutrius oppositae sententiae patroni e pia antiquitate depromunt monumenta, eaque invicem comparemus.

Recentiora sunt quae ab adversariis afferuntur ex divinis officiis.

Iam vero quas maculatae conceptionis assertores in suae sententiae subsidium adducunt probationes, recentiores eae sunt, incertae, dubiaeque interpretationis. Etenim cardinalis a Turrecremata, ut vidimus, tria profert officia; in quorum primo *mundata originali macula* B. Virgo asseritur; in altero vero, quod ecclesiae gerundensis proprium fuisse dicitur, *plenius sanctificata* eadem Virgo in matris alvo exhibetur; in tertia denique, quod usu receptum penes Germaniae ecclesias fuisse idem auctor affirmat, B. Virgo *cum fomite* usque ad annuntiationis diem effertur. Porro quae ex primo officio allegantur, e sermone 2 *de assumptione* s. Bernardi desumpta sunt; quae quidem ostendimus *hypothetice* ab eo ibidem esse prolata, qui alibi de conceptione *activa* longe verisimilius est intelligendus. Quae autem ex officio ecclesiae gerundensis sunt adducta, piae potius sententiae aperte favent, tum quia in iis sermo est *de sanctificatione conceptionis* B. Virginis; tum quia revera sic, uti testatur Petrus de Alva qui illud consuluit, in eo legebatur: *statim sanctificavit*, eodem scilicet temporis puncto, quo anima corpori B. Virginis coniuncta est; quae vocula *statim* a Turrecremata fuit silentio pressa (1). Ad tertium vero quod attinet, ad officium nempe in Germania receptum, licet eius veritas admittatur, nihil tamen inde evincitur. Potest enim quis peccati fomite teneri quamvis originale peccatum sit deletum, ut in omnibus sacro baptismate ablutis contingit. Potuisset ergo B. quoque Virgo fomite peccati affici, quamvis a peccato immunis extitisset (2): alioquin si pro una eademque re fomes et peccatum acciperentur, plus quam assertores maculati conceptus vellent ex eiusmodi officio posse probari, nimirum in B. Virgine originale peccatum ad suam usque annuntiationem perseverasse. Subdititium demum est, quod ex Pelagio de ritu ecclesiae s. Mariae maioris refertur (3), ac proinde nullius est ponderis quod ex eo depromitur argumentum. Quamquam licet uti verum admittatur, nihil tamen inde adversus immaculatam conceptionem erui potest, quandoquidem *sanctificatio*, si nihil aliud adiicitur, ut in re qua de agimus, tum immunitati, tum liberationi a peccato aequo sane pacto convenit (4).

Nec plane adversantur piae sententiae.

Atque haec de his monumentis, quae tamen aetatem de qua disserimus ea attingunt quidem, sed ad eam omnia referuntur in qua istiusmodi quaestio tamdiu agitabatur, neque propterea ad propositum faciunt. Si enim patroni immaculati Virginis conceptus ea proferre vellent monumenta quae hac ipsa aetate ex iisdem officiis ac ritualibus libris pro sua causa suppetunt, illorum copia suos plane adversarios obruerent (5). Ad infirmandam porro difficultatem ex s. Leonis verbis petitam satis erat animadvertere, plus etiam ea verba probare, quam propugnatores adversae sententiae contendant. Siquidem ex illis concluderetur, B. Virginem nonnisi in Christi conceptione originali noxa purgatam fuisse. Sensus igitur in adducto testimonio alius esse nequit, quam qui aiat, Sanctam Dei Parentem maioris sanctitatis ac puritatis argumentum ex Christi conceptione consecutam esse, secus ac in ceteris feminis contingat, quae non sine peccati seu concupiscentiae sorde fetus suos concipiunt.

Quae ex s. Leone afferuntur ab adversariis, rem non conficiunt.

Contra vero adeo antiqua luculentaque sunt quae ad insigne hoc privilegium B. Virgini asserendum monumenta prostant, ut ipsorum vis infirmari atque extenuari nulla ratione possit. Nam etsi cum Petavio daremus, ex titulis *immaculatae*, *intemeratae*, aliisque eiusmodi, quibus in liturgia s. Iacobi, aliisque antiquissimis monumentis B. Virgo passim condecorata est, haud posse ineluctabile argumentum in rem nostram deduci, nihilo tamen secius probabile saltem monumentum de Ecclesiae spiritu ac sensu quoad hoc privilegium illi exhibent. Hoc igitur omisso, nemo inficias ibit cultum conceptionis a saeculo ut minimum V in ecclesia orientali obtinuisse, uti ex commemorato *Typo* manifestum fit; nec non VII saeculo viguisse, ut ex Andrea cretensi novimus: deinde vero idipsum ex Ioanne damasceno deprehendimus qui *mundissimum semen*, *fetum sanctissimum*, *animatum coelum* B. Virginem in sua conceptione appellare tunc temporis non dubitavit. Quibus profecto cultus eiusque obiectum citra dubitationem omnem designantur. Idem de Georgio nicomediensi dicen-

Antiquitas monumentorum pro immaculata conceptione.

(1) In op. *Sol veritatis*, vol. un. fol. Martii 1666, p. 644, col. 2, ubi haec verba ex tertia lect. eiusdem officii refert: *Haec quidem domus fuit B. V. Maria, de qua in Proverbiis Salomon loquitur, ita dicens: Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem. Hanc etiam domum non solum Dominus omnipotens aedificavit, cum eam in alvo matris suae Annae in octogesimo die ob eius facta carnali conceptione sibi animam infudit, imo etiam plenius eam ibidem statim sanctificavit. Et de hoc nempe potest intelligi illud, quod in 2 lib. Reg. scribitur: Statim sanctificata est ab immunditia sua, id est a culpa originali* etc. Porro his ita ex genuino officio descriptis, Alva arguit Turrecrematam quod in non paucis ad causam suam iuvandam verba a se eadem depromptis verum textum immutaverit. Inter cetera vero eum carpit ob omissionem particulae *statim*, seu quod in actu ipso animationis B. Virgo fuerit sanctificata, ut series orationis ostendit; nec non ob suppressionem totius clausulae: *Haec quidem domus fuit B. V. Maria, de qua in Proverbiis Salomon loquitur dicens: Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Cetera non persequar quae ibidem Alva in Turrecremata reprehendit, cum ex hisce constet abunde, tantum abesse ut hoc officium gerundense adstruat B. Virginem in peccato conceptam, a quo deinceps liberata per sanctificationem fuisset, ut contrarium potius mirifice constituat. Quare monumentum eiusmodi pro conceptu immaculato pugnat omnino.

(2) In tract. *De Deo Creatore*, p. 11, cap. 2, animadvertimus, dona quae lato quodam sensu *supernaturalia* dicuntur, dona scilicet *praeternaturalia*, quae in primo homine connexa erant cum dono *supernaturali* presse accepto, nimirum cum gratia quae hominem supra conditionem suam evehit ac sanctificat, posse ex se ab invicem separari; adeo ut potuisset homo per gratiam ad ordinem evehi supernaturalem, quin simul ceteris donis naturam in ordine suo perficientibus cumulatus esset. Quapropter, quod consequens est, potuit sane concipi B. Virgo se mel gratia sanctificante instructa, quin immunis esset a concupiscendi fomite. Quod igitur exstat eiusmodi fomes, id enimvero necessario non arguit originalis noxae contractionem. Accedit, quod fomes ipse in praesenti hac providentia, perinde ac ceterae quas vocant *poenalitates*, post Adae lapsum contrahantur, licet gratia sanctificante quispiam, quacumque demum ratione, donetur. Ac si de perpessionibus illis, quas mere *physicas* dixeris, agatur, exemplum in Christo habemus, qui se ipsas ex naturae susceptae conditione subiecit, etiamsi a peccato originis plane immunis extiterit. Quocirca s. Augustinus *De civit. Dei*, lib. 13, cap. 23, n. 2 affirmare non dubitavit, Christum necessitatem assumpsisse moriendi qualem et nos habemus. Ita siquidem scribit: *Quale* (corpus mortale effectum) *pro nobis etiam Christus primitus habere dignatus est*. Et *de peccat. merit. et remiss.* lib. 2, c. 29, n. 48: *Quia in eo*, (Christo), inquit, *erat similitudo carnis peccati, mutationes aetatum perpeti voluit ab ipsa exorsus infantia, ut ad mortem videatur etiam senescendo illa caro pervenire potuisse, nisi iuvenis fuisset occisus*. Augustini auctoritati innixus s. Thomas in 3 Sent. dis. 16, q. 1, art. 2, idem docet scribens: « Sed quia mors inest Christo ratione humanae naturae; ideo sicut simpliciter concedimus, quod Christus mortuus est, ita similiter concedere possumus simpliciter, *quod necessitatem moriendi habuerit*, non solum ex causa finali, sed etiam *necessitatem absolutam ut moreretur etiam si non occideretur*, ut quidam dicunt. Unde Augustinus etc. » Sic reliqui passim scholastici.

(3) Exploratum iam est apud criticos, falsum omnino esse quod ex Alvaro Pelagio adducitur de celebratione conceptionis sub nomine *sanctificationis*, quodque Launoius qui hypercriticus audit, inconsulto repetit; tum quod in antiquis Alvari codicibus quae opponuntur verba, desiderantur; tum quod nuspiam quae ab Alvaro Pelagio relata dicuntur, reperta sunt in breviariis aut missalibus ecclesiae s. Mariae maioris, licet accuratissima sub Paulo V facta de illis fuerit conquisitio; tum demum quod Petrus Alva, op. cit. p. 408 seqq. qui patientia ac solertia incredibili perlustravit breviaria pene innumera ac missalia sive romana, sive aliarum ecclesiarum, quorum ibidem distinctum catalogum texuit, interposita iurisiurandi religione testatur, se nulla offendisse, in quibus festum *conceptionis* sub titulo *sanctificationis* annuncietur.

(4) Cf. Vasquez in 3 p. s. Thomae disp. 117, cap. 12, n. 131 seqq. ubi luculentissime ostendit mundum et sanctum dici, aut mundari et sanctificari, non solum id quod prius fuit immundum atque pollutum, postea autem mundum sanctumque efficitur; verum etiam id quod immundum numquam et pollutum, aut sub peccato fuit. Hoc vero quod ad B. Virginem spectat, patrum etiam auctoritate confirmat.

(5) Nam, cum in ecclesia graeca, iam inde usque a saec. V, perinde ac in ecclesia latina, uti mox videbimus, haec conceptionis solemnitas celebraretur, cumque longe lateque in utraque ecclesia propagata esset, praesto sunt omnium ecclesiarum liturgici libri in quibus toto hoc tempore immaculata Virginis praedicatur conceptio.

Digitized by Google

dum, qui conceptionem Virginis purissimae *miraculorum ac mysteriorum primum* vocat, atque hac de causa eius celebrationem commendat: id quoque de s. Petro Argorum antistite sentiendum, qui *sanctam* in conceptione Dei Genitricem praedicavit. Atque haec de orientali ecclesia.

Antiquitas cultus in ecclesia occidentali.

Ad occidentalem autem quod spectat ecclesiam, ex allatis antea monumentis liquidum est, eiusmodi cultum a saeculo ut minimum X sive in Hispania primum sive in Anglia obtinuisse, ac ceteras posthac occidentis ecclesias pervasisse. Re tamen diligentius excussa, ac veteribus historiae monumentis penitus exploratis, aperte constat ad aetatem longe anteriorem immaculati conceptus cultum referri debere. Extat enim *vetus marmoreum neapolitanae ecclesiae kalendarium*, quod digestum esse saeculo ecclesiae IX clarissimus Alexius Symmachus Mazochius, qui eruditissimum de illo edidit commentarium, luculenter ostendit (1). Atqui in eiusmodi kalendario ad diem IX decembris, more Graecorum, haec habentur inscripta: *Conceptio Sanctae Mariae Virginis*; id quod probat iam ante saeculum IX in eadem ecclesia, a latinis scilicet hominibus, festum istud fuisse celebratum. Iure igitur meritoque Iosephus Simonius Assemanius inde concludit, Neapolitanos in Italia, ante Gallos et Anglos aliosque, omnium primos Latinorum fuisse qui Sanctissimae Deiparae immaculate conceptae hunc cultum a Graecis, ut videtur, acceptum deferrent (2). Sed aliud praeterea occurrit monumentum, quod non obscura aequr infirma praefert indicia tum de hoc ipso cultu saeculo saltem octavo in Italia recepto, tum de germano eius obiecto. Quandoquidem penes monachos perillustris benedictini Ordinis in more fuisse invenimus, ut B. Virginem collaudarent hymno cuius strophae III et IV ita se habent:

In ecclesia neapolitana.

Apud monachos Ordinis benedictini in Italia.

Hausto maligni primus ut arcidit
Virus Chelydri terrigenum parens;
Hinc lapsa pestis per genus irrepens
Cunctum profunda vulnere perculit.
Rerum miserans sed Sator, INSCIA
Cernens PIACLI *viscera Virginis,*
His ferre mortis crimina languida
Mandat salutis gaudia saecula (3).

S. Ambrosius aut Paulus diaconus.

Hunc porro hymnum nonnulli sancto ipsi Ambrosio tribuunt, alii vero Paulo diacono, qui VIII saeculo floruit (4). Verum tametsi illum haud Ambrosio adscribamus, cum res dubia, ut quod minus est, dicam sit habenda. Attamen a Paulo diacono saltem abiudicari nequit. Atque adeo hic hymnus communem illius saeculi circa immunitatem virginei conceptus sensum in Ecclesia vigentem patefecit. Imitari hymnographus noster Prudentium nobilissimum saeculi IV poetam visus est, qui hoc idem privilegium in B. Virgine iam inde ab aetate sua praedicarat in *Cathemerinon* III concinnis hisce carminibus:

Prudentius.

Hoc odium vetus illud erat,
Hoc erat aspidis, atque hominis
Digladiabile discidium,
Quod modo cernua femineis
Vipera proteritur pedibus.
Edere namque Deum merita
OMNIA VIRGO VENENA DOMAT:
Tractibus anguis inexplicitis
VIRUS INERME PIGER REVOMIT
Gramine concolor in viridi (5).

Cum vero hymni prudentiani in multis ecclesiis celebrati fuerint, atque in usum publici cultus adsciti, satis inde probatur, ut recte animadvertit doctus Faustinus Arevalo, quam communis per id aetatis esset sententia de Virgine *conterente serpentis caput*, hoc est peccatum originale, prout sancti patres atque interpretes exponunt (6). Quamobrem luculenter liquet, non in orientali modo ecclesia, sed etiam in occidentali iam a saeculo aerae christianae V et IV tum eam sententiam de immaculato B. Virginis conceptu communem fuisse ac pervulgatam, tum cultum de eodem mysterio invaluisse. Quo certe nullum illustrius de Ecclesiae universae sensu circa virgineum hoc privilegium desiderari testimonium potest.

Universalis populi consensio.

His si addatur universi christiani populi consensio de praecellenti eiusdem B. Virginis supra creaturas omnes praerogativa et sanctitate, ac de absoluta ipsius a quovis peccati vitio immunitate, quae *ab immemorabili*, ut aiunt, viguit, eo magis roborabitur et confirmabitur argumentum quod ex communi Ecclesiae sensu depromitur. Porro illius persuasionis in fidelium animis alte impressae luculenter reperiuntur vestigia etiam in ipsis Pelagii, ac deinde in Iuliani difficultatibus contra s. Augustini doctrinam propositis, quibus illi vel ex eo capite originalis labis in omnes propagationem impetebant, quod secus inde sequeretur Beatam quoque Virginem *diabolo praescriptam*, ac *peccato obnoxiam* fuisse; quod tamen aures christianae, scilicet *christiana pietas*, non ferebant. Hac enim ratione veteratores illi adnitebantur invidiam Augustini doctrinae, seu catholico dogmati conflare. Illam tamen a se amolitus est, uti exposuimus, magnus hipponensis doctor aperte negans id consequi, quod illi contendebant, eo *quod ei* (B. scilicet Mariae) *plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum*. Neque unquam eiusdemmodi persuasio in christiano populo infirmata est; immo vero firmior iugiter et communior evasit, prout omnes facile admittunt.

Iam inde ab aetate s. Augustini.

Consectaria.

Ut igitur colligamus quae ex instituta monumentorum collatione sponte veluti sua efflorescunt consectaria, patet ex dictis: 1. Sensus Ecclesiae indicia adversus immaculatam Virginis conceptionem ante exortam controversiam nulla prorsus haberi. 2. Quae ob adversa parte contra producuntur, sequioris aevi esse, eaque aut dubia aut nulla et obscura omnino, atque perpauca. 3. E contrario quae Ecclesiae propensionem, immo et conspirationem erga piam sententiam, adeoque eius sensum patefaciunt, esse antiquissima, neque ullum eorum initium definiri posse: deinde luculentissima esse, quippe quae et cultum huius mysterii ac determinatum obiectum exhibent. 4. Unanimem pro eadem pia sententia pastorum ac fidelium consensionem ad plura saecula extitisse, quaeque per liturgias, per festa, per euchologia, per fidei controversias, per conciones denique patefacta est. Quanti vero faciendus sit communis eiusmodi Ecclesiae sensus in re theologica, nemo, qui plane in eadem disciplina hospes non sit, ignorat, nosque suo loco quanti ille valeat ad traditionem pernoscendam perspicue demonstrabimus.

§ IV. *Theologica utriusque sententiae argumenta conferuntur atque expenduntur*

Collatio argumentorum quae theologica dicuntur.

Quamvis theologicae rationes per se nonnisi magis minusve probabilem sententiam aliquam faciant, tamen ubi solidis argumentis positivis innituntur, vix non certam eamdem reddunt, aut validissimam saltem de illius veritate *praesumptionem*, quam vocant, fundant et creant. Quapropter abs re non erit ad trutinam ea theologica revocare argumenta, quae pro alterutro singillatim

(1) In *Diatriba de aetate huius marmorei Kalendarii* praefixa volumini I cit. *Commentarii*, Neapoli 1744.

(2) In op. *Kalendarium Ecclesiae Universae*, Romae 1755, tom. V, p. 458, seqq. ubi et illud adiecit: « Quamobrem quum idem festum in eadem nobilissima Italiae ecclesia (neapolitana) a latinis hominibus iam ante saeculum IX celebratum sit, atque subsequentibus temporibus celebrari non desierit, miror, cur nullam eiusce rei notitiam sanctus Bernardus habuerit, dum canonicos lugdunenses reprehendens scribit, eos voluisse mutare colorem optimum novam inducendo celebritatem, quam ritus ecclesiasticus nescit, non probat ratio, non commendat *antiqua traditio?* Maxime quum hac in re satis edoceri potuisset a Normannis, qui electis e Sicilia Saracenis, regno utriusque Siciliae iam potiti fuerant, quo anno s. Bernardus scribebat. Miror etiam cur alii recentiores scriptores celebrati primum eius festi gloriam Anglis aut Gallis tribuant ».

(3) Apud Ioannem Bapt. Federici monachum Ord. bened. e congreg. casinensi qui mirifice ac erudite illustrat hymnum hunc in op. *La immacolata concezione della B. V. Maria*, Napoli 1792.

(4) Quem nuper laudavimus Federicius codici ms. saec. X aut IX monasterii casinensis innixus sub n. 420, in quo aperte hymnus quo de agitur, *s. Ambrosii* dicitur, haud contemnendis argumentis adversus Constantinum abbatem sublacensem ostendere adnititur, eum sancti praesulis germanum fetum esse. Attamen cum hic ipse hymnus in cod. monasterii beneventani Paulo diacono celebri saec. VIII poetae seu hymnographo adscribatur, haec forte postrema sententia vero videri possit similior.

(5) V. 146, seqq. edit. Faust. Arevalo S. I. Romae 1788, tom I, p. 269.

(6) Eruditus enim editor in *Prudentianis seu prolegomenis* cap. X ex his Prudentii carminibus non modo confirmat lectionem Vulgatae *ipsa conteret*, verum praeterea animadvertit quod in Prudentio videre liceat piam sententiam, non solum qualem theologi explicant, sed etiam qualem pictores vivis coloribus exprimunt, depicta imagine Deiparae, cuius pedibus *cernuus anguis proteritur, tractibus inexplicitis virus inerme revomens*. Seu ut

placito urgeri consueverunt, licet, ut saepe diximus, dogmaticae definitioni edendae minus idonea videantur. Id vero eo libentius praestamus, quod alioquin veluti manca et quodammodo imperfecta inquisitio haec nostra, illis praetermissis, haberi possit.

Quatuor argumenta pro contraria sententia.

Quatuor ex dictis argumenta praecipua sunt, quibus assertores transfusionis peccati in Mariam, suam sententiam adstruere conantur. Communis generationis ratio per ipsius parentum concupiscentiam perfecta; peccati, quas dicunt *poenalitates*, quibus etiam B. Virgo fuit obnoxia; necessitas ac natura redemptionis qua Maria indiguit; demum carnis eius cum ceterorum hominum, seu filiorum Adae carne similitudo, quae in omnibus, uno excepto Christo, caro fuit peccati. Negari haud potest non minimam, specie tenus, haec praeseferre difficultatem. Verum non eiusmodi sunt, ut nequeant cum pia sententia componi.

Eorum vis enervatur, et primum quod ex generatione promitur.

Et sane quidem communis generationis ratio id unum sibi vindicat, ut B. Virgo vi huiusmodi procreationis debitum peccati contrahendi incurrerit, quod reipsa contraxisset, nisi divinitus gratia fuisset antecoccupata, quae eius animae in ipsa creationis momento a Deo donata fuit, cum corpus primum informare coepit. Quoniam vero haec ratio unam Dei Genitricem tangit, consequitur, non ideo ad eiusdem Virginis genitores neque ad progenitores seu proximos seu prope proximos, eiusmodi posse aut debere privilegium extendi, secus ac adversae sententiae patroni concludi oportere affirmant.

Secundum desumptum ex poenalitatibus.

Ad eas autem quod attinet humanae naturae infirmitates, quae nunc *poenalitates* dicuntur, exploratum confessumque apud theologos est, eas non ita ab originis peccato necessario nexu pendere, ut provenire etiam non possint e sola Adae culpa, quamvis haec eadem culpa contracta non sit, aut saltem fuerit deleta. Enimvero in nobis eiusmodi *poenalitates* manent, licet regenerationis lavacro penitus deleta originalis fuerit macula; immo si de iis naturae perpessionibus sermo sit, quae *physicae* plane sunt omnisque turpitudinis expertes, cuiusmodi sunt et fames, et sitis et defatigatio corporis aliaeque id genus, has quidem et ipse passus est Christus pro humanae quam assumpsit naturae conditione, quin tamen noxae originali obnoxius fuerit, aut vero etiam esse potuerit (1). Quocirca naturales affectiones eiusmodi non habendae sunt semper uti certa ac indubia contractae noxae originalis indicia. Accedit, quod istae poenales aegritudines sint potius peccati contrahendi caussa quam effectus. Etenim antequam anima, quae proprie sola peccati, quod vocant *formalis*, est subiectum, corpori coniungatur, corpus iam genitum fuit natura sua passibile, mortale, et concupiscentiae ac fomiti obnoxium: ex quo fit ut corpus hac ratione genitum caussa sit proxima propagationis peccati, quo anima inficitur (2). Demum ratio haec, si nimis urgeretur, neque premeret huius sententiae adstipulatores. Siquidem ipsi fatentur immo et contendunt, B. Virginem nedum nullis actualibus noxis, sed neque concupiscentiae, neque eius fomiti, aliisve probrosis affectionibus subiectam fuisse. Porro infirmitates istiusmodi magis propriae vitii originalis sunt dicendae, quam illae quas paulo ante commemoravimus, quae scilicet nihil turpe praeseferunt. Ergo si naturales infirmitates indiscriminatim omnes sunt contractae primigeniae labis effectus atque indicia, his quoque probrosis affectionibus, immo et potiori ratione Beatam Virginem fuisse obnoxiam adseverandum foret, si peccato originis laesa fuisset: a qua tamen asseveratione christiana pietas, et ipsi quibuscum agimus theologi abhorrent quam maxime. Quod si patres, atque inter hosce Augustinus prae aliis, saepe ex naturae passionibus, quae nobis insunt, argumentantur, ut originarii peccati in omnes propagationem adstruant, dicendum ipsos ex iis, quae communiter contingunt, ratiocinatos fuisse. Ceterum poenales perpessiones ex iustitiae originalis iactura veniunt, quae pro personali Adae culpa facta est; unde accidit, ut universa hominum natura viduata fuerit his privilegiis omnibus, quae *praeternaturalia* audiunt et a supernaturalibus plane distinguuntur, quibus illa pro summa Dei liberalitate cumulata fuerat, quaeque numquam in huius vitae usura restituuntur, sive homo originis peccato irretitus, sive ab eo immunis nascatur. Ad haec, argumenti huiusmodi vis ac robur penitus concidit postquam romani pontifices proscripsere propositionem LXXIII Baii quae ita se habet: *Nemo praeter Christum est absque peccato originali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.*

Tertium ex necessitate redemptionis.

Neque pluris faciendum est argumentum quod ex redemptionis necessitate petitur. Ut enim B. Virgo tanquam redemptionis indigna assari queat, illud unum satis est, ut ipsa contrahendi peccati debito ex suae conceptionis ratione obstricta fuerit. Perinde autem est, ad naturam quod spectat redemptionis, si quis a captivitate liberetur, ac si ab eadem praeservetur. Namque haec non spectant nisi modum quo quis a captivitate eripitur. Cuius quidem rei luculenter habentur in Bibliis testimonia. Ita enim David ps. 143, 10 de se scripsit: *Redemisti David servum tuum de gladio maligno* videlicet Goliath: et quamvis huius gladius numquam David tetigerit, dixit nihilominus *redemisti*, quia nisi ei Deus suppetias tulisset, certe ab illo fuisset confodiendus. Ita et Paulus ad Galath. 3, 13 scripsit: *Christus nos redemit de maledicto legis*, etsi qui ex ethnicismo crediderant, numquam mosaica lege fuerint obstricti, atque ita porro (3). Quare proprie habetur redemptio, eaque veri nominis, sive cum quis a captivitate

chrius in *Commentario* not. 153 mentem Prudentii enarrat: « Poeta graphice depingit serpentem, qualis a pictoribus in mysterio conceptionis solet effingi, *tractibus inexplicitis*, hoc est, in spiras et nodos coactus implicitus ». Miraturque, Plazzam aliosque piae sententiae propugnatores ne nominare quidem Prudentium.

(1) Cf. superius dicta. Huc refertur celebris olim agitata controversia inter Philippum abbatem Bonae Spei et Ioannem quemdam praepositum aetate s. Bernardi, ex occasione subobscuri alicuius loci s. Hilarii pictaviensis, in quo Christi carnem nullum e vulneribus cepisse sensum doloris s. doctor existimasse videtur. Philippus enim, ut scribit Petavius *De incarn.* lib. 10, c. 4, eo disputando lapsus est, ut Christi carnem, quia sine peccato concepta fuerat, nullis peccati poenis obstrictam, et obligatam fuisse defenderet; adeoque nihil naturaliter pati potuisse aiebat, ac tantam vim ex admiranda sui generatione traxisse, ut supra patiendi conditionem evecta, quidquid nihilominus voluntarie passa est, non naturaliter, sed extraordinaria quadam lege ac velut per miraculum sit experta. Contra vero Ioannes et Christum asserebat necessitate quidem naturali, sed sponte tamen adscita et voluntaria, omnia pertulisse. Huic tandem contentioni se interposuit Hunnaldus quadam epistola, quam ad Ioannem praepositum scripsit. Hic porro Philippi sententiam eatenus improbat, quod dominicum corpus tam firma constitutione fuisse crederet, ut insolita illa et stupenda naturae illius adscriberet, et suot quadraginta dierum ieiunium, et maris calcatio; quod autem doluerit et dolendo mortuus sit, id praeter naturam, at per miraculum factum esse diceret. Quod vero ita concepta Christi caro est, nihil ut vitii ac labis contraxerit, non ex eo sequitur nihil illum pati, aut non mori potuisse ex naturae suae conditione. Quippe munda illa hominis conceptio, quam Deus assumpsit, nihil ei contulit, praeterquam quod assumens voluit. Nostrae vero infirmitatis statum, sine peccato, suscipere suae benignitati complacuit. Et infirmitatem ergo carnis habuit Christus, quam sponte suscepit, et eam non necessitate aliqua, vel invitus admisit. Habuit tamen illam ipsam, quam volens adscivit in carne patiendi conditionem, idque illi naturale fuit. Hoc enim naturale puto, ait Hunnaldus, quod a Creatore res contrahit. Proinde non praeter naturam et per miraculum doluit, qui dolendi potentia carnali non caruit. Nam cum duae in Christo naturae sint, quidquid Christus fecit vel passus est, secundum alterutram earum fecisse eum, vel sustinuisse necesse est. Atqui nihil secundum divinam passus est. Igitur quidquid passus est, secundum humanam est passus; adeoque dolendi hac proprietate non caruit, seu passus est ex naturali assumptae humanitatis conditione. Hanc sententiam probat Petavius toto capite cit.; confirmatque haud paucis Bibliorum ac patrum testimoniis; communisque ea est in catholicis scholis.

(2) Profecto si Deus hominem non evexisset ad supernaturalem ordinem eique gratuita dona *praeternaturalia* non adiecisset, obnoxius fuisset his omnibus, quae modo *poenalitates* dicuntur et sunt, nulla sine culpa, sed ex mera conditione humanae naturae: eo plane modo quo bruta animantia perpessionibus illis natura subiiciuntur. Cf. Waddingum in op. *Immaculatae conceptioni B. M. Virginis non adversari eius mortem corporalem*, Romae 1655. Recolantur pariter quae a s. Augustino, et s. Thoma auctoritatis attulimus quoad naturalem Christi mortem in assumpto corpore mortali.

(3) Quamplura alia eiusmodi vocum *redimere* ac *redemptionis* suppeditant sacrae litterae exempla eo sensu quem exposuimus. Satis unicuique erit *Concordantias*, quas vocant, Bibliorum consulere, ut de vocum illarum vi atque usu certior fiat. Siquidem longum atque inutile esset singula loca recensere. Quia vero adversarii, ut eiusmodi redemptionem excludant, urgent auctoritatem s. Thomae, abs re non erit in medium verba angelici doctoris afferre, quibus aperte duplicem ipse redemptionem, seu potius redemptionis modum adstruit, tum scilicet eam qua quis a malo quod reipsa incurrit, liberatur, tum eam vi cuius quispiam a malo eximitur quod incurrendi debitum habet. Sic porro in 4 lib. Sent. dist. 43, quaest. 1, art. 4 ad 3, ed. cit. Rom. tom. VII, fol. 203, col. 4 rem hanc declarat: *Oportet autem ponere, quod quilibet personaliter redemptione indigeat, non solum ratione naturae: liberari autem a malo, vel a debito absolvi non potest, nisi qui debitum incurrit, vel in malum deiectus fuit.* Ac paulo post: *Unde dimissio debitorum et liberatio a malo non potest intelligi quod aliquis sine debito vel immunis a malo nascatur.* Examine inutili Ioannes a s. Thoma, s. doctorem haud exigere ad redemptionem essentiam, ut quis reipsa malum iam incurrerit, sed ut disiunctive *vel* malum *vel* mali debitum contraxerit. Verum praestat verba ipsa insignis huius thomistae hoc adducere ex op. cit. *Cursu theologico*, tract. *de approbatione et auctoritate*

liberatur, in quam iam incurrerit, sive cum ab eadem priusquam in eam incurrat prorsus eximitur, licet in eam venire debuisset. Immo vero haec altera ex communi hominum sensu prima illa dignior censetur, quod longe potioris beneficii speciem praeseferat.

Quartum ex doctrina veterum.

Exinde etiam via patet qua postremum argumentum refellatur. Siquidem cum veteres unanimi consensione affirmaverint, solum Christum sine peccato esse conceptum, eo quod non fuerit sexuum permistione progenitus, neque eius carnem vocari posse carnem peccati (secus ac de B. Virgine dixerint, cuius etiam caro appellata est *caro peccati*); hoc ipso sequitur hanc debitum peccati contraxisse, ex carne peccati fuisse conceptam, adeoque redemptione indiguisse qua non modo Christus non eguit, sed non egere quidem potuit, cum solus sit omnium redemptor. His igitur omnibus receptis, quaestio ad redemptionis modum relabitur, quo B. Virgo a peccato immunis servata est, de quo paulo ante diximus. Sequitur praeterea ingens ac pene infinitum intercedere discrimen inter rationem, qua Christus immunis a peccato extitit, et eam qua Virgo Maria exempta fuit, neque utriusque conditionem aequari, cum B. Virgo immunis ab originali noxa adstruitur ac praedicatur.

Corollarium.

Quae cum ita sint facile colligitur, nulla ab his theologis argumenta afferri, quae ineluctabilia sint, et in quibus commodum non pateat effugium, imo vero etiam solutu; adeoque haud rite ab his aptari piae sententiae patrocinatoribus Augustini verba, cum ea neque *mira*, neque *nova*, multo vero minus *falsa* sint, quae in piae causae subsidium ipsi adducunt.

Argumenta pro pia sententia vel ipsi adversarii recipere coguntur.

Quod si iam aciem mentis ad argumenta convertamus quibus utuntur piae sententiae propugnatores, patebit ea non ita facile eludi posse. Sane quamvis nonnisi congruentiam, seu decentiam praeseferant, eiusmodi tamen sunt, ut spectata consueta Dei agendi ratione, vix rem non evincant, perinde uti etiam ipsi adversae partis theologi fateri coguntur. Nam licet Scripturae sileant, sileant et patres atque concilia de B. Virginis sanctificatione post aliquod ab eius conceptu in matris utero momentum, nec non de fomitis aut detentione, aut liberatione, deque immunitate a quavis vel levissima actuali culpa, aliisque eiusmodi; quin potius nonnulli ex antiquis patribus non desint, qui has praeclaras praerogativas aut omnes aut saltem aliquas eidem B. Virgini denegare videantur (1): attamen theologi isti has omnes et singulas Sanctissimae Virgini ultro tribuunt, eamque illis exornatam fuisse pro virili parte propugnant. Verum si ab ipsis amice sciscitaris quibusnam nitantur rationibus ut haec adserant, non alia profecto solidiora audies argumenta, quam quae ad adstruendam immaculatam conceptionem vindices piae sententiae urgere solent. Ea nempe proferunt, quae ex decentia et congruentia ducuntur: aiunt id summam Beatae Virginis dignitatem, seu divinae Matris munus quocum cetera connectuntur privilegia ab eoque pendent, expostulare.

Quo revolvitur controversia.

Ergo quod ad hanc spectat partem, quaestio eo tota deducitur, ut inquiratur utrum congruentiae argumenta ad liberationem ab originali peccato sint coangustanda, an vero ad exemptionem etiam praeterea sint extendenda. Quare cum in hoc se statu habeat controversia, neque traditio, neque Ecclesiae doctrina repuguet, nemo non videt, eiusmodi argumenta, ad amplificanda potius Virginis decora, quam ad eadem coarctanda movere. Nam ex omnimoda exemptione maius decus Beatae Virgini accedit, maior Deo gloria, maior Christi redemptioni honor, maius Ecclesiae Dei ornamentum, ut per se constat, quam ex limite, qui a theologis, quibuscum nobis est controversia, praefinitur. Profecto et ipsi toto cordis affectu, lubentissimoque animo praeclarum immunitatis privilegium B. Virgini tribuerent, nisi, ut ipsi loquuntur, et a Scripturarum oraculis et a patrum auctoritate atque a fidei dogmate tum de peccati in omnes prorsus homines propagatione, uno Christo dempto, tum de universali hominum omnium redemptione Christi meritis perfecta deterrentur. Quam ob causam ipsi *magis* piam sententiam suam vocare ex eo consuevere, quod magis catholicae fidei, seu catholicae veritati congruere illam existimarint. Boni procul dubio zeli ardore impulsi, viri ceteroquin pietate ac doctrina conspicui pro eadem decertarunt; in quos ne minima quidem alieni finis suspicio, cuius impulsu ita se gesserint, cadere potest, immo piaculum foret id vel leviter opinari. Verum enimvero, cum post diuturnam plurium saeculorum concertationem compertum in praesentia sit, nihil eorum, quae ipsi verebantur, esse pertimescendum; cumque sit luculenter demonstratum, neque divina eloquia, neque patres piae adversari sententiae, neque ullo pacto catholica dogmata impeti aut quidpiam laedi; immo demum cum satis in oculis positum sit, Scripturas, patres sensumque universalis Ecclesiae tum veteris tum recentioris non minimum suffragari piae de immaculato Mariae conceptu sententiae, facillime tandem colligitur, theologica argumenta quae pro immunitate Virginis afferuntur, ea esse, ut rem plane concludant. Quod tamen de intimo rei veritate, seu de re intrinsecus spectata est intelligendum. Nam quod spectat ad certitudinem, rationes, quas congruentiae vocant, parum conferunt, praesertim cum de veritate agitur quae dogmatico decreto sit definienda. Ad fidei enim veritatem obtinendam necessum est ut illa ex positivis monumentis sive Bibliorum sive traditionis, aut saltem ex argumentis quae individuo nexu cum illis coniunguntur, nobis per inerrabile Ecclesiae iudicium aperte constet.

Nulla suppetit adversariis ratio quare piam non admittant sententiam.

Spectata intrinsecus rei veritate.

CONCLUSIO

Ut ea, quae fusiori hactenus calamo exposuimus, in pauca conferamus, atque e sparsis hac illac seminibus fructum non inuberem colligamus, quaedam consectaria quae exinde manifesta fiunt, heic subiiciemus.

Biblica testimonia immaculatae conceptioni non officiunt.

1. Biblia nihil habent quod sententiae de immaculata B. Virginis conceptione adversetur, et generalia illorum effata, si pressius urgerentur, aeque ortus B. Virginis sanctitatem impeterent. Illa enim conceptionem hominum omnium in peccato non minus, quam eorumdem nativitatem, imo et vitae totius institutum tangunt. Eodem enim pacto quo dicitur: *In quo omnes peccaverunt... In iniquitatibus conceptus sum* etc. dicitur pariter: *Nisi quis renatus fuerit..... Quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex Spiritu Spiritus est. Nemo mundus a sorde, nec infans, cuius est unius diei vita super terram* (2); prout haec Iobi verba iuxta alexandrinam versionem veteres legebant patres; item: *Non*

doctrinae angelicae d. Thomae, disp. 2, art. 2, edit. Lugd. 1663, tom I, p. 181, col. 1. Ibi enim descriptis angelici doctoris verbis prosequitur: « Ubi ponderandum est d. Thomam negare illam gratiam praeservativam, quae fieret parentibus tantum, vel naturae, non ipsi personae: eo quod reputat ut magnum inconveniens, quod aliqua persona in se personaliter non egeat redemptione, sed gratia quae illi fit, sit in suis parentibus, vel ipsi naturae, aut principiis naturae, puta animae vel carni ante constitutam personam, et ante animationem. Secundo pondera quod ad liberationem per Christum disiunctive postulat d. Thomas *vel debitum*, *vel culpam* in eo qui redimendus est; ergo si efficienter salvat d. Thomam redemptionem per Christum in aliquo qui solum nasceretur cum debito, non amplius requirit quando loquitur de Virgine, et infert pro inconvenienti, quia alias non indigeret redemptione per Christum; intelligit enim quod non indigeret si conciperetur sine debito, aut sine peccato, non tamen *si conciperetur sine peccato*, dummodo conciperetur cum debito in persona. Et quoties d. Thomas infert quod non indigeret redemptione, ly *non indigeret* est quia includitur etiam debitum: hoc enim si datur, sufficit ad indigentiam liberationis, ut ex isto loco colligitur. Et ita locus hic maxime praelucet menti d. Thomae introspiciendae in aliis locis ». Sed cum alia res plura siquidem alia subtexuit ad mentem s. Thomae cognoscendam, quae brevitatis gratia heic omittimus. Huic porro theologo in eiusmodi expositione s. Thomae iam praeiverat vel ipse card. Caietanus *Comment.* in 1 2, q. 81, art. 3, scribens: *Non solum redemptione eget actualiter captivus, sed etiam obnoxius captivitati.* Quocirca in *Opusc.* 2, *Tract.* 1 *de concept. B. M. V.* c. 3, et *Comment.* in 3 par. q. 27, art. 2, fratres suos sollicite ita admonet: « Haec bene notabis, tu thomista, ne nimio zelo, non secundum scientiam accensus erronea dicas, quae erronea non sunt, cum de Beatissimae Virginis conceptione disputas aut praedicas ». Eadem habet p. Seraphinus Capponi a Porrecta in suis *Elucidationibus litteralibus* in 3 p. s. Thomae q. 27, art. 2, edit. Patav. 1698, tom. IV, p. 217 sequ. ubi etiam exponit quonam sensu scripserit s. Thomas B. Virginem fuisse sanctificatam *post animationem*, quod ipse exponit de *posteritate naturae*, non de *posteritate temporis*: adeo ut ex mente angelici doctoris *uno eodemque instanti* temporis quo anima B. Virginis condita a Deo est et infusa corpori, fuerit sanctificata per *infusionem gratiae in animam*, licet *naturae* seu *ordine* prius concipiatur anima in corpus infusa, quam gratia ornata; nam prius est *esse* quam *sanctificari*. Verum eiusmodi prioritas nihil ponit in re. Hoc igitur pacto apprime inter se componuntur quae specie tenus piae contraria sententiae in s. Thoma esse videntur, ex perspicua celebriorum ipsorum thomistarum interpretatione.

(1) Horum patrum testimonia paulo post proferemus.

(2) Iob. 14, 4. In vers. alexandrina ita leguntur haec verba: *τίς γὰρ ἔσται καθαρὸς ἀπὸ ῥύπου; οὐδὲ εἷς, ἐὰν καὶ μία ἡμέρα γένηται ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς.* Nempe: *Quis enim mundus erit a sorde? Neque unus, etsi unus dies sit eius vita super terram.* Quod vero ad patres attinet, qui hunc textum iuxta hanc versionem allegarunt tum ex graecis tum ex latinis, lege Sabatier *Bibliorum sacrorum latinae versiones antiquae*, Remis 1743,

est homo qui non peccet. In multis offendimus omnes; aliaque eiusmodi sexcenta in Scripturis occurrunt, quae omnium hominum nativitatem aeque ac vitae rationem complectuntur. Attamen, ut ipsimet hi contendunt theologi, ea nullo pacto sanctificationi B. Virginis in utero conclusae, atque immunitati a quavis vel levissima actuali labecula quidquam officiunt. Igitur fatendum necessario est oracula Scripturarum generalia, quae in omnes peccatum originis propagatum edicunt, posse exceptionem admittere; hocque illorum vim cum de B. Virgine agitur illud atque obtundi. Cum vero positivum sit testimonium, quod ex Genesis 3, 15 pro singulari Sanctissimae Dei Genitricis praerogativa secundum allatam expositionem adducitur, rite infertur Biblia potius immaculatam conceptionem indicare, immo et illi adstruendae fundamentum suppeditare, quam ipsi obsistere.

Neque officiunt patres.

II. Apud patres, ecclesiasticosque scriptores vetustissimos ea de B. Virgine pronuntiata reperiuntur, quae in germine, ut ita loquar, sententiam de eius a quavis originis culpa exemptione includunt. Germen porro istud saeculorum successu, nec non post exortam etiam pelagianam haeresim, sese iugiter magis ac magis explicuit atque usque adeo assurrexit, donec non pauci hoc decus B. Virgini assertum conceptis verbis voluere. Hisce vero cum il non adversentur, ut supra diximus, quorum testimonia pro contraria sententia afferri solent, consequitur, pium placitum continentis traditionis fundamento nullatenus esse destitutum.

Imo traditio favet.

III. Huius praeterea traditionis monumenta minime dubia in antiquissimis Ecclesiae liturgiis habentur, in festi de virginei conceptus institutione ac propagatione, in communi constantique fidelium sensu, qui maius in dies incrementum cepit.

Favent argumenta theologica.

IV. Argumenta denique theologica, quae pro hac opinione stant, eiusmodi sunt, ut ea recipere vel ii ipsi, qui pro adversa sententia depugnant, omnino cogantur.

Methodus a Launoio proposita in hac controversia.

Cum huc rem deduximus nobis id propositum fuit, ut methodo a Launois constitutae obsecundaremus, qui ratus immaculatae Virginis conceptioni nonnisi scriptores aevi dumtaxat sequioris adstipulatos fuisse, immo et pontifices romanos atque Concilia contra totius antiquitatis sensum pugnasse, dum piae sententiae favere visi sunt, suas, quas vocat *praescriptiones*, operi hac de re suo praeposuit. Quamvis autem, uti huic sublestae fidei auctori mos est, plura ipse tum falsa, tum temere dicta interseruerit(1), haud tamen regulas ab eo praestitutas negligere voluimus, ut res liquidior firmiorque evaderet.

Tractatus Launoii.

Sic porro opusculum suum, cui titulum fecit: *Praescriptiones de conceptu B. M. Virginis* (2), exorditur: « Ut enuncietur quaestio de conceptione Virginis, ea methodo et ratione, quae iudicio ab Ecclesia quando voluerit ferendo suffragari possit, expendendae sunt ac oculis subiiciendae *praescriptiones* quaedam, ut Tertulliani, qui sic librum quendam conscripsit, verba usurpem ».

Praescriptio I.

« *Praescriptio prima*. Quaestio de conceptione et alia quaelibet ad christianam religionem pertinens explicanda et solvenda ex Scriptura sacra et traditione Ecclesiae catholicae, quae traditio constat sanctorum patrum verbis et Conciliorum, per succedentia sibi saecula, ad illud tempus usque cum *definitio* fertur, aut fieri debet ».

Praescriptio III.

Subiecto deinde *praescriptione* secunda, de qua mox disseremus, addit *praescriptionem* tertiam his verbis expressam: « Ne detur errori locus, necessaria est *praescriptio* superior; cuius necessitas ducitur e via ac ratione quam iniit Concilium florentinum in definiendis quaestionibus illis, quae Ecclesiam graecam ac latinam in varias partes distrahebant. In eo Concilio statutum est, eorum scriptorum auctoritatem respuendam, qui a Nicolai I romani episcopi ac Photii constantinopolitani patriarchae temporibus floruerunt: ea enim aetate schisma ortum est. Ita reliquendi sunt scriptores illi, qui a saeculo XIII vixere; quo tempore Ioannes Scotus, argumentis fictitiis ac futilibus, Virginem labis primigeniae immunem fecit.

Falso asserit Launoius Scotum primum fuisse assertorem immaculatae conceptionis.

Heic paullisper immoremur. Equidem plura in his verbis notatione digna forent, quippe quae non pauca dicta perperam, atque effutita temere continent. Verum hisce omissis, illud unum premere mens nobis est, quod hic audax atque inconsultus scriptor de Ioanne Scoto asserere non veretur, illum nempe primitus sententiam de immaculato B. Virginis conceptu adstruxisse, aut sub eo primum controversiam hanc agitari coeptam; quorum utrumque historicae auctoritati refragatur. Etenim ex historia certissimis monumentis communita probe novimus, duobus fere ante saeculis hanc quaestionem ex occasione celebris epistolae a sancto Bernardo ad canonicos lugdunenses datae moveri coeptam: id quod anno 1140 contigit (3): Scotus autem, si vera referat Lucas Waddingus, disputationem suam post elapsum ann. 1304 Lutetiae habuit (4). Rursum, dum adhuc in vivis ageret sanctus claraevallensis abbas omnimoda B. Virginis a primigenia labe immunitas fuerat propugnata ab auctore sermonis cuius titulus: *De conceptione*; deinde vero, nimirum proxime a s. Bernardi obitu, pro eadem decertavit Nicolaus anglus s. Albani monachus, cui vel ipse Petrus cellensis monachus cisterciensis et s. Bernardi discipulus est adstipulatus (5). Igitur contra historicam veritatem criticus iste primum immaculatae Virginis assertorem Ioannem Scotum constituit. Sed vera controversiae origo ab aetate s. Bernardi est omnino repetenda.

Praescriptio II.

Iam vero Launoius canonem seu *praescriptionem* suam tertiam ex eo praemisit, quod pro certo haberet, uti innuimus, non modo nulla, quae saeculum XIII antecederent, monumenta pro pia sententia suppetere, verum omnia prorsus quae hanc aetatem praecederent, illimet adversari, uti ex eius *praescriptione* secunda patet, quae ita se habet: « Si Ecclesia quaestionem de conceptu Virginis modo iam memorato explicare ac solvere vellet, atque finem discussioni collocare anno Domini millesimo supra trecentesimum, SINE DUBIO statueretur B. Virginem sicut ceteros homines in peccato originali conceptam, suffragante ipso

tom. I, part. 2, p. 650. In Itala veteri sic efferebatur hic textus: *Quis enim erit mundus absque sorde? Nec unus quidem, etiam si unius diei fuerit vita eius super terram.*

(1) Argumentum temeritatis insignis in hoc hypercritico sit, quod eo progressus fuerit ut inficiaretur, genuinam esse clausulam Conc. tridentini, qua sese. V professum est, se in decreto de peccato originali minime B. Virginem immaculatam comprehendere voluisse; ac autumat eam Concilio adiectam in edit. an. 1564, atque quae deest in editionibus an. 1546, 1551, 1555. Ast, uti observat Benedictus XIV *De festis*, c. 15, n. 12, ea extat addita in actis Concilii autographis, quae Romae servantur, et in exemplaribus iam edita, et a Massarello Concilii secretario recognitis. Extat itidem in editionibus Concilii, quae praecessere annum 1564: et Sotus magni theologus nominis, qui Concilio adfuit, eam commemorat in Commentar. *ad Rom.* Antverpiae edito an. 1550, hoc est paulo post sessionem quintam tridentinae Synodi habitam die 17 iunii an. 1546. Praeterea perillustris theologus Catharinus in Tractatu *De immaculato conceptu* Romae edito an. 1551 scribit, eam decreti partem, qua B. Maria excipitur, summa omnium consensione et plausu esse exceptam, seque sessioni illi adfuisse. Quapropter quisque fateatur necesse est, vel ipse qui tractatum illum novit, et omnia eius auctoris opera generali praelatione auxit, Launoium impudentissime turpissimeque mentitum. Hactenus Benedictus XIV.

(2) Opp. edit. Coloniae Allobrogum 1731, tom. I, par. I, p. 9, seqq.

(3) Confer apud Mabillon. ad epist. 174.

(4) Lege sis Waddingum *Annal.* minorum, Lugduni 1635, tom. III, p. 37. Cum Launoius Ioannem Scotum adeo deprimat, iuvat heic verba describere, quibus Waddingus eius disputationem parisiensem refert: « Hic primum, inquit, publicum latvit certamen pro immaculata Virginis Mariae conceptione... Nam cum publica et solemnis de hac re disputatio ad sedandos iam exortos tumultus inter minores et praedicatores ex apostolico praecepto, apostolicis etiam praesentibus instaurerentur Legatis (neque enim Scotus primus omnium hanc defensavit sententiam, licet primus pro ea defendenda graviora statuerit fundamenta) missus est, hiecque venit Oxonio Parisios Scotus pro defendenda Virginis puritate cui suam omnem, ut diximus, acceptam ferebat doctrinam. *Adversae partis tutoribus* (nuncupat Pelbertus Temestarius) *se opponit ingeniosissimus doctor, magnum fuit pondus argumentorum, quibus impetebatur, eraniique numero 200*; omnia *sine interruptione, quieto et tranquillo animo attente audivit, et mirabili suo ordine resumpsit, solvendo intricatas eorumdem difficultates, et nodosos syllogismos, ea facilitate qua Samson Dalilae ligamina in favorem Philisthinorum parita disrumpebat. Addidit Scotus multas et fortissimas rationes, probans Virginem sanctissimam sine originali peccato conceptam. Actus obstupefecit sapientissimam illam Universitatem parisiensem, quae in gratificationem Scotum celeberrimo nomine* DOCTORIS SUBTILIS *insignivit*. Hoc itaque actu et iis quae scripsit in tertium, adiecit Universitatem parisiensem ad illud efformandum decretum, quo cavit ne ad ullos gradus scholasticos admitteretur, qui prius non iuraret se defensurum B. Virginem a noxa originaria. Decreto addidit votum de celebranda quotannis festivitate immaculatae conceptionis ». Hactenus Waddingus. Attamen Natalis Alex. *Hist. Eccl.* saec. XIII et XIV, cap. V, art. 1, § 11, haud paucis nec infirmis argumentis veluti fabulam traducit totam hanc de Scoti disputatione historiam a Waddingo relatam. Eum adi sis. Quamvis peculiaris haec de disputatione parisiensi historia non admitteretur, constat nihilominus Scoti famam longe lateque pervulgatam fuisse ob conceptionis immaculatae ab eo susceptas vindicias: ceterum historiae huius confingendae nulla extitisset ratio.

(5) Recolantur quae supra dicta sunt.

*

Vincentio lirinensi *Commonit.* cap. 3: *In ipsa*, inquit, *catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est; hoc est enim vere catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quia omnia vere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, si sequamur universalitatem, antiquitatem, consensionem* ». Concluditque Launoius: « Constat, ex Christo nato ad saeculum usque decimum tertium ea omnia, quae descripsit Vincentius, in quaestione de conceptione Virginis occurrere; ac patebit Mariam in peccato conceptam (1) ».

Launoius suum propositum evincit. Qui haec apud Launoium legerit, facile in animum inducet suum, eum aperta protulisse testimonia ex universa antiquitate conquisita, quae B. Virginem in peccato conceptam disertis verbis fuisse asserant. At mirum quidem dictu est, sed tamen verum, non alia a Launoio in medium adduci monumenta (si perpauca excipias, petita videlicet a s. Leone magno, Gelasio, sancto Gregorio magno, et ex romano clero cum post Honorii I obitum sedes Petri vacabat), quam quae aetate praefinita sint posteriora. Attamen et ex illis ipsis quae adducit, vix unum est, quod directe de B. Virgine loquatur; et si presse urgerentur, non solum eam in peccato conceptam fuisse, sed et natam evincerent, quod a nobis iam supra est animadversum (2). Post haec perinde ac si ἀναδαστικῶς rem confecisset, ita in *praescriptione IX* homo perfrictae frontis concludit: « Post Clementem VI Sedis apostolicae traditio *imminuta ac deformata est*. Sixtus enim quartus franciscanus aequali ordine habuit *novam* Scoti doctrinam, et Sedis apostolicae Ecclesiaeque romanae traditionem, persuasum habens non aliam esse hanc traditionem, quam praedicatorum opinionem. O impudentiam! o summam erga Sedem apostolicam et decessores pontifices contemptum! » Ex utra vero parte *impudentia* sit, imo addam, et incredibilis audacia atque temeritas, an scilicet ex parte Sixti IV ac tridentinae Synodi, quae constitutiones Sixti confirmavit atque innovavit, nec non successorum romanorum pontificum, qui easdem constitutiones magis ac magis amplificarunt, Ecclesiae item universae, quae festum in honorem conceptionis B. Virginis ubique celebrat, an vero ex parte Launoii, iudicium esto lectoris.

Praescriptio IX.

Impudentia Launoii.

Nihil in antiquitate expresse adversatur immaculatae conceptioni. Interim nobis satis heic sit animadvertisse, ex tota antiquitate ante hanc ortam controversiam nullum prorsus extare sive e patribus sive e Conciliis, sive e romanis pontificibus monumentum quod Virginem diserte in peccato conceptam exhibeat: nullum item testimonium proferri ex antiquitate posse, quod commode cum pia sententia componi nequeat, imo et non debeat aliquando ab ipsis adversae partis patronis exponi benigne. Divino scilicet providente Numine factum est, ut nihil ipsis unquam calamo exciderit, quod Ecclesiae sensui adversaretur, quae deinceps in piam sententiam tum verbis tum factis aperte et luculentissime animum suum proclivem patefecit. Si qua vero sunt patrum scriptorumque ecclesiasticorum dicta, quae immaculatae conceptioni refragari videntur, haec omnia ad aeram spectant, quae exortam controversiam subsecuta est. Contra vero quae pro immunitate Beatae Virginis a quavis peccati macula stant, nullam probabilem adversantem patiuntur expositionem: eaque a priscis ipsis Ecclesiae temporibus originem ducunt; et quo magis nobis proximant saecula, eo clarescunt magis, donec ad expressam de isthac exemptione formulam deveniatur; dein suffragio minime dubio ab utriusque Ecclesiae ritibus, liturgiis, festisque accessito communiuntur serie nunquam interrupta ab exorta usque primo quaestione.

Conclusio. Si igitur vestigiis insistamus quae ipse Launoius canoni Vincentiano innixus ponit, ad hanc necessario conclusionem deveniendum est, *catholicam* videlicet sententiam esse, quae docet B. Virginem non fuisse in peccato conceptam. Haec est enim, quae *ubique*, quae *semper*, quae *ab omnibus* credita et probata est. Sed si ita est, quispiam suscitabitur, qui fieri potuerit, ut tot scholastici in contrariam sententiam concesserint? Verum isthaec diversa est quaestio, et a praesenti instituto plane aliena, propriaque ac singulari disquisitione indiget, quod nos Deo iuvante dabimus. In praesentia ex iis quae diximus firmum ratumque esse debet, quaestionem de immaculata Virginis conceptione revocatam ad aetatem, quae praecessit controversiae originem, iuxta praestitutam a Launoio regulam in illius favorem prorsus dirimi; hincque iure colligimus Ecclesiam, si eam forte tunc temporis diremisset controversiam, non contrariam piae sententiae definitionem laturam fuisse, sed illam potius asserturam. Illud praeterea consequitur, rationem illam argumentandi quam Launoius maxime idoneam ad piam sententiam labefactandam censuit, maxime ad eamdem constabiliendam firmandamque conferre.

Utrum autem quae hucusque in medium produximus ea sint, quae satis fundamenti Ecclesiae catholicae, seu summo pontifici praestent, ut immaculatum Mariae conceptum in fidei dogma decreto evehat, in altera huius disquisitionis parte disceptandum assumimus.

PARS II

THEOLOGICO-CRITICA

Quae in priori huius lucubrationis parte proposuimus, eo spectabant, ut inde inquireremus utrum edendae dogmaticae de immaculato Virginis conceptu definitioni sufficiens Ecclesiae suppeteret fundamentum. Nos heic methodo, cuius est in scientia usus, insistentes, hoc argumentum evolvemus. Ut autem perspicuitati consulamus, hic ordine rite instituto exposcente, primo expendemus quaenam requirantur conditiones ad articulum fidei constabiliendum; investigabimus deinde instrumenta quibus est opus ut eae conditiones habeantur et dignoscantur: haec vero omnia exemplis quae deducemus ex definitionibus olim controversis et iamdiu editis, illustrabimus et confirmabimus. Gradum posthac faciemus ad quaestionem quam agitamus, cui praestituta accommodabimus principia. Cumque haec ipsa communiverimus *intrinsecis* atque *extrinsecis*, ut vocant, argumentis ex auctoritate derivatis, scrupulos si qui adhuc supererint, eximemus, ut ad finalem demum perveniamus conclusionem.

Quid nobis in altera hac parte sit agendum.

(1) Ibid. p. 11.

(2) Quod ut melius agnoscatur, iuverit testimonia ipsa afferre, quae urget Launoius. Iamvero ex s. Leone quatuor profert: 1. Ex serm. 1 *in natali Domini*, c. 1: *Una cunctis laetitiae communis est ratio, quia Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit*. Quae verba, ut patet, tum conceptos tum natos complectuntur, adeoque, si quid valerent, nimis probarent; 2. Ex serm. 2 *in nat. Domini*, c. 3: *Quod ut fieret sine virili semine editus est Christus ex Virgine; quam non humanus coitus, sed Spiritus sanctus fecundavit. Et cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, haec inde purgationem traxit unde concepit*. Hoc testimonium iam discussimus, vidimusque nimis probare; siquidem ex eo sequeretur, B. Virginem nonnisi in actu incarnationis fuisse a labe originali purgatam; 3. Ex serm. 4 *in nat. Domini*, c. 3: *Terra carnis humanae quae in primo fuerat praevaricatore maledicta, in solo B. Virginis partu germen edidit benedictum, et a vitio suae stirpis alienum*; nempe sine peccato, ac sine debito illud contrahendi, quod debitum B. Virgo contraxit; 4. Ex serm. 6 in eodem *natali*, c. 5: *De sola conditione nascendi una cunctis est causa peccandi. Solus itaque inter filios hominum Dominus Iesus innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiae pollutione conceptus*. Scilicet ex ratione generationis suae B. Virgo debitum contrahendi habuit peccati. Si secundum textum excipias, ceteri B. Virginem directe non attingunt. Ex s. Gelasio duo in medium adducit, alterum ex epist. 5 ad omnes Piceni episcopos, ubi loquens de primis progenitoribus scribit: *Quidquid isti genitores de suo germine protulerunt, opus quidem Dei est secundum institutionem naturae, sed non absque contagio mali, quod sua procreatione traxerunt*. Quae verba generalia sunt, nec directe de B. Virgine agunt, sed praeterea complectuntur etiam in lucem editos; prosequitur enim ibidem Gelasius dicens quemvis infantem *esse vitiosa nativitate pollutum; et, si non fuerit mysterii christiani participatione mundatus, ad vitam non posse pervenire perpetuam*; quae verba suppressit Launoius eo quod videret nimium probare contra expressam s. Gelasii mentem, qui in suo Sacramentario officium *sanctae nativitatis B. Virginis* assignavit.

Digitized by Google

CAPUT I

DE CONDITIONIBUS AD DOGMATICAM ALICUIUS DOCTRINAE DEFINITIONEM NECESSARIIS

Duae conditiones ante dogmatici decreti editionem requisitae.

Dei revelatio.

Ecclesiae propositio.

Binas necessario oportere conditiones quae simul ad articulum fidei constituendum concurrant, nemo est theologorum qui ignoret, alteram *intrinsecam*, *extrinsecam* alteram. Prior est, ut quod ex fide est, in divina contineatur revelatione. Ideo enim aliquid ex fide credimus, quia id revelavit Deus. *Motivum* siquidem, ut in scholis loquuntur, *formale* in quod tandem recidit actus fidei, est auctoritas Dei revelantis. Altera est propositio Ecclesiae qua certi efficimur aliquid esse divinitus revelatum: quae Ecclesiae propositio regula fidei *proxima* vocari consuevit. Hac ipsa vero de causa qua proxima fidei regula extat, patet etiam extare regulam eiusdem fidei *remotam*; haec autem est verbum Dei in quo divina continetur revelatio. Cumque Dei verbum ad nos profluxerit aut per Scripturarum sanctarum eloquia, aut per divinae traditionis trasmissionem, hinc bifariam fidei haec regula *remota* distinguitur, nempe in verbum Dei scriptum et in verbum Dei traditum. Hoc autem discrimen inter utramque intercedit regulam, *remotam* videlicet et *proximam*, quod fieri nequeat ut quidpiam de fide ab Ecclesia proponatur, quin illud in Dei verbo contineatur; quandoquidem ipsa custos est divinae revelationis ac magistra quae fallere et falli nequit: contra vero aliquid in verbo Dei reperiri possit, quamvis illud Ecclesia uti credendum expresse non proposuerit. Etenim de pluribus catholicae doctrinae capitibus nonnisi successu temporum dogmaticae editae fuerunt ab Ecclesia definitiones, quoties rerum adiuncta id postulabant. Scilicet id factum vel quod veritas quae iam prius in Ecclesia obtinebat, negata atque impugnata a novatoribus fuerit, aut quoquomodo temerata; vel quod excitatae fuerint contentiones et controversiae quibus fidelium animi turbarentur; vel quod antea nondum examine satis accurato res discussa fuerit atque ad liquidum redacta; quae demum postquam apud omnes in confessum venerit, plerisque flagitantibus, ad dogmaticum decretum tandem est evecta.

Exempla.

Sane non est difficile atque operosum omnia haec exemplis ab historia dogmatum petitis illustrare. Nam quod ad primum attinet, exempla suppetunt in iis, quas ab oecumenicis Conciliis aut a romanis pontificibus assertae fuere veritates catholicae adversus haereticos, uti et sabelliani sunt, et ariani, et nestoriani atque alii quotquot illiusmodi frugi homines extitere. Quoad alterum, exemplum locupletissimum habemus in controversia quae a s. Cypriano et a. Stephano agitata fuit circa anabaptismum eorum qui tincti ab haereticis fuerant. Quoad tertium demum praesto sunt haud paucae dogmaticae romanorum pontificum constitutiones, quibus plures catholicae veritates hactenus discussae, sigillo, ut ita dicam, obsignatae sunt atque extra quaestionem collocatae: uti est visio Dei beatifica proxime ab obitu obtinenda, per constitutionem Benedicti XII post longam discussionem sub Ioanne XXII habitam sancita. His adde veritates, quae sunt contradictoriae quinis Iansenii propositionibus, ab Innocentio X dogmatica constitutas, atque ita porro.

Multiplici modo aliquid in verbo Dei continetur.

Explicite.

Quae ut paulo accuratius enucleentur, praestat animadvertere non una, sed multiplici ratione posse quidquam in divina revelatione, seu in utroque Dei verbo scripto et tradito contineri, prout suo loco expendunt theologi, a quorum fontibus ea saltem quae propius rem nostram spectant, huc derivamus (1). Nimirum aliquid in verbo Dei vel *explicite* haberi potest, vel *implicite*. Atque *explicite* quidem, cum disertis conceptisque verbis res enunciatur; cuiusmodi sunt quae in Scripturis de Christi ortu, vitae genere, morte, resurrectione atque mirabili in coelum ascensione referuntur. Eodemque loco habendae eae veritates quae totius christianae religionis sunt fundamenta, uti Trinitas personarum in Deo, et Verbi seu Christi ipsius divinitas, ab eoque facta hominum redemptio: quae quidem adeo manifeste in Scripturis ipsis ac traditione exhibentur, ut citra impietatis ignominiam in dubium revocari nullo modo queant. Quare de istis omnibus veritatibus sufficiens Ecclesiae propositio ex ipso haberi censetur, quod Ecclesia et Scripturas uti divinas, Deique verbum continentes fidelibus tradat; et, quod caput est, eas veritates iugi doctrina atque usu suo, quo fideles ad vitam christianam informat, profitetur. Hinc antea etiam quam solemnis ulla de iis veritatibus definitio ab Ecclesia edita esset, qui eas aut negare, aut quovis modo corrumpere ausi sunt, illico tamquam haeretici habiti sunt et conclamati. Neque in eiusmodi veritatibus aliud assolet Ecclesia praestare, nisi terminos statuere ac declarare quibus illae rite enuncientur, easque statis formulis communire, quibus fideles ab haereticorum hominum technis tutissime protegantur.

Implicite.

Idque variis modis.

Verum aliae sunt veritates, quae tantum *implicite* in verbo divinitus revelato continentur, quod plurimis contingere modis potest. Namque aut implexe ac subobscure, et veluti quibusdam velis obductae in eo delitescunt, unde per distinctam atque uberiorem conceptuum explicationem in lucem sunt eruendae: aut aliae in aliis *explicite* revelatis veluti conclusiones in principio includuntur; aut alio intimo ac necessario nexu cum aliis fidei veritatibus ita coniunctae sunt, ut inde facili ratiocinatione atque evidenti illatione possint deduci. De hac varia qua quidpiam implicite in Dei verbo reperiri potest ratione, exemplo sunt locupletissimo dogmata quibus duas in Christo naturas post incarnationem plane impermixtas atque inconfusas permanere, humanamque Christo ipsi voluntatem a divina plane distinctam inesse profitemur; itidem ea quae sive absolutam baptismi necessitatem quoad infantes a fidelibus etiam parentibus ortos; sive integram Christi in alterutra eucharistica specie susceptionem; sive Christi ipsius in eodem eucharistico sacramento adorationem vindicant: ac demum ne alia quae plura afferri possent, persequamur, luculentum exemplum est in valore baptismatis etiam ab infideli homine administrati. Semel ac enim constitutum est generale principium, quod praeclare adeo adversus donatistas enucleat Augustinus, sacramenta, quoad suum effectum, neque a fide neque a sanctitate ministrorum pendere, pronum est inferre baptisma valere sive a peccatore, sive ab haeretico, sive etiam ab infideli homine sit administratum. Quae quidem veritatum sive explicatio, sive deductio, si a privato doctore praestetur, haudquaquam constituit fidei catholicae dogma, quod fideles impellere ad as-

Alterum s. Gelasii testimonium promit ex lib. contra pelagianos ita se habens: *Immaculati Agni proprium est nullum prorsus habuisse peccatum*; sed hoc in loco agit s. pontifex de peccato quod propria *actione* patratur; constituit enim, vitare hominem non posse peccata omnia *possibilitate facultatis humanae*, sed solius gratiae auxilio; negat tamen singulare hoc privilegium revera hominibus datum esse, qui usque *ad hanc perfectionem vitae praesentis accederent*; quod fusius evincit, ut scilicet *illius immaculati Agni* etc. Haec tamen silentio pressit Launoius. Ex s. Gregorio M. adducit textum ex lib. 18 *Moral.* in Iob. cap. 27, quaeque leguntur c. 42, n. 84, col. 598, tom. 1, ed. Maur. *Nos quippe etsi sancti efficimur, non tamen sancti nascimur: quia ipsa naturae corruptibilis conditione constringimur, ut cum Propheta dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus natus est qui ut ipsam naturae corruptibilis conditionem vinceret, ex commixtione carnalis copulae conceptus non est.* Verum, ut liquet, s. Gregorius non de conceptione modo loquitur, sed etiam *de nativitate* omnium hominum, ideoque contra eius mentem nimis probaretur his verbis; quandoquidem et ipse s. doctor in suo Sacramentario constituit festum *de nativitate B. Virginis*. Hac propterea de causa Launoius verba psalmi non adduxit uti leguntur in s. Gregorio, qui sic ea affert: *Et in delictis peperit me mater mea.* Demum ex clero romano, sede vacante, post mortem Honorii I in epistola ad Angliae episcopos, lib. 2 *Hist. Ecclesiast.* Bedae, cap. 19, recitat haec verba: *Et primum quidem blasphemia et stultiloquium est dicere hominem esse sine peccato, quia omnino non potest nisi unus mediator Dei et hominum Christus Iesus qui sine peccato est conceptus et natus; nam ceteri homines cum peccato originali nascentes testimonium praevaricationis Adae, etiamsi sine peccato actuali existentes portare noscuntur secundum Prophetam dicentem: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Post quae subdit Launoius: « In eo sermone Virgo contenta est, cum non excipiatur nec excipi possit, quin verba immutentur cleri romani, qui Ecclesiae suae traditioni inhaerebat ». Verum quis non videat eodem vitio laborare argumentum inde deductum? Nam praeterquam quod tum de conceptis tum *de natis* in hoc texto disseritur, complectitur idem textus peccata quae propria cuiusque *actione* admittuntur seu *actualia*. Nimis proinde probat quam vellet Launoius. Ceterum hic hypercriticus in pluribus lapsus est; sive in eo quod tribuat hanc epistolam clero romano universo cum exarata non sit nisi a quatuor primoribus; sive in eo quod dicat post mortem Honorii datam fuisse, cum data fuerit post obitum Severini successoris Honorii; sive in eo quod inscriptam affirmet Angliae episcopis, cum fuerit inscripta episcopis, presbyteris et abbatibus Scotiae: adducatque illam ex lib. 3 Bedae, cum referatur lib. 2. Cf. Plazza op. cit. p. 381. De Gelasii tamen et Gregorii M. Sacramentariis paulo post agemus.

(1) Cf. Wallemburgicos, *Examen principiorum fidei*, Exam. III, § 7, opp. tom. I; necnon Gautier, *Prodromus in Theol. dogmatico-scholasticam* in *Thesauro Zaccariae* tom. I, Venet. 1762.

Digitized by Google

sensum iure suo debeat (1). Sin vero dogmatico decreto (uti plures temporum progressu fuisse factitatum nuper memorabamus) praestetur ab Ecclesia, quippe christianae doctrinae nedum custode, sed interprete ac magistra, et controversiarum iudice inerrabili, omnes adstringuntur obligatione eisdem veritatibus assentiendi, utpote quae ab ipsa Ecclesia divinae traditioni innixa uti divinitus revelatae proponuntur.

Quomodo articulis fidei accessio fieri possit.

Atque haec est illa dogmatum catholicorum explicationis ac veluti progressionis ratio, qua aliqua articulis fidei, non in se quidem spectatis, sed *quoad* nos facta est, atque adhuc fieri potest accessio. Non quod Ecclesia aut post Christum atque apostolos novas veritatum revelationes habuisse vel habitura esse censenda sit; aut quod nova dogmata ab ipsa cudantur, uti per summam iniuriam calumniosi haeretici comminiscuntur; sed quod ea, quae prius subobscure ac plexibus veluti quibusdam implicata in verbo Dei revelato habebantur, evoluta atque explicata ab Ecclesia fuere, atque uti expresse credenda proposita. In hunc porro sensum loquuntur patres cum hanc fidei progressionem exhibent atque exornant.

Patrum hac de re testimonia.

Pulcherrima sane hanc in rem verba sunt quae habet s. Gregorius nazianzenus de Trinitate disserens: « Sic enim, scribit, se res habet. Vetus testamentum Patrem operte praedicabat, Filium obscurius: novum autem nobis Filium perspicue ostendit, et Spiritus sancti divinitatem subobscure quodammodo indicavit. Nunc vero Spiritus ipse nobiscum versatur, seseque nobis apertius declarat. Neque enim tutum erat, Patris divinitate nondum confessa, Filium aperte praedicari: nec Filii divinitate nondum admissa, Spiritum sanctum, velut graviorem quamdam, si ita loqui fas est, sarcinam nobis ingeri: ne alioqui, velut cibis ultra vires gravati, ac solis radiis hebetes oculos admicientes, iis quoque, quibus praediti eramus, viribus periclitaremur: quin tacitis potius accessionibus, et ut David loquitur, ascensionibus, atque ex gloria in gloriam progressionibus et incrementis Trinitatis lumen splendidioribus illucesceret (2). »

Huc pariter referuntur quae non minus vere quam eleganter scripsit Vincentius lirinensis in celebri suo *Commonitorio*, exponens quid Ecclesia praestiterit Conciliorum dogmaticis decretis. « Christi *Ecclesia*, inquit, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit; non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena: sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat; si qua iam confirmata et definita, custodiat. Denique quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur? quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur? quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur? Hoc inquam semper, nec quicquam praeterea, haereticorum novitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis catholica perfecit Ecclesia; nisi ut quod prius a maioribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturae chirographum consignaret; magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo; et plerumque propter intelligentiae lucem, non novum fidei sensum (3), novae appellationis proprietate signando (4) ».

Tantum ab Ecclesia dogmaticus revelationis sensus haberi potest.

Ex hisce quae persequuti sumus, patet quantopere necessaria sit Ecclesiae propositio, praesertim in iis quae *implicita* in Dei verbo continentur, ut legitimus ac genuinus pateat revelationis sensus. Profecto nisi peculiari hac ratione christiano populo universo consuluisset Deus, in quamplurimis veritatibus fluctuaremus, atque ancipites haereremus circa verum revelationis obiectum, atque in alias atque alias sententias distraheremur. Id quod in novatoribus videre est, qui cum unicam tantum sibi statuant fidei regulam, Scripturam scilicet, eamque privato cuiusque spiritu interpretandam, secum invicem perpetua colluctantur pugna, ac sibimet ipsi numquam constare possunt, et quolibet doctrinae seu potius erroris vento circumferuntur. Catholicis vero ubi primum Ecclesiae, quae columna et firmamentum est veritatis, propositio ac definitio praesto sit, dogmaticus revelationis sensus fixus ratusque esse debet, atque qualibet erroris formidine depulsa, omnisque disceptationis materie submota (5). Ac non sine providenti divini numinis consilio factum ad existimandum est, ut plurima nonnisi implexa atque adumbrata in verbo divinitus revelato delitescant; ut nimirum fideles inde magis necessitatem vivi ac inerrabilis magisterii Ecclesiae sentirent, atque ab ea uti filii a matris uberibus pendentes discerent purissimum lac doctrinarum exsugere.

Neque Scripturae dumtaxat sed etiam traditionis.

Dum vero *sensum revelationis* dogmaticum ab una Ecclesia catholica accipiendum dicimus, id de Dei verbo tam scripto quam tradito intelligendum esse, nemo est qui nesciat: quandoquidem non unius tantum Scripturae, sed etiam traditionis aequo iure legitima custos Ecclesia est, atque inerrabilis interpres (6). Saepissime porro fit ut monumenta quorum subsidio cognosci traditio debet, et patrum ipsorum effata vel nullo pacto inter se conveniant; vel obscura sint, ac certitudini pariendae imparia; et non semel eiusmodi, ut iis haeretici dolo malo sint ad placita propria firmanda, aut vero etiam excogitanda abusi. Quod pluribus ostendere exemplis pronum esset, atque adeo idoneis locis, prout sese nobis occasio dederit, comprobabimus (7).

(1) Wallenburgici loc. cit., § 3 haec habent a Propositio: *Nulla conclusio, quae tantum deducitur ex una praemissarum quae est Scripturae et ex altera rationis evidentis ac necessariae, est fidei catholicae; sive illa conclusio consideretur ut deducta ex praemissis in forma dispositis, sive consideretur independenter a forma, sed tantum ut virtualiter contenta in praemissis revelatis.* Haec propositio nullum habet dolorem apud catholicos. Sunt enim doctores, qui affirmant tales conclusiones esse fidei; sunt qui negant. Unde apud hos et illos certum est, eas non esse fidei catholicae, sive non esse necesse, ut omnes eas agnoscant pro revelatis.

(2) Lege, si vacat, alia lectu omnia testimonia patrum apud Petavium *de Trinit.* lib. 2, cap. 7, ubi allegat inter ceteros s. Epiphanium, s. Augustinum, Isidorum pelusiotam, s. Chrysostomum, s. Gregorium nyssenum, Basilium seleucensem, s. Amphilochium, s. Ioannem damascenum etc.

(3) Atque hoc obiter advertu, immerito prorsus ac temere se gerere Io. Clericum, qui tom. 1 *Artis criticae* vellicat Ecclesiam eo quod nonnullas voces consecraverit novas ad antiqua dogmata asserenda, ex. gr. *Consubstantialis*, *Transubstantiationis*, ac similium, quas voces nihil, ut ipse loquitur. Qui enim hac de causa Ecclesiam carpit, perinde facit ac ille, qui diceret, ut ait s. Hilarius in lib. adversus imperatorem Constantium: *Nolo adversum nova venena novas medicamentorum comparationes; nolo adversum novos hostes nova bella; nolo adversum novas insidias consilia recentia... Novitatis vocum, sed profanas devitare iubet Apostolus; tu cur pias excludis, quum praesertim scriptum sit, omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est? Innascibilem numquam legis; numquid ex hoc negandum erit, quia novum est? Decernis similem Patri Filium, Evangelia non praedicant: quid est quod non refugis hanc vocem? In uno novitas eligitur, in alio submovetur. Ubi impietatis occasio, novitas admittitur; ubi autem religionis* MAXIMA ET SOLA CAUTELA EST, *excluditur*.

(4) Cap. 32, edit. Rom. in 8, 1731, p. 70, seq.

(5) Quo sensu laudatus Vincentius lirinensis in *Commonit.* cap. 1, haec praeclare scripsit: « Saepe magno studio et summa attentione perquirens a quamplurimis sanctitate et doctrina praestantibus viris, quonam modo possim certa quadam et quasi generali ac regulari via catholicae fidei veritatem ab haereticae pravitatis falsitate discernere; huiusmodi semper responsum ab omnibus fere retuli: Quod sive ego sive quis alius vellet exurgentium haereticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, et in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Domino adiuvante, deberet. Primo scilicet, divinae legis auctoritate; tum deinde Ecclesiae catholicae traditione. Hic forsitan requirat aliquis: Quum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei ecclesiasticae intelligentiae iungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt; sed eiusdem eloquia aliter, atque aliter, alius atque alius interpretatur; ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illa Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur ».

(6) Ad rem inter ceteros Petavius loc. cit. in *Prolegomenis*, cap. 1, constituit utriusque divini verbi, scripti ac traditi, Ecclesiam interpretem esse. Cf. etiam Moehler, *Symbolique*, chap. VI, § 39.

(7) Eequis ignorat archimandritam Eutychen permotum praecipue fuisse ad unicam in Christo asserendam naturam ex s. Cyrilli alexandrini effato perperam intellecto; quod passim ab eo est adversus Nestorium usurpatum, praesertim in 1 epist. ad Successum, nimirum post incarnationem in Christo μίαν φύσιν τοῦ θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην unam *Dei Verbi incarnatam esse naturam*? Cf. Petav. *De incarnat.* lib. 1, c. 15, § 7, et lib. IV, c. 8. Idem confingit Monothelitas, qui occasionem arripuere nefandae haeresis invehendae ex celebri dicto pseudo-Dionysii in epist. 4 ad Caium, ubi ait οὐ τὰ θεῖα θεϊκῶς, οὐ τὰ ἀνθρώπεια κατὰ ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀνδρωθέντος θεοῦ, καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πεπολιτευμένος non humano modo (Christum) propria hominis egisse; sed cum vir esset factus Deus, novum quamdam Dei virilem operationem vivendi genere instituisse. Cf. Petav. Ibid. lib. 1, c. 29, § 9. Nec aliter ac generare Socinians propter obscura dicta nonnullorum patrum antenicaenorum, quibus abnormi ratione abusi sunt ad veram divinitatem Christi denegandam. Sic ceteris dimissis, haud Lutherus totum haereticum systema de sola fide iustificante ex prava intelligentia testimonii, quod ad exonerandos eius scrupulos quispiam ipsi suggesserat ex serm. 1 s. Bernardi *de annuntiat. B. Virginis*, n. 3. *Si credis pec-*

Quandoque indirecte ab Ecclesia controversiae diremptae.

Neque demum silentio praetereundum, interdum nonnisi *indirecte* ab Ecclesia diremptas controversias esse, ac veritatem catholicam definitam. Idque praestitit Tridentinum cum sess. 24, can. 7 anathema in eos tulit, qui dicerent, errare Ecclesiam docentem matrimonii vinculum non solvi ob alterutrius coniugis adulterium. Quo canone *directe* quidem Ecclesiam esse inerrabilem circa hunc articulum definitur; *indirecte* autem christianum coniugium iuxta evangelicam atque apostolicam doctrinam uti indissolubile declaratur. Atque ita factum est, ut anathemate confixi fuerint protestantes, qui erroris incusabant Ecclesiam, quod coniugium etiam in adulterio indissolubile prorsus atque inenodabile permanere doceret; dedocti que in sua consuetudine fuerint Graeci, quin ideo haereseos nota inurerentur; atque omnibus absque ulla erroris ambage patuerit, evangelicam et apostolicam hoc articulo contineri doctrinam.

Quorsum vero haec in antecessum a nobis afferantur ex operis decursu patefiet. Interim ea ex ima penitaque theologicae disciplinae natura deprompta ut certa rataque teneantur velim.

CAPUT II

DE RATIONE QUA EIUSMODI CONDITIONES COMPLERI QUEUNT.

Qua ratione bonae illae conditiones habeantur.

Ad dogmaticam definitionem pronuntiandam quae ante requiruntur conditionibus in tuto collocatis, ordo postulat, ut ratio aperiatur, qua illae obtineri queant, atque innotescere. Equidem si de Ecclesiae propositione sit sermo, nullum dubium suboriri potest. Satis enim est ut aliquid credendum sive ab oecumenico quopiam Concilio, sive a romano pontifice per dogmaticam constitutionem proponatur, sive quavis alia ratione, si qua supersit, qua Ecclesia dogma fidei possit asserere.

Quibus criteriis dignoscatur aliquid in divina revelatione contineri.

Quoniam vero ex dictis nihil Ecclesia proponere potest ex fide divina credendum, quod in revelatione non contineatur, restat inquirendum, quaenam sint criteria, indicia et argumenta, quibus constare possit, quamdam veritatem reipsa in verbo divinitus revelato sive scripto sive tradito contineri. Et quoniam id in eo vel *explicite*, vel *implicite* haberi posse iam satis declaravimus, gravior ac difficilior eiusmodi fit inquisitio, ubi agitur de iis veritatibus quas divinum verbum hac altera ratione, *implicite* nempe, complectitur. Nam nisi et istas divinitus patefactas esse constaret, nunquam ab Ecclesia definitae fuissent, uti plures quovis definitae tempore sunt, nec definiri unquam possent. Quare ut pro occasione aut necessitate veritates huiusmodi dogmatice decerni queant, necessum omnino est, ut earum saltem indicia atque vestigia minime dubia sive in Scripturis sive in traditione transluceant. Ad haec autem internoscenda multa praesto sunt instrumenta. Huc enim ea referuntur omnia per quae ad nos pervenit, nobisque antiqua innotescit traditio. Dixi *instrumenta per quae ad nos pervenit atque innotescit antiqua seu divina traditio*; non enim commisceri potest traditio ipsa cum instrumentis seu modis per quos ea nobis manifestatur, cum res sint plane distinctae, cuiusmodi est *obiectum* in se consideratum, atque *instrumentum* seu ratio qua obiectum assequimur.

Haec recensentur.

Iam vero haec instrumenta sunt patrum scripta, sunt libri liturgici, sunt dies festi, sunt acta martyrum, sunt perpetuus fidelium sensus, sunt vel ipsorum haereticorum sive positiva sive negativa testimonia, sunt monumenta ipsa archaeologica, quae in multiplices classes distribuuntur; denique inter omnia eminet primumque sibi locum vindicat iuge ac vivum Ecclesiae magisterium, prout suo loco fuse ostendimus atque perspicue explanavimus (1).

Coniuncte vim habent per modum unius.

Istiusmodi autem instrumenta interdum simul coniuncte conspirare possunt ad traditionem antiquam apostolicam atque divinam patefaciendam, interdum vero seorsum. Hinc nullum, modo exceptum, perinde ac si solum esset, constitui potest. Quocirca perperam nonnulli solent ad inficiandam traditionis alicuius existentiam urgere silentium patrum, aut ad eorum auctoritatem, quasi ceteris seclusis fontibus, provocare. Quid enim si silentium istud alio pacto plene compensetur ac suppleatur? Idem de ceteris heic recensitis instrumentis, si singillatim spectentur, dicatur oportet.

Confirmantur et declarantur quae dicta sunt.

Et sane, quod seclusis sanctorum patrum scriptis, potuisset cuiuspiam veritatis traditio alia quavis ratione ad nos pervenire, argumento nobis sunt manifestissimo illi ipsi qui primi argumentum ex traditione deductum tanquam thesin constituerunt ad fidem contra haereticos quodlibet propugnandam; cuiusmodi in primis Irenaeus ac Tertullianus extitere.

S. Irenaeus.

Irenaeus quidem postquam in primis libri tertii capitibus constituerit adversus haereticos, parem tribuendam esse Scripturae ac traditioni in tuendis fidei veritatibus auctoritatem; et postquam omnimodis argumentis ostenderit, traditionem extare, eamque a Scriptura prorsus distingui, transit ad instrumentum et veluti canalem detegendum, quo traditio apostolica ad aetatem usque suam intemerata fluxisset. Hoc porro non aliud esse asserit quam successionem legitimam episcoporum in Ecclesiis catholica ordinatorum. Hinc est ut hanc episcoporum successionem tam acriter, quemadmodum loquitur Massuetus (2), tamque frequenter urgeat adversus haereticos Irenaeus, ratus nihil efficacius fore ad omnem haereticorum pervicaciam retundendam. *Non oportet*, inquit, *adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quae sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitae* (3). Ac deinde progreditur dicens: *Quid enim? et si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oportet in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere quod certum et re liquidum est? quid autem, si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis; nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant ecclesias?* (4)

Tertullianus.

Eadem se ratione Tertullianus gessit, qui tum alibi (5), tum potissimum in libro *de praescriptionibus* cap. 9 et seqq. eandem atque Irenaeus insistit viam. Opposita enim haereticis etiam hac *praescriptione*, traditionis videlicet non scriptae et a sacris litteris plane distinctae, ita prosequitur: *Dehinc* (apostoli) *in orbem profecti eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae, ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur ut ecclesiae fiant; per hoc et ipsae apostolicae deputantur ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est... Hinc igitur dirigimus praescriptionem. Si Dominus Iesus Christus apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores quam quos Christus instituit ...... Quid autem praedicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando tam viva* (quod aiunt) *voce, quam per epistolas postea* (6). Quemadmodum vero Irenaeus, praeiacto solido illo fundamento de ecclesiis ab apostolis institutis ad veram doctrinam traditam internoscendam, haereticos omnes ad easdem provocabat, speciatim autem ad Ecclesiae romanae sensum in eum finem ipsos revocabat; ita pariter Tertullianus concludens eos lacessit: *Age iam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae; per-*

cata tua non posse deleri, nisi ab eo cui soli peccasti, et in quem peccatum non cadit, bene facis; sed adde adhuc ut hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium quod perhibet in corde tuo Spiritus sanctus, dicens: dimissa sunt tibi peccata tua. Cf. Audin *Histoire de la vie de Martin Luther*, ch. 1, edit. 2, Paris 1841, p. 72, 73. Applicari his omnibus singulatim possunt quae de Eutyche scripsit Petavius: « Ex Cyrilli dictis suam haeresim Eutyches collegit; quemadmodum eodem e floribus, unde mellitum rorem apes exsugunt, aranei, at serpentes venenum exprimunt ».

(1) Tract. *de locis theolog.* par. 2, sect. 2, cap. 2.

(2) Opp. s. Irenaei Paris. 1710. *Dissertationes praeviae in Irenaei libros*, diss. III, art. 3, *De Traditionis auctoritate et fundamento*, p. CXIV, n. 16. Ipsa quae tota quanta est legatur haec dissertatio.

(3) *Contra haeres.* lib. 3, cap. 4, n. 1.

(4) Ibid. Cf. etiam quae de mente Irenaei praeclare scripsit cl. Moehler, *Patrologie*, tom. 1, p. 371 seqq. Nec non I. B. Prat, *Histoire de saint Irenee*, Paris 1843, liv. 2, ch. 5.

(5) Lib. *De corona Milit.* cap. 3 et 4. Cf. lib. 1 *advers. Marcionem*, c. 21, ed. Rigaltii, ubi inter cetera ad rem nostram scribit: *Non alia agnoscenda erit traditio apostolorum, quam quae hodie apud ipsorum ecclesias editur.*

(6) Lib. *De Praescrip.* edit. cit. c. 20, 21.

curre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesident (1); *apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscuiusque..... Si Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam apostolorum cum sanguine profuderunt! Ubi Petrus passioni dominicae adaequatur, ubi Paulus Ioannis* (Baptistae) *exitu coronatur, ubi apostolus Ioannes posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum africanis quoque ecclesiis contesserarit* (2).

Traditio transmissa per episcoporum successionem.

Ex his assequimur, ecclesias conservasse doctrinam a Christo et ab apostolis traditam eamque per episcoporum successionem posteris transmisisse, quatenus ipsi nimirum ceteros instituendo ad successores transmiserint quod a praecessoribus acceperant. Transmiserant autem tum activi opera magisterii, tum usu et praxi, tum institutis ritibus, aliisque eiusdemmodi; adeo ut catholica atque apostolica doctrina inoculata, ut ita dicam, fuerit atque inserta communi Ecclesiae coetui, uti cibus qui in nutrimentum transmutatur atque convertitur; aut etiam, ut phrasi nunc usu recepta utar, in ipso Ecclesiae corpore fuerit incarnata (3). Quamvis proinde patres de aliquo peculiari doctrinae articulo vel parce admodum disseruerint, vel etiam, quia nulla sese eis obtulit occasio, penitus siluerint; non ideo tamen concludendum, traditionem aut doctrinam illam in Ecclesia minime viguisse. Quinimo contingere quandoque potest, ut nonnulli patres ac doctores ea interdum in scriptis habeant suis, quae vigenti doctrinae repugnent; praesertim cum se non uti traditionis testes commendent, sed uti doctores, qui e proprio philosophantur penu, ea prorsus ratione, qua theologi nostrates identidem facere consuevere. Haec autem paulo post luculentis illustrabimus exemplis. Satis igitur est ad cognoscendam traditam doctrinam in Ecclesia vigentem iuge eiusdem Ecclesiae magisterium, praxis seu consuetudo, quae monumentis firmetur, et communis ipse pastorum ac fidelium sensus.

Quae exstiterint scripta patrum.

Et vero quomodo sive Irenaeus sive Tertullianus ad adstruendam adversus haereticos apostolicam traditionem eos provocare ad patrum scripta potuissent, si haec nulla erant, saltem dogmatica? Item Irenaei aetate non habebantur nisi paucae epistolae Clementis romani, Barnabae, Ignatii ac Polycarpi, item liber Hermae inscriptus *Pastor* aliave nonnulla, quae adhortationes morales ut plurimum complectebantur. In ecclesia vero latina, qui latino primum usus sit eloquio, ipse est Tertullianus unicus et antiquissimus auctor cuius opera supersint (4). Cum s. Stephanus pontifex s. Cypriano rescripsit: *Si quis a quacumque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad poenitentiam* (5); ubinam erant patrum scripta, quae traditionem hanc testarentur? Attamen fidenter ipse ad traditionem appellat, non aliam profecto, quam quae *praxi* et usu constaret.

Quanti faciendus in rebus fidei sensus fidelium.

Quoniam vero de communi fidelium sensu aliquid attigimus, luverit paucis exponere quanti pendendus ille sit ad Ecclesiae doctrinam, adeoque ad traditionem in ea vigentem dignoscendam. Porro praestantissimi theologi maximam probandi vim huic communi sensui inesse uno ore fatentur. Etenim Canus: *In quaestione fidei*, loquit, *communis fidelis populi sensus haud levem facit fidem* (6). Gregorius vero de Valentia fusius vim eiusmodi fidelium consensus evolvit. *Est enim*, inquit, *in definitionibus fidei habenda ratio, quoad fieri potest, consensus fidelium; quoniam et ii sane, quatenus ex ipsis constat Ecclesia, sic Spiritu sancto assistente, divinas revelationes integre ac pure conservant, ut omnes illi quidem aberrare non possint... Illud solum contendo: Si quando de re aliqua in materia religionis controversia constaret, fidelium omnium concordem esse sententiam (solet autem id constare vel ipsa praxi alicuius cultus communiter apud christianos populos recepta, vel ex scandalo et offensione communi, quae ex opinione aliqua oritur etc.); merito posse ac debere pontificem illa niti, ut quae esset Ecclesiae sententia infallibilis* (7). Neque ab his abludit Petavius, qui probata s. Paulini sententia, qua antistes ille monet, *ut de omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat* (8), ita prosequitur: *Scitum illud est Augustini, singulorum mentibus revelari quaedam a Deo, non solum cum extraordinariis modis, velut visis et ostentis, et huiusmodi significationibus occultum aliquid innotescit, verum etiam usitatis rationibus: quando quod ignotum erat vel orantibus ac pulsantibus, vel aliud agentibus aperitur* (9). Quidquid porro sit de *firma* hac *persuasione* quam Graeci vocant *πληροφορίαν*, de qua in rem suam disserit Petavius (10), illud firmum exploratumque est, plurimi in rebus fidei communem fidelium sensum esse existimandum.

Iuxta recentiores theologos.

Neque vero putet quis, recentiores theologos id esse sibi pro lubito commentos: ipsi enim etiam a veteribus patribus, et scriptoribus ecclesiasticis id sunt mutuati. Enim vero ad communem hunc fidelium sensum sanctus Epiphanius antidicomarianitas provocat (11), ad hunc s. Hieronymus Vigilantium (12), ad hunc sanctus Augustinus Pelagium atque Iulianum (13). Hinc Vincentius lirinensis in praeclaro suo *Commonitorio*, ut evincat recipienda non esse dogmata, quae universalis Ecclesiae doctrinae sit contraria, ita ratiocinatur: *Quae si recipiantur, necesse est ut omnes omnium aetatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes, virgines, omnes clerici, levitae et sacerdotes, tanta confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas, et multitudo, tot insulae, provinciae, reges, gentes, regna, nationes, totus postremo iam pene terrarum orbis per catholicam fidem Christo capiti incorporatus tanto saeculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuntiatur* (14).

Iuxta veteres patres et scriptores ecclesiasticos.

Igitur praeter patrum scripta plura suppetunt instrumenta quibus Ecclesia traditionem divinam atque apostolicam circa dogmaticas veritates compertam habere possit, illisque, ut quaestiones in fidei dogmata evehat, inniti.

(1) In edit. De la Cerda, Opp. edit. Paris. 1630, tom. II, p. 78. In edit. Renati Laurent. De la Barre, Paris. 1580, p. 82. In edit. Pamelii Paris. 1616, p. 338, imo et in ipsa edit. basileensi beati Rhenani Basileae an. 1562, p. 108, habetur: *praesidentur pro praesident*.

(2) Cap. 36.

(3) Cf. Moehler, *Symbolique*, Besançon 1836, tom. II, liv. 1, ch. 5, § 38, ubi haec quae ad argumentum nostrum referuntur, habet: « L'esprit de Dieu, qui gouverne et vivifie l'Eglise, enfante dans l'homme, en s'unissant à lui, un instinct, un tact éminemment chrétien, qui le conduit à toute vraie doctrine. Le principe communiqué d'en haut, l'alliance avec l'apostolat perpétuel, l'éducation et la vie dans l'Eglise développent un sens profondément intérieur, un sentiment propre à l'interprétation de la parole écrite... l'Eglise est le corps, la forme visible de Jesu-Christ: elle est son humanité permanente, son éternelle manifestation. Le Seigneur a déposé en elle son esprit, sa verité... Ce sentiment commun, cette conscience de l'Eglise est la tradition dans le sens subjectif du mot. Qu'est-ce donc que la tradition considérée sous ce point de vue? C'est le sens chrétien existant dans l'Eglise, et transmis par l'Eglise; sens, toutefois, qu'on ne peut séparer des vérités qu'il contient, puisqu'il est formé de ces vérités et par ces vérités », p. 37, 39.

(4) Sic enim scribit s. Hieronymus, *De viris illustribus*, cap. 53: *Tertullianus presbyter nunc demum primus post Victorem et Apollonium latinorum ponitur*, ed. Vallars. tom. II, p. 875. Scripta vero Victoris et Apollonii perierunt.

(5) Epist. 74, edit. Maur. p. 138.

(6) *De locis*, lib. 5, cap. ultim. circa finem, ubi et illud praeclare addit: *Quaero enim ex te, quando de rebus christianae fidei inter nos contendimus, non de philosophiae decretis, utrum potius quaerendum est, quid philosophi atque ethnici, an quid homines christiana et doctrina et fide instituti sentiant?*

(7) *De rebus fidei... Analysis fidei catholicae*, lib. VIII, cap. 9, Lutet. Paris. 1610.

(8) Epist. 4, opp. edit. Antwerp. 1622, p. 73.

(9) *De incarnat.* lib. 14, c. 2, n. 41.

(10) Ibid. ubi ex quadam adspiratione divina repetit firmam fidelium persuasionem de immaculata Virginis conceptione, quae in catholicam transierit doctrinam; verum necesse ad id confugere non est, cum ceteroquin constet quonam ex fonte illam fideles hauserint, ex avita scilicet traditione.

(11) Haeres. 78, edit. Petav. n. 25.

(12) Edit. Vallars. opp. tom. II, col. 399.

(13) Lib. I cont. *Iulian*. cap. 7, n. 31.

(14) Cap. 33, edit. Rom. 1731.

Digitized by Google

CAPUT III

DE FIDEI DECRETIS QUOVIS TEMPORE EDITIS JUXTA CONSTITUTAM RATIONEM

Confirmantur ac declarantur exempla quae supra dicta sunt. Controversia sub s. Cypriano.

Quae hactenus exposuimus, exemplis ex dogmatum historia depromptis, ut antea sumus polliciti, nobis declaranda sunt et confirmanda. Cum vero haec sint numero omnino plura, nos ex iis nonnulla, quae nostro in quem intendimus fini commodiora videbuntur, non sine delectu persequemur.

Ac primo sese nobis offert controversia quae Cyprianum inter ac Stephanum ferbuit de anabaptismo; eum scilicet iterum ii tingi deberent qui ab haereticis baptizati fuissent. Notum est, in Scripturis nihil haberi quo valor baptismi ab haereticis collati adstruatur. Quapropter theologi polemici exemplum hoc urgent adversus saeculi XVI novatores, ut divinae traditionis necessitatem ostendant (1); idque iure meritoque. Quandoquidem ipsi protestantes baptismum haereticorum valere tuentur. Porro, uti paulo ante animadvertimus, nulla erant patrum testimonia, quae traditionis testatam facerent existentiam, cum Stephanus traditionem contrariam Cypriano opposuit: sed illa in sola Ecclesiae consuetudine stabat, quae ab Apostolis ad ea usque tempora profluxerat. Quod potiori quoque ratione de baptismi pretio est dicendum qui ab infideli homine sit collatus, uti sequiori postmodum aevo Nicolaus I in responsis ad Bulgarorum consulta declaravit (2); quamvis ex patrum scriptis contrarium potius colligi videatur (3).

De spirituali angelorum natura.

His et illud addere possumus quod ad doctrinam de spirituali angelorum natura spectat. Nam quamvis haec doctrina nondum expresse fuerit ab Ecclesia ex fide sancita, adeo tamen certa nunc habetur, ut temeritatis notam is non effugeret, qui contrariam tueri vellet. Ast norunt eruditi viri quanta usque ad Concilium lateranense IV, quod celebratum est anno 1225, penes patres tum graecos tum latinos, nec non apud ecclesiasticos scriptores, ad angelicam quod attinet naturam, opinionum ferbuerit discrepantia (4).

De visione beatifica.

Verum hoc omisso, propius ad rem nostram facere exemplum videtur ex dogmate de visione Dei beatifica deductum, quae proxime a morte animabus plenissime purgatis obveniat. Quod quidem dogma et Benedictus XII primum (5), ac dein rursus florentinum Concilium solemni decreto sancivit (6). Porro nemo est, qui nesciat quot utriusque Ecclesiae tum graecae tum latinae patres contrarium sensisse visi sunt. Namque iis etiam praetermissis, qui *Chiliasmo* adhaesere, plures quoque ad sanctum usque Bernardum non exemplum numerantur, qui vel dure, vel ambigue, vel ita demum aspera sunt locuti, ut emolliri eorum dicta vix possint (7). Quocirca cum isthaec controversia sub Ioanne XXII in vivis agente exarserit, summus pontifex ut eo, quo par esset, maturo dirimeretur examine, iussit ut omnia monumenta quae alterutri sententiae sive affirmanti sive neganti favere viderentur, ex omni antiquitate conquisita congererentur, quo tandem ipse definitionem elicere posset dogmaticam. Cumque res in longum protraheretur ob negotii difficultatem, ipse, re non definita, decessit (8). Certe quidem in Ecclesia non deerat quoad hunc fidei articulum divina traditio; alioquin nunquam is definiri potuisset; verum non omnibus illa erat comperta; divina eloquia haud satis hac in re sunt perspicua; Patres, ut vidimus, in varias abiere sententias; liturgiae ipsae non modicam praeseferunt difficultatem (9). His omnibus succurrit iuge Ecclesiae magisterium, communis praeterea fidelium sensus, qui alte adeo defixum imis habebant mentibus, purgatas animas statim ad Deum videndum eoque fruendum admitti, ut non minimum eorum animi vel ex ipsa controversia fuerint offensi, quae sub Ioanne XXII agitabatur, et cuius definitio diu nimis protrahebatur.

Ex individuitate coniugii.

Aliud exemplum suppetit ex definitione tridentini Concilii sess. 24, can. 7 his verbis expressa: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi... anathema sit.* Licet vero hoc canone directe sancita non fuerit nisi impossibilitas errandi Ecclesiae circa propositum articulum; indirecte nihilominus damnata est doctrina et consuetudo Ecclesiae graecae quoad plenam coniugii dissolutionem propter adulterium, cum doctrina Ecclesiae latinae declarata sit evangelica atque apostolica. Qui tamen in theologicis disciplinis versati sunt, haud ignorant non defuisse e patribus tum graecis tum latinis aliquos, imo et concilia provincialia diversarum ecclesiarum, quae contrarium sentire et docere viderentur (10). Licet enim non tot numero sunt testimonia, quot in opere suo *De regia in matrimonium potestate* citat Launoius (11), cuius corruptissimam in afferendis pro sua causa testibus fidem probe novimus, tamen nemo inficias iverit, non pauca testimonia ac monumenta in antiquitate reperiri, quae aut aperte contrariae faveant doctrinae, aut saltem valde dubia appareant (12). His vero nihil obstantibus, fatendum quidem est ac pro certo habendum, divinam esse atque apostolicam traditionem de omnimoda coniugii fidelium rati et consummati individuitate. Id enim exigit tridentina sanctio. Quomodo vero cognoscitur? Scilicet ex iugi Ecclesiae magisterio et praxi, communique fidelium sensu.

Ex matrimonio rati

Dogmaticae huic definitioni affinis et illa est ab eodem lata Concilio can. 6 eiusdem sess., quo matrimonium ratum non con-

(1) Cf. Bellarmin. *De verbo Dei non scripto*, lib. IV, c. 4, et c. 8; Wallenburgicos, *Controvers. Adv.* tom. 1, tract. VI, *De testimon. seu traditionibus prob. ad hominem*, n. 169; Card. Dav. du Perron, *Discours des tradit.* p. 327; et *Replique au Roy*, liv. 3, c. 7, p. 698, opp. edit. Paris. 1633, tom. III et IV.

(2) Num. 104 apud Coletum, *Act. Conc.* Venet. 1770, tom. XV, col. 432.

(3) Receptum siquidem apud veteres patres, saltem usque ad Augustinum, veluti principium et axioma fuit, non posse quempiam conferre baptisma qui baptismum non receperit, illumque solum tingere posse, qui baptismum receperit. Hinc illud Tertulliani lib. *De baptismo*, c. 17: *Quod ex aequo accipitur, ex aequo dari potest*; et Hieronymi, in *Dial. adver. Luciferian.* n. 6 dicentis: *Ut enim accepit quis, ita dare potest*; qui proinde ibid. n. 12 iis perstringit luciferianum: *Novam rem asseris, ut christianus quispiam factus sit ab eo qui non fuit christianus.* Atque huic principio innexi, qui rebaptizantes impugnarunt, valorem baptismi ab haereticis administrati tuebantur. Cf. quae hoc de argumento scripsimus in *Tract. de baptismo*, c. 3, prop. 2.

(4) Cf. Petavium *de Angelis*, lib. I, c. 2 et 4.

(5) Constit. *Benedictus Deus* apud Harduinum, *Acta Concil.* tom. VII, col. 1559.

(6) Ibid. tom. IX, col. 986.

(7) Cf. de hoc argumento elaboratissimum opus Lud. Muratorii, quod inscribitur: *De paradiso regnique caelestis gloria non expectata corporum resurrectione iustis a Deo conlata*, Veronae 1738, vol. un. in 4, cap. 7 seqq. Hic nobis satis sit ea in medium adducere quae in *admonitione in librum de bono mortis* editores maurini opp. s. Ambrosii, tom. 1, p. 385, de s. Doctore scripserunt: « Si Doctoris nostri verba stricte atque ex apicibus interpretemur, cogemur liquido confiteri animas, ipsius iudicio, *in quibusdam habitaculis* conclusas ad usque generalem resurrectionem servari; nec ibi mercedem debitam operibus suis sed ante diem ultimum minime reddendam expectare; interim tamen *illas vel bonis quibusdum, vel poenis affici*, prout ipsarum quaeque fuit commeritis; postremo iustorum *laetitiam per quosdam ordines esse digestam*. Mirum quidem non est hoc modo de animarum statu scripsisse Ambrosium: sed illud propemodum incredibile videri potest, quam in ea quaestione sancti patres ab ipsis Apostolorum temporibus ad Gregorii XI (forsan ex lapsu calami, cum dici deberet Benedicti XII) pontificatum, florentinumque Concilium, hoc est *toto ferme quatuordecim saeculorum spatio*, incerti ac parum constantes extiterint. Non enim solum alius ab alio, ut in huiusmodi quaestionibus needum ab Ecclesia definitis contingere amat, dissentiunt: verum etiam non satis cohaerent sibi ipsi, cum easdem animas clara divinae naturae conspectu frui quibusdam scriptorum suorum locis concedere, rursus quibusdam aliis id ipsum negare videantur... Illud tantum hoc loci admonemus, namque illam sermonum diversitatem ex variis manasse principiis, quae sanctis illis viris sacrarum paginarum lectio suppeditabat. Hinc est quod qui millenariorum errorem amplexi sunt, ab iis eodem argumento futuram corporum resurrectionem beatifica visio negabatur. Et quamvis qui secuti sunt, magno studio eundem errorem impugnarunt, profligaruntque; tamen circa Dei visionem adhuc pendebant ancipites ». Postremum vero hoc confirmant tum s. Augustini, tum s. Bernardi agendi ratione. S. enim Augustinus vel in ipsis Retractationibus animo etiam tum dubio et ancipiti se esse, ac nihil super hoc definire audere non dissimulat. S. autem Bernardus ita Augustini cancellos transilit, ut iustorum spiritibus solam humanitatis Christi visionem seu cognitionem concedere videatur. *Quaest. ad Orthodoxos*, quae hactenus inter Iustini opera fuerunt editae.

(8) Cf. Raynaldum ad an. 1334, n. 37.

(9) Eas cf. apud Renaudotium *Liturgiar. oriental. collectio duobus volum. comprehensa*, Paris. 1716.

(10) Cf. Collet, *Continuat. praelect. theologic. Honor. Tournely*, Venet. 1758, tom. VIII; *Tract. de matrim.* cap. 5, art. 3, sect. 6, *Conclusio*.

(11) Par. III, art. 1, c. 5, edit. Colon. Allobrogum, tom. 1.

(12) Cf. Collet, loc. cit.

non consummati dividuitate.

summotum per solemnem religionis professionem alterius coniugum dirimi decernitur. Et haec doctrina ex traditione descendat necesse est. Frustra porro sive in Biblis sive in patribus eam quaeres, cum nil eiusmodi, expresse saltem, inveniatur. Omnium primus ex romanis pontificibus Alexander III in Concilio lateranensi III celebrato ann. 1179 cap. *Verum*, et cap. *Ex publica* sub tit. *De convers. coniugatorum* solvi eiusdem coniugium declaravit innisus potissimum sanctorum exemplis. Porro licet haec exempla, quae vulgo proponuntur, etiamsi uti vera reciperentur (1), rem per se non conficerent; tamen Ecclesiae spiritum patefaciunt, ac doctrinam apud eam in germine saltem vigentem ostendunt, quae paullatim in dies usque adeo sese explicuit, donec ex posteriorum novatorum occasione, qui Ecclesiam hac de causa maligno dicacitatis dente carpebant, apposita canone ast definita.

Ex dividuitate coniugii in infidelitate contracti.

Neque inopportunum alterum occurrit exemplum ex dividuitate coniugii, quod in infidelitate contrahitur, desumptum. Quamvis enim de fide non sit, tamen uti certa penes catholicos theologos omnes rita sentientes habetur doctrina, probaturque Ecclesiae romanae consuetudo de solutione coniugii in infidelitate contracti, quum alteruter coniugum ad religionem christianam convertitur, abnuente coniuge infideli pacifice cum fideli convivere, aut consentiente quidem, ast non sine Creatoris contumelia. Paulinus equidem textus 1 Cor. 7, 15 huic doctrinae et consuetudini valde suffragatur; neque desunt patres atque ecclesiastici scriptores, qui eidem adstipulentur, ut suo loco nosmetipsi ostendimus (2). Verumtamen dissimulandum non est et eos fuisse, qui alia plane ratione Pauli verba exposuerint (3); neque patres omnina omnes inter se consentire, immo et ea proferre quae illi adversari videantur. Innocentius III ineunte saeculo decimotertio omnium primus aperte eam sanxit cap. VII, *Quanto de divortiis*, neque alia ante id temporis exempla de eiusmodi coniugiorum dissolutione monumenta historia suppeditat. Nihilo tamen minus apud omnes cordatos doctores receptum esse ac probatum debet, hanc etiam veritatem, quam Benedictus XIV *certam* vocat (4), traditione divina atque apostolica inniti; alioquin Ecclesia romana numquam eam adscivisset, atque in usum deduxisset, et cum ipsa omnes occidentis ecclesiae. Siquidem de morum heic agitur honestate, circa quos, perinde ac circa fidem, Ecclesia errare non potest.

Patres non constituunt unicum agnoscendae traditionis instrumentum.

Longius huiusmodi exemplorum possem catalogum protrahere, si facto esset opus. Verum necesse non est; cum ea quae attulimus, ad veritatem quam nobis obtinendam proposuimus, satis abunde sufficiant. Evicimus quippe luculenter, patres haud unicum esse instrumentum, quo divina atque apostolica traditio nobis innotescat. Namque ex allatis exemplis manifesto constat, veritates dogmaticas fuisse identidem definitas, quamvis de illis altum apud patres esset silentium; immo vero interdum id factum, licet etiam non pauci e patribus refragarentur aut pro contraria starent sententia; interdum etiam cum Scripturae ipsae in speciem adversari viderentur. Dixi cum *Scripturae ipsae in speciem adversari viderentur*; siquidem valori baptismatis ab haereticis collati ea baptizandi facultas obstare quidpiam videbatur, quam Christus apostolis seu uni Ecclesiae tribuit, sicut et illi uni docendi dedit potestatem. Iam vero nisi praesto esset traditio quae sensum Christi verborum determinaret, arduum quidem foret istam facultatem ad haereticos usque homines, multo vero magis ad infideles protendere, ita ut valide, immo et aliquando etiam licite baptizarent. Quod intellectum quoque velim de facultate laicis delata legitime hoc sacramentum administrandi, si necessitas urgeat. Idipsum de Eucharistiae distributione sub utraque specie existimare est, sive promissionis verba spectes sive verba institutionis. Solo enim traditionis praesidio atque Ecclesiae consuetudinis novimus illam haud esse necessariam; quamquam etiam nonnulla patrum dicta utriusque speciei distributioni favere videantur (5): sicuti et nonnulli fuere patres qui propugnare visi sunt, infantes etiam eucharisticae alimoniae sumendae necessitate devinciri(6). Neque alia huiusmodi exempla in aliis fidei controversiis desunt.

CAPUT IV

DE IMMACULATA VIRGINIS CONCEPTIONE QUOAD EIUS DOGMATICAM DEFINITIONEM

Quae dicta sunt, ad argumentum de immaculata conceptione transferuntur.

Quae hactenus praestituimus, ad articulum de immaculata conceptione sunt traducenda, quaeque attulimus exempla iam cum argumento quod versamus heic sunt conferenda. Quod ut fiat luculentius ob oculos sunt subiicienda fundamenta quibus haec sententia innititur, ac deinceps ad conditiones quas enumeravimus expendendas progrediendum, ut quem propositum habemus finem, tandem auspicato consequamur.

Praenotantur aliqua.

Quamvis Biblia prima fronte ac specie tenus in communi peccati propagatione B. Virginem comprehendere videantur; reipsa tamen exceptionem pro immaculata conceptu admittere in eius favorem posse, immo vero et debere constitutum iam est, fatentibus ultro ipsis adversae sententiae propugnatoribus (7). Quin etiam Biblia ipsa germen veluti quoddam continent, quo positive e sacris litteris adstrui pia sententia possit (8).

Quod et de patrum effatis est asserendum. Tametsi enim e quinto Ecclesiae saeculo nonnulli videntur patres generalibus suis propositionibus B. Virginem in communi damnatione complecti, qua factum sit, ut ipsa e contracto peccata primigenia redimi debuerit; tamen eorum quoque effata necessario debent, etiam in adversariorum sententia, benigne intelligi, ne plus probent illorum dicta, quam iidem ipsi vellent (9). Interim in priorum saeculorum monumentis iam piae sententiae germina elucent, quae a patribus apostolicis, atque a graecis pariter ac latinis qui sunt

(1) Non omnia sane exempla quae tum a Bellarmino lib. 2 *de monachis*, c. 38, tum ab Estio in 4, d. 27, p. 4, aliisque passim afferuntur, critica lance expensa deprehenduntur genuina; alia vero dubia sunt pro re qua de agitur.

(2) In tract. *de matrimonio*, cap. 2, prop. 2.

(3) Ex antiquioribus eminet card. Caietanus qui in *Comment.* in hunc locum I Cor. 7, 15, etsi fateatur verba Pauli in ea qua de agimus facti specie de perfecta coniugii solutione communiter ab Ecclesia intelligi, sub iis tamen: « Dico autem hoc: quia Paulus non aperte explicat talem libertatem, sed negat subiectum esse servituti in huiusmodi. Quae verba si exacte discutiantur, solum significant quod in huiusmodi discessibus, separationibus infidelis a fideli (infidelis coniugis a fideli coniuge, infidelis filii a fideli patre, infidelis patris a fideli filio, et sic de aliis) nullus frater aut soror (hoc est nullus christianus aut christiana) est subiectus servituti priori, puta qua filius tenetur patri et e converso, qua filia tenetur matri et e converso; qua uxor marito et e converso. Sed hoc non convincitur quod sit solutum vinculum coniugale, sicut non solvitur vinculum filiale aut paternum ». *Comment. in sac. Script.* edit. Lugdun. 1639, tom. V, p. 106, et seqq. Ex recentioribus vero id ipsum ex professo tuendum susceperat cl. Binterim in op. germanico: *Monumenta Ecclesiae christiano-catholicae primi, medii ac novissimi aevi*, tom. VI, par. I, Montiam I, qui tamen egregius doctusque vir laudabiliter posthac se subiecit Ecclesiae romanae interpretationi, eique adhaesit omnino.

(4) *De Synodo dioeces.* lib. 9, c. 4, § 3.

(5) Lege in Bossuet, *Traité de la Communion sous les deux espèces*, opp. edit. Versailles 1810, tom. XXIII, p. 502, seqq. Bellarmin. *De Eucharistia*, lib. 4, c. 26.

(6) Eo nonnulli usque in hoc progressi sunt, ut fines plane omnes excesserint. Sic Petavius in libro unico *De tridentini Concilii et Augustini doctrina*, cap. 5, inter Augustini dogmata, quae vel Ecclesiae universae, vel theologorum aut omnium, aut multorum, nec infimi subselli, iudicio reprobantur, et hoc recenset, quod multis in locis asserit hipponensis antistes, Eucharistiam post baptismum dandam parvulis, eisque necessariam esse. Quippe sacramenti utriusque parem necessitatem distincte ac separatim adstruit, ex duplici nimirum Ioannis loco, altero capitis tertii, altero capitis sexti, in quo de Eucharistia Christus sic praecipit: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Quibus ex verbis, ait Petavius, contra pelagianos disputans Augustinus negat parvulos, nisi Eucharistiae fiant participes, vitam et salutem consequi posse. Quod deinde allatis testimoniis ex lib. I *De peccatorum meritis et remissione*, et ex lib. 2 *Operis imperfecti contra Iulianum*, cap. 30, confirmare adnititur. Verum de Augustini mente consule card. Norisium in *Vindiciis Augustinianis*, cap. 4, § 4, opp. edit. Veronens. 1729, tom. I, p. 1041. Maldonatus vero ulterius adhuc progressus in *Comment. in Ioan.* ad cap. 6, v. 53, censuit Augustinum docuisse ex hoc vers. 53, Eucharistiam etiam infantibus esse necessariam, *idque non ut opinionem suam tenuisse, sed ut fidei et totius Ecclesiae dogma* quo refelleret pelagianos. Atque hoc ipsum autumat hic auctor tradidisse Innocentium I in epist. ad patres milevitani Concilii, quod huius pontificis verba refert. Imo concludit hanc ipsam Augustini atque Innocentii sententiam in Ecclesia sexcentos fere per annos viguisse, Eucharistiam nempe etiam infantibus esse necessariam.

(7) Revolvantur quae scripsimus par. I, cap. XV, § 1.

(8) Ibid.

(9) Ibid. § 11.

Digitized by Google

illos secuti magis ac magis revoluta sunt atque explicata. Hinc traditionis filum nunquam fuit intercisum, immo et longius in dies productum tum per liturgias ac festi institutionem, tum per sacras conciones, tum per pium fidelium sensum, donec tandem ad expressam formulae enunciationem deveniretur qua Virginis conceptus ab omni labe immunis assereretur ac sanctus. Quae traditionis perpetuitas enituit diu etiam antequam hac de re fuisset saeculo XIII controversia excitata (1).

Argumentum generale ex conditionibus circa dogmaticum decretum statutis efflorescens.

His ita compositis nostrum insistentes iter sic progredimur. Ad dogmaticam edendam definitionem id satis Ecclesiae est, ut implicite saltem articulus; quo de agitur, in sacris habeatur litteris, ac eiun veluti semina, quae deinceps progerminent, in primitiva contineantur traditione; vel etiam ut silentibus Scripturis ac primis etiam patribus, saltem tradita in Ecclesiae magisterio, et communi fidelium persuasione servata fuerit, donec data tandem occasione, doctrina quae fuerat revelata divinitus sive per patrum scripta, sive per alia monumenta in apertum veniat. Neque enim putandum est tunc primo coepisse doctrinam aliquam in Ecclesia invalescere, cum monumentorum ope, quaecumque demum haec sint, nobis illa innotescit, nisi in absurda atque erronea prolabi velimus consectaria (2). Quae potissima est causa, quare traditionem ab eiusdem traditionis instrumentis, seu vehiculis, quibus ea ad nos deducta est, apprime distinxerimus; quum potuerit existere traditio, eaque divina, quin instrumenta illa nota singillatim nobis essent atque perspecta. Hac etiam de causa ratio redditur quare identidem haec ipsa traditio nonnullis patribus seorsum spectatis comperta satis non fuerit, ac talia proinde eis interdum a calamo exciderint, quae contraria iis sunt, quae posthac Ecclesia definivit. Exinde illae profluunt regulae quae a theologis traduntur, ut quae et quanta patribus concedenda auctoritas sit, apprime internoscatur (3).

Si igitur hisce in occasionibus Ecclesia fundamentis eiusmodi innixa dogmaticam iure edere potuit atque adeo quandoque edidit definitionem, plane consequitur eamdem et nunc posse, si id facto opus fuerit, iisdem confisam fundamentis quaestionem aliquam dogmatice dirimere, atque uti fidei obiectum credendum proponere. Multo vero magis id Ecclesia posset, si temporis progressu liquidior fieret quaestio et sententia quae definienda est; illamque tum pastores tum fideles communiter haberent iam sibi persuasam, in eaque assensu suo plane conquiescerent. Neque enim ulla fieri ratione potest, ut Ecclesia universa erroneam ac falsam imbibat doctrinam, quippe quae iugiter a Spiritu sancto edocta, seu a Spiritu veritatis sustentata. Quod si publica ac solemnis eiusdem Ecclesiae professio in actis, in cultu, atque in tota agendi ratione manifestata quoad idem accedat obiectum, ne minima quidem suspicio de huius potest veritate suboriri. Haec enim sentiendi agendique ratio, praesertim cum supremi pontificis *formalis* habetur de re sanctio, sin minus ut iuridica, at saltem ut iuridicae definitioni aequipollens re ipsa definitio existimari potest, a qua resilire sit nefas.

Applicatur piae de immaculata conceptione sententiae.

Habita ratione communis sensus fidelium.

Petavii auctoritate confirmatur.

Age iam expendamus an haec omnia in immaculatum Virginis conceptum quadrent, in eoque apprime vera comperiantur. Atque retroverso incedentes gradu a praesenti Ecclesiae sensu incipiamus. Ratissimum porro exploratumque est, Christifideles omnes circa hunc articulum unius esse animi, idque ita, ut maximo afficerentur scandalo, si vel minima de immaculata Virginis conceptione quaestio moveretur. Hac pene mirabili fidelium suasione ac consensu permotum sese fatetur Petavius ad piam sectandam sententiam. Sic enim scribit: *Movet autem me, ut in eam sententiam sim propensior, communis maxime sensus fidelium omnium, qui hoc intimis mentibus, altequе defixum habent; et quibus possunt indiciis officiisque testantur, nihil illa Virgine castius, purius, innocentius, alienius denique ab omni sorde ac labe peccati procreatum a Deo fuisse. Tum vero nihil cum inferis et horum rectore diabolo, adeoque cum qualicumque Dei offensa et damnatione commune unquam habuisse* (4). In Ecclesia vero universa cultus publicus, solemnis ac liturgicus viget de Virginis conceptione, videlicet ut sancta et *immaculata*. Conceptio enim ita solummodo spectata potest esse et festi et cultus obiectum (5), neque aliud revera est; alioquin nec tot querelae a piae sententiae oppugnatoribus adversus hunc cultum fuissent excitatae; neque s. Bernardus in celebri ad canonicos lugdunenses epistola (6), ut impugnaret quod instituebatur festum, iis usus fuisset argumentis, quae virginei conceptus impetunt sanctitatem. Atque ut cetera silentio praeteream, nunquam romani pontifices universo franciscalium Ordini indulsissent, ut et peculiarem de *immaculata conceptione* missam legerent, et officium seu canonicas horas huius mysterii proprias persolverent; nec pariter integris regnis ut eumdem ritum ex pontificio indulto sequerentur concessissent, nisi pro certo habuissent tale huiusce cultus esse obiectum (7). Quod argumentum ex eo privilegio magis roboratur quod Gregorius XVI b. mem. pontifex concessit episcopis omnibus, qui a sacra rituum Congregatione illud peterent, ut sacerdotes ante missae canonem inter cetera praefarentur: *Et te in conceptione immaculata*; nec non ut fideles in litaniis lauretanis Mariam invocarent *Reginam sine labe originali conceptam*. Id quod reipsa magno numero sacri antistites pro suis dioecesibus ac plerique religiosarum familiarum praesules postularunt (8).

Ex publici cultus Ecclesiae.

Agendi in hoc ratio romanorum pontificum erga Franciscales.

Indultum quod aiunt Gregorii XVI.

(1) Ibid. § III.

(2) Alioquin enim non pauca dogmata essent uti novitia spectanda: eorumque fidem nonnisi sequiori saeculo primum in Ecclesia obtinuisse dicendum esset, eo quod serius tantum impugnata fuerint, atque ab Ecclesia contra novatores cuiusvis saeculi definita. Exemplo sint legitimus panis azymi usus in celebratione sacrificii, quem impugnavit primum Photius quique e. a. Leone IX sancitus est; usus legitimus ac veneratio sacrarum imaginum, cum serius utrumque adorti sint iconoclastae atque iconomachi; invocatio sanctorum, et sacrarum reliquiarum veneratio, contra quam manichaei, deinde vero Vigilantius aliique nebulones temporis processu insurrexerunt: atque ita porro.

(3) Consule cl. Melch. Canum, *De locis*, lib. VII, cap. 3, ubi inter cetera haec scribere non dubitavit in regula secundo loco tradita: « Unius aut alterius sanctorum auctoritas etiam in his, quae ad sacras litteras *et doctrinam fidei pertinent*, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum vero non potest » Atque hanc conclusionem demonstrat illa manifesta ratione, cui nulla prorsus via occurri potest. « Quod enim sanctorum quisque, his duntaxat exceptis, qui libros canonicos ediderunt, spiritu fuerit humano locutus, et aliquando vel in eo erravit, quod ad fidem spectare postea demonstratum est, aperte constat ex huiusmodi auctoritate exploratam fidem fieri non posse. Quo in loco admonendi sunt ii, qui praeceptis theologiae nullis acceptis, post bonas, quas vocant, litteras, statim ad sanctorum veterum lectionem appellunt animum. Non enim quaecumque ibi legerint, ea sunt probanda omnia... Primum, quoniam res nonnullae non erant tunc adeo in Ecclesia definitae, ut nunc esse videmus etc. ». Nec minus praeclarae sunt regulae, quas in usu patrum servandas exhibet Petavius in *Prolegomenis*, cap. 2, quaeque maxime ad rem praesentem faciunt. Hoc ipsum fusius prosecutus est auctor operis, *De optima legendorum patrum methodo*, Augustae Taurinorum 1742, praesertim tota parte prima.

(4) *De incarnat.* lib. 14, cap. 2, § 10.

(5) Lege sis de hoc argumento Franc. Guerra episcopum gadicensem in op. *Maiestas gratiarum ac virtutum omnium Deiparae Virginis*, Hispali 1659, tom. II, tract. *De obiecto cultus exhibiti ab Ecclesia romana in die festo immaculatae conceptionis*, praesertim *fragm.* IV, seq.; item *fragm.* XII, punct. I, seqq. De hoc argumento iterum inferius disseremus.

(6) Sane refragatores immaculatam conceptionis festum celebrare consueverunt *sanctificationis*, ut notum est.

(7) Huiusce officii invitatorium ad matutinum est: *Immaculatam conceptionem Virginis Mariae celebremus, Christum eius praeservatorem adoremus Dominum*. Versiculi autem ad *Magnificat*: *Immaculata conceptio est hodie B. M. Virginis. Cuius innocentia inclyta cunctas illustrat devotas animas*. Oratio demum in officio et in missa: *Deus, qui per immaculatam Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti* etc. Hoc porro officium et hanc missam concinnavit Leonardus de Nogarolis notarius seu a secretis Sixti IV. Hic autem pontifex tum missam tum officium probavit, praecepitque ut ab universo clero reciperentur, indulgentiisque ditavit Christifideles, qui illis interessent in constit. *Cum praecelsa*, data an. 1476, cuius verba haec sunt: « Hac igitur consideratione inducti, eiusdem Omnipotentis Dei et BB. Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, auctoritate apostolica, hac in perpetuum valitura constitutione *statuimus et ordinamus*, quod omnes et singuli Christifideles utriusque sexus, qui missam, et officium conceptionis eiusdem Virginis gloriosae, iuxta piam, devotam et laudabilem ordinationem dilecti filii magistri Leonardi de Nogarolis clerici veronensis, Notarii nostri, et quae desuper a nobis emanavit, missae et officii huiusmodi institutionem in die festivitatis conceptionis eiusdem Virginis Mariae, et per octavam eius, devote celebraverint, et dixerint, aut illis horis canonicis interfuerint, quoties id fecerint eamdem prorsus indulgentiam et peccatorum remissionem consequantur, quam iuxta fel. record. Urbani IV in Concilio viennensi approbatas, ac Martini V et aliorum romanorum pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, conferuntur illis, qui missam et horas canonicas in festo Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi a primis vesperis et per illius octavas, iuxta romanae Ecclesiae constitutionem celebrant, dicunt, aut missae, officio, et horis huiusmodi intersunt, praesentibus, perpetuis temporibus valituris etc. ». Apud Harduinum, *Acta concilior.* tom. IX, col. 1404. Iam vero tum officium tum missa eiusmodi obtinuere in Ecclesia universa usque ad reformationem Missalis ac Breviarii romani, quae facta est a s. Pio V; qui ut loquitur Benedictus XIV, *De festis*, cap. 15, § 22, *officium illud minus apposite scriptum e Breviario summovit, in cuius locum aliud substituit officium quo etiamnum utimur*. Illud tamen officium ex indulto apostolico retinuerunt regna hispanicum ac lusitanum.

(8) Cf. appendicem.

Digitized by Google

Romanorum pontificum series pro eiusmodi cultu.

Exinde novimus non fidelium communi tantum consensione, sed et episcoporum seu ecclesiarum pastorum etiam sententia, una cum romanorum pontificum serie, qui nunquam a Sixto IV ac deinceps usque ad Pium IX (quem diu pro Ecclesiae universae bono incolumem Deus sospitemque servet) a confirmando atque amplificando hoc cultu cessarunt, pium placitum fulciri. Ex quo colligimus, Ecclesiam illius veritati a pluribus inde saeculis re ipsa adstipulatam esse; immo vero et eam probasse, ita ut omnimodam nacta sit certitudinem, atque una desit *formalis*, quam vocant, definitio qua in dogmatis dignitate provehatur (1).

Fieri nequit ut Ecclesia suam hac in re doctrinam immutaverit.

Porro cum Ecclesia veluti *moralis* consideranda sit *persona* atque individua, quae a prima sui institutione semper sibimet ipsi constitit, atque ad finem usque saeculi perseveranter constabit, fieri omnino nequit, ut diversam nunc profiteatur doctrinam, multo vero minus illi contrariam, quam antiquitus professa fuerit atque tenuerit. Praesens igitur Ecclesiae sensus et professio circa immunitatem B. Virginis a primigenia labe, non est nisi ulterior, uti diximus, illius germinis explicatio quod semper in ea latuit ac viguit, adeoque traditionis divinae atque apostolicae.

Dixi *traditionis divinae atque apostolicae*: neque vero id solum quia secus nulla ratio adduci probabilis posset tam constantis, tamque firmae atque universalis consensionis ad plura saecula vigentis tum fidelium, tum Ecclesiae pastorum, nec non cultus adeo antiqui in utraque ecclesia orientali et occidentali, uti vidimus; sed praeterea quia patrum ecclesiasticorumque scriptorum series in id conspirantium hoc ipsum exigit atque exposcit. Etenim ex adductis patrum monumentis, quae apostolicam ferme attingunt aetatem, constat, illos vel ea statuisse principia ex quibus virginea immunitas profluit; vel aequipollentibus verbis illam adstruxisse, nondum formula illius enunciationis invecta; vel denique concepta expressaque formula, quae etiamnum obtinet, immaculatum, omni prorsus seclusa labe, Virginis conceptum ad saeculum usque XIII asseruisse. Istiusmodi traditionem rivulo non incongrue comparaveris, qui ex humili erumpit fonte, ac dein confluentibus undique aquis adauctus usque adeo concrescit, ut in exundantem mutatus fluvium aggeres omnes praetereat, proximosque late campos perfundat. Qui traditionis quidem rivulus ab ipso πρωτευαγγελίου fonte scaturit; a primo videlicet illo Dei oraculo, quo per futurum Liberatorem universae humanae familiae in malorum profundum dilapsae promissum, gloriosa eiusdem Mater uti conterens caput maligni undique anguis, seu diaboli seductoris, atque invecti peccati victrix exhibetur.

Nec ut contraria traditio in Ecclesia unquam viguerit.

Quae cum ita se habeant et illud consequitur, fieri haud potuisse ut contraria traditio, eaque divina aliquando viguerit; alioquin haec praevaluisset in Ecclesia: nisi eam insenianis aut maleferiatis haereticis contendas, obscuratam eam oblitaratamque, aut etiam immutatam turpiter fuisse. Quod quam impium cogitatu dictuque sit, nemo sanus est qui non videat. Quocirca necesse est, eloquia biblica, quae in omnem Adae sobolem propagatum originale vitium testantur, singularem Beatae Virginis conceptionem minime comprehendere fateatur, exceptionemque, quod saepe dictum, admittere; prout adversarii ipsi ultro concedunt, illa exceptione sensu quoad B. Virginis nativitatem esse usurpanda. Par enim est ratio. Necesse praeterea est fateri, patres quoque, qui a saeculo Ecclesiae quinto catholicum dogma contra pelagianos propugnarunt, quique propositiones universales de omnibus hominibus peccato infectis a conceptu et ortu suo constituerunt, illam pariter exceptionem pro B. Virginis conceptione recepisse; uti revera ipsi aequiparibus alicubi verbis, alicubi vero expressis apertisque recepere.

Argumentum instituitur quod a minori vocant ad maius.

Ex iis quae praejecimus fundamentis nobis absque ulla dubitationis ambage argumentum, quod a *minori* ad *maius* dicitur, iure concludi in rem nostram posse videtur. Ita enim rursus ratiocinamur: potuit ac potest Ecclesia traditioni innixa veritatem aliquam dogmatice definire, etiamsi nulla eidem comprobandae veritati biblica suffragentur testimonia, immo quamvis interdum nonnulla ipsi in speciem adversari videantur, ut ex adducto patet exemplo de valore baptismi ab haereticis collati, de quo ne faventia quidem anteriora patrum monumenta Stephano romano pontifici suppetebant cum decretum edidit suum, quod posthac nicaena Synodus confirmavit. Potuit item et potest Ecclesia explicite profiteri, et vero etiam, si id sit facto opus, dogmatico sancire decreto, utpote controversiarum iudex a Christo instituta, aliquam veritatem, quae implicite ac veluti in semine in altera contineatur, seu necessario nexu cum ea copuletur, quamvis eidem nonnulla patrum effata contraria esse videantur; ut iterum liquet ex altero quod protulimus exemplo, quoad sancti lavacri valorem ab infideli homine administrati. Rursum potuit ac potest Ecclesia, licet patres etiam atque scriptores ecclesiastici inter se colluctari deprehendantur, utpote inerrabili magisterio praedita, veritatem aliquam dogmatice decernere, uti pariter constat luculentissime ex prolatis exemplis tum de visione beatifica Dei proxime ab obitu consequenda de qua docti disceptarunt viri; tum de coniugii solutione cum alteruter coniux infidelis ad Christi vexillum transit; tum denuo de coniugii rati quidem at non consummati solutione ob solemnem religiosorum votorum nuncupationem; tum de omnimoda matrimonii christiani individuitate vel per ipsum adulterii crimen; quibus, ut cetera praeteream, et illud opportune addi potest exemplum, quod ex librorum *deuterocanonicorum* divinitate atque, ut aiunt, *canonicitate* desumitur. Multa igitur potiori ratione poterit Ecclesia immaculatam B. Virginis conceptionem *dogmatice* definire, pro qua biblica testimonia non desunt, pro qua patrum ecclesiasticorumque scriptorum auctoritas pugnat, qui in utraque Ecclesia ab apostolico pene aevo ad saeculum usque XII floruere; pro qua stant praecedentes patrum locutiones *formales*, ut dicunt, quae illam asserant, quin ulla contradictoria aut directa eis opponi possit *formalis* negatio; et si quae reperiuntur effata quae contraria videntur, ea necessario prorsus, vel invitis ipsae oppositae doctrinae patrocinatoribus, sunt lenius exponenda; pro qua cultus hominum fere memoriam excedens publicus ac solemnis decertat; pro qua demum tot abhinc saecula universus christiani populi ac pastorum una cum romanis pontificibus consensus conspirat; prout ea quae hactenus disputavimus manifestissime evincunt.

CAPUT V

DE SCHOLASTICORUM PLACITIS

Exceptiones a scholasticis petitae occurrunt.

En rem deduximus, ut sive θεωρητικῶς quaestionis status, sive πρακτικῶς spectetur, collatione rite instituta inter dogmata ab Ecclesia iamdiu definita et immaculatum Virginis Mariae conceptum, videretur de huius definitionis possibilitate plane constare. Una tamen ea mentem nostram subit cogitatio eaque concutit ac torquet, quinam scilicet fieri potuerit, ut haec tum s. Bernardo, tum scholasticis non paucis fuerint incomperta. Ut hanc dubitationem propulsemus de istis disserere cogimur, quamvis praetergrediantur aetatem quam nos, pro fine quem intendimus, initio praestitutam voluimus.

Quid fieri ex eiusmodi difficultatis solutione proveniat.

Ex eiusmodi nihilominus inquisitione id capiemus lucri, quod praecipua enodabitur difficultas, quae contra ea quae praemisimus et constituimus in antecessum principia oggeri posset. Siquidem ea nobis persuadet ut expendamus quid illi de Virginis nativitate senserint, et cui potissimum innixi fundamento fuerint quo ita sentirent: quo facto deinceps haec ad immaculatam ipsius Virginis conceptionem apte transferemus, hincque lucem mutuabimur ad germanam illorum doctorum mentem assequendam.

A duplici critica quaestione abstinemus.

Principio quidem a quaestione critica abstinemus, de quanam scilicet conceptione tum s. Bernardus, tum Hugo ac Richardus victorini, deinde vero Magister sententiarum cum eius asseclis locuti fuerint, cum illius sanctitatem visi sunt denegare; utrum nempe de conceptione *activa*, an vero de *passiva*, cum anima primum eius informavit corpus, an etiam de solo peccati contrahendi debito, aut de fomite sermonem habuerint (2). Ab alia item

(1) Vide sis Guerra, op. cit. tom. II, punct. 3, n. 61, seqq.

(2) De s. Bernardi mente diximus satis. Quod vero ad victorinos attinet Hugonem ac Richardum, neuter affirmat expresse B. Virginem contraxisse peccatum. Etenim Hugo in *Summa sent.* Tract. I, c. 16, edit. Venet. 1588, tom. III, fol. 194, col. 1, haec habet: « De carne illa, cui unitum est Verbum, quaeritur, utrum prius in Maria fuerit caro illa *obligata peccato*. Quod ita fuisse Augustinus dicat: sed in ipsa separatione per Spiritum sanctum mundata fuit et a peccato, et a fomite peccati. Mariam vero in tam prorsus a peccato, sed non a fomite peccati mundavit, quem tamen sic debilitavit, ut postea non peccasse credatur ». Quare ex primis verbis patet ipsum locutum de *obligatione* seu de debito, non autem de *infectione peccati*, prout clarius scribit lib. 2 *De sacramentis christianae fidei*, part. I, cap. 5, fol. 208, col. 3: « Filium Dei de carne *obnoxia peccato* carnem assumpsisse, liberam a peccato, et ideo liberam, *quia liberatam* », nempe praeservatam. Concedit tamen in ea permansisse fomitem, qui, ut vidimus, non exigit necessario peccati originalis infectionem. Richardus vero dum scribit: « Maculam peccati (Christus) de materna carne non contraxit, sed delevit... et notandum

temperamus quaestione critica de vera magni Aquinatis sententia, quam circa plurimum disceptatum est; aliis constanter eum immaculato conceptui B. Virginis adstipulatum esse contendentibus; aliis vero acriter propugnantibus, ipsum non modo ab illa recessisse doctrina, sed alteri, seu oppositae sententiae ad usque vitae finem adhaesisse (1).

Quare s. Bernardus et scholastici omnes sanctam nativitatem B. V. praedicaverint.

Quidquid enim de his criticis disceptationibus sit, illud ratum compertumque est, s. Bernardum, aliosque quos memoravimus doctores, in primis vero s. Thomam, ad unum omnes sanctum habuisse Mariae Virginis ortum, ea impulsos ratione, quod eius nativitatis solemnitas ab Ecclesia universa celebraretur. Quamvis notum id sit atque ab omnibus admissum, iuverit tamen tum abbatis claraevallensis tum angelici doctoris testimonia describere, quippe quae fini quem spectamus, peropportuna. Haec porro sunt quae habet s. Bernardus in epistola quam saepius laudavimus ad canonicos lugdunenses: *Sed et ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia et ab Ecclesia indubitanter habere festivum atque sanctum, firmissime cum Ecclesia sentiens, in utero eam accepisse ut sancta prodiret....: fuit procul dubio et Mater Domini ante sancta quam nata: nec fallitur omnino sancta Ecclesia sanctum reputans nativitatis eius diem, et omni anno cum exultatione universae terrae votiva celebritate suscipiens* (2). Sanctus vero Thomas, propositis sibi de more difficultatibus adversus sanctitatem nativitatis B. Virginis, ita sequitur: *Sed contra est, quod Ecclesia celebrat nativitatem B. Virginis; non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo sancto. Ergo Beata Virgo in ipsa sua nativitate fuit sancta. Fuit ergo in utero sanctificata* (3). Aliorum testimonia silentio praeterimus; cum his enim ceteri omnes consentiunt. Interim constans haec animadvertatur illatio: *Ecclesia festum celebrat nativitatis B. Virginis: ergo B. Virgo sancta nata est.*

Collatio inter nativitatem et conceptionem B. M. Virginis. Scripturae de B. M. Virginis ortu prorsus tacent. Scripturae promiscue loquuntur de conceptione atque ortu hominum. Item Patres et Concilia.

Heic praestat, antequam ulterius procedamus, collationem instituere inter nativitatem Beatae Virginis, atque ipsius conceptionem. De ortus B. Virginis sanctitate alta silet Scriptura, nulla plane facta nativitatis marianae mentione, sicuti et de conceptione conticescit. Ad haec Scriptura, ut alias animadvertimus, promiscue tum de hominum conceptione tum de eorumdem ortu in peccato loquitur, ubi expressam nonnullorum exceptionem non exhibet, uti de sanctissimo praecursore, et, quod plerisque placet, de Hieremia. Patres quoque eadem sese gessere ratione, quos inter Augustinus in epistola ad Dardanum sine ulla exceptione affirmat, neminem renasci, qui natus, seu qui in lucem editus ex matris utero non sit; sic enim scribit: *Illa sanctificatio, qua efficimur et singuli templa Dei, et in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, quod nisi nati homines esse non possunt* (4).... *Dominus cum hinc loqueretur,* NISI QUIS, *inquit,* RENATUS FUERIT DENUO, *eam scilicet computans primam nativitatem, quae fit matre pariente, non concipiente atque praegnante; quae fit ex ea, non quae fit in ea* (5); hinc fatetur s. Thomas, Augustinum loqui *secundum legem communem, secundum quam per sacramenta non regenerantur aliqui nisi prius nati* (6). Quare a sacris litteris sanctisque patribus iuxta communem legem debuisset et ipsa Virgo Maria in peccato nasci perinde ac concipi.

Festum nativitatis B. V. diu in Ecclesia non viguit.

Tertio, nativitatis virgineae festum per multa non obtinuit in Ecclesia saecula; et perinde ac conceptionis festum in orientali primitus ecclesia coeptum est celebrari; deinde ad ecclesiam occidentalem eiusmodi celebratio traducta est. Quandoquidem eiusdem primordia saeculo nonnisi septimo penes Graecos (7) occurrunt, penes autem Latinos aliquanto etiam serius factam illius offendimus mentionem.

Festum conceptionis festum nativitatis in Ecclesia praecessit.

Nam Augustinus, qui supremum obiit diem anno 433, in sermone de nativitate s. Ioannis Baptistae, aperte festum de B. Virginis ortu excludit dicens: *Natales dies carnis nulli prophetarum, nulli patriarcharum, nemini apostolorum celebravit Ecclesia: solos duos natales celebrat, huius* (Ioannis Baptistae) *et Christi* (8). Nonnulla deinde festi huius indicia quidem deprehendere sibi visi sunt sub aetatem Leonis magni, qui ad Petri cathedram anno 440 fuit evectus (9). Verum haec incertissima sunt. Prima monumenta, quae certitudinem de ce-

in matre eiusque prole; quia in matre caro *mundata*: in prole non mundata sed munda; in illa *purgata* in isto pura (lib. I *De Emmanuele*, c. 12, p. 1, edit. Lugdun. 1534, fol. 86) »; de solo *fomite* loquitur, ut constat ex contexto ac de macula *carni* inhaerente, quae certe non est peccati subiectum, ut alias monuimus. Quod demum spectat ad Magistrum sententiarum, is in lib. 3, dist. 3. « Quaeritur, inquit, de carne Verbi, an priusquam conciperetur, *obligata fuerit peccato*: Et an talis fuerit assumpta a Verbo? » Respondet autem: « Sane dici potest, et credi oportet iuxta sanctorum attestationis convenientiam, ipsam prius peccato obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro: sed Spiritus sancti operatione ita mundatam, ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Verbo. Mariam quoque totam Spiritus sanctus in eam praeveniens a peccato prorsus purgavit, et a fomite peccati etiam liberavit, vel fomitem ipsum penitus evacuando, ut quibusdam placet, vel sic debilitando et extenuando, ut ei postmodum peccandi occasio nullatenus extiterit ». Deinde adiicit ibid.: « Quod autem sacra Virgo ex tunc ab omni peccato immunis extiterit, Augustinus evidenter ostendit in lib. *De natura et gratia*, inquiens: *Excepta Virgine* etc. Illa autem Virgo singulari praeventa est gratia, atque repleta ; ut ipsum haberet ventris sui fructum, quem ab initio habet universitas dominum, ut illud quod ascendebatur ex propagine primi hominis, tantummodo generis et non criminis originem duceret ». Quam quidem doctrinam Gualterus seu Walterus veluti erroneam damnat, quod carnem a Verbo assumptam *peccato obnoxiam sicut reliquam Virginis carnem* faciat. Id ipsum Clichtoveus censuit dicens, illam *apertum continere errorem, impietatem sonare, irreverentiam in Christum et sacram eius Matrem, necnon irreligiositatem*. Attamen doctus Carol. Du-plessis d'Argentré sorbonicus doctor et episcopus tutelensis, qui de Gualterio agit in *Collectione iudiciorum de novis erroribus sub* an. 1179, edit. Paris. 1728, tom. I, p. 117, Petrum Lombardum hac in re vindicat, ostenditque eius mentem Gualterium non esse assecutum; praeterea nititur verba illius, quae adversari piae sententiae videntur, benigne interpretari, quasi nempe locutus tantum fuerit Magister sententiarum de solo peccati debito, quod B. Virgo ex carnali habuit generatione. Alii praeterea censent, Magistrum non de munditie ipsa ac purgatione B. Virginis disseruisse, sed de illius mundationis et purgationis *manifestatione*. Vide ss Ben. Plazzam op. cit. *act.* VII, n. 18 et seqq.; ubi praeterea ceterorum scholasticorum testimonia quae piae refragari sententiae videntur, singillatim explanat.

(1) Dixi: *Constanter sententiae de immaculato Virginis conceptu s. Thomam adhaesisse*. Siquidem certum est ex adducto eius loco in part. I, cap. XII huius inquisitionis, angelicum doctorem asseruisse B. Virginem ab *originali peccato et actuali immunem* servatam. Attamen cum in sequentibus operibus, praesertim vero in *Summa*, et in *compendio* theologiae contrariam adstruere sententiam videatur, exinde factum, ut immaculatae conceptionis vindices diversas inierint vias, quibus s. doctorem ad piae sententiae patrocinium adducerent. Nonnulli, ut card. Sfondrati in op. *Innocentia vindicata* typis monast. s. Galli 1695 in 4, allegant testimonia ex supposititiis opusculis s. Thomae, cuiusmodi est 4 *De salutatione angelica*; deinde ex opusc. 8 verba proferunt ex *Comment. in epist. ad Galatas* et ex *Comment. in epist. ad Rom.*; quem cardinalem hac in re plures sive antiquiores sive posteriores vel praecesserunt vel secuti sunt. At fr. Bernardus Maria de Rubeis in suis *Dissertat. criticis et apologeticis*, Venet. 1750, ostendit ea esse adscititia. Alii eo se receperunt, ut contenderent illa Aquinatis loca in quibus contrariam adstruit sententiam, quae quidem ad 15 numerantur, fuisse corrupta: verum eruditus idem auctor diss. cit. falsum id esse luculenter evincit. Alii denique adnisi sunt ostendere, ex principiis s. Thomae aliorumque illius aetatis scholasticorum circa generationis rationem, ac circa modum transfusionis peccati originalis, huiusque naturam, eum nulla ratione in locis, quae ex ipso aliisque scholasticis adducuntur, piae adversari sententiae: quos inter eminet doctus p. Nicolaus Lechovius in cit. opusculo: *Angelici doctoris s. Thomae aquinatis de Beatissimae Virginis Deiparae immaculata conceptione*; et Ioan. a s. Thoma in suo *Cursu theologico* pariter cit. quibus ego libenter assentior. Adi quae scripsimus part. I, cap. III.

(2) Epist. cit. n. 3 et 5.

(3) 3 p. quaest. 27, art. 1.

(4) Epist. 187, n. 32, ed. maur.

(5) Ibid. n. 33.

(6) 3 p. q. 27, art. 1 ad 2.

(7) Dixi, nonnisi VII saec. penes Graecos primordia reperiri natalitii festi B. M. V.: quandoquidem primus auctor, qui de eo festo agit, est s. Andreas cretensis, qui floruit an. 685, et cuius habetur *Oratio in Sanctissimae Dei Genitricis ac semper Virginis diem natalem* in *Biblioth. maxima veterum patrum*, Lugdun. 1677, tom. X, p. 219. Quamvis enim Baronius in notis ad martyrolog. romanum ad diem 8 septembris scripserit, de hac solemnitate in graeco codice bibliothecae Sfortianae num. 65, sermones legi nomine s. Ioannis Chrysost. et s. Procli, quorum alter vita functus est an 407, alter vero obiit an. 446, exploratum nunc est illos esse pseudepigraphos. Nam non modo homilia s. Io. Chrysostomi *in nativitatem Deiparae* non reperitur in editionibus *Commelinianа*, *Saviliana*, *Ducaeana*, *Maurina*, nempe Montfauconii, sed de ea Io. Alb. Fabricius in *Biblioth. graeca*, ed. Hamburg. 1802, vol. VIII, in *indice homil.* s. Chrysostomi, p. 551, legitur: [illegible]. *In nativitatem Deiparae* (spuria et omnia). De homilia item s. Procli idipsum dicendum; nam in *Bibliotheca* Gallandi, tom. IX, non exhibentur ex edit. Combefisii nisi tres orationes in *laudem Deiparae*, nulla vero inscribitur in *nativitatem Deiparae*: et citatus Fabricius in eadem *Biblioth. graeca*, vol. IX, p. 505 refert, in Biblioth. Paris. in cod. CXXXVII, n. 7, et tribus aliis extare Procli orationem, modo *in nativitate Deiparae* inscriptam, et alibi.

(8) Opp. edit. Maur. tom. V, serm. 287, n. 1.

(9) Ex fide Richardi Wassemburgii, lib. 2 *antiquit. Galliae belgicae*, apud Io. Bollandum in *act. SS.* februar. tom. III, p. 12, cuius auctoris iudicium criticum ibidem exhibetur, n. 3.

Digitized by Google

lebratione B. Virginis ortus aliquo suppeditare ratione videntur, occurrunt in *Sacramentario* gelasiano (1), edito post an. 492 (2), et rursus in *Sacramentario* s. Gregorii magni qui anno 590 pontificatum capessivit. In eo quippe V idus septembris signatur: *Nativitas S. Mariae Virginis*; ac praeter propriam praefationem sex orationes leguntur, quarum adhuc tres in sacro vigent ritu. Verum et haec non sunt plane certa (3). Deinceps autem magis iugiter ac magis huius festi celebratio in Ecclesia romana invaluit adeo, ut iam inde a saeculo VII labente, cum Sergius Petri cathedram occuparet, inter praecipuas Virginis solemnitates natale eius festum recensitum comperiatur (4). Ab Ecclesia postmodum romana temporis progressu in alias occidentales ecclesias pedetentim eadem festivitas derivata est atque universe propagata.

Eiusdem est conditionis sanctitas conceptionis et nativitatis B. Virginis.

Quibus praeiactis fundamentis, sic pergimus. Eodem sunt in loco conceptio B. Virginis et ortus, si Bibliorum ac primaevae traditionis ratio habeatur, immo vero si et ipsa utriusque festi spectetur institutio: quandoquidem prima utriusque vestigia in saeculo Ecclesiae V, aut VI reperiuntur, si iis quae in Sacramentariis gelasiano et gregoriano referuntur, fidem adiungimus. Secus enim in seriorem protrahenda esset aetatem celebratio nativitatis. At esto ut saeculo V vel VI celebrari hoc festum in Ecclesia fuerit coeptum. Quid inde? Ratum semper firmumque ex adductis monumentis manebit, conceptionis festum aliquamdiu ante nativitatis solemnitatem institutum fuisse (5); licet non continuo post eius institutionem in occidentis ecclesiis fuerit adscitum. Porro tum s. Bernardus, tum s. Thomas, quem ducem totum scholasticorum agmen sequitur, sanctitatem marianae nativitatis cum festa eiusdem natalis celebratione in universa Ecclesia vinculo ita necessario arctoque connectunt, ut ex hac ad illam tamquam ad causam ascendant. Nam hoc firmi ratique apud ipsos velut theorematis loco fuit: Ecclesia nativitatis Deiparae festum celebrat; ergo sancta fuit Beata Virgo in sua nativitate, seu nativitas eius sancta est, atque adeo ipsa in utero saltem fuit sanctificata. Hoc autem theorema saeculo Ecclesiae V aut etiam VI praedicari ac vindicari non poterat, nondum festo nativitatis instituto: si quis enim privatus homo per illa saecula sententiam de virginei ortus sanctitate propugnare voluisset, eoque certe iure, qui secus sensissent, illa eadem ex Bibliis et ex patribus obiicere ei potuissent, quae adversus piam de immaculato conceptu sententiam posteriores obiecere scriptores. Ast solemnitate nativitatis semel per universam Ecclesiam instituta, non modo quaestio dirempta omnis est, sed unanimi prorsus consensu omnes sanctum B. Virginis ortum proclamavere atque professi sunt; ita ut Ecclesiae censuram haud fuisset vitaturus, qui contumaci animo contrarium placitum propugnasset. Idque iure merito; cum Ecclesia in suis actibus ad cultum speciatim spectantibus Spiritu Dei ducatur, neque falli, neque filios suos decipere queat (6). Quae cum ita sint, eo nos ita argumentantes in rem transferimus nostram. Licet anteactis saeculis seu cum nondum conceptionis festum ab universa Ecclesia fuerat receptum, potuerint et s. Bernardus, et s. Thomas ac reliqui scholastici aut dubitare de eius sanctitate, aut vero etiam eam inficiari; post tamen quam illud universim celebratur, et a summis pontificibus est sancitum, profecto ipsi vi admissi theorematis unoque ore proclamarent, si aetate hac nostra in vivis agerent, necessario profiteri cogerentur eiusdem conceptionis sanctitatem, seu immunitatem in hoc conceptu a quavis labe ac sorde peccati. Hoc argumentum

Inductio s. Bernardi et s. Thomae ex festi nativitatis celebratione.

(1) Opp. Card. Thomasii edit. Vezzosi, Romae 1751, tom. VI, p. 150, lib. II *Sacramentorum*, num. LIII.

(2) Adi eiusdem cardin. praefationem, ibid. p. II, III.

(3) En *Lib. Sacramentorum* opera Hugonis Menardi restitutus apud editores maurinos opp. s. Gregorii M. tom. III, col. 127. Attamen heic animadvertunt editores Maurini cum Grimoldo abbate, sentiendum de festo hoc nativitatis, quod de festo assumptionis, quod in eodem libro Sacramentorum s. Gregorii M. refertur XVIII kal. septembr. ibid. col. 123: omittitur autem in kalendario rom. et in calensi et in cod. regio. Ast vetustum esse nativitatis B. M. V. festum patet ex Ordine romano, p. 84, ubi etiam stationis ad s. Adrianum fit mentio, ad quam prima collecta pertinet: Missa autem ad s. Mariam. Facit huius orationis et collectae mentionem Radulphus Tungr. cap. 13 et 23, ubi institutam hanc diem fuisse a d. Gregorio letaniam scribit a s. Adriano ad s. Mariam maiorem. Hoc vero festum et officium habentur in cod. reg. succ. et in al. necnon in kalend. rom. ubi assignatur ad diem 8 septembr. et praescribitur evangelium: *Exurgens Maria abiit in montana*. Quapropter hoc videtur festum gregoriano Sacramentario posito post adiectum, et nonnulla alia.

(4) Sic enim legitur in *Vitis rom. pontificum* sub nomine Anastasii bibliothecarii vulgatis, n. LXXXV, sect. 104, de papa Sergio: *Constituit autem, ut diebus annunciationis Domini nativitatis, et dormitionis Sanctae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae, et sancti Simeonis, quod hypopantem graeci appellant, litania exeat a s. Adriano, et ad Sanctam Mariam maiorem occurrat*, edit. Rom. Franc. Bianchini 1718, tom. I, p. 154, et tom. IV, p. 137. Assumptus autem est Sergius ad pontificatum an. 687.

(5) Ex iis quae supra critice notata fuere, per solidum plane saeculum atque ultra deprehenduntur monumenta pro festo conceptionis anteriora festo nativitatis.

(6) Consule Benedict. XIV, *De beatific. et canonizat. Sanctorum*, lib. 1, cap. 42, 43. Quoniam hoc in capite sermo est de scholasticorum placitis, commoda mihi sese offert occasio proferendi, prout pollicitus sum, antiquiorum scholasticorum sententias quoad originale peccatum, ut exinde magis eluceat, quidnam sibi voluerint, dum visi sunt adstruere B. Virginem conceptam in peccato fuisse. Primus itaque esto Rupertus abbas, qui peccati originalis nomine non aliud intelligit quam vitium seu voluptatis carnalis vitium, quo exempta fuit B. Virgo in activa Christi Iesu conceptione. *Comment. in cantic.* lib. 1, opp. edit. Coloniae Agripp. 1577, tom. II, par. 2, fol. 1, col. 1. Sic enim B. Virginem alloquitur: *Non fueras experta vitium huius saeculi, vinum voluptatis carnalis sive cuius ebrietate nulla unquam mulier praeter te concipere potuit aut poterit*. Ex quibus facilius intelligitur eorum verborum sensus quae ibidem adiecit, et nobis obiici solent: *Et tu quidem veraciter dicere poteras: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum* etc. Patet enim de conceptione activa ipsum loqui. Ruperto succedat abbas alter Hunaldus qui s. Bernardi aetate floruit. Is in epistola ad Ioannem praepositum, quae extat inter epistolas Philippi abbatis Bonaespei Duaci impressas, p. 97 seqq. videtur reponere peccatum originale in *carne seu concupiscentia* qua caro propagatur: haec enim scribit de Christi conceptione quae in B. Virgine peracta est: *In conceptione virginali non solius naturae cursus, sed alia penitus causa primum operata est, licet aliae sint subsecutae. Alia causa non creata supervenit, quae carnem Verbo Dei personaliter unicandam de carne Virginis sequestravit, et eandem ab originali peccato mundavit*. Tertius sit Petrus pictaviensis, qui in *Summa sententiar.* part. 2, c. 17 ex ed. Hugonis mathoud monachi maurini, Paris. 1655, p. 157 scribit: *Praeter hos defectus inest etiam quidam alius defectus humanae naturae post peccatum, scilicet quaedam foeditas, quaedam labes proveniens ex ferventi coitu parentum, quae causa originalis peccati,* ET ETIAM ORIGINALE PECCATUM, *secundum quosdam reatus poenae, id est debitum quo homo obligatus est poenae, temporali vel aeternae pro peccato primi hominis et illud debitum non est poena nec est culpa, et ita non est peccatum, sed tantum est originale peccatum. Sicut malum,* EST MALUM NOMINE, NON TAMEN EST MALUM; *et dicitur originale peccatum, quoniam ex peccato parentum obligati sunt homines poenae . . . Unde pluraliter dicit Propheta:* IN PECCATIS MEIS CONCEPIT ME MATER MEA, *id est in concupiscentia et ignorantia, quandoque singulariter dicitur peccatum originale, quoniam ignorantia pendet ex concupiscentia*. Deinde pergit referens aliorum sententias pag. 159. *Dicunt quidam quod originale peccatum partim est ex vitio concupiscendi, partim ex carne corrupta. Unde ad hoc ut Christus immunis esset ab originali peccato, oportuit carnem quam assumpsit mundari. Nam forte si non esset mundata, licet sine concupiscentia conciperetur, originale peccatum haberet Christus*. Ex alia sententia: *Non dicitur originale, quoniam a carne corrupta caro trahitur corrupta. Sic enim Christus habuisset originale peccatum; quoniam caro eius ex carne Virginis, quae per originale peccatum corrupta erat, traducta fuit; sed ideo originale dicitur, quoniam illa propagatio libidinose fit*. Idem auctor ibidem distinguit peccatum originale a carnis corruptione. Vocat carnem corruptam ob Adae peccatum, dicitque etiam corruptam ob proprium originalem culpam, atque exinde inferi carnem Christi fuisse peccato obnoxiam, in priori scilicet sensu. En eius verba: *Si quaeratur: an caro Christi fuerit obnoxia peccato,* CONCEDI POTEST *hoc sensu, id est caro quae est Christi. Falsa vero hoc modo: caro in Christo fuit corrupta . . . Nec tantum mundata fuit caro Christi in conceptione, sed etiam reliqua caro Virginis, in qua est omnino extinctus fomes peccati, ut postea non potuerit peccare*. Referens tandem aliorum placita circa rationem qua per baptismum deletur peccatum, ait: *Dicunt quidem quod sicut duo sunt in baptismo, id est aqua et Spiritus: ita ibi duo mundantur, scilicet anima et caro: haec ab* ORIGINALI PECCATO, *illa a corruptione carnis*. Ex quibus patet apertissime, mala illius aetatis scholasticos ipsum censuisse peccatum originale inhaesisse carni ex Adam progenitae, adeoque et mundationem et sanctificationem etiam in Virgine ad carnem referri. Immo vero nonnulli eo progressi sunt, ut ne in sensu quidem nuper exposito admiserint in Virgine ad carnem maculatam aut corruptam, uti testatur idem Pictaviensis in tract. *De fide et operibus* scribens: *Quidam volunt dicere, quod sicut ante peccatum in Adam fuit illa particula munda et sancta; ita post peccatum et in ipso Adam, et in omnibus successoribus recta linea usque ad Mariam tam conservata sit. Et hoc dicunt a Gregorio se habere. Quod ille homo ab ipsa conceptione plenus gratiae et veritatis fuit, et quod tantam habuit sapientiam, quod augeri non poterat, ut multae auctoritates testantur*. Possem eiusmodi auctorum catalogum qui originale peccatum in carne et concupiscentia, qua generatio perficitur, constituerunt, longius protrahere; at opus non est, cum allata testimonia sufficiunt. Lege sis Strozzi, op. cit. *Controversia della concezione* etc. lib. 3, cap. 24, 25. Quis interim miretur, eos scholasticos qui cunctanter adeo de peccato originali scripserunt, hasque peccati originis notiones imbiberant, B. Virginem in peccato originis conceptam traduxisse, cum per id nil aliud significatum voluerint, nisi illam parentum concupiscentia genitam fuisse? In quo profecto nihil est quod piae obsistat sententiae.

ineluctabile est, neque alia indiget probatione. Quis enim neget, hos ipsosmet auctores doctoresque ceu temerarios habituros nunc fore illos, qui huic doctrinae refragari auderent? Ne igitur doctores illos aut secum ipsis imprudenter committere dicamus, aut *illogicos* vocemus (quod iniucundum ipsis esset, imo et iniquum), fateamur necesse est, eos ad unum omnes ex principio ab ipsis recepto, atque ex causalis vinculi ratione quod intercedere professi sunt inter sanctitatem virginei ortus ac festum eiusdem sollemnitatem in Ecclesia vigentem, causae nostrae seu patrocinio immaculatae conceptionis absque ulla dubitatione fore adstipulaturos.

Corollarium.

Exinde sequitur, scholasticos, doctoresque omnes medii quod nuncupant aevi, quamvis primo obtutu piae sententiae de immaculato conceptu adversari videantur, reipsa tamen totidem esse sententiae eiusdem patronos. Sed et illud praeterea sequitur, haud opponi eos posse velut intermissae per eam aetatem, in qua floruerunt, traditionis testes; cum ipsi habendi omnino sint uti privati doctores, quippe qui fundamento, quod est in Ecclesiis agendi ratione et consuetudine situm, quodque praecipuum hac in re est, carentes, proprio tantum prompsere sensa: dum contra quoad virgineae nativitatis sanctitatem eiusmodi erant fundamentum nacti. In hac porro iidem ipsi adserenda ita se gesserunt, ut veluti in antecessum implicite ac virtute sanctitatem virginei ipsius conceptus professi sint, si quando huic illud ipsum fundamentum, festum scilicet conceptionis ab Ecclesia celebratum, accessurum esset: quod quidem reipsa videmus a pluribus iam saeculis solemniter accessisse.

Scholastici suam protulere sententiam ut doctores privati.

Dixi praefatos auctores *privatorum doctorum* personas, quod ad hoc spectat argumentum, gessisse propria sensa promentes, non autem uti intermissae traditionis testes sese exhibuisse. Siquidem tum s. Bernardus tum Angelicus, de quorum auctoritate potissimum (saltem si adversariorum menti standum esset) solliciti esse debemus, utpote qui ceterorum agmen ducunt, se paratissimos ad propriam sententiam corrigendam ostendunt, si aliter romanae Ecclesiae, cui addictissimi erant, quoquomodo visum fuisset. His enim verbis claraevallensis doctor epistolae suae finem imponit: *Quae autem dixi, absque praeiudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanae praesertim Ecclesiae auctoritati atque examini totum hoc, sicut et cetera, quae eiusmodi sunt, universa reservo: ipsius si quid aliter sapio paratus iudicio emendare.* Doctor autem aquinas in illo ipso articulo in quo videtur piam improbare sententiam, infert eam non esse *totaliter* improbandam ex eo quod romana Ecclesia conceptionis celebrationem in aliis ecclesiis toleret, etsi ipsa illam non celebret, ut ipse ait.

S. Bernardi verba.

Verba s. Thomae.

Habeto eius verba: *Licet romana Ecclesia conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter improbanda*(1). Quamvis autem ibidem addat s. doctor, ideo in nonnullis ecclesiis festum conceptionis celebratum, quod ignoraretur *momentum* sanctificationis; tamen oppositam doctrinam ipsemet iam tradiderat in lib. 1 sent. dist. 44, q. 1, art. 3 ad 3 dicens: *Puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquod creatum inveniri, quo nihil esse purius potest in rebus creatis; si nulla contagione peccati inquinatum sit, et talis fuit puritas B. Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit. Fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum* (2). Ubi duo sedulo sunt animadvertenda. Primo, quod Angelicus eadem ratione dixerit B. Virginem immunem ab originali peccato fuisse, qua eam immunem ab actuali noxa asseruit: iamvero ideo extitit immunis B. Virgo ab actuali peccato, quia nunquam illud admisit: ergo e s. doctoris sententia immunis pariter fuit ab originali macula, quia illam nunquam incurrit. Secundo, quod compacet eius puritatem quoad recessum a peccato cum ipsa Dei puritate, ita tamen ut in ea, quippe mera creatura *potentia ad peccandum* extiterit, quae Deo inesse non potest. Locutus perinde est Aquinas de immunitate omnimoda quam Virgo ex divina largitate in ipso conceptu suo adepta est. Quod vero attinet ad verum cultus obiectum quod in conceptionis festo proponitur, ceteris omissis, quorum alio suo loco attulimus, alia etiam infra afferemus, nunc pariter dubitatio omnis submota est per pontificias constitutiones perque ritum adiiciendi in missae praefatione a sacrum facientibus: *Et te in conceptione immaculata*, qui in Ecclesia fere universa ac Romae praesertim est receptus. Quae cum ita sint, nemo per se ipsum non perspicit, haud aliam unquam mentem Ecclesiae fuisse, quam insigne hoc Beatae Virginis privilegium in festa conceptionis celebratione recolere.

Neque s. Bernardus neque s. Thomas officiunt dogmaticae definitioni de sanctitate conceptionis B. Virginis.

Itaque ex hisce concludere nobis fas omnino erit, neque sancti Bernardi neque s. Thomae, neque aliorum antiquiorum doctorum, qui eos hac in parte sunt secuti, peculiarem sententiam dogmaticae de immaculato Virginis conceptu definitioni obsistere quidpiam posse; cum eo praesertim scripserint aetate, in qua nondum penitus manifeste haec liquebat sententia, ac potissimo ipsi destituerentur fundamento, quod huic postmodum accessit quaestioni: hincque eos ut privatos doctores esse existimandos, qui propriam singularemque tulerint sententiam, non autem uti traditionis Ecclesiaeque sensus testes. Et haec quidem si tum s. Bernardi, tum s. Thomae opinio reipsa uti piae sententiae adversans teneatur: quod tamen nobis non probatur, uti ex iis, quae de germana angelici praesertim doctoris mente suis locis attulimus, abunde constat.

Veteres scholastici operum antiquiorum patrum inopia laborarunt.

Sed alia hoc loco, gravis sane, praetereunda non est generalis licet animadversio, quae cum ad excusandos hac in re veteres illos scholasticos plurimum facit, tum non parum confirmat id quod contendimus, nihil nempe validum ex illorum auctoritate posse adversus piam sententiam opponi. Nam scholastici illius aetatis doctores in iis versabantur temporum rerumque adiunctis, ut tum ob veterum ecclesiasticorum monumentorum inopiam, tum ob artis criticae neglectum, tum etiam, ad graecos atque orientales patres quod attinet, ob linguarum imperitiam et versionum defectum, germana patrum antiquiorum scripta maximam partem ignorarent. Libet hoc cl. Bellarmini auctoritate comprobare in ea consultatione, quam de hac ipsa qua imbueremus quaestione, de immaculato scilicet Virginis conceptu, exaravit(3). Cum enim principio negasset Bellarminus fieri posse ut patres omnes piae huic sententiae refragarentur, sibi deinde ex Caietano obiiciendo proponit verba s. Bonaventurae in 3 sent. dist. 3 ita scribentis: *Communiter sancti solum excipiunt Christum ab illo generalitate, qua dicitur: Omnes peccaverunt in Adam.* Quid porro ad haec Bellarminus? « 2. Dico, reponit, sanctum Bonaventuram nullum patrem sanctum, nisi s. Bernardum et s. Anselmum citasse, neque enim poterat, quia paucissimos noverant illo tempore scholastici, qui Magistrum sequebantur, qui vix citat Augustinum, Ambrosium et Hilarium. Itaque verba illa Bonaventurae: *Communiter sancti solum excipiunt Christum*, intelliguntur de paucis illis, quos noverant tunc scholastici. 3. Dico, quod verba eadem s. Bonaventurae satis indicant eum loqui de sanctis, qui non expresse loquuntur de B. Virgine, sed solum in genere dicunt excipi Christum a peccato originali, quod est verum de illis, qui *ex vi conceptionis* concipiuntur sine peccato originali; sed inde non sequitur excipi non debere Virginem, quae non ex vi conceptionis, sed ex gratia Christi praeservata fuit. Itaque absolute negamus omnes sanctos antiquos esse contra nostram sententiam, immo *vix unus aut alter* invenietur. Et nos habemus multos in contrarium. Ego vidi quos citat Ioannes a Turrecremata, et quos Ioannes Capreolus; et cardinalis Caietanus, qui est ultimus, adducit decem patres et quinque scholasticos, et de patribus dicit se distincte posuisse nomina et loca et verba. Excutiam breviter loca decem patrum ». Ostendit porro Bellarminus nullum eorum penitus piae contraire sententiae; nonnullos ex iis inter patres minime recensendos, utpote haereticos; nonnullos demum ne extitisse quidem(4). Quos cum et nos excusserimus in priori huiusce lucubrationis parte, non vacat ea heic iterare. Ad Caietanum autem speciatim quod attinet, paulo post, unde is deceptus fuerit in decem patribus illis recensendis, et ex ipso Melchior Canus, aperiemus.

Quo sensu ex eod. Bellarmino veteres patres exceperint solum Christum ab originali peccato.

Quo scholasticos duxerit inopia monumentorum.

Interim ex illa sanctorum patrum tum latinorum tum potissimum graecorum ignoratione factum est, ut scholastici illi veteres de gravissimis catholicae doctrinae capitibus pertractantes, cum sibi plurima traditionis internoscendae instrumenta praesto haud

(1) 3 p. q. 27, art. 2 ad 2.

(2) Op. edit. Rom. 1570.

(3) In *Voto* ms. ex autographo eiusdem card. in congregatione s. Inquisitionis *pro immaculata B. Virginis conceptione* habita sub Paulo V die 31 augusti an. 1617; quod apud me servo.

(4) Quinam ii sint ex dicendis patebit.

essent, in pelagus, ut ita dicam, humanarum ratiocinationum sese coniicere coacti sint. Neque proinde mirum si aliqui ex ipsis, uti iam pridem Canus (1), postea vero eruditus auctor, quem supra laudavimus (2), scite observarunt, in hoc veluti pelago naufragium identidem perferre debuerint; cum humanae mentis, utut subtilis ac peracutae, rationes ex se infirmae semper existant ad capita christianae fidei constituenda. Id porro ipsum contigisse dici merito poterit in hac etiam de virgineo immaculato conceptu doctrina: quamquam, cardinali Toleto rite adnotante (3), non omnes antiquiores illi scholastici in adversa sententia consenserunt, sed ex illis non pauci omnino repugnarunt. Sed dum illi *theoretice* e penu suo philosophantes varia inter se promebant, pastores ecclesiarum, Christiqne sub illorum regimine fideles virginea conceptionis cultum *practice* quotidie magis provehebant, atque hinc in eiusdem mysterii studio ac veneratione christianorum corda incalescebant.

Dum theoretice scholastici disceptabant, *practice* promovebatur conceptionis cultus.

De scriptoribus porro reliquis, qui aetatem illam scholasticorum veterum subsecuti sunt, quique magno numero ex professo de hac egerunt quaestione, nihil dicendum nobis esse duximus. Cum enim controversia isthaec in scholis theologicis late agitari coepta fuerit, prout iam animadvertimus, alii theologorum aienti, alii vero neganti tenaciter adhaesere placito, sive quod reipsa ita sentirent, sive etiam quod partium studio, uti non raro fit, commoverentur: atque adeo acriter ac perdiu utrimque dimicatum est. Quare in tanto animarum conflictu non est cur huiusmodi scriptorum ulla pro re nostra ratio sit habenda. Et quamvis adversae partis sectatores in causae suae patrocinium haud paucos a veteribus de schola theologis proferre potuerint, tamen progressu temporis factum est, ut quantum illa pars et numero decresceret, et auctoritate caderet, tantum altera et asseclarum numero augesceret, et auctoritate ita praevaleret, ut aemulam vis inde non obrutam diceres (4). Siquidem pleraeque omnes religiosae familiae, academiae quotquot in Europa universa sunt celebriores, doctores scientia ac sanctitate praestantes piam ultro amplexi sunt sententiam (5); immo ex academiis non paucae sacramenti sese religione obstrinxerunt ad eam strenue defendendam (6).

Quare silemus de recentioribus scriptoribus.

Sed contentiones hasce premere magis silentio praestat, quando et romani pontifices constitutionibus suis silentium eisdem districte indixerunt (7); et ipsum lenius saeculi huius ingenium ab eiusmodi concertationibus abhorrens, ut de illis taceatur facile suadet.

CAPUT VI

DE VARIIS THEOLOGORUM PLACITIS CIRCA DOGMATICUM DECRETUM DE IMMACULATO VIRGINIS CONCEPTU

Gravis quam inivimus disceptatio de immaculati virginei conceptus sententia, in eum iam videtur deducta locum, ut satis in illa fundamenti inesse liqueat, quo dogmaticae definitionis sit capax; nimirum ut veluti articulus ex fide credendus proponi ab Ecclesia possit. Sed quoniam e recentioribus theologis alii affirmant, alii vero negant, nostrarum esse partium ducimus utrorumque singillatim expendere ac simul conferre rationum momenta, quibus ad proprium placitum tuendum permoventur. Hoc enim haud parum novae lucis toti huic disceptationi allaturum confidimus, ac illud demum facilius inde constiturum, quid hac in re verum sit, aut ad verum magis videri debeat accedere. Ne autem si haec simul omnia complectamur, prolixitas lectori fastidium creet, disquisitionem hanc quatuor exsequemur paragraphis, in quarum prima theologorum affirmantium, in altera theologorum negantium afferemus argumenta, in tertia utriusque partis argumentorum collationem instituemus, in postrema demum magis idoneam, quae nobis visa est, viam indicabimus quae ad optatum finem perducat.

Theologi discrepantes circa dogmaticum decretum de immaculato Virginis conceptu.

Ordo disquisitionis.

§ I. *Argumenta theologorum asserentium immaculatum B. Virginis conceptum posse definiri*

Heic mens nobis non est eorum texendi catalogum qui censuerunt definiri immaculatae conceptionis controversiam posse: siquidem hoc alii iamdiu abunde praestitere (8). Neque, si sermo sit de re in *abstracto*, ut aiunt, spectata circa alterutrum placitum, aliquis est qui iure id inficiari possit, cum hoc toties romani pontifices aperte declaraverint. Quotquot enim pontifices a Sixto IV in posterum constitutiones hoc de argumento ediderunt, hac expressa formula usi constanter sunt: *Cum ab apostolica sede nondum hoc fuerit decisum*, vel alia eiusmodi, qua plane significatur posse romanos pontifices, cum id expedire iudicaverint, dogmatice rem hanc definire. Controversiae igitur cardo in eo vertitur, utrum pia sententia possit ab Ecclesia in *concreto*, ut loquuntur, definiri, et quidem quin longiori examine ac discussione opus sit, utpote satis ad liquidum explorata, atque omnimoda constans certitudine: id quod vocant *proxime definibile*. Quo quidem discriminatur ab ea definitione quae adhuc inquisitione eget, quippe cum res, qua de agitur, incerta adhuc, et dubia obscuraque permaneat; id quod ab iisdem *remote definibile* nuncupatur. Quocirca in illorum theologorum sententia, qui tenent immaculatum Virginis conceptum *proxime definibilem* esse, necessitas excluditur, aut Concilii oecumenici, aut solemnis alterius inquisitionis ad articulum hunc definiendum.

Controversia definiri potest.

Quid sit *proxime*, aut *remote definibile*.

Plures porro iique gravissimi auctores ita sentiunt, quos inter eminet Ambrosius Catharinus (9), cardinalis Toletus (10) ac Bellarminus (11), Suarezius (12), Vasquezius (13), Gregorius de Valentia (14), ut ceteros praeteream. Horum argumenta ad ea quae sequuntur revocari facile possunt.

Plures graves que auctores censuere hanc controversiam esse *proxime definibilem*.

Primo quidem ita arguunt. Certum est, Ecclesiam posse con-

(1) *De locis*, lib. 8, c. 1.

(2) Io. Bapt. Federicius Ord. benedict. in op. cit. *La immacolato concezione della B. Vergine Maria*, p. 312 seq.

(3) *Comment. in 3 part. s. Thomae quaest.* 27, quod manuscriptum asservatur in Bibliotheca collegii romani.

(4) Sane Caietanus in tractatu *de conceptione*, Lugduni 1841, cap. 5, scribit: *Doctores tenentes B. Virginem esse praeservatam* (ab originali peccato) *esse numero infinitos, si ad modernos spectemus*. Marianus vero Lapenius in *Bibliotheca reali theolog.*, tom. II, verb. *Mariae conceptio immaculata*, intra saec. XVII centum et triginta septem auctores recenset, qui peculiares libros seu tractatus ad conceptionem immaculatam asserendam vindicandamque typis vulgarunt.

(5) Consule inter ceteros Io. Antonium Velasquezium, *Dissertationes et adnotationes de Maria immaculate concepta*, Lugduni 1653, diss. IX, *De cunctis sacris ordinibus et religiosis familiis Mariam immaculate conceptam profitentibus et docentibus*, p. 361 seqq.; nec non diss. VIII, *De cunctis orbis christiani academiis piam de immaculata opinionem tenentibus*, p. 356 seqq. praeterea Hippolytum Marraccium, *Bibliotheca Mariana*, et *appendix ad Biblioth. Marianam*, Coloniae Agripp. 1683.

(6) Adi Bened. Plazzam, op. cit. *Causa immac.* etc. act. VII, art. 3.

(7) Silentium istud adversanti parti prior indixit Paulus V constitut. edita die 6 Iul. 1616, ac iterum decreto ss. Inquisition. die 31 augusti ann. 1617, quoad *actus et conciones*, postea Gregorius XV decreto pariter ss. Inquisition. die 24 maii 1621 illud extendit ad *scripta* et ad *sermones privatos*.

(8) Nempe p. Thomas Strozzi S. I. qui in sua *Historia controversiae*, cit. part. II, lib. 10, c. 0, iam retulerat, plures academias editis thesibus propugnasse immaculatae conceptionis *definibilitatem*: cumque huic placito sese opposuisset Hyacinthus Arpalego, eum confutavit Crespi a Borgia episcopus uriolensis in op. cui titulum fecit: *Propugnaculum theologicum definibilitatis proximae sententiae pie negantis Beatissimam Virginem Mariam in primo suae conceptionis instanti originali labe fuisse infectam*, Valent. 1653. Deinde vero ibid. cap. 28 catalogum texuit auctorum qui eiusmodi *definibilitatem*, ut vocant, propugnarunt, ac supra viginti recenset ex diversis ordinibus, et episcopis; septemdecim praeterea sola Soc. Iesu; quibus adiecit saltem uti privatos doctores, episcopos illos ac theologos, qui in Concilio basileensi pro definitione huius privilegii steterunt, nec non eos omnes qui in Concilio tridentino pro eadem definitione decertarunt; qui quidem, referentibus Ambrosio Catharino atque Pallavicinio, plurique fuerunt, quos inter Lodovicus Alliaga viginti quinque episcopos ex Ord. praedicat. recenset. His plures alii ex recentioribus adiici possent, et prae ceteris honoris causa cl. card. Lambruschinium nominatum volo, qui in egregio suo opusculo de immaculata conceptione superioribus annis Romae edito fervens desiderium suum pro hac definitione dogmatica patefecit. Cf. etiam Marzola, *De Beata Virgine*, Novariae 1845.

(9) *Disputatio pro veritate immaculatae conceptionis B. Virginis Mariae*, Senis 1532, lib. 3.

(10) *Comment. in 3 part. s. Thomae quaest.* 27, *art.* 1 *et* 2, quod ego ms. legi.

(11) Ut patet ex cit. consultatione seu *Voto* quod dedit card. Bellarminus in congregatione sac. Inquisit. cardinalium habita sub Paulo V, an. 1617, die 31 augusti; quod quidem ex autographo eiusdem cardinalis delatum est ad Philippum IV Hispan. regem, quodque nos infra afferemus.

(12) In 3 p. tom. II, disp. 3, sect. 6.

(13) In 3 p. tom. II, disp. 117, cap. ult.

(14) In 3 p. disp. 2, quaest. 27.

Primum huius sententiae argumentum.

troversiam hanc in se spectatam in alterutram partem dirimere ac definire. Iamvero nequit Ecclesia eam in partis adversantis favorem dirimere, cum iamdiu ac saepe sententiam de immaculato conceptu *piam* vocaverit ac declaraverit, cum huic ipsi Virginis privilegio recolendo ac celebrando cultum, officium canonicum, missam, festumque decreverit; cum denique indulgentiis, favoribus, privilegiis huius mysterii cultores cumulaverit. Constat igitur, Ecclesiam posse piam hanc sententiam definitione sancire (1).

Secundum argumentum.

Rursum: illud *definitionis* capax censetur et est, quod deducitur ex duabus propositionibus seu ut vocant *praemissis* quae ex fide sunt, aut saltem ex una *praemissa* quae ex fide est, et ex altera quae naturali ratione evidenter cognoscitur. Eiusmodi enim obiectum, seu veritas, aut, si lubet, propositio est implicite ac tacite, uti scholae loquuntur, a Deo revelata, ob *necessarium nexum* quo coniungitur cum iis, quae clare atque expresse a Deo revelata sunt. Si porro iis accedat Ecclesiae, seu romani pontificis definitio, nemo catholicorum inficias ibit, illud obiectum, seu veritatem aut propositionem illam ab omnibus ex fide esse credendam (2).

De nexu qui requiritur inter deductam propositionem et veritatem expresse revelatam.

Verum enimvero difficultas circa eiusmodi nexum versatur, quem praeseferre debet propositio implicite a Deo revelata cum alia, seu cum aliis veritatibus, quae expresse, seu explicite ab ipso Deo revelatae sunt, ut edi queat dogmatica fidei definitio. Quandoquidem nonnulli autumant ad definitionis possibilitatem necessario exposci, ut propositio, quae definienda est, contineatur expresse atque explicite sive in Scriptura, sive in traditione, aut saltem ut ab hisce fontibus per consequentiam certam, necessariam atque evidentem deduci possit, et quidem non evidentia modo *logica* aut *ratiocinativa*, verum etiam *physica* aut *metaphysica*, quae in ipsa *materia*, ut aiunt, et in *consequente* fulgeat, cum scilicet altera praemissarum propositionum ῥητῶς καὶ ἀκτῶς seu ad verbum et simpliciter in Biblus minime contineatur vel reperiatur, aut altera certa quidem sit, sed sola certitudine *morali*, vel etiam solum propositionum opposita probabilior, ex horum auctorum sententia enunciatio, quae inde descendit, definitu impossibilis censenda est. Plerique tamen huic principio refragantur vehementer, quibus scilicet ad possibilitatem definitionis obtinendam satis est, ut propositio ad christianam religionem spectans implicite in Scriptura aut in traditione contineatur; vel saltem ut ex certa fidei propositione atque ex altera evidente deducatur necessario, sive isthaec evidentia e facto exsurgat in Ecclesia notissimo, sive moralis evidentia sit quae omnem prorsus formidinem contrarii excludat; idque etiamsi pauci catholici de tali dubitent evidentia, seu de intimo ac necessario nexu quo illa doctrina cum veritatibus expresse a Deo revelatis copulatur.

Quomodo constituatur sufficientia nexus quo de agitur.

Posterior haec conclusio, quippe quae maximi est negotii, pluribus, iisque gravissimis auctoritatis ac rationum momentis exemplisque a suis patronis adstruitur atque illustratur (3).

Generales Christi promissiones.

Ceteris porro brevitatis ergo praetermissis, nam ex generalibus evincunt promissis quae Christus saepe fecit Ecclesiae de iugi praesentique Spiritus sancti ope atque auxilio in iis omnibus, quae ad fidem moresque pertinent, quin id ad ea coangustetur quae expresse ac diserte sunt revelata, aut ad ea tantum quae *metaphysica* ac *physica* evidentia cum iis connectuntur. Eiusmodi sunt, quae Matthaei ultimo leguntur: *Ecce ego vobiscum sum* (docentibus) *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*; nec non Ioan. 14, 26: *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis.* Hunc ipsum iam vocaverat Christus ibidem *Spiritum veritatis*, *ut maneat vobiscum*, inquit, *in aeternum.* Et cap. 16, 12, 13 item discipulis suis dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* His aliisque pollicitationibus Ecclesia fulta haud dubitavit plures dirimere controversias identidem exortas, quamvis conceptis verbis definitae veritates in Scriptura aut traditione nusquam reperirentur, neque ille *physice* aut *metaphysice* evidens nexus cum iis, quae expresse sunt revelata, constaret.

Confirmatur.

Et quidem, hi pergunt auctores, numne semel, antequam aliqua ex eiusmodi veritatibus dogmatice ab Ecclesia definiretur, vel inter ipsos doctores catholicos maximae dubietates ortae sunt ac graves diu incaluere quaestiones? Ex quo sane apertum fit, veritates illas non ea metaphysica aut physica consecutionis evidentia affulsisse. Id porro, ceteris exemplis omissis, luculentissime videre est in controversia de librorum divinorum *canonicitate*, quam vocant; omnium scilicet illorum qui divini habentur tum veteris tum novi testamenti, quos *deuterocanonicos* appellant. De horum enim plerisque nulla iniicitur sive aperta sive tacita mentio in libris qui *protocanonici* nuncupantur. Dein temporis successu deficientibus monumentis traditio in aliquibus ecclesiis incerta ac subobscura permansit, adeo ut paulo ante tridentinam Synodum nonnulli e catholicis adhuc in dubitatione haererent (4). Tamen a tridentinis patribus decreto dogmatico diremta est controversia, atque uti ex fide credenda proposita fidelibus est divinitas omnium et singulorum librorum cum suis partibus omnibus prout in editione vulgata legi consuevere (5).

Confirmatur ulterius.

Quapropter magnus Gregorius in epistola *Ad universos regni Childeberti episcopos* pro certo id sibi assumens scribebat: *Si quam vero contentionem, quod longe faciat divina potentia, de fidei causa evenire contigerit; aut negotium emerserit, cuius vehemens sit fortasse dubietas, et pro sua magnitudine iudicio Sedis apostolicae indigeat; examinata diligentius veritate, relatione sua* (episcopus arelatensis) *ad nostram studeat perducere notionem; quatenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari* (6). Exinde s. Thomas generatim constituit: *Hoc pertinere ad auctoritatem summi pontificis, ad quem maiores et difficiliores Ecclesiae quaestiones referuntur, ut dicitur in decret. dist. 43… et huius ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiae secundum illud 1 ad Cor. 2: « Idipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata ». Quod servari non posset, nisi quaestio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic eius sententia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem summi pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut et omnia alia quae pertinent ad totam Ecclesiam* (7). Itaque in catholicis controversiis nulla est praescribenda coarctatio ad ea tantum quae expresse sunt revelata.

Urgentur adversae sententiae incommoda.

His addunt, adversariorum theorema novatoribus favere, qui nihil aliud de fide admittendum esse contendunt, quam quod expresse in verbo Dei continetur, atque hac de causa inficiantur Ecclesiam aut romanum pontificem iudicem esse controversiarum, prout iam ante animadverterat Catharinus (8).

Cum vero praestabilitum firmiter illud sit principium, haud necessario ad alicuius articuli definitionem requiri, ut hic in Dei verbo scripto aut tradito expresse contineatur, sed sufficere, ut in illo veluti obvolutus saltem delitescat atque adumbratum significatus, seu, uti loquuntur, implicite reperiatur; neque item necessario postulari, ut illius nexus cum divino verbo evidentia lucescat *physica* vel *metaphysica* sed tantum *morali*, hinc in modum piae sententiae patroni ad originalem B. Virginis munditiem vindicandam procedunt.

Illatio ex praestitutis principiis.

Ex fide est, seu ex fidei constat certitudine, uti ex prolatis divinorum Bibliorum eloquiis et ex unanimi catholicorum consensione patet, Ecclesiam *columnam esse et firmamentum veritatis*, quae Spiritus sancti numine afflata, eiusque praesenti tutela atque auxilio protecta falli in iis omnibus omnino nequit, quae ad fidem et religionem christianam spectant. Porro evidens est evi-

(1) Ita Suarezius loc. cit.
(2) Ita Crespius in op. cit. *Propugnaculum* 2, disp. 2.
(3) Lege sis Th. Strozzi, op. cit. part. II, lib. X. Plura de his scribit Suarezius in *Tractatu de fide*, disput. 2, *de obiecto seu subiecto materiali fidei*, sect. 1 seqq.
(4) Sic Nicolaus de Lyra, saec. XV, in praefat. *super librum Tobiae* ed. Lugdun. 1590, tom. II, col. 1105. Item s. Antoninus *Chronic.* par. I, tit. 3, cap. 4 edit. Lugdun. 1586 tom. 1, p. 65. Alphonsus Tostatus, *Comment. in Hieronymi prolog. Galeat.* saec. XVI Pozolai, *Bibl. complut.* 1519. Card. Caietanus *Praef. com. in omnes libros authenticos Vet. Test.* Lege tamen quae scripsimus in tract. *De locis theol.* part. 2, sect. 1, c. 1, prop. 1, n. 60 seqq.
(5) Sess. IV.
(6) Lib. V, epist. 54, opp. edit. Maurin. tom. II, col. 784.
(7) 2 2. qu. 1, art. 10.
(8) In *Disputatione pro immaculata B. Virginis conceptione*, lib. I et III.

dentia facti in tota Ecclesia pervulgati, conceptionis festum primo in ecclesiis non paucis celebratum esse, romanis pontificibus id tacite saltem probantibus, deinde vero in Ecclesia universa, ex eorumdem summorum pontificum institutione et praecepto, idque iam aliquot abhinc saeculis. Rursum eadem certitudine atque evidentia apud omnes liquet abiectum huius cultus ex Ecclesiae mente, quam plus vice simplici romani pontifices fidelibus aperuere, semper solebat fuisse atque in praesentia esse B. Virginem ipsam spectatam uti a peccato originario praeservatam in eo temporis puncto, in quo primum eius corpusculo anima adhaesit (1). Cum igitur certum sit ex fidei certitudine Ecclesiam errare non posse in iis omnibus, quae ad fidem, christianamque pertinent religionem, ac certa praeterea sit ex evidentia facti in Ecclesia catholica notissimi festa immaculatae conceptionis celebratio, sequitur, propositionem, qua adseritur immunitas Deiparae ab omni peccati sorde in sua conceptione, implicite seu virtute habendam esse uti revelatam divinitus, ac proinde uti *proxime* definitu possibilem, quin ultra longiori opus sit examine, aut novi concilii convocatione.

Confirmatur. Rursum: ex fide credendum est Beatam Virginem θεοτόκον seu Dei esse Genitricem. Iamvero evidentia constat morali, quae assensum cuiusvis prudentis viri absque ulla oppositi erroris formidine profecto elicit, non posse cum tanta dignitate simul consistere originalis peccati maculam quae candidissimam Dei Matris animam infuscaret, immo lethali inficeret veneno, iram filiam faceret, diabolo manciparet, morte spirituali perderet. Ergo ex praeiactis principiis iterum inferatur necesse est, eiusmodi immunitatem proxime definiri posse, cum ea liquido constet tum ex propositione quae de fide est, tum ex propositione quae evidens est evidentia *morali*, seu evidenter cum propositione, quae de fide est, connectitur (2). Haec autem *moralis* evidentia novum certitudinis gradum e declaratione Tridentini obtinuit, quod decreto suo Beatam Virginem comprehendere noluit, immo eam exclusit a propositionibus generalibus seu universalibus, quibus Apostolus ad omnes extendit homines primigeniae noxae propagationem; et praeterea eadem de causa tridentina ipsa Synodus declaravit sentire se cum universa Ecclesia, B. Virginem nullo unquam vel levi fuisse peccato inquinatam, speciali singularique Dei privilegio (3). His non minimum pondus accedit ex tot academiis, ex tot religiosis familiis, ex tot denique gravissimis theologis doctisque viris, paucis omnino prae illis refragantibus, qui uno ore B. Virginem, pro sublimissima divinae Matris dignitate, immunem a quavis originariae culpae labe proclamarunt (4). Haec demum omnia firmissimo veluti sigillo obsignat totius christiani populi consensus, qui uno et animo et corde et mente atque ore, ut saepe diximus, privilegium hoc in Virgine profitetur ac veneratur pro summo Dei Genitricis munere quod in ipsa suspicit; ex quo proinde universali christianorum consensu ad illam moralem de qua hucusque disseruimus evidentiam prope cumulus accedit.

§. II. *Argumenta theologorum negantium definiri posse immaculatum B. Virginis conceptum*

Auctores neque graves qui negant proximam definitionis possibilitatem. Inter theologos, qui prorsus inficiantur, controversiam quam agitamus, saltem *proxime* in eo quo explicavimus sensu, definiri posse, praecipui numerantur card. a Turrecremata (5), Caietanus (6), Melchior Canus (7), card. Pallavicinius (8), Lamindus (9), Lampridius (10). Ex his igitur potiora depromemus argumenta.

Rationum momenta. Nihil ab Ecclesia definiri ex fide potest, quod aperte atque expresse in sacris litteris, aut traditione non continetur, aut saltem non intimo connectatur nexu cum eo quod expresse revelatum est, hicque nexus evidentia affulgeat vel *physica* vel *metaphysica*, atque ideo necessario ex eo deducatur. Cum vero eiusmodi non sit articulus de immunitate B. Virginis ab originaria labe in primo eiusdem conceptionis momento, consequitur eam decreto dogmatico definiri ab Ecclesia nulla ratione posse (11).

Confirmantur. Sane si intimius rem perscrutemur, facili deprehendemus negotio nullum piae, quam vocant, sententiae fundamentum sive in traditione translucere, immo has aperte satis eidem adversari; sed illam unice se totaliter inniti in agendi ratione quam servavit Ecclesia sequiori in aevo, et qua factum, ut festum marianae conceptionis ab ea probaretur. Iam vero qui plane hospes in theologicis disciplinis non sit, optime noverit, Ecclesiam in his instituendis, quae ad cultum et consuetudinem spectant, ratione aut probabili aut probabiliori posse moveri, prout vel ipse animadvertit Vasquezius (12). Quae cum ita sint, patet nullum exinde fundamentum ad edendam fidei definitionem Ecclesiae suppetere.

Ulterius confirmantur ex agendi ratione quam tenuere romani pontif. et Concil. trid. Quam quidem ob causam neque Sixtus IV, neque lateranense Concilium sub Leone X celebratum, neque Synodus tridentina quaestionem hanc deciderunt. Quod satis cuilibet indicio est, neque romanos pontifices neque Concilia alterutram sententiam tamquam fidei dogma definire potuisse (13). Et sane, quomodo quaestionem hanc definire potuissent, si nullum efficax testimonium pro mariano privilegio, de quo disserimus, e Scripturis suppetit; e patribus vero, qui in eius rei mentionem incidere, ii uno ore asseverarunt B. Virginem in peccato originali conceptam? Id videlicet Ambrosius super psal. 118, conc. 6. Id Augustinus super psalm. 34 in illum vers.: *Ego autem cum mihi molesti essent etc.*; et lib. 2 *De bapt. parvul.* c. 24, et lib. 10 *super Genes. ad litter.* c. 18, et lib. 5 *contra Iulian.* c. 9. Id Chrysostomus *super Matth.* Id Eusebius emissenus in 2 *Conc. nativit. Dom.* Id Remigius super psal. 21, et Maximus in serm. *de assumpt. B. V.* adstruxere. Idem quoque affirmat Beda, super *Missus est*, Anselmus in lib. *Cur Deus homo*, c. 16; Bernardus, ut posteriores mittamus (14); neque ullus sanctorum contravenit. Hoc argumentum illud achilleum est, quo Erasmus omnium etiam

(1) Consule sis Eusebium Nieremberg *De perpetuo obiecto festi immaculatae conceptionis Virginis*, Valent. 1653. Fatendum quidem est hunc auctorem parum se criticum praeferre, quoad ea praesertim quae ex antiquitate allegat; quod tamen attinet ad monumenta recentiora, diligens est et accuratus.

(2) *Horret auris pia et religiosa*, merito inquit Cornel. Mussus, *dicere in Matre Dei quae invenit gratiam apud Deum... hanc tantam, vel per instans, labem* (originalem) *fuisse etc.*, *Conciones in canticum B. V. Magnificat*, ex italico idiomate in latinum versae, Coloniae 1618. Huic etiam rationi innititur card. Bellarminus in cit. consultatione sua pro definitione immaculatae conceptionis sub Paulo V, ut inferat B. Virginem omnino servatam Dei gratia ab omni labe in suo conceptu fuisse. Ait enim: Scripturae testantur B. Virginem esse verum *Matrem Dei*, Luc. 2: *Concipies et paries* etc. Patres multi dicunt, et nulli contradicunt, B. Virgini, quia *Mater Dei est*, convenire dignitatem et eminentiam sanctitatis et gratiae super omnem puram creaturam. Chrysostomus in liturgia, et Theodoretus in Cantica dicunt, B. Virginem esse puriorem et honoratiorem quam Cherubim et Seraphim. S. Gregorius M. primo cap. libri primi Reg. dicit, B. Virginem esse montem in vertice montium, quia merita sua erexit super omnes sanctos et angelos etc.

(3) Sess. VI, can. 23 qui ita se habet: *Si quis hominem semel iustificatum dixerit... posse in tota vita sua peccata, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Cf. s. Thomam in 4, dist. 4, quaest. 2, et in Summa, par. 3, quaest. 84, art. 10. Item Suarezium tom. II, in 3 part. disp. 4, sect. 4. Ex Tridentini declaratione patet universales Scripturarum propositiones seu locutiones quibus dicitur: *non est homo qui non peccet*; *in multis offendimus omnes, septies cadit iustus*; *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est*, atasque eiusmodi non minus universales quam illae sint, quibus praedicatur originalis peccati in omnes Adae posteros propagatio, exceptionem admittere quoad B. Virginem. Quare igitur eadem exceptio non erit admittenda quoad immunitatem ab originali noxa in conceptione eiusdem Virginis Sanctissimae?

(4) Lege sis Theophilum Raynaudum in op. *Pietas Lugdunensis*, opp. edit. Lugdun. 1665, tom. VIII *Tractationis* card. prim. § 16 seqq. Adi etiam Marracium in cit. *Bibliotheca Mariana* eiusque appendice.

(5) In Conc. basileensi, et in op. *Tractatus de veritate conceptionis Beatissimae Virginis, pro facienda relatione coram patribus Concilii Basileae etc.* Domini MCCCCXXXVII, *mense iulio*, Romae 1547.

(6) Tom. III, opusc. 6, tract. 1 *de conceptione B. Virginis*, Lugduni 1541, fol. 70 seqq.

(7) *De locis theolog.* lib. VII, c. 3, n. 6, edit. Coloniae Agrip. 1585, fol. 221.

(8) In peculiari dissert. de concept. B. M. V. mss. mihi commodata.

(9) *De B. Virginis conceptu*, de quo postea.

(10) In lib. *De superstitione vitanda*, Mediol. 1740, in quo sub Lampridii nomine latet Muratorius.

(11) Ita card. Turrecremata et Caietanus in op. cit. Qui tamen sustinent adversam sententiam definiri posse.

(12) Tom. III, in 3 part. s. Thomae, disp. 227, c. 3, ut ex eo refert probatque Franc. Veronius in *Regula fidei cath.* cap. 1, § 4.

(13) Ita Canus loc. cit.

(14) Quos enim hic deinceps recenset Canus, omnes praetergrediuntur epocham de qua nos agimus.

sanctorum testimonio non se existimat obruendum, si quando universia repugnaverit (1).

Festi conceptionis obiectum est dubium.

Adde adhuc incertum esse, num Ecclesia in festa conceptionis marianae celebratione sibi ut obiectum proposuerit *immunitatem* virginei conceptus a peccato originali: quandoquidem s. Thomas cum sibi obiecisset consuetudinem nonnullarum ecclesiarum conceptionis festum celebrantium, respondet eiusmodi celebritatem non esse totaliter spernendam eo quod saltem toleraretur ab Ecclesia romana, quae hoc festum non celebrabat, ac deinde subdit:

Ex s. Thoma.

Nec tamen per hoc quod festum conceptionis celebratur, datur intelligi quod in sua conceptione fuerit sancta. Sed quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius quam conceptionis in die conceptionis ipsius (2).

Ex card. Bellarmino.

Neque ab his discrepat card. Bellarminus, cui cum ab haereticis obiceretur aliquot festa falso niti fundamento, praecipue vero festum conceptionis B. Mariae, quod b. Bernardus nominatim reprehendit in epistola 174 ad canonicos lugdunenses, respondet prima in maiori Ecclesiae parte pie credi B. Virginem sine peccato originali conceptam: at secundo addit in rem nostram: *Fundamentum huius festi non esse conceptionem immaculatam Matris Dei futurae. Qualiscumque enim fuerit illa conceptio, eo ipso quod conceptio fuit Matris Dei, singulare gaudium affert mundo eius memoria. Tunc enim primum habuimus pignus certum redemptionis; praesertim cum non sine miraculo ex matre sterili concepta fuerit. Itaque hoc festum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam* (3).

Ex conceptionis nomine.

Vel etiam dici potest *conceptionis* vocem, quae sive in missa sive in officio divino usurpatur, haud presse ac physico sensu pro primo momento, quo B. Virgo concepta est, adhiberi; sed latiori quadam ac veluti morali significatione accipi, sic ut proinde extendi possit ad aliquod temporis punctum, quod eamdem conceptionem seu primum momentum subsecutum est. Ita plane cum dicimus aliquid a *mundi exordio* contigisse, non hanc ita coarctamus locutionem, ut de primo physico momento, quo mundus conditus est, intelligatur, sed eius extendimus significationem ad totum illud tempus quod proxime a mundi creatione effluxit. Hoc porro ex eo confirmatur, quod cum instaret rex catholicus per oratorem suum in Urbe apud Urbanum VIII, ut in congregatione s. Officii declararetur *conceptionis* nomen tam in missa, quam in horis canonicis adhiberi ab Ecclesia ad primum momentum significandum, quo fetus B. Virginis animatus est, renuit constanter pontifex, ratus eiusmodi declaratione aliquatenus definitum videri, seu ut aiunt, implicite, B. Virginem pro illo momento esse obiectum venerationis seu cultus, hincque tacite decidi eam in gratia fuisse conceptam; quod summus idem pontifex patri Pallavicino e Soc. Iesu, qui dein in cardinalium numerum fuit adscitus, saepius testatus est (4).

Illatio ex praemissis animadversionibus.

Deest igitur fundamentum praecipuum, in quo piae sententiae patroni vim collocabant maximam, desumptum ex cultu, seu ex die conceptionis festo, aut saltem nutat labatque. Cum proinde sileant de hoc privilegio sacrae litterae, sileat et traditio, eidemque non admodum suffragetur Ecclesiae auctoritas, superest, ut unice innitatur congruentiae seu decentiae, quam vocant, rationibus.

Elevantur argumenta ex congruentia deducta.

Iamvero quaecumque demum hae sint, profecto numquam per se efficax praebere argumentum possunt ad dogmaticam edendam definitionem, quae divinae revelationi omnino innitatur necesse est. Sed praeterea eo etiam nomine hae labescunt, quod nos decentiae seu congruentiae modum et gradum potius ex iis, quae menti nostrae nimis angusta apparent, quam ex divina mente et sapientia, ac rei ipsius veritate dimetiamur.

Veritates seu regulae a Gersonio propositae.

Id enim acute iamdiu animadverterat ac peracute Gersonius, qui inter ceteros et hos canones ad rem nostram constituit: «Christus posuit terminos nostrae cognitionis, ut non liceat de divinis alia vel aliter asserere, quam quae divinis Scripturis habentur, vel evidenter concluduntur, vel ab Ecclesia, quae a Spiritu sancto regitur, credenda traduntur (5)». Item: «Christus contulit Matri suae ab initio et consequenter illas et tantas gratias, quas et quantas cognovit esse convenientes secundum ordinem suae sapientiae: et in hac veritatis soliditate debet esse contentus quilibet christianus, quantumcumque sibi devotus (6)». Rursum: «Christus potuit dare multas gratias tam humanitati suae, quam dilectissimae Matri pure gratis, quas tamen actualiter, et de facto non contulit: et oppositum asserere est falsum et temerarium, immo haereticale»: huiusmodi potuisset esse gratia *omnimodae impassibilitatis* (7). Ex quo concludit doctus cancellarius falsam esse hanc ratiocinationem, qua plures ita consueverunt: *Christus potuit et potest multa facere; et hoc decet eum: ergo fecit aut faciet.* Id non esse consequens docet, verum esse *fallaciam petitionis principii; quia videlicet praesupponit in minori propositione quod est aeque ignotum vel ignotius, quam principale: ratio est*, pergit ipse, *quia nihil decet Deum facere, nisi secundum quod vult fieri recte, per oppositum consuetudinem ad voluntates creatas, quae ideo volunt agere, quia praesentatur eis aliquod obiectum sub ratione boni aut convenientis; et ideo agunt, quia videtur eis bonum; et non ideo illud est bonum aut decens. Causa est, non enim sunt regulae primae; sed regulatae a prima bonitate* (8). Adeoque nemo praeter Deum scit quid *deceat ipsum extra se producere; quia solus scit quid velit agere;* ex quo subinde pertexit: *Christus potuit communicare Matri suae in utero, quod gloriosa et consummata felicitate nasceretur, et hoc decuit ipsum facere; quia decuit eum Matrem honorare: ergo sic fecit. Constat quod conclusio haereticalis est, et tamen praemissae communiter assumuntur a nonnullis in assertionibus suis confirmandis* (9). Has regulas Petavius *aureas* vocavit, maximeque eas probans posuit, frivolum et nugatorium esse hoc argumentationis genus, quo plerique uti solent, ut insensatum quodlibet gratiae genus B. Virgini affingant (10).

Argumenta congruentiae magis tantum aut minus probabilem sententiam efficiunt.

Etsi vero daretur hasce regulas exceptionem interdum pati, ac moderatione opus esse, praesertim cum satis solida ratio decentiae, quae adstruitur, suffragetur; nihilo tamen minus nemo negaverit argumenta, quae ex decentia seu congruentia deducuntur, sententiam quidem probabilem, aut vero etiam probabilissimam efficere, minime autem certam, multo minus obiectum definitionis dogmaticae constituere.

Quibus omnibus rite perpensis, concludebat card. Pallavicinus: haec argumenta, ut patet, evincunt probabilissimam secundam esse sententiam, de immaculato scilicet B. Virginis conceptu; verum eam in certitudinis cuiusvis gradu minime constituunt, cum ipsi non faveat vel aliquis Scripturae locus efficax, vel antiqua Ecclesiae traditio, vel patrum atque scholasticorum consensus. Ex quo infertur, romanos pontifices eximia usos esse prudentia dum ex una parte piae faverunt sententiae, ex altera vero parte constanter abstinuerunt a quavis alterius opinionis censura (11).

§ III. *Collatio atque epicrisis argumentorum quibus theologi vel propugnant vel impugnant, piam de immaculato Virginis conceptu sententiam definiri dogmatice posse*

Collatio argumentorum quae pro utraque affe-

Equidem si argumentorum, quae ex utraque contendentium parte allata in medium sunt, ratio habenda est, prout haberi debet, haud possumus inficiari, quae ab adversantis partis theologis urgentur, nedum non contemnenda, sed satis in speciem gravia ap-

(1) Ibid. cap. I.
(2) 3 part. q. 27, art. 2 ad 3.
(3) *De cultu sanctorum*, lib. 3, c. 16.
(4) In opusc. cit. cap. 2. Si tamen opusculum hoc ipsius est fetus.
(5) In epist. quae extat in opp. Gersonii, par. 1; col. 450, edit. Ellies Du-Pin, Antwerpiae 1706 et inscribitur: *Tractatus seu epistola Io. Gersonii doctoris et cancellarii parisiensis, ad Provincialem coelestinorum super verba cantici Mariae:* SUSCEPIT ISRAEL PUERUM SUUM. *De susceptione Christi. Allegorice per XXIV veritates: tropologice vero et anagogice per XII veritates.* Ea quam hic primo loco attulimus, est veritas *vicesimaquarta*, col. 455.
(6) Veritas *duodecima*, ibid. col. 452.
(7) Veritas *decimaquinta*. ibid.
(8) Veritas *decimaseptima*, ibid.
(9) Veritas *decimanona*, col. 452, 453.
(10) *De incarnat*. lib. 14, c. 8, § 9 seqq.
(11) Opusc. cit. c. 2.

Digitized by Google

ne sui sententia.

parere, adeo ut ancipitem quodammodo suspensumque tenere animum valeant. Verum si accuratam singulorum analysim instituamus, atque ea penitius rimemur, ipsa profecto nutare, ac plane concidere haud difficili negotio deprehendemus. Neque tamen idcirco, ut ingenue id fateamur, ea omnino firma rationum momenta videntur, quae a parte proferuntur aiente, ut rem, qua de agitur, conficiant. Quare aliam in hoc viam ineundam censemus, quae et solidior et planior sit, atque ad id, quo spectamus, tutius assequendum accommodatior. Hanc vero aperiemus, postquam nonnullas animadversiones circa argumenta utrimque proposita praemiserimus.

Non requiritur ad definitionem talis nexus, qui evidentia physica, aut metaphysica pateat.

Ac primo Ecclesiam posse aliquid definire, quod *implicite* in revelatione divina continetur, sive id explicatione conceptuum indigeat, sive id legitima ac necessaria argumentatione inde sit deducendum, atque hoc vel ex duabus de fide praemissis propositionibus, vel ex una quae ex fide sit, altera vero quae ex naturali ratione sit evidens, licet non *physica* aut *metaphysica*, sed *morali* tantum evidentia nexus pateat, prout piae adsertores sententiae affirmant, vix in dubium revocari posse videtur. Siquidem primo evidentia quoque *moralis* veram illationis necessitatem gignit, imo et metaphysicae ipsi evidentiae quandoque aequipollet. Deinde si res secus esset, minus in Ecclesia iudicia controversiarum necessitas appareret. Nam si illos excipias, qui destinato animo ea etiam ipsa impugnant, de quibus liquido aperteque constat, cordati omnes senique iudicii viri ea lubenti animo admittunt, quin ullam de iis controversiam moveant. Ad haec, nimis inde coarctaretur supremi illius magisterii munus, quod Christus Ecclesiae suae concredidit, ut quo ipsa de controversiis quibusvis iudicare, easque dirimere potest. Demum eiusmodi sentiendi ratio componi haudquaquam potest cum ea agendi ratione, qua Ecclesia usa identidem est. Etenim haud paucas dogmaticae definitiones sive a Conciliis oecumenicis, sive a romanis pontificibus editae sunt, quae eo, quem sententiae istius patroni postulant, evidenti nexu destitutae erant, adeoque illius vi edi minime potuissent, quod nefas est dictu (1).

Scriptura et traditio piae sententiae non adversantur.

Secundo: haud verum esse contendo, neque ulla admitti ratione posse Scripturam ac traditionem piae adversari sententiae. Si enim ita se res haberet, nunquam romani pontifices piam illam vocassent sententiam, quae cum Scriptura ac traditione confligeret; neque tridentinum Concilium declarasset suae intentionis non esse, *comprehendere in suo decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem*. Quandoquidem non potuisset sancta Synodus non id comprehendere, quod Scriptura ac traditio ex Dei ipsius revelatione continent. Itaque si non comprehendit, argumento id ineluctabili est, generales Bibliorum ac traditionis propositiones, quibus omnes Adae posteri originali noxa dicuntur infecti, admittere posse, ac vero etiam debere, exceptionem quoad B. Virginem, secus ac adversae partis theologi asseverent. Utrum autem eidem piae sententiae Scriptura ac traditio positive faveant, paulo post expendemus. Heic satis sit ostendisse neutram immaculato Virginis conceptui adversari atque opponi.

Ecclesiae praxis per se fidei dogma non constituit.

Tertio: assero Vasquezii doctrinam id unum evincere, usum sive praxim Ecclesiae in se spectatam haud constituere fidei dogma, neque illud necessario supponere, id quod et ipsimet sentimus. Ast exinde inferri nequit, praxim illam ac consuetudinem non in aliquo fundari principio *theoretico*, unde Ecclesiae mens circa aliquod obiectum pateat. Et re quidem ipsa saepe Ecclesiae doctores, atque inter hosce Augustinus, ex universalis Ecclesiae consuetudine deducebant Ecclesiae doctrinam quoad articulum quempiam, qui forte in controversiam fuisset vocatus. Namque hipponensis praesul ex praxi tingendi infantes colligebat adversus pelagianos doctrinam in Ecclesia receptam tum de propagatione originalis peccati in ipsos, tum de baptismi necessitate ad illud eluendum (2). Auctor librorum *Vocationis gentium* ex Ecclesiae pariter usu orandi pro omnibus, doctrinam deducebat Ecclesiae esse, Deum velle sincere cunctorum hominum salutem (3); atque ita porro. Sane vidimus ipsum s. Bernardum, s. Thomam ceterosque scholasticos coniungere causali nexu celebritatem festi B. Virginis, quae in Ecclesia universa iam tum obtinebat, cum illius ortus sanctitate. Quidni igitur idem valeat argumentum ex celebratione conceptionis Sanctae Dei Genitricis desumptum, quam universa aliquot abhinc saeculis frequentat Ecclesia tanto pietatis sensu, ad eiusdem conceptus sanctitatem constabiliendam? Quid? quod vel ipse Vasquezius hac festi celebritate utitur ad immaculatam Beatae Virginis conceptionem propugnandam (4). Certe nisi Ecclesia uti sanctum haberet eiusmodi conceptum, nunquam festum hoc celebraret, immo vero nec ratum haberet, si alicubi coleretur. Antiquioris autem et sequioris aevi Ecclesia una eademque est, atque ab eodem Dei Spiritu ac numine quocumque aevo illustratur ac regitur, adeo ut pro catholicis non inutilis modo, sed iniuriosa plane eiusmodi esset distinctio (5).

Summam tamen vim ad probandum habet.

Fidei definitioni non obstat eius dilatio.

Quarto: nullius admodum esse roboris argumentum affirmo, quod ex definitione cuiuspiam veritatis in longum dilata arcessitur. Quandoquidem novimus haud pauca dogmata nonnisi sero fuisse ab Ecclesia definita, etsi tempestive de illis mota fuerit quaestio, ac diutina neque ex utraque parte perseveraverit contentio ac disceptatio. Hinc quamvis multa Augustinum inter et Massilienses ferveret quaestio circa fidei initium, circa omnimodam divini auxilii *gratuitatem*, aliosque articulos; attamen insequenti tantum saeculo, nempe anno 529 a Concilio arausicano II, quod Bonifacius II romanus pontifex anno 531 confirmavit, controversi articuli sunt definiti (6). Idem dicendum de Spiritus s. processione a Patre et Filio, de admissione animarum ad beatificam Dei visionem proxime post mortem, aliisque plane multis. Perperam profecto quispiam ante dogmaticam harum veritatum definitionem obiecisset, illam neque edici posse, neque edicendam eo quod hactenus a nullo Concilio, aut summo pontifice edita fuisset. Itaque ex hoc quod nondum definita fuerit praesens controversia, legitime inferri nequit aut eam definiri non potuisse, aut etiam in posterum non posse.

Sine fundamento plerique patres piae sententiae adversari dicuntur.

Quinto: falsum esse pronuncio, patres omnes, qui in huius rei inciderunt mentionem, uno ore asseverasse Virginis conceptionem peccato fuisse contactam: contrarium enim testimoniis in medium prolatis ostendimus. Neque Ambrosius, neque Chrysostomus, neque Eusebius emissenus, aut Rhemigius et Maximus adstruxere quod illis falso atque iniuria adscribitur. Quandoquidem Ambrosii locus, qui afferri solebat, ipsis editoribus mauriniis adnotantibus, mendosus erat (7). Chrysostomus neque in citato loco neque alibi uspiam scripsit quae illi appinguntur; immo vero, prout Bellarminus animadvertit, neque scribere illa potuis-

(1) Recolantur exempla paulo ante adducta, quibus ea addi possunt, quae definitiones suppeditant de factis dogmaticis. Nam definitiones eiusmodi omnes innituntur veritati, de qua non constat nisi certitudine morali.

(2) Lib. 6 *contr. Iulian.* c. 19, n. 0, lib. 1 *De peccator. merit. et remiss.* c. 24, n. 34, et ibid. c. 26, n. 39, et alibi passim.

(3) Lib. 1, cap. 12, inter opp. s. Leonis edit. Baller. Venet. 1756, tom. II, col. 185 de huius operis auctore confer dissert. II, ibid. col. 615, seqq.

(4) Etenim Vasquezius, tom. II in 3 part. s. Thomae, disp. 117, sic caput V inscribit: *Ratione ducta ex celebritate et festo conceptionis, idem ostenditur*, praeservatio scilicet B. Virginis a peccato originali. In hoc igitur capite Vasquezius primum adstruit auctoritate Sixti IV in Const. *Cum praecelsa*, omnes fideles invitatos fuisse ad celebrationem huius festi, et largitione indulgentiarum allectos; ab Alexandro VI, Iulio II et Leone X confirmatum Ordinem religiosum monialium sub titulo immaculatae conceptionis; deinde infert: « Porro autem ex celebratione alicuius rei in Ecclesia recte colligi eam sanctam fuisse, disput. 114, cap. 2, ex professo confirmavimus, non solum multorum scholasticorum auctoritate, sed etiam testimonio Bernardi et Ildephonsi nostri, et ratione manifesta quo utitur Ildephonsus ». Demum, ceteris omissis, solvit difficultates, quibus adversarii eiusmodi argumentum eludere satagebant, scribens: « Hoc argumentum male torquentur adversarii, variisque modis illud dissolvere contendunt ».

(5) Eiusmodi enim est distinctio, quam invexerunt haeretici cuiusvis aetatis, qui ut se subducerent ab anathemate, quo eos confodiebat Ecclesia, constanter ad Ecclesiam superioris aevi se receperunt; deinde illam ianseniani eamdem ob causam instaurarunt, quin adverterent eiusmodi distinctionem esse absurdam, imo et impiam: quasi nempe Christus promissiones suas aut ad pauca saecula, imo ad paucos annos coarctasset, aut si perpetuas fecit, eas servare non potuisset.

(6) Adi quoad capitula constituta a Concilio arausicano II, Harduinum, *Acta Concil.* tom. II, col. 1097; quoad eorum vero confirmationem ex parte Bonifacii II, consule ibid. epistolam eiusdem pontificis ad Caesarium arelatensem, col. 1109.

(7) Bandellus scilicet hunc locum lib. cit. c. 10, primus ex Ambrosio allegavit comm. in ps. 118, conc. VI, haec verba: *Venit Dominus Iesus, et in carne, quae peccato in matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit*. A Bandello deceptus Caietanus in opusc. cit. *De concept.* c. 4, edit. Lugdun. 1581, fol. 71, col. 1, eadem ratione descripsit; Canus vero eumdem locum, etsi verba non afferat, ab utroque pariter deceptus allegavit lib. VII, c. 1. Iam vero editores maurini opp. s. Ambrosii, tom. I, serm. VI in ps. 118, col. 1030, n. 21 haec habent: « Hunc locum Catharinus opusc. *De concept. B. Mariae* laudat; sed ita refert: *Et in carne quae peccato in matre fuerat obnoxia* etc. Verum iam viris doctis observatum est, haec verba *in matre* nusquam apud Ambrosium inveniri. Et certe s. doctor id tantum hoc loco significat, Christi carnem eamdem ac nostram, quae peccato

set (1). Sermo *de assumptione B. Virginis* Maximo taurinensi adscriptus subdititius est, cum eius aetate nondum hoc festum agi fuisset coeptum (2). Suppositilii quoque sunt commentarii in psalmos qui Rhemigio rhemensi tribuebantur, quorum verus auctor est Rhemigius antissiodorensis monachus benedictinus, qui tamen illa ipsa, quae ei adscribuntur, revera non habet (3). Imo potius obiecti patres in genuinis operibus suis ea scripsere, quae piae maxime favent sententiae (4). Quod vero ad s. Augustinum attinet, eae in ipsius operibus occurrunt locutiones, uti suo loco expendimus, quae sensum admittere possunt et vero etiam debent, quo cum immunitate B. Virginis a primigenia labe optime componuntur. Beda autem, si ad vivum eius resecarentur verba, nedum Virginis privilegio quo de agitur, sed sanctificationi eius in utero atque etiam immunitati a concupiscentia et a desideriis temporalibus adversari comperirentur (5). Quoad Anselmi ac Bernardi mentem diximus, quantum satis(6). Achilleum igitur Erasmi argumentum nullo solvi negotio poterat, negando quod audacter nimis criticus ille asseruit.

Ecclesia in conceptionis festo semper et obiectum Virginem a peccato originali immunem coluit.

Sexto: item affirmo exploratum omnino esse, Ecclesiam universalem, quidquid sit de peculiaribus ecclesiis quas s. Thomas commemorat, non aliud sibi unquam proposuisse obiectum in festa conceptionis marianae celebratione, quam immunitatem ab originali noxa in ipso animationis, quam vocant, momento. Ceteris enim omissis, quae haud pauca sunt, id declaratum habemus lucnlentissime in constitutione Alexandri VII *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* edita die 8 decembris anno 1661, in qua haec ad verbum leguntur: *Nos considerantes, quod sancta romana ecclesia de intemeratae semper Virginis Mariae conceptione festum solemniter celebrat, et speciale, ac proprium super hoc officium olim ordinavit, iuxta piam, devotam, et laudabilem institutionem, quae a Sixto IV praedecessore nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati, et devotioni et festo, ac cultui secundum illam exhibito in ecclesia romana post ipsius cultus institutionem* NUNQUAM IMMUTATO *romanorum pontificum praedecessorum nostrorum exemplo favere, nec non tueri pietatem et devotionem hanc colendi et celebrandi B. Virginem, praeveniente scilicet Spiritus sancti gratia a peccato originali praeservatam... Constitutiones et decreta a romanis pontificibus praedecessoribus nostris, et praecipue a Sixto IV, Paulo V, Gregorio XV edita in favorem sententiae asserentis, animam Beatae Mariae Virginis in* SUA CREATIONE ET IN CORPUS INFUSIONE *Spiritus sancti gratia donatam, et a peccato originali praeservatam fuisse, nec non et in favorem festi, et cultus conceptionis eiusdem Virginis Deiparae, secundum piam istam sententiam, ut praefertur, exhibiti, innovamus, et sub censuris et poenis in eisdem constitutionibus contentis observari mandamus* (7). Et clarius adhuc iam praemiserat Alexander VII eadem in constitutione: *Vetus est Christifidelium erga eius Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium, eius animam* IN PRIMO INSTANTI *creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filii humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque* IN HOC SENSU *eius conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium* (8).

Id ab Alexandro VII in sua constitutione declaratur.

Ex his perspicue et alia absque ambage novimus tum obiectum cultus ac festi conceptionis B. Virginis esse, quinimo et fuisse semper primum illud momentum quo eius anima creata atque in fetum infusa est, et in quo divina gratia praeventa singulari privilegio immunis servata est ab originali peccato per Iesu Christi Redemptoris merita; tum non aliam ullo unquam tempore fuisse et adhucdum esse sanctae romanae Ecclesiae mentem in huius festi institutione et celebratione; tum denique romanos pontifices eius praecessores, praecipue vero Sixtum IV, Paulum V, Gregorium XV, non aliud sibi obiectum proposuisse in cultu hoc probando amplificandoque.

Ita romani pontifices anteriores sensere.

Quae cum ita se habeant, nullus dubitandi relinquitur locus circa verum festivitatis obiectum, quod sibi in colenda Virginis conceptione proposuit ac proponit Ecclesia. Quocirca Bellarminus in adducto textu refellens haereticos, respondit *hypothetice*, nempe stante etiam adversa sententia, quam tamen ipse non probat (quum praemiserit *in maiore parte Ecclesiae credi B. Virginem sine peccato originali conceptam*), minime inferri posse quod haeretici autumabant; cum *fundamentum praecipuum* (non autem *obiectum*) *huius festi sit in quacumque sententia conceptio Matris Dei futurae, cuius memoria singulare gaudium affert mundo; tunc enim primum habuimus pignus certum redemptionis*. Ex quibus verbis patet, Bellarmino auctore, divinam Dei Matris dignitatem fuisse rationem ut immaculatae conceptionis, ita et festi in huius memoriam colendam instituti (9). Ceterum doctus piusque cardinalis cum ex propria sententia de B. Virgini conceptione locutus est, non modo eam immaculatam propugnat (10), sed et argumentum, quo id evincat, instituit ex cultu quem ei-

Quo sensu scripserit Bellarminus quae ex eo obiiciuntur.

Bellarminus conceptionem immaculatam propu-

obnoxia est, naturae esse: neutiquam vero inficiatur B. Virginis immunitatem ab omni peccato; quippe quam non obscure adstruat in ultimum huius psalmi versiculum dius verbis: *Suscipe me non in carne, quae in Adam lapsa est, suscipe me non ex Sara, sed ex Maria: ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati* ». Ubi notandum est Maurinos ex calami lapsu *Catharinum* pro *Caietano* posuisse. Siquidem Catharinus in *Disputat. pro immacul.* ed. Rom. an. 1551, col. 64, hac ipsa de causa arguit Caietanum dicens: « Hic addam, in citandis auctorum sententiis eos (adversarios) saepenumero non fideliter citare; tanta est affectio et cupido victoriae, non veritatis... Sic citat Caietanus; » attulit enim verba ex s. Ambrosio.

(1) In Voto exhibito in sac. Congreg. Inquisitionis sub Paulo V de quo iam supra diximus: itaque ex Bandello affertur c. 13 s. Io. Chrysostomus dicens super Matth. quod *Christus naturam humanam de peccatrice suscepit*. Hunc textum refert Caietanus opusc. cit; et ex utroque pariter allegat Canus et hic deceptus.

(2) S. Maximi martyris nullus prorsus extat sermo. Quoad s. Maximum taurinensem in edit. romana 1784 duo exhibentur sermones inscripti *De assumptione* in appendice, serm. XI et XII inequam spurii, quique inscribi potius debuissent *de nativitate* quam *de assumptione*. Utrumque legi; neque in iis inveni quae attulit Bandellus: *B. Virgo fuit in utero matris sanctificata, et ab omni contagione originalis culpae, antequam nasceretur, per Spiritum sanctum mundata*. Attamen hunc locum affert Caietanus, et ex utroque citat Canus. Quoad ea quae dixi de celebratione festi *assumptionis* cf. Bened. XIV *De festis*, lib. II, c. 8. n. 15, ed. Rom. 1751, opp. tom. X, p. 497.

(3) Adi Bellarm. *De scriptor. ecclesiasticis* cum additamentis Labbei edit. Venet. 1728, p. 311; nec tamen verba adducta a Bandello, deinde a Caietano, postea citata a Cano leguntur.

(4) Ut constat et ex adductis testimoniis s. Ambrosii, s. Maximi etc. Atque hic adnoto, a Cano citari post Bandellum et Caietanum verba *B. Herardi seu Eraldi episcopi et mart. ex serm. de nativitate B. V.* ita dicentis: *Felix puella, quae concepta in peccato, purificatur ab omni peccato* etc. Attamen nunquam extitit eiusmodi sanctus martyr, neque auctor huius nominis. Bellarminus in *Voto* cit. *Non habemus*, inquit, *in martyrologio, nec scimus quis sit*. Et reipsa nusquam reperitur. Consule Plazzam op. cit. act. II, p. 117.

(5) Canus citat Bedam in *Hom. super. Missus est*. Porro Beda in hac homilia, quae reperitur in opp. edit. Basileae 1563, tom. VII, haec habet col. 470. *Superveniens in Virginem Spiritus sanctus duobus modis in ea divinae suae potentiae efficaciam ostendit: quia et mentem illius adeo, quantum humana fragilitas patitur,* AB OMNI VITIORUM SORDE *castificavit, ut coelesti digna esset partu... Obumbravit autem Beatae Dei Genitricis virtus Altissimi quia Spiritus sanctus cor illius cum implevit,* AB OMNI AESTU CONCUPISCENTIAE CARNALIS *temperavit,* EMUNDAVIT A DESIDERIIS TEMPORALIBUS, *ac donis coelestibus mentem simul illius consecravit et corpus*. Quis autem adversariorum haec in B. Virgine admittet?

(6) Nil de Eusebio emiseno seu emeseno dicam, ex cuius homiliis nobis auctoritas obiicitur, quia quae sub Eusebii cuiusdam viri ariani nomine circumferuntur homiliae, illius fetus non sunt, sed a variis auctoribus collectae, ac diversis aliis scriptoribus tribuuntur a criticis. Cf. Petavium *De incarn.* lib. XIV, c. 2, § 5, qui tamen Eusebii auctoritatem adducit. Ast etiam omissis vocculis illis *per se*, non aliud hic auctor, quisquis tandem is sit, in obiectis verbis significat, quam debitum quo tenebatur B. Virgo contrahendi peccatum, de quo debito nos non disputamus. Auctores reliquos a Melch. Cano allegatos, quamvis non pauca de iis dici possent, persequi non sinimus, quia omnes sunt posteriores epocha a nobis constituta. Illud tamen sine animadversione praeterire non possumus, ne cuipiam eius auctoritas sit fraudi, quod citet s. Augustinum lib. 53 contra Iulianum, prout constanter in omnibus editionibus legitur incipiendo ab edit. coloniensi an. 1585 qua ego utor, usque ad Migne, *Curs. complet. theol.* an. 1837; cum tamen Augustinus in utroque opere contra Iulianum non exaraverit nisi *sex* libros. Citat praeterea *Damasc.* lib. III *Sentent.* cum neque Damasus pontifex, neque Damascenus unquam libros sententiarum scripserint. Demum citat *Hugonem de sancto Victore, Sacram.* part. 2, cap. 4. Iam vero Hugo victorinus in libr. *de Sacram.* qui extant in tom. III, edit. venetae 1588, a fol. 207 neque in part. 2, lib. I, cap. 4, neque in part. 2, lib. II, c. 4, ullum verbum, quod huc referri possit, facit. Contra Caietanos autem praeter Catharinum in *Disputat.* citata consule Hyppolitum Marraccium in op. *Fides Caietana in controversia conceptionis B. V. M.* Panormi 1655.

(7) Extat in Bullar. tom. VI, part. V, p. 162, § 4.

(8) Ibid. § 1.

(9) Lege ss Euseb. Nieremberg. op. cit. *De perpetuo obiecto festi immacul. concept.* V, cap. 31, p. 272 seqq.

(10) Sane in lib. 4 *De amissione gratiae et statu peccati* tria solida capita constituendae ac vindicandae immaculatae B. M. Virginis conceptioni destinat, nempe cap. 15, 16 et 17.

Digitized by Google

guam argumentum ducit ex obiecto festi.

dem sub hoc titulo Ecclesia tribuit(1). Nobis heic satis erit verba eius adducere ex laudata iam consultatione qua suam aperuit sententiam in congregatione eum in finem habita sub Paulo V. haec enim in ea scribit: *Probatur, quia hoc esset dicere, quod Sedes apostolica erraverit in approbando officio conceptionis, et tota Ecclesia erraverit in eo recipiendo, quod certe falsissimum et erroneum est. Neque potest responderi, quod in officio conceptionis non approbatur conceptio corporalis immaculata, sed sanctificatio in utero post animationem. Nam Sixtus IV qui approbavit officium, declaravit animum suum tum in Extravaganti* GRAVE NIMIS, *quae est in corpore iuris, tum in approbando officio Leonardi de Nogarolis, in cuius collecta dicitur: Virginem per merita Christi praevisa praeservatam ab omni macula. Praeterea in responsorio nono dicitur sancta conceptio: at non est conceptio nisi in illo primo instanti, in quo infusa est anima corpori, in quo coepit esse in rerum natura persona integra Virginis. Alioquin si accipiatur conceptio pro sanctificatione post animationem, etiam Ieremias et Ioannes Baptista dicentur concepti sine peccato originali. Denique communis sensus fidelium est, celebrari conceptionem solius Virginis, quia ipsa sola vere concepta est sine peccato originali.* Obiicientibus porro adversariis, patres omnes pro affirmativa stare parte, pro maculato videlicet conceptu, id impossibile omnino asserit, dicens: *Ad hoc argumentum respondeo, non posse fieri, ut omnes sancti fuerint nobis contrarii: nam sic nostra Ecclesia erraret, et Sixtus IV errasset. At Ecclesia numquam errat, quia est columna, et firmamentum veritatis, et contra quam portae inferi non praevalebunt: neque pontifex errat, dum Ecclesiam docet, cum Christus pro illo oraverit, ut non deficiat fides eius.* Demum ad sedandam de mariana conceptione controversiam, usque eo dum definitur, inthoc suggessit consilium: *Sed si non placet nunc illa formalis definitio, saltem deberet fieri praeceptum omnibus ecclesiasticis saecularibus et regularibus, ut recitarent officium de conceptione quomodo recitat Ecclesia; sic enim sine definitione haberetur intentum* (2).

Eiundem cardinalis consultatio sub Paulo V.

Eius consilium ad sedandam controversiam.

Refellitur Pallavicinus.

Exinde non modo evidentissime patet Bellarmini mens circa verum conceptionis cultum, nec non circa definitionis possibilitatem; verum etiam via praecluditur Pallaviciniо interpretandi *conceptionis* vocem de tempore quod proxime conceptionem sit subsecutum. Sane si admitti eiusmodi expositio posset, cum dicimus sanctam nativitatem B. Virginis, de sanctitate ex aequo id intelligi posset quam Beata Virgo tempore a nativitate proxima esset adepta, quod nemo quidem sanus dixerit. Nec valet comparatio deducta ex recepta phrasi, qua dum aliquid contigisse mundi initio dicitur, non de primo *physico* creationis momento id necessario intelligitur, sed de proximo quodam temporis intervallo: nam et usus loquendi et materia, qua de agitur, latiorem hunc sensum facile admittunt: id quod in re nostra secus omnino se habet. Quod vero ad Urbanum pontificem huius nominis octavum attinet, qui nempe regis catholici postulationi restitit, id enimvero ipsum cuiusdam oeconomiae gratia fecisse dicendum. Ceterum quod praestare renuit Urbanus, praestitit paulo posthac cumulatissime, uti vidimus, Alexander VII, a quo et ipse Pallavicinius in patrum cardinalium collegium cooptatus est.

Inconcussum manet argumentum ex festi celebratione petitum.

Inconcussum igitur ratumque manet, fundamentum quod praecipuum pro pia sententia dicitur, ex festi celebratione constitutum, una cum argumentis reliquis sive e Scriptura sive ex traditione desumptis, pro singulari hoc B. Virginis privilegio in sua firmitate subsistere.

Indicentiates rationes congruentiae obiectae nihil ad rem nostram faciunt.

Quod demum spectat ad congruentiae rationes, nos ipsi ultro fassi sumus illas non praestare satis efficax definitioni dogmaticae fundamentum, nec nisi persuasibilem facere sententiam cui suffragantur. Admittimus proinde, licet non absque temperamento aliquo, Gersonii regulas: qui tamen ipse ex prima, quam descripsimus, veritatem infert de immaculato Virginis conceptu(3). Ast et illud adducimus, eas minus opportunas ad rem nostram videri, quia neque ex congruentia, neque ex mera decentia vindicamus Virginem in conceptu immaculatam, sed ex argumentis positivis, uti satis constat ex dictis, et satius ex iis quae mox dicturi sumus constabit.

Nobis tamen non probatur ea argumentandi ratio quam plures piae sententiae patrocinatores sectantur.

Septimo: denique haud diffitemur neque nobis eam probari argumentandi rationem, quam haud pauci piae sententiae patrocinatores sectantur, ut evincant dogmatice definiri posse quaestionem de qua est sermo. Quasi nempe ad definitionem veritatis de immaculata Virginis conceptione omnino syllogismo indigeremus, cuius aut ambae propositiones praemissae, aut alterutra saltem ex fide esset, altera autem evidentia polleret ut minimum morali. Quod autem secundo loco adstruitur de inerrabili Ecclesiae auctoritate, profecto id unum ostendit, Ecclesiam haud falli posse sive in edendis definitionibus dogmaticis, si quas edixerit, sive in obiecto cultus proponendo, quod nequit esse erratum aut perversum, cum hoc foret contra promissum ipsi divinitus iuge ac praesens auxilium. Verumtamen nondum id plane evincit, immaculatum B. Virginis conceptum esse obiectum dogmaticae definitionis capax, qua de re tandem inquiritur. Multo vero minus quidpiam conficitur ex tertio quod afferebatur argumento; illud enim in congruentiae rationes relabitur, de quibus paulo ante disseruimus.

His igitur in utramque partem pro veritate discussis reliquum est, ut eam aperiamus viam cui hac in re insistendum esse ducimus, quippe quae solidior nobis omnino appareat, omnibusque ambagibus expedita.

§ IV. *Possibilitas immaculati conceptus dogmatice definiendi rursus excutitur ac magis firmatur*

Quo aliqua veritas ad christianam religionem pertinens dogmaticae queat esse definitionis obiectum, minime necessarium esse, ut ea ῥητῶς atque [illegible], expressis scilicet conceptisque verbis in verbo Dei revelato contineatur, sed plane sufficere, si in ipso *implicite* saltem habeatur, constitutum in antecessum a nobis est, exemplisque variis firmatum. Verum enimvero et illud est a nobis declaratum, non uno id, sed pluribus contingere modis posse: qui tamen modi ad duo haec demum capita revocantur. Nam aut aliquid ex veritatibus expresse revelatis vi necessarii nexus atque consecutionis, legitima argumentatione instituta, deducitur: vel in verbo Dei implexius, contractius, ac subobscurius aliquid indicatur, quod clariori dein conceptuum explicatione atque ampliori paraphrasi evolvi potest, ac veluti delitescens in apertam lucem proferri. Primi generis veritates *mediate* seu in *altero* revelatae dici possunt; veritates alterius generis, licet subobscure, *proxime* tamen atque in se sunt revelatae.

Veritates quae implicite in verbo Dei continentur, ad duo capita revocari queunt.

Ad quod ex istis capitibus veritas immaculati conceptus pertineat declaratur.

Quae porro graviter disceptant theologi de natura nexus, qui intercedere debet inter eas veritates, quae revelatae expresse sunt, atque illas quae naturae lumine deducuntur, ut istae *implicite* revelatae haberi debeant, ad primum pertinent veritatum genus. Quandoquidem de iis, quae altera illa ratione in revelatione continentur, nulla potest esse neque est apud theologos controversia. Atqui ratum nobis fixumque est, immaculati virginei conceptus mysterium *implicite* quidem, sed hoc altero modo in verbo Dei revelato haberi, adeo ut nulla egeat syllogistica argumentatione, qua per necessarium nexum naturae lumine evidentem inde deducatur. Quare graves illae theologorum disceptationes ob hac quaestione nostra alienas plane arbitramur: et quamvis circa naturam illius nexus de quo inter eos disputatur, satis nostram aperuerimus mentem, non in eo tamen vim argumenti ad hanc de immaculato conceptu controversiam dirimendam collocamus. Contendimus quippe B. Virginis ab omni prorsus labe immunitatem, licet implexe, contracte ac subobscure, proxime

Quae de nexu disceptant theologi cum veritate expresse revelata,

(1) Ibid. cap. 15 in quo post adductas Scripturae et sanctorum patrum auctoritates ad veritatem piae sententiae probandam gradum facit ad auctoritatem Ecclesiae, atque ita exorditur §. *Venio ad consensum Ecclesiae* etc.

(2) In *Voto* cit.

(3) En Gersonii verba ex *undecima veritate*: « Christus praeservando Matrem suam ab originali, non ob hoc dedit dignitatem aequalem sibi ipsi, etiam secundum humanitatem naturam (ut nonnulli obiiciebant adversus immaculatam conceptionem). Ratio, quia numquam Christus habuit necessitatem originale peccatum contrahendi, quia non descendit per naturalem propagationem; propterea ratio sumpta ex hac aequalitate, quod Maria contraxit originale, prorsus est invalida; similiter et altera, quod Maria non indiguisset redemptione; nec valet Apostoli consequentia, *Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, II Cor.* 5, 14. Hoc, inquam, argumentum potius est ad oppositum: quia si Christus fuit omnium perfectissimus Redemptor mortem pro omnibus sustinens, decuit quod Matrem perfectissime redimeret; hoc autem non potuit convenientius fieri, quam praeservando ne caderet, potius quam tam lapsam relevaret. Veritas haec probabilis est et pia, super quam mirum est quod nonnulli volentes Virginem benedictam super fontes honorare, praedicant nihilominus quod contraxit originale ». Edit. cit. tom I, col. 451. Plura alia omitto, quae ex eodem Gersonio possem adducere.

huc non spectant. tamen et *immediate* tum in verbo Dei scripta revelatam esse, tum, quod caput est, ita verbo Dei tradito commissam fuisse, ut per omnia traditionis numquam interruptae vehicula magis semper ac magis explicata atque in conceptu suo distincta sese progressione quadam perpetua proderet, donec in apertissimam demum lucem veniret.

Proxime et *immediate* immaculatus Virginis conceptus in verbo Dei contineri dicendus est.

Quod si ita se res habet, ecquid porro reliquum esse poterit dubitationis, num illa dogmatico valeat decreto definiri? Hoc ergo, veluti coronidis loco, illustrandum suscipimus, duplici iterum ratione, *negative* scilicet ac *positive* rem totam excutiendo.

Probatur primo *negative*.

Ex verbo Dei scripto.

Ac *negative* primum. Quandoquidem neque in verbo Dei scripto, neque in verbo Dei tradito quidpiam occurrit, quod impedire vel minimum possit quo minus immaculati conceptus veritas uti hoc pacto revelata divinitus habeatur. Non quidem in verbo Dei scripto. Quid enim obsistere aliud in eo posset, nisi generalissimae illae sententiae de primigenia noxa, quibus omnes plane homines, nullo excepto, comprehendi viderentur? Atqui generalissimae neque in Bibliis sententiae occurrunt quibus aut omnes homines in peccato nasci aut concupiscentiae obnoxii, aut levioribus saltem noxis inquinati dicantur. Ergo (liceat id saepius inculcare) si haec ad litterae rigorem exigerentur, aeque profecto luce tum B. Virginis ortus sanctitatem, tum eius immunitatem sive a concupiscendi fomite, sive ab actualibus quibusvis vel levissimis culpis impeterent.

Et ex verbo Dei tradito.

Sed idem, si te ad traditionis monumenta, quae conceptui immaculato refragari videntur, convertas, omnino dicas oportet. Nam si in patribus et conciliis generales occurrunt de primaeva in omnes homines derivata labe enunciationes, generalia pariter de iis quae altero loco hic memorabamus effata deprehenduntur (1).

Nonnulli patres interdum disserentes de B. Virgine aliquid humani passi sunt.

Quid? quod patres nonnulli eo demum usque progressi sunt ut aliquot B. Virgini naevos revera impegisse videantur (2). Iamvero ecquisnam catholicorum est, praesertim post Concilium tridentinum, qui idcirco subdubitet aut de virginalis ortus sanctitate, aut de eiusdem exemptione omnimoda a quavis vel levi actualis peccati labecula? Id sane et ab Ecclesiae christianaeque plebis sensu, atque adeo a catholica veritate alienum foret. Quamobrem si generalia Bibliorum testimonia, si universales patrum Conciliorumque affirmationes privilegiis in B. Virgine recensitis nullo pacto efficiunt, cur uni immaculatae conceptionis privilegio generalia eiusmodi effata sive Scripturarum, sive patrum, sive conciliorum officere poterunt? Haec, fateor, mihi plane ineluctabilia videntur.

Ad haec si de patribus loquamur, nullum est apud ipsos testimonium, in quo expresse directeque Virginem in peccato originali conceptam fuisse asseratur; quod certe, uti alias animadvertimus, divino propemodum consilio factum esse dixeris.

Veterum dicta posse ac debere cum pia sententia componi iterum urgetur.

Sed vel eos ipsos ecclesiasticos scriptores, qui prima fronte eidem praerogativae videntur adversari, tali usi sunt temperamento, ut ad aliam plane sententiam haud incommode possint, aut potius debeant traduci. Certe praecipuum difficultatum caput ex eo peti vidimus, quod caro B. Virginis vocata a nonnullis patribus fuerit *caro peccati*. Atqui et illud inter cetera adnotatum a nobis est, vel ipsam *Christi carnem* ab aliquibus patribus *peccati carnem*, ratione scilicet originis ex Adae carne fuisse appellatam. Rursus magnum facessere negotium videbatur, quod quidam e patribus Virginis carnem dixerint *mundatam*, *purgatam*, *sanctificatam* fuisse. At, praeter quam quod germana harum locutionum vis minime necessario importat, uti suo loco declaravimus, aliquam quae praecesserit inquinationem corruptionemque, scholasticos non defuisse vidimus, qui Christi ipsius carnem mundatione eguisse affirmarint. Imo et apud veteres etiam scriptores eiusmodi affirmatio nova plane non est (3). Quid autem inde? concedendum ne propterea erit, scriptores hosce vere existimasse aut Christum originale contraxisse peccatum, aut carnem eius immundam aliquando extitisse? Nemo profecto sanus id dixerit. Quare per has iisque similes locutiones nec de B. Virgine alterutrum significare dicendi sunt pauci illi patres scriptoresque antiqui, qui eas usurparunt, neque a patribus reliquis dissentire in singulari hoc B. Virginis privilegio agnoscendo. Difficultates quae e serioris aevi binis trinisve liturgicis monumentis opponi poterant, satis alibi dilutae a nobis sunt: reliqua porro traditionis internoscendae instrumenta immaculato conceptui mariano suffragantur quam quae maxime. *Negative* igitur si res spectetur, nihil quod vere solidum sit, nobis occurrit, in quo haerere animus debeat.

Positive.

Age nunc *positive* rem expendamus, in quo totius quaestionis summa et cardo consistit, atque a verbo Dei scripto exauspicemus.

Ex verbo Dei scripto.

Unum quidem nobis biblicum praesto est testimonium, illud nempe quod πρωτευαγγέλιον nomine venit: et eiusmodi est, ut dum ea quae adversus immunitatem B. Virginis a primigenia labe afferuntur e Scripturis testimonia elidi multiplici ratione possunt, hoc vero non possit. Indubium porro est heic per *mulierem* κατ' ἐξοχὴν eius mentio cum liberatoris promissione coniungitur, quaeque alteri opponitur mulieri, quae humani generis ruinae causa facta erat, Beatam Redemptoris ipsius Matrem divinitus significari. Indubium item est aliquid de ea praedicari singulare prorsus ac mirum, quod cum pleno qui de morte, de peccato, deque diabolo ferendus erat triumpho arctissime copulatur. Quid vero adamussim huic respondere notioni potest, nisi Mulieris huius, per quam nova hominum generi conditio salutis instauratrix exorsura erat, a quavis diaboli ipsius servitute exemptio a quavis peccati labe immunitas? Habes ergo non tantum in verbo Dei scripto veluti in semine delitescens, quantum fere iam progerminans immaculati Deiparae Virginis conceptus mysterium. Fateor

(1) Iam supra biblica produximus testimonia, quibus generalibus effatis non modo homines *concipi* in peccato, verum etiam *nasci* dicuntur; nunc praestat id ipsum ex conciliorum ac patrum testimoniis, prout sumus polliciti, colligere. Atque ut aliquid prius de Conciliis dicamus, Concilium milevitanum II celebratum an. 416, in can. 2 haec habet: *Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab utero matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur... anathema sit.* (Apud Harduin. *Acta concil.* tom. 1, col. 1217). Concilium item foroiuliense an. 791 in *Symbolo fidei* dicit: *Solus enim* (Dei Filius) *sine peccato natus est homo, quoniam solus et incarnatus de Spiritu sancto, et immaculata Virgine novus homo.* (Ibid. tom. IV, col. 856). Ex patribus vero sese offert s. Ambrosius, qui lib. 1 *de poenit.* c. 2, col. 3, scribit: *Omnes homines sub peccato nascuntur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum dicente David: Ecce in iniquitatibus conceptus sum; et in delicto peperit me mater mea.* Quem tantum affert s. Augustinus in lib. 2 *de peccato originali*, c. 41, n. 47; qui ibid. alium allegat ex s. Ambrosio locum, nempe ex lib. 2 in Lucam, n. 56: *Non enim virilis coitus vulvae virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de femina Sanctus Dominus Iesus; qui terrenae contagia corruptelae immaculati partus novitate non senserit, et caelesti maiestate depulerit.* Iam attuli etiam s. Augustini testimonium ex epist. ad Dardanum; nunc ex eodem adiicio, quae scribit lib. 1 *De peccatorum meritis et remiss.* c. 29: *Solus sine peccato natus est, quem sine virili complexu* etc. et lib. 4 *Opp. imperf. contra Iulianum*, c. 76: *Ex hominibus qui nascuntur in mundo pereunt, nisi renascantur in Christo*; et iterum contra eumdem Iulianum passim adstruit, quod *nullus hominum praeter Christum est sine peccato infantiae exortus, etiam si unius diei sit super terram*; et in lib. 3 *De peccat. meritis*, c. 6, etiam ad hoc allegat auctoritatem s. Hieronymi ex cap. 3, *Comment super Ionam.* Omitto s. Gregorium M. et s. Hilarium, qui adducunt verba s. Ambrosii supra recitata. Huc referuntur omnes antiqui patres, qui verba ps. 50 legerunt: *Et in peccato peperit me mater mea*, quos ingenti numero refert Sabatier in *Veteri Itala*, tom. II, p. 103. Ex quibus luculenter patet sive Concilia sive Patres promiscue, uti Scripturam, locutos esse tum de hominum omnium conceptione, tum de nativitate, neque excipere nisi solum Christum; adeoque, ut consequens est, si eiusmodi testimonia urgeantur ab adversariis, ea aeque impetere sanctitatem nativitatis virgineae, quam tamen, illis non obstantibus, ad unum omnes sanctam proclamant.

(2) Horum testimonia Petavius refert lib. 14 *De incarn.* c. 1: sunt autem s. Basilius, qui B. Virginem fluctuationem et scandalum passam dicit in morte Christi; ss. Chrysostomus, qui eamdem vanam gloriolam captasse asserit non semel, aliaque indigna de ea affirmat; item Cyrillus alex., Amphilochius seu auctor orat. III *De occursu Domini*, Proclus in orat. VI, Max. taurinensis hom. 1 in *Epiphaniam*, Anselmus in lib. *De carne Christi*, auctor *Quaestionum in novum test.*, ut alios praetereamus quos etiam allegat Huetius in *Origenianis* lib. 2, quaest. quarta, praesertim § 3, p. 66, et seq. Quod si haec, quamvis diserte apud patres non paucis legantur, patroni maculati conceptus non admittunt, qua ratione urgere poterunt nonnulla generalia patrum et ambigua effata ad immaculatam conceptionem Virginis impetendam?

(3) Sane Origenes hom. 14 in Lucam scribit: *Ergo Iesus purgatione indiguit, et immundus fuit, aut aliqua sorde pollutus. Temerarie forsitan videor dicere, sed Scripturarum auctoritate commotus. Vide quid in Iob scriptum est: Nemo mundus a sorde, nec si unius quidem diei fuerit vita eius; non dixit: Nemo mundus a peccato, sed: Nemo mundus a sorde. Neque enim idipsum significant sordes atque peccata* (Opp. edit. de la Rue, Paris 1700, tom. III, p. 947). Ambrosiaster item in *Comment.* in epist. ad Rom. c. 8, v. 3: *Quamvis*, inquit, *eadem caro* (Christi) *sit, quae et nostra; non tamen ita facta in utero est et nata, sicut et caro nostra. Est enim* SANCTIFICATA *in utero, et nata sine peccato...* EXPIATA *est enim a Spiritu sancto caro Domini, ut in tali corpore nasceretur quale fuit Adae ante peccatum* (Opp. Ambrosii, edit. Maurin. tom. II, in append. col. 70). De huius auctoris nomine et aetate confer admonitionem editoris maurini, scilicet Nourryi.

hoc uno biblico testimonio rem ἀποδεικτικῶς non definiri; sed quidnam repones, cum tanta traditionis vis accedat, quae in id tota conspiret ut mysterium ipsum, paullo adhuc implexum explicet, adumbratum enucleet, contractum dilatet, ac micantissima luce perfundat?

Ex verbo Dei tradito.

Hoc igitur superest ostendendum, ut nempe verbum Dei scriptum cum verbo Dei tradito ad unum collineare constet ac mutuo sese subsidio excipere ac fulciri in tanto hoc B. Virgini privilegio adserendo. Singula igitur traditionis instrumenta persequentes, accedamus ad patres, quorum iam multos ab apostolica aetate ad Augustinum, plures ab Augustino ad Bernardum usque in priori huius lucubrationis parte protulimus. Sed quoniam heic in traditionis vi insistendum potissimum est, iuverit alios haud paucos adiicere quibus haec opima iam seges magis adhuc ditescat. Neque omnes omnino qui afferri possent aucupabimur: alii forte industriam nostram effugient, alios consulto omittimus, ut potius hac in re parci ac delectu quodam utentes, quam nimis effusi ac faciles videamur.

Nova patrum ac scriptor. eccles. testimonia proferuntur.

Ex s. Ephraem syro.

Sese in primis nobis commendat s. Ephraem syrus, cuius licet in superiori parte praeclara in rem nostram protulerimus testimonia, illustrius adhuc heic ex eodem adiicimus monumentum, quo pia sententia mirifice adstruitur. Siquidem in codice syriaco Nitriensi VII inter hymnos ephraemianos LII tres extant n. 35, 36, 37, qui Evae et Mariae comparationem exhibent in quorum altera haec inter cetera leguntur: *Ambae* SINE NOXA, *ambae simplices Maria et Eva, altera cum altera conferatur: altera mortis nostrae causa fuit, vitae altera* (1).

Ex s. Petro Chrysologo.

Nobis commendat etiam s. Petrus Chrysologus, qui anno 440 florebat. Is aperte affirmat Beatam Virginem, cum adhuc fieret, seu in ipsa conceptione a Verbo seu Christo in sponsam sibi oppignoratam fuisse his verbis: *Pervolat ad sponsam festinus interpres, ut a Dei sponsa humanae desponsationis arceat, et suspendat affectum, neque auferat ab Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in utero oppignorata* CUM FIERET. *Christus ergo suam sponsam recipit, non praeripit alienam: nec separationem facit, quando suam sibi totam iungit in uno corpore creaturam* (2).

Ex s. Sabba.

Nec minus praeclara ad Virginis privilegium vindicandum ea sunt, quae s. Sabbas, qui anno 486 adhuc in vivis agebat, sparsim de B. Virgine scripsit in Graecorum quae collegit *Menaeis* in usum liturgicum adscitis. Siquidem in ode I quae ad profestum pertinet annuntiationis, sic B. Virginem affatur: *Hic* (archangelus Gabriel) *te brevi conveniet, ceu unicam pulcritudinis incorruptae columbam, et plane recreationem generis nostri. Idem ille, o Virgo in omni genere sanctitatis perfecta, sonora te voce salvere iubebit* (3). Et luculentius adhuc in ode II Deiparam alloquens: *In te*, inquit, *quae* NULLI UNQUAM CULPAE *affinis fuisti, spem omnem meam repono. Nemo, at tu Domina, inculpatus est neque, nec praeter te incontaminatus quisquam, a naevo nulli subiecta!* (4) Hanc vero ab omni labecula immunitatem ad praeservationem ab ipsa originali macula a sancti ipsius mente protendi constat per ea quae habet in ode XIV in qua scribit: *In te primi parentis* SUBSTITIT *lapsus, ultra progredi facultate sublata* (5); tum ex verbis illis quibus ita progenitores B. Virginis compellat: *O Ioachim afflate divino decore! Tu quoque Anna divinitus clara! Vos gemini estis lychni, a quibus orta est lampas circa quam* NULLUM UMBRAE VESTIGIUM *cernimus* (6). Quae quidem duo postrema testimonia decretoria plane sunt, eoque pluris facienda, quod luculenter ita definiatur verum festi virgineae conceptionis obiectum, quod scilicet festum idem s. Sabbas in suo *Typica*, seu *Ordine recitandi officium*, ut suo loco vidimus (7), inter cetera refert sua iam aetate recepta. Exinde enim liquet, immunitatem marianam ab originali labe eo fuisse celebratam. Cum porro hic cultus os Graecis ad Italos migrarit, ac deinceps per universam occidentis Ecclesiam peragratus sit, constat non aliud unquam obiectum festae huius extitisse celebrationis.

Ex Esychio hierosolymitano.

Sed ut ad alios progrediamur. Esychius hierosolymitanae pariter ecclesiae presbyter anno 595 in homilia 2 *de Virgine Maria* scribere de ea non dubitavit: *Ecce virgo in utero concipiet.... Quaenam? Mulierum egregia, e virginibus electa, praeclarum naturae nostrae ornamentum, gloria luti nostri, quae Evam pudore, et Adamum comminatione liberavit*, AUDACIAM DRACONIS *abscidit: quam concupiscentiae fumus non attigit, neque vermis voluptatis eam laesit* (8). Quae sane quid aliud innuunt, quam fomite ex primigenia contagione derivato caruisse Mariam, eo quod ab illa omnino fuit exempta, adeo ut inde revera *draconis audaciam contriverit?*

E s. Andrea cretensi.

Sed uti modo s. Sabbam, ita etiam audire praestat s. Andream cretensem, qui et ipse celebritatem eiusdem virginei conceptus memorat, et ipsius obiectum nova luce adspergit. Namque in in encomio s. zonae B. Virginem vocat OMNI PECCATO ET SORDE *sublimiorem* (9); et in orat. *de nativitate: Hodie*, inquit, *Creatoris omnium creatum delubrum exaedificatum fuit; a creatura divinum Creatori nova decentique ratione praeparatur hospitium.... Hodie ex nobis, nostri loco, Adamus primitias Deo offerens Mariam primitias facit; et ex tota fermento*, EA NON FERMENTATA, *per ipsam formatur panis ad humani generis reformationem* (10). Ac paullo post ad ea, quae ex actis passionis s. Andreae apostoli a nobis iam exhibita sunt, aperte alludens, prosequitur: *Cum Redemptor generis nostri priori succedaneam nativitatem ac formationem exhibere voluisset, quemadmodum illic prius accepto limo ex virgine et illibata terra primum Adam affinxit: sic et hic modo, suae ipse incarnationis auctor, alterius, ut sic dicam, vice terrae, mundam hanc, immaculatissimamque Virginem a tota natura eligens, nostrumque ex nobis in eo figmentum nova ratione componens, Adae fictor, novus Adam effectus est, ut recens ipse, temporibusque nihilominus superior, veteri illi salutis causa foret* (11). Quo sane nihil pro re nostra disertius.

Ex Alcuino seu Albino Flacco.

Gemina fere sunt quae habet Alcuinus, Albinus Flaccus nuncupatus, qui anno floruit 780, ita in *sermone de B. Virginis nativitate* Deiparam Virginem ipsam alloquens: *Et recte quidem aurorae impleti officium. Ipse enim Sol iustitiae de te processurus, ortum suum quadam matutina irradiatione praeveniens, in te lucis suae radios copiose transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva induxerat, in fugam convertit... Tu pulcra es ut luna,*

(1) Apud Iosephum Simonem Assemani, *Prolegom.* ad opp. s. Ephraem in sex volum. distributa, Romae 1743, tom. II, p. LVII.

(2) Serm. 140 *De annunciatione B. M. V.* in *Biblioth. patr.* Lugdun. tom. VII, p. 953, col. 1. Solent quoque a nonnullis non omnino indulgentibus, ac satis etiam criticis adduci in hanc rem verba Fausti ex abbate lerinensi ad episcopalem regiensem sedem evecti an. 475 ex eius opusculo, *De ratione fidei*, quae ita efferuntur: *Item de Mariae Virginis generatione. Porta clausa, id est signaculum pudoris, immaculatae carnis integritas, non enim violata est partu, quae magis sanctificata est conceptu*, QUAE ABSQUE ULLO PECCATO CONCEPTA EST IN UTERO. Verum postrema haec verba, in quibus tota vis ponitur, in opusc. cit. desiderantur, ita pro quodam Virginis cultore adiecta sunt contra mentem et scopum auctoris. Hoc Fausti opusculum reperies in *Haereseologia* vol. fol. Basileae 1556, p. 700.

(3) Apud Bolland. *Acta sanctorum* mensis martii tom. III, p. 530, col. 1.

(4) Apud Hyppolitum Marraccium in *Mariali s. Germani*, Romae 1650, in nota 4 ad *orationem de zona Sanctissimae Dei Matris*, p. 235.

(5) Apud Vaugereckium in lib. cui titulus: *Pietas Mariae*, p. 212.

(6) Ibidem.

(7) Part. I, cap. XII, p. 52.

(8) *Biblioth. patr. graec. lat.* Paris. 1624, tom. III, p. 423.

(9) In *Biblioth. max. patrum*, tom. XII, p. 997, col. 2. In quod encomium cf. admonit. praeviam p. Combefisii.

(10) In *Biblioth. max. patr.* tom. X, p. 619, col. 2. Heic nonnulla advertenda sunt; ac primo, quod verba: *ea non fermentata*, exciderint huius orationis editori; secundo, quod p. Combefisius, qui hanc ipsam orationem ex graeco vertit, edidit que una cum aliorum graecorum patrum operibus Paris. 1644, tom. II, p. 1 seqq. p. 4, obscure valde s. Andreae sententiam reddat: his siquidem verbis latine eam exhibet: *Hodie ex nobis pro nobis Deo Adamus primitias offerens, Mariam primitias facit, itaque, quae de tota conspersione nihil inquinamenti senserunt, in panem formatur, ad recreationem generis.* Qua praemissa interpretatione, nota 7 ad solum Christum coarctat illam ab inquinamento originalis peccati immunitatem dicens: « Porro primitiae illae, quas de tota conspersione, ex nostris hic primitiis, ex Maria, in panes formatas, ait non inquinatas, Christus Iesus sunt, panis ille viatorum in eius utero factus, quem solum Scripturae phrasi, aliis quoque patribus receptissima, ab omni peccati contagio eximit ». At perperam. En graecum s. Andreae textum: Σήμερον ἐξ ἡμῶν ἀνθ' ἡμῶν ἀπαρχὰς ὁ Ἀδὰμ τῷ Θεῷ προσάγων, τὴν Μαρίαν ἀπαρχεται, καὶ τοῦ ὅλου φυράματος Η ΜΗ ΦΥΡΑΘΕΙΣΑ δι' αὐτῆς ἀρτοποιεῖται, πρὸς τὴν τοῦ γένους ἀνάπλασιν. Qui sic verbo ad verbum latine reddendus est: *Hodie ex nobis pro nobis primitias Adam Deo offerens, Mariam primitias facit, et tota massa fermentata*, EA NON FERMENTATA, *per ipsam conficitur panis ad novam generis plasmationem.* Hoc vidit Gallandius, qui quamvis una cum graeco textu referat versionem Combefisii tom. XIII suae *Bibliothecae patrum*, p. 95, tamen in margine haec apposuit: *Nota Mariam sine labe conceptam.*

(11) Ibid. p. 620, collecta 1, et in edit cit. Combefisii, p. 6, 7.

Digitized by Google

ima et pulcrior luna, quia tota pulcra es et macula non est in te, neque vicissitudinis obumbratio (1).

Ex epist. syn. Theodori patr. hierosolym. probatum Concil. nicaeno II.

Ex patribus Concilii francofordiensis.

Nec minus perspicue id ipsum adstruitur in epistola synodica Theodori patriarchae hierosolymitani, quae omnium consensione probata fuit in Concilio oecumenico VII, seu nicaeno II, an. 782 celebrato. In ea haec de B. Virgine leguntur: *Quae vere Dei Mater est, et ante partum et post partum virgo, atque omnis intelligibilis ac sensibilis naturae gloria et claritate* CREATA *sublimior* (2). Idem vero testimonium Deiparae reddit Concilium aliorum, nempe francofordiense eadem ferme aetate in occidente coactum, scilicet an. 794, in quo patres ita felicianos seu adoptianos perstringunt: *Sed et hoc volumus a vobis audire, an Adam primus humani generis pater, qui de terra virgine creatus est, liber esset conditus, sive servus? si servus, quomodo tunc imago Dei? si liber, quare et Christus quoque non ingenuus de Virgine? Meliore quidem terra, etiam animata* ET IMMACULATA, *Spiritu s. operante factus est homo, dicente Apostolo: Factus est primus homo de terra terrenus, secundus de caelo coelestis. Si terrenum liberum conditum confitemur, quare non multo magis coelestem liberum confitemur? unde Adam fuit servus factus, nisi ex peccato?* (3) Si enim Virgo terra fuit illa terra virgine potior, ex qua plasmatum fuit prioris Adae corpus, immo et immaculata fuit iuxta patres francofordienses, liquidum est ex istorum mente immunem semper eam a macula extitisse.

Ex homilia Theodoti ancyr. habita in Concilio ephesino.

Quae ex his Conciliis attulimus in mentem nobis revocant quae in Concilio, longe antiquiori eoque oecumenico, videlicet ephesino, praeclara omnino in rem hanc tota plaudente Synodo protulit in homilia quam habuit in die natalis Domini Theodotus episcopus ancyranus. Is quippe ex triplici fonte theologico commendat Beatam Virginem, quam primo comparat cum terrestri paradiso, secundo cum Eva, tertio cum ipso Redemptore. Sed praestat eiusdem sanctissimi praesulis, qui post s. Cyrillum primas partes habuit in dogmate catholico adversus Nestorium tuendo, verba ipsa proferre, quae ad primam comparationem spectant, et haec sunt: *O Virginem, quae ipsum vicit deliciarum paradisum! Ille namque genus sativarum stirpium protulit, ex virgine terra exortis plantis: haec autem virga melior est illa terra. Non enim pomorum protulit arbores, sed virgam Iesse fructum salutarem hominibus afferentem: et illa terra virgo erat, et ista virgo: sed ibi quidem arbores nasci praeeepit Deus; huius autem virginis ipse Creator secundum carnem factus est germen. Neque illa terra ante arbores plantaria suscepit; neque haec ex partu virginitatem laesit. Virgo paradiso gloriosior facta est. Ille enim Dei cultura factus est; haec autem secundum carnem Deum ipsum excoluit, ubi voluit hominis copulari naturae. Vidistis quomodo factum est admirabile sacramentum transcendens naturae rationem. Item supernaturalem vidisti sola Dei virtute factam* (4).

E s. Germano patr. constantinop.

Porro cum ex eiusdem sanctissimi antistitis oratione extra Concilium recitata alterum praebuerimus testimonium (5), eidem adnectere heic lubet verba patriarchae constantinopolitani non minus doctrina ac sanctitate illustris, scilicet sancti Germani, cuius aliud pariter in priori huius lucubrationis parte testimonium adduximus (6). Hic igitur in *Encomio venerandae zonae Sanctissimae Deiparae* palmaris haec habet, quae praetermitti nullo modo poterant: *Existima eum* (Davidem) *manifestissime, et sine contradictione dicere eam, quae vere est electa et omnibus superior, non domorum excellentia, et altitudine excitatarum aedificiarum: sed divinarum et sublimium virtutum magnitudine, et puritate omnibus antecellentem, Mariam,* NULLI PENITUS CULPAE AFFINEM (7).

E Ioanne Geometra.

Sed ut regrediamur ad ordinem chronologicum paullulum intermissum, saeculo X, circa annum videlicet 980, Ioannes Geometra praeterquam quod in commentario in Lucam B. Virginem *Terram semper sui similem* nuncupavit, *quae et plena sit reperta divinis alimentis* (8), in hymnis quos in eiusdem Virginis laudem composuit, eamdem ut gaudeat hortatur ex eo quod corpus in olympo, seu in paradiso efformatum concretumque habuerint sine vitii originalis labe, hisce carminibus:

Gaude concretum sublimi corpus olympo,
Et vitii nostri crimine, Virgo, carens.
Gaude, quae Christo corpus mortale dedisti;
Gaude PRIMAEVI LIBERA LABE PATRIS (9).

Quibus postremis verbis expresso piam enunciavit sententiam.

Ex Herveo.

Hoc et praestitit doctus Herveus s. Bernardo suppar in commentario in epistolas s. Pauli, ubi haec in rem nostram praeclara habet: *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto,* DEMPTA MATRE DEI, *sive originalibus, sive etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod iustum est* (10); qui iam ibidem adstruxerat B. Virginis carnem mori debuisse propter Adae peccatum, licet ab eo divinitus praeservata fuerit. Habes eius verba: *Maria ex Adam, mortua propter peccatum,* NISI DIVINITUS EXEMPTA FUISSET; *et caro Domini ex Maria mortua propter delenda peccata* (11). Quibus verbis Herveus describere, seu potius enarrare voluisse visus est magni Augustini locum ex epistola, ut olim adducebatur, 34: *Adam est mortuus propter peccatum, Maria ex Adam mortua est propter peccatum Adae; caro Domini ex Maria mortua propter delenda peccata.* Ex quo deinceps piae sententiae impugnatores argumentum pro suo placito promere adsueti sunt, licet non absque aliqua eiusdem textus depravatione (12).

Ex Fulberto carnotensi.

Adeo vero ratum fixumque sub aetatem s. Bernardi erat, B. Virginem sine labe fuisse conceptam, ut Fulbertus carnotensis episcopus, qui anno 1007, solido videlicet ante claraevallensem abbatem saeculo, floruit, non modo et ipse perspicue hoc privilegium B. Virgini vindicet, sed praeterea rationem reddat, quare vetustiores patres parcius hoc expresserint mysterium. Ac prima quidem vindicat privilegium immaculati conceptus, cum in quodam de B. Virginis nativitate sermone inter cetera et haec scribit: *Quanta putamus provisio fuerit sanctorum angelorum circa tam Deo gratissimos parentes ab initio suae procreationis, et excubatio super tam insignem sobolem? numquid abfuisse credendus est Spiritus sanctus ab ista eximia puella, quam sua obumbrare disponebat virtute?... Laetare, tu Mater omnium, non solum, quia evertisti proscriptionis excidium; sed etiam quia de tua consimili prole profudisti Eum in saeculum, qui te tamquam progeniem mortis de compede misericorditer eruit* (13). Rationem vero reddit de prudenti, qua usi sunt cautione veteres patres cum de Mariae primordiis dissererent, inquiens: *Sane si qui sollicita mente et studiosa investigatione perquirunt, cur sanctorum praecedentium memoriae huius praefatae Virginis temporanea initia suis fidelibus sequacibus enucleatim non exornaverunt, ut ad omnium notitiam vulgarent; noverint non ignaros eos extitisse hu-*

(1) In *Biblioth. virginali* Petri Alva, tom. I, p. 631, col. 1, Matriti 1648. Hic sermo desideratur in op. Alcuini, edit. Andreae Quercetani, Lutetiae 1617, vol. in. fol. A Labbeo tribuitur Paulo diacono qui antiquior Alcuino est; nam floruit an. 774.
(2) In *Collect. concil.* Coleti Venet. 1768, tom. XII, col. 1140.
(3) Ibid. tom. XIII, col. 893.
(4) Ibid. tom. V, col. 180, celebratum autem est Concilium ephesinum an. 431.
(5) Part. I, cap. XI, p. 45.
(6) Ibid. p. 48.
(7) In *s. Germani Mariali* Hippolyti Marracci, Romae 1650, p. 133 seq.
(8) Apud. Corderium in *Catena sexaginta quinque patrum graecorum in s. Lucam*, Antwerpiae 1628; in cap. I, v. 38, p. 13, col. 1. Lege quae in praefat. n. XXXII scribit Corderius de Ioanne Geometra.
(9) Hymn. III *in Beatissimam Dei Genitricem*, extant graeco-latine in Collect. graecor. poetarum lyricorum Lecii, tom. III, p. 746 seqq.; latine tantum in *Biblioth. max. patrum*, tom. XXVII, p. 472.
(10) In II epist. ad Cor. c. 5, v. 14, inter opera s. Anselmi cantuariensis, cui olim eiusmodi commentarium tribuebatur, edit. Colon. Agrippinae, an. 1612, tom. II, p. 190, col. 1.
(11) Ibid. tom. II, in epist. ad Rom. c. 8, v. 1 seqq. p. 48, col. 1.
(12) Nempe card. Caietanus, qui in opp. cit. *De veritate conception.* inter decem patres, quos recenset, hunc allegat Augustini textum, atque sic eum effert: *Adam est mortuus propter peccatum, Maria ex Adam mortua est propter peccatum. Caro Domini* etc. Quem locum expendens Bellarminus in Voto manuscripto quod citavimus, pro eo qua praeditus erat animi candore, respondet: *Hic deest unum verbum; dicit enim Augustinus: Maria mortua est propter peccatum suum, ex quo omnes morti addicti sumus, etiam post peccatum deletum; non tamen Maria est mortua propter peccatum sibi inhaerens.*
(13) *Sermo in ortu almae Virginis Mariae inviolatae* in *Biblioth. max. patr.* tom. XVIII, p. 40, 41.

Digitized by Google

reseos, quae pro insigni et admiranda huius sacrae puellae praeconia exarata erat; et ob id si quid ex eius ortu protulerunt, sagaci industria celandum aemulis et infidelibus decreverunt, ne inveniret caeca garrulitas perfidorum, unde maternum sinum Ecclesiae verberaret sua multiplici fallacia (1).

Quid ex tot patrum et scriptor. eccles. testimoniis sequatur, colligitur.

Porro si nova haec testimonia cum iis coniungantur, quae in priori huius operis parte allata sunt, quadraginta et amplius habemus patres, vel in Conciliis id testantes, scriptoresque ecclesiasticos pietate omnes doctrinaque praestantes, qui ab aevo fere apostolico ad sanctum usque Bernardum continentem seriem seu potius catenam pro nostra causa efformant: quot in paucis aliis dogmatibus forte reperies. Omnes siquidem in hoc conceptionis virgineae privilegium, licet diversis modis, digitum veluti intendisse videntur. Nam aut ea ponunt principia, quae illud necessario involvunt, aut illud aequipollentibus verbis significant, aut disertis etiam conceptisque formulis exhibent, ita ut revera nihil aliud praestent, nisi illud pedetentim magis ac magis explicare, evolvere, illustrare, quod in Bibliorum oracula subobscura fuerat significatum. Quid enim sibi volunt aliud veteres patres cum Mariam conferunt aut cum ea *immaculata terra* e qua plasmatus fuit Ada, aut cum *lignis corruptioni non obnoxiis*, aut cum Eva *incorrupta* adhuc atque *innocente* quae diabolo seductori indulgens communis facta est causa ruinae, dum contra B. Virgo angelo nuntianti obsequens causa nobis omnibus est facta salutis? quid cum eam aut *venenosis serpentis afflatibus minime infectam* praedicant; aut *servatam incorruptam, et usque ad caput benedictam* dicunt; aut eum fuisse docent *modum conceptus et ortus* eius, quem *solus noverit Deus?* Atqui haec in primi, secundi ac tertii saeculi patribus occurrunt. Iam vero si saeculi quarti et quinti testimonia percurres, Mariam praedicatam invenies uti *ab omni sorde et labe peccati alienissimam, per gratiam* INTEGRAM *ab* OMNI LABE *peccati, omni culpa vacantem, sanctam corpore et spiritu, ex munda formatam luto*, idoneum Christo PRO GRATIA ORIGINALI *habitaculum*; per eam *draconis audaciam contritam*; per eam *omnia serpentis venena domita*; eam *paradisum deliciarum viciase*, aliisque huiusmodi praeconiis exornatam, quibus nil pro re nostra luculentius potest desiderari. Quo magis vero temporum processu progrederis, eo rem ad vivum magis expressam, eo explicatas ac definitas magis loquendi formulas deprehendes. Iam vero e quonam fonte tanta haec antiquitatis ecclesiasticae in id conspiratio, nunquam sane interrupta atque intercisa, sed novas semper sumens vires, seseque in dies magis aperte explicans ac dilatans profluere potuit, nisi ex traduce apostolicae traditionis? Ergo omnino dicendum est, hanc de immaculato Virginis conceptu veritatem in divini verbi traditi deposito contineri.

Alia traditionis instrumenta expenduntur.

Atque haec in unum tantum ex pluribus vehiculis adeamus, per quae ad nos pervenit, nobisque patefit divina traditio. Quid si cetera persequamur? cuinam porro alii causae, nisi huic ipsi apostolicae traditionis germini, quod magis semper ac magis explicabitur, antiquissimus adscribendus est cultus immaculato B. Virginis conceptui tributus? Cultus scilicet ille quem iam a saeculo Ecclesiae saltem quinto in oriente coepisse, ac non ita postmodum in occidente etiam innotuisse vidimus, idque ante ipsam quoque festam nativitatis Parthenia institutionem, et priusquam utriusque festi celebratio pari gradu in Ecclesia progredi inciperet? Iam si praeterea spectetur mira huius festivitatis propagatio, quae paullatim procedens universam demum Ecclesiam complexa est; si romanorum pontificum auctoritas consideretur, quorum iteratis decretis illa sancita est, ac simul aperte declaratum obiectum illius et perpetuo fuisse et esse primum conceptionis momentum, scilicet illud in quo B. Virginis anima creata est, corporique coniuncta; si ob oculos habeatur, quod alibi a nobis est animadversum, fieri non posse quin consuetudo et praxis Ecclesiae aliquo principio θεωρητικῷ seu speculative innitatur; si demum ratio habeatur consensionis ac persuasionis adeo constantis atque universalis, quae apud Christifideles de hoc mysterio viguit ac viget; profecto tot inde argumenta habemus, quae iterum apostolicam illam, quam defendimus, pro immaculata conceptu traditionem testantur. Vere igitur ille veluti rivulus, qui ex πρωτευαγγελίου oraculo primum emersit, per omnes traditionis canales suas late aquas derivavit, atque in amplissimum demum ac nobilissimum fluvium excrevit.

Argumentum ex comparatione petitum instauratur.

Hic porro rursus ac luculentius adhuc se prodit vis argumenti illius, quod ex comparatione piae immaculati conceptus sententiae cum non paucis ex iis veritatibus, quae definitae ab Ecclesia diversis temporibus sunt, deducebamus. Vidimus quippe, allatis in medium exemplis, hasce interdum vel nulla sacrarum litterarum oraculo fultas fuisse, vel nullis disertis antiquitatis monumentis munitas, paucis quandoque suffragantibus patribus, quandoque etiam aut aliquo Bibliorum in speciem testimonio, aut patrum auctoritate refragante. Quae tamen nulla fuere impedimento, quo minus Ecclesia dogmaticam de iis veritatibus ferret sententiam, idque postquam etiam in longum de argumento ipso pro utraque fuisset parte disceptatum. Siquidem illud semper in memoria habendum, quod pluries inculcavimus, traditionis divinae dignoscendae subsidia aut instrumenta non esse cum divina ipsa traditione permiscenda; quae scilicet, praeter quam ex patribus, vivo Ecclesiae ipsius magisterio ac praxi iugiter perseverante, aliave ratione potest patefieri. Atqui si in eiusmodi rerum adiunctis, in quibus veritates illae versabantur, tuto potuit Ecclesia ad earum definitionem procedere; illud plane constabit, multo eam magis ad hanc nostram devenire posse, quam nulla opposita argumenta concutiunt, quam omnigena argumenta, seu potius positiva revelati verbi divini monumenta tradunt, atque confirmant.

CONCLUSIO

Concluditur.

Ut igitur huic disceptationi finem imponamus, nobis liceat tandem ita illam concludere. Si id omne ac solum definitionis dogmaticae est capax, quod divinitus revelatum esse constiterit; si id censendum est revelatum quod in verbo Dei scripto vel tradito sive explicite sive implicite saltem contineatur, quod et in sacris Bibliis aliqua ratione insinuatum, et in patrum continuata serie ad plura saecula testatum invenitur; et in universali Ecclesiae consuetudine, quae principio *theoretico* innititur, et in iugi ipsius Ecclesiae ac vivo magisterio, et in publico communique fidelium sensu receptum est; et in pontificiis diplomatis aperte saltem suggestum; et a plerisque ex episcopatus ordine expetitum (2); et a cunctis fere religiosis familiis admissum; et a flo-

(1) Ibid. p. 40.

(2) Praeter ingentem episcoporum numerum, qui ex universis ferme totius orbis partibus expetierunt antea iis annis a Gregorio XVI beatae memoriae P. et nuper a PIO IX feliciter regnante facultatem ut in suis dioecesibus adiici posset in praefatione missae de concept. *Et te in conceptione immaculata*, atque in litaniis lauretanis invocatio *Regina sine labe originali concepta*, quorum omnium nutitium catalogum in Appendice exhibebimus, iuverit huc afferre quae de episcopis Hispaniarum scripsit Vincentius Georgius in *Adnotationibus suis in Commentarium Mariani Parthenii a soc. Iesu de vita et studiis Hieronymi Lagomarsini ex eadem soc.* Haec igitur habet Georgius adnotat. 10. « Facere hoc loco non possum, quin humanissimos lectores, felicissimi cuiusdam eventus, qui dum haec scribo, mirifica me voluptate cumulavit, certiores faciam, quo ad B. Virginis purissimum conceptum tuendum venerandumque ardentiori studio semper incumbant. Insperanti enim mihi contigit, ut dum neglectam quamdam, sordibusque obsitam scriptorum molem apud infimae sortis familiam evolverem, in scriptum volumen inciderem exaratum a Ludovico Andrutio, aliis editis iam operibus de catholica fide egregie merito, quo Deiparae purissimum conceptum tueri sibi proposuerat, statueratque illud in lucem emittere, si diutius vivere contigisset. Tum duo alia reperit volumina, quibus autographae litterae omnium totius fere Hispaniae episcoporum, academiarum, religiosorum Ordinum continebantur, quibus Clementem XII P. M. enixe rogabant, ut solemni ex Cathedra iudicio, Deiparae sine ulla labe conceptam assereret, ut de singulari hoc Virginis ornamento, non iam privato sensu pro arbitrio suo iudicare quis posset, sed, ut de re Ecclesiae firmissimo iudicio definita, nefas esse duceret contrarie sentire. Quibus profecto testimoniis, cum non solum validissimum optimae causae parari praesidium agnoscerem, sed navum pro pontifice cum *ex cathedra loquitur*, fallere, et falli nescio argumentum, ex unanimi tot episcoporum consensione arbitrarer, nihil antiquius habui, quam ut de hac re amplissimum cardinalem *Hiacynthum Gerdilium*, omni pietatis et doctrinae laude praestantem certiorem facerem, enixeque illum rogarem, ut pro summa in Deiparam, qua praestat pietate, et pro singulari illa qua me immerentem benevolentia complectitur, sanctissimo Ecclesiae pontifici Pio VII consilium quod mihi hac in re capiendum videbatur, exponere non gravaretur: ut quando ex apostolico tabulario haec olim fuisse deprompta volumina dubitari non poterat, remitti Romam illico iuberet, iusta quadam remuneratione iis, qui ea hactenus retinuerant, proposita. Quod cum ille probasset, tum ss. pontificis adsensu implorato, sic datis ad me humanissimis, ut solet, litteris respondit: *Notifichi l'acquisto o ricupera degl' interessantissimi originali anche per intendere la retribuzione da darsi ec. Il s. Padre ha sentito con molto piacere la ricupera de' menzionati originali ecc.* (Roma 21 aprile 1801 G. card. Gerdil) ». Cf. Iosephi Mariani Parthenii, *De vita et studiis Hieronymi Lagomarsini e soc. Iesu commentarius a Franc. Carrara bergomate enarrationibus auctus et illustratus, et nunc primum novis additis adnotationibus editus a Vincentio Georgio*, Venet. 1801.

rentissimis academiis defensum; cum talis ea dicta sit pia de immaculato Virginis conceptu sententia, sive *negative sive positive* discussa spectetur, idque tum absolute tum comparative; rite infertur sufficiens ad eam dogmatice decernendam haberi fundamentum, ita ut tuto possit Ecclesia seu romanus pontifex hanc dirimere controversiam. Talis est conclusio, ad quam evincendam tota haec lucubratio nostra, qualis demum cumque ea sit, collineat, et in qua tandem, veluti in meta, stadium nostrum emensi iucundissime conquiescimus.

Quae porro heic postremo loco subnectuntur, non attingunt nisi variam multiplicemque rationem huius edendae definitionis, et caussas quae ut ea feratur, movere possunt.

CAPUT VII

DE VARIA EDENDAE DEFINITIONIS RATIONE

Difficultas quae circa decretum edendum suboriri posset diluta.

Quamvis omni perspicuitate fulgeat veritas, quam adstruximus, nonnullorum tamen animos cogitatio forte sollicitat, arduum videri, ut sub anathematis interminatione, atque sub haereseos nota credendam id proponatur, quod tot saeculorum tractu, postque tot disceptationes in hominum arbitrio relictum fuerit. Verum praeterquam quod eiusmodi exceptio communis est tot dogmatibus, quae nonnisi serius, quam putaretur, ac diuturna praemissa concertatione definita sunt, quaeque impune antea, sarta fide, aut negabantur aut in dubium saltem revocari poterant, cuiusmodi sunt et processio Spiritus sancti etiam a Filio, et gratiae necessitas ad fidei initium, et admissio ad beatificam visionem concessa animabus plene purgatis proxime post obitum, aliaeque id genus veritates haud paucae; altera suppetit via qua optatus obtineatur finis, quin reluctantes anathematis poena mulctentur, aut haereseos nota inurantur.

Multiplici ratione veritas catholica definiri potest. Directe, indirecte. Expresse, tacite.

Etenim multiplici ratione firmari ac definiri aliqua veritas catholica potest, aut *directe* videlicet aut *indirecte*, idque rursus aut *expresse* aut *tacite*. Directe quidem, cum veritas sub anathematis poena credenda proponitur; indirecte, cum in *obliquo*, ut aiunt, res tenenda proponitur, in *recto* autem infallibilitas Ecclesiae, quae ita docet esse sentiendum. Expresse dum conceptis verbis ius credendum exprimitur; tacite demum dum factum cum iure servandum, seu factum, quod a iure pendet atque in eo fundatur adstruitur.

Exempla a Tridentino petitis res illustratur.

Diversas huiuscemodi rationes in edenda definitione dogmatica luculenter videre est in exemplis apprime perspicuis quae tridentina suppeditat Synodus. Nonnulla ex hisce in rem nostram delibemus. Primum definitionum ordinem canones fere omnes, qui adversus novatores sanciti sunt, exhibent; uti sess. VII, can. 1 de Baptismo: *Si quis dixerit, baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi; anathema sit*, atque alii huius similes. Ad secundum definitionum ordinem spectat exemplum can. 7, sess. XXIV, in quo cum vellent tridentini patres, ut supra diximus, parcere Graecis qui autumant matrimonium christianum propter adulterium coniugis alterutrius posse dissolvi, cumque simul vellent eadem definitione percellere novatores, qui ob contrariam Ecclesiae doctrinam et consuetudinem erroris eam incusabant, ipsi canonem suum, oratore supplicante veneto, ita attemperarunt ut catholica veritas fuerit asserta, novatoresque damnati, Graeci vero ab anathemate abierint immunes. Siquidem illum in haec verba, quae alias retulimus, expressere: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet: iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi... anathema sit*. Tertii ordinis definitiones tot subministrat eadem Synodus, quot veritates catholicas diserte credendas proponit: atque ut in eadem sess. XXIV sistamus, cum can. 1 constituit: *Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.* Quarti denique ordinis ex iis quos recensuimus, exempla praestat eadem Synodus sess. VII de Baptismo, can. 2, qui ita se habet: *Si quis dixerit in Ecclesia romana, quae omnium ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam; anathema sit*. Quo canone, ut patet, dum expresse doctrinae veritas constabilita est, quae circa baptismum eiusque administrationem in Ecclesia romana obtinet, tacite sancita est forma quam Ecclesia haec in baptismi collatione adhibet, ritusque pariter probatus, quo eadem per infusionem tingere consuevit. Item in sess. XIII, can. 9: *Si quis negaverit, omnes et singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae; anathema sit.* Per hunc canonem dum obligatio sancitur communicandi singulis annis, adstruitur simul ius quod Ecclesia habet eiusmodi obligationem statuendi, atque imponendi praeceptum. Sic etiam in sess. XXII, in cuius can. 7 definitur: *Si quis dixerit, caeremonias, vestes, et externa signa, quibus in missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit*. Et in can. 9: *Si quis dixerit, Ecclesiae romanae ritum, quo submissa voce pars canonis, et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit*. Horum canonum obiectum per se mera disciplinam attingit; attamen canones dogmatici sunt, eo quod ius involvant seu potestatem Ecclesiae in eiusmodi disciplina sancienda.

Dicta ad rem nostram accommodantur.

Haec porro si in rem traducantur nostram, pronum erit cuipiam intelligere, Ecclesiam, si quando ipsi opportunum fuerit visum, posse immaculatum Deiparae conceptum dogmatice definire per quemlibet eorum quos recensuimus, modum. Videlicet aut per anathematis interminationem, aut per solemnem declarationem quae fideles ad ita sentiendum adstringat, aut directe etiam aut indirecte, aut expresse aut tacite, uti antea planissime exposuimus.

Si directa ferretur definitio firmior esset.

Finis etiam per solam definitionem indirectam obtineretur.

Si primo edicatur modo dogmatica definitio, solidior facile erit, neque oppugnationi locum relinquet apud catholicos, quotquot tales et nomine et re extiterint. Tamen quia apud nonnullos, qui morosiores sunt ac difficiliores, facile inde exoriri querimoniae contentionesque possent, ideo satius fortasse foret ab eo abstinere. Ceterum alia suppetit via quae et planior est et omni asperitate carens, quia finis quo spectamus obtineri ex aequo posset; directa videlicet definiendo Ecclesiam non falli circa veritatem obiecti cultu hoc propositi, quo nempe recolitur B. Virginis ab omni labe immunitas in primo eius conceptionis momento: aut etiam, ut aliis idipsum efferamus verbis, definiendo Ecclesiam non falli dum iuxta piam, veram atque omnibus tenendam sententiam B. Virginis ab omni labe immunitatem in primo eius conceptionis momento celebrandam proponit. Quandoquidem si ita se res haberat, haereseos notam tantum incurrerent, qui eiusmodi inerrantiae refragarentur; quod ex catholicis profecto nemo unus tentaverit; cum veritas haec penes omnes firma sit ac rata. Interim sartum tectumque obiectum de quo agitur maneret: Ecclesiae namque mente ita declarata, nemo unus citra insignis temeritatis notam illud in dubium vocare, multo vero minus impugnare posset. Quod si nempe haec arriserit definiendi ratio, nihilo secius propositum obtineri posset per tacitam definitionem, qua decerneretur sanctitas ecclesiastici ritus, cuius fit usus in colendo B. M. Virginis conceptu, prout nunc obtinet. Hac sane ratione tridentina Synodus, ut vidimus, plures Ecclesiae ritus eorumque sanctitatem sancivit, qui cum iure coniuncti sunt, ac finem quem sibi praestituit est assecuta.

Aut etiam per tacitam definitionem.

Ratio habenda eorum qui pro contraria decertarunt sententia.

Quoniam vero dogmatica unius sententiae sanctio necessario improbationem proscriptionemque sententiae adversantis includit, quam non pauci insignes doctique viri propugnarunt, et quorum in Ecclesiam merita praeclara extitere, ratio illorum pariter habenda est. Quocirca ita decreti verba amollire par esset, ut dum alterum placitum adstruitur, alterius placiti patronis nulla inuratur nota; immo potius et zelus et pietas ipsorum commendanda forent, ut omnibus palam fieret, eos, qui contrariae sententiae antactis saeculis sunt adstipulati, id veritatis amore impulsos praestitisse. Eo vel magis, quod iis destituti fuerint praesidiis, quae postea accesserunt, quaeque nunc ipsorum animos, vi principiorum quae ab ipsis constituta sunt, in piam sententiam certo inclinarent. Quo sane pacto omnis amoveretur invidia ab opposita sententia, ob cuius reiectionem nonnulli facile possent offendi.

Non sunt timenda haereticorum convicia.

Haereticorum autem convicia nulla sunt ratione pertimescenda, tum quia illorum magna pars in *rationalismi*, ut ita dicam, barathrum prolapsa est, neque de hisce ullam sollicitudinem gerit, imo elato ea supercilio contemnit; tum quia notum est, sectas omnes in pium erga B. Virginem cultum studiumque odio ferri, ita ut eiusmodi aversio ac furor sit veluti propria illarum tesse

Digitized by Google

ra; ac proinde neque mirum neque plane curandum si tali permoverentur decreto; tum demum quia nihili faciendi sunt canum strepitus ad aedis fores collatrantium, si perbreve illud excipias fastidium, quod ex eiusmodi temporario latratu auribus praesertim teretibus creari solet.

Totum negotium prudentiae summi pontificis relinquendum.

Ceterum totum negotium ad modum etiam quod attinet illud definiendi, prudentiae sapientiaeque supremi Ecclesiae moderatoris est permittendum. Ideo vero nos multiplicem edendae eius qua de agimus definitionis rationem insinuavimus, ut aspellerentur difficultates, quae enasci possent, dum ad eam ventum fuerit. Absit a nobis tumor aut stulta arrogantia docendi doctores nostros, quorum omnium nos discipulos lubentissimo animo profitemur. Sed negligenda obstacula penitus non erant, quae iter obstruerent, omnesque erant viarum asperitates, quoad eius fieri poterat, complanandae. Siquidem dissimulare non possumus nervosiorem difficultatem, quae sese dogmatico iudicio in re nostra edendo opponit, minime illi e natura rei, aut ex causae, ut ita loquar, visceribus, sed ab externis potius quibusdam considerationibus obvenire. Hae namque sunt, quae potissimum retardare possent auspicatum rei exitum. Quapropter sicuti cum acriter nimis negotium urgetur, improvide amittitur quod inconsulto intenditur zelo; ita cum ea qua par est prudentia quis procedit, longe facilius optatam pertinget metam. Porro hac de causa varias proposuimus rationes, quibus et dogmaticum edi queat decretum, et simul animi offendi possent, minime non pecellantur, uti quisque, qui eas perpenderit, facile per se percipiet.

CAPUT VIII

DE CAUSIS QUAE PERSUADERE POSSUNT UT DOGMATICUM DECRETUM DE IMMACULATO VIRGINIS CONCEPTU RE VERA EDATUR

Argumenta quae definitionem ut inconsultam traducunt.

Inquirenti mihi ac sedulo cogitanti, quaenam potissimum causae suadeant, ut immaculatus Deiparae conceptus dogmaticis fidei articulis adnumeretur, occurrebat animo neutiquam defuturos, qui me inconsiderato quodam animi aestu abreptum, atque immoderata quadam in Deiparam religione elatum traducerent. Quorsum, inquiunt, spectare videris, nisi eo ut dogmaticam definitionem alieno plane tempore elicias, vel potius extorqueas? quotus enim quisque est, quem definitio haec anxium in praesentia habeat atque sollicitum? Haec certe cura neque privatis quibusque christianis insidet, cum eo, quo Deiparae conceptum prosequuntur obsequio contenti, nihil praeterea requirant; neque regibus virisque principibus, quippe qui hanc a Sede apostolica implorare atque exposcere iamdiu desivere; quod etiam de episcopis plerisque est dicendum. Quid igitur causae est, quamobrem animos catholicorum concordes, quod ad hanc attinet controversiam, coniunctissimos distrahas, et iurgia, dissensiones, ac dissidia commoveas; cum praesertim nullam Sanctissimae Dei Matri honoris laudisque accessionem, neque Ecclesiae universi emolumenti aliquid isthaec sit definitio allatura? Sed si haec ita sunt, nemo profecto non sentit, totam hanc disputationem, quae sine gravi aliquorum offensione institui non potest, silentio consultius praetereundam fuisse; ut in aliis bene multis fit magna cum laude, de quibus non ita pridem inter se catholici disceptabant. Haec aliaque id genus, quae forte obiicientur, adeo me non permovent, ut ne moveant quidem. Sunt enim pleraque aut penitus a veritate aliena, aut etiam eiusmodi, quae in rem meam convertere facili negotio possim.

Diluuntur.

Ac primum quidem eo spectare nos ut definitionem extorqueamus; id enimvero nobis imponitur, qui non profitemur solum, sed et contendimus, ad unum pertinere supremum Ecclesiae moderatorem decernere, expediat necne controversiam dogmatica definitione dirimere, et statuere quo potissimum tempore, quibus in rerum adiunctis, quibusque verborum formulis sit definienda, neque eiusdem anteverti iudicium a privato quopiam theologo sine insigni temeritate posse. Quod ergo toto in hoc opere nobis ipsimet praestituimus, cum in definitionis causas inquisivimus, illud unum fuit ut ipsam quaestionem *in se ac theoretice*, ut aiunt, examinaremus.

Res in se ac theoretice spectatur.

Hasce vero causas expendere pro virili atque in omnes versare partes, ne quid veritatis latens maneat, quod in lucem non proferatur, nemo prudens perquam utile esse negaverit.

(1) Ad appendicem.
(2) Tract. 6 in Ioan. n. 5.

Nulla est ea quae dicitur incuria.

Neque vero illud cum veritate consentire putandum est, quod confidenter affirmatur, neque privatos quosque, neque reges, neque principes, neque episcopos curare admodum, ut pia de immaculato Deiparae conceptu sententia pontificio firmetur decreto. Sed ponamus id esse verissimum; demus et christianorum animos teterrima illa sacrarum rerum incuria quam vulgo *indifferentiam* nuncupant, tamquam peste afflatos, nihil esse de hac definitione sollicitos; demus regum studia alio esse conversa; demus etiam, si placet, episcoporum plerosque aliis curis oppido gravissimis in tanta hac temporum acerbitate distentos atque districtos, nihil de nostra hac controversia cogitare: quid tandem inde erit consequens? Illud videlicet, quod adversarii nostri minime volunt, nihil posse hac definitione opportunius accidere.

Verum et hac incuria concessa, definitio interveniret opportuna.

Et re sane vera, uti quos veternus forte aliquis oppresserit, nullum esse praesentius remedium putatur, quam eos excutere atque excitare; ita ad renovanda pietatis studia, et ad christianorum animos, si quidem omnes fere gravis ille torpor aut somnus, quem dictitant, pervasisset, erigendos, praevalido aliquo impulsu opus esse cordatus quisque necesse est fateatur. Atqui huic morbo tam periculoso, tam longe lateque pervagato nullum eo praesentius, quod supra memoravi, afferri posse remedium putarem. Non enim extincta est, sed adhucdum in populorum animis viget erga Sanctissimam Dei Matrem pietas, quae numquam non habita est uti tessera ac nota, qua catholica Ecclesia fallacibus a sectis certissime dignosci possit atque secerni. Mihi vero persuasissimum est, si Deiparae decus tam eximium, tamque singulare pontificio decreto asseratur, fore ut omnium pectora vehementissimo illius amore incendantur atque inflammentur, eaque morum conversio sit consecutura, quam germanae in Deiparam observantiae fructum esse certissimum magistri pietatis unanimi consensu tradunt, superiorum aetatum exempla testantur, hodieque experientia confirmat. Quis porro dubitabit, quin eiusmodi definitio cum tanto christianorum populorum coniuncta emolumento pia ad se sacrorum antistitum, principumque catholicorum studia sit conversura? Quamquam igitur adversariis darem, minimum christianis curae esse ut immaculatus Dei Matris conceptus dogmatico firmetur decreto, neutiquam efficerent aetatem hanc nostram parum esse huic dirimendae controversiae opportunam.

Sollicitudo plurium episcoporum.

Verum non ita se res habet, ut adversariis arguari placet. Quis enim ignorat, sacrorum antistites ex orbe fere universo supplices libellos apostolicae Sedi obtulisse, ut liceret ea verba usurpare in missae praefatione: *Et te in conceptione immaculata*; lauretanis vero quas dicunt litaniis ea verba apponere: *Regina sine labe originali concepta*: eorumque antistitum numerum in dies adhucdum magis augeri?

Religiosorum Ordinum.

Nihilo vero remissius aut etiam fortasse vehementius idipsum postularunt religiosi Ordines sane plurimi (1):

Principum.

idipsum non pauci efflagitarunt reges ac principes germane catholici, quibus pro eo quo Deiparam venerantur obsequio, nihil optatius dogmatica illa definitione posset contingere.

Et Christifidelium universe.

Quemadmodum autem populorum animos immaculatus Deiparae conceptus afficiat, non est cur explicem pluribus; quandoquidem hoc nomine privatis in precibus eam decorant frequentissime, in publicis vero sacris ipsi ministris *Reginam sine labe originali conceptam* invocantibus laetissime concinunt. Pervulgata haec sunt atque eiusmodi, quae in omnium oculos facile incurrant, ac dogmaticum de quo disserimus decretum omnium ordinum gratulatione ac laetitia exceptum iri vel moroso cuique non suadeant modo, sed persuadeant.

Omnibus optata accideret haec definitio

Tantus profecto est in hominibus innatus veritatis amor, ut illam assecuti magna afficiantur voluptate, idque tunc etiam cum neque fructibus ullis aut emolumentis, utilitatibusque alliciuntur, ipsa rerum nobilitas atque praestantia ad illius cognitionem eos invitat. Egregie, ut solet, Augustinus: *Quid fortius desiderat anima, quam veritatem?* (2) Quidni ergo ea qua de loquimur definitio, piis omnibus catholicis accidat iucundissima? et sane cui laetandum non sit cum perspiciat, firmitate qua maior in terris haberi nequit, illam constabiliri sententiam, de qua pios omnes vidimus sollicitissimos; quae pietati erga Deiparam fovendae confert tantopere; quae saeculis elapsis tot nobilissima torsit ingenia? quis aut est aut esse potest Matris amantissimae laudum tam negligens, qui non sit exultaturus laetitia, et prope gaudio triumphaturus, cum intelligat immaculatum eiusdem conceptum ita fuis-

se tandem assertum, et vindicatum, ut dubitationi locus superesse iam possit nullus? nonne ita natura sumus homines comparati, ut quae decora et ornamenta in eum conferuntur quocum magna nobis benevolentia intercedit, ea magnopere ad nos pertinere propemodum arbitremur, quodque eidem gratum esse novimus, id nostros animos non minori fortasse voluptate perfundat? Iam vero etsi plurima sunt, quae honorificentissime de Virgine praedicantur, haud scio tamen, hoc unum si exceperis, quod Dei Mater appelletur et sit, haud scio, inquam, an aliquid in maiorem eius laudem cedat, quam quod ne minimum quidem labia in suo conceptu contraxerit.

B. Virgini perhonorifica.

Quid est enim ad laudem praeclarius, vel ad gloriam luculentius quod singularem Dei in suam Genitricem benevolentiam manifestet? Ceteri quidem homines, cum iacerent, erecti sunt; cum certo interiissent naufragio, tumultuosis e fluctibus erepti; cum gravissimo servitutis iugo premerentur, in libertatem sunt vindicati. At enimvero Mariam non iacentem et prostratam Deus suscitavit, sed ipse, ne corrueret, sustentavit et fulsit; non procellis iactatam et iam demersam liberavit, sed ne naufragium ipsum subiret, ipse sua manu prohibuit; non iugum ab eius cervice depulit, sed humani generis hostem infensissimum pedibus eius nequidquam reluctantem subiecit. Sed piget me diutius in re perspicua, atque aperta immorari, et ratiocinando colligere quo pium quemque animo in marianam esse conceptionem deceat. Quod enim omnes animo sint optimo, satis luculenter patet consideranti, quo studio nitantur sacrum eidem conceptui diem sancte transigere, atque ieiunia instituant, precibus et obsecrationibus vacent, animique sordibus salutari confessionis lavacro detersis ad mensam dominicam confluant frequentissimi.

Nullum periculum ex definitione pertimescendum.

At si haec vera sunt, ut sunt certe verissima, non illud dumtaxat effecimus, hanc scilicet definitionem magnopere curae esse catholicis; sed illud praeterea evicimus, nullum scilicet impendere periculum, ne discordiae excitentur ac turbae. Res enim eo deducta est, ut seriae contentioni locus vix esse possit. Quin et hoc mihi videtur affirmari posse verissime decretum istud iis omnibus gratissimum fore, qui sanctum Virginis natalem credunt et confitentur, catholicis videlicet universis. Id quod non ideo affirmo, quod natalis sanctitatem cum sanctitate conceptus connecti necessario existimem, ab illoque pendere. Quis enim neget, ab originali labe, siquidem eam Virgo contraxisset, in utero matris, quod de Ioanne praecursore factum accepimus, detergi potuisse? Sed tamen cum natalis sanctitas non firmiori nitatur fundamento quam quo conceptus sanctitas vindicatur, hac semel dogmatice constituta, quivis per se facile intelligit, ipsam natalis sanctitatem firmari et asseri, atque adeo dotes simul egregias, quibus catholici theologi Deiparam supra quam dici aut concipi possit, locupletissime ornatam agnoscunt et confitentur.

Cederet etiam in illorum favorem qui virginei ortus propugnant sanctitatem.

Atque ista quidem quae hactenus disputavimus, etsi eiusmodi sunt, quae ad hanc edendam definitionem permovere vehementissime videantur, tamen quae dicenda restant, multa sunt graviora. Ex quibus nihilominus hoc unum commemorabo, definitionem istam plurimum emolumenti atque utilitatis (contra atque nostrae sententiae adversarii extremo loco ponebant) Ecclesiae universae esse allaturam. Nam Sanctissimam Dei Matrem vel minima quaeque obsequia atque officia cumulatissime remunerari, catholicorum nemini non est persuasissimum. Quid est igitur, quod Ecclesia ab eadem Dei Matre iure optimo expectare non debeat, illo edito decreto ex quo tantum gloriae in illam necesse est redundare? enimvero dubium esse potest, quin ea, quae populi christiani nullo non tempore fuit patrona salutaris columenque firmissimum, cuius opem et praesidium nemo unquam frustra imploravit, a qua haereseum omnium monstra devicta ac profligata sunt, eamnam, inquam, dubium esse potest, quin hoc inusitato obsequio permota catholicam Ecclesiam, tot undique acerbissimo hoc tempore septam et vallatam periculis, singulari studio tutandam et defendendam suscipiat? Non diffiteor equidem, Ecclesiam ipsam aetate hac nostra, frustra obnitentibus eius hostibus, propagari latissime, et fructus edere uberrimos; at illud etiam video, acatholicos qui undique illam circumstant, omnia moliri, omnes exserere vires, ut eam, si fieri possit, qua vi, qua fraudibus concutiant, subruant, labefactent. Quo ergo illi validius atque acrius student nefaria struere consilia atque perficere, eo magis Reginae clementissimae ope et praesidio indigemus, ut impios eorum impetus retundamus. Quamquam vota nostra tam angustis terminis definiri non decet; sed sperandum est, vel confidendum potius, fore ut auspice ac duce Dei Matre Sanctissima, victricia signa in ipsa inferamus adversariorum castra, eorumque animos vi veritatis perculsos tandem aliquando expugnemus. Quod quidem victoriae genus est tum nobile in primis atque praeclarum, cum vero etiam aetate hac nostra frequentissimum: ut aperte testantur viri plurimi, multisque nominibus insignes, qui ubique terrarum, sed in Anglia praesertim, in America et Germania, abiuratis sectarum erroribus, romanae Ecclesiae nomen dederunt. Optandum propterea est, atque omnis precibus a Deo postulandum, ut quorum mentibus adhuc tenebrae offusae sunt, horum etiam oculos splendor veritatis percellat.

In bonum cederet Virginem colentium atque adeo Ecclesiae universae.

Id vero esse nos a Deo Optimo Maximo impetraturos, exorata Virgine in suo conceptu intaminata, non coniiciendo solum affirmamus, sed pignus etiam certissimum tanti beneficii hisce temporibus nacti sumus. De illa loquor sodalitate percelebri quae ad impiorum animos a scelerum contagione liberandos salutari prorsus consilio instituta immaculatum Cor Virginis praecipuo cultu, atque obsequio veneratur; idque tam laeto exitu, ut plurimos ubique gentium homines flagitiosos ac perditos a vitiis atque impietate ad honestatem pietatemque traduxisse ac porro in dies traducere eiusdem sodalitatis annales probent luculentissima (1). Quid igitur sperandum non est, cum animi catholicorum dogmatico hoc decreto de immaculato Virginis conceptu inflammati ardentiori pietatis sensu ad eandem confugient?

Comprobatur experimento celebris sodalitatis in honorem Virginis immaculatae in Galliis institutae.

At enimvero, dum isthaec scribo, videor mihi audire qui clamitant, superstitionem hanc esse, non religionem: neque ab alio haec proficisci potuisse, nisi ab eo, qui aestui pietatis improvido, atque *enthusiasmo*, ut nuncupant, laxissimas permittat habenas. Quidnam his ego non argumentis, sed conviciis respondebo? Hoc unum nempe: si superstitiosum est et animi non satis providentis singulari prosequi affectu immaculatum Deiparae conceptum, et optare vehementissime atque etiam postulare ut a supremo Ecclesiae moderatore dogmatica asseratur definitione: non tanquam in unum de multis haec in me convicia convenire, sed singulari plane ratione confiteor: tantum enim abest ut ea molesta feram, ut maximae potius mihi laudi illa ducam. Nam et illud Virginis decus veneror quam qui maxime, eiusdemque definitio ita mihi est in optatis, ut summopere cupiam ad illum me diem beatissimum reservari, cum tantum ad eamdem Virginem ornamentum tantusque honor accedet. Hanc enim definitionem tandem aliquando editum iri, nullus dubito; ipsaque rei exspectatione mirifice recreor, et maxima laetitia perfundor.

Propulsatur *enthusiasmi* incriminatio.

Haec sunt quae mihi visum est de tota hac controversia disputare; de qua cum in theologicis praelectionibus propositus mihi finis certam thesim constituere non sineret; ne cui suspicio oboriretur me animo haerentem quoad immaculatum Mariae conceptum fuisse, volui qualecumque hoc meae erga illam pietatis et observantiae monumentum posteritati commendare. Quem quidem laborem a me Virginis immaculatae causa susceptum oro, ut ipsa benignissima Virgo propitia ac volens respiciat, in cuius fidem ac tutelam totum me tradidi meaque omnia, quamque uti Matrem amantissimam diligo, et cuius suavissimo adspectu me aliquando recreatum iri confido in perpetuas aeternitates.

Scriptoris votum.

(1) Consule sis *Annales de l'Archiconfrérie du très-saint et immaculé coeur de Marie, publiés par M. l'abbé Dufriche-Desgenettes curé de la paroisse de Notre-Dame des Victoires a Paris et recteur de l'Archiconfrérie*, Paris 1841, 1842, 1843, 1844 etc.

Digitized by Google

INDEX

DISQUISITIONIS THEOLOGICAE

I. PERRONE

PROEMIUM . . . . pag. 463

PARS PRIMA *Historico-Critica*. 465

CAPUT I. — *De controversiae origine*. . . . . . . ib.

CAPUT II. — *De controversiae progressu post s. Bernardi obitum usque ad Ioannem Scotum*. 466

CAPUT III. — *Controversiae status a Scoto usque ad Concilium tridentinum* . . . . ib.

CAPUT IV. — *Controversiae status a tridentina Synodo ad nostra usque tempora*. 469

CAPUT V. — *Testimonia biblica quae piae sententiae de immaculata B. Virginis conceptione adversari videatur*. 470

CAPUT VI. — *Sanctorum patrum atque scriptorum ecclesiasticorum testimonia quae videntur immaculatae Virginis conceptioni adversari* 471

CAPUT VII. — *Quae ex antiquae Ecclesiae sensu adversus immaculatum Virginis conceptum videntur peti posse* 473

CAPUT VIII. — *Argumenta theologica ad impugnandam immaculatam B. Virginis conceptionem afferri solita*. ib.

CAPUT IX. — *Biblica testimonia quae ab immaculati conceptus patronis adduci solent* 474

CAPUT X. — *Patres qui ad Augustinum usque pro pia sententia decertare videntur* 475

CAPUT XI. — *Patres et scriptores ecclesiastici recensentur qui ab Augustino ad Bernardum usque immaculato B. Virginis conceptui favere visi sunt* . . . 477

CAPUT XII. — *Quae e sacris liturgiis pro immaculata B. Virginis conceptione adducuntur*. 479

CAPUT XIII. — *De Ecclesiae sensu circa immaculatum B. M. Virginis conceptum*. 481

CAPUT XIV. — *Argumenta theologica, quae a piae sententiae propugnatoribus proferuntur*. . . . . . . ib.

CAPUT XV. — *Eorum quae utrimque allata sunt* Epicrisis 483

§ . — *Argumenta biblica pro utraque sententia expenduntur*. . . . . ib.

§ II. — *Patrum atque scriptorum ecclesiasticorum testimonia, quae alterutri placito favere videntur, conferuntur simul atque expenduntur* . . . . pag. 484

§ III. — *Quid de germano Ecclesiae sensu circa Beatae Virginis conceptionem sentiendum videatur, disquiritur* 487

§ IV. — *Theologica utriusque sententiae argumenta conferuntur atque expenduntur* 488

CONCLUSIO 490

PARS SECUNDA *Theologico-Critica* 492

CAPUT I. — *De conditionibus ad dogmaticam alicuius doctrinae definitionem necessariis*. 493

CAPUT II. — *De ratione qua eiusmodi conditiones compleri queunt* 495

CAPUT III. — *De fidei decretis quovis tempore editis iuxta constitutam rationem* 497

CAPUT IV. — *De immaculata Virginis conceptione quoad eius dogmaticam definitionem*. 498

CAPUT V. — *De scholasticorum placitis* 500

CAPUT VI. — *De variis theologorum placitis circa dogmaticum decretum de immaculato Virginis conceptu* . 504

§ I. — *Argumenta theologorum asserentium immaculatum B. Virginis conceptum posse definiri* . . . . ib.

§ II. — *Argumenta theologorum negantium definiri posse immaculatum B. Virginis conceptum* 506

§ III. — *Collatio atque Epicrisis argumentorum quibus theologi vel propugnant vel impugnant piam de immaculato Virginis conceptu sententiam definiri dogmatice posse*. 507

§ IV. — *Possibilitas immaculati conceptus dogmatice definiendi rursus excutitur ac magis firmatur*. . . . 510

CONCLUSIO 514

CAPUT VII. — *De varia edendae definitionis ratione* . 515

CAPUT VIII. — *De causis quae persuadere possunt ut dogmaticum decretum de immaculato Virginis conceptu re vera edatur* 516

Digitized by Google

B. ALBERTI MAGNI

EPISCOPI RATISBONENSIS

ORDINIS PRAEDICATORUM

BIBLIA MARIANA

INCIPIT LIBER GENESIS

IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS COELUM ET TERRAM

1. Coelum, scilicet empyreum, per quod intelligitur Domina mundi, Virgo Maria. Est enim similis coelo multis de causis, quarum non ponitur in historia. Empyreum etenim quam cito factum est, statim dispositum est, ornatum est, quod non alii coeli. Sic ipsa in gratia et sanctificatione. Require in titulo *de coelo*.

2. Ipsa etiam dicitur lux. Gen. 1: *Tenebrae erant super faciem abyssi*. Glossa: *Tenebrae* ignorantiae et caecitatis *super faciem* cordis humani. *Dixitque Deus: Fiat lux*, id est Maria generetur et nascatur. Glossa: Ab aeterna luce primo fiat temporalis lux, ut per eam cetera videantur. Lux enim a lucendo dicitur, id est purgando tenebras haereticorum, et peccatorum. *Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona*. Lux enim multa bona facit. Require in titulo *de luce*, et adapta. *Appellavitque lucem diem*, id est Mariam, hoc nomen ei est in aeternum. Ipsa enim optime dies dicitur, et Eva nox. Glossa: Deus a luce opera sua inchoavit.

3. Ipsa etiam est terra fructificans, Gen. 1, id est Christum in nativitate. Glossa: Pabulum verbi opera misericordiae. *Lignum que faciens fructum:* ipse enim Iesus fuit herba viridis in nativitate, lignum vero *faciens fructum* in passione.

4. Ipsa est etiam dies completionis operum Domini. Gen. 2: *Complevit Dominus die septima opus suum quod fecerat*. Glossa: Quia ipsam benedixit et sanctificavit. *Opus* enim *suum* est benedictio et sanctificatio. *Et requievit ab omni opere, quod patrarat*. Glossa: Quia creaturis rationalibus in se requiem dedit.

5. Ipsa est fons irrigationis peccatorum per peccatum aridorum. Genes. 2: *Fons*, id est Maria, *ascendebat*, in nativitate quando nata fuit, vel in assumptione *de terra* miseriae et tenebrarum, *irrigans* gratia, venia, gloria, *universam superficiem terrae*.

6. Ipsa est etiam paradisus plantationis. Gen. 2: *Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis*, id est Mariam, *a principio, in quo posuit hominem*, id est Christum, *quem formaverat*, in quantum est homo, in incarnatione. Glossa: Paradisus est hortus deliciarum, qui factus est remotis aquis a superficie terrae, et est altus locus, quia aquae diluvii illuc non pervenerunt. Nota de sanctificatione eius.

7. Ipsa est fluvius iucunditatis. Genes. 2: *Fluvius*, id est affluentia aeternae iucunditatis, *egrediebatur*, scilicet in nativitate, *de loco voluptatis*. Glossa: A paterno fonte, *ad irrigandum paradisum*. Glossa: id est Ecclesiam. *Nomen uni Phison*. Glossa: id est oris mutatio; quia mutavit nobis os severitatis in os benignitatis. *Nomen fluvii secundi Gehon*. Glossa: id est hiatus terrae, quia in se ampliavit et dilatavit per desiderium sanctorum. Hiatus est ad percipiendam pro nobis abundantiam gratiarum, insuper et nos hiare facit, et Filium suum ad nos. *Nomen tertii Tigris*. Glossa: id est velocitas in auxilii subventione, in consolationis exhibitione, pro peccatoribus ad Deum interpellatione. *Quarti Euphrates*. Glossa: id est frugifera in omni gratiarum repletione, et quantum ad nos largissima communicatione.

8. Ipsa est etiam adiutrix nostrae redemptionis. Gen. 2: *Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius:* quia *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*, psal. 13. *Dixit ergo Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum*, id est Christum. *Faciamus ei*, creando et in mundum producendo, *adiutorium simile sibi*, id est Mariam.

9. Ipsa etiam est contus contritionis diaboli. Gen. 3: *Inimicitias ponam*, magnas et implacabiles, *inter te et mulierem: ipsa conteret caput tuum*. Glossa: Quod est mors.

10. Ipsa est etiam mater vitae. Gen. 3: *Vocavit Adam nomen uxoris suae Evam, eo quod esset mater cunctorum gentium*, id est eorum bene operantium, quibus contraria sunt peccata quae dicuntur mortalia.

11. Ipsa etiam est arca salvationis. Genes. 6: *Dixit Dominus ad Noe: Finis universae carnis venit coram me*. Glossa: id est omnium mortalium, praeter eos, qui salvandi erant in arca. *Fac tibi arcam*, id est Mariam, quod respicit eius nativitatem, *de lignis laevigatis*, id est quadratis, et bituminatis, et politis, ne quid inhaereat (haec nota de sanctificatione eius) et fortibus, et insolubilibus, ut nec vi ventorum, nec inundatione solvatur. Talis est Domina nostra. *Mansiunculas in arca facies*. Glossa: Diversos ordines vitae: ipsa enim habet ordines coniugatorum, viduarum, virginum. *Et bitumine*, id est dilectionis ardore, *linies intrinsecus*. Glossa: Ne dissolvatur intus vel foris. *Fenestram in arca facies*, id est ad emittendum corvum vel columbam. Haec fenestra dicitur diluculum meridianum, dicitur et crystallina. *Et in cubito consummabis summitatem eius*. Glossa: Cubitus unus caritas est. *Bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere*. Glossa: Ne diluvio pereant.

12. Ipsa etiam post Deum est principium omnis gratiae in nobis. Genes. 7: *Ingressus Noe*, id est Christus, *in arcam*, id est in uterum Virginis Mariae, quod factum est in incarnatione, *rupti sunt omnes fontes*, id est gratiarum abyssi magnae, quando gratiarum diluvium Mariae inundavit, et diabolus est submersus, et peccata deleta.

13. Ipsa etiam per adventum suum in mundum, quando nata est, *ramum olivae*, id est pacis inter nos et Deum attulit. Genes. 8: *Columba*, id est Maria. Quare columbae comparetur, *venit ad vesperam*, scilicet in fine mundi, *ad Noe, portans ramum olivae*, id est pacis inter nos. Glossa: Refectionis et luminis. *Virentibus foliis in ore suo*, quando dixit: *Ecce ancilla*, Lucae 1. *Et intellexit Noe, quod cessassent aquae*, indignationis et furoris Dei, *super terram*.

14. Ipsa etiam altare propitiationis est, et placationis Dei. Gen. 8: *Aedificavit Noe altare Domino*, id est Mariam, *et obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait: Nequaquam ultra maledicam terrae propter homines. Non igitur ultra percutiam*. Glossa: Temporali iudicio, *omnem animam viventem, sicut feci:* sed Maria precante parcam omni veniam quaerenti.

Digitized by Google

15. Ipsa est etiam signum securitatis formidoloso peccatori. Gen. 9: *Hoc est signum foederis, quod do inter me et vos, arcum meum.* Glossa: Qui habuit duos colores, caeruleum extrinsecus, et igneum intrinsecus. Hoc pono nubi signum securitatis in nubibus coeli, ne homines formidolosi timeant altero deleri diluvium pluviarum. Arcus non est, nisi ex radiis solis, et humida nube. *Cumque obduxero nubibus coelum, apparebit arcus meus,* id est Maria, *in nubibus, et recordabor foederis mei, et non erunt ultra aquae diluvii ad delendum universam carnem*, id est peccatores.

16. Ipsa etiam est humilitatis nostrae exaltatrix, quia soror et neptis nostra est. Gen. 12: *Abraham cum ingrederetur Aegyptum, dixit Sarai: Novi, quod pulcra sis mulier, et Aegyptii interficient me, et te reservabunt. Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui.* Et in fine cap. 20: *Hanc misericordiam facias mecum, in omni loco dices, quod frater tuus sim.*

17. Ipsa etiam vocatur mater gaudii, et exultationis. Gen. 21: *Visitavit Dominus Saram*, id est Mariam. Glossa: Quae interpretatur princeps. *Et implevit quae locutus est*, id est per prophetas. *Peperitque filium in senectute sua.* Glossa: Id est novissimis temporibus Christum. *Vocavitque Abraham nomen filii sui Isaac*, id est gaudium, quia in nativitate Christi gavisi sunt pastores et angeli, Luc. 2. *Dixitque Sara*, id est Maria, *risum fecit mihi*, sed Eva planctum, *quicumque audierit* peccator, iustus, angelus, *corridebit mihi*, id est congaudebit, quia peperi angelis laetitiam, iusto gratiam, peccatori veniam. *Rursumque ait: Quis auditurus crederet, quod Sara*, id est paupercula Maria, lactet filium Abraham: lactem eum, qui lactat omnia: portem eum, qui portat omnia. Glossa: Haec est commendatio gratiae.

18. Ipsa etiam est princeps omnium creaturarum quantum ad defensionem, cohortationem et commissionem. Gen. 17: *Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai*, id est princeps mea, et quasi unius gentis, *sed Saram*, id est princeps absolute, quasi omnium princeps. Dicet enim huic: *Vade et vadit, et huic: veni, et venit*, Luc. 5. *In uno tantum regni solio te praecedam, absque tuo imperio nullus movebit manum aut pedem*, Gen. 41.

19. Ipsa etiam est fontis vitae haustorium, et animarum sitibundarum refocillatrix. Gen. 24: *Rebecca*, quae interpretatur patientia, id est Maria, *egrediebatur*, scilicet in nativitate, quando nata est, *habens hydriam in scapula sua.* Glossa: Verbum Dei humiliter susceptura, *puella decora nimis, virgoque pulcherrima et incognita viro. Descenderat autem ad fontem.* Glossa: Vitae, ad quem se inclinaverat hauriendum, *et impleverat hydriam*, cordis, gratia, venia, gloria. *Dixitque servus ei: Pauxillum aquae mihi ad bibendum.* Glossa: De salute animae, *praebe de hydria tua*, quia de mundi hydria hausi vanitatem, de hydria diaboli iniquitatem. *Quae respondit: Bibe Domine. Celeriterque ei dedit potum, et adiecit. Quin et camelis tuis hauriam aquam* gratiae, veniae, laetitiae, *donec cuncti bibant.* Cant. 5: *Bibite et inebriamini carissimi* etc. Haustum igitur omnibus camelis dedit, unde et largissima est.

20. Ipsa est etiam vagantium animarum hospitatrix. Gen. 24: *Dixit Eliezer ad Rebeccam: Cuius es filia? indica mihi. Est in domo patris tui locus ad manendum? Quae respondit: Filia sum Bathuelis, palearum quoque, et foeni plurimum est apud nos, et locus spatiosus ad manendum.* Glossa: Per latitudinem caritatis. *Et ait Laban frater Rebeccae: Ingredere, benedicte Domini. Cur foris stas? Preparavi domum et locum camelis tuis. Et introduxit eum in domum.* Rebecca etiam Maria, frater Rebeccae Christus, qui nos in regnum introduxit.

21. Ipsa etiam est sponsa et mater propitiationis, quam praeparavit ab aeterno, Filio in matrem, reo in reconciliationem, iusto in praemium. Gen. 24. *Dixit Eliezer: Veni ad fontem aquae, et dixi: Virgo, cui dixero: da mihi pauxillum aquae ad bibendum ex hydria tua; et illa dixerit mihi: Et tu bibe, et camelis tuis hauriam: ipsa est mulier quam praeparavit Dominus filio domini mei.* Unde ipsa dicere potest: *Ab aeterno ordinata sum*, Prov. 8.

22. Ipsa etiam est soror nostrae professionis, defensionis, fidelitatis, et exaltationis. Gen. 24: *Dimiserunt ergo eam*, scilicet quando assumpta est a nobis in coelum, imprecantes prospera sorori suae, dicentes: *Soror nostra es*, ex humanitate, fidelitate, et dignitate, *crescas in mille millia*, ultra omnes choros angelorum ascendendo, *et possideat semen tuum*, id est nos vermiculi, *portas* empyrei, *inimicorum suorum*, daemonum, qui inde eiecti sunt.

23. Ipsa est etiam aeternae benedictionis procuratrix. Gen. 27 dixit mater Rebecca ad Iacob: *In me sit ista maledictio, fili mi, tantum audi vocem meam*, monentis, consulentis, vocantis: *et pergens affer quae dixi*, si quo modo hanc benedictionem promerearis. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.* Glossa: Pleni virtutibus, cui *benedixit Dominus: Det tibi Deus de rore coeli.* Glossa: Id est de contemplatione, *et de pinguedine terrae*, bonorum operum, *abundantiam*, scilicet *frumenti*, caritatis, *et vini*, fervorem Spiritus sancti, *et olei* misericordiae. Haec tria perfectissime in se habuit B. Virgo et illa etiam nobis procurat.

24. Ipsa etiam est scala ascensionis de culpa ad gratiam, de mundo ad coelum. Gen. 28: *Vidit Iacob in somnis scalam*, id est Mariam. Per eam enim descendit Filius Dei ad nos, et nos per eam ad eum. *Stantem super terram*, licet sedeat in throno, ad proficiendum tamen peccatoribus vicina est, *et cacumen illius tangens coelum*, quia licet humillima sit, sublilissima tamen est, in ipsam Trinitatem attingens. *Et angelos Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalae*, ex ea carnem sumendo, nos per eam ad se trahendo.

25. Ipsa etiam est porta regni, et nostrae ingressionis in regnum. Gen. 28 Iacob ait: *Vere Dominus est in loco isto. Terribilis est locus iste*, daemonibus, amabilis hominibus, delectabilis Deo. *Non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli*, quia inde aditus est ad regnum coelorum.

26. Ipsa etiam est aurora illuminationis. Aurora est lux infusa vapori terrestri. *Dicit angelus ad Iacob: Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Iam ascendit per nativitatem, in mundo apparendo, vel in assumptione ad coelos pergendo, *aurora*, id est Maria. Et ait: *Non dimittam te*, etc. Et ait: *Israel erit nomen tuum.*

27. Ipsa est etiam plenitudo perfectissima omnium gratiarum post Dominum. Gen. 41: *Septem spicae.* Glossa: Id est spiritualia dona, *pullulabant in culmo uno*, id est, Maria, *plenae atque formosae*, quibus larga pietate redondaret.

28. Ipsa est etiam hortus sanctitatis contra faucem mortis. Gen. 41: *Provideat Rex*, id est Deus Pater, *virum sapientem et industrium*, scilicet Filium suum Christum, *et praeficiat eum* secundum humanitatem *terrae Aegypti*, idest mundo, *qui per septem annos fertilitatis*, scilicet tempore gratiae, *congreget omnem frumentum* gratiarum, *in horreum*, totius aeternitatis, id est Mariam, *et praeparetur futurae septem annorum fami, quae oppressura est Aegyptum.* Quae scilicet erit in gehenna. *Aperuitque Ioseph*, id est Christus, *universa horrea*, scilicet Mariam in annuntiatione, quae plena est secundum dicta Gabrielis. Luc. 1: *Ave gratia plena*, in passione seipsum, in ascensione coelum empyreum. *Et vendebat Aegyptiis.* Glossa: Pretio salutis eorum. *Quod audiens Iacob dixit filiis suis: Quare negligitis?*

29. Ipsa est etiam terra sacerdotalis, scilicet Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quae semper libera fuit, et est a conditione actualis peccati tam venialis, quam mortalis. Item Gen. 48: *Dixit Iacob*, id est Deus Pater, *ad Ioseph*, id est ad Christum. *Do tibi partem unam*, id est Mariam, quae acceptae actionis in omnibus est, *quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo.* Nota hic de sanctificatione eius.

30. Ipsa est etiam mater benedictionis. Genes. 49: O Maria, *Deus patris tui erit adiutor tuus*, supra et infra, intus et extra, a dextris et a sinistris. *Et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus coeli desuper.* Glossa: Subiciens tibi omnia coelestia et terrestria, ut angelis et hominibus domineris. *Benedictionibus abyssi iacentis deorsum*, ut et in Purgatorio domineris. *Benedictionibus uberum.* Glossa: Potum lactis Domino ministrantium. *Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum eius.* Glossa: Omnium meritis patriarcharum et prophetarum, ut nullus tibi comparetur.

LIBER EXODI

HAEC SUNT NOMINA FILIORUM ISRAEL

1. Beatissima Domina, Regina coeli, Mater Dei, Exod. 2, dicitur fiscella absconsionis: unde cum iam tempore gratiae, *celare non posset*, scilicet Deus Pater, quia Filium suum a saeculis ab-

Digitized by Google

absconditum mundo manifestaret, *sumpsit fiscellam scirpeam*, id est Mariam, *et liniuit eam bitumine, ac pice, posuitque intus infantulum*, id est Christum in incarnatione; *et exposuit eum in carecto ripae*, ubi eminus accessus est. Expedit enim res aliqua quandoque ad ostendendum, quandoque ad vendendum, quandoque ad dandum. Sic Christus.

2. Ipsa est etiam rubus apparitionis. Exod. 3: *Apparuit Dominus Moysi in flamma ignis de medio rubi*, id est Mariae. *Et videbat quod rubus arderet, et non combureretur.*

3. Ipsa est etiam virga divisionis. Exod. 14: *Quid clamas ad me? Loquere filiis Israel, ut proficiscantur, tu autem eleva virgam tuam*, id est Mariam, per devotionem, *super mare*, omnium tribulationum et tentationum. *Et divide illud.* Glossa: Fluctus contradicentium, *ut gradiantur filii Israel, in medio mari per siccum.*

4. Ipsa est etiam virga concussionis, quae gratiam nobis apud Christum impetrat. Exodi 17: *Sitivit populus prae aquae penuria. Et Dominus dixit ad Moysen: Tolle virgam*, id est Mariam, *percutiesque petram*, id est Christum, ipsum per eam impulsando: *et exibit ex ea aqua, ut bibat populus.*

5. Ipsa est etiam dulcificatrix omnium amaritudinum. Exod. 15: *Non poterant bibere aquas, eo quod essent amarae.* Glossa: Id est tribulationes, sed Dominus *ostendit ei lignum*, id est Mariam, istam habens vim, *quod cum Moyses misisset in aquas, in dulcedinem versae sunt.*

6. Ipsa est etiam vas refectionis. Exodi 16. *Sume vas unum*, id est Mariam, *et mitte ibi Man*, id est Christum Deum et hominem, quod factum est in incarnatione, *ad servandum.* Glossa: In memoriam aeternam.

7. Ipsa est etiam mons habitationis in incarnatione. Exodi 19: *Totus mons Synai*, id est Maria, *fumabat*, gratia et devotione, *eo quod descendisset Dominus super eum in igne*, Spiritus sancti. *Et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace. Eratque mons omnibus terribilis*, scilicet diabolo et omnibus sanctis. Exodi 24: *Habitavit gloria Domini super Synai*, id est, Mariam. Glossa: Id est super mensuram meam vel amphoram meam; ipsa enim et mensura Dei, et nostra est, et amphora libertationis, *tegens illum nube.* Glossa: Divina protectione, *sex diebus.* Glossa: Quia sex diebus operari iubemur.

8. Ipsa est et propitiatorium veniae. Exodi 25: *Facies propitiatorium*, id est Mariam, *de auro purissimo*, quia in utero matris plusquam alii, fuit sanctificata. *Inde praecipiam, et loquar ad te. Facies et mensam, et facies illi labium aureum.* Glossa: Quia omnia nociva et otiosa refutavit. *Et panes super mensam panes propositionis.* Unde et mensa satietatis dicitur.

9. Ipsa est etiam candelabrum illuminationis. Exodi 25: *Facies candelabrum ductile.* Glossa: Malleis passionis. *Et lucernas septem.* Glossa: Septem dona Spiritus sancti, *super candelabrum*, id est Mariam, *ut luceant.* Glossa: Ad illustrandum tabernaculum.

10. Ipsa est velum hyacinthinum, Exod. 26, quo velatus fuit Filius Dei, et nos velamur a diabolo, et peccato, et ira Dei.

11. Ipsa est etiam altare holocausti, quantum ad passionem. Exod. 28. *Et altare thymiamatis*, quantum ad devotionem, et contemplationem, Exod. 30.

12. Ipsa est etiam reconciliatrix, quod officium assumpsit, maxime in coelum ascendens. Unde designat eam Moyses, Exodi 32, qui dixit ad populum qui adoraverat vitulum: *Peccastis peccatum maximum.* Peccastis, dicit Virgo nostra, facillime, stolidissime, verecundissime, multiplicissime, avarissime, insolubilissime. *Ascendam ad Dominum* misericorditer, fideliter, solemniter, *si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro.* Glossa: Quod factum est. Sed nota, quod Moyses orabat ut peccator et servus. Unde et dicebat Ex. 32: *Recordare Abraham, Isaac, Israel.* Ecce quos pro se patres diligenter inducit. Sed Maria orat ut filia, iubet ut soror, imperat ut mater. Libro 3 Reg. 2: *Pete mater mea; non enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Unde in vigilia assumptionis eius orat Ecclesia in secreta, dicens: *Munera nostra apud clementiam tuam Dei Genitricis commendet oratio, quam idcirco de praesenti saeculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat.*

13. Ipsa est etiam tabernaculum repletionis. Exod. 40: *Postquam omnia perfecta sunt*, et scilicet Deus fieret homo, et homo Deus, *operuit nubes*, id est Spiritus sanctus, *tabernaculum testimonii*, id est Mariam. Luc. 2: *Spiritus sanctus superveniet in te*, etc. *Et gloria Domini replevit illud*, id est Christus seipso ad generis humani redemptionem, gratia ad iustorum confirmationem, venia ad eorum reconciliationem, gaudio ad tristium consolationem, *ut non sit qui se abscondat a calore eius*, psal. 18.

LIBER LEVITICI

VOCAVIT DOMINUS MOYSEN ET LOCUTUS EST EI

1. Regina mundi dicitur ostium praesentationis, ad quod omnia peccator praesentari debet. Cap. 1: *Homo qui obtulerit.* Glossa: Voluntarie, *hostiam*, Deo, *ad placandum sibi Dominum, afferet*, primo *ad ostium tabernaculi*, id est ad Mariam. Unde Bernardus sermone de nativitate Virginis: *Quidquid illud est, quod offerre paras, Mariae commendare memento*, etc.

2. Item ipsa est ostium mundationis. Levit. 14: *Leprosus*, id est peccator, *mundatur, ad ostium tabernaculi per agnum*, id est pinguedinem Dei, misericordiam, et gratiam. *Quo asperget sacerdos domum septies.* Glossa. Ut eiiciantur septem daemonia, et ut recipiant Spiritum sanctum.

3. Item ipsa est arbor cibans et obumbrans. Levit 23: *Sumetis vobis fructus*, id est Christi, *arboris pulcherrimae*, id est Mariae, *spatulas palmarum.* Glossa: Id est ramos continentiae et castitatis coniugii. *Et ramos ligni densarum frondium.* Glossa: Omnium virtutum, scilicet fructus, sed maxime misericordiam, quam oportet esse continuam, et permanentem. *Et habitabitis in umbraculis septem diebus.* Glossa: Tota vita pro umbraculo septem dierum habetur.

4. Item ipsa est annus et tempus propitiationis. Levit. 25: *Tempore propitiationis clanges buccina.* Glossa: Quia genus humanum bonitate et clementia a corruptione liberatur, quibus in Adam dictum est. *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Gen. 3; *Et annum quinquagesimum*, id est Mariam, *vocabitis remissionem*, Glossa: Omnium peccatorum, omnium laborum; *cunctis habitatoribus terrae*, non solum coeli, sed et terrae. *Revertetur enim homo*, scilicet peccator, *ad possessionem suam.* Glossa: Paradisum, *et ad familiam pristinam.* Glossa: Patriarcharum et prophetarum.

5. Item ipsa est tabernaculum unionis inter nos et Deum. Levit. 26: *Ponam* firmiter *tabernaculum meum in medio vestri.* Tabernaculum, id est Mariam, quod est *meum* sanctitate, *meum* firmitate, *meum* fidelitate, *meum* amplitudine, *meum* largitate, et hoc *in medio vestri*, quia communis est. *Et non abiiciet vos anima mea.* Glossa: Audeo, et dico, quia *anima* Dei Christus est. Ac si dicat: Non abiiciet vos Filius meus. *Ambulabo inter vos.* Glossa: Homo factus. *Et ero Deus vester*, protegens, liberans, salvans, coronans. *Vosque eritis populus meus*, me timendo ut Dominum, me amando ut Deum, me laudando ut Creatorem.

LIBER NUMERI

DOMINUS LOCUTUS EST AD MOYSEN

1. Regina mundi, Domina coeli, Mater Dei dicitur Mater occultationis, et involutionis; involvit enim Filium Dei nostra humanitate, peccatores miseratione, iustos et servos Dei protectione. Numer. 4: *Sument pallium hyacinthinum*, id est Mariam. Nota officium pallii, et Virgini adapta. *Et operient candelabrum*, id est Christum in incarnatione. *Et omnia vasa quibus ministratur in sanctuario*, id est omnes servos Christi, qui serviunt Deo, *involvent hyacinthino vestimento*, quia ipsa proteget omnes servientes Filio suo.

2. Ipsa est etiam tabernaculum peccatorum, quod sanctificatum est ad aliorum emundationem: quod completum est ad pauperum ditationem: quod erectum est ad abiectorum exaltationem. sanctificatum in conceptione et in nativitate: completum in Filii Dei incarnatione: erectum in ipsius gloriosa assumptione. De his tribus Num. 7, *Moyses*, id est Christus, *in die, qua implevit tabernaculum*, ipsam omni gratia replendo. Luc. 2: *Ave gratia plena. Et erexit illud.* Glossa: Gloria spirituali. Et c. 9: *Die, qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes.* Glossa: Incarnatio Christi, cuius clementia *tabernaculum* Ecclesiae protegit, bonitas disponit, prudentia in via huius saeculi transitum dirigit.

3. Item ipsa est nubes umbrationis et ductionis. Numer. 10:

Digitized by Google

Elevata est nubes, Maria. Require de nube. *Elevata*, inquam, in assumptione *de tabernaculo foederis*, id est militante ecclesia. *Et recubuit nubes in solitudine Pharan*. Glossa: Quod interpretetur onager, vel fortilitas. *Et moverunt castra filii Israel per turmas suas*. Nihil enim aliud restat, nisi eam sequi. Unde Ecclesiastici 24: *Transite ad me omnes*, etc. Et nos clamare debemus: *Trahe me post te*, Cant. 4.

4. Ipsa item tanquam arca foederis praecessit nos in coelum ad praeparandum nobis locum. Num. 10: *Arca foederis Domini*, id est Maria, *praecedebat eos*, quod factum est in assumptione, *per dies tres, providens locum castrorum. Et nubes Domini erat super eos per diem, cum incederent*. Glossa: Protectio divina, id est Spiritus sancti gratia, electos ab initio defendit, et ad futuram quietem custodit.

5. Item ipsa est tuba convocationis ad veniendum, tuba hortationis ad bellandum, tuba iubilationis ad epulandum. Num. 10: *Si semel clangueris tuba, venient ad te principes, si prolixior clangor fuerit, castra movebuntur. Si exieritis ad bellum, clangetis tuba, quando habebitis festum et epulum*.

6. Item ipsa est tabernaculum protectionis in omni tribulatione. Num. 16: *Moyses et Aaron fugerunt ad tabernaculum, cum vellet eos omnis multitudo occidere: quod cum ingressi sunt, operuit illos nubes, et apparuit gloria Domini*. Glossa: Discamus ex hoc, quanta sit utilitas christiania, quomodo protegat eos Deus in tribulatione. Tunc enim adest gratia Dei, cum hominum saevitia concitatur. Et quamvis sancti magni meriti sint, non apparet eis gloria Domini, nisi in periculo, et pene in ipsa morte.

7. Item ipsa est virga florens. Num. 17: *Moyses invenit in tabernaculo Domini germinasse virgam Aaron*, id est Mariam; quod factum est, cum peperit Filium, Virgo manens, *et turgentibus gemmis flores eruperant, qui dilatatis foliis, in amygdalas deformati sunt*.

8. Ipsa est etiam petra refocillationis. Num. 20: *Dixit Dominus ad Moysen: Loquimini ad petram*, id est Mariam, *et illa dabit aquas* gratiarum lympidissimarum. *Cumque elevasset Moyses manum, percutiens bis silicem, egressae sunt aquae*. Glossa: Id est spiritualis gratiae, *largissimae, ita ut populus biberet, et iumenta*. Glossa: Quia nulli denegat gratiam postulanti.

9. Item ipsa est fons et puteus totius consolationis. Num. 21: *Filii Israel castrametati sunt contra Arnon*. Glossa: Id est contra maledictionem. *Et ex hoc loco apparuit*, per nativitatem *puteus*, id est Maria. *Super quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, et dabo ei aquam. Tunc cecinit Israel*, per gratiarum actionem, *carmen istud: Ascendat puteus*, id est Maria per nativitatem in mundo apparando, vel per assumptionem in coelum gratiarum profluviis nos perfundendo. *Concinebant* hilariter, unanimiter, et fortiter: *Puteus quem foderunt principes*, id est prophetae propter nuntiationem, patriarchae per exhibitionem, apostoli per ostensionem, *et paraverunt duces*, id est reges.

10. Item ipsa est stella illuminationis. Numer. 24: *Orietur*, scilicet per nativitatem, *stella*, id est Maria, quae bene comparatur *stellae maris, ex Iacob, et consurget virga*, id est Christus, *de Israel de radice Iesse*. Isai. 11: *Et percutiet duces Moab*, id est daemones, a peccatis liberans nos, et salvans.

LIBER DEUTERONOMII

HAEC SUNT VERBA QUAE LOCUTUS EST MOYSES

1. Beatissima Domina, Virgo Maria dicitur infirmarum animarum portatrix. Portavit enim Filium Dei pro nobis in utero sanctitatis, et nos portat in utero miserationis. Deut. 1: *Portavit te Dominus Deus tuus*, et non solum ipse, sed et Dei Genitrix Virgo pia, *ut solet homo gestare parvulum filium suum*. Glossa: Quem tenerrime diligit, nec laborare permittit. *In omni via, per quam ambulastis*. Glossa: Nunquam defuit, *donec veniretis ad locum istum*.

2. Item ipsa est terra optima, non germinans spinas et tribulos, ad colendum facillima, fertilissima, quia profert Deum et hominem. Deut. 8: *Benedicas Domino*. Glossa: Gratias agendo, *pro terra optima*, id est Maria, *quam dedit tibi*, Deus, ut alaris diteris et lauderis.

3. Item ipsa est soror nostrae paupertatis. Unde tenetur nobis ex constitutione legis subvenire. Deuter. 15: *Non avertas oculos* miserationis tuae, o Maria, *a paupere fratre tuo*, scilicet peccatore, qui licet peccator et pauper sit, tamen frater tuus est per naturam. *Non enim deerunt pauperes in terra habitationis tuae*, id est in mundo. Non enim possunt esse divites sicut tu, cui dictum est: *Ave gratia plena*, Luc. 2. *Idcirco aperies* festinanter, hilariter, abundanter *manum* subventionis, defensionis, *fratri tuo egeno et pauperi*. Hoc orat psalmista psalm. 103: *Aperiente te manum tuam*, etc.

4. Item ipsa est altare sanctificationis, continens dilectionem Dei et proximi. Deuter. 27: *Aedificabis altare Domino in monte Hebal*. Glossa: Quod vorago interpretetur, *de lapidibus quos ferrum* peccati *non tetigit*, qui immaculati, et non corrupti carne et spiritu, iacula diaboli non susceperunt. Et *quis est hic* inter puros homines, et laudabimus eum, Eccli. 31, nisi ipsa sola post Deum excellentissima? *Et scribes super illud omnia verba legis*, maxime dilectionis Dei et proximi, *plane et lucide*. Scriptor huius alteris fuit Spiritus sanctus.

5. Item ipsa est mons benedictionis, sed Eva fuit mons maledictionis. Deuter. 27: *Pones benedictionem meam*, non mundi, quae fallax est, *super montem Garizim*. Glossa: Qui interpretatur divisio. Divisit enim ut prudentissima bonum a malo, et melius a bono, et optimum a meliori, illud eligendo. Luc. 10: *Optimam partem elegit sibi Maria*. Divisit et nos a mundo, a diabolo, a peccato, et a morte.

6. Item ipsa est coelum ditationis, unde omnia meliora proveniunt. Deut. 28: *Aperiet Dominus*, id est placatus, qui aliquando clauserat iratus, *thesaurum suum optimum, coelum*; coelum, id est Mariam, *ut tribuat pluviam terrae*. Glossa: Cordibus terrenorum. Per ipsam enim Dominus pluit gratiam nobis ad depellendam animae ariditatem, et fecunditatem virtutum conferendam.

7. Item ipsa est thalamus deliciarum Dei. Deut. 33: *Amantissimus* Domini Beniamin, id est Christus Filius Dei, *in thalamo*, id est in Maria, *toto die morabitur*. Glossa: Nulla vitio alienatus aliquando. Unde et ibi a quaerentibus invenietur, *et inter humeros illius requiescet*. Glossa: Inter bona opera.

8. Item ipsa est mater inflammationis, mater custoditionis, mater instructionis. De his tribus Deuter. 33: *In dextera eius*, id est Maria, *ignea lux*, id est caritas, qua sanctos facilius amore sui accendit. Secunda, *omnes sancti* ad custodiam *in manu illius*. Item *et qui appropinquant pedibus eius*. Glossa: Ut discant, et humiliter accipiant de doctrina illius. Require, qui docent.

LIBER IOSUE

ET FACTUM EST POST MORTEM MOYSIS

1. Domina angelorum, Mater Dei, est terminus haereditatis nostrae. Iosue 1: *Dixit Dominus ad Iosue*, id est omni servienti Deo: *Omnem locum*, qui sursum est (Dominus non vult dare eis locum in terris, qui vilis est, sed sursum qui est optimus, et hoc quia diligit nos) *quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam a deserto, et Libano, et usque ad fluvium magnum Euphraten*, id est Mariam. Nota utilitates magni fluvii, et adapta. *Et usque ad mare magnum*, id est usque ad Christum qui comparatur mari magno, *erit terminus vester*. Glossa: Ut non solum efficiaris haeres Dei, sed cohaeres Christi.

2. Item ipsa est evasionis fenestra. Iosue 2: *Dixerunt exploratores ad Raab: Innoxii erimus a iuramento, si signum non fuerit funiculus iste coccineus*, id est sanguine suo rubricatus, *et ligaveris eum in fenestra per quam dimisisti nos*.

3. Ipsa est etiam fenestra, quae per funiculum, id est per filium suum, peccatores, ut evadant, dimittit, et iustos attrahit.

4. Item ipsa est arca ostensionis directae viae in coelum unde festinanter eam sequi debemus. Iosue 3: *Dixit Iosue*, id est Christus: *Tollite arcam foederis, quae antecedet*, nos in coelum ascendendo, locum praeparando, pro nobis advocando, nos ad se trahendo per Iordanem. *Festinavitque populus et transiit*, cap. 4. Glossa: Non otiose, non remisse nobis agendum est, sed omnia festinanter transeunda. *Cumque transissent omnes*, licet quidam facillime, sed tamen omnes in ipsam spem auxilii figentes, *transiit et ipsa arca Domini*. Ipsa enim praecedet nos propter aliquos, et subsequetur propter quaedam.

5. Item ipsa est clypeus defensionis quantum ad nos, et clypeus interfectionis quantum ad daemones. Iosue 8: *Dixit Domi-*

Digitized by Google

nus, scilicet Pater, *ad Iosue*, Christum Filium suum: *Leva* super omnem creaturam, puram in sanctitate, dignitate, pietate, utilitate, *clypeum*, id est Mariam peccatorum defensatricem, daemonum impugnatricem, *qui in manu tua est contra Hai*. Glossa: *Hai* interpretatur chaos, vel habitaculum eorum, idest daemonum qui in abysso regnant. *Cumque elevasset clypeum*, id est Mariam, in annuntiatione ipsam in Matrem assumendo, et in assumptione secum in throno collocando, *non contraxit manum quam in sublime porrexerat tenens clypeum*, id est Mariam nobis in consolationem, diabolo in occisionem, et peccatis in deletionem, *donec interficerentur omnes habitatores Hai*. Glossa: De quibus nullum debemus relinquere, sed omnes interimere.

6. Item ipsa est sol ad iuvandum omnibus fidelibus. Iosue 10: *Steterunt sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis.* Glossa: Visibilibus et invisibilibus. *Stetit itaque sol in medio coeli, et non festinavit occumbere.* Glossa: Semper oritur fidelibus.

7. Item ipsa est civitas refugii. Iosue 20, ad quam fugere debet, qui effugere cupit mortem.

8. Item ipsa est altare testimonii nostri. Iosue 22: *Dixerunt filii Ruben et Gad. Extruamus nobis altare*, id est Mariam, *infinitae magnitudinis*, in misericordia, in bonitate, in humilitate, in largitate, in Filii Dei conceptione, in testimonium liberationis, libertatis, et haereditatis coelestis, *ut iuris nostri sit offerre holocausta, et victimas, et pacificas hostias*, et ut non dicatur nobis: *Non est vobis pars in Domino*. Et vocant altare testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus. Hoc altare extructum est in conceptione, sanctificatum in utero, aedificatum in incarnatione, in assumptione.

LIBER IUDICUM

POST MORTEM IOSUE

1. Domina mundi, Mater Dei, et Regina coeli, pugnatrix pro suis contra mundum, contra diabolum et peccatum. Unde significatur per Iudam de quo dicitur, Iudic. 1: *Consuluerunt filii Israel Dominum*: et merito, quia ipse dicit: *Sine me nihil potestis facere*, Isai. 15 *dicentes: Quis ascendet*, si aliquis angelorum, si aliquis sanctorum, *ante nos* debiles, inscios et imprudentes, *contra Chananaeum*, id est mundum, diabolum et peccatum, *et erit dux belli* maximi, inquietissimi, continui? *Dixitque Dominus*: Iudas, id est Maria confitens. *Ascendit* enim in nativitate mundo apparendo, in assumptione, coram Patre coelesti ad eum interpellandum, semper pro nobis se primam offerendo. *Ecce tradidi terram in manus eius*, immo et coelum, et meipsum. Unde dicit ex ore Filii sui, Matth. 28: *Data est mihi omnis potestas.* Noli ergo sine ipsa inire bellum. Ipsa enim *dux* est *belli* nostri, debet enim praecedere ex officio sibi a tota Trinitate iniuncto.

2. Item ipsa est mater liberationis, et iubilationis, et gaudii. Iudic. 2. *Quieverant semitae.* Glossa: Quia occupata ab hostibus erant, et non audebant ascendere ad orationem ad domum Domini. *Cessaverunt fortes in Israel donec Debora*, id est Maria, *surgeret*, per nativitatem in mundo apparendo, vel per assumptionem in coelum ascendendo; *mater in Israel*. Glossa: Quia consiliando, hortando, praedicando ab hostibus liberavit. Quod et ipsa post Deum summe fecit: unde gratias agendo Deo, dicit: *Ego sum*, paupercula Maria, humilis Maria, tamen Mater Dei, Regina coeli, Domina mundi, *quae Domino canam*. Glossa: Vox iusti, ille quidem est canorae vocis, et sincerae mentis, ut cantilena eius divinum delectet auditum: quae omnino non habet in se raucum peccati sonum, et nihil offensionis in lingua, nihil crassitudinis in spiritu, *psallam Domino Deo Israel*, dicens, Luc. 1: *Magnificat anima mea Dominum. Nova bella elegit Dominus*. Glossa: Quia inermes fortes fecit et triumphales. *Et portas hostium ipse subvertit.*

3. Ipsa est vellus roris divini. Iudic. 6: *Dixitque Gedeon ad Deum: Ponam hoc vellus lanae*, id est Virginem sacram, *in area*, in iudaica gente. *Si ros* totius orbis *in solo vellere fuerit* Glossa: Id est in sola Maria: quod factum fuit in annuntiatione, quando in ea Christus humanitatem assumpsit, *et in omni terra*, et in cordibus infidelium *siccitas: sciam, quod liberabis Israel*. Quod enim ipsa impleta fuit gratia super omnem puram creaturam signum fuit liberationis nostrae. *Factum est ita expresso vellere*, id est Maria, per invocationem, per devotam salutationem: *concham*. Glossa: Cordis *rore*, id est gratiae, *adimplevit*.

LIBER RUTH

IN DIEBUS UNIUS IUDICIS

1. Beatissima Domina vocatur Mater pulcritudinis, sed mihi in passione Filii sui fuit amaritudinis, et moeroris. Ruth 1: *Dicebant mulieres*, in adventu Noemi in Bethlehem, quod potest respicere duplicem adventum B. Virginis: vel adventum in mundum per nativitatem, vel adventum, quando in Bethlehem ad pariendum. *Haec est illa Noemi*. Haec est illa, in qua macula etiam venialis peccati non est, quae in utero portat candidum et rubicundum. Sed quod sequitur, respicit statum passionis Christi. *Quibus ait: Ne vocetis me Noemi*, id est pulcram; *sed vocate me* nunc in passione Filii mei, *Mara*, id est amaram, *quia amaritudine valde me replevit Omnipotens*. Dominus, qui replevit me in annuntiatione gaudio et laetitia, in passione vero moerore et tristitia. *Egressa sum plena* in annuntiatione, quando dictum est mihi Luc. 2: *Ave gratia plena. Et vacuam reduxit me Dominus*, cum sola rediens Filium meum reliqui in sepulcro. *Non igitur vocetis me Noemi, quam Dominus humiliavit et afflixit omnipotens*. Dolores ergo, quos effugeram in nativitate, nunc omnes persolvi in Filii mei passione, ut Damascenus dicebat libro 4 de fide, cap. 15.

2. Item ipsa est ancilla electionis et operationis. Ruth 2: *Dixit Ruth*, quae interpretatur videns, festinans, indeficiens: *Vadam in agrum*, scilicet Ecclesiae, *et colligam spinas*, id est pauperes, caecos, et claudos, more Filii mei, qui huiusmodi libenter colligit, *quae metentium*, scilicet mundi et diaboli, *effugerunt manus*. Diabolus fere universam terram congregaverat, mittens falcem suam in messem alienam: unde et gloriando dicit Isai. 10: *Universam terram ego congregavi*. Colligit autem ancilla Dei in agro Ecclesiae humiliter, quia *spicas remanentes*, fideliter, quia *sequens messorum vestigia*, ut quod alii abiiciunt, ipsa sumat. Unde psal. 26: *Pater meus, et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me*. Perseveranter, quia usque in finem mundi fideles ad se congregat. Unde sequitur: *De mane usque nunc stat in agro, et nec ad momentum quidem domum reversa est*. Item dixit Booz, id est Deus: *Colligentem*, scilicet Mariam, quae colligit quos vult, *nemo corripiat*. Item colligit sapienter, unde sequitur: *quae collegerat virga caedens*, scilicet tribulationis, *excutiens, invenit tres modios*, scilicet coniugatos, viduas, et virgines, *quos portans in sinu* misericordiae, et in dorso patientiae, *reversa est in civitatem*, scilicet Ierusalem coelestem.

3. Item ipsa est quae se et nos vestivit, et cooperuit, et involvit pallio divinitatis, sicut dicitur de Christo in *Praefatione, ut nos divinitatis suae tribueret esse participes*. Ruth 43: *Dixit Ruth ad Booz*, id est ad Deum: *Ego sum Ruth ancilla tua, expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es. Et ille: Benedicta*, inquit, *es a Domino, filia. Noli metuere sed quicquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus qui habitat intra portas urbis meae, mulierem te esse virtutis. Nec abnuo me propinquum*.

LIBER REGUM I

FUIT VIR UNUS DE RAMATHAIM SOPHIM

1. Regina coelorum est arca exultationis in tabernaculis iustorum, et arca timoris in tabernaculis daemoniorum, et malorum. 1 Reg. 4: *Cum pervenisset*, per nativitatem in mundum, *arca*, id est Maria, *in castra*, tribulatorum, tentatorum, et totius militantis ecclesiae, *timuerunt Philisthiim*, id est daemones, *dicentes: Vae nobis. Venit* enim illa cui dictum est, Genes. 3: *Inimicitias ponam inter te*, etc. *Non enim fuit tanta exultatio*, peccatorum, *heri, et nudius tertius*, quando non habebant talem adiutricem. *Et dixerunt Philisthiim: Quae est vox clamoris magni in castris Hebraeorum?* Psal. 117: *Vox exultationis, et salutis in tabernaculis iustorum. Et cognoverunt quod arca Dei venisset in castra. Et dixerunt. Vae nobis*; illi autem bene nobis. *Quis nos salvabit de manu deorum sublimium istorum?* Ubi enim ipsa est per adiutorium, ibi et Trinitas Deus.

2. Item ipsa est sol ardens, mater calefactionis frigidorum filiorum Adae. 1 Reg. 11: *Cras erit vobis salus*, gratiae et veniae, *cum incaluerit sol*, id est Maria. Numquid non incaluit, cum illi tota deitas substantialiter illapsa est? Hic est sol tripliciter nos

urens. Unde dicitur Eccles. 43: *Tripliciter sol exurens, et exsuffians*, etc.

3. Ipsa est etiam cornu unctionis, ex quo ungustur ad dignitatem, ad sanctitatem, ad venustatem. 1 Reg. 16. *Dixitque Dominus*, Pater, *ad Samuelem*, id est Christum: *Imple cornu tuum*, idest Mariam, *oleo*, idest teipso, et omni gratia: quod factum est in incarnatione. *Et unges*, inde reges, et sacerdotes, et filios Dei, *quemcumque monstravero tibi*. Unde Bernardus sermone 3 de annuntiatione, et sermone super illud Apocal. 12: *Signum magnum* etc. « De plenitudine eius accipiunt singuli et universi, etc. »

4. Item ipsa est civitas et domus satietatis. 4 Reg. 20: *Rogavit David ut iret celeriter*, quod factum est in incarnatione, quando etiam praevenit angelum, quem miserat ad Mariam Virginem gloriosam *in civitatem suam*, sanctissimam, et opulentissimam. Unde sequitur: *quia victimae solemnes*, Deo, angelis, iustis, peccatoribus, *ibi sunt universis contribulibus suis*. Ps. 86: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, id est Maria.

5. Item ipsa est refraenatrix irae Dei quoad peccatores, quae *David*, id est Christum, ab interfectione aeterna, *Nabal* stulti, id est peccatoris refraenavit, signata per Abigail, quae 1 Reg. 25, *cecidit ad pedes David*, se in omnibus humiliando. *Et dixit: In me Domine mi sit haec iniquitas* Glossa: Noli irasci. *Malitia ergo non inveniatur in te*, sed potius bonitas diffusiva, pietas ad condonandum, misericordia effectiva. *Et ait David ad Abigail*, placatus eius intercessione: *Benedictus Dominus*, scilicet Pater misericordiarum, *qui misit te*, misericordissimam, et prudentissimam *hodie*, scilicet quandocumque intercedis pro peccatoribus, vel praecipue in assumptione, *in occursum meum*, ad placandum, ad refraenandum, ac ad componendum inter me et peccatores. *Et benedictum eloquium tuum*, plusquam omnium angelorum, immo omnium sanctorum. Psalm. 104: *Eloquium Domini inflammavit eum. Misit rex, et solvit eum*, id est peccatorem. *Et benedicta tu, quae prohibuisti me*, saevissimum contra peccatores, sicut dicit in Oseae 5: *Ego quasi leaena, et quasi catulus leonis: et ego capiam et vadam*. Et cap. 13: *Occurram eis quasi ursa raptis catulis, et dirumpam interiora iecoris eorum, ulciscor me manu mea*, gravissime et intollerabili. *Et nisi cito venisses in occursum mihi*, quod factum est, quando nata es, peccatorum tibi reconciliationem commendo, *non remansisset Nabal usque ad matutinam lucem mingens ad parietem*, quia totaliter delevissem eum. *Erat autem Abigail mulier prudentissima et speciosissima. Et dixit David ad Abigail: Vade pacifica, exaudivi vocem tuam*. Sed quam vocem? Vocem miserationis pro peccatoribus, vocem conservationis pro iustis, vocem fidelitatis pro servitus exhibitis remunerandis. *Et honoravi faciem tuam*, in conceptione te sanctificando, in nativitate tua mundum per te illuminando, in incarnatione mea te in matrem prae omnibus eligendo, et in assumptione tua te ultra omnes choros angelorum in mea dextera collocando.

LIBER REGUM II

FACTUM EST POSTQUAM MORTUUS EST SAUL

1. Sancta Theotocos, Virgo et Mater Dei honoratur a Deo in gloriosa assumptione sua in hoc quod propter honorem eius Dominus peccata reis dimittit, gratiam aridis infundit, et iustis gloriam promittit. 2 Reg. 6: *Abiit David*, id est Christus, *et adduxit arcam Dei*, id est Mariam, *de domo Obededom*, scilicet in assumptione, *in civitatem David*, hoc est in coelum empyreum, *cum gaudio. Et erant cum David septem chori*. Quorum primus est chorus angelorum. Secundus patriarcharum. Tertius prophetarum. Quartus apostolorum. Quintus martyrum. Sextus confessorum. Septimus omnium sanctarum virginum. Ab his omnibus honorata est Regina in assumptione eius. *Et benedixit David*, id est Christus, *populo*, reis peccata dimittens, aridis gratiam infundens, et iustis gloriam promittens. *Et partitus est omnibus collyridam panis unam, et assaturam bubulae, similam frixam oleo*, laetitiae in resurrectione, propter honorem suae Matris.

2. Item ipsa est Mater revocationis peccatorum de regione longinqua. Unde significatur per mulierem *Thecuitem*, quae dixit ad David 2 Reg. 4: *Quaerunt extinguere scintillam quae relicta est. Et dixit David. Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram*. Et sic revocatus est Absalon.

3. Item ipsa est mater conservationis, quae tam diu peccatores fovet, usque dum ipsis gratiam Dei impetret. Unde significatur per *Resphan*, quae currus interpretatur, 2 Reg. 21, quae *septem* viros in patibulo suspensos, scilicet peccati, propter septem peccata mortalia, a *David*, id est a Christo, *non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem*, id est daemones, prohibens, *donec stillaret aqua*, gratiae scilicet, contritionis et confessionis, *de coelo*, id est de misericordia Dei *super eos*. Glossa. Pia sollicitudo sanctorum succurrit precum instantia peccatoribus, donec misericordiam Dei impetret super eos, pravos homines et malignos spiritus compescens, ne vitam illorum ulterius corrumpant prave suggerendo. Et David eos sepelivit.

4. Item ipsa est cisterna gratiae. 2 Reg. 24: *Desideravit David aquam, et ait: Si quis mihi daret potum aquae de cisterna quae est in Bethlehem iuxta portam*.

LIBER REGUM III

REX DAVID SENUERAT HABEBATQUE AETATIS PLURIMOS DIES

1. Semper excellentissima Virgo Maria *desiderio* sanctorum patrum et ardore optata, et quaesita fuit, ut Regem regum foveret per incarnationem in gremio, ut ipsum recipiendo calefaceret, in conservatione totius vitae Christi in hoc mundo sibi ministrando, et staret in coelo empyreo pro peccatoribus exorando. 3 Regum 1 significatur Virgo Maria per *Abisag Sunamitidem*, quae interpretatur pater meus abundans, vel patris mei rugitus, de cuius laude dicitur: *Dixerunt servi David*, id est sancti patres: *Quaeramus*, in omni terra creaturam rationalem, quae sub coelo est, *domino nostro regi adolescentulam virginem*, dignam, quae *stet coram rege, et foveat eum, dormiatque in sinu suo*. Rex regum, *et foveat eum*, per incarnationem in gremio ventris sui, *dormiatque in sinu suo*, apud mundissimam mundissimus, in creatura Creator, in filia Pater, in ancilla Dominus. *Quaeramus* etiam Virginem sapientissimam, caritate ardentissimam, quae ipsum Deum ad liberationem et miserationem inflammet: habetur enim ibi, *et calefaciat dominum nostrum regem*. *Quaeramus* et Virginem sapientissimam, quae sciat, velit, et possit *stare* ut interpellatrix *coram rege* ad refraenandum, ad excusandum, ad iudicandum, ad placandum. *Et invenerunt*, licet difficillime, *adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, Abisag Sunamitidem*, id est Mariam. Hanc omnes eligamus, secundum illud poetae:

Elige, cui dicas: Tu mihi sola places.

Quaesita fuit in lege, et prophetis, tempore patriarcharum, et prophetarum, sed inventa in *Nazareth ab archangelo Gabriele*, Luc. 1, in tempore gratiae in annuntiatione.

2. Item ipsa est peccatorum advocata, habens tria, scilicet sapientiam, facundiam, et fidelitatem, quae debet habere advocata: unde significatur per Bethsabee. 3 Reg. 2. *Dixit Bethsabee*, id est Maria, *ad Adoniam*, id est ad peccatorem; *Bene ego loquar*, prudenter, humiliter, instanter, et perseveranter, *pro te*, misero, egeno, et desperato. Sed cui? Certe Regi magno, forti et glorioso. *Et venit Bethsabee ad regem Salomonem*: quod factum est in assumptione, *ut loqueretur ei pro Adonia*, id est peccatore. *Et surrexit Rex*: id est Christus in *occursum eius*, hilariter, totaliter et solemniter. *Et positus est thronus gloriae matri regis*. In annuntiatione posita fuit Domina mundi in throno gratiae, in passione Filii in throno misericordiae, pro nostra causa in iudicio in throno misericordiae, in assumptione vero sua ad coelos in throno gloriae. Unde sequitur: *Quae sedit ad dexteram eius*, ut imperatrix, et gratiarum distributrix. *Et dixit ei Rex: Pete* fiducialiter pro omnibus, *Mater mea* mundissima, mihi obsequiosissima, et super omnem creaturam clarissima: *neque enim fas est*, nec coram me, nec coram angelis, ac omnibus sanctis, *ut avertam faciem tuam*, te pro quocumque postulantem non exaudiendo.

3. Item ipsa est mater et domina salvationis: quod signatum est in *Abiathar* sacerdote, qui offenderat regem Salomonem, cui dixit Rex: *Equidem vir mortis tu es: sed te non interficiam, quia portasti arcam*, id est Mariam, ipsam honorando, te ei subiiciendo, et in eius fidelitatem, et misericordiam committendo, *coram David patre meo*.

Digitized by Google

4. Item ipsa est templum caritatis, 3 Reg. 6, in cuius laude dicitur: *Nil erat in templo*, id est Maria, *quod non auro tegeretur*. Glossa: Sola enim caritas regnat. *Duo ostiola in templo de lignis olivarum*. Glossa: Dilectio Dei et proximi.

Item ipsa est nebula, et habitaculum accommodum Filii Dei. 3 Reg. 10: *Regina Saba*, id est Maria, *cum multo comitatu*, famulorum, et sanctorum, immo et ipsius Filii sui, *ingressa est in Ierusalem*, et hoc in die assumptionis. Saba est civitas regalis Aethiopiae, unde haec regina fuit, quae praefuit duobus regnis Aethiopiae et Aegypti (1).

5. Item ipsa est thronus totius Trinitatis. 3 Reg. 10: *Fecit rex Salomon thronum*, id est Virginem gloriosam, et hoc in tempore gratiae, quando mater misericordiae in mundo est nata, *de ebore* castitatis, puritatis, innocentiae, *grandem* in natura, in gratia, in gloria, in misericordia, in humilitate, in bonitate, in largitate, et in pulcritudine. Unde sequitur: *Et vestivit eum*, totaliter, regaliter, plusquam omnem creaturam puram, *auro fulvo nimis*, id est caritate suprema, immo et seipso. *Qui habebat sex gradus*. Primus est humilitas. Secundus virginitas. Tertius paupertas. Quartus erubescentia. Quintus patientia. Sextus temperantia. *Et summitas throni rotunda erat*, spe coelestium. *Et duas manus tenentes sedile*, id est Mariam, id est timor, et reverentia. Habebat enim ad filium timorem et reverentiam: quia licet esset eius filius, tamen erat Dominus, et Deus. *Et duo leones stabant iuxta manus singulas, et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc et inde. Non est factum tale opus*, mirabilitate, utilitate, pretiositate, dignitate, pulcritudine in universis regnis coeli, atque terrae.

6. Item ipsa est hydria, et vas satietatis, 3 Reg. 17. In cuius laude dicit vidua, id est Ecclesia: *Vivit Dominus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinae in hydria, et paululum olei in lecytho. Et dixit Elias: Hydria farinae*, id est Maria, *non deficiet*, quia semper potest et vult dare, quia largissima, quia ditissima, quia gratia plena. *Nec lecythus* olei minuetur, quo nos pascit semper, et ungit, et laetificabit.

7. Item ipsa est nebula refrigerans, pluens, et donans, 3 Reg. 18, in annuntiatione, id est tempore gratiae. *Nubecula parva*, id est Maria, *parva* per humilitatem, sed immensa per gratiam, *ascendebat*, vel in nativitate sua mundo apparendo, vel in assumptione coelos penetrando; vel *ascendebat* per naturam, quia nobilissima, per gratiam, quia omni gratia ditissima, per gloriam, quia super omnes choros sanctorum exaltata. *De mari*, id est de hoc mundo. *Et dixit Elias*, id est Christus, *ad Achab*, 3 Reg. 18: *Sonus multae pluviae est*, id est gratiarum, omnes compluens, et gratiam quaerentibus infundens. *Cumque se verteret huc atque illuc, coeli contenebrati sunt, et nubes et ventus, et facta est pluvia grandis*. Nam de plenitudine eius accipiunt singuli, et universi, inquit Bernardus serm. in annuntiat. Dom. et serm. super illa verba Apocalypsis 12: *Signum magnum apparuit*.

LIBER REGUM IV

PRAEVARICATUS EST MOAB

1. Imperatrix coelorum est vas invocationis, et sanationis. 4 Reg. 2: *Dixit Eliseus: Afferte mihi vas novum*, id est Mariam. Alii enim omnes per peccatum, *inveterati sunt*, psal. 17, et corrupti: sed ipsa est novum, habens multiplicem novitatem. *Et mittite in illud sal*. Glossa: Verbum Domini caro factum est. Sal enim Filius Dei est, *quod cum misisset in illud*, quod factum est in annuntiatione, *ait: Haec dicit Dominus: Sanavi has aquas*, id est humanam naturam fluidam, et pestiferam. *Et non erit in eis ultra mors, neque sterilitas*, sed vita et fecunditas.

2. Item ipsa est fenestra illuminationis totam domum Ecclesiae luce divinitatis illustrans. Unde et vehiculum lucis vocatur. 4 Reg. 13: *Dixit Eliseus ad Ioas regem Israel: Aperi fenestram orientalem*, id est Mariam, per quam intrat lux et vita: sicut per fenestram occidentalem, id est Evam, intravit mors et tenebrae. *Quam cum aperuisset*, quod factum est, quando Virgo manens incorrupta mundi peperit Salvatorem, *dixit Eliseus: Iace sagittam*, id est Christum, quia ex ea ortus est, et natus. *Et iecit et ait Eliseus: Sagitta salutis contra Syriam*, id est contra omnes daemones. *Et percuties Syriam, donec consumas eam*, ad nihilum redigendo. Unde psal. 14: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus*.

LIBER TOBIÆ

TOBIAS EX TRIBU ET CIVITATE NEPHTALIM

1. Commendatur in Beatissima Virgine Maria post Deum largitas summa. Tobiae 4: *Quomodo potueris, ita esto misericors*, omnibus misericordiam te implorantibus praestando: *si multum tibi fuerit*, quia gratia es plena, Luc. 1. Domina coeli et terrae, *abundanter tribue*, sicut decet dare Reginam omnium creaturarum. *Si exiguum, libenter impertiri stude*. Glossa: Voluntas a Deo pensatur, non dati quantitas.

2. Item commendatur in ipsa post Deum humilitas summa. Tobiae 4: *Superbiam in tuo sensu*, Glossa: Id est in mente, *aut in tuo verbo*. Glossa: Necdum pacto: *nunquam dominari permittas*. Glossa: Si quando sit, tamen non regnet. Ipsa enim nunquam motum superbiae habuit, sed post Deum excellentissime humilis fuit.

3. Item in ipsa commendatur post Deum facilitas praecipue in servitiorum sibi impensorum festinantissima, et superabundantissima retributione. Tobiae 4: *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit*, o Maria, sive iustus, sive peccator ad laudem, et honorem tuum ac Filii tui, *statim ei mercedem restitue*, regaliter, quia Regina es: abundanter, quia ditissima es: utiliter, quia fidelissima es: *Et merces mercenarii tui apud te non remaneat*.

LIBER IUDITH

ARPHAXAD ITAQUE REX MEDORUM

1. In nostra Iudith, id est in Virgine Maria, commendatur pulcritudo admiranda, et sapientia prae cunctis mortalibus veneranda. Iudith 11: *Dixerunt servi Holofernis*. Non solum servi Dei ipsam admirantur, sed etiam servi mundi, et diaboli, *alter ad alterum: Non est talis mulier super terram*, immo nec supra coelum, *in aspectu*, quia etiam macula peccati caruit venialis. *In pulcritudine* exteriori credimus eam pulcherrimam fuisse, et optime dispositam. Quoad Deum, quando dixit Luc. 1: *Ecce ancilla Domini*, etc. Quoad angelum, quando dixit: *Quomodo fiet istud?* Ibidem. Quoad homines iustos, quando *salutavit Elisabeth*. Quoad peccatores, quando dixit ministris in nuptiis: *Quaecumque dixerit vobis, facite*, Ioann. 2. Quo etiam ad Filium suum, quando dixit, Luc. 2: *Fili, quid fecisti nobis sic?*

2. Commendatur etiam Domina mundi nominis praeclara excellentia. Ipsa enim est post Deum nominatissima. Iudith 12: *Dixit Holofernes ad Iudith*. Glossa: Quae interpretatur confitens, vel laudans, et significat Mariam: *Magna eris, et nomen tuum*, id est Maria, vel maris stella, *nominabitur*, quia nominabitur Mater Dei a Deo, ab angelis, a iustis, a peccatoribus, a patriarchis, etc. *in universa terra*, immo in universo coelo.

3. Commendatur etiam Sanctissima Virgo, amplissima caritate, quae consideratur in hoc, quod non tam propriam exaltationem, quam nostram quaerebat liberationem. Iudith 12: *Iudith orabat Dominum Deum Israel*, ferventissime, *ut dirigeret viam eius ad liberationem populi sui*, captivi et afflicti.

4. Commendatur etiam in ea maxima gratitudo. Gratias enim agebat indesinenter, pro beneficiis sibi collatis, et nobis per eam conferendis, scilicet ut diabolus superaretur, peccatum deleretur, mundus liberaretur. Iudith 13, absciso capite Holofernis, id est diaboli, laudando Deum et nos consolando dicit: *Aperite portas*. Glossa: Id est cordis devotionem, *quoniam nobiscum est Deus*. Glossa: Ut carnem infirmitatis nostrae in se assumens, divinitatis suae nos participes faceret, ut propugnator, et victor a potestate diaboli nos eriperet. *Et concurrerunt ad eam omnes*, scilicet angeli, quibus dedit laetitiam: iusti, quibus gratiam: peccatores, quibus veniam impetrat. *Et illa ascendens in eminentiorem locum*. Glossa: Ad laudandum Deum pro beneficiis suis, auditores attollens, *dixit: Laudate Dominum Deum nostrum*. Glossa: Non me; *qui non deseruit sperantes in se*,

(1) Nota, aliqua hoc in loco deesse a scriptore per incuriam dimissa. Nam a c. 8. l. 3 Regum, in quo agitur de nebula, et domo Domini per nebulam impleta, transit ad cap. 10 eiusdem, et historiam reginae Sabae.

Digitized by Google

quis fidelissimus est: *et in me ancilla sua* humili, devota, *adimplevit*, mirabiliter, largiter, utiliter, et sapienter, *misericordiam suam*, quia incarnatus est in me propter peccatores, *quam promisit* per os prophetarum *Domini Israel*, id est Ecclesiae. *Et interfecit in manu mea*, id est per Filium, qui manus mea est, *hostem populi sui*. Glossa: Id est diabolum, *hac nocte* gratiae et misericordiae. *Ecce caput Holofernis*. Ipsa, de qua dicitur Gen. 3: *Ipsa conteret caput tuum*.

5. Commendatur etiam in ea maxima fortitudo. Iudith 13: *Dixerunt universi*, scilicet patriarchae, et prophetae, et omnes fideles, *ad Iudith*, id est ad Virginem gloriosam Mariam: *Benedixit te Dominus in virtute sua*, tibi gratiam, et fortitudinem tribuens, *quia per te*, non per angelorum, vel sanctorum aliquem, *ad nihilum redegit inimicos nostros*, diabolum superando, peccata delendo, mundum vivificando: *Quia hodie*, scilicet in die annuntiationis, quando Mater Dei effecta est, vel in die assumptionis, quando super omnes choros angelorum exaltata est, *nomen tuum*, angelis reverendum, hominibus amandum, daemonibus tremendum, *ita magnificavit*, in coelo et in terra, *ut non recedat laus tua de ore hominum*, et omnium angelorum, *qui memores fuerint virtutis tuae in aeternum, pro quibus non pepercisti animae tuae*, in die amarissimae mortis praedilecti Filii tui, *propter angustiam, et tribulationem generis tui*, miserorum filiorum Adam: *sed subvenisti* misericorditer, viriliter, et fideliter, *ruinae* magnae, amarae, ignominiosae, et aeternae congregationis Dei nostri. *Et dixit omnis populus: Fiat, fiat. Et ait Iudith* ad Achior: *Caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea*.

6. Commendatur etiam Regina angelorum a maxima humilitate quae consideratur in hoc, quod omnes vermiculos, perditos filios perditi Adam fratres suos vocat. Iudith 14: *Ait Iudith ad omnem populum: Audite me fratres*, quorum soror ego sum ex natura. Item vocat alibi nos filios. Proverb. 8: *Nunc ergo filii audite me*, tanquam matrem: sed hic, audite me tanquam fratres sororem.

Suspendite caput hoc crudele, nequam, omni fallacia plenum, quod ego abscidi, *super muros nostros*. Glossa: In doctrina evangelica, quae est murus credentium, in illa parte, in qua ostendatis aperte, hostis superbiam esse contritam. *Cum exierit sol*. Glossa: Docet qualiter hostem nostrum persequamur. *Cum exierit de utero meo, tanquam sponsus de thalamo suo*, psalm. 18, quod factum est in nativitate Domini, *sol*, id est Christus filius meus, illuminans caecos, inflammans frigidos, fecundans steriles, et se, ut sol, omnibus largiens, et diffundens. *Exite cum impetu* nihil formidantes ad pugnam contra mundum, diabolum, et peccatum.

7. Commendatur etiam Beatissima Virgo a summa sapientia, per quam diaboli regnum confudit, et caput suum contrivit. Iudith 14: *Una mulier hebraea*, id est Maria, *fecit confusionem*, magnam, et inopinabilem, *in domo regis Nabuchodonosor*, id est diaboli. Confudit enim superbiam eius per humilitatem suam, astutiam per sapientiam, et sic de aliis.

8. Ipsa est illa, quae traxit Filium Dei de coelo in uterum suum, ut ipsa tibi mater fieret incarnationis, et domus habitationis. Iudith 15: *Ioachim*. Glossa: Qui interpretatur Domini resurrectio, significat Christum, qui *de Ierusalem venit in Bethuliam*. Glossa: Id est in uterum Virginis, *ut videret Iudith*. Glossa: Id est probaret fidem, et dilectionem. *Quae cum exisset* per nativitatem, *benedixerunt eam omnes, una voce dicentes: Tu gloria Ierusalem*, id est illorum, qui sunt in coelo: *Tu laetitia Israel*, id est dolentium, et gementium pro peccatis in hoc mundo: *Tu honorificentia populi nostri*, abiecti, *quia fecisti viriliter*. Glossa: Contra principem mundi. *Et ideo eris benedicta in aeternum* a Deo, ab angelis, et hominibus. *Et dixit omnis populus: Fiat, fiat*.

9. Item ipsa est comminatrix omnium laedentium servos, et ancillas Filii sui. Iudith 16: *Vae genti*. Glossa: In perpetuum, *insurgenti contra genus meum*, id est cultores Dei.

LIBER ESTHER

IN DIEBUS ASSUERI

1. Hic commendatur Beatissima Domina a suprema potentia, quam post Deum habet super omnes creaturas. Esther 2. Esther *erat pulcra nimis et decora facie*. Glossa: Circumdata varietate virtutum, *et incredibili pulcritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis*. Omnibus enim placet, Deo, angelis, iustis, peccatoribus. *Et adamavit eam rex Assuerus*, id est Christus, *plusquam omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite eius*. Glossa: Consortem eam regni fecit. Ecce potentia. *Fecitque eam regnare*, potenter, aeternaliter: potenter regnat, quia ditissima, et tribuit cui vult, quantum, et quando vult, et quotiescumque vult; aeternaliter, quia *regni eius non erit finis*. Luc. 1. Dicitur ergo merito Regina potentissima, largissima, et aeterna. Haec tria in nulla regina, nisi in ea concurrunt.

2. Item est sponsa Dei, de cuius dignissimis nuptiis dicitur, Esther 2: *Rex Assuerus*, id est Christus, *pro coniunctione, et nuptiis Esther*, id est Mariae in die annuntiationis celebratis, quarum conciliator fuit Gabriel, iussit *convivium praeparari*. Glossa: Id est gaudium spirituale, *magnificum* in toto orbe, in coelo, et in purgatorio: dies enim maximi gaudii est dies incarnationis Filii Dei: *cunctis principibus, et servis suis*. Glossa: Id est maioribus, et minoribus: *et dedit requiem universis provinciis*. Requiem gratiae terrestribus, requiem gloriae coelestibus, requiem tribulationis in purgatorio manentibus, *ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem*, regaliter dans, universa dans, celeriter dans, et hilariter dans. Unde clamat ad nos, dicens id, quod homo *de monte Ephraim: Ego praebeo omnia, tantum quaeso, ne in platea maneas*, Iudic. 19.

3. Item ipsa est domus, et vestiaria, ex qua indutus fuit Filius Dei carne, peccator venia, iustus gratia, perfectus gloria. Esther 4: *Mardochaeus indutus sacco*, mortalitatis, et miseriae, sed nunc heu! multi sacco mortalitatis culpae. *Et sedebat ante fores palatii*, gratiae, et gloriae. *Non enim erat licitum, indutum sacco aulam regis intrare*. Glossa: Quia nullus cum corruptione praesentis vitae coelestem aulam intrabit. *Quod audiens Esther, ei vestem misit*, nuptialem, *et ablato sacco induerent eum pallium* scilicet *laudis, pro spiritu moeroris*, Isaiae 61.

4. Item ipsa est virga aurea, signum vitae aeternae. Esther 4: *Vir sive mulier*, quicumque, *interius atrium regis non vocatus intraverit*, Glossa: Non habens vestem nuptialem: *statim interficiatur*, morte aeterna: *nisi forte Rex auream virgam*, id est Mariam, *ad eum tetenderit pro signo clementiae*, ut sit in propitiatricem, *atque ita possit vivere*.

5. Item ipsa est interventrix, et revocatrix desperatorum. Ideo enim Dominus eam creavit in nativitate, et assumpsit in matrem in incarnatione, et exaltavit super omnes choros angelorum in assumptione, ut pro peccatoribus intercedat. Esther 4: *In domo regis es*. Glossa: In interiori regis sinu. *Prae cunctis Iudaeis*, immo prae omnibus angelis, et omnibus sanctis. *Si enim nunc*, hoc est in tempore angustiae nostrae, *silueris*, id est non intercessoris pro nobis, quod absit a te, quia Dominus desiderat audire te, dicens illud Cantic. 2: *Sonet vox tua in auribus meis* etc. *Et quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris*, a Deo praeordinata, a patriarchis praefigurata, a prophetis praenuntiata, a peccatoribus postulata, a tota Trinitate electa, et praeelecta, *ut in tali tempore*, iracundiae Dei, tribulationis et moeroris omnium filiorum Adam, parareris? Glossa: Ideo Rex te fecit Reginam, ut nobis in persecutione auxiliareris.

6. Commendatur etiam Regina nostra a maxima fidelitate, bonitate et misericordia, quae consideratur in hoc, quod fere tota eius supplicatio est pro nobis coram Deo, ut ab hostibus liberemur. Unde Esther 5: *Induta est Esther*, regalibus *vestimentis*. Glossa: Fide, spe, et caritate, et ceteris virtutibus, quibus indute regi dignius societur, postquam assumpta est, *in atria domus regiae*. *Et sedebat rex super solium. Cumque vidisset Esther reginam*, natura, gratia, gloria, largitate, dignitate, nobilitate, miseratione prae omnibus praecipuam, *stantem*, non ut superbum luciferum sedere volentem, sed *stantem* mirabiliter iuxta crucem, Ioannem 19, et misericorditer, et fideliter in coelo pro peccatoribus. *Placuit oculis eius, et extendit contra eam virgam auream*, id est potestatem, quam vult matrem suam habere in coelo et in terra, et sub terra. *Dixitque ad eam rex: Quid vis Esther regina? quae est petitio tua? Etiam si dimidiam partem regni mei petieris*, immo totum, *dabitur tibi. At illa respondit: Si inveni gratiam in oculis tuis*, o rex, *dona mihi populum meum*, Esth. 7. Glossa: Fide meum, devotione meum, ipsius affectuosa veneratione meum, tota donatione meum, et tua commissione, *pro quo obsecro*, stans quandoque apud crucem miserabiliter, sed nunc apud te in coelo laetanter. *Quomodo enim sustinere potero necem et in-*

Digitized by Google

perfectionem populi mei? ibid. cap. 8. Cum possim, et sciam, et velim, ipsos liberare per te, et per tuos, et per me.

7. Item ipsa per suum ortum, et nativitatem totam Ecclesiam loca gaudii immensi perfudit. Esther 8: *Iudaeis*, id est christianis, *nova lux*, id est Maria, *oriri visa est*, quando scilicet nata est. Ipsa enim est *gaudium* moestorum, et *tripudium omnium* beatorum.

LIBER IOB

VIR ERAT IN TERRA HUS NOMINE IOB

1. Regina mundi, Virgo Maria dicitur aurora surgens. Iob. 3: *Expectet lucem et non videat*, qui prave agit, vel etiam bona non recto corde, *nec ortum surgentis aurorae*, id est Mariae, quae in nativitate sua orta est tenebrosis peccatoribus. Glossa: Aurora surgens Ecclesia, quae priores tenebras deserit et in lucem iustitiae venit. Adventus etiam eius operatus est multipliciter in mundum. Iob. 4: *Recede paulatum ab eo*. Glossa: Quia recessus non dat quiescere: *donec optata veniat*: optata a patriarchis, et prophetis, et ab omni genere humano: sed quo veniat? Veniat, inquam, Deo meo in adiutorium. Unde in Genes. cap. 2: *Faciamus ei adiutorium simile sibi*. Iustis in gratiam, peccatoribus in veniam, angelis in laetitiam, diabolo in moestitiam.

2. Item ipsa est misericordiae solium, ad quod veniens peccator absolvitur. Iob. 23: *Quis mihi tribuat, ut veniam ad solium eius?* id est usque ad Mariam, quae solium est misericordiae, ut tunc *ponam coram eo iudicium, et os meum replebo increpationibus*, ut sua verba misericordiae mihi respondeant.

3. Item ipsa est aurora terrens daemones. Iob. 24: *Si subito apparuerit aurora*, id est Maria, vel in lumen mundo nascendo prodiens, vel in coelum ascendens, et peccatoribus gratiam auctoritate Dei infunderet, *arbitrantur* ipsi daemones *umbram mortis*. Glossa: Qui de hoc dolent. Ipsa etiam quantum in se est, nulli denegat lumen gratiae, et misericordiae. Sic Baldad ad Iob. 25: *Super quem non surget lumen illius?* Scilicet Mariae, *super quem* angelorum, vel electorum, vel iustorum, vel peccatorum non consurgit lumen illius in praemium vel in adiutorium.

4. Item ipsa est locus unionis divinitatis et humanae naturae. Iob. 28: *Auro locus est*, id est Filio Dei Virgo Maria, *in quo conflatur*, id est unitur divinitas humanitati, maiestas infirmitati, aeternitas mirabilitati. Si ergo tu volueris Deo uniri, accede ad Mariam, ut efficiaris unus spiritus cum Deo.

5. Item ipsa est lucerna splendens, et petra fundens oleum. Iob. 29: *Quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos*, etc. *quando splendebat lucerna eius*, id est Maria, *super caput meum? Ad lumen ambulabam in tenebris, quando petra*, id est Maria, *fundebat mihi rivos olei*, largiter et libenter, id est dona Spiritus sancti.

6. Item ipsa etiam bene comparatur Iob, quia omnes virtutes, quae in eo commendantur, ipsa in summo habuit. Ostendit sibi Maria in persona beati Iob Dei in se secretam habitationem. Iob 29: *Deus secreto erat* mecum *in tabernaculo meo*, quod est contra hypocritas, qui ostendunt eum in via de facto cum eis esse, quod tamen non est.

7. Ostendit etiam se liberatricem vociferantium peccatorum. Iob. 29: *Auris audiens beatificabat me*, dicens Luc. 1: *Benedicta tu in mulieribus* etc. *Oculus videns*, fidelitatem meam, *testimonium reddebat mihi eo quod liberassem*, misericorditer et potenter, *pauperem vociferantem*, id est peccatorem, quem diabolus suffocabat, infernus absorbere volebat, et contra quem omnis creatura insurgere disponebat. *Et pupillum cui non esset adiutor*, nec inter angelos, nec inter homines.

8. Ostendit etiam sensus relevatricem cadentium. Iob. 29: *Benedictio perituri* in anima, et corpore, *perituri* coram Deo, et omni creatura, *super me veniebat*. Glossa: Benedictio perituri evenit, cum peccatoris interitum praevenit, et a culpae fovea reducit. *Et cor viduae consolatus sum*, id est animae Deo viduatae.

9. Ostendit etiam se et peccatorum caecorum ductricem, et claudorum sustentatricem. Iob. 29: *Oculus fui caeco*, id est peccatori, ipsum ducens, ipsi viam monstrans, ipsum a fovea inferni defendens, *et pes claudo*, id est peccatori.

10. Ostendit etiam se esse diaboli, et peccati, et inferni spoliatricem, peccatorum ereptricem. Iob. 29: *Conterebam molas iniqui*, id est diaboli, insidias eius nudando, *et de dentibus illius auferebam praedam*, eruendo peccatorem, quem iam comedebat, et deglutire volebat miserabiliter, auferebam. Glossa: Convertendo. Item auferebam etiam violenter, sapienter, totaliter, et finaliter praedam, id est miserum peccatorem.

11. Ostendit etiam se esse aridissimi mundi copiosissimam irrigatricem. Iob. 29: *Expectabant me*, id est meum adventum per nativitatem in mundum, hi qui in terra, et in purgatorio erant, *sicut pluviam* salutiferam, mundam, et generalem. *Et os suum aperiebant, quasi ad imbrem serotinum*.

12. Ostendit etiam se more filii esse largissimam gratiarum datricem. Iob. 31: *Si negavi quod volebant, pauperibus*, id est humilibus. *Et oculos viduae expectare feci*, id est distuli dare expectantibus. Glossa: Lumen dationis tarditas non offuscat. Incunctanter dandum est, quod cum vera humilitate quaeritur, id est quod nec ex desiderio, sed ex necessitate poscitur, ut non solum ex munere, sed etiam celeritate muneris bonorum operum merita augeantur.

13. Ostendit etiam se esse famelicarum animarum cibatricem. Iob. 31: *Si comedi buccellam meam solus*, id est mihi data a Deo non communicavi aliis: immo, quod plus est, buccellam, id est corpus Filii mei non communicavi alios. *Et non comedit* abundanter, et fiducialiter, et regaliter, iuxta illud psal. 77: *Panem angelorum manducavit homo: pupillus ex eo*, cuius mater ego sum per miserationem, et cibatrix per largitatem. Glossa: Solent enim nonnulli multa largiri: sed habere pauperes socios in domestica conversatione refugiunt, gratiam communis vitae non habentes: sed iste praeiudicium pietati se facere existimaret, si solus comederet, quod Dominus omnium communiter creasset.

14. Ostendit etiam se misericordiam continere non posse, praecipue quando invocatur. Iob. 31: *Ab infantia crevit mecum miseratio*, magna, pia, et diffusa. *Et de utero matris meae egressa est mecum*, abundanter et communiter.

15. Ostendit etiam se non posse despicere quemquam, licet peccator sit, dum tamen quaerat misericordiam. Iob. 31: *Si despexi pereuntem*. Glossa: Hic humilitas, quia quidam magis dant pro notitia, quam pro natura: *eo quod non habuerint indumentum* virtutum. Glossa: Propter hoc non despexi *absque operimento pauperem*, licet sim *in vestitu deaurato, circumdata varietate*. Psal. 44: *Si non benedixerunt mihi latera eius, et de velleribus ovium mearum calefactus est*. Glossa: Haec est pietas.

16. Ostendit etiam se esse iudicem misericordiae magis, quam iustitiae in causa peccatorum. Iob. 31: *Si levavi super pupillum*, id est peccatorem, *manum meam*, scilicet ad opprimendum eum? *Etiam cum viderem me in porta superiorem*, id est in iudicio superiorem omnibus angelis et sanctis. Glossa: Neque enim tunc utilitatis meae negotia virtute contra pupillum exigere volui, quando me in iudicio, etiam ex iustitia potiorem vidi: hic enim portae nomine iudicium, quod in porta agebatur, significat.

17. Ostendit etiam se esse hospitam et receptricem generalem Dei et hominum largissimam. Iob. 31: *Foris non mansit peregrinus*: hospitium virginalis uteri praebens Filio Dei, peregrino etiam hospitium gratiae, et misericordiae, et gloriae. *Ostium meum viatori patuit*, celeriter, totaliter et frequenter.

18. Ostendit etiam se esse Reginam coelorum. Iob. 29: *Cumque sederem*, regaliter, potenter, et sublimiter, *quasi* Regina, uxor et Mater Regis aeterni, *circumstante exercitu* peccatorum, *eram tamen moerentium consolatrix*.

19. Item ipsa est aquila singularis, de cuius laude et praeconio loquitur Dominus ad Iob. 39: *Numquid ad praeceptum tuum*, sicut ad meum, qui quidquid praecipio, inspiro, *elevabitur*, in natura, gratia, et in gloria etiam, et in omni praerogativa, *aquila*, id est Maria, super omnes choros angelorum: *et in arduis ponet nidum suum? Pulli eius lambent sanguinem, et ubicumque cadaver fuerit, statim adest*. Glossa: Christus sedens in coelo iustorum est refectio.

PARABOLAE SALOMONIS

PARABOLAE SALOMONIS FILII DAVID REGIS ISRAEL

1. Regina omnium creaturarum vocatur a Salomone sapientia. Proverb. 7: *Dixit sapientiae*, id est Mariae: *Soror mea es*. Sicut enim summam humilitatem habuit, ita summam sapientiam

Digitized by Google

ete. Ubi humilitas, ibi et sapientia. Sed in Marie fuit improportionabilis humilitas. Ergo improportionabilis sapientia. Sapientia enim est quidam gustus spiritualis, el primae veritatis per modum summae bonitatis, quam ipsa prae omnibus habuit. Hanc sapientiam debemus ad consilium Salomonis vocare sororem nostram. Sed quia sequitur: *Ut custodiat te*, quasi sapientissima, et fidelissima, *a muliere extranea*, id est ab omni immunda, et prava voluntate, *et ab aliena, quae verba sua dulcia facit*, cum sint amarissima.

2. Item ipsa est saccus redemptionis. Prov. 7: *Sacculum*, id est Mariam, pecuniae, liberationis hunc *secum tulit: in die plenae lunae reversurus est in domum suam.*

3. Item in persona veritatis increatae, et sapientiae aeternae clamat ad nos per Salomonem Prov. 8: *Audite me*, tanquam matrem filii, *quia de magnis rebus locutura sum. Dominus possedit* me. Quasi diceret: Magna sunt, quae dico, *quia fecit mihi magna, qui potens est*. Luc. 1. De hoc gratias ago, quia Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, scilicet *possedit me*. Pater per omnia *possedit me*, ab omni peccato potentialiter eripiendo. Filius *possedit* per sapientiam, me assumendo in cooperationem ad generis humani redemptionem. Gen. 2: *Non est bonum hominem esse solum*, etc. Spiritus sanctus *possedit me*, tanquam templum gloriae, dignanter inhabitando, et omni gratia totaliter implendo. *Ave gratia plena*, Luc. 1, et iterum: *Spiritus sanctus superveniet*, etc.

4. Item gratias ago tibi, quia per eum aeternum sive *ab aeterno ordinata sum*. Nullus enim angelorum, seraphim vel cherubim, sed ipse aeternus *ab aeterno ordinavit me*. Item summus Pater ordinavit me in exorcistam, quantum ad daemonum expulsionem. Unde Gen. 3: *Ipsa conteret caput tuum*. In ostiariam, quantum ad immundorum exclusionem, et mundorum introductionem. Ezech. 44: *Porta haec clausa erit principi. Princeps ipse sedebit in ea*. Quasi diceret: Porta haec principem et imitatores suos introduxit, et indignioribus clausa erit. In Lectorem, quantum ad omnium prophetarum expositionem ad litteram in seipsa. Unde Isai. 7. *Ecce virgo concipiet* etc. Et angelus ad ipsam Luc. 1: *Ecce concipies*. In Acolythum, quantum ad illuminationem. Cantic. 6: *Quae est ista, quae ascendit quasi aurora consurgens?* etc. Et illud Num. 24 *Orietur stella*. In Subdiaconum, quantum ad verbi divini observationem, quad alius scribendum narravit. Unde Luc. 2: *Maria conservabat omnia verba haec, conferens*, etc. In Diaconum et Sacerdotem, quantum ad corporis Domini de ipsa formationem et dispensationem. Communicavit enim nobis corpus Filii sui in cibum, et sanguinem suum in potum. In Episcopum quantum ad solicitudinem omnium ecclesiarum. In Papam, qui est pater patrum, habens in coelo et in terra potestatem: sic et ipsa mater est omnium christianorum, et habet potestatem in coelo et in terra, et in purgatorio, et in inferno. Sic ergo Mater Dei Regina coeli est totaliter ordinate. Vel aliter *ordinata sum*, ut dicit Bernardus serm. 2 in Pentecoste, et in sermone de B. Virgine super illa verba Apoc. 12: *Habebat in capite coronam stellarum duodecim*: « Angelo in « laetitiam, iusto in gratiam, peccatori in veniam, tristi in con« solationem, captivo in redemptionem, diabolo in conculcatio« nem ».

5. Tertio gratias ago de hoc, quod concepit me propter destinationem contra mortis et peccati destructionem. Hoc notatur ibi: *Necdum erant abyssi*, id est daemones: vel abyssi miseriae et peccati: *et ego iam concepta eram*, scilicet in praesentia, et praedestinatione Dei, ut exhiberem lucem contra tenebras, gratiam contra culpam, vitam contra mortem.

6. Quarto gratias ago de hoc, quod assumpsisti me ad componendum: quod notatur ibi: *Cum eo eram cuncta componens*, in utero meo per incarnationem componens eram primum cum ultimo, parvum cum magno, deitatem cum humanitate. Unde Prov. cap. ultimo: *Procul et de ultimis finibus* terrae. Item eram in mundo *componens* per filii mei passionem, et totius humani generis redemptionem. Item *eram componens* cum Filio meo coelestia ad inhabitandum, terrestria ad peregrinandum, infernalia ad cremandum.

7. Commendatur etiam Beatissima Virgo Maria a sua fideli caritate, quia matrem se nostram nominat, et nos suos filios appellat. Proverb. 8: *Nunc ergo, filii, audite me*, vocantem, consolantem, pro vobis intercedentem, et vos instruentem. *Beati*, sunt corpore et anima, *qui custodiunt vias meas*, vias humilitatis contra superbiam, castitatis contra luxuriam, largitatis contra avaritiam. *Et qui me invenerit*, humiliter, et devote, et fideliter serviendo, *inveniet vitam*, gratiae et gloriae, *et hauriet salutem a Domino*, animae et corporis, a *Domino*, qui est salus aeterna.

8. Commendat etiam eam Salomon a fortitudine. Proverb. c. ultimo: *Mulierem fortem quis inveniet*, sicut Mariam? Tria sunt quibus fortitudo maxima appropriatur, scilicet Deus, mors, et diabolus. Deum per humilitatem quodammodo superavit. Unde Gregorius lib. 34 Moral. cap. 18: *Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam is, qui sine aestimatione magnus est factus, est parvus usque ad passionem?*

Item mortem, cui nemo mortalium resistere potest, superavit: quia per eam vita redit. Item diabolum in nihilum cum omni eius potestate redegit. Unde Genes. 3: *Ipsa conteret caput tuum*.

9. Item commendatur a confidentia, quam quis habet in ipsam. Proverb. ult. *Confidit in ea cor viri sui*. Glossa: Ut rex in castro inexpugnabili. Omnes enim sancti expugnabiles fuerunt, saltem quantum ad venialia. Haec autem omnino inexpugnabilis. Vel *confidit in ea*, ut negotiator in uxore negotiosissima; quia nullus angelorum vel hominum tantas animas Deo lucratur, sicut ipsa. Vel *confidit in ea*, ut pater in filia prudentissima. Ipsa enim scit sola prae omnibus prudenter allegare coram omni coelesti principe de peccatorum salute.

10. Item commendatur ab eius officiosissima operatione. Prov. cap. ultimo: *Quaesivit enim lanam, et linum, et operata est consilio manuum suarum*. Glossa: Quia operuit Filium Dei humanitate, peccatorem miseratione, Ecclesiam sancti Spiritus illuminatione.

11. Comparatur etiam navi applicanti ad portum propter utilitatem. Proverb. c. ultimo: *Facta est*, Virgo Maria, *quasi navis*, refertissima, *institoris*, scilicet Christi, *de longe portans panem suum*, scilicet nobis. *Panem angelorum manducavit homo*, psalm. 77.

12. Commendatur etiam a fortitudine. Ibi: *Manum suam misit ad fortia*. Fortia dicit perfecta opera, ut est diligere inimicos, benefacere odientibus, et orare pro persequentibus nos. Matth. 5.

13. Commendatur etiam a largitate. Ibi: *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem*. Tanta enim eius fuit largitas, ut se totam aperiret per largitatem. Aperuit uterum Filio, oculos pro peccatoribus ad flendum, aures ad preces eorum audiendum, et os ad placandum. Unde subditur: *Os suum aperuit sapientiae, et lex clementiae in lingua eius*. Glossa: Ut non statim puniat, ut lex Moysi, sed semper misericorditer parcat.

14. Commendatur etiam a summa beatitudine. *Surrexerunt filii eius, et beatissimam praedicaverunt*. Praedicaverunt eam beatam in natura, beatiorem in gratia, beatissimam in gloria. Vel praedicaverunt eam beatam super omnes coniugatas, beatiorem super omnes viduas, beatissimam super omnes virgines. Vel praedicaverunt eam beatam in conversione peccatorum, beatiorem in conversatione iustorum, beatissimam in coronatione electorum.

15. Commendatur etiam in divitiarum immensitate. Sic ibi: *Multae filiae congregaverunt divitias*, id est omnes animae beatae particulariter, difficulter, exiliter. *Tu* vero, quae Dei Mater es, *supergressa es universas*, in multiplicitate, in pretiositate, et gratiarum omnium immensitate.

LIBER ECCLESIASTES

VERBA ECCLESIASTES FILII DAVID REGIS IERUSALEM

1. Imperatrix Virgo Maria commendatur a Salomone a suae nativitatis nobilitate, et assumptionis suae gloriositate. Eccle. 1: *Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur*. Sol iste est Virgo Maria, qui ortus est toti Ecclesiae, quando nata fuit. Sciendum autem, quod in genealogia nata fuisse narratur a bonis et a malis. Quod a bonis nata fuit, triplex potest esse ratio. Prima, ut nobilitatis antiquitas ipsam nobilitaret, quia unaquaeque arbor de fructu suo agnoscitur. Tale enim magis tale in natura per virtutem perficitur, quod ad ipsam ex naturae origine inclinatur: virtutes enim per se innatae sunt nobis, perficiuntur autem per consuetudinem. Secunda ratio est, ut sanctitas eam undique circumdaret: retro per nobilitatem, ante per utilitatem; supra per dignitatem, infra per potestatem; a dextris per virtutum communitatem, a sinistris per peccati immunitatem; intra per caritatem,

Digitized by Google

foris per conversationem perfectam. Tertia ratio est, ut eius humilitas humilior appareret, sicut dicit Bernardus epistola 123 ad d. Hildelbertum turonensem archiepiscopum, nempe in alto non altum sapere, sed humilibus consentire, nil Deo carius, nil rarius apud homines. Triplici etiam ratione orta fuit a malis. Prima est, ut comparatione alterius extremorum extolleretur iuxta illud philosophi lib. 2 de coelo, com. 40, et lib. 1 de anima, com. 85, opposita iuxta se posita magis elucescant. Cantic. 2: *Ut lilium inter spinas*, etc. *Sicut spina rosam, genuit Iudaea Mariam*, canit Ecclesia. Secunda ratio est, ut sapientia misericordiae appareret. Est enim exitus de bono ad bonum. Unde Gen. 1: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.* Est exitus de malo ad malum. Eccli. 10: *Initium omnis peccati superbia.* Est etiam exitus de bono ad malum, ut Eccli. 25. *De muliere peccati initium.* Est etiam exitus de malo ad bonum. Et hoc solius Dei est proprium. *Cuius sapientia vincit malitiam, et attingit*, etc. Sapientiae 7, 8. Tertia ratio est, ut confidentiam peccatoribus generaret, per hoc, quod ut mediatrix eorum eadem propinquitate utramque extremitatem attingeret. Unde sicut soror Dei est, et mater et filia: sic etiam Ecclesia mater, soror, et filia Dei: ut sic etiam a natura inclinaretur ad miserendum peccatori. Hic est, *arcus positus in nubibus coeli in signum foederis*, inter coelum et terram, Genes. 9. Non enim potuit Deus cum peccatoribus stabilius, et efficacius firmare pacem, quam quod filiam peccatorum Filio suo accepit in sponsam, et in matrem. Nec aliquis inter Deum et hominem pacem fecit, quam quae mater utrinsque extitit. Sequitur:

Et occidit: quia vitam eaum per mortem solvit. *Et ad locum suum revertitur*, id est ad coelum a Deo aeternaliter praeparatum.

2. Commendatur quoque Beatissima Domina ab omni gratiarum redundantia, et immensitate. Eccle. 1: *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat*, scilicet per superbiam. Maria interpretatur Domina, vel illuminatrix, vel illuminata, vel stella maris, vel amarum mare, quae interpretationes optime illi conveniunt. Ipsa est Domina: quia omnium, quorum ipse Deus est Dominus, et ipsa est Domina. Et in hoc notatur singularis excellentia. Ipsa etiam est stella veri solis, sine corruptione, vel diminutione integritatis generativa, et in hoc exponitur suae conceptionis puritas. Ipsa est etiam omnium bonitatum universalis distributrix. Et ideo dicitur stella. Dicitur etiam mare: quia omnibus gratiis plenissima est. Quia sicut in mari est omnium aquarum congregatio, ita in ipsa est omnium gratiarum adunatio. Genes. 1: *Congregationes aquarum appellavit maria.* Ipsa etiam in sui ipsius conversatione in hoc mundo per totum amara, sed in Filii passione amarissima, insuper omnibus de amaritudine exeuntibus causa et exemplum.

CANTICA CANTICORUM

OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI

1. Hic commendatur Domina angelorum a Salomone a reconciliatione Dei et peccatorum. Unde merito templum pacis dicitur, in quo osculata est divinitas humanitatem. In quo templo *obviaverunt sibi misericordia et veritas, iustitia et pax osculatae sunt*, psal. 88. Cantic. 1: *Osculetur me osculo oris sui.* Glossa: Incarnatione Filii, quae est praelibatio communicationis nostrae, et Dei. Unde Bernardus ser. 2 super Cantica: « Sit os osculans « verbum assumens: osculatum caro, quae assumitur: osculum vero, quod pariter ab osculante et osculato conficitur, persona ipsa « ex utroque compacta, *mediator Dei et hominum homo Christus* « *Iesus*, 1 ad Tim. 2. Minime igitur mihi suspectus erit. *Frater* « *enim, et caro, mea est*, Gen. 3. Puto enim quod sperauere non « poterit Christus, *os de ossibus suis, et carnem de carne sua*, « Genes. 2 ».

2. Item commendatur a pulcritudine qua interius et exterius pollebat. Cant. 1: *Ecce tu pulcra es, amica mea*, simplicitate cordis, et munditia operum. *Oculi tui columbarum.* Glossa: Quibus Deum simpliciter intueris, et nihil aliud nisi ipsum quaeris. De pulcritudine Virginis nostrae sciendum quod sicut Filius *speciosissimus forma prae filiis hominum*, ps. 44, ita ipsa pulcherrima inter filias, et filios hominum. Habuit enim pulcritudinem, quae potuit esse in mortali corpore. Quod autem evangelium nihil scribit de pulcritudine eius, non potest esse causa, quod cum Domina nostra nobis posita sit in exemplum, et in speculum salvos faciendi, non vult eam a talibus laudari, quorum inordinatus appetitus, vel usus fuit multis, et est hodie causa pereundi. Alia causa est, quod sicut angeli supremi a donis nobilioribus laudantur et denominantur, et non ab inferioribus, quae tamen in ipsis esse non dubitantur: ita et B. Virgo donis spiritualibus plenissima, donis gratuitis nobilissima ita occupat animos laudantium, quod bonorum corporalium obliviscuntur. Tamen pro infallibili regula debemus habere, qui eam diligimus, quod quidquid aequum bonitatis in aliquo sanctorum fuit vel pulcritudinis, in ipsa hoc per excellentiam excreverit, et per ipsam in eos.

3. Item ipsa est lilium totius castitatis, et odoris. Cantic. 2: *Sicut lilium inter spinas*, etc. Glossa: Quod pungitur spinis, candorem tamen retinens, et tunc maiorem odorem effundens. Namquid non fuit *lilium* nostrum *inter spinas* detrahentium ei, et Filio eius? *Nonne hic est Filius Mariae?* etc. Marc. 6, et maxime quando stetit inter crucifixores iuxta crucem apud Filium? Ioan. 19.

4. Item ipsa est cellaria totius Trinitatis, quae de vino Spiritus sancti dat, et propinat cui vult, et quantum vult. Unde et congratulando dicit Cantic. 2: *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Glossa: Id est in Ecclesiam, in cuius unitate Spiritus sanctus solet dari et accipi. Vel cella vinaria est coelum empyreum, ubi omnes *inebriantur ab ubertate domus Dei*, psal. 35, in quam introducta fuit a Rege in die assumptionis.

5. *Ordinavit in me caritatem*, Cantic. 2, quam mihi excellentissime super omnes dedit. Quod sic probatur per Luc. cap. 7, quaerenti Domino de duobus debitoribus, *quorum unus debebat quingentos denarios, et alius quinquaginta, et non habentibus unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit: Aestimo, quod is, cui plus donavit.* Sed B. Virgini super omnes creaturas plus donatum est. Ergo super creaturas plus diligit. Item Deus *dat omnibus affluenter*, Iacob. 1, etc. *Illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioan. 1; non tamen omnes recipiunt aequaliter. Cuius diversitatis duplex causa est. Una ex parte recipientis, quia alter altero capacior est, iuxta illud, *Divisit illis bona sua, unicuique secundum propriam virtutem*, Matth. 25. Glossa: Id est capacitatem. Hanc autem capacitatem operatur humilitas vera iuxta illud, *humilibus dat gratiam*, Iacob. 4. Ergo ubi maior humilitas est, ibi maior capacitas est. Sed ipsa super omnes humillima fuit. Ergo maxime capax. Ergo maximam gratiam recipere potuit, scilicet quantum recipere potuit, tantum recepit. Item ex parte dantis est diversitas doni; quia cum dans det secundum rationem, et ratio respiciat finem, maius donum dat, quod dat ad maiorem finem, ut imperator maius donum dat ad essendum senatorem, quam cui dat ad essendum simplicem servitorem. Sed dabatur Mariae gratia ad essendum Matrem Dei, et omnibus aliis datur ad essendum servos et ancillas Dei. Sicut ergo improportionabiliter maius est esse Matrem Dei, quam servum Dei, ita improportionabiliter erit maius donum ad essendum Matrem Dei, quam ad essendum servum Dei: sed donum in quo omnia donantur, est caritas Beatae Virginis: ergo improportionabiliter maior erit caritate omnis creaturae. Habuit etiam B. Virgo summam caritatem ad proximum, quia animam Filii, et ipsum Filium pro proximo posuit, quem plus quam propriam animam dilexit, insuper obtulit. Et sic est quod dicitur: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, Luc. 2.

6. Item ipsa est speculum totius pulcritudinis post Deum. Cantic. 2: *Ostende mihi faciem tuam*, scilicet faciem humilitatis quam ostendisti in incarnatione, dicens: *Ecce ancilla Domini*, Luc. 1. Faciem palloris, quam ostendisti in mea passione; faciem summi decoris, quam ostendisti in tua assumptione.

7. Cantic. 2: *Sonet vox tua in auribus meis.* Vox pietatis, quando dixisti Ioann. 2: *Vinum non habent.* Vox fidelitatis consuluisti. Ibidem: *Quaecumque dixerit vobis, facite.* Vox doloris, quando dixisti Luc. 2: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Vox invitationis ad famelicos peccatores invitandum. Proverb. 9: *Venite, comedite panem meum*, etc. Eccli. 24: *Transite ad me omnes qui concupiscitis me*, etc. Hae voces dulciter sonant in auribus meis. *Vox enim tua dulcis*, et sermo tuus decorus.

8. Item ipsa est lectulus Salomonis, Cant. 3, in quo requievit novem mensibus Filius Dei. Unde ipsa dicit: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*, Eccli. 24.

9. Item ipsa est turris munitissima in se, et in aliis. Cant. 4;

Digitized by Google

Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea. Ibi quisque inveniet defensionem contra malum suum. Ibi pendet clypeus castitatis contra luxuriam, humilitatis contra superbiam, caritatis contra invidiam, largitatis contra avaritiam. *Omnis armatura fortium*, in ipsa.

10. Item ipsa est, quam tota Trinitas multiplici nomine ad se venire invitavit. Cantic. 4: *Tota pulcra es, amica mea.* Glossa: Immunis etiam a veniali peccato: *et* ideo *macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea*, etc. Ter dicit, *Veni*, propter fidem Trinitatis. Nota, quod multum dilecta Regia, multiplici nomine solet a diligente appellari. Sic B. Virgo a Deo vocatur amica, columba, dilecta, speciosa, formosa, soror, immaculata, perfecta, electa, Sunamitis, filia. Diversitatem horum nominum nota, et gloriosae Virgini adapta.

11. Item ipsa est, quam Salomon comparat aurorae in sua nativitate, lunae plenae in Filii Dei ineffabili conceptione, soli in sua assumptione, *terribili castrorum aciei*, in daemonum effugatione. Cantic. 6: *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora* etc.

12. Item ipsa est, ad quam Cantic. 6: *Revertere, revertere Sunamitis, revertere*, etc. Petrus Damianus serm. 2 de nativ. B. Virginis, sic exponit. « Revertere primo per naturam. Numquid « quia ita deificata, ideo nostrae humanitatis oblita es? Nequa- « quam Domina. Scis in quo discrimine nos reliqueris, ubi ia- « ceant, quantum delinquant servi tui. Non enim convenit tantae « misericordiae tantam miseriam oblivisci: quia etsi subtrahit « gloria, revocat natura. Non enim ita memoraris iustitiae Dei « solius, ut misericordiam non habeas: neque ita es impassibilis, « ut sis incompassibilis. Naturam nostram habes, non aliam; et « iustum est, ut de rore tantae pietatis diffusius infundamur. Re- « vertere secundo per potentiam. Fecit in te magna, qui potens « est, Luc. 1. Et data est tibi omnis potestas in coelo et in ter- « ra, Matth. 28. Quid tibi negabitur, cui negatum non est, Theo- « philum de ipsis perditionis faucibus revocare? Infelicem soi- « mulam totum illud, quod in te factum est, proprio charactere « denegantem de luto faecis et miseriae sublevasti. Nil tibi im- « possibile, cui possibile est, desperatos in spem beatitudinis re- « levare. Quomodo enim illa potestas tuae potentiae poterit ob- « viare, quae de carne tua carnis suscepit originem? Accedis « enim ante illud aureum humanae reconciliationis altare, non « solum rogans, sed imperans, Domina, non ancilla, moveat te « natura, potentia moveat: quia quanto potentior, tanto miseri- « cordior esse debebis.

« Revertere tertio per amorem. Scio Domina, quia benignissi- « ma es, et amas nos amore invincibili, quos in te, et per te Fi- « lius tuus et Deus tuus summa dilectione dilexit. Quis scit, « quoties refrigeras iram iudicis, cum iustitiae virtus a praesen- « tia deitatis egreditur?

« Revertere quarto per largitatem. In manibus tuis sunt the- « sauri miserationum Domini, et sola electa es, cui gratia tanta « conceditur. Absit ut cesset manus tua, cum occasionem quae- « ras salvandi miseros, et misericordiam effundendi: neque enim « tua gloria minuitur, sed augetur, cum poenitentes ad veniam, « iustificati ad gloriam assumuntur.

« Revertere ergo Sunamitis, id est despecta, cuius animam « pertransivit gladius, Luc. 2: quae fabri, Matth. 13, 55, uxor « appellata fuisti. Ad quid? Ut intueamur te. Summa gloria est, « post Deum te videre, adhaerere tibi, ut tuae protectionis mu- « nimine demorari. Subveni igitur, Domina, ad te clamantibus « iugiter fratribus. Hic triplex funiculus est, qui trahit matrem « misericordiae ad nos visitandos, et consolandos, scilicet funi- « culus naturae, funiculus amoris, funiculus largitatis ».

13. Commendatur etiam Regina nostra a summa post Dominum nobilitate. Cantic. 7: *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis*, a qua ipse Christus etiam vera generatione descendit. Porro ista nobilitas consideratur in substantia, si nobilem substantiam et proprietatem in se possideat. Habuit autem in substantia naturae perfectionem, et in anima gratiae plenitudinem. Item consideratur in efficacia, si nobiles de se producat effectus, at ipsa ipsum Dominum, Dei Filium de se generavit. Unde B. Virgo in omnibus, in quibus nobilitas consideratur, in summo nobilis invenitur. Ipsa enim originem duxit a regibus, a sacerdotibus, et prophetis. Unde et est Regina misericordiae, Sacerdos iustitiae, quae *proprio Filio suo non pepercit*, Rom. 8, sed *stabat iuxta crucem*, ut dicit Ioan. 19, ut non solum Filium Dei consideraret, sed ut salutem humani generis expectaret, Prophetissa sapientiae, iuxta illud Isai. 8: *Accessi ad prophetissam*, id est Mariam. Et licet elevata per summam nobilitatem in sursum, tamen per humilitatem se ipsam depressit subtus omnes deorsum. Unde dicit Augustinus, (1) quod nequaquam fuisset super omnes choros angelorum exaltata, nisi fuisset infra omnes homines humiliata. Et sciendum quod ubi nobilitas carnis ornatur nobilitate ac meritis, utraque praestat alteri laudis incrementum: si autem separantur, tunc nobilitas carnis non tantum non laudetur, sed vituperatur: quia qualitas mali operis contraria agit nobilitati carnis originis. Et tanto detestabilior est deformitas operationis, quanto magis est contra naturalem inclinationem originis, et nobilitatis. Nobilitas autem mentis sine nobilitate carnis tanto amplius laudatur, quanto etiam propriam vincens naturam laudabilius operatur.

14. Commendatur etiam a deliciarum copiositate. Cantic. 7: *Quam pulcra es, et quam decora carissima in deliciis*, scilicet gratiae, et gloriae. Has delicias admiratur Salomon, cum ait Cantic. 8: *Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens?* etc. De ista gloriosa ascensione, sive assumptione Virginis Matris sic loquitur Bernardus in serm. 4 de assumptione B. Virginis: « Tempus loquendi est omni carni, cum assumitur in- « carnati Verbi Mater in coelum: nec cessare debet a laudibus « humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortales « spiritus exaltatur in Virgine. Sed de eius gloria nec silere de- « votio patitur, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, « aut inerudita potest locutio parturire. Hinc est, quod ipsa coe- « lestis curiae principes in consideratione tantae novitatis cla- « mant non sine admiratione: Quae est ista, quae ascendit de de- « serto deliciis affluens? etc. Quasi dicerent: Quanta est haec, « et unde ei ascendenti utique de deserto affluentia tanta delicia- « rum? Nec enim pares inveniuntur deliciae, etc. Quae est ista « quae de sub sole (ubi nihil est nisi labor, et dolor, et afflictio « spiritus) ascendit deliciis spiritualibus affluens? quidni delicias « dixerim, virginitatis decus cum munere fecunditatis, humilita- « tis insigne, distillantem caritatis favum, misericordiae viscera, « plenitudinem gratiae, praerogativam gloriae singularis? quid « mirantur angeli de terra deserta Mariam ascendere deliciis af- « fluentem? Mirentur potius pauperem Christum de coelestis re- « gni plenitudine descendentem. Longe enim ampliori miraculo « dignum videtur, Dei Filium paulo minus ab angelis minorari, « quam Dei Matrem super angelos exaltari. Illius siquidem ex- « inanitio facta est repletio nostra: illius miseriae mundi deli- « ciae sunt. Quae est ista? Fateor imperitiam meam, pusillanimi- « tatem propriam non abscondo: non est equidem quod me ma- « gis delectet, sed nec est, quod me terreat magis, quam de « gloria Virginis Mariae habere sermonem. Quae est ergo ista? « Tanto eam devotionis affectu amplectuntur, honorant, susci- « piunt (ut dignum est) universi, ut licet de ea loqui gestiant « omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici « potuerit, minus gratum sit, minus placeat, minus accepte- « tur ». *Quae est ergo ista?* Haec est, quae, ut inquiebat *Sedulius*,

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem,
Gaudia matris habens cum virginitatis honore.

« *Optimam* inquit, *partem elegit sibi Maria*, Luc. 10. Opti- « mam plane, quia beata fecunditas virginea, et fecunda virgini- « tas Mariae privilegium est, non dabitur alteri, quia *non aufe- « retur ab ea*, Luc. ibid. Omnes virtutes singulares prorsus inve- « nies in Maria, quae videbantur esse communes. *Quae est ista?* « Haec est purissima super omnes angelos. Quae enim vel an- « gelica puritas virginitati illi audeat comparari, etc. *Quae est « ista?* Haec est humillima, super omnes pretiosa. Est in ipsa « humilitatis virtus cum tanta innocentia, cum conscientia pror- « sus absque delicto, imo cum tantae gratiae plenitudine, etc.

« *Quae est ista?* Haec est misericordissima. Sileat misericor-

(1) Locum hunc in s. Augustino non invenimus, sed in anonymo auctore sermo de nativ. B. Virginis, qui incipit: *Creatoris matrem*, apud p. Canisium lib. 4 de Deipara, c. 6, et in s. Bernardo serm. de B. Maria super illa verba Apoc. 12: *Signum magnum apparuit.*

diam tuam Virgo Beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminit defuisse. Nos quidem servuli tui ceteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur carius, recordamur saepius, crebrius invocamus. *Quae est ista?* Haec est totius mundi reparatrix: haec est enim, quae totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Constat enim eam pro universo genere humano fuisse solicitam, cui dictum est: *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum*, Luc. 1, gratiam utique, quam quaerebas. *Quae est ista?* Haec est illa sublimis, cuius longitudinem bonitatis, latitudinem misericordiae, altitudinem caritatis, profunditatem humilitatis mensurare nemo potest. Quis ergo misericordiae tuae, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profunditatem queat investigare? Nam longitudo eius usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo eius replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimitas eius civitatis supernae invenit restaurationem; et profunditas eius sedentibus in tenebris et umbra mortis obtinuit redemptionem. *Quae est ista?* Haec est inferni evacuatrix, coelestis Ierusalem restauratrix, vitae perditae donatrix. Per te enim coelum repletum est, infernus evacuatus est, instauratae sunt ruinae coelestis Ierusalem, expectantibus miseris vita perdita data est. Sic potentissima, et piissima caritas et affectu compatiendi, et subveniendi abundat effectu, aeque locuples in utroque. Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra. Ad hunc misericordiae cumulum tota solicitudine miseria nostra recurrat. Ecce iam quibus potuimus votis ascendentem te ad Filium deduximus, et prosecuti sumus saltem a longe, Virgo benedicta.

« *Quae est ista?* Haec est, quae ideo ascendit in coelum, ut toti mundo gratiam, quam invenit, notificet, reis veniam impetret, medelam aegris. Sic deinceps pietatis tuae, quam apud Deum gratiam invenisti, notam fac mundo, scilicet reis veniam, medelam aegris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium, et liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die solemnitatis et laetitiae dulcissimum Mariae nomen cum laude invocantibus servulis per te, Regina clemens, gratiae suae munera largiatur Iesus Christus, qui est super omnia Deus benedictus in saecula ».

15. Item ipsa est, quam super omnem creaturam Deus allocutus est, Cantic. 8: *Soror nostra*, scilicet Maria, *parva est*, scilicet per humilitatem, sed maxima per dignitatem: *Ubera non habet*, scilicet concupiscentiae et luxuriae, sed gratiae et misericordiae. Ergo *quid faciemus sorori nostrae*, fidelissimae, verecundissimae, in *die* annuntiationis, *quando alloquenda est?* Per angelum exterius, ac per annuntiationem a tota Trinitate interius, ad Filii Dei receptionem, ad hominum reconciliationem, ad inferni clausionem, ad coeli reserationem, ad aeternam diaboli concolcationem.

16. Item ipsa est murus defensionis. Cantic. 8: *Ego murus*, firmissimus, *et ubera mea sicut turris*, salvans et exaltans, *ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens*, quam nullus poterat reperire. Gen. 8. Ego sum columba Noe, Ecclesiae ramum olivae, et pacem deferens universalis.

LIBER SAPIENTIAE

DILIGITE IUSTITIAM QUI IUDICATIS TERRAM

1. Beatissima Domina dicitur Mater instructionis peccatorum stultorum. Sap. 7: *Ignorabam*, ego scilicet peccator, *quoniam omnium*, scilicet fidelium Christi, *mater esset sapientia*, scilicet Maria.

2. Item ipsa est speculum bonitatis Dei, et speculum imitationis. Sap. 7: *Candor est lucis aeternae, et speculum sine macula*. Glossa: Etiam venialis peccati, *et imago bonitatis Dei*.

3. Item ipsa est unctrix Dei et hominis, *quae attingit a fine* misericordiarum Dei, *usque ad finem* miseriarum hominis peccatoris. Sap. 8. Sapientia *attingit a fine usque ad finem fortiter*, etc.

4. Item ipsa est mater communicationis omnium bonorum, Sap. 8, et mater consolationis, taedium auferens per piam consolationem, et allocutionem sapientiae, *adducere ad convivendum*, per devotionem ipsam ad me venire invitans: *sciens quoniam mecum* communicabit largiter, fideliter, humiliter, et utiliter; *de bonis* gratiae et gloriae, *et erit taedii mei allocutio*. Glossa. Id est alleviatio.

LIBER ECCLESIASTICI

OMNIS SAPIENTIA A DOMINO DEO EST

1. Theotocos, Virgo Maria, dicitur fidelissima susceptrix servorum suorum. Eccli. 4: *Sapientia*, id est Maria, *filiis suis vitam inspirat*, gratiae et gloriae, id est Deus per ipsam *suscipit* gloriose *inquirentes se*, humiliter et devote, *et praeibit in via iustitiae*, scilicet per gratiam in praesenti, et postea in morte *praeibit* ad viam gloriae, et quo introibit? Glossa: Ibi *benedicet Deus*, illum scilicet ditans et conservans. Gen. 30 dixit Iacob ad Laban: *Benedixitque tibi Dominus ad introitum meum*, multo fortius ad introitum Mariae.

2. Item ipsa est mater honorificata. Eccli. 15, quae cibat esurientem filium, potat sitientem, exaltat vivificatum, implet vacuum, thesaurizat gratiam et gloriam super egentem. *Et nomine aeterna* glorificat se diligentem. Haec sex matris gloriosae beneficia tanguntur Eccli. 15: *Obviabit illi quasi mater honorificata, et cibabit illum, et potabit illum, et nomine aeterno haereditabit illum*.

3. Item ipsa est lumen iustitiae. Eccli. 24: *Ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens*, id est Maria, *et sicut nebula, texi omnem terram*.

4. Item ipsa est thalamus requiei, in quo nunquam Filius Dei per aliquod peccatum inquietatus fuit. Eccli. 25: *In omnibus requiem quaesivi*, et non inveni nisi in Maria, propterea *in haereditate Domini morabor*, hoc est in Maria, quae antonomastice portio et haereditas Domini nuncupatur; unde propter hanc requiem ab Ecclesia ei dicitur, quod Domino coeli praebuit hospitium sui sancti corporis (1). Quare et ipse ei versa vice in sua assumptione praebuit hospitium, dicendo: *Hospes fui et recepisti me, esuriei et cibasti me*, Matth. 25. Ideo do tibi potestatem in *coelo*, *in terra*, *in mari, et in omnibus abyssis*, ps. 134.

5. Item ipsa est tabernaculum dormitationis et quietis Filii Dei. Eccli. 24: *Creator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*. Quasi quis quaereret: Quae causa adventus tui in hunc mundum foetidissimum? Respondeo: *creavit me*, ut per me sapientissimam Deus Pater placaretur; iurabat enim per Ierem. 13 dicens: *Non parcam, neque miserebor*. Sed quid sapiens Maria dicebat, ex quo inevitabile est, ut percutias, *Fiat manus tua super virum dexterae tuae, et super filium hominis, quem confirmasti tibi?* psal. 79. Qui ex divinitate ictum tantum sufferre possit, et tamen secundum humanitatem de illo dolebat supra modum, Pater vero illud Isai. 53: *Si posuerit pro peccato animam suam*, etc. Filius vero illud Ionae 1: *Si propter me tempestas haec orta est*, etc. placabo Patrem clamore, cruore, morte. Et tunc Pater placatus ait: *Nolo mortem peccatoris*, Ezech. 18, quia iam mortem Filii mei video: *sed volo, ut convertatur, et vivat*. Item creata sum, ut per me ignobilis peccator nobilitaretur: nihil enim ignobile, nisi peccator et peccatum. Ps. 62: *Facti sumus ut stercus terrae*, scilicet per peccatum, qui prius fuimus filii Dei per gratiam. Nata ergo Maria, nobilitati sumus per eam natura, quia a Christo dicimur christiani.

Item nata sum, ut debilitas humani generis per me fidelissimam iuvaretur. Eccli. 4: *Vidi lacrimas innocentium, et neminem consolatorem*. Unde ipsa consolando nos dicit illud Oseae 13: *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum*. Item creata sum, ut per me lucidissimam mundi tenebrae fugarentur. Genes. 1: *Fiat lux*, id est Maria, quae illuminat omnes, sed dissimiliter. Coniugatos illuminat ut stella, viduatos ut luna, virgines et religiosos ut sol. Item creata sum, ut fortitudo diaboli per me vinceretur. Genes. 18: *Ipsa conteret caput tuum*. Item creata sum, ut paupertas filiorum Adam per me ditaretur. Unde Hieronymus in serm. de assumptione B. Virginis, qui in-

(1) In prosa seu sequentia, quae incipit: — *Iubilemus in hac die. Hodiernae lux diei — Dies fuit requiei — Plasmatoris omnium — Sic quievit in Maria*, — *Dum ipsius in hac via — Virgo sit hospitium*.

Digitized by Google

cipit: *Cogitis me* (1), dicebat Virginem esse gratia plenam, quae dedit coelis gloriam, terris Dominum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitae ordinem, moribus disciplinam. Sequitur :

Requievit in tabernaculo meo, Eccli. 24, quia cum tota divinitate et humanitate. Requievit utiliter, quia in utero meo existens, *operabatur*, ut inquit David psal. 73, *salutem in medio terrae*. Requievit dulciter, nullum dolorem inferens, et cum integritate virginalis claustri cubicula intrans, et exiens. Requievit largiter, mihi *omnia* bona sua secum deferens. Sap. 7 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, etc. Requievit pariter, purissimus in purissima. Unde ipsa dicit Eccli. 24: *In civitate sanctificata*, id est Maria, *similiter requievi*. Potuit enim dicere Filius ei illud quod dixit Iacob ad Laban Gen. 30: *Modicum habuisti*, scilicet o mater, *antequam venirem ad te*, scilicet per gratiam in mente, et divinitatem in ventre. *Sed nunc dives*, et inclyta *effecta es*, quia Domina es in terra. Tibi enim traditae sunt *claves mortis et inferni*, atque coeli. Apocalyp. 1: *Benedixitque tibi Deus ad introitum meum*, Gen. 30; iste enim est introitus Noe in arcam, quando Genes. 7, *Rupti sunt omnes fontes abyssi*, gratiarum.

6. Item exaltata est in gloria et gratia super omnem creaturam. Eccli. 24: *Quasi cedrus*, scilicet ad pugnandum, *exaltata sum in Libano*, cuius odor diabolum serpentem antiquum fugat. Vel ad sustendandum onera totius generis humani, ut ibi: *Quasi cypressus in monte Sion*, quae nunquam cedit oneribus: sic ipsa nunquam aliquibus tribulationibus. Vel ad defendendum, ut ibi: *Quasi palma exaltata sum in Cades*, quae espansis ramis in modum manus hominis, habet folia. Vel ad pacificandum, ut ibi: *Quasi oliva speciosa*, quae est arbor pacis. Vel ad adumbrandum contra calorem tentationum, ut ibi: *Quasi platanus exaltata sum*, quae alta est, et habet lata folia, et per ramos diffusa. Sic et Regina coeli.

7. Item ipsa est vitis iucunditatis et laetitiae. Eccli. 24: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*. Comparatur autem Maria viti tribus de causis. Primo quia flos vitis fugat serpentes: sic Maria daemones. Secundo quia lacrima vitis sedat impetiginem et scabiem: sic Maria quodlibet crimen. Tertio quia generat vinum, quod tollit tristitiam: sic Maria dat perpetuam laetitiam.

8. Item B. Virgo appellat se quadruplicem matrem. Matrem pulcrae dilectionis contra luxuriam, matrem timoris contra superbam audaciam, matrem agnitionis contra ingratitudinem et ignorantiam, matrem spei contra confusam diffidentiam. Eccli. 24. *Ego mater pulcrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei*.

9. Ipsa est etiam depositorium totius Trinitatis, in quo peccator quaerere debet quidquid in gratis necesse habet. Eccli. 24: *In me gratia omnis viae*, contra mortem, *et veritatis*, contra mendacium; *in me omnis spes*, contra desperationem, *in me omnis spes vitae et virtutis*, contra omne vitium.

10. Item ipsa sedens in dextera Dei Filii, nostra videns pericula, clamat Eccli. 24: *Transite ad me omnes*, qui etc. Nota, a quo, ad quem, et ad quos transeundum invitat. A quo, quia e mundo decipiente, a peccato inficiente, a diabolo devorante. Vel aliter, quasi diceret: Transite de mundo, quia *mundus transit, et concupiscentia eius*, 1 Ioann. 2; ideo vos ad me transite. Vel transite quamdiu poteatis, de culpa ad gratiam, quia postea non valebitis. Sed ad quem? Ad me, quae sum peccatorum illuminatrix. Iob. 29: *Oculus fui caeco*. Item ad me, quae sum peccatorum reconciliatrix, ut patet 2 Reg. 25 de Nabal et Abigail. Vel ad me, quae sum omnium peregrinorum Christi generalis receptrix. Iob. 31: *Ostium meum viatori patuit*. Sed quos invitas ad transeundum ad te? *Omnes qui concupiscitis me*, me honorantes, et diligentes etiam per teneram devotionem. Sed quare transire debemus? *Ut a generationibus meis adimpleamini*, quia vacui: ut salvemini, quia perditi: ut dulces efficiamini, quia amari. Unde, *spiritus enim meus super mel dulcis*, omnem amaritudinem peccati repellens. Et ad hoc transite ut saturemini, ut ibi: *Qui edunt me, adhuc esurient*, etc. Glossa: Per desiderium et devotionem. Vel propter hoc, ut instruamini, ut ibi: *Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me*, mihi serviendo, *non peccabunt*. Et, *qui elucidant me*, aliis praedicando fideliter, veraciter, et devote, *vitam aeternam habebunt*, per me et per meum Filium.

11. Item ipsa est, quae pro nobis creata est, et missa in mundum. Eccli. 24: *Ab initio et ante saecula creata sum*, etc. Require de hoc in Prov. 8: *Dominus possedit me*.

12. Item ipsa est, cuius habitatio est in plenitudine gratiarum angelorum, et sanctorum, et in plenitudine ipsius Trinitatis. Eccli. 24: *Ego quasi fluvii Dioryx*, qui interpretatur medicamentum generationis, scilicet infirmorum filiorum Adam, *et sicut aquaeductus exivi de paradiso. Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum*, id est Filii, *et illuminabo omnes sperantes in Domino*, non in mundo vel in aliis re.

13. Item ipsa est, quae communiter orationibus laudatur, et communiter ab omnibus est laudanda. Eccli. 24: *Videte*, scilicet angeli, iusti, peccatores, *quoniam non soli mihi laboravi*, scilicet Filium meum, lactando, nutriendo, et apud crucem stando, *sed omnibus exquirentibus veritatem*.

14. Item ipsa est sol, quia suo praesentia ornat coelum. Eccli. 26: *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonae species in ornamentum domus eius*. Et Eccli. 24: *Sol illuminans per omnia respexit: et gloria Domini plenum est opus eius*. Iterum cap. 43: *Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile opus Excelsi. In meridiano exurit terram: et in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus ardoris. Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans, et refulgens radiis suis obcaecat oculos. Magnus Dominus qui fecit illum*.

15. Item ipsa est luna, quae nobis indicat festa aeternae iucunditatis. Eccli. 43: *A luna signum diei festi*. Nota de signis lunae.

16. Item Maria Virgo signata est per Abraham, in cuius laudem et filii sui Isaac dicitur Eccli. 44: *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus*: quod antonomastice de ipsa Virgine verificatum est, cui Dominus omnem benedictionem dedit. Et ut ab initio aliquantulum repetamus, ipsa habuit benedictionem septimi diei, in quo Deus requievit ab omni opere, quod patrarat, Gen. 2; in ipsa enim vere fuit consummatio operum dei, quoniam omnia creata in uno opere, scilicet homine, uniuntur cum Creatore: et primum fit ultimum, et ultimum primum. Non est enim perfectio motus, nisi quando est in circulo. Habuit etiam benedictionem Adami et Evae. Genes. 1: *Dominamini piscibus maris, et volucribus coeli, et universis animalibus quae moventur super terram*. Dominatur enim per potentiam piscibus maris, id est daemonibus in amaritudine inferni constitutis. Dominatur etiam volucribus coeli, id est angelis volantibus per contemplationem Dei. Dominatur etiam per misericordiam animantibus, quae moventur super terram, id est hominibus in hoc mundo constitutis. Item habuit benedictionem Iacob, quae in tribus consistit. Primo in abundantia necessariorum. Genes. 27: *Det tibi Deus de rore coeli, et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini*. Secundo in dignitate honorum, ibi, *Esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae, serviant tibi populi*. In amotione incommodorum, ibi: *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur*. Laudemus ergo omnes Mariam, et dicamus: *Benedicta tu in mulieribus*, Luc. 1. Habuit etiam benedictionem Balaam, in qua notantur septem. Primum est eius gloriosa generatio, ibi: *Orietur stella ex Iacob*, Num. 24. Secundum Filii Dei incarnatio: *Et consurget virga de Israel*. Tertium vitiorum destructio: *Et percutiet duces Moab*. Quartum hominum liberatio, ibi: *Et erit Idumaea possessio eius*. Quintum beatorum confirmatio, ibi: *Israel fortiter aget*. Sextum aeternorum dominatio, ibi: *De Iacob erit, qui dominetur*. Septimum damnatio malorum, ibi: *Et perdet reliquias civitatis*. Habuit etiam benedictionem Moysis, Deut. 28: *Benedictus in civitate, et benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui. Benedictus tu eris ingrediens, et egrediens*. Quae de hac vita sine dolore mortis migrasti, et coelum corpore et anima introisti. Habuit etiam benedictionem Aaron, de cuius laude Eccli. 45 dicitur: *Coronavit illam in vasis virtutis, et cinxit eum tintinnabulis aureis, et audituam facere sonitum in memoriam filiis gentis suae*. Habuit benedictionem Samuelis, de cuius laude dicitur Eccli. 46: *Renovavit imperium, et unxit principes, et vidit Deum Iacob*, etc. pe-

(1) Habetur tom. 1 inter epistolas ad Paulam et Eustochium.

Digitized by Google

cunias et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, et non accusavit illum homo. Habuit etiam benedictionem Davidis, de cuius laude dicitur Eccli. 47: *In iuventute sua occidit gigantem, et abstulit opprobrium de gente, contrivit inimicos undique, et extirpavit Philisthiim contrarios usque in hodiernum diem.* Habuit etiam benedictionem Salomonis, de cuius laude dicitur Eccli. 47: *Impletus est quasi flumen sapientia, longe divulgatum est nomen tuum.* Habuit etiam benedictionem Ioseph, de cuius laude dicitur Eccli. 49, quod fuit *princeps fratrum et firmamentum gentis*, collector frumenti, *et stabilimentum populi.* Habuit etiam benedictionem Oniae, de cuius laude dicitur Eccli. 50, quod *in diebus ipsius emanaverunt putei aquarum*, et quod *suffulsit domum*, et quod *fuit stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena, et quasi sol refulgens, et quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quae sunt in transitu aquae, et quasi thus redolens, et quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne, et quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso: et quasi oliva pullulans, et cypressus in altitudinem se extollens:* et quod *porrexit manum suam in libatione, et libavit de sanguine uvae*, etc. *excelso principi.*

ISAIAS PROPHETA

VISIO ISAIAE PROPHETAE FILII AMOS QUAM VIDIT SUPER IUDAM ET IERUSALEM

1. Regina et Domina omnium prophetarum vocatur domus et civitas fidelitatis nostrae. Isai. 1: *Vocaberis*, o Maria, scilicet a patriarchis et a prophetis, *civitas iusti*, id est Christi. *Urbs fidelis*, fideliter recipiens, et conservans ad se refugientes. Hanc civitatem laudat dicens psal. 86: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Fuit enim haec civitas fundata super humilitatem, murata per castitatem, turrita per caritatem, ditata per paupertatem, custodita per discretionem, libera peccatorum immunitate, pacificata tentationum victoria, ornata divino officio per elegantiam morum, aedificata in refugium peccatorum, populosa virtute, omnium donorum gratuitorum irrigua, miserationum abundans, in altissimo sita per excellentiam privilegiorum.

2. Item ipsa est tabernaculum, quod Deus Pater peccatoribus extendit, quatuor de causis. Isai. 14: *Tabernaculum*, id est Virgo Maria, *erit in umbraculum.* Glossa: Sub protectione, *diei ab aestu.* Glossa: Persecutionis, Deus adiutor noster. Psal. 32: *Et absconsionem a turbine et a pluvia.* Glossa: Id est a persecutione maiori, et minori: unde psal. 60: *Protegar in velamento alarum tuarum.*

3. Item ipsa est solium incarnationis Filii Dei. Isai. 6: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum*, id est B. Virginem Mariam excelsam quantum ad animam, et elevatam quantum ad corpus, *et plena erat omnis terra*, id est domus, *gloria eius.* Glossa: Id est omni gratia, a *maiestate eius.* Glossa: Regnantis.

4. Item ipsa est quae concepit, et peperit liberationem omnium populorum. Isai. 7: *Ecce Dominus ipse dabit vobis signum*, salutis et liberationis, hoc scilicet: *Ecce Virgo concipiet et pariet Filium.* Glossa: Peccatores revocantem. *Et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Glossa: Id est nobiscum Deus. Nobiscum humanitate, divinitate, et fidelitate. Unde Bernardus serm. 2 de adventu Domini: *Noli fugere, o Adam, quia nobiscum est Deus*, etc.

5. Item ipsa est virga floris. Isai. 11: *Egredietur virga*, id est Maria, *de radice Iesse et flos.* Glossa: Id est Christus, qui tumidis est virga, sed bonis est flos virtutum, et corona angelorum, et sertum electorum, *de radice Iesse ascendet*, in salutem electorum, in consolationem afflictorum, et in liberationem captivorum.

6. Item ipsa est receptaculum et latibulum fugientium ab ira Dei. Isai. 16: *Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris*, id est Christi, *qui impios vastabit.*

7. Item ipsa est solium misericordiae, in quo Filius Dei misericorditer iudicat peccatorem. Isai. 16: *Praeparabitur in misericordia solium eius.* Glossa: Id est Filii: quia omnes peccatores egent gratia Dei; *et sedebit iudicans*; aliter eum iudicabit sedens in solio iustitiae, quod est in futuro. In solio misericordiae sedens, et iudicans, quando Deus vult parcere peccatori, considerat, et attendit quinque. Primo infirmitatem peccantis. Secundo malitiam diaboli insultantis, dicens illud: *Deus dereliquit illum, persequimini*, etc. psalm. 20. Tertio dolorem ipsius poenitentis, quando clamat: *Miserere mei, quoniam conturbata est anima mea*, psal. 6. Quarto intercessionem Ecclesiae triumphantis, et praecipue B. Virginis, cuius oratio non potest contemni. Quinto super omnia bonitatem suam, de qua ipsemet dicit Matth. 20: *An non licet mihi facere quae volo*, etc. Solium igitur gloriae praeparatum fuit in gloriosae Virginis nativitate. Super illud sedit in incarnatione. In solio vero iustitiae sedens, iudicabit, quod iustum est. Unde sequitur: *Quaerens iudicium*, in secundo adventu, *et velociter reddens.* Glossa: *Unicuique secundum opera sua*, psal. 61, *quod iustum est.* Glossa: Dicens maledictis: *Ite in ignem aeternum*, etc., et bonis: *Venite benedicti*, etc. Matth. 26. Sed quomodo *velociter reddit*, cum expectet peccatores non ulciscendo usque ad decrepitam aetatem? Super hoc verbum, quod dicit Deut. 7: *Reddit obedientibus se statim.* Glossa: Omne tempus aeternitati comparatum est quasi punctus, et ideo non reputat Deus, etiam quando multum expectat.

8. Item ipsa est sine omni peccato nubes purissima. Isai. 19: *Ecce ascendet Dominus super nubem levem.* Glossa: Corpus B. Virginis Mariae. *Et ingredietur Aegyptum.* Glossa: Id est mundum, *commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius*, quia omnia peccata destruet.

9. Item ipsa est urbs fortitudinis contra omne malum. Isai. 26: *Urbs fortitudinis nostrae Sion*, id est Maria. Glossa: Vox est iustorum et nunc, et in futuro. *Salvator ponetur in ea, murus*, id est Christus, *et antemurale*, secundum humanitatem. *Aperite portas.* Glossa: Dominus ad angelos, *et ingrediatur gens iusta custodiens veritatem*, non mendaces, non iniusti.

10. Item ipsa est domus, et civitas opulenta. Isai. 33: *Respice Sion*, id est Mariam, *civitatem solemnitatis nostrae: oculi tui videbunt*, civitatem, *Ierusalem, habitationem opulentam*, scilicet gratiis. Glossa: Et ipsa domus, *quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster*, quia in Maria magna facit, et per eam magna facit, et propter eam, et in ea magnificatus apparuit.

11. Item ipsa est causa, propter quam peccatores laudant Deum. Isai. 43: *Glorificabit me bestia agri.* Glossa: Id est homo bestialis, *dracones*, id est magni, et venenosi, et *struthiones.* Glossa: Id est hypocritae, *quia dedi*, maxime *in deserto*, id est in Maria, *aquas*, omnium gratiarum, *et flumina*, donorum sancti Spiritus, *ut darem potum.* Glossa: Aquae vivae, *populo meo, electo meo*, clamanti ad me, cui dedi potum largiter. Ipsa est enim petra de qua dicitur: *Loquimini ad petram*, Num. 20, id est ad Mariam, *et illa dabit aquas*, gratiarum et gaudiorum.

12. Item ipsa est terra germinans Salvatorem. Isai. 40: *Rorate coeli desuper*, etc. Glossa: Veniat Gabriel, mittat nobis rorem, et nuntiet nobis salutem: *et nubes.* Glossa: Annuntiando Christi nativitatem, passionem, et resurrectionem, *iustum*, idest Christum Iesum.

13. Ipsa est virtus misericordiae, in qua peccatores portantur ad conversionem. Isai. 46: *Audite me, qui portamini a meo utero.* Glossa: Id est in misericordia: *qui gestamini a mea vulva*, id est clementia: *ego portabo, et salvabo.* Glossa: Si conversi fueritis.

14. Ipsa est terra faciens salutem. Isai. 53: *Ascendet.* Glossa: Filius Dei, *sicut virgultum.* Glossa: De utero Virginis, *coram eo, et sicut radix de terra sitienti.* Glossa: Sicca et munda a concubitu.

15. Item ipsa non dereliquit nos. Isai. 54: *Montes commovebuntur, et colles contremiscent, misericordia autem mea*, id est Mater mea, *non recedet a te*, non dimittet, neque derelinquet te, dummodo volueris converti.

16. Item ipsa est fons, a quo profluit omne bonum. Isai. 58: *Eris*, o Maria, *quasi ortus irriguus.* Glossa: Virtutum floribus, et operum fructibus conspicuus, *et sicut fons aquarum.* Glossa: Assimilaberis Christo capiti tuo, *cuius non deficient aquae*, spirituales, quae irrigant Ecclesiam.

17. Item ipsa est, quae Deo fiducialius occurrit, ne feriat peccatores. Isai. 59: *Vidit.* Glossa: Deus, *quia non est vir.* Glossa: In Iudaeis sanctus, *et aporiatus est.* Glossa: Id est contristatus, *quia non est, qui occurrat.* Glossa: Deo, ut non percutiat. Sed ipsa pro omnibus occurrit, sicut Abigail, quando placuit David.

18. Item ipsa est civitas in Filii sui incarnatione illuminata.

Digitized by Google

Isai. 60: *Surge, illuminare Ierusalem,* id est Maria, *quia venit lumen tuum*, id est Filius Dei, ad illuminandum, sicut sol illuminat mundum, *quia ecce tenebrae.* Glossa: Infidelitas, et peccatum, *operient terram*, id est terram amaotem, *et caligo populos: Super te autem orietur Dominus*, dignissime. Glossa: Verus sol: *et gloria eius in te videbitur*, sicut lumen in lucerna, sicut sol in nube, et sicut ignis in rubo. *Et ambulabunt gentes*, id est miseri peccatores, *in lumine tuo*, id est in Christo, qui est lux: *et reges*, id est iusti, vel etiam angeli, *in splendore ortus tui*: omnes enim indigent tuo gratia, tuo illuminatione, tua propitiatione.

19. Item ipsa est ad quam omnes confluunt per devotionem. Isai. 60: *Leva*, o Maria, *in circuitu*, tuo, *oculos tuos*, scilicet misericordiae et bonitatis, *et vide*, hilariter: *omnes isti congregati sunt.* Glossa: Ex omni natione, quae sub coelo est, peccatores pro venia, iusti pro gratia, tristes pro gaudio: *venerunt tibi*, id est ad honorem tuum et misericordiam clamantes: Subveni Domina clamantibus ad te iugiter, quia quamvis simus peccatores, tamen misericordiae tuae sumus filii et filiae. Unde sequitur: *Filii tui*, o Maria, *de longe venient.* Glossa: De longinqua regione peccati, *et filiae tuae de latere surgent.* Glossa: Vos, *qui longe eratis, facti estis prope*, Ephes. 2. *Tunc videbis*, cum levaveris oculos tuos, *et affluet*, *et mirabitur*, *et dilatabitur cor tuum.* Glossa: Prae gaudio, *quando conversa fuerit ad te multitudo maris.* Glossa: Omnes nationes mundi; *et fortitudo gentium venerit tibi.*

20. Item ipsa est domus maiestatis totius Trinitatis, et altare placationis. Isai. 60: *Offerentur*, scilicet omnes fideles, qui per manum Christi sacerdotis volunt recipi, et Patri praesentari, *super placabili altari meo*, id est Maria, Matre mea, *et domum maiestatis meae*, quam tota Trinitas potenter possedit, et implevit, *glorificabo*, in coelis, coram angelis, et sanctis Dei. Unde sequitur: *Gens enim, et regnum, quod non servierit tibi*, o Mater mea, *peribit.* Glossa: In die iudicii. Quasi dicat: Ergo, qui servierint ei non peribunt.

21. Item ipsa est, in qua nobis benedictio coelestis est reservata. Isai. 65: *Haec dicit Dominus, quomodo si inveniatur*, post tempestatem, *granum.* Glossa: Illaesum. Hoc granum est Virgo Maria, illaesa ab omni peccato, *in botro*, humani generis. Hoc inventum est in nativitate B. M. Virginis: *et dicatur.* Glossa: Volenti tangere: *ne dissipes illud.* Glossa: Sine crescere, quoniam benedictio est. Glossa: Id est placuit Deo ut pro benedictione de tanta tempestate reservaretur illud. *Sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum.* Glossa: Genus humanum.

22. Ipsa est domus imperatoriae maiestatis. Isai. 66: *Quae est ista domus, quam aedificabis mihi?* tam immensam, ut in ea includar. Ierem. 23: *Coelum et terram ego impleo.* Quae est ergo illa tam magna, tam lata, tam longa domus, quam aedificabitis mihi? Haec domus aedificatur per consilium patriarcharum, et prophetarum, et per consilium David in sanctitudine. Ps. 92: *Domum tuam Domine decet sanctitudo.* Et talis sanctitudo, quae sit libera ab omni inquinatione.

Item per consilium Ierem. 18 dicentis: *Descendi ad domum figuli*, etc. ad Mariam quae est *domus* totius reformationis et renovationis. In hac formetur Filius Dei ad imaginem et similitudinem nostram, mortalis de immortali, ultimus de primo, pauper de divite. In hac reformetur luxuriosus ad castitatem, superbus ad humilitatem, invidus ad caritatem, caecus ad lumen, claudus ad gressum. Unde ipsa dicit Iob. 28: *Oculus fui caeco, et pes claudo.* O quam avide mutilati ad talem currerent domum, ubi eis membra restituerentur!

Item per consilium Isaiae (1) dicentis: *Domus totius plenitudinis.* In hac repletur peccator venia, iustus gratia, Trinitas gloria: Filii persona humana substantia, ut non sit, qui manu vacua recedat a domo ista. Item per consilium Oseae dicentis: Domus receptionis et protectionis fugientium peccatorum, ut fugiens ad eam recipiatur, et protegatur a diabolo, a peccato, et maxime ab irato Deo. Haec sunt consilia, secundum quae aedificata est Virgo Maria in domum sanctitatis propter nostram mundationem: in domum plenitudinis propter nostram salvationem: in domum reformationis propter totius creaturae renovationem.

23. Item eius partum et pariendi modum omnis natura stupet et admiratur. Isai. 66: *Antequam parturiret, peperit.* Glossa: Genuit sine tempore fortem Filium, per quem omnia facta sunt et subsistunt. *Quis unquam talia audivit?* Ut antequam parturiret, pareret, ut naturaliter parturitio partum praecedat? Peperit Pater Filium sine tempore, peperisti tu Virgo eumdem in tempore. Luc. 2: *Peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit.* O Virgo, tu peperisti mirabiliter, sicut Isaias hic dicit. Item peperisti incorruptibiliter, sicut sidus radium, virga florem, et vitis odorem. Item peperisti utiliter, quia angelorum et hominum restauratorem, et ideo laudaris et benediceris ab angelis et hominibus et a corporalibus. Laudant te angeli propter tria, quia ille, quem tu genuisti, restauravit reddendo deperditum, multiplicando numerum, augmentando superadditum, quartam scilicet hierarchiam. Laudant te homines propter tria, quia genuisti eis Redemptorem, iustificatorem, glorificatorem. Laudant te corporalia, quia ille, quem tu genuisti, immutavit corporalia innovando, nobilitando, et omnia in Christi corpore divinitati uniendo. Laudat te Pater propter castitatem; laudat te Filius propter humilitatem; laudat te Spiritus sanctus propter bonitatem. Laudat te omnis creatura, o Virgo Maria; genuisti enim coelis illuminatorem, immundis mundatorem, curvis erectorem, tristibus consolatorem, vinctis consolatorem, pauperibus ditatorem, despectis confortatorem, errantibus reductorem, certantibus coronatorem.

IEREMIAS PROPHETA

VERBA IEREMIAE FILII HELCIAE

1. Prophetarum Domina, Virgo Maria est virga percutiens daemones, corrigens peccatores, et vigilans super electos. Ierem. 1: *Quid tu vides Ieremia? Et dixit: virgam vigilantem*, id est Mariam, vigilantem fideliter super electos, ut mater super filium; vigilantem misericorditer, sicut magister super discipulum. Sic ipsa super peccatores, ut eos corrigat, vigilat terribiliter super daemones. *Et dixit Dominus ad me: Bene vidisti, quia vigilabo ego*, sicut pater, ipsa vero vigilabit sicut mater, *super verbo meo ut faciam illud.*

2. Item ipsa est solium misericordiae, ad quod peccatores misericorditer congregantur. Ierem. 3: *Vocabunt Ierusalem*, id est Mariam, *in tempore illo*, id est gratiae, *solium Domini*, in quo Deus sedit per misericordiam, se incarnando, *et congregabuntur ad eam omnes gentes*, id est peccatores, qui ibi absolvuntur, et non secundum merita puniuntur.

3. Item ipsa est civitas et domus salvationis. Ierem. 8: *Convenite*, celeriter, *et ingrediamur civitatem munitam*, id est ad Mariam, *munitam* in natura, in gratia, in gloria, *et sileamus ibi.* Glossa: Quia non audemus deprecari Dominum, quem offendimus, sed ipsa deprecetur, et roget: *quia Dominus silere nos fecit.* Glossa: Quia cum offendimus, *et potum dedit nobis aquam fellis.* Glossa: Id est dulcem Deum amarum nobis fecimus.

4. Ipsa est etiam oliva totius misericordiae et bonitatis. Ier. 11: *Olivam uberem, pulcram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.* Ista omnia diversis gratiis B. Virginis adapta.

5. Item ipsa est solium propitiationis. Ierem. 14: *Ne des nos in opprobrium, neque facias nobis contumeliam*, scilicet quam meruimus: *solii gloriae tuae recordare*, id est Mariae, *ne irritum facias foedus tuum.* Glossa: Promissae salutis nobiscum.

6. Item ipsa est advocata nostra contra iudicem sapientem, contra callidissimum hostem, et hoc in causa desperata. Ier. 15: *Dixit Dominus ad me: Si steterint Moyses et Samuel coram me.* Glossa: Orantes pro populo: *non est anima mea ad populum istum.* Sed quid, o bone Iesu, si steterit coram te Mater misericordiae? numquid iratus dices ad eam de peccatoribus, ut ad Ieremiam: *Eiice illos a facie, tua, et egrediantur ad gladium, famem, captivitatem, et mortem?* Non sic dices ad Matrem. Cla-

(1) Mendum irrepsisse hic arbitramur in citatione prophetae Isaiae et Oseae: ad propositum enim nihil habet. Nobis autem pro Isaia citanda videntur loca Noemiae 9, 9: *Possederunt domos plenas cunctis bonis.* Et c. 10. *Offerent decimam partem decimae suae in domo Dei nostri, ad gazophylacium in domo thesauri*, id est Maria, quae est gazophylacium et domus thesauri omnium gratiarum, et honorum, et domus totius plenitudinis, quia in hac repletur, etc. Pro Osea autem legendum censemus Iosue c. 20, ubi urbes pro fugitivis designari Deus iubet, quae sint refugium, vel domus refugii psal. 30, et domus receptionis, etc.

Digitized by Google

ma ergo, voce Mariae placata, redue miseros ad pacem contra gladium, ad saturitatem contra famem, ad libertatem contra captivitatem, ad vitam contra mortem: desperatorum causam sola assumet, quam nullus aliorum sanctorum assumere apte permittitur, dicente Domino ad peccatorem desperatum, Ier. 15: *Quis miserebitur tui Ierusalem?* id est anima desperata, quae fuisti prius visio pacis, nunc autem visio infernalis. *Quis contristabitur pro te?* cum mortis sententia feretur contra te, cum diceretur tibi: *Ite maledicti*, etc. Matth. 25. Ibi omnibus derelinquentibus nos, non derelinquet illa. Illo enim miserebitur, et illa compatietur, illa *ibit ad rogandum pro pace* nostra, quam benevolentius impetrabit.

7. Item ipsa est domus figuli vel domus renovationis humani generis. Ierem. 18 dixit Dominus ad Ieremiam: *Surge, et descende in domum figuli.* Domus figuli Dei est Virgo Maria, in qua fecit Deus opus suum super rotam, opus incarnationis, seipsum ponens in rota humanae volubilitatis, ut fons sitiret, panis esuriret, requies fatigaretur, lux obtenebraretur. Et hoc est quod sequitur: *Dissipatum est vas*, scilicet in passione, sed reformatum in resurrectione. Haec est domus in qua reformatus fuit miser Thenphilus, sicut in laudem eius canitur in die annuntiationis eius in prosa, quae incipit: *Ave Maria Theophilum reformans gratia.*

8. Item ipsa est sapientissima advocata, veniam et gratiam obtinens, et illud allegans Ierem. 18: *Recordare*, o fili, *quod steterim* tempore mortis tuae *in conspectu tuo* apud crucem miserabiliter, et nunc tecum in coelo potentialiter *in vestitu deaurato*, psal. 44, *ut loquerer pro eis*, qui digni sunt morte aeterna, *bonum, et averterem indignationem tnom ab eis.*

9. Item ipsa exemplo tibi se pro nobis offert. Ierem. 26: *Ecce ego*, scilicet Mater Dei, *in manibus vestris sum*, me totam in vestro ponendo servitio, *facite mihi quod bonum est*, non mihi tantum, sed et vobis, nunc et in futuro. Et non solum de me, immo de Filio meo, cuius corpus et sanguinem in altari sumitis quotidie, *facite* quod vultis, *facite* tamen quod *rectum* sit coram vobis, et non tantum coram vobis, sed etiam coram Patre vestro coelesti.

10. Item ipsa est civitas altitudinis. Ierem. 30: *Aedificabitur*, a Domino, *civitas*, id est Maria in *excelso*, ut sit omnibus firmamentum. Matth. 48: *Non potest civitas abscondi supra montem posita. Et templum fundabitur.* Templum gratiae, misericordiae et gloriae, et templum totius Trinitatis totum est Maria; fundata est per humilitatem, erecta per spem, decorata per caritatem.

11. Item ipsa est opus totius novitatis, Ier. 31: *Creavit Dominus novum super terram*, immo in coelo, et sub terra. *Femina*, id est Maria immaculata, *circumdabit*, mirabiliter, *virum*, sine virili semine in gremio uteri sui.

12. Item ipsa est illud vas, de quo dicit Spiritus sanctus Eccli. 43: *Vas admirabile, opus Excelsi*, mirabile, quia maius se ipso continet, scilicet Deum, quem totus orbis non *bajulat*, *gestant puellae viscera*, ut sancta canit Ecclesia. Mirabile, quod vinum et aquam sine interstitio, et tamen sine mixtione continet, scilicet vinum deitatis, et aquam humanitatis, quia Deus in ipsa nec *commixtionem passus est*, *nec divisionem*, ut eadem Ecclesia cantat in festo circumcisionis Domini. Mirabile, quia clausum in se recepit Deum, quem clausum effudit: unde *virgo ante partum, virgo in partu, et post partum.* Item ipsa est mons et domus totius securitatis. Ierem. 31: *Benedicat tibi Dominus*, id est Maria, *pulcritudo iustitiae, mons sanctus.* Glossa: In quo qui habitaverit, nullas insidias sustinebit, vel expavescet.

LAMENTATIONES IEREMIAE PROPHETAE

QUOMODO SEDET SOLA CIVITAS, PLENA POPULO, ET DIVITIIS

1. Sponsa Dei electa, in morte Filii sui viduata dolores et afflictiones sustinens super modum, Thren. 1, *Facta est quasi vidua.* Glossa: Absenta sponso. *Domina gentium, princeps provinciarum*, coeli et terrae, *facta est sub tributo*, angustiae et doloris. Unde Damascenus lib. 4 de fide orthodoxa, c. 15: « Sed et ipsa « beata, et supra naturam donorum digna effecta dolores partus, « quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit ex ma- « terna compassione viscerum, laceratum repartoriens, et quem « Deum per nativitatem agnovit, illum ut maleficum interfectum « videns, tanquam gladio cogitationibus decerpitur: et hoc est « *tuam ipsius animam pertransibit gladius*, Luc. 2.

2. Item ipsa est mater amaritudinis in passione Filii, quae fuit mater dulcedinis in conceptione. Unde orans ad Patrem dicit Thren. 1: *Vide Domine.* O Pater, te Patrem, te pium iudicem cruciatus flectant. Vide Filium tuum pulcherrimum, deformissimum, excelsum, deiectissimum, clamantem ad te: *Eli, Eli, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. Vide Filium tuum, super omnia mihi coniunctum, per mortem disiunctum. Vide me pauperem Mariam, Matrem unigeniti Filii tui, *quantum amaritudine plena sum*, in anima, quam gladius pertransivit, in auribus audiens clamorem Filii clamantis: *Ut quid dereliquisti me?* Audiens clamorem se a me licentiantis, et dicentis: *Mulier, ecce filius tuus*, Ioann. 9. *Amaritudine plena* in oculis, quia vidi coronatum spinis, lancea perforatum, undique sanguine cruentatum: quia iam *amaritudine plena* sum, rogo, ut peccatores sint pleni misericordia, iusti gratia, electi gloria. Thren. 3: *Vocem meam.* O Pater misericordiarum, *audisti*, et vocem, Filii tui, *audisti*, *ne avertas aurem*, propitiationis, *a singultu meo, et clamoribus*, cordis mei pro peccatoribus, quos tuae pietati commendo.

EZECHIEL PROPHETA

ET FACTUM EST IN TRIGESIMO ANNO

1. Regina prophetarum domus, in qua Filius humanitatem professus factus est pater noster. Ezech. 3: *Dixit* Dominus ad Ezechielem. Glossa: Qui interpretatur roboratus a Deo, et significat Christum. *Ingredere*, subtiliter per fenestram vitream, largiter sicut pluvia in vellus, vincula omnia poenarum assumendo: mirabiliter, quem totus orbis nequit includere, tamen in Virginis utero includatur. Unde sequitur: *Includere in medio domus tuae*, idest in utero Virginis Mariae.

2. Item ipsa est mater instructionis. Ezech. 5: *Ista est Ierusalem*, id est Maria, *in medio gentium posui eam.* Glossa: Id est in umbilico mundi. Unde psalm. 73: *Operatus es salutem in medio terrae.*

3. Ipsa etiam est porta, de qua infra dicetur: *Et introduxit me ad portam*, etc. Ezech. 11, id est Mariam, *domus Domini orientalem*, per quam toti mundo lux effulsit, *quae respicit ad solis ortum.* Glossa: Iustitiae.

4. Item ipsa est mater iustitiae. Primo, quia peperit iudicium et iustitiam, scilicet Iesum Christum, qui est iustitia et sanctificatio nostra, I Corinth. 2. Secundo, quia ipsa nunquam oculos suos levavit ad aliquod malum. Tertio, quia nullum contristavit, sed omnes laetificavit. Quarto, quia per vim nihil rapuit: quod Eva non fecit quae divinitatem rapere volebat, et felicitatem amisit. Quinto, quia panem suum, id est corpus Filii tribuit in altari quotidie esurienti. Sexto, quia nudum peccatorem operit vestimento veniae, iustum gratiae, electum gloriae, Filium Dei humanae substantiae.

5. Item ipsa est matar vitae. Ezech. 18: *Haec dicit Dominus*, scilicet ad peccatores desperatos: *Quare moriemini domus Israel?* id est peccatores, qui estis filii Abraham, Isaac, et Iacob? qui patrum meritis merito vivere debetis? Ex hoc arguitur: Si meritis Abraham etc. vivere possimus, qui fuerunt servi Dei: ergo per eam, quae maior est, scilicet matrem vitae, vivere debemus, quia *omne iudicium* misericordiae *dedit* Matri suae, *ut omnes honorificent* Matrem, sicut honorificant *Filium*, Ioann. 1. Et quia nos eius misericordiae filii sumus, clamat Dominus illud, quod statim sequitur: *Nolo mortem peccatoris*, Ezech. 18, et 33: *Sed ut magis vivat.* Glossa: Vita gratiae precibus Virginis Mariae.

6. Item ipsa est, quae nos defendit ab ira Dei. Ezech. 22: *Haec dicit Dominus: Quaesivi de eis virum, qui interponeret sepem.* Glossa. Id est intercessionem, *et staret oppositus contra me pro terra*, id est peccatore, *ne dissiparem eam*, celeriter, *et non inveni*, quia hoc reservatum est Virgini Mariae.

7. Item ipsa est indumentum Solis iustitiae. Ezech. 32: *Solem*, id est Christum, *nube tegam*, id est humanitatis in utero meo misericorditer.

8. Item ipsa porta illuminationis omnis creaturae. Ezech. 43: *Duxit me ad portam, quae respiciebat ad viam orientalem, et ecce gloria Domini Israel*, Iesus Christus, *ingrediebatur*, pariter *per viam orientalem*, quia sine peccato conceptus: alii vero in-

Digitized by Google

grediuntur in mundum *per viam occidentalem*, originalis culpae. *Et vox erat ei.* Glossa: Deo, *quasi vox aquarum multarum*, *et terra splendebat a maiestate eius*, quod proprie factum est in adventu Christi.

9. Item ipsa est templum maiestatis. Ezechiel. 43: *Maiestas Domini ingressa est templum*, id est uterum Mariae. Ad quid? Ad sanctificandum. Psalm. 45: *Sanctificabit tabernaculum suum Altissimus*, ad replendum. Unde sequitur: *Et repleta erat gloria Domini domus*, ad habitandum nobiscum. Unde sequitur: *Et dixit ad me: Locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito*, id est in Maria, *in medio filiorum Israel in aeternum.* Glossa: Non ad tempus. *Tu autem fili hominis ostende*, praedicando, et laudando. *domui Israel templum*, id est Mariam, secundum longitudinem, latitudinem, sublimitatem, et profunditatem, de quibus bene sufficienter loquitur supra.

10. Item ipsa est porta clausa. Ezech. 44: *Converti me ad viam portae sanctuarii exterioris, quae respiciebat ad orientem, et erat clausa.* Glossa: Virgo Maria, virgo ante partum, virgo in partu et post partum. *Et dixit Dominus ad me: Porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Glossa: Clausae ostiis. *Et erit clausa principi.* Glossa: Verbo Dei in cuius adventu reserabitur ad usum eius. *Et ipse princeps.* Glossa: Id est Christus, *sedebit in ea, ut comedat.* Glossa. Nobiscum, *panem coram Domino.* Ipse per portam *ingredietur.* Glossa: Ut eos qui per se intrare non possunt, introducat ad gratiam; ipse enim est omnibus infusus; *et egredietur.* Glossa: His qui foris sunt, omnibus circumfusus.

11. Item ipsa est patens porta per misericordiam peccatori. Ezechiel. 46: *Porta quae respicit ad orientem.* Glossa: Unde oritur Sol iustitiae: *die sabbati aperietur.* Glossa: Septimo scilicet, in qua est requies: *et in die kalendarum*, id est solemnitatum filii sui, et in fervore, *aperietur*, per largitatem, *et intrabit princeps. Porta autem non claudetur.* Glossa: Post egressionem principis, *usque ad vesperam, et adorabit populus terrae ad ostium portae illius.* Glossa: Quando aperietur porta: ideo non claudetur, ut populus post principem adoret. *Holocaustum* remissionis omnium peccatorum, *offeret princeps.* Glossa: Id est Christus, *in die sabbati*, ad litteram, quando festum matris suae agitur. *Et princeps erit in medio eorum.* Glossa: Ingredientium scilicet et egredientium. Unde: *In medio vestrum*, stat, *quem vos nescitis*, Ioann. 1, *cum ingredientibus ingredietur, et cum egredientibus egredietur.* Glossa: Utriusque sexus, scilicet virtutis, vel peccati, testis assistens.

DANIEL PROPHETA

ANNO TERTIO IOACHIM

1. Imperatrix prophetarum Maria dicitur mons comminutionis diaboli, et peccatorum. Daniel. 2: *Abscissus est lapis.* Glossa: Id est Christus, *de monte*, id est de Maria, quae est *mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*, ps. 167. *Sine manibus abscissus*, id est absque opere viri generatus, *et percussit statuam*, id est diabolum, et omnes superbos, *et comminuit eos.* Psal. 117: *Comminuet eos ut pulverem*, etc. *Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus*, magnus in natura, magnus in potentia, magnus in misericordia, magnus in vindicta. *Et implevit universam terram*, et coelum. Glossa: Per gloriam coelum. Habacuc 3: *Operuit coelos gloria eius*, per misericordiam terram. Psal. 32: *Misericordia Domini plena est terra.* Infernum dolore et miseria. Unde Iob. 10: *Terram miseriae et tenebrarum.*

2. Item ipsa est arbor, quae multipliciter commendatur Dan. 4. Primo commendatur a communitate. Ibi: *Videbatur, et ecce arbor in medio terrae*, id est Maria in medio Ecclesiae, omnes respiciens, et quantum in se est, communiter ad omnes se habens. Secundo a dignitate. Ibi: *Et altitudo eius nimia.* Bernardus serm. 2 de adventu Domini: « O Virgo, virga sublimis, in « quam sublime verticem sanctum erigis, usque ad sedentem in « throno, usque ad Dominum maiestatis. Neque mihi id mirum: « quoniam in altum mittis radices humilitatis »: *Et magna.* Glossa: Virtutum magnitudine. Tertio a fortitudine. Ibi: *Et fortis.* Glossa: Contra diabolum, mortem et peccatum. Require illud Proverb. cap. ult. *Mulierem fortem quis inveniet?* et *proceritas eius contingens coelum*, id est Christum Deum. Quarto a misericordia ad omnes. Ibi: *Aspectus illius.* Glossa: Misericordiae, *erat usque ad terminos universae terrae.* Glossa: Non solum ad angelos, et iustos, sed etiam peccatores: immo ad illos qui sunt in purgatorio. Quinto a fecunditate. Ibi: *Folia eius pulcherrima*, id est verba, quae dixit ad angelum, ad cognatam, ad filium, ad ministros. *Et fructus eius nimius*, id est Christus Iesus, qui sufficit et angelis, et hominibus. Sexto a cibatione, quia cibat omnes. *Et esca universorum in ea*, id est angelorum et hominum. Septimo a fidelissima protectione. Ibi: *Subter eam*, id est sub protectione eius, *habitabant*, confidenter et laetanter, *animalia et bestiae*, id est miseri peccatores, propter refectionem, protectionem, pausationem, et pulcritudinem. Octavo a iucunditate, quam habent omnes sancti in ea. Ibi: *Et in ramis eius*, scilicet virtutum, videlicet humilitatis, misericordiae, caritatis, etc. *Conversabantur volucres coeli*, id est omnes sancti, *et ex ea vescebatur omnis caro*, quoniam alit omnes.

OSEAS PROPHETA

VERBUM DOMINI QUOD FACTUM EST AD OSEE

1. Beata Virgo Maria est vitis fructificationis. Oseae 10: *Vitis frondosa Israel*, id est Maria omni gratia plena, habens bonas propagines, *fructus adaequatus est ei.* Hic fructus excellit omnes alios in quantitate, qualitate, sanctitate, suavitate.

Oseae 14: *Ego quasi ros.* Glossa: Aestum aestuantis incendii et libidinis auferam hoc rore infusa.

2. Item semper ad pietatis opera erumpit. Oseae 14: *Erumpet radix eius.* Glossa: Id est bona voluntas ad effectum boni operis perducetur, *ut Libani. Ibunt rami eius de virtute in virtutem*, psal. 83.

3. Item ipsa est mater misericordiae. Ibidem cap. 14: *Erit quasi oliva gloria eius.* Glossa: Per opera misericordiae: *et odor eius ut Libani. Memoriale eius sicut vinum Libani*, quod diversis pigmentis conditum suavem odorem mittit. Bernardus sermone 4 de assumptione B. Mariae: « Laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur carius, recordamur saepius, crebrius invocamus, etc. »

IOEL PROPHETA

VERBUM DOMINI QUOD FACTUM EST AD IOEL FILIUM PHATUEL

1. Domina nostra Virgo Maria est illa ad quam omnis creatura respicit post Deum. Ioel. 1: *Sed et bestiae agri*, id est peccatores, *quasi area sitiens imbrem*, veniae, *suspexerunt ad te.* Glossa: Rorem misericordiae flagitantes, quia *exsiccati sunt fontes aquarum*: sed tu non, quae plenitudine gratiarum superabundas.

2. Item ipsa est fons domus Domini, irrigans ariditatem peccatorum. Ioel. 3: *In die illa*, scilicet gratiae, et misericordiae, fons domus Domini, id est Maria, nascendo in mundo, *de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum.* Glossa: Ut qui vitiorum punctionibus pungebantur, modo virtutum floribus adornentur.

IONAS PROPHETA

FACTUM EST VERBUM DOMINI AD IONAM PROPHETAM DICENS

1. Mater misericordiae est mare, quod nunquam per desideria et suspirationes quiescere potuit, donec verus Ionas, id est Dei Filius, in ipsum per incarnationem missus fuit. Ionae 1: *Dixerunt*, viri ad Ionam. Glossa: Ionae, qui interpretatur columba, Christus est, *quid faciemus tibi, et cessabit mare a nobis? Et dixit ad eos: Tollite me, et mittite me in mare*, id est in Mariam, ditissimum in pauperrimam, sublimissimum in humillimam, Dominum in ancillam. *Et tulerunt Ionam*, id est Christum. Glossa: Non repugnantem, sed voluntati Patris voluntaria obedientia: *et miserunt in mare*, id est in uterum Mariae cum angelico honore et obsequio.

MICHAEAS PROPHETA

VERBUM DOMINI

1. Item ipsa est turris potestatis Dei. Michaeae 4: *Turris gregis*, id est munimentum, *nebulosa*, obumbrans et abscondens peccatores, *usque ad te veniet*. Glossa: Deus; et *veniet potestas prima*. Glossa: Id est Christus dans tibi secundam in omnibus potestatem, ut dicere possis: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra*, Matth. 28.

ZACHARIAS PROPHETA

IN OCTAVO MENSE

1. Item ipsa est murus conservationis contra diabolum, mundum et peccatum. Zachar. 2: *Ego ero murus ignis in circuitu*. Glossa: Defensio in eis. *Qui tetigerit vos*, detrahendo, persequendo, turbando, *tangit pupillam oculi mei*, quae statim vindicatur.
2. Item ipsa est lapis fundamenti adornatus in plenitudine gratiarum. Zach. 3: *Ecce lapis quem dedi coram Iesu*, *et super lapidem istum*, id est Mariam, *septem oculi sunt*, id est plenitudo totius gratiae spiritualis.
3. Item ipsa est in Ecclesia candelabrum illuminationis. Zach. 4: *Vidi*, *et ecce candelabrum aureum totum*, id est Maria, *et lampas eius*, id est Christus, *super caput ipsius*, *et septem lucernae eius super illud*, id est septem dona Spiritus sancti, *et septem infusoria*. Glossa: In quibus oleum misericordiae infunditur in *lucernis*, ut luceant in candelabro, id est in Maria.
4. Item ipsa est lapis primarius. Zachar. 4: *Educet* Dominus *lapidem primarium*, *et exaequabit gratiam gratiae eius*. Glossa: Gratia lapidis exaequabit gratiam, quam in peccatores exercuit.
5. Item ipsa est templum munitionis. Zach. 9: *Haec dicit Dominus*. Glossa: Peccatoribus, iustis, et omnibus: *Convertimini*, Glossa: Fiducialiter, *ad munitionem*, id est ad Mariam, *vincti spei*, et liberandi misericordia Dei.
6. Item ipsa est fons communicationis. Zach. 13: *Erit fons patens domui David*. Glossa: Id est omnibus sitientibus, *et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, et menstruatae*, id est maiorum criminalium peccatorum.

EVANGELIUM SECUNDUM MATTHAEUM

LIBER GENERATIONIS IESU CHRISTI, FILII DAVID, FILII ABRAHAM

1. Domina evangelistarum commendatur in evang. b. Matthaei c. 1: *Cum esset desponsata* etc. Magna fuit humilitas, quod Domina voluit desponsari serva, Imperatrix fabro. Unde Bernardus homilia 1 super *Missus est*: « Quae est haec Virgo tam venerabilis, ut « salutetur ab angelo; tam humilis, ut desponsata sit fabro? etc. « Audis o peccator Virginem, audis humilem: si non potes virgi- « nitatem humilis, imitare humilitatem Virginis. Potes enim si- « ne virginitate salvari, sine humilitate vero non potes, etc. Ma- « ria enim placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. « Fuit autem desponsatio Virginis utilis propter multa. Primo, « ut matrimonium bonum esse ostenderetur. Secundo, ut Maria « nullo bono privaretur. Tertio, ut hostis falleretur. Quarto, ut « testis castitatis haberetur. Quinto, ut origo Dominae describe- « retur: nam Scriptura non consuevit feminas genealogizare. « Sexto, ut ab infamia servaretur. Septimo, ut poenas caveretur. « Octavo, ut a Christo persecutio tolleretur. Nono, ut filius pro- « curaretur. Decimo, ut Domino serviretur. Undecimo, ut hu- « militas virginitati coniungeretur. Duodecimo, ut occasio incu- « rsae famae virginibus tollatur. Decimatertio, ut filii caritas et « humilitas ostendatur, qui voluit potius dici filius fabri, quam « matrem infamari. Decimoquarto, ut matris dignitas humilitati « sociaretur, ut quanto maior esset, tanto magis se humiliaret, « videlicet ut sit Mater Dei, et uxor fabri.
2. Item ipsa commendatur a sublimi dignitate, eo quod sit mater Iesu. Bernardus homilia 1 super *Missus est*: « Quod si et « cuius mater attendas, etc. » se non Deum et Dominum angelorum Maria suum audacter appellat Filium, dicens: *Fili quid fecisti nobis sic?* Luc. 2.
3. Item commendatur a fidelitate: reposuit enim Deus nostrae redemptionis thesaurum in ea, ut ibi: *Inventa est in utero habens*. Sed quid? Bernardus: « Angeli laetitiam, iusti gratiam, « peccatores veniam. Redde ergo mater, quod debes, obsidem « quo redimamur, thesaurum quo ditemur, fratrem cui uniamur, « Deum per quem exaltemur: hoc enim in utero habes ».
4. Commendatur etiam a puritate summa, ut ibi: *De Spiritu sancto*. Unde Anselmus lib. de conceptu virginali, c. 18: « De- « cens erat, ut ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi, « Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem « de corde suo aequalem sibi genitum, tanquam seipsum dilige- « bat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque « communis Dei Patris, et Virginis Filius, et quam ipse Filius « substantialiter sibi matrem eligebat, et de qua Spiritus sanctus « volebat, et operaturus erat, ut conciperetur, et nasceretur ille « de quo procedebat ».
5. Item commendatur a nativitatis Dei utilitate, ut ibi: *Ioseph fili* etc. Sequitur: *Pariet autem filium*, etc. Sed quem? Angelorum restauratorem, hominum Redemptorem, corporalium innovatorem. *Et vocabitur nomen eius*, ut dicit Isaias cap. 7, *Emmanuel*, quod est interpretatum *nobiscum Deus*. Nobiscum fraternitate, quia frater et caro nostra est, Genes. 37. Nobiscum conversatione. Ioan. 17: *Pater, quos dedisti mihi, non peribunt*, etc. Nobiscum provisione. 1 Petr. 5: *Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum*. Nobiscum in aeterna habitatione. Matth. c. ult. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*.
6. Item ipsa est stella in oriente. Matth. 2: *Vidimus stellam eius in oriente*. Haec stella primo apparet peccatori ad Deum redeunti; unde sequitur: *Et venimus adorare eum*, id est Dominum.
7. Item ipsa turbat Herodem, id est diabolum, ut ibi: *Audiens autem Herodes turbatus est*, etc. *et postquam didicit ab eis tempus stellae*, id est Mariae, *quae apparuit*, per naturam in mundum nascendo, et per gratiam in mente apparendo, Herodes, id est diabolus, vehementius expavescit.
8. Item ipsa praestat se sequentibus ducatum, ut ibi: *Stella*, *quam viderant in oriente*, *antecedebat eos*, ut reconciliatrix reorum, et hospitium invitatrix.
9. Item ipsa peregrinos suos laetificat, ut ibi: *Videntes autem stellam*, id est Mariam, *gavisi sunt gaudio magno valde*.
10. Item ipsa Maria in duobus assumi debet, ad diabolum fugandum, et in patriam redeundum. De primo: *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph*, id est peccatori in peccatis, *dicens: Surge*, scilicet velociter, *et accipe puerum*, *et matrem eius*, scilicet Patri in oblationem puerum, matrem in reconciliationem, ut pro te loquatur. De secundo angelus dixit Ioseph, Matth. 2: *Surge*, laetanter, *et accipe puerum*, *et matrem eius*, *et vade in terram Israel*, id est in coelestem patriam: *defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri*, imo et animam tuam, scilicet daemones vos tentantes, cogitationes impugnantes, mundum decipientes, qui quaerunt gratiam Christi in te extinguere, et te ad infernum rapere.
11. Item ipsa est mons illuminationis omnium beatitudinum. Matth. 5: *Videns Iesus turbas ascendit in montem*, id est Mariam in incarnatione. Prima autem illuminatio beatitudinis est illuminatio paupertatis, unde: *Beati pauperes spiritu, etc. Beati pauperes*. Glossa: Quos non necessitas, sed fides et devotio pauperes facit, ut contemptis omnibus, Deo vivant. Talis autem contemptus omnium rerum in B. Virgine in summo fuit. Quidam enim dant superflua naturae, sed non personae. Augustinus serm. 5 de verbis Domini in evangel. secundum Matthaeum: « Utere « superfluis, da pauperibus necessaria: utere pretiosis, da pau- « peribus vilia ». Et iste est primus gradus paupertatis. Secundus gradus est dare superflua naturae et personae. Luc. 11: *De eo quod superest, date pauperibus*. Glossa: Non solum exteriora valde necessaria cum proximis dividamus. Tertius gradus est non tantum dare superflua, sed etiam necessaria. Unde: *Qui habet duas tunicas, det non habenti*, Luc. 3. Quartus gradus est omnia necessaria et superflua simul dare, sed adhuc semetipsum retinere; sicut quidam philosophorum fecerunt, licet non propter Deum. Quintus gradus est omnia dare, et semetipsum relinquere, propterea manibus laborare, ut habeat, unde necessitatem tribuat patienti. Hunc gradum habuit Apostolus. Sextus gradus est omnia dare, et semetipsum superaddere. Unde in evangelio Matth. 19: *Si vis perfectus esse*, *vade*, *vende*, etc. Septimus gradus est omnia dare et semetipsum, et spiritu, et corpore la-

Digitized by Google

borare, ut pascat proximum pane spirituali. Et iste excellentior est sextus, quia dicit Gregorius homilia 6 in Evangelia: « Plus « est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam « ventrem morituræ carnis terreno pane satiare ». Octavus gradus est omnia et seipsum relinquere, et de substantia sui corporis accipere partem ad refectionem animarum proximorum. Sicut B. Virgo de purissimis carnibus et sanguine nobis panem vitae confecit, quem qui manducabit, mortem non gustabit in aeternum, Ioann. 6, et 8. Nonus gradus est omnia dare, animam, et corpus proprium, etiam deitatem his unitam, proximo dare in cibum animae sub specie aliena. Hic est gradus summae paupertatis in via. Decimus est se ipsum dare secundum totum corpus, et animam, et deitatem sub specie propria, in cibum corporis et animae simul in beatitudine aeterna, de qua dicit: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*, Luc. 14. Hic patet, quod B. V. Maria paupertatem spiritus habet excellentius omni homine praeter Christum: quia cum ipsa praecellat omnes dignitate, et aequalem aliis habuerit paupertatem, excellit omnes improportionabiliter paupertate.

Secunda illuminatio est mititas. Ibi: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, Matth. 5. Istam mititatem et mansuetudinem, praeter Christum excellentissime habuit. Glossa: *Mitis est*, qui malis moribus dominatur, quod ipsa perfectissime fecit. Eius enim dominium de malis moribus fuit sine pugna, omnium aliorum cum pugna. Item Glossa: Mansuetus non irritat, nec irritatur. Cogitat enim nulli nocere, et omnibus in summo prodesse. Hoc ipsa perfectissime implevit. Unde eam collaudans Ecclesia in hymno, *Ave maris stella*, dixit de ea: *Virgo singularis, inter omnes mitis, nos etc.*

Tertia illuminatio est luctus. Ibidem: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Qui luctus post Christum excellentissime fuit in B. Virgine. Item servitia quanto minus debita, tanto magis grata: sed luctus B. M. Virginis nullo modo fuit debitus debito necessitatis, sed tantummodo debito caritatis: ergo sicut luctus eius alta fuit improportionabilis, ita et consolatio eius alta etiam fuit improportionabilis.

Quarta illuminatio est esuriei et sitis iustitiae. Ibi: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam*, etc. Quae in ea similiter fuit excellentissime.

Quinta est illuminatio misericordiae. Ibi: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Cum autem misericordia sit dare, et dimittere, et B. Virgo plus omnibus dedit, et super omnes plus dimisit; ergo super omnes beatitudinem misericordiae accepit. Ambrosius: « Misericordia est nullum in miseria relinquere, et nullum miserum facere: quod in summo est in Beata Virgine: ergo in summo habet beatitudinem misericordiae.

Sexta illuminatio est munditiae. Ibi: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Sed hi, ut dicit Glossa, mundi corde sunt, quos non arguit conscientia peccatorum: sed hoc in Virgine fuit in summo: ergo habuit munditiam cordis in summo.

Septima est illuminatio pacis, ut ibi: *Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur*. Glossa: Dum lex carnis repugnat legi mentis, nos modo altero, sed uno hoc modo possumus esse pacifici. Ergo super omnes pacificata existebat, in qua caro adversus spiritum non rebellavit. Et sic ipsa beatitudinem summae pacis possidebat, et possidet.

Octava illuminatio est martyrii vel persecutionis, ut ibi: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*. Hic agitur de persecutione illa, quae est martyrium, cui debetur laureola. Unde Bernardus in serm. de B. Virgine super illa verba Apocalypsis cap. 12: *Signum magnum apparuit*, etc. « Longe eam plus quam « martyrem non immerito praedicamus, in qua nimirum corpo- « reae sensum passionis excesserit compassionis affectus ». Item Bernardus (1) supra illud, *In plenitudine sanctorum detentio mea*: « Merito in plenitudine sanctorum eius erat detentio, cui « non deerat fides patriarcharum, nec prophetarum spiritus, nec « apostolorum zelus, nec constantia martyrum, nec sobrietas con- « fessorum, nec castitas virginum, nec coniugatorum fecunditas, « nec angelorum puritas. Isti sunt octo radii illuminationis, qui- « bus mens Virginis Mariae prae omnibus incomparabiliter est « illuminata ».

12. Item ipsa est civitas in excelsum et in refugium nobis posita. Matth. 5: *Non potest civitas abscondi*, id est Maria celari, *supra montem posita*, scilicet virtutum et gratiarum.

13. Item ipsa est lucerna omnibus lucens. Matth. 5: *Neque accendunt*, scilicet Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, *lucernam*, id est Mariam, quae accensa fuit in die incarnationis, *et ponunt eam sub modio*, sicut faciunt ipsam inhonorantes, *sed super candelabrum*, id est Ecclesiam, *ut luceat*, indifferenter, *omnibus qui in domo sunt*, id est in Ecclesia, vel in mundo.

14. Item ipsa est altare nostrarum oblationum. Matth. 5: *Si offers munus tuum ad altare*, id est ad Mariam, *vade prius reconciliari fratri tuo*, id est Iesu Christo.

15. Item ipsa est datrix et mutuatrix nostra. Matth. 5: *Qui petit a te*, o Maria, instanter, *da ei*. Glossa: Quae honeste et iuste dari possunt: *et volenti mutuari a te*, quae ditissima es, *ne avertaris*.

16. Item ipsa est sol omolmicans. Matth. 5: *Solem suum*, id est Virginem Mariam, *oriri facit*, per nativitatem in mundo, per gratiam in mente, *super bonos*, ut confirmentur, consolentur, et illuminentur, *et malos*, ut convertantur, et salventur. *Et pluit super iustos, et iniustos*, sed aliter, et aliter.

17. Item ipsa est arbor bona, quae optimum fructum facit. Matth. 7: *Non potest arbor bona*, id est bona in natura, melior in gratia, sed optima in gloria, *fructus malos facere*. Glossa: Quia a radice fructus arboris pullulat. *Neque arbor mala*, id est Eva misera, *fructus bonos facere*, quia in amaritudine originalis culpae concipimur et nascimur.

18. Item ipsa est domus totius firmitatis. Matth. 7: *Assimilabitur viro sapienti*, id est Christo, *qui aedificavit domum suam*, id est Mariam, *super petram*. Quamobrem ille non erit domus Dei, qui inconstantia de facili permutatur: *Et descendit pluvia, et venerunt flumina*, in passione filii praedilecti, *et flaverunt venti*, scilicet vituperatores et irrisores, dicentes Matt. 27: *Vah, qui destruis templum Dei. Et irruerunt in domum illam*, id est in Mariam. Unde ipsa dicere poterat ad Patrem illud psalmistae, psal. 41: *Omnes fluctus tui super me transierunt. Et non cecidit*, per incredulitatem, et infidelitatem, sicut apostoli, sed stetit fortissima apud crucem, *fundata enim erat supra firmam petram*, id est Christum.

19. Item ipsa est navicula, in qua transfretavit Filius Dei de litore immortalitatis ad litus mortalitatis, assumens nostram humanitatem, conferens nobis suam deitatem. Matth. 9: *Ascendens Iesus in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam*.

20. Item ipsa est per centurionem designata, quia veraciter potest dicere: *Nam et ego*, scilicet Maria, *homo sum*, licet super angelos exaltata, *habens sub me milites*, id est angelos omnes; *Et dico huic: Vade, et vadit*, ad liberandum, consolandum, et transferendum socios de terra, et vadit obedienter. *Et alii: Veni, et venit*.

21. Item ipsa est per Ioseph designata, cui dixit rex Aegypti: *Uno tantum solio regni te praecedam. Absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Aegypti*, Genes. 41.

22. Item ipsa est locus thesaurorum Dei. Matth. 12: *Bonus homo*, id est Christus, Deus et homo, *de bono thesauro suo*, id est Virgine Maria, *profert bona*, scilicet misericordiae, gratiae, et gloriae.

23. Item ipsa est mons misericordiarum. Matth. 21: *Cum venisset Iesus ad montem Oliveti*. Glossa: Ad sublimitatem misericordiae respiciens. Per oleum enim misericordiae designatur. Venit ergo ad montem Oliveti, id est Mariam, quando ex ea est incarnatus. Eius autem adventus triplex est utilitas. Prima, quia asina alligata solvitur a poenis peccatorum. Secunda, quia in Ierosolymam, id est in visionem pacis ducitur. Tertia, quia *vestimentis discipulorum* tegitur, et ornatur, scilicet in moribus et in fide.

24. Item ipsa est ministra peccatorum secundum Filii constitutionem. Matth. 23: *Qui maior est vestrum, erit minister vester*. Sed ipsa praeter Deum maior omnibus. Ergo et ministra. Servit autem libenter, Luc. 2: *Ecce ancilla Domini*. Servit universaliter, quia in coelo, et in terra, et in purgatorio. Eccli.

(1) Licet haec auctoritas ex s. Bernardo citari soleat, eam tamen in s. Bernardo non reperimus, sed in Idiota in libro contemplationum de B. Virgine, c. 2, in verbis. *Non defuit tibi puritas angelorum, non fides patriarcharum, non scientiam prophetarum, non zelus apostolorum, non patientia martyrum, non sobrietas confessorum, non innocentia aut humilitas virginum: in summa nullo genere vacua virtutum*. Extat tom. 10 bibliothecae veterum patrum editionis coloniensis.

Digitized by Google

24: *In habitatione sancta coram ipsa ministravi.* Servit humiliter, quia parvo sicut maximo, pauperi peccatori sicut diviti iusto. Servit fideliter, quia corpore, et sanguine Filii sui nos quotidie pascit et potat.

EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM

INITIUM SANCTI EVANGELII *IESU CHRISTI FILII DEI*

1. Domina evangelistarum, Virgo Maria, comparatur grano sinapis, Marc. 4, de quo dicitur, *quod minus est omnibus seminibus*, et hoc per humilitatem: *et cum seminatum fuerit*, scilicet in mundo apparendo, *ascendit*, in arborem, quae altitudine, amplitudine, annositate transcendet herbarum naturam. Alta est, quia ad coelestia attollitur: ampla, quia totum mundum occupat: annosa, quia non potest finiri. Haec tria sunt in arbore, scilicet Maria, quae est maior gloria et caritate *omnibus oleribus*, id est angelis, et hominibus, *et facit ramos*. Glossa: Misericordiae, et compassionis, *magnos*, *ita ut possint sub umbra eius*, protectionis, *aves coeli*, id est sancti Dei, imo et peccatores, *habitare*, fiducialiter, propter securitatem: gaudenter, propter umbrositatem: utiliter, propter fructuositatem.

2. Item ipsa est cervical omnium virtutum, in quo Filius Dei dormit. Marc. 4: *Erat ipse in puppi super cervical dormiens*, in Maria, quia talem alibi requiem non invenit. *Et excitant eum*, discipuli, *et dicunt ei: Magister, non ad te pertinet, quia perimus. Et exurgens*, in resurrectione, *comminatus est vento*, id est diabolo, *et dixit mari*, id est omnibus tentationibus: *Tace, obmutesce.*

3. Item ipsa est vidua pauper, sed largissima ditatrix totius Ecclesiae: nullus enim hominum vel angelorum tantum dedit, quantum ipsa. Marc. 12: *Vidua haec pauper*, scilicet rebus, id est Maria, *plus omnibus misit.* Plus in quantitate, pretiositate, utilitate: quia misit Christum filium suum in laetitiam desolatorum, in illuminationem caecorum, in liberationem captivorum.

4. Item ipsa est prima, quae post Deum revertenti peccatori occurrit. Marc. 14: *Ite in civitatem*, scilicet Ecclesiae communionem, quam, o peccatores, per peccatum amisistis, *et occurret vobis homo*, id est Maria tanquam mater festinans. Eccli. 15: *Et obviabit illi quasi mater honorificata: lagenam aquae*, gratiarum et misericordiae, *baiulans.* Sed nunc audiamus consilium Dei: *Sequimini eam*, veraciter quia tunc non errabitis: et secure, quia ab omni incursu defendere potest: et laetanter, quia ducit ad Iesum. Unde sequitur, in *domum*, scilicet coelestem, in quam intrat, scilicet in gloriosa eius assumptione. Ergo merito beatus homo, cui tu occurris, Maria: occurre quaeso mihi peccatori, et duc clementer in domum tuam.

EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM

FUIT IN DIEBUS HERODIS REGIS IUDAEAE SACERDOS ETC.

1. Imperatrix evangelistarum commendatur a maxima dignitate. Luc. 1: *Missus est angelus Gabriel*, et cetera usque ad nomen *Virginis Maria.* Quamvis Deus esset per essentiam, potentiam, praesentiam cum B. Virgine, sicut est in creaturis generaliter: et licet esset in ea per inhabitantem gratiam, sicut est in sanctis specialiter, tamen quia adhuc distabat per corporalem praesentiam, ut in ea Deus homo fieret, similis nobis passibilis, voluit angelum mittere ad Virginem, ad Virginis partum annuntiandum. Cuius missio necessaria fuit propter quatuor: propter Dei honorationem, propter angelicae dignitatis ostensionem, propter B. Virginis commendationem, et propter nostram utilitatem. Deus honoratur in ista annuntiatione tripliciter. Primo quantum ad potentiam, in eo quod angelos ministros habet. Secundo quantum ad sapientiam, in eo quod modo praedonis obviavit: quia Virginem angelus Dei docuit, sicut virginem angelus malus decepit. Tertio quantum ad bonitatem, in eo quod nihil de contingentibus omisit in omni eo quod matris suae honori et nostrae utilitati necessarium fuit.

Secundo necessaria fuit ad angelicae dignitatis ostensionem, quae in tribus ostenditur. Primo, quia angelus hic officium suum, scilicet nuntiandi, in summo exercuit. Secundo, quia summi consilii conscius fuit. Tertio, quia summam beatitudinem hominum nuntiavit.

Tertio etiam fuit necessaria ad Virginis commendationem, quae in tribus ostenditur. Primo in hoc quod non alius nuntius, quam angelus Gabriel mittitur. Secundo in hoc quod cum ea tam multa mysteria loquitur. Tertio in hoc quod Deus non nisi consensu Mariae nostrae salutis opus operatur; quem consensum angelus praeparavit. Quarto etiam fuit necessaria ad nostram utilitatem, scilicet ad fidei confirmationem, ad amicitiae angelorum ostensionem et ad salutis nostrae procurationem. Sequitur:

2. *Angelus Gabriel.* Iste angelus non fuit de maioribus, sed fuit archangelus, et hoc in Virginis honorem, quia si quis de superioribus mitteretur, ab ipso illuminari crederetur. De minoribus ergo mittitur, ut ostendatur, quod angelus tantum est negotii ministeriique exterior delator: Deus autem per seipsum est negotii operator, salutaris decretator, intelligentiae inspirator, et mentis ad consensum inclinator, modi excusationis expositor. Unde angelus requisitus de modo, transmisit ad Spiritum sanctum: *Spiritus sanctus superveniet in te*, Luc. 1. Apparuit autem ei Gabriel archangelus in clara veste, ut dicunt quidam, ad honorem illius qui processit velut lux de luce. Et hoc, ut creditur, in ortu diei, ut cum sole oriente matutinali oriretur simul *Sol iustitiae, Christus Deus noster*, ut dicunt Malach. 4, et Ecclesia. Sequitur:

3. *In civitatem.* Si obiiciatur, quod ista annuntiatio non debuit fieri in civitate, sed in dignissimo loco, scilicet in templo, propter dignissimum opus, respondeo, quod Dominus in omnibus factis principalioribus, quae in mundo gessit, semper in communi fuit, per hoc ostendens, quare in mundum venisset: inter peccatores natus, ante bovem et asinum in praesepio locatus, inter peccatores conversatus, inter latrones crucifixus, resurgens peccatrici primus apparuit. Sic et in civitate, quae est locus communis, concipi voluit, *qui propter nostram salutem descendit de coelis*, ut Ecclesia in Symbolo cantat. *Descendit*, ut ostenderet, quia pro omnibus venit. In via natus fuit, quia sua vita debuit nobis esse via ad regnum coelorum. *Extra portam passus est*, Hebr. 13, quia per ipsius passionem non liberatur quis, nisi per conversionem ad eum. Sequitur:

4. *Galilaeae*, quae est regio quae a gentibus et Iudaeis inhabitabatur. Et sic in regione communi concipi voluit, qui pro omnibus nasci voluit; non enim *Iudaeorum Deus tantum*, sed *et gentium*, Rom. 3. Regio illa nomine suo proprietatem incarnationis optime expressit. Galilaea enim interpretatur revelatio, sive transmigratio: quia in hac annuntiatione erat summorum secretorum revelatio, quando *Verbum*, quod lucem inhabitabat inaccessibilem, 1 Timoth. 6, *caro factum est*, Ioann. 1. Simili modo transmigratio maxima, scilicet de ignorantia in scientiam, de culpa in gratiam, de umbra in veritatem, de divinitate in humanitatem, quae maxima fuit. Sequitur:

5. *Cui nomen Nazareth.* Nazareth interpretatur flos. Bene ergo Dominus in Nazareth conceptus fuit; quia sicut odor de flore sine corruptione, sic ipse salva virginitatis decore, et matris integritate processit. Sequitur:

6. *Ad Virginem.* Sed quare non ad mulierem? Resp. *A muliere initium factum est peccati*, Eccli. 25. A muliere sub ratione mulieris, et non sub ratione Virginis, Eva enim in quantum virgo, nos perdidit; sed in quantum coniuncta viro nos carnaliter generavit. Unde Augustinus in Enchiridio, capit. 3, 4, et aliis in locis: « Peccatum originale nascitur ex vulnere concu-
« piscentiae, quae annexa est commixtioni seminum: cui vulneri
« subiacere non debuit, qui vulnus curare venit. Item ad Virgi-
« nem; quia generatio temporalis est imago aeternae generatio-
« nis. Unde sicut aeterna generatio est de non ente incorrupto
« et indiviso, ita generatio temporalis esse debuit de incorrupta,
« hoc est de Virgine ».

Creditur etiam, quod B. Virgo in actu contemplationis fuerit, quando ei annuntiatio dominica venit. Elevabatur autem in summam potestatem in eo quod supra naturam Deum genuit. Et ad hanc elevabatur per fidem, iuxta illud Marc. 9: *Omnia possibilia sunt credenti.* Elevabatur etiam in summam dignitatem per hoc quod totius creaturae per recreationem mater effecta est. Et ad hanc elevabatur humilitate, iuxta illud: *Qui se humiliat, exaltabitur*, Matth. 23. Elevabatur etiam in summam caritatem per hoc quod Deo summa et propinquissima fuit, utpote quae ipsius filia, mater, soror, et sponsa fuit. Et ad hanc elevabatur caritate, iuxta illud: *Ego diligentes me diligo*, Prov. 8. Elevabatur etiam in summam familiaritatem, et illam faciebat castitas,

Digitized by Google

iuxta illud : *Incorruptio facit proximum esse Deo*, Sapient. 6. Elevabatur ergo tota, quae tota replebatur, et tota glorificabatur. Sequitur:

7. *Desponsatam*. Ista desponsatio utilis fuit ad multa, sicut habetur Matth. 1 : *Cum esset desponsata*, etc. Creditur, quod Deum conceperit tali aetate, quam perfecta fuit statura, et corporis quantitate. Sequitur :

8. *Viro, cui nomen erat Ioseph*. Ioseph vir erat per constantiam fidelitatis quantum ad iustitiam: vir per virtutem castitatis quantum ad temperantiam: vir per excellentiam discretionis quantum ad prudentiam: vir per strenuitatem operationis quantum ad fortitudinem. Et sic notatur excellentia quatuor cardinalium virtutum. Bernardus homil. 2 super *Missus est*: « Non est dubium, « quin bonus et fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui mater de« sponsata est Salvatoris. Fidelis, etc.

9. *De domo David*. Sed quaeritur, cum hic mundissima Dei conceptio scribatur, cur David, qui quandoque notorius peccator extitit, ibi ponatur? Dicendum, quod non ideo hic ponitur, quod peccator fuerit, sed quod Ioseph ab eo carnaliter descendit, et per imitationem in virtutibus similis fuit. Nec propter peccati maculam, quam per poenitentiam delevit, minus in genealogia Domini nominari debuit, sed audacter praedicari : cum hoc et peccatoribus confidentiam generet, et eius misericordiam augmentet, qui dicit: *In quacumque hora ingemuerit*, etc. Sequitur:

10. *Et nomen Virginis Maria*. Nota, quod B. Virgo interpretationem sui nominis non de novo acquisivit, sed et in hoc nata fuit. Semper enim stella maris fuit, et tam praecedentes se, quam sequentes illuminat : quia nisi per fidem Verbi incarnati, vel incarnandi de Virgine nunquam alicui salus fuit. Unde et ipsa in fide hominum, et Dei electione, et confirmatione Domina et Regina omnium creaturarum extitit semper. Unde ipsa illud Prov. 8 convenienter dicere potest : *Dominus possedit me*, etc. Unde illud: *Nondum erant abyssi*, etc.

Sciendum est etiam, quod nomen *Maria* Virgini nostrae convenientissime impositum est propter tria. Primo, propter personae dignitatem. Secundo, propter actionis suae utilitatem. Tertio, propter conceptionis divinae proprietatem. Dignitas personae exprimitur per naturam lucis, quae intelligitur in *stella maris*. Sicut enim nihil pulcrius, aut nobilius luce : ita post Deum nihil dignius Maria. Et nota, quod haec B. Virgo non solum a luce divina, sicut luna a sole, illuminata fuit, sed etiam ipsam lucem, quae Deus est, 1 Ioann. 2, de se produxit, sicut aurora solem, qui omnia illuminabilia illuminavit. Et sic in B. Virgine per naturam lucis exprimitur excellentia dignitatis. Utilitas actionis intelligitur in hoc quod omnes naufragos ducit, deducit, conducit, reducit, perducit ad portum salutis aeternae. Proprietas conceptionis divinae signatur per hoc quod sicut sidus radium profert sine diminutione, ita Virgo filium sine corruptione.

11. *Et ingressus angelus ad eam, dixit*. Hic commendatur Maria a pudicitia summa. Unde Bernardus hom. 3 super *Missus est* : « Quo ingressus est ad eam? Puto in secretarium pudici « cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Deum « Patrem in abscondito. Non enim apertum invenit angelus osti« olum Virginis, cui nimirum in proposito erat hominum fuge« re frequentias, vitare colloquia, ne vel orantis perturbaretur « silentium ». Ex his verbis divi Bernardi credunt quidam, B. Virginem in adventu angeli, inclinatis genibus, et elevatis piis manibus, erectis in coelum oculis ad Patrem misericordiarum pro incarnatione Filii sui devotissime preces cum lacrimis fudisse, et angelo venienti reverenter assurrexisse, et percepta eius annuntiatione, credentem in eam consensisse, et quantocius impleta salutatione, flexis rursum in terra genibus, et elevatis in coelum oculis ac manibus, ex intimo corde erumpentibus lacrimis prae gaudio, devotissime gratias egisse. Et iste modus est eorum, qui de manu angeli, id est sacerdotis, suscipiunt Corpus dominicum de altari. Sequitur:

12. *Ave*. Ave, quasi sine vae corporis et animae. Per peccatum incurrit homo triplex vae in corpore. Primum est corporis distemperatio, et naturalium appetituum inordinatio. Secundum est ipsius corporis et animae ad invicem repugnatio: *quia caro concupiscit adversus spiritum*, ad Galat. 5. Tertium est ipsius corporis post mortem incineratio. Sine isto triplici vae fuit B. Virgo in corpore, quae corpus habet virginitate integrum, cum spiritu pacificatum, et nunquam post mortem incineratum. Ex parte animae habet homo triplex vae, errorem in rationabili, pudorem in concupiscibili, dolorem in irascibili. Ab isto etiam triplici vae immunis fuit Virgo Maria, quae nec in discretione, nec in elatione, nec in executione unquam erravit.

Item est aliud triplex vae, scilicet culpae, poenae, ignorantiae. Vae culpae est triplex, scilicet originalis, actualis mortalis, venialis. Vel ita. Vae avaritiae in opere, vae luxuriae in carne, vae superbiae in corde. De isto triplici vae dicitur in Apocal. 8: *Vae, vae, vae omnibus habitantibus in terra*.

Item vae poenae triplex, scilicet vae gehennae, vae purgatorii, vae poenitentiae. Item vae ignorantiae est triplex, scilicet ignorantia credendi, operandi, salvandi. Sine isto multiplici vae fuit B. Virgo Maria.

Item triplex vae est in mulieribus specialiter, scilicet vae sterilitatis in virginibus, vae subiectionis in coniugatis, vae desolationis in viduis. Ab ista etiam triplici vae fuit B. Virgo immunis. Fuit enim Virgo sine sterilitate, coniugata sine subiectione, vidua sine desolatione.

Item in mulieribus est triplex vae: omnis enim mulier, praeter eam, in conceptu perdit virginitatem: post conceptum venustatem corporis et sanitatem: in partu hominum societatem. Ab hoc etiam immunis fuit. In conceptu virginitatem non amisit, sed puritatem acquisivit : post conceptum pulcritudinem non perdidit, sed in tantum irradiavit, quod eam Ioseph inspicere non potuit. Item post partum hominum societatem non perdidit, imo tunc mediatrix Dei et hominum constituta est. Unde in puerperio a pastoribus et regibus visitatur.

Item ipsa est gratia plena per influentiam divinae bonitatis, ut eius gratiae plenitudo in nobis suppleat defectum.

Item ipsa est stella in firmamento gloriae fixa, ut nos naufragos de statu miseriae reducat ad portum salutis aeternae. Hac de causa apponit Ecclesia in salutatione ista felix nomen *Maria*. Sequitur :

13. *Gratia plena*. Quatuor modis fuit gratia plena. Primo, quia omnes gratias generales et speciales in summo habuit, a quibus omnis alia creatura vacua fuit. Secundo, quia sua gratia tanta fuit, quod pura creatura maioris gratiae capax non fuit. Tertio, quia omnem gratiam increatam in se totam continuit, et sic per omnem modum gratiae gratia plena fuit. De hac pulcritudine dicit Bernardus hom. 3 super *Missus est* : « Legimus in « actibus apostolorum c. 1, et Stephanum gratia plenum et for« titudine, et apostolos fuisse repletos Spiritu sancto, ibidem « cap. 2; sed longe dissimiliter a Maria: alioquin nec in illo ha« bitavit plenitudo divinitatis corporaliter, ad Colos. 2, quem« admodum in Maria. Nec illi conceperunt de sancto Spiritu, « quomodo B. V. Maria ». Plenitudo igitur B. Virginis privat vacuitatem, sed plenitudo eius negat particularitatem. Non enim *dedit Deus ad mensuram*, Ioann. 3, *Spiritum sanctum*; sed, ut dicit Glossa, non particulariter, sed generaliter, et universaliter. Plenitudo vero sanctorum, quae communis est, importat redundantiam, et effluxionem. Replet enim animam gratia interius, et sic effluit per opera exterius. De omnibus his plenitudinibus dicitur Eccles. 1: *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant*. Locus autem istarum plenitudinum est abyssus divinitatis, unde exeunt omnia flumina per gratiarum effusionem, et redeunt per gratiarum actionem, ut iterum fluant per gratiarum multiplicationem. Sequitur:

14. *Dominus tecum*. Scilicet in utero, tecum in exilio, tecum per essentiam, tecum per potentiam, tecum per praesentiam, tecum per inhabitantem gratiam, tecum per corporalem praesentiam. Item tecum in propria humiliatione, quoniam ipsum ad templum obtulisti. Tecum in sua persecutione, quando crucem sustinuit, quando stabas iuxta crucem, Ioan. 19. Tecum in sua consolatione, quando resurrexit a mortuis. Sequitur :

15. *Benedicta tu in mulieribus*. Primo, quia angelis et hominibus reverendissima: vel quia a Filio ditata, et omnium fidelium successione glorificata. Item a Deo benedicta: quia ipsa est secundum dignitatem caput et principium feminarum: et hoc propter tria. Primum est: quia habuit quicquid boni in feminis fuit. Secundo: quia quodlibet illorum in summo habuit, quale nunquam aliqua feminarum habuit, vel habebit, scilicet quia Virgo virginum fuit, quia mater et virgo fuit: quia Mater Dei fuit. Triplex enim bonum est in feminis, scilicet bonum coniugatarum, viduarum, et virginum.

Bonum coniugatarum est triplex, scilicet fides, proles et sacramentum. Bonum viduarum similiter triplex, scilicet libertas

contemplationis, exercitium in operibus pietatis, castigatio carnis. Bonum virginum similiter triplex, scilicet carnis incorruptio, nulla viri subiectio, et angelica conversatio.

Haec omnia bona B. Virgo in summo habuit, et insuper omnes praecellit in causalitate, quia Virgo virginum: in puritate, quia pura in summo: in fecunditate, quia mater. Viduas praecellit: quia viduarum bonum habuit in summa contemplatione, in praecipua pietate, in excellentissima castitate. Coniugatas excellit in tribus: quia habuit fecunditatem sine corruptione, prolem sine patre, fecunditatem respectu altissimae naturae, quia est Mater Dei. Sequitur:

16. *Et benedictus fructus ventris tui.* Primo, quia puncturam fomitis non habuit. Secundo, quia omnia sentit. Tertio, quia corruptionem non vidit. Nos enim per peccatum incidimus in hoc triplex maledictum, scilicet fomitis punctionem. Unde: *Cum operatus fueris, spinas et tribulos germinabit*, Genes. 3. Secundo de necessariis laborem. Unde: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Tertio incinerationis necessitatem. Unde cinis es, et in cinerem reverteris.

Item, *Benedictus fructus ventris tui*, quia est pater omnium per creationem in esse naturae, Pater omnium per recreationem in esse gratiae, Pater omnium per creati glorificationem in esse gloriae.

Item, *Benedictus fructus ventris tui*, non solum propter maledicti evacuationem, sed etiam propter omnis boni possessionem. Habuit enim bonitatem naturae humanae in summo, bonitatem quae est ex coniunctione utriusque in summo.

Item *fructus* iste *benedictus* est benedictione naturae, benedictione gratiae, et benedictione gloriae. Habuit enim benedictum corpus natura, quia purum in forma, quia pulcrum in harmonia, quia evacuatum. Habuit etiam benedictam animam a fomite, ab ignorantia, a peccato immunem. Habuit etiam benedictam divinitatem in se, in operibus suis. Sequitur:

17. *Ecce concipies.* Conceptio haec est opus totius Trinitatis, appropriabilis tamen est Spiritui sancto propter opus summae benignitatis, cuius est donorum distributio. Unde autem facta sit sanctissima ista conceptio, dicendum cum Damasceno, quod non tantum de sanguinibus, sed et de carnibus B. Virginis. In uno enim loco, scilicet libro 4 de fide, cap. 2 dicit, ex sanguinibus; in alio loco, scilicet eodem libro, cap. 15, dicit expresse ex purissimis carnibus et sanguinibus. Sequitur:

18. *Concipies in utero.* Videtur esse superfluum hoc quod dicitur, *in utero*, omnis enim concipiens concipit in utero. Ad hoc dicendum est, quod est privilegium istius solius conceptionis. Omnes enim aliae concipiunt in uterum: illa sola concepit in utero, quia concepit virgo. Concedimus etiam, quod Dominus fuit in utero 276 diebus. Hi sunt quadraginta septimanae, et duo dies. Exivit etiam clauso utero, sine dotis assumptione, supernaturaliter nascendo. Sequitur:

19. *Et vocabis nomen eius Iesum.* Hoc nomen Iesus imposuit Dominus rem nominis praestando, angelus praedicando, Domina impetrando, Ioseph exequendo. A Deo impositum fuit hoc nomen aeternaliter, ab angelo in incarnatione, a Domina et Ioseph in circumcisione. Sequitur:

20. *Hic erit magnus.* Magnus nobilitate, dignitate, pietate, virtute, famositate, novitate. Item magnus secundum omnem modum. Magnus secundum substantiam, quia Deus. Magnus secundum quantitatem, quia omnipotens. Secundum qualitatem, quia summe bonus. Secundum relationem, quia Filius Dei. Magnus secundum quando, quia aeternus. Magnus secundum ubi, quia ubique. Magnus secundum situm, vel potestatem, quia *coelum* sibi *sedes* est, terra autem *scabellum pedum suorum*, Isai. 66; et *sedet super cherubim*, Isai. 37, et *ambulat super pennas ventorum*, psalm. 17. Magnus secundum habitum, quia *vestis eius candida super nivem*, Daniel. 7. *Fortitudo, et decor indumentum eius*, Proverb. 31. Magnus in magnitudine actionis, id est incarnatione. Genes. 1: *In principio creavit Deus coelum et terram*, id est Filium genuit in quo omnia creavit, recreavit, iustificavit, et glorificavit. Magnus in passione, et magnus erit in glorificatione. Sequitur:

21. *Et Filius Altissimi vocabitur.* Aeterna nominatione, Scripturarum attestatione, Ioannis prophetatione, operum probatione, Petri confirmatione, columbae ostensione, daemonum suspicione, doctrinae singularitate, quia *nunquam sic locutus est homo sicut hic homo*, Ioan. 7. Omnibus his modis vocabitur ab hominibus, *Altissimi Filius, unigenitus* in esse naturae, *unigenitus* in donis gratiae. Sequitur:

22. *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius.* Per regnum David temporale figuratur regnum Christi spirituale, in quo *Iesus Christus* habet sedem regni, sedem sacerdotii, sedem magisterii, sedem iudicii, sedem convivii. Sequitur:

23. *Et regnabit*, videlicet miseris miserendo, malos exstirpando, bonos exaltando, omnibus imperando, hostes subiugando, curiam celebrando, iura promulgando, regnum dilatando. Regnabit autem per gratiam, et gloriam. Sequitur:

24. *In domo Iacob in aeternum.* Unde Bernardus hom. super *Missus est*: « Beati in quibus nunc Deus regnat per gratiam,
« et in aeternum per gloriam etc. Veni interim, Domine Iesu,
« aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes
« tu, qui debes, in ea. Venit enim avaritia et vindicat in me sibi
« sedem. Iactantia cupit dominari mihi. Superbia vult ibi rex
« appellari. Luxuria et ambitio, invidia et detractio, qualibet
« dicit: Ego ibi regnabo. Veni ergo mi Domine Iesu Christe,
« disperge illos in virtute tua, psal. 58, et regna in me. Quia
« tu es ipse Rex meus, et Deus meus ». Sequitur:

25. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ut personae meae dominatorem, ut operum rectorem, et corporis corruptorem, ut animae obligatorem, ut prolis propagatorem, nunquam volo cognoscere aliqua istarum cogitatione. Unde Bernardus ibidem: « Non dubitat de facto, sed modum requirit et ordinem.
« Nec enim quaeris, an fiet istud, sed *quomodo fiet istud?* Quasi
« dicat: Cum sciat Dominus meus (testis conscientiae meae) vo-
« tum esse ancillae suae non cognoscere virum, qua lege, quo
« ordine placebit illi, ut fiat istud? Si oportuerit me frangere
« votum, ut faciam talem Filium, et gaudeo de tali Filio, et do-
« leo de proposito. Fiat tamen voluntas eius. Sin vero virgo
« concipiam, virgo et pariam: quod utique si placuerit ei, impos-
« sibile non erit, Luc. 1. Tunc scio vere, *quia respexit humi-*
« *litatem ancillae suae*, Luc. 1. *Quomodo ergo fiet istud, quo-*
« *niam virum non cognosco?* » Sequitur:

26. *Et respondens angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te.* Sed quis spiritus? Spiritus purgans, Spiritus illuminans, Spiritus implens, Spiritus perficiens, Spiritus stabiliens, Spiritus consecrans, Spiritus fecundans veniet in te, in summo, ad summum actum. Et super omnes est, qui secum veniet, scilicet Filius Dei. Sequitur:

27. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Fomitem extinguendo, contra tribulationem protegendo, carni tuae umbraculum faciendo, illum modo tibi soli notificando, lucem suam in te abscondendo, viatorum refrigerium te faciendo, contra aestum concupiscentiae te opponendo. Sequitur:

28. *Quae cum audisset, turbata est in sermone eius, et cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Admirans sapientiam, misericordiam, caritatem, veritatem, humilitatem, nuntii dignitatem, salutationis novitatem, rerum immensitatem, sui parvitatem. Insuper cogitabat, quam venerabilis, quam delectabilis, quam salutaris, quam familiaris, quam singularis ista salutatio, quae est a Deo Patre dictata, a Filio scripto inspirata, ab angelo nuntiata. Sequitur:

29. *Et ait angelus ei: Ne timeas Maria.* Quasi diceret: *Ne timeas* regis magnitudinem, tui parvitatem, sermonis raritatem, rerum incomprehensibilitatem, sententiae ambiguitatem, promissi completionem, salutis amissionem. *Ne timeas*, quia *invenisti gratiam apud Deum*, non creasti ut Deus, non semper habuisti ut Filius tuus, non rapuisti ut primus angelus, non perdidisti ut primus parens, non emisti ut Simon magus: sed invenisti, quia quaesivisti ut virgo prudentissima, docuisti ut fidelissima, reddidisti ut mater misericordiosissima: invenisti. Quid? Dico: Dei miserantis caritatem, Dei promittentis veritatem, tui ad hoc idoneitatem. Sequitur:

30. *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Sagax ancilla habet septem officia. Domum primo purgat. Unde ad Hebr. 1: *Purgationem peccatorum faciens*, etc. Secundo cibos praeparat. Haec est Sara, quae commiscuit tria sata farinae, Genes. 18. Haec est etiam quae coctum et frixum Agnum in Ecclesia exhibuit famelicis ad manducandum. Tertio fornacem calefacit, scilicet fornacem animarum nostrarum, quam ignis divini amoris succendit. Quarto aquam sitientibus portat, videlicet aquam gratiae, quam sitibundis indesinenter administrat. Quinto totam domum circuit, et vi-

Digitized by Google

sitat. Unde ancilla dicitur, ab an, et cieo, eis, quod est movere. Ipsa circuit superius hemisphaerium, et inferius angelos per laetitiam, iustos per gratiam, reos per veniam. Ut non sit, *qui se abscondat a calore eius*, psal. 18. Sexto, quia pueros portat, et lactat. *Sugemini ab uberibus consolationis eius*, Isai. 66. Septimo, quia fessis lectum praeparat. Unde illud Ioan. 14 ei congruit: *Vado parare vobis locum*. Unde ipsa propter haec septem officia comparat se ancillae, dicens: *Ecce ancilla* etc.

31. Item ipsa est mater salutationis. Luc. 1: *Intravit Maria in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth*. Sed quomodo salutavit? Fideliter. Unde *abiit in montana cum festinatione*, non gaudens diu in publico videri. Utiliter: nam *repleta est Spiritu sancto Elisabeth*. Unde ait: *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* Glossa: Vox Mariae non solum matrem, sed et sobolem vehementius accendit.

32. Item ipsa est Virgo pariens, in quo, ut dicebat Sedulius, *nec primam similem visa est, nec habere sequentem*. *Peperit filium suum*, Luc. 2. Suum donatione Patris, Filii electione, Spiritus sancti voluntate. Unde Bernardus hom. 4 super *Missus est*. « Numquid non hoc est, quod quaerebas, quod gemebas, quod » diebus et noctibus orando suspirabas, ut fieres Mater Dei? Hunc, » inquam, suum filium peperit multis de causis. Primo, ut quod » gerebat sola in utero, nobis ex caritate communicaret. Secundo, » ut Deum a saeculis absconditum facie ad faciem digito demon» straret, dicens: Hic iacet in praesepio, qui et sidera regit. Ter» tio, ut omnium sanctorum desiderantium nativitatem desiderium » compleret. Unde cantat Ecclesia in vigilia natalis Domini: *Ecce » completa sunt omnia*, etc. Quarto, ut depositum Dei Patris in » ea depositum repraesentaret. Unde angelus dixit pastoribus: *In» venietis infantem positum in praesepio*, etc. Luc. 2 ».

33. Item ipsa est, quae aestatem gratiae attulit, et depulit hiemem vitiorum. Luc. 21: *Videte ficulneam*, id est Mariam, *cum producit ex se fructum*, id est Christum, quod factum est in nativitate, *scitis, quoniam prope est aestas*, gratiae nobis per matrem misericordiae fructuosa.

EVANGELIUM SECUNDUM IOANNEM

IN PRINCIPIO ERAT VERBUM ETC.

1. Beatissima Domina secundum evangelium Ioannis dicitur mater restitutionis omnium. Ioan. 1 dicitur de eius Filio: *Omnia per ipsum facta sunt*. Sic dicitur de ipsa: Omnia per ipsam refecta sunt, ut dicit Anselmus. Colligi id potest ex s. Anselmo libro de excellentia B. Virginis, cap. 10, et 11, et s. Bernardus serm. 2 in festo Pentecostes: *Merito*, inquit, *in te respiciunt oculi totius creaturae, quia in te, et per te, et de te benigna manus Omnipotentis, quidquid creaverat, recreavit*. Expressius tamen b. Petrus Damianus serm. de annuntiatione B. Virginis: *Statim*, ait, *de thesauro divinitatis Mariae nomen evolvitur, et per ipsam, et in ipsa, et de ipsa, et cum ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine illa nihil factum, ita sine illa nihil refectum sit*.

2. Item ipsa est lux nostra, quae post Deum *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*.

3. Item ipsa est claustrum humanitatis Filii Dei, in qua, ut dicitur Ioan. 1, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, in quo Deus angelorum factus est frater peccatoris. Nota, quod bonum verbum debet habere quinque. Primo, quod sit integrum. Sic Filius Dei totus apud Patrem, et integer nobiscum. Secundo debet esse rectum. Sic Christus, Deuter. 32, *Deus iustus et rectus*. Tertio debet esse manifestativum; manifestat enim nobis Patrem per potentiam, Filium per sapientiam, Spiritum sanctum per benignam benevolentiam. Item manifestavit nobis vanitatem mundi, peccati damnositatem, poenarum acerbitatem, gloriae aeternitatem. Quarto debet esse laetificativum desolatorum. Sic et Christus Matth. 5: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum* etc. Quinto debet esse confortativum debilium. Sic et Christus. Unde dixit Matth. 10: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*. Hoc ipsum *Verbum caro factum est*. Quare? Primo, ut Filius Dei compassibilem se nobis ostenderet. Secundo, ut omnes nostros defectus se assumpsisse demonstraret praeter ignorantiam et peccatum. Tertio, ut se palpabilem et tractabilem nobis exhiberet. Quarto, ut nos per suam excellentiam a nostra fragilitate sublevaret.

4. Item ipsa est promptuarium plenitudinis, unde omnes stipendiantur. Ioan. 1: *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, scilicet post Deum, gratiam pro gratia.

5. Item ipsa est generale baptisma peccatorum. Ioan. 1: *Erat Ioannes baptizans*, in remissionem peccatorum. Huius baptismi formam spiritualiter ipsa in nobis baptizando conservat. Baptizat enim, idest mundat peccatores, *in nomine Patris* per potentiam, *in nomine Filii* per sapientiam, *in nomine Spiritus sancti* per bonitatem et clementiam. Unde si Ioannes propter baptismi officium interrogatus fuit: *Tu quis es?* etc. Sic et nos, si interrogaverimus eam: *Tu quae es?* etc. respondebit nobis, quod non sum *Christus*: sed Christi Mater, et baptisma peccatorum.

6. Item ipsa est templum totius Trinitatis, ad quod nullus intromittitur, nisi solus Deus. Ioan. 2: *Omnes eiecit de templo, et dixit: Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*, sicut fecit Eva et nos.

7. Item ipsa est fons Iacob propter plurima. Primo, quod sitientes aquis gratiae refocillat. Unde dixit Iesus mulieri, Ioan. 4: *Si scires, quis esset, qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam*, id est gratiam, et gloriam. Secundo, quia peccata videndo illuminat. Unde dixit Iesus: *Quinque viros habuisti*. Et mulier statim subintulit: *Domine, video, quia propheta es tu*. Quasi diceret: Prius caeca fui, sed modo video. Tertio, quia a peccato liberat. Unde *reliquit hydriam suam mulier*, hydriam scilicet cupiditatis, voluptatis, et vanitatis. *Et dixit*, Samaritanis: *Venite et videte hominem* etc.

8. Item ipsa est piscina Salvatoris, *quinque porticus habens*, Ioan. 5. In quam *piscinam secundum tempus*, misericordiae, *descendebat angelus Domini*, idest Filius Dei, movens in ea aquam gratiarum ad sanandum. Unde ibi: *sanus fiebat, a quacumque detinebatur infirmitate*.

9. Item ipsa est iudicissa vivorum, et mortuorum. Ioan. 5: *Potestatem dedit ei*, scilicet Pater Filio secundum humanitatem, *iudicium facere, quia Filius hominis est*. Sed si potestatem habet Filius facere iustitiae iudicium, ipsa etiam ex concessione potestatem habet facere iudicium misericordiae, quia Mater Dei est. Unde ipsa de confidentia Filii potest dicere illud Matth. 20: *An non licet mihi facere quod volo?* Ideo etiam significatur per Debboram prophetissam uxorem Lapidoth, quae *iudicabat populum in illo tempore, et sedebat sub palma*, ad quam *ascendebant filii Israel in omne iudicium*, Iudic. 4. Unde consequenter illud verbum Filii sui dicere potest Ioan. 9: *In iudicium ego in hunc mundum veni*, scilicet, ut sim iudicissa misericordiae. Sed iudicis est scire omnia. Unde dicitur in 2 p. Decreti, causa 30, quaest. 5: « Iudicantem cuncta rimari oportet ».

10. Item ipsa est attractrix peccatorum. Ioan. 6 Iesus dixit turbis: *Nemo venit ad me, nisi Pater* meus *qui misit me, traxerit eum*. Sed numquid non veniunt ad te, quos Mater tua traxerit ad te? Utique omnis, quem trahit Mater ad eum, impossibile est, ut intereat, ut dicit Anselmus, de laudibus B. Virginis.

11. Item est opus admirationis tam angelorum, quam hominum. Ioan. 7: *Unum opus feci*, idest Mariam, quae una et singularis est, *et omnes admiramini*, eius naturam, eius gratiam, eius gloriam, eius humilitatem, eius misericordiam.

12. Item ipsa est sedes misericordiae. Unde Filius Dei filiis Adae protulit sententiam absolutionis. Ioan. 8: *Iesus autem se inclinans deorsum*. Glossa: De sede Patris in mundum, *digito scribebat in terra*. *Qui sine peccato est, mittat in eum lapidem* etc. Et statim subintulit: *Nemo te condemnavit mulier. Nemo* etc.

13. Item ipsa est ostium coeli. Unde illud Ioan. 10 dicere potest: *Per me si quis introierit, salvabitur*.

14. Item ipsa est vitis. Ioan. 15: *Ego sum vitis vera, et Pater meus* etc. Nota proprietates vitis bonae, et adapta Virgini Mariae.

15. Item ipsa est mare fidelis stationis. Ioan. 19: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius*. Libet exclamare de ista statione. Clamo igitur et dico, quia ista statio est fidelissima. Fidelis enim advocatus libenter stat ad tribunal iudicis, ubi pro suo clientulo datur sententia absolutionis, et pro adversario sententia damnationis. Sic Maria advocata nostra apud crucem stetit, in qua Filius Dei pendens iudex omnium dedit sententiam de diaboli damnatione, et de peccatorum absolutione, ut ibi, Luc. 23: *Pater, dimitte illis*, etc. Vel sententiam de regni aperitione, ut ibidem: *Hodie mecum eris*, etc.

Clamo secundo, et dico, quia ista statio est sapientissima. Docet enim B. Virgo sub arbore crucis semper stare propter tuitionem a milvo inferni, propter refrigerationem ab aestu mundi et peccati, et propter pausationem a labore delicti. Genes. 8: *Dixit Abraham: Requiescite sub arbore, et postea transibitis.*

Clamo tertio, quia statio ista est utilissima. Docet enim nos Magister Christus in cathedra crucis sedens, in omni tribulatione ad Dominum clamare, ut ibi, Mar. 15: *Eloi, Eloi*, etc. Glossa: Ut homo loquitur, ut homo flet, ut homo crucifigitur, et homo turbatur. Secundo docet pro persecutoribus exorare, ut ibi, Luc. 23: *Pater dimitte illis*, etc. Tertio docet afflictis misereri, ut ibi: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*, Luc. cit. Glossa: Semper Dominus plus tribuit, quam rogetur, sicut patet in latrone, qui dicebat: *Memento mei*. Et ille: *Hodie mecum eris in paradiso*. Cito ignoscit Dominus, quia cito convertitur ille. Quarto docet parentum diligentiam habere et curam. Ibi: *Mulier ecce filius tuus.* Quinto salutem desiderare. Ibi: *Sitio*. Sexto in articulo mortis Deum invocare. Ibi: *Pater in manus tuas* etc.

16. Item ipsa est potentissima in sua assumptione. Unde convenit ei illud Ioan. 20: *Vade ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum.* His verbis nullus convenienter ita uti potuit, sicut B. Virgo in sua assumptione ad regnum coelorum. Unde nota circa eius assumptionem tria, scilicet qualiter ascendit. Primo ascendit feliciter: quia ad Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Unde dixit: *Ascendo ad Patrem meum*, etc. Item ascendit hilariter: quia conculcavit mundum, diabolum, et peccatum. Item ascendit regaliter cum choris angelorum, et sanctorum, et cum ductore suo Iesu Christo. Unde ipsi admirando poterant dicere: *Quae est ista, quae ascendit de deserto*, etc. Cantic. 3.

Secundo videndum est, quare ascendit, scilicet ut infernum obstrueret, ut coelum aperiret, ut Deum Patrem placaret, ut coeli militiam laetificaret, ut nos ad se traheret. Cant. 1: *Trahe me post te*, etc.

Tertio videndum est quo ascendit. Et sciendum, quod post Christum ad locum nobilissimum et altissimum: hoc enim triplex ratio exigebat. Primo fuit summa eius post Deum nobilitas. Unde Aristoteles libro de mundo, cap. 7: « Nobilis res debet esse in nobili loco ». Sic et ipsa. Secunda fuit meritorum qualitas, quia ipsa summum meritum habuit. Ergo post Christum summum locum habere debuit. Tertia est Dei promittentis veritas. Constitutio enim Dei est, ut omnis qui se humiliat, exaltetur, et qui se maxime humiliat, maxime exaltetur. Hoc autem ipsa post Christum maxime fecit. Ergo maxime exaltari debuit. Inclyta ergo Dei Genitrix, trahe nos ad te, si non vis, ut recedamus a te, alioquin fugiemus a te, quae es *benedicta super* omnes *mulieres*, Luc. 1, in saecula saeculorum. Amen.

LIBER APOCALYPSIS

APOCALYPSIS IESU CHRISTI

1. Beatissima Virgo Maria secundum Ioannem in Apocalypsi dicitur sedes Filii Dei. Apocalyps. 4: *Vidi et ecce sedes*, scilicet Maria, *posita erat in coelo*, idest in Ecclesia. Haec sedes vocatur totius nobilitatis, quia solus Deus sedit in ea. Unde *supra sedem sedens*, idest Deus et homo, sedens dico, paratus ad iudicandum, *similis erat aspectui iaspidis, et sardinis*. Item haec sedes totius propitiationis. Unde *iris erat in circuitu sedis*. Glossa: Idest pax et propitiatio, quae est in circuitu protegens. Ipsa est sedes comminationis. Unde dicitur: *Et de sede et throno procedebant fulgura* comminationis, *et voces* admonitionis, *et tonitrua* summae placationis. Ipsa est sedes totius pulcritudinis. Unde *et septem lampades ardentes ante thronum*, idest septem dona Spiritus sancti, quibus ipsa prae cunctis mortalibus illuminata fuit. Hic est thronus, de quo Apocalyps. 7 dicitur: *Vidi turbam magnam, ... stantem ante thronum Dei.* Glossa: Ut aspiciantur. *Et clamabant voce magna*, in praesenti, et in futuro maxime, dicentes: *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum.*

2. Item ipsa est altare oblationis. Apocal. 9: *Audivi vocem unam*, idest Mariam, *de quatuor cornibus altaris aurei*. Glossa: Super quod quidquid offertur, accipitur, *quod est ante oculos Dei*. Quatuor cornua sunt haec, misericordia, humilitas, benignitas, et largitas.

3. Item ipsa est Regina duodecim praerogativis coronata. Apocalyps. 12: *Signum magnum apparuit in coelo.* Glossa. Id est in Ecclesia: *Mulier amicta sole*, idest Maria Christo, quia induit Christum, qui eam illuminat. *Et luna sub pedibus eius.* Glossa: Idest omnia terrena. Unde Bernardus serm. super eadem verba Apocalypsis: « Quid ad Mariam trepidet humana fragilitas? Nihil « austerum in ea, nihil terribile: tota suavis est, omnibus offe- « rens lac, et lanam. Revolve diligentius evangelicae historiae « seriem universam: et si quid forte increpatorium, si quid du- « rum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurre- « rit in Maria, de cetero suspectam habeas, et accedere verea- « ris, etc. Ipsa namque mulier amicta sole dicitur: qui quemad- « modum super bonos et malos indifferenter oritur, sic ipsa quo- « que praeterita non discutit merita, sed omnibus se se exorabi- « lem, omnibus clementissimam praebet, omnium denique ne- « cessitates amplissimo quodam miseratur affectu ».

Merito ergo ipsa stellis duodecim, idest duodecim praerogativis coronatur. Quarum prima est sua sanctificatio. Secunda angelica salutatio. Tertia Spiritus sancti supervenitio. Quarta Filii Dei conceptio. Quinta virginitas primiceria. Sexta, quia sine corruptione fecunda. Septima, quia sine gravamine gravida. Octava, quia sine dolore puerpera. Nona mansuetudo pudoris. Decima devotio humilitatis. Undecima magnanimitas credulitatis. Duodecima martyrium cordis.

Vel aliter: *In capite eius corona stellarum duodecim.* Prima stella, et privilegium B. Virginis est peccati immunitas, quod de aliis hominibus dici non potest. Ioan. 1: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.*

Secunda est peccati impossibilitas: quia cum sit plenitudo gratiae in B. Virgine, ideo dicitur, non posse peccare: quod iterum in nullo alio homine.

Tertia est, quod quodlibet motu et opere meruit. Unde Apostolus: *Omne quodcumque facitis in verbo*, etc. 1 Corinth. 10: *Sive manducatis, sive bibitis.* Hoc inter omnes sanctos huius vitae, ipsa plenissime fecit.

Quarta est puritas in summo. Unde Anselmus libro de conceptu virginali, c. 18 « Decens erat, ut ea puritate B. Virgo ni- « teret, qua maior sub Deo nequit intelligi, cui Deus Pater uni- « cum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tan- « quam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter unus « idemque esset Patris, Virginisque Filius. Et quam ipse Filius « substantialiter sibi matrem eligebat. Et de qua Spiritus sanctus « volebat, et operaturus erat, ut conciperetur, et nasceretur, de « quo ipse procedebat ».

Quinta, quod ipsa dicitur Mater Dei, propter quod dicitur gratia plena. Unde patet, quod maior gratia non potest intelligi, nec purae creaturae participari, quam esse Matrem Dei per naturam. Plus est enim Dei Matrem esse per naturam, quam Dei Filium esse per adoptionem.

Sexta est, quia est mater et virgo simul, quod iterum ei soli convenit. Unde cantat Ecclesia et Sedulius:

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Unde Dionysius c. 2 de divinis nominibus: « Hoc novum est, « et omnium novorum novissimum ».

Expressius id habent sancti Hieronymus epistola seu sermone ad Paulam, et Eustochium, Damascenus lib. 3 de fide, cap. 1, Cyprianus serm. de nativitate Christi, et Bernardus serm. 3 in vigilia natalis Domini, et hom. 1 super *Missus est*.

Septima est, quia est Virgo virginum, et hoc tribus de causis. Primo, quia ipsa est mater omnium in virginitate. Nam ipsa sine praecepto, consilio et exemplo hoc gloriosum munus virginitatis Deo obtulit. Secundo quia ipsa omnes virgines excellit in fomitis extinctione, et in summa puritate citra Deum. Tertio, quia in virginitate excellit angelos. Angelorum enim puritas est necessaria, sed haec voluntaria. Unde haec gratior, quam illa.

Octava est, quia est omnium mater, quia unum hominem genuit, in quo nos omnes regeneravit. Item in uno homine nobis genuit quidquid ad hanc vitam, et futuram necessarium fuit. Item est mater omnium dignitate, quia ipsa est primogenita ante

Digitized by Google

omnem creaturam. Quae enim Mater Creatoris est, mater omnium creaturarum est, et sic omnium bonorum mater.

Nona est, quia ipsa dicitur stella maris propter quinque. In illa enim stella est considerare substantiam, qualitatem, situm, et effectum. Primo substantia est coelestia, et incorruptibilis lucis origo. Sic et ipsa coelestis in conversatione incorrupta in corpore, origo lucis in regeneratione. Secundo qualitate est superior. Sic et ipsa respectu omnium sanctorum est clarior virginitate, utilior fecunditate. Tertio situ est suprema et ultima. Sic et ipsa summa dignitate, et ultima humilitate. Quarto status stellae est sine motu, sine occasu, sine errore. Sic et ipsa sine motu inconstantiae, sine occasu culpae, sine errore ignorantiae. Quinto effectus stellae triplex, ferrum attrahit, lucem trahit, nautas dirigit. Sic et peccatores attrahit, poenitentes illuminat, et dirigit innocentes. Et sic patet, quare ipsa dicitur stella maris.

Decima est, quia ipsa dicitur porta coeli. Et primo propter hoc, quia ipsa porta exportat et importat. Sic et ipsa dicitur porta, quia per ipsam exivit quicquid unquam gratiae creatum, vel increatum in mundum venit. Vel ideo, quia per ipsam intravit quicquid boni ad coelos ascendit. Unde Filius dicit de ipsa illud Sap. 7: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Undecima est communicatio passionis, de qua Damascenus dicit lib. 4 fidei orthodoxae cap. 15: « Sed ipsa (Mater scilicet » Dei) beata, et super naturam donorum digna effecta, dolores » partus, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit, » ex materna compassione viscerum, lacerum reparturiens. Et » sic ipsa summe doluit, et sic glorificari debuit ».

Duodecima est eius exaltatio super omnem creaturam in quartam hierarchiam, et propter hoc Regina misericordiae appellatur. Unde Ecclesia in laudem ipsius concinit in festo assumptionis: *Exaltata es Sancta Dei Genitrix*, etc.

Et sciendum est, quod inter haec duodecim privilegia B. Virginis ultimum, scilicet quod nominatur Regina misericordiae, proprie convenit ei ad praedictam dignitatem exaltatae. Primo, quia misericordia plus comprehendit, quam gloria. Nam iustitia, gratia, gloria per se tantum dicunt collationem boni: misericordia autem dicit collationem boni, et ablationem mali. Per se ergo plus comprehendit, et in se amplius extendit regnum misericordiae, quam regnum iustitiae, gratiae, et gloriae. Item ipsa gloria tantum est in coelis, sed misericordia est in coelo, et in terra, et in purgatorio. Ergo maximum est regnum misericordiae. Item cum proprium sit Filii sui misereri semper, et parcere, et ipsa super patrimonium et proprietatem Filii sui sit Regina. Ergo ipsa Regina misericordiae convenientissime appellatur.

4. Item B. Virgo figurata est per septem angelos, Apoc. 16, quorum *primus effudit phialam suam in terram. Secundus angelus in mare. Tertius super flumina. Quartus in solem. Quintus super sedem bestiae. Sextus in flumen magnum Euphraten. Septimus in aerem.* Sic et ipsa phialas gratiae et misericordiae effudit in omnes.

5. Ipsa etiam in summo habet proprietates angelorum omnium. Unde videndum est de singulis, de proprietatibus primae hierarchiae ascendendo, quorum primus est ordo angelorum. Huius tres proprietates sunt. Una est, quia ordo ille immediate ordinatur ad humanam hierarchiam. Sed ipsa vicinius ordinata est nobis. Angeli enim sunt nobis praelati tantum. Ipsa vero compraelata, mater, et filia, atque soror extitit. Secunda est, quia magis noti sumus illis per intelligentiam. Sed ipsa scit infirmitates nostras per experientiam. Tertia est, quia singulos homines ipsi singuli custodiunt. Sed ipsa singulos et universos.

Secundus ordo est archangelorum, secundum Dionysium cap. 6, et 9 coelestis hierarchiae, quia similiter tres quoque habere videtur proprietates. Quarum prima est, quod ipsi a superioribus communicant. Sic ipsa a summis communicavit nobis, scilicet a Trinitate. *Spiritus sanctus superveniet in te*, Luc. 1. Secunda est supra inferiores esse. Sed ipsa super omnes est. Tertia est inferiores reducere. Hoc ipsa in summo fecit: quia lapsum hominem in angelorum restaurationem revocavit.

Tertius ordo est principatuum, quia similiter tres proprietates habet. Prima est primi principii imitatio. Sic Beata Virgo primum principium, scilicet suum Filium, imitatur in omni misericordia, et humilitate. Secunda est ornatus virtutum, quem ipsa in summo habuit. Unde in Cant. 1: *Nigra sum, sed formosa*, etc. Tertia est esse inferiorum ad ipsum primificum principium reductivum, quod ipsa etiam habuit in summo, quia de ultimo fecit primum, et de primo ultimum.

Modo de secunda hierarchia videamus, cuius et tres sunt ordines. Primus est potestatum, quae tres habent proprietates. Prima est sui ordinis, et dignitatis gratia custodita. Hanc habuit ipsa in summo, quia fuit virgo post partum, et ante partum, et in partu, stante dignitate maternitatis. Secunda est aliorum ordinativum. Sic et ipsa fuit ordinis virginalis inventrix, et inordinatrix. Tertia est activum, et reductivum. Sic et ipsa fuit reducta per exemplum. Unde dicitur stella maris. Secundus ordo est virtutum, quarum tres sunt proprietates. Prima est incommutabilis virilitas, quae consistit in B. Virgine in tribus, in resistentia contrarii, quia omne peccatum vicit: in aggressione ardui, scilicet in altissima paupertate: in tolerantia adversitatis, scilicet in passione Filii. Secunda est nullius imbecillitatis tarditas. Hanc ipsa cum excellentia habuit, quia eandem angelicam vitam, quam angeli habent, ipsa sine onere carnis in carne duxit, et ideo illis ad maius bravium praecucurrit. Tertia est ad inferiores largitas, quam ipsa habuit cum excellentia. Illi enim dant dona Dei: ipsa vero dat ipsum Deum. Vel ipsi dant tantum inferioribus: ipsa inferioribus et superioribus. Dedit enim mundo Deum, et Deo mundum.

Tertius est ordo dominationum, quae habent, secundum Dionysium cap. 8 coelestis hierarchiae, has proprietates. Prima est a servitute libertas. Secunda est ab hostibus invincibilitas. Tertia liberalis severitas. Quarta minutivi servitii superioritas. Quinta nullius subiectionis egestas. Sexta dissimilitudinis immunitas. Septima dominandi ordinata voluntas. Octava sui et suorum ad Deum conformitas. Nona nullis in dominando vanitas. Decima dominicae dominationis particeps conformitas. Has omnes proprietates habuit B. Virgo in summo.

Restat nunc videre de suprema hierarchia, in qua primus in ascendendo est ordo thronorum, quorum sex sunt proprietates. Prima est celsitudo. Secunda est regis circumdatio. Tertia stabilis collocatio. Quarta regis susceptio. Quinta regis delatio. Sexta familiaris aperitio. Sic et B. Virgo celsissima est quantum ad primum. Regem gremio uteri sui circumdedit quoad secundum. Ipsum in solium gloriae et gratiae elegit quoad tertium. Ipsum per praesentiam corporalem suscepit quoad quartum. Regem gloriae in mundum detulit de coelo quoad quintum. Ipsi datum est incarnationis sacramentum, soli prae omnibus scire et experiri quantum ad sextum.

Secundus ordo est cherubin, cuius, secundum Dionysium c. 7 coelestis hierarchiae, quatuor sunt proprietates. Prima est in circuitu eius esse. Sic et ipsa totum ipsum circumdedit, scilicet in conceptione. Secunda est reductivum per quod secundum Commentatorem intelligitur, quo ad Deum tendant. Sic et B. Virgo omnia reductibilia ad Deum reduxit. Tertia est activum quod est, ut dicit Commentator, ut secundum Deum intercedant. Quod ipsa prae omnibus fecit. Quarta est exemplativum, quod est, secundum Commentatorem, ut secundum suum exemplum hoc faciant. Sic et omnium virtutum extitit exemplar.

Supremus omnium est ordo seraphin, cuius secundum Dionysium ubi proxime, octo sunt proprietates. Prima est mobile, scilicet dilectionis, quae est vita. Sic et ipsa est nobis causa vitae aeternae. Secunda est incessabile, et est caritas, quia est perpetuus. Sic et ipsa incessabilitatem caritatis habet supra seraphin. Tertia est calidum, et est dilectio calida et sopita. Hanc habuit B. Virgo super seraphin. Maior est enim virtus, quae facit sopitum in tumultu et strepitu, quam illa quae sopitum facit in silentio et quiete. Sic et B. Virgo omnino tranquillata fuit in tumultu tribulationum et persecutionum. Quarta est acutum. Et dicit Commentator, quod acutum est sapientia. Sed ipsa maxime sapiens fuit. Quinta est superfluidum, quod est cum per ignem caritatis extollitur super se. Et illa super omnes choros angelorum elevata est. Sexta est intentum, quod est, secundum Commentatorem, ut in ipsum pergat. Quod et ipsa fecit. Septima est sublimum, quod est, ut dicit Commentator, ut ad exteriora non effluat. Imo ipsa supra naturam et contra naturam sursum fluxit, et omnes qui defluxerunt, secum sursum reduxit. Octava proprietas est inflexibile, quod est, ut ad negotia extra ipsum non divertant. Et hanc B. Virgo habuit super seraphin. Isti enim ab illo tantum tempore, quo illud acceperunt, non diverterunt: illa autem non solum nunquam divertit ab ipso, sed omnia vertit ad ipsum

Digitized by Google

Est ergo B. Virgo Maria angelus in gratiae inventione, archangelus in Dei generatione, princeps in principum subiectione, potestas in supernaturalium operatione, virtus in Dei fortissimorum actuum perfectione, dominatio in creaturae superpositione, thronus in Dei corporali receptione, cherubin in omnium secretorum secretissima cognitione, seraphin in suprema super omnes dilectione.

O Regina misericordiae, gratiae et gloriae, Imperatrix universorum, hunc libellum ad honorem tuum qualitercumque compilatum benigne suscipias, et omnia peccata mea diluas, gratiam gratum facientem finaliter tribuas, et ad gloriam sempiternam me indignissimum tuum famulum perducas. Amen. Tu quoque, lector, quidquid in eo emendandum, caritate fraterna studeas emendare.

FINIS

Digitized by Google

INDEX

Liber Genesis . . . . pag. 519
Liber Exodi 520
Liber Levitici 521
Liber Numeri . . . . ibid.
Liber Deuteronomii 522
Liber Iosue . . . . ibid.
Liber Iudicum 523
Liber Ruth . . . . ibid.
Liber Regum I . . . . ibid.
Liber Regum II 524
Liber Regum III . . . . ibid.
Liber Regum IV 525
Liber Tobiae . . . . ibid.
Liber Iudith . . . . ibid.
Liber Esther 526
Liber Iob 527
Parabolae Salomonis . . . . ibid.
Liber Ecclesiastes 528
Cantica Canticorum . . . . pag. 529
Liber Sapientiae 531
Liber Ecclesiastici . . . . ibid.
Isaias propheta 533
Ieremias propheta 534
Lamentationes Ieremiae prophetae 535
Ezechiel propheta . . . . ibid.
Daniel propheta 536
Oseas propheta . . . . ibid.
Iael propheta . . . . ibid.
Ionas propheta . . . . ibid.
Michaeas propheta 537
Zacharias propheta . . . . ibid.
Evangelium secundum Matthaeum . . . . . . ibid.
Evangelium secundum Marcum 539
Evangelium secundum Lucam . . . . ibid.
Evangelium secundum Ioannem 542
Liber Apocalypsis 543

CATALOGUS HAERETICORUM

QUORUM ERRORES IN HOC SECUNDO VOLUMINE CONFUTANTUR

ANDREAS MUSCULUS LUTHERANUS

Qui docuit Christum non esse mortuum pro iis qui ante eius adventum mortem oppetierunt, refutator disc. CCCCXIX, par. 2.

ANDREAS SMIDEL

Qui salutationem angelicam impugnat, disc. CCXLVII, paragr. 3.

BRENTIUS

Qui salutationi angelicae oblatrat, disc. CCXLVII per totum.

BOMBASTUS PARACELSUS

Qui docet B. M. Virginem Adae, Abrahae, Davidis filiam fuisse tantum secundum divinam promissionem, discursu CCCLXXVIII, p. 3.

BULLINGERUS

Qui monachos dolores Mariae praedicantes taxat, discursu CCCLXXXIX, p. 2, 3.

CALVINUS

Qui peregrinationes ad loca sacra impugnat, d. CCXXXIV per totum.
Qui salutationem angelicam carpit et proscindit, d. CCXLVI per totum.
Qui B. Mariam Reginam negat, disc. CCCLXXX per totum.
Qui invocationem B. M. Virginis superstitionem vocat, disc. CCCCXIV per totum.

CALVINISTAE

Qui dicunt Christum non pro omnibus hominibus mortuum esse, d. CCCCXIX, p. 4.

CONFESSIO AUGUSTANA

Quae doctoribus scholasticis, et maxime d. Thomae aquinati falso imponit, quasi ipse asseruisset Christum pro solo peccato originali mortuum esse, d. CCCCXIX, p. 7.

COPRONIMUS

Qui asserit B. M. Virginem solum quamdiu Christum intra se gestavit honorandam, ac venerabilem fuisse, non autem ex quo Christum peperit, d. CCXIX per totum.

ERASMUS ROTHERODAMUS

Qui Virginem Sanctissimam in maris praefectura Veneri substituit, ibid.
Qui peregrinationes ad loca sacra impugnat, d. CCXXXIV per totum.
Ratiunculae eius, quibus pium, ac religiosum usum salutationis B. M. Virginis ante conciones, et alias dissuadere conatur, d. CCL per totum.
Eius frigida, et inania glossa super illa verba Cantici: *Salve Regina*, et *Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende*, d. CCLVI, p. 13.
Eiusdem ficta epistola sub nomine B. M. Virginis edita, quasi a Beata Dei Genitrice Glauco Platoni missa, d. CCCCXIV, p. 6.
Idem contra scientiam, potentiam, et bonum affectum B. M. Virginis erga nos ogganiens, d. CCCCXIV per totum.

GEORGIUS MAIOR

Qui taxat expositionem doctorum illius loci Gen. 3: *Ipsa conteret caput tuum*, de B. M. Virgine, d. CCLXXVI, p. 4.

GUILIELMUS BODINGUS LUTHERANUS

Qui salutationem angelicam carpit, disc. CCXLVII, p. 15.

HAERETICI IN GENERE

Qui festivitatem assumptionis B. M. Virginis oppugnant, d. CCXXX per totum.
Eorumdem obiectiones contra processiones cum Venerabili Sacramento, d. CCLXIII per totum.
Eorumdem reliquiarum cultum blasphemantium, discursu CCLXVIII per totum.
Obiectiones eorum contra cultum et venerationem reliquiarum sacrarum, d. CCLXX per totum.
Obiectiones eorum qui dicunt B. M. Virginem in morte Filii non doluisse, unde martyrem appellari non debere, disc. CCCXC per totum.
Impugnantes invocationem Deiparae, et aliorum sanctorum, d. CCCCXIII per totum.
Cavillationes eorum, et imposturae quibus invocationem Deiparae impugnant, d. CCCCXIV per totum.

PETRUS MARTYR

Qui antiphonam *Salve Regina* carpit et arguit, d. CCLVI per totum.

STEPHANUS DE MALESCHOT

Qui salutationem angelicam proscindit, d. CCXLVII, p. 6.

TATIANI

Qui Adamum protoparentem nostrum salutem esse consecutum negabant, d. CCCLXXXII, p. 1.

WIGANDUS LUTHERANUS

Qui salutationem angelicam blasphemat, discur. CCXLVII, par. 6.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

DISCURSUUM PRAEDICABILIUM

QUI IN HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR

VIRGO PRUDENTISSIMA

In quonam vel maxime prudentia Deiparae Virginis enituit d. CCX.
Ob terrenorum despectum, et coelestium amorem Deipara Virgo prudentissima d. CCXI.
Ob rerum divinarum et humanarum cognitionem Deipara Virgo prudentissima d. CCXII.
Sacra Deipara in cavendis malis et eligendis bonis Virgo prudentissima d. CCXIII.
In recta electione mediorum ad consequendum totius vitae finem sacra Deipara Virgo prudentissima d. CCXIV.
In praesentium ordinatione, praeteritorum recordatione, futurorum praevisione Deipara Virgo prudentissima discur. CCXV.
In actionum suarum ad rectam rationem conformitate Deipara Virgo prudentissima d. CCXVI.
In linguae moderationa Deipara Virgo prudentissima discur. CCXVII.
Qua ratione Sacra Deipara dicatur nedum Virgo prudens, verum et prudentissima d. CCXVIII.

VIRGO VENERANDA

An et quibus de causis sit veneranda B. Virgo Maria discur. CCXIX.
Quatenus sit veneranda Deipara Virgo Maria d. CCXX.
Quibus affectibus, actibusve seu obsequiis sit colenda Deipara Virgo Maria d. CCXXI.
Reverentialis affectus erga Deiparam Virginem quibus potissimum actibus declaretur d. CCXXII.
Quatenus sit invocanda Deipara Virgo Maria d. CCXXIII.
Praecipuus cultus Virginis est imitatio eius d. CCXXIV.
Templa, sacella, oratoria, altaria in honorem Virginis erecta d. CCXXV.
De imaginibus in honorem Deiparae Virginis erectis discur. CCXXVI.
Quaenam sunt corrigenda in imaginibus Beatissimae Mariae Virginis d. CCXXVII.
Quam gratus sit B. Virgini suarum imaginum cultus exemplis ostenditur d. CCXXVIII.
De festivitatibus in honorem Deiparae Virginis institutis disc. CCXXIX.
Haereticorum festivitati assumptionis B. M. Virginis detrahentium calumnia refutatur d. CCXXX.
De festis particularibus in honorem B. Virginis institutis d. CCXXXI.
Cur sabbatum Deiparae perpetuo dicatum sit, et quo tempore d. CCXXXII.
De ieiuniis, mortificationibus, aliisque corporis afflictionibus in honorem Deiparae exhibitis d. CCXXXIII.
Peregrinationes ad loca sacra in honorem Deiparae Virginis a fidelibus recte institui maiorum exemplis et Scripturae sacrae auctoritatibus probatur, et haereticorum naenus satisfit d. CCXXXIV.
An fas sit in honorem gloriosae Dei Genitricis Mariae missas, sacrificia, et vota nuncupare d. CCXXXV.
De religiosorum virorum Ordinibus sub titulo B. M. Virginis institutis d. CCXXXVI.
De favoribus, gratiis, privilegiis ac beneficiis a B. M. Virgine in Ordinem praedicatorum collatis d. CCXXXVII.
De aliis sacris Ordinibus religiosorum virorum ac feminarum specialiter sub titulo B. V. Mariae in Ecclesia militantium d. CCXXXVIII.
De Ordinibus militaribus sub titulo Dei Genitricis Mariae in Ecclesia militantibus d. CCXXXIX.
De aliis sacris religiosorum familiis gloriosae Dei Genitrici impense addictis, licet titulum eius non praeferant, sed aliunde denominentur d. CCXL.
De ortu, seu origine confraternitatum in communi discurs. CCXLI.
De confraternitate scapularis B. M. Virginis de monte Carmelo d. CCXLII.
De aliis sodalitatibus in honorem Deiparae Virginis institutis d. CCXLIII.
De salutatione angelica, et eius excellentia ac dignitate disc. CCXLIV.
Praxis recitandi salutationem angelicam, eiusque paraphrasis d. CCXLV.
An et quamobrem Deipara Virgo sit salutanda a nobis disc. CCXLVI.
Obiectiones haereticorum contra salutationem angelicam eiusque recitationem diluuntur d. CCXLVII.
A quibus et quomodo sit salutanda gloriosa Deipara Virgo Maria d. CCXLVIII.
Quo auctore et quibus de causis salutatio angelica concionibus praemittatur d. CCXLIX.
Ratiunculae Erasmi, quas contra tam pium tamque religiosum salutationis B. V. Mariae ante conciones, et alias usum proponit, diluuntur d. CCL.
Quo auctore, et quibus de causis fideles triplici campanae pulsu ter singulis diebus vespere, mane, et meridie excitantur ad salutandam Deiparam Virginem trina salutatione angelica d. CCLI.
De cantico mariano *Magnificat* d. CCLII.
Nobilitas cantici *Magnificat* ex variis diversorum elogiis seu epithetis declaratur d. CCLIII.
De officio B. M. Virginis d. CCLIV.
De antiphonis Ecclesiae in honorem Deiparae Virginis conscriptis d. CCLV.
Haereticorum canticum *Salve Regina* impugnantium argumenta, seu potius deliramenta diluuntur, et huius cantici singula verba catholice explanantur d. CCLVI.
De responsoriis in honorem Deiparae Virginis in Ecclesia decantari solitis, et aliquo miraculo nobilitatis d. CCLVII.
De hymnis, prosis ac versibus in honorem Deiparae Virginis ab Ecclesia decantari solitis, et aliquo miraculo seu prodigio decoratis d. CCLVIII.
De particularibus precandi formulis in honorem Deiparae Virginis ab Ecclesia usurpatis, et miraculis seu aliquibus specialibus ipsius Virginis favoribus decoratis discurs. CCLIX.
De processionibus in honorem B. M. Virginis ab Ecclesia statutis et usurpatis d. CCLX.

Digitized by Google

Cur sacratissimam Eucharistiae Sacramentum in processionibus sacratissimi rosarii circumgestetur d. CCLXI.
Quo fine et cui bono statis diebus per fora, plateas, vicos, compita, et alicubi per agros processiones facimus, Sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum gestantes d. CCLXII.
Quid haeretici carpant in huiusmodi processionibus cum Venerabili Sacramento ostenditur, et reiicitur; et quam sit pius, quam sanctus hic ritus, ex Scripturis, et historiis ecclesiasticis declaratur, et comprobatur d. CCLXIII.
De aliis ritibus in processionibus marianis et alias usurpari solitis d. CCLXIV.
Processionum antiquitas, et sanctitas tum ex Scripturis, tum ex usu antiquorum sanctorum patrum contra haereticos demonstratur d. CCLXV.
Naeniae haereticorum contra processiones christianas refelluntur d. CCLXVI.
De reliquiis Deiparae Virginis d. CCLXVII.
Iniuria haereticos impugnare cultum et venerationem reliquiarum Deiparae Virginis d. CCLXVIII.
De operibus misericordiae in honorem Deiparae Virginis exhibitis d. CCLXIX.
Quid haeretici contra cultum ac venerationem, necnon contra officia seu obsequia B. V. Mariae ab Ecclesia impensa hactenus recensita obiiciant, diluitur d. CCLXX.

VIRGO PRAEDICANDA

An et quibus de causis gloriosa Deipara sit praedicanda disc. CCLXXI.
A quibus generationibus, populis et linguis fuit praedicata et celebrata B. V. Maria d. CCLXXII.
Quomodo sit praedicanda gloriosa Deipara Virgo Maria disc. CCLXXIII.
Quam dulcis, quam utilis, quam salutaris sit laudatio Mariae d. CCLXXIV.

VIRGO POTENS

Deipara Virgo est potens in Deum et apud Deum discursu CCLXXV.
Deipara Virgo potens contra diabolum d. CCLXXVI.
Deipara Virgo potens contra diaboli semen, hoc est peccatum, eiusque tentationes, suggestiones ac illecebras disc. CCLXXVII.
Deipara Virgo potens contra diaboli semen, hoc est idololatriam, iudaicam perfidiam et cunctas haereses discursu CCLXXVIII.
Unde Deiparae Virgini tanta potentia d. CCLXXIX.

VIRGO CLEMENS

An et quatenus Deipara Virgo clemens d. CCLXXX.
Quanta sit Deiparae Virginis clementia et quomodo imploranda d. CCLXXXI.
Unde Deipara Virgo adeo clemens, et misericors discursu CCLXXXII.

VIRGO FIDELIS

Deipara Virgo quatenus fidelis Deo extitit d. CCLXXXIII.
Deipara Virgo quatenus fidelis est hominibus d. CCLXXXIV.

SPECULUM IUSTITIAE

Qua ratione Deipara Virgo dicitur speculum d. CCLXXXV.
Cur Deus voluit Mariam esse speculum d. CCLXXXVI.
Quatenus Deipara Virgo sit speculum iustitiae declaratur, et virtutes eius singillatim recensentur, et ad imitandum proponuntur d. CCLXXXVII.

SEDES SAPIENTIAE

Quatenus Deipara Virgo sit sedes sapientiae, et cuius sapientiae d. CCLXXXVIII.
Quam excellens sit sedes Dei Deipara Virgo Maria discursu CCLXXXIX.

CAUSA NOSTRAE LAETITIAE

Quomodo Deipara Virgo causa nostrae laetitiae extitit disc. CCXC.
In quo genere causae gloriosa Deipara causa nostrae laetitiae extitit d. CCXCI.
Quibus potissimum, et qua ratione B. V. Maria causa nostrae laetitiae extitit d. CCXCII.
Quibus potissimam ex genere humano gloriosa Virgo causa nostrae laetitiae extitit d. CCXCIII.
Qualis et quantae laetitiae causa extitit gloriosa Deipara sanctissimo Iosepho sponso suo d. CCXCIV.
Qualis quantaque laetitiae causa extitit gloriosa Deipara Virgo Maria Elisabeth cognatae suae, Zachariae et s. Ioanni Baptistae d. CCXCV.
Qualis quantave laetitiae causa extitit Deipara Virgo s. Ioanni evangelistae, apostolis, aliisque primitivae Ecclesiae fidelibus d. CCXCVI.
Quam copiosam laetitiae segetem attulerit gloriosa Virgo parentibus suis Ioachim et Annae d. CCXCVII.
Fontes ex quibus tanta laetitia parentibus Deiparae Mariae profluxit, aperiantur et indicantur d. CCXCVIII.
Quarum virtutum actibus Ioachim et Anna meruerunt tanta prole divinitus augeri d. CCXCIX.

VAS SPIRITUALE

Quatenus Deipara Virgo sll vas spirituale d. CCC.

VAS HONORABILE

Quatenus Deipara dicatur et sit vas honorabile d. CCCI.
Deiparam Virginem esse vas honorabile ostenditur ex divina electione, usu, seu officio ad quod assumpta est d. CCCII.

VAS INSIGNE

Quam insigne sit vas gloriosa Deipara Virgo Maria discursu CCCIII.
Deiparam esse vas insigne ac pretiosum monstratur ex illo loco Eccli. 50, 10: *Vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso* d. CCCIV.

DEVOTIONIS

Quae, quanta, qualisve fuerit devotio B. Virginis ante conceptum et natum Deum et hominem d. CCCV.
Quae, quanta, qualisve devotio fuerit B. Virginis post conceptum, et natum mundi Salvatorem d. CCCVI.
Quae, quanta, qualisve devotio fuerit B. Virginis post ascensionem Christi in coelum d. CCCVII.
Quam insignis et eximia fuerit B. Virginis devotio discursu CCCVIII.

ROSA MYSTICA

Qaam apte Deipara Virgo dicatur rosa d. CCCIX.

DE ROSARIO MYSTICO

DE ROSARIO QUA CONFRATERNITAS EST

Quo auctore, et qua occasione confraternitas sanctissimi rosarii sit instituta d. CCCX.
Archiconfraternitas sanctissimi rosarii cui commendata disc. CCCXI.
An archiconfraternitas sanctissimi rosarii transmigraverit ab Ordine praedicatorum d. CCCXII.
De statu et progressu archiconfraternitatis sacratissimi rosarii ab anno Domini 1221 usque ad annum 1350 discurs. CCCXIII.
De lapsu et renovatione archiconfraternitatis sacratissimi rosarii d. CCCXIV.
De necessitate et utilitate archiconfraternitatis sacratissimi rosarii d. CCCXV.

Digitized by Google

Quam utilis sit Ecclesiae Dei archiconfraternitas sacratissimi rosarii ostenditur ex Ordine praedicatorum, quem Ecclesia peperit d. CCCXVI.
Quam sit utilis Ecclesiae Dei archiconfraternitas sacratissimi rosarii ostenditur ex multis religiosorum familiis noviter ortis, vel renovatis, et aliis emolumentis inde promanantibus d. CCCXVII.
Quam sit utilis Ecclesiae Dei archiconfraternitas sacratissimi rosarii ostenditur ex aliis saecularium sodalitatibus a rosario promanantibus d. CCCXVIII.
Quam sit utilis populo christiano archiconfraternitas sacratissimi rosarii ostenditur ex indulgentiis et gratiis a summis pontificibus huic archiconfraternitati concessis disc. CCCXIX.
Quam sit salutaris archiconfraternitas sacratissimi rosarii ostenditur ex triplici bono, scilicet utili, honesto, ac delectabili, aliisque emolumentis inde promanantibus discurs. CCCXX.
De dignitata, seu excellentia archiconfraternitatis sacratissimi rosarii d. CCCXXI.

DE ROSARIO QUA PRECANDI FORMULA EST

Quid sit rosarium, et cur ita dictum d. CCCXXII.
De institutione, sive auctore sacratissimi rosarii qua precatio est d. CCCXXIII.
Rosarium quatenus ab apostolis, ipsisque exorientis Ecclesiae incunabulis in usu fuerit, et quatenus a s. p. n. Dominico institutum sit, declaratur d. CCCXXIV.
De dignitate seu excellentia psalterii, seu rosarii mariani d. CCCXXV.
Quod psalterium nobilius, davidicum an marianum discurs. CCCXXVI.
De necessitate et efficacia precationum sacratissimi rosarii d. CCCXXVII.
De utilitata seu fructibus quos ex rosario percipiunt, qui illud devote recitant d. CCCXXVIII.
Recitandi ratio, seu formulae variae orandi rosarii tam religiosis, quam saecularibus accommodatae d. CCCXXIX.
Cur a sancta cruce rosarium ordiamur d. CCCXXX.
Cur psalterio mariano praemittatur symbolum apostolorum d. CCCXXXI.
Quid quinarius mysteriorum in qualibet quinquagena, quidve quindenarius in toto rosario, et quid tres quinquagenarii, sive centum et quinquaginta salutationes angelicae significent d. CCCXXXII.
Quid significent tres quinquagenarii, sive centum et quinquaginta salutationes angelicae in rosario d. CCCXXXIII.
Cur in rosario mysteria vitae ac passionis Christi percenseantur, et quomodo percenseri debeant d. CCCXXXIV.
Quid meditandum in primo sacratissimi rosarii mysterio gaudioso d. CCCXXXV.
Quid meditandum in secundo mysterio gaudioso discursu CCCXXXVI.
Quid meditandum in tertio mysterio gaudioso d. CCCXXXVII.
Quid meditandum in quarto mysterio gaudioso discursu CCCXXXVIII.
Quid meditandum in quinto mysterio gaudioso d. CCCXXXIX.
Quid meditandum in primo mysterio doloroso d. CCCXL.
Quid meditandum in secundo mysterio doloroso d. CCCXLI.
Quid meditandum in tertio mysterio doloroso d. CCCXLII.
Quid meditandum in quarto mysterio doloroso d. CCCXLIII.
Quid meditandum in quinto mysterio doloroso d. CCCXLIV.
Quid meditandum in primo mysterio glorioso d. CCCXLV.
Quid meditandum in secundo mysterio glorioso d. CCCXLVI.
Quid meditandum in tertio mysterio glorioso d. CCCXLVII.
Quid meditandum in quarto mysterio glorioso d. CCCXLVIII.
Quid meditandum in quinto mysterio glorioso d. CCCXLIX.
Quid haeretici adversus rosarium et salutatam Virginem obiicient, refellitur; et omnium quae in hoc sacro instituto traduntur, et a fidelibus usurpantur, ratio redditur disc. CCCL.

TURRIS DAVIDICA

Qua ratione B. V. Maria dicatur turris d. CCCLI.
Qua ratione B. V. Maria dicatur *Turris davidica*, quomodo sit aedificata, qualis et quali armatura sit instructa, sive munita d. CCCLII.

TURRIS EBURNEA

Quam apte B. V. Maria dicatur *Turris eburnea* d. CCCLIII.

DOMUS AUREA

Quomodo B. V. Maria sit domus et templum Dei d. CCCLIV.
Quomodo B. V. Maria fuerit adumbrata in templo Salomonis d. CCCLV.
Quatenus B. V. Maria sit et dicatur *Domus aurea* d. CCCLVI.

FOEDERIS ARCA

Cur magis typo arcae foederis, quam arcae Noe Deiparam Virginem exornamus et invocamus d. CCCLVII.
Quam apte dicatur B. Virgo *foederis Arca* d. CCCLVIII.

IANUA COELI

Quam apte Deipara V. Maria dicatur *Ianua coeli* d. CCCLIX.

STELLA MATUTINA

Qua ratione B. V. Maria dicatur stella d. CCCLX.
Qua ratione dicatur B. V. Maria *Stella matutina* d. CCCLXI.

SALUS INFIRMORUM

B. V. Maria est *Salus infirmorum* infirmitatibus corporalibus laborantium d. CCCLXII.
B. V. Maria est *Salus infirmorum* infirmitatibus spiritualibus laborantium d. CCCLXIII.
A quo tempore et unde B. V. Maria habeat quod sit, et dicatur *Salus infirmorum* d. CCCLXIV.
Cur Maria vocetur *Salus*, cum nemo nisi a sanitate corpori inhaerente sanus denominari possit d. CCCLXV.

REFUGIUM PECCATORUM

Unde est quod B. V. Maria peccatoribus munimen et refugium se praebeat, cum ipsa in sanctitatis culmine posita sit d. CCCLXVI.
Quorum peccatorum B. V. Maria sit refugium ac munimen, quorum non; hoc est quibus patrocinetur, quibus non d. CCCLXVII.

CONSOLATRIX AFFLICTORUM

Quibus modis et qua ratione B. V. Maria dicatur *Consolatrix afflictorum* d. CCCLXVIII.
B. V. Maria est *Consolatrix afflictorum* paupertate, et quovis defectu laborantium d. CCCLXIX.
B. V. Maria in laboribus, persecutionibus, hostium incursionibus, carceribus, et aliis quibusvis aerumnis et miseriis *Consolatrix afflictorum* d. CCCLXX.
B. V. Maria est *Consolatrix afflictorum* hora mortis discurs. CCCLXXI.
B. V. Maria est *Consolatrix afflictorum* ante tremendum Christi tribunal post mortem adstantium d. CCCLXXII.
B. V. Maria est *Consolatrix afflictorum* in purgatorio detentorum d. CCCLXXIII.
B. V. Maria est *Consolatrix afflictorum* in inferno damnatorum, et quo sensu d. CCCLXXIV.

AUXILIUM CHRISTIANORUM

Cur B. Virgo christianos impensius diligat, ac in eorum auxilium promptius accurrat d. CCCLXXV.
Quorumnam christianorum B. Virgo auxiliatrix sit discurs. CCCLXXVI.
B. V. Maria est *Auxilium christianorum* maxime contra infideles, fidei catholicae hostes strenue pugnantium, et unde id habeat d. CCCLXXVII.

REGINA ANGELORUM

Quod B. V. Maria sit *Regina* d. CCCLXXVIII.
Quatenus B. V. Maria sit et dicatur *Regina angelorum* disc. CCCLXXIX.
Ex obsequiis angelorum B. M. Virgini praestitis eam *Reginam angelorum* esse probatur d. CCCLXXX.

Ex cultu ac veneratione imperatorum, regum, principum, ducum, aliorumque clarissimorum virorum ac mulierum B. V. Maria ostenditur *Regina* cunctis regibus sublimior d. CCCLXXXI.

REGINA PATRIARCHARUM

B. V. Mariam omnium antiquorum patrum gratias, virtutes, dona, merita, excellentiori modo habuisse monstratur, ob quae merito *Reginam patriarcharum* appellari deducitur d. CCCLXXXII.

REGINA PROPHETARUM

Quam apte B. Virgo dicatur *Regina prophetarum* discursu CCCLXXXIII.
Quam excellens fuerit prophetissa B. V. Maria demonstratur per comparationem ad alios prophetas d. CCCLXXXIV.

REGINA APOSTOLORUM

Quatenus B. Virgo sit et dicatur *Regina apostolorum* discur. CCCLXXXV.
Quibus studiis, obsequiis, quave veneratione sancti apostoli coluerint, at Reginam suam B. M. Virginem esse protestati fuerint d. CCCLXXXVI.
Quo studio, quibusve obsequiis summi Ecclesiae praesules romani pontifices B. Dei Genitricem coluerint ac venerati sint d. CCCLXXXVII.
Quibus obsequiis seu officiis venerati sunt gloriosam Dei Genitricem uti orbis Reginam episcopi aliique praesules catholici d. CCCLXXXVIII.

REGINA MARTYRUM

An et quatenus B. V. Maria fuerit martyr, praecipue in morte Filii d. CCCLXXXIX.
Rationes haereticorum quibus probant B. V. Mariam in morte Filii sui non doluisse, ac consequenter martyrem non fuisse, diluuntur et extricantur d. CCCXC.
B. V. Maria Regina martyrum, quia in passione coniunctissima fuit Christo Regi martyrum d. CCCXCI.
B. V. Maria dicitur Regina martyrum, quia fuit plusquam martyr, et passa est plusquam omnes martyres discursu CCCXCII.
De magnitudine doloris B. M. Virginis in passione Filii disc. CCCXCIII.
Dolor et moestitia B. V. Mariae per comparationem ad aliorum dolores et moestitias declaratur et monstratur discur. CCCXCIV.
B. V. Maria, ex eo quod passionis nobilitate, diuturnitate, fortitudine, invictaque constantia alios martyres superavit, *Regina martyrum* monstratur d. CCCXCV.
Fortitudo ac invicta constantia B. V. Mariae fusius monstratur et declaratur ex illis verbis: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius*, etc. d. CCCXCVI.
An B. V. Maria in passione Filii passa fuerit spasmum, seu sensuum alienationem et usum d. CCCXCVII.
De martyrio B. V. Mariae in depositione Christi de cruce d. CCCXCVIII.

REGINA CONFESSORUM

Variorum Ordinum regularium confessores, monachi, ac religiosi recensentur, qui Deiparam Virginem velut Reginam suam ac praesidem speciali devotione coluerunt, et ab ea vicissim peculiaribus gratiis, et favoribus ornati fuerunt d. CCCXCIX.

REGINA VIRGINUM

Quam congrue, quam apte B. V. Maria dicatur *Regina virginum* d. CCCC.
Exempla utriusque sexus virginum, quae studio imitandae Deiparae incontaminatum virginitatis florem custodierunt d. CCCCI.
Nomina eorum qui studio imitandae virginitatis Deiparae pro castitate martyrium obierunt d. CCCCII.
Nomina et gesta eorum, qui graviter, et interdum usque ad mortem tentati, et impugnati amore castitatis virginalis strenue decertarunt d. CCCCIII.
Nomina eorum qui amore castitatis virginalis saevissimo aliquo cruciatu sponte suscepto illecebras carnis a se propulsarunt d. CCCCIV.
Nomina eorum qui petulantiam mulierenlarum castitatis thesaurum invadere conantium amore virginitatis acriter ac mira arte propulsarunt d. CCCCV.
Nomina eorum qui amore virginitatis mori maluerunt, quam illicito concubitu morbo suo mederi d. CCCCVI.
Nomina eorum qui studio tuendae castitatis mortis periculo se obiecerunt, et mortem sibimetipsis consciscere non dubitarunt d. CCCCVII.
Nomina eorum qui ob amorem virginitatis seipsos deformarunt, vel se deformari a Deo petierunt d. CCCCVIII.
Nomina eorum qui contracto iam matrimonio, sed nondum consummato, studio servandae virginitatis a coniugali thoro abstinuerunt, vel Religionem ingressi sunt d. CCCCIX.
Nomina virorum qui in matrimonio viventes virginitatis florem illibatum conservarunt d. CCCCX.
Nomina virginum quae Mariae exemplum secutae in Religionibus virginitatem suam per votum Deo obtulerunt, et miris gratiis ac favoribus, nec non coelestibus revelationibus a B. Virgine dignatae fuerunt d. CCCCXI.

REGINA SANCTORUM OMNIUM

Quam optimo iure B. V. Maria dicatur *Regina sanctorum omnium* d. CCCCXII.

ORA PRO NOBIS

Recta nos supplicare nedum Deo, verum et sanctis omnibus, et maxime sacrae Dei Genitrici Mariae d. CCCCXIII.
Cavillationes et imposturae haereticorum, quibus invocationem Deiparae, et aliorum sanctorum impugnare solent, refutantur d. CCCCXIV.
Beatam Virginem in coelis regnantem, nostras necessitates omnes videre ac nosse, nobisque opitulari velle ac posse contra haereticos iam nominatos ostenditur d. CCCCXV.
Quid obiiciant haeretici contra scientiam, potentiam, ac bonum affectum B. Virginis contra nos, refertur et confutatur d. CCCCXVI.

AGNUS DEI

Cur Dominus, ac Redemptor noster *Agnus Dei* dicitur disc. CCCCXVII.

QUI TOLLIS PECCATA MUNDI

Qua ratione Agnus Dei Christus dicatur tollere peccata mundi d. CCCCXVIII.
Quae peccata mundi, et cuius mundi, et quomodo tollat Agnus Dei Christus d. CCCCXIX.

PARCE NOBIS DOMINE

Quam lenis, mitis, ac clemens sit Agnus Dei Christus Dominus noster d. CCCCXX.

EXAUDI NOS DOMINE

Quibusnam modis Agnus Dei Christus preces invocantium se exaudiat d. CCCCXXI.

MISERERE NOBIS

Epilogus

REGINA SINE LABE ORIGINALI CONCEPTA

Discursus editoris neapolitani

Quid sibi velit sine labe originali concepta fuisse d. I.
A primis usque Ecclesiae saeculis *immaculata* extitit in veneratione fidelium Deipara Virgo eo sensu quidem ut nulla omnino *a primo suae conceptionis instanti* fuerit in ea labes originis, quae illam inficeret d. II.
Silentium Ecclesiae, sive potius dilata hucusque dogmatis definitio pro immaculata Virginis conceptione nil probat pro vetustate ac merito negativae sententiae, quoadusque damnata non extitit d. III.

Digitized by Google

INDEX

LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE

QUAE IN HOC SECUNDO VOLUMINE CITANTUR ET EXPLICANTUR

SECUNDUM ORDINEM LIBRORUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

PRIMUS NUMERUS INDICAT DISCURSUM SECUNDUS PERIODOS

EX GENESI

Spiritus Domini ferebatur super aquas, d. 209, n. 21.
Immisit Deus soporem in Adam, d. 382, 10.
Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem, etc. d. 272, 7.
Serpens erat callidior cunctis animantibus, d. 218, 12.
Ambulabat Deus ad auram post meridiem, d. 346, 25.
Respexit Deus ad Abel, et ad munera eius, d. 347, 4.
Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius, ipsa conteret caput tuum, disc. 219, 7, et 278, 4.
Enoch ambulavit cum Deo, d. 382, 19.
Omnis caro corruperat viam suam, d. 420, 3.
Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, d. 291, 8.
Suspice coelum et numera stellas si potes, d. 272, 9.
Et orabit pro te et vives, d. 413, 2.
Risum fecit mihi Dominus, d. 290, 2.
Tolle filium tuum quem diligis Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum, et offeres Isaac super unum montium, d. 234, 12.
Non pepercisti filio tuo unigenito propter me, d. 306, 9.
Vocemus puellam, et quaeramus ipsius voluntatem, discur. 290, 5.
Tollens pallium suum eo cooperuit se, d. 287, 117.
Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? disc. 396, 21.
Descendam lugens in infernum ad filium meum, ibid. 22.
Da mihi liberos alioquin moriar, d. 213, 13.
In baculo meo transivi Iordanem istum, et nunc cum duabus turmis regrediar, d. 346, 5.
Viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad, et camelos eorum portantes aromata, et resinam... et vendiderunt etc. d. 309, 28.
Ad oris tui imperium cunctus populus obediet, d. 291, 12.
Vocavit eum lingua aegyptiaca salvatorem mundi, ibid. 13.
Ite ad Ioseph, et quidquid ipse dixerit vobis facite, d. 223, 3.
Invocetur super vos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac, d. 413, 3.
Do tibi unam partem extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo, d. 291, 9.
Simeon et Levi fratres vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, maledictus furor eorum, etc. ibid.
Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, d. 282, 43.

EX EXODO

Non fecerunt iuxta praeceptum regis Aegypti, sed conservabant mares, d. 282, 4.
Quidnam est hoc, quod facere voluistis, ut pueros servaretis? ibid.
Vadam et videbo visionem hanc magnam, d. 348, 23.
Solve calceamentum de pedibus tuis, d. 248, 6.
Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius, et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguae sum, d. 217, 14, et 287, 106,
Ecce constitui te deum Pharaonis, d. 270, 3.
Orate Dominum, ut auferat ranas a me, et a populo meo: et dimittam populum, ut sacrificet Domino, d. 413, 2.
Et venit musca gravissima in domos Pharaonis, d. 419, 10.
Ecce ego inducam cras locustam in fines tuos, ibid.
Introduces eos, et plantabis in monte haereditatis tuae firmissimo habitaculo, quod operatus es Domine, d. 253, 17.
Si audieritis vocem meam, eritis mihi in peculium, discur. 375, 5.
Non habebis deos alienos coram me, d. 270, 2.
Honora patrem tuum et matrem tuam, et gemitus matris tuae ne obliviscaris, d. 315, 10.
Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices, disc. 270, 3.
Erat species gloriae Domini quasi ignis ardens, d. 347, 4.
Facies coronam auream per circuitum, d. 358, 9.
Facies et propitiatorium de auro mundissimo, ibid. 21.
Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est, d. 224, 4.
Afferant tibi oleum, ... ut ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii, d. 229, 11.
Hi sunt dii tui Israel, d. 356, 2.
Ignorabat *Moyses* quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini, d. 349, 12.
Nec vir, nec mulier quicquam ultra offerat in opere sanctuarii, d. 234, 10.

EX LEVITICO

Egressus ignis a Domino devoravit holocaustum et adipes qui erant super altare, d. 855, 21.
Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit, etc. d. 338, 9.
Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit, accingetur zona linea, etc. d. 358, 7.

*

Coram cano capite consurge, et honora personam senis, d. 295, 3.
Omnia macula non erit in eo: si coecum fuerit, si fractum, etc. d. 417, 3.
Praecipe filiis Israel, ut afferant tibi.... ad concinnandas lucernas iugiter, d. 229, 41.

EX NUMERIS

Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum, d. 308, 5.
Vas enim quod non habet operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit, d. 300, 11.
Mortua est ibi Maria, et sepulta in eodem loco. Cumque indigeret aqua populus, etc. d. 362, 4.
Fornicatus est populus cum filiabus Moab, d. 293, 6.
Hostes vos sentiant Madianitae et percutite eos, ibid.
Dies primitivorum venerabilis et sancta erit, d. 229, 32.
Exules et profugi ante mortem pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt, d. 359, 1.

EX DEUTERONOMIO

Deus noster ignis consumens est, d. 247, 4.
Maledicta sterilis in Israel, d. 213, 13.
Prophetam de gente tua suscitabit tibi Dominus Deus tuus, d. 383, 8.
Gens absque consilio est, et sine prudentia: utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent, d. 215, 9.
Portabam eos in humeris meis, d. 343, 7.

EX IOSUE

Elige duodecim viros singulos per singulas tribus, et praecipe eis, ut tollant de medio Iordanis alveo, etc. d. 358, 9.
Huc venietis ad me, ut coram Domino Deo vestro mittam vobis hic sortem, d. 358, 5.

EX LIBRO IUDICUM

Si venis mecum vadam, si nolueris venire mecum, non pergam, d. 291, 11.
De coelo dimicatum est contra eos: stellae manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram propugnaverunt, disc. 277, 7.
Benedicta inter mulieres Iahel uxor Haber Cinaei, et benedicatur etc. d. 248, 9.
Quod me videbitis facere, et vos facite, d. 343, 7.
Praesta quod obsecro, dimitte me, ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis, d. 213, 13.
Multo plures interfecerit moriens, quam ante vivens occiderat, d. 316, 21.
Omnes anguli populorum, d. 351, 1.

EX RUTH

Benedictus sit *Booz* a Domino, quoniam eandem gratiam, quam praebuerat vivis, servavit et mortuis, d. 284, 3.

EX LIBRO I REGUM

Tantum labia eius movebantur, et vox eius penitus non audiebatur, d. 217, 17.
Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei, disc. 358, 1.
Constitue nobis regem, ut iudicet nos, d. 421, 3.
Non erat vir de filiis Israel melior illo, d. 378, 17.
Obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium et tympanum, et tibiam, etc. d. 383, 1.
Non cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manibus Philisthinorum, d. 413, 2.
Aequa pars erit descendentis in praelium, et remanentis ad sarcinas, d. 349, 16.
Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum, d. 287, 36.

EX II REGUM

Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius, ipse aedificabit domum nomini meo, etc. d. 352, 6.
Quis ego sum, Domine, et quae domus mea, quia abduxisti me hucusque? ibid.
David ascendebat clivum olivarum, scandens et flens, nudis pedibus incedens, et operto capite, d. 264, 23.
Fili mi Absalom, Absalom fili mi, quis mihi det ut ego moriar pro te? d. 390, 7.
Nec tanta est domus mea, ut pactum aeternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum, d. 352, 6.

EX III REGUM

Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es, etc. d. 359, 12.
Disputavit super lignis a cedro quae est in Libano, usque ad hyssopum quae egreditur, etc. d. 384, 2.
Fuerunt Salomoni septuaginta millia equorum qui onera portabant, et octoginta millia latomorum in monte, etc. disc. 355, 5.
Nihil erat in templo, quod non auro tegeretur, d. 356, 5.
Ecce plusquam Salomon hic, d. 264, 13.
Nolite ultra ascendere in Ierusalem: ecce dii tui Israel qui te eduxerunt de terra Aegypti, d. 356, 7.
Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari, d. 287, 97.

EX IV REGUM

Dimitte illam, anima enim eius in amaritudine est, discurs. 391, 11.
Utinam fuisset Dominus meus ad prophetam qui est in Samaria, profecto curasset eum a lepra quam habet, discur. 364, 5.
Servi tui sumus, quaecumque iusseris faciemus, d. 379, 11.

EX I PARALIPOMENON

David et magistratus segregaverunt in ministerio filios Asaph, et Heman, et Idithum, qui prophetarent in cytharis, etc. d. 383, 1.
In qua requiesceret arca foederis Domini, et scabellum pedum, d. 358, 9.
Opus namque grande est, neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo, d. 355, 3.
Ecce ego totis viribus meis praeparavi impensas domus Dei nostri, etc. ibid.

EX II PARALIPOMENON

Coepit Salomon aedificare domum in monte Moria, qui demonstratus fuit David patri eius, d. 355, 8.
Fecit Salomon atrium sacerdotum, et basilicam grandem, et ostia in basilica quae texit aere, ibid. 19.
Oculi mei erunt aperti, et aures meae erectae ad orationem eius, qui in loco isto oraverit. Elegi enim, etc. ibid. 28.
Non fuerunt aromata talia ut haec, quae dedit regina Sabba regi Salomoni, d. 348, 24.

EX TOBIA

Praecipe Domine in pace recipi spiritum meum, expedit enim mihi mori magis quam vivere, d. 421, 3.
Flebat igitur mater eius irremediabilibus lacrimis, atque dicebat: Heu, heu me! fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum, etc. discurs. 394, 15.

Digitized by Google

EX IUDITH

Ora pro nobis, quoniam mulier sancta es et timens Deum, d 413, 2.
Dominus conteret eos sub pedibus vestris, d. 278, 16.
Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri, d. 358, 2.
In omni autem spatio vitae eius non fuit qui perturbaret Israel, et post mortem eius annis multis, ibid. 12.

EX ESTHER

Facies tua plena est gratiarum, d. 303, 6.

EX IOB

Tunc surrexit Iob, et scidit vestimenta sua, et tonso capite corruens in terram adoravit, d. 393, 4.
Militia est vita hominis super terram, d. 309, 24.
Sub quo curvantur qui portant orbem, d. 292, 12.
Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti, d. 385, 9.
Abundant tabernacula praedonum, d. 420, 8.
Ecce clamabo vim patiens, et nemo audiet, vociferabor et non est qui iudicat, d. 421, 6.
Stellae non sunt mundae in conspectu eius, d. 353, 4.
Nescit homo pretium eius, ibid. 17.
Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine, d. 405, 9.
Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc etc. d. 308, 5.
Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas, d. 389, 6.
Solidissimi quasi aere fusi sunt, d. 304, 4.

EX PSALTERIO

Ego autem constitutus sum rex, d. 378, 6, et 16.
Filius meus es tu, ego hodie genui te, d. 375, 2.
Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, d. 378, 17.
Tu Domine susceptor meus es, gloria mea, d. 365, 4.
Non permanebunt iniusti ante oculos tuos, d. 306, 1.
Rugiebam a gemitu cordis mei, d. 292, 13.
Minuisti eum paulo minus ab angelis, d. 270, 3.
Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? d. 292, 2.
Dominus in templo sancto suo, Dominus in coelo sedes eius, d. 289, 1.
Non dabis sanctum tuum videre corruptionem d. 230, 8.
Propter verba labiorum tuorum custodivi vias duras, discur. 287, 56.
Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos, d. 278, 16.
Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam, d. 361, 5.
In sole posuit tabernaculum suum, d. 308, 13.
Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, d. 292, 3.
Nec est qui se abscondat a calore eius, d. 281, 6.
Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso, discurs. 319, 13.
Deus meus clamabo per diem, et non exaudies, et nocte, et non ad insipientiam mihi, d. 421, 4.
Ego autem sum vermis et non homo, d. 355, 7.
Erue a framea Deus animam meam, d. 389, 6.
Et in templo eius omnes dicent gloriam, d. 354, 7.
Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? d. 340, 7, et 315, 14.
Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, etc. d. 315, 6.
Pius et clemens est Dominus Deus vester, d. 420, 1.
Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno, d. 359, 9.
Apprehende arma et scutum, et exurge in adiutorium mihi, d. 377, 31.
Montes Dei, d. 211, 14.
Congregata sunt super me flagella et ignoravi, d. 341, 6.
Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam, d. 345, 6.
Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, d. 369, 9.
Homo pacis meae in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem, d. 340, 23.
Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, d. 316, 2.
Deus in medio eius non commovebitur, d. 277, 2.
Adducentur regi virgines post eam, d. 230, 9, et 400, 14.
Astitit regina a dextris tuis, d. 219, 10, 294, 3, et 349, 3.
Omnis gloria eius filiae regis ab intus, d. 331, 7, et 336, 15.
Constitues eos principes super omnem terram, d. 347, 4.
Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus, d. 291, 6.
Deus in medio eius non commovebitur, d. 213, 3.
Et scuta comburet igni, ibid. 3.
Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terrae, d. 216, 6.
Subiecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris, disc. 278, 16.
Deus in domibus eius cognoscetur, d. 356, 17.
Suscepimus Deus misericordiam tuam, d. 256, 5.
Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis, d. 366, 26.
Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei, d. 274, 7.
Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi, discur. 412, 1.
Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine, d. 340, 13.
Vespere, et mane et meridie narrabo, et annuntiabo, et exaudiet vocem meam, d. 251, 6.
Iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet, disc. 369, 10.
Exurge gloria mea, exurge psalterium et cythara, discur. 391, 10.
Filii hominum dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus, d. 389, 6.
Currus Dei decem millibus multiplex, d. 289, 18.
Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui, d. 280, 7.
Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, d. 357, 5.
Improperium expectavit cor meum et miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit, d. 390, 7.
Dominabitur a mari usque ad mare... Omnes gentes servient ei... Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis, d. 337, 25.
Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent, d. 212, 3.
Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos, d. 421, 3.
Adiuva nos Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, d. 368 1.
Buccinate in neomenia tuba in insigni die solemnitatis vestrae, d. 229, 1.
Duo haec audivi, quia potestas Dei est, et tibi Domino misericordia, d. 376, 11.
Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum, disc. 253, 5.
Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, d. 256, 6.
Terra nostra dabit fructum suum, d. 374, 5.
Fundamenta eius in montibus sanctis, d. 358, 3.
Natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus, d. 332, 2.
Sicut laetantium omnium habitatio est in te, d. 222, 35.
Altissimum posuisti refugium tuum, d. 351, 3.
Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et praecinxit se, d. 291, 6.
Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam, d. 382, 40.
Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius, d. 347, 4.
Qui sedet super cherubim, moveatur terra, d. 289, 2.
Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est, disc. 225, 1, et 358, 9.

Benedicite Domino omnes angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius, d. 272, 8.
Qui facis angelos tuos spiritus, d. 347, 3, et 379, 2.
Montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis, d. 340, 3, et 366, 25.
Exiit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam, d. 361, 16.
Cantate ei et psallite ei, narrate omnia mirabilia eius, disc. 273, 2.
Humiliaverunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius, d. 389, 6.
Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, d. 348, 2.
Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet, desiderium peccatorum peribit, d. 262, 10.
Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum, d. 346, 18.
Credidi propter quod locutus sum, d. 283, 4.
O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillae tuae, d. 338, 2.
Circumdederunt me sicut apes, d. 341, 4.
In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati..... Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus laetantes, d. 253, 6.
Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, d. 341, 9.
Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, d. 365, 4.
Memento Domine David, et omnis mansuetudinis eius, disc. 413, 21.
Donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob, d. 358, 6.
Introibimus in tabernaculum eius; adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius, d. 219, 24, et 358, 9.
Surge, Domine, in requiem tuam: tu et arca sanctificationis tuae, d. 230, 8, et 357, 7.
De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, d. 215, 2.
Paravi lucernam Christo meo, d. 299, 38.
Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis, d. 217, 6.
Deus canticum novum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi, d. 331, 12.
Suavis Dominus universis: et miserationes eius super omnia opera eius, d. 420, 1.
Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, d. 421, 2.
Iuvenes et virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini, d. 264, 12.
Laudate nomen Domini in tympano et choro, in chordis, et organo. Laudate, etc. ibid. 18

EX PROVERBIIS

Lignum vitae est his qui apprehenderint eam, d. 364, 3.
Vade ad formicam, o piger, d. 217, 18.
Viam sapientiae monstrabo tibi, ducam te per semitas aequitatis, quas cum ingressus fueris, etc. d. 366, 18.
Iustorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem, d. 291, 2.
Omni custodia serva cor tuum, d. 213, 2.
Terit pede, digito loquitur, d. 214, 10.
Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, d. 291, 12, et 302, 3.
Deliciae meae esse cum filiis hominum, d. 289, 7, et 292, 2.
Ante colles ego parturiebar, d. 302, 6.
Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino, d. 359, 15.
Sapientia aedificavit sibi domum, miscuit vinum, et posuit mensam, d. 353, 10, et 351, 2.
Qui moderatur labia sua prudentissimus est, d. 210, 8.
Iustitia rectorum liberabit eos, d. 287, 1.
Testis fidelis non mentitur, d. 284, 1.
In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terrae, d. 287, 95.
Qui moderatur sermones suos, doctus, et prudens est, ac pretiosi spiritus, d. 210, 8.
Frater qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma, d. 315, 4
Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud, d. 337, 24.
Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animae tuae, d. 386, 11.
Visio qua erudivit eum mater sua, d. 363, 3.
Procul et de ultimis finibus pretium eius, d. 353, 17.
Fortitudo et decor indumentum eius, d. 351, 7.
Surrexerunt filii eius, et beatissimam praedicaverunt, discur. 273, 10.
Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas, d. 351, 4, et 412, 0.

EX ECCLESIASTE

Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa, discur. 361, 6.
Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit, d. 302, 1.

EX CANTICIS

Osculetur me osculo oris sui, d. 253, 4.
Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum, d. 212, 12, 221, 3, et 253, 4.
Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilabo te amica mea, d. 276, 11.
Pulcrae sunt genae tuae sicut turturis, collum tuum sicut monilia, d. 287, 100.
Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur, ibid. 92, et 395, 10.
Ego flos campi, et lilium convallium, d. 271, 8.
Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias, ibid. et d. 391, 18.
Ordinavit in me caritatem, d. 275, 3, et 303, 2.
Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, d. 287, 10.
Venit saliens in montibus, transiliens colles, d. 290, 1.
Surge, propera, amica mea, formosa mea, d. 348, 7.
Qui pascitur inter lilia, d. 306, 4.
In lectulo meo quaesivi illum et non inveni, d. 253, 4.
Quae est ista quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris, d. 366, 12.
Egredimini et videte filiae Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die etc. d. 290, 5, et 292, 3.
Oculi tui columbarum, d. 213, 5, et 277, 8.
Capilli tui sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad, d. 395, 11.
Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce, disc. 217, 17.
Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis, d. 352, 7, 363, 2, et 377, 1.
Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, d. 223, 4, et 352, 7.
Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno crine colli tui, d. 275, 4.
Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis, etc. d. 361, 29.
Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui, d. 296, 13, 389, 6.
Odor unguentorum tuorum super omnia aromata, discursu 290, 3.
Favus distillans labia tua sponsa, mel et lac sub lingua tua, 256, 8.
Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris, d. 287, 72.
Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, disc. 218, 11, et 304, 6.
Fons hortorum, puteus aquarum viventium, d. 362, 4.
Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum, d. 232, 19.
Ego dormio et cor meum vigilat, d. 308, 7, et 368, 10.
Aperi mihi, soror mea sponsa, d. 335, 4.
Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum eius, d. 275, 3.
Manus meae stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima, d. 214, 6.

Digitized by Google

Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est, discursu 287, 47.
Adiuro vos, filiae Ierusalem, si inveneritis dilectum, ut nuntietis ei, quia amore langueo, d. 275, 3.
Dilectus meus candidus et rubicundus, discur. 229, 40, et 342, 6.
Caput eius aurum optimum, d. 213, 11.
Terribilis ut castrorum acies ordinata, d. 276, 12, et 352, 7.
Nasus tuus sicut turris Libani, d. 212, 10.
Averte oculos tuos, quia ipsi me avolare fecerunt, discursu 296, 13.
Una est columba mea, electa mea, d. 303, 1.
Viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt reginae et concubinae, et laudaverunt eam, d. 272, 6.
Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, d. 214, 4, 272, 3, et 361, 1.
Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? discursu 276, 13.
Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis, d. 348, 23.
Oculi tui sicut piscinae in Hesebon, d. 285, 2.
Caput tuum sicut Carmelus, d. 351, 6.
Comae capitis tui sicut purpura regis iuncta canalibus, disc. 395, 12.
Statura tua assimilata est palmae, d. 396, 6.
Omnia poma: nova et vetera servavi tibi, dilecte mi, discur. 212, 3.
Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae et inveniam te foris et deosculer te? d. 253, 4.
Quae est ista quae, etc. d. 272, 5, et 348, 25.
Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, d. 330, 14. 376, 5, et 391, 4, 8.
Lampades eius lampades ignis atque flammarum, d. 308, 10.
Si murus est, aedificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis, discursu 351, 14.
Ego murus et ubera mea turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens, d. 304, 3, et 351, 15.

EX SAPIENTIA

Venite ergo, et fruamur bonis, quae sunt, et utamur creatura tanquam in iuventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, etc. d. 253, 18.
O quam pulcra est casta generatio cum claritate, d. 286, 9.
Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, discur. 346, 20.
Nihil inquinatum in eam incurrit, d. 399, 11.
Candor lucis aeternae et speculum sine macula, d. 415, 9, et 283, 6.
In fraude circumvenientium affuit illi, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi, ut vinceret, d. 281, 7.
Panem de coelo praestitisti eis, omne delectamentum in se habentem, d. 358, 25.
Cum quietum silentium continerent omnia...omnipotens sermo tuus de coelo a regalibus sedibus.... prosilivit, d. 387, 106, et 217, 15.

EX ECCLESIASTICO

Unus est altissimus Creator omnipotens.... Ipse creavit illam in Spiritu sancto, et vidit, etc. d. 353, 17.
Si possides amicum, in tentatione posside illum, d. 283, 8.
Ne iteres verbum in oratione tua, d. 350, 11.
Non derelinquas amicum antiquum; novus enim non erit similis illi, d. 287, 11.
Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius, d. 218, 11, et 214, 2.
In filiis suis cognoscitur vir, d. 291, 9.
Non agnoscetur in bonis amicus, et non abscondetur in malis inimicus, d. 281, 3.
In Ierusalem potestas mea, d. 279, 6, et 412, 7.
Non est speciosa laus in ore peccatoris, discur. 224, 1, et 367, 13.
Amictus hominis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de eo, d. 287, 93.
Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit, d. 212, 3.
Verba prudentium statera ponderabuntur, d. 217, 1.
Fidem posside cum amico tuo in paupertate illius, ut et in bonis eius laeteris, in tempore tribulationis illius permane illi fidelis, d. 284, 2.
Domino Deo nostro antequam crearentur, omnia sunt agnita, sicut et post perfectum respicit omnia, d. 417, 5.
Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis, d. 300, 13.
In omni populo et in omni gente primatum tenui, d. 302, 10, et 382, 34.
Qui creavit me requievit in tabernaculo meo, d. 285, 7.
In electis meis mitte radices, d. 358, 3.
Et radicavi in populo honorificato, ibid.
Ab initio et ante saecula creata sum, d. 302, 8.
Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion, d. 230, 10, et 278, 17.
Quasi platanus exaltata sum iuxta aquam, discur. 352, 9, et 372, 4.
Quasi oliva speciosa in campis, d. 277, 3, et 281, 4.
Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi, d. 280, 8.
Ego mater pulcrae dilectionis, d. 211, 16.
Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt, d. 274, 7.
Ego sicut aquaeductus exivi de paradiso, d. 302, 2.
Ego quasi fluvius Dyorix vel *corax*, d. 277, 5.
Commorari leoni et draconi placebit, etc. d. 282, 4.
Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata, d. 287, 58.
Stultus ut luna mutatur, d. 218, 12, et 276, 21.
Qui facit misericordiam, offert sacrificium, d. 290, 23.
Altissimus creavit de terra medicamenta, d. 361, 3.
In sermone eius siluit ventus, et in cogitatione sua placavit abyssum, d. 363, 5.
Abraham in tentatione fidelis inventus est, d. 283, 2.

EX ISAIA

Mons domus Domini in vertice montium, d. 358, 3.
Tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu, et in securitatem, et absconsionem a turbine et a pluvia, discursu 372, 3.
Vae mihi, quia vir pollutus labiis ego sum, d. 248, 10.
Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel, d. 219, 23, et 211, 12.
In illa die radet Dominus in novacula conducta, d. 211, 12.
Habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis, disc. 337, 26.
Egredietur virga de radice Iesse, d. 211, 3, et 352, 4.
Haurietis in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis in illa die: Confitemini Domino, et invocate nomen eius, discur. 253, 19.
Habitabit lupus cum agno, d. 417, 9.
Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel, d. 253, 5, et 285, 9.
Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae de petra deserti, d. 232, 19, et 417, 3.
Praeparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, indicans et quaerens iudicium, d. 288, 1.
Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum et commovebuntur simulacra Egypti, etc. d. 221, 5, et 225, 7.
Sacramentum regis abscondere bonum est, d. 287, 102.
Populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me, d. 253, 3.
In die interfectionis multorum, cum ceciderint turres, disc. 351, 1.
Ecce in iustitia regnabit rex, d. 378, 6.
Germinans germinabit sicut lilium, et exultabit laetabunda et gaudens, d. 360, 9.

Erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, d. 399, 14.
Deus Israel, qui sedes super cherubin, d. 289, 2.
Non clamabit neque accipiet personam, nec exaudietur vox eius foris, d. 417, 8.
Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua, d. 418, 2.
Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum, aperiatur terra et germinet Salvatorem, d. 361, 15.
Portant illum in humeris gestantes, et ponentes in loco suo, d. 263, 6.
Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui, d. 282, 4.
Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, d. 358, 20.
Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram matrem vestram, d. 286, 10.
Dominus dedit mihi linguam, d. 217, 6.
Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, d. 418, 9.
Sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet, d. 417, 3, 8.
Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, d. 203, 17.
Qui peccatum non fecit, nec inventus est in ore eius, discur. 400, 7.
Occupabit portas tuas laudatio, d. 273, 7.
Et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris, d. 274, 5.
Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, d. 337, 15.
Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes, d. 379, 5.
Non quiescam donec egrediatur ut splendor iustus eius, et Salvator eius ut lampas accendatur, d. 218, 10.
Quis est iste qui venit tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, d. 346, 3.
Coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum, d. 289, 1.

EX IEREMIA

Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, d. 393, 12.
Milvus in coelo cognovit tempus suum, turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui, populus autem meus, etc. d. 338, 16.
Ascendit mors per fenestras nostras, d. 213, 4.
Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, disc. 417, 8
Si steterit *Moyses* et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum, d. 413, 3.
Pravum est cor hominis et inscrutabile, et quis cognoscit illud? Ego Dominus, etc. d. 212, 7.
Solium gloriae altitudinis a principio locus sanctificationis nostrae, d. 288, 5.
Et hoc nomen quod vocabunt eum: Dominus iustitia nostra, d. 365, 2.
Novum faciet Dominus super terram, mulier circumdabit virum, d. 253, 21.
Maledictus homo, qui facit opus Domini negligenter, discur. 336, 3.

EX THRENIS

O vos omnes qui transitis per viam, attendite, si est dolor sicut dolor meus, d. 393, 11.
De excelso misit ignem in ossibus meis et erudivit me, disc. 317, 4.
Magna est velut mare contritio tua, d. 394, 17.
Bonum est viro, cum portaverit iugum Domini ab adolescentia sua, d. 339, 3.
Levavit se supra se, d. 214, 5.
Oculus meus depraedatus est animam meam, d. 405, 9.
Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, d. 353, 14.

EX BARUCH

Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, d. 413, 3.
Stellae dederunt lumen in custodiis suis, et laetatae sunt,... et luxerunt et cum iucunditate, qui fecit illas, d. 360, 9.
Videbitis in Babylonia deos aureos, et argenteos, et lapideos, et ligneos in humeris portari, d. 263, 6.

EX EZECHIELE

Ubi erat spiritus impetus, illic gradiebantur, d. 336, 2.
Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem, discur. 391, 14.
Si impius egerit poenitentiam, ... omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor, d. 340, 6.
Porta haec clausa erit, et non aperietur: et vir non transibit per eam, d. 288, 7, et 309, 38.

EX DANIELE

Angustiae sunt mihi undique; si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras, d. 394, 13.
Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham, etc. d. 413, 3.
Benedictus es, qui intueris abyssos, et sedes super cherubin, d. 289, 2.
Fecit Nabuchodonosor rex statuam magnam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex, etc. d. 356, 2.
Emarcui, nec habui quidquam virium, d. 397, 6.

EX OSEE

Sanguis sanguinem tetigit, d. 304, 22.
Ero morsus tuus inferne, d. 279, 13.
Et invaluit ad angelum, et confortatus est: flevit et rogavit eum, etc. d. 361, 19.

EX IONA

Scio quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multae miserationis, et ignoscens super malitia, d. 420, 1.

EX HABACUC

Ibi abscondita est fortitudo eius, d. 377, 31.
Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo, d. 337, 15.

EX AGGAEO

Magna erit gloria domus istius novissimae, plusquam primae, d. 353, 26.

EX ZACHARIA

Ecce candelabrum aureum totum, et facula super ipsum, d. 229, 41.
Ecce Rex tuus venit tibi, d. 378, 6.
Plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum ut doleri solet in morte primogeniti, d. 393, 12.

EX MALACHIA

In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, d. 315, 2.
Ecce ego mitto angelum meum, d. 229, 46.
Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae et sanctitatis in pennis eius, d. 361, 12.

EX II MACHABAEORUM

Hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Ieremias propheta Domini, d. 413, 3.

EX MATTHAEO

Liber generationis Iesu Christi, etc. d. 378, 2.
Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, d. 358, 30.
Iuventa est in utero habens de Spiritu sancto, d, 292, 4.
Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est, ibid.
Ubi est qui natus est Rex Iudaeorum? d. 378, 6.
Gavisi sunt gaudio magno valde, d. 271, 6.
Cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, d. 287, 92.
Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies, discursu 270, 3.
Beati qui esuriunt, et sitiunt iustitiam, d. 287, 1.
Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam scribarum et pharisaeorum, ibid.
Vos estis lus mundi, d. 256, 5.
Iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant, d. 307, 2.
Non iurare per coelum, quia thronus Dei est, d. 289, 1.
Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur, d. 350, 11.
Straverunt vestimenta sua in via, etc. d. 260, 7.
Vade, et sicut credidisti, fiat tibi, d. 331, 5.
Glorificabant Deum, qui potestatem talem dedit hominibus, d. 260, 7.
Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus, disc. 361, 3.
Confide filia, fides tua te salvam fecit, d. 331, 3.
Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis, d. 250, 1.
Qui amat patrem et matrem plusquam me, non est me dignus, d. 339, 15.
Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet, d. 412, 16, et 349, 15.
Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quaerentes te, disc. 287, 42.
Nonne hic est fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria? ibid. 45.
Venit inimicus, et superseminavit zizania, d. 277, 1.
Iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum, d. 412, 12.
Miserere mei fili David, filia mea male a daemonio vexatur, d. 378, 7, et 421, 6.
Unde nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam? d. 369, 7.
Si habueritis fidem sicut granum sinapis; dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit, d. 364, 4.
Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo, d. 359, 9.
Omnia quaecumque petieritis in oratione, credentes accipietis, d. 330, 5.
In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in coelo, d. 400, 4.
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua, d. 270, 3.
Quid vobis videtur deChristo? cuius filius est? Dicunt ei: David, d. 378, 7.
Qui iurat in coelo, iurat in throno Dei, d. 289, 1.
Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus, d. 218, 8.
Statuet oves a dextris, haedos autem a sinistris, d. 239, 11.
Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, d. 310, 20, et 421, 4.
Adhuc eo loquente ecce Iudas unus ex duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis, etc. d. 340, 23.
Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt, d. 380, 6.
Nihil tibi, et iusto illi, d. 396, 10.
Congregaverunt ad eum universam cohortem, d. 341, 4.
Et exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei, d. 342, 5.
Tunc milites praesidis plectentes coronam de spinis imposuerunt super caput eius, d 342, 7.
Et genuflexo ante eum illudebant ei, dicentes: Ave rex Iudaeorum, ibid. 9.
Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? discursu 344, 16.
Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, etc. d. 230, 72, et 349, 4.
Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra, d. 340, 15, 378, 10, et 412, 5.
Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, d. 307, 10.

EX MARCO

Nonne hic est faber filius Mariae? d. 287, 45.
Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui, d. 260, 7.
Coepit contristari et moestus esse, d. 340, 5.
Alii alapas ei dabant, alii expuebant in eum, d. 342, 10.

EX LUCA

Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus Domini sine querela, d. 298, 7.
Ingressus angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena, d. 287, 110, et 227, 4.
Turbata est in sermone eius, d. 217, 3, et 287, 60.
Cogitabat qualis esset ista salutatio, d. 215, 2, et 217, 3.
Ecce concipies in utero et paries filium, d. 212, 3.
Dabit ei Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis, d. 378, 7.
Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? d. 287, 4, 305, 11, et 335, 23.
Spiritus sanctus superveniet in te, d. 292, 4.
Virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei, d. 287, 28.
Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, d. 217, 7, et 287, 4, 34.
Exurgens abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda, d. 260, 8.
Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? discursu 287, 37.
Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio, etc. d. 287, 38, et 336, 11.
Magnificat anima mea Dominum, ibid. 14, et d. 253, 20, et 298, 5.
Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, d. 252, 2, 253, 18, et 283, 10.
Quia respexit humilitatem ancillae suae, d, 252, 5.
Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, d. 232, 19, et 252, 6.
Fecit mihi magna qui potens est, discur. 252, 8, 253, 8, et 287, 29.
Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, discur. 336, 9.
Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, d. 230, 2.
Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis, d. 254, 6.
Maria conservabat omnia verba haec conferens in corde suo, d. 212, 3, et 287, 43.
Nunc dimittis servum tuum in pace, d. 229, 39, et 338, 13.
Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, d. 310, 26, et 389, 5, 14.
Et haec ipsa hora superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel, d. 338, 18.
Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae secundum legem Moysi, d. 229, 46, et 338, 4.
Fili, quid fecisti nobis sic? d. 217, 7.
Ecce pater tuus et ego dolentes... Quid est quod me quaerebatis? etc. d. 287, 50, et 339, 13.
Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos, d. 339, 16.
Erat subditus illis, ibid. 17.
Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua, d. 331, 5.
Venient dies cum ab illis ablatus fuerit sponsus, ieiunabunt in illis diebus, d. 232, 4.

 71

Omnis turba quaerebat eum tangere, d. 260, 7.
Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, disc. 418, 8.
Fides tua te salvam fecit, vade in pace, d. 331. 5.
Et ipse Iesus iter faciebat per civitates praedicans et evangelizans regnum Dei, at duodecim cum illo, at mulieres aliquae, et aliae multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis, d. 211, 8.
Qui secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant, d. 249, 8.
Beati oculi qui vident quae vos videtis, d. 271, 4.
Martha satagebat circa frequens ministerium, d. 308, 11.
Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti, d. 339, 13, et 383, 5.
Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud, d. 212, 4.
Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, d. 287, 46.
Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram, d. 345, 12.
Gaudium erit angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, d. 415, 2.
Deus propitius esto mihi peccatori, d. 332. 2.
Videns civitatem flevit super illam, d. 420, 4.
Domine tecum paratus sum et in carcerem at in mortem ire, d 215, 3.
Factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram, d. 340, 5, 18.
Si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet? d. 343, 10.
Pater in manus tuas, etc. d. 344, 20.
Hodie mecum eris in paradiso, ibid. 18.

EX IOANNE

Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt, d. 337, 26.
In propria venit, et sui eum non receperunt, d. 301, 9.
Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, d. 375, 3.
Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit, disc. 294, 6.
Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, d. 417, 1.
Intuitus autem eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, d. 304, 4.
Vocatus est autem et Iesus et discipuli eius ad nuptias, disc. 369, 7.
Vinum non habent, d. 211, 6, 217, 7, et 369, 5.
Quid mihi et tibi est, mulier?.... Quodcumque dixerit vobis servate et facite, d. 212, 6.
Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, d. 378, 11.
Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, disc. 418, 8.
Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? d. 339, 19.
Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite, d. 224, 8.
Qui facit peccatum, servus est peccati, d. 252, 4.
Qui ex Deo est, verba Dei audit, d. 287, 48.
Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit et gavisus est, d. 253, 5, 294, 3, at 382, 28.
Ego sum resurrectio et vita, d. 256, 7.
Quare hoc unguentum non vaeniit, etc. d. 231, 10.
Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel, discur. 378, 6.
Domine volumus Iesum videre, d. 256, 13.
Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, d. 412, 20.
Nunc princeps huius mundi eiicietur foras, d 279, 15.
Creditis in Deum, et in me credite, d. 270, 3.
Ego sum via, veritas et vita, d. 256, 7.
Qui diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum, d. 343, 11.
Amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet, et maiora horum faciet, d. 275, 13.
Haec mando vobis, ut diligatis invicem, d. 310, 13
Mulier cum parit, tristitiam habet, etc. d. 253, 3.
Confidite, ego vici mundum, d. 279, 13.
Pater, ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam: et nunc clarifica me, etc. discur.. 346, 10.
Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos, d. 241, 1.
Venit in montem olivarum, ubi erat hortus, d. 340, 3.
Mulier ecce filius tuus, d. 287, 79.
Stabat iuxta crucem Mater Iesu, disc. 217, 17, 287, 77, et 371, 6.

EX ACTIS APOSTOLORUM

Ecce duo viri astiterunt iuxa illos in vestibus albis, qui et dixerunt: Viri galilaei, etc. 346, 12.
Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Iesu, d. 287, 46, et 347, 2.
Erant omnes pariter in eodem loco, d. 347, 3.
Factus est repente de coelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, ibid. 5, et d. 417, 2.
Apparuerunt illis dispertitae linguae tanquam ignis, discur. 347, 4.
Erant perseverantes in doctrina apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus, d. 241, 1.
Auctorem vero vitae interfecistis, d. 256, 7.
Poenitemini et convertimini, ut deleantur peccata vestra, d. 418, 8.
Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, d. 310, 16, et 241, 4.
Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, d. 296, 6.
Credentium erat cor unum et anima una, d. 241. 1.
Pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri, d. 356, 1.
Saule, Saule, quid me persequeris? d. 373, 4.
In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gentere, qui timet Deum, etc. d. 385, 0.
Pertransiit benefaciendo et sanando omnes, d. 368, 15.

EX EPISTOLA AD ROMANOS

Invisibilia Dei a creature mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus eius, et divinitas, d. 285, 3, et 356, 16.
Obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, d. 218, 6.
Gloria et honor omni operanti bonum; Iudaeo primum et Graeco; non enim personarum acceptio est apud Deum, d. 219, 10.
Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, d. 418, 8, et 419, 2.
Ubi enim non est lex, non est praevaricatio, d. 320, 15.
Vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt, d. 417, 3.
Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, d. 355, 6.
Prudentia carnis mors est, d. 211, 2.
Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei, d. 375, 3.
Si Deus pro nobis, quis contra nos? d. 371, 7.
Optabam anathema esse a Christo pro fratribus meis, disc. 287, 21.
An non habet potestatem figulus, etc. d. 301, 1.
Non omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitae: neque qui semen sunt Abrahae, omnes filii, d. 282, 3.
Finis legis Christus, d. 383, 7.
Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris, d. 418, 8.
Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? disc. 331. 7.
Obsecro vos, fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, etc. d. 355, 20.
Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, d. 393, 10.
In nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum. d. 219, 6.

Digitized by Google

Salutate Meriam, quae multum laboravit in nobis, discursu 246, 9.
Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter, d. 278, 16.

EX I AD CORINTHIOS

Factus est nobis Christus sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio, d. 365, 4.
Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus diligentibus se, d. 412, 26.
Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei: spiritualis autem iudicat omnia, d. 350, 31.
Pascha nostrum immolatus est Christus, d. 417, 4.
An nescitis, quia membra vestra templa sunt Spiritus sancti? d. 260, 21.
Glorificate, et portate Deum in corpore vestro, d. 289, 16.
Siquidem sunt dii multi et domini multi, d. 270, 3.
Dii qui coelos et terram non fecerunt, pereant de terra, ibid.
Omnis viri caput Christus est,... caput vero Christi Deus, d. 292, 3.
Vos estis corpus Christi, et membra de membro, d. 375, 4.
In Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, d. 332, 2.
Omnia secundum ordinem fiant, d. 264, 12.
Si Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides nostra, d. 345, 14.
Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur, d. 293, 1.
Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei, d. 375, 5.
Omnia vestra in caritate fiant, d. 287, 13.

EX II AD CORINTHIOS

Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, discur. 368, 1.
Non sumus sufficientes aliquid a nobis cogitare quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est, d. 420, 12.
Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti, discursu 385, 3.
Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium, d. 270, 3.
Pro Christo legatione fungimur, d. 412, 1.
Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet, d. 271, 3.
Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, d. 221, 2, et 400, 13.
A Iudaeis quinquies quadragenas una minus accepi, discur. 341, 5.
Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur, d. 421, 3.

EX EPISTOLA AD GALATAS

Misit Deus Filium suum factum ex muliere, d. 386, 3.
Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, d. 366, 10.
In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per caritatem operatur, d. 418, 8.
Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, etc. d. 395, 2, et 216, 4.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS

Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, d. 355, 2.
Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, etc. disc. 415, 10.
Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, d. 387, 1.
Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis, d. 418, 6.
Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia, d. 290, 5.
Servi obedite dominis carnalibus, d. 270, 7.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES

Magnificabitur Christus in corpore meo, sive per mortem, sive per vitam; mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum, d. 253, 13.
Habitu inventus ut homo, d. 306, 6.
In nomine Iesu omne genuflectatur coelestium, terrestrium, et infernorum, d. 219, 6, et 378, 14.
Quorum Deus venter est, d. 270, 3.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES

Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, etc. d. 375, 5.
In quo sunt thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi, d. 253, 5, et 379, 11.
Expolians principatus et potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso, d. 378, 14.
Cum apparuerit Christus vita vestra, d. 256, 7.
Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, d. 315, 26.

EX I AD THESSALONICENSES

De cetero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur, sicut et apud vos, d. 315, 26.
Sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, d. 300, 1.

EX I AD TIMOTHEUM

Soli Deo honor et gloria, d. 220, 3.
Volo viros in omni loco orare, d. 262, 2.
Qui lucem habitat inaccessibilem, d. 358, 29.

EX EPISTOLA AD TITUM

Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, d. 418, 8.

EX EPISTOLA AD HEBRAEOS

Quem constituit haeredem universorum, d. 378, 13.
Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius, d. 285, 7.
Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis, etc. d. 384, 6.
Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei, d. 260, 8, et 218, 14.
Omnes sunt administratorii spiritus, 412, 1.
Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, d. 389, 6.
Lex enim vetus umbra erat futurorum bonorum, d. 263, 4.
Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes, d. 393, 30.
Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, etc. 417, 7.
Iesus introivit... in coelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, d. 418, 9.
Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocautomata... tunc dixi: Ecce venio, d. 417, 4.
Tunc dixi: Ecce venio... ut faciam Deus voluntatem tuam, etc. d. 288. 5, et 410, 3.
Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel, d. 419, 1.
Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, ibid.
Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, disc. 331, 5.
Obtulit Abraham Isaac... arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus, d. 283, 4.
Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, et adoravit fastigium virgae eius, d. 272, 10.
Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, d. 395, 11.

Mementote praepositorum vestrorum, qui in vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem, d. 286, 11.

EX EPISTOLA S. IACOBI

Si quis vestrum indiget sapientia postulet a Deo: postulet autem in fide nihil haesitans, d. 331, 5.
Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, discursu 306, 3.
Superexaltat autem misericordia iudicium, d. 420, 1.
Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, d. 395, 15.
Multum valet oratio iusti assidua, d. 315, 3.

EX I PETRI

Non corruptibilibus auro et argento, etc. d. 417, 1.
Vos estis genus electum, regale sacerdotium, d. 299, 9.
Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius, d. 400, 7.
Cum malediceretur, non maledicebat, etc. ibid.

EX II PETRI

Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis, d. 214, 1.
Dabo operam et frequenter habere vos post obitum meum, d. 413, 3.

EX I IOANNIS

Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, etc. d. 418, 9.
Ipse Christus est propitiatio pro peccatis nostris, etc. discur. 419, 2.
Haec est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos, discur. 421, 2.
Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate, d. 224, 18.

EX APOCALYPSI

Ego sum primus et novissimus, et vivus, et fui mortuus, et ecce sum vivus in saecula saeculorum, et habeo claves mortis et inferni, d. 345, 6.
Qui vicerit et custodierit opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea, d. 415, 3.
Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam, discursu 319, 1.
Veniam ad te tanquam fur, d. 348, 8.
De throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua, et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei, d. 380, 11.
Apertum est templum Dei in coelo et visa est arca testamenti eius in templo eius, et facta sunt fulgura, et voces, et terraemotus, et grando magna, d. 272, 50.
Signum magnum apparuit in coelo: Mulier amicta sole et luna sub pedibus eius, d. 412, 16.
Et in capite eius corona stellarum duodecim, d. 412, 15.
Mulier amicta sole et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim, d. 212, 5, et 288, 6.
Agnus occisus ab origine mundi, d. 419, 2.
Sine macula sunt ante thronum Dei, d. 399, 14.
Rex regum et Dominus dominantium, d. 378, 6, et 381, 1.
Liber apertus est, qui est vitae, d. 350, 19.
Ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo, disc. 356, 10.
Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, d. 399, 14.

Digitized by Google

INDEX

materiarum quae hoc secundo volumine uberius deducuntur

AC VERBIS EVANGELII PER DOMINICAS FESTOSQUE DIES ET FERIAS NONNULLAS OCCURRENTES ACCOMMODANTUR

DOMINICA I ADVENTUS

Arescentibus hominibus prae timore, Luc. 21. Iudicium divinum quam terribile, et quantum tunc B. V. Maria solatium sibi devotis tribuat, et quam fortiter pro eis ante tremendum Christi tribunal stet, d. 372.

Levate corda vestra, id est exhilarate corda vestra secundum d. Gregorium, *quia appropinquat redemptio vestra*. Occasione horum verborum praedicare poteris, quod huius exhilarationis seu gaudii, atque adeo redemptionis nostrae causa extitit B. V. Maria, d. 290.

Rursus in quo genere causae B. V. Maria causa nostrae laetitiae extiterit, d. 291.

Videre etiam profuerit discursus qui ibidem immediate sequuntur.

DOMINICA II ADVENTUS

Ioannes in vinculis. Occasione horum verborum praedicare poteris, quod B. V. Maria sit magna consolatrix in vinculis detentorum, d. 370, n. 4, et seq.

Coeci vident. B. V. Maria quibus coecis visum restituerit, d. 370.

Ubi etiam enumerantur multae aliae infirmitates corporales per B. V. Mariam sanatae, et infirmitates spirituales, ibid.

DOMINICA III ADVENTUS

In hac dominica agitur de humilitate s. Ioannis Baptistae: sed quam profundior fuerit humilitas Deiparae Virginis clare deducitur d. 287, n. 34.

DOMINICA IV ADVENTUS

Poenitentiam agite, Luc. 3. B. V. Maria est refugium peccatorum, sed maxime poenitentium, d. 366, et seq.

Factum est verbum Domini super Ioannem in deserto. Desertum sive solitudo quam sit apta divinis revelationibus, et quam amans solitudinis fuerit B. V. Maria, d. 287, n. 109.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI

Cum esset desponsata Mater Iesu Maria, Matth. 1. In imagine sponsaliorum B. M. Virginis cum Ioseph quaenam sint corrigenda, d. 227, n. 4.

De festo desponsationis B. M. Virginis, d. 231.

Virtutes B. Mariae Virginis quae in hoc evangelio relucent, sunt:

Spes, d. 287, n. 3.

Humilitas, ibid. n. 34.

Paupertas, ibid. n. 66.

Taciturnitas, ibid. n. 101.

IN NATIVITATE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI

Pro hac festivitate habes satis longam concionem d. 337, et seq.

Et peperit Filium suum primogenitum, Luc. 2. Partus B. M. Virginis non fuit instar aliarum puerperarum, disc. 227, n. 5.

Annuntio vobis gaudium magnum. Huius gaudii B. V. Maria quatenus causa extitit, d. 290.

Virtutes quae circa partum et in partu Salvatoris in B. Maria Virgine reluxerunt, sunt:

Religio, d. 287, n. 25.

Humilitas, ibid. n. 28. et seq.

Obedientia, ibid. n. 47.

Paupertas, ibid. n. 66.

Devotio, d. 305.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI

Erat mater eius. B. V. Maria est mater omnium fidelium, sed specialiter Ordinis praedicatorum, d. 237.

Maria autem conservabat omnia verba haec, Luc. 2. Prudentia et sapientia B. Virginis laudatur ex eo quod divina verba in corde suo conservabat, d. 21f.

Maria secretorum divinorum tenax, d. 287, n. 40, et seq.

Maria taciturnitatis exemplum, ibid. n. 101, et seq.

Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit, Luc. 2. Dolores B. M. Virginis referuntur d. 340, et seq. late.

Nec diebus nec noctibus discedebat de templo. Devotionis quantitas unde pensetur; et quanta fuerit B. M. Virginis devotio, d. 308.

Anna prophetissa prophitebatur Domino. Huius sanctae mulieris devotio ad Christum quanta, d. 338, n. 15.

Non discedebat de templo ieiuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte. Devotio continua quorumdam narratur disc. 222, n. 10, et seq.

Rursus ieiunia quorumdam in honorem B. M. Virginis, ibid. n. 20, et seq. et d. 233 per totum.

IN DIE EPIPHANIAE

Ecce Magi ab oriente, Matth. 1. Regum exempla multum movent ad pietatem, d. 381 per totum.

Invenerunt puerum cum Maria matre eius. Cum Maria, vel in Maria Christus omnia salutis nostrae mysteria operatus est, d. 290.

Maria quantum fuit coniuncta Christo, d. 356, n. 12.

Vidimus stellam eius. Stella est B. V. Maria, disc. 360 per totum.

Procidentes adoraverunt eum. Regum omnium maximus fuit Christus Dominus, et omnium reginarum maxima B. Vir-

go Maria, proinde omnes reges ante eos procidere debent, d. 381 per totum.
Obtulerunt ei aurum. B. V. Maria est aurum, seu tota aurea, d. 356 per totum.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE

Pro evangelio huius dominicae vide disc. 388.
Ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem, Luc. 2. Praedicare poteris de peregrinationibus ad loca sacra, d. 231 per totum.
De religione ac devotione B. Mariae Virginis, d. 287, n. 15.
Super introitum missae huius dominicae: *In excelso throno vidi sedere virum*. Hic thronus Dei est B. V. Maria, disc. 288.

IN OCTAVA EPIPHANIAE

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Ioan. 1. Super haec verba vide discursus integros 417, 418, 419.

DOMINICA POST EPIPHANIAM

Nuptiae factae sunt, Ioan. 2. Quinam sancti et sanctae desponsatae fuerunt Christo, procurante B. Maria Virgine, d. 237, n. 176, et seq.
Vinum non habent. Paupertate, et quovis defectu laborantium optima consolatrix B. V. Maria, d. 369 per totum.
Virtutes B. M. Virginis ex his verbis, et toto hoc miraculo collectae:
I. Caritas in proximos, et clementia, d. 287, n. 15, et 280.
II. Spes et fiducia in Deum, d. 287, n. 6, 7.
III. Humilitas, ibid. n. 34.
Vinum non habent. Quanta sit potentia B. V. Mariae erga nos, d. 281 per totum.
Unde Virgini tanta clementia, d. 282 per totum.
Vocatus est Iesus ad nuptias. Puer Iesus cum pueris ientaculum sumit, d. 399, n. 68.
Omnia quae dixerit vobis facite. Quam multos B. Virgo recte instruxerit, quibus scientiam impetraverit, quos in fide confirmaverit, d. 385, n. 9, et seq.
Gustavit Architriclinus aquam vinum factum. Conversionem aquae in vinum multoties a nostris factam, ciborum et vini copiam miraculose per B. M. Virginem nostris subministratam, d. 237, n. 30, et seq.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM

Domine si vis, potes me mundare, Matth. 8. Praedica de conformitate voluntatis nostrae cum divina exemplo B. Virginis Mariae cuius voluntas semper fuit conformis divinae voluntati, d. 216 per totum.
Domine puer meus iacet in domo paralyticus. B. V. Maria est salus infirmorum infirmitatibus corporalibus laborantium, d. 362 per totum.
Unde et a quo tempore hoc habeat B. V. Maria, quod sit salus infirmorum, d. 264 per totum.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, Matth. 8. Hi motus indicant persecutiones quas passa est Ecclesia Christi. Praedica quanto solatio fuit B. V. Maria apostolis aliisque fidelibus in illis persecutionibus primaevae Ecclesiae, d. 385, n. 5, 6, 7.
Domine salva nos, perimus. Ex quantis angustiis, ac tribulationibus liberare soleat sibi devotos B. V. Maria, d. 370 per totum.
Rursus, qua ratione B. V. Maria possit dici nostra salus et vita, d. 236, n. 7, 8, et 365, n. 7, et seq.
Ipse vero dormiebat. Somnia B. M. Virginis et aliorum sanctorum quam felicia, d. 308, n. 6.

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM

Venit inimicus homo, et superseminavit zizania, Matth. 13. Hic inimicus homo est diabolus, qui superseminavit zizania, hoc est haereses, idola, peccata. Praedica, quam potens sit B. V. Maria contra hoc semen diaboli, puta idola, haereses, peccata, d. 276, 277, et 278 per totum.

DOMINICA V POST EPIPHANIAM

Simile est regnum coelorum grano sinapis, Matth. 13. B. V. Maria fuit minimum granum sinapis, quia humillima, d. 287.
Amarum, quia in passione Filii amara, d. 394, n. 17.
Crevit in arborem, quia alta multipliciter, disc. 351, n. 3, et seq.

DOMINICA SEPTUAGESIMAE

Conventione autem facta cum operariis. De operibus misericordiae in honorem B. M. Virginis exhibitis, d. 269 per totum.
Quid hic statis tota die otiosi? Matth. 20. B. V. Maria non vult suos cultores esse otiosos, sed bonis operibus deditos, d. 221 per totum.
Rursus B. V. Maria nunquam fuit otiosa, d. 214, n. 2.
B. V. Maria laborantibus favet, ibid. n. 8.

DOMINICA SEXAGESIMAE

Aliud cecidit inter spinas, Luc. 8. Spinae sunt divitiae, quas B. V. Maria uti prudentissima contempsit, disc. 211 per totum.
Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. Quantam rerum divinarum cognitionem B. V. Maria habuerit, et unde, d. 212 per totum.

DOMINICA QUINQUAGESIMAE

Ecce ascendimus Ierosolymam, Luc. 17. Devotio B. M. Virginis Ierosolymis quae et quanta, d. 306.
Iesu fili David. Iesus fuit verus filius David, et B. Virgo eiusdem filia, d. 378, n. 2, 3, 4.
Fuit etiam aemula, d. 352, n. 6.
Fides tua te salvum fecit. Quam eximia fuerit fides B. M. Virginis, d. 283 per totum, et 287, n. 3, 4, 5.

DOMINICA I QUADRAGESIMAE

Ductus est Iesus in desertum, Matth. 4. B. V. Maria quam solitudinis amans, d. 287, n. 189, et seq.
Accedens tentator. Quibus modis hic tentator tentavit dissipare noviter exorientem Ordinem praedicatorum, et quam multipliciter eum afflixit per suos submissarios, disc. 237, n. 82, et seq.
Tentator. An et quatenus potuit tentari B. V. Maria, d. 353, n. 8, et seq.
Et cum ieiunasset. Ieiunantes in honorem B. M. Virginis recensentur d. 232, et 233 per totum.
Ipsa quoque B. V. Maria fuit abstinentiae et sobrietatis speculum et exemplar, d. 287, n. 84, et seq.
Vade satana. B. V. Maria quam potens sit contra satanam, d. 276 per totum, et 353, n. 16.
Accesserunt angeli et ministrabant ei. Angelorum ministeria B. M. Virgini praestita, d. 380 per totum.
Angeli nonnullis dominicanis beatis cibum subministrabant, d. 237, n. 28, et seq.
Angeli nonnullos dominicanos beatos ad remota loca transportant, ibid. n. 148, et seq.

DOMINICA II QUADRAGESIMAE

Duxit illos in montem excelsum, Matth. 17. B. V. Maria est mons excelsus, d. 351, n. 5, et seq.
Facies eius sicut sol, vestimenta eius sicut nix. Modestia corporis quanta fuit in B. M. Virgine, et quanta in vestimentis, et exteriore ornatu, d. 287, n. 95, et seq. et n. 107, et seq.

Digitized by Google

Apparuerunt illis Moyses. Moyses quibus encomiis ornavit B. V. Mariam, d. 272, n. 11.
Nemini dixeritis visionem. B. V. Maria fuit speculum taciturnitatis et silentii, d. 287, n. 101.

DOMINICA III QUADRAGESIMAE

Erat Iesus eiiciens daemonium, Luc. 1. Et B. V. Maria fuit petens contra daemonium, d. 276 per totum.
In pace sunt omnia quae possidet. B. V. Maria in pace omnia possidebat, d. 216, n. 2, et seq.
Beatus venter qui te portavit. Vide quae notavimus in festo B. M. Virginis ad Nives, d. 230, n. 17.

DOMINICA IV QUADRAGESIMAE

Unde ememus panes, ut manducent hi? Ioan. 6. Magna Christi miseratio his verbis declaratur. Quanta etiam sit miseratio erga pauperes, et egenos in B. Virgine, disc. 369 per totum.
Opera misericordiae in honorem B. M. Virginis exhibitae quam ei grata sint, d. 269 per totum.
Collegerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus. Similia miracula de multiplicatione panum, et saturatione hominum, d. 237, n. 26, et seq.

DOMINICA PASSIONIS

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8. Haec verba poterat suo modo usurpare B. V. Maria, quae omni peccato carebat, d. 277 per totum.

DOMINICA PALMARUM

Ecce Rex tuus. Christus fuit verus Rex, et B. V. Maria Regina, d. 378 per totum, et 381, n. 1.

IN DIE PARASCEVES

Habes fere totam Christi passionem explicatam in quinque mysteriis dolorosis sacratissimi rosarii a discur. 340 usque ad 344.
Deinde de martyrio, seu doloribus B. V. Mariae in passione Filii multa habes a d. 389 usque ad 398.

IN DIE SANCTO PASCHAE

De mysterio resurrectionis Domini nostri Iesu Christi integrum sermonem habes d. 345 per totum.
Antiphonae *Regina coeli laetare* initium, d. 256, n. 15.
Gaudium B. M. Virginis in resurrectione Filii, d. 382, n. 40.

SUPER EVANGELIUM

Maria Magdalene, et Maria Iacobi, et Salome emerunt aromata, Marc. 16. Hae sanctae mulieres fuerunt verae amicae Christi, d. 293, n. 9.

FERIA II PASCHAE

Tu solus peregrinus es, Luc. 24. De peregrinationibus ad loca sacra, d. 234 per totum.

DOMINICA IN ALBIS

Gavisi sunt discipuli viso Domino, Ioann. 20. Quale et quantum gaudium discipuli Christi habuerunt ex D. M. Virgine, d. 296, 368, n. 2, et 385, n. 5.

DOMINICA II POST PASCHA

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Post ascensionem Christi B. V. Maria fuit solatium apostolorum, et aliorum fidelium, d. 368, n. 2, et 385, n. 5.

DOMINICA III POST PASCHA

Arguet mundum de peccato, Ioan. 16. B. V. Maria peccatores arguisse legitur, d. 284, n. 9, et seq.
Quorum peccatorum sit refugium ac munimen B. V. Maria, et quorum non, d. 367 per totum.

DOMINICA IV POST PASCHA

Petite et accipietis, Ioan. 10. Devotionis quantitas unde pensetur, d. 307, n. 2.
Quibus modis Deus exaudiat preces nostras, d. 421 per tot.

IN DIEBUS ROGATIONUM

Praedica de processionibus, earum antiquitate, sanctitate, ritibus, d. 264, et 265.
Haereticorum obiectiones contra processiones sacras dilutas habes d. 266 per totum.

IN ASCENSIONE DOMINI

Pro hac festivitate habes concionem integram d. 346 per totum.
Christus in coelum ascendens, cur hic Matrem suam in terris reliquit, d. 368 per totum, et 385, n. 14, et seq.
Status vitae B. M. Virginis post Christi ascensionem in coelum, d. 307 per totum.
Per Mariam patet ingressus in coelum, d. 359 per totum.

EX EVANGELIO

Exprobravit incredulitatem eorum, Marc. 16. Amici veri est vitia proximi arguere. Et talis fuit B. V. Maria, d. 284, n. 8, et seq.
Euntes praedicate evangelium. B. V. Maria quos et quot ad praedicandum evangelium praesentavit: quibus scientiam, et praedicationis gratiam a Filio impetravit, d. 237, n. 45, et seq.
Euntes praedicate evangelium. Quam late per orbem evangelium Christi praedicarunt, et in praesentem diem praedicant fratres praedicatores, d. 315, per totum.

DOMINICA INFRA OCTAVAE ASCENSIONIS

Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis, Ioan. 6. B. V. Maria ab initio, et semper fuit cum Christo, d. 283 per tot. et 396.
Maria quantum fuerit coniuncta Christo, d. 346, n. 12.
Maria optima fuit testis omnium Christi operum, ac mysteriorum, d. 385, n. 9.
Absque Synagogis, hoc est aposynagogos, *facient vos.* In illa persecutione magno solatio fuit apostolis, ceterisque fidelibus B. V. Maria, ibid. n. 5.

IN DIE PENTECOSTES

Pro hac festivitate integram concionem habes d. 317 per totum.
Credibile est B. M. Virginem precibus suis adventum Spiritus sancti accelerasse, d. 307, n. 8.

DOMINICA TRINITATIS

Docete omnes gentes, Matth. 28. Quos, et quantos B. V. Maria docuit, et instruxit, d. 385, n. 9, et seq.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI

Cur sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in processionibus circumgestetur, d. 261, et 262 per totum.
B. V. Maria quotidie Eucharistiam sumebat, d. 307, n. 9.
Eucharistia mannae comparatur, d. 358, n. 25, et seq.

Digitized by Google

DOMINICA III POST PENTACOSTEN

Erant appropinquantes ad Iesum publicani et peccatores, Luc. 15. B. V. Maria est refugium, ac munimen peccatorum, d. 366.
Rursus. Peccatorum qui ad Iesum accedunt, B. V. Maria est refugium, ac munimen, d. 367 per totum.

DOMINICA IV POST PENTACOSTEN

Cum turbae irruerent in Iesum, Luc. 5. Et ad B. Virginem populi confluebant, d. 385, n. 15.
Per totam noctem laborantes nihil cepimus. B. V. Maria laborantium adiutrix, d. 370, n. 2, et seq.

DOMINICA V POST PENTECOSTEN

Nisi abundaverit iustitia vestra, Matth. 5. Iustitia christianorum qualis esse debeat, ut amari et specialiter protegi a B. Virgine mereantur, d. 375, et 376 per totum.
Pro dominica VI post Pentecosten vide quae notavimus dominica IV Quadragesimae.

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN

Attendite a falsis profetis, Matth. 7. Quam potens sit contra hos falsos prophetas, scilicet haereticos, B. V. Maria, d. 278 per totum.
Et unde hoc habeat, d. 279.
Propheta quot modis accipiatur in Scriptura, et quod B. V. Maria fuit prophetissa, d. 383, et 381 per totum.
Omnis arbor bona bonos fructus facit. Bona arbor fuit B. V. Maria quae bonos fructus, id est bona opera faciebat, d. 214 per totum.
Opera misericordiae quam grata sint B. Virgini, d. 269, per totum.
Arbor quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Maria est consolatrix etiam eorum qui igne inferni cruciantur, d. 374 per totum.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN

Prudentiores sunt filii huius saeculi filiis lucis, Luc. 16. Actus prudentiae qui sint; quotuplex prudentia; quomodo enituit in B. V. Maria late deducitur d. 210, 211, 212, 213 per totum.
Facite vobis amicos. Amicus verus quis, d. 284, n. 1, 2, 3.

DOMINICA IX POST PENTECOSTEN

Videns civitatem flevit super illam, Luc. 19. B. V. Maria peccatoribus compatitur, eisque munimen, ac refugium se praebet, et unde hoc habeat, d. 366, 367.
Amor B. Virginis erga proximos quantus erat, deducitur d. 287, n. 15, et seq.
Plebs Christi indicat eius clementiam erga peccatores, et B. V. Maria quam sit clemens, d. 280 per totum.
Eiecit de templo ementes et vendentes. Et B. V. Maria peccatores arguit, et corripit, d. 281, n. 9.
Domus mea domus orationis. Quam devota fuit B. V. Maria in domo Dei, d. 305, n. 3, et seq.

DOMINICA X POST PENTECOSTEN

Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, Luc. 18. Devotio vera in quo consistit, et quantopere fuerit devota B. V. Maria praesertim in templo, d. 305 per totum.
Ieiuno bis in sabbato. Ieiunium sabbati in honorem B. M. Virginis quam sit salutare, d. 233 per totum.
Sabbatum cur in honorem B. M. Virginis sit dicatum, d. 232 per totum.
Qui se humiliat exaltabitur. De humilitate B. M. Virginis, d. 287, n. 34, et seq. et 335, n. 20.

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN

Et loquebatur recte, Marc. 1. B. V. Maria semper locuta est recte, d. 217 per totum.
Modestia eius in sermone quanta fuit, discur. 287, n. 101, et seq.
Bene omnia fecit. Et B. V. Maria bene omnia fecit, quia omnes actus suos divinae voluntati conformavit, d. 216 per totum.
Surdos fecit audire, et mutos loqui. Quot infirmis sanitatem corporalem B. Virgo restituerit, d. 362 per totum.

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN

Beati oculi qui vident, etc. Luc. 10. Oculi et omnes sensus B. M. Virginis quam felices et beati, d. 213 per totum.
Multi prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis. Adam, et ceteri patres antiqui quo desiderio desiderarunt videre B. M. Virginem, d. 293, n. 2, et seq.
Ipsa Virgo Maria quam ardenti desiderio desiderabat Messiam promissum, d. 305, n. 8.
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ... et proximum tuum, sicut teipsum. Amor Dei et proximi quantus fuerit in B. M. Virgine, d. 287, n. 10, et seq.
Quicquid supererogaveris. Hic locus valet pro indulgentiis, de quibus vide d. 319 per totum.

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN

Ite, ostendite vos sacerdotibus, Luc. 17. B. V. Maria quatenus possit dici sacerdos, d. 261, n. 11.
Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Gratitudinis exempla, d. 292, n. 15.
Alienigenae sunt peccatores, qui ad B. Virginem confugientes salutem inveniunt, d. 367.

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN

Nemo potest duobus dominis servire, Matth. 6. B. V. Maria uni Deo placere semper, ac servire constituit, d. 216, et 308 per totum.
Nolite soliciti esse quid manducetis. Servis suis Deus benefactores conciliat, procurante B. M. Virgine, disc. 237, n. 167.
Quaerite primum regnum Dei. Quomodo quaerendum sit regnum Dei, quomodo illud quaesivit B. V. Maria, d. 214 per totum.
Et de vestimentis quid soliciti estis? B. V. Maria de cultu vestium minime solicita erat, discur. 287, n. 71, et seq. et n. 107.

DOMINICA XV POST PENTECOSTEN

Misericordia motus, Luc. 7. Quam clemens et misericors sit B. V. Maria, d. 280, 281 per totum.
Septem opera misericordiae B. Virgo Christo Filio suo abunde exhibuit, d. 306, n. 3, et seq.

DOMINICA XVI POST PENTECOSTEN

Si licet sabbato curare, Luc. 14. Sabbatum cur B. M. Virgini dicatum, d. 232 per totum.
Cum invitatus fueris, recumbe in novissimo loco. Hoc B. V. Maria exacte observavit, d. 287, n. 46.
Qui se humiliat exaltabitur. De humilitate B. V. Mariae, d. 287, n. 34, et seq. et 303, n. 2, 6.

DOMINICA XVII POST PENTACOSTEN

Quod est mandatum magnum in lege? Diliges Dominum Deum tuum, etc. De amore B. Virginis erga Deum et proximum multa habes d. 287, n. 10, et seq.

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN

Confide fili, Matth. 9. Quantae spei, ac fiduciae in Deum fuerit B. V. Maria, d. 287, n. 6, 7, 8.

Digitized by Google

Hic blasphemat. Blasphemias Iudaeorum, et pharisaeorum in B. Virginem, d. 278, n. 4, et 385, n. 8.

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN

Simile est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, Matth. 22. Deus Pater Filio suo nuptias fecit, cum eum in utero Virginis humanae naturae coniunxit. De his nuptiis habes d. 290, n. 3, et seq. et 335 per totum.

DOMINICA XX POST PENTECOSTEN

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur, Ioan. 4. De variis infirmitatibus humanis vide expositionem tituli *Salus infirmorum*. Et quomodo B. V. Maria sit *Salus infirmorum*, d. 362, et 363.
Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Haec fuit imperfecta fides, qualis non fuit in B. Virgine quae perfectam fidem habuit, de qua, d. 283, et 287, n. 3, et seq.

DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN

Patientiam habe in me, Matth. 18. Quanta fuerit patientia B. V. Mariae, d. 287, n. 118, et seq.
Nonne oportuit et te misereri conservi tui? Quam sit clemens et misericors B. V. Maria, d. 280 per totum, et 366, n. 9.

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN

Consilium inierunt ut caperent Iesum in sermone, Matth. 22. B. V. Maria quantae prudentiae fuerit in sermone, d. 217 per totum, et 387, n. 101, et seq.
Non enim respicis personas hominum. B. V. Maria in miserendo et iuvando non respicit personas, sed tam peccatoribus, quam iustis patrocinatur, d. 366, n. 9, et seq.
Amicus verus est, qui personas non respicit, d. 281, n. 2.
Cuius est imago haec, et superscriptio? De imaginibus sacris B. M. Virginis fuse tractatur, d. 226 et 227 per totum.

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN

Filia mea modo defuncta est, Matth. 9. B. V. Maria est consolatrix afflictorum hora mortis, d. 371 per totum.

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN

Tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes, Matth. 24. Mons est B. V. Maria, d. 351, n. 5.
Est etiam civitas refugii, d. 366, n. 17, et seq.
Abominatio desolationis per haereses, et schismata quanta olim fuerit, quae per preces rosarii pacata, et sublata est, d. 315, n. 5, et seq. et 316, n. 1.

IN DEDICATIONE TEMPLI
EX EPISTOLA

Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam, Apoc. 10. Haec verba explicantur de B. V. Maria, d. 301, n. 5, et seq.
B. V. Maria est domus et templum Dei, d. 354 per totum.
Quomodo B. V. Maria fuit adumbrata in templo Salomonis, d. 355 per totum.

DE SANCTIS

IN FESTO S. ANDREAE APOSTOLI

Quam impense coluit B. M. Virginem s. Andreas apostolus, d. 386, n. 7.
Vidit duos fratres. De origine confraternitatum in communi, d. 241, per totum.
In festo S. Xaverii, vide d. 398, n. 136.

IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI

Quam addictus fuerit B. M. Virgini s. Nicolaus, d. 388, n. 12.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. M. VIRGINIS

Conceptionum B. M. Virginis angelus nuntiavit, d. 380, n. 2.
In imagine conceptionis B. M. Virginis quae corrigenda, d. 227, n. 2.
De origine festivitatis huius, et quis sensus Ecclesiae eam celebrantis, d. 229, n. 7, et seq.
Ordo monialium conceptionis B. M. Virginis, d. 238, n. 13.
Alius Ordo equitum, d. 239, n. 7.
Maria ex prosapia Adae orta, d. 378, n. 2, et seq.
In ventre matris Annae caput serpentis contrivit, d. 382, n. 33.
Quantam laetitiam attulerit B. V. Maria sua conceptione et nativitate Adamo, Evae, aliisque patribus antiquis, nec non suis parentibus Ioachimo, et Annae, d. 298, n. 2, et seq. et d. 296, et 297 per totum.
Adamo comparatur B. V. Maria, et in multis praefertur, d. 382, n. 2, et seq.

EX EPISTOLA

Dominus possedit me in initio viarum suarum, Prov. 8. Explicantur fuse haec verba de B. M. Virgine d. 302, n. 3, et seq.

EX EVANGELIO

Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Iudam, Matth. 3. Isti sancti patres B. M. Virginem viderunt, et beatissimam predicaverunt, d. 272, n. 6, et seq.
Hos patres quos s. Matthaeus enumerat, B. V. Maria condecoravit, d. 382 per totum.
Cum Abraham, Isaac, Iacob B. Virgo comparatur, et in multis eis praefertur, ibid. n. 25, et seq.
De qua natus est Iesus. Matrem Dei esse quanta sit dignitas, d. 302, n. 12, et seq.

IN FESTO S. THOMAE APOSTOLI

Noli esse incredulus, sed fidelis, Ioann. 10. Cunctas haereses B. V. Maria sola interemit in universo mundo, d. 278 per totum.
Ipsa fuit Virgo fidelis, immo fidelissima Deo et hominibus, d. 283, et 281 per totum.
Beati qui non viderunt, et crediderunt. Hac in parte fidelissima fuit gloriosa V. Maria, d. 283.

IN FESTO S. STEPHANI

A sanguine iusti Abel, Matth. 23. Cum iusto Abel V. Maria confertur, et in multis eis praefertur, d. 382, n. 12, et seq.
Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos. Hoc etiam modo B. V. Maria congregat omnes nedum iustos, verum etiam peccatores, quos protegit, d. 366 per totum.
Cum s. Stephanus lapidabatur, B. V. Maria cum s. Ioanne evangelista pro eius constantia Deum orabant, d. 296, n. 11.

IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTAE

S. Ioannes quae beneficia acceperit a B. M. Virgine, d. 296, n. 1, et seq.
Quam impense coluerit B. M. Virginem, d. 386, n. 6.

IN FESTO S. THOMAE EPISCOPI CANTUARIENSIS

B. V. Maria ei apparet, eumque se salutare docet, disc. 259, n. 7.
Quam impense fuerit addictus B. M. Virgini, d. 388, n. 21, et 399, n. 15.

IN CISCUMCISIONE DOMINI

Postquam impleti sunt dies octo ut circumcideretur puer, Luc.

Digitized by Google

2. Circumcisioni Christi interfuit B. V. Maria, disc. 338, n. 4.
Vocatum est nomen eius Iesus. De confraternitate sanctissimi nominis Iesu, d. 318, n. 4.
B. Aegidi Pouccellani erga nomen Iesu devotio, discur. 339, n. 67.

IN EPIPHANIA DOMINI

Vide indicem supra in dominicis.

IN FESTO S. RAYMUNDI CONFESSORIS

Sanctus Raymundus super pallio velut super solidis tabulis mare transit, d. 237, n. 146.
Ordinem B. M. Virginis de mercede redemptionis captivorum instituit, d. 238, n. 8.
Quo studio B. M. Virginem coluit, d. 399, n. 51.

IN FESTO S. AGNETIS

Quinque autem ex eis erant fatuae, et quinque prudentes, Matth. 25. Quinque prudentes virgines sunt quinque sensus bene custoditi. Quam bene custodierit illos B. V. Maria, d. 213, n. 4, et seq.
Vide quae notavimus inferius in festo s. Catharinae virginis et martyris.

IN FESTO S. IOANNIS CHRYSOSTOMI

Quam impense coluerit B. M. Virginem, d. 388, n. 16.

IN FESTO S. IGNATII MARTYRIS

Quantus fuerit amator B. M. Virginis, ibid. n. 3.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. VIRGINIS

Pro hac festivitate habes sermonem longum discur. 338 per totum.
De origine huius festivitatis, et cereis qui hac die accenduntur, et de processione, quae hac die peragitur, disc. 229, n. 36, et seq.
Responsorii quod hac die canitur: *Gaude Maria Virgo*, origo et miracula, d. 257, n. 2, et seq.
Et sequentiae: *Inviolata, intacta*, d. 258, n. 9.

SUPER EVANGELIUM FESTIVITATIS HODIERNAE

Virtutes B. Mariae Virginis, quae relucent in evangelio hodierno:
Religio, d. 287, n. 25, et 338, n. 7.
Amor erga proximum, d. 287, n. 13.
Humilitas, ibid. n. 31, et seq.
Obedientia, ibid. n. 47, et seq. et d. 338, n. 0.
Liberalitas, d. 338, n. 11
Paupertas voluntaria, d. 211, n. 7, et seq. 287, n. 66, et seq. et 338. n. 10.
Devotio, d. 338, n. 12.
Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae. De puritate et candore B. M. Virginis, d. 353, n. 4, 5, 6.
Tulerunt Iesum in Ierusalem. Hac die B. V. Maria puerum Iesum ad templum portans, *Thronus Dei* optime dici potest, d. 288. n. 9.
Accepit eum Simeon in ulnas suas. Sancti qui cum hoc Simeone Iesum infantem e manibus B. M. Virginis acceptum in ulnis suis portabant, d. 237, n. 181, et seq.

IN FESTO S. MATHIAE APOSTOLI

Venite ad me omnes qui laboratis, Matth. 11. Qui, et quot ad religiosam vitam a B. M. Virgine vocati sunt, d. 237, n. 121. et seq.

IN FESTO S. CASIMIRI CONFESSORIS

Devotio eius erga B. M. Virginem quanta, d. 381. n. 76, et 222, n. 27.
Castitatis propugnator acerrimus, d. 406, n. 1.
Sint lumbi vestri praecincti, Luc. 12. *Lumbos praecingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*, divus Gregorius in homilia. Castitatis tuendae admiranda exempla, d. 237, n. 66, et seq.
Castitas quam sit odorifera, d. 309, n. 27, et 355, n. 16.
Pro conservanda castitate varia plurimorum certamina, a d. 401 ad 411 per totum.

IN FESTO S. THOMAE AQUINATIS

S. Thomae elogia, d. 237, n. 48.
Cingulo castitatis angeli eum praecingunt, et huius cinguli virtutes recensentur d. 237, n. 171, et seq.
D. Thomae aquinatis pietas erga B. M. Virginem quanta, d. 399, n. 53.
Divus Thomas castitatis propugnator acerrimus, disc. 405, n. 4.
Docti viri ex Ordine praedicatorum recensentur d. 316, n. 17, et seq.

IN FESTO S. GREGORII PAPAE

Quo studio Beatam Dei Genitricem coluerit, d. 387, n. 7.

IN FESTO S. IOSEPH SPONSI B. M. VIRGINIS

De laudibus s. Ioseph sermonem longum habes d. 291 per totum.
Quomodo sit depingendus s. Ioseph, d. 227, n. 5.
Eius solicitudo et devotio erga puerum Iesum, ac reverentia erga B. Virginem quanta, d. 337, n. 16, 17, 18.

IN FESTO S. IOACHIM

De hoc sancto sermones integros habes d. 298, et 299 per totum.

IN FESTO S. BENEDICTI

De Ordine sancti Benedicti quot summi antistites, praesules, doctores, et sacri Ordines prodierunt, disc. 240, n. 2, et seq.
S. Benedictus quantopere coluit B. M. Virginem, disc. 399, n. 6.
Castitatis quam acerrimus propugnator, d. 401, n. 5.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. M. VIRGINIS

Missus est angelus Gabriel. De Gabrielis dignitate, et apparitione, d. 335, n. 6, et seq.
Ad Virginem. Quis B. Virginem docuit servare virginitatem, d. 213, n. 14.
Desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph. Vide quae paulo ante notavimus in festo s. Ioseph.
De domo David. B. V. Maria et s. Ioseph fuerunt de prosapia David, d. 378, n. 3, et seq.
Et nomen Virginis Maria. Nomen *Maria* quam venerabile, n. 6, et seq.
Et B. V. Maria virginum signifera, d. 400 per totum.
Ave. Salutatio B. Virginis a quibus saepius usurpata, d. 222, n. 14, et seq.
Salutationis angelicae encomia, d. 211 per totum.
Praxis recitandi salutationem angelicam, d. 213 per totum.
Et multa alia de hac salutatione, d. 216, 217, 218, 219, et seq.
Gratia plena. Gratia plena fuit, quia nullum peccati contagium habuit, d. 213, n. 3.
Gratia plena. Quia unaquaque gratia singillatim, et seorsim plena in summo gradu gratias habens, disc. 303, n. 5, et seq.
Cogitabat qualis esset ista salutatio. De prudentia Virginis in hac salutatione angeli, d. 215, n. 2, et 217, n. 3.
Cogitabat. Silentium B. M. Virginis hic notatur et laudatur, d. 217 per totum.

Et vocabis nomen eius Iesum. B. V. Maria post Iesum aliis etiam nomina indidit, et quibus, d. 237, n. 16, 17.
Ecce ancilla Domini. Hoc verbo B. V. Maria Deum e coelo traxit. Proinde praedicare poteris, quam potens sit B. V. Maria in Deum, et apud Deum, d. 275 per totum, et 279, n. 2, et seq.
Fiat mihi secundum verbum tuum. Per hoc, *Fiat*, B. V. Maria totum mundum salvavit, d. 290, 291, et 335, n. 27.
Virtutes quae in B. M. Virgine circa istud mysterium in hodierno evangelio relucent:
Fides, d. 335, n. 23.
Amor erga Deum et genus humanum, d. 287, n. 10, et seq.
Religio, ibid. n. 25, et seq.
Devotio, d. 287, n. 25, 306, et 335, n. 26.
Humilitas, discur. 287, n. 34, et seq. 303, n. 2, et 335, n. 20.
Obedientia, d. 287, n. 27.
Pudor seu verecundia, ibid. n. 59, et seq. et 335, n. 21.
Taciturnitas, d. 287, n. 104, et 335, n. 22.
Amor vitae solitariae, d. 287, n. 109.
Modestia, d. 335, n. 18.
Timor Dei, ibid. n. 19.
Amor virginitatis, ibid. n. 23.
Prudentia, ibid. n. 24.
Quaenam sint corrigenda in imagine annuntiationis B. M. Virginis, d. 227, n. 2.
De origine festivitatis annuntiationis B. M. Virginis, d. 229, n. 7, et seq.
De Ordine monialium annuntiationis B. M. Virginis, d. 238, n. 16.
De Ordine equitum annuntiationis B. M. Virginis, d. 239, n. 4.
De sodalitate B. M. Virginis annuntiatae in Societate Iesu, d. 213, n. 6.
Haec sodalitas a rosario originem trahit, disc. 312, n. 3, et seq.
Hac die B. V. Maria Dei Filium regio diademate coronavit, d. 292, n. 3.

IN FESTO S. VINCENTII CONFESSORIS ORDINIS PRAEDICATORUM

S. Vincentii mira pro castitate praelia, d. 237, n. 73, et seq.
Ex daemone mira victoria, ibid. n. 85.
Calumniis appetitus divina ope innocens declaratur, ibid. n. 110.
Concionum eius mira efficacia, et fama, ibid. n. 243.
Castitatis propugnator acerrimus, disc. 405, n. 5.

IN FESTO S. AGNETIS DE MONTE POLITIANO ORDINIS PRAEDICATORUM

Haec virgo quam impense fuerit addicta B. M. Virgini, disc. 237, n. 185.

IN FESTO S. ADALBERTI EPISCOPI ET MARTYRIS

Hic sanctus miraculose fuit sanatus a B. M. Virgine, d. 362, n. 6.

IN FESTO S. PETRI MARTYRIS ORDINIS PRAEDICATORUM

A B. M. Virgine in fide confirmatur, d. 237, n. 61.
Quam fervens, et fructuosa fuerit eius praedicatio, ibid. n. 238.
Martyres ex Ordine praedicatorum, ibid. n. 241.
Ordinis servorum B. M. Virginis si non auctor, certe promotor ardentissimus fuit, ibid. n. 10.
Sanctae inquisitionis Officium cur penes dominicanos Ecclesia esse voluit, d. 316, n. 38.

IN FESTO SS. PHILIPPI ET IACOBI APOSTOLORUM

S. Iacobi maioris apostoli devotio erga B. M. Virginem, disc. 386, n. 4.

IN FESTO S. ANTONINI ARCHIEPISCOPI ORDINIS PRAEDICATORUM

Sanctitatis suae fama Antonius de Rispolis apostata ad fidem convertitur, d. 237, n. 63.
B. M. Virgini quam devotus, d. 399, n. 53.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS

Hic venit ad Iesum nocte, Ioann. 3. Noctis incommoda, disc. 237, n. 80.
Crux Christi fuit altare in quo corpus Christi, et anima Deiparae immolabatur, d. 391, n. 7, 8.
Crux Christi quam alta fuit, d. 293, n. 20.
B. V. Maria fuit crux Christi, quomodo, et quando, d. 393, n. 10.

IN FESTO S. CATHARINAE SENENSIS

A B. M. Virgine fuit erudita, d. 237, n. 56.
Ab eadem Christo desponsatur, ibid. n. 178.
Varii favores eidem a Christo, et a B. M. Virgine exhibiti, d. 441, n. 15.

IN FESTO S. ATHANASII EPISCOPI

Eius devotio erga B. M. Virginem quanta, d. 388, n. 10

IN FESTO S. GREGORII NAZIANZENI

Eius devotio erga B. M. Virginem quanta, ibid. n. 8.

IN FESTO S. BERNARDINI SENENSIS

Quam eximius fuit cultor B. M. Virginis, d. 399, n. 95.
Castitatis propugnator acerrimus, d. 405, n. 7.

IN FESTO S. PHILIPPI NERII

Quam studiose coluit B. M. Virginem, d. 399, n. 117.

IN FESTO S. IOANNIS BAPTISTAE

Quae, et quanta beneficia s. Ioannes accepit a B. M. Virgine, d. 296, n. 1, et seq. et 336, n. 11, 12.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI

Horum apostolorum devotio erga B. M. Virginem quae et quanta, d. 386, n. 2, 3.
D. Paulus in caelibatu vixit, d. 401, n. 6.

IN FESTO VISITATIONIS B. M. VIRGINIS

Pro hac festivitate habes sermonem integrum disc. 336 per totum.
Qua occasione hoc festum fuit institutum, d. 229, n. 35.
Ordo monialium sub titulo Visitationis B. M. Virginis, disc. 238, n. 17.

SUPER EVANGELIUM

Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? B. V. Maria est Mater Domini, et omnium fidelium, sed maxime Ordinis praedicatorum, d. 237, n. 3, et seq.
Est mater nedum iustorum, verum etiam peccatorum, disc. 366, n. 9, et seq.
Beata quae credidisti. B. V. Maria nedum credidit, sed etiam multos in fide confirmavit. Ipsius fides quanta, d. 283 per totam, et d. 287, n. 3, et seq.
Quos in fide confirmavit, d. 237, n. 61, et seq.
Magnificat. De hoc cantico, d. 252 per totam.
Elogia varia huius cantici, d. 253 per totum.
Beatam me dicent omnes generationes. An, et quibus causis B. V. Maria sit praedicanda, disc. 271 per totum.

A quibus generationibus, populis, et linguis B. V. Maria fuit praedicata, d. 272 per totum.
Quomodo sit praedicanda B. V. Maria, d. 273 per totum.
Quam dulcis, quam salutaris sit laudatio, et salutatio B. M. Virginis, d. 274 per totum.
Virtutes quae maxime relucent in hac visitatione Elisabeth in B. M. Virgine:
Amor Dei, d. 287, n. 10, et seq.
Amor proximi, ibid. n. 15, et seq.
Religio, ibid. n. 25, et seq.
Humilitas, ibid. n. 34, et seq. et 336, n. 8.
Amor vitae solitariae, d. 287, n. 109.
Benedicta tu inter mulieres. Mulieres in gratiam B. M. Virginis quantas praerogativas obtinuerunt a Deo, d. 293, n. 8, et seq.
Et intravit in domum Zachariae. Quantam gaudiorum, ac beneficiorum segetem attulerit B. V. Maria in domum Zachariae, d. 295 per totum.

IN FESTO S. BONAVENTURAE

Quam devotus fuit erga B. M. Virginem, disc. 399, n. 93, et seq.
Apologia pro eodem, ibid. n. 94.

IN FESTO S. MARGARITAE

Simile est regnum coelorum thesauro, Matth. 13. Thesaurus pretiosus gratiarum, virtutum, donorum, meritorum fuit B. V. Maria, d. 300 per totum.
Exibunt angeli et separabunt malos de medio iustorum. B. V. Maria non separat malos a protectione sua, sed eis patrocinatur, d. 366 per totum.
Quibus peccatoribus patrocinetur, quibus non, disc. 367 per totum.
Et mittent eos in caminum ignis. B. V. Maria est consolatrix etiam eorum qui missi sunt in caminum ignis inferni, et quo sensu, d. 374 per totum.

IN FESTO S. MARIAE DE MONTE CARMELO

Origo huius festivitatis, d. 231, n. 12.
De Ordine carmelitarum, eiusque origine, ac nomine, disc. 238, n. 2, et seq.
De Ordine militari equitum Ordinis B. M. Virginis de monte Carmelo, d. 239, n. 9.
De confraternitate scapularis B. M. Virginis de monte Carmelo, d. 242 per totum.

IN FESTO S. MARIAE MAGDALENAE

Erat in civitate peccatrix, Luc. 7. B. V. Maria est refugium peccatorum, et quibus patrocinetur, quibus non, d. 366, et 367 per totum.
Osculabatur pedes eius, et unguento ungebat. Haec fuerunt obsequia Mariae Magdalenae Christo exhibita. Sed longe maiora obsequia B. V. Maria Christo in hac vita mortali degenti exhibuit, quae fuse recensentur disc. 306, n. 3, et seq.
Quis ergo eum plus diligit? Aestimo, cui plus donavit. B. V. Maria Deum plus omnibus creaturis dilexit, quia ab eo plura et maiora beneficia recepit, disc. 287, n. 10, et seq. et 308, n. 4, et seq.

IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI

Quam devotus fuerit erga B. M. Virginem, d. 386, n. 4
B. V. Maria ei apparet Caesaraugustae, ibid.

IN FESTO S. ANNAE MATRIS B. M. VIRGINIS

De s. Anna habes integros sermones d. 297, 298, et 299 per totum
De confraternitate s. Annae, d. 318, n. 8.

IN FESTO S. IGNATII FUNDATORIS SOCIETATIS IESU

Quanto amore complectebatur B. M. Virginem, disc. 399, n. 135.
Eius exemplo quam impense sit addicta B. M. Virgini Societas Iesu, d. 240, n. 17.

IN FESTO S. DOMINICI

Devotio eius erga B. M. Virginem quanta, d. 236, n. 3, et 237 per totum.
Favores, gratiae et privilegia a B. M. Virgine Ordini praedicatorum collata, d. 237 per totum.
Fructus quos in Ecclesia Dei Ordo s. Dominici produxit, et producere non desinit, d. 315 per totum.
S. p. Dominicus una cum fratribus ab angelis pascitur, disc. 237, n. 27, et seq.
Ipse gloriosus in coelis cum fratribus suis ad mensam sedet, ibid. n. 40.
A B. Virgine in multis instruitur, ibid. n. 47.
Eius vigiliae, ibid. n. 82.
Per B. Mariam Virginem a mortis periculo liberatur, ibid. n. 87.
Templorum fores ei sponte patent, ibid. n. 138.
Vestes eius compluviae omni humore vacuae, ibid. n. 139.
Ab angelis domum deducitur, ibid. n. 140, 141.
Ab angelo de Britania in Hispanias brevi tempore defertur, ibid. n. 112.
Numisma coelitus ei mittitur, ibid. n. 156.
Stigmata Christi ei miraculose imprimuntur, ibid. n. 191.
Imago eius fratribus a B. M. Virgine donata apud Surianum miraculis claret, ibid. n. 213, et seq.
Ex hac vita migrantem B. V. Maria in coelum deducit, ibid. n. 252.
Fratres suos pallio B. M. Virginis inumbratos in coelo videt, ibid. n. 265.
Salutationis angelicae ante concionem praemittendae fuit auctor, d. 249, n. 1.
Ipse, et non alii rosarii auctor extitit, d. 310 per totum, et 236, n. 5.
Dominicani beati quot, d. 316, n. 13.
S. p. Dominicus in evertendis haereticis quam strenuus, ibid. n. 21
Sacri palatii magister ipse primus fuit, ibid. n. 37.
Globulos precatorios ipse adinvenit, ibid. n. 48.

IN FESTO S. MARIAE AD NIVES

De hac festivitate, et eius origine, d. 230, n. 17.
Hoc festum dedicationis templi sanctae Mariae maioris Romae celebratur. Proinde poteris praedicare de templis in honorem B. M. Virginis extructis in variis occasionibus, et locis, d. 225 per totum.
Deinde quatenus B. V. Maria sit templum et domus Dei, d. 354, et 356 per totum.
Quomodo adumbrata fuit in templo Salomonis, disc. 355 per totum.

SUPER EVANGELIUM

Extollens vocem quaedam mulier, Luc. 11. Favores singulares mulieribus a Deo concessi ob amorem V. Matris, disc. 293, n. 7, 8, et seq.
Beatus venter qui te portavit. Quam beatus et quam honorabilis venter Mariae, d. 301 per totum.
Uterus Virginis quantam convenientiam habuerit cum sepulcro Domini, d. 232, n. 19, et seq.
Est tamen nobilior sepulcro Domini, ibid. n. 20.
Et ubera quae suxisti. B. V. Maria praeter unum Filium naturalem habet quoque alios filios adoptivos, ex quibus nonnullos uberibus suis lactat, d. 237, n. 11, et seq.

IN FESTO S. LAURENTII MARTYRIS

S. Laurentius in tormentis gaudebat confortatus a Deo: Bea-

ta Virgo Maria quoque martyres in cruciatibus confortabat, d. 370, n. 8, et seq.
Martyres in tormentis hilares, d. 395, n. 5.

IN ASSUMPTIONE B. M. VIRGINIS

De hac festivitate habes duos sermones integros, disc. 348, et 349.
De origine huius festivitatis, d. 229, n. 49.
De sodalitate B. M. Virginis in coelum assumptae, disc. 243, n. 11.
Haereticorum hanc festivitatem calumniantium naeniae, d. 230 per totum.
De reliquiis B. M. Virginis post eius in coelos assumptionem hic in terra relictis, d. 267 per totum.
Quot annis B. V. Maria post Christi ascensionem in coelum in terris superstes fuit, d. 385, n. 14.

SUPER EPISTOLAM

Qui creavit me requievit in tabernaculo meo, Eccli. 24. B. V. Maria fuit sedes Dei in qua Creator suus requievit, disc. 288, n. 14.
Quam excellens sedes Dei fuerit, d. 289 per totum.

SUPER EVANGELIUM

Maria optimam partem elegit, Luc. 10. B. V. Maria quoque optimam partem eligit, et in quibus, disc. 213, n. 11, et seq.
Optima pars Mariae, quod sit Regina omnium sanctorum, d. 412 per totum.
Optima pars Mariae, quod sit potens apud Deum, d. 275 per totum.
Optima pars Mariae, quod sit misericors erga nos, quod possit, et velit iuvare nos apud Dominum, d. 280, n. 5, et seq. et d. 281, et 415 per totum.
Optima pars Mariae, quod ex hoc saeculo migrantes suscipit.
Catalogus eorum quos B. V. Maria ex hoc saeculo migrantes ad coelum invitavit et deduxit, d. 237, n. 251, et seq.
Cavillationes haereticorum contra patrocinium B. M. Virginis diluuntur d. 404 per totum.
B. V. Maria assumpta est in coelum, quia ipsa tota fuit coelum, d. 289, n. 5.
B. Gryfonus Ordinis minorum solem miraculose ab occidente in orientem reflexit per invocationem B. M. Virginis in festo assumptionis eius in coelum, d. 367, n. 9.

IN FESTO S. HYACINTHI CONFESSORIS

Nolite portare aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, Matth. 10. Praedicatoribus pecunia coelitus subministratur, d. 237, n. 155, et seq.
S. Hyacinthi praedicatio quam late patens, et quam fructuosa, ibid. n. 233.
Alii beati praedicatores, qui siccis vestigiis fluvios pertransibant, ibid. n. 116, 117, 118, 119.
S. Hyacinthus quam studiose coluerit B. M. Virginem, d. 399, n. 48.
A B. M. Virgine in coelum deducitur, d. 237, n. 253.

IN FESTO S. BERNARDI CONFESSORIS

Divi Bernardi olim quanta fuerit auctoritas apud theologos, d. 229, n. 11.
Eius elogia, d. 240, n. 10.
Quam devotus fuerit erga B. Virginem, d. 399, n. 12, 13.
Apologia pro d. Bernardo, ibid. n. 14.
Castitatis fuit propugnator acerrimus, d. 405, n. 2.

IN FESTO S. BARTHOLOMAEI APOSTOLI

Et elegit duodecim ex ipsis, Luc. 6, scilicet apostolis. Dignitas apostolorum quanta, d. 385, n. 2, et seq.
Duodecim apostolorum numerus, (si Petrum demas) virginali pudicitia claruit, d. 401, n. 1, et seq.
Virtus de illo exibat, et sanabat omnes. Idem suo modo posse dici de B. M. Virgine ostenditur disc. 362, et 363 per totum.
Quos apostolos nominavit. Apostolus quid significet, d. 383 in praef.
Quod sit apostolorum Regina B. V. Maria probatur d. 385 per totum.

IN FESTO S. LUDOVICI REGIS

Exempla regum multum movent, ut ad pietatem, ita et ad impietatem, d. 381, n. 112.
Quanto studio coluit B. M. Virginem, ibid. n. 33.

IN FESTO S. AUGUSTINI DOCTORIS

Quam eximius Deiparae cultor fuerit, quid de ea scripserit, d. 388, n. 17.

IN NATIVITATE B. M. VIRGINIS

SUPER EVANGELIUM

Vide quae notavi in conceptione B. M. Virginis.
Quantam laetitiam sua nativitate B. V. Maria attulerit Deo, angelis, hominibus ac toti mundo, d. 292 per totum.
B. V. Maria quando nata est, velut stella matutina resplenduit, d. 361 per totum.

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRUCIS

Vide quae notavimus superius in festo inventionis s. Crucis.
Nunc princeps huius mundi, id est diabolus, *eiicietur foras*, Ioann. 12. Quam potens fuit B. Virgo Maria contra hunc principem, scilicet diabolum, d. 276 per totum.

IN FESTO S. MATTHAEI APOSTOLI ET EVANGELISTAE

Quare cum peccatoribus manducat magister vester? Matth. 9. Cur ad Christum, et ad eius Genitricem V. Mariam confugiant peccatores, d. 366.
Quorum peccatorum B. Virgo sit refugium ac munimen, et quorum non, d. 367 per totum.
S. Matthaeus apostolus quam impense coluerit B. M. Virginem, d. 386, n. 8.
S. Matthaeus hostia virginitatis appellatus, d. 402, n. 3.

IN FESTO TRANSLATIONIS S. STANISLAI EPISCOPI ET MARTYRIS

De cultu sacrarum reliquiarum, et translatione earum, d. 260, n. 20, et 268, n. 2, et seq.
S. Stanislaus pugnantibus Polonis cum Crucigeris in aere conspicitur pontificali habitu indutus, suos Polonos dimicantes confirmans, d. 377, n. 22.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI

Angeli eorum semper vident faciem Patris, etc. Angeli dominicanis beatis saepius cibum et potum subministrant, d. 237, n. 28, et seq.
Angelorum laetitia est B. V. Maria, d. 292, n. 5.
Angelorum Regina B. V. Maria ostenditur fuse discurrendo per omnes choros, et hierarchias angelorum, d. 379 per totum.

IN FESTO S. FRANCISCI CONFESSORIS

Quam impense B. V. Mariae fuerit addictus, d. 240, n. 16, et 399, n. 90.
Eius certamen pro castitate, d. 404, n. 4.

IN FESTO SANCTISSIMI ROSARII

De origine huius festivitatis, d. 231, n. 1, et seq.

De processionibus rosarii in honorem B. M. Virginis, et de caeremoniis in ea usurpari solitis, d. 260 per totum.
Occasione illius insignis victoriae de Torcarum exercitu hac die per intercessionem B. M. Virginis a christianis obtentae praedicare poteris de potentia B. M. Virginis, de qua multa invenies dicta in epitheto *Virgo potens*, d. 275.
Ulterius, assumpto themate ex Canticis Canticorum cap. 4: *Sicut turris David collum tuum*, etc. praedica quam fortis sit contra hostiles impetus B. V. Maria, d. 351, et 352 per totum, et d. 370, n. 15, et seq.
Praeterea quam potens sit *Auxiliatrix christianorum* B. V. Maria fuse ostenditur d. 377 per totum.
De rosario praedicaturus copiosam materiam habebis, d. 322, et seq.
De rosario qua confraternitas est, d. 310, et seq.

IN FESTO S. ORUNONIS CONFESSORIS

Fidissimus fuit B. M. Virginis famulus, d. 399, n. 35.

IN FESTO S. OIONYSII EPISCOPI ET MARTYRIS

Quam devotus fuerit B. M. Virgial, d. 388, n. 2.

IN FESTO S. LUCAE EVANGELISTAE

S. Lucas, et alii evangelistae a B. M. Virgine in multis edocti fuerunt, d. 385, o. 10.
Quantum B. M. Virginem honoraverit s. Lucas, ibid. n. 11.
In virginitate vixit, d. 404, n. 7.
Undecim imagines B. M. Virginis sua manu depinxit, d. 226, n. 6.

IN FESTO S. LUDOVICI BERTRANDI ORDINIS PRAEDICATORUM

Insignem de carne sua victoriam patrocinio Deiparae Virginis obtinet, d. 237, n. 77.
Auxilia beato Ludovico a Beata Dei Genitrice impensa, ibid. n. 92.
Ope eiusdem Dei Genitricis salutem animarum procurans ab imbre intactus manet, ibid.
Eidem temporalia bona divinitus subministrantur, ibid. n. 161.

IN FESTO SS. SIOONIS ET IUDAE APOSTOLORUM

Hi sancti apostoli quanto honore affecerint B. M. Virginem, d. 386, n. 9.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

Beati pauperes spiritu, Matth. 5. Paupertatis quam studiosissima fuit B. V. Maria, d. 211 per totum, et 287, o. 66, et seq.
Pauperum consolatrix Maria, disc. 369 per totum, et 382, n. 35.
Beati eritis, cum vos persecuti fuerint homines, et dixerint omne malum adversum vos. Quam egregie Deus suorum servorum famam per B. Virginem tutatus est, d. 237, o. 103, et seq.
Invocatio sanctorum, ac praecipue B. M. Virginis multis suadetur, d. 223, n. 1, et seq. et 413 per totum.
Quod sancti sciant preces nostras, d. 415 per totum.
Cavillationes haereticorum contra invocationem sanctorum diluuntur d. 414, et 416 per totum.
Sancti sunt athlantes orbis, d. 292, n. 12, et 366, n. 16.

IN DIE ANIMARUM

B. V. Maria est consolatrix afflictorum nedum in purgatorio, verum et in inferno detentorum, discur. 373, et 374 per totum.

IN FESTO S. CAROLI CONFESSORIS

Quam eximius fuerit cultor B. M. Virginis, d. 388, n. 27.

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Oculus intentionem significat. Quam recta intentio semper fuerit in B. Virgine, d. 214, 215, et 216.
B. Martinus in praemium suae devotionis erga B. Virginem ab ea frequenter visitari meruit, d. 388, n. 11.

IN FESTO POAESENTATIONIS

De origine festivitatis huius, d. 229, n. 26.
De imagine praesentationis B. M. Virginis, d. 227, n. 3.
Quae, quanta, qualisve fuerit devotio B. M. Virginis ante conceptum Deum et hominem, d. 305 per totum.
Quam eximia fuerit devotio B. M. Virginis, discur. 308 per totum.
In templo moranti B. M. Virgini angeli cibum ministrabant, d. 380, n. 5.
Quam sancte et inculpate semper vixit B. V. Maria, d. 382, n. 19.

IN FESTO S. CATHARINAE MARTYRIS

Quinque autem ex eis erant prudentes, Matth. 25. De prudentia, et actibus eius multa invenies d. 210 per totum.
B. V. Maria quam prudens fuerit late ostenditur disc. 211, et seq.
Quinque prudentes virgines sunt quinque sensus corporis bene custoditi a B. M. Virgine, d. 213, n. 4, et seq.
Acceperunt oleum in vasis suis. Quid significent vasa in Scriptura sacra, et quomodo B. V. Maria fuit vas spirituale quam pulcre ornatum, et quam honorabile, d. 300 per totum.
Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Quid oleum, et quid lampas ista significet, et quomodo eam B. V. Maria habuit, d. 218, n. 8, et seq.
Obviaverunt sponso, et sponsae. Quinam sancti et sanctae desponsatae fuerunt Christo per B. M. Virginem, d. 237, n. 176, et seq.

Praeter ista consule indi em rerum et verborum in nomine cuiuslibet sancti, aut festi.

DE COMMUNI SANCTORUM

De apostolis vide Regios spostolorum.
De martyribus vide Regina martyrum.
De confessoribus vide Regina confessorum.
De virginibus vide Regina virginum.
De sanctis in communi vide Regina sanctorum omnium.

Digitized by Google

INDEX

rerum quae hoc secundo volumine continentur

A

Abel

Abelis qualitates multae recensentur d. 382, n. 14.

Abraham

Abraham fuit rex, d. 378, n. 2.
Abrahae patriarchae encomia et virtutes, d. 382, n. 25, 26.

Academia

Academia a Salomone aedificata, d. 351, n. 2.
Academiae Ordini praedicatorum commissae, d. 316, n. 17.
S. Adelbertus per B. Virginem sanatus, d. 362, n. 6.

Adam et Eva

Adam et Eva lapsi sunt, quia in paradiso non orarunt, disc. 299, n. 19.
Per Mariam consolati sunt, d. 298, n. 2.
In gratiam Mariae non sunt annihilati, ibid.
Mente concipientes B. Virginem gaudebant, d. 297, n. 4.
Adam Christi incarnationem praevidit, d. 272, n. 7.
Salvatus et sanctus est, d. 382, n. 1.
Illius qualitates, ibid. n. 3.
Adami et Evae oratio ad Mariam, d. 297, n. 4.
Adami ossa in arca Noe, d. 357, n. 5.
Advocata nostra est B. V. Maria, d. 366, n. 13.
Advocatus et patronus in quo differant, ibid. n. 12.
Aedificia splendida et magnifica recensentur, d. 356, n. 16.
Aegidius Poncelanus per B. Virginem ad fidem reducitur, d. 237, n. 64.
Eum angeli ab impietate deterrent, ibid.
Aegyptii adhuc ethnici B. Virginem agnoverunt et coluerunt, d. 225, n. 7.
Aetates sex mundi expenduntur, d. 361, n. 6.
Aethiopes cur nigri, d. 357, n. 6.
Affectus reverentialis erga Deiparam Virginem quibus potissimum actibus declaretur, d. 222, n. 1, et seq.

B. Agatha a Cruce

B. Agatha a cruce a multis vitae periculis per B. Virginem liberatur, d. 237, n. 196.
B. Agatha a B. V. Maria scribendi peritiam accepit, ibid. n. 60.

B. Agnes de monte Politiano

B. Agnes Politiana Iesum infantem a B. Virgine accipit, ibid. n. 185.
Crucem auream ex collo infantis Iesu detraxit, ibid.

Agnus Dei

Agnes Zamorensis Christo desponsata, ibid. n. 182.
Agnus Dei Christus qua ratione dicatur peccata mundi tollere, d. 418 per totum.
Quibus modis preces invocantium se exaudiat, disc. 421 per totum.
Agoniam Christi in horto contemplari quam salubre, d. 340, n. 19.
Agrippinae amor erga Neronem, d. 393, n. 9.

B. Alanus

B. Alanus a daemonibus verberatus a B. Virgine liberatur, d. 237, n. 86.
Sacratissimi rosarii restaurator fuit, d. 314, n. 6, 11.
Illi apparuit B. Virgo, ibid. n. 6.
Quam B. Virgini dilectus, ibid. n. 7.
Apparuerunt illi Christus et s. Dominicus, ibid. n. 9, 10.
Responsio eius, ibid. n. 5.
Eius devotio erga V. Mariam, d. 222, n. 18.
Eius visionis interpretatio, d. 320, n. 5.
Illum B. Virgo sibi despondet, d. 237, n. 177.
Narratio illius, ibid.

B. Albertus magnus

B. Alberti magni aurea doctrina, d. 217, n. 8.
A B. Virgine ad Ordinem praedicatorum vocatus, disc. 237, n. 130.
Ab eadem B. Virgine scientiarum copiam accepit, ibid. n. 134, et d. 363, n. 2.
B. Alberto magno B. Virgo pro salutatione gratias agit, disc. 258, n. 10.
Albertus II imperator B. Virgini devotus, d. 381, n. 26.
Albertus austriacus B. Virgini ad stuporem addictus fuit, ibid. n. 91.
S. Albertus carmelita patrocinio B. Virginis annonam impetrat, d. 362, n. 2.
Eius intercessione sanantur infirmi a B. Virgine, ibid. n. 22.
B. Alberti monachi devotio, d. 323, n. 6.
Alcuini missarum ordinarium, d. 232, n. 10.

Albigenses

Albigenses unde dicti et orti, d. 315, n. 15.
Hostes Mariae, d. 278, n. 11.
Albigensium haeresis origo, d. 310, n. 15.
Quam late serpebat, d. 315, n. 11.
Quomodo cecidit, ibid. n. 19.

Alexander

Alexander Farnesius Parmae dux B. M. Virginis observantissimus, d. 381, n. 90.
Alexandri magni imago, d. 300, n. 15.
Illius fortitudo bellica, ibid.
Alexandri de Ales amor erga B. Virginem d. 221, n. 4.
Ob amorem Virginis fit franciscanus, d. 399, n. 96.
S. Alexium B. Virgo in templum introduxit, d. 224, n. 19.

Digitized by Google

Alphonsi reges

Alphonsus I Lusitaniae rex B. Virginis cliens fuit, d. 381, n. 64.
Alphonsus V B. Virginem impense coluit, ibid. n. 66.
Alphonsus XI quam fuerit devotus erga B. Virginem, ibid. n 42.
Alphonsus VIII ope B. M. Virginis ex Mauris victoriam reportavit, d. 377, n. 11.
Alphonsus IX Saracenos ope B. Virginis fugavit, ibid. n. 12.
Alphonsus VI quantus fuerit cultor B. M. Virginis, d. 381, n. 41.
Quam plus fuerit, ibid. n. 71.
B. Aloysii Gonzagae devotio erga B. Virginem, disc. 222, n. 21, 28.
Altaria cur in processione Corporis Christi collocentur in viis. d. 261, n. 20.
Altitudo B. Virginis in quo sita, d. 351, n. 2.
Altitudo clementiae B. M. Virginis, d. 281, n. 2.
B. Alvarus ab angelis portatus, d. 237, n. 149.
Super cappa fluvium transivit, ibid.
Amare B. Virginem cur nos voluerit Deus, d. 221, n. 2.
Quid ad hoc nos invitat, ibid. n. 3.
Ambulare Dei quid significet, d. 213, n. 3.

Amicus

Amicus verus quis sit, d. 284, n. 1, et 336, n. 10.
Amici ficti cuinam sunt similes, ibid. n. 3.
Amici veri hieroglyphicum, ibid. n. 5.

Amor

Amor Dei erga nos quantus, d. 337, n. 1.
In Virgine purus fuit et quatenus, d. 287, n. 12.
Continuus fuit, ibid. n. 13.
Erga proximum se prodit, ibid. n. 16.
Amor Mariae erga Filium quantus, d. 393, n. 11.
Erga suos clientes, d. 366, n. 9.
Erga fratres cistercienses, d. 214, n. 9.
Amor paupertatis in B. Virgine, d. 211, n. 7.
Amor coelestium unde tantus in Maria, d. 211, n. 16.
Amor virginitatis in Maria, d. 335, n. 23.
Anastasii abbatis narratio, d, 281, n. 10.
Anatolius a D. Virgine repulsus, d. 224, n. 9.

Andreas

S. Andreas quam eximie B. Virginem coluerit, d. 386, n 7.
Andreas dux ex Saracenorum principe victoriam reportavit ope B. Mariae, d 377, n. 9.
Andreas Moguerius de carne triumphat, d. 237, n. 76.
B. Andreae de Chio martyrium et constantia ope B. Virginis obtenta, d. 370, n. 0.
Andreae Musculi error, d. 419, n. 2.
Andronicus senior B. Virgini impense fuit addictus, d. 381, n. 13.
Iunior pariter, ibid. n. 14.
Andronicus senior imperator ope B. Virginis salutem obtinuit, d. 370, n. 17.

Angeli

Angeli Gabrielis ad Christum in horto agonizantem oratio, d. 340, n. 21.
Angeli sancti equitatus sunt Dei, d. 276, n. 11.
Angelorum exemplum venerandam B. Virginem ostendit, d. 219, n 5.
Valentiae imago B. Virginis ab angelis de incendio erepta, d. 226, n. 52.
Valentiae imago B. Virginis ab angelis de incendio erepta, ibid. n. 50.
Angelos imitari debemus, d. 248, n. 2.
B Virginem celebrant, d. 272, n. 3.
Sunt sedes Dei, d. 289, n. 2.
Gressus piorum numerant, d. 244, n. 22.
Responsorium canunt, d. 257, n. 6.
Deiparae antiphonam canunt, d. 236, n. 15.
B. Mariae cibum ministrabant, d. 237, n. 41, et 380, n. 5.
Quibusnam aliis cibum ministrarint, d. 237, n. 42, 43.
B. Mariae serviunt, d. 380, n 13.
Nunc in coelis Mariam una cum Christo adorant, disc. 219, n. 6.
Cur dicantur firmamentum, d. 288, n. 6.
Res nostras cognoscunt, d. 247, n. 13.
Dominicanos pascunt, d. 237, n. 28.
Illis victualia subministrant, ibid. n. 31.
Angelorum mater B. Virgo, d. 379, n. 1.
Eorum novem chori et officia, ibid. n. 3, 4.
Angelorum obsequia et harmonia circa Iesum mox natum, d. 337, n. 19, 20.
Angelorum iubilus post mortem B. Mariae, d. 348, n. 13.
Angelorum nomina et nominum significatio, d. 380, n. 11.
Angelorum laetitiae causa B. Virgo, d. 292, n. 5, et 346, n. 8.
Angelis collata fuit gratia ex meritis Christi, d. 379, n. 1.
Illis admiranda B. Virgo, ibid. n. 12.
Anglia quantum olim Deo et Ecclesiae devota fuerit, d. 381, n. 48.
Angores B. Virginis, d. 389, n. 12.
Animae oculus quis, d. 216, n. 1.
Per animam quid intelligitur, d. 252, n. 4.
Animadversio pernecessaria, d. 237, n. 102, et 319, n. 11.
Ex d. Thoma, d. 395, n. 8.
Anna Poloniae regina confraternitatem s. Annae promovit, d. 318, n. 8.
Annae prophetissae devotio ad Christum, d. 338, n. 16.

Annuntiatio B. Virginis

Annuntiationis B. M. Virginis imago quomodo exprimenda, d. 227, n. 6.
Annuntiationis B. M. Virginis festivitas quam sit celebris, d. 229, n. 32.
Origo festi huius, ibid. n. 22, 26.
Antiquitas, ibid. n. 27, 31.
Annulus desponsationis B. Virginis, d. 231, n. 5.
S. Anselmus B. Virginis cultor, d. 388, n. 25.
Sanatur a B. Virgine, d. 362, n. 15.

Antiphona

Antiphona, *Salve Regina*, cur semper in fine completorii a dominicanis decantetur, d. 236, n. 16.
Eam ipsa Virgo Maria multis gratiis ornat, d. 237, n. 217
Antiphonae unde ortum habeant, d. 235, n. 1.
Cur canatur ante et post psalmos, ibid.
Antiphonam *Sub tuum praesidium* recitans a praesenti mortis periculo liberatur, d. 256, n. 14.

Antiquitas

Antiquitas festorum B. M. Virginis, d. 229, n. 27, et seq.
De antiquitate rosarii opiniones, d. 323, n. 1.
Antiquitatis rosarii argumenta, d. 313, n. 9.
Antiquorum devotio erga B. Virginem quanta, discur. 223, n. 1.
Antiqua pretiosa, d. 321, n. 5.

S. Antoninus

S. Antoninus sanctitatis suae fama apostatam ad fidem convertit, d. 237, n. 62.
S. Antonini archiepiscopi florentini devotio et mors, d. 257, n. 7.

S. Antonius

S. Antonius cur se candidatum sistit iudici, d. 353, n. 5.
S. Antonius de Padua dictus arca testamenti, d. 300, n. 2.

Digitized by Google

Antonius de Rispolis apostata a fido per B. Virginem ad poenitentiam reducitur, d. 237, n. 63.
Antonius miles rosarii cultor eximius, d. 315, n. 18.

Apis

Apis cur dicta fuerit B. Maria, d. 211, n. 2.
Apes Eucharistiae templum conficiunt, d. 263, n. 16.

Apologia

Apologia pro s. Bernardo, d. 399, n. 14.
Apologia pro dominicanis in causa mortis Henrici II imperatoris, d. 237, n. 108.
Apologia pro s. Bonaventura, d. 390, n. 90.

Apostolus

Apostolus quid significet, d. 385 in praefatione.
Apostoli quotuplices sunt, et eorum dignitas, ibid. n. 1.
Sunt Dei ministri, ibid. n. 3.
Ex diversis mundi partibus ad funus B. M. Virginis miraculose conveniunt, d. 318, n. 3.
Ab angelis ad illud funus delati sunt, ibid.
Maiora miracula fecerunt quam Christus, d. 275, n. 13.
Non tamen fuerunt potentiores Christo, ibid.
Quomodo variis linguis loquebantur, d. 347, n. 9.
Apostolorum devotio et affectus erga B. Virginem, d. 386, n. 10.
Apostolorum somnus in horto quid denotat, d. 340, n. 22.

Apostrophe

Apostrophe ad Mariam, d. 335, n. 17, et 342, n. 14.
Ad Iesum mox natum, d. 337, n. 9.
Ad Christum, d. 311, n. 3.
Ad Christum crucifixum, d. 311, n. 12.
Apparitio Beatae Mariae s. Dominico in qua rosarium institui mandat, d. 236, n. 4.
Aqua lustrali B. Virgo dominicanos aspergit, d. 237, n. 81.
Aquila s. Medardo supervolans cum aliis suis a pluvia cooperuit, d. 372, n. 5.
Ara a Druidis erecta, d. 225, n. 4.
Arae deorum silentiariorum, d. 217, n. 18.
Arbor magna, alta, lata B. V. Maria, d. 366, n. 26.

Arca Dei

Arca Dei B. V. Maria, d. 357, n. 7.
Feminas impuras ante se non patiebatur, d. 358, n. 7.
Fures occultos prodebat, ibid.
Arx erat Israelitarum, ibid. n. 13.
Arca foederis quid erat, et quid continebat, d. 260, n. 21.
Deus fuit appellata, d. 358, n. 5.
Nullam impuritatem circa se patiebatur, ibid. n. 7.
In quanta veneratione fuerit, ibid. n. 9.
Miraculis coruscabat, ibid n. 11.
Saepius in supplicatione deportata, d. 265, n. 5.
In multis praefertur arcae Noe, d. 357, n. 3.
Arca veteris testamenti qualis erat, et quantae dignitatis, d. 230, n. 10.
In extremo die iudicii resurget, d. 372, n. 7.
Arca quatuor nominibus appellatur, d. 358, n. 1.
Arcae foederis comparatur B. V. Maria, ibid. n. 2.
Arcae veteris testamenti triumphans deductio in templum, d. 318, n. 18.
Arcae Noe B. Virgo comparatur, d. 246, n. 5.
Arcae Noe cum arca foederis comparatio, d. 357, n. 1.
Archiprophetissa est B. V. Maria, d. 383, n. 7.
Argonautarum templum, d. 225, n. 6.
Arthurus Britanniae rex quo affectu ferebatur erga B. Virginem, d. 387, n. 30.
Arundo cur Christo coronato in manu data sit, discur. 242, n. 8.
Ascensionis tempus, d. 346, n. 5.
Modus, ibid. n. 6.
Circumstantiae, ibid. n. 20.
Ecclesia congratulatur in assumptione B. Virginis, d. 221, n. 7.
Assumptionis B. Virginis in coelum convenientiae, d. 319, n. 5.
Antiquorum patrum testimoniis probatur, d. 230, n. 1.
Ex revelatione probatur, ibid. n. 4.
Magis triumphalis quam ascensio Christi in coelos, d. 348, n. 15.
Athlantes orbis quinam sint, d. 292, n. 2.
Attributa divina in B. Virgine relucent, d. 285, n. 3.
Avenionenses ope B. Virginis ab hostibus liberati, disc. 226, n. 36.
Averrois dictum de Aristotele, d. 287, n. 6.
S. Augustinus B. Virgini devotus, d. 388, n. 17.

Augustus Caesar

Augustus Caesar cur sub tempus nativitatis Christi populum numerarit, d. 337, n. 21.
Cur edictum ediderit de describendo universo orbe, ibid. et d. 378, n. 8.
Augusti Caesaris observantia erga Alexandrum magnum, d. 230, n. 11.
Cur sub Augusto Christus nasci voluit, d. 337, n. 23.
Avicennae salubre consilium, d. 287, n. 8.
Avicula ad invocationem Mariae ab interitu liberata, d. 274, n. 6.

Aurum

Aurum quid designet, d. 356, n. 1.
Quantae sit aestimationis apud homines, ibid. n. 2.
Auri qualitates et etymologia, ibid. n. 1.
Encomium, ibid. n. 5.
In auro nomen Dei scribebatur, d. 301, n. 2.
Auro comparatur Deus, d. 356, n. 4.
Aureolam martyrii B. Virgo habuit, d. 395, n. 13.
Item doctorum, d. 301, n. 27.
Aures suas quam probe custodierit B. Virgo, d. 213, n. 7.
Aurora cur B. Virgo dicatur, d. 214, n. 4.
Auctoris supplicatio ad B. Virginem, d. 237, n. 267.
Auctoris votum, d. 213, n. 11, 274, n. 11, et 287, n. 74.
Auctores historiae de Theophilo, d. 276, n. 22.
Auxilia B. M. Virginis b. Ludovico impensa, d. 237, n. 92.
Auxilia B. Mariae afflictis impensa, d. 281, n. 4.

B

P. Bannes s. Teresiae confessarius, encomiastes, et spiritus eius promotor, d. 317, n. 8.
A B. Virgine praemium accepit, ibid.
S. Bartholomaei devotio, d. 323, n. 1.
Basilica ab uno ex Magis B. Mariae extructa, d. 225, n. 9.
Basilius macedo imperator B. Virginis cultor fuit, d. 381, n. 15.
S. Basilii pietas erga B. Virginem, d. 388, n. 9.
S. Bathildis regina Galliae quanto amore B. Virginem coluerit, d. 381, n. 107.
Beatrici moniali favor exhibitus a B. Virgine, n. 222, n. 31.
Begardi et Beguinae a quibus convicti in Concilio viennensi, d. 316, n. 27.
Benedictio cinguli s. Thomae aquinatis, d. 237, n. 172.
Benedictini B. Virgini addicti, d. 399, n. 6.

Beneficium

Beneficia a Christo Iudaeis collata, d. 393, n. 26.
Beneficia per Christi ascensionem generi humano collata, d. 346, n. 13.
Beneficia Mariae in nos collata, d. 219, n. 20.
In genus humanum, d. 292, n. 11
Beneficia a B. Virgine in Ordinem praedicatorum collata, d. 237 per totum.

Beneficia corporalia ope B. Virginis obtenta, d. 281, n. 1.
Spiritualia item, ibid.
Beneficia quae rosarii confraternitas recipit, d. 320, n. 6.

B. Benevenuta

B. Benevenuta ab angelo pascitur, d. 237, n. 38.
Christum in manibus portavit, d. 337, n. 32.
B. Benevenutae visiones tempore *Salve Regina* habitae, disc. 237, n. 122.
B. Benevenutae Iesum infantem tractandum dedit B. Virgo, ibid. n. 187.
Berillus Virgini aptatur, d. 304, n. 25.

S. Bernardinus senensis

S. Bernardinus coronae B. Mariae cultor, d. 250, n. 6.
S. Bernardini devotio erga B. Virginem, d. 222, n. 11.
S. Bernardinum B. Virgo alloquitur, d. 228, n. 4.

S. Bernardus

S. Bernardus canticum *Salve Regina* illustravit, disc. 255, n. 4.
A B. Virgine salutatur, ibid.
Ab eadem sanatur, d. 362, n. 17.
Infantem Christum mox natum videre meruit, discur. 337, n. 31.
S. Bernardi oratio ad Vilhelmum Aquitaniae ducem, d. 261, n, 5.
S. Bernardi quanta fuerit olim auctoritas, d. 229, n. 14.
S. Bernardi laus, d. 210, n. 10.
S. Bernardo aegrotanti B. Virgo apparuit, d. 399, n. 12.
Bingae miraculosa imago Deiparae, d. 226, n. 55.
Bestiae Eucharistiae signa reverentiae exhibent, disc. 263, n. 15.

S. Birgitta

S. Birgittae visio, d. 225, n. 18.
Eiusdem revelationum auctoritas, disc. 276, n. 14, et 287, n. 69.
B. Birgitta dolores Christi sensit, d. 237, n. 201.
S. Birgitta Nericiae princeps quo affectu B. Virginem coluerit, d. 381, n. 108.

Blasphemi

Blasphemi in B. Virginem divinitus puniti, d. 358, n. 32.
Blasphemia in B. Virginem divinitus punita, d. 226, n. 31.
Blasphemia Copronymi in B. Virginem, d. 219, n. 1.
Blasphemiae Lutheri et Erasmi in B. Virginem, ibid. n. 2.
Bohemica rebellio, d. 327, n. 5.
Bombasti Paracelsi error refutatur d. 378, n. 5.

S. Bonaventura

S. Bonaventura confraternitatem confalonis instituit, d. 310, n. 13.
Quatenus auctor fuit trini pulsus pro salutatione angelica, d. 251, n. 3.
Versibus decoravit *Salve Regina*, d. 255, n. 6.
B. Bonaventurae B. Virgo librum donat, disc. 237, n. 175.
Bonifacius VIII primus rosarium indulgentiis ditavit, d. 313, n. 11.
Eiusdem corpus multis annis incorruptum, d. 387, n. 16.
S. Bonito B. Virgo casulam donat, d. 267, n. 36.
Apud Bononiam imago Deiparae qua occasione reposita, d. 226, n. 19.
Bonum quotuplex in oratione dominica petamus, disc. 325, n. 7.
Boni quotuplex ratio, d. 320, n. 1.
P. Bonvisi testimonium de s. Dominico, d. 237, n. 52.
Boves imaginem M. Virginis venerantur, d. 226, n. 64.
Brentius lutheranus taxatur, d. 378, n. 1.
Breviarium praedicatorum, d. 315, n. 4.
S. Bruno et carthusiani, d. 399, n. 35.
Bubulco apparet B. V. Maria, d. 226, n. 47.

C

Caeremoniae

Caeremoniae Ecclesiae sunt res sacrae, d. 260, n. 12.
Utiles et meritoriae, ibid.
Ad Dei cultum pertinentes, ibid.
Caeremoniae in coronatione regis, d. 342, n. 3.
Caesarii narratio pulcra de quadam moniali, d. 222, n. 33.
Calamitates constantinopolitanae urbis et imperii, disc. 381, n. 4.
Calamitates temporum quibus institutum fuit rosarium, disc. 315, n. 5.
Calcedonius B. Virgini adaptatur, d. 304, n. 19.
Calecutii sacellum Mariae quale, d. 225, n. 10.
S. Callisti papae studium in B. Virginem, d. 387, n. 2.

Calvinus

Calvinus peregrinationes impugnans, d. 234, n. 1.
Blasphemus in B. Virginem punitur, d. 358, n. 23.
Calvini prima impostura, d. 414, n. 2.
Calvini blasphemiae in catholicos, d. 245, n. 1.
Refutantur d. 247, n. 7.
Calumnia de communione manu sinistra, d. 237, n. 108.
Calumniae in b. Bonaventuram dominicanum, ibid. n. 113.
Campana sponte circumacta dominicanos periculi admonet, ibid. n. 100.
Campanae cur pulsantur in processionibus, d. 264, n. 21.
Candax Aethiopum regina templum B. Virgini extruxit, d, 225, n. 14.
Candela quomodo repraesentet Christum, d. 229, n. 40.
Candelabrum aureum B. V. Maria, d. 355, n. 18.
Candelabrum esse B. Mariam, d. 229, n. 41.
Canonici regulares B. Virgini addicti, eorumque instituta, d. 399, n. 2.

Canticum

Canticum divinum et excellentissimum B. M. Virginis, disc. 253, n. 19.
Canticum dulcissimum atque eruditissimum Mariae, ibidem, n. 5.
Cantici canticorum cum cantico mariano antithesis, ibidem, n. 4.
Cantica Canticorum de B. M. Virgine intelliguntur, d. 280, n. 23.
Cantica triumphalia diversorum, d. 253, n. 3.
Cantica Canticorum sunt epithalamium Christi et Ecclesiae, ibid. n. 4.
Canticum Mariae omnia cantica sacra continet, ibid. n. 10.
Cantus Ecclesiae probatur, d. 264, n. 18.
Carbunculus in fraeno equi regis Lusitaniae quam lucidus, d. 304, n. 19.

Caritas B. Virginis

Caritas B. Virginis, d. 211, n. 14, et 355, n. 21.
Erga Deum, d. 287, n. 10.
Quanta fuerit, d. 211, n. 14, 279, n. 14, et 308, n. 4.
Quam continua, d. 308, n. 19.
Caritas in visitatione Elisabeth, d. 336, n. 6.

Carmelitae

Carmelitae fratres Mariae, d. 321, n. 12.
Carmelitae cur fratres Mariae dicti et quando, d. 238, n. 3.
Quam studiosi B. M. Virginis, ibid. n. 6.
Quas gratias a B. Virgine acceperint, ibid. n. 7.
Carmelitae discalceati sanctissimi rosarii fructus, disc. 317, n. 8.
Carmelitarum mater B. Virgo, d. 238, n. 7.

Carmelitae templum B. Virgini extruxerunt in monte Carmelo, d. 225, n. 12.
Carmelitarum cracoviensium ecclesia imagine miraculosa B. Virginis ornata, d. 226, n. 62.
Carmelitarum Sabbatina, d. 232, n. 16.
Carmelitae in Polonia, d. 381, n. 56.
Carmen triumphale Mariae, d. 253, n. 3.
Carmen Virginis, ibid. n. 2.
Carnutense templum, d. 225, n. 5.
Carnutenses favore B. Virginis hostes straverunt, disc. 377, n. 14.
Caro quandonam exultet, d. 253, n. 10.
Caro B. Mariae unde odorifera, d. 309, n. 25.
Carnis afflictio pro acquirenda Dei gratia, d. 233, n. 9.

S. Carolus Borromaeus

Eius devotio erga B. Virginem, d. 222, n. 19.
S. Carolus agoniam Christi in horto contemplans sancte obiit, d. 340, n. 19.
Carolus magnus imperator B. Virgini addictus, discur. 381, n. 20.
Carolus archidux Austriae quanta pietate B. Virginem coluerit, ibid. n. 88.
Carolus Cunctator neapolitanus rex quo amore B. Virginem prosecutus sit, ibid. n. 74.
Carolus V imperator B. Virginis perquam studiosus, ibidem, n. 27.
Carolus V Galliae rex B. Virgini perquam devotus fuit, ibid. n. 35.
Carolus VII Galliae rex subsidio B. M. Virginis hostes fugavit, d. 377, n. 15.
Carolus VIII Galliae rex B. M. Virginis fuit observantissimus, d. 381, n. 36.
Carolus filius b. Birgittae in iudicio divino a B. Virgine fuit defensus, d. 272, n. 8.
Carolus Audax quam devotus fuerit B Virgini, disc. 381, n. 86.
Caroli IV imperatoris observantia erga dominicanos, d. 237, n. 109.
Caroli V erga praedicatores studium, d 316, n. 42.
Caroli s. Birgittae filii erga B. Virginem devotio, disc. 221, n. 8.
Carthusiani Ordinis studium erga B. V. Mariam, disc. 240, n. 7.
Carthusiani item devoti, d. 399, n. 35.
Casimiriae apud Cracoviam imago B. Virginis miraculosa, d. 226, n. 63.
S. Casimirus Poloniae princeps quo studio B. Virginem coluerit, d. 381, n. 76.
Eius devotio erga B. Virginem, d. 222, n. 27.

Castitas

Castitas dominicanorum, d. 237, n. 66.
Castitas odorem exhalat, d. 309, n. 27, et 355, n. 16.
Castitatis tuendae exempla, d. 237, n. 69.
Castitatem amet, qui B. Virginis patrocinium sentire cupit, d. 367, n. 15.
Castitatis symbolum ebur, d. 353, n. 14.
Cestochoviensis imago in Polonia omnibus imaginibus Beatae Virginis celebrior, d. 226, n. 58
Casula quam B. Virgo s. Ildephonso dedit, d. 232, n. 7.
Casus a quibus non possunt absolvere confessarii vigore rosarii, d. 319, n. 11.
Catalonia imagine miraculosa B. Virginis clara, disc. 226, n. 43.

S. Catharina senensis

S. Catharina senensis a B. Virgine lactata fuit, discur. 222, n. 14, et 237, n. 13.
Devotio eiusdem erga B. Virginem, d. 222, n. 14.
A B. M. Virgine in scientia erudita fuit, d. 237, n. 56.
Illius eruditio quanta, ibid.
Christo desponsatur, ibid. n. 176.
S. Catharinae senensis castitas, ibid. n. 72.
Illius sententia de B. Mariae potestate, d. 359, n. 13.
Eius stigmata, d. 237, n. 195.
Ob distractionem in devotione arguitur a B. Virgine, d. 281, n. 11.
B. Catharina Raconisia dolores Christi sensit, ibid. n. 180.
S. Catharina b. Birgittae filia quam fuerit devota Deiparae, d. 381, n. 109.
B. Catharina Ricci ab angelo edocta fuit quomodo recitandum sit rosarium, d. 237, n. 59.
B. Catharinae Ricci Iesum infantem dedit tractandum B. V. Maria, ibid. n. 138.
Catonis uticensis dictum, d. 217, n. 6.
Catonis Porcii elogium, d. 303, n. 1.
Cedrus arbor incorruptibilis, d. 230, n. 10.
Celebritas primae dominicae cuiuslibet mensis apud fratres praedicatores, d. 236, n. 12.
Celsus haereticus impugnatur, d. 376, n. 1.
Cera B. Mariam adumbrat, d. 229, n. 51.

Cereus

Cereus quid significet, d. 264, n. 6.
Cerei cur gestantur in processionibus, ibid.
Cur accendantur die purificationis B. M. Virginis, disc. 338, n. 5.
Cur in die purificationis benedicantur, d. 229, n. 47.
Cur die purificationis B. Mariae Virginis gestentur, ibid.
Quid nos doceant, ibid. n. 42.
Cur eos hac die accendimus, ibid. n. 45.
Cereorum usus in hac festivitate quam antiquus, ibid. n. 38.
Eorum gestatio quid admoneat, ibid. n. 43.
Hic usus ab haereticorum blasphemiis defenditur, ibid. n. 44.
Certamen Ioannis cum Christo, d. 336, n. 12.
Certamina varia pro virginitate, d. 401, n. 27.
Cervae romanorum imperatorum, d. 353, n. 9.
Cestochoviensis imago B. Virginis, d. 226, n. 11.
Concursus populi ad eam quantus, ibid. n. 12.
Omnibus aliis imaginibus celebrior, ibid. n. 58.
Cerinthus, d. 278, n. 6.
Chirographum quo se daemoni devoverat Theophilus, redditur, d. 276, n. 22.
Chlamyde cur Christus indutus fuerit, d. 342, n. 19.

Christianus

Christianus quis sit dicendus, d. 376, n. 2.
Christianorum encomia, d. 375, n. 2.
Christianorum primaevorum vita, d. 211, n. 1.

Christus

Christus infans cur dicatur vir, d. 288, n. 9.
Christus lampas B. Virginis, d. 216, n. 20.
Cur in cruce matrem vocavit mulierem, d. 287, n. 79.
In praesepio qualis, d. 377, n. 3.
Quid in praesepio doceat, ibid. n. 5.
Cur sub Augusto Caesare nasci voluit, d. 337, n. 23.
Christus est Augustus Caesar, ibid.
Cur media nocte nasci voluit, ibid. n. 26.
Cur hieme, ibid. n. 27.
Cur in Bethlehem et non in Ierusalem, cur in stabulo et non in diversorio, ibid. n. 28.
In humiliatione gradatim processit, d. 338, n. 3.
Semper medium amabat, d. 339, n. 11.
Cur oraverit in horto, d. 340, n. 4.
Cur in eo doluerit et tristatus sit, ibid. n. 7.
Cur moestus sit, d. 340, n. 8.
Cur paverit, ibid. n. 9.
Cur in faciem prociderit, ibid. n. 15.
Cur ter eandem orationem repetierit, ibid. n. 26.
Cur sanguine sudat, ibid. n. 18.
Comprehensus a militibus quam indigne tractatus, ibidem, n. 25.
Cur comprehendi et ligari voluerit, ibid.
Quot plagas acceperit, d. 341, n. 9.

Digitized by Google

Qualibus flagellis fuerit flagellatus, ibid.
Cur chlamyde et purpura indutus fuerit, d. 342, n. 19, 20.
Cur corona spinea coronatus, ibid.
Baiulans crucem b. Ignatio Loyolae apparuit, d. 343, n. 15.
An omnino nudus in cruce pependerit, d. 344, n. 2.
Cur in cruce mortuns sit, cur in campo, in aere, in loco foetenti, elevatus a terra, in meridie, die paschalis, inter latrones, ibid. n. 10.
Resurgit, d. 345, n. 5.
Post resurrectionem matri apparuit, ibid. n. 6.
Post resurrectionem matri suae apparere debuit, ibid. n. 8.
Ascendentis ad coelum gloria, d. 346, n. 3.
Ad dexteram Patris collocatus mox quid egerit, ibid. n. 11.
Cur ex monte Oliveti ascenderit, ibid. n. 23.
Cur die Iovis et in meridie, ibid. n. 21, 25.
B. Virginem ad coelos invitat, d. 348, n. 7.
B. M. Virgini in morte adfuit, et oculos eius clausit, ibidem, n. 8.
Hominibus ex hac vita transeuntibus apparet, ibid.
Cor post suam ascensionem B. Virginem in terris reliquerit, d. 348, n. 16.
Rex est, d. 378, n. 6.
Cur non fuerit ictus gladio, d. 389, n. 14.
Quot clavis fuerit affixus cruci, d. 391, n. 5.
Comparatur rori, d. 361, n. 15.
Cur Agnus Dei dicatur, d. 417 per totum.
Christi religio et mores in infantia, d. 339, n. 2, 3.
Mendicitas, ibid. n. 6.
Humilitas, ibid. n. 17.
Christi humiliatio in oblatione, d. 338, n. 1.
Obsequia eius parentibus exhibita, d. 339, n. 18.
Cronica capuccinorum, d. 223, n. 12.
Chrysolithus B. Mariae adaptatur, d. 301, n. 21.
Chrysopasus B. Virgini adaptatur, ibid. n. 27.
Cilicium B. Virgo gestavit, d. 287, n. 168.
Cilicii gestatio in honorem B. Virginis, d. 233, n. 6.
Cingulus a B. Virgine datus Stephano Ordinis cisterciensis, d. 399, n. 18.
Cingulus s. Thomae qualis et ubi nunc asservatur, d. 237, n. 172.
Cinnamomo B. Virgo comparatur, d. 308, n. 6.
Circumcisioni Christi interfuit B. Virgo, d. 287, n. 56.

Cistercienses

Cisterciensis Ordinis origo, et studium erga B. Virginem, d. 240, n. 8.
Cistercienses B. Virgo protexit ab Innocentio III, ibid. n. 11.
A Friderico imperatore, ibid. n. 12.
A calumniatore, ibid. n. 13.
Cistercienses sub pallio B. Virginis, ibid.
Eis apparet B. Virgo, ibid. n. 11.
Cisterciensium candidus habitus unde, d. 399, n. 17.
Cisterciensium quorumdam erga B. Virginem eximia devotio, d. 244, n. 15, 16.
Civitas refugii B. V. Maria, d. 366, n. 17.
Claromontanae Virginis miracula, d. 228, n. 16.
Clarus Landorinus a sicariis ad necem cum prosequentibus ope B. Virginis liberatus, d. 237, n. 91.
Clavi quibus fuit cruci Christi affixa Maria, d. 391, n. 5

Clementia

Clementia quid sit, d. 280, n. 1.
Clementia B. V. Mariae, d. 282, n. 3.
Diabolum fugat, d. 279, n. 12.
Illius profunditas, d. 281, n. 3.
B. Virgini innata, d. 212, n. 3.
Clementiae et caritatis B. V. Mariae exempla, d. 380, n. 3.
Clerici congregationis Matris Dei, d. 238, n. 18.
Clerici pauperes congregationis Matris scholarum piarum, ibid. n. 19.
Clypeus unde dictus, d. 352, n. 9.
Cognatio inter B. Mariam et Elisabeth qualis, d. 293, n. 2.
Cognitio sui ipsius quanta bona parist, d. 286, n. 3
Collum cur dicta B. Virgo, d. 358, n. 4.

Coelum-coelestia

Coelestia cogitare debemus, d. 346, n. 19.
Coelestini papae studium in Virginem, d. 387, n. 5.
Coelestium amor unde tantus in Maria, d. 211, n. 16.
Coelum sedes est Dei, d. 289, n. 1.
Coelum semper aspiciendum, d. 346, n. 23.
Coelo comparatur B. V. Maria, d. 289, n. 5.

B. Columba

B. Columba mediolanensis a B. Virgine sanatur, d. 237, n. 250.
B. Columba mysterium nativitatis Christi in spiritu vidit, ib. n. 33.
B. Columba Trocasani dolores Christi sensit, disc. 237, n. 204.
B. Columbae panis et pecunia coelitus donantur, ibid. n. 162.
B. Columbae Iesum infantem dedit tractandum B. V. Maria, ibid. n. 188.
B. Columbae pro castitate certamen, d. 237, n. 79.
Columna coeli Maria, d. 292, n. 12.
Comitatus B. Mariae in coelum ascendentis qualis, d. 348, n. 20.
Complexio Christi qualis erat, d. 393, n. 22.
Comprehensio Christi in horto quam crudelis et ignominiosa, d. 340, n. 25.

Conceptio

Conceptio B. M. Virginis qualis ab Ecclesia colitur, cur mira dicatur, d. 229, n. 14, 15.
Qualis fuerit, ibid. n. 5.
Ab angelo nuntiata, d. 380, n. 2.
Conceptionis imago quomodo corrigenda, d. 227, n. 2.
Cur tempore adventus Domini celebratur festum conceptionis, d. 229, n. 18.
Concentus insignis et mirabilis B. M. Virginis, d. 258, n. 8.
Concilium tridentinum sanctissimi rosarii fructus tradit, d. 317, n. 6.
Conciones sabbatinae, d. 236, n. 13.
Concionatores regum ex dominicanis, d. 316, n. 16.
Concionatores fidelium precibus egent, d. 315, n. 27.
Concubinae intelliguntur infideles, d. 272, n. 52.
Confalonis confraternitas quatenus prima rosario, disc. 310, n. 13.
Confessariorum in rosario auctoritas quanta, d. 319, n. 11.
Confessio catholica de B. M. Virgine, d. 230, n. 14.
Confessionis augustanae mendacium, d. 420, n. 7.

Confraternitas

Confraternitas scapularis B. M. Virginis de monte Carmelo, d. 242 per totum.
Confraternitas s. Annae a quo instituta, d. 318, n. 8.
Confraternitates natae ex rosario quae et quot, ibid. n. 1, et seq.
Ex rosario occasionem nascendi sumpserunt, ibid. n. 9.
Confraternitas SS. nominis Iesu, ibid. n. 4.
Confraternitatum fructus in Ecclesia, d. 210, n. 21, 300, n. 9, et 318, n. 1.
Confraternitatum saecularium origo, d. 211, n. 4.
Confratres cur in camisiis, seu cappis in processionibus praecedant, d. 260, n. 19.
Confratres rosarii cur in matricula inscribantur, disc. 350, n. 19.
Congratulari B. Virgini quid sit, d. 221, n. 5.
Congratulari quid sit, d. 293, n. 2.
Congratulatio quam grata sit B. Virgini, d. 221, n. 6.
Congregatio sororum sub titulo visitationis B. M. Virginis, d. 238, n. 17.
Coniunctio Mariae cum Christo quanta, d. 220, n. 12.
B. Conradus cisterciensis abbas dominicanis valde addictus, d. 237, n. 168.

Digitized by Google

Consensus omnium christianorum fidelium in B. Virgine colenda, d. 219 per totum.
Consilium B. Virginis quale fuerit in virginitate colenda, d. 213, n. 13.

Consolatio

Consolationum perceptarum per Mariam argumenta, d. 370, n. 21.
Consolator mundi Christus, d. 368, n. 1.
Consolatrix apostolorum B. V. Maria, d. 385, n. 5.
Consolatrix afflictorum in purgatorio B. V. Maria, disc. 373, n. 3.
Consolatrix pauperum Maria, d. 369, n. 3.
Constantinopolis initia et pristina gloria, d. 381, n. 3.
Ope B. Virginis a Persis et a Saracenis liberata, d. 377, n. 6, 7.
Auxilio Dei Genitricis ab hostibus saepius liberata, d. 270, n. 25.

Constantinus magnus

Constantinus magnus quantopere B. Mariam coluerit, disc. 381, n. 3.
Constantini matris munificentia et pietas in templorum erectione, d. 225, n. 16.
Constantinus Copronymus, d. 278, n. 8.

Contemplatio

Contemplatio B. Mariae quam continua, d. 308, n. 10.
Etiam in somno, ibid. n. 5.
Contemplatio mysterii baiulationis crucis Christi quam salutaris, d. 343, n. 15.
Contemplatio sanctorum et philosophorum in quo differat, d. 334, n. 2.
Contemplationis B. M. Virginis puncta, d. 212, n. 3.
Contemplatores praecipui passionis Christi, d. 394, n. 10.
Convenientia assumptionis B. M. Virginis in coelum probatur, d. 230, n. 8.
Coppesteini censura severa in Origenem, d. 389, n. 8.
Copronymi in B. Virginem blasphemia, d. 219, n. 1.
Punitur, d. 358, n. 33.
Cor B. Virginis in passione Filii, d. 396, n. 5.
Cor quomodo custodiendum, d. 213, n. 2.
Corcutus Turcarum *Bassà* ope B. Virginis convalescit, disc. 281, n. 7.
Coriolanus precibus matris placatur, d. 282, n. 10.
Cornicula Ioanni theutonico numisma argenteum affert, d. 237, n. 159

Corona

Corona spinea cur coronatus sit Christus, et quid ea doceat, d. 342, n. 21.
Corona B. M. Virginis diabolum fugat, d. 259, n. 16.
Corona non est idem quod rosarium, ibid. n. 3.
Coronae B. M. Virginis auctor quis, ibid. n. 4.
Quam grata sit eius recitatio, ibid. n. 11.

Corpus

Corpus B. Mariae in morte quale fuerit, d. 348, n. 10.
Quam purum et castum, d. 358, n. 17.
Corpus humanum est vas, d. 300, n. 1.
Anima, ibid.
Corpora sanctorum, quae putredo non laesit, d. 230, n. 11.
Cosmanam ab ingressu sepulcri Domini arcet B. Virgo, d. 281, n. 10
Cracoviensis civitatis erga B. Virginem mira devotio, d. 226, n. 60.
Cruciatus Mariae maiores fuere, quam aliorum martyrum, d. 392, n. 1.
Crucifixio Christi quam dolorosa et aspectu horribilis, disc. 344, n. 4.
Crucifixi imago b. Ludovicum a morte tuetur, discur. 237, n. 92.
Dominicanos alloquitur et periculi monet, ibid. n. 99.
Crucigerorum pietas in extruendis templis Deiparae, d. 225, n. 18.

Crux

Crux Christi qua ratione adoratur, d. 220, n. 10.
Crux Christi quam alta, d. 393, n. 20.
Crux in processionibus cur praeferatur, d. 260, n. 13.
Crux omnia sanctificat, d. 330, n. 3.
Est christianorum gloria, ibid. n. 7.
Diabolum fugat, ibid. n. 10.
Crucis cum Deipara comparatio, d. 220, n. 9.

Cultor — cultus

Cultor verus B. Virginis quis, d. 399, n. 149.
Cultor B. Virginis qualis esse debeat, d. 223, n. 14.
Cultores B. Virginis nostro saeculo quales, ibid. n. 1.
Cultus venereus qualis, d. 213, n. 8.
Cultus omnium creaturarum erga B. V. Mariam, disc. 219, n. 17.
Cultus Mariae servos Dei ostendit, ibid. n. 23.
Cultus in quo fundetur, d. 220, n. 1.
Cultus divinus in quo consistit, ibid. n. 3.
Cultus duliae quid, et cur sanctis exhibeatur, ibid. n. 4.
Cultus hyperduliae cuinam exhibetur, ibid. n. 5.
Cultus exterior idem exhibetur Deo et sanctis, ibid. n. 6.
Cultus latriae, hyperduliae, duliae quomodo differant, ibid.
Cultus B. Mariae exaggeratur, ibid. n. 7.
Cultus Dei in spiritu et veritate quid sit, d. 270, n. 3.
De cultu intermisso B. Virginis exempla, d. 223, n. 10.
Custos B. Virginis quis fuerit, d. 213, n. 2.
Cypressus et cedrus incorruptibiles, d. 230, n. 10.
Cyprianus ex mago ope B. Virginis christianus factus, disc. 370, n. 16.
Cyriacus abbas, d. 284, n. 14.
S. Cyrillus alexandrinus B. Virginis propugnator, d. 388, n. 12.
Cythara B. M. Virginis perfectissime temperata, disc. 253, n. 14.

D

Daemon

Daemon alapam dat cuidam, qui ad, *Et homo factus est*, genua non flexit, d. 337, n. 22.
In caput s. Dominici immane saxum proiicit, d. 237, n. 88.
Dominicanos dissipare conatur terroribus, ibid. n. 83.
Quomodo a B. Virgine vincatur, d. 276, n. 10.
A daemonis potestate liberat B. Virgo, d. 370, n. 15.
Daemones cur throni dici non possint, d. 289, n. 12.
Daemonibus terribilis Maria, d. 361, n. 11.
Dalechampius taxatur, d. 309, n. 1.
Damnati quomodo a B. Virgine solationem recipiant, d. 371, n. 3.
Damnati quidam quomodo a B. Virgine fuerint liberati, ibid. n. 6.
Quinam precibus sanctorum ex inferno liberati, ibid. n. 7.
Damnati citra condignum puniuntur, ibid. n. 12.
In die assumptionis omnes damnati sentiunt refrigerium, ib. n. 13.
David quam dives fuerit, d. 355, n. 3.
Dea est B. V. Maria, sed quomodo, d. 358, n. 6.
Debitores sumus Deo et quamobrem, d. 325, n. 7.
Deliberandum est in arduis rebus, d. 215, n. 3.
Delphicus tripus quis, d. 353, n. 25.
Denudatio Christi ante crucifixionem quam acerba, d. 311, n. 2.
Depositio Christi de cruce quomodo facta, d. 398, n. 1.

Devotio

Devotio in quo consistat, d. 307, n. 2

Digitized by Google

Devotio largo modo sumpta quid sit, d. 305, n. 1.
Quot modis sumatur, ibid.
Quid sit, ibid.
Vera unde nascatur, ibid. n. 8.
Devotio B. Mariae erga Filium suum quanta, d. 287, n. 33.
In opere textorio, d. 305, n. 8.
In angeli exceptione, ibid. n. 10.
In assensu ad legationem angeli, ibid. n. 13.
Post partum, et in mysterii incarnationis meditatione, d. 306, n. 1, 2, et 333, n. 25.
In observatione legis divinae, d. 306, n. 11
In observatione divinorum mandatorum, d. 307, n. 2.
In peregrinatione ad loca sacra, ibid. n. 4.
In oratione et sacramentorum frequentatione, ibid. n. 8.
In Eucharistiae quotidiana sumptione, ibid. n. 10.
In obsequiis Christo exhibitis, d. 308, n. 11.
In custodia a peccatis, ibid. n. 14.
In assensu ad legationem angeli quanta, d. 333, n. 26.
In purificatione et oblatione Filii in templo, d. 338, n. 12.
Devotio s. Thomae cantuariensis erga B. Virginem, d. 388, n. 24.
Devotio Ordinis praedicatorum erga B. Virginem, disc. 222, n. 11.
Devotio omnium gentium erga B. Virginem, disc. 222 per totum.
Devotio antiquorum erga B. Virginem, d. 224, n. 1.
Devotionis quantitas unde pensatur, d. 308, n. 2.
Devoti quinam dicantur, d. 305, n. 2.

Deus

Deus quid sit ex s. Augustino, d. 335, n. 2
Quid ex d. Gregorio nazianzeno, ibid. n. 3.
Loquutus est ad Mariam, d. 335, n. 17.
B. Virginem celebrat, d. 272, n. 2.
Generi humano per B. Virginem placatus est, d. 282, n. 5.
Sanctorum et Mariae precibus non semper placatur, d. 281, n. 10.
Omnes gratias omnium creaturarum congessit in Mariam, d. 303, n. 5.
Deum humanitas in terram descendere fecit, d. 279, n. 3.
Dei dignatio quanta, d. 335, n. 3.
Sermo ad Gabrielem qualis, ibid. n. 5.
Deorum silentiariorum arae, d. 217, n. 18.
Dii alieni quinam sint, d. 270, n. 3

Diabolus

Diabolus quomodo per Mariam Virginem ocaisus, disc. 279, n. 11.
Cur crucem timeat, d. 260, n. 16.
Quantum formidet devotos Mariae, d. 358, n. 12.
Cur stultus, d. 218, n. 12.
Simia Dei est, d. 265, n. 10.
Semper honorem Dei sibi usurpat, d. 266, n. 2.
Illius superbia et crudelitas quanta, ibid.
Imaginibus B. Virginis maxime est offensus, d. 228, n. 6.
Diaboli interemptrix Maria, et quomodo, disc. 291, n. 6.
Diaboli stratagemata notantur, d. 215, n. 2.
Dialogus inter Christum patientem et Mariam, discur. 343, n. 13.
S. Didacus B. Virgini addictus, d. 222, n. 20.
Frater Didacus Thomas mysterium Christi nativitatis vidit, d. 337, n. 34.
Dignitas parentum Christi quanta, d. 298, n. 10.
Dignitas B. Virginis undecumque eam spectes, discur. 219, n. 18.
Dilectionis inimicorum exempla, d. 287, n. 24.

S. Dionysius areopagita

S. Dionysius B. Mariam pene deam censet, d. 309, n. 17.
Pro regno Franciae B. Virginem orat, d. 275, n. 11.
Eius de gravitate B. Virginis testimonium, d. 388, n. 2.
Eiusdem testimonium de assumptione B. M. Virginis in coelum, d. 230, n. 1.
Eiusdem sententia de B. Virgine, d. 287, n. 96.
Disciplina horrenda B. Ludovici pro conservanda castitate, d. 237, n. 77.
Disciplina Conradini brixiensis, ibid. n. 78.
Discipulus Mariae qualis esse debeat, d. 212, n. 11.
Quis optimus, ibid. n. 12.
Divisio templi Salomon in partes, d. 355, n. 12.

Doctor — doctrina

Doctores instruuntur per B. Virginem, d. 300, n. 8.
Doctorum aureolam habet B. Virgo, d. 304, n. 27.
Doctores quot fuerint ex Ordine s. Benedicti, d. 240, n. 4.
Doctrina evangelica B. M. Virginis, d. 253, n. 15.
Doctrina aurea b. Alberti magni, d. 217, n. 8.
Doctrinae christianae modus a s. Francisco Xaverio servatus, d. 222, n. 25.
Documenta ex cantico *Magnificat*, d. 253, n. 15.
Dolor de filiorum morte quam magnus sit, d. 393, n. 4.

Dolores B. M. Virginis

Dolor B. M. Virginis in flagellatione Christi quantus, d. 341, n. 15.
In Christi coronatione, d. 362, n. 7.
Dolor Mariae ex amisso puero Iesu, d. 339, n. 7.
Dolor Mariae in baiulatione crucis a Christo, d. 343, n. 13
Post Christi mortem, d. 344, n. 21.
Post illius depositionem de cruce, ibid. n. 22.
Dolor B. Virginis unde, d. 340, n. 2.
Dolores Christi quinam senserint, d. 237, n. 199.
Dolores Mariae varie appellati, d. 389, n. 4.
Dolor Virginis in Christi passione, ibid. n. 15, et disc. 393, n. 1.
Recogitandi, ibid. n. 30.
Dolores B. M. Virginis in comprehensione Christi quanti fuerint, d. 340, n. 27.
Dolores B. M. Virginis recensentur, d. 287, n. 119.

Dominicani

Dominicanae sorores Christo desponsatae, d. 237, n. 181.
Quae Iesum infantem tractarunt, ibid. n. 184.
Dominicani fratres Virginis Mariae dicti, d. 236, n. 2.
Filii speciales, d. 237, n. 6.
Fratres, ibid. n. 4.
Pomposi taxantur, ibid. n. 25.
Pascuntur ab angelis, ibid. n. 28.
Cur antiquam illam de conceptione B. Virginis opinionem tutati sint, d. 237, n. 116.
Illorum persecutio ob hanc opinionem, ibid.
Multas iniuste passi sunt iniurias propter Henrici VII mortem, ibid. n. 108
Eas B. Virgo abstersit, ibid.
Eadem pro dominicanis orat, d. 255, n. 11.
Cur manu sinistra communicant, d. 237, n. 108
In persecutionibus fortes, ibid. n. 122.
Quinam ad hunc Ordinem a B. Virgine fuerint vocati, ibid. n. 124.
Quam late per orbem evangelium praedicant, ibid. n. 234
Quos B. Virgo mortis hora suo conspectu dignata sit, quinam fuerint, ibid. n. 257.
Sub pallio B. Virginis, ibid. n. 265.
Omnia merita B. Virgini accepta referunt, d. 300, n. 7
Illorum devotio erga Mariam Virginem, ibid.
Haereticorum tela eludunt, et conversioni gentium sedulo vacant, d. 316, n. 38.
In America praedicaverunt primi, ibid. n. 42
Carmelitarum regulam ordinant, d. 317, n. 2.
S. Teresiam in negotio reformationis iuvant, ibid.
Primi in novum orbem navigant, ibid. n. 10.
Sanctissimi Nominis Iesu cultores praecipui, d. 318, n. 4.
Sinarum regnum primi adeunt, d. 316, n. 43.

Armenos in fide vera conservant, ibid. n. 44.
Per rosarium crescunt et florent, d. 213, n. 1.
Quam late per orbem dispersi, ibid. n. 3, 4.
Prisci promotores rosarii fueruot, disc. 310, n. 15, et 313, n. 5.
Quot beati, d. 316, n. 13.
Concilium tridentinum conscribunt, at eorum numerus, ibid. n. 21.
Praesules, ibid. n. 14.
Haeretimastigae, ibid. n. 23.
Begados et Beguinas conviocunt in Concilio viennensi, ibid. n. 27.
Schisma Ecclesiae tolluat, ibid. n. 29.
Quinam primi Luthero sese opposuerint, ibid. n. 33.
Eius libros ot statuam Romae publice comburunt, ibid.
In Concilio tridentino quam strenue se gesseriot, ibid. n. 34.
Dominicanorum privilegium circa conferentias de conceptione B. Virginis, d. 229, n. 13.
Eorum erga mysterium incarnationis reverentia, ibid. n. 33.
Eorum studium erga carmelitas, d. 231, n. 13.
Erga B. V. Mariam, d. 236, n. 2, et 300, n. 7.
Eorum pietas erga B. Virginem, ibid.
Quanta sit, ibid n. 9.
Illorum certamina cum daemone, d. 237, n. 83.
Eorum famam daemon per malignos denigrare satagit, ibid. n. 163.
Illorum aemuli, ibid. n. 107.
Eorum hostes, ibid. n. 120.
Eorum devotio ad *Salve Regina* unde orta, d. 255, n. 10.
Eorum obtrectatores taxantur, ibid. n. 11.
Dominicanorum theologorum numerus, d. 316, n. 18.
Qualitatea, ibid. n 38.
Dominicanorum priscorum erga rosarium quanta devotio, d. 318, n. 1.
Eorum expeditio in novum orbem, d. 316, n 6.
Labores, ibid.
Eorum labores in Anglia, ibid. n. 85.

S. Dominicus

S. Dominicus quot haereticos in sola Lombardia convertit, d. 236, n. 5.
Accipit rosarium a B. Virgine, ibid n. 4.
A B Virgine uberibus lactatur, d 237, n. 12.
Aquam in vinum convertit, ibid. n. 31.
Iam gloriosus cum fratribus suis ad mensam sedit, ibid. n. 40.
A B Virgine eruditus, ibid. n. 47.
Spe auxilii B. Virginis ineptos ad praedicandum mittit felici successu, ibid. n. 52.
Auctor salutationis angelicae ante concionem recitandae, d. 249, n. 1.
Castus in igne se iaciens non exuritur, d. 237, n. 69.
Per B. Virginem a mortis periculo liberatur, ibid. n. 87.
Ab angelis domum deductus, ibid. n. 140.
Ab angelo de Britannia in Hispanias defertur, ibid. n. 142.
Stigmata Christi accepit, ibid. n. 191.
Fratres suos *Salve Regina* cantantes aqua lustrali aspergit, ibid. n. 232.
S Teresiae apparuit, d. 317, n. 8.
Sanctissimi Nominis Iesu cultor praecipuus, d. 318, n. 4.
Ei apparuit Beata Virgo, d. 310, n. 15.
Rosarium tradit, ibid.
Rosarium instituit, d. 236, n. 5.
Auctor rosarii, d. 316, n. 1
Christum mundum perdere volentem videt, d. 315, n. 12.
Ecclesiam lateranensem lapsantem sustentat, ibid. n. 13.
In evertendis haereticis quam strenuus, d. 316, n. 24.
S. Dominici erga B. Virginem quanta pietas et devotio, disc. 236, n. 3.
S. Dominici vigiliae, d. 237, n. 82.
S. Dominici imago nostris a B. Virgine traditur, ibid. n. 213.
Dominici Boetici fama a B. Virgine defensa, ibid. n. 115.
Dominium Mariae, d. 220, n. 11.
Donativa Christi, d. 378, n. 16.
Dominus tecum verba B. M. Virgini omnium gratissima, d. 245, n. 6.
Domos quando Deus habere coepit, at quot in novo testamento habeat, d. 354, n. 1.
Domus Dei est B. V. Maria, ibid. n. 4.
Domus eburneae quomodo dicantur, d. 353, n. 1
S. Dorothea rosas tempore brumae Theophilo mittit, d. 309, n. 16.
Draco auxilio Deiparae extinguitur, d. 226, n. 22.
Druidae quinam fuerint, d. 225, n. 4.
Dubitatio qualis fuerit in B. Virgine, d. 389, n. 8.
Duces belli per B. Virginem ex hostibus victoriam obtinent, d. 377, n. 1.
Ad devotionem erga Virginem invitantur, ibid. n. 28.

E

Ebion haereticus, d. 278, n. 6.
Ebur castitatem adumbrat, d. 353, n. 14.

Ecclesia

Ecclesia congratulatur Virgini in festo assumptionis eius, d. 221, n. 7.
Cur celebret festum conceptionis B. M. Virginis, disc. 229, n. 16.
Cur tempore adventus, ibid. n. 18.
Est sedes Dei, d. 289, n. 4.
In una persona consistere non valet, d. 232, n. 16.
Ecclesia B. Mariae de spasmo, d. 397, n. 3.
Ecclesiae romanae studium erga B. Virginem, d. 235, n. 7.

S. Edmundus

S. Edmundus ob intermissum cultum a B. Virgine reprehensus, d. 223, n. 13.
Ob emissam solitam precationem a s. Ioanne evangelista reprehenditur, d. 259, n. 28.
B. Virginis quantus cultor, d. 388, n. 21.
S. Eduardus Angliae rex B. Virginis cultor eximius, d. 381, n. 50.
Effigies B. Virginis, d. 287, n. 98.
Eleemosyna dominicanis collata miraculo illustratur, d. 237, n. 44.
Eleemosynam largientibus pecunia divinitus subministratur, ibid. n. 163.
Elephantis encomium, d. 353, n. 1.
Elephanti cur comparetur B. Virgo, ibid. n. 2.
Elias cur mortuus non sit, d. 274, n. 8.
S. Eligii monitio, d. 330, n. 10.
S. Elisabeth Lusitaniae regina quam pia fuerit erga B. Virginem, d. 381, n. 102.
S. Elisabeth Hungariae studium erga B. M. Virginem, ibid. n. 103.
Elisabeth prophetissa fuit, d. 295, n. 6.
Cur addidit *Benedictus* etc. d. 244, n. 2.
Elogia Virginis, d. 292, n. 14.
S. Elzearius comes B. M. Virgini fuit devotus, d. 381, n. 93.
Emmanuelis Lusitaniae regis in B. Virginem studium, ibid. n. 68.
Encomium sanctissimum et divinum Mariae, d. 253, n. 11.
Encomia Romae et domus lauretanae, d. 234, n. 3.
Enochi qualitates multae recensentur, d. 382, n. 18.
S. Ephrem crucem in fronte gerebat, d. 330, n. 7.
B. Epiphanius B. M. Virginis encomiastes, d. 388, n. 14.
Episcopi sunt apostolorum successores, ibid. n. 1.
Epistolae a B. Virgine scriptae, d. 307, n. 12.
Epitheta B. M. Virginis, d. 309, n. 14.
Equitatus in processione quinam utantur, d. 261, n. 17.

Erasmus haereticus

Erasmus salutationem B. M. Virginis impugnans refutatur d. 250, n. 1.
Illius imposturae refelluntur ibid. n. 2.

Digitized by Google

Erasmi encomia in B. V. Mariam, d. 272, n. 54.
Erasmi commenta contra peregrinationes sacras et vota fidelium, d. 234, n. 9.
Erasmi epistola mendax, d. 414, n. 6.
Erasmi et Lutheri blasphemiae in B. V. Mariam, disc. 219, n. 2.
Ervuiae ducis lepidum factum, d. 248, n. 16.
Eskillum ob indevotionem terret B. Virgo, d. 281, n. 13.
Ethnicis etiam luit praemonstrata B. Virgo, d. 225, n. 3.
Eva fuit figura Mariae, d. 256, n. 7.
In gratiam B. Virginis mitius luit punita, d. 293, n. 3.
Evangelia quatuor cur in processione Corporis Christi canuntur, d. 264, n. 19.
Evangelistae cur de laudibus B. M. Virginis nihil scripserunt, d. 273, n. 1.
Quantum honoraverint B. M. Virginem, d. 386, n. 11.

Eucharistia

S. Eucharistia etiam absque speciali mandato adoranda, d. 263, n. 3.
Olim a pluribus gestabatur, ibid. n. 9.
Mannae comparata, d. 358, n. 25.
S. Eucharistiae Sacramentum olim saepius in processionibus gestatum, d. 261, n. 1.
Illius circumgestatio ex Scripturis probatur, d. 263, n. 2.
Eius adoratio Scripturae ac rationi quam sit conformis, ibid. n. 15.
Eucharistia corda obdurata emollit, d. 261, n. 5.
B. Eustachia Christum in cunis iacentem vidit, discur. 337, n. 35.
B. Eustachiae Iesum infantem dedit tractandum B. Virgo, d. 237, n. 187.
B. Eustachius cisterciensis salutans B. M. Virginem in lingua *Ave Maria* aureis litteris exaratum habere meruit, d. 244, n. 20.
Eutychii errores, d. 381, n. 10.
Exaltatio Christi, d. 346, n. 10.
Excellentia quotuplex, d. 220, n. 2.
Quid humana sit, et quot habeat species, ibid.
Excellentia B. M. Virginis inter sanctos, d. 358, n. 3.
Exemplum confessariis utilissimum, d. 337, n. 66.
Exercitia B. Mariae in templo, d. 305, n. 6.

Exhortatio

Exhortatio ad B. Virginis imitationem, d. 224, n. 10, et 287, n. 141.
Ad cultum Mariae, d. 291, n. 16.
Ad rosarii confratriam suscipiendam, d. 315, n. 27.
Ad incundam rosarii confraternitatem, d. 319, n. 14.
Experientia rerum magistra, d. 383, n. 9.
Expostulatio M. Virginis ad Filium, d. 345, n. 4.
Expeditio contra Albigenses Innocentii III pontificis maximi, d. 315, n. 15.

F

Fabula blasphema in s. Bonaventuram, d. 399, n. 94.
Familiaritas B. M. Virginis cum Deo quanta, d. 271, n. 4.
Favores a B. Virgine in Ordinem praedicatorum collati, d. 237 per totum.
Favores et gratiae quas cistercienses a B. Virgine acceperint, d. 240, n. 11.
Favores singulares mulieribus a Deo concessi ob amorem Mariae, d. 293, n. 8.
Fax fidelium B. V. Maria, d. 287, n. 12, et 291, n. 5.
Feminarum Lacedemoniorum amor erga patriam, disc. 398, n. 7.
Fenestra coeli Maria, d. 359, n. 2
Ferdinandus II imperator devotione erga B. Virginem clarus, d. 381, n. 28.
Ferdinandus V Hispaniarum rex quam pius fuerit erga Beatam Virginem, ibid. n. 43.
Ferdinandi victoria de Gustavo, d. 327, n. 6.
Ferventissimi saepe sunt frigidi, d. 308, n. 16.
Festinatio nec Deo nec hominibus grata, d. 215, n. 3.

Festivitas

Festivitas sanctissimi rosarii, d. 236, n. 14.
Festivitas conceptionis B. Mariae a quo inventa, disc. 229, n. 21.
Festivitas recollectionis festorum omnium B. M. Virginis, d. 231, n. 27.
Festivitates cur in honorem B. M. Virginis institutae, disc. 229, n. 2.
Enumerantur, ibid. n. 4.
Quaenam solemnes, quae non, ibid. n. 5.
Quatuor festivitates B. Virginis quid denotent, ibid.
Festum visitationis B. M. Virginis a quo fuerit institutum, ib. n. 35.
Festum purificationis qua occasione institutum, discur. 229, n. 37.
Festum Beatae Mariae ad nives, et illius occasio, disc. 230, n. 17.
Festum dedicationis S. Mariae ad martyres, d. 231, n. 6.
Festum expectationis partus B. M. Virginis, ibid. n. 7.
Festum s. Mariae Odigitriae, ibid. n. 8.
Festum desponsationis B. M. Virginis et s. Ioseph, ibidem, n. 5.
Festum depositionis vestimentorum B. M. Virginis, ibidem, n. 9.
Festum depositionis zonae B. M. Virginis, ibid. n. 10.
Festum s. Mariae angelorum, seu *de Portiuncula*, ibidem, n. 11.
Festum s. Mariae de monte Carmelo, ibid. n. 12.
Festum dolorum Deiparae, quos cum puerum Iesum sisteret in templo, ei Simeon vaticinatus est, seu festum Dominae nostrae *de Pietate*, ibid. n. 14.
Festum gaudiorum Deiparae, ibid. n. 15.
Festum descensionis B. Mariae, ibid. n. 16.
Festum s. Mariae *a Principio*, ibid. n. 18.
Festum Virginis puerperae, ibid. n. 19.
Festum B. Mariae *de Victoria*, ibid. n. 20, 21, 22.
Festum Dominae nostrae *Ardentium*, ibid. n. 23.
Festum inventionis manticae B. M. Virginis, ibid. n. 24.
Festum glorificationis B. M. Virginis, ibid. n. 25.
Festum translationis domus lauretanae, ibid. n. 26.
Festum spasmi B. Virginis quodnam habeat fundamentum, d. 397, n. 18.
Festi nativitatis B. Mariae origo, d. 229, n. 22.
Festi praesentationis origo, ibid. n. 26
Festa luminarium apud Romanos quot erant, ibid. n. 39.
Festa particularia in honorem B. Virginis instituta, d. 231 per totum.
Fiat mihi, etc. explicatur a s. Bernardo, d. 335, n. 26.
Quam potens et efficax, ibid. n. 27.
Quam meritorium B. Virgini, ibid.
Quam sublimaverit B. Virginem, ibid. n. 28.
Fiat Dei et *fiat* Virginis comparantur, d. 275, n. 1.
B. Virgo omnium fidelium mater, d. 237, n. 3.
Fidelitas laudatur, d. 283 in praef.

Fides

Fides B. M. Virginis quanta, d. 287, n. 3, et 335, n. 25.
Fides Mariae confertur cum fide Abraham, et ostenditur maior, d. 283, n. 4.
Fides Abrahae, d. 382, n. 26.
Fides Ioachim et Annae quanta fuerit, d. 299, n. 2.
Fides candida est, d. 353, n. 5.
Fides an in sola B. Virgine manserit passionis Christi tempore, d. 232, n. 16.
Fidei B. Mariae encomia, d. 287, n. 5.
Fidei constantia in B. Virgine quanta fuerit, d. 399, n. 8
Fidei christianae testimonium a constantia martyrum, disc. 346, n. 17.
Fidei miracula tribuuntur, d. 364, n. 4.
Fidei publicae violatores puniti, d. 283 in praef.

Digitized by Google

Fide B. Virgo facta est Dei Mater, d. 287, n. 4.
Figurae Christi crucem baiulantis, d. 343, n. 7.
Figurae Christi crucifixi, d. 341, n. 7.
Figurae Christi resurgentis, d. 345, n. 2.
Figurae quae praemonstrabant B. Virginem in antiqua lege, d. 219, n. 9.

Flagellatio Christi

Flagellatio Christi unde tam acerba fuerit, d. 341, n. 4.
Quam gravis fuerit, et quale sit supplicium, ibid. n. 6.
Quam crudelis et atrox fuerit, ibid. n. 11.
Illius tristis apparatus, ibid. n. 5.
Quibus flagellis, ibid. n. 11.
Quam horribilis, ibid. n. 9.
Illius causa, ibid. n. 11.
Flagellantium secta, d. 341, n. 2.
Florentiae imagines miraculosae B. Virginis, d. 226, n. 32.

Fomes

Fomes peccati quid sit, d. 217, n. 4.
An fuerit in B. Virgine, ibid.
Ab eo nemo liber, ibid. n. 7.
Nullus in Maria, d. 355, n. 6.
Fons apud Aegnenses salubris, d. 364, n. 7.
Forma vesilli sanctissimi rosarii, d. 260, n. 18.
Fortitudo B. Virginis, d. 385, n. 8.
Quae et quanta, d. 351, n. 7, 10
Fortitudo elephantis, d. 353, n. 1.
Fortitudo in quibus monstratur, d. 395, n. 18.
Fortitudo B. Mariae et quarumdam matrum, ibid.
Fortitudinis actus quotuplex, d. 287, n. 77.

Franciscus

S. Francisca officium B. M. Virginis recitans a pluvia non madefit, d. 254, n. 5.
Franciscani Virginis studiosi, d. 399, n. 90.
S. Franciscus quam misericors fuerit, d. 393, n. 2.
S. Francisci visio, d. 359, n. 4.
Franciscus Guisius dux B. Virginis cultor eximius, d. 381, n. 88.
Franciscus I Galliae rex B. Virginis amantissimus fuit, ibid. n. 37.
Francisci Suarez praeclarum de Ordine praedicatorum encomium, d. 316, n. 20.
Francisci Mayronis de solemnitate annuntiationis B. Mariae praeclara sententia, d. 229, n. 32.
Francisci Retzani dominicani devotio erga B. Virginem, disc. 222, n. 21.
Fratres primaevi christiani cur vocati, d. 211, n. 1.
Fratris nomen inter christianos quomodo extinctum, ibidem, n. 2.
Fraternitatis rosarii instituendae occasio et causa, disc. 313, n. 14
Fridericus III B. Virgini addictus fuit, d. 381, n. 24.
Fructus ex Christi resurrectione, d. 345, n. 13.
Fructus quis in Ecclesia ex rosarii recitatione publica, disc. 236, n. 11
Fructus ex rosario in ipsius exordio quantus, ibid. n. 13, d. 313, n. 7, et 300, n. 9.
Fructus ex salutatione B. M. Virginis, d. 246, n. 6.
Fructus concionum b. Venturini, d. 237, n. 240.
Fructus concionum s. Vincentii Ferrerii, ibid.
S. Fulbertus B. Virginis cultor insignis, d. 388, n. 23.
Eidem aegrotanti B. Virgo apparet, d. 284, n. 7.
Sanatur ab eadem B. Virgine, d. 362, n. 16.
Fundamentum festivitatis conceptionis B. M. Virginis, disc. 229, n. 14.

G

Gabriel angelus

Gabriel qua occasione B. Mariam veneratus est, discur. 219, n. 8.
B. Virginem celebrat, d. 272, n. 3.
Salutavit B. Virginem, d. 244, n. 3.
Cum multitudine angelorum ad B. Virginem venit, d. 333, n. 7.
Clauso ostio ad Virginem venit, ibid. n. 8.
Non ei apparuit alatus, ibid. n. 9.
In quali forma, ibid.
Cur coram B. Virgine genua non flexerit, ibid. n. 10.
Quam dulce ei fuerit colloquium cum B. Virgine, et quamdiu duravit, ibid. n. 11.
Cur Mariam nominat consolans eam, ibid. n. 13.
Stando legationem expediebat, ibid. n. 16.
Facta legatione, et obtento assensu B. M. Virginis ad sanctos patres ad limbum ivit, d. 335, n. 31.
B. Virgini transitum ex hac vita nuntiavit, d. 348, n. 2.
Illius dignitas quanta, d. 335, n. 6.
Humilitas illius, ibid. n. 10
Gallorum reges Sedi apostolicae plus aliis dilecti, disc. 381, n. 29.
S. Gallae imago Beatae Virginis in domum defertur, d. 226, n. 21.

Gaudia B. Virginis

Gaudium B. Virginis in incarnationis Filii Dei primo momento quantum, d. 333, n. 30.
Ex puero Iesu invento, d. 339, n. 12.
In partu unde fuerit et quantum, d. 337, n. 14.
Gaudium B. M. Virginis quantum et quale, d. 253, n. 5.
Gaudium B. M. Virginis in Christi resurrectione, d. 345, n. 6, et seq.
In ascensione, d. 346, n. 7.
In adventu Spiritus sancti, d. 347, n. 13.
Gaudia B. Mariae quot, d. 259, n. 5.
Gaudia B. Virginis ex puero Iesu, d. 271, n. 6.
Gaudia B. Mariae de Christo, d. 338, n. 17.
In Christi oblatione in templo, ibid.
Ex praesentia Simeonis et Annae, ibid. n. 18.
Ex convictu et conversatione cum Christo, d. 339, n. 20
P. Gavia librum s. Teresiae approbat, d. 317, n. 8.
Gedanense templum in honorem B. Virginis extructum laudatur et deploratur, d. 225, n. 18.
S. Genovefae auctoritas apud Childericum regem, disc. 371, n. 16
Gentiles sua idola circumferebant, d. 263, n. 6.
Genu utrumque in oratione curvandum, d. 340, n. 11.
Genu unum in Ecclesia flectentes, et garrientes taxantur d. 342, n. 9.
Genua flectere ante B. M. Virginem quam illi sit gratum, d. 223, n. 7.
Genuflexiones in honorem B. V. Mariae, d. 236, n. 19.
Georgii maioris procacia, d. 276, n. 4.

S. Gerardus

S. Gerardus B. M. Virgini devotus, d. 388, n. 19.
S. Gerardus sabbatum in honorem B. M. Virginis praecipua devotione coluit, d. 232, n. 11.
S. Gerardus quantum dilexit B. M. Virginem, d. 221, n. 4.
S. Gerardi devotio erga B. M. Virginem, d. 269, n. 6.

S. Gertrudis

S. Gertrudis visio de B. Virgine, d. 230, n. 16.
S. Gertrudis devotio erga B. M. Virginem, d. 229, n. 21.
S. Gertrudis amor erga Christum, d. 356, n. 13.
B. Gertrudi coram imagine V. Mariae preces fundenti quid acciderit, d. 237, n. 189.
Illi apparuit B. Virgo, d. 271, n. 3.
Gidlensis imago B. Virginis miraculosa, d. 226, n. 64.
Impuros non patitur, d. 358, n. 8.
A coelesti lumine collustrata, d. 226, n. 64.
Miracula, ibid.
Gladius in Scripturis sacris multiplex, d. 389, n. 6.
Gladius qui animam B. Virginis pertransivit, qualis fuerit, ib. n. 10.

Globuli precarii ab Ordine praedicatorum, d. 316, n. 48.
Globuli precarii quid significent, d. 350, n. 13.
Cur gestentur, benedicantur, indulgentiis ornentur, ibid. n. 14, 15, 16.
Cur in certum numerum redacti, ibid. n. 17.
Gloria Christi in coelum ascendentis, d. 346, n. 3.
Gloria B. V. Mariae in anima, d. 349, n. 10.
Gloria corporis virginalis, ibid. n. 2.
Godefridus Bullonius Terram sanctam recuperat, disc. 315, n. 7.
Gratia Dei non habetur sine afflictione, d. 213, n. 9.
Gratiae a B. Virgine in Ordinem praedicatorum collatae, d. 237 per totum.
Gratiarum actio pro resurrectione Christi, d. 345, n. 14.
Gratitudo erga Deum B. V. Mariae exemplo docetur, d. 252, n. 2.
Gratitudo beneficiorum Dei in B. V. Mariam, d. 253, n. 17.
Gratitudinis erga praeceptores exempla, d. 292, n. 15.
Gratulatio B. M. Virginis de tanto Filio, d. 337, n. 15.
Gravitas flagellationis Christi ex quatuor capitibus probatur, d. 341, n. 6.
S. Gregorii papae pietas in B. M. Virginem, d. 387, n. 7.
Gregorii XV decretum in materia conceptionis B. M. Virginis, d. 229, n. 13.
Gregorii VII item, d. 328, n. 3.
S. Gregorio Thaumaturgo fidei regulam B. Virgo tradit, d. 388, n. 5.
Et scientiam, d. 363, n. 2.
Gressus V. Mariae in coelum ascendentis, d. 348, n. 23.
S. Gryphonus solem miraculose ab occidente in orientem reflexit die festi assumptionis B. M. Virginis, d. 367, n. 9.
Guadalupae imago B. Virginis unde, d. 226, n. 47.
Illius templi ornatus, ibid.
Guilielmi de sancto amore odium in dominicanos, et conviciorum puncta, d. 239, n. 120.
Guilielmus Angliae rex Beatae Virgini quam fuerit devotus, d. 381, n. 51.
S. Guilielmus Aquitaniae dux quo studio B. Mariam coluerit, ibid. n. 77.
Guilielmus Bavariae dux religiosus fuit, ibid. n. 92.
B. Guidisalvo morienti apparuit B. Virgo, d. 237, n. 261.
Gustavus Livoniam invadit, d. 327, n. 6.
Prussiam vastat, ibid.
Imperium invadit, ibid.
Gustus B. Virginis qualis, d. 213, n. 9.

H

Habitus praedicatorum miraculis coruscat, d. 237, n. 21.
A summis pontificibus et imperatoribus honoratur, ibid. n. 23.
Habitum dominicanorum risui habens punitur, ibid. n. 21.
Haliensis imago Deiparae miraculosa, d. 226, n. 51.
Haemorrhois serpens quam venenatus, d. 340, n. 18.

Haereses-haeretici

Haereses quomodo B. V. Maria interemit, d. 278, n. 17.
Haeretici qui B. Virginem Reginam esse negant, d. 378, n. 1.
Omni iure est Regina, ibid. n. 2, 17.
Haeretici taxantur, d. 389, n. 2, 17.
Scripturas allegantes audiendi non sunt, d. 390, n. 1.
Haeretici scarabeis assimilantur, d. 309, n. 33.
Haereticorum B. Mariae Virgini impugnantium nomina, d. 278, n. 5.
Haereticorum impuritas notatur, d. 309, n. 32.
Haereticorum de impotativa iustitia error refutatur d. 365, num. 2.
Haereticorum blasphemiae in salutationem angelicam, d. 246, n. 1.
Haereticorum blasphemiae in rosarium, d. 350, n. 2.
Haereticorum stultae solutiones, d. 256, n. 13.
Haereticorum cavillationes et imposturae quibus invocationem Deiparae et aliorum sanctorum impugnare solent, refutantur d. 276, n. 4.
Haereticorum insolentia divinitus punita, d. 316, n. 21.
Harmonia suavis Deiparae, d. 253, n. 13.
Hebraeus B. V. Mariae iniurius punitur, d. 358, n. 31.
Hedwigis studium erga B. Virginem, d. 381, n. 105.
S. Helenae imperatricis studium erga Beatam Virginem, ibid num. 99.

B. Henricus Suso

B. Henrico Susoni equus divinitus mittitur, d. 237, n. 153.
Eidem annona procuratur, ibid. n. 160.
A Beata Virgine lactatur, ibid. n. 13.
In multis calumniatur, ibid. n. 107.
Per suffragium B. Virginis daemonem fugat, d. 258, n. 11.
B. Henricus moravus morti proximus B. Virginem videt, d. 237, n. 251.
Henricus III Galliae rex B. Virginis studiosus fuit, d. 381, num. 38.
Henricus I Lusitaniae rex B. Virgini addictus fuit, ibid. n. 69.
Henricus Lusitaniae princeps ob amorem Deiparae virginitatem coluit, ibid. n. 79.
Henricus II imperator B. Virginis cultor eximius fuit, ibid. num. 22.
Henricus VII imperator B. Virginis observantissimus fuit, ibid. n. 23.
Henricus Angliae rex fuit B. Virginis studiosus, ibid. n. 52.
Henricus Barbatus trebnicense monasterium extruxit, ibid. num. 85.
Henrico a Calstris angeli vinum et panem ministrant, d. 237, num. 33.
Heraclii imperatoris victoria de Persis cuius ope reportata, d. 377, n. 4.
Hermannus Contractus sanatur a B. Virgine, d. 362, n. 13.
Idem audito nomine Mariae odorem sentiebat, d. 309, num. 31.
Cuius ope concionator egregius factus sit, d. 237, n. 51.
Auctor fuit cantici *Salve Regina*, d. 225, n. 3
Ob remissum Virginis cultum ab eadem obiurgatur, d. 223, num. 9.
Hesperus est B. Virgo Maria, d. 361, n. 1.
S. Hilarii papae devotio erga B. Virginem, d. 387, n. 3.
Hispania B. Virgini devota patrocinio ipsius specialiter gaudet, d. 226, n. 37.
Historia belli navalis cum Turca, d. 231, n. 3.
Homo quid sit, et quam vilis, d. 333, n. 2.
Hospitalitas laudatur, d. 299, n. 31
Honor quantus in missis exhibeatur B. Virgini, d. 235, n. 7.
Hora mortis nemo iuvare potest, d. 284, n. 6.
Exemplum ibid.
Hortatio ad cultum B. Mariae, d. 219, n. 22.
Hortus rosarum a Valeriano lithuanide editus, disc. 319, num. 1.
S. Hugo B. Virginis amator, d. 388, n. 26.
Hugo primus Cardinalis Ordinis praedicatorum in Concilio lugdunensi disputat, d. 316, n. 25.

Humilis — humilitas

Humilis sit qui B. Virginem salutat, d. 248, n. 14.
Humilium animos qualis, d. 309, n. 15.
Humilitas Deum in terram descendere fecit, d. 279, n. 3.
Humilitas Christi in praesepio, d. 337, n. 6.
Humilitas angelis cognata, d. 248, n. 14.
Humilitas Gabrielis qualis fuerit, d. 336, n. 10
Humilitas B. M. Virginis, d. 252, n. 5, 287, n. 28, 303, n. 2, 335, n. 20, 337, n. 11, 338, n. 8, et 347, n. 3.
Quam insignis, d. 303, n. 2
In visitatione Elisabeth, d. 336, n. 8.
In coelo regnantis, d. 366, n. 6.
Humilitas Iosephi patriarchae, d. 382, n. 49.
Humilitatis nota, d. 287, n. 35.
Humilitate Maria Deum vicit, d. 279, n. 2.
Vicit diabolum, ibid. n. 10.

S. Hyacinthus

S. Hyacinthus B. Virgini addictus, d. 222, n. 20.
S. Hyacinthus Gregorii IX commissarius, d. 237, n. 233.

S. Hyacinthus cum icone B. Virginis fluvium Boristenem siccis pedibus transit, d. 226, n. 59.
S. Hyacinthus per B. Virginem miraculis clarescit, d. 228, num. 4.
S. Hyacinthus sicco vestigio aquas calcat cum icone B. Virginis d. 237, n. 145.
S. Hyacinthi praedicatio quam fructuosa, ibid. n. 233.
S. Hyacintho mortis hora B. V. Maria apparuit, ibid. n. 253.
Hyacinthus B. Virgini adaptatur, d. 304, n. 28.
Hymnus primus novi testamenti, d. 253, n. 21.
Hyperdulia quid, d. 220, n. 8.
A dulia differt, ibid.

I

Iacobus

Iacobus I Aragoniae rex erga Deiparam munificus fuit, d. 225, n. 17, et 381, n. 40.
Victoriam de Saracenis ope B. Mariae reportavit, d. 377, num. 13.
Iacobus Sprengerus rosarium renovatum promovet Coloniae, d. 315, n. 11.
Iacobus Ordinis cisterciensis B. Virginem dominicanis cibos distribuentem videt, d. 237, n. 39.
S. Iacobi devotio erga B. Virginem, d. 219, n. 13, et 386, num. 4.
Iacobi patriarchae qualitates, d. 382, n. 33.
Iacobi I Aragoniae regis munificentia in templa Deiparae, d. 225, n. 17.
B. Iacobo apostolo B. V. Maria apparuit, d. 385, n. 5, et 386, n. 4.
Iaponiae salutandi mos, d. 248, n. 1.
Iasonis templum, d. 225, n. 6.
Iaspis quid designet, d. 309, n. 8.
Illius color, virtutes et proprietates Beatae Virgini adaptantur, ibid. n. 6.
Idea veri christiani quae, d. 376, n. 2.
Idololatria olim in mundo quanta, d. 278, n. 1.

Ieiunium

Ieiunantes in honorem Beatae Mariae, d. 222, n. 20, et 232, num. 3.
Ieiunium Sabbati unde ortum habuerit, d. 232, n. 4.
Ieiunium feriae sextae unde ortum, ibid. n. 4.
Ieiunium feriae quartae unde ortum, ibid. n. 5.
Ieiunium in honorem B. M. Virginis quam ei sit gratum, d. 233, n. 3.
Ieiunium est aratrum quo corporis nostri terra scinditur, d. 299, n. 25.
Ieiunium Samsonem et Samuelem peperit, ibid. n. 26.
Ieiunium virginitatis nutrix, ibid. n. 27.
Ieiunii fructus enumerantur, ibid. n. 25.
Ieiunii quadragesimalis mysteria, ibid. n. 29.
Ieiunia in honorem Deiparae exhibita, d. 233, n. 1.
Ieiuniorum dies in honorem B. M. Virginis, ibid. n. 2.

Iesus

Iesus quo titulo noster sit, d. 338, n. 14.
Iesum quomodo petimus nobis ostendi a B. Virgine, d. 256, n. 13.
Vide Christus.
S. Ignatii martyris litterae ad B. Virginem, d. 388, n. 3.
S. Ignatio Loyolae Christus baiulans crucem apparuit, disc. 343, n. 15.

Ignis

Ignis sacer in templo Salomonis, d. 355, n. 21.
Ignis B. Virginem adumbrat, d. 229, n. 41.
Ignis purgatorii quanta sit acerbitas, d. 373, n. 1.
Ignominia crucifixi quanta, d. 341, n. 12.
S. Ildephonsus officium de B. M. Virgine composuit, d. 232, n. 7.
B. Virginis cultor eximius, d. 388, n. 18.
S. Ildephonso B. Virgo sacram vestem donavit, disc. 231, n. 16.
Et casulam, d. 232, n. 7, et 367, n. 35.
Illusores imaginis B. Virginis divinitus puniuntur, disc. 226, n. 21.

Imago

Imago crucifixi in manibus sancti Dominici ab hostium telis illaesa manet, d. 315, n. 16.
Imago Deiparae ad s. Mariam maiorem, d. 226, n. 7.
Imago B. Virginis sanguinem emittit, ibid. n. 55,
Imago B. Virginis ab angelis efformata, ibid. n. 21.
Depicta ab angelis, ibid. n. 65.
Imago B. Virginis in tegula depicta aquis supernatat, ibid. n. 21.
Imago B. Virginis magna luce coruscat, ibid. n. 39.
Imago B. Virginis pestem pellit, ibid. n. 21.
Imago Deiparae a sacrilego percussa sanguinem emittit, ibid. n. 24.
Imago B. Virginis qua occasione apud Bononiam reposita, ibid. n. 19.
Imago B. Virginis divinitus depicta, ibid. n. 32.
Imago B. Virginis sudans, ibid. n. 28.
Causa istius sudoris quae, ibid.
Ex imagine B. M. Virginis sanguis cum lacte manat, ibid. n. 55.
Imago B. Virginis sanguinem emittit, ibid. n. 30, et d. 228, n. 15.
Imago B. Virginis die sabbati miraculis claret Constantinopoli, d. 232, n. 12.
Imago B. Virginis plorans, d. 226, n. 29.
Imago sponsaliorum B. Virginis, d. 227, n. 4.
Imago annuntiationis, ibid. n. 6.
Imago conceptionis B. V. Mariae quomodo corrigenda, ibid. n. 2.
Imago praesentationis B. Mariae, ibid. n. 3.
Imago miraculosa s. Dominici Soriani, d. 237, n. 214.
Qualis sit, ibid. n. 215.
Imaginis B. Virginis illusores divinitus puniuntur, d. 220, n. 21.
Imaginis B. Virginis percussor punitur, ibid. n. 24, 30.
Imagines B. M. Virginis cur Mariam Iesum in ulnis in forma pueri gestantem saepius repraesentant, ibid. n. 4.
Imagines B. V. Mariae a s. Luca depictae, ibid. n. 6.
Imagines B. Virginis quae oleum effundunt, ibid. n. 17.
Imagines in honorem Deiparae Virginis erectae, ibid. n. 3.
Cur ob oculos fidelium ponantur, ibid. n. 4.
Imagines B. V. Mariae in triumphum ductae, d. 260, n. 29.
Imagines spasmum B. M. Virginis repraesentantes reprobatae, d. 397, n. 19.
Imagines sanctorum sunt libri simplicium et quam necessarii, d. 226, n. 1.
Imagines turpes ad vitia, pulcrae ad pietatem excitant, ibid.
Imaginum cultus eleganti similitudine declaratur, ibid. n. 1.
Imaginum B. V. Mariae cultores, d. 236, n. 20.
Imaginum B. Virginis usus quam frequens in Ecclesia, disc. 226, n. 2.
Imitandae Virginis praxis, d. 224, n. 14.
Imitatio B. Virginis vitam homini confert, ibid. n. 7.
Imitatio sanctorum praecipuus cultus eorum, ibid. n. 2.
Immensitas Mariae, d. 355, n. 11.
Immensitas Mariae quanta, d. 289, n. 20.
Imperatores B. M. Virgini specialiter devoti, d. 260, n. 28, et 381, n. 2.
Impostura Guilielmi Rodingi, d. 247, n. 14.

Incarnatio

Incarnatio Filii Dei qua hora facta, d. 251, n. 2.
A SS. Trinitate operata fuit et quomodo, d. 244, n. 1.
Quae mirabilia in se contineat, d. 253, n. 9.
Est pacis Sacramentum, d. 248, n. 13.
Incarnationis mysterium quomodo, et cur fuerit occultum, d. 283, n. 9.
Incarnationis mysterii super alia excellentia, d. 229, n. 33.

Digitized by Google

Indulgentiae

Indulgentia 1000 dierum pro salutantibus B. Virginem singulis horis, d. 223, n. 6.
Indulgentiae antiquae rosarii, d. 313, n. 10.
Indulgentiae Romae pro festis B. Mariae quot et quantae, d. 319, n. 7, et seq.
Indulgentiarum fundamentum, d 319, n. 1.
Infidelium exempla Mariam venerantium, d. 210, n. 21.
Infirmitates corporales quae sint, d. 362, n. 1.
Infirmitates quas passus est Christus, quas non, discur. 306, n. 7.
Infirmi qui et quot per B. Virginem sanati, d. 362, n. 5.
Exemplum ingratitudinis beneficii incarnationis, disc. 229, n. 33.
Inimici M. Virginis qui, d. 287, n. 23.

Innocentius

S. Innocentii I studium in B. Virginem, d. 287, n. 4.
Innocentius III papa ope B. M. Virginis inferni poenas evadit, d. 374, n. 4.
Ob quas causas fuit punitus post mortem, ibid.
Innocentius IV fratrum praedicatorum Ordini quam gravis, d. 237, n 119.
Innocentii III pontificis maximi expeditio contra Albigenses, d. 315, n. 15.
Innocentii IV studium erga praedicatorum Ordinem, d, 237, n. 119.
Illius laus, ibid.
Sanctae inquisitionis officium cur dominicanis commissum, d. 316, n. 38.
Inquisitores ex Ordine praedicatorum, ibid. n. 14, 37.
Insignis quis dicatur, d. 303, n. 4
Instituta varia canonicorum regularium, d. 399, n. 2.
Instrumentum nostrae redemptionis Maria, d. 300, n. 3.
Insula verae pacis a quibusnam ad Christum fuerit conversa, d. 316, n. 42.
Insulae sub titulo B M. Virginis, d. 352, n. 10.
Intercessio B Virginis quam sit efficax, d. 275, n. 6.
Interdicti tempore fas est pulsare pro *Ave Maria*, disc. 231, n. 9.
Introitus missarum dominicae infra octavas Epiphaniae, et nativitatis cur tales, d. 288, n. 0.
Invectiva in peccatorem, d. 310, n. 7, 0.
Invocatio B Virginis qualis esse debeat, d. 223, n. 9.
Invocatio sanctorum laudatur, d. 223, n. 1.

Ioachim et Anna

Ioachim et Anna quamdiu fuerint steriles, d. 298, n. 1.
Cur eorum festum per multa saecula non fuerit celebratum, ibid. n. 7.
Quanta eorum coniunctio cum Christo, d. 298, n. 13.
Illorum dignitas quasi infinita, ibid. n. 15.
Quanta eorum fuerit fides et spes, d. 299, n. 2, 3.
Quantus eorum amor erga proximum, ibid. n. 7.
Illorum religio, ibid. n. 9.
Eorum sacrificium quam fuerit Deo gratum, Ibid. n. 14.
Cur ieiunare debuerint, ibid. n. 26.
Ioachim cur quadraginta diebus ieiunarit, ibid. n. 27.
Ioachim coelum, et Anna terra, ibid. n 8.
An fuerit sacerdos, et qualis, ibid.
S. Ioannae affectus erga B. Virginem, d. 381, n. 104.

S Ioannes evangelista

S. Ioannes evangelista verecundus fuit, et unde, disc. 287, n. 62.
Comprehensionem Christi B. V. Mariae nuntiat, disc. 340, n. 27.
Eius dona, d. 296, n. 1.
Ei Christus Matrem suam commendat, ibid. n. 2.
Ob quid tantam acceperit gratiam, ibid. n 3.
Virgo fuit electus ob Virginem, ibid n. 4.
Ob amorem B. Virginis supra pectus Domini in coena recubuit, ibid n. 5.
A quo didicerit modestiam, ibid. n 8.
Sancto Paulo doctior fuit, ibid. n 0.
Fuit verus martyr, d. 389, n. 16.
B. V. Maria fuit illius magistra, d. 385, n 10.
Eius devotio erga B. M. Virginem, d. 219, n. 14, et 386, n. 6.
B. Ioannes Agni una cum socio super aquas graditur, disc. 237, n. 147.
S. Ioannes abbas sua praesentia arborem alieno tempore florere facit, d. 299, n. 34.

S. Ioannes Baptista

Nondum natus in utero matris Elisabeth quid egerit, d. 336, n. 11.
Cur in utero saltabat, ibid.
Baptizatus fuit a B. Virgine et quomodo, d. 295, n. 10.
Usum rationis in utero matris habuit, et quomodo, ibidem, n. 13.
In utero matris propheta, ibid. n. 15.
In matris utero solatium capit a B. Virgine, d. 368, n. 12.
Ioannes Comnenus imperator B. M. Virginis servus fuit, d. 377, n. 19.
Ioannes Zemisca B. Virginem eximie coluit, ibid. n. 18.
Ioannes Vincentius dominicanus calumniatus purgatur, d. 237, n. 111.
Ioannes austriacus B. Virgini se devovet, d. 381, n. 87.
Ioannes II Aragoniae rex B. Virgini impense addictus fuit, ibid. n. 45.
Ioannes I Lusitaniae rex quam studiosus fuerit erga B. Virginem, ibid. n. 65.
Ioannes II rex Lusitaniae in B. Virginem observantissimus fuit, ibid. n. 67.
Ioannes Taulerus zelosus concionator, d. 237, n. 241.
Ioannis Vincentii conciones quam mirabiles, ibid. n. 237.
Ioannis Bonifacii lapsus, d. 310, n. 12.
Ioanni XXII B. Virgo apparet, d. 242, n. 2.
Eius opinio de visione divinae essentiae, d. 237, n. 120.
B. Iordanus a B. M. Virgine sanatur, ibid. n. 89.
B. Iordanus a daemone per conversum ad mortem sauciatus, ibid.

S. Ioseph

S. Ioseph quomodo depingi debeat, d. 227, n. 5.
Unde testis fuerit abstinentiae B. V. Mariae, d. 287, n. 89.
Cur B. V. Mariam dimittere voluerit, d. 287, n. 118.
An viderit clare Deum per essentiam in mortali corpore, d. 294, n. 4.
An viderit Christum in corpore glorioso, ibid.
Illius laetitia quanta fuerit simul et dignitas, ibid. n. 5.
Cum s. Ioanne Baptista comparatur, ibid.
In virtutibus semper proficiebat, d 201, n. 2, et seq.
Propter Mariam in angelum evadit, ibid. n. 4.
Cum Abraham comparatur, ibid. n. 5.
Deo Patri in quo similis, ibid. n. 6.
Sancti Spiritus vicarius fuit, ibid. n. 7.
Scutum fuit Christi et Mariae, ibid. n. 8.
Cum patriarcha primo Ioseph comparatur, ibid. n. 12.
Quomodo Salvator mundi, ibid. n. 13.
Exemplar fuit omnium praedicatorum, ibid.
Solicitudo illius ante partum B. Virginis quanta erat, d. 337, n. 16.
Illius devotio ad Iesum mox natum quanta, Ibid. n. 17.
Illius reverentia erga Mariam coniugem suam, ibid. n. 18.
Sub patrocinio B. Mariae nullas molestias sentiebat, d. 370, n. 1.
Illius laudes, qualitates et virtutes, d. 382, n. 42, 43.
Ioseph cur in Aegyptum una cum aromatibus ductus est, d. 309, n. 28.
Ioseph ab Arimathaea in carcerem detrusus fuit ob sepultum Dominum, d. 370, n. 4.
Iprensis civitas ope B. M. Virginis ab obsidione liberata est, d. 377, n. 20

Iris B. M. Virginem significat, d. 280, n. 5.
Illius proprietates quot, ibid. n. 6.
Isaac qualitates, d. 382, n. 27.
Italia multas imagines B. M. Virginis miraculosas habet, d. 226, n. 35.
Italorum devotio erga B. V. Mariam, d. 269, n. 4.
Iter B. Virginis ad coelum per sphaeras coelestes, d. 348, n. 29.
Iudas proditor quantum contristarit Iesum, d. 340, n. 23.
Iudae proditoris apparatus ad comprehendendum Christum, ibid. n. 23.

Iudaei

Iudaeus ope B. Virginis sanatus, d. 281, n. 7.
Iudaei ex Gallia expulsi, d. 381, n. 32.
Iudaei sub quo rege ex Hispania fuerint pulsi, ibid. n. 44.
Iudaei B. M. Virginis hostes, d. 278, n. 4.
Iudaei cur ter ad templum ibant quotannis, d. 265, n. 9.
Iudaei insolentia punita, d. 348, n. 12.
Iudaeorum blasphemiae in B. Virginem, d. 385, n. 8.
Iudaeis etiam opem fert B. V. Maria, d. 281, n. 7.
Iudicium divinum quam terribile, d. 372, n. 1.
Iudicia olim in portis civitatis exercebantur, d. 359, n. 6.
Iulianus martyr et Basilissa coniuges virgines, d. 309, n. 9.
S. Iustina a B. Virgine liberata, d. 276, n. 17.
Iustinianus imperator B. V. Mariae addictus fuit, disc. 381, n. 12.
Illius lapus, ibid.
Iustitiam originalem an habuerit B. V. Maria, d. 382, n. 6.
Iustitiae divinae exempla, d. 282, n. 5.
Iustus homo diem facit his quibuscum vivit, d. 361, n. 5.
Iuvenalis archiepiscopi ierosolymitani, de assumptione B. V. Mariae testimonium, d. 230, n. 3.

K

Kiovienais imago B. M. Virginis a s. Hyacintho portata, d. 226, n. 59.
B. Kunegundis castitas, d. 381, n. 106.

L

Laborandum sub patrocinio B. M. Virginis, d. 214, n. 8.
Labores Christi in adolescentia, d. 339, n. 19.
Ladislaus rex Neapolis ope B. Virginis a sciatica sanatus, d. 226, n. 25.
Ladislaus Opiliae dux imaginem cestochoviensem Polonis donavit, d. 381, n. 83.
Laetitia s. Ioseph quanta fuerit, simul et dignitas, d. 294, n. 5.
Lamentatio B. M. Virginis ex amisso puero Iesu, disc. 339, n. 7.
Lamentatio matris regis Achis, d. 398, n. 4.
Lampas B. Virginis quae sit, d. 218, n. 10.
Lampas coram imagine B. Virginis miraculose ardet, d. 228, n. 2.
Lampada tradere quid sit, d. 229, n. 39.
Lancea Christi plus afflixit Mariam, quam Christum, d. 391, n. 13
B. Laufranquinus una cum B. Virgine fratri Roboaldo pro eo vita functo sacrificanti apparuit, d. 237, n. 259.
F. Lapatii dominicani laus, d. 316, n. 31.
Lapides duodecim pretiosi quibus B. Virgo ornata fuit, monstrantur, d. 304, n. 5.
Lapides pretiosi quid denotent, d. 300, n. 11.
Latitudo clementiae B. M. Virginis, d. 281, n. 1.
Latro in cruce ope B. M. Virginis ad Christum conversus, d. 366, n. 5.
Lavacra in templo Salomonis, d. 355, n. 22.
Lavacrum mentium est B. V. Maria, ibid. n. 23.
Laudatio Mariae quam dulcis, d. 274, n. 2.
Laudator V. Mariae eius ubera sugit, et ab infirmitate convalescit, d. 274, n. 9.
Lauretanae domus encomium, d. 234, n. 8.
Lauretani templi elogium, d. 225, n. 8.
Lauretum Cracoviae, d. 226, n. 61.
Laus Dei perfecta docetur exemplo B. M. Virginis, d. 252, n. 3.
Laus Mariae ineffabilis, d. 273, n. 1.
Laudes veterum feminarum, d. 271, n. 1.
Laudum quatuor genera, d. 273, n. 2.
Lectoribus theologiae singulare exemplum, d. 222, n. 24.
Leges rosarii quam benignae, d. 320, n. 12.
Leo X cum imagine B. Virginis supplicationes fecit, d. 226, n. 21.
Leo imperator B. Mariae studiosus fuit, d. 381, n. 11.
B. Leodato morti proximo adfuit B. Virgo, d. 237, n. 261.
Leonidis atheniensium ducis apophthegma, d. 377, n. 32.
B. Leonora habitu dominicanorum a gravi infirmitate sanatur, d. 237, n. 21.
Leontii abbatis pietas erga B. M. Virginam, d. 269, n. 2.
Libellatici praestores, d. 325, n. 8.
Liberalitas B. V. Mariae in oblatione Filii, d. 338, n. 10.
B. Liduvinae visio de praemio eleemosinae, d. 269, n. 7.
Lignum vitae est B. V. Maria, d. 364, n. 3.
Ligna setim qualia, d. 358, n. 16.
B. Virginem adumbrant, ibid.
Lilium in cuius foliis litteris aureis inscriptum erat *Ave Maria*, unde prodierit, d. 399, n. 33.
Lingua cuidam sacerdoti abscissa a B. Virgine eidem restituta, d. 235, n. 5.
Linguarum donum quibusnam fuerit collatum, d. 347, n. 8.
Linguis diversis loquuntur apostoli, ibid. n. 8.
Linum munditiem significat, d. 858, n. 7.
Liturgia b. Iacobi apostoli, d. 323, n. 1, et 386, n. 5.
Litaniae praedicatorum, d. 237, n. 119.
Locus, *Ipsa conteret caput tuum*, explanatur, d. 276, n. 6.
Locus templi Salomonis, d. 355, n. 8.
Loca Scripturae pro virginitate, d. 213, n. 141.
Loca humilia Deus ad patranda miracula eligit, d. 234, n. 8.
Longitudo clementiae Virginis, d. 281, n. 1.
Loquela B. M. Virginis quam miraculosa et efficax, d. 217, n. 7.
S. Lucae familiaritas cum B. Virgine, d. 385, n. 11.
Lucenses imagine B. Virginis miraculosa gaudent, d. 226, n. 34.
B. Lucis de Narni cur sibi eruerit oculos, d. 237, n. 71.
Christo desponsatur, ibid. n. 179.
Eius stigmata, ibid. n. 186, 196.

S. Ludovicus

S. Ludovicus rex Galliae rosarii precibus a Deo impetratus, d. 318, n. 19.
Quam fuerit devotus B. Virgini, d. 381, n. 33.
Ludovicus Ordinis s. Francisci moriens rosam ex ore emisit, d. 309, n. 11.
S. Ludovicus Bertrandus s. Teresiam ad reformationis opus animat, d. 317, n. 8.
Ab imbre intactus manet, d. 237, n. 92.
Toxica sumit illaesus, ibid.
Ludovicus III bavarus B. M. Virginis cultor fuit, disc. 381, n. 25.
Ludovicus Crassus B. Virgini devotus, ibid. n. 30.
Ludovicus XI Galliae rex B. M. Virgini quam fuerit addictus, ibid. n. 34.
Ludovicus comes erga B. Virginem quam fuerit devotus, ib. n. 95.
Ludovicus Pius imperator B. Virginis cultor sedulus fuit, ib. n. 21.
Ludovicus Hungariae rex quam fuerit devotus erga B. Virginem, ibid. n. 62.
B. Ludovico Bertrando temporalia divinitus subministrantur, d. 237, n. 161.
Lumen quid significet, d. 229, n. 40.
Luminarium festa apud Romanos quot erant, ibid. n. 39.
Eorum antiquissimus usus, d. 264, n. 2.
Illorum miracula, ibid. n. 10.
Lunae novae comparatur B. V. Maria, d. 229, n. 2, et 273, n. 13.

Lunulae in calceis Romanorum, d. 211, n. 10.
Lusitani ope B. Mariae mirabilem victoriam obtinent, d. 269, n 31
Lusitanorum gloria, d. 381, n. 63.
Lutheranorum saive, d. 256, n. 1.

Lutherus

Blasphemus in Virginem punitur, d. 358, n. 33.
Impugnat B. Virginem, d. 378, n. 1.
Lutheri error circa annuntiationem B. V. Mariae, disc. 227, n. 6.
Lutheri et Erasmi blasphemiae in B M. Virginem, d. 219, n. 2
Lucis splendor B. Mariam insinuat, d. 229, n. 41.
Luxuria foetet, d 309, n. 27.
Luxuriam quantum abhorreat, et detestetur B. Virgo, disc. 248, n. 11.
Lychnus B. Mariam indicat, d. 229, n. 41.

M

Madriti imago B. Virginis *de Atocha*, d. 226, n. 38.
Magistra apostolorum, evangelistarum et primaevorum christianorum, d. 385, n. 9, et seq.
Unus ex tribus Magis basilicam B. Virgini extruxit, d. 225, n. 9.
Paupertas B. Virginis in adventu Magorum, d. 287, n. 72.
Magistri sacri palatii officium quam dignum et nobile, disc. 316, n 37.
Magnificare Deum quid sit, d. 253, n. 15.
Magnificat cur in vesperis canitur, ibid. n. 22.
Cur singulis diebus, ibid. n. 24.
Multa mirabilia patrata per illud canticum, ibid. n. 25.
Daemonibus terribile, ibid. n. 28.
Magnitudo B Mariae, d. 355, n. 11.
Quanta, d. 360, n. 17.
Maiestas Christi in praesepio, d. 337, n. 6.
Melitenses tres imagines B. M. Virginis a s. Luca depictas habent, d. 226, n. 11.
Malum quotuplex, d. 325, n. 7.
Mandata Dei servet quisquis B. Mariae clementiam sentire vult, d. 281, n. 9.
Manichaei Mariae inimici, d 278, n. 12.
Mansuetudo Iesu in receptione Iudae, d. 340, n. 21.
Mansuetudo Christi in flagellatione, d. 341, n. 4, 10.
Mansuetudo innata B. Mariam clementem facit, disc. 282, n. 2.
Manuale Societatis annuntiatae, d. 321, n. 1.
Marcelli dicterium, d. 276, n. 26.
F. Marcus Conversus ope B. M. Virginis a faucibus mortis ereptus, d. 237, n. 95.
Marcus Cato quid in vita paenituit, d. 283, n. 9.
B. Margarita Sprensis a B. M. Virgine sanatur, d. 237, n. 219.
B. Margarita a Castello erudita a B V. Maria, ibid. n. 57.
Margarita Diaz ope Dei Genitricis e puteo liberatur, ibidem, n. 96.
B. Margaritae dominicanae devotio erga B. M. Virginem, d. 222, n. 21.
Margaritae austriacae pietas et devotio erga B. Virginem, d. 381, n. 111.

Maria

Maris stella Maria, d. 291, n. 5.
Mari amaro dolor Mariae comparatur, d. 394, n. 17.
Maria paupertatis magistra, d. 211, n. 17.
Cur novacula dicta, d. 218, n. 12.
Unde habuerit quod sui Filii cogitationes cognoscebat, d. 212, n. 6.
Unde tantam rerum divinarum cognitionem habuerit, ibid. n. 8.
Cur apis, sole amicta, et aurora dicatur, disc. 211, n. 2, et 248, n. 11.
Praeterita recogitabat, d 215, n. 2.
Mariae prudentia comparatur cum virginibus evangelii, disc. 218, n. 8.
Praesentia disponebat, d. 215, n. 2.
Futura providebat, ibid. n. 4
Cur tam attente cogitabat, ibid. n. 3.
Arcae Noe comparatur, ibid. n. 5.
Quater tantum legitur locuta, d. 217, n. 7.
Honorabilior est quam crux in qua Christus pependit, disc. 220, n. 9.
Cur non debeat adorari cultu latriae uti adoratur Christi crux, ibid. n. 10.
Istius dominium, ibid. n. 11.
Mater nostra est, ibid. n. 13.
Quomodo mediatrix nostra, ibid n. 14.
Unde habet quod adeo fuit taciturna, d 217, n. 14.
Nunquam locuta est, nisi praeventa, ibid. n. 16.
Per Mariam omnia a Deo nobis donantur, d. 223, n. 3.
Pro christianis pugnat, d. 226, n. 36.
Cur dicatur Mater misericordiae, d. 256, n. 6.
Quomodo vita, ibid. n. 7.
Quomodo dulcedo, ibid. n 8.
De Maria loqui dulce, d. 274, n. 1.
Sola fortior est contra daemones, quam omnes sancti simul, et cur, d. 276, n. 11.
Cur cedro comparata, d. 278, n. 17.
Est speculum fidei, d. 287, n. 3.
Speculum spei et fiduciae in Deum, ibid. n. 6.
Speculum amoris erga Deum, ibid. n. 10.
Erga proximum, ibid n. 15.
Speculum dilectionis inimicorum, ibid. n. 23.
Speculum religionis ac devotionis, ibid. n. 25.
Humilitatis, ibid. n. 31.
Obedientiae, ibid. n. 47.
Verecundiae, seu pudoris virginalis, ibid. n. 58.
Castitatis, ibid. n. 64.
Paupertatis, ibid n. 66.
Prudentiae, iustitiae, fortitudinis, ibid, n. 75, et seq.
Temperantiae, abstinentiae, ieiunii, et sobrietatis, ibid. n. 82, et seq.
Mansuetudinis, ibid. n. 93.
Clementiae, et modestiae in exterioribus actibus, ibid. n. 94, et seq
Speculum modestiae in sermone, hoc est taciturnitatis seu silentii, d. 217, n. 3.
Septies tantum locuta legitur, d. 287, n. 101.
Cur tam taciturna fuerit, d. 277, n. 14, et 287, n. 106.
Speculum modestiae in ornatu corporis, seu vestibus, d. 287, n. 107.
Solitudinis, hoc est vitae solitariae, d. 237, n. 109.
Patientiae, d. 287, n. 118.
Quatenus sit sedes sapientiae, et cuius sapientiae, disc. 288, n. 1.
Sedes Dei a sanctis patribus dicta, ibid. n. 11.
Fuit apostolorum magistra, d. 296, n. 10.
Fidelibus primitivae Ecclesiae causa fuit laetitiae, ibid. n. 13.
Pro s. Stephano, dum lapidabatur, orabat, ibid. n. 14.
Illius parentum cur in Scripturis nulla fiat mentio, d. 298, n. 8.
Cur senibus concessa, d. 299, n. 1.
Gratiae ac virtutum filia, ibid.
Fuit a parentibus oblata per votum, ibid. n. 14.
Spiritus sancti instrumentum, d. 300, n. 3.
Cur unio dicta, ibid.
Per Mariam Deus omnia bona confert, ibid. n. 4.
Per Mariam Ecclesia plantata, ibid. n. 5.
Quid tunc faciebat, quando nuntius Gabriel ad eam venit, d. 335, n. 16.
Quid et quomodo orabat, ibid.
Gabrieli assurrexit, ibid.
Illius modestia in annuntiatione, ibid. n. 18.
Quo corporis gestu angelo assenserit, d. 335, n. 26.
Cur festinaverit ad domum Zachariae, unde habuerit quod existens gravida festinaverit, d. 336, n. 2, 5.
Christum mox natum adoravit, d. 337, n. 7.

In partu quid egerit, et quomodo Christum peperit, ibidem, n. 12.
Quid tunc faciebat, quando Christus orabat in horto, d. 340, n. 26.
In horto cum Christo quomodo orabat et agonizabat, ibid.
Unde Christi omnem passionem praesciebat, ibid.
Flagellationi Christi interfuit, d. 341, n. 15.
Quid egerit, cum Christus in cruce pependit, d. 344, n. 13.
Cum angelo expostulat, d. 342, n. 18.
In resurrectione Filii divinam essentiam vidit, d. 345, n. 7.
Phoenicis more mortua est, d. 348, n. 5.
Daemonem in morte non vidit, ibid. n. 9.
Quaenam videat in Deo, d. 350, n. 9.
Cur dicta *minor mundus*, d. 351, n. 6.
Davidis filia et aemula, d. 352, n. 4, 5, 6.
Quomodo tentari potuerit, d. 353, n. 8.
Cur Dea dicta, d. 270, n. 5, et 358, n. 6.
Arcae Noe comparatur et praefertur, d. 358, n. 1.
Arcae foederis comparatur, ibid.
Cur collum dicta, ibid. n. 4
Arca quomodo appellata, ibid. n. 5.
Esurientes pascit, d. 362, n. 2.
Sitientes potat, ibid. n. 4.
Intus et foris deaurata, d. 358, n. 18.
Propitiatorio comparata, ibid. n. 22.
Cur dies dicatur, d. 361, n. 5.
Quantas gratias sanitatum conferat in monte Pessulano, d. 365, n. 9.
Mater est nedum iustorum, verum et peccatorum, d. 366, n. 9.
Alios ad orandum incitabat, ibid. n. 14.
Quibus modis sit consolatrix afflictorum, d. 368 per totum.
Sola umbra illius afflictos solabatur, ibid. n. 8.
Cur dicta multocula, ibid. n. 9.
Laborantibus subvenit, d. 370, n. 2.
Ubi sepulta, d. 372, n. 6.
In assumptione sua multas animas e purgatorio eduxit, et ad coelum duxit, d. 373, n. 8.
Diebus nativitatis et resurrectionis Iesu Christi multas animas e purgatorio eripit, ibid. n. 10.
Unde fiat ut christianos in bello iuvet, d. 377, n. 31.
Nomen ab angelis accepit, d. 380, n. 3.
Cur Regina patriarcharum dicatur, d. 382 in praef.
Praefertur Adamo, ibid. n. 2.
In partu divinam essentiam vidit, ibid. n. 12.
Prophetissa est omnibus prophetis maior, d. 383, n. 5.
Apostolorum magistra, d. 385, n. 9.
Quot annis post ascensionem Christi superstes manserit, et quid illo tempore egerit, ibid. n. 14.
Gladio ferreo non fuit occisa, d. 389, n. 7.
In morte sui Filii acriter doluit, ibid. n. 17.
Quibus clavis fuerit affixa cruci Christi, d. 391, n. 5.
Speculum passionis Christi, et quomodo cum Christo patiebatur, ibid. n. 6.
Cum Christo patiebatur, ibid. n. 8.
In Filii sui pectore se immolabat, ibid. n. 16.
Martyr eximia fuit, d. 392, n. 1.
Dolores quos in partu non habuit, in Filii morte sensit, ibid. n. 4.
Plus passa est, quam ceteri martyres, ibid. n. 6.
Sanguinem Christi sub cruce collegit, d. 393, n. 20.
Quomodo sit crux Christi, d. 395, n. 10.
Sub cruce stans pro Iudaeis oravit, d. 396, n. 17.
Christum de cruce depositum in ulnis tenens, et singula membra contemplans, d. 398, n. 5.
Cur Regina confessorum, d. 399 in praef.
Mater misericordiae libenter audit, d. 282 per totum.
Per quid facta sit Mater Dei, d. 287, n. 4.
Cur dicta sceptrum fidei, ibid. n. 5.
Mariae nomen medicinale, d. 364, n. 6.
Mariae discipulus qualis esse debeat, d. 222, n. 11.
Qui optimus, ibid. n. 12.
Mariae fides fide Abrahae et Davidis maior, d. 283, n. 4.
Mariae nomen odorem suavissimum exhalat, d. 309, n. 31.
Maria est probatica piscina, d. 364, n. 8.
Paupertatis amans, d. 382, n. 35.
Maria universalis patrona, d. 366, n. 29.
Mariae diligentia in corde suo custodiendo, d. 213, n. 2.
In custodiendis suis sensibus, ibid. n. 4.
In auribus suis custodiendis, ibid. n. 7.
Mariae sororis Moysi cum B. Virgine parallelus, disc. 362, n. 4.
Quomodo magnificavit Deum, d. 253, n. 15.
Mariae prudentia qualis fuerit, d. 211, n. 4.
Eius paupertas, ibid. n. 7.
Eius caritas, ibid. n. 11.
Per Mariam cur omnia bona nobis a Deo dentur, disc. 223, n. 3.
B. Mariam esse venerandam multa suadent, d. 219, n. 3.
Mariam cur per hyperduliam colimus, d. 220, n. 6.
Vide Virgo.
S. Maria *de pace* cur sic dicta, d. 231, n. 17.
S. Maria *ab arcu* qua occasione venerari coepta est, d. 226, n. 30.
S. Maria a s. Dominico dolores Christi sensit, disc. 237, n. 203.
B. Maria aegyptiaca interventu B. Virginis in templum admittitur, d. 226, n. 20.
Conversa, d. 367, n. 5.
Maria Raggi stigmata Christi accepit, d. 237, n. 198.
S. Maria Oegniacensis *Magnificat* moribunda canit, d. 253, n. 26.
Ei apparet B. Maria, ibid.
Eiusdem devotio erga B. M. Virginem, discursu 222, n. 13.
Eiusdem visio in die purificationis B. Virginis, d. 229, n. 48.
Mariaeburgum arx in Prussia unde dicta, d. 352, n. 10.
S. Martha templum B. Virgini extruxit, d. 225, n. 13.

S. Martinus

S. Martinus episcopus turonensis quam B. Virgini carus, d. 388, n. 10.
Martini Navarri devotio erga B. Virginem, d. 222, n. 17.
Eius lapsus, d. 310, n. 8.
Illius auctoritas enervatur, ibid. n. 10.

Martyres

Martyres in cruciatibus hilares, d. 395, n. 5.
Martyres ex Ordine praedicatorum, d. 237, n. 211.
Martyres dominicani recenti saeculo, d. 316, n. 12.
Martyres in cruciatibus iuvat B. Virgo, d. 370, n. 8.
Martyrum consolatrix B. Virgo, d. 368, n. 6.
Martyrium Mariae, d. 389, n. 4.

Mater

Matris Dei dignitas quanta, d. 220, n. 8.
Ex honore Matris probatur assumptio B. Virginis, disc. 230, n. 12.
Matrem Dei esse quid sit, d. 298, n. 15, et 302, n. 15.
Matres quae filios suos martyrio obtulerunt, d. 396, n. 8.
Matres nomina filiis indunt, d. 237, n. 16.
Eis tunicas parant, ibid. n. 18.
Matres filios a sancto proposito avertentes taxantur d. 391, n. 4.
Matrum fortitudo in morte filiorum, d. 389, n. 1.
Matrum amor erga suam prolem exaggeratur, d. 393, n. 9.
Maternitas Dei quanta sit dignitas, d. 302, n. 12.
Quodammodo infinita, ibid. n. 16.
S. Maternus templum B. M. Virginis consecravit, disc. 225, n. 15.
Matricula rosarii cur invento, d. 350, n. 18.
Cur confratres in ea inscribantur, ibid. n. 19.
Matrimonium B. Virginis laudatur, d. 358, n. 29.
S. Matthaei apostoli et evangelistae affectus erga B. Virginem, d. 386, n. 8.
S. Mathias *a pace* in specie pauperis Christum in suis humeris portat, d. 237, n. 150.

Digitized by Google

Manritii imperaloris constantia, d. 395, n. 18.
Mauri quot annis Hispanias occuparinl, d. 232, n. 22.
Maximilianus Bavariae dux Dei Genitricis ope hostes profligat, d. 260, n. 36.
Ope B. M. Virginis haereticos ad Pragam profligat, d. 387, n. 27.
Medalliam imagine B Virginis insignitam gestare quam sil salutare, d. 222, n. 12.
S. Medardi munificentia in pauperes, d. 372, n. 5.
Mediatrix nostra est B. V. Maria quomodo, d. 220, n. 14, et 366, n. 14, 22.

Meditatio

Meditatio passionis Christi quam sit merilоria, d. 247, n. 3.
Meditatio B. Virginia assidua fuit tam in somno, quam in vigilia, d. 384, n. 5.
Meditationis B. Virginis in templo puncta, d. 305, n. 5.
Meditationis laus, d. 334, n. 1.
Meditationes vitae ac mortis Christi quam salutares, ibid.
F. Melchior mosticensis fidem catholicam propugnat, disc. 316, n. 36.
Menologium carmelitarum, d. 242, n. 1.
Mens B. Virginis qualis fuerit, d. 216, n. 2.
Mensa propositionis mens B. Virginis, d. 355, n. 17.
Mensura templi Salomonis, ibid. n. 11.
S. Mercurius iussu B. Virginis Iulianum apostatam occidit, d. 226, n. 15.
Meritorum B. M. Virginia efficacia quanta, d. 287, n. 16.

S. Michael

Michael archangelus qua occasione B. Virginem adoravit, d. 219, n. 7.
B. Virginem praedicat, d. 272, n. 3.
Animas e corpore egredientes suscipit, d. 371, n. 3.
Per s. Crucem daemones a s. Maria Magdalena pellit, disc. 330, n. 11.
F. Michael Mosticensis Ruthenos ad unitatem reducit, disc. 316, n. 36.
Michael imperator B. Virgini addictus fuit, d. 381, n. 19.
Milites s. Mariae *de Calatrava*, d. 239, n. 8.
De monte Carmelo, ibid. n. 9.
Militibus exemplum devotionis in B. Virginem, d. 235, n. 5.
Milvus duobus dominicanis iter monstrat, d. 237, n. 143.
Minimorum Ordo B. Virgini addictus, d. 399, n. 128.

Miraculum

Miraculum sabbatinum, d. 232, n. 8.
Miraculum in die festi purificationis, d. 229, n. 52.
Miracula imaginis gildensis B. Virginis, d. 226, n. 64.
Miracula apud montem Serratum, ibid. n. 45.
Miracula per *Salve Regina* patrata, d. 255, n. 9.
Miracula apud Guadalupam, d. 226, n. 47.
Miracula septem orbis, d. 356, n. 18.
Miracula patrata ad hoc responsorium, *Gaude Maria Virgo*, etc. d. 257, n. 2, et seq.
Miracula ad zonam B. M. Virginis patrata, d. 267, n. 15, et seq.
Miranda in Christi nativitate, d. 337, n. 8.
Misericordia B. Virginia maior nunc est, quam cum eral in terra, d. 281, n. 12.
Mater misericordiae libenter audit, ibid. n. 13.
Misericordia Mariae erga peccatores, d. 366, n. 6.
Missa de rosario quanti valoris, d. 319, n. 13.
Missae sacrificia an fas sit in honorem Deiparae celebrare, et vota nuncupare, d. 235, n. 1.
Quatenus celebrentur, ibid.
Quam ei sint gratae, ibid. n. 3.
Mithridates linguarum gnarus, d. 317, n. 10.
Moabitas cur Deus levius punierit, d. 293, n. 6.
Modestia quid sit, d. 287, n. 95.
Quanta fuerit corporis in B. V. Maria, ibid.
Modestia B. M. Virginis, d. 339, n. 17, et 355, n. 19.
Modestia Virginis in annuntiatione, d. 335, n. 18.
Modestia in oculis B. Virginis quanta fuerit, d. 213, n. 5.
Discenda, ibid. n. 6.
Modus construendi templi, d. 355, n. 6.
Monacho devote *Magnificat* canenti B. Virgo apparet, eumque osculatur, d. 253, n. 27.
De moniali quadam narratio Caesarii, d. 222, n. 34.
Moniales Ordinis s. Dominici a B. Virgine instructae, d. 237, n. 56, et seq.
Monoceros in sinu virginis se capi permittit, d. 282, n. 5.
Mons comparatur B. M. Virgini, d. 351, n. 5.
Mons refugii B. Virgo, d. 366, n. 25.
Mons Moria dicitur B. V. Maria, d. 355, n. 9.
Mons Serratus imagine prodigiosa B. Virginis claret, d. 236, num. 44.
Mores Christi in pueritia, d. 339, n. 3.
Moribundi a B. M. Virgine visitati et consolati, d. 359, n. 15.
Moribundi cur cereos gestent, d. 264, n. 8.
Mors B. Virginis qualis fuerit, d. 348, n. 4.
Mors B. Virginem devorare timuit, d. 349, n. 6.
Mortis hora quam terribilis, d. 371, n. 1.
Eadem hora B. Virgo suis adest, ibid. n. 2.
Mortis hora B. Virgo suis patrocinatur, d. 281, n. 7.
Mortificationes in honorem Deiparae exhibitae, d. 233 per totum.
Mos verus depingendi B. Virginem, d. 287, n. 105.
Moyses impurae nutricis ubera sugere renuit, d. 353, n. 4.
Moyses B. Virginem legi purificationis non obstrinxit, disc. 338, n. 8.
Moyses in corpore et anima beatus, d. 230, n. 11.

Mulieres

Mulieres quam sint misericordes, d. 281, n. 4.
Mulieres mundi iudicio prudentes, d. 218, n. 3.
Mulieres ex Scriptura sacra prudentes, ibid. n. 4.
Mulieres religiosae, et tam fortes tempore passionis Christi per V. Mariam, d. 293, n. 9
Plures salvantur quam viri Virginis patrocinio, ibid. n. 10.
Mulieres quosnam in fide instruxerint, d. 385, n. 13.
Mulieres dicuntur vasa, d. 300, n. 1.
Mulieres sunt natura loquaces, d. 283, n. 9, et 287, n. 101.
Mulierum consuetudo legem non facit, d. 218, n. 2.
Mulierum misericordium exempla, d. 282, n. 4.
Mulierum interventu bella sedata, ibid. n. 9.
Mulierum opprobrium Maria abstulit, d. 293, n. 7.
Illarum est gloria, ibid.
Illarum religio, pietas, fortitudo in Christi passione, d. 293, num. 9.
Mulierum fortium nomina et laudes, d. 276, n. 28.
Illarum gloriosi triumphi, ibid. n. 30.
Mulieribus Christus quam favorabilis ob amorem Matris suae, d. 293, n. 8.
Mulieribus solitudo commendatur exemplo Mariae, d. 287, n. 114.
Mulus Eucharistiae Sacramentum adorat, d. 263, n. 18.
Munditia elephantis quanta, d. 353, n. 1.

Mundus

Mundus Dei speculum, d. 285, n. 3.
Conditus est Iesu et Mariae amore, d. 292, n. 9.
A Mariae precibus sustinetur, ibid. n. 11.
Mundi miseria ante nativitatem B. M. Virginis, disc. 382, num. 13.
Mundi status ante Christi adventum qualis, d. 335, n. 1.
Murus et antemurale quomodo sit B. Virgo, d. 366, n. 21.
Musca impudicitiae symbolum, d. 355, n. 10.
Myrteli clypeus B. M. Virgo, d. 352, n. 11.
Mysteria quae in cruce continentur, d. 330, n. 9.

N

Naeniae haereticorum contra processiones christianas refelluntur d. 266 per totum.
Narsetis victoria de Gothis, d. 377, n. 3.

Narsis ducis affectus erga B. Virginem, d. 381, n. 80.
Nasus quid designet, d. 213, n. 10.
Nativitas Mariae toti mundo causa est laetitiae, d. 298, n. 3.
Nativitatis B. M. Virginis festum quando inceptum, d. 229, num. 22.
Praesentationis, ibid. n. 26.
Annuntiationis, ibid. n. 31.
Visitationis, ibid. n. 35.
Purificationis, ibid. n. 36.
Nativitatem Christi signa praecedentia, d. 361, n. 3.
Ante Nativitatem Christi quis status, ibid.
Navicula duos continens dominicanos sponte ad litus venit, d. 237, n. 144.
Navigantes olim S. Eucharistiam secum portabant, d. 263, num. 14.
Neapolis imagines Deiparae quot habeat, d 226, n. 22.
Negligentium in rosario qualis poena, d. 320, n. 17.
Nemo salvatur nisi per Mariam, d. 339, n. 11.
Nepotianus a s. Hieronymo laudatus, d. 264, n. 15.
Neronis domus aurea, d. 356, n. 9.
Nestorius Mariae hostis, d. 278, n. 9.
B. Nicolaus a Iuvenatio quam ferveus praedicator, d. 237, num. 239.
Aves concionem eius audiunt, ibid.
Nicolaus Warszacoski eques polonus ope B. Virginis e Tartarorum captivitate liberatur, d. 370, n. 6.
Nicolaus ravennas dolores Christi sensit, d. 237, n. 200.
S. Nicolai episcopi Myrae studium erga B. Virginem d. 222, n. 20, et 388, n 12.
Eidem B. Virgo pallium et mitram restituit, d. 388, n. 12
Nithardus B. Virginis studiosus, d. 222, n. 20.
Nobilitas vera quae, d. 298, n. 4.
Nobilitas cantici *Magnificat* ex variis diversorum elogiis declaratur d. 253 per totum.
Noctis incommoda, d. 237, n. 80.
Numisma sancto Dominico coelitus mittitur, d. 237, n. 156.
Nutrices mores suos in infantes cum lacte transfundunt, d. 353, n. 4.

O

Obediens-obedientia

Obediens verus quisnam sit, d. 287, n. 53.
Obedientia M. Virginis, ibid. n. 52.
In purificatione, ibid. n. 52, 56.
Quam ardua fuerit, ibid. n. 56.
Obedientiae promptae miraculosus effectus, d. 237, n. 36, et 338, num. 9.
Obiectiones haereticorum contra salutationem angelicam, eiusque recitationem, d. 247 per totum.
Contra cultum Mariae, d. 270 per totum.
Contra rosarium, d. 321, n. 12.
Contra scientiam, potentiam, ac bonum affectum B. Virginis erga nos, d. 416 per totum.
In peregrinationes, d. 234, n. 7, 13.
Obsequium in festo annuntiationis B. Mariae praestandum, d. 220, n. 34.
Obsequia Ecclesiae catholicae B. Mariae impensa, d. 224, num. 18.
Occasio institutionis festi visitationis B. M. Virginis, ibid. num. 35.
Occasio festi B. Mariae ad Nives, d. 230, n. 17.
Occasio institutionis sodalitatis rosarii, d. 310, n. 14.
Occisi ope B. Virginis ad vitam redeunt, d. 226, n. 38.
Octava festi assumptionis B. Virginis qua occasione instituta, d. 229, n. 50.
Octava festi nativitatis B. Virginis qua occasione instituta, ibid. n. 22.
Oculi B. M. Virginis quam modesti, d. 213, n. 5.
Oculorum modestia in B. Virgine quanta, ibid.
S. Odilonis devotio in B. Virginem, d. 399, n. 8.
S. Odo qua occasione B. Virginem appellarit Matrem misericordiae, d. 281, n. 14.

Officium

Officium parvum de B. Virgine, d. 236, n. 17.
A quo compositum, d. 234, n. 4.
Officium Sabbati de B. Virgine, d. 232, n. 6, et 236, n. 18.
Eius origo, ibid.
Officium suum B. Virgo cum quodam novitio recitat, d. 237, num. 230.
Officium B. M. Virginis apud fratres Ordinis praedicatorum, ibid. n. 229.
Officium de s. Dominico quis composuit, d. 310, n. 9.
Officia ethnicorum personis dignis exhibita, d. 224, n. 18.
Oleum quid significet, d. 218, n. 8.
Oleum ex imagine B. M. Virginis manans, d. 226, n. 16.
Oleum B. Virginis s. Thomae cantuariensi donat, d. 267, num. 38.
Olfactus B. Virginis qualis fuerit, d. 213, n. 8.
Oliva cuius rei symbolum, d. 280, n. 19.
Olivae comparatur B. V. Maria, ibid.
Operarii templi Salomonis quot, d. 335, n. 5.
Opilioni B. Virgo apparet, d. 226, n. 40.
Opinio quorundam absurda de conceptione B. Virginis, d. 229, n. 14.
Opiniones variae de antiquitate et institutione rosarii, d. 323, n. 1.
Opinio pia quod Christus ascensurus in coelum corpus et sanguinem suum apostolis dedit, d. 346, n. 4.
Opprobria Christi quanta, d. 393, n. 24.

Opera

Opera bona ad quid sint medium, d. 214, n. 1.
Ad Deum semper dirigenda, ibid. n. 7.
Opera misericordiae corporalia et spiritualia in honorem B. M. Virginis, d. 269, n. 2, 5.
Opera omnia misericordiae Christo exhibuit, d. 306, n. 3.
Opera bona ultra Christi merita nobis sunt necessaria, d. 318, n. 26.
Opera quae exercuit B. Virgo, qualia fuerint, d. 215, n. 7.
Ad quem semper directa, ibid. n. 5.
Unde tam recta, ibid. n. 6.
Oraculum delphici Apollinis, d. 223, n. 6.

Oratio

Oratio solitaria commendatur, d 340, n. 13.
Oratio Christi in horto, ibid. n. 20.
Oratio ad Christum in hortum agonizantem, ibid. n. 19.
Oratio ad Iesum et ad B. M Virginem, d. 342, n. 24, 313, n. 16, 17, et 314, n. 23.
Oratio ad Christum flagellatum, d. 341, n. 16.
Ad B. M. Virginem, d. 339, n. 20, et 341, n. 17.
Oratio dominica explicatur, d. 323, n. 1, et 325, n. 7.
Temporibus apostolorum usitata, ibid.
Orationis dominicae encomium et excellentia super alias, d. 326, n. 2, 3.
Orationis dominicae excellentia ubi laudetur, et a quo, ibid. n. 4, 5.
Orationi dominicae cur salutatio angelica subiiciatur, d. 331, n. 10.
Oratio Beatae Mariae ante partum, d. 337, n. 13.
Oratio contra pestem, d. 259, n. 22.
Orationis Christi in horto apparatus, d. 310, n. 11.
Oratorii Congregatio Virginis studiosa, d. 399, n. 147.
Orbis novi inventio fructus rosarii, d. 317, n. 10
Ordinationes fratrum praedicatorum circa rosarium, d. 236, n. 10.

Ordines

Ordo fratrum B. M. Virginis de monte Carmelo, disc. 238, n. 2.
Ordo servorum B. M. Virginis a quo, et qua occasione institutus, ibid n. 9.
A quo confirmatus, ibid. n. 10.

Ordo B. M. Virginis de mercede redemptionis captivorum a quo institutus, ibid. n. 8.
Ordo montis Oliveti B. M. Virginis a quo et qua occasione institutus, ibid. n. 12
Ordo S. Mariae Montissae, ibid n. 14.
Ordo monialium annuntiationis B. M. Virginis, ibid. n. 10.
Ordo equitum Dominae nostrae *de Stella*, d. 239, n. 2.
Ordo B. M. Virginis Teutonicorum, et eius origo, ibid. n. 3.
Ordo Ensiferorum, ibid.
Ordo equitum annuntiationis B. M. Virginis, ibid. n. 4.
Ordo equitum B. M. Virginis *e carduo*, ibid. n. 5.
Ordo militum coniugatorum Mariae, ibid. n. 6.
Ordo militaris sub titulo conceptionis Deiparae Virginis immaculatae, ibid. n. 7.
Ordo militum S. Mariae *de Calatrava*, ibid. n. 8.
De monte Carmelo, ibid. n. 9.
Ordo benedictinorum et cluniacensium, d. 240, n. 2, 5.
Ordo praemonstratensium, ibid. n. 0.
Ordo carthusianorum, ibid. n. 7.
Ordo cisterciensium, ibid. n. 8.
Eius origo, ibid.
Ordo minorum, et eorum devotio erga B. Virginem, ibid. n. 16.
Ordo minimorum Deiparae addictus, d. 399, n. 128.
Ordo in processionibus quid denotet moraliter, d. 264, n 12.
Ordo de mercede redemptionis captivorum ex rosario prodiit, d. 317, n. 3.
Servorum B. Mariae, ibid. n. 4.
Ordo de militia Iesu Christi unde prodiit, ibid. n. 5.
Ordo praedicatorum, d. 236, n. 2.
B. Virgini carissimus est, d. 237, n. 1.
Quibus nominibus appelletur, ibid. n. 17.
Ordo praedicatorum schismatis tempore divisus, d. 314, n 4.
Ordinis praedicatorum encomia a summis pontificibus prolata, d. 316, n. 2.
Eiusdem munus quod, d. 350, n. 1.
Ordines religiosorum virorum sub titulo B. M. Virginis instituti, d. 236 per totum.
Ordines militares sub titulo Dei Genitricis Mariae in Ecclesia militantes, d. 239, n. 1.
Ordines quot prodierint ex Ordine s. Benedicti, disc. 240, n. 3, et seq.
Ordines religiosi ex rosario, d. 317 per totum.
Ordines sancti et Religiones a Maria instituti, d. 300, n. 7.
Ornatus templi montis Serrati, d. 226, n. 46.
Guadalupensis templi, ibid. n. 47.
B. Osanna mantuana dolores Christi sensit, d. 237, n. 202.
Mysterium purificationis Mariae et oblationis Christi in templo in spiritu vidit, d. 338, n. 19.
Fuit instructa a B. V. Maria, d. 237, n. 58.
Eidem Iesum infantem dedit tractandum B. M. Virgo, ibid. n. 187.
Ostium et ianua in quo differant, d. 330, n. 1.
Oves ante imaginem B. Virginis genua flectunt, d. 226, n. 54.

P

Palatium regis Sinarum quam splendidum ac magnificum, d. 356, n. 8.
Pallium sapientiae symbolum, d. 212, n. 5.
Panis coelitus offertur s. Dominico, d. 237, n. 27.
Paradisus mysticus Christus, d. 394, n. 2.
Paradisus fuit B. Virgo Maria, d. 289, n. 44, et 381, n. 7.
Paraphrasis *Salve Regina*, d. 255, n. 14.
Paraphrasis salutationis angelicae, d. 215, n. 2.
Parentum ratio non babenda in Dei negotio, disc. 339, n. 5, 15.
Partus B. Mariae non fuit more aliarum puerperarum, disc. 226, n. 7.
Passionis Christi instrumenta, d. 260, n. 13.
Passionis Christi meditatio quam sit meritoria, d. 247, n. 3.
Pastorum circa Christi nativitatem devotio, d. 337, n. 21.
Patris aeterni gaudium in Christi ascensione, d. 346, n. 9.
Patres boni saepe malos filios generant, d. 282, n. 3.
Patres carmelitae fratres B. Virginis, d. 221, n. 12.
Patribus veteris testamenti quomodo profuerit B. Virgo, d. 293, n. 5.
Patientia quid sit, d. 287, n. 118.
Patientia Christi in acceptatione sententiae iniquae Pilati, d. 343, n. 3.
Patientia Iosephi patriarchae in Aegypto, d. 382, n. 48.
Patientiae exemplum, d. 237, n. 117.
Patriarcha quid significet, d. 382 in praef.
Quis fuerit primus, ibid. n. 1.
Patriarcharum ossa Moyses ex Aegypto transtulit, d. 260, n. 20.
Patrocinium singulare Virginis, d. 320, n. 4, et seq.
Patrona universalis B. V. Maria, disc. 366, n. 16, et 370, n. 23.
Patroni diversarum provinciarum, d. 370, n. 23.
S. Paulus cur vas electionis dictus, d. 300, n. 2.
B. Paulus Ordinis cisterciensis Conversus hora mortis B. M Virginem vidit, d. 371, n. 4.
S. Pauli studium erga B. Virginem, d. 386, n. 3.
Pauli eremitae religio, d. 323, n. 4.

Paupertas

Paupertas qualis sit afflictio, d. 369, n. 1.
Paupertas primitivorum christianorum a quo sumpta, ibid. n. 4.
Paupertas Christi in nativitate, d. 337, n. 4.
Paupertas Mariae qualis, d. 211, n. 8, et 287, n. 66.
In desponsatione, d. 287, n. 67.
In purificatione, ibid. n. 69.
In profectione in Aegyptum, ibid. n. 70.
In nativitate Salvatoris, et in adventu Magorum, ibid. n. 71.
In oblatione Filii in templo, d. 338, n. 10.
Paupertatis amor in B. Virgine, d. 211, n. 7.

Peccatores—peccatum

Peccatores sunt bestiae, d. 366, n. 26.
Peccatores corripit B. Virgo, d. 284, n. 9.
Peccatores quot in genealogia Salvatoris, d. 382, n. 25.
Peccatores per Mariam ad Deum conversi, d. 367, n. 4.
Peccatoribus patrocinatur B. V. Maria, d. 279, n. 6.
Peccatoribus quibus non patrocinatur B. V. Maria, disc. 367, n. 13.
Invectiva in peccatores, d. 340, n. 7, 9.
Peccatum quam grave sit, ibid. n. 15.
Est semen diaboli, d. 277, n. 1.
Peccati omnis expers B. V. Maria, ibid. n. 2.
Peccata cur dicantur, d. 230, n. 8, et 325, n. 7.
Peccata odit B. V. Maria, d. 367, n. 15.
Pelagius Asturum princeps ope B. Virginis insignem victoriam reportavit, d. 377, n. 8.

Peregrinatio

Peregrinatio sacra Deo grata, d. 234, n. 6.
Peregrinatio ierosolymitana a quo ortum habuerit, d. 307, n. 7.
Peregrinatio laudatur, d. 234, n. 2.
Quis cultus sit, ibid. n. 3.
Ierosolymitana et romana laudatur, ibid.
Peregrinationes ad loca sacra in honorem B. Virginis a fidelibus recte institui probatur d. 234 per totum.
Peregrinationes antiquorum christianorum ad B. Virginem, d. 224, n. 6.
Peregrinationes veterum, d. 234, n. 4.
Ex sacra Scriptura probantur, ibid. n. 5.
Perfectiones rerum naturales, d. 303, n. 4.
Supernaturales, ibid.
Persecutio ab Innocentio IV in Ordinem praedicatorum, disc. 237, n. 119.
A magistris parisiensibus, ibid. n. 120.
Ab assentatoribus Ioannis XXII, ibid. n. 121.
A Benedicti XII assentatoribus, ibid. n. 122.
Persecutio primaevorum christianorum, d. 385, n. 7.

Digitized by Google

Persecutiones rosarii quae et quantae, d. 321, n. 12.
Peruviae regnum a quibus sanctitate et doctrina illustratum, d. 316, n. 43.
Pestilentiam abigit B. Maria, d. 370, n. 11.
Pestis saevissima per totum orbem, d. 314, n. 1.
S. Petrus apostolus B. V. Mariae sacellum erexit, disc. 225, n. 11.
S. Petri apostoli studium erga B. M. Virginem, d. 386, n. 2.
S. Petrus martyr pro servitis se opponit, d. 238, n. 10.
Arguitur, d. 256, n. 5.
Idem calumniatus, d. 237, n. 106.
Eius praedicatio quam fructuosa, ibid. n. 238
A B. Virgine in fide confirmatur, ibid. n. 01.
B. Petrus podiensis morti proximus B. Virginem vidit, ibid. num. 256.
Petrus Caraitus ope B. Virginis mortem evadit, ibid. n. 93.
Ab insidiis diaboli liberatur, ibid. n. 65.
B. Petrus Damianus B. Virginis servus, d. 388, n. 22.
S. Petrus de Morono sanatus per B. Virginem, d. 362, n. 7.
Petrus de Vineis quis erat, illius epistola, et obitus, d. 310, n. 6, 7.
B. Petrus Fernandez morti proximus B. Virginem et s. Ioannem evangelistam ad se venientes aspexit, discur. 237, num. 260.
Pro s. Teresia sententiam fert, d. 317, n. 8.
Petrus Antonius Spinelius templorum Deiparae descriptor, d. 225, n. 17.
Petri Soto dominicani laus, d. 316, n. 34.
S. Pharao episcopus oratione navem ad ripam fluminis trahit, d. 299, n. 17.
B. Philippus a Tuderto, d. 238, n. 9.
B. Philippus Nerius a B. Virgine sanatur, d. 362, n. 21.
Philippus Augustus B. Virgini devotus, d. 381, n. 32
Philippus Pulcher Galliae rex victor ope B. Virginis, d. 377, num 10.
Philippus Valesius item, ibid. n. 17.
Philippus II Hispaniae rex quo affectu coluerit B. Virginem, d. 381, n 46.
Philippus III Hispaniae rex quam eximie B. Virginem coluerit, ibid. n. 47
Philippus Bonus B. Virgini addictissimus fuit, ibid. n. 81.
Philippus dux Burgundiae Beatae Virgini devotus fuit, ibid. num. 82.
Phoenicis more moritur Maria, d. 348, n. 5.
Pictores imagines B. Virginis depingentes quibus favoribus aucti, d. 221, n. 14.
Pilati sermo ad Iudaeos, d. 312, n. 11.
Piscina probatica B. V. Maris, d 361, n. 8.
Pius V christianos principes contra Turcam unit, disc. 231, num. 3
Pii V revelatio de victoria a christianis de Turca parta, ibid. num. 4.
Placidi Filingerii de dominicanis elogium, d. 316, n. 13, 19.
Platano cur B. V. Maria comparetur, d. 352, n. 9, et 372, num. 4.
Platonis votum, d. 368, n. 11.
Poena divina in eos, qui officium B. M. Virginis intermittunt, d. 254, n. 6.
Poenae eorum qui imagines B. Virginis violarunt, disc. 228, num. 7.
Poenitentium exempla, d. 276, n. 22.

Polonia

Polonia quantum B. V. Mariae devota, d. 226, n. 57.
Multis imaginibus prodigiosis ornata, ibid. n. 67, et d. 362, num. 23.
Quam graviter fuerit peste haeretica infecta, d. 310, n 36.
Opera fratrum praedicatorum ab haeresi expurgata, d. 316, num. 36.
Illius calamitates, d. 327, n. 6.
Eius curam B. Virgo gerit peculiarem, d. 227, 67.
Poloniae reges studiosissimi catholicae religionis, disc. 381, num. 54.
Poloni quam apte sua lingua sacerdotes vocent, disc. 289, num. 17.
Polonorum loca sacra, ad quae peregrini confluunt, quam salutaris, d. 234, n. 3.
Polonorum antiquorum devotio, d 244, n 17.
Polonorum caedes et terror a Turcis, d. 327, n. 0.
Potentia Dei quanta, d. 275, n. 1.
Potentia B. Virginis exaggeratur, ibid. n. 5.
Contra daemones, d. 276, n. 10.
Quanta sit, d. 278, n. 18.
Pontificis romani erga imagines B. Virginis devotio, d. 228, num. 5.
Pontifices romani quo studio Dei Genitricem coluerint, disc. 387 per totum.
Pontifices summi rosarium confirmantes, d 315, n. 12.
Porcus odorum fragrantiam quantum fugiat, d. 309, n. 32.
Porta coeli Maria, d. 359, n. 5.
Portus sub nomine B. M. Virginis, d. 352, n. 10.
Positio Christi in cruce cur talis, d. 344, n. 11.

Praedestinatio

Praedestinatio B. M. Virginis quam sublimis, d. 302, n. 2.
Revelata, d. 237, n. 255, 265.
Illius signum cultus B. Mariae, d. 359, n. 13.
Praedestinati cur vasa misericordiae, reprobi vero vasa irae dicti, d. 300, n. 2.
Praedestinatorum primi Christus et Maria, d. 219, n. 4.
Praedicantibus ex Ordine praedicatorum B. Virgo adsiat, eosque in praedicatione instruit et iuvat, d. 237, n. 53.
Praefationem de B. M. Virgine in missa quis addidit, d. 235, n. 0.
Praelati quot fuerint ex Ordine s. Benedicti, d. 240, n. 2.
Praesepe Christi est cathedra eius ex qua docet, disc. 337, n. 5.
Praesules ex dominicanis, d. 308, n. 14.
Praxis invocandi B. Virginem, d. 223, n. 0.
Praxis imitandi B. Virginem, d. 224, n. 13.
Pribislaus Damae rex B. M. Virginis fuit cliens, disc. 381, n. 73.
Primicerius quid sit, d. 359, n. 10.
Principes rosarium renovatum promovent, d. 315, n. 12.
Cur vocentur turres et angeli populorum, d. 351, n. 1.
Priscorum carmelitarum vita, d. 317, n. 2.

Processio

Processio B. M. Virginis in templum in die purificationis, d. 338, n. 4.
Processio beatorum die purificationis, d. 229, n. 46.
Processio cracoviensis fratrum Ordinis praedicatorum, disc. 226, n. 60.
Processio funebris in delatione corporis B. Virginis, d. 348, n. 11.
Processionis Christi ad montem Calvariae series, disc. 343, n. 5.
Processiones cur alicubi fiant per fora et plateas, etc. in quibus gestatur sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum, d. 262 per totum.
Quid nos doceant, ibid. n. 12.
Processiones ethnicorum unde originem habuerunt, d. 265, n. 10.
Ex usu antiquorum christianorum, ibid. n. 12.
Processionum rosarii auctor s. Dominicus, d. 260, n. 5.
Ordo processionum quid significet, d. 264, n. 12.
Nostrarum processionum exemplar est vita Christi et Mariae, d. 260, n. 7.
Earum causae, ibid. n. 9.
Processionum fructus, ibid. n. 10, et d. 266, n. 4.
Processionum ritus ostenditur ex Scriptura, d. 265, n. 2.
Earum exempla ex novo testamento, ibid. n. 11.
S. Procopii martyris vita quantae sit auctoritatis, disc. 223, n. 60.
Procopius Sienavius eques polonus ope B. Virginis a periculo vitae liberatur, d. 370, n. 5.

*

Profectus in virtutibus in B. Virgine quantus, d. 294, n. 3.
In b. Ioseph per B. Virginem, ibid.
Promotor coronae B. M. Virginis Iacobus de Coronis, disc. 259, n. 10.

Propheta

Prophetarum exemplum demonstrat B. Virginem venerandam, d. 219, n. 9.
Propheta quot modis accipiatur in Scriptura, d. 383, n. 1.
Prophetae in lege naturae et in lege mosaica, et prophetae novi testamenti, d. 383 in praef.
Non omnia intellexerunt quae in spiritu viderunt, disc. 381, n. 3.
Prophetarum variae visiones et cognitiones, ibid. n. 4.
Prophetiae de B. Virgine, d. 383, n. 9.
Prophetides multae, ibid. in praef.
Propitiatorium quid sit, d. 353, n. 11.
Propitiatorium B. M. Virgo, ibid. n. 15.
Protectio quam peccatoribus praebet B. V. Maria, eam coronat, d. 366, n. 29.
Protogenis tabula, d. 366, n. 21.
Provincia rosarii, d. 317, n. 10.

Prudentia

Prudentia quae perfecta, et quae imperfecta, d. 214, n. 1.
Prudentia vera quae, d. 218, n. 6.
Quotupiex, et quae sit unaquaeque, d. 211, n. 2.
In tribus consistit, d. 215, n. 1.
Prudentia vera quotupiex, d. 211, n. 3.
Prudentia perfecta quae, ibid. n. 4
Prudentia B. M. Virginis in quo maxime enituerit, ibid. n. 4, 5.
Qualis fuerit, ibid. n. 6, et d. 335, n. 24.
Prudentia B. Virginis cum prudentia aliarum sanctarum mulierum comparata, d. 218, n. 17.
Prudentia Gabrielis in quo enituerit, d. 333, n. 12.
Prudentia Iosephi patriarchae et B. M. Virginis, disc. 382, n. 50.
Prudentia in mulieribus rara, d. 218, n. 2.
Prudentia ethnicorum qualis, ibid. n. 6.
Prudentia cuius oculus, d. 216, n. 1.
Prudentia dicitur scientia et sapientia, d. 212, n. 1.
Prudentiae quot actus, et quot illius descriptiones, disc. 210, n. 2.
Prudentiae hieroglyphicum, d. 215, n. 1.
Prudentiae verae munus, d. 211, n. 1.
Psalmi quinque in honorem B. Virginis dictati, et miraculo illustrati, d. 259, n. 22.
Psalterium davidicum olim in quanta veneratione erat, disc. 310, n. 16.
Psalterium Davidis an nobilius mariano, d. 326 per totum.
Psalterium decachordum, d. 253, n. 20.
Puer submersus B. Virginis intercessione vitae redditur, d. 226, n. 31.
Puer iudaeus in ardentem fornacem iniectus ope B. Virginis incolumis evadit, d. 370, n. 12.
Pueri et iuvenes cur sertis redimiti in processionibus, disc. 261, n. 11.
S. Pulcheriae Augustae affectus erga B. Virginem, disc. 381, n. 100.
Pulcritudo B. Virginis quanta, d. 309, n. 16.
Cur rosae comparata, ibid. n. 20.
Libidinem extinguebat, ibid.
Pulcritudo corporis in regibus silenditur, d. 378, n. 16.
Pulsus trinus in die pro salutatione B. M. Virginis quid significet, d. 251, n. 4.
Purgatorii ignis quanta acerbitas, d. 373, n. 1.
Puritas B. M. Virginis, disc. 285, n. 2, 353, n. 4, et 358, n. 8.
Pythagoricum silentium unde, d. 217, n. 1.

Q

Qualitates

Regum qualitates, d. 378, n. 17.
Qualitates Adami, *vide* Adam.
Abelis, *vide* Abel.
Enochi, *vide* Enoch.
Noe, *vide* Noe.
Abrahae, *vide* Abraham.
Isaac, *vide* Isaac.
Iacob, *vide* Iacob.
Quinquagenae tres in rosario quid significent, d. 322, n. 10.

R

S. Radbodus a B. Virgine sanatur, d. 362, n. 14.
S. Radegundis ieiunia, d. 381, n. 101.
Ratio potissima cur B. Virgo sit adeo clemens, d. 282, n. 5.
S. Raymundus Ordini B. Mariae de mercede redemptionis captivorum quomodo initium dederit, d. 238, n. 8.
In pallio mare transit, d. 237, n. 146.
Raymundus princeps Aragoniae quam religiosus fuerit, disc. 381, n. 78.
Raynerus Burgensis in fide fluctuans a B. Virgine confirmatur, d. 237, n. 62.
Recitatio coronae B. Virginis quam grata sit exemplis monstratur, d. 259, n. 11.
Refugium omnium est B. Virgo, d. 352, n. 13.
Refugia peccatorum quae et quot sint, d. 366, n. 17.
Regina a sanctis patribus B. Virgo fuit dicta, d. 368, n. 18.
Regina caeli antiphona, d. 256, n. 15.
B. Reginaldus ad Ordinem praedicatorum multos sua praedicatione traxit, d. 237, n. 123.
A B. Virgine sanatur, ibid. n. 218.
Ei B. Virgo habitum monstrat, et donat, ibid. n. 20.
Regnum Christi fuit nobilius quam omnium monarcharum mundi regna, d. 381, n. 1.
Regnum quotuplici via acquiratur, d. 378, n. 13.

Religio

Religio quid sit, et quot religionis actus, d. 237, n. 25, 26.
Religio Christi, d. 339, n. 2.
B. Virginis, ibid. n. 4.
Religio B. Mariae in purificatione, d. 338, n. 7.
Religio Ioachimi et Annae quae fuerit, d. 299, n. 9.
Religio Abrahae in Deum, d. 382, n. 26.
Religiones per B. Virginem institutae, d. 300, n. 7.
Religiones noviter exortae sanctissimi rosarii fructus, d. 317, n. 7.
Religiosus quilibet specialiter est B. Virgini desponsatus, d. 223, n. 32.
Religiosi nonnulli cur alba vestimenta habeant, disc. 353, n. 6.
A B. Virgine vocantur, d. 300, n. 7.
Religiosi ex rosario, d. 317, n. 1.
Religiosi praecipui B. Virginis cultores et imitatores, d. 309, n. 1.
Quinam ab ea vestem receperint, ibid.
Religiosi pomposi taxantur a b. Bernardo, d. 283, n. 73.
Religiosos B. Virgo in morte recipit, d. 237, n. 251.
Religiosorum variae denominationes, d. 210, n. 1.
Reliquiae sanctorum cur in processione deferantur, d. 260, n. 20.
Reliquiae sanctorum pie venerandae, d. 268, n. 3.
Reliquiae Deiparae in igne manent integrae, et ignem extinguunt, ibid. n. 5, 6.
Reliquiarum nomine quid intelligitur, d. 267, n. 2.
Responsio b. Alani ad obiectionem de oblivione rosarii, disc. 314, n. 5.
Responsoria cur ita dicta, d. 257, n. 1.
Miracula eorum, ibid. n. 2, 3, 4.
Responsum pueri Iesu Matri, d. 339, n. 14.
Respublicae sub tutela et patrocinio B. M. Virginis, d. 352, n. 10.

Digitized by Google

Resnrreclio B. Virginis a morte, d. 318 per totum.
Revelationum b Birgittae auctoritas, d. 381, n. 108.

Reges

Reges qui ope et auxilio B. Mariae victorias reportarunt, d. 377 per totum.
Reges tialiae cur plus aliis Sedi apostolicae dilecti, d. 381, n. 29.
Reges Poloniae religionis catholicae quam tenaces, ibidem, n. 54.
Reges Hispaniarum quam devoti, ibid. n. 39, et seq.
Regum exemplu multum movent ad pietatem, disc. 381, n. 112.
Reverentialis affectus in B. Virginem, d. 222 per totum.
Rhodii milites ope B. Virginis victores, d. 377, n. 25.
Ritus qui in processionibus observantur, d. 260, n. 11, et seq.
Ostenditur ex Scriptura, d. 265, per totum.
Rituum christianorum mira vis et efficacia, d. 262, n. 10.
B. Robertus impurae nutricis ubera sugere renuit, d. 353, num. 4.
B. Robertus Deiparae desponsatur, d. 222, n. 32.
Robertus senior Galliae rex Deiparae cultor eximius, d. 381, num. 31.
Roberti Galliarum regis pietas in B. Virginem, d. 239, n. 2.

Roma

Roma quot imagines B. Virginis miraculosas habeat, d. 226, num. 21.
Romana ecclesia sincere B. V. Mariae devota, disc. 220, num. 14.
Romanae ecclesiae studium in B. Virginem, d. 235, n. 7.
Romani cur in triumphis murum civitatis rumpebant, disc. 351, n. 15.
Romanorum ethnicorum superstitio quanta erat, disc. 335, num. 1.
Romanorum triumphi, d. 348, n. 19.
Rori Christus comparatur, d. 361, n. 15.
Rosa unde dicta, d. 309, n. 38.
S. Rosa et s. Petrus martyr cur *rosa* appellati, disc. 309, num. 14.
Rosae encomium, ibid. n. 16.
Rosae recentes in octobri Venetiis visae, d. 231, n. 4.

Rosarium

Rosarium et corona in quo differunt, d. 259, n. 4.
A quo institutum, d. 236, n. 5.
A quibus promotum, ibid. n. 11.
Quantos fructus Ecclesiae attulerit, ibid. n. 10, d. 300, n. 9, et 317, n. 11.
Thesaurus est evangelicus, d. 319, n. 1.
Quid sit, d. 310, n. 1, et d. 322, n. 2.
Cur sic dictum, ibid.
Conscientiam non onerat, d. 320, n. 16.
Gratis in suum sodalitium recipit, ibid.
Quid significet, d. 322, n. 1.
Cur sertum ceu corona B. Mariae dictum, ibid. n. 3.
Quis illius scopus, d. 325, n. 10.
Est totius evangelii summa, ibid.
Viam ad beatitudinem demonstrat, d. 378, n. 4.
Modi seu formulae illius recitandi, d. 329, n. 1, et seq.
Est protestatio fidei catholicae, d. 330, n. 5.
Epitome est mysteriorum salutis nostrae, ibid. n. 9.
Cur psalterii nomine s. Dominicus appellare noluerit, disc. 312, n. 16.
Cum quibus conditionibus concedatur aliis ecclesiis extra praedicatorum Ordinem, ibid. n. 2.
Est mater sodalitatis annuntiatae, d. 312, n. 30.
A fratribus dominicanis non migravit, ibid. n. 4.
Qua occasione collapsum, d. 314, n. 4.
Quos fructus afferat, d. 313 per totum.
Haereses profligat et vitia, ibid. n. 5.
Illius initium, ibid. n. 13.
Tessera catholicismi, ibid. n. 25.
Unde habeat virtutem haereses profligandi, ibid. n. 26.
A blasphemiis haereticorum defenditur, d. 350, n. 5.
Rosarii fructus, d. 236, n. 18, 300, n. 9, et 313, n. 1.
In novo orbe, d. 317, n. 10.
Rosarii nomen quando divulgatum, disc. 310, n. 1, et 350, num. 5.
Illius quis auctor, ibid. n. 1.
Illius origo, ibid. n. 13.
Rosarii recitatio quanti sit meriti, d. 247, n. 3.
Rosarii hostes taxantur d. 321, n. 16.
Rosarii devotio a principio quanta fuerit ex narratione ipsius B. M. Virginis, d. 313, n. 6.
Illius oratio quam efficax, d. 313, n. 3.
Rosarii archiconfraternitas cur in processionibus crucem praefert, d. 260, n. 16.
Rosaria opera dominicanorum erecta, d. 316, n. 47.
Rosariorum publica gestatio, d. 236, n. 13.
Rupertus abbas a B. Virgine scientiam accipit, d. 363, n. 2, et 339, n. 9.
Rupes gallica imagine B. Virginis clara, d. 226, n. 48.

S

Sabbathicus fluvius, d. 232, n. 13.
Sabbatinae devotiones erga B. Virginem, ibid. n. 6.
Sabbatinam carmelitarum quinam et quot pontifices summi approbarint, d. 242, n. 2.
Illius privilegii impugnatores reprimuntur, ibid. n. 3.
Sabbatini officii maioris de B. Virgine quis auctor, disc. 254, num. 1.
Eiusdem per totam Ecclesiam origo, d. 232, n. 14.
Eius ratio, d. 235, n. 6.

Sabbatum

Sabbatum ieiunare in honorem B. Mariae quam salutare sit exemplis probatur d. 233, n. 3.
Cur illud orientales non ieiunent, d. 232, n. 6.
Cur Deiparae perpetuo sit dicatum, et a quo, ibid. n. 2, 15, et d. 393, n. 17.
Qualem convenientiam habeat cum B. Virgine, disc. 232, num. 15.
Sabbato specialiter B. Maria sibi devotis gratias largitur, ibid. num. 15.
Sacerdos quinque siclis Filium Mariae vendens, disc. 338, num. 15.
Sacramenta vasa gratiae, d. 300, n. 1.
Sacrificium Ioachim et Annae quam fuerit Deo gratum, disc. 299, n. 14.
Salernum imaginem B. Mariae miraculosam habet, d. 226, num. 27.
Salmantinum novitiatum infestat diabolus, d. 237, n. 81.
B. Salomaeae vitae compendium, d. 381, n. 110.
Salomon dormiens corpore, mente vigilabat, d. 308, n. 5.
Salomon academicus, d. 354, n. 2.
Salve Regina cantatur ab angelis, d. 232, n. 4, et 255, n. 13, et 237, n. 84.
Miracula per *Salve Regina*, ibid.
Qua occasione in praedicatorum Ordine cani coeptum, disc. 237, n. 81.
Salve Lutheranorum, d. 236, n. 1.
Salus quandoque velocior ad invocationem B. Mariae, quam Iesu, et cur, d. 275. n. 12.
Salutis nostrae mysteria omnia per Mariam, vel cum Maria, d. 291, n. 13.
Salutem aeternam ambiens ad Mariam recurrat, disc. 359, num. 17.
Salutanda ex corde B. Virgo, d. 248, n. 17.
Cur ter in die, d. 231, n. 5.
Salutandi varii ritus, d. 248, n. 1.
Salutatio B. Mariae, d. 319, n. 18.

Salutatio angelica

Salutationis angelicae encomia, et paraphrasis, d. 244, et 245 per totum.

**

Salutatio angelica quam B. Virgini sit grata probatur d. 244, num. 12.
Ipsa B. Virgo eam recitabat, ibid. n. 5.
Ipse Christus recitabat, ibid.
Quo auctore, et quibus de causis concionibus praemittatur, d. 249 per totum.
Recitantibus eam quam sit proficua, d. 229, n. 24.
Quas indulgentias consequantur, d. 241, n. 9.
Quorum zelo in tantam devotionem venerit, d. 236, n. 8.
Illius promotor quis fuerit, ibid. n. 1.
Eius vis quanta sit contra daemones, d. 276, n. 19.
Cur subiungatur orationi dominicae, d. 279, n. 9.
Apud quos in Missa recitetur, d. 235, n. 7.
Temporibus apostolorum usitata, d. 333, n. 1.
Salutatio B. Virginis per eius septem gaudia ab ipsa Deipara s. Thomae cantuariensi tradita, d. 259, n. 7.
Salutatio B. Mariae gratissima, ibid. n. 8.
Salutationem angelicam crebro recitantium exempla, d. 222, n. 15.
Salutationem angelicam recitando quinam genua flexerint, d. 248, n. 14.
Samborius Pomeraniae dux olivense monasterium aedificat, d. 381, n. 84.
Sanctificari cur debuit B. V. Maria, d. 229, n. 19.
Sanctimonia vitae B. M. Virginis, d. 252, n. 4
Sancta Sanctorum cur sic dicta, d. 355, n. 12.
Sancti peculiares patroni diversis in necessitatibus invocati, d. 366, n. 16.
Sancti nostri saeculi rosarii fructus, d. 317, n. 9.
Sancti dormientes corpore, vigilantes mente quinam fuerint, d. 308, n. 3.
Sancti in coelo sunt angelis similes, d. 247, n. 14.
Res nostras cognoscunt, ibid.
Sanctos habere patronos quam bonum sit, d. 229, n. 25.
Sancti in corpore et anima beati, d. 230, n. 11.
Sanguis peccati symbolum, d. 304, n. 23.
Sanguis ex imagine B. Virginis fluit, d. 228, n. 19, 13.
Sanitis Aegyptiorum regis captivitas, d. 390, n. 6.
Sapientia duplex, et utriusque est sedes B. M. Virgo, disc. 288, n. 12.
Sapientiae symbolum quodnam sit, d. 212, n. 5.
Sapphiri virtus et proprietates B. Virgini adaptantur, d. 304, num. 9.
Sapphiro similis B. V. Maria, d. 288, n. 6.
Sarabitana imago B. Virginis, d. 226, n. 11.
Sardius B. Virgini adaptatur, d. 304, n. 27.
Sardonix B. Virgini adaptatur, ibid. n. 21.
Saraceni ope B. Virginis sanati, d. 281, n. 7.
Saracenis etiam B. Virgo auxiliatur, d. 226, n. 17.
Scabellum sapphirinum B. Virginem adumbrat, disc. 304, num. 13.
Scala coeli Maria, d. 359, n. 3.
Scarabei rosas oderunt, d. 309, n. 33.
Sceptrum fidei B. Virgo, d. 287, n. 6.
Sceptrum arundineum cur Christo datum sit, d. 342, num. 8, 23.
Schisma Ecclesiae sub Urbano VI, d. 315, n. 3.
Scientiam donat B. V. Maria, d. 363, n. 2.
Scipionis africani dictum, d. 287, n. 11.
Smaragdus veneri contrarius, d. 304, n. 29.
Adaptatur B. Virgini, ibid.
Scopus festivitatis conceptionis B. Mariae, d. 229, n. 19.

Scriptores-Scriptura

Scriptores de imaginibus B. M. Virginis, d. 363, n. 6.
Scriptores prisci de rosario, d. 310, n. 4.
Scriptores de B. M. Virgine ex Ordine praedicatorum, disc. 236, n. 21.
Scripturae loca pro virginitate, d. 213, n. 14.
Scripturarum scientia in B. Virgine quanta fuerit, d. 212, num. 2.
Sebastianus Lusitaniae rex B. Virgini devotus, d. 381, n. 79.
Sedes Dei multa dicuntur in Scripturis, d. 289, n. 1.
Sedulo lapsus, d. 310, n. 13.
Semina Dei quae, et diaboli quae, d. 278, n. 1.
Senes cur honorandi, d. 295, n. 3.
Sensus Ecclesiae in celebratione conceptionis B. Virginis, d. 229, n. 11.
Sensus suos quam diligenter B. Virgo custodierit, d. 213, num. 1.
Sententia vera de institutione et auctore rosarii, disc. 323, num. 15.
P. Seraphini Sicci de Religione dominicana testimonium, d. 316, n. 45.
Sepulcri Christi cum utero B. M. Virginis convenientiae, d. 232, n. 19.
Ex sepulcro vacuo probatur assumptio B. Virginis, d. 230, num. 7.
Servitae cur nigrum habitum gestent, d. 238, n. 9, et 398, num. 10.
Schisma Ecclesiae, d. 316, n. 29.
Sibyllae quae et quot, d. 383 in praef.
Sichemiensis imago B. Virginis miraculosa, d. 226, n. 52.
Sicli quinque quid faciunt, d. 338, n. 10.
Sigismundi primi regis Poloniae religio, d. 381, n. 57.
Sigismundi Augusti II regis Poloniae devotio erga B. V. Mariam, ibid. n. 58.
Sigismondi III regis Poloniae pietas in B. Virginem, ibid. num. 59.
Signare se signo crucis est christianismi nota, d. 330, n. 5.
Silentiariorum deorum arae, d. 217, n. 18.
Silentium B. Mariae commendatur, ibid. n. 3.
Quale fuerit, ibid. n. 7.
Quodnam prudens, ibid. n. 5.
Silentium Amiclarum unde in proverbium abierit, ibid.
Silentium pythagoricum unde, ibid. n. 1.
Simeon quam beatus ex Christi aspectu, d. 338, n. 14.
Illius oratio, ibid.
Canticum, ibid.
Mors, ibid.
Quis fuerit, ibid.
Sancti Simon et Iudas apostoli B. Virgini addicti, d. 386, num. 9.
Simonis Montisferrati victoriae mirabiles, d. 278, n. 16.
Simon Monfortius B. Virginis cliens fuit, d. 377, n. 21, et 381, n. 91.
Simon cyrenensis crucem Christi portans quid doceat, disc. 313, n. 11.
Fratris Simonis Stock carmelitae encomium, d. 212, n. 1.
A B. Virgine manna coelitus pascitur, ibid.
A B. Virgine scapulare accipit, ibid.
Sinarum salutandi mos, d. 248, n. 1.
Sinarum rex quam dives sit, d. 356, n. 8.
Skape oppidum imagine miraculosa B. Virginis ditatum, d. 226, n. 66.
Smaragdi virtutes B. Virgini adaptantur, d. 301, n. 20.
Socal oppidum imagine B. Virginis clarum, d. 226, n. 65.
Societas Iesu et eius devotio erga B. Virginem quanta, disc. 240, n. 17.
Societas peregrinantium ex fratribus Ordinis praedicatorum, d. 237, n. 231.
Societatis nominis Iesu initium, d. 226, n. 46.
Socratis speculum, d. 287, n. 8.
Socratis argumentum circa devotionem, d. 320, n. 6.
Sodalitas Dominae nostrae ballensis, corrigiatorum, etc. d. 213, n. 1, et seq.
Sodalitatis scapularis origo, d. 212, n. 2.
Sodalitas annuntiatae an sit eadem cum archiconfraternitate sacratissimi rosarii, d. 312, n. 3.
Unde originem trahat, ibid.
An alia sit ab archiconfraternitate rosarii, ibid. n. 4.
Sodalitatis rosarii antiquitas, d. 310, n. 11.
Sol ab antiquis pro deo habitus, d. 219, n. 29.
Solis domus qualis, d. 356, n. 11.
Sola amicta B. Virgo, d. 281, n. 6, et 214, n. 3.
Solatium pro tribulatis, d. 310, n. 21.
Solemnitatis conceptionis immaculatae Virginis origo, disc. 229, n. 7.
Soliditas Mariae quae et quanta, d. 301, n. 3.

Digitized by Google

Solitudo mulieribus commendatur, d. 287, n. 115.
Somnia dominicanorum quam suavia et dulcia, disc. 237, n. 82.
Somnus peccatorum taxatur d. 340, n. 22.
Spasmum passam fuisse B. Virginem quinam asseruerint, d. 397, n. 2.
Quinam asserant contrarium, ibid. n. 7.

Speculum

Speculum crucis Christi, d. 287, n. 132, et seq.
Speculum fidei Maria, ibid. n. 3.
Speculum spei, ibid n. 6.
Speculum quotuplici materia fiat, ibid. n. 9.
Speculum variarum virtutum Maria, d. 286, n. 5.
Speculi cuiusque finis, ibid. n. 11.
Speculorum quae et quot sint species, d. 285, n. 1.
Quot genera, ibid. n. 5.
Spelunca in qua Christus nasci dignatus est, d. 337, n. 3.

Spes

Spes in B. Virgine quanta fuerit, d. 287, n. 6.
Spes parentum Mariae quanta fuerit, d. 299, n. 3.
Spinis cur Christus coronatur, d. 312, n. 22.

Spiritus sanctus

Spiritus sanctus in solo opere circa Mariam coepit vocari Spiritus sanctus, d. 292, n. 4.
Illius missionem in apostolos credibile est B. V. Mariam precibus suis accelerasse, d. 307. n. 8.
Non datur nisi per Mariam, d. 293, n. 7.
Fuit B. Virginis custos, d. 213, n. 2.
Cur in igne apparuerit, d. 317, u. 1.
Cur in vento, ibid. u. 5.
Cur in linguis dispertitis, ibid. n. 8.
Spiritus quando exultat, d. 253, n 18.
Sponsi spirituales B. M. Virginis, d. 237, n. 76.
S. Stanislaus a B. Virgine in auxilium Polonis missus pro eis pugnavit, d. 377, n. 22.
Stanislai Carukovii de dominicanis testimonium, disc. 316, d. 36.
B. Stanislai Kostka devotio erga B. M. Virginem, disc. 222, n. 28.
Statua B. M. Virginis apud Aegyptios, d. 225, n. 7.
Status mundi qualis erat ante nativitatem Christi, d. 361, n. 3, et 335, n. 1.
Stella matutina Maria, d. 361, n 1.
Quot nominibus appellatur, ibid. n. 2.
Stellae cur creatae, d. 360 per totum.
Stemma Dominico Soto a Concilio tridentino donatum, disc. 316, n. 34
B Stephana calumniata defenditur a Deo, d. 237, n. 114.
Dolores Christi sensit, ibid n 203.
S. Stephanus Hungariae rex erga B. Virginem quam devotus, d. 381, u. 61.
Stephanus de Malescot refutatur, d. 217, n. 6.
S Stephani presbyteri mira infantia, d. 287, n. 92.
Stimulus ad compassionem, d. 311, n. 23.
Stimulus ad imitationem B Mariae, d. 215, n. 4.
Stimuli ad invocationem B Mariae, d. 223, n. 4.
Stratagemata diaboli, d. 213, n. 2.
Stratagema nobile pro conservanda castitate, d. 237, n. 76.
Studium cisterciensium erga B. M. Virginem, d. 240, n. 15.
Sudor sanguineus in Christo unde, d. 340, n. 17.
Sudor ex imagine B. Virginis manens clericum manum aridam habentem sanat, d. 226, n. 28.
Sudorem cisterciensium B. Virgo in vase colligit, disc. 370, n. 2.
Summarium beneficiorum devotis a B. V. Maria collatorum, d. 321, n. 11.
Summarium epithetorum ex Canticis et Ecclesiastico, disc. 272, n. 11.
Sumptus David pro fabrica templi, d. 355, n. 3.
Et principum. ibid. n 4.
Supplicatio catholicorum cum imagine B. M. Virginis quam efficax, d. 260, n. 35.
Suspirium unum B. M. Virginis plus valet apud Deum, quam omnium sanctorum preces, d. 275, n. 9.
Symbolum quid sit, d. 331, n. 3.

T

Tactum quam diligenter custodierit Virgo, d. 213, n. 10.
Talentum quantum valet, d. 355, n. 3.
B. Tancredus ope B. M. Virginis a naufragio liberatur, disc. 237, n. 90.
Idem morti proximus B M. Virginem videt, ibid. n. 253.
Tartari per dominicanos conversi, ibid. n. 235
Taurus ante statuam B. M. Virginis genua flectit, disc. 226, n. 43.
Temperantia elephantis, d. 353, n 1.

Templum

Templum Dei in B. Virgine, d. 351, n. 6.
Templum comitis carnutensis, d. 225, n. 5.
Templum Argonautarum, ibid. n. 6.
Templum Iasonis, ibid.
Templi lauretani elogium, ibid. n. 1.
Templi Salomonis encomia, d. 355, n. 1
Ei comparatur B. V. Maria, ibid. n. 2.
Templi ornatus, d. 226, n. 46.
Templa licite sanctis eriguntur, d. 225, n. 1.
Templa in honorem Deiparae Romae extructa, d 230, n. 18.
Templorum fores sponte patent s. Dominico, disc. 237, n. 138.
In templorum erectione B. Virgo quantum honoretur, disc. 225, n. 19.
Templorum Deiparae ingens numerus per orbem, ibidem, n. 17.
Tentationes nullas passa est B. Virgo, d. 309, n. 24
Teneriffa insula imagine miraculosa B. M. Virginis ditata, d. 226, n. 45.
B. Teresiae narratio, d. 275, n. 7.
Illius devotio erga B. M. Virginem, d. 222, n. 33.
Ternarius numerus commendatur, d. 322, n. 10.
Teutonici milites quatenus fratres Mariae dicti, d. 321, n. 6.
Quando instituti et quando venerint in Prussia,
Theoctisti error, d. 302, n. 5.
Theodorici aurea sententia, d. 237, n. 267.
Theodosius iunior B. Virgini fuit devotus, d. 381, n. 9
Theodosii imperatoris peregrinatio miraculo comprobata, d. 299, n. 38.
Theologi dominicani qui in Concilio lugdunensi fuerunt, d. 316, n. 21.
Theologorum dominicanorum numerus, d. 316, n. 18.
Theophilus ope Dei Genitricis a daemone liberatur, d. 276, n. 22
Eiusdem ope ad Deum conversus, d. 367, n. 7.
Thephilem Iudaeorum quid et quomodo scribatur, disc. 300, n. 10.

S. Thomas aquinas

S. Thomae aquinatis despectio, d. 237, n. 120.
Illius elogia, ibid.
Eius doctrina a Concilio tridentino quanti habita, disc. 316, n. 21.
Unde tam doctus evasit, d. 297, n. 48.
A B Virgine fuit instructus, ibid.
Ad Concilium lugdunense vocatur, d. 316, n. 26.
A s Ioanne favore B. Virginis a morte liberatur, d. 237, n. 94, 218
Ab angelis praecingitur, ibid n. 171.
Thomas Caietanus pro dignitate pontificia fortiter stat, d. 316, n. 32.
S. Thomas cantuariensis B. Virgini devotus, d. 388, n. 24.
Monachus cisterciensis fuit, d 399, n 15.

B. M. Virgo ei apparet et modum salutandi edocet, d. 259, n. 7.
Ei casulam donat, d. 267, n. 37.
Thomas de Kempis salutatione angelica daemonem fugat, d. 244, n. 21.
Ob intermissum Beatae Virginis cultum correptus fuit, disc. 223, n. 10.
Eidem B. Virgo apparuit, d. 399, n. 3.
Thronus Dei Maria, d. 280, n. 5.
Thronus Salomonis B. V. Maria, d. 288, n. 2.
Throni tertiae hierarchiae angelorum ordo cur dicti, discur. 289, n. 9.
Thronorum proprietates B. Virgini adaptantur, ibid. n. 11.
Timantis pictoris ingenium, d. 396, n. 1.
Toletanam ecclesiam cathedralem B. V. Maria sua praesentia ornat, et s. Ildephonso vestem donat, d. 226, n. 49.
Toleti imago Deiparae miraculosa, ibid. n. 40.
Topazius B. Virgini adaptatur, d. 304, n. 26.
Traditionum vis, d. 260, n. 4.
Transitus B. Mariae ex hoc mundo cur assumptio dicatur, d. 230, n. 5.
Translationes corporum diversorum sanctorum, disc. 260, num. 22.
Tribulatorum solatium, d. 340, n. 21.
S. Trinitas quomodo B. Virginem in coelum venientem excepit, d. 349, n. 8.
Quomodo acceperit gloriam per B. Virginem, d. 292, n. 4.
Triumphi B. M. Virginis de hostibus, d. 278, n. 16.
Tunicam Christi B. Virgo manibus propriis confecit, d. 306, n. 6.
Turcis B. Virgo etiam ope fert, d. 231, n. 7.

Turris

Turris quid sit, d. 351, n. 11.
Turris excellentissima Maria, d. 353, n. 18.
Turris David quae, d. 352, n. 2.
Turri David B. V. Maria comparata, d. 276, n. 10.
Turres mirabiles recensentur, d. 353, n. 18.
Turres in quem finem eriguntur, d. 351, n. 10.

V

Vacca occisa reviviscit, d. 226, n. 47.
Vale quod dixit Christus Matri suae in termino vitae, disc. 340, n. 2.
Valentiae imago Deiparae miraculosa, d. 226, n. 50.
Vas quotuplicem habeat significationem, d. 301, n. 1.
Vas quale sit B. V. Maria, d. 300, 11.
Multis modis honorabile, d. 301, n. 4.
Vasa gratiae quae sunt, d. 300, n. 1.
Vasa quotuplicia, et quae in honorem et quae in contumeliam, d. 301, n. 1.
Vaticinium B. Mariae, d. 253, n. 19.
Venerandam B. Virginem multa suadent, d. 219, n. 3.
Veneratio in quo fundetur, d. 220, n. 1.
Venereus cultus qualis, d. 213. n. 8.
B. Venturinus in concionando mirabilis, d. 237, n. 240.
Calumniatus innocens declaratur, ibid. n. 112.
Ab angelo in navicula vehitur, ibid. n. 151.
Eiusdem zelus in praedicatione, d. 318, n. 6.
Verbum Dei audientibus tria esse necessaria, d. 339, n. 10.
Verbi divini celsitudo, d. 337, n. 2.
Verba B. Mariae ad Iesum, d. 339, n. 13.
Verba B. M. Virginis ad Christum in cruce pendentem, disc. 396, n. 10.
Verecundia Christi, d. 341, n. 13.
Verecundia B. Mariae in annuntiatione Gabrielis, d. 287, n. 59, et d. 335, n. 21.
Verecundiae laus, d. 287, n. 58.
Veritatis quanta vis, d. 272, n. 52.
Veronicae pietas, d. 343, n. 12.
Vestes compluatae s. Dominici Beata Virgo omni imbre vacuas reddit, d. 237, n. 189.
Vestes quibus dedit B. V. Maria, d. 237, n. 19.
Vestium pompam amantes taxantur, d. 287, n. 72.
Vestium splendor in processionibus quid denotet, d. 264, num. 13.
Vestigia Christi humo impressa quibus miraculis coruscant, d. 346, n. 21.
Vestitus corporis B. Virginis quam vilis fuerit, disc. 287, num. 71.
Vexillum per aera delatum in processionibus quid significet, d. 260, n. 15.
Vexilla cur in turri collocentur, d. 275, n. 3.
Vexilla cur appenduntur crucibus, d. 260, n. 14.
Vicarius sancti Spiritus quis fuerit, d. 294, n. 7.

Victoria

Victoria mirabilis ope Beatae Virginis parta, d. 226, n. 38.
Victoria christianorum de Turcis B. Virginis ope parta fuit, d. 231, n. 3, 4.
Victoriae ope B. M. Virginis obtentae, ibid. n. 20.
Enumerantur, d. 300, n. 11.
Victoriae Israelitarum in praesentia Arcae, d. 358, n. 13.
Victoriae virtute rosarii obtentae, d. 315, n. 15, 18.
Vigiliae s. Dominici, d. 237, n. 82.
Vigilantius refutatur, d. 264, n. 9.
B. Vincentii dominicani studium in B. Virginem, disc. 222, num. 23.
S. Vincentium daemon decipere satagit, d. 237, n. 84.
Eius in concione ardor et fama, ibid. n. 243.
Eius castitas, et pro castitate praelia ibid. n. 73.
Illius innocentia declaratur ibid. n. 110.
Vinceotium quis olim mos erat, d. 278, n. 79.
Vinum cur in Cana Galilaeae B. Virgo a Filio postularit, d. 269, n. 6.
Vinum a sancto Dominico multiplicatum, d. 237, n. 31.
Virga Moysis B. V. Maria, d. 366, n. 23.

Virginitas

Virginitas B. M. Virginis quam insignis, d. 303, n. 2.
Virginitas antiquitus quam exosa fuerit, d. 213, n. 13.
Virginitatis amor in Maria, d. 335, n. 23.
Virginitatis symbolum rosa, d. 309, n. 9.

B. Virgo

B. Virgo propter quid prudentissima, d. 211, n. 4, 5.
Mortua cur in cinerea non est reversa, ibid. n. 13.
Assidue sacras litteras legebat, d. 212, n. 9.
Cor suum custodit assidue, d. 213, n. 2.
Praeterita recogitabat, d. 215, n. 2.
Praesentia disponebat, ibid. n. 3.
Futura providebat, ibid. n. 4
Nunquam locuta, nisi praeventa, d. 11, n. 14.
Cur B. Virginem ter in die salutamus, d. 231, n. 1.
Ob virtutes veneranda, d. 219, n. 19.
Salutis nostrae cooperatrix, d. 220, n. 11.
Speculum omnium virtutum, d. 224, n. 3.
Nobis imitanda, ibid. n. 4.
Non fuit concepta de Spiritu sancto, d. 229, n. 14.
Cur a nobis salutatur, d. 216, n. 2.
Quomodo Deum magnificavit, d. 253, n. 15.
Dulcedo est nedum hominum, verum et Dei et angelorum, d. 236, n. 8.
Sibi devotum lacte suo in os eius immisso sanat, disc. 239, num. 27.
An aliquid scripserit, d. 267, n. 45.
Quomodo dea sit, d. 270, n. 5.
Quomodo praedicanda, d. 271, n. 2.
Cur nubes fulgurans, ibid. n. 2.
Omnibus saeculis fuit praedicata, d. 272, n. 25, et seq. et 302, n. 10.
Cur dicta sit negotium omnium saeculorum, ibid. n. 51.
A Deo victa, d. 275, n. 3.
Deum vicit, ibid. n. 4.
An ob precum suarum efficaciam sit potentior Christo, ibid. num. 13.

Digitized by Google

Sola magis est terribilis daemonibus, quam omnes sancti, d. 276, n. 12.
Peccatores corripit, d. 284, n. 9.
Ad sbbatem Cyriacum ob librum Nestorii ingredi renuit, d. 284, n. 14.
Cisterciensem monachum in templo dormientem a somno excitat, ibid. n. 15
Cur tota aures, d. 287, n. 48.
Suos cultores verecundos facit, ibid. n 61.
Incarnationem Christi acceleravit, d. 290, n. 3.
Eum mox natum adoravit, d. 337, n. 7.
Quomodo operata sit nostram salutem, d. 291, n. 6.
Quomodo pro genere humano passa sit, ibid. n. 9.
Quomodo causa laetitiae extiterit, d. 292, n. 1.
Quomodo angelis existat causa laetitiae, d. 292, n. 5.
Quomodo primus homo, d. 302, n. 5,
Est idea praedestinatorum, ibid.
Cur dicta negotium saeculorum, ibid. n. 11.
Honorabilior regina Sabba, Hester, David, Salomon, etc. ibid. n. 20, et seq.
Quam insigne vas per comparationem ad alios sanctos, disc. 303, n. 2.
Fuit aurea, d. 304, n. 2.
Cur dicta coelum, ibid. n. 4.
Cur lunam calcat, ibid.
Doctorum aureolam habet, ibid. n. 27.
In templo praesentata quid egit, d. 305, n 3.
An in utero matris votum virginitatis emiserit, ibid. n. 12.
Vi amoris obiit, d. 307, n. 3.
Contemplabatur etiam in somno, d 208, n. 5.
Cur comparata cinnamomo, ibid. n. 6.
Cur immunis ab omni peccato, d. 308, n. 15.
Nunquam frigida, sed semper ardens fuit, ibid. n. 16.
Quam apte dicatur rosa, d. 309, n. 1.
Rosa sine spinis, candida et rubicunda, ibid. n. 4, 7.
Rosa nobilissima, ibid. n. 14.
Rosa pulcherrima et gratiosa, ibid. n. 16.
Rosa fragrantissima ibid. n. 25.
Rosa medicinalis et ierichontina, ibid. n. 34, et 37.
Sancto Dominico apparet, et rosarium tradit, d. 310, n. 15.
Rosarii promotores dominicanos esse vult, ibid.
Sanctos Dominicum et Franciscum Christo praesentat, disc. 315, n. 12.
Hostes in bello sternit, d. 315, n. 17.
Virgo quaedam magnae sanctitatis Veronae in Italia cur dicta *Consolatrix*, d. 370, n. 22
Virginis epithalamium, d. 253, n. 4.
B. Virginem cur ter in die salutemus, d. 251, n. 5.
B. Virginem Mariam in coelis regnantem nostras necessitates videre, nosse, nobisque opitulari velle ac posse contra haereticos ostenditur d. 415 per totum.

Virgines

Virgines prudentes quaenam sint, d. 218, n. 5.
Quaenam fatuae, ibid.
Virgines haereticorum scorta sunt, ibid.
Virginum nota propria quae sit, d. 287, n. 61.
Virginibus doctrina, ibid. n. 60.

Virtus

Virtus cunctis est admiranda et reverenda, d. 219, n. 19.
Virtutes per quid manifestentur, d. 280, n. 1.
Virtutes et dona Spiritus sancti quomodo differant, d. 358, num. 20.
Virtutes B. Mariae Virginis declaratae in cantico, *Magnificat*, d. 252, n. 1.
Virtutes B. Mariae in corolla recolendae, disc. 259, n. 19.
Erga Deum, ibid.
Erga proximum, ibid.
Virtutes B. Mariae quam perfectae fuerint, d. 303, n. 6.
Virtutes Virginis quas imitari debemus, d. 224, n. 18.
Virtutum omnium exemplar B. V. Maria, d. 291, n. 5.
Vis cinguli s. Thomae aquinatis quanta sit, d. 237, n. 173.
Visiones clementiam B. Virginis erga homines probantes, d. 280, n. 10.
Visitantes B. Virginem adhuc in terris degentem, disc. 368, num. 2.
Visitatio B. Virginis, d. 229, n. 35.
Visitationes congratulatoriae quorundam, d. 295, n. 2.
Vitae s. Dominici scriptores, d. 310, n. 9.
Vladislai Poloniae regis felix successus, d. 377, n. 22.
Vladislai Iagellonii regis Poloniae religio, d. 381, n. 55.
Ulfo Nericiae princeps B. Virginis studiosissimus fuit, ibid. num. 96.
B. Ulricum Christus, B. Virgo, et multi sancti morientem visitant, d. 237, n. 257.
Ultio divina in haereticos, d. 327, n. 6.
Unio Mariae cum Deo quanta, d. 356, n. 12.
Voluntas stat pro facto, d. 306, n. 9.
Voluntas B. Virginis quam propensa sit erga peccatores, d. 366, n. 28.
Voluntatis Beatae Mariae conformitas cum Deo quanta, d. 396, n. 7.
Votum soli Deo fit, et quomodo fiat sanctis, d. 235, n. 9.
Quatenus fit Deo et sanctis eius, ibid. n. 11.
Vox Mariae in salutatione Elisabeth quam efficax, d. 335, num. 11.
Urbanus II Terram sanctam ope B. Virginis vindicat, d. 377, num. 10.
Eiusdem studium in B. Virginem, d. 387, n. 9.
Urbani V pietas erga eandem, ibid. n. 14.
Urbes sub titulo B. M. Virginis, d. 352, n. 10.
Uterus Virginis auri fodina, d. 300, n. 5.
Uterus B. Virginis simpliciter nobilior est sepulcro Domini, d. 232, n. 20.
Uteri virginalis laudes, d. 271, n. 3.
Walcuriae imago B. Virginis ab angelis de incendio eripitur, d. 226, n. 53.
Wiclefi errores dominicani confutant, d. 316, n. 28.
Wigandus lutheranus et Iacobus Andreas Smidel apostatae refutantur d. 247, n. 5.
Wilhelmi Aquitaniae ducis mira conversio, d. 261, n. 5.
Illius poenitentia, ibid.
Vultus B. virginis splendidus, d. 309, n. 19.

X

S. Xaverii devotio erga B. Virginem, d. 222, n. 25.
Xenodochia opera dominicanorum erecta, d. 116, n. 46.
Xeres urbs imagine miraculosa B. Virginis insignis, d. 226, num. 41.

Z

Zeuxis pictor eximius Helenam Crotoniatis depinxit, d. 303, num. 5.

CONSIGLIO GENERALE DI PUBBLICA ISTRUZIONE

Napoli 8 agosto 1855

Vista la dimanda di Raffaele Marotta, il quale ha chiesto di porre a stampa l'opera intitolata: *Discursus praedicabiles super Litanias Lauretanas Beatissimae Virginis Mariae studio et opera P. F. Iustini Miechoviensis poloni, Ordinis praedicatorum.*

Visto il parere del R. Revisore D. Girolamo d'Alessandro.

Si permette che la indicata opera si stampi; ma non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto essere la impressione uniforme all'originale approvato.

Il Consultore di Stato
Presidente provvisorio: CAPOMAZZA.
Il Segretario generale: GIUSEPPE PIETROCOLA.

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE

Nihil obstat
Vincentius Sannicandro
Censor Theologus

Imprimatur
Pel Deputato
Leopoldo Ruggiero
Segretario

Digitized by Google

La presente opera è posta sotto la tutela delle leggi in vigore per la proprietà delle note, dei discorsi aggiunti e della parte rammodernata. Si vende in casa dell'editore sacerdote D. Giuseppe Pelella — Strettola di Porto n° 21, 2° piano — Napoli.

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google